Digitized by Google

Digitized by Google

2 2

Augustus Calmet

Huius si quaeris dominum cognoscere libri:
Quae sunt superius verba notata legi

Digitized by Google

332

Digitized by Google

I

2.2.210

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

EPISTOLÆ B. PAULI APOSTOLI.
EPISTOLÆ CANONICÆ.
APOCALYPSIS.

Digitized by Google

2. 2. 21
III

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI,

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

OPUS GALLICÉ PRIMÚM AB AUTHORE,

Nunc verò Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucenſi.

TOMUS OCTAVUS.

2/2/210

LUCÆ, MDCCXXXVIII.

TYPIS SALVATORIS ET JO. DOMINICI MARESCANDOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

2.2.216

IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD ROMANOS PROLEGOMENON.

POſt Sacroſancta Evangelia, venerabile maximè ac cæterorum omnium pretioſiſſimum monumentum Pauli Epiſtolæ habendæ ſunt. Omnia in illis continentur, quæ formandis moribus, ſive ad myſteria & Religionem conſtituendam a Jeſu Chriſto tradita ſunt. Tamquam ſupplementum & interpretatio eorum, quæ Jeſus Chriſtus docuit, ac veluti alterum Evangelium Jeſu Chriſti e mortuis redivivi, jure meritoque reputantur. Etenim nihil aliud docuit Apoſtolus, quàm quæ a Jeſu Chriſto in gloriâ ſuâ jam conſtituto (*a*) didicit, quo tempore ſcilicet ad tertium uſque Cœlum raptus, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* [*b*].

Paulus Tharſi in Ciliciâ natus [*c*], ex patre Judæo item ac Romano cive, literis Græcis excultus erat, quippe qui Epimenidem (*d*) laudat, & Aratum [*e*]. Fortaſſe autem Tharſi literis vacavit, in qua ſcilicet Urbe humaniora ſtudia florebant adeò, ut Athenas literarum gloriâ ſuperaret, teſte Strabone (*f*). Sacris literis diſcendis Jeroſolymam miſſus eſt, Legis ſtudio ſub Gamaliele Doctore clariſſimo operam daturus. Tanto autem Legum avitarum amore tenebatur, ut acerrimum in primis hoſtem ſe præbuerit adversùs Jeſu Chriſti Diſcipulos, quòd Chriſtum perinde reputaret ac Moyſis æmulum, & Legum ipſius everſorem. Veſtes ſervabat eorum, qui lapidibus Stephanum conficiebant (*g*); & poſt primi Martyris obitum, Summi Sacerdotis literis ad Synagogas Damaſci datis, facultatem ſibi impetravit vinciendi detinendique quemcumque Chriſti Diſcipulum offenderet. Cùm igitur cædes & ſanguinem meditans ad eam Urbem ſeſe conferret, ſubitâ vi in terram adactus, increpantem ſe vocem audivit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tum cæcitate percuſſus, Damaſcum manu deductus eſt. Ibi apud Judam quemdam Tharſenſem receptus, ab Anania, quem Dominus noctu eâ de re monuerat, viſitatus, & viſum ab illo, & Baptiſmi lotionem, ac tandem manuum impoſitionem accepit.

Præco inde Evangelii effectus, Jeſum Chriſtum in eâ Urbe primùm, tum in Arabiâ nunciavit; e qua poſt longiorem moram, iterum Damaſcum repetiit. Mutatum viri animum graviùs ferentes Judæi, de nece illius conſilia agitabant: quorum molitiones ſubodoratus Paulus, demitti ſe funibus ex Urbis mœnibus curavit, eo conſilio ſtructas ſibi inſidias declinans (*h*). Contulit ſe deinde Jeroſolymam, ubi cum Apoſtolis, quos fortè invênit, eſt collocutus. Jeroſolymâ Tharſum profectus eſt, quò veniens Barnabas, virum deduxit Antiochiam [*i*], non inutilem futuram ejus præſentiam Evangelio propagando intelligens. Ambo pariter, Barnabas nempe & Paulus, Jeroſolymam conceſſerant, ferendis Fidelium largitionibus (*k*). Reduces inde Antiochiam Spiritus S. ſeligi juſſit, ut in Apoſtolos dilatandæ apud Gentiles fidei instituerentur. Novo hoc munere auctus Paulus, in Cyprum profectus eſt, ubi Sergio Paulo Proconſuli fidem perſuaſit (*l*). Vênit inde in Pamphyliam, Piſidiam, & Lycaoniam, ac facilè etiam in Galatiam; tandem Antiochiam reſtitutus eſt (*m*).

Quinque poſt annos (*n*) Jeroſolymam ad primum Concilium celebrandum vênit. Sancitum ibi, Gentiles, qui ad Chriſtianorum ſacra tranſierant, adigi non oportere tum ad circumciſionem, cùm ad legales ritus ſervandos; caverent tantùm ab Idololatriâ, fornicatione, uſu ſanguinis, & ſuffocati. In eodem Concilio munus Apoſtolorum Gentium Paulo & Barnabæ aſſertum eſt. Reſtituti poſt hæc Antiochiam, non diu poſt venientem Petrum exceperunt, quem Paulus coram palamque arguit, quòd præpoſterâ diſſimulatione, non bono futurâ cæteris exemplo, uti illum animadverteret. Poſt longiorem aliquam moram, conſilium agitavit Apoſtolus Eccleſias inviſendi, quas in Arabiâ minori operâ ſuâ conſtituerat. Ut ſecum veniret, Barnabam invitavit; ſed volente illo ſecum ducere Joannem Marcum, recuſante verò Apoſtolo, ſeceſſio utrinque facta eſt: atque ita Aſiæ minoris iter Paulus & Silas; Cypri Barnabas & Joannes Marcus aggreſſi ſunt.

Phrygiam & Galatiam Paulus peragrans, Evangelium nunciavit; petens inde

(a) *Galat.* 1, 12.
(b) 2 *Cor.* XII, 4.
(c) *Act.* XXI, 39; XXII, 3.
(d) *Tit.* 1, 12. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, &c.
(e) *Act.* XVII, 27: Αὐτοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.
(f) *Strabo*, *lib.* 14. *pag.* 462: Τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρός φιλοσοφίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν, ὥστε ὑπερβεβλήκασι καὶ Ἀθήνας.
(g) *An. J.C.* 34.
(h) *An. J.C.* 37.
(i) *An. J.C.* 43.
(k) *An. J.C.* 44.
(l) *An. J.C.* 45.
(m) *An. J.C.* 46.
(n) *An. J.C.* 51.

Digitized by Google

Macedoniam (o), Philippis, Theſſalonicæ, & Berœæ prædicavit Evangelium; tum Athenas ſeſe conferens, Dionyſium Areopagitam ad Chriſtianorum ſacra traduxit. Exeunte anno, Corinthum veniens, menſibus XVIII manſit. Data ibi Epiſtola prima ad Theſſalonicenſes; quam paulò pòſt ſecunda ad eoſdem ex eo loco conſecuta eſt (p). Corintho ſecedens, Epheſum priùs, poſtea Jeroſolymam, tandem Antiochiam petiit. Excurſum inde per Galatiam, & Phrygiam, tum Epheſum ventum eſt (q), ubi triennalis mora producta. Multa ibi Apoſtolo tolerata mala, ut & beſtiis expoſitum ſe ipſe profiteatur. Ex eâ Urbe data Epiſtola ad Galatas (r), quos perniciosa Doctorum quorumdam dogmata, jubentium jugum legalium cæremoniarum fidelibus induci, turbaverant. Ad alterum annum ſpectat prior ad Corinthios Epiſtola [s]. Tandem Epheſo movens Apoſtolus (t), Troadem profectus, inde in Macedoniam excurrit, ubi ſecundam dedit ad Corinthios Epiſtolam (u). Repetiit tandem Corinthum, triennalem ibi moram acturus, quo temporis intervallo ſcripta eſt ea, de qua modò, ad Romanos Epiſtola [x].

Revulſis Corintho ſedibus, Jeroſolymam non rectâ viâ, ne in manus Judæorum incideret, profecturus, tranſcurrit Philippos in Macedoniâ, Troadem, & Miletum. Vênit tandem Jeroſolymam, creditâque Apoſtolis, quam deferendam acceperat, pecuniâ, poſt ſeptem dies cùm verſaretur in Templo, magno tumultu a Judæis captus eſt. Nec eâ in ſeditione mortem vitaſſet, niſi ſtatim accurrens Lyſias Romanorum Præfectus, ex adverſariorum manibus eductum, Cæſaream miſiſſet, a Felice Judææ Præſide judicandum. Manſit apud Præſidem biennio in cuſtodiâ; cùm datus Felici ſucceſſor Feſtus (y), tradere virum in manus Judæorum molitus eſt. Quare id intelligens Apoſtolus, Imperatorem appellavit; ad cujus judicium ſubeundum Romanam navigationem inivit. Infelici naufragio periit navis illa ad Melitam, ſed litus tenens Apoſtolus, in eâ Inſulâ quatuor menſes manſit, nec antea Romam, quàm exeunte Februario menſe, pervênit (z). Biennio ibi in vinculis detentus eſt, nunquam non audiendis iis, a quibus frequentabatur, atque Evangelio illis annunciando occupatus. Adhuc in conductâ a ſe domo ſub vinculis detinebatur, cùm Oneſimum Philemonis ſervum, ſe convenientem, ad fidem traduxit, & Epiſtolam ad Philemonem pro illo & per illum commendatitiam dedit [a].

Sub idem tempus literis a Fidelibus Laodicææ, & Epaphrodito Epiſcopo Philipporum, a Philippenſibus in obſequium miſſo, recreatus eſt. Scripſit tunc ad Philippenſes & Coloſſenſes Epiſtolas (b). Anno tandem Jeſu Chriſti LXIII vinculis ſolutus eſt; nec diu pòſt ad Hebræos Epiſtolam dedit (c). Hoc tempore ſtatuendum eſt iter Pauli in Hiſpaniam; ſi tamen quæ de profectione illius in eam regionem feruntur, cum veritate conſtent. Orientem denique repetens, in Cretâ Fidem nunciavit, in Judæam excurrit, tum in Aſiam, quemadmodum Epiſtolis Romæ datis ſignificaverat. Plura fidei causâ illi ſubeunda in eo itinere fuerunt. In Macedoniâ verſans, ſcripſit ad Timotheum Diſcipulum ſuum, Epheſi a ſe conſtitutum Epiſcopum [d]. Poſt hyemem Nicopoli actam, unà cum Tito poſtremò Aſiam (e), Epheſum, Miletum inviſit. Secundùm hæc, Romam ſe conferens, circa Julii menſem in carcerem conjectus eſt, accuſatus, quòd pincernam & concubinam Neronis ad Chriſti Fidem, uti communis fert opinio, traduxiſſet. Poſt primam quæſtionem apud Neronem, ſcripſit ſecundam ad Timotheum (f), tum & ad Epheſios unam. Altero vertente anno, menſe Junio, martyrium Romæ obiit (g).

Epiſtola ad Romanos ordine prior inter cæteras, quamquam non omnes tempore præceſſit, conſtituta eſt. Datum id Romanæ Eccleſiæ dignitati, ſive Romanorum Fidelium virtuti, vel fortè myſteriorum, quæ in eâ Epiſtolâ referantur, majeſtati, ſive tandem ipſius Epiſtolæ excellentiæ. Omnes enim ſublimitate, adeoque & obſcuritate ita vincit, ut S. Auguſtinus (h), merus adhuc Sacerdos, in unius tituli explicatione Librum integrum impenderit; quare tædio, & moroſitate Operis victus, inceptum deſeruit. S. Hieronymus, ejuſdem Epiſtolæ obſcuritate perculſus, illi explicandæ non Libro tantùm ſed voluminibus laborari oportere dixit (i). Operis difficultatem novit pariter Apoſtolus Petrus, cùm de hac potiſſimùm Epiſtolâ ſcripſerit (k): *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi Sapientiam, ſcripſit vobis. Sicut & in omnibus Epiſtolis loquens eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ipſorum perditionem.*

Conſilium autem ſcribendi Apoſtolo fuerunt domeſticæ quædam in Eccleſiâ Romanâ diſſenſiones (l) ex eo inductæ, quòd jugum Legalis obſervationis Gentilibus ad Fidem converſis induci oportere, Pſeudo-Apoſtoli prædicarent. Res primùm ad diſputationes vênit, deinde ad jurgia, & ſeditionem inter Fideles ex Judæis, & ex Gentibus, unde periculum non leve ſeceſſionis utrinque imminebat. Judæi partes ſuas defendebant, ac privilegium natalium ſuorum, & promiſſionum, quæ Patribus

ſuis

(o) *An. J.C.* 52.

(p) Duæ Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes *An. J.C.* 53.

(q) *An. J.C.* 54.

(r) Epiſtola ad Galatas; *An. J. C.* 55.

(s) *An. J. C.* 56, Epiſtola 1 ad Corinthios.

(t) *An. J.C.* 57.

(u) Epiſtola II ad Corinthios ſub finem An. J. C. 57.

(x) Epiſtola ad Romanos An. J. C. 58.

(y) *An. J.C.* 60.

(z) *An. J.C.* 61.

(a) *Circa An. J. C.* 62, Epiſtola ad Philemonem.

(b) *An.* 62, *vel* 63 *J. C.* Epiſtolæ ad Philippenſes, & Coloſſenſes.

(c) *An. J.C.* 63, Epiſtola ad Hebræos.

(d) Epiſtola 1 ad Timotheum, *An. J. C.* 64.

(e) *An. J.C.* 65.

(f) Secunda ad Timotheum, *An. J.C.* 65; & Epiſtola ad Epheſios.

(g) *An. J.C.* 66.

(h) *Auguſt. Retract.*, *l.* 1, *c.* 25.

(i) *Epiſt.* 151, *c.* 8: *Si voluero diſſerere, nequaquam mihi unus Liber, ſed multa & magna erunt ſcribenda volumina.*

(k) 2 *Petr.* III, 15.

(l) *Vide Rom.* XVI, 16, 17, 18.

Digitized by Google

ſuis divinitus factæ ſunt, præferentes, primas in Eccleſiâ ſibi arrogabant; volebant in cæteris dominari, & quaſi ex aſſe hæredes promiſſionum, & fidei Patriarcharum, ut alienigenas habebant, & nonniſi beneficio quodam in ſuum cœtum adlectos Fideles ex Gentibus. Invidiam pariter in Gentiles creabant, revocatis miſeræ Gentilitatis erroribus, criminibus, & flagitiis, quibus juſtâ Dei permiſſione tot annorum ſæculis inhæſerant. Se verò dicebant Hebræos eſſe, genus jam inde ab ætate Abrahami electum in ſanctam charamque Deo ſobolem, ſacrarum Scripturarum, atque Prophetiarum depoſitarios, ac veluti in oculis a Deo habitos.

Intolerabili hoc Judæorum faſtu offenſi Gentiles, & virtutem ſuorum Philoſophorum, & Legislatorum ſapientiam efferebant; commemorantes inſuper, quantâ morum puritate & ſanctimoniâ ſuorum quidam vitam egerint, ut ne lato quidem ungue a Legis naturalis tramite deviarent. Accuſabant inſuper Judæos adversùs Deum infidelitatis, adversùs Legem transgreſſionis, ac tandem adversùs inſignia Dei beneficia oblivionis; quorum criminum causâ extorres a promiſſionibus & hæreditate eorum plerique facti ſunt. Seſe verò appellatos dicebant, ut in locum excluſæ Judææ gentis venirent, quippe qui minorum criminum rei ante Deum tenerentur.

Hiſce igitur diſſenſionibus componendis, atque in ordinem redigendæ audaciæ Judæorum pariter & Gentilium, utriusque Gentis crimina & errores enumerat Apoſtolus, demonſtrans, nemini præ alio gloriandum eſſe, quaſi virtutis ſuæ præmium aliquod mererentur. Quod a Deo acceperant vocationis privilegium, merum fuiſſe Dei beneficium; neque enim ſive ad juſtitiam, ſive ad gratiam Fidei promerendam aliquid valuiſſe aut Legem Moyſis ſolam, aut multò etiam minùs naturalis Legis obſervationem. Unum juſtificationis momentum eſſe Fidem in Jeſum Chriſtum, quam charitas animat, ornat proborum operum meritum; quæ tamen opera, niſi a fide procedant, nihil agentibus prodeſſe. Plures occupat per tranſitum objectiones, quas ipſe ex conſtitutis a ſe principiis colligit; veluti cùm operum Legalium ſine Fide inutilitatem; cùm vocationem & gratuitam Judæorum & Gentium prædeſtinationem ſtatuit; cùm promiſſionum Divinarum fidem & veritatem; cùm Judæorum ſupra Gentiles præſtantiam adſtruit; ex quo ſenſim devenit ad verba de myſterio Prædeſtinationis & reprobationis facienda; quod quamquam parergon ad potiſſimum Epiſtolæ argumentum videtur, partem tamen non minimam ejusdem ſcripti occupat, atque potiſſimas involvit ipſius Epiſtolæ difficultates.

In Capitibus XII, XIII, XIV, XV, aptiſſimas præſcribit formandis moribus regulas, qua in re nihil a propoſito, componendi nempe domeſticas lites, recedit. Obſervationis legalis & ciborum ſeligendorum inutilitatem fuſiùs demonſtrans, hortatur Gentiles, ut imbecillitati Fidelium ex Judæis in eâ re conſulentes, neque id committant, ut, coram Judæis nullum habentes ciborum delectum, offenſionis præbeant illis occaſionem; neve eorum hac in re religionem ſuperſtitionis & imbecillitatis accuſent; ſed illud in primis ſtudeant, ut nihil antiquius quàm pacem & concordiam inter fratres & Diſcipulos Dei illius, qui ſe Deum pacis appellat, nihil, inquam, antiquius ducant. Secundum hæc, in Pseudo-Prophetas invectus, illorum imaginem exprimit, tamquam hominum lucro dumtaxat ac ventri ſtudentium; quare Romanos, ut eam hominum fœcem vitent, etiam atque etiam hortatur. Officioſâ tandem peroratione epiſtolam claudit, ſalutari inſuper ſuo nomine jubens viros quosdam Eccleſiæ Romanæ, ſibi familiares.

De authoritate hujus Epiſtolæ nunquam dubitatum eſt. Data fuit Corinthi anno Jeſu Chriſti LVIII, quo tempore Apoſtolus ad ferendas e largitionibus Fidelium eleemoſynas iter Jeroſolymitanum initurus erat. Miſſa eſt per Phœben Diaconiſſam Eccleſiæ Cenchræarum prope Corinthum. Quamquam Romam & ad Romanos miſſa, Græcis literis exarata eſt, Amanuenſe Tertio; quem virum Romanum, ſive Latinum ex ipso nominis indicio credimus. Sed familiare erat Romanis Græci ſermonis eloquium, adeòut vel a fœminis adhiberetur (*m*). Illud etiam accedebat, contingere facilè potuiſſe, ut Latinas literas non calleret Apoſtolus, cùm Græcis, ceu aviis, Tharſi patriâ ſuâ excultus fuiſſet. Norat etiam Hebræum, nempe Syriacum, tum temporis in Palæſtinâ vernaculum, quemadmodum ex Actis (*n*) compertum eſt.

Stilus neque puritatem, neque elegantiam illam refert, quæ in Græcis ejusdem ætatis delectat: horret enim aliquando Hebraiſmis, vix Hebræo homini, & in lectione Sacrorum Librorum nutrito vitandis. Inſpergitur etiam ejus eloquium ſolœciſmis; depravato interdum ordine, & longioribus parentheſibus moroſus eſt; quandoque e viâ pariter divertens, contextum ſermonis, & ſenſum abrumpit, id quod difficultatem & obſcuritatem Lectoribus ingerit non modicam. Sunt qui (*o*) vitia iſta ſermonis, quæ maximè in Epiſtolâ ad Romanos ſentiuntur, in Tertium Amanuenſem refundant; ſed præſtat, Apoſtolo ipſi tribuere, qui rebus intentus, cùm non poſſet ſententiarum copiam, & ad majora ſemper feſtinantis ſpiritûs impetum retinere, ſingu-

(m) *Juvenal. Satyr. 6. . . . . . . Omnia Græcè, Cùm ſit turpe magis noſtris neſcire Latinè.*

(n) *Act.* xxi, 40; xxii, 2; xxvi, 14.

(o) *Sixt. Senen. lib. 2 Bibliot. ex Diodor. Tharſ.*

Digitized by Google

la potiùs attingebat, quàm proſequeretur; & alia aliis inſerciens, id efficiebat, ut obſcuro ſemper ſtilo tenebras potius quàm lucem Lectoribus offunderet.

Ad rem quod ſpectat, ipſis fatentibus adverſariis, nihil eſt gravius & validius, quàm Epiſtolæ ab Apoſtolo ſcriptæ [p]. Ipse pariter de ſe Apoſtolus prodit, rudem ſe quidem eſſe, parùm edoctum regulas eloquentiæ; quamquam neceſſariâ Apoſtolicis muneribus implendis ſcientiâ abundabat (q). Excellere illum in regulis Dialectices, obſervat S. Auguſtinus (r); miram quippe eloquii, vim præfert, quam in Epiſtolis Ipſius ſentimus, cœleſti pariter ſapientiâ redundantibus (s). Nunquam ad divinorum illorum Operum lectionem ſe acceſſiſſe, S. Chryſoſtomus fatetur (t), quin extra ſe admiratione & gaudio raperetur: tametſi bis, ter, vel quater in hebdomadâ, & quoties alicujus S. Martyris memoria celebrabatur, audiret. Et alibi (u) addit, Deum ſingularia providentiæ ſuæ conſilia & grandia rerum divinarum myſteria viro illi cœleſti reſeraſſe. Cœlum eſt, air, in quo juſtitiæ ſol regnat; pelagus eſt puriſſimum & altiſſimum, infinitæ ſapientiæ abyſſum continens. Alibi [x] ſcientiam & eloquentiam Pauli inſidenti Spiritui & ſingularis gratiæ prodigio adſcribit. Antequam ad Chriſti fidem converteretur, ait, Græcarum literarum penè rudis, nihil eorum norat, quæ apud exteros in pretio habentur; ſolo Hebraico eloquio excultus erat; quo ſermonis genere nihil contemptibilius apud Romanos; vir erat Cilix, qui vitam ſcenofactoriâ tolerabat; veſte erat & habitu corporis temnendus. Quæ a S. Chryſoſtomo hic aſſeruntur de ignoratis ab Apoſtolo Græcis literis ante datum fidei nomen, nobis planè, quemadmodum ſupra innuimus, nequaquam probantur.

Idem S. Doctor (y) in eos invehitur, qui Paulum tamquam hominem humanarum literarum rudem contemnebant. Fatetur ille quidem, humanæ eloquentiæ exercitationem viro defuiſſe; inſtructum tamen defendit vi & ſcientiâ, promovendis Fidei rebus opportunâ. Si quis comparationem inſtituat inter eloquentiam Apoſtoli, & Iſocratis, Demoſthenis, Thucididis, & Platonis, fateatur oportet, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur Apoſtolus, illum artificioſo eloquii genere deſtitui; præſtare tamen ſcientiâ veritatis & Religionis. Quod tamen viro fuiſſe neceſſe eſt eloquentiæ robur, cùm confundendos ſuſcepit Judæos, cùm refutandos Gentiles, & in pleno Areopagitarum conſeſſu verba fecit? Quinam, rogo, niſi eloquentiâ Pauli perſuaſi, Lyſtrenſes Apoſtolo tamquam Mercurio litandum ſuſceperant? Unde tanta erga ejus ſcripta admiratio capit non Chriſtianos modò, ſed Judæos ipſosque Paganos? Nonne ex validâ illâ, maſculâ & inſitâ viro eloquentiâ?

S. Hieronymus (z) ſcribit, Vas electionis tamquam buccinam Evangelii clangentem habendum eſſe, tamquam rugientem Leonem Juda, tamquam eloquentiæ Chriſtianæ fluvium, qui admiratione potiùs quàm verbis rapit in contemplationem abditiſſimorum Chriſtianæ Fidei myſteriorum, omnibus retro ſæculis ignotorum, & in divinæ Sapientiæ abyſſum introducit. *Quem quotieſcumque lego*, addit ille, *videor mihi non verba, ſed audire tonitrua.* Perſuaſum habet idem S. Doctor (a), Apoſtolum non niſi demiſſione quadam & modeſtâ de ſe ſentientis humilitate ſcripſiſſe [b]: *Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ;* nam, ait S. Doctor, *illi utrumque non deerat, ſed unum humiliter renuebat.* Demonſtrat alibi (c), excultiſſimum fuiſſe virum regulis dialectices, quemadmodum ſatis demonſtrant, quæ proſequitur, argumenta, & quas ex conſtitutis a ſe principiis conſecutiones urgendis adverſariis ducit.

Ex Epiſtolis Pauli, præſertim ex Epiſtolâ ad Romanos (d), plura truncabant Marcionitæ. Ita e poſtremâ hac Epiſtolâ duo integra noviſſima capita demebant [e]. Hæreticorum verò alii, veluti Ebionitæ (f), univerſas ſine exceptione rejiciebant, utpote erroribus ſuis planè contrarias. Encratitis & Marcionitis geminæ Epiſtolæ ad Timotheum, & ſingularis ad Titum inviſæ fuerunt [g]. Quidam Fabricii diſcipulus, quem Scripto exagitavit Auguſtinus [h], contendebat, in Epiſtolis Pauli plura miſceri, Spiritu Sancto authore non ſcripta, quibus ſcribendis viri induſtria ſive ſpiritus hominis valuit; quod maximè de Epiſtolâ ad Philemonem ſentiebat, & de aliis quibusdam, quæ Apoſtolus abſque ſpeciali Dei revelatione noſſe potuerat. Sed aliter Eccleſiæ Catholicæ viſum, cui quatuordecim Epiſtolæ, integræ prorſus, nullâque recemptâ, tamquam divinum Opus probantur. Tertulliani ætate ſive earum Epiſtolarum Autographa, ſive ex Autographis deſcripta Exemplaria ſervabantur. *Authenticæ ipſæ literæ, Apoſtolorum ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujusque* [i]. Idem (k) ad Græcum Archetypum Apoſtoli provocat: *Scimus planè, non ſic eſſe in Græco Authentico, quomodo in uſum exiit.*

In Commentario animadvertimus, modum Epiſtolæ ad Romanos imponere Apoſtolum facilè voluiſſe in exitu capitis XIV, cui deinde, opportunum tempus nactus,

(p) 2 Cor. x, 10.
(q) 2 Cor. xi, 6.
(r) Aug. lib. 1 contra Creſton. c. 14.
(s) Idem, l. 4, c. 7, de Doctrin. Chriſt.
(t) Prolog. in Epiſt. Pauli: Συνέχως ἀκούων ἀναγινωσκομένων τῶν ἐπιστολῶν τοῦ μακαρίου Παύλου, καὶ καθ' ἑκάστην ἑβδομάδα δὶς, πολλάκις δὲ καὶ τρὶς, καὶ τετράκις ἡνίκα ἂν μαρτύρων ἁγίων ἐπιτελῶμεν μνήμας. Χαίρω μὲν τῆς σάλπιγγος ἀπολαύων τῆς πνευματικῆς, καὶ διανίσταμαι, καὶ θερμαίνομαι τῷ πόθῳ τὴν ἐμοὶ φίλην ἐπιγινώσκων φωνήν.
(u) Homil. 4 de Laudib. Pauli.
(x) In 2 Timoth. iii, pag. 564, hom. 4: Χίλιξ ὁ ἄνθρωπος ἦν, σκυτοτόμος, πένης, τῆς ἔξωθεν σοφίας ἄπειρος, Ἑβραϊστὶ μόνον εἰδὼς, γλῶτταν διαπτυομένην παρὰ πάντων, καὶ μάλιστα παρὰ τῶν Ἰταλῶν, &c.
(y) Lib. 2 de Sacerdotio.
(z) Epiſt. 61, ad Pammach.
(a) Hieron. ad Marcellam, de Ephod, &c.
(b) 2 Cor. xi, 6.
(c) Hieron. ad Paulam de Alphabeto Pſal. 118.
(d) Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 13: Quantas autem foveas in iſtâ maximè Epiſtolâ Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de noſtri Inſtrumenti integritate patebit.

(e) Origen. ad finem c. 16, Ep. ad Romanos. (f) Irena. l. 1, c. 26; Euſeb. l. 3 hiſt. Eccleſ. c. 27.
(g) Tertullian. contr. Marcion. l. 5, c. 2. (h) Auguſt. lib. contr. Adverſar. Leg. & Prophet.
(i) Tertull. de Præſcript. c. 36. (k) Lib. de Monogam. cap. 11.

ctus, duo ſequentia capita ſubtexuit; quin & caput XVI variis conſtare additionibus, colligitur ex illâ clauſulâ bis recurrenti: *Gratia Dei ſit cum omnibus vobis*; ac tandem ſimilis clauſula in exitu capitis XV legitur: *Deus pacis ſit cum omnibus vobis. Amen*.

Pauli nomine ſcripta plurima vulgata ſunt, tanto viro indigna. Notæ ſunt Epiſtolæ Senecæ ad Paulum, & viciſſim; & alia ſuppoſititia ejuſdem Pauli ad Laodicenos. Meminit poſt Origenem (*l*) Euſebius (*m*) Actorum quorumdam Pauli, in quibus plura tum de itineribus cùm de rebus ab eo geſtis. Nicephorus [*n*] longum ex eo Opere fragmentum recitavit, de certamine, vero an fecùs, quod Paulo in urbe Epheſi beſtiis expoſito ſubeundum fuit (*).

Diſcipuli Simonis Magi, erroribus ſuis vulgo imperito approbandis, Librum eâ de re ſuppoſuerunt, inſcriptum: *Prædicatio Pauli* (*o*); ex quo, præter nomen, nihil ad poſteros tranſmiſſum eſt. Non defuiſſe narrat Tertullianus (*p*) viros, qui Evangelium Lucæ Paulo Apoſtolo tribuerint, eâ planè ratione adductos, qua Diſcipulorum omnia ad Magiſtros referre ſolemus. Longiùs adhuc alii excurrentes [*q*] puraverе, dictante Apoſtolo exceptum Evangelium illud a Luca; perſuaſum habentes, ſemper opus illud innuiſſe Apoſtolum, quoties phraſim illam uſurparet [*r*]: *Secundùm Evangelium meum*; quod nos in Prolegomenis ad Lucam diſcuſſimus. Ejus tandem nomine inſcripſerunt alii Evangelium & Apocalypſim, a Concilio Romano ſub Gelaſio cenſurâ inuſta.

Presbyter quidam Aſiæ ſuppoſuerat Pauli Apoſtoli nomine Itinerarium quoddam Pauli & Theclæ; ſed fraudis ſuâ pariter confeſſione a Joanne Evangeliſtâ convictus, amotus fuit a Sacerdotio [*s*]. Apoſtolum in hæc verba loquentem inducit S. Clemens Alexandrinus, qui facilè ſermonem illum ex Opere aliquo apocrypho deſcripſit (*t*): *Libros Græcorum ſumite; agnoſcite Sybillam, quomodo unum Deum ſignificaret, & quæ futura ſunt. Hyſtaſpem ſumentes legite, & invenietis Dei Filium multò clariùs & apertiùs ſcriptum, & quemadmodum adverſùs Chriſtum multi Reges inſtruent aciem, odio habentes illum, & iſtos, qui geſtant nomen ejus, & Fideles ejus, illiusque tolerantiam & adventum. Deinde uno verbo vos interrogat: Totus mundus, & quæ ſunt in mundo, cujus ſunt? nonne Dei?* Sed non inviti credimus, verba iſta ejuſdem impoſtoris fraude ſuppoſita fuiſſe, qui fictas Sybillas & non genuinum Hyſtaſpem commentus eſt.

Suſpicari ſunt nonnulli, Apoſtolum inter duas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes mediam aliam ſcripſiſſe ad Fideles pariter ejus Urbis: quod illis in mentem vênit ex verbis Apoſtoli [*u*]: *Non citò moveamini, neque per Epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini*. Sed eo Apoſtoli teſtimonio probatur tantùm, hanc Epiſtolam, ſiqua miſſa eſt, Pauli Apoſtoli ementitum nomen præ ſe tuliſſe, Terriam etiam ad Corinthios Epiſtolam invexerunt alii ex illis (*x*): *Scripſi vobis in Epiſtolâ, ne commiſceamini fornicariis*. Sed præſtat poſtrema hæc ad priora Apoſtoli verba (*y*) referre: *Neſcitis quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus*: & illa (*z*): *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Secundam denique Epiſtolam ad Epheſios quidam ſuſpicati ſunt ex illo [*]: *Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in brevi*. Sed verba iſta ad ſuperius caput II ejuſdem Epiſtolæ referre juvat.

DISSERTATIO

De Prædeſtinatione & Reprobatione Hominum.

Dogma eſt Chriſtianæ Religionis ſanctum aſſertumque, homines ab ipſâ æternitate irrevocabili decreto ſive gloriæ, ſive reprobationi æternisque ſuppliciis addictos eſſe. Omnium etiam Catholicorum Theologorum conſenſu certum eſt & exploratum, prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad Fidem, Dei munificâ liberalitate donari, Quare aliud quæſtionis de prædeſtinatione & reprobatione hominum agitatæ argumentum eſt; quæſtionis nempe, quæ tot jam ſæculis viros doctos in partes diſtraxit, ac turbas in Eccleſiâ concivit non infrequentes. Totus igitur controverſiæ cardo in eo verſatur, ut ratio ipſa prædeſtinationis, & quæ fuerint Deo prædeſtinandi reprobandique homines cauſæ aſſignentur. Qui etiam fieri poſſit, ut variæ illæ Scripturæ phraſes concilientur, quarum aliquæ hominis ſalutem libero ejus arbitrio integram committunt, aliæ verò Deo totam reſer-

vari

(l) *Lib.* 1 *de Princip. cap.* 2.
(m) *Hiſt. Eccl. lib.* 2, *cap.* 25.
(n) *Lib.* 2, *cap.* 25, *Hiſt. Eccl.*
(*) 1 *Cor.* XV, 32.
(o) *Cyprian. edit. Oxon. t.* 3, *de Baptiſmo, pag.* 30.
(p) *Cont. Marcion. lib.* 4, *cap.* 5.
(q) *Athanaſ. ſeu alius in Synopſ. Sacr. Script. Appendic.*
(r) *Rom.* II, 16; XVI, 25; & 2 *Timoth.* II, 8.
(s) *Tertull. de Baptiſmo, c.* 17; *Hieron. de viris Illuſtr. c.* 7.
(t) *Clemen. Alexan. lib.* 6 *Stromat. pag.* 636: Ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· Λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν, ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Καὶ τὸν Ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε, καὶ εὑρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον, καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ .... Καὶ τὴν ὑπομονὴν, καὶ τὴν παρουσίαν αὐτοῦ. Ἔτι τὰ ἕνι λόγῳ πυνθάνεται ὑμῶν. Ὅλος δὲ ὁ κόσμος καὶ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ τίνος; οὐχὶ τοῦ Θεοῦ;
(u) 2 *Theſſal.* II, 2.
(x) 1 *Cor.* V, 9.
(y) 1 *Cor.* III, 16, 17.
(z) 1 *Cor.* V, 6.
(*) *Epheſ.* III, 3.

vari ferunt? Quæ ſit pariter ratio componendi gratiam, atque infallibilem certamque divinorum decretorum vim cum ipsâ hominis libertate? En totus quæſtionis cardo, quem pleniùs verſandum in hac noſtrâ Diſſertatione neque ſuſcipimus, neque, ſi ſuſcipere ſtatuamus, tantam rem pro dignitate unicâ Diſſertatione tractare non liceat. Quare id potiùs agendum eſt nobis in præſentiâ, ut hiſtoricam narrationem texamus variæ & multiplicis illius rationis, qua controverſia iſta in Eccleſiâ ad noſtram usque ætatem tractata eſt; traditâ demum ſententiâ, quam nos commodiſſimam omnium tollendis difficultatibus arbitramur.

Veteres Judæi, animas antea exiſtere, quàm in corpora immittantur, perſuaſi, ita de prædeſtinatione & reprobatione reputaſſe credendi ſunt, ut Deus, inſito animabus ad bona vel mala ab ipſis in corpore præſtanda ingenio perſpecto, pro futuris illorum meritis præmia vel ſupplicia decreverit. In Eccleſiâ Chriſtianâ iſtud ipſum Origeni ejusque ſectatoribus arriſit. Poſt Origenem, animadvertentes Patres, quàm malè Manichæi & Marcionitæ abuterentur hoc principio de rectâ pravâque animarum indole, antequam in corpora illaberentur, aſſeruere, Deum ſupplicia vel præmia decernere, non pro anteactis meritis, quod Origeni perſuaſum eſt, ſed futuræ vitæ operibus inſpectis, quæ bono pravoque liberi arbitrii, divinâ gratiâ adjuti, uſu præſtanda forent. Ita de prædeſtinatione S. Chryſoſtomus & Græcorum pleique.

Plus nimio libertati indulgens Pelagius, docuit, prædeſtinare Deum ac reprobare homines, præcognito recto pravoque uſu liberi arbitrii, cujus naturales dumtaxat vires bono ſupernaturali præſtando ſufficere, neque auxilio indigere ſupernaturali aſſerebat. Defendit S. Auguſtinus, prædeſtinationem beneficium eſſe prorſus ex parte Dei largientis gratuitum; cùm enim unâ damnationis ſententiâ primus Pater & cæteri deinde ejus filii obvolveremur, atque unâ corruptionis maſsâ mortales omnes confunderemur, Deus ab ipsâ æternitate certum quemdam ſelectumque numerum prædeſtinatorum eligere ſtatuit, quos, nullis ipſorum meritis ſpectatis, clementiæ ſuæ & miſericordiæ exemplum poneret; relictis cæteris, latenti quidem, ſed æquiſſimo conſilio, quippe quos deſerendi cauſa erant ſive originis illorum crimen, ſive peculiaria ſingulorum, quibus paterni ſceleris meritum auxerant. In hanc ſententiam conceſſerunt Patres & Theologi ferè omnes Eccleſiæ Latinæ, usque ad exortas noviſſimis ſæculis hæreſes Lutheri & Calvini.

Hi, Auguſtiniano ſyſtemate abuſi, docuerunt, liberum hominis arbitrium poſt Adami lapſum penitus exſpiraſſe. Quibus refellendis, Theologi quidam noſtrates aliud ſyſtema opportunius judicantes, decreta quædam invexerunt certis conditionibus adſtricta, & futurorum meritorum prævisionem, in quam tota ratio prædeſtinationis & reprobationis hominum refunderetur.

Ita factum eſt, ut quæſtionis hujus ſtatus ſæpiùs in Eccleſiâ Chriſtianorumque Scholis mutaretur; ſed variatâ licèt tanti myſterii exponendi ratione, inconcuſſa ſemper dogmatis de prædeſtinatione veritas manſit; nihil derogatum certiſſimæ veritati divinorum decretorum, & juribus quà miſericordiæ & juſtitiæ Dei, quà libertatis hominum & gratiæ Servatoris. Adversùs iſta ſiquando ab Hæreticis aliquid tentatum eſt, actutum a Doctoribus Catholicis impugnati, ab Eccleſiâ cenſurâ inuſti, temeritatis pœnas luerunt. Sed hæc fuſiùs demonſtranda.

Perſuaſum habent Hebræi, creatum a Deo hominem rectum, in ipſo innocentiæ & juſtitiæ culmine (*a*); mortem non a Deo factam (*b*), ſed invidiâ & nequitiâ Dæmonis in mundum invectam (*c*); poſitos a Deo homines in manu conſilii ſui, ſtatuto ante illos igne & aquâ, pravo rectoque, relictâ illis liberâ eligendi facultate [*d*]. Præmia pariter & ſupplicia æterna manere, pro vitæ merito ac liberi arbitrii exercitio pravo rectoque, ſingulis rependenda. Philo (*e*), Joſephus [*f*], & Rabbini (*g*) docent, animas priùs exſtitiſſe quàm in corpora laberentur; quin & ejusdem eſſe naturæ, variisque tantùm nominibus diſcerni Angelos, Dæmones, & animas, Philo [*h*] autumavit. Quemadmodum autem boni ſunt pravique Angeli; ita pariter opinatur ille pravarum eſſe probarumque animarum genera duo. Addit, animas, non ſecus ac Angelos, in defæcatiſſimâ & celſiſſimâ aëris parte ſedem habere, unde animæ in corpora labentes, peculiarem ſingulæ indolem bonam pravamque ſecum referunt. Frui tandem illas dicit [*i*] plenâ in bonum malumque libertate, qua vel æterna præmia vel ſupplicia promereantur.

Phariſæorum hac de re dogma, quod & ejusdem Hiſtorici Phariſæi eſſe conſtat, non

(a) *Eccleſ. VIII, 30: Hoc inveni, quòd fecerit Dominus hominem rectum.*

(b) *Sap. I, 13: Deus mortem non fecit.*

(c) *Sap. II, 24: Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

(d) *Eccli. XV, 14: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui, &c.*

(e) *Philo, de Gigant. p. 285; & de Confuſ. Ling. p. 331; & de Plantat. Noë, pag. 216; & de ſomniis, p. 586.*

(f) *Joſeph. de bell. Judaic. l. 2, c. 12, pag. 787, &c.*

(g) *Vide Menaſſe Ben-Iſraël, Concil. in Geneſ. qu. 6, p. 12; & de Creatione, problemat. 15, p. 62. Vide & Grot. in Sap. VIII, 20; & in Joann. IX, 2.*

(h) *Philo de Gigant. p. 286:* Ψυχὰς οὖν, δαίμονας, καὶ Ἀγγέλους, ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταυτὸν ὑποκείμενον, διανοηθεὶς, ἄχθος βαρύτατον ἀποθήσῃ δεισιδαιμονίαν. Ὥσπερ δὲ ἀγαθοὺς δαίμονας, καὶ κακοὺς λέγουσιν οἱ πολλοὶ, ψυχὰς ὁμοίως οὕτω, καὶ Ἀγγέλους, *&c. Idem l. 2 de Legis Allegor. p. 74, 75; de Plant. Noë, p. 216; lib. de Somniis, pag. 586, & 592, &c. De Confuſione Ling. pag. 329:* Διττὸν γὰρ εἶδος τῆς κατὰ τὴν ψυχὴν ἀνατολῆς, τὸ μὲν ἄμεινον, τὸ δὲ χεῖρον. Ἄμεινον μὲν ὅταν ἡλιακῶν ἀκτίνων τρόπον ἀνάσχῃ τὸ ἀρετῶν φέγγος. Χεῖρον δ' ὅταν αἱ μὲν ἐπισκιασθῶσι, κακίαι δὲ ἀνάσχωσι.

(i) *Philo, lib. Quòd Deus ſit immutabilis, pag. 308:* Ἄφθαρτον ἔδοξεν εἶναι τὴν διάνοιαν, μόνην γὰρ αὐτὴν ὁ γεννήσας πατὴρ ἐλευθερίας ἠξίωσε, καὶ τὰ τῆς ἀνάγκης ἀνεὶς δεσμὰ ἄφετον εἴασε, *&c.*

non ſemel explicat Joſephus, prodens (*k*), ita fatum ab illis admitti, ut nihil velint derogatum tum libero hominis arbitrio, cùm ſummæ Dei poteſtati. Animæ, quæ ante illapſum in corpora, bona exercuerunt, corporeis ſolutæ vinculis ad priſtinas remeant ſedes, datâ illis pariter facultate in corpora pro arbitrio regrediendi; ſontes ſupplicia manent æterna. Ac de Eſſenis (*l*) tradit, in eâ illos fuiſſe ſententiâ, ut animas crederent immortales, eaſque inſitâ a naturâ vi in corpora velut in carceres propelli: poſt obitum, juſtos in locis amœnis & deliciarum plenis trans Oceanum otiari; impios verò pœnas luere æternas in horrenlibus quibuſdam tormentorum locis. Author Sapientiæ, quem Librum Veteres nonnulli Philoni tribuerunt, ita loquentem Salomonem inducit (*m*): *Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam; & cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Scriptoris verba in partes defendentium animarum præexiſtentiam trahi facilè poſſent; re tamen nihil aliud innuunt, quàm animas alias aliis præſtare; eſſe pariter corpora melioris alia præ aliis habitudinis.

Sunt pariter, quibus in eâ ſententiâ fuiſſe Apoſtoli videantur [*n*]; cæci enim nati occaſione, quæſiverunt a Jeſu, cujus merito infortunium illud homini accidiſſet, parentum ne an ipſius crimine. Quod in eam ſententiam dictum videri poteſt, nimirum hominem illum merendi & demerendi, antequam in mundum veniret, facultate inſtructum fuiſſe. Obtinet ea opinio apud Hebræos, quibus & animarum præexiſtentia & metempſychoſeos genus quoddam probatur, ut Menaſſe Ben-Iſraël aſſeruit. Explicant in eam rem illud Jeremiæ, I, 5: *Priuſquàm te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulvâ, ſanctificavi te.* Eò etenim ſententiam illam pertrahunt, quaſi anima Jeremiæ jam inde a mundi exordio extiterit, & jam tunc Deus ad munus propheticum ſtato tempore implendum illam deſtinaverit. Favent huic interpretationi Origenes, ejuſque ſectatores, ſi S. Hieronymo [*o*] fides habeatur. Hujus ſententiæ fons in Pythagoricis ſtatuendus eſt, & facilè in Ægyptiis, apud quos Pythagoras XXII annos egit, ex Jamblico.

His in animum inductis, myſterium prædeſtinationis & reprobationis ſtatim omne referatur, illud obrrudendo nimirum, Deum ſalutem ſive reprobationem hominum decreto ſuo edicere pro merito indolis bonæ pravæque, quam in animâ, antequam in corpus illabatur, explorat; nec modicè ad eam rem conferre rectum, vel ſecùs, liberi arbitrii uſum, quem ab illis præſtandum intelligit. Ita Origenes cenſuit, qui eâ tenebatur ſententiâ, qua Hebræorum plerique, de præexiſtentiâ animarum. Nec facilè ex alio fonte, quàm ex Judæis, ſyſtema ſuum ille hauſiſſe credendus eſt.

Arbitratus eſt Origenes (*p*), animas, quæ plura in aëre ſæcula egerant, antequam in corpora deſcenderent, ibi pariter meritum prædeſtinationis reprobationiſque pravo rectove liberi arbitrii uſu ſibi paraſſe. Statuebat, hominem plenâ eſſe in bonum malumque libertate; quæ illi accidunt in hac vitâ proſpera, vel adverſa, hæc ſibi præmium ac ſupplicium bonorum malorumque, quæ in alterâ perpetrarit vitâ, prometuiſſe (*q*). Quin etenim in eo rerum ſtatu animæ expeditam haberent merendi demerendique libertatem, ne dubitabat quidem (*r*). *Pro quibus omnibus non aliter poterit reſponderi, niſi priores quædam eis fuiſſe cauſæ dicantur, quibus antequam in corpore naſcerentur animæ, aliquid contraxerint culpæ in ſenſibus vel motibus ſuis, pro quibus hoc meritò pati a Divinâ Providentiâ judicatæ ſunt. Liberi namque arbitrii ſemper eſt anima, etiam cùm in corpore hoc, etiam cùm extra corpus eſt.* Alibi verò, poſt prolixum fragmentum Libri cujuſdam Apocryphi, quo tradebatur, viros inſignes V. T. ab Angelis animatos fuiſſe, ſive ab animabus naturæ cæteris præſtantioris, ut e. g. in Jacobo vicem animæ ſuppleviſſe Angelum Iſraël, inter primores Aulæ cœleſtis, addit [*s*]: Animadvertendum eſt, an, hiſce conſtitutis, ſolutio pateat potiſſimæ illius quæſtionis, cur Deus Jacobum Eſau prætulerit, quamquam boni quidquam malive neuter adhuc egiſſet: *Non recurrentibus nobis ad Opera hanc vitam præcedentia, quomodo verum erit injuſtitiam non eſſe apud Deum, ſi major ſerviat minori, odio habitus antequàm digna vel ſervitute vel odio fecerit?*

S. Hie-

(k) *Joſeph. Antiquit. l. 18, c. 2, de Phariſæis:* Πράσσεσθαι εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτοῖς ὁρμῆς ἀφαιροῦνται, δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γίνεσθαι, καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ. Καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς ἢ κακίας. Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. *Idem, l. 2 de bello, c. 9, de Phariſæis:* Εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα. Καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι. Βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον, καὶ εἱμαρμένην. Ψυχήν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν μὲν εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην. Τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι. *Joſeph l. 3 de bello Jud. c.* κδ, *pag.* 852: Τὰ μὲν γε σώματα θνητὰ πᾶσι. Ψυχὴ δὲ ἀθάνατος ἀεὶ, καὶ Θεοῦ μοῖρα τοῖς σώμασιν ἐνοικίζεται .... καθαραὶ δὲ ἐπήκοοι μένουσιν αἱ ψυχαὶ, χῶρον οὐράνιον λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων, ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασι. Ὅσοις δὲ καθ' ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὲν ᾅδης δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτιώτερος. (l) *Joſeph. l. 2 de Bello, cap. 12, pag. 787, de Eſſenis:* Φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα... τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτους ἀεὶ διαμένειν, καὶ συμπλέκεσθαι μὲν ἐκ τοῦ λεπτοτάτου φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς τοῖς σώμασιν, ἴυγγι τινὶ φυσικῇ κατασπωμένας. Ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, τότε χαίρειν καὶ μετεώρους φέρεσθαι. Καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι ... ταῖς δὲ φαύλαις, ζοφώδη, καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν, γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων. (m) *Sap. VIII, 20.* (n) *Joan. IX, 2.* (o) *In Jerem. I.*
(p) *Vide Hieron. in Epheſ. IV, 2, pag. 395, nov. edit.*
(q) *Origen. in Matth. tract. 35, p. 123.* (r) *Origen. l. 2* Περὶ ἀρχῶν, *circa fin.*
(s) *Orig. in Jo. to. 5, edit. Huet. & edit. Genebr. p. 181. Vide & Philocaliam, pag. 70, edit. Oxon.*

S. Hieronymus in Epiſtolam ad Epheſios [t] ſcribens, Origenis ſententiam de prædeſtinatione exponit, aſſerens, ex ejus mente prædeſtinari homines a Deo, *Non ex præjudicio ſcientiæ ſuæ, ſed ex merito electorum*. Addit, ex Origenis perſuaſione, cœlum terramque inviſibilibus incoli creaturis, quas latenti divino conſilio præcipites egit Deus in hanc lacrymarum vallem; & ante memorandum hunc creaturarum lapſum, Paulum cæteroſque illi ſimiles, quòd omni labe puros videret, Dominum ſecreviſſe. Hanc ſententiam refellit S. Hieronymus, ipſius Pauli verbis demonſtrans, non ideo Deum homines prædeſtinaſſe, quòd ſancti fuerint, ſed ut eſſent.

Pamphilus Martyr [u] teſtatus, hanc de præexiſtentiâ animarum Origenis ſententiam minùs aliquibus probari; excuſatione tamen dignum cenſet, demonſtrans, nihil uſpiam certi de animâ definiſſe; ſed propoſitis tantùm conjecturis, Eccleſiæ judicio cauſam integram reliquiſſe. Tuetur inſuper Pamphilus Origenis partes, adverſæ opinionis incommoda omnia exaggerans. Fateamur quidem oportet, Origenem aliquando ambiguitatem ſuam eâ de re prodidiſſe [x]; ſed animarum præexiſtentiam tam frequenter in ſuis Operibus inculcavit, ut hoc ipſum ſentire ſe non obſcurè demonſtret.

Ad prædeſtinationem verò quod attinet, nullus dubito, quin eâ teneretur opinione, Deum pro merito ejus, quam in animâ explorat, indolis, præmia illi vel ſupplicia decernere [y]: *Ut autem ſcias, non præſcientiâ Dei unicuique ſalutis cauſam poni, ſed in propoſito & actibus ſuis, vide Paulum verentem, ne, cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus inveniatur.* Et alibi [z] de Jacobo & Eſau agens ſcribit, Jacob meritis ſuis accepto retuliſſe, ut a Deo in vas honoris formaretur, ipſum enim ſe comparaſſe, atque omni eluvum maculâ purgaſſe; quòd autem inertiorem operam in hac re Eſau poſuiſſet, ideò in vas ignominiæ a Deo transformatum. Addit inſuper [a], Paulum ipſum ſibi in cauſâ fuiſſe, cur ab eo, cui omnia antea explorata ſunt quàm contigerint, eligeretur; Deum enim proſpexiſſe, quæ ipſe in agro Eccleſiæ colendo perpetraturus eſſet. Denique, *quos præſcivit Deus tales futuros, ut Chriſto ſe in paſſionibus conformarent, ipſos etiam conformes ac ſimiles imaginis ejus prædeſtinavit & gloriæ*. Ex quibus omnibus rectâ conſecutione collegit S. Hieronymus [b], ex Origenis doctrinâ profeciſſe Pelagium, ejuſque Hæretici dogma *Origenis eſſe ramuſculum*.

S. Chryſoſtomus, cæterique coævi Patres, ut ab Origenis errore longiùs recederent, qui æternam atque temporalem hominis felicitatem, prædeſtinationem & reprobationem e meritis alterius vitæ repetebat; utque adverſarios ſe præberent erroribus Marcionis & Manichæorum, qui, duobus admiſſis principiis, bono pravoque, totum liberi in homine arbitrii ordinem ſubvertebant; prava enim naturâ ſuâ anima neque in bonum libera eſt, neque, ſi crimen aliquod admiſerit, quòd neceſſitate & naturâ peccaverit, jure corripienda eſt; Patres, inquam, illi, tria ſibi defendenda ſuſceperunt: I, Hominem auxilio gratiæ præventum, verè expeditam in rectum pravumque, meritum ac demeritum, habere facultatem: II, Nullam nobis ex præſtituto reprobationis prædeſtinationiſque decreto imponi neceſſitatem: III, Deum nulla ſibi præcedentia merita, ſed futura tantùm propoſuiſſe, ut pœnas vel præmia mortalibus ſanciret.

Hæc nobis demonſtranda manent ex ipſo S. Chryſoſtomo, quem veluti oraculum Græcæ Eccleſiæ ad noſtram uſque ætatem haberi, ignoraverit nemo. Scribens S. Doctor in illa verba Epiſtolæ ad Romanos [c]: *Cùm nondum nati fuiſſent*, (Jacob & Eſau) *aut aliquid boni egiſſent, aut mali, dictum eſt ei* (Rebeccæ), *quia major ſerviet minori. Qua de causâ hic quidem amori, ille autem odio habitus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat; quamquam illis nondum natis, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur; adhuc enim nati cùm non eſſent, dixerat Deus: Major ſerviet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? Quòd non expectat, quemadmodum homo, a rerum exitu videre, quiſnam bonus ſit, quiſnam item non talis; ſed etiam antea novit, quiſnam malus, & quis non talis. Deus unus eſt, qui dignos noverit* [d]; *hominum autem nemo, ut etiam valdè noſſe videantur. Qui cognitionis arcana ſolus novit, is apertè novit quinam digni ſunt, qui coronas reportent, qui rurſus pœnam aut ſupplicium mereantur. Hoc igitur* [e] *præſcientia eſt, ab ipſorum partu electionem facere; a primo enim die bonum, & eum item qui talis non eſt, & novit & pronunciavit. Quàm multi Matthæo meliores eſſe videbantur, ab apparenti operum argumento? Verùm*

---

[t] *Hieron. in Epheſ.* 1, 4; & IV, 2, *pag.* 325, & 327, *nov. edit.* & *p.* 305. *Vide eumdem, Epiſt.* 8, & 65; & *Epiph. Epiſt. ad Jo. Jeroſolymit.*

[u] *Apolog. pro Origen. p.* 499.

[x] *Vide e. g. l.* 2 Περὶ ἀρχῶν, *pag.* 420; & *in Jo. tom.* 7, *pag.* 287.

[y] *Origen. in Epiſt. ad Rom.*

[z] *In Epiſt. ad Rom. pag.* 378, *col.* 2: *Ut enim Jacob eſſet vas ad honorem ſanctificatum .... anima ejus emundaverat ſemetipſam. Et videns Deus puritatem ejus, poteſtatem enim habens ex eâdem maſſâ facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam; Jacob quidem, qui, ut diximus, emundavit ſemetipſum, fecit vas ad honorem; Eſau verò, cujus animam non ita puram, nec ita ſimplicem vidit, ex eâdem maſſâ fecit vas ad contumeliam.*

[a] *Idem in Ep. ad Rom.* 1, *l.* 1: *Paulus electionis ſuæ cauſas in ſemetipſo dedit ei, qui ſcit omnia, antequàm fiant. Prævidit enim Deus, quòd abundantiùs cæteris laboraturus eſſet in Evangelio.*

[b] *Epiſt. ad Cteſiphont.*

[c] *In Epiſt. ad Rom.* IX, *p.* 234: Καθὼς γέγραπται, τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα. Τίνος οὖν ἕνεκεν ὁ μὲν ἐφιλεῖτο, ὁ δὲ ἐμισεῖτο; διατί ὁ μὲν ἐδούλευεν, ὁ δὲ ἐδουλεύετο; ἐπειδὴ ὁ μὲν πονηρὸς, ὁ δὲ ἀγαθὸς ἦν, καίτοι μήπω γεννηθέντων, ὁ μὲν ἐτιμᾶτο, ὁ δὲ κατεδικάζετο .... ὅτι οὐκ ἀναμένει, καθάπερ ἄνθρωπος, ἀπὸ τοῦ τέλους τῶν πραγμάτων ἰδεῖν τὸν ἀγαθὸν, καὶ τὸν οὐ τοιοῦτον, ἀλλὰ καὶ πρὸ τούτων οἶδε τίς μὲν ὁ πονηρὸς, τίς δὲ ὁ τοιοῦτος.

[d] *Pag.* 235. [e] *Pag.* 236.

rùm qui arcana novit, is & in cœno margaritam jacentem novit. Non operum probationem (f) *quærit ſolùm Deus, ſed voluntatis nobilitatem, ac probam gratamque mentem.*

De Pharaone verò agens (g), obſervat, Regem illum ſcelerum ſuorum merito in iniquitate animum obfirmaſſe, in vas indignationis transformatum; viciſſim autem fideles Judæos miſericordiæ vaſa effectos genuinâ ipſorum probitate atque integrâ in Deum fide; quamquam enim in negotio prædeſtinationis potiores Dei partes habendæ ſunt, de noſtro tamen minimum quid ponendum eſt. Quod enim ad prævenientem miſericordiam ſpectat, id unicè in Deum referendum; quod autem velimus & curramus, non in noſtrâ tantùm virtute poſitum, ſed in nobis, Divinâ tamen gratiâ adjutis. Concludit [h], neque Judæos omnes, neque Gentiles pariter univerſos Deum ſalutis beneficio donaſſe, ſed eos tantùm, quos inſigni illo privilegio dignos norat. Alibi obſervat (i), Deum non Judæos omnes & Gentiles vocaſſe, quippe qui ſciret, plures vocationi ſuæ repugnaturos. Planè ſi vocatio Dei unicè ſufficeret, ait, cur non omnes ad ſalutem venerunt? Itaque ſi ſalutis beneficio aliqui donati ſunt, id non in vocationem Dei dumtaxat referendum, ſed in bonam etiam eorum voluntatem: ita enim vocati ſunt, ut nihil libertati hominis derogaretur.

Alio loco [k] ſcribit, Regnum Cœlorum electis deſtinatum eſſe jam inde ab exordio mundi, antequam ipſi prodirent in lucem; norat enim Deus quidquid ab illis ſuo ſingulis tempore præſtandum erat. Et ad illa verba: *Tu cognoviſti cogitationes meas de longè*, Sunt, ait [l], homines adeò rudes & ſcientiâ deſtituti, ut dicant: Hic homo probus eſt, quòd a Deo electus ſit & dilectus; iſte impius, quòd a Deo odio habitus. Contraria planè docet Propheta, operum noſtrorum experimento probari nos a Deo ſcribens: noſſe verò illum, antequam in lucem veniant, an virtutis amore tenendi ſint homines; ex quo inſigne præſcientiæ ſuæ præbet documentum; quam ſcilicet præſcientiam experimento operum noſtrorum confirmat, ne præſcientia ipſius virtutum noſtrarum cauſa reputetur. Eadem confirmat Apoſtolus, ingeſto Jacobi & Eſau exemplo; eorum enim futura merita Deus longè antequam naſcerentur prænoſcens, alterum alteri ſubjecit.

Scribens autem in Epiſtolam ad Epheſios (m), docet: *Si homines eligentes, quæ ſunt optima & pulcherrima eligunt, multò magis Deus. Electos quoque eſſe, eſt & Dei benignitatis & clementiæ, & ipſorum virtutis indicium; probatos enim elegit.* Et poſt modica: *Non fit* (prædeſtinatio) *a laboribus* (noſtris), *ſed a charitate* [Dei]; *neque a charitate ſolùm, ſed a noſtrâ virtute. Nam ſi a charitate ſolâ, oporteret nos eſſe ſalvos. Si autem rurſus a noſtrâ ſolâ virtute, ſupervacaneus fuiſſet ejus adventus, & quæcumque facta ſunt per diſpenſationem. Sed neque ſolâ charitate, neque noſtrâ virtute, ſed ex utriſque.* Et in Pſalmos (n) obſervat, Deum, cùm e medio gentium populum Judæorum diſcerneret, non modicum eorum numerum, ſed altum virtutis gradum, ad quem tollere illos meditabatur, ſpectaſſe. Magis enim conſiliis ſuis ſervitorum populum Hebræorum noverat, quàm gentes cæteras, numero hominum & divitiis florentiores.

Laudantur alia S. Chryſoſtomi loca [o], quibus favere videtur gratuitæ prædeſtinationi; ſed hæc a nonnullis Theologis referuntur ad prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad fidem: quæ ſanè beneficia eſſe gratuita, quis neget? In eamdem ſententiam conceſſerunt, poſt S. Chryſoſtomum, cæteri deinde Græci Patres; quare ſupervacaneum reputamus, integra recitare Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, & aliorum teſtimonia, quos maximè novimus fidos S. Doctoris ſectatores. At extra controverſiam reputandum eſt, S. Chryſoſtomum in hoc argumenti genere, ſicut & in cæteris, nihil niſi orthodoxum ſentire. Cornelius a Lapide in præfatione ad Pauli Epiſtolas ait, docuiſſe Chryſoſtomum cæteroſque illius aſſeclas, ipſam etiam prædeſtinationem ad fidem ex prævisis hominum meritis fieri: cui quidem accuſationi ſua ſunt fundamenta. Si qua tamen minùs accurata ſcribenti exciderunt, hæc ideò excuſanda ſunt, quòd caſtigatum nullum ſermonem tunc Eccleſia adhuc præſcripſerat; ne-

(f) *Pag.* 237.

(g) *Idem in Rom.* IX, *p.* 239, 240, 241: Ὥσπερ γὰρ ὁ Φαραὼ σκεῦος ὀργῆς γέγονεν ἀπὸ τῆς οἰκείας παρανομίας· οὕτω καὶ οὗτοι σκεύη ἐλέους ἀπὸ τῆς οἰκείας εὐγνωμοσύνης. Εἰ γὰρ καὶ τὸ πλέον ἐστὶ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ὅμως καὶ αὐτοί τι μικρὸν εἰσηνέγκαμεν.

(h) *Idem p.* 245.

(i) *Chryſoſt. in Rom.* VIII, *pag.* 213. Κατὰ πρόθεσιν, φησὶ, ἵνα μὴ τὸ πᾶν τῇ κλήσει δῷ. Ἐπεὶ οὕτως ἔμελλον καὶ Ἕλληνες ἀντιλέγειν, καὶ Ἰουδαῖοι. Εἰ γὰρ ἡ κλῆσις ἤρκει μόνον, τίνος ἕνεκεν οὐ πάντες ἐσώθησαν; διὰ τοῦτό φησιν, ὅτι οὐχ ἡ κλῆσις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ πρόθεσις τῶν καλουμένων τὴν σωτηρίαν εἰργάσατο. Οὐ γὰρ ἠναγκασμένη γέγονεν ἡ κλῆσις, οὐδὲ βεβιασμένη.

(k) *Hom.* 80 *in Matth.* XXV, *p.* 837.

(l) *In Pſalm.* CXXXVIII, 3: Οὐδὲ γὰρ δεῖται ἀναμεῖναι τῶν ἔργων τὸ τέλος, ἀλλὰ πρὸ τούτων οἶδεν αὐτὸς τὸν φαῦλον, καὶ τὸν οὐ τοιοῦτον ἐσόμενον, &c.

(m) *Chryſoſt. hom.* I. *in Epheſ.* I, *v.* 5: Εἰ δὲ ἄνθρωποι ἐκλεγόμενοι τὰ κάλλιστα ἐκλέγονται, πολλῷ μᾶλλον ὁ Θεός. Καὶ τὸ ἐκλελέχθαι δὲ καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας τεκμήριον, καὶ τῆς αὐτῶν ἀρετῆς. πάντως γὰρ ἂν τοὺς δοκίμους ἐξελέξατο. *Et poſt nonnulla*: Οὐ γὰρ ἀπὸ πόνων, οὐδὲ κατορθωμάτων τοῦτο γίνεται, ἀλλὰ ἀπὸ ἀγάπης. Οὔτε ἀπὸ ἀγάπης μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς. Εἰ γὰρ δὴ ἀπὸ ἀγάπης μόνης, ἐχρῆν ἅπαντας σωθῆναι. εἰ δὲ ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς πάλιν μόνης, περιττὴ ἡ παρουσία αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ οἰκονομηθέντα. ἀλλ' οὔτε ἀπὸ τῆς ἀγάπης μόνης, οὔτε ἀπὸ τῆς ἡμετέρας ἀρετῆς, ἀλλ' ἐξ ἀμφοτέρων.

(n) *Chryſoſt. in Pſal.* CXXXIV, *pag.* 425: Εἰ γὰρ καὶ ὀλίγον τὸ ἔθνος, ἀλλὰ τοῦτο ὡς πλοῦτον ἑαυτῷ ἐξελέξατο, οὐ τῇ ὀλιγότητι, ἀλλὰ τῇ ἀρετῇ προσέχων, πρὸς ἣν αὐτοὺς χειραγωγῆσαι βουλόμενος ἐκλέγεται, ὡς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων οὐ τοσοῦτον αὐτῷ περιούσιον πλοῦτον, ὅσον οὗτος ὁ δῆμος. (o) *Hom.* 2 *in Epiſt. ad Epheſ.* I, 11; *hom.* 7 *in* I *Cor.* II, *pag.* 63; *hom.* 2 *in* 2 *Timoth.* I, *pag.* 545; *in Pſalm.* V, *pag.* 40; *hom.* 4 *in Theſſalon.* II, *p.* 386; & *cap.* 3 *hom.* 28, *pag.* 358; *hom.* 20 *in Galat.* V, *pag.* 1036.

neque Pelagiana adhuc hæreſis emerſerat, quæ Eccleſiaſticos Doctores loquendo cautiores redderet. S. Auguſtinus [p] pro ſuâ ſententiâ ſæpe Chryſoſtomum laudavit, veluti ſuarum partium vindicem, in diſputationibus de prædeſtinatione & gratiâ adversùs Pelagium. Cùm de conciliatione Eccleſiæ Græcæ cum Latinâ actum eſt, magna fuit animorum hac de re conſenſio; in re enim conveniebat utrinque, quamquam aliis loquendi phraſibus quàm Latini, Græci uterentur. Minùs caſtigatè Latinis Græci locuti videntur, quòd Pelagiana hæreſis, occidentis maximè plagas infeſtans, Doctores noſtros cautiores doctioreſque effecerit.

Non ita tamen reputandum eſt, quaſi noſtræ diſputationes Græcos penitus latuerint. Norant enim illi ætate Photii (q) Scripta S. Auguſtini, Cœleſtini Papæ, S. Proſperi Libros de gratiâ adversùs Pelagianos & Semipelagianos: damnabant ut Hæreticos, quos cenſurâ inuſſerant Concilia Africana, & SS. Auguſtinus & Proſper ſcriptis ſuis refellerant. Jam inde a pluribus ſæculis (r) doctrinam plerumque ſequuntur S. Joannis Damaſceni de prædeſtinatione & gratiâ, quemadmodum Gennadius in ſuis Lucubrationibus de prædeſtinatione & providentiâ teſtatur. Docet autem S. Joannes Damaſcenus (s), prædeſtinationis & reprobationis decreta cauſam habere conſtitutam bonas malaſque hominum voluntates; quod perinde eſt, ac ſi Deus pro merito ſingulorum pœnas decernat, vel præmia. Deus antecedente, quam vocant, voluntate ſalutem omnibus hominibus impertiri maximè cupit, quemadmodum idem S. Doctor (t) obſervat; ſed voluntate conſequente ſuppliciis in impios vult animadvertere. Porrò conſequenti voluntati duo propoſita ſunt, prædeſtinatio & reprobatio; prædeſtinatione in ſalutem perducimur, juxta conſtitutas providentiæ Divinæ leges, interiori ſcilicet gratiâ & inſtitutionibus; reprobatio verò juſta nobis ſupplicia illa decernit, quæ in noſtrum caput criminibus admiſſis, prævifis a Deo & permiſſis, provocamus; cave tamen, ait ille, Deum ſive cauſam, ſive authorem, ſive approbatorem eorum criminum reputes.

Græci recentiores eamdem & doctrinam & loquendi rationem, quam veteres Eccleſiæ ſuæ Partes, ſervant; æquè tamen abhorrent ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum, quemadmodum deinde & a Lutheranorum, & Calviniſtarum de gratiâ & prædeſtinatione. Vix Jeremias Patriarcha CP. certior factus eſt, quid Lutherani de juſtificatione, libero hominum arbitrio, cæteriſque ad eam rem in Concilio Tridentino damnatis erroribus, ſentirent, actutum damnatos geminis reſponſionibus refutavit (u). Doctrina Cyrilli Lucaris, planè Calviniſtis conſentanea, cenſurâ eâdem inuſta eſt in Conciliis C. PP. an. 1638, & 1642, ac deinde in Concilio Jeroſolymitano an. 1672. Syrigus dogma Lucaris fuſiſſimè refutaverat; cujus Operis vernaculis literis traditi impreſſio a Doſitheo Patriarchâ Jeroſolymitano curata, ſatis probat, quanto omnium favore & approbatione Opus idem exciperetur.

Fatemur quidem, noviſſimos hoſce Græcos Scriptores minùs caſtigatè loqui, quàm Theologos Noſtrates Latinos, & Controverſiarum Scriptores. Sed ab Authoribus a Scholaſticâ exercitatione alienis, atque diſputationum noſtrarum planè rudibus, quis ſatis caſtigatum aliquid in eâ re expectet? Si quid autem ſcribentibus adversùs Occidentales Hæreticos minùs certum excidit, nunquam tamen eò venerunt, ut in errorem aliquem, receptæ in Eccleſiâ doctrinæ planè contrarium, inciderent. Indulgendum eſt aliquid Theologis alterius linguæ, qui ſibi alteram, quàm quæ apud nos obtinet, ſcribendi methodum proponunt.

Emergente jam in occidente Pelagianâ hæreſi, poſt initum quintum Eccleſiæ ſæculum, ſummus erat in dogmate de prædeſtinatione Græcos inter & Latinos conſenſus. Uno omnium ſuffragio rejiciebatur error Origenis, putantis, Deum homines prædeſtinare aut reprobare merito operum, quæ in alterâ vitâ præceſſerint. Arbitrabantur autem Orthodoxi Patres, Dei præſcientiæ expoſita fuiſſe futura hominum merita, quibus inſpectis, prædeſtinationis & reprobationis decreta prodirent (x): perſuaſum habebant, hiſce decretis nihil derogari noſtræ libertati; merita verò hominum Dei largientis dona, atque gratiarum in nobis & per nos germina eſſe; tandem hominem, ob originalis criminis corruptionem, nihil meriti in cenſu ſuo habere; nihil in bonum [ſupernaturale intellige] poſſe, niſi ſupernaturali Dei ope præventum atque fulcitum.

Pe-

(p) *Auguſt. l. 1, c. 2, contra Julian. & l. 2, c. ult. & l. 4, c. 3, &c.*

(q) *Photius, Cod. 34 Bibl.* Μετὰ μέντοιγε θάνατον τοῦ ἐν ἁγίοις Αὐγουστίνου ἤρξαντό τινες τῶν ἐν τῇ κλήρῳ τὸ μὲν δυσσεβὲς ἀρχλύειν δόγμα, κακῶς δὲ λέγειν Αὐγουστίνου, καὶ διατείρει ὡς ἀναίρεσιν τοῦ αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον· ἀλλὰ καὶ ὁ Κελεστῖνος ὁ Ῥώμης ὑπὲρ τούτου θείου ἀνδρὸς, καὶ κατὰ τῶν ἀνακινούντων τὴν αἵρεσιν τοῖς ἐχυροῖς γράφων ἐπισκόποις, τὴν κινουμένην πλάνην ἔσβεσε. Πρόσωπον τις, ἄνθρωπος ὡς ἀληθῶς τοῦ Θεοῦ, λιβέλλους κατ' αὐτῶν ἐπιδίδωσιν, ἀφανεῖς αὐτοὺς ἀπειργάσατο.

(r) Renaudot Préface du 5 tome de la Perpétuité de la foi.

(s) *Damaſcen. de Fide orthodoxâ, l. 4, cap. 19:* Μόνος γὰρ αὐτός ἐστι τῶν ἀγαθῶν δημιουργὸς, ἀλλ' ἵνα αὐτὸν τίμια κατασκευάζῃ, ἢ ἄτιμα, ἀλλ' ἡ οἰκεία ἑκάστου προαίρεσις. *Vide & Dialog. contra Manich. p. 73, nov. edit.*

(t) *Damaſcen. lib. 2 de Fide Orthodoxâ, cap. 20:* Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ Θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς Βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν. Λέγεται οὖν τὸ μὲν πρῶτον προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν. Τὸ δὲ δεύτερον ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας. Καὶ αὕτη διττή. Ἡ μὲν οἰκονομικὴ, καὶ παιδευτικὴ πρὸς σωτηρίαν, ἡ δὲ ἀπογνωστικὴ πρὸς τελείαν κόλασιν, ὡς εἰρήκαμεν.

(u) *Vide* Renaudot, Perpétuité de la foi, Préface ſur le 5 tome.

(x) *Vide Hilar. in Pſalm.* CXVIII, *pag.* 339, *num.* 10, 11; *Epiſt.* 345, *num.* 8; *Ambroſ. lib.* 5 *de Fide, cap.* 6, *n.* 83; *Hilar. Diacon. in Rom.* IX, 11, 12, 13, *Hieronym. in Ezech.* II; *in Jerem.* XXVII; *in Epiſt. ad Paulin.*

Pelagio (y) contraria omnia arridebant, contendenti, Deum eos maximè elegiſſe, quos bono libertatis uſu ſanctos fore prænoverat; quare non effecit ſanctos decreto ſuo, ſed ſanctos fore prævidit. Latens hæreſeos hujus virus detexit S. Auguſtinus; nec ſanè error latuit in ambiguo, ex quo Hæreſiarcha docuit, hominem ſatis in ſe virium habere, quò, nullo adjutus gratiæ auxilio, bonum præſtaret aut malum; quin & gratiam homini bonum ex propriis viribus agenti, tamquam meritorum præmium, dari. S. Auguſtinus, cæterique ejuſdem ætatis Epiſcopi defendebant, prædeſtinationem ad gloriam gratuito Dei largientis beneficio donari; addebantque (z): *Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.*

Semipelagiani utramque improbantes ſententiam, Pelagii nempe de prædeſtinatione, & S. Auguſtini de eâdem ipsâ prædeſtinatione, maluerunt ſilentio tantum myſterium premi: *De his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit* (a). Cùm autem S. Auguſtini rationibus urgerentur, *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendebant; & ea quæ de Epiſtolâ Apoſtoli Pauli ad Romanos ſcribentis, ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentitur, affirmant.* Fatebantur, nihil ſe apud Veteres quod ſatis quadraret, invenire. Cùm verò mentem ſuam promere cogerentur, ita rem exponebant: *Noſtram non præſciviſſe Deum niſi Fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe, ut etiam ſancti & immaculati gratiâ atque opere ejus eſſemus.* Vide S. Auguſtinum, *de Prædeſt. SS. cap.* 19.

Sciſcitatur a S. Auguſtino S. Prosper (*b*), quid reponendum objectioni e Veterum conſenſu deductæ; unâ enim omnes ſententiâ tenebant, decretum ſive prædeſtinationem Dei ipſam eſſe ejus præſcientiam, *qua finem uniuscujusque prævideriț, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, prævideriț.* Respondet Auguſtinus (*c*), fruſtra eâ de re veterum Scriptorum volumina excuti; cùm enim ſeriò rem diſcutere nullâ neceſſitate adigerentur, quemadmodum poſt exortam Pelagianam hæreſim factum eſt, leviori brachio, & veluti per tranſitum argumentum libarunt; in id omnes intenti, ut ſuorum temporum hæreſes refutarent: quamquam, addit ille, Eccleſiæ doctrina ſervabatur in exhibitis Deo precibus; nunquam enim poſtulaſſent ab ipſo, ut quæ maximè juberet, ipſe largiretur, niſi Dei opem ad id præſtandum neceſſariam eſſe cenſerent.

Fatetur idem S. Doctor (*d*), ſe, antequam rem pleniùs excuteret, in eo cum pluribus aliis errore verſatum, fidem nempe non Dei beneficio præſtari, ſed noſtris in nobis parati viribus; ejus autem merito neceſſarias dari nobis vires, ut pietatem & juſtitiam colamus. In eo tamen, quem ad Simplicium Archiepiſcopum Mediolanenſem ſcripſit, Libro, paulò poſt initum Epiſcopatum ſuum, ab errore tandem ſe reſipuiſſe teſtatur: *Hoc Apoſtolico præcipuè teſtimonio* [*Quid habes, quod non accepiſti?*] *etiam me ipſum fuiſſe convictum, cùm de hac re aliter ſaperem, quàm mihi Deus in hac re ſolvendâ, cum ad Epiſcopum Simplicium, ſicut dixi, ſcriberem, revelavit* (e). Adeò autem de ejus ſententiæ veritate perſuadebatur, ut tamquam Eccleſiæ fidem (*f*) illam traderet: *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe* (g).

Pelagius & Cæleſtius toto Occidente damnati, Romæ, in Galliis, in Africâ, in ultimas tandem Britannias ſeſe recipientes, dogmatum ſuorum virus ibi sparſerunt. Cùm autem caveret ab illis nemo, totam illicò inſulam pernicioſis dogmatibus infecerunt. Sævienti jam malo occurſuri Cæleſtinius Papa, & Concilium quoddam Gallicanum eò delegarunt, An. 429. S. Lupum Epiſcopum Treceuſem, & S. Germanum Epiſcopum Altiſſiodorenſem. Nec infelici ſucceſſu; brevì enim Britannia univerſa ad ſanam doctrinam rediit; & cùm non diu pòſt in priſtinas errorum Pelagianorum tenebras recidiſſet, iterum eò miſſus S. Germanus Altiſſiodorenſis, & Severus Trecenſis priſtinam Eccleſiis pacem lucemque veritatis reſtituerunt.

Toto inde Occidente Pelagianorum reliquiæ depulſæ, penès Neſtorium Archiepiſcopum C. P. invenerunt effugium, quippe cui eorum de prædeſtinatione error arrideret; docebat enim, Jeſum Chriſtum operum ſuorum præmio divinitatem ſibi promeruiſſe; cùm Eccleſia & S. Auguſtinus (*h*) docerent, Jeſum Chriſtum exemplar eſſe prædeſtinatorum, in eo videlicet, quòd gratuitâ eſſet prædeſtinatione donatus. Hinc ſcitè S. Prosper (*i*) eamdem ipſam Neſtorianam hæreſim matrem & filiam Pelagianæ ap-

(y) *Aug. l. de Prædeſt. SS. c.* 18: *Præſciebat Deus (ait Pelagius) qui futuri eſſent Sancti, & immaculati per liberum voluntatis arbitrium: & ideò eos ante mundi conſtitutionem in ipsâ ſuâ præſcientiâ, qua tales futuros eſſe præſcivit, elegit. Elegit ergo antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos immaculatosque præſcivit: utique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos facturos eſſe præſcivit.*

(z) *Aug. de Dono Perſever. c.* 14, *n.* 35.

(a) *Vide Proſper. Epiſt. ad Auguſt. inter Auguſtinianas,* 225, *n.* 3, & 8.

(b) *Epiſt. ſup. cit.*

(c) *De Prædeſt. SS. c.* 14, *n.* 27.

(d) *Ibid. cap.* 3, *n.* 7.

(e) *Ibid. c.* 4, *n.* 8.

(f) *Aug. de Dono Perſev. c.* 23, *n.* 65. *Ille itaque dicat Eccleſiam aliquando in fide ſuâ non habuiſſe veritatem prædeſtinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curâ diligentiore defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet, eam aliquando non eraſſe, vel non veraciter eraſſe.*

(g) *Idem, de Dono Perſev. c.* 19, *n.* 48.

(h) *In Jo. tract.* 105, *n.* 8; & *tract.* 74, *n.* 3; & *Oper. imperf. cont. Julian. c.* 11, *p.* 951.

(i) *Epitaph.* *Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagiana,*
Quæ tamen eſt utero progenerata meo.
Infelix miſera genitrix & filia natæ,
Prodivi en ipſo germine, quod peperi.

appellat; filiam, quòd poſt Pelagianam prodierit; matrem verò, quòd in Jeſu Chriſto gratiæ authore gratiam ſubvertat, docens, bonorum operum merito, veluti præmium, gratiam ſibi Chriſtum promeruiſſe. Nihil tamen juvandis Pelagianis Neſtorii authoritas valuit; quin & utriusque Hæretici errores Concilium Generale Epheſinum damnavit (*k*).

Semipelagiani, ſpecie quidem Pelagianis modeſtiores, majori tamen pervicaciâ errores ſuos defenderunt. Quin & ſæpiùs poſt S. Auguſtini obitum caput erexerunt, hoc ſemper ſyſtema de prædeſtinatione & reprobatione obtrudentes. Docebant, hominem propriis arbitrii viribus, & nullo prævenientis gratiæ auxilio fultum, credere & ſalutem velle poſſe (*l*): quod pernicioſiſſimum erat illius hæreſeos dogma, unde virus in cætera ſpargebatur. Addebant, poſt jacta ea veluti prima ſalutis ſemina ab homine, Deum nunquam deſiſtere, quin gratiâ ſuâ illa foveat. Prætereà prædeſtinationem & reprobationem veluti neceſſarias conſecutiones deduci a præſcientiâ Dei, bona ſive mala prævidentis, quæ ab homine præſtanda ſunt, vel præſtarentur, ſi viveret. Quartò tandem docebant, gratiam aliunde efficacitatem habere, quàm a ſe ipsâ; quod enim a Deo in homines redundat auxilii, ita ejusdem hominis libertati ſubdi, ut eo pro libito utatur rejiciatque.

S. Auguſtinus ſub exitum vitæ ſuæ Hæreticos illos refutavit in Libris de Prædeſtinatione SS. & de Dono Perſeverantiæ; atque ipſo fatis functo, S. Proſper eamdem provinciam aggreſſus eſt. Cùm A. 433 rurſus cierentur Semipelagianorum tumultus in Galliis, S. Proſper altero anno in lucem produxit Opus ſuum *Contra Collatorem*, nempe contra Caſſianum, quem refutandum ſuſcepit. Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis, & Gennadius, junctâ ſimul operâ, novare pro Semipelagianis res cœperunt An. 482; ſed validis adverſariorum conatibus oppreſſi ſunt. S. Cæſarius Arelatenſis, & Fulgentius Ruspenſis omnium primas inter eorum adverſarios tenebant. Libri Fauſti, Caſſiani, & Arnobii cenſurâ inuſti ſunt in Concilio Romano ſub Gelaſio, An. 494. Cùm Fauſti errores ad Orientis usque plagas penetraſſent, Scythæ quidam Monachi, literas ad S. Fulgentium, in Inſulâ Sardiniæ relegatum, eâ de re miſerunt; quibus S. Doctor ſuo & cæterorum unà ſecum exulantium Epiſcoporum nomine reſcripſit, probare ſe eorum ſententiam, quam conſentaneam Auguſtinianæ agnoſcebat. Novo deinde ad illos ſcripto, anno 521, Fauſti errores pleniùs refutavit; quod pariter Opus exules in Sardiniâ Epiſcopi coactâ Synodo probarunt. Concilium Arauſicanum anni 529, eosdem Semipelagianorum errores damnavit; qua Concilii ſententiâ toti controverſiæ finis impoſitus eſt. Concilii decretum confirmavit Boniſacius II Papa, adversùs privatorum quorumdam & Epiſcoporum etiam obtrectationes; & pax tandem hiſce Papæ literis compoſita eſt.

Nihil agendum arbitror in præſentiâ de Prædeſtinatianorum hæreſi, quibus hunc appingit errorem Liber Prædeſtinati, a Sirmondo publici juris factus; nimirum bona opera fruſtra a Fidelibus præſtari, cùm omnia a prædeſtinatione & reprobatione hominum pendeant. Quæ enim de Hæreticis hiſce feruntur, mera eſſe commenta, doctiſſimi quidam Critici ſuſpicati ſunt, rati Prædeſtinatianorum nomine traduci a Semipelagianis quinti ſæculi S. Auguſtini Diſcipulos, quibus illi tribuebant per ſummam impudentiam præpoſteras illas conſecutiones, quas ſe deduxiſſe e principiis S. Doctoris arbitrabantur. Tametſi verò Hæreticos hoſce reapſe admittamus, illi non ſemel refutati ſunt ſparſim inter Opera S. Auguſtini, & Diſcipulorum ipſius, qui Semipelagianorum cavillationibus responderunt.

Quieta omnia, quantum ad prædeſtinationem, in Eccleſiâ manſerunt, poſt Concilium Arauſicanum anno 529, ſpatio CCC circiter annorum, donec nono vertente ſæculo turbæ de prædeſtinatione & gratiâ excitatæ ſunt, occaſione Gotheſcalchi, viri natione Germani, & Monachi Orbacenſis, in Sueſſionenſi Diœceſi. Cùm ille aſſiduâ Patrum ac præſertim S. Auguſtini lectione ſeſe exerceret, pluresque ejusdem S. Doctoris ſententias memoriæ mandaſſet, nonnullas e Theologiâ quæſtiones excutiendas ſuſcepit curioſiùs aliquantò, quàm par erat, quemadmodum Lupus Ferrarienſis, Epiſtolâ XXX, illum monuerat. Circa annum 846, Sergio Pontifice, Romanum iter aggreſſus eſt; cùmque redux aliquo temporis ſpatio apud Comitem Eberardum verſaretur, in familiaribus colloquiis quædam de prædeſtinatione illi exciderunt, Nothingo Epiſcopo Veronenſi minùs probata. Quare cùm Nothingus poſt aliquid temporis in Germaniam veniſſet, rem totam cum Rabano Archiepiſcopo Moguntino contulit; communique conſilio ſanxerunt, ut Rabanus ſcripto Libro Monachum refelleret. Fidem præſtitit Rabanus, ſcripto in Epiſtolæ modum ad Nothingum adversùs Gotheſcalchum Libro [*m*]. Datis inſuper ad Comitem Eberardum literis, monuit [*n*], Gotheſcalchum docere, Deum prædeſtinationis ſuæ decreto neceſſitatem hominibus imponere; ut quicumque vellet ſalutem conſequi, atque ejus rei gratiâ in Fidei & bonorum operum exercitatione laboraret, ageret fruſtra, ſi prædeſtinatus non eſſet

ad

(k) *Concil. Epheſ. act. 6, ſeſſ. 1. Vide Binii notas, to. 3, p. 1294, edit. Labb.*

(l) *Vide Epiſtolam S. Proſperi ad Auguſtinum; & Hilarii Monachi ad eumdem, ordine 225, & 226, in novâ Edit. S. Auguſ. Vide etiam Carmen* De Ingratis, *& S. Auguſ. de Prædeſt. SS.*

(m) *Vide apud Sirmond. pag.* 1312.

(n) *Idem, pag.* 1342.

ad vitam: quibus dogmatibus in ultimam deſperationem induxiſſe multos, qui dicerent, cur ſibi eſſe laborandum pro ſalute, cùm nihil omnino ſint omnia, niſi prædeſtinationis decterum divinitus datum eſt? præſtando autem malo illud commodi ex eâ ſententiâ accedere, ut nihil ſupplicii timeretur, ſi prædeſtinatus eſſet impius ad vitam.

Errorem hunc reſutandum aggreditur Rabanus authoritate SS. Augnſtini, Proſperi, ac cæterorum Patrum. Fatetur ille quidem, de prædeſtinatione dogma in Sacrâ Scripturâ conſtitui; hoc tamen ſenſu, omnes nimirum homines, e ſtatu gratiæ ob primi hominis peccatum lapſos, ſolâ Jeſu Chriſti gratiâ ſurgere, quam ille gratiam totâ æternitate paravit ac prædeſtinavit. Addit, plures quidem e damnationis & criminis originalis ſtatu ablatos, damnari ob crimina poſt Baptiſmum admiſſa, quæ Deus præſcientiâ ſuâ novit perpetratum iri liberè ab iis, nullâ neceſſitate coactis. Defendit tandem, Dei prædeſtinantis ſive reprobantis decreto nihil in homine mutari, nullamque mortalibus imponi agendi neceſſitatem. Si quos verò, ait, Deus e maſſâ corruptionis educit, eos gratuitâ miſericordiâ tanto beneficio donat; quos verò in priſtino miſeriarum ſtatu relinquit, illos nonniſi poſt prævisa eorum crimina, liberâ ſingulorum voluntate committenda, ad æterna ſupplicia deſtinat.

Gotheſcalchus rem ſibi eſſe intelligens cum adverſario, eruditionis famâ celebratiſſimo, ex Italiâ Moguntiam profectus circa annum 848, Rabanum convênit, mentem illi ſuam explicaturus. Scriptum exhibuit Epiſcopo, cujus nonnulla ſuperſunt fragmenta, quo ejusdem Epiſcopi ſententiam arguit in dogmate de prædeſtinatione ad malum, de voluntate Jeſu Chriſti ſervandi omnes homines, ac de libero hominis arbitrio. Ferunt, Rabanum eo ſcripto accepto prodire in ſcenam noluiſſe; quippe qui cùm pars eſſet, & accuſati reique locum teneret, inter judices Gotheſcalchi recipi non poterat. Concilium igitur Moguntiæ coactum eſt circa menſem Octobris, anno 848, quò ad cauſam dicendam vocatus Gotheſcalchus, Scriptum protulit, in quo doctrinam ſuam luculenter explicans, defendebat, duas diſtinguendas eſſe prædeſtinationes, alteram Electorum ad gloriam, alteram impiorum ad pœnam: & quemadmodum Deus ante mundi conſtitutionem immutabili decreto plures ad æternam vitam gratuitâ miſericordiâ prædeſtinavit; ita pariter ſancto & inviolabili decreto impios *propter ipſorum mala merita* ad ſupplicia & mortem æternam deſtinaſſe.

Accuſabat Monachum Rabanus, quaſi is diceret, prædeſtinari a Deo homines ad æterna ſupplicia, pravis eorum operibus nec præviſis neque ſpectaris. Fatebatur ipſe quidem, noſſe Deum quicumque criminibus tenerentur, & quos criminum ſuorum merito æternâ morte punire ſtatuit: nolebat autem totam hanc œconomiam nomine prædeſtinationis ad mortem appellari, ne fortè prædeſtinare ad peccatum Deus crederetur. Gotheſcalchus pervicaciùs reſiſtebat, contendens, geminas diſtinguendas eſſe prædeſtinationes, ad mortem nempe & ad vitam. Conveniebant utrinque, prædeſtinationem ad vitam gratuitâ Dei largientis miſeratione præſtari; Deum nempe e maſſâ corruptionis, quos maximè voluerit, ſecernere, ſecretiſque parare gratias & neceſſaria obtinendæ ſaluti auxilia; neminem autem ad mortem damnare, niſi pro meritis criminum, quorum ille nequaquam cauſa eſt. Quare totus controverſiæ cardo in eo vertebatur, an nomine prædeſtinationis utendum eſſet ad deſignandum reprobationis decretum, quemadmodum Gotheſcalchus contendebat; vel ab eo temperandum, quemadmodum Rabano videbatur.

Fruſtra laborarunt Concilii illius Patres, ut Gotheſcalchum ad ſaniora conſilia & caſtigatiorem loquendi rationem perducerent: quare pervicacem damnarunt, damnatumque remiſerunt ad Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem; apud quem Rabanus per Epiſtolam Monachum illum accuſavit, quaſi ſpargentem in vulgus, quemadmodum Dei eſt prædeſtinatio in bonum, ita Dei eſſe in malum prædeſtinationem; eſſe autem in mundo homines, qui ab erroribus ſuis reſipiſcere nequeunt; Dei prædeſtinantis decreto coactos, præcipites in mortem ferri, cujus victimæ deſtinari ſunt; eſſe autem illos naturâ ſuâ incorrigibiles, & damnatione dignos. Hæc de Gotheſcalcho Rabanus; non verò de ſe Gotheſcalchus affirmabat.

Hincmarus hiſce Rabani literis præmonitus, audito Gotheſcalcho pro ſe loquente, illum denique in Synodum Cariſiacenſem produxit. Appellatus eò Rhotadus Epiſcopus Sueſſonienſis, ad quem Diœceſani ſui judicium pertinebat. Interrogatus igitur Monachus ab Epiſcopo, cùm ſententiam ſuam, ut olim Moguntiæ, ita pariter eâdem obſtinatione tunc defenderet, injuriis pariter in adverſarios non parcens, hæreſeos damnatus eſt, a Sacerdotio amotus, & virgis cæſus coram Rege Carolo Calvo, & Epiſcopis, donec ſcriptum pro aſſerendâ ſententiâ ſuâ ex collectis Scripturæ & Patrum ſententiis Librum flammis manu ſuâ abſumendum tradidit. Arcto deinde carcere damnatus eſt in Abbatiâ Altovillarenſi Diœceſis Rhemenſis.

Ex eo carcere Gotheſcalchus duas emiſit Fidei profeſſiones, prolixiorem alteram,

alteram breviorem; in utrâque verò defendebat, Deum nunqnam ad peccatum & malum prædeſtinare, ſed tantùm ad bonum, cnjus duplex eſt genus diſtinguendum; nempe beneficiorum gratiæ ipſius, & pœnarum quæ ab ejus juſtitiâ decernuntur. Gratnitò quidem illum eligere hominem ad vitam æternam, prædeſtinare verò Dæmones & reprobos in moriem æternam. Significabat, optare ſe, doctrinam ſuam in cœtu aliquo publico coram Epiſcopis, Principibus & Clero tueri; probaturum etiam ſe orthodoxiam ſuam spondens, per quatuor dolia ebullientis aquæ, olei & picis, ac tandem per ingentem incenſum ignem perrranſeundo; e quibus ſi qnid læſionis referret, velle ſe ajebat tamquam de crimine convictum ignis ſupplicio perimi.

Interim Hincmari adversùs Gotheſcalchum molitiones, &, quas ipſe tuebatur, ſententiæ in Libro ad Monachos Diœceſis ſuæ, criminatores plurimos nactæ ſunt. Ratramnus Monachns Corbejenſis ſuis ad amicum Gotheſcalchum literis, Sciptum Archiepiſcopi liberiùs carpſit. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, collectis pluribus Sacræ Scripturæ, Patrum, & pıæcipuè S. Auguſtini ſententiis, veritatem duarum prædeſtinationum aſſeruit. Lupus Servatus, Ferrarienſis Abbas, lucubrationem eâ de re edidit [o], Auguſtinianæ ſententiæ maximè conſentaneam. Docet autem inter cætera, ſcire ſe quidem, nec apnd Scripturam, nec apud Patres prædeſtinationis nomine deſignari reproborum exitium, ne ideò creaſſe Deus homines aliquos dicatur, ut ultionis ſuæ monumenta in illis ſtatuat; neve id unquam reputetur, damnare Deum injuſtè ad ſupplicia bomines, qui in malum ſummâ neceſſitate ferantur. Hæc quidem, ajebat, ita ſe babent: ſed cùm de re conſtat, de reprobatione nempe impiorum propter merita, ſtultæ ſunt pro vocibus concertationes.

[o] *Sup. tract. de Trib. Quæſtionibus.*

Jnſſus inſuper a Carolo Calvo Ratramnus Corbejenſis de hoc argumento diſſerere, Librum ſuum edidit de Prædeſtinatione, demonſtrans, totâ Deum æternitate noviſſe omnes bonornm impiorumque fortnnas; Sanctorum autem prædeſtinationem merum eſſe Dei miſerenris beneficium; & electorum nnmerum neque minni, neque augeri, nec mutari quidquam poſſe. Ad prædeſtinationem verò impiorum quod attinet, docet non prædeſtinari a Deo homines ad crimen, ſed ad criminum pœnas, & ſupplicia; qua poſitâ prædeſtinatione, nibil de hominis in bonum malumque libertate detrabitur; quamquam, ait, quicumque merâ putâque Dei miſeratione eligunrur, illos certa maner ſalus; ſicut viciſſim in maſsâ perditionis relictis certa pariter damnatio decreta eſt, quam ſibi merito criminum spontè admiſſorum adſciſunt. In calce Operis Imperatorem rogat, ne Opus vulget, antequam controverſiis illis pleniùs diſcuſſis, ſententia de re totâ feratur.

Duos Libros Lupi & Ratramni expendendos tradidit Imperator Hincmaro & Pardulo Epiſcopo Laudunenſi, qui geminis illis Scriptoribus geminos pariter adverſarios oppoſuerunt, Amalarium Diaconum Trevirenſem, & Joannem Scotum Erigenam. Perlit noſtrâ ætate Opus Amalarii; ſed aliquandiu pòſt Eccleſia Lugdunenſis in Libro de tribus Epiſtolis iniquiùs de illo agit; accuſar enim conciviſſe illum turbas, vel ſaltem concitare molitum in pluribns Gallicanis Eccleſiis, dignumque judicat, cujus Scripta igni abſumenda rradanrur. Joannes Scorus Erigena humanioribus literis & Philoſophiâ excultiſſimus erar, imperitus verò Theologiæ. Redundat ejus Liber cavillationibus argutationibusque Scholaſticis; duplicem prædeſtinationem reprobat; demonſtrat, nullam ex prædeſtinatione imponi neceſſitarem; liberum hominis arbitrium crimine Adami nibilo factum imbecillius: crimen & criminis conſecutiones, uti & ſnpplicia, quibus crimina plectuntur, cùm meræ ſint privationes, neque prædeſtinari a Deo, neque prævideri. Quibus planè aſſertis, colligit, damnatorum pœnas in privatione tantùm beatitudinis, ſive concepto ex eâ dolore verſari; ut proinde, juxta illius ſententiam, ita de univerſo damnatorum ſupplicio reputandum ſir, quaſi totus illorum cruciatus in igne materiali non conſtituatur; non alium damnaris iguem paratum eſſe, præter elementarem, per mediam cujus sphæram omnium hominum corpora ſtatim poſt obitum traducuntur. Ne tamen flammâ atque ignis vi lædantur juſtorum corpora, in causâ eſt, quòd in naturam quamdam æthercam mutentur; at in aërem transformata impiorum corpora, contrariâ igni qualitate inſtructa, ab eodem igne ramquam ab adverſario torquentur. Ad prædeſtinationem quod attinet, nullam eſſe affirmat, niſi pro rebus a Deo paratis homini in ſalutem æternam ducendo: prædeſtinationis hnjuſce cauſam aſſignat in Deo quidem ſummam rerum omnium præviſionem, in homine verò rectum liberi arbitrii uſum.

Venilo ſive Ganelo Archiepiſcopus Senonenſis plures ex eo Libro propoſitiones a ſe excerptas miſit ad Prudentium Epiſcopum Trecenſem, quibus lectis ille inſtaurari credidit veteres Pelagianorum errores, nec ab impietate Collyridianorum abhorrere; quare illis refutandis calamnm acuit. Diſtinguit ille prædeſtinationem a præſcientiâ, quarum nempe hæc ad crimina extenditur, non verò prædeſtinatio. Statuit duo prædeſtinationum genera, quorum altero Deus gratuitò prædeſtinat electos ad gratiam & glo-

Digitized by Google

& gloriam; altero verò impios, prævifo criminum ab illis perpetrandorum merito, æternis ſuppliciis deſtinat; aſſerit autem, neminem unquam in tantam veniſſe impietatem, ut everti libertatem a gratiâ, ſive neceſſitatem hominibus prædeſtinatione imponi docuerit.

Eadem excerpta e libro Scoti Erigenæ miſſa ſunt ad Eccleſiam Lugdunenſem, quæ illa refutandi munus Floro Diacono impoſuit. Florus itaque duas diſtinguit prædeſtinationes, vel unam eamdemque duplici ratione ſpectari demonſtrat; cùm nempe gratuito beneficio electos ad gratiam & gloriam deſtinat; & cùm reprobos, in ultionem admiſſorum proprio libertatis arbitrio criminum, æternis ſuppliciis addicit. Ignorare ſe ait de Gotheſcalcho, quonam criminis merito infelix Monachus damnationem ſubierit & carcerem. Si enim, cujus accuſabatur, hæreſeos reus deprehenſus fuit, æquum erat, ut ex veteri Eccleſiæ diſciplinâ & lata in illum ſententia & crimina per omnes Regni Eccleſias promulgarentur.

Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis ſub idem tempus, literis ex Gotheſcalcho pro defenſione cauſæ ſuæ acceptis, aliis datis literis reſpondit: cavere ſe tamen dicit, ne Librum ſuum ad ipſum, utpote anathematis ſententiâ damnatum, mittat, ſed ad Metropolitanum ejus mittere, ut miſeratione aliquâ permotus, fores tandem illi Eccleſiæ, præmiſsâ errorum palinodiâ, aperiat. Ad rem autem accedens, plures Gotheſcalchi ſententias notat, atque illam potiſſimùm, Dæmones & reprobos iam certo & irrevocabili decreto ad damnationem prædeſtinati, quomodo Deus certus eſt, & nulli obnoxius mutationi. Obſervat inſuper Amolo, omnia quæ apud S. Auguſtinum aliosque nonnullos Patres leguntur de prædeſtinatione impiorum ad pœnas, non ita intelligenda eſſe, quaſi Deus prædeſtinatione ſuâ impios ſive damnatos ad impietatem & damnationem cogat; ſed conſtituiſſe potiùs, ut qui in maſsâ corruptionis ſive originario Adami ſive propriis criminibus computreſcunt, æternis ſuppliciis damnentur.

Hincmarus ex eâ Amolonis Epiſtolâ ſatis intelligens, non abhorrere illum a Gotheſcalcho damnando, e re ſuâ eſſe judicavit, ſi datis ad Eccleſiam Lugdunenſem ejus argumenti literis in ſuas illam partes pertraheret. Miſit igitur prolixam ſatis Epiſtolam, qua totum Gotheſcalchi judicium, atque ſententias in illum a duobus Conciliis latas proſequitur; explicat deinde Monachi illius dogmata de prædeſtinatione ad gloriam, æternamque impiorum damnationem; nec omittit erroneas e principiis illis conſecutiones.

Remigius, in Archiepiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſor Amoloni datus, Eccleſiæ ſuæ nomine reſpondit. Ac primò cauſam Gotheſcalchi deſerit, quem pariter temeritatis & levitatis damnat: ſimul autem defendit, juxta S. Auguſtini doctrinam, e prædeſtinatis a Deo ab ipsâ æternitate ad gloriam juſtis neminem periturum; nihilque pariter demptum iri e numero prædeſtinatorum ad mortem æternam, quos juſta criminum ultio conſequetur: neque tamen a Deo cogi in damnationem impios; ſed illos hoc ipſum admiſſis propriâ voluntate criminibus promereri.

Ad judicium & perſonam Gotheſcalchi deſcendens, perverſas in eo canonicas ſanctiones accuſat, quòd damnatus priùs in cœtu Abbatum & Religioſorum ad regularem diſciplinam ſubeundam, ad judicium deinde Epiſcoporum productus fuerit. Si hæreticus, inquit, ab Epiſcopis judicandus fuit, non ab Abbatibus. Damnandus erat ob maledicta in Epiſcopos pronunciata: at non ab Epiſcopis. Quod ad viri dogmata, pace tuâ dixerim, ait, cum veritate conſtant, neque a Catholico Doctore rejici queunt quæ Monachus de Prædeſtinatione conſtituit. Dolemus proinde, judicio Epiſcoporum ſententiam latam fuiſſe, non adversùs Monachum, ſed adversùs Eccleſiaſticam veritatem. Illud autem horrendum, quòd, inaudito crudelitatis exemplo, flagrorum ictibus toto corpore cæſus ſit, quemadmodum ex iis qui adfuere, comperimus, donec ſuis ipſe manibus in ignem projiceret libellum, ex collectis Scripturarum, & Patrum teſtimoniis a ſe deſcriptum. Olim Hæretici argumentorum & rationum vi, non crudelitate conticiſcebantur. Longa planè & inhumana miſeri illius in carcere detentio, quantum nos reputamus, ſolatio aliquo temperanda eſt, ut charitate lucremur fratrem, cujus amore Jeſus Chriſtus mortem oppetiit; quod ſanè convenientius eſt, quàm ſi triſtitiâ & mœrore opprimatur.

Eâ reſponſione minùs probari conſilia ſua ſentiens Hincmarus, aliam ſuæ doctrinæ fulciendæ rationem inivit. Cùm itaque ſub finem Concilii Sueſſionenſis, anno 853, cum Epiſcopis & Abbatibus nonnullis Cariſiaci verſaretur, quatuor articulos Imperatori propoſuit, ac deinde ejus authoritate publicavit. Primus ferebat, unam eſſe tantùm prædeſtinationem ad vitam, qua Deus lapſos homines poſt Adæ peccatum in maſſam corruptionis, aliquos ex eâ ſelectos, ad gratiam & gloriam prædeſtinat; cæteros verò, quos in eâdem maſsâ relinquit, perituros ſanè illum præſciviſſe, nec tamen ut pereant, ſed tantùm ad æterna pro eorum merito ſupplicia prædeſtinare. Cæteri articuli in rem præſentem nihil faciunt. Por-

Digitized by Google

Porrò capitula iſta ab Hincmaro digeſta, Epiſcoporum, & Abbatum præſentium ſubſcriptionibus munita ſunt; quibus & operâ Hincmari ſubſcripſit Prudentius Epiſcopus Trecenſis. Sed ille mox factum execratus, ad Epiſcopos in Senonenſi urbe coactos, ob electionem Epiſcopi Pariſienſis, literas dedit, miſſo ſimul Arnoldo Presbytero Eccleſiæ ſuæ, ad ratam habendam ſuo nomine futuri Epiſcopi electionem; eâ tamen conditione, ut ab Epiſcopis probarentur quatuor a ſe propoſita Capitula, ex quibus de prædeſtinatione articnlus ita ferebat, prædeſtinari a Deo alios gratuito miſericordiæ ſuæ beneficio ad vitam æternam, alios juſto judicio ad damnationem. Ejus Epiſtolæ exitus ignoratur.

Memoriæ tamen proditum ſcimus, quatuor illa capitula Cariſiacenſia ad Eccleſiam Lugdunenſem tranſmiſſa, examine diſcuſſa, atque refutata ejus juſſu a Remigio Archiepiſcopo fuiſſe anno 854. Primò itaque queritur Remigius neglectam in rebus ad prædeſtinationem & gratiam attinentibus S. Auguſtini doctrinam; atque in eo reprehenſione digna Capitula illa indicat, quòd de electorum prædeſtinatione ita ſtatuant, quaſi a meritorum præſcientiâ deducatur; negentque pervicaciter, impios a Deo ad æterna ſupplicia prædeſtinari. Poſt refutata Capitula Cariaſiacentia, Remigius doctrinam ſuam in Concilio Valentino, anno 855, probari curavit, ubi ſex canones de gratiâ, libero arbitrio, & prædeſtinarione ſanciti ſunt. Porrò hujus Concilii Patres audacter adſtruunt & bonorum ad vitam æternam, & impiorum ad mortem æternam prædeſtinationem; ita ramen, ut quos Deus ſervandos ſtatuit, illos miſericordiæ ſuæ gratuito beneficio, meritis minimè prævisis, donet, damnatos verò ita juſto judicio punire decernat, ut eorum crimina antea præviderit.

Ejus Concilii canones, unà cum Lucubrarionibus Eccleſiæ Lugdunenſis, per Ebbonem Archiepiſcopum Gratianopolitanum oblati ſunt Carolo Calvo, anno 856. Rex Hincmaro tradidit, qui ſtatim alterum Scriptum oppoſuit. Hincmari Liber noſtrâ ætate intercidit; ſupereſt ramen adhuc ejus Epiſtola ad Carolum Calvum, Libro præfixa, qua de damnatione quatuor Capitulorum, iis non recitatis, & in pravum detortis ſenſum, conqueritur. Tandem anno 859, cùm iidem, qui olim in Concilium Valentinum convenerant Epiſcopi, in Concilio altero ad Saponarias in agro Tullenſi coiviſſent, ſuos ibi canones recitari juſſerunt. Hincmaro cæteriſque ejus clientibus excipere illa renuentibus, Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis remittendam cauſam ad viciniorem Synodum propoſuit; & cùm in eamdem ſententiam iviſſent omnes, Concilium ſolutum eſt.

Sed Prudentius rem ad Romanum Præſulem deferendam arbitratus, Canones Valentini Concilii ad Nicolaum Papam confirmandos tranſmiſit. Approbatos reapſe a Pontifice affirmabat deinde Prudentius; ſed negavit Hincmarus, a quo pariter vulgatum eſt ſpiſſum Opus adversùs Canones Concilii Valentini, quo demonſtrare nititur, Deum merita & gloriam electorum, uti & reproborum crimina, prævidiſſe; prævidiſſe pariter & prædeſtinaſſe illorum ſupplicia; ex quo tamen minimè ducitur, Deum impios ad mortem ſive ad damnationem prædeſtinaſſe. Quare tota Hincmarum inter ejusque adverſarios controverſia in eo verſabatur, quòd illi nullis verborum ambagibus prædeſtinari a Deo reprobos in damnationem aſſererent; cùm Hincmarus parari illis ſive prædeſtinari diceret æternam pœnam in criminum ultionem.

Circa annum 864, Nicolaus I Papa de judicio & damnatione Gotheſcalchi certior fieri voluit. Hincmarus occupandum Pontificem ratus, Monachum invidioſiſſimis coloribus pinxit. Pontifex duriùs, quàm par erat, habitum Monachum improbare ſe ſignificavit; ſed Archiepiſcopus datis ad ipſum literis reſpondit, juſſiſſe ſe quidem abundè neceſſaria omnia viro ſuffici, ſed pervicaciùs ab illo recuſari. Pontifex Legatos ſuos ad Concilium Metenſe, anno 865, proficiſcentes mandatis oneravit, ut Romam Hincmarum ad cauſam dicendam mitterent; mitterent pariter Gotheſcalchum: ſed Archiepiſcopus neque Pontificiis juſſionibus paruit, neque obedire Monachum permiſit. Cùm tandem Gotheſcalcho contigiſſet, ut ad Pontificem ſcriptas a ſe literas Monacho Gonterio deferendas traderet; Hincmarus & detineri Gonterium, & intercipi literas, ac tandem Gotheſcalchum arctiori carceri tradi juſſit. In extremis illis anguſtiis infelicem Monachum extremus morbus occupaverat; quare Monachi Altivillarenſes quæſitum ab Hincmaro venerunt, quid agendum eſſet; mandatumque illis a Præſule, ut Euchariſtiâ privaretur Monachus, niſi erroribus ſuis renunciaret. Ille in ſententiâ perſiſtens, vitam denique cum morte commutavit anno 868.

Nec ingenium, nec ſtudium, nec acumen deerat Gotheſcalcho; fortè etiam alia erat viri ſententia, quàm quæ ab Hincmaro, Rabano, ejusque adverſariis ſpargebatur in vulgus. Obſtinationem ramen viri, pervicaciam, & violentam agendi rationem nemo prudens excuſaverit. Perſuaſum habent multi, Prudentium Trecenſem, Ratramnum Monachum Corbejenſem, Lupum Ferrarienſem, Florum Diaconum, & Remigium Archiepiſcopum Lugdunenſem, quin & Amolonem ipſum, quamvis obſtinatio-

Digitized by Google

nationem ejus, atque inconſultam agendi rationem altè improbarent, ab ejus doctrinâ non abhorruiſſe. Illud autem animadverſione dignum eſt, inter utriusque partis aſſertores conveniſſe, S. Auguſtini præ cæteris Patribus authoritatem, cùm de prædeſtinatione & gratiâ res eſt, maximi habendam eſſe momenti; utrinque verò de eo certabatur, ut S. Doctorem in ſuas partes pertraherent. Quare tota diſputationis vis ad nomen tantummodò redacta videbatur; nimirum an nomine prædeſtinationis ad peccatum & ad damnationem, deſignari poſſit Dei circa reprobos decretum.

Poſt nonum ſæculum usque ad Lutheri & Calvini hæreſes, nihil, ad prædeſtinationem & gratiam quod attinet, in Scholis Chriſtianorum tumultuatum eſt. Quamquam inter varios Theologos parvæ quædam agitabantur velitationes de variis loquendi rationibus, variisque diverſorum ſententiis; quibus Eccleſiæ pax turbata non fuit, cùm de opinionibus in utramque partem citra Fidei diſpendium agitandis res eſſet. Cùm autem Lutherus ſtatuiſſet, poſt Adami lapſum omnes arbitrii vires excidiſſe, ſolâ relictâ male agendi facultate, in bonum enim ita ferri liberum hominis arbitrium, ut inanime inſtrumentum: cùm pariter *Zuinglius* defenderet, ad prædeſtinationem & reprobationem nihil homines conferre; totum enim a Dei voluntate, nihil ab homine pendêre, ut neque prædeſtinati unquam damnari, neque reprobi ſalvari unquam poſſint: Epiſcopi & Doctores in Concilio Tridentino, anno 1546, coacti, propoſitiones illas ad trutinam revocarunt, & poſt ſedulum eorum examen, Cardinalis S. Crucis, cui anathematum digerendorum cura imponebatur, eâ prudentiâ rem perfecit, ut variis Doctorum Catholicorum ſententiis intactis, nihilque etiam anſæ tradens Proteſtantibus, doctrinam erroneam Hæreticorum damnaverit.

Temperavit autem Concilium Tridentinum a ratione & cauſis prædeſtinationis & reprobationis: quod in cauſâ fuit, cur varia de eodem argumento ab ipſis etiam Concilii Tridentini Theologis prodirent Scripta, quibus ſinguli in ſuas partes trahere Concilium nitebantur. Anno 1549, Leonardus Utinenſis, Ordinis Prædicatorum, Italus, verba faciens e ſacro ſuggeſtu Utini, oppido agri Foro-Julienſis, quò Sedes Patriarchalis Aquilejenſis tranſlata eſt, duas ibi protulit propoſitiones, quibus & inter Auditores murmur, & in totâ Urbe ſcandalum inductum eſt. Affirmavit itaque primò, prædeſtinatum a Deo hominem damnari nequaquam poſſe; quæcumque enim admiſerit peccata, a Deo tandem remitti; quippe neceſſarium eſſe, ut ſalutem tandem conſequatur. II, Electionem & reprobationem adeò neceſſarias eſſe, ut ſalus ſive damnatio hominis ab ipſius voluntate & libertate nequaquam pendeat.

Vicarius Generalis ejus urbis ſtatim per literas eâ de re monuit Joannem Grimani Aquilejenſem Patriarcham, tunc temporis Venetiis agentem; qui reſcriptis ad Vicarium ſuum literis, XVII Aprilis datis, liquidò prodidit, noſcere ſe propoſitiones illas, quibus murmur in civitate excitatum erat, veras eſſe & Catholicas; neminem quippe prædeſtinatum damnari, reprobum neminem ſalvari poſſe: quod fuſiùs demonſtrandum, ex SS. Pauli & Auguſtini authoritate, ſuſcepit. Publicè per totam Diœceſim vulgata eſt Epiſtola, cujus pariter autographum in publico Tabulario ſervatum, quare nihil eâ de re innovatum usque ad annum 1560, cùm ejus adverſarii deterrendo Pontifici Paulo IV, ne virum cooptaret in cœtum Cardinalium, urgentibus ejus electionem Venetis, hanc ejus Epiſtolam ad Tribunal Inquiſitionis, veluti erroris Lutheranorum & Calviniſtarum ſuſpectam, detulerunt. Verſabatur tunc Romæ Patriarcha; quare ad Pontificem actutum ſe conferens, doctrinâ ſuâ expoſitâ, Epiſtolam & ſcriptum exhibuit. Pontifex adlegere virum inter Cardinales maximè optans, illi abſolvendo Congregationem indixit pridie ejus diei, qua in Conſiſtorio novorum Cardinalium nomina edicere ſtatuerat. Ad Judices itaque vênit Patriarcha, Epiſtolam ſuam defenſurus; ſed nihil eâ de re pronunciare Judicibus viſum eſt: quare inter novos Cardinales, anno 1561 electos, nomen Grimani deſideratum eſt.

Conceptam ſpem non depoſuit Patriarcha, judiciumque ſuum in dies urgebat. Coram Tribunali Inquiſitionis ſeptem propoſitiones, ex ejus Epiſtolâ deductæ, in examen revocatæ ſunt. I, prædeſtinatio Deum unum habet authorem. II, Prædeſtinatio e liberis tantùm Dei promiſſionibus pendet. III, Nec prædeſtinatus damnari, nec reprobus ſalutem conſequi poteſt. IV, Nunquam Deus miſericordiæ ſuæ oculis reprobos homines reſpicit. V, Diabolus contra certum electorum numerum prævalere nunquam poteſt. VI, In negotio ſalutis noſtræ omnia ad Deum referenda. VII, Nihil confert reprobis liberum arbitrium, ut ſalutem obtineant. In Congregatione die XI Decembris, 1561, cauſa agitata eſt; ſed cùm in partes a Conſultoribus abiretur, Pius IV novo examini rem ſubjici voluit. Urgebat Grimanus; ſed differri in dies ſententiam animadvertens, Venetias tandem ſeſe recepit. Poſtulavit a Pontifice Reſpublica, ut cauſa ad Concilium deferretur. Aſſentiente Pontifice, Concilium Epiſtolæ illius doctrinam XXVII Theologis expendendam tradidit; ac poſt longam XXVIII dierum diſcuſſionem, tandem die XIII Auguſti, 1563, pronunciatum eſt, in Epiſtolâ

& Apologiâ Patriarchæ nihil hæreticum neque hæreſeos ſuſpectum contineri: quamquam, addebant, minùs conducit in vulgus illas produci, ob arduas aliquas quæſtiones, non uſque adeò accuratè in eo Libro diſcuſſas.

Ambroſius Catharinus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Minoritanus in Regno Neapolitano, defunctus anno 1551, quædam & ipſe nova de prædeſtinatione defendebat. Nam in Commentario ad priora quinque Geneſeos capita ſine ambagibus prodidit, nullâ ſe neceſſitate teneri, ut in opiniones SS. Auguſtini & Thomæ, ad prædeſtinationem & gratiam quod attinet, concederet; quin & improbare ſe quæcumque S. Auguſtinus docuit de prædeſtinatione gratuitâ, deque maſsâ corruptionis; eumdemque S. Doctorem datâ operâ refellit. Diſertius aliquid addit in Commentario ad Epiſtolam ad Romanos; ubi duas hominum claſſes diſtinguit, electorum nempe & prædeſtinatorum, quos ſingulari quodam prædeſtinationis genere a Deo ſecretos dicit, ut ſuavi gratiarum & auxiliorum pellectu ita ad ſalutem certò aſſertòque trahat, ut libertati nihil neceſſitatis imponat. Priorem hanc claſſem componit minimus hominum numerus, quos ſpeciali dilectione Deus diſtinguit; atque huic uni vindicat Author, quæ apud Apoſtolum in Epiſtolâ ad Romanos de vocatione & prædeſtinatione electorum traduntur.

Secundam claſſem impleri cenſet Catharinus reliquo hominum vulgo, quos ita Deus ad ſalutem prædeſtinavit, ut non certo & abſoluto decreto conſtituerit, ſed conditionato, & a futuris eorum meritis pendente; ut ſalvandos illos edicat, ſiquidem gratiæ, quam Deus indulgens dederit, præſto ſe paratoſque tradiderint. Refutavit viri ſententiam Dominicus Soto in Commentario in Epiſtolam ad Romanos; defendit verò Sixtus Senenſis, Catharini Diſcipulus, eamque publicè, ait idem Soto, docuit ab anno ætatis XX uſque ad XXX in præcipuis Italiæ Urbibus; deinde verò plura in eam doctrinam objici animadvertens, eamque improbari a doctiſſimis Theologis, aſſertam denique opinionem deſeruit, ad partes SS. Auguſtini & Thomæ accedens. Verùm ſuæ ſententiæ inhæſit Catharinus, eamque prolixiùs ingeſſit, ſcriptis eâ de re Lucubrationibus, impreſſis Lugduni, 1542.

Anno 1581, Prudentius de Montemajor Jeſuita, Univerſitatis Salmanticenſis, propoſitâ Theſi rejecit decreta Dei abſoluta, ad liberos hominum actus quod attinet, ac præſertim gratuitam prædeſtinationem, a proborum operum præviſione independentem; quam Theſim Theologica Facultas ejuſdem Urbis cenſurâ inuſſit. Anno 1584, Gregorius de Valentiâ, ipſe pariter Jeſuita, Theſes aliquas de prædeſtinatione Ingolſtadii defendit, quibus conditionata decreta admittit; innuens, aliâ ratione ſententiam de prædeſtinatione gratuitâ defendi non poſſe, illæsâ hominis libertate. Tandem anno 1586, Leonardus Leſſius, & Hamelius, ejuſdem Societatis, in Lovanienſi Collegio ſimilem defenderunt doctrinam ei, quæ priùs Salmanticæ & Ingolſtadii a Sociis ſuis aſſerta eſt. Certior eâ de re facta Lovanienſis Facultas, geminis e ſuo cœtu Doctoribus eorum Scripta excutienda commiſit. Cùm illi cenſuram ſuam retuliſſent, & ſinguli pariter Doctores ſeorſum Scripta illa expendiſſent, ſolemnis tandem totius Facultatis cenſura data eſt. Subſcribere juſſi ſunt Jeſuitæ, tranſmiſſaque actutum exemplaria ad omnes ejus regionis Epiſcopos, uti & ad Univerſitates Pariſienſem, & Duacenſem. Lovanienſis exemplum ſecuta eſt Duacenſis, vulgatâ earumdem propoſitionum cenſurâ, die XX Januarii, 1588.

Hanc Lovanienſem cenſuram Jeſuitæ Romam tranſmiſerunt; & Leſſius, datis ad Provincialem ſuum literis, queſtus eſt, falſa plurima a Doctoribus Lovanienſibus Jeſuitis affingi; inauditos damnari, atque communes aliis pluribus Doctoribus Facultatis propoſitiones cenſurâ inuſtas. Epiſcopi Mechlinienſis & Cameracenſis, huic controverſiæ ſopiendæ, atque cenſuris duarum Facultatum diſcutiendis, Concilium Provinciale indicere cogitabant. Sed Octavius Frangipani, Sixti V in Belgio Nuncius, datis ad utroſque literis, abſiſtere juſſit, judicium ejus rei Sanctæ Sedi reſervatum ſignificans. Interea Theologi in duas diviſi factiones, in partes Jeſuitarum non infrequentes conceſſerunt. Pontifex, datis ad Nuncium ſuum literis, utrique parti ſilentium indixit; quibus illi juſſionibus quamquam plurimùm detulerunt, a mutuis tamen declamationibus, tum in Scholis tum in Cathedris, non abſtinuerunt. Quare Nuncius promulgato die X Julii, anno 1588, decreto vetuit, ne agitata inter utramque partem dogmata veluti ſuſpecta, hæretica, ſcandaloſa, ſive pernicioſa, uſque ad ferendam a S. Sede ſententiam, traducerentur.

Acriter utrinque, nec modico temporis ſpatio, diſceptatum eſt; ſed poſt plura acta & in vulgus producta Scripta, tandem Pontificius Nuncius priori edicto renovato, imperavit Univerſitatibus Lovanienſi & Duacenſi, ſicut etiam Jeſuitis, ne diſputationes eâ de re ullas deinceps agitarent, neque utriuſque partis ſententiam invidioſis titulis notarent; permiſſis interim ſingulis quamcumque mallent opinionem ſequi, modò intra Chriſtianæ modeſtiæ fines ſeſe continentes, jurgiis, injuriis cen-

ſuris-

Digitized by Google

jurisque invidioſis, usque ad ferendam a S. Sede ſententiam, abſiſterent. Huic decreto obtemperatum eſt deinceps ab omnibus, & res adhuc pendet. Secundùm hæc, cùm ad Facultatem Theologicam Lovanienſem delatum eſſet, falsò de illâ rumore per Hiſpaniam & Italiam dictitari, ipsam priori ſententiâ relictâ in contrariam conceſſiſſe, in Cœtu publico DD. die x Julii, 1647, ſolemni ſanctione palam omnibus fieri voluit, nihil a ſe de priori ſententiâ immutatum, ratamque haberi cenſuram, quam ante annos LX adversùs Leſſium & Hamelium tulerat. Validiùs adhuc conſtantiam doctrinæ ſuæ aſſeruit Facultas Duacenſis, ſemel quidem die X Julii anno 1648, iterumque anno proximè conſequente. Nec ſegnior Leſſius primis opinionibus ſuis inhæſit ad obitum usque anno 1623. Singulas eas disputationes proſequi, longiùs nos quàm pro propoſito duceret.

Belgicæ de prædeſtinatione & gratiâ concertationes, graves alioqui, leves tamen velitationes haberi poſſunt, ſi enim illis comparentur quæ ſub idem tempus exortæ ſunt in Hiſpaniâ, occaſione Libri de Concordiâ gratiæ & liberi arbitrii, vulgati a Ludovico Molinâ Jeſuitâ, Conchenſi Hiſpano, & in Theologicâ Univerſitate Eboracenſi Profeſſore, defuncto Marriti XII Octobris, 1600, annorum LXV. Viſum eſt Authori ejus Libri facilem ſe initurum liberi arbitrii cum gratiâ & prædeſtinatione conciliandi rationem, ſi illud ſequeretur ſyſtema, quod ipſi omnium primo clariùs explicandum ſuccurrit (*p*). Credere autem ſe ait, ſi Auguſtino cæterisque Patribus ſententia illa in mentem veniſſet, victas profectò illi manus fuiſſe tradituros, ſuoque confirmaturos ſuffragio (*q*). Addebat futurum fuiſſe, ut his poſitis principiis, hæreſis Pelagiana nunquam caput efferret: Lutherani a cavillationibus ceſſarent, neque liberum arbitrium negarent, ſub obtentu difficilis conſensûs gratiæ cum præſcientiâ & prædeſtinatione; nullo Fideles ſcandalo afficerentur, quo reipsâ affecti ſunt, ſparſis in vulgus Auguſtini opinionibus, ejusque adversùs Pelagianos disputationibus. Nullo tandem negotio exſufflari potuiſſe reliquias Pelagianiſmi in Galliâ, exituque facili definiri tot controverſias, inter Catholicos acriùs agitatas. Profitetur tandem, hanc liberi arbitrii cum prædeſtinatione Divinâ conciliandi rationem nemini ad eam usque ætatem ſuccurriſſe: *A nemine, quem viderim, huc usque tradita*. Veterum ſententiam ante exortos Pelagianos facilè ope ejusdem Concordiæ conciliari potuiſſe cum S. Auguſtino, qui calamum ſtrinxit adversùs Pelagianos, libero arbitrio omnia deferentes, atque initium converſionis in noſtris eſſe viribus aſſerentes.

Invehit ergo Molina Scientiam mediam, qua Deus ante voluntatis ſuæ decretum ea ſpeculatur, quæ a nobis in hoc vel illo articulo rerumque circumſtantiâ poſitis, bona vel mala præſtanda ſunt. Quare adultorum prædeſtinatio, quantum eſt ex Deo, nihil aliud reputatur, quàm Dei actus liber, ſtatuentis opem & auxilium præſtare, quo fultos prævidet nos ad vitam æternam iter facile expeditumque habituros, ſpectatâ cauſarum naturalium ſerie, atque uſu liberi arbitrii. Reprobationi exponendæ tres diſtinguit in Deo erga reprobos voluntates: I, Voluntatem crimina permittentem, quibus admiſſis, æterni Regni fores claudendæ ſunt impiis, æterni verò carceris recludendæ: II, Voluntatem auxilia denegandi, quibus ab impietate impius reduceretur, permittendique, ut in nequitiâ animus obfirmetur: III, Voluntatem excludendi a Regno Cœleſti, æternoque igne damnandi. Deus itaque rerum naturalium, quam ipſe ordinavit, inſpectâ ſerie, committendum a reprobo crimen volente illo ac liberè aſſenſum præbente, quin & ad mortem usque in vitio perſeverante, prænovit.

Vix lucem aspexit Molinæ Liber, cùm Dominicani Ordinis Theologi acriùs in illum invecti ſunt: defendere contra Jeſuitæ: utrique tamen ultra Theſes publicas ab utrâque parte propugnatas oppugnatasque non proceſſere. Inter hæc, Dominicani Molinæ doctrinam ad Inquiſitionem Valliſoletanam detulerunt: inſtare Jeſuitæ, ut quamdiu ſub Judice lis eſſet, vetarentur adverſarii Molinæ propoſitiones hæreſeos notâ traducere. Cùm æqua poſtularent, voti compotes facti ſunt. Urgebant interim Dominicani, cauſamque adversùs Jeſuitas coram Tribunali inquiſitionis proſequebantur, nec judicium renuebant adverſarii, eâ tamen conditione, ne Dominicani inter Cenſores adlegerentur. Eodem tempore Bannez doctrinam iſtam detulit ad Inquiſitionem Caſtellanam; quare cùm utrimque animi incenderentur, Cardinalis Quiroga muneris ſui eſſe cenſuit, ſi de re totâ Clementem VIII faceret certiorem. Pontifex, datis ad Inquiſitorem Hiſpanum & Nuncium ſuum literis vetuit, ne ultra in eâ cauſâ cognoſcendâ proſequerentur; ſed Theologis utrinsque Ordinis abſiſtere a cenſurâ juſſis, accuratas ſuarum opinionum ab iis declarationes exigerent; conſulerentque deinde iis de controverſiis Univerſitates Hiſpaniæ, Epiſcopos atque doctiſſimos Theologos. Mandatum id executioni die XV Auguſti, 1594.

Nec tamen ceſſantibus turbis, Pontifex aliâ Conſtitutione occurrendum cenſuit, qua utrique parti diſtrictè interdicebatur, nequid palam loqui, neve ſcribere aliquid

(p) *Molina Præfat.*

(q) *Molina, Concord. qu. 23, art. 5, diſp. 2.*

ſuper hoc argumento auderent. Sed fruſtra illud Theologis in ordinem redigendis; quamobrem Pontifex tertiâ Conſtitutione judicium eâ de re totum Inquiſitioni Generali adimens, ad S. Sedem redegit. Miſſa actutum Romam omnia, tum quæ a Jeſuitis, tum quæ a Dominicanis pro causâ producta fuerant monumenta, unà cum Univerſitatum, Epiſcoporum & Theologorum conſultationibus. Rex verò metuens, ne in tanto disputationum molimine ſiniſtri alquid contingeret, Præſidibus utriusque Ordinis ſignificari juſſit, ne ad Theologicas cathedras aſſumerent niſi Profeſſores doctrinæ S. Thomæ ſtudioſos, & contentionibus abhorrentes; id autem caverent, ne publicos congreſſus alter alterius partis disputandi gratiâ convenirent; in Actibus verò, Lectionibus, quin & familiaribus colloquiis caverent, ne contrarias ſententias erroris & hæreſeos accuſarent. Nihil tamen his cautionibus factum, nihilque de animoſitate alterutrius partis tum in Scriptis, tum in Congreſſibus remiſſum.

Inſtabant interim Dominicani apud Pontificem, ut Opus Molinæ, cujus ſuſpicioſam doctrinam arguebant, expenderetur. Clemens VIII, menſe Novembris 1597, Congregationem eâ de causâ indixit, decem deſignatis Conſultoribus, ut examini ejusdem Libri incumberent. Porrò illi die ſecundâ Januarii 1598, primò coiverunt, datumque Congregationi nomen *De Auxiliis*, quòd ſcilicet de auxiliis Dei homini præſtitis ageretur. Quid in ſingulis Congregationibus præſtitum ſit, referre hic abſtinemus; contenti intra præſcriptos argumenti noſtri fines ſiſtere, quin & ſummam tantùm eorum, quæ ad nos faciunt, retuliſſe: neque enim Diſſertationis modus fuſiorem de illis tractationem patitur. Actum eſt igitur de Scientiâ mediâ in decimâ Congregatione, habitâ die VI Martii 1598, eaque unanimi Conſultorum aſſenſu rejecta eſt. In undecimâ, omnium poſtremâ, habitâ die XIII ejusdem Menſis, ſtatutum eſt, Molinæ de prædeſtinatione ſententiam non modò doctrinæ SS. Thomæ, Auguſtini, cæterorumque Patrum adverſari, ſed etiam refragari Scripturæ, Conciliorumque decretis, ac maximè cum erroribus Caſſiani & Fauſti conſonare. Quare de Conſultorum ſententiâ interdicendus erat Liber Molinæ de Concordiâ; ejusdemque Anthoris Commentarii in primam partem S. Thomæ, nullatenus permittendi, niſi priùs ſedulâ virorum doctiſſimorum operâ ad normam Doctrinæ Patrum & S. Thomæ corrigerentur. Hæc in Actis ejusdem Congregationis, aliquibus ab hinc annis publici juris factis.

Nequid verò niſi ſummâ curâ diſcuſſum prodiret, juſſi a Pontifice Conſultores ſingulis recurrentibus feriis ſextis usque ad XXII Septembris in cœtum conveniebant. Nihil tamen de priore ſententiâ & cenſuris remiſſum eſt; ſcripsiſque judicium ſuum de doctrinâ Molinæ, deque ſententiâ Univerſitatum, & Theologorum, ab Hispaniis tranſmiſsâ, Conſultores tradiderunt. Scriptum illud digeſſit Coronellus, ejusdem Congregationis a ſecretis, lectumque palam in Congregatione XII Martii, 1599, approbatum ab omnibus, &, uno excepto Antonio Bovio, confirmatum eſt.

Poſtularunt a Pontifice Jeſuitæ, impetraruntque facultatem, ut cum Dominicanis, coram electis ab eodem Pontifice arbitris, diſceptarent. Diſceptatum eſt a die XXII Februarii, 1599, usque ad XVI Maji ejusdem anni. Sed cùm nihil proficerent, neque inter utriusque partis Theologos ſpes pacis affulgeret, Jeſuitæ, omiſsâ Libri Molinæ defenſione, totos ſe ad accuſandam phyſicam præmotionem Dominicanorum tranſtulerunt. Interim latam a ſe cenſuram, brevi collectam ſcripto, ſuisque munitam ſubſcriptionibus, ad ſe mitti a Cenſoribus Pontifex juſſit. Huic itaque digerendæ aliquibus menſibus laboratum eſt. Confecta denique, ac ſingulorum Conſultorum ſubſcriptionibus munita, exceptis Bovio & Plumbino, qui in Jeſuitarum partes conceſſerant, Pontificis manibus die XII Octobris, 1600, tradita eſt.

Ad exitum properare cauſa videbatur, cùm Jeſuitæ queſti de expoſitâ perperam Molinæ ſententiâ, audiri ſe iterum poſtularunt; nec Pontifex quartum aliud examen denegare potuit. Deſignati in eam rem Conſultores, habitæque XXX Collationes, a die XXV Januarii usque ad XXXI Julii, 1601. Utrique parti Molinæ propoſitiones communicatæ: auditum quid utrinque reponeretur, & reſponſiones ſcriptis exceptæ ſunt. Tum data a Conſultoribus ſuffragia, neque a veteri ſententiâ receſſere. Cenſura Congregationis ſcriptis tradita a Coronello & Boſſu, unà cum documentis, quæ jus æquum damnationis demonſtrabant, Pontifici tradita eſt, die XXX Decembris, 1601.

Iterum de hoc Conſultorum judicio querentibus Jeſuitis, coram ſe, præſentibus Cardinalibus, novisque adjectis Conſultoribus, agitari cauſam Pontifex juſſit. Habitæ ſunt LXVIII Congregationes, a die XX Martii, 1602, usque ad XXII Januarii, 1605. Duo ex conſultoribus pro Molinæ partibus ſteterunt, Antonius Bovius, & Epiſcopus Aquilæ: reliqui omnes, & ipſe pariter Plumbinus, Dominicanis aſſenſi ſunt. Pontifex in primâ Congregatione velle ſe declaravit, ut norma diſceptationum de gratiâ ſtatueretur doctrina S. Auguſtini, quam Summi Pontifices deceſſores ſui Zoſimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo, Hormisdas ſummis laudibus celebrarunt; ejusque

ſcripta

Digitized by Google

ſcripta adverſùs calumnias Gallorum, Pelagianæ hæreſi faventium, probarunt, confirmaruntque: quare nihil opportunius ſe facturum credere, quàm ſi Sanctiſſimorum Pontificum veſtigiis inſiſteret. Adjecit, totam hanc de gratiâ controverſiam tam altè penetraſſe Auguſtinum, omneſque ejus modos ita explicaſſe, ut nihil ultra a Pelagianis opponendum ſupereſſet; quare nullius alterius Doctoris Scripta tutiùs conſulenda eſſe, ut præſentes de gratiâ lites componerentur.

Actum eſt de Scientiâ mediâ, & prædeſtinatione in Congregationibus LIX, & deinceps uſque ad totam LXVII. Vaſtida Jeſuita palam aſſeruit, a Calvini hæreſi neceſſitatem impoſitam fuiſſe Theologis, ut hanc mediam Scientiam rerum futurarum conditionibus implicitarum, & a causâ liberâ pendentium, admitterent; Scientiam verò iſtam abſoluto divinæ voluntatis decreto præcedere. Lemos Dominicanus defendebat, Scientiam mediam, quam Molina Deo affingit, ab ipſo Authore conſtitui ante quàm ullum a Deo emanet decretum; ex præviſione nimirum operum præſtandorum ab homine, liberæ ſuæ voluntati permiſſo: noſſe ſcilicet Deum, in talibus rerum circumſtantiis poſitum hominem ad liberè volendum aliquid ſeſe determinaturum, modò Deus ipſe concurſum præſtaret: quæ Dei voluntas, juxta Molinam, non præveniens eſt, & efficax, ſed concomitans; ex qua præſcientia quædam in Deo reſultat abſoluta eorum, quæ per liberam hominis voluntatem agentur, quin ad opus voluntas ipſa a Deo determinetur. Sententiam hanc ita expoſitam contendebat Lemos apertos habuiſſe adverſarios SS. Auguſtinum & Thomam. Actum eſt pariter de Scientiâ mediâ in quatuor inde conſequentibus Congregationibus, atque in ſententiam Lemos ab omnibus, uno excepto Bovio, conceſſum eſt.

De Prædeſtinatione actum eſt in Congregarione LXV, habitâ die IV Januarii, 1605. Contendebat Vaſtida, decretum prædeſtinarionis ex Molinæ ſententiâ abſolutum eſſe; decernente Deo, prædeſtinatum in eâ rerum ſerie conſtituere, cujus ordine inſpecto, ſalutem conſecututum novit. Lemos contra pugnabat, prædeſtinationis decretum unicum eſſe, efficax, & abſolutum, ac minimè pendere a præviſione eorum, quæ a prædeſtinato in hoc vel illo rerum ordine conſtituto agenda ſunt. Poſt acres conſequentibus pariter in Congregarionibus controverſias, decretum a Conſultoribus, prædeſtinationem ab unico petendam decreto abſoluto Dei, quo nimirum ille & gloriam largiri electis, & auxilia ad illam obtinendam neceſſaria ſuppeditare conſtituit; atque in hanc ſententiam S. Auguſtinum conſentire.

Accidit, ut exitum cauſæ Clementis VIII die III Martii, 1605, mors occuparet: conſecutus eſt Leo XI, qui XI dierum Sacerdotium poſt ipſum geſſit. Renunciatus eſt deinde Pontifex die XVI Maji Paulus V, quem Rex Hiſpaniæ, ut cauſam tandem abſolveret, per Legatum ſuum rogavit. Viciſſim Rex Galliæ per Cardinalem Perronium perſuaſit, rem illam maturo examine adhuc indigere. Deferendam cauſam aliqui ſuadebant, atque in ſilentio manendum. Utraque verò diſceprantium pars pro ſuâ causâ, illi urgendo, Jeſuitæ verò retardando judicio laborabant. Conſultores apud Pontificem inſtabant, ut inceptum ſub deceſſore judicium abſolveret. Hæſit aliquandiu ſuspenſus Pontifex; ſed tandem cœptum opus minimè deferendum ratus, coram ſe XVI Congregationes haberi voluit, a die XIV Septembris, 1605, uſque ad I Martii, 1606. Diſceptationum argumentum præbuit & gratia efficax, & phyſica prædeterminatio.

Abſolutis tandem Theologicis concertationibus, auditiſque Conſultorum judiciis, Paulus V cum Cardinalibus deliberavit die VIII Martii, 1606, num ad ſupremam ſententiam procedendum eſſet. E duodecim Cardinalibus decem affirmabant; duo tantùm, Perronius & Bellarminus, negarunt. Majori parti inhærendum cenſuit Pontifex, haberique juſſit IX vel X Congregationes, ut de propoſitionibus damnandis conveniret. Aſſerunt demandatam a Pontifice curam duobus a Secretis, & duobus Congregationis Archiepiſcopis, ut Conſtitutionem ad mentem Conſultorum digererent, qua in re ſex menſium ſpatio laboratum eſt.

Cenſurâ inuſtæ propoſitiones XIV referuntur, quarum tres, nempe XII, XIII, XIV, ad prædeſtinationem pertinent. Duodecima in hæc verba concepta erat: *Qui dixerit, Deum ab æterno non ita conſtituiſſe, propoſuiſſe, prædefiniſſe, ſeu prædeterminaſſe illos omnes, & ſingulos conſenſuros, credituros, operaturos, perſeveraturos, quicumque in tempore a Deo vocati ad ſalutem conſentiunt, & conſentientes credunt, operantur, & perſeverant, ut decreto abſoluto, ideſt, quo abſolutè vult, ut conſentiant, credant, operentur, ſeu perſeverent, præordinaverit unicuique eorum dare auxilium gratiæ, cujus virtutem, ſeu motionem præſcit tam eſſe efficacem ad ſubjiciendum ſibi liberum arbitrium ejus, cui datur, ut ex eâ certum ſit & infallibile, & inſuperabile, quòd is conſentiet, credet, operabitur, ſeu perſeverabit: aut ejuſmodi decretum Dei abſolutum, ſeu efficacem motionem libertatem arbitrii tollere, vel ei adverſari: Errat.* Decimatertia ſic habebat. *Qui dixerit, Præſcientiam de hominum ſalute, ſeu quocum-*

que

que illorum actu ad ſalutem pertinente, fundari non in virtute auxilii, ſeu motionis efficacis, ad ſubdendum ſibi arbitrinm ejus, cui datur, ſed in præviſo uſu humani arbitrii, pro ſuâ libertate auxilio Dei utentis, vel non utentis; aut hujuſmodi Præſcientiam eſſe neceſſariam ad conciliandum inter ſe auxilium gratiæ Dei & liberum uſum humani arbitrii: Errat, ponendo in Deo ſcientiam, quæ nullum prorſus habet vel habere poteſt objectum. Decima quarta ſic. *Qui dixerit, prædeſtinationem Electorum ſic pendere ab ipſorum arbitrio, ut non per efficaciam ſeu virtutem auxiliorum, qua Deus ſuâ prædeſtinatione decrevit dare, fiat quòd bene iis utantur; ſed quia Deus in præſcientiâ ſuâ videns, quibus auxiliis pro ſuâ libertate bene utentur electi, hæc ipſis dare decreverit: Errat, in illud incidens, prædeſtinationem Dei eſſe ex meritis hominis; ita nimirum ut gratia, qua adjuvantur homines ad conſequendum effectum & finem, ad quem ſunt prædeſtinati, ideò iis detur, quia ipſi volunt uſu illo ſui arbitrii, quem pro libertate ſuâ adhibent; non autem ideo velint, quia per gratiam adjuvantur.*

Secundùm hæc, in cœtu Cardinalium Pontifex die XXVIII Auguſti, 1607, ſententiam ſingulorum pro controverſiâ abſolvendâ quæſivit. Quid ſingulis viſum fuerit, incertum; ſed triduo pòſt Summus Pontifex, accitis utriusque Ordinis Summis Præſulibus, ſcriptam ſyngrapham dedit, qua Theologis & Conſultoribus in causâ de Auxiliis ad propria remeandi venia dabatur: expectarent autem propediem, quæ ab ipso proditura eſſet ſententia, atque interim ab invidioſis mutuò ſe titulis laceſſendo abſiſterent. Tranſmiſſa hujus decreti exemplaria ad Nuncios Apoſtolicos, & Generales per orbem Chriſtianum Inquiſitores, ut ejus executionem urgerent. Hispaniæ Rex apud Pontificem pro ſententiâ inſtabat; inſtabant & Dominicani, ſupplici ad eam rem libello exhibito; ſed fruſtra omnes. Nam Paulus V decreto ſuo I Decembris, 1611, cavit, ne quis deinceps quidquam de hoc argumento imprimere auderet. Innovatum eſt hoc Pauli decretum ſub Urbano VIII, die XXII Maji, 1625; ſub Innocentio X, XXIII Aprilis, 1654; ſub Innocentio XII, XXVIII Januarii & VI Februarii, 1694.

Innocentius X decreto ſuo XXIII Aprilis, 1654, edicit, nullam habendam eſſe fidem Actis Congregationis de Auxiliis, neque Conſtitutioni Pauli V: quo tamen minimè factum eſt, quin publici juris Acta illa tandem fierent, primò a Coronelio in ſummam redacta; deinde totidem verbis a Lemos relata. Denique inter utriusque partis Theologos ſummum ſemper jus ſcribendi, docendi, atque doctrinam ſuam prædicandi retentum eſt, quin coërcendis illis Summi Pontifices aliquid molirentur. Nos autem operæ pretium facturos putavimus, ſi eorum, quæ in Eccleſiâ ſuper hoc argumento agitata ſunt, hiſtoriam brevioribus verbis complecteremur, potiùs quàm nudam utriusque ſententiæ relationem expoſitionemque tradentes, tædium pararemus Lectoribus.

Nunc verò, ut Diſſertationi modum imponentes noſtram ſuper eâ re ſententiam promamus, illud aſſerendum ſtatuimus: Prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad Fidem mera eſſe, & prorſus gratuita Dei largitoris beneficia: prædeſtinari nos pariter ad Beatitudinem divinæ voluntatis placito, non meritorum præſcientiâ: quòd autem ad gloriam ſeligamur, ejus rei in causâ nequaquam fuiſſe Dei præviſionem, qua ille ſpectaverit, quid eſſemus liberi arbitrii viribus præſtituri, nullis adjuti auxiliis ſupernaturalibus & gratiâ. Neque pariter in animum inducimus, explicando prædeſtinationis myſterio, ſive Scientiam mediam, ſive decreta conditionibus adſtricta, ſive futurorum meritorum præſcientiam invehi oportere. Sed juxta traditam a SS. Auguſtino & Thoma doctrinam ſancimus, Sanctorum ad gloriam prædeſtinationis cauſam aliam nullam eſſe, quantum ad Deum, præter Dei, volentis favorem præſtare, gratuitam in illos propenſionem; prædeſtinationem autem eſſe præſcientiam & præparationem gratiarum, quibus qui ſervantur, certiſſimè ſervantur.

Eo poſito ſyſtemate, ſalva ſunt omnia juſtitiæ & præſcientiæ, miſericordiæ, & libertatis humanæ jura. Totam Adami poſteritatem in crimine & corruptione ſquallentem reſpiciens Deus, nihilque in illâ non odio, non execratione, non æterno ſupplicio dignum intuitus, puro miſerationis affectu certum eorum numerum ad ſalutem ſelegit; cujus rei gratiâ abſolutum ab illo decretum prædeſtinationis emanavit, parataque certa & infallibilia ad prædeſtinatos in gloriam perducendos auxilia. Hujus decreti beneficio homo gratiæ pellectu & efficaciâ liberè in bonum & virtutem propellitur; auxilioque Dei nunquam deſerentis fultus, ad finem usque vitæ in bono perſeverat.

Quos verò Deus ſimili beneficio donandos non cenſet, nec talibus inſtruit auxiliis, hi, quamquam alioqui ſincerâ Dei voluntate ad ſalutem poſcuntur, in tranſverſum tamen a voluntate ſuâ & naturæ corruptione acti, certum ſibi & indubitatum parant exitium, non neceſſitate, ſed liberâ voluntate; originali crimini nova addentes ſcelera, quorum merito æternis ſe ſuppliciis dignos exhibent. Ita reprobationis decretum in adultis quidem non originale tantùm, ſed actualia etiam hominis crimina

respi-

reſpicit; id agente per ſummam juſtitiam Deo, ut criminum merito reprobis valida illa deneget auxilia, quæ nemini præſtare tenetur, nec juſtis niſi gratuito miſerationis affectu indulget.

In eam verò inclinari ſententiam cogimur ſolemni illo approbationis elogio, quo Eccleſia S. Auguſtini in dogmate de prædeſtinatione & gratiâ doctrinam commendavit; modò ex verbis S. Doctoris fidei canones dirigens, modò, quod ab Eccleſiis totius Africæ factum novimus, illum eligens unicum ad Fidem adversùs Pelagianos aſſerendam Doctorem [*r*]: ut proinde jure meritoque cum eodem Auguſtino affirmandum cenſeamus (*s*), neminem conſtitutæ ab illo de gratiâ & prædeſtinatione doctrinæ repugnare, quin ſimul in diſcrimen fidei ſuæ veniat. Nemo meliùs Pelagianorum & Semipelagianorum arcana penetravit; nemo feliciori ſucceſſu, hæreſibus illis proſtratis, Fidei Catholicæ veritatem aſſeruit; ſolidis inſuper jactis fundamentis, quibus innitamur, ſi quid eâ in re controverſiæ in Eccleſiâ oriatur. ita a recto itineris tramite nequaquam nos aberraturos credimus, ſi tantum viæ ducem ſequamur.

Nec minori aſſenſu doctrinam ejus probarunt Summi Pontifices vel S. Auguſtino coævi, vel non diu pòſt Summum Sacerdotium tenentes, uti Innocentius I, Zoſimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Leo Magnus, Gelaſius, Hormiſdas. Quibus pariter accenſendi Pontifices, ſucceſſu temporis Eccleſiæ clavum tenentes. *Auguſtinum*, ait Cœleſtinus Papa, *ſanctiſſimæ recordationis virum pro vitâ ſuâ atque meritis in noſtrâ communione ſemper habuimus, nec unquam ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit*. Addit, ejus doctrinæ tantam fuiſſe apud omnes laudem, ut Romanæ Eccleſiæ Præſules deceſſores ſui inter ſummos doctrinæ Eccleſiæ Magiſtros illum ſemper habuerint.

Romanæ Eccleſiæ, idest Catholicæ, ſententiam noſſe in dogmate de libero arbitrio & gratiâ ſi quis velit, ait Hormisdas (*u*), adeat Auguſtini Scripta, & maximè libros ad Hilarium & Proſperum. Joannes II Papa (*x*) declarat, Eccleſiam Romanam ſequi, & tamquam pretioſum depoſitum ſervare doctrinam S. Auguſtini in dogmate de gratiâ, juxta deceſſorum ſuorum Pontificum Statuta.

Alexander VII in ſuo Brevi ad Facultatem Lovanienſem, ſub die VII Auguſti, 1660, monet hortaturque, *ut præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequantur* (*y*). Tandem Clemens Papa XI decreto ſuo ſub die XVIII Januarii, 1704, cenſurâ inuſſit Librum Gallicum inſcriptum: *Vera Eccleſiæ traditio in dogmate de prædeſtinatione & gratiâ, D. Launoii* [z]; profeſſus inſuper, a Deceſſoribus ſuis S. Auguſtini Doctoris doctrinam magno ſemper in pretio habitam, *quam toto mentis affectu*, ait, *amplexi ſunt*.

Ad locum Epiſtolæ ad Romanos (α), cujus occaſione Diſſertationem hanc noſtram dedimus, quod attinet, de prædeſtinatione gratuitâ ſermonem ibi ab Apoſtolo fieri, ſatis convenit inter Commentatores. Usque adeò tamen certum non eſt, an de prædeſtinatione ad gloriam & reprobatione ad æterna ſupplicia, explicandus ſit, an tantùm de prædeſtinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem. Contendunt plures, ſolo inſpecto Apoſtoli in univerſâ hac Epiſtolâ conſilio ſatis innui, omnia hæc de prædeſtinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem, beneficiis prorsùs, quantum ex Deo, gratuitis, dicta intelligi oportere. Prædeſtinationem gratuitam ad gloriam in verbis Apoſtoli legere ſe alii autumarunt. Minimè tamen ambigimus, quin obliquè ſaltem Apoſtolus prædeſtinationem ad gloriam innuat, cùm hæc veluti neceſſariâ conſecutione ex prædeſtinatione ad gratiam & Fidem deducatur. Hanc utriusque prædeſtinationis connexionem demonſtrat Apoſtolus (β): *Quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, hos & glorificavit*.

DISSERTATIO

De Circumciſionis effectibus.

De origine Circumciſionis in Diſſertatione ad Geneſim differentes, demonſtravimus, ejus primum Authorem Abrahamum fuiſſe. De effectibus agendum eſt modò; cur nempe Deus eum ritum imperaverit; præſertim, an Originalis criminis expiationi inſtitutus ſit.

Circumciſionis ritus altiùs quàm a Lege Moſaicâ repetendus eſt: tradidit enim Deus Abrahamo Patriarchæ, atque apud ipſum deinceps ejusque poſteros etiam ante latam a Deo Legem obtinuit. Hæc autem Deus Abrahamo injunxit (*a*): *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculum, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur...... eritque pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum. Maſculus,*

cujus

(r) *Aug. Epiſt. 150 Curam Scripturarum mihi Fratres, & Patres mei Coëpiſcopi duorum Conciliorum Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt.*

(s) *De Dono Perſev. c. 19, n. 48: Hoc fero, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas defendimus, niſi errando diſputare poſſe. Vide & de Prædeſtinat. 55, cap. 18, 19.*

(t) *Epiſt. ad Epiſcop. Galliæ.*

(u) *Hormiſdas, Epiſt. ad Poſſeſſorem, tom. 4 Concil. p. 1534: Quid de libero arbitrio & gratiâ Dei Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur Eccleſia, in variis Libris Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum, cognoſci poteſt.*

(x) *Epiſt. 3: Auguſtini doctrinam de Gratiâ ſecundùm Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia.*

(y) *Vide etiam Breve Innocentii XII ad Facultatem Theologicam Lovanienſem, ſub die VI Februarii, 1694.*

(z) La veritable Tradition de l' Egliſe, ſur la prédeſtination & la grace, par de Launoy, &c.

(α) *Rom. IX, 11, 12, 13.*

(β) *Rom. VIII, 30.*

(a) *Geneſ. XVII, 10, 11, 12.*

cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. His verbis non obſcurè Circumciſionis effectus exprimuntur; invexit enim hunc ritum Deus tamquam monumentum ſui cum Abrahamo fœderis.

Fœderis initi pactiones plerumque tabulis marmoreis ſive æreis inſcribebantur; non ſemel monumenta publica erecta ſunt, ut memoria apud poſteros perennaretur; adbibiti teſtes, quorum aſſertione de re totâ conſtaret, nihilque inter poſteros deinde ambigeretur. Nunc autem Deus fœderis a ſe initi monumentum manere æternum voluit, non tabulis lapideis vel metallo commiſſum; ſed corpori illius, quocum fœdus ſancitum eſt, ac toti deinceps ejus poſteritati eorumque mancipiis inſcripſit. Ejus autem violati juris reis, nequis unquam contra auderet, excidium ex univerſo populo ſuo ſolemnibus verbis minitatus eſt.

Solemne erat apud Orientales, ut ſtigmatibus compuncti totos ſe in Numinis alicujus ſingulare obſequium conſecrarent. Mos iſte facilè ante Abrahami ætatem obtinebat: fortè etiam Abrahami imitatione factum eſt, ut ab aliis gentibus exciperetur. Illud ſanè mortalibus inſitum ſemper fuit, ut ſuæ erga Numen aliquod religionis indelebilibus expreſſa characteribus documenta exhiberent. Ita ſacris Bacchi initiati cauterio impreſſam hederaceæ frondis notam præſerebant (*b*); ſacris characteribus ſive in corpore, ſive in pulſibus, ſive in collo inurebantur, quicumque ſe religioni Deæ Syræ addixiſſent (*c*). Sunt, ait Philo [*d*], qui ad id ſtultitiæ devenerunt, ut omnes ſibi præcluſuri reditûs ad Deum & pœnitentiam vias, totos ſe Numinum ſuperſtitioni addicentes, ſerviles impietatis notas admittant, cauterio ſe in carne ſuâ ſtigmatizantes, quaſi id committentes, ne impietatis ſuæ memoria ullo unquam tempore deleatur.

Erat itaque Circumciſio indelebile ſignum, quo totum Abrahami genus divini Numinis obſequio ſe penitùs addixit; inſigne erat populi electi peculiare, quo a cæteris diſtingueretur: *Genitalia circumcidere inſtituêre, ut diverſitate noſcantur*, ait Tacitus [*e*]. Fidem ſuam obſtrinxerat Deus, propagaturum ſe Abrahami genus veluti ſtellas Cœli, & arenas maris; ac facturum, ut in ejus ſtirpe omnibus Tribubus terræ benediceretur. Illud igitur conſequebatur, ut genus illud diſtingueret ſigno aliquo aperto, omnibusque explorato, quo divinarum promiſſionum fides illuſtriùs ſpectaretur. Ex eodem populo prodituras erat Meſſias; quare nunquam gens illa cum cæteris Orbis nationibus admiſcenda erat, ne Servatoris humani generis origo incerta maneret, & ambigua: *Ne ſoboles dilecti Abrahami cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Iſraëliticum quodam circumciſionis cauterio annotavit* (*f*).

Itaque circumciſione ſuâ plurimùm gloriabantur Hebræi, apud quos incircumciſi nomen, ſi quod aliud unquam, invidioſiſſimum. Probro erat apud illos maximo, ſi quis in carne ſuâ inſigne fœderis cum Domino initi non oſtentaret. Summo reſpiciebant horrore populos incircumciſos, ut quantæ invidiæ erat Judæorum circumciſio apud Ethnicos, tanto pariter contemptui incircumciſio Ethnicorum apud Judæos eſſet. Nulla volebant cum ipſis commercia, nulla connubia, nullas pariter compotationes, & vix ſalutatione illos dignabantur (*g*): *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu. Sed adversùs omnes alios hoſtile odium; ſeparati epulis, diſcreti cubilibus.* Exaggeratum fortè aliquid eâ in re apud Ethnicos; quippe qui faſtui & odio id imputabant, quod tantùm ab amore & ſtudio exterioris puritatis repetendum erat. Veriti enim, ne quid referrent maculæ, a commercio ſe alienigenarum interdicebant. Ita nonniſi exaggeratione quadam Hebræis imputatur (*h*)

Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti;
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Præter hanc literalem circumciſionis ſignificationem, qua ſcilicet invectam illam intelligimus, tamquam Judæorum peculiare inſigne, morales effectus aliqui ei tribuuntur; revocandi nempe memoriam originis ſuæ ex Parente, qui eximiæ fidei merito author & princeps electi generis, & Pater Meſſiæ conſtitutus eſt. Ad hæc, Circumciſio Judæos urgebat, *ut æmuli eſſent paternæ fidei, & crederent in Jeſum, qui Abrahamo promiſſus eſt* (*i*). Ipſe pariter Moyſes innuerat, exteriorem carnis circumciſionem interioris argumentum fuiſſe (*k*): *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum*. Idem apud Prophetas traditum: *Omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Iſraël circumciſi ſunt corde*, ait Jeremias, IX, 26. Corporis circumciſio, ait Philo [*l*], ſenſualium voluptatum, mentem in malum pellicientium, abſciſſionem ſignificat; præſertim verò blandas voluptates, & opiniones inanes noxiasque ſubducendas arcendasque imperat.

Quemadmodum autem inſtitutum a Jeſu Chriſto Baptiſmatis Sacramentum indelebili quodam charactere ſpirituum obſignat, quo & filii Dei conſtituimur, & in cœtum adlegimur novorum hominum, a crimine ſegregati, atque in jura fœderis cum Jeſu

(b) 3 *Machab.* ii; & 2 *Machab.* vi, 7; & xiv, 33.
(c) *Lucian. de Deâ Syrâ.*
(d) *Philo, de Monarchiâ*, pag. 819: Ἔνιοι δὲ τοσαύτῃ κέχρηνται μανίας ὑπερβολῇ, ὡς μηδ' ἀναχώρησιν ἑαυτοῖς πρὸς μετάνοιαν ἀπολείποντες ἵενται πρὸς δουλείαν τῶν χειροκμήτων, γράμμασιν αὐτὴν ὁμολογοῦντες, οὐκ ἐν χαρτιδίοις, ὡς ἐπὶ τῶν ἀνδραπόδων ἔθος, ἀλλ' ἐν τοῖς σώμασι καταστίζοντες αὐτὴν σιδήρῳ πεπυρωμένῳ πρὸς ἀνεξάλειπτον διαμονήν· οὐδὲ γὰρ χρόνῳ ταῦτα ἀμαυροῦται.
(e) *Hiſt. lib.* 5, *ſub init.*
(f) *Hieron. in Ep. ad Galat.* iii.
(g) *Tacit. hiſt. l.* 5, *circa initium.*
(h) *Juvenal. ſat.* 14, *v.* 104.
(i) *Ambroſiaſter, in Rom.* iv.
(k) *Deut.* xxx, 6; *Levit.* xxvi, 41: *Donec erubeſcant incircumciſa mentes eorum.*
(l) *Philo, De circumciſione*: Σύμβολον ἡδονῶν ἐκτομῆς, αἳ καταγοητεύουσι διάνοιαν. *Et de Migrat. Abraham*: Τὸ περιτέμνεσθαι ἡδονὴν καὶ πάθη πάντων ἐκτομὴν, ὡς δόξης ἀναίρεσιν ἀσεβοῦς ἐμφαίνει.

Jeſu Chriſto initi evocat; ita pariter circumciſio carnis ſtigmate quodam corpus inurit, quo Hebræi divino ſe famulatui mancipatos profitebantur. Segregabantur pariter ab omnibus circum profanis gentibus, peculiari eo ritu Domino conſecrati. Porrò circumciſio typus erat, Baptiſmus typi veritas. Illa Judæis ad Religionem Domini fores recludebat, ubi ſemel admiſſi, jure ad promiſſiones Domini ac populi electi hæreditatem donabantur. Circumciſione initiati, Legis imperio ſubmittebantur (m). Nec cæteræ per orbem Nationes a publicâ Judaicæ Religionis profeſſione, atque jure potiundi promiſſionibus Domini excludebantur; eâ tamen conditione, ſi Circumciſione initiatæ, Idololatriæ ſuperſtitiones ejurarent; quare illud identidem oggerebatur recèns converſis ad fidem Gentilibus a Judæis (n): *Niſi circumcidamini ſecundùm morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.*

A longâ ætate Hebræi circumciſione ſimul & Baptiſmo, toto merſos corpore, illos initiant, qui inter Proſelytos juſtitiæ recenſentur. Docent, tria exigi oportere ab illis, qui in fœdus Domini admitti poſtulant; circumciſionem, baptiſmum, & oblationem ſacrificii (o). Nihil tamen eâ de re in Lege expreſſum; quare traditione tantùm, vetuſtiſſimâ illâ tamen, ea diſciplina obtinet. Curandum verò erat in eo baptiſmate conferendo, ne aquâ tantùm aſpergeretur initiandus, neve ad collum uſque dumtaxat mergeretur; ſed id committendum, ut ne minima corporis portio relinqueretur illota; alioqui nullus erat baptiſmus (p). Semel autem lotos, novo baptiſmate ſive ipſos, ſive eorum poſteros, etiam apoſtaſiæ reos, abluere nefas.

Hujus regenerationis, quæ ex baptiſmo & circumciſione inducebatur, effectus hi habebantur, juxta Rabbinos. I, Ejus generis Proſelyti, cujuſcumque antea fuiſſent ſive gentis ſive religionis, Hebræorum jure donabantur. Hinc diſtinctio apud illos, Hebræi e parentibus Hebræis, & ſimplicis Hebræi. Paulus Apoſtolus *Hebræum ſe ex Hebræis & e Tribu Benjamin* (q) profitetur, ut a Proſelytis, adoptione quadam Hebræis, diſtingueretur. Judæorum quidem vindicare ſibi appellationem fas erat Proſelytis: non tamen e genere ſe Judæorum jactare. II, Eâ cæremoniâ veluti denuo naſcebantur, ut tamquam nati tum primùm infantes, & innocenti quodammodo naturâ, nec priores parentes agnoſcerent ampliùs, nec ſanguinis conjunctione ſibi devinctos neceſſarios haberent. Neque id tantùm cum parentibus & neceſſariis, a Judæorum ſacris abhorrentibus, ſervatum; verumetiam ſi parentes deinde, fratres, & filii quoque inter Judæos nomen darent, nihil habebant Proſelyti cum illis commune (r); perinde enim reputabantur, ac homines e Cœlo tum primùm delapſi. Neceſſarii hæredes a ſucceſſione defuncti Proſelyti excludebantur. Eò venêre nonnulli, ut credant, priorem etiam animam Proſelytum dimittere, ut novam reciplat [s].

Hæc Rabbinorum commenta minimè narraremus, niſi alluſione quadam ſpectata animadverteremus a Scripturâ, ubi ſermo occurrit de Baptiſmo Chriſtianorum, atque ſpirituali e ſacro eo lavacro regeneratione. Nec abs re pariter ſuſpicamur, Hebræos plura e Libris N. T. eâ de re ſuffuratos. Huc pertinet illud Jeſu Chriſti ad Nicodemum de regeneratione (t): *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Reſpondit Jeſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.... Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Huc etiam illud (u): *Si qua in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Et (x): *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.* Et (y): *Deponite ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem. Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt, in juſtitiâ & ſanctitate veritatis. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* (z). *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus* (a)? *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.... Ita vos exiſtimate, mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* [b], *ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Ita nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem.*

Hæ loquendi phraſes ſatis cum iis congruunt, quibus Judæi circumciſionis & Baptiſmatis in Proſelytis ſeu veros ſeu fictos effectus deſignant: fictos, inquam; ſoli enim, qui Chriſtianorum Baptiſmate abluuntur, regeneratione quadam reipsâ innovantur, atque in novos reformati homines novaſque creaturas, veterem exuunt hominem, ut Jeſu Chriſto induantur. Circumciſio & Baptiſmus Proſelytorum eorumque effectus, typus erant Baptiſmi a Jeſu Chriſto inſtituti. Utrumque enim inter Sacramenta primas tenent: illud Veteris, hoc novæ Legis. Ut enim circumciſione in populo Dei cenſebantur homines; ita pariter Baptiſmo in Fidelium & Filiorum Dei cœtu cooptantur. Circumciſione, juxta veterum quorumdam phraſim (c), veluti lo-

(m) *Galat.* v, 3. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ Legis faciendæ.*

(n) *Act.* xv, 1.

(o) *Gemar. Babylon. ad tit. Jabimoth, c.* 4. *& tit. Cerithoth, c.* 2; *Maimon. Halac Iſuri-Bia, c.* 13. *&c.*

(p) *Maimon. Halac Iſuri-bia, c.* 13; *& Halac Mickvaoth, c.* 1, 2.

(q) *Philipp.* III, 5. *Vide & Rom.* XI, 1.

(r) *Vide Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth, c.* 22 *Maimon Halac Jabom Vecbaliza, c.* 1; *& Iſuri Bia, c.* 14, *&c.*

(s) *Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. l.* 2, *c.* 4, *pag.* 163, 164.

(t) *Joan.* III, 3, 4.

(u) 2 *Cor.* v, 17.

(x) *Galat.* VI, 15.

(y) *Epheſ.* IV, 24.

(z) *Galat.* III, 27.

(a) *Rom.* VI, 3, 13.

(b) 2 *Cor.* v, 15.

(c) *Origen. l.* 5, *p.* 263, *contra Celſum.* Τ' ἀγγελὰ τινα πολέμιον τῷ Ἰεδαίων ἔθνει Ἄγγελον, περιτομὴ ἐπέλυτο, *&c. Vide & Chald. Interpr. in Cant.* III, 8, 9.

ricâ quadam adversùs nefarii Dæmonis ictus muniebantur Hebræi, ſicut & Chriſtiani; juxta S. Baſilium (*d*), Baptiſmo. Angelus ille, qui Moyſi, ſive Eliezero e Madian venienti, occurrit ſtricto in necem gladio, filio a Sephorâ initiato Circumciſione, repreſſus eſt (*e*): neque Dæmon adversùs Fideles Baptiſmate munitos audere quidquam poteſt, niſi intento in malum Spiritui ſegnities & iniquitas Fidelium aditum præbeat, viamque veluti ſternat.

Ritè collatum Baptiſmum iterum repetere nefas; nefas pariter Circumciſionem: at qui extra Judaiſmum ſecti erant, uti apud Samaritanos, Arabes, Ægyptios, Æthiopes, ad Judæorum ſacra tranſeuntes novæ circumciſioni ſubdebantur; nullam enim ritè dari circumciſionem putabant Hebræi, niſi Judaicam, qua initiati in jus promiſſionum & fœderis Dominici admitterentur. Quicumque igitur apud alios circumciſi ad Judæorum ſacra tranſirent, portio reliquæ cuticulæ iis præcidebatur; ſive aliquâ cruoris guttâ e priori circumciſionis cicatrice eductâ, novâ initiati circumciſione habiti ſunt [*f*]. Ita in Eccleſiâ quoque receptum eſt, ut novo abluantur Baptiſmate, quicumque alio quàm SS. Trinitatis nomine, vel deficiente alio maximi momenti ritu, abluti fuerint.

Mira de circumciſione ſuâ prædicant Judæi; in eâ enim, qua Proſelytum recèns ablutum proſequuntur, oratione precantur (*): *Benedictus es Rex Mundi, qui nos ſanctificaſti præceptis tuis, qui nos juſſiſti Proſelytos circumcidere, atque ex illis educere ſanguinem fœderis; ſine cruore enim fœderis Cœlum & terra non firmantur, juxta verbum tuum* (*g*). *Si pactum meum inter diem & noctem, & leges Cœlo & terræ non poſui*. Quibus verbis ſatis demonſtrant, omnia a ſe, conditum nempe & conſervationem univerſi, circumciſionis obſervationi deberi. Defendunt alii, Patres ſuos in Ægypto e gladio Angeli exterminatoris ſubductos, non Agni tantùm pridie Paſchalis immolati virtute, ſed etiam cruore circumciſionis omnium, quotquot ex Hebræis nati fuerant, liberorum, quorum ſanguis eâdem ac ſanguis Agni die, ſi fides Judæis, effuſus eſt. Sed circumciſi veſpere Judæi, quomodo eâdem nocte iter inire potuerunt?

Circumciſionem capitali lege præceptam credunt; & Deus ſæviendum præcipit in eos, qui octavâ die circumciſione non initiabantur (*h*). Sicut autem morti obnoxios cenſent incircumciſos, ita vitæ fontem credunt circumciſionem; quare eum ritum adminiſtrantes fauſtis illis vocibus plaudunt: *Bene, bene, bene: Vive in ſanguine tuo, vive* [*i*]. Docet etiam Maimonides, Deum ipſo mortis articulo extinguere animas eorum, qui, dum viverent, ſacramentum illud neglexerunt; eoſque belluarum more ſpiritum efflare. Blandiuntur ſibi pariter ex Hebræis quidam (*k*), cruore circumciſionis penitus deleri crimina; & in abſciſſione præputii aboleri peccatum per mortem. Docent alii, Abrahamum, ad Inferorum fores excubantem, omnes admittere incircumciſos, excludere verò animas gentilium ſuorum; nec excludere tantùm, ſed & ad Cœlum mittere: Circumciſione enim illud præſtatur, ut & Paradiſi recludantur fores, & animæ Deo gratæ efficiantur.

Ante S. Auguſtinum, Patres nihil de Circumciſione præclarum ſenſerant; quippe qui ejus omnes effectus eò fermè redegerint, ut ſignum illud datum crederent, quo electus in fœdus Domini populus a cæteris per Orbem gentibus diſtingueretur. Meliùs de illâ S. Auguſtinus, cæterique ejus doctrinam ſecuti Patres Latini & Theologi defenderunt; originale crimen Circumciſione remitti, eâque homines in juſtitiam revocari. Hiſce autem rationibus ſententiam fulciunt.

S. Paulus de Abrahamo Patriarchâ ſtatuit [*l*]: *Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ Fidei, quæ eſt in præputio*: ſignaculum nempe juſtitiæ, per Fidem illi adhuc incircumciſo collatæ. Circumciſionem igitur admiſit, tamquam ſignum ſanciti cum Deo fœderis: *Ut ſit ſignum fœderis inter me & inter vos* (*m*). Ea verò Circumciſio inſigne habebatur juſtitiæ Abrahami; non quaſi juſtitiam exterior ille ritus conferret, ſed exceptam jam fidei merito, exteriore indicio prodebat. Quare unicum juſtitiæ hujus momentum non in Circumciſione ponendum erat; ſed in virtute Fidei Mediatoris, quam Circumciſione Judæi profitebantur [*n*]: *Eadem Fides Mediatoris Chriſti ſalvos faciebat juſtos omnes tam puſillos quàm magnos*. Sententiæ ſuæ de remiſſione peccati per circumciſionem argumentum ducit S. Auguſtinus ex ipſis de inſtitutâ Circumciſione Sacri Textûs (*o*) verbis: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit octavâ die, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Abſunt verba illa *octavâ die* in Codicibus Hebraicis; leguntur tamen in Samaritano, & Septuaginta: atque apud Judæos, recèns natos infantes octavâ die circumcidi, juxta illud (*p*), *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, neminem latere arbitror.

Quomodo autem recèns natus infans, Circumciſione intra dies octo non initiatus delendus erat e populo, cùm cognitione deſtitutus, nec peccaverit, nec peccare unquam potuerit, ſi maximè voluiſſet (*q*)? *Niſi quia etiam parvuli non ſecundùm ſuæ*

vitæ

(d) *Baſil. Exhort. ad Baptiſmum.*
(e) *Exod.* IV, 24.
(f) *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth*, c. 4; *Maimon. & Mikotzi*, &c. *Epiphan. lib. de ponderibus & menſuris.*
(*) *Vide Maimonid. Halach Milla.*
(g) *Jerem.* XXXIII, 25.
(h) *Geneſ.* XVII, 14.
(i) *Ezechiel.* XVI, 6.
(k) *Vide Maymum, Synagog. Jud. lib.* 16, p. 250; Leon Modena, *Theol. Jud.* c. 16, pag. 562.
(l) *Rom.* IV, 11.
(m) *Geneſ.* XVII.
(n) *Aug. de Nuptiis & Concup. l.* 2 c. 11: *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ Fidei, ad ſignificationem purgationis valebat, & parvulis originalis veteriſque peccati: ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus*, &c.
(o) *Geneſ.* XVII, 14.
(p) *Geneſ.* XVII, 12.
(q) *Aug. de Civit. lib.* 16, c. 27.

vitæ proprietatem, ſed ſecundùm communem generis humani originem omnes in illo uno teſtamentum Dei diſſipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Alibi verò idem Auguſtinus obſervat [r], Iſaacum octo dierum infantem Circumciſione initiatum, eo pariter Sacramento veluti ſignaculum juſtitiæ Fidei, tunc primùm ſibi traditæ, accepiſſe; quæ juſtitiæ ſemina magis deinde magisque fovit tot præclaris fidei ſuæ exhibitis ſpeciminibus, quot edere Abrahami filium par erat. Et alibi (s), *Populus Dei*, ait, *Circumciſionem pro Baptiſmo habebat*. Addit (t): *Cùm parvulus proprium nullum omnino habeat peccatum, reſtat ut nullum eidem aliud auferatur, niſi originale, illo remedio, ſine quo perit anima ejus de populo ſuo: quod ſub juſto Deo non fieret, niſi eſſet culpa, qua fieret*. Eadem ſæpiùs in ſuis Operibus inculcat.

Nec minùs luculenter conſonat Auguſtino Gregorius (u). Diſtinguit hic tres obtinendæ ante adventum Jeſu Chriſti juſtitiæ ſtatus; juſtitiæ nempe, quæ in Eccleſiâ Chriſti Baptiſmo confertur. Primò, Fidei parentum merito originale crimen infantibus remittebatur. Secundò, adultis expiationi erant ſacrificia ab ipſis pro ſe oblata. Tertiò, Judæis e genere Abrahami ſaluti erat Circumciſinnis myſterium: *Quod apud nos valet gratia Baptiſmatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium Circumciſionis*. Probant, & ſequuntur eamdem doctrinam cum Venerabili Bedâ (x), S. Bernardo, S. Fulgentio, S. Proſpero, frequenti numero Theologi (y).

Obſervant illi tamen, in multis Circumciſionem a Baptiſmo diſcrepaſſe. I, Baptiſmus excellentiæ ſuæ merito, quam ſcilicet paſſinni Domini accepto refert, juſtificationis gratiam confert: contrà Circumciſio gratiam juſtificationis largitur, non virtute ſuâ, ſed fide in Paſſionem Jeſu Chriſti [z], cujus erat & typus, & ſignum; quicumque enim Circumciſionem in ſe admitteret, unà ſimul eo exteriore ritu profitebatur, credere ſe in futurum Meſſiam, & in eum pariter implicitam ſaltem fidei profeſſionem emittebat: ſuam pariter edebat, & pro ſe & pro inſante, qui infantem ipſum offerebat initiandum. II, Baptiſmus characterem quemdam ſpiritalem & indelebilem in animâ imprimit; Circumciſio tantùm corpus obſignat, atque inſigne eſt fœderis, quo initiatus e genuinis Abrahæ filiis unus habebatur. III, Pleniori gratiâ diteſcit Baptiſmus, quàm Circumciſio; hæc enim Sacramentis novæ Legis præ Veteris eſt prærogativa, ut faciliùs, efficaciùs, & largiùs effectus ſuos conferant (a). Quare dum S. Auguſtinus non ſemel (b) Circumciſionem loco Baptiſmi datam fuiſſe Hebræis aſſerit, de effectu potiſſimo atque præcipuo Baptiſmatis intelligendus eſt, nempe de remiſſione originalis criminis, non de dimittendi ratione.

Plura tamen in hanc ſententiam, de inſtitutâ nempe Circumciſione in remiſſionem originalis criminis, objiciuntur. Textus Scripturæ, quos illi fulciendæ adducit S. Auguſtinus, alterum planè ſenſum obtinent apud Veteres Patres; nec ſanè diffitendum, ambiguos eſſe, nec uni ſenſui ſervire. S. Auguſtinus putat, illud Scripturæ, *Exterminabitur de populo ſuo*, de pœnâ Inferni exponendum; ſicut & fœdus illud his verbis indicatum, *Pactum meum irritum fecit*, ſancitum a Deo cum primoribus humani generis parentibus pactum exprimit, cujus nos pacti in Adamo prævaricationis rei damnamur. Plures tamen doctiſſimi Interpretes defendunt, exterminari de populo ſuo perinde eſſe, atque capitis pœnâ, ſeu violentâ & præcipiti morte damnari [c]; vel etiam e reliquo Iſraelitici populi cœtu interdici, omnibus multari gratiis & privilegiis, quibus recepti in fœdus Dei cum Abrahamo populi donantur.

Sed quiſnam e cœtu populi exterminandus? infans ne an alius ad quem infantis cura pertineret? Sunt qui nihil in inſante cautum arbitrentur; neque enim in infantis facultate poſitum eſſe poterat, ſive ut hanc Circumciſionis legem cognoſceret, ſive ut cognitam in ſe executioni mandaret. Tametſi verò lex illa ad inſantem spectare defenderetur, tamen contendunt ejus rigorem tamdiu ſuſpendendum fuiſſe, quamdiu puer ipſe intelligendi atque volendi capax, ſubmittere ſe Legi ſive negligeret ſive contemneret (d). Malunt alii [e], vindicem illum Legis rigorem in eorum caput detorqueri, quibus ſive a Lege, ſive a conſuetudine onus impoſitum eſſet curandi, ut infans ſacramento illo initiaretur, uti parentum, &, horum defectu, ſanguinis conjunctione magis ad puerum accedentium. Nemo unus ante S. Auguſtinum exterminium illud de pœnâ Inferni uſurpavit; ſicut neque exterminii pœnæ infantem intra octo dies Circumciſione non initiatum ſubjecit. Nullâ non ætate Judæi permiſſum ſibi arbitrabantur, ut cæremoniam illam ſive valetudinis tuendæ gratiâ, ſive officii, ultra octo illos dies differrent. Nullo autem argumento probatur, Hebræos ſeu veteres, ſeu recentiores virtutem dimittendi criminis originalis Circumciſinni tribuiſſe.

(r) *Idem l. 4 de Baptiſmo, contra Donatiſtas, c. 24.*
(s) *Aug. lib. 2 cont. Epiſt. Petilian. cap. 72.*
(t) *Auguſt. contr. Julian. Pelagian. l. 6, c. 7, p. 673. Vide eumdem de peccato Originali, contra Pelag. & Cœleſt. c. 30.*
(u) *Moral. in Job, lib. 4, c. 3.*
(x) *In Luc. 11.*
(y) *Vide Perer. in Geneſ. XVII; & in Rom. IV, Diſput. 6; Eſtium, & Cornel. in Geneſ. XVII. Vide Innocent. III, capite Majores, &c. Et Proſper. ad Demetriad. Fulgent. l. de Incarnat. c. 25; Bernard. ſermone in Cœnâ Domini; Iſidor. Rupert. Hugon. de S. Vict. Petr. Lombard. in 4 Sent. diſt. 1; & Scholaſticos paſſim.*
(z) *D. Thomas 3 part. qu. 70, art. 4: In Circumciſione conferebatur gratia, non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute Fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio.*
(a) *Auguſt. lib. 19 cont. Fauſt. c. 13: Sacramenta (novæ Legis) inſtituta ſunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Vide & Epiſt. olim 118, nunc 54. c. 1: Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit.*

(b) *Aug. Epiſt. olim 57, nunc 187, c. 11; & ſerm. 151, n. 12, c. 5, nov. Edit. &c.*
(c) *Ita Jarch. Abenezra, & Rabb. alii.* (d) *Vide Lyr. & Carth. ad Gen. XVII, & alios plures.*
(e) *Perer. in Geneſ. XVII, q. 6; Lyran. Carth. alii, ut Diod. Tarſenſ. Procop. in Gen.*

Illud *die octavâ*, quod in Textu legit S. Auguſtinus, neque in Hebræo, neque in Vulgarâ apparet; ex quo pariter totum Auguſtini argumentum evaneſcit.

Adde, voces illas Textûs, *Quia pactum meum irritum fecit*, a S. Auguſtino quidem de pacto Domini cum Adamo, cùm primùm in mundum vênit, expoſitas, de fœdere Dei cum Abrahamo accipi poſſe prono magis atque obvio ſenſu, quàm de fœdere inito cum Adamo, de quo nulla tunc quæſtio agebatur. Perinde enim accipienda ſunt verba illa, quaſi Deus eâ die inire ſe cum Judæis fœdus teſtaretur, fidem ſuam obligans, opem ſe illis præſtiturum, immiſſurumque in hæreditatem Chanaanitidis, eâ conditione, ſi mares omnes ſacro Circumciſionis myſterio initiarent; quare Circumciſionem veluti pignus & ſigillum ejusdem fœderis proponebat, ut quicumque Sacramentum illud negligeret, ille e cœtu populi ſegregatus, & a ſpe promiſſionum excluſus, veluti fœderis violator haberetur. Veram hanc & genuinam ſententiæ hujus expoſitionem eſſe, ſolâ Textûs lectione abundè intelligimus (*f*).

(f) *Geneſ.* XVII, 4, 5, 6... 10, 11, 12, 13, 14, *&c.*

Apertiſſimè tandem conſtat, ſententiam illam, quemadmodum in Hebræo & Vulgatâ præſertur, *Cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur*, [ſive abſcindetur] *anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*; non infantes, ſed adultos, qui Sacramento illo initiari; vel eos, qui initiandos liberos ſuos tradere negligerent, ultioni ſubmittere. Quòd enim octo dierum infans tantâ pœnâ afficiatur, ut e cœtu populi ſui rejectus ſit, tamquam pacti fœderis violator, nihil eſt. Ita ſatis appoſitè philoſophatus Cardinalis Bellarminus, propoſitum planè evincit [*g*].

(g) *Vide Bellarm. lib. 2. de Sacrament. in Genere, c.* 17.

Alter S. Pauli locus (*h*), cujus occaſione nos argumentum hoc tractandum ſuscepimus: *Abraham ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam*; iſte, inquam, locus nihil minùs, quàm Circumciſione crimen originale dimitti, demonſtrat. I, Sermo eſt ibi de Circumciſione Abrahami, cui dimittendi originalis criminis virtutem, niſi mendacii Apoſtolus arguatur, nemo vindicabit. Apoſtolo enim locupletiſſimo teſte, ante receptam Circumciſionem Abraham a crimine abſolutus eſt, cujus remiſſionis veluti ſignaculum in Circumciſione prætulit. II, Tametſi verò cæteris Judæis accommodetur, non inde tamen probabitur, Circumciſione & gratiam juſtitiæ in illis produci, & Originale crimen dimitti. Nihil enim tale ſive Apoſtolus exprimit, ſive in ejus verbis latêre, doctiſſimi Interpretes animadvertunt. Origenes (*i*) perſuaſum habet, Circumciſione veluti ſigillo quodam clauſam tegi juſtitiam Fidei, mox remoto ſigillo ſub Meſſia promendam. Theophylactus philoſophatur, eo planè modo, quo ſigillum actibus & inſtrumentis auctoritatem aſſerit; ita Circumciſionem in Abrahami corpore impreſſam, veluti ſigillum, aſſertam oſtendere coram omnibus ejusdem Patriarchæ juſtitiam: quo indicio Deus aperuit, quantum ſibi in eo viro placeret. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in hunc locum ſcribentes, non obſcurè docent, Circumciſione veluti ſigno quodam receptæ jam per fidem juſtitiæ Abrahamum donatum fuiſſe, Nec aliter ſentiunt Patres Latini ante S. Auguſtini ætatem; ſicut & gemina tradunt Græci pariter & Latini, ita de Circumciſione philoſophati, quaſi de inſigni quodam diſtinguente Judæos a cæteris gentibus, atque futuræ mox ſacramenti Baptiſmi veritatis typo; neque ulterius quidpiam in illâ virtutis ſupernaturalis expiandi criminis unquam agnoverunt, Sed promenda modò ſelecta quædam ex illis teſtimonia.

(h) *Rom.* IV, 11.

(i) *In Rom.* IV, 11.

S. Juſtinus Martyr (*k*) docet, ante receptam Circumciſionem Abrahamum fidei ſuæ in Deum merito largum ſibi divinarum benedictionum præmium imperraſſe; nec Circumciſionem ideò admiſiſſe, ut ex illâ juſtus efficeretur, ſed veluti in ſignum obtentæ jam a Deo juſtitiæ. Addit, fœminas a juſtitiâ excludendas fuiſſe, ſiquidem Circumciſio ad juſtitiam conferendam valeret, cùm nulla ſit fœminarum Circumciſio. Conſtat autem, ait, Creatoris beneficio in medio conſtitutam eſſe juſtitiam, ut a ſingulis, tum viris, tum fœminis, percipiatur. Eſt itaque Circumciſio merum ſignaculum, non cauſa juſtificationis; ac promerendo nobis Deo pietatem dumtaxat & juſtitiam conſerre, cenſendum eſt.

(k) *Juſtin. Dialog. cum Trypb. p.* 241, *&* 366: Τὴν δὲ περιτομὴν ὡς σημεῖον, ἀλλ' οὐχ ὡς δικαιοσύνην ἔλαβεν, ὡς καὶ αἱ γραφαὶ, καὶ τὰ πράγματα ἀναγκάζει ἡμᾶς ὁμολογεῖν.... καὶ τὸ μὴ δύνασθαι δὲ τὸ θῆλυ γένος τὴν σαρκικὴν περιτομὴν λαμβάνειν δύναμιν, ὅτι εἰς σημεῖον ἡ περιτομὴ αὕτη δέδοται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἔργον δικαιοσύνης.

S. Irenæus (*l*) paria docet, adductis in eam rem Scripturæ teſtimoniis. Circumciſio univerſæ Abrahami familiæ data eſt, qua non tanquam ad juſtitiam adjutrice uterentur, ſed tamquam inſigni, quo a cæteris Gentibus Iſraëlitæ diſtinguerentur. Probat id Scriptura (*m*): *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Eadem docet Ezechiel (*n*) de Sabbatho: *Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent ſignum inter me & eos.* Signa igitur erant Circumciſio, & Sabbatum, non inania tamen & inutilia, ſed latenti Dei conſilio in rem aliquam imperata. Carnis circumciſio aliam cordis circumciſionem deſignat, Apoſtolo teſte [*o*]: *Circumciſi eſtis circumciſione non manufactâ.* Et (*p*): *Circumcidite præputium cordis veſtri.* Quod autem planè demonſtrat, circumciſionem non juſtificando homini valuiſſe, ſed Judæis diſtinguendis, illud eſt, nimirum ante acceptam Circumciſionem Abrahamum me-

(l) *Iren. lib.* 4, *cap.* 3.

(m) *Gen.* XVII, 10, 11.

(n) *Ezech.* XX, 12.

(o) *Coloſſ.* II, 11.

(p) *Deut.* X, 16.

merito fidei ſuæ juſtitiam obtinuiſſe (*q*). Hæc S. Irenæus; nihil affirmans, quin ſimul adductis e Scripturâ teſtimoniis prober.

Tertullianus in Libro adversùs Judæos hoc ſibi argumentum ſolvendum proponit. Nonne Abraham circumciſione initiatus eſt? Respondet: *Accepit quidem circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum illius temporis, non in ſalutis prærogativam.* Iterum verò opponentibus Judæis exemplum Angeli, qui incircumciſum filium Moyſis neci traditurus venerat (*r*), a quo ſtatim Sephora mater, circumciſione lapideo gladio factâ, imminens vitæ diſcrimen avertit; iterum reponit Tertullianus, vix fieri potuiſſe, ut Moyſes tamdiu circumciſionem illam in filio negligeret, ſi quidem tantæ neceſſitatis Sacramentum reputaſſet. II, Sephoræ Circumciſione initiare filium ſuum properantis exemplum, cur in legem univerſo populo Israëlis ſtatueretur, nihil eſſe. III, Deum conſilio inſtituendi Circumciſionem Hebræis, non ut inſtrumentum parandæ ſed tamquam ſignum jam paratæ juſtitiæ, id pariter voluiſſe, ut in filio Moyſis exemplum ejus rei monſtraretur, ne arduum ſibi quiſquam reputaret id quod nec in filio Summi Ducis & principis totius gentis omiſſum ſpectabat. Quanti ponderis habenda ſint hæc Tertulliani argumenta, in examen adducere non vacat. Poſſet optima hæc ſententia melioribus fulciri; ſed eâ teneri opinione Tertullianum, nihil obtinendæ ſaluti Circumciſionem valere, ſatis ex his demonſtratum arbitror.

S. Chryſoſtomus exponens illud, *Circumcidetur ex vobis omne maſculum* (*s*), his potiſſimùm rationibus nihil ad ſalutem conferre Circumciſionem demonſtrat. Duo ſunt, quorum causâ parvulorum Circumciſionem poſt octo ab editis in lucem dies Deus inſtituit: I, ut tolerabilior eſſet ejus ætatis infantibus vulnerum dolor (arbitratur facilè minori ſenſu doloris ejus ætatis pueros affici): II, ut demonſtraretur, Circumciſionem ad ſalutem animæ obtinendam nihil conferre, ſed ideò datam, ut eo veluti ſtigmate Judæi a cæteris diſtinguerentur, juxta illud Pauli ad Romanos: *Abraham ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.* Exuite, ait Paulus, o Judæi vecordes, hanc mentium veſtrarum perſuaſionem, Circumciſione juſtitiam acquiri. Abraham Fidei ſuæ merito ante receptam circumciſionem juſtitiam adeptus eſt. Hæc Chryſoſtomus. Gemina fermè habet in Epiſtolam ad Romanos; cumque præceptorem ſequuntur Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

Probat S. Epiphanius (*t*), carnis circumciſionem neque ſacramentum eſſe muneris omnibus abſolutum, nec altiùs ſurgere, quàm ut ſignum & typum exhibeat, ad altiorem circumciſionis ſenſum Judæos invitans. Si enim, ait, ritus ille ad juſtitiam & morum ſanctitatem contuliſſet, ſanctiſſimæ illæ fœminæ V. T. Sara, Rebecca, Lia, Rachel, a cœleſti hæreditate & ſanctitatis gratiâ, quemadmodum a Circumciſione, excluderentur. Cùm itaque ſuas obtinuerint in Regno Cœlorum ſedes, illud pariter conſtat, ad obtinendam ſalutem perinde ac nihil valuiſſe Circumciſionem.

Hilarius Diaconus in Epiſtolam ad Romanos, ſub S. Ambroſii nomine vulgatus, luculenter aſſerit (*u*): *Non ergo Circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantùm.* Abraham præſtitæ ſibi Deo, filium pollicenti, fidei merito Circumciſionem obtinuit, tamquam ſignum vel argumentum juſtitiæ, quam ſibi fide jam promeruerat. Eodem ſigno donati ſunt Israëlitæ, ut revocarent in memoriam, genus ſe referre ex Abrahamo, viro fidei ſpectatæ, cujus proinde virtutem & obſervantiam ſibi imitatione referendam proponerent, credentes in Meſſiam Abrahamo promiſſum, & Isaaci natalitiis expreſſum.

S. Joannes Damaſcenus [*x*], quem reputant locupletiſſimum ſententiarum totius Græcæ Eccleſiæ teſtem, atque doctrinæ præcedentium Patrum cuſtodem fidiſſimum; S. Joannes Damaſcenus, inquam, docet Abrahamum poſt receptas primò Dei benedictiones & promiſſiones, Circumciſionis inſigne obtinuiſſe, quo genus illius & familia a cæteris per orbem nationibus diſtingueretur; quòdque Circumciſio nonniſi ad diſtinguendos Judæos ab Idololatris data fuerit, documento eſſe dicit illud, quòd Hebræorum filii totis XL itineris per deſertum annis nullâ Circumciſione initiati ſunt. Cùm enim ſoli per deſertum graderentur Hebræi, cur ſigno aliquo a cæteris gentibus diſtinguerentur, nihil erat. Tranſgreſſi demum Jordanem, & regionem variis occupatam gentibus penetraturi, circumcidi ad unum juſſi ſunt omnes; quæ Circumciſio ſecunda appellata eſt [*y*]. Addit, Circumciſionem in eo potiſſimùm Baptiſmum referre, quòd ſuperflua carnis amputaret, atque Judæum diſtingueret a pagano; quemadmodum Baptiſmus vitia cordis abſcindit, atque ab Infidelibus diſtinguit Fideles.

S. Hieronymus (*z*), inter Patres Latinos, iiſdem ferè rationibus datam Judæis circumciſionem, ut eâ veluti teſſerâ a cæteris diſtinguerentur, demonſtrat. *Gregem Israëliticum quodam circumciſionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Aſſyrios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc ſignaculo diſtinguerentur.* Addit, toto itineris per deſertum XL annorum ſpatio dilatam fuiſſe eam cæremoniam, quòd ſcilicet

(q) *Geneſ.* XV, 6; *Rom.* IV, 3; *Galat.* III, 6; I *Macc.* II, 52; *Iſai.* XLI, 8; *Judith*, VIII, 22; *Jacob.* II, 23.

(r) *Exod.* IV, 24.

(s) *Chryſoſt.* in *Geneſ. hom.* 39: Τὸν δὲ χρόνου δοκεῖ τοῦτον ὡρίσθαι δύο τούτων ἕνεκεν. Ἑνὸς μὲν, ἵνα ἐν τῇ ἀώρῳ ἡλικίᾳ κουφότερον ἐνεγκεῖν τὸν πόνον δυνηθῇ τῆς περιτομῆς τῆς σαρκός. Δεύτερον δὲ ἵνα δι' αὐτῶν τῶν ἔργων παιδευθῶσι, ὡς οὐκ εἰς ψυχήν τι συντελεῖ τὸ γινόμενον, ἀλλὰ σημείου χάριν τοῦτο γίνεται.

(t) *Hæreſ.* 30.

(u) *Ambroſiaſter*, *in Rom.* IV, 11.

(x) *Damaſcen.* *de fide orthodoxâ*, *l.* 4, *c.* 25: Ἡ περιτομὴ πρὸ τοῦ νόμου ἐδόθη τῷ Ἀβραὰμ μετὰ τὰς εὐλογίας, μετὰ τὴν ἐπαγγελίαν, σημεῖον ἀποδιαστέλλον αὐτὸν, καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ, καὶ τοὺς αὐτοῦ οἰκογενεῖς ἐκ τῶν ἐθνῶν μεθ' ὧν συνανεστρέφετο.

(y) *Vide Joſue*, V, 1, 2, 4, &c.

(z) *Hieron.* *l.* 1 *in Epiſt. ad Galat.*

licet nullo cæterarum gentium commercio Hebræi implicarentur; ſed *ſtatim ut illa Palæſtinæ terram Judæum ſe examen effudit, circumciſio neceſſaria futuro ex commiſtione gentium providit errori*. Tandem Pererius (*a*) & Eſtius [*b*] conveniunt, vix unum aliquem reperiri ante S. Auguſtinum, qui dimittendi originalis criminis virtutem circumciſioni tribuerit. S. Gregorius Nazianzenus (*c*) docet, pueros vitæ diſcrimine laborantes Baptiſmo initiari octavâ nativitatis die poſſe, quemadmodum octavâ pariter die nati liberi Hebræorum circumcidebantur; quibus verbis parem in circumciſione ac in Baptiſmo virtutem agnoſcere viſus eſt. Sed hæc nimis longè deducitur conſequutio; & obſcurior eſt S. Doctoris textus, quàm ut apertiſſimis aliorum opponatur.

Si unâ Patrum Græcorum authoritate ſententia illa fulciretur, momenti aliquid in contrarium faceret S. Auguſtini ſententia, in quam vulgò Eccleſia Latina conceſſit; ſed authoritati accedit ratio, cui vix aliquid objici poteſt. Demonſtrant illi, nunquam fieri potuiſſe, ut Circumciſio delendi originalis criminis in Sacramentum deſtinaretur, neque enim alioqui ſatis fœminis proviſum fuiſſet. Sapientiæ nimirum eſt Dei, ut communi utriusque ſexûs malo communi remedio ſuccurrat. In quibus Scripturæ locis mandatum de circumciſione traditur, nullus unquam de re tanti momenti eſt ſermo; neque Judæis unquam ſuccurrit, ut iſtud de circumciſione ſibi datâ præſumerent. Quis, rogo, in animum inducat, fieri potuiſſe, ut a Moyſe toto XL annorum ſpatio negligeretur inter Hebræos circumciſio? Quot enim tam longo temporis intervallo e vivis exceſſiſſe credendi ſunt, ſub ipſis Legiſlatoris oculis, quos æternùm cruciandos incuriâ ſuâ tradidiſſet, quippe quibus originalis criminis noxam omiſsâ circumciſione demere recuſaſſet?

Cæteri Judæorum nunquam tanta de Circumciſione ſuâ prædicarunt, non Joſephus, non Philo, quamquam horum alter virtutem Circumciſionis pluribus extulit. Puerorum, qui fato ceſſerunt, animas conſtituunt Rabbini in loco quodam deliciarum [*d*], nullo diſcrimine inter infantes Circumciſione initiatos, cæteroſque qui in ipſo matris utero nondum in lucem editi deceſſerunt. Et unde meliùs, quàm ex Judæis Circumciſionis ab ipſis admiſſæ effectus diſcendi ſunt? An exercere illos incognitum aliquod Sacramentum putaverimus, reputantes nihil tale unquam eorum Patribus ſuccurriſſe, quamquam adeò magni res eſſet momenti?

In ipſo inſtituendæ Circumciſionis articulo Dominus deſtinare ſe dixit inſigne vel ſigillum fœderis initi cum Abrahamo (*e*); quod ſpectans Apoſtolus (*f*) diſertè aſſerit, Circumciſionem ſigillum eſſe juſtitiæ, quam ſibi Abraham fidei merito ante ipſam Circumciſionem comparaverat. Docet pariter [*g*], circumciſionem prodeſſe quidem religioſis Legis obſervatoribus, refractariis nihil profuturam. Profectò ſi dimittendi criminis originalis virtutem agnoſcamus in Circumciſione, etiam ſine Lege proderit ſanè multum. Ad hæc, nihil Circumciſio Baptiſmo concederet, ſi una eſſet utriusque virtus, criminis nempe dimittendi & gratiæ conferendæ. Hoc autem inter Sacramenta utriusque Legis diſcrimen conſtituunt Concilia Florentinum (*h*) & Tridentinum [*i*] *Hæc non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferunt*. Siquid verò gratiæ a vetuſtis Sacramentis dabatur, id non Sacramentorum efficacitati, ſed eorum, a quibus reciperentur, præparationi & virtuti accepto erat referendum; quare ut phraſi Scholarum utamur, gratiam cauſabant, non *ex opere operato* [*k*], quemadmodum novæ Legis Sacramenta, ſed *ex opere*, ut ajunt, *operantis*.

Quamvis autem vulgò Scholaſtici & Interpretes in Auguſtini & Gregorii Magni ſententiam concedentes putaverint, originale crimen expiatione Circumciſionis deleri; alia tamen ſedit pluribus aliis Theologis opinio, ratis cum Græcis & Latinis vetuſtiſſimis Patribus, nihil in Circumciſione agnoſcendum, præter merum ſignum, nullam habens dimittendi criminis efficacitatem. Id diſertiſſimè aſſeruit Cardinalis Bellarminus [*l*], Sasbout (*m*), Stapletonius (*n*), Sylvius [*o*], S. Thomas (*p*), aliique plures ejus Interpretes, docentes, originale crimen Circumciſione nonniſi ex obliquo & ex conſequenti dimitti; quòd enim deleretur, in causâ fuiſſe fidem atque meritum illius, qui ſe Circumciſione initiandum traderet; quorum ſanè ſententia æquior nobis probatur.

(a) *In Rom.* IV, *Diſp.* 5.
(b) *In Rom.* XIV, 11.
(c) *Orat. in Sanctum Baptiſma.*
(d) *Vide Manaſſe Ben-Iſraël, l.* 2 *de reſurrectione mortuorum, c.* 22, *ex lib. Zohar; & Talmud. tract. Sanhedrin, c.* 11; *& Gemar. Ketuboth, c.* 11.
(e) *Geneſ.* XVII, 11.
(f) *Rom.* IV, 11.
(g) *Rom.* II, 25.
(h) *In Decret. Eugen. ad Armen.*
(i) *Seſſ.* 7, *can.* 2, 6, 8.
(k) *Vide Concil. Trident. ſeſſ.* 7, *Canone* 8.
(l) *Lib.* 2 *de Sacram. in gen. cap.* 15, 16, 17. *Vide & Vasquez in* 1 2, *disp.* 130, *cap.* 2.
(m) *In cap.* IV *ad Rom.*
(n) *Stapleton. Antidot. Apoſtolic. contra Hæreticos in Epiſt. ad Rom.* IV.
(o) *Sylvius in D. Thom.* 3 *partem, qu.* 70, *art.* 4.
(p) *D. Thomas* 3 *part. & in Rom.* IV; *& in* 4 *part. qu.* 62, *art.* 6.

DIS-

DISSERTATIO

AN GENTILES,

Quibus neque de Lege Moyſis, neque de Evangelio aliquid innotuit, ſalutem obtinere potuerint.

CUM de æternâ ſalute & damnatione judicium ferendum eſt, nulli parcendum cautioni cenſemus. Qua enim laboramus ignoratione abditiſſimorum ſapientiæ & miſericordiæ divinæ conſiliorum, nonniſi per ſummam audaciam certi aliquid de viis Domini aſſerere poſſumus. Obfirmatum in malo animum nullo poteſt negocio Deus gratiæ ſuæ efficacitate lenire: pro libero ſuæ voluntatis arbitrio uno poteſt momento cor lapideum in carneum mutare, indomita rebellium colla ſub amoris & gratiæ jugum redigere. Quis furem e cruce in Paradiſum uno eodemque temporis articulo tranſtulit?

Cùm itaque expendendum ſuſcipimus, an Gentiles, quos ſive Judæorum Lex, ſive Evangelium æquè latebant, quamquam Deum noſcerent, quique naturæ lumine juſtitiæ tramitem diſpicientes, rectam virtutis viam tenere hominibus viſi ſunt, ſalutem juſtitiæ ſuæ virtute obtinuerint; nullum nos limitem divinæ miſericordiæ præſcribere, neque latentium divinorum conſiliorum atque judiciorum abyſſum ſcrutari audemus, ſed disputationem noſtram redigimus ad normam eorum, quæ Deus ipſe in Scripturâ revelavit, & docuerunt Patres; an ſcilicet, ex conſuetâ Divinæ Providentiæ ratione, omni remoto ſubitæ reſipiſcentiæ per Dei gratiam factæ, atque juſtificationis ipſo mortis articulo obtentæ prodigio, accidere potuerit, ut Gentes, quibus nihil cognitum de Lege naturali ac Deo, niſi quod incerto contemplationis lumine diſpicere valuerunt, tamen ad naturalis honeſtatis regulas vitam compoſuerunt, probitatis iſtius merito, quamquam fide ſupernaturali & gratiâ Jeſu Chriſti deſtitutæ, æternam ſalutem obtinuerint.

Occaſionem ambigendi præbet Apoſtolus in eâ, quam modò tractamus, Epiſtolâ (*a*), ita de Gentilium Philoſophis diſſerens: *Veritatem Dei in injuſtitiâ detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius a creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles: quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Et deinde (*b*): *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci: gloria autem honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege peribunt; & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur.... Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Et ℣. 26: *Si igitur præputium* [Gentilis] *juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? Et judicabit id quod ex naturâ eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam & Circumciſionem prævaricator legis es?*

(a) Rom. 1, 19, 20.

(b) Rom. 11, 9, 10, 11, &c.

Ex quibus Pauli verbis duo rectâ conſecutione colliguntur: I, Gentiles, & præſertim Philoſophos, viroſque doctiſſimos tantum de Deo legibuſque noviſſe, quantum ſatis erat, ut rei efficerentur niſi obtemperarent. II, Nullum eſſe perſonarum diſcrimen apud Deum, qui Gentiles perinde ac Judæos legibus ſuis obſequentes habet acceptos; uti & damnat, ſi prævaricentur: ſive cognitionem habeant expletam diſtinctamque rerum divinarum, quam Judæis Leges Moſaicæ inducunt; ſive confuſam, quam præbent Gentibus naturalis legis ſanctiones. Quare illud pariter conſequi videtur, Gentiles ducibus ratione & lumine naturali dumtaxat, ad ſalutem pervenire.

Ut autem omnis ambigendi ratio tollatur, tria Paganorum genera diſtinguenda ſunt. Primum eorum, qui ſive ante, ſive poſt latam a Moyſe Legem, veram religionem, fidem in Deum ejuſque promiſſiones, ſpem denique in merita Liberatoris & Meſſiæ tenentes, ad legis naturalis normam vitam inſtituerunt; quemadmodum memoriæ proditum eſt de Abele, Setho, Noëmo, Abrahamo, Melchiſedecho, Jobo, & de aliis facilè, qui nullo ſcriptarum legum præſidio, omnia juſtitiæ & pietatis in Deum atque homines officia impleverunt.

Secundum genus tenent ii, qui in medio erroris verſantes, nullâ veræ religionis notitiâ inſtructi, adeò tamen ingenio valuerunt, ut ejus ope in agnitionem unius

Dei

Dei atque officiorum ipſi ab hominibus exhibendorum venirent ; tum & vitam inſtituerent ad omnes juſtitiæ & naturæ leges compoſitam.

Tertii tandem ſunt generis Idololatræ, qui nihil flagitii ducentes a ſe alienum, errorem veluti plenis ſcyphis hauſerunt, nihil de Numinis, nihil de naturalis legis cognitione ſolliciti ; vel, ſi mavis, qui eorum notitiâ abuſi, bonæ indolis ſemina criminibus oppreſſerunt. Perditos boſce ſalvare, nemini unquam ſuccurrit, niſi fortè Origeni [c], qui præpoſterâ ſanè pietate, Dei clementiam extendit in criminoſos quoſcumque, ne exceptis quidem Angelis perduellibus ; ratus, poſt exactam plurium annorum in inferniſ periodum, eam tandem impetraturos felicitatem, quam Jeſus Chriſtus merito Sanguinis ſui mundo obtinuit univerſo.

Perſuaſum eſt pariter omnibus [d], primi generis Paganos ſalutem obtinuiſſe, veluti pietatis & juſtitiæ, quam impenſè coluerunt, præmium. Quæſtio igitur in ſecundi generis Paganis conſtituta eſt, an ſcilicet illi ſalutem obtinuerint : qua de re varia apud Patres.

Certum habuerunt quidam Gentiles, nec Dei cognitione, nec inſtitutæ ad legis naturalis normam vitæ merito deſtitutos, ſalutem obtinuiſſe. Putarunt alii, Gentiles tamdiu in Inferis pœnas luiſſe, dum Jeſus Chriſtus ad eos deſcendens, pœnitentiam illis nunciavit. Prædicanti enim fidem habentes, ejuſdem Dei Filii merito ſalute demum æternâ donati ſunt. Denique alii docuere, neminem, dono ſupernaturalis fidei, ſpei in Meſſiam, & luminis gratiæ deſtitutum, pervenire ad ſalutem potuiſſe ; quæ nos fuſiùs in præſenti examinanda ſuſcipimus.

S. Juſtinus Martyr [e] aſſerit, veteres illos Philoſophos, qui rationis normam ſecuti ſunt, anticipatione quadam Chriſtianos meritò habitos fuiſſe ; quamquam enim Chriſtum Jeſum ignorabant, dogmata tamen norant & doctrinam ; uti inter cæteros reputandi e Græcis Socrates, Heraclitus, aliique nonnulli : e Barbaris verò Abraham, Ananias, Azarias, Miſaël, Elias, aliique plures. S. Clemens Alexandrinus (f) docet, viris illis, qui Chriſti ætatem præceſſerunt, duplicem acquirendæ juſtificationis patuiſſe viam, Legem nempe, & Philoſophiam ; Philoſophiâ quidem juſtos effici, vel ſaltem animum ad juſtitiam comparari ; ea enim tamquam via habebatur, ad juſtitiam ducens : afferebat inſuper juſtitiam, quamquam non omnibus numeris abſolutam. Addit, Paganos ante Chriſti adventum fatis functos, ipſum Chriſtum ſive ex Apoſtolis ejus aliquem in Inferis præſtolatos fuiſſe, & vix auditam fidei prædicationem amplexos, ut ejus obedientiæ merito ſalutem obtinuerint. Spectat vir ſanctus ad illud (g) : *Jeſus Chriſtus, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando.*

S. Chryſoſtomus [h] aſſeruit, Gentiles, qui Chriſti ætatem præceſſerunt, ſalutem obtinere potuiſſe, abſque præviâ ejus confeſſione ; neque enim in Meſſiam fides ante ejus adventum exigebatur. Illud igitur ab hominibus hiſce poſtulabatur, ut rejecto Idolorum cultu, ſeſe in unius Dei clientelam aſſererent, & unicum illum rerum omnium agnoſcerent Creatorem. Et paulò infra docet, eos, qui venturi in mundum Meſſiæ ne levem quidem admiſerant ſuſpicionem, ſi rejectâ idololatriâ, ad cultum unici & ſolius Numinis ſeſe contuliſſent, compoſitâ ad recti normam vitâ, ad cœleſtem felicitatem aſpirare cum electis potuiſſe, juxta illud Pauli [i] : *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.*

S. Auguſtinus (k) fatetur, Jeſu Chriſti animam ad inferna penetraſſe, nempe, ut ipſe paulò poſt exponit, ad loca torquendis impiorum ſpiritibus deſtinata, ibique in vinculis detentas, quas tamen dignas tanto munere cenſuit, ſolviſſe ; quam in rem exponit illud [l] : *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* S. Epiphanius [m] tradit, Jeſum Chriſtum ideò ad inferna deſcendiſſe, ut in libertatem vindicaret eos, qui Deum quidem olim noverant, ſed pluribus admiſſis erroribus in loco tormentorum cruciabantur. Quibus verbis ſatis apertè innuuntur Philoſophi, qui Deum, juxta Apoſtoli [n] phraſim, noverunt, *Sed non ſicut Deum glorificaverunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Marcio apud S. Epiphanium (o) defendit, Jeſum Chriſtum eò veniſſe, ut inſultaret Deo Judæorum, Legi, & Prophetis ; ſervaret autem Cain, Core, Dathan, Abiron, & Eſau, cæteraſque gentes, quibus Deus Judæorum erat incognitus ; reliquiſſe verò inter tormenta ſpiritus Abelis, Henoc, Noëmi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Moyſis, Davidis, Salomonis, addictiſſimos Dei Judæorum cultores. Apage blaſphemias, quibus fulciendæ huic quorumdam Patrum opinioni uti non audemus. Neque enim Marcionis nomi-

(c) *Origen. l. 1 de Princip. c. 6 ; & contra Celſum, l. 4 & 8 ; & in Exod. hom. 6 ; & in Pſal. xxxvi, hom. 3 ; & in Lucam, hom. 14, & 24.*

(d) *Vide Aug. de Civit. l. 18, c. 47.*

(e) *Apolog. 2, pag. 83 :* Τὸν Χριστὸν πρωτότοκον τοῦ Θεοῦ εἶναι ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, οὗ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέσχε. Καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷοι ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, &c.

(f) *Clemen. Alexand. l. 6 Strom. p. 637, 638, 639 ; & Strom. l. 1, p. 319 :* Καὶ τοῖς καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ, καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας.

(g) *1 Petr. iii, 19.*

(h) *Hom. 37 in Matth. p. 431 :* Τί οὖν, φησὶν, ἠδικήθησαν οἱ πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ ; οὐδαμῶς. Ἐξῆν γὰρ καὶ μὴ ὁμολογήσαντας τὸν Χριστὸν τότε σωθῆναι. Οὐ γὰρ τοῦτο ἀπῃτοῦντο παρ' αὐτῶν, ἀλλὰ τὸ μὴ εἰδωλολατρεῖν, καὶ τὸν ἀληθινὸν Θεὸν εἰδέναι ... τότε μὲν γὰρ εἰς σωτηρίαν ἤρκει τὸ τὸν Θεὸν εἰδέναι μόνον.

(i) *Rom. ii, 10. Vide Chryſoſt. pag. 432, c. 3.* (k) *Aug. de Geneſ. ad lit. lib. 12, cap. 33 : Chriſti quidem animam veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret a tormentis, quos eſſe ſolvendos occultâ nobis ſuâ juſtitiâ judicabat, non immeritò creditur.* (l) *Act. ii, 24.* (m) *Hær. 46.* (n) *Rom. i, 21.*
(o) *Hæreſ. 42.*

nomine niſi malum præjudicium ſententiæ conciliabitur: quare dicta tantummodò hæc de Hæretico volumus, ne quid prætereamus eorum, quæ in hanc quæſtionem apud Veteres occurrunt.

Origenes (p) defendit, Spiritum Jeſu Chriſti corpore ſolutum cæteros hominum ſpiritus conveniſſe, ut dociliores mortuorum animas ad fidem converteret. S. Gregorius Nazianzenus de Jeſu Chriſti ad Inferos deſcenſu agens (q), incertum relinquit, omnes ne, nemine excepto, ſervaverit, an eos tantummodo, quibus prædicationibus ſuis perſuaſerat: quem in locum Nicetas Philoſophus Platonicus hæc adnotat.

Memoriæ proditum eſt, ait, in hiſtoriâ Patrum de pio quodam Chriſtiano, qui cùm in Platonem longâ jam ætate defunctum plus nimio invectus, impietatis illum & injuſtitiæ traduceret, proximâ nocte per quietem eumdem Philoſophum obvium habuit, maledicta præcedentis diei exprobrantem. Fateor, ajebat ille, me immodicis detentum criminibus; ſed Jeſu Chriſto vix apud Inferos prædicanti omnium priorem credidiſſe me ſcias. Hilarius Diaconus [r] docet, Jeſum Chriſtum captivos omnes, qui ſive prævaricationis Adami ſive proprii criminis rei in inferis detinebantur, ſolviſſe, & quos prædicationibus ſuis obſequentes nactus eſt, ſecum veluti triumpho ad Paradiſum deduxiſſe. Et in Epiſtolam ad Romanos ita diſſerit: *Omnes enim, quicumque viſo Salvatore apud inferos ſperavit de illo ſalutem, liberatus eſt, Petro Apoſtolo teſtante, quia & mortuis prædicatus eſt.*

Author Cœleſtis Hierarchiæ (s) putat, Angelos a Deo Principes Gentibus datos, veri Numinis cognitionem & cultum ſubjectis ſibi populis inſpiraſſe, quare plures e Gentilibus Angelorum ductu ſalutem cœleſtemque beatitudinem aſſecutos. Ammonius Presbyter [t] conſultus a Cæſario Scholaſtico, an Jeſus Chriſtus, cùm in infernum venit, omnes, quicumque eo carcere detinebantur, aſſeruerit in libertatem; reſpondit, illum omnibus, ne Juda quidem excepto, providiſſe, ſolutis omnium vinculis; iis tantùm relictis, qui prædicationibus ipſius pervicaces reſtiterunt. Jobius Monachus (u) omnes, quicumque credere in Salvatorem non renuerunt, libertati reſtitutos, cùm Jeſus Chriſtus ad inferos deſcendit, aſſeruit.

Laudatur tamquam ejus ſententiæ aſſertor S. Joannes Damaſcenus [x], ubi refert exemplum Falconillæ, ex Inferni ſuppliciis precibus S. Theclæ liberatæ; quod pariter in vetuſtis precationum in honorem S. Theclæ formulis recurrit (y). Meminit etiam idem vir Sanctus calvariæ viri cujuſdam Pagani, interrogationibus S. Macarii reſpondentis, Virorum Sanctorum precibus animas ſociorum ſuorum in inferno ſolatio aliquo aſpergi. In eâ tandem Oratione, ut & in aliis pluribus vetuſtis Libris, occurrit hiſtoria liberati ex Inferni pœnis Trajani Imperatoris, S. Gregorio Papâ rogante [z]. Docet etiam, Jeſum Chriſtum, cum ad inferos deſcendit, fidem & juſtificationem impertitum fuiſſe iis, quos eo loco invênit, viris frugi & modeſtis; neque enim clementiſſimus Deus ſuo præmio deſtitui voluit tam multa ſanctiſſimè a Viris illis geſta.

Inter Recentiores Ambroſius Catharinus (a), Eraſmus, aliique nonnulli favere videntur ſaluti Philoſophorum Gentilium, quorum vita adeò cum Lege & Evangelio congruebat, ut unius ejuſdemque ſpiritûs utraque opus viderentur. Adeò autem admiratione Socratis arreptus eſt Eraſmus, ut dicat: *Parum abeſt ut dicam: Sancte Socrates ora pro me.*

Toſtatus Epiſcopus Abulenſis [b] defendit, Gentiles, quos laudabilis vitæ probitas ornabat, nihilque non ad normam naturalis legis habebant in moribus, nullum præbuerunt Idolis cultum, ſed unius Dei, præmia juſtis conferentis, unitatem noverant, probitatis ſuæ merito ſalutem obtinuiſſe, quamquam nihil ſive de Trinitate, ſive de cæteris noſtræ Religionis dogmatibus agnovere. Cùm enim illi juſtitiam ad exitum uſque ita coluerint, ut nullo mortali crimine tenerentur, cùm obiere, in Abrahæ ſinu poſt mortem conſtituti ſunt, ubi nullo doloris ſenſu tangebantur. Eodem pariter privilegio illos donat, ſi poſt commiſſum crimen nec rejectam Idololatriam, inquinatiſſimæ vitæ maculas pœnitudine ante mortem eluerunt; eoſque igne Purgatorii, quidquid reliquum eſſet criminis, poſt mortem expiaſſe dicit: quam enim vim contritio modò obtinet, eamdem ſemper quacumque demum ætate obtinuit.

Nec Seneca vulgaria, quantum ad morales diſciplinas attinet, ſentire viſus eſt, quorum admiratione noſtri quidam Scriptores Chriſtianum Stoicum plenis buccis appellantes, e Philoſopho Diſcipulum Pauli reddunt. Fatetur pariter Tertullianus (c), Senecam in noſtras partes ſæpè tranſire: *Seneca ſæpè noſter.* Eumdem Authorem ſæpè adversùs Paganos Lactantius, non raro etiam laudat S. Auguſtinus, plura ex ejus libro adversùs ſuperſtitiones referens; agnoſcens inſuper, Paganicæ ſuperſtitionis errorem ab illo ſtrenuè impugnari (d). Obſervat autem idem S. Auguſtinus, nunquam ab illo laudari Chriſtianos, invidiam ſuorum metuens, ſi quid de ipſis boni referret; conſcientiâ verò prohibitum, nequid mali de illis dicere auderet [e]. Tandem S. Hie-

(p) *Cont. Celſ. lib. 2, pag. 438.*

(q) *Orat. 42.*

(r) *Ambroſiaſter, in Epheſ. iv, 8 Expoliavit Inferos, cùm captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut propriis captivos peccatis in conditione tenebant, abſtulit conſentientes ſibi, & aſcendens inde in Cælos induxit.*

(s) *Dionyſ. ſeu alius, de Cœleſti Hierarchiâ, cap. 9:* Μία γὰρ πάντων ἀρχὴ, καὶ πρὸς ταύτην ἀνῆγον τοὺς ἑπομένους, τὸ καθ' ἕκαστον ἔθνος ἱεραρχοῦντες Ἄγγελοι.

(t) *Vide Biblioth. Coiſlinia. Cod. 25, p. 76.*

(u) *Tract. de Incarn. apud Phot. Cod. 222.*

(x) *Damaſc. Orat. de iis qui in Fide dormierunt, pag. 585.*

(y) *Apud Grab. Spicileg. PP. t. 1.*

(z) *Euchol. c. 96; & alii Libb. Græci Damaſc. loc. cit. p. 588.*

(a) *In Epiſt. ad Rom. cap. 11.*

(b) *In Geneſ. xvii, p. 485.*

(c) *De Animâ, cap. 20.*

(d) *Aug. l. 6 de Civit. c. 10.*

(e) *Idem, l. 6 de Civit. c. 11 Chriſtianos jam tunc Judæis inimiciſſimos in neutram partem commemorare auſus eſt, ne vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem.*

Digitized by Google

Hieronymus genuinas eſſe, quæ ferebantur, Senecæ ad Paulum Epiſtolas ratus, eumdem Philoſophum inter Eccleſiaſticos Scriptores recenſet.

Judæorum Doctores, quamquam gentis ſuæ privilegiorum ſtudioſiſſimi, fores tamen æternæ beatitudinis pluribus Paganorum reſerant. Admittunt enim omnes, quicumque præceptis Noemo datis colla ſubmiſerint [*f*], videlicet Idola non coluerint, a cæde, adulterio, maledictis, nomine Dei violando abſtinuerint, ad furta manus non extenderint, ab eſu viventis cujuſcumque animalis temperarint, atque his urgendis præceptis Judices conſtituerint. Hiſce Gentilibus Noachidarum præcepta ſervantibus accenſet R. Moyſes Ægyptius omnes qui Deum norant, æqua de ejus divinitate ſentiebant, ac tandem vitam frugi probamque inſtituerunt, uti Socratem, & Platonem. Tandem in Talmud narratur, quatuor hominum genera a futuri ſæculi beatitudine exclusum iri, videlicet Balaamum, Doegum, Achitophelem, & Giezi, cæterosque eorum imitatores; ex quo colligunt, cæteris Paganis ſalva manere omnia (*g*).

Patrum authoritatem fulciunt hæ poriſſimùm rationes. Cùm Deus mortales omnes ſuis, Dei videlicet, commodis creaverit, & Jeſus Chriſtus in omnium hominum ſalutem mortem oppetierit, ex univerſo mortalium hominum cœtu raros tantummodò ſalutem reipsâ obtinuiſſe, ægrè intelligimus. Quantus autem eſſet electorum numerus, excluſis ab eorum conſortio Gentilibus, qui Deum norant, & ad rationis normam vitam inſtituerunt? Quis credat, ante diluvium 1656 annorum ſpatio tam modicum fuiſſe prædeſtinatorum numerum, quàm e Scripturâ intelligimus? Quis plures viros Abrahamo, Melchiſedecho, & Jobo coævos, non diſſimilem ab illis vitam morum ſanctitate, ac Dei cognitione & cultu puram duxiſſe non ſtatuat? Cur arctis adeò limitibus Dei miſeratio claudatur, in anguſtum coacto electorum numero? Maximè ad Dei majeſtatem ſpectat, ut beneficia ſua in omnes ſpargens creaturas, omnes ad deſtinatam ſibi felicitatem vocet. Vocat autem, ait S. Clemens Alexandrinus [*h*], Gentiles Philoſophiâ & naturali Religione, quam ſingulorum cordibus miniſterio inferiorum Angelorum inſculpſit; vocat Judæos Lege, quam per Angelos ſuperiores, præcone Moyſe, dedit.

Eadem fuſiùs [*i*] proſecutus, docet, triplici veluti fœdere Deum ſibi homines ſociaſſe, ſuo nempe Gentiles, peculiari Judæos, ac tandem tertio quodam ſingulari Chriſtianos; a ſingulis verò, ait, propriâ & diſtinctâ religione cultum obtinuit. Dedit Gentilibus Philoſophiam, Judæis Legem, ac tandem ex utriſque in unum conjunctis Eccleſiam compoſuit, tria veluti fœdera in unum concilians; tria nempe, quæ unius Dei verbo nectuntur atque firmantur. Ita enim reputandum eſt, quemadmodum Judæis Prophetas conſtituit, ita pariter ſuos dediſſe Gentilibus Prophetas, nempe Philoſophos. Laudat in eam rem teſtimonium Pauli, cujus tamen verba in Scriptis Canonicis nuſpiam leguntur. *Libros Græcorum ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum ſignificant, & quæ ſunt futura.* Alibi (*k*) tamquam Apoſtoli Petri verba refert: *Dicit Petrus Dominum dixiſſe Apoſtolis: Egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus; nam ſicut hoc tempore prædicatio Evangelii ad nos delata eſt, ita pariter tempore elapſo Lex & Prophetæ data ſunt Barbaris, & Græcis Philoſophia, ut ad Evangelium recipiendum compararentur.*

Idem proſequens inſtitutum vir ſanctus, eamdem ſententiam ex illo Scripturæ probat, quo Jeſus Chriſtus prædicaſſe traditur apud inferos; addit autem, Apoſtolos Præceptoris ſui imitatione ad inferna loca veniſſe, ut inceptum opus tandem abſolverent, appellandi nempe ad ſalutem eos, qui nullam veri Dei & Servatoris cognitionem haberent: ex quo factum, ut Jeſus Chriſtus revocandis ad ſaniora conſilia Judæis eò veniret: Apoſtolos verò in Gentium ſalutem, ſeu potiùs Jeſum Chriſtum ideò deſcendiſſe, ut indiſcriminatim omnibus prædicaret, ac ſalutem omnibus, quotquot in ipſum crederent, largiretur. Laudat in eam rem ſententiam illam Paſtoris [*l*]: *Deſcenderunt ergo eorum, qui dormierunt, in aquam; ſed hi quidem deſcenderunt viventes, & viventes aſcenderunt.* Hæc de Juſtis Hebræorum dicta accipe. *Illi autem mortui deſcenderunt, & vivi aſcenderunt.* Quibus verbis Gentiles deſignantur, ante receptam fidem mortui; ex inferis tandem erepti, & merito fidei, prædicatione Jeſu Chriſti ſive Apoſtolorum receptæ, vitam conſequuti.

Nihil eſt, addit, inter juſtos ſive Græcos ſive Judæos, vel ſub Lege vel ſecùs, diſcriminis; eſt enim omnium hominum unus Deus, qui patris amore omnes in ſe credentes complectitur. Sentit autem (*m*), iniquum eſſe & injuſtum, ſi æternis donentur ſuppliciis ii, qui, cùm ante Chriſti adventum e vivis exceſſerint, nihil de illo ſubodorati, vitam in ignoratione Meſſiæ traduxerunt; quam in rem illud veluti e Scri-

(f) *R. Moſes, & R. Meyr Gabay.*

(g) *Vide Manaſſe Ben Iſraël, l. 2, c. 9 de Reſur. Mortuor.*

(h) *Clem. Alex. lib. 7 Strom. p. 702:* Οὗτός ἐστι (ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ) ὁ διδοὺς καὶ τοῖς Ἕλλησι τὴν φιλοσοφίαν διὰ τῶν ὑποδεεστέρων Ἀγγέλων.

(i) *Clem. Alex. lib. 6 Strom. 636, & ſequ.* Αὐτὸς Θεὸς ἀμφοῖν ταῖν διαθήκαιν χορηγὸς ὁ καὶ τῆς ἑλληνικῆς φιλοσοφίας δοτὴρ τοῖς Ἕλλησιν, δι' ἧς ὁ παντοκράτωρ παρ' Ἕλλησι δοξάζεται, παρέστησεν. Δῆλον δὲ κἀνθένδε, ἐκ γοῦν τῆς ἑλληνικῆς παιδείας, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς νομικῆς, εἰς τὸ ἓν γένος τοῦ σωζομένου λαοῦ, οἱ τὴν πίστιν προσιέμενοι.

(k) *Ibidem, pag. 637.* Ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μήτις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. Ἀλλ' ὡς κατὰ καιρὸν ἥκει τὸ κήρυγμα νῦν, οὕτως κατὰ καιρὸν ἐδόθη νόμος μὲν καὶ Προφῆται βαρβάροις, Φιλοσοφία δὲ Ἕλλησι, τὰς ἀκοὰς ἐθίζουσα πρὸς τὸ κήρυγμα.

(l) *Ibidem, pag. 638:* Καὶ καλῶς εἴρηται τῷ ποιμένι· κατέβησαν οὖν αὐτῶν εἰς τὸ ὕδωρ. Ἀλλ' οὗτοι μὲν ζῶντες κατέβησαν, ζῶντες δὲ ἀνέβησαν. Ἐκεῖνοι δὲ οἱ προκεκοιμένοι νεκροὶ κατέβησαν, ζῶντες δὲ ἀνέβησαν.

(m) *Strom. lib. 6, pag. 699, C:* Ἦν δὲ πλεονεξίας οὐ τῆς τυχούσης ἔργον τοὺς προεξεληλυθότας τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου μὴ εὐηγγελισμένους, μηδὲ ἐξ αὐτῶν τὴν αἰτίαν παρασχομένους κατὰ τὸ πιστεῦσαι, ἢ μή, ἤτοι τῆς σωτηρίας, ἢ τῆς κολάσεως μετασχεῖν. οὐ γὰρ πῶ θέμις τοὺς μὲν ἀκρίτως καταδεδικάσθαι, μόνους δὲ τοὺς μετὰ τὴν παρουσίαν, τῆς θείας ἀπολελαυκέναι δικαιοσύνης.

e Scripturâ laudat: *Quæcumque veſtrûm fecit aliquis in ignoratione, Deum apertè non cognoſcens, ſi ea agnoſcens ductus fuerit pœnitentiâ, ei omnia peccata remittentur.*

His latè expenſis, illud tandem conſequitur, Gentiles, qui & mentem Dei cognitione illuſtrarunt, & vitam morum ſanctitate probatam duxerunt, ſalutem denique aſſequi potuiſſe. Sed æquivocationes demum tollendæ ſunt, & aperriùs promendum, quid ſit Deum noſſe, & vitam laudabilem inſtituiſſe. Poteſt itaque Deus ſterili quadam contemplatione cognoſci, quemadmodum impii & Dæmones Deum, quem noſcunt, blaſphemant. Poteſt Deus cognoſci ſolo rationis lumine, uti factum novimus a Philoſophorum pluribus, ex creaturis in Creatoris cognitionem venientibus, deſtitutis tamen fide & charitate, vitamque planè agentibus ſcientiæ oppoſitam, & vitæ in ſpeciem probæ decora corrumpentibus per crimina juſtitiæ & charitati planè repugnantia. Cur illi ſuis hiſce contemplationibus atque fucatis probitatis exemplis ſalutem æternam obtinuerint, nihil eſt; deerant enim illis, quæ unicè ad ſalutem requiruntur, Fides, gratia, charitas, & bona opera; quorum ſi quid deſideretur, etiamſi cætera adſint, actum eſt de adultorum ſalute.

Viri illi ſanctiſſimi, qui Legi Moſaicæ præceſſerunt, uti Sethus, Noë, Melchiſedechus, Deum fidei lumine norant, cognitumque in ſpiritu & veritate adoravere, cultu puro & religioſo, mente igne charitatis inflammatâ, & vitâ ad omnem juſtitiæ normam compoſitâ. Nihil tale de Paganorum Philoſophis affirmare, vel ſuſpicari poſſumus. Fatetur quidem Apoſtolus, illos creaturis inſpectis in Dei cognitionem veniſſe; addit tamen continuò, illos ipſos Deum non tamquam Deum glorificaſſe, ſed evanuiſſe in cognitionibus ſuis; vitam pluribus criminibus egiſſe Dei cognitione indignam: quod ab Apoſtolo aſſertum, ex Hiſtoriæ fide plùs nimio confirmatum eſt. *Veritatem Dei in injuſtitiâ detinuerunt* (n): ex quo factum, ut inani quadam & ſterili meditatione recta viderent, facerent mala, & quem norant Deum, neque coluerint, neque ſuper omnia amaverint, nec metuerint. Nunquam illi ſatis apertè adversùs idololatriam reclamarunt, ſed arcano mentis propoſito illam temnentes, externâ ſpecie probare viſi ſunt: unde illud Pauli (o): *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus ſæculi? Nam quia in Dei ſapientiâ non cognovit Mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

Profectò ſi Philoſophi, qui naturali lumine, & ingenii acie Deum agnoverunt, contemplatione hac abuſi, aliud mente norant, aliud opere præſtiterunt, Deumque, quem noverant, nunquam precibus implorarunt; Deus viciſſim illis opem ſupernaturalem jure meritoque denegavit, continuit auxilia, & interiorem illam lucem, quibus denegatis, omnis eorum cognitio vana erat, & ad ſalutem æternam inutilis. Scimus planè, Deum neque impoſſibilia jubere, neque miſericordiæ ſuæ largitiones denegare iis, qui Gratiæ auxilio occupati, toto animi niſu efflagitant ea, quæ ſupra virtutem ſuam poſita eſſe cognoſcunt [p]. Æquè tamen fide certum eſt, ſine fide non poſſe fieri ut Deo placeamus (q); hominem ſolis arbitrii viribus, gratiæ & charitatis ope deſtitutis, ad ſalutem admitti non poſſe (r); meram rerum agendarum atque Dei cognitionem ſine bonis operibus nihil ex ſe ipsâ ad æternitatem valere.

Perſuaſum inſuper habemus, Deum, ſi quid gratiarum Philoſophis largiri recuſavit, id nonniſi ſummo jure feciſſe, cùm illi indignos ſe tanto Dei beneficio, ſive ingrati animi vitio, ſive infidelitate, ſive pervicaciâ exhibuerint. Si tandem æternæ damnationis pœnam ſubierunt, ejus rei in causâ non fuiſſe ſubtractam beneficiorum copiam, ſed crimina, & pravi cordis habitudines, cujus culpâ nullam poſſent obtendere damnationis ſuæ cautionem; quippe qui, ut Apoſtolus ait, cùm Deum noſſent tamquam bonorum omnium authorem, & male factorum ultorem, qui primus eſt gradus accedentium ad Deum, ex eodem Apoſtolo (s), *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (t).

Conferat, ſi quis vult, laudatiſſimorum Philoſophorum vitam cum moralis regulis, & quid præmio æterno dignum offendet? An contemptum Idolorum, & ſuperſtitionis eorum ætate obtinentis? Nemini ſanè meliùs id perſuaſum, quàm Socrati, Platoni, & Senecæ: nihilo ſeciùs tamen Socrates [u] cicutam hauſturus apertè dixit, rogandos ſibi eſſe Deos, ut exitum ſibi darent felicem. Et cùm animam efflaret, ſocios rogavit, ut gallum, quem Æſculapio voverat, ſuo nomine offerrent. Digna ne ſunt iſta homine, qui in fide unius Dei Judicis vivorum & mortuorum, in horrore idololatriæ moritur? Crimini etiam viro datus eſt perditus puerorum amor (x): jurabat per canes, per quercum, per anatem (y), cùm Deos Athenarum irrideret. Vitio illi pariter datus eſt cultus nubium, & veteris religionis Athenarum ſubverſio, quam invidiam non ſatis a ſe repulit, neque teſtimonium eâ occaſione debitum veritati reddidit. Ita verò illum traducit Lactantius (z): *O hominem ſcurram, ſi cavillari voluit religionem; dementem, ſi hoc ſeriò fecit, ut animal turpiſſimum pro Deo haberet.*

(n) *Rom.* 1, 18.
(o) 1 *Cor.* 1, 20, 21.
(p) *Conc. Trid. ſeſſ.* 6, *c.* 11: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Vide & Conc. Arauſican.* II, *c.* 25.
(q) *Hebr.* xi, 6: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*
(r) *Vide Perer. in cap.* 1 *Rom. diſp.* 17.
(s) *Hebr.* xi, 7: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*
(t) *Rom.* 1, 21.
(u) *Plato in Phadone*, *pag.* 118: Ὦ Κρίτων, ἔφη, τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα. Ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσητε.
(x) *Juvenal. Satyr.* 2: *Inter Socraticos notiſſima foſſa Cynædos. Vide Menag. not. in Laërt. l.* 2, *Segm.* 138.
(y) *Tertull. Apologet. & l.* 1 *ad Nationes.*
(z) *De falsâ ſap. lib.* 3, *cap.* 19.

Xenophon, & Plato ejus Diſcipuli virum a calumniâ atheiſmi purgaturi, demonſtrant, illum Numinibus Græcorum ſacra feciſſe, quin & coluiſſe, atque alios ad eorum cultum induxiſſe. In rebus agendis plerumque agebatur ab eo, quem Dæmonem ſuum appellabat: tenebant autem Dæmones & Genii (*a*) locum apud Ethnicos a Diis inferiorem. *Secundùm Deos Philoſophi Dæmones deputant. Socratis vox eſt: Si Dæmonium permittat.* Socratem a ſapientiâ laudavit Apollinis oraculum: quod ſanè vix de eo credi poſſet, ſi Deos omnes Socrates ſuſtuliſſet (*b*): *O Apollinem inconſideratum! Sapientiæ teſtimonium reddit ei viro, qui negabat Deos eſſe.*

Modò ad Senecam, quem aliqui admirantur tamquam omnium virtutum exemplar. Porrò Seneca Librum ſuperſtitionum Paganicarum digeſſit, ex quo inſignia aliqua fragmenta ſervavit S. Auguſtinus (*c*); eorumque lectione intelligimus, abſurda omnia ſuperſtitioſiſſimorum rituum ſapientem illum Scriptorem aperuiſſe; & poſtquam ſingula ſuis coloribus expreſſit, ſtatuiſſe demum in hæc verba: *Quæ omnia ſapiens ſervabit tamquam legibus juſſa, non tamquam Diis grata; atque omnem iſtum ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem quàm ad rem pertinere.* Ita magnus ille Senator & Philoſophus Romanus Numina exteriori religionis ſpecie colebat, at arcanâ mente ſpernebat; & quam apud ſe execrabatur ſuperſtitionem, exemplo fulciebat confirmabatque.

Nonne pariter Apoſtolus omnibus æquè Philoſophis vitio vertit [*d*], quòd prudentes ſcientesque errorem ſectati, nullam criminis ſui cauſationem obtendere potuerint? quippe qui Deo, quem noverant, cultum impendere, & debitas illi actiones gratiarum agere recuſarunt; ſed mentis erroribus rapti, in veram dementiam inciderunt, tunc maximè, cùm majorem de ſe opinionem ſapientiæ ingerere volebant. Ejus rei merito a Deo voluptatum ac libidinum ſuarum præda relicti, eò abrepti ſunt, unde natura ipſa maximè refugit. Scitum eſt, quàm multum in rebus Juliæ Auguſtæ, de adulterio aliiſque criminibus delatæ, Seneca implicaretur (*e*); & probroſiſſima crimina, quæ ipſe Neronem docuit, eidem Philoſopho vitio vertit Dio (*f*). Strenue licèt in divitias idem Philoſophus decertaret, locupletem tamen gazam poſſidebat, quam brevi tempore collectam, in dies fœnore immodico augebat (*g*).

Nec meliora facilè ſpectarentur in cæteris Philoſophis Græcis, Ægyptiis, Chaldæis, & Indis, ſi geſta ab iis omnia in medium ferrentur. Singuli prorſus illi æternam ſibi damnationem induxerunt, ſive idololatriâ, ſive infidelitate, vel ſimulatione, ſive alio aliquo admiſſo crimine. Quod tantùm fide & charitate deſtituerentur, id ſatis ſuperque habebatur, cur a Cœlorum Regno perpetuò proſcriberentur. Vidimus in ſuperioribus, in eâ quidem fuiſſe opinione S. Chryſoſtomum (*h*), nullâ adactos neceſſitate Gentiles, qui Chriſto præceſſerunt, ut in Meſſiam crederent, ſed omnia illis ſalva futura, ſi errori, & Idololatriæ tantùm renunciantes, Deum agnoſcerent colerentque, ac vitam ad rationis normam componerent. Verùm S. Auguſtinus, cui Theologi omnes poſt Apoſtolum adſtipulantur [*i*], nunquam fieri poſſe defendit, ut ad ſalutem quis admittatur ſine fide in Jeſum Chriſtum, nempe abſque ſupernaturali lumine, quo non modò credenda pariter & agenda demonſtrantur, verùm etiam ad veritates demonſtratas homines invitantur: neque ſatis eſſe in Deum credere, ſed oportere ſimul, ut fides in Jeſum Chriſtum teneatur, juxta illud Scripturæ (*k*): *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Fatemur quidem, non omnibus æquè Theologis hanc ſedere opinionem, fidem nempè in Meſſiam explicitam unicè eſſe ad ſalutem momenti; ſunt enim qui fide tantum implicitâ ſalvari Gentiles potuiſſe defendant [*l*], eam rationem ineuntes conciliandi inter ſe S. Chryſoſtomum cum S. Auguſtino; quorum hic neceſſariam eſſe ad obtinendam ſalutem fidem in Servatorem affirmavit, negavit ille. Itaque S. Chryſoſtomus explicitam, uti vocant, fidem a Paganis non exigit, ſed tantùm implicitam, qua nempe in Deum crederent, Authorem & Reparatorem generis humani, Reparatorem ſcilicet eâ ratione, ordine, & tempore, quo ipſe latenti providentiæ ſuæ conſilio propoſuiſſet.

Qui verò ex Patribus defenderunt, Jeſum Chriſtum & Apoſtolos, ad Inferna loca deſcendentes, Philoſophis & Gentilibus quam pluribus non fruſtra prædicaſſe, quibus docilitatis ſuæ merito, æternæ vitæ præmium contigit; illi planè nunquam in eam venêre opinionem, niſi eâ poſitâ veritate, quam nos ſupra conſtituimus, nimirum abſque fide in Jeſum Chriſtum nemini æternæ vitæ fores reſerari. Hæc cogitantibus fucum faciebat textus quidam Epiſtolæ Petri, & alter e Libro Paſtoris. Illud tamquam certum ſibi conſtituebant, Jeſum Chriſtum ſervandis omnibus quà Judæis quà Paganis veniſſe; nec poterant in animum inducere, ullos a Regno Dei excludi, præter eos, qui nunciatæ veritati aures volentes prudenteſque clauſiſſent: ex

(a) *Tertull. Apolog.*

(b) *Tertull. ibid.*

(c) *De Civit. lib. 6, c. 10.*

(d) *Rom. 1, 20, 21.*

(e) *Tacit. Annal. 12, c. 8; Sueton. in Claudio, 1, 29.*

(f) *Dio, l. 61; & in Excerptis Valeſ. p. 685.*

(g) *Dio, in Excerptis Valeſ. p. 686, Tacit. Annal. l. 13, c. 41.*

(h) *Homil. 37 in Matth.*

(i) *Auguſ. Epiſt. olim 157, ad Optatum, nunc 190. Item Epiſt. olim 89, nunc 157. Item l. de Nat. & Grat. c. 44; & l. 2 de Peccator. remiſſ. cap. 29.*

(k) *Act. IV, 12.*

(l) *Vide Peter. Diſput. 18, in cap. 1 Ep. ad Rom.*

quo illud pariter colligebant, omnes, quicumque ante Chriſti adventum deceſſerunt, nunquam a ſalute excludendos fuiſſe, ſi præſertim vitam ad rationis normam direxerant. Maximè autem ad rem eſſe arbitrabantur, ſi Jeſum Chriſtum, qui viventibus fidem nunciaverat, mortuos pariter non neglexiſſe cenſerent. Facilè pariter aliqui in eam venerant opinionem, quòd commodiorem arbitrarentur conciliandis Paganorum animis, quibus ingratum accidiſſet, ſi credere cogerentur, Philoſophos, quorum virtutem & doctrinam ſuſpiciebant, ſine ſpe veniæ damnatos. Maluerunt proinde in vitam æternam illos admittere, ad partes Jeſu Chriſti transferentes, ſive cùm mortalem adhuc vitam agerent, defendentes, quæcumque Philoſophi vera ſentirent, hauſiſſe illos e veritate & ratione æternâ, nempe Chriſto Jeſu, uti S. Juſtino viſum eſt; ſive poſt mortem, ſtatuentes, Jeſu Chriſto vel Apoſtolis in Inferis prædicantibus victas manus illos dediſſe; quod S. Clementi Alexandrino, Origeni, Nicetæ, Jobio, aliiſque nonnullis aſſertum eſt.

Sed utraque hæc opinio æquè rejicitur; neque enim reputari poteſt, Gentiles, de quibus in præſenti ſermo, palam in Deum credidiſſe, quem nonniſi obſcurè, quantum naturali lumine permiſſum eſt, norant: omnia illis incognita, ſive quæ ad vulnus ab originali crimine inflictum, ſive quæ ad neceſſitatem Reparatoris pertinent. Cùm de ærumnis atque imbecillitate hominum agendum eſſet, nemo illis meliùs diſſeruit; nemo pariter abſurda Idololatriæ luculentiùs detexit: ſed cùm ad quærendum animæ languentis remedium in Servatore, vero illo animarum Medico, ventum eſt, æquè omnes aberrant. Audaces & ſuperbi tantum ſe habere virium & ſcientiæ ajebant, quantum vitiis exſcindendis valeret, ſeque ab affectuum impetu in tuto ponebant. Quis unquam vidit Philoſophos pectus plangentes orantesque, criminum ſuorum coram Deo exomologeſim habere, imbecillitatem ſuam plorare, ſpem ſuam in ipſo collocare, & quidquid in ipſis boni eſſet, accepto illi referre? Quis unquam, ait quidam Philoſophus, de virtute ſuâ grates Diis egit [m]? Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris venuſtate, cæteriſque exterioribus donis; ſed propriæ ſinguli virtutis authores ſumus. *Det vitam, det opes; æquum mi animum ipſe parabo* (n). En Philoſophiæ Paganicæ indoles: en Philoſophorum tumor & ſuperbia. Sapiens ille eſt, *qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia* [o]. Hæc de ſe Stoicus Philoſophus (p): *Sapiens uno minor eſt Jove.*

Origenes (q) aſſeruerat, Joannem Baptiſtam duos ex Diſcipulis ſuis ad Jeſum Chriſtum miſiſſe, poſtulatum, an idem ipſe eſſet, quem tantis votis Judæi expectaverant; quod a ſancto viro, ait, non tamquam de veritate ambigente factum eſt, ut majori perſuaſione veritatem illam poſſet apud Inferos nunciare. Alibi (r) aſſerit luculenter, Joannem Baptiſtam ad Inferos deſcendiſſe, ut anticipatione quadam Jeſum nuncians, eò ſimul venturum prædiceret. Denique [s] docet, Moyſem & Eliam poſt colloquium cum Jeſu Chriſto in ejus Transfiguratione, priſtinas Inferorum ſedes repetentes, lætum ad ſuos detuliſſe nuncium, ſimulque omnia, quæ a Jeſu Chriſto audierant, iis expoſuiſſe, quos tempore Paſſionis Chriſti e captivitate redimendos norant. Hanc opinionem, ſuppreſſo Authoris nomine, de ridiculo agit S. Chryſoſtomus (t), demonſtrans, toto quidem vitæ hujus ſpatio merendi ſive demerendi facultatem ſingulis permitti; ſed poſt obitum nemini reſipiſcendi manere poteſtatem: ſingulos enim poſt obitum pro vitæ merito vel præmia manere vel ſupplicia. Profectò ſi Jeſus Chriſtus ad Inferna, ut prædicaret impiis veniam, deſcendiſſet, omnibus ad unum perſuaſiſſet. Si infidelibus poſt obitum veniæ ſpes aliqua relicta eſt [u], nemo unus noviſſimâ ſaltem die peribit; omnes genua coram Judice flectent, parati judicium omne ſubire. Intimo criminum ſuorum dolore tangentur; ſed fruſtra illi: cogentur enim, vel inviti, ad lacrymas & ejulatus.

Porrò hæc S. Chryſoſtomi momenta æquè valent adversùs Origenem & cæteros, qui Paganis Philoſophis poſt obitum ſalutis ſpem factam in prædicationibus Jeſu Chriſti vel Apoſtolorum tuentur. Sive enim Joannes Baptiſta, ſive Jeſus Chriſtus, ſive Petrus, ſive alius quicumque Evangelium illis nunciaverit, æquè tamen impoſſibile eſt, aliquem ex iis, qui in Infernis torquebantur, potuiſſe nunciatis ſibi veritatibus non acquieſcere; præſertim poſt tam longa ſupplicia, quæ pervicaciæ ſuæ merito ſubiiſſent, & poſt exploratam in ſe veritatem eorum, quæ ſibi ab Evangelicis illis Præconibus nunciarentur, nempe immortalitatis animæ, ſuppliciorum & pœnarum alterius vitæ: quæ quidem hominibus in hac vitâ degentibus ægrè perſuadentur, facilè tamen nulloque negotio iis, qui in alterâ vitâ tormentis addicti ſunt, & revocato e mortuis Jeſu ſuis ipſi oculis intuebantur. Jam inde ergo a pluribus ſæculis incolis deſtituerentur inferna loca; incolis, inquam, ab ipſo mundi exordio illic degentibus, ſiquidem poſt obitum illis via reſipiſcendi eſſe potuiſſet. Scitè autem obſervat idem S. Chryſoſtomus (x), innui a Jeſu Chriſto hanc veritatem, nimirum ad exitum uſque mundi futuros in Inferno impios Abrahamo penè coævos; prædicit

enim

(m) *Cicer. l. 3 de Nat. Deorum.*

(n) *Horat. Epiſt. 18, l. 1.*

(o) *Paradox. 2 Cicero.*

(p) *Horat. Epiſt. 1, l. 1.*

(q) *Origen. homil. 4 in Luc. Vide nos in Matth. 11, 3.*

(r) *Idem, Comment. in 1 Reg.*

(s) *Idem in Matth. tom. 12.*

(t) *Chryſoſt. homil. 37 in Matth. pag. 430, 431.*

(u) *Idem, ibid. pag. 431, E:* Ἀλλως δὲ, εἰ μέλλοιεν μετὰ τὸ ἀποθανεῖν οἱ ἄπιστοι πιστεύοντες σώζεσθαι, οὐδεὶς ἀπολεῖταί ποτε. Πάντες γὰρ μετανοήσουσι τότε, καὶ προσκυνήσουσιν. ἀλλ' οὐδὲ ὄφελος τῆς ὑποταγῆς ἐκείνης· οὐ γὰρ προαιρέσεώς ἐστιν εὐγνώμονος, ἀλλὰ τῆς τῶν πραγμάτων, ὡς ἂν εἴποι τις, λοιπὸν ἀνάγκης.

(x) *Homil. 37, pag. 431.*

(y) *Matth.* xi, 21, 22, 23, 24.

enim Jeſus Chriſtus [y], tolerabilius futurum extremâ die judicium Tyriis, Sidoniis, Sodomæ, & Gomorrhæ, quàm Corozaim, Bethſaidæ, & Capharnao, quæ omnem ſibi ad ſalutem aditum, opemque volentes prudenteſque præcluſerunt.

(z) *Auguſt. l.* 12 *de Geneſ. ad litter. c.* 33.

Cùm verò S. Auguſtinus (z) ſupra a nobis laudatus docuit, Jeſum Chriſtum ad inferna loca, ubi impiorum animæ torquebantur, deſcendiſſe, atque inde omnes, quoſcumque aptos ſecundùm juſtitiæ ſuæ leges norat, eduxiſſe, nunquam planè S. Doctori ſuccurrit, illum Inferni fores recluſiſſe iis, qui nunquam in Deum crediderunt, vel ſpeculativâ tantùm cognitione illum noverant, qua nec ad cultum Deo præſtandum, nec ad referendas gratias inducerentur: alioqui enim ipſe ſibi S. Doctor, ut & Apoſtolo Paulo, adverſaretur. Quare illud tantummodo inſinuatum eſt ab illo, inter eos, qui ſuppliciis detinebantur, quæ ſupplicia nos Purgatorii dicimus, aliquos deprehendiſſe, qui debitas criminibus ſuis pœnas jam luerant, eoſque proinde veluti jam expiatos ſecum deduxiſſe, æternâ Beatitudine pro virtutum merito donandos. Hebræi erant imbecilliores, qui nondum ad purum elutâ criminum maculâ ex hac vitâ deceſſerant; vel, ſi mavis, Gentiles, qui Deum norant quidem, ſed rudiori adhuc fide infirmiores, vel ſaltem levioribus aſperſi criminibus, tormentis alterius vitæ cruciabantur.

Significat autem, ſe, ſiquidem indulgentioris naturæ indolem ſequi velit, in eam propenſurum ſententiam, quæ æquior eſſet Philoſophis illis, qui Deum novere, & idololatriam ſunt averſati; retrahi ſe tamen ab eâ opinione, quòd conſtitutis a ſe principiis repugnet: *Si omnes omnino dixerimus tunc eſſe liberatos, qui illic inventi ſunt, quis non gratuletur, ſi hoc poſſimus oſtendere? Præſertim propter quoſdam, qui nobis literario labore ſuo familiariter innotuerunt, quorum eloquium ingeniumque miramur.* Addit deinde, vix fieri poſſe, ut ſolertiùs expenſâ ſingulorum vitâ, purum aliquid a faſtu & inanis gloriæ ambitu deprehendatur: quibus totum proborum operum meritum ita corrumpitur, ut quantò indulgentiùs in ſalutem Philoſophorum ferremur, tantò amplius opinione juſtitiæ divinæ retraheremur. *Verumtamen quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus vel præcipuè, vel cum cæteris ab inferni cruciatibus liberari; niſi aliter ſe haberet ſenſus humanus, aliter juſtitia Creatoris.*

Ad fabellas ex S. Joanne Damaſceno recitatas quod attinet, reponimus, I, Lucubrationes iſta referentes, viro tanto fictè inſcribi, uti Leo Allatius primùm, deinde P. le Quien in novâ editione Operum S. Joannis Damaſceni evincunt. II, Tametſi genuina eſſent opera, certè hiſtoriolæ ex monumentis minùs probatis deductæ, in Scripta licèt S. Damaſceni tranſlatæ, nihilo meliorem obtinent fidem. Opinionem eorum, qui damnatos jam ad inferos Gentiles, ad Fidem, auditis Apoſtolis concionantibus, traduxerunt, ſatis jam refutavimus.

(a) *Act.* iv, 12.

Si Toſtatus in eâ fuit perſuaſione, Gentiles abſque Fide explicitâ vel implicitâ in Jeſum Chriſtum ſalutem conſequi potuiſſe, nos virum doctum, Scripturæ & Patribus repugnantia docentem, non admittimus: ait enim Scriptura (a) de Jeſu Chriſto: *Nec aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Si verò ille nomine *Fidei in unum Deum, qui bona operantibus æqua retribuit*, innuit Fidem ſaltem implicitam in Jeſum Chriſtum, paria ſentit nobiſcum.

(b) *Clem. Alex. l.* 1, *pag.* 203, 204, 234.

(c) *Strom. lib.* 1, *pag.* 211, & 218.

S. Clemens Alexandrinus vix ab omni errore purgari poteſt in iis, quæ de Philoſophis Paganis, & prædicatione Jeſu Chriſti atque Apoſtolorum apud Inferos ſcripſit. Illud tamen illi excuſando reputandum eſt, vitium id fuiſſe illius ætatis, qua non benè expenſis earum rerum veritatibus, omnia offuſcabantur. Accedebant ſcripta quædam, opinione quidem authentica, & ſecundam a ſacris Libris authoritatem obtinentia, quæ facile credulos illos Patres fefellerunt. Ad hæc, S. Clemens ita de Philoſophiâ agit, quaſi nihil ſatis commodi de illâ ſentiat (b): tantum abeſt, ut in pari cum Fide & veritate noſtræ Religionis gradu illam conſtituat. Nullam peculiarem Philoſophorum ſectam probans, damnat univerſas (c). Quis autem credat, harum, quas damnat, ſectarum Authores, vel Sectatores æternæ ſalutis præmio donare illum voluiſſe? Tandem in Admonitione ad Gentes obſervat, tenues illos veritatum ſeu potiùs Verbi Divini igniculos, qui Philoſophis affulſerunt, & veritatis quanta ſit vis, & Philoſophicæ ſcientiæ quanta ſit imbellicitas, apertè ſatis demonſtrare: noverint enim licèt Philoſophi aliqua, ad finem tamen ſibi propoſitum venire nunquam valuerunt. Abundè his etiam demonſtratur, eos qui ſine Verbo veritatis, ideſt Jeſu Chriſto, ad agendum ſe comparant, perinde eſſe, ac ſi pedibus deſtituti ad gradiendum adniterentur. Qui de hoc argumento plura voluerit, conſulat Librum Gallicum *de Neceſſitate Fidei in Jeſum Chriſtum*, impreſſum Pariſiis, 1701, qui in primâ Lucubrationis hujus editione nos latuit.

Ita ergo Diſſertationem hanc noſtram colligentes ſtatuimus. Pagani, quorum totus erat cenſus ſpeculativa quædam, naturalis, & ſterilis Dei ac veritatum mora-

lium

lum cognitio, nullo Fidei ſaltem implicitæ in Meſſiam & humani generis Reparatorem, ac ſupernaturalis gratiæ radio illuſtrati, nullo charitatis igniculo foti, ad Regnum Cœlorum obtinendum nunquam evadere valuerunt. Hæc Apoſtoli Pauli mens, docentis, Philoſophos, qui Deum norant, cùm debitam illi gloriam denegaſſent, nullam criminis ſui cauſationem coram Deo obtendere poſſe.

DISSERTATIO

An Paulus Apoſtolus Epheſi cum beſtiis pugnaverit.

VIri quidam Eccleſiæ Corinthi recèns ad fidem converſi, Philoſophiæ Paganicæ dogmatum plus nimio tenaces, ut mortuorum reſurrectionem crederent, vix poterant in animum inducere. Plures inde de hoc fidei dogmate movebant quæſtiones, argumentorumque plexibus ſimplices quoſcumque Fideles implicabant. Certior de his factus Apoſtolus, refutandis evicendiſque viris audacibus, tranquillum Eccleſiæ ſtatum turbantibus, nihil omiſit, non authoritatem, non argumenta e quinque potiſſimùm ducta principiis: I, Jeſus Chriſtus e mortuis, ait idem Apoſtolus, reſurrexit; idque fide certum tenemus: eſt autem ejus reſurrectio noſtræ pariter reſurrectionis pignus, exemplar & argumentum. II, Si Chriſtus e mortuis nequaquam rediit, nos ergo mendaces teſtes habendi ſumus, vana eſt fides veſtra, & in crimine adhuc ſordeſcitis. III, Si nulla nos manet reſurrectio, quicumque vità hac deceſſerunt, nullam habent ſpem reliquam; infelicem planè noſtram ſortem deploremus oportet, ſi nullâ præter hujus vitæ ſpem nos conſolamur. IV, Quid fiet de illis, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? V, cur tandem nos damus in diſcrimina? *Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?*

Poſtrema hæc Apoſtoli verba argumentum præbent Diſſertationi; neque enim certaminis hujus veritas ſatis conſtat, ſilente præſertim Luca, nihil eorum cæteroqui omittente, quæ Paulus Epheſi pro fide Chriſtianâ ſuſtinuit; ſilentibus pariter omnibus priſcis Patribus quatuor primorum ſæculorum, qui omnia Pauli gesta traditione accepta ſedulò collegerunt. Negans hoc argumentum, adeoque per ſe imbecille, confirmant maximè ea, quæ ex ipsâ geſtorum Pauli lectione intelligimus; neque enim abs re credi poteſt, quæcumque a Demetrio Argentario Epheſino ac ſociis iniqua in eâ Urbe ſuſtinuit Apoſtolus, hæc ab illo certaminis cum beſtiis nomine ſignificari.

Homines effrænes, bruti, & impii, quales Argentarii illi, meritò ſibi quidem vindicant beſtiarum nomen, eâ planè ratione, qua & Apoſtolus idem ſub emblemate *Leonis* Neronem deſignavit [a]; uti & de Cretenſibus ſcribit: *Malæ beſtiæ, ventres pigri* [b]. S. Ignatius Martyr ad beſtias damnatus(*) commiſſum ſe dicit manibus decem pardorum, ut Antiochiâ Romam deduceretur, a quibus anticipati quoddam ſupplicii genus ſubire ſe dicit, prolixumque certamen continuare, ab Urbe Antiochiâ aduſque Romam. Porrò certamina iſta, beſtiæ, pardi, nihil deſignabant aliud, quàm milites, Martyris in itinere cuſtodes ac ductores. Ita pariter Joannes, & ipſe quoque Jeſus Chriſtus Judæos appellat *genimina viperarum* (c); ac Prophetæ injuſtos violentoſque Reges ſuggillant nomine leonum, pardorum, aquilarum, vulturum; ut & impiorum linguæ Pſalmiſtæ phraſi *fovent venenum aſpidum ſub labiis* (d).

Ne tamen ſententiam hanc ſequamur, vetant temporum circumſtantiæ, ac præſcriptæ Chronologiæ leges; quibus docemur, motam Epheſiorum Argentariorum in Apoſtolum perſecutionem vertente anno poſt ſcriptam ad Corinthios priorem Epiſtolam contigiſſe, nempe anno LVI. Quare Apoſtoli cum beſtiis certamen anno LV initum eſt. Hoc autem anno nullam in Apoſtolum perſecutionem, ſub eo verborum emblemate deſignandam, novimus. Eſt igitur ad literam Apoſtoli textus hic explicandus; ſi enim alicujus momenti adversùs hanc opinionem cenſendum eſt ſilentium Lucæ, igitur ne opus eſt alias comminiſci in Apoſtolum perſecutiones Epheſi, ob hoc ipſum, quòd nullas narret Lucas ante annum LVI? Vis negantis argumenti in utramque partem valere cenſenda eſt. Si verum Pauli certamen cum beſtiis non probat, neque etiam contrarium evincit.

Omnino Apoſtolus [e], ubi omnia exponit quæ primo eo anno, quo Epheſi moratus eſt, ſibi contigerunt, hæc de ſe ſcribit: *Ut quid & nos periclitamur omni horâ? Quotidie morior, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Statimque ſubdit: *Si [ſecundùm hominem] ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt?* &c. Percurre nunc caput XIX Actorum, omnia quæ Paulus Epheſi geſſit

anno

(a) 2 *Timot.* IV, 17: *Liberatus ſum de ore leonis.*

(b) *Tit.* I, 12.

(*) *Ignat. Epiſt. ad Tharſenſes*: Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, ὡς ὑπ' ἀλόγων θηρίων βιβρωσκόμενος.

(c) *Matth.* III, 7.

(d) *Pſal.* XIII, 3: CXXXIX, 4, &c.

(e) 1 *Cor.* XV, 30, 31, 32.

anno LV complectens : nihil occurrer, præter fructum Apoſtolicis laboribus parem; ac Dei per illum prodigia, quorum illecebrâ tractæ undique ſunt ad fidem gentes; donec excitatam in ſe Demetrii Argentarii perſecutionem declinare, factâ ab Urbe ſeceſſione, Apoſtolus coactus eſt. Cùm itaqne Paulus in eo Epiſtolæ capire veluti ſupplementum adjiciat eorum, quæ in Actis prætermiſſa ſunt, conceptisque verbis exprimat, luctam ſe cum beſtiis Epheſi ſuſtinuiſſe, cur teſtimonium ejus ad literam uſurpandum non eſt?

Porrò Textus iſte pronus eſt adeò in hanc ſignificationem, ut in alium ſenſum detorquere illum nemini ſuccurrat, niſi eâ ducto perſuaſione, Lucam nihil majoris momenti e geſtis Apoſtoli prætermiſiſſe; quod tamen cum veritate prorſus non congruit. Ipſe enim Apoſtolus plura in Epiſtolis ſuis identidem de ſe commemorat, quæ Lucas omiſit; nolente Deo, divinæ providentiæ ſuæ conſilio, ut ab alio illa quàm ab ipſomet Apoſtolo diſceremus. Ita e. g. de rapto in Cœlum Paulo nihil habet Lucas; ſed eam rem teſtatur Apoſtolus (*f*) : ſicut etiam nonniſi ipſo de ſe narrante ſcimus, obitas ab ipſo prædicatione Pontum, Thracam, Illyricum, & Galatiam (*g*). Quis reprehenſum a Paulo Petrum Antiochiæ, niſi ipſe Paulus (*h*), commemorat? quis ſecundum ejuſdem Pauli iter Epheſo Antiochiam circa annum LV, niſi idem Paulus ſubobſcurè (*i*)? quis memorat alius ſcriptas ab ipſo varias ad varios Epiſtolas; traductum ad fidem Oneſimum, cùm ipſe Paulus Romæ in vinculis verſaretur, datas circa idem tempus literas ad Philemonem & ad Philippenſes; naufragium illud ingens, quo integrâ nocte dieque in mari jactatus eſt [*k*]; tria illa naufragia quæ pertulit (*l*); flagra quinquies a Judæis tolerata [*m*]? Nihil ergo e Lucæ ſilentio certi adversùs hanc hiſtoriam colligitur. Quare literam Textûs cenſemus retinendam, in loco maximè, ubi ſtilus ſimplex nihil minùs quàm metaphoram audacem adeò & inſuetam expectare Lectores jubet. Quid enim audacius, quàm nomine pugnæ cum beſtiis deſignare luctam cum adverſariis?

At enim Paulus ſilet prorsus hanc cum beſtiis Epheſinis luctam in ſecundâ ad Corinthios Epiſtolâ, mala omnia enumerans, quæ ob fidem tolerare coactus eſt. Id quidem ultrò fatemur; ſed annon ſatis eſt ſemel de illâ in primâ ad Corinthios, XV, 5, 10, feciſſe ſermonem? An modeſtiſſimus vir hanc virtuti ſuæ vim inferre cogebatur, ut iterum decora illa repeteret? Ad hæc, facilè luctam hanc tacitè innuunt ea verba (*n*): *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſiâ, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut tæderet etiam nos vivere.*

Genuina facilè hujus ſilentii ratio inde repetenda eſt, quòd nulla memorabilis conſecutio ex eo ſupplicio deducta ſit; fortè enim Apoſtolus Judicis ſententiâ ad ſupplicium damnatus, civitatis tamen Romanæ, quo fruebatur, privilegio, immunis ab eâdem pœnâ reipsâ declaratus fuit. Animadverſum eſt, Civium Romanorum jus aſſertum fuiſſe, ne ſimili perimerentur ſupplicio (*o*). Niſi malueris aliam fuiſſe rationem, ne exponeretur feris; ſive expoſitum ab illis læſum non fuiſſe, uti divino prodigio factum eſſe interdum cum SS. Martyribus novimus [*p*]. Quod ſpectans S. Ignatius in Epiſtolâ ad Romanos ſcribebat: *Utinam fruar beſtiis mihi paratis, quas & opto veloces mihi invenire, quas & blanditiis demulcebo, ut citiùs me devorent, non ut quoſdam veritæ non attigerunt. Sed & ſi ipſæ volentem nolint, ego vi adigam.*

Accidit interdum, ut expoſiti feris primos illarum incurſus vel illæſi, vel levi tantùm vulnere ſuſtinerent; tunc autem ante finem luctæ a Gladiatoribus ad eam rem deſtinatis conficiebantur, quemadmodum de SS. Perpetuâ & Felicitate, cæterisque Africanis martyribus legimus in Actis; ſive ad aliud ſpectaculum ſervabantur, uti de S. Blandinâ Martyre Lugdunenſi memoriæ proditum eſt. Idem & cum Apoſtolo factum probabiliter ſuſpicamur, qui cùm in diſcrimen ejus ſupplicii veniſſet, ſcribere utique poterat ad Corinthios: *Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?*

Nicephorus Calliſtus laudat in eam rem Librum vetuſtiſſimum, inſcriptum, *Itinera S. Pauli* (*q*); ferebat autem Liber ille, Apoſtolum Epheſi verſantem tantâ eloquentiæ vi ad populum verba feciſſe, ut Hieronymus, principem ibi locum obtinens, illum benè quidem & diſertè dicere, ſed non pro temporis opportunitate, teſtatus fuerit: ſed populum aſperiora conſilia ſecutum, Apoſtolum catenis oneratum, arctâque incluſum cuſtodiâ beſtiis mox exponendum ſervaſſe. Statâ ad ſupplicium die, eo producto, leonem immanem corpore & ferociâ immiſſum. Sed beſtiam impetu irruentem, vix Apoſtolum vidit, flexam ad obſequium, cecidiſſe venerabundam ad pedes, exemplum ſequutis aliis demum & aliis productis feris. Ad hæc, ingruente ſubitò ingenti turbine ſævam adeò grandinis procellam excuſſam, ut opprimeret plurimos; Hieronymi verò Urbis Præfecti aurem abſcinderet. Quibus illum malis revocatum ad ſaniora, Fidei victas dediſſe manus. Tandem leonem, qui Apoſtolo peper-

(f) 2 Cor. XII, 2, 3, 4.
(g) Rom. XV, 19.
(h) Galat. II, 11.
(i) 1 Cor. XII, 14; XIII, 1. Vide Tillemont, not. 41 ſur Saint Paul.
(k) 2 Cor. XI, 25.
(l) 2 Cor. XI, 25.
(m) 2 Cor. XI, 24.
(n) 2 Cor. XI, 5, 10.
(o) Vide Baron. ann. 55, n. 7.
(p) Vide Act. S. Tarachi & ſociorum, c. 10; & Euſeb. hiſt. Eccl. l. 8, c. 7, p. 299.
(q) Hiſt. Eccl. l. 2, c. 25.

pepercerat, in vicinos montes evaſiſſe; Apoſtolum verò rectâ contendiſſe in Macedoniam.

Nec eſt quòd ſiniſtri aliquid in veritatem hujus hiſtoriæ, addit Nicephorus, e Lucæ ſilentio deducamus. Lazari reſurrectionem certam admittimus, quamvis a Joanne tantùm, ſilentibus cæteris, referatur. Singuli Scriptores Sacri peculiaria quædam referunt, a cæteris omiſſa. Porrò Librum, ea quo hanc hiſtoriam Nicephorus hauſit, & minoris eſſe per ſe anthoritatis fatemur, & a Nicephoro licèt adoptarum, nihil propterea habere, quo perſuadeat. Liber Itinerum Pauli vetuſtiſſimus eſt, adeo ut mentio de illo occurrat apud Origenem (r), Tertullianum [s], S. Hieronymum (t), & Euſebium (u); neque enim niſi unum eumdemque credo Librum *Acta Pauli* & *Itinera* ejuſdem. Opus illud procuſum piâ quadam erga Apoſtolum fraude, meliùs quàm obſequio, Sacerdotis cujuſdam Aſiæ, refert Tertullianus. Hujus criminis, addit S. Hieronymus, convictus Author, a Sacerdotio ſtatim amotus eſt. Nihil ego moror Veteris hujus Scriptoris cæterorumque eius fidem ſequentium teſtimonium; ſuſpicari tamen licet, ſive hoc textu, quem eacutimus, ſive deductâ ad eam usque ætatem traditione Scriptorem ad deſcribendam luctam Apoſtoli cum beſtiis inductum fuiſſe.

(r) *Origen. Ætate Paulus in Joann. p. 298. Edit. Huet. Item lib. 1 de Principiis.*
(s) *De Baptiſmo lib. 1, c. 17.*
(t) *De Scriptor. Eccleſ. in Luc â.*
(u) *Hiſt. Eccleſ. l. 3, c. 3, & 25.*

Ceterùm ſuppetunt majoris fidei & authoritatis in noſtram ſententiam documenta. S. Chryſoſtomus in primam Epiſtolam ad Corinthios ſcribens, homiliâ XL, nihil allegoricum in eo loco Pauli ſubodoratur; ea quo planè intelligimus, ſimplicem & literalem interpretationem probaſſe. Et in illa verba, *ſecundum hominem*, ait, Deum eduaiſſe Apoſtolum ſuum e diſcrimine, in quo certus illum manebat *ſecundum hominum opinionem* interitus. Certum igitur conſtituit, Apoſtolum divino prodigio a nece ſervatum. Luculentiùs aſſerit Theodoretus (x), Apoſtolum, ne devoraretur a beſtiis, divino prodigio liberatum. Pelagius in Commentario in Epiſtolam primam ad Corinthios, duas innuit ſententias; & quæ de luctâ cum beſtiis locum interpretarur, & quæ cum adverſariis pugnam verbis illis deſignatam tuetur. Addit, plura in Epiſtolis Pauli hiſtorica facta occurrere, fruſtra in Actis quærenda. Primaſius, Commentarium illum Pelagii S. Hieronymi eſſe, juxta receptam eâ ætate ac deinceps etiam perſuaſionem, ratus, non ſententiam ejus tantùm, ſed verba penè deſcribit. Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ, Ambroſiaſter vulgò dictus, quòd ejus Opera S. Ambroſii nomen prætulerint in impreſſis, Apoſtoli verba ita paraphraſticè eaplicat: *Si ſecundum humanum ſenſum beſtiis offerri, mori non timui, nihil profeci: ſed non hoc eſt, quia certus de promiſſâ vitâ non ſolum non timuit, ſed & libenter beſtiis offerri ſe paſſus eſt* (y).

(x) *In 1 Cor. xv, 32.*
(y) *Ambroſiaſter in 1 Cor. xv, 32.*

Ita Tearum Apoſtoli interpretati ſunt Veteres; & P. Aleaander, quamquam alioqui allegoricum ſenſum defendens, ingenuè fatetur (z): *Hæc tamen verba, Ad beſtias pugnavi Epheſi, proprio, non metaphorico ſenſu antiqui Interpretes intellexerunt.* Tillemontius, cujus inclyta eruditio pariter & circumſpectio eſt, noſtram ſententiam acriter defendit adversùs Baronium & Eſtium, contrariæ opinionis aſſertores (a). Evincit ille, Græcum *Theriomachein*, quo utitur Apoſtolus, non ſignificare tantum certamen ultrò cum beſtiis initum, uti Athletæ ſolebant, quod indignum Paulo viro Chriſtiano & Apoſtolo fuiſſet, cùm nec ingeouum Paganum deceret, verùm etiam rectiſſimè ad beſtias rapi; id quod factum non ſemel novimus cum Chriſtianis, ſacrilegii, uti quidem dicebatur, reis (b). Chriſtiani enim onerabantur invidiâ eorum omnium, quæ in Republicâ ſiniſtri acciderant. *Si enim*, ait Tertullianus [c], *Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim, Chriſtianos ad leonem, tantos ad unum.*

(z) *Nat. Alex. in 1 Cor. xv, 32.*
(a) Tillemont, note 40 ſur S. Paul.
(b) *Lege ſextâ ff. ad legem Juliam peculatûs, & de ſacrilegis.*
(c) *Apolog. cap. 40.*

Obſervaverat Baronius, beſtiarum ſupplicium, quod a Cive Romano erat alienum, in Apoſtolum Paulum decerni nequaquam potuiſſe. Respondet Tillemontius, damnari illum facilè, quin & ſubire ſupplicium illud potuiſſe, quemadmodum Philippis in Macedoniâ flagris cæſus fuit, licèt Romanæ Civitatis prærogativâ ab illis eaemptus. Notat inſuper, factum non ſemel, ut Provinciarum Præſides privilegium illud nequaquam aſſertum vellent Chriſtianis, humani generis adverſariis, & prærogativâ omni multandis. Luculentum ejus rei eaemplum eſt S. Artalus Martyr Lugdunenſis, & Romanus Civis, quem, gratificaturus populo, Præſes ad beſtias eduait.

Præter Veteres Epiſtolarum Pauli Interpretes ſupra laudatos, ſuppetunt etiam alii plures Scriptores & ſcientiâ & vetuſtate graves, pro noſtrâ ſententiâ laudandi (d). Tertullianus [e] ita diſſerit: *Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavit ad beſtias Epheſi, illas ſcilicet beſtias Aſiaticæ preſſuræ*: ſunt igitur beſtiæ Epheſinæ per Tertullianum mala in Aſiâ tolerata; ſed metaphoricâ hac interpretatione literalem alteram non eacludit: namque alibi (f) hoc ipſo teſtimonio utitur, ut Paulum inter Martyres recenſeat; quod cuidam ex ejus Interpretibus ſatis fuit, ut Tertullianum in ſententiæ noſtræ patronum aſſereret.

(d) *Euſeb. lib. 5, c. 1, Hiſt. Eccleſ.*
(e) *Lib. De Reſurrect. carnis, cap. 48.*
(f) *De Pudicit. cap. 22.*

Noſtras etiam partes tueri videtur S. Cyprianus [g], illis de Apoſtolo verbis: *Poſt carcerem ſæpè repetitum, poſt flagella, poſt beſtias: circa omnia mitis & humilis perſeveravi.* S. Hilario eadem probantur (h): *Edictiſne Regis Paulus, cùm in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat?*

Inter recentiores Interpretes noſtras partes tuentur Cajetanus, Cornelius a Lapide, Lutherus, Vorſtius, Piſcator, Zegerus, aliique nonnulli. Sed rationes nos magis Scriptorum quàm Scriptores ipſos quærimus; cùm maximè fateri oporteat, majorem Interpretum partem apertè negare, Apoſtolum in amphiteatro Epheſino beſtiis expoſitum ſpectaculum ſui feciſſe. Quamquam inter poſtremæ hujus ſententiæ aſſertores non ſatis convenit; Oecumenius enim, e.g. Remigius Lugdunenſis ſive Antiſſiodorenſis [i], [non enim ſatis conſtat unde eſſet] S. Thomas, aliique nonnulli locum explicant de perſecutione in Apoſtolum, Epheſi verſantem, a Demetrio Argentario commotâ (k): ſed tumultum hunc poſt ſcriptam priorem ad Corinthios Epiſtolam excitatum, ſupra animadvertimus; ex quo ſyſtema illorum prorſus evertitur. Exponunt alii Textum de Viris impiis, Hæreticis, & belluarum ferociâ ſævientibus, a quibus plura in Apoſtolum mala irrogata ſunt, uti Apoſtolus ipſe [l] conqueritur: *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſiâ, quoniam ſuper modum gravati ſumus, ſupra virtutem, itaut tæderet nos etiam vivere.* Ita Baronius (m), Eſtius, Grotius, Heinſius (n), Ligfootus (o), Calovius (p), Suicerus [q], Baſnagius, Beza, Hammondus, Deylingius, & inter Antiquos Sedulius, Scotus, Lanfrancus.

Sed antequam Diſſertationem claudamus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi varia certaminum cum beſtiis genera paucis exponam, quibus lux Textui, quem diſcutimus, afferatur. Græca vox *Theriomachein*, qua utitur Apoſtolus (r), ſonat ad literam, *Cum beſtiis pugnare*, cujus generis homines Latini vocant *Beſtiarios*, Græci (s) *Epithanatieous*, *Theriomachous*, *Parabolous*, ſeu potiùs *Parabolanous*. Tria ſunt ejuſmodi hominum genera: alii roboris & artis ſuæ ſpecimen daturi, ultrò ſe certamini exponebant; alii mercenariam ad id locabant operam, qui proinde tamquam viliſſima hominum capita mercimonium de vitâ facientia habebantur: *Qui ſe ob alienæ gratiæ voluntatem, nundinati ſanguinis jacturâ, ad mortem ſpectaculum vendunt.* Tertii tandem generis homines erant ſontes illi, qui beſtiis exponebantur. Interdum ab eorum inſultibus defendere ſe criminoſis illis permiſſum, ita tamen, ut a morte non eximerentur; tamdiu enim protogandum erat illis certamen, quamdiu beſtiis non ſuccumberent. Si quis verò incolumis ſpectaculo ſupereſſet, ad alterum ſervabatur.

Certaminum primi generis reliquiæ manent in Ludis taurorum, hodie usque in Hiſpaniâ celebratis; cùm ſcilicet viri interdum principes coram Rege cæteriſque ſpectaculum ſui præbent, cum tauris luctantes. Nec abludunt certamina cum beſtiis in Regno Mogorii ſolemnia, in quibus viri principes & virtutis ſuæ ſpecimen exhibent, & viam ſibi ad ſummos honores ſtruunt. Legimus in Hiſtoriâ Francorum [t], Pipinum Brevem, Caroli Martelli filium, ac deinde Galliæ Regem, cùm certamen beſtiarum ſpectaret, ac furentem quemdam leonem, qui taurum arripuerat in cervice, vidiſſet, verſum ad viros Principes, quibus ſtipabatur, ſignificaſſe opportunum ſe cenſere, ſi capra a leone præda liberaretur. Audacior res viſa eſt quàm ut ab illis ſuſciperetur; ſed Princeps, inſpectis ſedulò omnibus, in caveam ſe dedit, & gladium tenens manu, rectâ petiit leonem, tantoque ictu feram perculſit, ut caput præciderit, ſimulque intra tauri collum altum vulnus inflixerit.

Ad damnatos beſtiis quod attinet, alii nudi & inermes exponebantur, aut etiam venatoriis retibus impliciti, ut a feris diſcerperentur. Alii ad mortem usque luctari cogebantur. Rarò tamen contingebat, ut ſpectatores vitam certantium precariò obtinerent. Factum id legimus cum Androclo, de quo Aulus Gellius [u]: cùm enim ad beſtias damnatus & in amphitheatro expoſitus, irruentis leonis impetum ſuſtinere cogeretur, agnitus a ferâ, e cujus pede ſpinam olim extraxerat, illam habuit & demulcentem, & adversùs alias immiſſas feras tuentem. Rei novitate capti ſpectatores, Androclo vitam, leoni libertatem popoſcerunt.

Nec quacumque occaſione ſpectacula illa dabantur; id erat enim ſpeciale quoddam veluti munus ab Imperatoribus & Provinciarum Præfectis populo conceſſum. Smyrnenſibus Civibus S. Polycarpum ad leonem poſcentibus, reſpondit Proconſul, ne eorum votis annueret, prohiberi ſe, quòd dies venatoriis ſpectaculis deſtinata tranſiiſſet [x]; & cùm beſtiis Lugdunenſes Martyres exponendi fuere, ejus generis ſpectaculum populo concedi oportuit. Non abs re itaque ſuſpicamur, Epheſios popoſciſſe ad beſtias Apoſtolum, quemadmodum & S. Polycarpum deinde popoſcerunt; nec impar fortè ratio utrumque virum a ſupplicio illo exemit.

Cùm autem damnati ad ſupplicium Chriſtiani non modò ſpectaculum darent populo, ſed & ſupplicium tamquam criminoſi ſubirent, quò major ſpectantium oculis

terror

(g) Epiſt. 6, Edit. Pamelii.
(h) Hilar. in Aux. p. 221.
(i) Remig. Antiſſiod. Bibliot. PP. t. 8.
(k) Act. xix, 23, &c.
(l) 2 Cor. 1, 8, 9.
(m) Ad an. 55, n. 7.
(n) Exercit. Sacr. fol. 414.
(o) Hor. Hebr.
(p) Calov. in hunc loc. 1 Cor. xv, 32.
(q) Theſaur. Eccleſ. t. 1, p. 1399.
(r) 1 Cor. xv, 32: Εἰ κατ' ἄνθρωπον ἐθηριομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, τί μοι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται;
(s) Ἐπιθανατίους, παραβόλους, θηριομάχους.
(t) Firmic. l. 8, c. 13.
(u) Aul. Gell. lib. 5, cap. 14.
(x) Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4, c. 15: Μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια.

terror exhiberetur, non producebantur tantùm ad feras robuſti, valentes corpore ac certaminis patientes juvenes, ſed & imbecilles ſenes ac fœminæ; ſicut etiam venatoriis retibus impliciti, ut defenſionis ratio omnis penitùs tolleretur, uti factum legimus cum S. Blandinâ, inter Lugdunenſes Martyres inclytâ [y]. Alligabantur interdum palis, ſeu ferarum coriis inſuebantur, ad urſorum & leonum ferociam efferandam. Ita Nero cum Chriſtianis, de incendio Romano a ſe accuſatis, cujus tamen incendii ipse, non alius, fuerat author (z), ſæviit. Ad palum alligata S. Blandina, feris voranda objecta fuit, antequam ad taurum venatoriis retibus implicita educeretur (α). Alia quædam ejus rei exempla ſuppeditat Juſtus Lipſius (β).

Ad Paulum quod attinet, expoſitum illum feris in theatro Epheſino, omnino credimus; putamusque, nonniſi Divino prodigio commiſſum fuiſſe, ut a præſentiſſimo illo diſcrimine illæſus eriperetur; ita enim explicant S. Chryſoſtomus & Theodoretus illud: *Secundùm hominem*. Si quis autem a nobis quærat prodigii hujus rationem, ingenuè fatemur, neſcire nos, & nobiſcum homines æquè omnes ignorare. Quæ etenim ex apocrypho Libro narrat Nicephorus, futiliora ſunt, quàm ut fidem mereantur; nihilque præterea certi ab antiquis ſervatum eſt.

(y) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5, c. 1.* Μετὰ τὸ τήγανον τὸ ἔσχατον εἰς γύργαθον βληθεῖσα, ταύρῳ παρεβλήθη.

(z) *Tacit. Annal. l. 15, c. 44.*

(α) *Euſeb. loc. cit.*

(β) *De Cruce, lib. 3, cap. 11.*

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN EPISTOLAM
B. PAULI APOSTOLI
AD ROMANOS.

CAPUT PRIMUM.

Muneris ſui Apoſtolici præſtantiam commendat. Optat res ſibi perſpectas cum Romanis communicare, eorumque exemplis proficere. Nulla Infidelibus excuſatio: quippe Deum agnoſcentes, debito honore proſequuti non ſunt. Inaudita illorum flagitia.

℣. 1. PAulus ſervus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei,

℣. 2. Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis,

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS SERVUS JESU CHRISTI. Nomen ac dignitatem in Epiſtolæ fronte deſcribit, more Latinorum, ad quos literas dat; inſcriptione totos ſeptem verſiculos occupante. Porrò neceſſe erat, ſuum ipſe miniſterium commendaret, ut notum ſe Romanis, qui nunquam præſentem viderant, neque audiverant prædicantem, efficeret; atque authoritatem conciliaret Epiſtolæ, atque ita redderet utiliorem. De Pauli nomine alibi egimus (a), ubi & diſputavimus, quo tempore is, relictâ Sauli appellatione, Paulus nuncupari cœperit. *Jeſu Chriſti ſervum* ſe dicit, illuſtri titulo, nihilo minori quàm *Servi Dei*, quem in Veteri Teſtamento Prophetæ ac Patriarchæ, veluti Moyſes, Joſue, David, Eliſæus, Elias, Nehemias, uſurpavere.

VOCATUS APOSTOLUS (b). Romanorum animos occupat in eo, de quo dubitatio Romanis oriri poterat, ubi intelligerent, illum ex duodenis non eſſe, quos vivens Chriſtus elegerat. Apoſtolus ſum nihilo ſeciùs quàm cæteri; divinâ enim vocatione in Apoſtoli munus adlectus ſum, neque minora geſſi, quàm quiſque Apoſtolorum celeberrimus (c): *Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis.*

SEGREGATUS (d) IN EVANGELIUM DEI; ab ipſo matris ſinu electus (e), ut olim præco veritatis eſſem; a vulgo Fidelium ſecretus, quo tempore Spiritui Sancto viſum eſt imperare, ut ſegregarer in opus, ad quod me ille ſelegerat (f). Denique peculiari electione deſtinatus in Apoſtolum Gentium (g), præconem Evangelii Dei, Evangelii æterni (h), quod Deus ipſe miſit, in remotiſſimis ſæculis promiſſum, & ab electis a Deo viris prædicatum.

℣. 2. QUOD ANTE PROMISERAT PER PROPHETAS. Evangelium, de quo loquor, quodque ipſi accepiſtis, novum dogma non eſt, neque ab hominibus inventum, at nunciatum in Libris veterum Prophetarum, qui de Meſſiæ adventu, geſtis, regno ſcripſere. In Religionis rebus novitas nunquam ſuſpecta non eſt. Nulla veritatis ac vetuſtatis nota in Chriſtianâ Religione deſideratur. Omnia veterum Oracula de illâ loquuntur, quippe quæ primum præcipuumque illorum argumentum fuit.

℣. 3. DE

(a) Vide nos in Acta, XIII, 9.

(b) Κλητὸς Ἀπόστολος, *Vocatitius, ſeu ex vocatione Apoſtolus.*

(c) 2 *Cor.* XI, 5. (d) Ἀφωρισμένος. (e) *Galat.* I, 15: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam.* (f) *Act.* XIII, 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod aſſumpſi eos.* (g) *Act.* IX, 15: *Vas Electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, &c. Vide & Act.* XXII, 21; *& Galat.* II, 9 *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.* (h) *Apoc.* XIV, 6: *Angelum habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram.*

℣. 3. De filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem:

℣. 4. Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Jeſu Chriſti Domini noſtri:

℣. 5. Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus:

COMMENTARIUS.

℣. 3. De Filio suo qui factus est ei (i). Referri hæc poſſunt ad Evangelium, de quo ſtatim antea. De Evangelio loquor, narrante ortum, res geſtas, mortem, divinitatem, omnipotentiam Filii Dei, qui ex naturâ Divinâ coæternus eſt Patri, & ex carne filius eſt Davidis, uti Scripturæ teſtantur. Aliter: Promittitur Evangelium in Scripturis, de Filio Dei, ex Davidis genere in carne orto, agentibus.

℣. 4. Qui prædestinatus est Filius Dei, &c. Hæc verba S. Auguſtinus, ac Latini Patres poſt ipſum, & plerique Scholaſticorum atque Interpretum explicant de Prædeſtinatione Jeſu Chriſti, qua is ex hominibus univerſis electus eſt, ut Filius Dei ſit. S. Chryſoſtomus, Græci Patres, atque e Recentioribus quamplures uſurpant de certiſſimis argumentis, quibus Jeſus Chriſtus verus Dei Filius demonſtratur. Certiſſimum autem & maximè perſpicuum, quo illum & Deum & Dei Filium agnoſcimus, eſt, I, *Spiritus ſanctitatis*, in illo manens, ejusque in doctrinâ ac prodigiis fulgens.

II, *glorioſa illius Reſurrectio*, certiſſimum omnipotentiæ illius argumentum. Ita explicant Græci, quorum Codices ferunt (k): *Qui deſtinatus eſt*, conſtitutus, agnitus, demonſtratus, *Filius Dei*, *&c.* Quam lectionem pariter ſequuntur Origenes (l), Tertullianus (m), S. Hieronymus, S. Chryſoſtomus, *deſtinatus*, non *prædeſtinatus*. Ait Euſebius (n), το *prædeſtinatus* invectum eſſe a Marcello Hæretico Sabelliano, ut inde colligeret, Chriſtum Jeſum nihilo veriùs Dei Filium eſſe, quàm Fideles cæteros ad vitam prædeſtinatos.

At *prædeſtinatus* legitur apud S. Irenæum (o), S. Hilarium (p), S. Auguſtinum (q), S. Ambroſium, Vulgatam, Patresque Latinos, & Græcos aliquot, veluti S. Epiphanium (r), Græcosque nonnullos Codices; idque S. Auguſtinus, uti diximus, interpretatur de prædeſtinatione Jeſu Chriſti, qua illius Humanitas, nullo ipſius merito, cum Divinitate conjuncta eſt a primo temporis momento, quo extitit (s). Duplicem in Chriſto naturam perſpicuè diſtinguit Apoſtolus: divinam, qua *prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*; humanam, qua *factus eſt*, natus eſt *ex ſemine David ſecundùm carnem* (t). Græcorum explicatio videtur Eſtio ſervire magis literæ; cui libenter aſſentimur.

Ex Resurrectione mortuorum, Jesu Christi Domini nostri. Per Reſurrectionem verè Filius Dei apparuit; de Jeſu Chriſto Domino noſtro intellige. Jungenda ſunt iſta cum ℣. 3: Evangelium *per Prophetas promiſſum*, *de filio ſuo Jeſu Chriſto Domino noſtro*. Ex Grammaticæ regulis, vertendum erat (u), *Jeſu Chriſto Domino noſtro*, ac referendum ad *Filio ſuo*, quod præceſſit: at vetus Interpres, rei gravitate occupatus, neglexit regimen præpoſitionis *in*, ſexti caſui ſervientis, reſpondentisque Græcæ præpoſitioni *peri*, quæ genitivum regit. Græcum regimen hic ſecutus eſt, non Latinum.

℣. 5. Per quem accepimus gratiam et Apostolatum. Pergit Apoſtolus miniſterium ſuum commendare, atque oſtendere, ſe Apoſtolum reverà eſſe, quippe a Deo vocatum ad Apoſtoli munus prodigioſâ prorſus ratione, diviniſque donis, cognitione, ac ſpirituali Linguarum, prodigiorum & doctrinæ facultate uberiori quàm cæteros cumulatum. *Gratia & Apoſtolatus* unum idemque fortaſſe ſignificant; quaſi diceret, *Gratiam Apoſtolatus* (x), quæ præſtantiſſimum eſt Dei erga homines beneficium: ſive *Gratia* uſurpatur pro exterioribus Spiritûs Sancti donis, quibus ſub exordia Eccleſiæ locupletabantur ii, qui baptiſmum ac manuum impoſitionem exciperent: ſeu denique pro interioribus donis reconciliationis, veniæ peccatorum, charitatis, fervoris, aliorumque Sancti Spiritûs, mentes hominum inhabitantis, munerum (y).

Ad obedientiam Fidei (z): ut gentes omnes ad obſequium Fidei pertrahantur, vel ejus nomine, ut ab Apoſtolis præſtitum eſt, vel ob ejus nominis gloriam. Non ad Judæos modò, Syrosve aut Aſiaticos miſſus ſum, ſed ad gentes omnino univerſas: omnes ipſe complector; atque hæc me ratio impulit, ut quamquam ignotus literas ad vos darem. In iſtud incumbo, ut gentes omnes Fidei ſubjiciam, & nominis Jeſu Chriſti gloriam ubique procurem. *In obedientiam fidei*, ut doceat, inquit S. Chryſoſtomus, ad credendum opus eſſe ſubjectione, obſequio, bonâ docilique voluntate; neque de eo agi, ut de propoſitis ad credendum rebus quæſtionem moveas aut diſputes; deinque nec traditarum rerum perſpicuitatem exigi, ut aſſentiaris. Conſtantiſſimè ubique docet Apo-

(i) Græcus non fert *ei*; ſed tantùm, *qui factus eſt*: Τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαυίδ. At S. Irenæus, lib. 3, cap. 18, S. Ambroſius, S. Hieronymus legunt: *Qui factus eſt ei*. S. Auguſtinus *lib. 21, cap. 14, contra Fauſt. Qui factus eſt ex ſemine David* .... *Etſi in quibusdam Latinis exemplaribus non legitur, factus, ſed natus, &c.* At in Expoſitione inchoatâ Epiſtolæ ad Romanos, legit: *Qui factus eſt ei*. (k) Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. (l) *Origen. Expoſit. in Epiſt. ad Rom.* (m) *Tertull. contra Praxeam, cap. 27.* (n) *Euſeb. contra Marcell.* Ἀντὶ τοῦ ὁρισθέντος, ποιήσας προορισθέντος, ἵνα ὁ ὅμοιος τοῖς αὐτῷ πρό γνωσιν προορισθῶσιν. (o) *Iren. lib. 3. cap. 1, & 32.* (p) *Hilar. de Trin. lib. 7.* (q) *Auguſtinus paſſim.* (r) *Epiphan. hæreſ. Theodot. cap. 6.* (s) *Auguſt. Enchirid. cap. 40: Nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ eſſe cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam perſonæ unitatem, ut idem ipſe eſſet Filius Dei.* (t) *Vide Auguſt. Expoſit. inchoatâ in Ep. ad Rom.* (u) Περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ .... Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. (x) *Theodoret. Eſt. Fromond. alii plures.* (y) *Ambroſ. Tolet. Pact. alii.* (z) Εἰς ὑπακοὴν τῆς πίστεως, *In obedientiam fidei, ut obediatur fidei.*

℣. 6. In quibus eſtis & vos vocati Jeſu Chriſti:

℣. 7. Omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

℣. 8. Primùm quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis; quia fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo.

℣. 9. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo in Evangelio Filii ejus, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio

℣. 10. Semper in orationibus meis: obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.

℣. 11. Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis, ad confirmandos vos:

℣. 12. Id eſt, ſimul conſolari in vobis, per eam, quæ invicem eſt, fidem veſtram atque meam.

℣. 13. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpè propoſui venire ad vos, (& prohibitus ſum uſque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus.

COMMENTARIUS.

Apoſtolus (a), in captivitatem redigendam eſſe intelligendi facultatem, ut Fidei obtemperes; ac paſſim poſtulat, ut Fideles doctrinæ ſuæ obſequantur, menteſque ſubmittant (b).

℣. 6. IN QUIBUS ESTIS ET VOS. Cùm ego ſim Apoſtolus, omneſque ad gentes a Deo miſſus, voſque a Chriſto Jeſu vocati ſitis, jam eſtis ex eorum numero, ad quos Apoſtolica mea legatio porrigitur. Jure meo, & quodammodo ex debito ad vos ſcribo ac doceo: quamobrem nil mirum, ſi quamquam ignotus literas vobis do. *Vocati*, inquit, *Jeſu Chriſti*, non generali vocatione, univerſis hominibus communi, ſed peculiari & efficaci, qua Diſcipuli Jeſu Chriſti efficimini (c), ad peculiarem ſanctitatem vocati, promiſſorum illius hæredes, electique ut illius gloriâ aliquando fruamini. Vocatorum nomen tum in hac tum in cæteris Epiſtolis plerumque pro divinâ prædeſtinatione uſurpatur. Non omnes fortaſſe Romani Fideles ad gloriam prædeſtinati fuerant; ſed Paulus ita cum iis agit, ac ſi omnes reverâ fuerint.

℣. 7. OMNIBUS QUI SUNT ROMÆ. Non *Romanis*; quamplures enim Romæ erant alieno genere, ibique caſu commorantes; ut Judæi qui Chriſto nomina dederant. Adde, quòd *Romani* abſolutè dicebantur cives; cùm plerique eorum, quos alloquebatur Paulus, civitate non fruerentur.

VOCATIS SANCTIS: qui a Deo vocati eſtis, ut Sancti ac mundi ſitis, utque vocationi veſtræ reſpondeatis, eamque vitæ ſanctimoniâ & bene geſtis confirmetis; *Ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis* (d). Primævi Fideles vulgò *Sancti* appellabantur, teſtibus Actorum Libro, omnibuſque Pauli Epiſtolis (e); quippe quos morum puritas, ſanctitas vitæ, inhabitanſque Spiritus Sanctus nobiliſſimâ eâ appellatione dignos efficiebant.

GRATIA VOBIS ET PAX. Beneficiis rebuſque proſperis vos cumulet Deus. Gratia vobis eſto apud Deum, ejuſque donorum ac fortunarum copiam promereamini. Ita clauditur Epiſtolæ inſcriptio.

℣. 8. GRATIAS AGO DEO MEO, &c. Romanorum benevolentiam captat Apoſtolus, meritis eos laudibus proſequutus. Teſtatur magnoperè ſe gaudere gloriâ, quam illi toto orbe obtinent ob puritatem Fidei ac vitæ ſanctitatem; eorumque animos hac arte comparat, ut libenter audiant monentem arguentemque ipſorum mores ac lites, quibus illorum Eccleſia agitabatur.

℣. 9. TESTIS MIHI EST DEUS. Jurisjurandi genus (f), hoc loco neceſſarium, cùm perſuadere opus eſſet Romanis, ipſos apud eum maximâ in exiſtimatione & amore haberi.

CUI SERVIO IN SPIRITU MEO, interiori mentis cultu, ſive ex animo volente, obſequio penitus ſpirituali, libens volenſque. Vel: Cui ſervio per Spiritum Sanctum in me manentem (g); ut corporeo & exteriori Judæorum cultui opponatur.

℣. 10. SI QUO MODO TANDEM ALIQUANDO ITER HABEAM AD VOS. Græcus habet (h): *Felix iter habeam ad vos*; vos videndi beneficium conſequar. Hoc Pauli ſtudium videndi Romanos opportuniſſimum eſt iis, quæ mox in illos graviora dicturus eſt.

℣. 11. UT ALIQUID IMPERTIAM VOBIS GRATIÆ SPIRITUALIS. Veſtræ utilitatis non meæ cauſâ videre vos cupio, Spiritûs Sancti dona, quibus abundo, vobis impertiri deſidero, *ad confirmandos vos* in bono, ut ſi qua in vobis corrigenda ſunt, corrigam. Cautè loquitur, atque orationem abrumpit, ne illorum animos irritet; lenitque ſententiam verbis conſequentibus: *Id eſt, ſimul conſolari in vobis per eam quæ invicem eſt, fidem veſtram atque meam*. Ne infirmos adhuc Diſcipulos exacerbet, communem quodammodo cum iis conditionem ſumit, eoſque veluti ſibi magiſtros agnoſcit (i).

℣. 13. NOLO VOS IGNORARE. Cauſam affert, cur

(a) 2 Cor. x, 5: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*. (b) *Rom.* xv, 18; xvi, 19; 2 *Cor.* vii, 15; *Philem.* ℣. 21, *&c.* (c) *Vide Eſt. Fromond. Menoc. Tirin.* (d) 2 *Petri*, 1, 10. (e) *Act.* 12, 13, 32, 41; xxvi, 10, 18; *Rom.* viii, 27, 28; xii, 13; xv, 25, 26, 31; xvi, 15, *& paſſim*. (f) *Aug. lib.* 1 *de Serm. Domini in monte*; *alii PP. Eſt. Tolet. Grot. Menoch.* (g) *Vide Chryſoſt. Tolet. Ludov. de Dieu.* (h) Εἴπως ἤδη ποτὲ εὐοδωθήσομαι, *&c.* (i) *Chryſoſt. From. Grot. Para.*

℣. 14 Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.

℣. 15 Ita [quod in me] promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, evangelizare.

℣. 16. Non enim erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primùm, & Græco.

℣. 17. Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit.

COMMENTARIUS.

cur propoſitum nondum expleverit; hactenus prohibitus fui. Græci Codices quamplures ferunt (k): *Non arbitror ignorare vos, ſæpè me propoſuiſſe ad vos venire.* Animi ſui propoſitum Romanis notum eſſe potuiſſe putat ex fratribus, Romam Jeroſolymis aut ab Aſiâ profectis (l).

Ut aliquem fructum habeam. Hæc mihi causa, cur ad vos veniam: opto nimirum utilis eſſe vobis, & aliquod ſpirituale bonum vobis impertiri, quo bene inſtituamini, quemadmodum inter populos a me edoctos præſtiti.

℣. 14. Græcis et Barbaris. *Græcorum* appellatione Romanos etiam complectitur. *Barbarorum* verò cæteros a Græcis Romaniſque alienos. Barbari nuncupabantur a Græcis quicumque Græcè non loquerentur, ipſique met Latini (m). At Orbis Imperio penès Romanos collecto, Romani a Barbaria diſcerni cœpere, obſequii & metûs causâ, præſertim ubi Græcas artes coluere Romani.

Græcia victa ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio.

Se igitur debitorem profitetur Paulus Græcis & Barbaris, Sapientibus, Philoſophis, iis qui Sapientum nomine apud Ethnicos gaudebant, tum & ignorantibus atque illiteratis, non quòd aliquid ex iis acceperit, ſed quòd ipſo Apoſtoli munere juberetur communem ſe omnibus reddere, omneſque docere, tum nobiles ignobileſque, tum literatos ac rudes.

Objectionem occupare videtur: Si nos coram videre tantopere cupis, noſtraque ad te fama pervênit, cur ceſſas? An æquum erat, populis Lycaoniæ, Galatiæ, Piſidiæ, aliiſque, cum Romanis tum cultu & ingenio, tum dignitate ac virtute nequaquam comparandis, itaque adeò te occupari, ut Romanum iter poſtponeres? Quamobrem ne populos a ſe hactenus inſtitutos (id quod invidiæ plenum erat) cum Romanis compararet, reſpondet, miſſum ſe a Deo ad utroſque; cultos incultoſque æquè a ſe coli; ſuarumque partium eſſe ſtratas ſibi a Providentiâ vias ſequi, neglecto voluntatis ſuæ delectu. *Sapiens* hîc pro *Erudito* uſurpatur (n), quemadmodum apud Hebræos vetereſque Latinos, teſte Tullio.

℣. 15. Ita (o) quod in me, &c. Si me voluntatis meæ pondere trahi pateret, jam pridem Romam convolaſſem: at me prohibuit Deus, cujus voluntati deſiderium meum poſtpoſui. Pergit cauſam afferre, cur nondum venerit.

℣ 16. Non enim erubesco Evangelium (p). Cur nondum venerim Romam, in causâ non fuit aut veſtri neglectus, ut dixi, aut perſecutionum metus, aut Evangelii nunciandi pudor. Perſecutiones non vereor, neque pudet Deum crucifixum prædicare, neque ſapientum hujus ſæculi ludibriis & contemptui exponere. Jeſum Chriſtum conſtantiſſimè prædico (q), *Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.*

Virtus (r) enim Dei est in salutem omni credenti. Dei via eſt Evangelium, quòd ſalutem omnibus Chriſto Jeſu credentibus compareт, non quòd ipſum ex ſe Evangelium pariat Fidem, aut Fides una ſalutem certiſſimè afferat. Evangelium audiunt quamplurimi, nec tamen credunt; alii verò credunt, quin ſalutem aſſequantur. At ſimplex maximè & communis via, qua Deus homines ad fidem ducit, eſt Evangelii prædicatio: & qui crediderit, dignamque fide ſuâ vitam inſtituerit, ac Fidem, charitatem, virtuteſque Chriſtianas ad finem uſque coluerit, beatus æternum vivet: atque in eo potiſſimùm Gratiæ ſuæ vires oſtendit Deus: hoc nobiliſſimum eſt Divinæ virtutis prodigium.

Judæo primum et Græco. Salus Judæis primùm promiſſa eſt, eoſque dumtaxat inſtituit Chriſtus, vetuitque, ne Diſcipuli externos docerent (s). Paruere illi; ac tametſi poſt Reſurrectionem ad gentes latè univerſas miſſi fuerint, has tamen non docuere, niſi Judæis prædicationem reſpuentibus. Prodigio opus fuit, ut Petrus ad docendos incircumciſos induceretur (t). Paulus ubique primùm Judæos, deinde Gentiles inſtituit.

Paulatim rem aggreditur Paulus, & clam carpit Romanorum arrogantiam, qui aliquid ſupra Judæos ſibi arrogabant, ſeque gratiam vocationis ad Fidem promeruiſſe arbitrabantur.

℣. 17. Justitia Dei in eo (Evangelio) revelatur, quæ juſtitia oritur ex fide in fidem, & fide perficitur. Juſtitia Dei hoc loco, ex nonnullis (u), eſt ea, qua Deus ſive Chriſtus dicitur Juſtus; ex aliis (x), qua nos juſti efficimur; ſeu vera & abſoluta Juſtitia, qua coram Deo juſti ſumus, ex vulgatâ Scripturarum locutione, qua homo coram Deo juſtus appellatur, vel hominis juſtitia, venuſtas, magnitudo eſt magnitudo, venuſtas, juſtitia Dei, eximia ſcilicet atque abſoluta.

Melior tamen eſt interpretatio, explicans de juſtitiâ per gratiam a Deo traditâ. Convenit hæc cum Pauli verbis ad Philippenſes (y): *Ut inveniar in illo non habens meam juſtitiam quæ ex Lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide.* Hæc porrò juſtitia, quam mero Dei beneficio accipimus, in Evangelio per Fidem aperitur; in Evangelio enim di-

ſcimus

(k) *Gr. impreſſ.* Οὐ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν. *Alii:* οὐκ οἴομαι ἀγνοεῖν. *Ambroſiaſter in Rom. Non autem arbitror ignorare vos. Ita Pelag. Primaſ. Claromont. Gr. Lat.*
(l) *Ambroſiaſt. in hunc loc.* (m) *Vide Gatak. & Grot. hic: Etiam Romanos Plautus vocat Barbaros.*
(n) *Vide Caſtel. Druſium, Eraſm.* (o) *Plures legunt:* Itaque. (p) *Gr. Addit*, Τοῦ Χριστοῦ, *Evangelium Chriſti; ſed illud*, τοῦ Χριστοῦ, *deeſt in plurib. Mſſ. Copt. Syr. Æth. Chryſoſt. Origen. Tertull. Ambr. Hieron. Vide Zeger. Eſt.* (q) *1 Cor. 2, 23.* (r) Δύναμις, *potentia, vis.* (s) *Matt. x, 5: In viam Gentium ne abieritis.* (t) *Act. x, xi.* (u) *Theodoret.* (x) *Chryſoſt. Theophyl. alii Græci. Auguſt. lib. De Spirit. & litt. cap. 25. Ita Eſt. Tolet. Menoc. alii.* (y) *Philipp. III, 9.*

℣. 18. Revelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent:

COMMENTARIUS.

ſcimus, exterioribus operibus, ſervatiſque Legis ritibus non poſſe nos juſtos effici, tantumque bonum niſi per Fidem in Chriſtum Jeſum, charitate boniſque operibus ſtipatam, adipiſci.

Addit Paulus, Juſtitiam hanc ex Fide oriri, & Fide perfici: *Ex fide in fidem*; cùm ſcilicet Fidelis e virtute in virtutem progreditur, noviſque in dies incrementis in Fide Evangelicisque virtutibus augetur (z). Non enim eam dumtaxat Fidem intelligit Paulus, quæ in contemplatione verſatur, ſed agentem, quam charitas comitatur. Aliter: Juſtitia, quam impertitur Deus, in Evangelio aperitur, ex Fide Veteris Teſtamenti in Novi fidem proficiens (a). Ex fide in fidem progrederis, cùm ex Lege ad Evangelium tranſis, atque a rebus per Moyſem & Prophetas traditis gradum facis ad eas, quæ Chriſtus Jeſus in Evangelio, & Spiritus Sanctus per Apoſtolos Jeſu Chriſti Interpretes docuit. Chriſtiani hominis fides perfectior eſt, nitidior, nobilior quàm Judæi.

Justus autem ex fide vivit. Vel ex Græco & Hebræo (b): *Ex fide vivet*. Rationem affert, cur *Juſtitia oriatur ex fide, ac fide perficiatur*; ſive, cur Fides Legis perficiatur per fidem Evangelii: nam, inquit, Juſtus, vir bonus ex fide vivet, ſupremæque felicitatis particeps futurus eſt per Fidei meritum. Sive: Juſtus ac felix ſuâ ipſius fide efficietur. Habacuc, cujus eſt hæc ſententia, illud volebat, Judæos qui Deo crederent, omnemque fiduciam in Dei promiſſionibus collocarent, captivitate Babylonicâ liberos fore. Eadem verba Paulus ad Novi Fœderis juſtos transfert. Per Fidem charitate boniſque operibus inſtructam vitâ Gratiæ vivet; æternamque beatitudinem conſequetur (c). Captivitas Babylonica figura erat peccati, quo humanum genus ante Chriſti adventum tenebatur. Pii Iſraëlitæ pios Chriſtianos ſignificabant. Per fidem illi libertatem promeruerunt; hi per fidem in Chriſtum peccatorum veniam, veram Juſtitiam, ſupremamque felicitatem conſequuntur. Hebræus fert: *Fide ſuâ vivet*. Septuaginta: *Per fidem meam*, ſive, in me.

℣. 18. Revelatur enim ira Dei in Evangelio, adverſùs impietatem eruptura. Docet Dei Filius in Evangelio, quæ ſupplicia impios maneant, dum ſupremum illis minitatur Judicium, alterum ſui adventum, ignem minimè extinguendum, vermem immortalem (d), iram ſuam e Cœlis prodituram, cùm Dei Filius in nubibus ſtetcrit, gloriâ & majeſtate ſuâ obvolutus (e), atque ignis inter in ultionem deſcenderit (f): *In flammâ ignis dantis vindictam*.

Revelabitur ſuper eos, qui veritatem Dei in injuſtitiâ detinent. Duplici modo veritas Dei in injuſtitiâ detinetur; ſcilicet, ubi veritatem quam noſti, cæteros non doceas; & ubi ea quæ noſti, opere non compleas. Duplicis autem hujus injuſtitiæ rei ſunt Philoſophi. Unicum eſſe Deum, agnovere Philoſophi, neque tamen palàm docuere, ne multitudinis iram provocarent. Deinde vitæ genus inſtituerunt omninò repugnans iis quæ ipſi credebant; Deos, quos animo aſpernabantur, ritu exteriori colebant; flagitia, quæ damnabant in cæteris, ipſi admittebant. Evangelio igitur, quo damnatur iniquitas quælibet, impietas, impudicitia, damnantur etiam Gentiles univerſi, vel ſapientiſſimi ac maximè literati, quique ſanctiſſimum vitæ genus præ ſe ferebant. Hoc voluit Paulus, veram juſtitiam inter Gentiles non eſſe, nullumque adeò meritum.

Quæ de impiâ Philoſophorum ſimulatione, veràque illorum impietate diximus, ex ipſis eorum libris nullo negotio comprobantur. Varro (g) tria genera Theologiæ dicebat eſſe, eorumque unum mythicon ſeu fabuloſum appellari, quod Poëtarum eſt; alterum phyſicon, ſeu naturale, a Philoſophis invectum; tertium civile, quod Principes ac populi commenti ſunt. Primum genus, a Poëtis penitùs inventum, ridiculum ac ſpernendum eſſe ajebat, quòd multa Diis indigna, furta, adulteria, probroſiſſima denique flagitia tribuat. Alterum, Philoſophicum & naturale, inquit, non congruit civitatibus, quòd habeat aliqua ſupervacua, aliqua etiam quæ obſit populis noſſe, veluti, Herculem, Æſculapium, Caſtorem non eſſe Deos; quòd verus Deus nec ſexum habeat, nec ætatem, nec definita corporis membra. Tertium denique Theologiæ genus populare, Principum commentum, quo multitudo in definitâ aliquâ religione continetur, Reipublicæ neceſſarium eſt, vel ad ſalutem utile. Hoc autem, ait, genus maximè Sacerdotes noſſe atque adminiſtrare debent, populoſque in vulgari de Diis opinione nutrire. Ita Gentiles Philoſophi de Religione diſputabant. Id porrò quid eſt, niſi *veritatem Dei in injuſtitiâ detinere?*

Plato (h) qui optimè noverat, quid de Deo unius rationis lumine intelligi queat, negabat aut facilè inveniri, aut tutò tradi multitudini Patrem & Conditorem univerſi. Seneca (i), qui omnia Ethnicæ Religionis abſurda, omneſque ſuperſtitiones luculentiſſimè agnovit, ac diſertiſſimè expreſſit in libro, ex quo fragmenta nonnulla tradit S. Auguſtinus; Seneca, inquam, id auſus eſt, quod non ſuccurrit Varroni: civilem nimirum Theologiam, a Varrone permiſſam, damnavit, ejuſque inſtituta in ludibrium vertit. Hæc tamen bene cepta male abſolvit, inquiens: *Quæ omnia ſapiens ſervabit tamquam legibus juſſa, non tamquam Diis grata*. Subdit: *Omnem iſtam ignobilem deorum turbam, quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus magis ad morem quàm ad rem pertinere.*

Græcus dumtaxat legit (k): *Veritatem in injuſtitiâ detinentium*, non *veritatem Dei*, ut habent Vulgata, S. Ambroſius, & S. Hieronymus. Hæc tamen additio ſententiam non mutat; ex conſequen-

(z) *Theophyl. Oecumen. Eſt. Pever. Sa, Scalig. Glaſſ. Ludovic. de Dieu, alii.*
(a) *Tertull. lib. 5, cap. 13, contra Marcion. Ex fide Legis, in fidem Evangelii. Clem. Alex. lib. 5 Strom.* Τὴν ἐκ Προφητείας εἰς Εὐαγγέλιον τὴν τελειουμένην. *Chryſoſt. hic, Tolet. Grot. alii.*
(b) *Hebr. Habac. II, 4.* צדיק באמונתו יחיה *Gr.* Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Plures Latini:* Vivet. (c) *Vide Grot. hic, Vat. Eſt.* (d) *Marc. IX, 43, 45, 47.* (e) *Matth. XXIV, 23; XXVI, 64.*
(f) *2 Theſſal. 5.* (g) *Apud Auguſt. lib. 6, cap. 5; & lib. 4, c. 27, de Civit. Dei.*
(h) *Plato in Timaeo:* Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. (i) *Seneca, lib. contra Superſtitiones, apud Auguſt. lib. 6, cap. 10, de Civit. Vide & Aug. lib. de Verâ Relig. cap. 5.* (k) Τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων. *Et ita legit Tertull. lib. 5 contra Marcion. Origen. & Grot.*

℣. 19. Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtavit.

℣. 20. Inviſibilia enim ipſius, a creaturâ mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.

℣. 21. Quia cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.

COMMENTARIUS.

ſequentibus quippe omnino videtur Apoſtolus de veritate Dei agere.

℣. 19. Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Novère illi quicquid ex Deo noſci poteſt. Deum cognovere Philoſophi, quantum ratione cognoſci poteſt: omnipotentiam illius, unitatem, ſapientiam, ac proprietates cæteras; at non myſteria, quæ nonniſi ex revelatione diſcuntur *(l)*. Atque ex ipſis proprietatibus, quas diximus, alias luculenter magis, alias minùs agnovere: quasdam perfectiùs, nonnullas verò imperfectiùs. Sunt qui Deum eſſe negavere, & qui de omnipotentiâ vel providentiâ Dei abſurda ſenſerunt. Hîc tamen Paulus omnes universè Philoſophos, Deum eſſe credentes, ſpectat; cujus Dei veſtigia in ipsâ naturâ, in rebus cauſiſque naturalibus, ac denique in ſe ipſis naneiſcebantur.

℣. 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, &c. *(m)*. Inviſibiles quippe Dei proprietates conſpicuæ effectæ ſunt, ab ipsâ mundi conſtitutione, per cognitionem ex creaturis collectam. Ingens naturæ liber ab ipſis rerum exordiis patuit: quicumque argumenta de Conditoris exiſtentiâ ſincerè quæſivere, ea ibi palmaribus literis deſcripta nacti ſunt. Artiſex ex artefacto noſcitur, ait Philo *(n)*; ex tabulis Pictor, ſtatuarius e ſignis. Quis urbem probè cultam ingreſſus, ordinemque admiratur, moderatorum ſapientiam intelligit. An quiſquam eſt, qui ea quæ in mundo geruntur intuens, conſtitutum in eo ordinem non admiretur, mentemque ad illius Conditorem ac Moderatorem non erigat?

Reddi poteſt Græcus: *Inviſibiles Dei proprietates intelliguntur ex creatis mundi rebus: A creaturâ mundi*. Suus eſt creatis hiſce rebus ſermo, quo naturæ & perfectionis ſuæ largitorem commendant. *Cæli enarrant gloriam Dei*, ait Propheta *(o)*, *& opera manuum ejus annunciat Firmamentum*. Neque ignotus eſt ſermo, aut vox obſcura & debilis: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Omnia quæ me circumſtant, interrogavi, eſſent ne Deus meus. Negavere illa. Dixi: Cùm Deus meus non ſitis, dicite jam, ubi ille aut quis eſt? *Exclamaverunt voce magnâ: Ipſe fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea; & reſponſio eorum, ſpecies eorum*, ait S. Auguſtinus *(p)*.

Sempiterna quoque ejus virtus illis perſpecta eſt ex operibus, ita ut sint inexcusabiles, cùm neque agnoverint, neque, uti par erat, coluerint. Profectò, perſpicua licèt ſint argumenta, quæ ex creatarum rerum cognitione Deum eſſe demonſtrant, non defuere Philoſophi, qui mundum caſu conditum, aut qui æternum eſſe, vel Deum ſive Providentiam non exiſtere docuerint. Nullus hiſce hominibus eſt excuſationis locus, tum quòd cognitione ſuâ peſſimè abuſi fuerint, mentis ſuæ cogitationes perverſaſque argomentationes ſectati; tum quòd, pravis animi libidinibus obſequuti, innumera in flagitia præcipites ruerint. Mentes illorum ſatis illuſtraverat Deus, ut veritatem intueri poſſent, ſi vacuo cupiditatibus animo in illud incumberent; utque bonum a malo ſecernerent, patrataque ab ipſis flagitia æquitati ac pudicitiæ repugnare intelligerent, ſi conſcientiam & animum ſincerè conſulerent. Liberrimâ voluntate peccavere, nullaque eſt illorum criminibus excuſatio *(q)*: *Ita ut ſint inexcuſabiles*.

℣. 21. Non sicut Deum glorificaverunt. Gloriam Deo non exhibuerunt; Dei amplitudinem non commendavere, neque grates de beneficiis egerunt. Idololatriam inane commentum eſſe, falsam Ethnicorum Religionem, errare vulgus circa Deum intellexere; at multitudini ſeſe objicere auſi non ſunt, neque perſpectas veritates vulgare. Apud Scripturam, *dare gloriam Deo (r)*, eſt, ſecretum aliquid palam fateri, cùm quis apud Judices, interpoſito Dei nomine, interrogatur: idipſum fermè hoc loco ſignificat. Sapientes Gentilium arguit Paulus, quòd gloriam Deo non reddiderint, cognitamque veritatem celaverint, ubi auferendus erat multitudinis error, atque hanc confeſſionem Dei & veritatis cauſa exigebat *(s)*. *Dare gloriam Deo (t)* eſt etiam interdum Dei laudes prædicare, rerumque quas ipſi gerimus gloriam in illum referre, gratoſque nos ob illas exhibere.

Sed evanuerunt in cogitationibus suis; erravere, deperditi ſunt in ſuis ipſorum argumentationibus; in fumum quodammodo ſavillamque abiere, cùm illorum cognitio inſtar umbræ evanuerit ac diſſipata ſit: commodi nihil ex eâ retulere. Cùm eâ utendum eſſet in Dei cognitionem, amorem, obſequium, in ſuperbiam erecti ſunt. Vel. Inanes argumentationes collegerunt, ac denique in errorem atque inſaniam devenere. Singulas haſce explicationes patitur hic locus, ad verbum ferens *(u)*: *Vani*, inutiles, falſi *effecti ſunt in cogitationibus ſuis*, ſive, in argutiis ſuis. Id apprimè conſpicitur in Philoſophis, quorum vanitas, error, inepta commenta perſpecta ſunt, cùm nihil ſit vel ineptiſſimum, quod Philoſophus aliquis ſeriò non docuerit; id quod longâ enumeratione oſtendi nullo negotio poteſt. Jure S. Auguſtinus Scripta Philoſophorum, præſertim in rebus ad mores pertinentibus, nuncupat *magna magnorum deliramenta doctorum (x)*.

Obscu-

(l) *Tolet. Eſt. Menoc. Tirin. alii.* (m) Ἀπὸ κτίσεως κόσμου. *Auguſt. de Civit. ibid. VIII, 9. & alii A conſtitutione mundi, Ita Bez. Eraſm. Vat. Draſ. Hammond. Zeger. alii plures.* (n) *Philo*, Περὶ μοναρχίας, *lib.* 1. (o) *Pſal.* XVIII, 1, 2. (p) *Auguſt. lib.* X *Confeſſ. cap.* 6, *n.* 9. (q) *Vide Origen. Chryſoſt. Tolet. Eraſm.* (r) *Joſue*, VII, 19: *Da gloriam Domino Deo Iſraël. Joan.* IX, 24. (s) 1 *Par.* XVI, 24, 28, 29; *& in Pſalmis paſſim.* (t) *Vide Auguſt. lib. de verâ Relig. cap.* 4. (u) Ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. (x) *Aug. Serm.* 241 *nov. edit. cap.* 6; *Aliàs, de tempore*, 243.

℣. 22. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.
℣. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.
℣. 24. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis:
℣. 25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

COMMENTARIUS.

Obscuratum est insipiens cor eorum. Cor frequenter pro animo uſurpatur. Philoſophorum mens in cæcitatem erroremque delata eſt; cognitoque per contemplationem Deo, turpiſſimas animi libidines, atque indigniſſimam idololatriam ſectati ſunt. Perſequitur Apoſtolus datâ operâ abſurdiſſimum inſtitutum Philoſophorum, quibus gloriabantur Ethnici, quosque uti virtutis & ſapientiæ exempla commendabant. Diſertè ſcribit ℣. 31, eos qui ſapientiæ nomine gloriantur, eſſe *inſipientes*, ſaltem in iis, quæ ad mores, Religionem, & graviſſima hominis officia pertinent: ac reverâ ſi plerorumque apud varias gentes, veluti apud Græcos, Perſas, Gallos, Indos, & Ægyptios, Sapientum ac Philoſophorum ſententias & geſta perpendas, in ſententiis tenebras, in geſtis flagitia invenies. Quàm corrupta ſit hominum natura, & quantopere gratiâ Jeſu Chriſti egeat, ejusque conatus, Chriſti gratiâ deſtitutæ, quàm inutiles ſint, omnium luculentiſſimè perſpicitur ex errore mentis ac voluntatis in iis regnante, quos profana Gentilitas ceu abſolutiſſima ſanctiſſimorum hominum exempla producit.

℣. 23. Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, &c. En perſpicuum Philoſophicæ inſaniæ argumentum: gloriam nimirum uni Deo debitam in creatas res tranſtulere, cultu exhibito hominibus, avibus, feris, anguibusque; Deoque, qui corporis expers eſt, ac ſenſibus & corruptioni minimè obnoxius, corporeis imaginibus expreſſo. Uterque porrò error adeò abſurdus eſt, ut viris ſapientiſſimis graviſſimisque vix tribui queat, niſi certiſſima extarent ejus rei monumenta. Exploratum omnino eſt, integras gentes, tum e vulgo & illiteratis, cùm ex principibus ſapientibusque, ſacra feciſſe feli, cani, bovi; ſceleſtiſſimis item hominibus, Jovi, Veneri, Mercurio, Herculi, &c. elementis, igni, aëri, aquæ, aſtris, Soli, Lunæ, Cœlo. Ac veluti ſatis flagitii non foret, Dei nomen profanaſſe, creatis rebus datum; eâdem appellatione donavere imagines aſtrorum, hominum ac ferarum, easque non ſecus ac res iis exhibitas coluere.

℣. 24. In desideria cordis eorum. Pœna erroris mentium, ac perverſitatis voluntatum fuere errores alii ac nova perverſitas. Provocatus illorum contemptu & nequitiâ Deus, probroſiſſimis illos affectibus tradidit; nova in flagitia ruere paſſus eſt, non impellens certè aut ducens, ſed auxilia non largiens, ipſosque ſibi relinquens (y). Imperatoris inſtar, ait S. Chryſoſtomus (z), ſeditioſam militum cohortem ibi deſtituens, ubi prælium gravius eſt, ſive, ex Theodoreto, more nautæ, navim mediis in fluctibus relinquentis, neceſſario pondere deſtitutæ, quo in æſtu regatur.

Ut contumeliis afficiant corpora sua, probroſis libidinibus dediti. Homo ad imaginem Dei conditus, ſuum ipſius corpus afficit contumeliâ, ubi eo utitur in probroſa ac turpia; quemadmodum alteri contumeliam infers, ſi ad uſus aut repugnantes naturæ, aut conditione indignos, aut per ſe turpes eum cogis. Hominem corpore inſtruens Deus, naturales licitosque ſingulis membris uſus attribuit. Probro aſpergis membra, ſi aliter uteris. *Omne peccatum*, ait Apoſtolus (a), *quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti? Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Si quis templum Dei violaverit* (b), *diſperdet illum Deus. Abſtinete vos a fornicatione* (c), *ut ſciat unusquisque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.*

Cùm Gentiles Philoſophi Deum, quem novere, contumeliâ affecerint, ejusque veritates conditas detinuerint, neque illas aperuerint, debitumque illi honorem non detulerint; Deus hujusmodi criminum causâ divina illis adminicula largitus non eſt, peſſimisque ac turpiſſimis illorum cupiditatibus ipſos tradidit, ut ipſi ſibi pœnæ auctores ſint, ac turpibus flagitiis, quibus obvoluti ſunt, ſua ipſorum corpora probro cumulent, *mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*, ℣. 27.

Græcus reddi poteſt (d): *Ut contumeliâ afficiant corpora ſua inter ſe mutuò.* Turpiſſimis flagitiis alter alterum mutuò inquinavere. Prior tamen interpretatio melior & probatior: *Contumeliâ affecerunt in ſemetipſis.*

℣. 25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium. Mendacium apud Scripturas frequenter pro idololatriâ & idolis uſurpatur (e). Philoſophi, qui Deum cognoverant, veritatem hanc in mendacium converterunt; neglectoque Domini obſequio, mendacium falſamque religionem amplexi ſunt: rei creatæ tribuerunt id quod uni Conditori debebatur: *Servierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula, amen*: Creatori, inquam, noſtris laudibus & gratiarum actionibus, cultu & obſequiis tum in tempore tum in æternitate prorſus digniſſimo. *Amen* uſurpari poteſt pro *certè*, omnino. Omnium hominum laudes & obſequia procul dubio meretur Deus. Eâ voce *Amen* paſſim utitur Paulus (f), oratione vel non abſolutâ, tanquam interjectione, qua ſe optare demonſtrat, ut Deus ab uni-

(y) *Vide Auguſt. lib. 5 contra Julian. cap. 3; & lib. de Nat. & Gr. cap. 22; & Tolet. Eſt. Menoch. Tirin. Ita & Origen. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Ambroſiaſter.* (z) *Chryſoſt. homil. 3 in Rom.* Ὥσπερ γὰρ ὁ στρατοπέδου προηγούμενος ἐν τῷ πολέμῳ βαρυνθέντος ἀναχωρήσας ἐρήμους παραδίδωσι τοῖς πολεμίοις τοὺς στρατιώτας, οὐκ ὠθῶν, ἀλλὰ γυμνῶν τῆς αὐτοῦ βοηθείας.

(a) 1 *Cor.* VI, 18. (b) 1 *Cor.* III, 17. (c) 1 *Theſſal.* IV, 4. (d) Ἀτιμάζεσθαι .... ἐν ἑαυτοῖς. *Eraſm. Vat. Chryſoſt. in Tolet.* (e) *Vide Iſai.* XXVIII, 15; XLIV, 20; *Jerem.* XIII, 25; XXIII, 14; *Oſee*, VII, 1.
(f) *Rom.* IX, 5; X, 36; XV, 33; XVI, 20, 27; 2 *Cor.* XIII, 13; *Galat.* I, 5; VI, 18, &c.

℣. 26. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum, in eum uſum qui eſt contra naturam.

℣. 27. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemet ipſis recipientes.

℣. 28. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitiâ: tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea quæ non conveniunt:

COMMENTARIUS.

verſis creatis rebus celebretur.

℣. 26. Passiones ignominiæ. Permiſit Deus, ut libidines, cupiditateſque turpiſſimas, ipſis illorum corporibus infames, ſequerentur. Id porrò in Philoſophorum hiſtoriâ luculentiſſimè conſpicitur, Socrati (g) & Platoni (h) inceſtus puerorum amor vitio vertitur; atque horum poſtremus ſuperbiæ atque ambitionis arguebatur, quòdque aliter doceret, aliter viveret. Lycone apud Euſebium (i) teſte, Ariſtoteles uxorem morte præreptam divinis honoribus coluit, qualibus Athenienſes Cererem. Quis pudicus legat turpiſſima illa flagitia, quæ a Diogene Cynico palam & coram exercebantur? Nihilo modeſtior Ariſtippus (k). Teſtatur S. Chryſoſtomus (l), Zenonem docuiſſe, uxores eſſe communes. Hæc porrò inter Leges Platonis erat. Supervacaneum eſt de Epicuræis agere, quorum vel ipſum nomen contumelia, ſummumque bonum voluptas (m). Matrem conſtuprabat Periander, ut ajunt. Chryſippus ſtuprum cum matre & filiâ permittebat (n).

Nam fœminæ eorum, &c. Pro naturali duplicis ſexûs conjunctione, fœminæ execrabili meretricio nullas non corporis partes proſtituerunt (o); ſive horribili magis flagitio, mutuò ſe fœminæ conſtupravere (p). Initium facit Paulus a fœminis, quibus ſanctior eſſe debet pudicitia, & quarum flagitia virilis impudicitiæ conſecutio ſunt: viros autem hîc maximè carpit, dum Ethnicorum ſuæ ætatis mores tetris adeò coloribus pingit.

℣. 27. Similiter autem et masculi, &c. Hoc probri genus adeò vulgare fuit apud veteres, ut illud argumentis evincere, neceſſe non ſit. Flagitiis hiſce non vacabant Græcorum Philoſophi. Qui autem fieri poterat, ut ea execrarentur homines, qui a Diis perpetrata conſpicerent (q)? Ea vitio tribuuntur Soloni (r), Zenoni (s), Platoni (t), Socrati (u), Ariſtoteli, Lycurgo (x). Exercuere ipſi, & cæteros docuere. Peſtis hæc latè adeò Romæ graſſabatur, ut nullus jam eſſet pudor (y). Neque legibus interdicebatur, modò vis ingenuis non inferretur. Hucuſque libido pervenerat, apud Sapientes etiam, & nobiliſſimos Ethnicorum.

Mercedem, quam oportuit. Ita Deus puniit nequiſſimorum hujuſmodi hominum flagitia & cæcitatem, aliis nempe criminibus, quæ priorum appendix & merces quodammodo fuerunt. Cùm ipſi Deum dereliquerint, illos viciſſim deſeruit Deus. Dei donis, ſcientiâ, eloquentiâ, ingenio abuſi ſunt; jure igitur permiſit Deus, ut ſuis ipſi corporibus abuterentur, & in ea flagitia ruerent, quæ æternam illis invidiam & probrum apud pios paritura eſſent. Ita poſterius peccatum prioris interdum pœna eſt, uti Patres & Interpretes paſſim docent.

℣. 28. Sicut non probaverunt (noluerunt) Deum habere in notitia; ita illos Deus ſenſu perverſo agi paſſus eſt. Ita ſonat Græcus, & optimi Interpretes explicant (z). Cùm Gentiles Philoſophi Deum cognoſcere, uti par erat, colere & vereri noluerint; gloriam ſupremo rerum Domino, quem noverant, non exhibuerint; conſcientiæ ſtimulos, dictantis quæ opus erat, ſequi recuſaverint; æquiſſimo jure *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, quo ea amare coacti ſunt, quæ erant amore & æſtimatione indigniſſima: permiſit ut in eos ruerent mentis & voluntatis errores, quos in ejus ingenii & eruditionis hominibus fuiſſe, ægrè intelligimus. Neque Deus illos in ea flagitia impulit, aut induxit, ſed in iis eſſe permiſit (a). *Reprobus ſenſus* (b) eſt ſenſus malus, per-

(g) *Vide Dion. Chryſoſt. Orat. 65; Ælian. Var. Hiſt. lib. 4, cap. 11; Lucian. Vitar. auction.; Juvenal. ſatyr. 2: inter Socraticos notiſſima foſſa cinædos.* (h) *Laërt. in Platone, n. 29; Senec. de Vitâ Beatâ, c. 18.* (i) *Præparat. lib. 15, cap. 2.* (k) *Laërt. lib. 2, n. 66.* (l) *Chryſoſt. homil. 5 in Epiſt.*

(m) *Laërt. lib. x, n. 6:* Οὐ γὰρ ἔγωγε ἔχω τί νοήσω τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ καὶ τὰς δι' ἀφροδισίων, καὶ τὰς δι' ἀκροαμάτων, καὶ διὰ μορφάς.

(n) *Vide Cornel. a Lapide, hic.* (o) *Pareus, hic: Ad præpoſteros & Sodomiticos concubitus ſeſe maribus proſtituerunt. Vide Tolet.* (p) *Clem. Alex.* Καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν. *Senec. Ep. 95: Libidine verò ne maribus quidem cedunt, pati natæ. Dii illas Deæque malè perdant, adeo perverſum commentæ genus impudicitiæ. Vide Grot. hic, Et Cornel. a Lapide, Martial. de Baſsâ Tribade:*

Commenta eſt dignum Thebano ænigmate monſtrum,
Hic ubi vir non eſt, ut ſit adulterium.
Inter ſe geminos audes committere....
Mentiturque virum prodigioſa Venus.

(q) *Theophyl. Antioch. apud Grot. hic:* Καὶ πρώτους γε τοὺς Θεοὺς κηρύσσουσιν ἐν ἀῤῥήτοις μίξεσι συγγίνεσθαι. (r) *Plutarch. in Amatorio.* (s) *Laërt. in Zenone.* (t) *Vide & Theodoret. de Curand. Græc. affect.* (u) *Vide Sup. Item Tertull. Apolog. cap. 46; & lib. de Animâ, cap. 1; Nazianz. orat. 3 adverſ. Julian. alios.* (x) *Theodoret. Ubi ſuprà.* (y) *Vide Grot. hic, & Eſt. Senec. Ep. 95: Tranſeo puerorum infelicium greges, quos poſt tranſacta convivia, alia cubiculi contumelia expectant. Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloreſque deſcripta.* (z) Καὶ καθὼς οὐκ ἐδοκίμασαν τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *&c. Ita Chryſoſt. Theodoret. Syr. Arab. Vat. Eraſm. Tolet. Alii.* (a) *Chryſoſt. in Iſai. III, pag. 595, tom. 3:* Παρέδωκεν αὐτοὺς εἰς ἀδόκιμον νοῦν, οὐ τοῦτο λέγων ὅτι ἐνέβαλεν εἰς ἄνοιαν, ἀλλ' ὅτι ἀφῆκε, καὶ πάντων ἀνοήτους ἔστησε. (b) Εἰς ἀδόκιμον νοῦν.

Digitized by Google

℣. 29. Repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones,

℣. 30. Detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes,

℣. 31. Inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordiâ.

COMMENTARIUS.

perverſus, inſanus, omnino rejiciendus atque ſpernendus, ceu nummus adulterinæ materiæ, a commercio rejectus, *reprobus nummus (c)*.

℣. 29. Repletos omni iniquitate. Falſi Gentilium Sapientes non tantùm in voluptatum uſu erravere, verùm etiam nullum fuit flagitii genus, quo non inquinarentur; iniqui, nequam, avari, invidi, homicidæ, &c.

Græci Latinique Codices varium habent ordinem rerum, de quibus hic Paulus. Græcus (d): *Repletos omni injuſtitiâ, fornicatione nequitiâ, avaritiâ, malitiâ; plenos invidiâ, cæde, jurgio, dolo, malignitate*. Diſſident etiam inter ſe Codices Græci: plures enim omittunt *fornicationem*, utpote ſuperioribus verſiculis enumeratam; alii *malignitatem*, utpote eamdem ac *malitiam*, paulo antea recitatam. Verborum ordo varius etiam eſt in libris manu exaratis (e). Hæc tamen varietas ſententiæ non nocent.

Malitia, *nequitia*, *malignitas* apud Latinos eamdem fermè rem ſonant. At Græcè πονηρία, *malitia*, eſt improbitas, perverſitas, pravitas, verſuta & fallax nocendi ratio; κακία, *nequitia*, eſt malitia, vitioſitas ex naturâ, ſeu conſuetudo nocendi; κακοήθεια, *malignitas*, eſt moroſitas, moribus aſperis & difficilibus, ex humoribus corporis vel inſtitutione orta. Supervacaneum eſt exemplis docere, omnia hæc & cætera vitia in conſequentibus deſcripta, Græcos inter & Romanos, omneſque generatim Ethnicos fuiſſe. Nemo fermè apud Hiſtoricos legitur, qui multa horum exempla non præbeat; pleraque enim hæc vitia vulgaria erant, genteſque integras occupabant.

℣. 30. Susurrones, detractores, ψιθυριστὰς, καταλάλους. Primi generis ſunt ii qui clam obloquuntur, qui falſa ſpargunt, ut diſcordiam & ſimultatem inter amicos ſerant. Alterius generis homines vel ipſos amicos maledictis petunt, peſſimâque obloquendi libidine, quidquid a cæteris agitur, malam in partem torquent, & paſſim narrant.

Deo odibiles, θεοστυγεῖς, Deo odioſos. Sunt (f) qui vocem hanc cum ſuperioribus jungant, ſuſurrones & maledicos, quos odit Deus. Alii abſolute uſurpant pro hominibus Deo inviſis ob ſcelera & flagitia; vel de *hominibus abhorrentibus a Deo (g)*, providentiam eſſe negantibus, obloquentibus de juſtitiâ, cùm ab eâ puniuntur, eamque damnantibus, ſi cæterorum ſupplicium differatur. Hiſce in Deos contumeliis paſſim ſcatent Libri Ethnicorum (h).

Contumeliosos, ὑβριστὰς, Contumeliam addunt injuriæ. Uſurpari etiam poteſt Græca vox de libidinis flagitiis, naturam contumeliâ afficientibus, deque vi ingenuis illatâ in rebus venereis (i).

Superbos, elatos. Philoſophorum, ac præſertim Stoicorum erat ſuperbia, hominum ſcilicet ſuperbiſſimorum, qui cæteros aſpernati, unos ſe ſapientes & prudentes eſſe cenſebant. *Elatos* arrogantes, qui quodammodo ſe Diis pares eſſe gloriabantur. Horatius (k):

Ad ſummum ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Generatim, ait S. Auguſtinus (l), *Philoſophorum propriè vanitas morbus eſt*.

Inventores malorum, qui omnia ſtudia in illud conferunt, ut nova voluptatis, ſumptuum & impenſarum genera comminiſcantur: qui exquiſitiſſimas in menſâ & cultu delicias quærunt. Cùm iſta ſcriberet Paulus, deliciæ ac libidines ſummum in Romano Imperio, ac præſertim Romæ, culmen attigerant. Imperans tunc temporis Nero monſtrum erat libidinis. Præceſſerant Tiberius & Caligula, quorum vita nexus ſævitiæ & libidinis fuit.

Parentibus non obedientes. Peccatum hoc inter graviſſima enumerat Paulus, tum hîc tum alibi (m); repugnat enim naturæ legibus, primiſque pietatis & juſtitiæ inſtitutionibus, quemadmodum ex recenſitis pleraque. Exploratum eſt quid fecerit Tiberius in Liviam, & in Claudium Nero, ac poſt ſcriptam hanc Epiſtolam, quid in matrem Agrippinam. Græcus ad verbum (n): *Non auſcultantes parentibus*; immorigeros, inobedientes.

℣. 31. Incompositos, ἀσυνθέτους, inordinatos, expertes diſciplinæ. Græca vox duplici modo uſurpatur. Nonnulli (o) *perfidos* explicant, nullius fidei homines, tum in fœderibus publicis, tum in privatis contractibus. Notatur id in Romanis vitium, a Punici belli tertii temporibus, ait Grotius. Alii (p), *moribus duris*, aſperos, contrarios ingenio leni, civili, ſociabili. Prior tamen explicatio multo probatiſſima.

Sine affectione, absque foedere. Græcam vocem, redditam hîc, *ſine fœdere (q)*, nullius fidei, Græci Codices multi omittunt; quòd fortaſſe id ſatis ſignificatum putaverint ſuperiori voce, *incompoſitos*. At vocabula duo, quæ hîc legimus, junxit etiam Paulus in ſecundâ ad Timotheum (r); ex quo colligendum eſt, nihil hîc legi ſuperfluum. *Sine affectione* ii ſunt, qui omnem humanitatis, pietatis, charitatis ſenſum exuerunt. Romani & vulgo Gentiles exponebant liberos, ſi alere non poſſent (ſ); ſævi atque impii in miſeros erant; cùm nullum charitatis documentum in Gentilium religione ſuppeditaretur.

Altera vox, quam nos vertimus, *nullius fidei*, eos propriè ſignificat, qui pacta & fœdera violant, ac datam in promiſſis & commerciis fidem

(c) *Vide Grot. Lud. de Dieu.* (d) Πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ· μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας. (e) *Vide Var. Lect. Mill. hic.* (f) *Gloſſ. ord. Para.* (g) *Cyprian. Grot. Bez. Eſt. Menoch.* (h) *Vide Grot. hic.* (i) *Vide Hamm. Grot.* (k) *Epiſt. lib. 1. Ep. 1.* (l) *Auguſt. lib. de Spiritu & Lit. cap. 12. pag. 95.* (m) *2 Timot. iii, 2.* (n) Γονεῦσιν ἀπειθεῖς. (o) *Theophyl. Grot. Eraſm. Syr. Arab. Vat. Lud. de Dieu, Hammond. alii.* (p) *Vide Toleo. Menoc. Tirin. Eſt.* (q) Ἀστόργους, ἀσπόνδους. *Vide Mill. hic.* (r) *2 Timot. iii, 3:* Ἄστοργοι, ἄσπονδοι. (ſ) *Vide Grot. hic. Tertull. Apologetic. Juſtin. Apolog.*

℣. 32. Qui cùm juſtitiam Dei cognoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte: & non ſolùm, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.

COMMENTARIUS.

dem non præſtant: ne autem cum iis miſceantur, quos *incompoſitos* ſupra eodem ſenſu vidimus, nonnulli explicant *implacabiles*, qui pacem cum nemine ſervant, nunquam placantur (t).

Sine misericordia, qui ſæviſſimè inſectantur, impiiſſimè affligunt, aliorum calamitatibus non moventur; vindictâ immanes, erga ſervos immites, hoſtibus implacabiles. Apud hiſtoricos vide Romanorum ſævitiam in bello; apud Senecam (u), herorum crudelitatem in ſervos. Sunt qui cenſeant, Stoicos potiſſimùm ſpectari ab Apoſtolo, qui Sapientem nullis moveri affectibus oportere docebant, &, quicquid contigerit, immobilem eſſe; quo quidem dogmate benevolentia omnis, amicitia, miſericordia auferiur.

℣. 32. Qui talia agunt, digni sunt morte, &c. Gentiles Philoſophi juſtitiam, ſapientiam, potentiam Dei cognovere. Norant illi, alia eſſe bona opera, alia mala: eos tamen Deus ita cæcutire paſſus eſt, ut ne noſcerent quidem, mala iſthæc facta, quæ recenſuimus, lethalia eſſe, & æterna digna ſuppliciis (x), non agentibus modò, verùm etiam aſſentientibus atque probantibus (y). Igitur ii ex Philoſophis, qui iſta non perpetravere, ne peccato carere ſe cenſeant: ſatis eſt malum non prohibuiſſe, cùm poſſent, cognitaſque veritates non vulgaſſe: niſi enim ſcelera coërcuiſſent, ſaltem officio & conſcientiæ non defuiſſent. Cuivis illorum vel optimo illud ſaltem vitio vertendum eſt, quòd mala quæ noverant, non damnaverint.

Græcus hoc loco aliter legit (z): *Qui juſtitiam Dei cognoſcentes*, ſeu legem Dei, qua cautum eſt, eos *qui talia agunt, morte dignos eſſe, non modò ea faciunt, verùm etiam facientibus aſſentiuntur*. Gentiles Philoſophi ſcriptas Leges ignoravere, quæ mortis pœnam in quædam crimina execrabilia & naturæ contraria decernebant: at præſto fuit ratio, ſtudio exculta, quæ horum perverſitatem ſatis oſtendebat (a). Ea illorum plerique contemplatione damnarunt: at quamvis mala eſſe intelligerent, alii patraverunt ipſi, alii patrantibus aſſenſi ſunt; illud minimè perſpicientes, ſeveriſſimam ab ipſis ſententiam in ſe provocari, ſive facerent, ſive probarent.

At vulgatæ lectio in Codicibus vetuſtiſſimis fertur (b), quorum nonnulli annos mille & ducentos ſuperant: tum & apud Clementem Papam, in Epiſtolâ ad Corinthios, Paulo Apoſtolo coætaneum; apud Origenem (c), S. Ambroſium (d), Luciferum Calaritanum (e), S. Auguſtinum (f), alioſque quamplures (g); adeò ut dubitari nequeat, quin hæc genuina ſit lectio; cùm præſertim optimam ſententiam reddat, cum reliquâ orationis ſerie apprimè nexam, & Apoſtoli propoſito mirè ſervientem.

CAPUT II.

Judæi, a quibus damnantur Gentiles, nihilo minùs rei ſunt, quippe qui illorum flagitia imitantur. Reddet unicuique Deus pro geſtis. Legem violantes, a Lege non ſervabuntur; neque obtemperantes ab eâ damnabuntur. Circumciſio vera eſt mentis & voluntatis.

℣. 1. Propter quod inexcuſabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Propter quod inexcusabilis es, o homo, qui judicas. Compreſſâ Gentilium arrogantiâ, qui Philoſophorum ſuorum virtute & eruditione gloriabantur, orationem vertit Paulus ad Judæos, nuper ad Chriſtum converſos (a), qui ſeſe Gentilibus multo ſuperiores eſſe jactabant, quaſi certiſſimum ipſis eſſet jus ad Chriſti promiſſa, & Evangelii gratiam. Aſſerit igitur, eos minimè eſſe excuſandos, ubi Gentiles damnant; non quòd Gentilium geſta damnanda non forent, ſed quòd Hebræi, iſta damnantes, peccatis nihilo levioribus tenerentur. Peccavere Gentiles, Lege natu-

(t) *Græc.* Ἄσπονδος πόλεμος *dicitur, qui pacem non recipit; nec aliter accepit Syr. Para. Eſt. Lud. de Dieu.* (u) *Vide Senec. Ep. 47; & lib. 3 de Benef. cap. 25.*
(x) *Vide Platon. lib. 2, de Rep. Ciceron. de Somnio Scipionis. Grot. hic, Eſt. Para.*
(y) *Philo, de Specialib. Legib. Cyprian. Ep. 22: Nec eſt alienus a crimine, cujus conſenſu, licèt non a ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur. Vide & Salvian. lib. 4, apud Grot. hic.*
(z) Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες (ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν) οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. (a) *Vide Grot. hic, Tolet.*
(b) Οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, οὐκ ἐνόησαν ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον δὲ οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες τοῖς πράσσουσι. *Vide Var. Lect. Mill. in hunc locum, & Prolegom. 141, 142.* (c) *Origen. in Ep. ad Rom.*
(d) *Ambroſ. de Bono Mortis, cap. 7.* (e) *Lucifer Calarit. pag. 101.* (f) *Auguſt. in Pſal. LVII.*
(g) *Vide Cyprian. lib. 2, Ep. 4; Heſych. in Levit. 22; Author Comment. inter opera Hieronym. Primaſ. Sedul. Anſelm. Haymo, &c.* (a) *Aug. de Spirit. & Litt, c. 26. Eſt, Men. Tirin. Tolet. de Brais, Cornel. Le Clerc.*

Digitized by Google

℣. 2. Scimus enim quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos, qui talia agunt.

℣. 3. Exiſtimas autem hoc, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei?

℣. 4. An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

℣. 5. Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei,

COMMENTARIUS.

naturali violatâ, vitâque minimè inſtitutâ ad normam veritatum, quas ſtudio & meditatione aſſecuti ſunt: at multò graviùs peccavere Judæi, ſcriptæ Legi, manifeſtisque Dei vocibus non obſequuti. Hoc eſt totius Capitis argumentum; atque hæc explicatio cæterarum præſtantiſſima, quæ optimè omnium cum conſequentibus nectitur.

At Græci, Latinique Interpretes quamplures (b) latiùs uſurpant, vel de omnibus universè Judicibus ac Magiſtratibus, vel de iis qui in cæterorum geſta ſententiam ferunt, ſive Gentilibus, ſive Judæis (c); ſeu denique de Philoſophis, qui cenſorem agebant in cæteros, quamquam ipſi nihilo meliores. At conſtans Apoſtoli oratio alteri explicationi magis favet. Particula, *Propter quod*, conſequentia potiùs reſpicit, quàm præterita. Quantumvis rei ſint Gentiles, nihilo innocentiores eſtis, Judæi: quamobrem inexcuſabiles. Judæos alloquitur iis verbis, *O homo omnis qui judicas*, vel qui cæteros damnas. Verba quidem ipſa generalem ſententiam ſignificant; at orationis ſeries, Judæos omnino ſpectans, vagantem ſententiam definit. Oſtendere aggreditur Apoſtolus, neque ſcriptam Legem neque Circumciſionem illis vel minimum profuiſſe (d).

IN QUO ENIM JUDICAS ALTERUM, TE IPSUM CONDEMNAS. *Judicare* tum hìc tum alibi paſſim pro *damnare* uſurpatur. Gentilium idololatriam, errores in rebus ad mores pertinentibus, flagitia damnabant Judæi; at ipſi imitabantur. Quid non peccavere Judæorum majores in Numinum cultu? Jam tunc digni erant, quos desereret Deus. Judæorum ſapientiſſimi, & cæterorum æſtimatione ſanctiſſimi, Jeſu Chriſti ætate, hypocriſi, ſuperbiâ, vindictæ libidine laborabant; Legemque pernicioſis explicationibus corrumpebant. Illorum crimina paſſim recitantur in Evangelio, & flagitia arguuntur (e). Si tot criminibus tenebantur Phariſæi & Sacerdotes, quam fuiſſe par eſt multitudinis ſanctitatem? Profectò Joſephus (f) de Judæis ætatis ſuæ, præſertim de iis qui ſupremam Jeroſolymorum obſidionem ſuſtinuere, quaſi de hominum ſceleſtiſſimis, agit.

Porrò naturalis æquitas poſtulat, ut qui de alio judicat, eumque damnat, damnatis criminibus ipſe vacet; ſi enim damnans ea perpetrat, ſe ipſe damnat. *Nolite judicare, ut non judicemini*, inquit Chriſtus (g); *in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Seneca: *Non poteſt ullam authoritatem habere ſententia, ubi, qui damnandus eſt, damnat.*

℣. 2. SCIMUS ENIM, QUONIAM JUDICIUM DEI EST. Novimus, Deum æquiſſimo judicio, & ex veritate judicare de iis, qui ea faciunt, quæ vos damnatis. Hoc ego nomine vos non arguo: laudo potiùs ea damnantes, quippe qui Dei judicium & juſtitiam ſequimini; at opus eſt ſapientiùs vos geratis, iſtaque in vobis ipſi priùs damnetis, cùm ex Lege, quam vobis dedit Deus, ea damnanda eſſe intelligatis.

℣. 3. EXISTIMAS AUTEM HOC... QUIA TU EFFUGIES JUDICIUM DEI? An Dei judicium effugies, qui in cæteris damnas ea quæ ipſe perpetras? cùm ipſe noveris, Deum ſeveriſſimè in reos hujuſmodi animadverſurum. Qui adversùs conſcientiam & cognitionem peccat, eò graviùs damnandus eſt.

℣. 4. AN DIVITIAS BONITATIS EJUS CONTEMNIS? Divitiæ copiam ſignificant, & paſſim uſurpat Apoſtolus divitias gratiarum (h), divitias gloriæ (i), divitias bonitatis & miſericordiæ, divitias ſapientiæ & intellectûs (k). Divitiæ bonitatis Dei ſunt ingens miſericordia, quam Deus erga Judæos exercuit, & patientia qua vocavit ad pœnitentiam, & expectavit. Cùm Deus erga te plenus miſericordiæ ſit, non oportuit eò magis te obdurari? Peccandi cauſa eſt, pœnæ dilatio?

IGNORAS (l), QUONIAM BENIGNITAS DEI AD POENITENTIAM TE ADDUCIT? Pœnam idcirco differt Deus, ut ſpectatâ illius miſericordiâ tandem aliquando reſipiſcas. Miſericordiam excipiet vindicta, & ſpretus amor in furorem convertetur.

℣. 5. THESAURIZAS TIBI IRAM. Quarumlibet rerum collectiones *theſauri* dicuntur apud Hebræos; theſaurus aquæ vivæ (m), theſaurus imbrium (n), theſaurus vindictæ (o), theſaurus metalli ſub terrâ conditi (p), theſaurus auri, argenti, tritici, vini, olei, aromatum, &c. Pervicaces ac ſuperbi Judæi, damnata a ſe gentium flagitia imitantes, iræ theſaurum in vindictæ diem ſibi colligebant. Quemadmodum autem in theſauris clauſa diligentiſſimè cuſtodiuntur, ut nihil pereat; ita, inquit Theodoretus (q), omnia hominum geſta bene vel male in ſupremo Dei Judicio detegentur, pœnamque vel præmium quod merentur ferent. *Theſaurum iræ* opponit aptiſſimè *divitiis miſericordiæ*.

IN DIE IRÆ ET REVELATIONIS JUSTI JUDICII DEI.

(b) *Chryſoſt. alii Græci; Theodoret. Grot. Cajet.* (c) *Haymo, Anſelm. Perer. Fromond.*
(d) *Beza, hic.* (e) *Vide Matth.* v, *&* xxiii. (f) *Joſeph. de Bello, lib. 6, in Lat. 5, in Græc. c. 8, pag.* 904, 905. *Et lib. 7, cap. 28 in Lat.* n. ꝑ. λ *in Gr. p.* 985, 986.
(g) *Matt.* vii, 1, 2, 3; *Luc.* vi, 37. (h) *Epheſ.* i, 7; *Epheſ.* ii, 7.
(i) *Rom.* ix, 23; *Epheſ.* i, 18; *Epheſ.* iii, 16; *Coloſſ.* i, 27. (k) *Rom.* xi, 33; *Coloſſ.* ii, 2.
(l) *Gr.* Ἀγνοῶν, *Ignorans; & ita Latini codices probatiores. Et Cyprian. lib. 3, cap. 35, ad Quirin. & lib. de Patientiâ; & Iren. lib. 4, cap. 72; & Aug. in Pſal.* cii; *& Ambroſiaſt.*
(m) *Num.* xx, 6. (n) *Deut.* xxviii, 12. (o) *Deut.* xxxii, 34. (p) *Deut.* xxxiii, 19.
(q) *Theodoret. hic*: Καλῶς τὸ θησαυρίζεις ἑαυτῷ τέθεικε, δεικνὺς ὡς οὐδὲν τῶν ἡμετέρων ἢ λόγων ἢ ἔργων παραδίδοται λήθῃ.

Digitized by Google

℣. 6. Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus:
℣. 7. Iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam:
℣. 8. Iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.
℣. 9. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis maum, Judæi primùm, & Græci:
℣. 10. Gloria autem, & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm, & Græco:

COMMENTARIUS.

DEI. Omnino evincit hic locus, Apoſtolum ad Judæos verba facere, non ad Gentiles. Judices quoſdam apud inferos eſſe cenſebant Gentiles, a quibus ſententia decerneretur in homines, ut in obſcura ea loca ferebantur. Ii porrò pars erant illius, quam eruditi Poëticam Theologiam appellabant, adeoque fabuloſam. At Hebræi, præter privatum in ſingulos judicium, ubi animam efflavere, & alterum a Deo quotannis ſemel inſtitutum initio menſis Tizri, quod eſt anni civilis exordium, commune aliud hominibus univerſis, ſaltem Juſtis omnibus, in valle Joſaphati præſtolabantur: idque luculentiſſimè cernitur nedum apud Prophetas, Librum Sapientiæ, & Machabæos, verùm etiam multò luculentiùs in Novi Teſtamenti Libris, ubi Chriſtus hujuſmodi fidem atque opinionem Judæorum confirmat. Hic porrò dies nuncupatur iræ ac ſeveri Judicii dies: nullus tunc futurus eſt miſericordiæ locus: elapſum erit clementiæ tempus ac veniæ; quippe jam non licebit homini peſſimam animi habitudinem mutare, aut ad Deum ſinceré ex animoque converti. Felix aut miſera illius conditio æternum ſtabit. Arbor, *in quorumque loco ceciderit, ibi erit* (r).

℣. 6. UNICUIQUE SECUNDUM OPERA EJUS. Præmium bonis, malis pœnas diſtribuet. Bene geſta, quæ conſequentibus deinde male geſtis deleta non fuerint, præmium ferent: male geſta per pœnitentiam non expiata, punientur. Quamobrem, ſuperbi atque arrogantes Judæi, qui damnatis cæteros, veſtræ virtuti fidiiis, veſtrâque in peculiarem Dei populum electione glorioſi, cavete: ſententiam in vos feret Deus ex iis quæ feceritis, non quæ meditando noveritis. Legis cognitio pondus flagitiis veſtris ac damnationi adjiciet.

℣. 7. IIS QUIDEM, QUI SECUNDUM PATIENTIAM BONI OPERIS GLORIAM QUÆRUNT (s). Cœleſtis gloria, Regnumque Cœlorum, quæ pollicitus eſt vobis Deus, ſterilis ſcientiæ, inſtantisque contemplationis merces futura non ſunt: ea quippe Deus pollicetur iis, qui in bene factorum exercitatione perſeveraverint. Animadverte, non dicere Apoſtolum, eos qui dumtaxat bene fecerint, ſed qui bene agendo perſeveraverint: *virtus* enim *boni operis perſeverantia eſt* (t); & *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* (u). Hanc interpretationem tradunt Origenes, S. Chryſoſtomus, ac Theophylactus in hunc locum.

Sunt qui vertant (x): *Iis quidem qui vitam æternam per bonorum operum perſeverantiam quærunt, largietur Deus gloriam, honorem, & incorruptionem.* Alii (y) pro *perſeverantiâ bonorum operum*, legunt *patientiam in bonorum operum exercitatione*: reverâ enim virtutem colere non potes, quin multa feras, innumeriſque ærumnis atque odiis obnoxius ſis. Quamobrem Jeſus Chriſtus in parabolâ de tritico ſato in agro, in viâ, & in lapidoſis locis (z), ait, poſtremis hiſce ſignificari eos, qui Dei verbum libenter excipiunt, at radices non jaciunt, & in diſcrimine iter virtutis deſerunt.

℣. 8. IIS QUI SUNT EX CONTENTIONE. Contentio, diſceptatio, lites, genuinæ ſunt Judæorum notæ. Nullum hi ponunt jurgiis modum, nullâque in re cæteris conſentiunt. Nihil rarius, quàm ſincera Judæi unius converſio. Malam hanc diſceptandi libidinem paſſim legimus in Evangelio & in Actis Apoſtolorum, ubi Judæi litium materiem ubique ſcrutantur. Judæi ad Chriſtum converſi, quos hac Epiſtolâ alloquitur Paulus, eam libidinem nondum penitus exuerant (a). Diſceptabant illi cum Chriſtianis ex Idololatriâ converſis de vocatione ad fidem; ajebantque eam vocationem virtuti, Fidei, boniſque ipſorum operibus deberi. Ex hiſce litibus tumultus ciebantur in Eccleſiâ, minuebatur charitas, maximumque prædicationi veritatis obſtaculum opponebatur (b).

℣. 9. TRIBULATIO ET ANGUSTIA, ſeu dolor ac triſtitia, animi anguſtia (c) opprimet animum cujuslibet hominis, ſive abſolutè hominem (hominis quippe animus pro ipſo homine paſſim uſurpatur) male agentem, Judæum præſertim & Græcum. Qui male egerit, judicium ac pœnam ex Deo referet, quam geſta meruerint, ut inquit ſuperiori articulo Apoſtolus: prætereà experietur conſcientiæ ſtimulos, quibus in triſtitiam, animi angorem, ac vivendi faſtidium adigetur. Hujuſmodi autem angore, ſtimulis, deſperatione deſignari poteſt damnatorum conditio poſt ſupremum Judicium. Ea verò eſt quam damni pœnam appellamus: his malis Judæus æquè & Gentilis opprimentur. Uterque acribus conſcientiæ ſtimulis agitati ſunt, cùm vel officio vel conſcientiæ defuerunt; juſtam ſcelerum ſuorum pœnam, ſummo bono privati, in æternitate ſentient. *Judæi primùm & Græci.* Hinc diſce, Judæos, utpote majoribus beneficiis & cognitione donatos, multo acriùs mulctatum iri, ſi Divinas Leges violaverint, ſuamque ipſi conſcientiam criminibus læſerint.

℣. 10. GLORIA ET PAX OMNI OPERANTI BONUM. Gloriam & pacem ſuppliciis & conſcientiæ ſtimulis opponit. Judæi blandiebantur ſibi futurum, ut ipſis quantumlibet impiis, ob unum generis ſui meritum & originis ſanctitatem, utpote Abrabami

(r) *Eccle.* XI, 3. (s) *Græc.* Δόξαν ζητοῦσι. *Latini Codd. plurimi*, quærentibus. *Et ita Interpretes, & expoſitores plerique omnes. Brug. Eſt.* (t) *Greg. lib.* 1. *homil.* 13 *in Evang.*
(u) *Matth.* X, 22. (x) *Oecum. Ambroſ. Greg. in Tolet. & ita ferè omnes Latini apud Eſtium.*
(y) *Vide Theodoret. Eſt. Menoch. Tolet. alios.* (z) *Luc.* VIII, 13. (a) *Tolet. Eſt. Menoc. alii.*
(b) *Vide Rom.* XIII, 13; 1 *Cor.* I, 11, 12, 16; *Galat.* V, 20. (c) Θλίψις καὶ στενοχωρία.

℣. 11. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.

℣. 12. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt: & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.

℣. 13. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.

℣. 14. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.

COMMENTARIUS.

hami poſteris, Deus æternam vitam largiretur. Ita ſentiebant illi, ætate S. Juſtini Martyris *(d)*. Sunt adhuc Judæi Doctores, qui animas damnatorum, poſt anni unius ſupplicia, in nihilum redigi putant; alii purgatorium locum ob maxima etiam crimina comminiſcuntur: denique illorum ſeveriſſimi cenſent, æternam damnationem iis dumtaxat inter Hebræos tribui, qui Deum eſſe, ac mortuos reſurgere negaverint, oralesque leges contempſerint *(e)*.

Commenta iſthæc evertit Apoſtolus; docetque, nullam hac in re Judæis eſſe ſupra Gentiles prærogativam; Deum pari ſeveritate in omnes animadverſurum, ſi Leges ſcriptas aut naturales violaverint; cumulaturum bonis, ſi imperata integrâ fide perfecerint. *Gloria*, inquit, *& pax omni operanti bonum, Judæo primùm, &* deinde *Græco*. Neque tamen propriè Gentilem in ſcelere, infidelitate ac ſuperſtitione pervicacem ſignificat. Fieri non poteſt, ut quis in eo mentis ſtatu perſeverans, cœleſtem felicitatem & gloriam, æternamque pacem aſſequatur. Neque etiam de Gentilibus Judæiſque ad Chriſti ſacra converſis agit, ſed de iis, qui ante Moyſis Legem & Meſſiæ adventum vixere *(f)*, uti Noëmo, Melchiſedecho, Enocho, Jobo, Jethrone, Naamano, aliiſque permultis, qui Legem naturalem ſequuti, Deum coluere, uti traditâ ſibi a Deo cognitione intelligebant. Hi certè, tametſi Gentiles, præmium conſequentur non ſecus ac Judæi, qui ſub Lege viventes, integrâ fide illi obtemperavere. Cùm Gentilem dicis, non ſtatim Idololatram ſignificas. Apud Hebræos, quiſquis origine a Judæis alienâ Gentilis nuncupatur.

℣. 11. Non enim est acceptio personarum apud Deum. Æquiſſimus Judex eſt Deus, cauſæ naturam dumtaxat, non hominem ſpectans. Pauper aut dives, infirmus aut potens, doctus indoctuſque, Judæus & Gentilis, Domeſticus vel Externus, omnes illi perinde ſunt. Peccatum damnat, præmio afficit virtutem, ubi illa inveniantur *(g)*. Quamobrem vobis jam non licet, Judæi, generis prærogativâ abuti, ut liberiùs peccetis; neque vobis, Gentiles, Divinæ Legis ignorationem cauſari, ut male agatis. Ineptas excuſationes non excipiet Deus: æquiſſimum de utriſque judicium feret ex geſtis.

℣. 12. Quicumque sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt *(h)*. Illud ne objiciant Gentiles: Moyſis Legem non accepimus: quî fieri poteſt, ut Dei voluntatem noverimus? Qui non acceptâ Moyſis Lege peccaverunt, perituri ſunt, quin ex eâ judicium ſubeant. Scriptam illi Legem non novere; at certè naturalem, ſingulorum mentibus inſcriptam *(i)*. Legis naturalis violatio ſatis cauſæ eſt, cur damnentur. Punientur illi: acriùs tamen Judæi *(k)*, quibus, præter naturæ cognitionem, præſto erant Dei Lex, & divinæ voluntatis revelatio. Quamobrem addit Apoſtolus: *Quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur*.

℣. 13. Non enim auditores ... sed factores Legis justificabuntur. Duo hîc ſunt quæ explicationem poſtulant: nomen Legis, & verbum juſtificare. Moyſis Lex, ſi tam latè accipiatur, quàm patet, Leges morales, rituales, judiciales complectitur. Præterea duplex eſt ſervandæ Moſaicæ Legis modus; imperfectus alter, ſervilis, & literam ſequens; alter ſpiritualis, liber, perfectus, cum charitate conjunctus. Servilis Legum obſervatio inutilis eſt ad juſtificationem, quemadmodum totâ hac Epiſtolâ docet Paulus. Rituales judicialeſque ſanctiones, quæ nimium morale nihil admiſtum ferunt, juſtos apud Deum efficere homines per ſe non valent. Morales religioſè ſervatæ, origo ſunt meriti & juſtitiæ; neque iis Judæi dumtaxat, ſed cæteri etiam homines tenentur. Cùm eas dedit Moyſes, hoc unum præſtitit, quòd naturæ jus inſtauravit, explicavit, illuſtravit.

Verbum *juſtificare* nihilo minùs hîc ambiguum eſt, quàm Legis nomen. Qui Legi obtemperant, duplici ratione juſtificari queunt *(l)*: I, quòd juſti proptereà fiunt, innocentes, & Deo chari: II, quòd illos juſtificat Deus, & juſtos cenſet. At reos exiſtimat ac damnat eos qui Legem violant. Poſteriori præſertim modo verum eſt, eos dumtaxat, qui Legem ſervant ſive ſcriptam ſive naturalem *(m)*, *juſtificatum iri apud Deum*, Dei judicio; quamvis fortaſſe aliter cenſeant homines: at unus hominum judex eſt Deus. Totus hic verſiculus ad Judæos dumtaxat referendus eſſe videtur. Fruſtra illi accepere Legem, niſi ſervaverint. Actione, non meditatione digni efficimur, quos juſtificet Deus, atque inter amicos recenſeat. Inanem Judæorum confidentiam comprimit Paulus, qua ſeſe perire, aut a cœleſti beatitudine excludi non poſſe arbitrabantur hac unâ de cauſâ, quòd ex Abrahami genere eſſent, Legemque ex Deo accepiſſent.

℣. 14. Cum enim Gentes, quæ Legem ſcriptam non habent, eamque tantùm ſanctitatis regu-

(d) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon. p.* 355: Ἐπειδὴ κατὰ τὸ σαρκικὸν σπέρμα τοῦ Ἰακὼβ τέκνα ἐστὲ, πάντως σωθήσεσθαι προσδοκᾶτε. *Et pag.* 369: ὑπολαμβάνουσι (οἱ τῶν Ἰουδαίων διδάσκαλοι) ὅτι πάντως τοῖς ἀπὸ τῆς σπορᾶς τῆς κατὰ σάρκα τοῦ Ἀβραὰμ οὖσι, κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, καὶ ἄπιστοι, καὶ ἀπειθεῖς πρὸς τὸν Θεὸν, ἡ βασιλεία ἡ αἰώνιος δοθήσεται. (e) *Vide* Baſnage, Hiſt. des Juifs, liv. 7, ch. 32, art. 5. (f) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. ad* ℣. 9, 10. *Grot. hic.*

(g) *Vide Act.* x, 34; 2 *Par.* xix, 7; *Deut.* x, 17; *Matth.* xxii, 16. *Eſt. Grot. Men. hic.*

(h) *Græc. Syr. & Latini plures*: Et peribunt. Ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται. (i) *Vide Theodoret. Eſt. Grot. Men. Cornel.* (k) *Chryſoſt. orat.* 2 *de Jejunio*; *Oecumen. Theophyl. alii.*

(l) *Vide Eſt. Perer. Grot. Tolet.*

(m) *Tolet. Eſt. Grot. Menoc. Vide & D. Thom. & Andr. in Concil. Trid. cap.* 25.

℣. 15. Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.

℣. 16. In die, cùm judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum, per Jeſum Chriſtum.

COMMENTARIUS.

regulam ſequuntur, quam ratio & conſcientia ſuppeditant, cùm, inquam, gentes NATURALITER (n), ſponte ſuâ, ex naturalis legis & conſcientiæ inſtituto, EA QUÆ LEGIS SUNT, bona opera moralia in Lege imperata, FACIUNT, IPSI SIBI SUNT LEX. Suis ipſi in mentibus ſuâque in ratione inveniunt ea, quæ ſcriptâ in Lege Judæi. Norunt e. g. amandum eſſe & colendum unum Deum, diligendum proximum, quaſi ſeipſum, &c. *Naturaliter* opponitur hîc Judæorum conditioni, qui ex Deo Legem ſcriptam acceperant (o); Gentilibus in meræ naturæ conditione relictis, quales a Deo conditi fuerant, nullius Legis adminiculo, præter Legem hominibus univerſis communem. Neque tamen idcirco excluduntur ſupernaturalia Dei auxilia, quibus ſi careat homo, ſuis unius viribus nihil æternitate dignum præſtare poteſt. *Naturaliter facere* non eſt agere absque Dei ope, ſed ſine ſcriptæ Legis adminiculo, ratione dumtaxat duce.

Ita pii illi Patriarchæ, ante & poſt diluvium ſub naturæ Lege, & poſt ſcriptam Legem inter Gentiles, qui Dei gratiâ & adminiculis fulti Deum novere, ac Legi naturali obtemperavere; illi, inquam, ſibi ipſi Lex fuerunt, ut ait Paulus. Lex igitur abſolutè neceſſaria non eſt, ut ſalutem aſſequamur; neque Judæis, qui Legem acceperunt, excluſis Gentilibus, at non ſervavere, quidquam gloriandum eſt, neque, iis ſpretis, aliquid arrogandum, cùm non qui Legem novere, ſed qui ſervant, apud Deum juſti cenſeantur. Iſtud vult hoc loco Apoſtolus.

Locum hunc Pelagius (p) interpretabatur de quodam juſtitiæ genere, quod homo absque gratiæ ope ſuis unius viribus, rationis lumen ſequens, conſequi poſſet. Hanc ſententiam proſcripſit Eccleſia (q), & refutavit S. Auguſtinus (r), docens, agere hîc Apoſtolum de gentilibus ad Chriſti fidem converſis, *naturaliter*, ſcilicet absque ſcriptæ Legis ope, ſed unius dumtaxat auxilio gratiæ, naturam illuſtrantis, confirmantis, ac perficientis, ſervantibus Legem naturæ, mentibus ipſorum inſcriptam, morales Moyſis ſanctiones, & Legem Evangelii: quæ certè opinio maximè catholica eſt, multosque patronos enumerat (s); prior tamen interpretatio literæ convenientior videtur. Tota orationis Pauli ſeries indicat, agi hîc de Gentilibus, Lege & revelatione deſtitutis; at Gentilibus ad Chriſtum converſis præſto eſt utraque.

℣. 15. QUI OSTENDUNT OPUS LEGIS, SCRIPTUM IN CORDIBUS SUIS, Gentiles, Deum colentes, de quibus actum eſt articulo ſuperiore, dum gratiæ opem, legem naturæ, & conſcientiæ voces ſequuntur (t), ipsâ obtemperandi fide oſtendunt, intra ipſorum mentes Legem eſſe digito Dei exaratam, qua docentur eaſdem morum regulas, & naturalem juſtitiam, quæ in Moſaicâ Lege deſcribuntur. Prætereo hîc ſanctiones dumtaxat rituales, ſive judiciales, quas ſervari neceſſe non eſt ad ſalutem: de moralibus agimus, in quibus ipſum Legis caput conſiſtit. *Opus Legis* eſt id quod in Lege eſt præcipuum, neceſſarium, abſolutiſſimum, opponiturque meræ illius literæ, ſcriptioni, ſono. Poſteriora hæc propria Judæorum ſunt. At omnes planè homines naturalem Legem animis inſcriptam gerunt (u); quamquam, ut eam utiliter exerceant, opus eſt ſupernaturali auxilio, quod ex ſe ipſi non habent. *Opus Legis* aptiſſimè etiam uſurpari poteſt pro Legis exercitatione, & operibus ad naturalis Legis regulam factis.

TESTIMONIUM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORUM, &c. Duo in homine ſunt morum principia, quibus quid malum ſit docemur, quid bonum; alterum ratio, alterum conſcientia. Ratione bonum a malo ſecernimus: conſcientiâ intelligimus, æquum ne ſit an iniquum quod gerimus. Dixit mox Apoſtolus, Gentiles, qui ſub legis naturâ chari Deo fuere, rebus geſtis oſtendiſſe, quamdam æquitatis regulam in ipſis eſſe, qua agendo ducebantur: ait hîc, illos quæ bona ſunt exercuiſſe, conſcientiæ teſtimonium ſequutos; ipſis illorum cogitationibus eos male agere monentibus, cùm conſcientiæ ſtimulis agerentur; vel bene, cùm tacitam quamdam ſui ipſorum probationem, nunquam non virtutis ſociam, in animo experirentur (x). Ita nihil perpetrantes, quod conſcientiæ repugnaret, malum vitabant certiſſimè, & virtutem ſequebantur. Id porrò cùm luculentiſſimè cognoverint Gentiles (y), damnandi ſunt, quòd non ſervaverint.

. . . . Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire tibi, nullâ palleſcere culpâ.

℣. 16. IN DIE CUM JUDICABIT DEUS, Membrum hoc cum ſuperioribus conjungendum. Gentiles, naturæ legem aut conſcientiam ſequuti, damnabuntur, aut pronunciabuntur juſti supremâ Judicii die iis ipſis legibus, quas aut coluerint, aut violaverint. De ſcriptâ Lege judicium in illos non inſtituet Deus, utpote illis ignotâ, ſed de naturæ cognitionibus, & conſcientiæ teſtimonio;

(n) Φύσει, *Naturâ. Sic Epheſ.* II, 3: *Naturâ filii*, Φύσει τέκνα ὀργῆς. (o) *Vide Chryſ. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Primaſ. Sedul. Haymon. Cyprian. lib.* 3 *ad Quirin. cap.* 99; *Hieron. ad Algaſ. qu.* 8; *Soto, Cornel. aliis.* (p) *Pelag. Ep. ad Demetriad. & Comment. in hunc loc. Vide & Caſſian. Collat. de Protectione Dei.* (q) *Concil. Milevitan. cap.* 5. (r) *Auguſt. de Spiritu & Litt. cap.* 26, *& ſequ. & Libb. contra Julian.* (s) *Vide & Proſper. contra Collat. cap.* 22; *Fulgent. de Gratiâ Chriſti, cap.* 26; *Anſelm. Perer. Hugo. Lombard. Carthuſ.* (t) *Tolet. Perer. Grot. Tertull. contra Judæos: Ante Legem Moſis ſcriptam, Legem fuiſſe contendam non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & a patribus cuſtodiebatur. Alioquin unde Noë juſtus inventus & Abrahamus? Vide & de Coronâ Militis.*
(u) *Origen. Philoc. cap.* 9: Ὁ γραπτὸς ἐν ταῖς καρδίαις νόμος, καὶ ἐν ἔθνικοῖς φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιοῦσιν, οὐκ ἄλλος ἐστὶ τοῦ κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας φύσει ἐγγεγραμμένου τῷ ἡγεμονικῷ ἡμῶν.
(x) *Vide Perer. Tolet. Grot. Oecumen. alios.* (y) *Horat. Epiſt. lib.* 1, *Ep.* 1. *Et Juvenal. ſat.*

Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Menand. Ὁ συνιστορῶν αὐτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.

Digitized by Google

℣. 17. Si autem tu Judæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo,

℣. 18. Et noſti voluntatem ejus, & probas utiliora, inſtructus per legem,

℣. 19. Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt,

℣. 20. Eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ, & veritatis in lege.

℣. 21. Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris.

℣. 22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis.

COMMENTARIUS.

nio; atque his teſtibus damnabuntur illi aut abſolventur (z).

Secundum Evangelium meum. Nullum certè eſt Evangelium a Paulo exaratum; at quidquid prædicabat ille, quidquid docebat, ſcribebat, Evangelium erat (a): omnia enim illius dicta eò ferebantur, ut notus fieret & amaretur Jeſus. Suum nuncupat Evangelium, non quòd aliud eſſet a cæterorum Apoſtolorum Evangeliis; ſed quòd illud ex ipſo Chriſto divinitus didicerit (b). Teſte S. Hieronymo (c), cenſebant nonnulli, cùm Paulus Evangelii ſui meminit, Lucæ Evangelium ab eo ſignificari, cujus Evangelii verus ac primus author ipſe haberetur. At multo probabilius eſt, quod mox diximus: Pauli Evangelium doctrina, prædicatio illius erat (d). Eamdem locutionem vide 2 *Timoth.* II, 8. Ubique docebat Paulus, judicium in univerſos indiſcriminatim homines inſtitutum iri a Deo per Chriſtum (e) ex rebus ſingulorum geſtis, ſive illi ſub ſcriptâ Lege, velut Judæi, ſive ſub naturali, ut Gentiles, vixerint.

℣. 17. Si autem (f) tu Judæus cognominaris. Qui Judæi nomen geris, & gloriaris cognitione Legis quam poſſides, jam ex me diſces, nihilo præſtantiorem te eſſe Gentilibus, aut ſaltem prærogativas tuas te amiſiſſe, easque promerendæ vocationi ad Fidem minimè profuiſſe. Reliquâ hujus capitis parte, Judæorum infidelitas arguitur. Ut hiantem membri hujus ſententiam compleas, aliquid ſupplendum eſt: *Si tu*, qui *Judæus cognominaris*; (21) Si, inquam, tu *qui alium doces, te ipſum non doces*, & violas Legem quam profiteris (III, 1); quorſum Judæi nomen geris & circumciſionem, quibus diſtingueris? Illud commodi duntaxat ex eo refers, quòd Legem agnoveris, & Dei oracola penès te ceu depoſito fuerint. Et ſi æquus tibi judex eſſe volueris, ℣℣. 19, 20, fatendum tibi eſt, neminem ex unis Legis operibus apud Deum juſtificari, teque ex Lege accepiſſe peccati cognitionem, at nullas ad illud fugiendum vires.

Requieſcis in Lege, Divinisque largitionibus gloriaris; ſive, eo gloriaris, quòd ad Deum pertines. Tuâ Legis cognitione contentus es, quaſi una hæc ad ſalutem ſufficiat: fiduciam in eo collocas, quòd populus Dei nuncuparis; quaſi unâ eâ appellatione juſtus apud Deum efficiaris. Hæc potiùs decora, niſi par vita reſpondeat, aptiora ſunt ciendo in te Dei judicio, quàm gratiæ ac munificentiæ promerendæ.

℣. 18. Et noſti voluntatem ejus, et probas utiliora (g). Hoc quidem nomine antecellis Gentili, qui rationis ope generalia tantùm officia aſſequitur, non quid in unâquaque re agendum ſit. Novit ille, præſtandum Deo eſſe cultum & obſequium: at ignorat peculiarem utriusque rationem: incertus eſt quid eligat, & quo pacto Deum colat; cùm Judæus in Lege ducem omnium & magiſtrum inveniat, modò præſcriptas ſibi regulas ſervet. Mox tamen oſtendit, Judæum ex eâ re nihil commodi retuliſſe.

℣. 19. Ducem cæcorum. Ita inter gentes verſaris, quaſi inter cæcos videos. Credis, unum te rectâ oculorum acie uti, ut quæ bona ſint, quæ mala, perſpicias (h). Iiſdem fermè verbis Chriſtus arguit Phariſæos (i): *Cæci ſunt, & duces cæcorum.*

℣. 20. Eruditorem inſipientium. Dei Legem edoctus, maria terrasque peragras, ut proſelytum unum facias (k), multamque divinorum conſiliorum, cæteros latentium, cognitionem jactas. Olim Hebræi cæteros adeò aſpernabantur, ut conſuetudinem cum iis habere nollent. At ærumnis & captivitatibus fracti, ac mitiores, cæteros convertere, ac Religionis ſuæ notitiam longè lateque diffundere laboravere.

℣. 21. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces. Hîc arguere Judæos aggreditur. Tam multa commoda neglexiſti penitus ac perdidiſti: non uſus es ut oportuit: cùmque ea, quæ cæteros docuiſti, te ipſe docere deberes, monſtratâ cæteris viâ, ipſe erraſti: præcipitium cæteris indicaſti, cum ipſe præceps rueres. Eâdem ratione Chriſtus ſæpè Phariſæos in Evangelio arguit (l): ſedere illos in Moyſis cathedrâ, atque aliter quàm docebant, vitam inſtituere: imponere cæteris onera, quæ ipſi ne ſummo quidem digito tangerent (m): feſtucam eruere ex oculo fratris conari, cùm ipſi trabem in oculis ferrent, &c. (n).

℣. 22. Qui abominaris idola, sacrilegium fa-

(z) *Vara. Eſt. Eſt. Grot. Tolet.* (a) *Origen. in Joan. pag.* 6: Ἐν γράμμασι Παῦλος οὐκ ἔχομεν Εὐαγγέλιον συνήθως καλούμενον. Ἀλλὰ πᾶν ὃ ἐκήρυσσε καὶ ἔλεγε, τὸ Εὐαγγέλιον ἦν. Ἃ καὶ ἐκήρυσσε καὶ ἔλεγε, ταῦτα καὶ ἔγραφε. καὶ ἃ ἔγραφε, ἄρα Εὐαγγέλιον ἦν.
(b) *Galat.* I, 11, 12. (c) *Hieronym. Catal. Script. Eccleſiaſtic.* (d) *Ita Interpp. paſſim.*
(e) *Act.* X, 42. *Ipſe eſt qui conſtitutus eſt a Deo judex vivorum & mortuorum. Vide & Matth.* XXV, 31; *Act.* XVII, 31. (f) *Gr. impreſſ.* Ἴδε, σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ, *Ecce, tu Judæus cognominaris. Sed Mſſ. quàm plurimi, Clem. Alex. Origen. Ambr. Sedul. Theophyl. Syr. Æth. alii, ut Vulgat.* Εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος, *ſi autem tu Judæus, &c.* (g) Καὶ δοκιμάζεις τὰ διαφέροντα, *Probas, exploras, diſcernis utilia, eximia, diſcrepantia. Theophyl.* Διαφέροντα, καὶ καθήκοντα ἑαυτῷ, ἤγουν συμφέροντα. (h) *Tolet. Grot. ex Chryſoſt.* (i) *Matth.* XV, 14; XXIII, 16. (k) *Matth.* XXIII, 15.
(l) *Matth.* XXIII, 3. (m) *Matth.* XXIII, 4. (n) *Matth.* VII, 3.

℣. 23. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

℣. 24. (Nonne enim Dei per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt)

℣. 25. Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerves: ſi autem prævaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt.

℣. 26. Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?

℣. 27. Et judicabit id, quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per litteram & circumciſionem prævaricator legis es?

℣. 28. Non enim, qui in manifeſto, Judæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne, eſt circumciſio:

℣. 29. Sed qui in abſcondito, Judæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt.

COMMENTARIUS.

FACIS. Judæi, ætate Jeſu Chriſti, diuturno majorum ſuorum morbo, Numinum ſcilicet cultu, vacabant. At unam peſtem excepit altera nihilo levior; ſacrilegium ſcilicet, rerumque ſacrarum profanatio. Plerique illorum Pontifices Sacerdotium pecuniâ emebant; privati Sacerdotes patiebantur, ut negotiatio in Templo exerceretur; quamobrem querebatur Chriſtus, Divini Patris domum ſpeluncam eſſe latronum (o). Docebaot, avaritiæ gratiâ, fas eſſe creditorem fallere; devotisque Templo fortunis, neceſſariam pareotibus opem denegare (p). Quid porrò iſtud eſt, niſi ſacrilegium? Prætereo perpetratas Templi profanationes vel in ipsâ Jeroſolymorum obſidione; non eoim poterat Paulus illis ea ſcelera objicere, quæ nondum perpetrâraot: at optimè noverat, quo illi animo eſſent, & quàm minimo erga res ſacras obſequio tenerentur.

℣. 24. NOMAN ANIM DAI PEA VOS BLASHPAMATUR INTAR GENTES. Id variis temporibus vitio verterant Judæis Prophetæ (q), atque hoc ipſum revocat Paulus, Romanos Judæos ad Chriſtum converſos alloquens; non quòd Fideles ex Judæis ita inter gentiles viverent, ut malo illis exemplo eſſent; ſed quòd illos ita alloquatur, quaſi adhuc inter Judæos a Chriſto alienos verſentur; qui certè vitæ genus adeò Legi repugnans agebant, ut ludibrio eſſent Gentilibus, & ab iis audirent ſcommata, quæ ex obliquo in Deum ferebantur. En, inquiebant, populum Deo charum, qui Legem per Angelos ſe accepiſſe gloriatur, Iſta ne eſt vitæ ſanctitas, æquitas, fides, Religio? Ullane gens eſt iſtâ perverſior aut infidelior? Qui fieri poteſt, ut ſancta ſit ea Religio, quæ cultores hiſce flagitiis implicitos habet?

℣. 25. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST, SI LEGAM OBSERVES. Lege neglectâ, inutilis eſt Circumciſio: perinde eſt ac ſi circumciſione careas: *Circumciſio tua præputium facta eſt*. Circumciſio pro Judaicæ Religionis profeſſione uſurpatur. Juſtos non facit exterior profeſſio, ſed vitæ ſanctitas. Ad id uſque temporis Circumciſio & reliquæ Legis ſanctiones a Judæis ad Chriſtum converſis ſervabantur; quas nedum non damnabat Eccleſia, ſed laudabat probabatque: docebat ſolummodò, eas ad ſalutem neceſſarias non eſſe, idque oneris minimè imponendum iis, qui Chriſtianorum ſacra amplectebantur: id quod io Actis Apoſtolorum vidimus,

Paulus igitur hoc loco non repugnat iis, quæ in Epiſtolâ ad Galatas, tertio anno vel quarto ante præſentem datâ, ſcripſit (r): *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur*. Carnis circumciſio, a mentis circumciſione ſejuncta, prorſus inanis eſt (s). Exterior circumciſio, neglectis Legibus, neminem juſtum facit. In Epiſtolâ ad Galatas de ſolâ carnis circumciſione loquitur; hic de circumciſione mentis, cum Divinæ voluntatis obſequio.

℣. 26. SI PRÆPUTIUM, homo circumciſione carens, &c. Poſtquam conſtituit, inanem eſſe, neglectâ Lege, Circumciſionem, colligit, Gentilem igitur, qui Legi obtemperat, tantumdem Deo gratum eſſe ac Judæum, qui eadem prætiterit. Quamobrem perſpicuè illud conſequitur, onam per ſe Circumciſionem nullius eſſe virtutis; id quod probandum erat Apoſtolo.

℣. 27. ET JUDICABIT ID QUOD EX NATURA EST PRÆPUTIUM, &c. Gentilis ita perſeverans, uti conditus a Deo eſt, nullâ Circumciſione, at Legi naturæ obtemperans, Judæum circumciſum Legisque violatorem damnat: *Judicabit te, qui per literam & Circumciſionem prævaricator Legis es*. His verbis, *Per literam & Circumciſionem*, ſignificari queunt verba Legis, & carnis circumciſio (t). Vel abſolutè, *Circumciſio literalis*, exterior, ſenſibus obnoxia (u). *Spiritus* paſſim opponitur *litera* in Pauli Epiſtolis. Tu qui ſanctiori religione ad Legis obſervationem adigeris, quippe qui Scripturas & Circumciſionem habes, factus es prævaricator, ac damnaris ab ipſiſmet Geotilibus, qui fide magis integrâ rationem, quàm tu ſcriptam Legem, ſectantur.

℣. 28. NON ENIM QUI IN MANIFESTO Judaicam Religionem præfefert, is reverâ Judæus eſt, ſed qui mente inſculptam gerit; qui ſummo erga Dei Legem obſequio & amore tenetur, eamque ſervat religiosè; qui cultum Deo exhibet purum, ſincerum, ſpiritalem ac verum. Quemadmodum vera circumciſio non ea eſt, quæ corpore dumtaxat

(o) *Matth.* XXI, 13.

(p) *Marc.* VII, 12. *Vide nos ibi*, (q) *Vide* Laa *in Iſai.* LII, 5; *Ezech.* XXVI, 20, 21, 22, 23.
(r) *Galat.* V, 6. (s) *Jerem.* IV, 4; VI, 10; IX, 26; *Levit.* XXVI, 41; *Ezech.* XLIV, 7, 9; *Act.* VII, 51.
(t) *Vatab. Grot. Eſt. Menoch.* (u) *Piſcat. Paræus.*

taxat geritur, ſed quæ aoimo & voluntate, paſſim a Prophetis laudata (x), quæ in vitiorum ac libidinum abſciſſione, & cordis puritate verſatur. Poſtrema hæc Circumciſio donum eſt ſancti Spiritûs, uti animadvertit Apoſtolus (y), ipſeque Moyſes (z), ubi ait: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ.* Deus ipſe *dat legem ſuam in viſceribus noſtris, & in corde noſtro ſcribit eam* (α). Deoique idem ille *aufert ab homine cor lapideum, & dat cor carneum* (β).

CAPUT III.

Objectiones nonnullas diluit Apoſtolus. Judæi Gentilibus præſtant: Incredula Judæorum mens fidelitatem Dei non deſtruit. Peccavere omnes, tum Judæi tum Gentiles. Fide juſtificamur, non Lege. Nemo gloriari in ſe ipſo poteſt.

℣. 1. QUid ergo ampliùs Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis?

℣. 2. Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.

℣. 3. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Abſit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUID ERGO AMPLIUS (a) JUDÆO EST? Hoc ſibi Paulus nomine Judæorum objicit. Si reverâ inutiles fuere Circumciſio, Lex, & Judaica Religio, ut juſti efficeremur, cùm & ante Legem Patriarchæ, & poſt Legem viri quamplures ſanctiſſimi Deo chari fuerint, quorſum igitur Deus Legem dedit, imperavit Circumciſionem? Cur Abrahami genus tantoperè commendat Scriptura (b), ſanctum genus nuncupans, electam geotem, Regale Sacerdotium? Hæc prorſus inania ſunt, ſi verum ſit, absque Lege ſalutem conſequi, & gratiam juſtificatioois promereri hominem poſſe.

℣. 2. MULTUM PER OMNEM MODUM, omnino, ſeu multis oominibus. Illos Deus ſelegit e geotium numero, ut peculiarem ſibi populum faceret; ex Ægypto eduxit; Prophetas illis dedit; prodigia inoumera illorum gratiâ exhibuit: hic tamen Paulus illud ſolummodo commendat, quòd illis Scripturas veluti depoſito credidit Deus: *Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei.* Omittit præclariſſimos viros ex eâ gente procreatos: illud etiam prætерit, quòd voluntatem ſuam illis per Legem Deus aperuis (c). In illud totus iocumbit, ut Dei gloriam commendet, doceatque Judæoa atque Gentiles ad Chriſtum converſos, omnes æquè gratiæ illius ope indigere. Cætera Judæorum decora fuſiùs alibi proſequetur (d).

Primum hoc loco ſignificare poteſt potiſſimum: Nobiliſſimum decus, quo Deus diſtinxit Judæos (e), eſt Lex ſcripta; ſive ex Origene (f): Laus Judæorum eſt, quòd *primi omnium* Divina Oracula exceperint. Illis ſucceſſere Chriſtiani: vel *primum* ordine: ab eo exordior, quod inter nobiliſſima eſt illorum decora. Profectò eam dignitatem commendans Pſalmiſta, inquit (g): *Deus annunciat verbum ſuum Jacob, juſtitias & juditia ſua Iſraël. Non fecit taliter omni nationi.* Moyſes (h): *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?*

℣. 3. SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT, NUMQUID INCREDULITAS ILLORUM FIDEM DEI EVACUABIT, evertet? Altera Judæorum objectio. Si unâ hac laude præſtamus Gentilibus, quòd ſcriptam Legem acceperimus; & ſi ex noſtris aliqui, violatis Dei Legibus, indignos ſe Dei beneficiis præbueruot, an ideirco ex nobis perierunt ea, quæ Deus ipſe promiſit? Nonne pollicitus eſt Deus, fore ut mittat ad nos Meſſiam, nos Dei Spiritu cumulet, atque in inoumeram multitudinem augeat, ex omnibus terrarum plagis colligat, beata denique Meſſiæ tempora nobis oſtendat? At tu conſtanter ais, ob iofidelitatem nonnullorum ex noſtris, promiſſa iſthæc omnia prorſus peritura, noſque nihilo cariores Deo eſſe quàm Gentiles. Quò igitur Dei fides, & promiſſorum illius veritas abiere?

Reſpondet Apoſtolus (i), tametſi magno numero Judæi infidelitatis causâ ad Fidem non voeeotur, mioimè tameo idcirco Dei fidelitatem everti. Cùm enim Dei promiſſiones ad univerſam generatim Judæorum gentem ſpectent, atque ex his nemo ſeſe iis dignum bene agendo reddiderit (k), æquiſſimo jure poſſe Deum, præter fidei ſuæ diſpendium, alios iratum derelinquere, alios gratuito miſericordiæ beneficio vocare: quamobrem nullo ipſorum merito erga illos promiſſiones ſuas, in cæteros juſtam ſeveritatem exequitur. Cæterùm, quamvis Apoſtolus ita de Judæis agat, quaſi omnes penitus ſeſe Divinis promiſſionibus indignos infidelitate reddiderint, id cum exceptione intelligendum eſt; quamplures enim fuere in Eccleſiâ Judaicâ viri ſanctiſſimi; ac Patriar-

(x) *Jerem.* IV, 4, 6, 10; 12, 26; *Ezech.* XLIV, 7, 9.
(y) 2 *Cor.* III, 6; *Coloſſ.* II, 11; *Philipp.* III, 23. (z) *Deut.* XXX, 6. *Vide &* X, 16.
(α) *Jerem.* XXXI, 31, 33. *Vide & Jerem.* IV, 4. (β) *Ezech.* XI, 19.
(a) Τί οὖν τὸ περισσὸν τοῦ Ἰουδαίου; *Vide Eccle.* VI, 11. מה יותר *Quæ præſtantia, ſeu prærogativa Judæi eſt?* (b) *Exod.* XIX, 6; *Deut.* IV, 6. (c) *Theophyl. hic.* (d) *Vide Cap.* XI, 4, 5.
(e) *Eſt. Tolet. Menoc. Para.* (f) *Origen. Caten. Mſſ. Bibl. Bodl. apud Mill. hic.*
(g) *Pſal.* CXLVII, 20. (h) *Deut.* IV, 7, 8. (i) ℣. 3, 4, 9, 10, & *ſeq.* 19, 20.
(k) ℣. 9, 10...... 19, 20, 23, 24.

Digitized by Google

℣. 4. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Ut Juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.

℣. 5. Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?

℣. 6. (Secundùm hominem dico) Abſit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?

COMMENTARIUS.

triarchæ & Prophetæ, aliique Deo placuerunt. Cùm igitur ait Apoſtolus, ℣. 9, *omnes ſub peccato eſſe*, id porrò intelligit ex propriis ſingulorum geſtis, præter fidem, gratiam & charitatem, ex quibus bene geſtorum meritum ortum eſt, tum ante tum poſt adventum Meſſiæ.

Fides (l) hoc loco eſt Dei fidelitas, veritas, certaque & conſtans promiſſionum illius præſtatio. Promiſerat Deus, ſeſe quolibet bonorum genere Judæos cumulaturum. At Judæorum erat, fidem & obſequium religioſiſſimè præſtare. Defuere illi officio, uti docuit Paulus, ac fuſiùs infra demonſtrabit: nihil igitur ex promiſſione debet Judæis Deus. Quamobrem una ſupereſt Judæis dignitas, qua Gentilibus præſtent, quòd Iſraëlem ſelegerit Deus, penès quem Scripturas deponeret (m).

At hæc ſi vera ſint, ubi jam Dei fides? Reſpondet, culpam, ſiqua eſt, Dei promittentis non eſſe, ſed populi infidelis. Tametſi homines cuncti fidem gratumque animum Deo non exhibeant, Dei bonitatem, gloriam, fidem infirmare nequeunt. Promiſſa illis præbuit Deus, at etiam minas; utraque autem conditionibus adſtringuntur. Suâ ipſorum culpâ illi periere: nulla illis eſt excuſatio. *Perditio ex te, Iſraël.*

℣. 4. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax. Certiſſimum eſt oraculum; veritas ipſa eſt Deus, qui neque falli poteſt, nec deeſſe promiſſis. Homo naturâ ſuâ infirmus eſt, & inconſtans; falli poteſt & fallere. At omnes quamvis homines fallant, & promiſſis deſint, nunquam deerit Deus. Meſſiam ſuum a ſe miſſum iri promiſit: pollicitus eſt abſolutè, nullâque conditione; is definito tempore miſſus eſt. Judæos in Regnum ſuum & in Eccleſiam ſe vocaturum ſpopondit, modò illi fidem ſervent. Illorum pleri que fidei defuere: quamobrem ſuis illos in erroribus & calamitate deſtituit. Id tamen minimè prohibuit, quin fidem præſtaret erga cæteros qui fidem ſervavere; iis enim vocatis, Eccleſiam compoſuit. Explicat Apoſtolus in conſequentibus, quo pacto illi fideles fuerint; docetque illos non ullis Legis operibus, ſed fide per charitatem agente, gratiam juſtificationis aſſequutos.

Pro, *Eſt autem Deus verax*, Græcus (n) fert: *Sit autem Deus verax*: verax appareat, agnoſcatur (o): ignoret nemo, Deum datæ fidei deeſſe non poſſe: hominem verò nihil ex ſe habere niſi mendacium ac vanitatem.

Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Locus e Pſalmo quinquageſimo, ex verſione LXX Interpretum. *Ut* hoc loco non cauſam, ſed eventum ſignificat (p). Quidquid geris, argumento eſt, te fidelem eſſe, & in promiſſis verum; teque, quidquid judicent homines, variari & falli non poſſe. *Vincis cùm judicaris*: lata de te judicia falſa eſſe & iniqua demonſtras ex effectu.

Hebræus (q) fert: *Ut juſtus ſis in verbis tuis, & purus in judiciis tuis*: in promiſſis certiſſimus, in judiciis irreprehenſus; fidelis, verus, æquiſſimus in iis quæ circa homines geris. Inconſtantia omnis & iniquitas ex creaturis eſt; quorum culpâ fieri poteſt, ut promiſſiones tuæ in minas vertantur, bonitas in ſeveritatem; nullâ tamen ex te injuſtitiâ, inconſtantiâ, infidelitate.

℣. 5. Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat, an iniquus eſt Deus, qui nos puniat? Tertia objectio ex dictis orta. Si ex hominis injuſtitiâ & infidelitate fidelitas & æquitas Dei magis magiſque commendatur, cur ais, injuſtum non eſſe Deum, qui in crimina hominum animadvertit? An ſupplicio dignus eſt, qui Dei gloriæ ſervit? nonne laude dignus punitur? Probabiliſſima videtur objectio; at nihilo firmior. Gloriæ Dei ſervit impius, at invitus: primum quippe illius propoſitum eſt, ut id agat, quo Dei majeſtas offenditur: imperanti repugnat, contraque nititur ut illam evertat, ſi queat. Id porrò laude dignum eſt aut præmio? nequaquam. Verum omnino eſt, ex impii nequitiâ & perduellione Dei gloriam & victoriam nunquam non erumpere; at debetur iſtud infinitæ Dei ſapientiæ & potentiæ, in quam arma movit impius. Vide Caput VI hujus Epiſtolæ, ubi hanc difficultatem fuſiùs diluit Apoſtolus.

Numquid iniquus est Deus? Meliùs vertitur (r): *Nonne injuſtus eſt Deus?* vel, *numquid non injuſtus eſt Deus?* Quæ conſequuntur, *ſecundùm hominem dico*, ſignificant: Id eo non dico, quòd ego ita ſentiam, ſed ut exprimam eorum ſententiam, qui Divinæ ſapientiæ myſteria ignorant; ex vulgi ſententiâ loquor (s). Iſta ego non ſentio, neque cuiquam æqua intelligenti tribuo: at fieri poteſt, ut rudiores iſta comminiſcantur.

℣. 6. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? Si verum eſt, hominum injuſtitiam in illud dumtaxat deſinere, ut Dei gloriam & juſtitiam in dies magis commendet, nonne omnis Deo aufertur locus, ut judicium de mundo pronunciet? Qui enim damnetur is, qui gloriæ

(l) Πίστις. *Phot. apud Oecumen.* Τὸ πιστὸν τῶν ὑποσχέσεων αὐτοῦ, τὸ ἀληθὲς, τὸ ἀμετάθετον.

(m) *Theodoret. hic*; Κἂν ἅπαντες οἱ ἄνθρωποι περὶ αὐτὸν ἀχάριστοι γίνωνται, οὐκ ἐλάττωσαν τοῦ Θεοῦ τὴν δόξαν ἡ τούτων ἀχαριστία. *Vide & Chryſoſt.*

(n) Γινέσθω δὲ ὁ Θεὸς ἀληθὴς, πᾶς δ' ἄνθρωπος ψεύστης.

(o) *Theophyl. hic*, Φανερούσθω, ἐπιδεικνύσθω. *Cyrill. Caten. Mſſ.* Νοείσθω, λεγέσθω πρὸς ἡμῶν. *Ita Grot. Tolet. Eraſm. Eſt. Men. alii.* (p) *Theodoret. hic.* Τὸ ὅπως οὐκ αἰτιολογικόν ἐστι ἐνταῦθα, ἀλλὰ τῆς ἐκβάσεως δηλωτικόν. (q) *Pſal.* L, 6. למען תצדק בדברך תזכה בשפטך

(r) Μὴ ἄδικος ὁ Θεός. Particula μὴ duplicem negationem continet, ut apud *Matth.* XII, 23; *Johan.* IV, 29; XVIII, 17, 25. *Grot. Hamm. Cuateb. hic.* (s) Vide *Rom.* VI, 19; & I *Cor.* IX, 8; & *Galat.* III, 15. *Theodoret. hic*: Οὐκ ἐγὼ ταῦτα λέγω, ἀλλὰ τοὺς τῶν ἄλλων τίθημι λογισμούς. *Vide Grot. hic.*

℣. 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tamquam peccator judicor?

℣. 8. Et non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.

℣. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe;

℣. 10. Sicut ſcriptum eſt: Quia non eſt juſtus quisquam.

COMMENTARIUS.

riæ Dei ſervit? Collectionis hujus abſurdum aſſumit Paulus, ut illius principium evertat. Omnium hominum judex omnino eſt Deus, peccatum & injuſtitiam certiſſimè puniturus. Hominis igitur ſcelere Dei gloria non commendatur. Si verò commendatur, id per occaſionem fit, non per ſe, ut ex eo gloriam & juſtitiæ oſtenſionem colligat.

℣. 7. SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABUNDAVIT, &c. Pergit objectio, ℣. 5 inſtituta; cùm enim magni momenti ſit, & probabilis videatur, eam multis ex partibus verſat. Si Dei fides ex Judæorum infidelitate luculentiùs claret, nonne iniquum eſt, ejus infidelitatis causâ aliquam Judæorum partem damnari? Poſtulare videtur æquitas, ut eos potiùs præmio donet Deus, aut ſaltem non puniat, cùm illius gloria minimè ideirco minuatur (t). Nonne glorioſior foret impenſa omnibus venia, quàm exacta de aliquibus pœna? Converti poteſt in objicientem collectio. Omnino neque Dei fides neque gloria ex peccantis infidelitate læditur, & par oritur Deo gloria, ſeu parcat ſeu puniat: cur verò non puniat? Si pepercerit, ſtatim quæres, cur non punierit. Quid igitur medium ſervat; pervicaces ac malos excludit, fideles & morigeros adoptat: obtemperantes, credentes, ac ſpem in ipſius gratiâ, non in ſuis ipſorum geſtis collocantes excipit; eos denique, qui vulneris & lapsûs ſui gravitatem intelligentes, ſeſe & egenos & infirmos agnovere (u).

℣. 8. ET NON (SICUT BLASPHEMAMUR, ET SICUT QUIDAM AJUNT NOS DICERE) FACIAMUS MALA, UT VENIANT BONA. Validior objectio, qua Apoſtolus ipſe propiùs petitur, cùm nonnulli criminarentur, docere illum, licere mala præſtare, ut inde bona oriantur. Ex eo autem accuſatio iſta in Apoſtolum inſtaurabatur, quòd ubique doceret (x), *ubi abundavit peccatum, ſuperabundaſſe & gratiam*; Chriſtum Jeſum in terras lapſum omnia inveniſſe obvoluta peccatis; gloriam ſuam ſe in eo conſtituiſſe, ut revocaret errantes; non bene valentium, ſed ægrorum causâ veniſſe. Ita Chriſtus in Evangelio.

Cùm ægrè ferrent Judæi, Gentiles ad Fidem a Deo vocari, nullo Legis jugo coactos, ajebant: Quorſum in Divinarum Legum obſervatione, ritibusque laborioſiſſimis ſenuimus? Cur ſuperſtitiones & flagitia ſectati non ſumus, Gentilium iſtorum exemplo, noſtram hæreditatem, & promiſſiones Patribus noſtris olim exhibitas conſequentium, ſi Fide noſtrâ juſti effici non poſſumus, & ea quæ hactenus geſſimus, a Deo penitus negliguntur? Cur in vitia præcipites non abivimus, quò luculentiùs Dei miſericordia, nobis ad bonam frugem converſis, fulgeret?

Hanc collectionem nedum minimè probat Paulus, ſed veluti calumniam execratur; eamque ex directo refellere negligens, damnat, juſtumque Dei judicium minitatur iis, a quibus illa ſibi adſcribitur (y): *Quorum damnatio juſta eſt*: clam prædicens Jeruſolymæ ac Templi excidium, gentisque univerſæ diſperſionem. Tam perverſa eſt malorum hujusmodi Judæorum collectio, quàm foret iſta: Rex, imperium adeptus, in ſuos pariter nosque hoſtes clementiâ uſus, primas Regni dignitates illis largitus eſt: ſtruendæ igitur in illius vitam & famam inſidiæ, ut illius benevolentiam & gratiam nobis vindicemus.

℣. 9. QUID ERGO? PRÆCELLIMUS EOS, Gentiles? Urgens Judæi quæ dixit Apoſtolus. Si Deus in ſcelera animadvertit, tametſi gloriam ſuam ea iis colligit; ſi facere mala non licet, ut bona inde oriantur, alia igitur aliqua nobis dignitas eſt ſupra Gentiles, præter Legem: innumeris enim ſceleribus illi obvoluti ſunt, quibus ipſi vacamus. Repetunt dicta initio Capitis.

At Apoſtolus conſtitutam primo & ſecundo Capite ſententiam confirmat, conſtanter docens, Judæum non præſtare Gentili, quod ad juſtitiam ſpectat: *Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe*. Neutros operibus promeruiſſe, ut ad Fidem a Deo vocarentur (z); neminem juſtum fieri per exteriorem Legis obſervationem, moralesve Philoſophorum virtutes; unâ Fide per charitatem & per bona opera agente acquiri ſalutem. Hoc ipſum luculentiùs in conſequentibus conſtabit.

℣. 10. NON EST JUSTUS QUISQUAM. Varias congerit huc Apoſtolus ex variis Scripturæ locis ſententias (a), ut Hebræos ac Gentiles doceat, neminem inter ipſos juſtum eſſe, aut poſſe jure ex bene geſtis gloriari (b). Neque idcirco putes, nullum fuiſſe ſub veteri Lege juſtum, ſive ante Legem. Contrarium docent innumeri Scripturarum loci. De homine agit Apoſtolus, ut filius Adami eſt, in peccato procreatus, natusque iræ filius. Qua talis eſt homo, nulla illi ratio meriti eſt, neque ex ſe mereri poteſt aut donum Fidei, aut gratiam vocationis: alioqui jam non eſſet gratia. Siqui juſtitiam & ſanctitatem aſſequuti ſunt, certè unius Divinæ miſericordiæ beneficio, quo educti fuere ex tenebris & corruptione, quæ propria ipſorum erat, ut in lumine & juſtitiâ, qui ſtatus quodammodò a corruptâ ipſorum naturâ alienus erat, collocarentur.

S. Hieronymus (c) aliique nonnulli putavere, toto hoc capite *omnes* ὑπερβολικῶς uſurpari, ac de plerisque intelligendum: probatiſſima tamen opinio eſt, quam ſupra propoſuimus; propoſito Apoſtoli magis ſerviens, cujus verba, præter injuriam, in aliam ſententiam torqueri nequeunt. Neque tamen illud conſequitur, homines univerſos corruptis æquè moribus fuiſſe, aut flagitiis merſos. Ut vera ſit Apoſtoli ſententia, ſatis eſt, ſi quam-

(t) *Theodoret. Grot. Eſt.* (u) *Vide Theodoret. hic.*
(x) *Rom.* v, 20. *Vide Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Eſt. Cornel.* (y) *Eſt. Grot.* (z) *Tolet. Eſt. Grot.*
(a) *Vide Hieronym. Præfat. Iſai. lib.* 16; *& Comment. in Pſalm.* XIII, *&c.*
(b) *Vide Tolet. Eſt. Salmer. Cornel. Fromon. hic, alios.* (c) *Hieronym. Ep.* 146 *ad Damaſ. & in Epiſt. ad Epheſ.* 5, *ad finem. Grot. hic, ad* ℣. 9. *Geneb. & Janſ. in Pſal.* XIII.

Digitized by Google

℣. 11. Non eſt intelligens, non eſt requirens Deum.
℣. 12. Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.
℣. 13. Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum:
℣. 14. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt:
℣. 15. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem:
℣. 16. Contritio & infelicitas in viis eorum,
℣. 17. Et viam pacis non cognoverunt.
℣. 18. Non eſt timor Dei ante oculos eorum.
℣. 19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur: ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo:
℣. 20. Quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

COMMENTARIUS.

✠ quamplures fuerint corruptiſſimi, ac verè dici potuerit ab rerum exordio ad Chriſtum usque, omnes homines, ex ſe ipſis ſpectatos, præter Fidei & Gratiæ dona, quibus illos confirmaverit Deus, fuiſſe corruptiſſimos, aliquo licèt diſcrimine.

Verba Textûs non ſemper recitat Paulus, ut jacent; ea propoſito accommodat, integrâ tamen ſententiâ. Verſionem LXX Interpretum potiſſimùm ſequitur, minimè tamen illi ſerviens. Sunt qui cenſeant, totum hunc locum, a ℣. 10 usque ad 18, ex Pſalmo XIII eſſe. At procul dubio ℣℣. 13, 14, 15, 16, 17, 18 neque apud Hebræum, neque apud LXX Interpretes in eo Pſalmo leguntur; & Origenes, S. Hieronymus, Beda, Caſſiodorus, atque optimi quique in hunc locum & in Pſalmum XIII Interpretes agnoſcunt, hæc verba, ℣. 13, *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant*, deſumpta eſſe ex Pſalmo V, 10; hæc verò ejusdem verſiculi, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum*, ex Pſalmo CXXXIX, 4: illa ℣. 14, *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*, ex Pſalmo X, 7. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, ex Proverbiis, I, 16, vel ex Iſaia, LIX, 7. Denique, 16, *Contritio & infelicitas in viis eorum*; 17, *& viam pacis non cognoverunt*: 18, *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, ex Pſalmo XXXV, 2, & Iſaia, LIX, 7, &c.

NON EST JUSTUS QUISQUAM, NON EST INTELLIGENS. Pro *juſtus*, Hebræus fert, *Non eſt qui faciat bonum*: orbis univerſus communi corruptione tenetur. *Non eſt intelligens* quæ ſancta ſunt, qui bene geſta ſequatur & amet (*d*). Peccator apud Hebræos frequenter dicitur inſipiens, peccatum verò inſipientia (*e*): *Utinam ſaperent & intelligerent!* David (*f*): *Stulti, aliquando ſapite*. Gentilium Philoſophi ac Sapientes, ex Pauli ſententiâ, inſani erant & indocti, quippe qui veram ſapientiam non intelligerent, ac Dei vias ignorarent.

℣. 12. OMNES DECLINAVERUNT, SIMUL INUTILES FACTI SUNT. Vel, ex Hebræo (*g*): *Pariter putefecerunt*. Judæi ac Gentiles recto ab itinere erraverunt, hi relictâ naturæ Lege, illi Moſaicis ſanctionibus violatis; quamobrem *inutiles facti ſunt* ſibi, & Deo inviſi, execrabiles, uti cibus putreſcens & fœtens.

℣. 13. SEPULCRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, fœtorem & peſtem exhalans (*h*). Vorago eſt, quò accedentes ruunt. Bonos calumniis & maledictis proſcindunt; vel eos, quos alloquuntur, pernicioſis ſermonibus ac doctrinâ corrumpunt. Compertum eſt, quàm multas Judæi calumnias in Chriſtianos ſtruxerint, & quàm abſurda de potiſſimis moralis vitæ officiis Philoſophi ſenſerint.

℣. 14. QUORUM OS MALEDICTIONE, calumniis, contumeliis adversùs innoxios, ET AMARITUDINE, verbis aſperis, contumelioſis, movendo cæterorum ſtomacho opportuis, PLENUM EST. De ſimultate ejusque conſequutionibus loquitur.

℣. 16. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM. In unum illud incumbunt, ut cæteros opprimant, fallant, ſpolient, graſſentur. Unus illis agendi modus, injuria & impotentia. Charitatem, pacem, juſtitiam, pietatem ignorant: *Viam pacis non cognoverunt*.

℣. 19. QUÆCUMQUE LEX LOQUITUR, IIS QUI IN LEGE SUNT LOQUITUR. Recitatis hiſce teſtimoniis, jure colligo, Judæos omnes corruptos eſſe & injuſtos, cùm *Lex*, vel Scriptura, ex qua ſententias recitavi, generiè loquatur, ac tum eos qui ſub Lege ſunt, tum cæteros complectatur. Ne igitur dicant Hebræi, verbis hiſce Gentiles dumtaxat ſpectari: nam ſententiæ, quas recenſui, nullum diſcrimen admittunt. *Legis* nomine frequenter omnia Scripturarum Veteris Teſtamenti volumina colliguntur (*i*); ac præſertim ea, quæ inſtitutiones, vaticinia, minas, monita continent. De Gentilibus non laborat: quis enim illos vitiis inquinatiſſimos fuiſſe ignorat? Adde, quòd, ſi recitatis ſententiis ipſimet Judæi notabantur, multò magis Gentiles, quorum flagitia multò compertiſſima fuerunt, quàm Judæorum. *Ut omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus coram Deo*, reus apud Deum agnoſcatur (*k*). *Ut* hoc loco pro *ita ut* uſurpatur (*l*). Cùm igitur omnes planè homines injuſti ſint & culpæ obnoxii, neminem merito ſuo gloriari decet.

℣. 20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO CORAM ILLO. Pro *quia*, ver-

(d) *Matth.* xvi, 23: *Non ſapis ea quæ Dei ſunt*. (e) *Deut.* xxxii, 29. (f) *Pſal.* xciii, 8.
(g) נאלחו *Gr.* Ἠχρειώθησαν. (h) *Tolet. Eſt. Par.* (i) *Matth.* v, 17; xii, 5; *Luc.* xvi, 17; *Joan.* xii, 34, *& ſæpiùs*. (k) Ὑπόδικος, *Condemnationi obnoxius, reus*.
(l) *Theodoret. Eſt.*

Digitized by Google

℣. 21. Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt; teſtificata a lege, & Prophetis.

℣. 22. Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio:

COMMENTARIUS.

verti poteſt Græcus (m): *Quamobrem non juſtificabitur omnis caro*. Dictorum conſecutio. Si nemo ex communi vitio excipitur, conſequens eſt, Judæos operibus Legis juſtos non effici; alioqui excipiendi erant. Porrò ſi Judæi Moſaicarum ſanctionum obſequio juſti non fiunt, multò minùs Gentiles, qui naturæ Leges, ipſorum animis altè inſcriptas, violavere, juſti invenientur.

Legis appellatio variâ ratione hîc uſurpari poteſt: I, ută Legem ſcriptam & naturalem complectitur (n); quo ſenſu tum ad Judæos tum ad Gentiles ſpectat. Hi operibus Legis naturæ juſti non fiunt, illi Moſaicæ. Vel, neutri juſtificantur Lege, cùm neutri ſervaverint, II, Legis nomen nonnulli (o) redigunt ad Legis ritus a Moyſe imperatos. Procul dubio autem eſt, hujuſmodi præceptorum obſervatione hominem juſtum fieri non poſſe. Luſtrationes & ſacrificia per Moyſem ſancita innocentiam impio ex ſe nunquam reſtituent, neque animum peccato purgabunt. Hæc tamen explicatio anguſtioribus finibus conſtringitur, ac nonniſi ad Judæos ſpectat: Apoſtoli autem oratio univerſos homines complecti videtur: *Non juſtificabitur omnis caro*. Uſurpanda igitur eſt de Lege morum, Hebræis traditâ, omnia hominis officia, & naturæ Legem complectente. Hanc interpretationem Paulus ipſe probat, cùm ſtatim ſubjiciat: *Per Legem cognitio peccati*. Prætereà toto Capite II Judæos arguit, quòd Leges morum, non quòd rituales contempſerint. Aſſentiuntur Interpretum optimi (p), & paſſim S. Auguſtinus (q).

At quo pacto hæc Apoſtoli ſententia, *Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro*, conciliari poteſt cum verbis Chriſti (r), ajentis, ſe veniſſe ut Legem expleat, non deſtruat? imò cum ipſomet Paulo (s), ubi ait, non deſtruere ſe Legem, dum Fidem ſtatuit, ſed confirmare? Reſpondeo, Paulum agere de operibus Legis ut a Fide gratiâque ſejunctis. Exterior Legis exercitatio, ex unius Legis inſtituto præter Fidem charitatemque ſervata, inutilis ad ſalutem erat, Sanctiſſimi veteris Teſtamenti homines, qui Deo placuere, id certè aſſequuti non ſunt, niſi per Fidem in Chriſtum venturum, ejusque gratiæ virtutem (t).

Per Legem cognitio peccati. Hoc præſtitit Lex, Judæorum objectionem occupat: Si nemo fit per Legem juſtus, ergo inutilis Lex, Nequaquam; peccati enim cognitionem attulit: at illius vitandi vires & gratiam largita non eſt (u). Medicus eſt morbi diſcrimen indicans, non curans: imò neque ſe curaturam pollicetur, ſed medicum alium longè peritiſſimum innuit, a quo curandus eſt morbus; Meſſiam ſcilicet, omnibus Scripturæ paginis promiſſum & ſignificatum. Non minima eſt boni pars noſſe malum, tametſi ea cognitio te ad illud ſolummodo impellat, ut quæras medicum, & medicinam magni facias. Cave autem ex his colligas, nullam fuiſſe ſub Lege gratiam, omneſque Judæos fuiſſe refractarios; ſed illud tantummodo, Legem ex ſe, Fide & gratiâ deſtitutam, mali cognitionem afferre, non medicinam.

Ratione duce multa Gentiles agnoverant, ſeque omnipotenti Medico indigere intellexerant; at ex eâ morbi naturam, & Medici dignitatem non didicerant. Nihilo tamen ſecius Prophetæ humanum genus deſcribunt, veluti Deſideratum cunctis gentibus votis ſollicitans. Miſerrima illius conditio quodammodò per ſe ſatis clamabat; cùmque Divina Lux oculos hominum feriit, animoſque Spiritus Sanctus aperuit, illi avidiſſimè ſecuti ſunt.

℣. 21. Nunc autem sine Lege justitia Dei (x) manifestata est. Poſtquam docuit, neminem Lege fieri juſtum poſſe, demonſtrat hic, veram juſtitiam in nos per fidem in Chriſtum Jeſum proficiſci: per Chriſtum omnia gratiæ dona nobis tribui: unum illum ſequeſtrum eſſe, Deum inter & homines; viam qua ad vitam ducimur; juſtitiam qua Deo grati efficimur. Porrò juſtitia ad nos vênit *ſine Lege*, nempe præter Legis opera, abſque merito, quo gloriabantur Judæi, qui ſcriptam Legem acceperant, & Gentiles ſapientiam jactantes & opera hominum æſtimatione commendanda. Id verò neque ſcripta neque naturæ Lex hominibus comparavit. Docuit ſuprà Apoſtolus, omnes eſſe apud Deum reos & crimini obnoxios. Utrique ad Fidem in Chriſtum Jeſum vocati ſunt, vocatione prorſos gratuitâ. Et *nunc* id conſequuti ſunt per Evangelii prædicationem (y).

Testificata a Lege et Prophetis. Teſtimonium juſtitiæ huic, Fidei, Evangelio Lex & Prophetæ exhibuerunt. Profectò apud Moyſem legimus, Meſſiam fore gentium omnium expectationem (z); conſtitutum iri in populo a Deo Prophetam, ſeu novum Legiſlatorem, cui parendum ſit (a); impertitum iri benedictionem gentibus univerſis in eo, qui vera eſt Abrahami ſoboles (b). Tradunt Prophetæ, Deum noſtram eſſe juſtitiam (c), Juſtum ex fide vivere (d); noſtram verò juſtitiam nihilo puriorem eſſe coram Deo, quàm linteum impurum (e).

℣. 22. Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes (f), qui credunt in eum. Non igitur per Legis opera, ſed per fidem in Chriſtum aſſequimur juſtitiam, de qua ſuperiori verſiculo. Ea verò in univerſum effunditur per Evangelii prædicationem, ſive Judæi ſint, ſive Gentiles. Cùm omnes æquè merito ca-

(m) Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. (n) *Tolet, Par. Eſt. alii*.
(o) *Vide Theodoret. Gloſſ. ord. Cornel. Carthuſ.* (p) *Vide Tolet. Eſt. Cornel. alios*.
(q) *Auguſt. de Spiritu & Litt. cap.* 8, & 20, & *alibi*. (r) *Matth.* v, 17. (s) *Rom.* III, 31.
(t) *Vide Auguſt. de Spiritu & Litt. cap.* 8; & *de Grat. & lib. arbitr. cap.* 12; & *lib.* 3 *contra Epiſt. Pelag. cap.* 7. *Eſt. Tolet. Cornel. hic*. (u) *Auguſt. de Spiritu & Litt. cap.* 8. *Tolet. Eſt. Menoc. Tirin. alii paſſim*. (x) *S. Auguſt. lib. de Grat. Chriſti*, *cap.* 8, & *de Spiritu & Litt. cap.* 9, jungit *ſine lege* cum *juſtitia Dei*; quaſi dicat Apoſtolos, Dei juſtitiam a Lege non pendere. At cæteri jungunt cum *manifeſtata eſt*. Dei juſtitia manifeſtata eſt ſine Lege.
(y) *Vide Aug. locis citatis*, *Tolet. Eſt. alios*. (z) *Geneſ.* XLIX, 10. (a) *Deut.* XVIII, 15.
(b) *Geneſ.* XII, 3. (c) *Isai.* XLVI, 13. (d) *Habacuc*, II, 4. (e) *Isai.* LXIV, 6.
(f) *In omnes & ſuper omnes*: Εἰς πάντας, καὶ ἐπὶ πάντας. Quamplures Codices, Arabs, Æthiops, S. Clemens Alexandrinus, S. Auguſtinus, *de Spirit. & Litt. c.* 13, omittunt, *Super omnes*.

℣. 23. Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ Dei.

℣. 24. Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu,

℣. 25. Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum,

℣. 26. In ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem juſtitiæ ejus in hoc tempore: ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

rentes invenerit Deus, prædicationis gratiam in omnes æquè diffudit. Omnes ille ad Fidem vocat, quamquam non omnes efficacibus ac fulgentiſſimis auxiliis inſtruit, ut eam aſſequantur; Fidesque fructu caret in iis ipſis, qui eam excepere, unâ ipſorum culpâ & infidelitate. Fides igitur juſtitia non eſt, ſed via qua ad juſtitiam, gratiæ & charitatis ope, pervenitur (g).

NON ENIM EST DISTINCTIO. ℣. 23. OMNES ENIM PECCAVERUNT, ET EGENT GLORIA DEI. Homines univerſos vocat ad Fidem Deus, nullo Judæi ſeu Gentilis diſcrimine; gratiam lucemque omnibus offert, omnibusque intelligentiâ utentibus prædicari Evangelium jubet (h). His æquè omnes egent, cùm omnes peccaverint. Ne dicat Judæus: Satis mihi Lex, Evangelio non egeo. Vera Juſtitia non eſt, niſi per Fidem in Chriſtum. Neque jactet Gentilis morum ſcientiam & meditationem: quippe utraque inutilis eſt apud Deum, ut juſtus fiat: nulla ſalus extra Chriſti Eccleſiam: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Sunt qui legant: *Egent gratiâ Dei.* At genuina lectio eſt, *gloriâ Dei*. Egemus omnes Dei miſericordiâ & clementiâ, ut peccatorum veniam conſequamur. Prædicatio Evangelii, & peccatorum converſio aptiſſima ſunt adminicula, quibus gloriam ſuam inter homines promovet Deus (i). Aliter: *Omnes egent gloriâ Dei*; vel ex Græco (k): *Omnes deſtituuntur gloriâ Dei*: indigni ſunt omnes Cœleſti gloriâ & beatitudine (l). Sive, *Egent gloriâ Dei*: tantum abeſt, ut jure poſſint apud Deum gloriari, aut ab illo probentur. Omnes quippe apud Deum in cenſu peccatorum habentur. Seu denique: opus eſt, ut omnes gloriam Deo exhibeant, ſeque coram illo peccatores fateantur (m). Hæc interpretatio ferè cum eâ congruit, quam primo loco propoſuimus. *Gloria Dei* uſurpatur pro *gloria in Deum*, ſeu *coram Deo*, vel *apud Deum* (n).

℣. 24. JUSTIFICATI GRATIS PER GRATIAM IPSIUS. Cùm nulla ſit homini ex ſe juſtitia aut meritum, conſequens eſt, non poſſe illum Fidei & Juſtificationis dono, niſi ex merâ Dei miſericordiâ, donari, cùm nihil ſit, quo is ea beneficia antea promereri potuerit, uti docet Concilium Tridentinum (o): *Gratis juſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Quæ verba non repugnant Apoſtolo, alibi docenti (p), homines *ex fide juſtificari*; ut enim idem Concilium explicat (q), *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis*. Quamobrem ſalutis & juſtificationis hominum initium, progreſſus & conſummatio merum ſunt divinæ miſericordiæ beneficium (r), quod Chriſtus nobis morte promeruit: idem gratiâ prævênit, quamvis absque liberâ auxiliis cooperatione nos ſervare non velit: *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te. Ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem*, ait S. Auguſtinus (s).

℣. 25. QUEM PROPOSUIT DEUS PROPITIATIONEM. Vel ex Græco (t): *Quem ante conſtituit Deus*, & quodammodo præordinavit, *victimam expiationis, per fidem in ſanguine ipſius.* In veteri Teſtamento præceperat Deus ſacrificia & expiationes pro peccatis, & ad legalium ſordium abſterſionem: ea porrò figuræ erant ſacrificii a Jeſu Chriſto oblati, qui vera eſt propitiationis hoſtia, & victima pro peccato, animi ſordes verè purgans (u). His verbis Paulus occupat ex obliquo objectionem, quam torquere poſſent Judæi. Quorſum igitur Legis ſacrificia, ſi una Fides in Chriſtum fons eſt juſtificationis? Figura erant & ſymbolum ſacrificii, quod Patri oblaturus erat Chriſtus in noſtrorum criminum expiationem (x).

Nonnulli (y) *Propitiationem*, Græcè *Hilaſterion* (z), interpretantur *propitiatorium*, ſive operculum Arcæ, qua Legis tabulæ cuſtodiebantur. Porrò illud ceu ſcabellum habebatur Dei pedibus ſuppoſitum; ex illo oracula dabat Deus, & Hebræorum preces excipiebat. Huic inſidentem inter Cherubim, ſive inter iſtorum alas, ſacri Scriptores deſcribunt. Chriſti figura fuit *propitiatorium*; per illum quippe ad divinæ miſericordiæ ſolium accedimus (a). Opportunior tamen videtur prior interpretatio, de victimâ expiationis explicans.

AD OSTENSIONEM JUSTITIÆ SUÆ, PROPTER REMISSIONEM (b). Sive, ut manifeſta fiat juſtitia Dei, nobis per Fidem tradita, qua præteritorum criminum veniam nobis largitur Deus; ſive qua peccata ab exordio mundi patrata dimittit (c), mini-

(g) *Tolet. Eſt.* (h) *Matth.* XXVIII, 19. (i) *Ezech.* XXXVI, 23, 32, 36. *Auguſt. de Spirit. & Litt. cap.* 9. *Vide & Theodoret. Vat.* (k) Ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. *Vide Chryſ. Theophyl.*
(l) *Grot. Hammon. Piſcat. Cajet. Tolet. Eſt.* (m) *Vide Joſue*, VIII, 19; *Apoc.* XVI, 9.
(n) Similes fermè locutiones vide ſupra, ℣. 22: *Fides Jeſu Chriſti.* 21: *Juſtitia Dei. Luc.* VI, 12: *Oratio Dei. Marc.* XI, 22: *Fides Dei.* (o) *Trident. ſeſſ.* 6, *cap.* 8.
(p) *Rom.* V, 1: *Juſtificati ex fide. Et Gal.* II, 16; III, 8, 24. (q) *Trident. loco citato.*
(r) *Vide Eſt. Tolet. Para.* (s) *Auguſt. Serm.* 169, *cap.* 11, *nov. edit.*
(t) Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.
(u) 1 *Joan.* 2, 2; & IV, 10. *Menoc. Tir. Eſt.* (x) *Vide, ſi placet, Juſtin. Dialog. pag.* 177, 200, 265.
(y) *Theodoret. Grot. Pera. Hamm. Tolet.* (z) *Hebr.* כפרת *Gr.* Ἱλαστήριον. (a) *Hebr.* IV, *ult.*
(b) Διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων. *Chryſoſt. Euthat. Quid. Cod.* πρόθεσιν, *cecitatem. Latini quidam, Propoſitum. Quos* πρόθεσιν *legiſſe patet Eſtius.*
(c) *Tolet. Eſt. Menoch. Grot. Hamm.*

℣. 27. Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei.

℣. 28. Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.

℣. 29. An Judæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? Immò & Gentium.

COMMENTARIUS.

minimè ſpectato malo hominum merito, qui flagitiis univerſi mergebantur. Filium ſuum dedit nobis Deus, ac per eum juſtitiam, omniumque tum præteritorum tum præſentium criminum veniam. Minimè tamen putaveris, illius morte omnia penitus hominum crimina, qui illius adventum præceſſere & conſequuti ſunt, fuiſſe deleta; ſed illud eſſe ejus ſacrificii pretium, & Sanguinis meritum, ut iis delendis abundè ſufficerent *(d)*. Præterita dumtaxat peccata exprimit Paulus, quòd in Redemptionis myſterio illud maximè arduum eſſet, ut Sanguis Jeſu Chriſti, tam multa poſt ſæcula fundendus, peccata Adami & Evæ, innumerorumque prædeſtinatorum, qui ante Legem & ſub Lege fuerunt, jam deleviſſe crederetur *(e)*. *Juſtitia* hoc loco, *Ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, ſignificare etiam poteſt Dei miſericordiam, peccata dimittentis: hoc enim ſenſu frequenter uſurpatur *(f)*.

In hoc tempore, ut sit ipse justus. Ut juſtitiæ ſuæ ſpecimen hoc tempore exhibeat. Spectata hæc fuit poſt Jeſu Chriſti adventum & Evangelii prædicationem; oſtendítque Deus, *ſe juſtum eſſe, & juſtificare eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti*, qui ad Fidem Chriſti pertinet, qui fidem habet. Pater Jeſu Chriſti Deus nos ad Fidem vocavit, mero miſericordiæ ſuæ beneficio; ſimulque oſtendere voluit, ſe juſtum eſſe, omniſque juſtitiæ fontem, ut gloriam & fiduciam ſuam homo in Deo collocaret. Non ſemel hoc ipſum fermè dixit Apoſtolus; at frequenter repetit, quòd ſit omnino graviſſimum. Redemptionis myſterium in eo præcipuè ſitum eſt, quòd Deus ex juſtitiæ ſuæ jure nullâ ex parte cadens veniam ac miſericordiam hominibus exhibuerit. Violata juſtitiæ jura per Filii ſacrificium & Sanguinem reſtauravit: clementiam erga homines pœnitentiam agentes exercuit, Fidem in Chriſtum, veniamque criminum per Fidei hujus meritum illis impertiens.

℣. 27. Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Poſt ea quæ diximus de ſtatu peccati, in quem homines univerſi redacti fuerant, deque beneficio prorſus gratuito, quo Deus illos vocavit ad Fidem, & juſtificationis gratiam largitus eſt, qui jam ſuperbiæ locus illis ſupereſt? quam ob rem gloriari queunt? An operum nomine? Docuimus, omnes penitus apud Deum reos fuiſſe. An meritorum & juſtitiæ? Diximus, quidquid illi habuere, ex Fide in Chriſtum, & Sanguinis illius merito eſſe profectum. Fatendum eſt igitur, nihil, præter Deum unum, homini ſupereſſe, quo glorientur. Græcus generico & vago ſenſu legit *(g)*: *Ubi eſt ergo gloria?* quaſi Judæos unà & Gentiles complectatur. At Vulgata ſenſum de Judæis definit, cùm legat: *Ubi eſt gloriatio tua?*

Per legem fidei. Legem Fidei Legi factorum opponit, uti vitam morti, nocti diem. Lege factorum neque gratia comparari nobis potuit, neque juſtitia: Lege Fidei utrumque comparatur. Re quidem verâ nulla eſt Lex Fidei præter Dei Legem, Fide per charitatem agente ſervatam *(h)*. Eò autem opponitur *Legi factorum*, quòd homo ſibi relictus, penituſque Fide & gratiâ exutus, fruſtra conatur ſcriptas aut naturæ Leges ita exequi, ut vitam æternam agendo mereatur *(i)*.

℣. 28. Justificari hominem per fidem, sine operibus legis. Orationis collectio. Perſuaſum nobis eſt, neminem, ſive Judæum ſive Gentilem, juſtum effici, niſi *per Fidem* ſaltem implicitam in Chriſtum Jeſum, junctam ſpei & charitati, ac per bona opera agentem; minimè verò *per opera Legis*, ſeu ſcriptæ ſeu naturalis *(k)*, cùm ipſa per ſe opera, Fide & Charitate deſtituta, ſaluti non ſerviant, neque gratiam & juſtificationem, ſalutis noſtræ radices ac fundamenta, promereri nobis queant.

Opera Legis, quæ Apoſtolus a cauſis noſtræ juſtificationis excludit, neque charitas ſunt, ex qua eædem cauſæ oriuntur, neque oratio, neque pœnitentia, neque bona opera a Lege imperata, & a piis Veteris Teſtamenti hominibus per Fidem, ſpem, & charitatem exercita; ſed exteriora opera, his laudibus, quibus ſancta ac Deo grata efficiuntur, deſtituta. *Fides* pariter, hominem juſtificans, Fides non eſt ſterilis, mortua, & actione carens; ſed quæ agit, amat, & operibus exhibetur. Fide, charitate, & operibus ſimul junctis ſancti efficimur. Omnis Fidei tribuere videtur Apoſtolus, quia, ut ait Concilium Tridentinum *(l)*, eadem eſt ſalutis initium, totiuſque juſtificationis fundamentum. Fidei meritum non addunt opera, ſed operibus Fides. *Opera ſunt ex Fide, non ex operibus Fides*, inquit S. Auguſtinus *(m)*; & alibi *(n)*: *Non opera, ſed Fides inchoat meritum*. Ita verum eſt, ex Apoſtoli doctrinâ, hominem *gratis juſtificari (o)*, & *juſtificari per Fidem (p)*; quæ ſententiæ invicem non pugnant. Fides divinæ unius miſericordiæ donum eſt; Fidei fructus juſtificatio, eo modo quo diximus: *Gratiâ juſtificati eſtis per Fidem*, inquit idem ad Epheſios *(q)*: *& hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt*.

℣. 29. An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? Ad id redit Apoſtolus, quod in fine Capitis ſuperioris dicere cœperat: quippe hæc verba ita uſurpanda ſunt, uti parentheſi incluſa, ob varias objectiones, quarum altera ex alterâ oritur, hìc propoſitas ab Apoſtolo, & enodatas. Docere cœperat Capite II, ℣℣. 26, 27, 28, 29, exteriorem carnis Circumciſionem inutilem eſſe ſaluti; meritum omne Judæi & Genti-

(d) *Vide 1 Joan. II, 1, 2; & totam Epiſt. ad Hebr.*
(e) *Vide Perer. Tolet. Eſt.* (f) *Vide Pſal. L, 16; CXLII, 1; Eccle. VII, 17; Iſa. LXI, 9; 2 Cor. IX, 9; Prov. XI, 18; 1 Joan. II, 1.* (g) Græcus, Syrus, S. Chryſoſtomus non legunt *tua*. Legitur tamen apud veteres Codices quamplures, S. Ambroſium, Origenem, ſeu Rufinum, &c.
(h) *Vide Menoc. Tolet.* (i) *Vide, ſi placet, Auguſt. lib. de Spiritu & Litt. cap. 13, 14. Eſt. hic.*
(k) *Eſt. Tolet. Menoc. Vide Chryſoſt. Theodoret. hic. Et Aug. lib. de Grat. & Lib. arbitr. cap. 7.*
(l) *Concil. Trident. ſeſſ. 6, cap. 8. Vide Eſt. hic.* (m) *Aug. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. 7.*
(n) *Auguſt. Retract. lib. 1, cap. 23.* (o) *Rom. III, 24.* (p) *Rom. V, 1, &c.* (q) *Epheſ. II, 8.*

℣. 30. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.

℣. 31. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus.

COMMENTARIUS.

Jis ex circumciſione mentis ac voluntatis proficiſci; denique carnis Circumciſionem ab eâ ſejunctam nihil præbere Judæo, quo hic Gentili antecellat: ſolutis deinde difficultatibus, quæ ex hac doctrinâ oriri videbantur, pergit hîc, & docet, cùm Deus æquè Gentilium ſit & Judæorum, circumciſorum & circumciſione carentium, aliquid aliud exigi præter Circumciſionem, ut meritum & Dei benevolentiam conſequamur: utroſque per Fidem juſtificari: Gentilem Fide inſtructum abſque Circumciſione multo præſtantiorem eſſe Judæo, qui carnis Circumciſionem fert abſque Fide; & Circumciſionem additam Fidei Judæo ad Chriſtum converſo nullum Juſtitiæ aut meriti gradum tribuere, quo is Gentilem itidem converſum ſuperet. Nam, addit, ℣. 30, *Unus eſt Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex Fide, & præputium per Fidem.*

℣. 31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS (r) PER FIDEM? ABSIT: SED LEGEM STATUIMUS. Hoc objici poterat. Ex iis quæ tradidiſti de operum inutilitate, noſtræque juſtificationis cauſâ, illud conſequitur, Legem eſſe inutilem, atque opera prorſus inania. Apta videtur collectio: nihilo tamen ſecius contendit Apoſtolus, Legem a ſe adſtrui, non deſtrui. Profectò Legem perficit Fides, I, quòd gratiam Legis, ut oportet, ſervandæ impetrat (s). Præter Fidem, Lex inſtar literæ eſt occidentis, & corporis animâ deſtituti: Fides vitam ac meritum omnibus Legis operibus confert. II, Lex figura erat & promiſſio: Fides in Chriſtum Jeſum promiſſionum ac figurarum expletionem producit (t). III, Lex peccatum indicabat, minimè tamen ſe ipſa illius vitandi vires largiebatur. Fides docet quid agendum ſit, & agendi gratiam impetrat. IV, Lege ducebatur corpus, manuſque coërcebatur: Fides voluntatem moderatur, & concupiſcentiam refrænat. V, Moſaica Lex Chriſtianâ abrogata eſt, quod ad rituum obſervationem attinet, non quod ad morum Leges. Eam nedum non evertit Chriſtus, ſed verum illius ſenſum & ſignificationem aperuit, ac primævam reduxit illius ſeveritatem, quam pervicax Judæorum durities aliquâ ex parte laxari coëgerat, perverſæque Phariſæorum traditiones pernicioſis explicationibus corruperant. Quæ generatim de Lege diximus, ad Circumciſionem, de qua hîc potiſſimùm agitur, tranſferri poſſunt.

CAPUT IV.

Abrahami exemplo docet Apoſtolus, nedum Judæos, verùm etiam Gentiles, fide juſtificari, non operibus, Circumciſione, Lege.

℣. 1. QUid ergo dicemus, inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUID ERGO DICEMUS INVENISSE ABRAHAM PATREM NOSTRUM SECUNDUM CARNEM? Quid præſtantiæ habuiſſe *ex carne* dicemus Abrahamum? Vel ex Interpretum multorum ſententiâ (u), Græciſque Codicibus nonnullis: *Quid ergo dicemus, inveniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundùm carnem?* ut *ſecundùm carnem* non referatur ad *inveniſſe*, ſed ad *Abraham*; quæ explicatio magis conſentanea videtur Vulgatæ. Uſurpari hæc poſſunt uti objectio ex Judæis. Si Lex & opera juſtificationi non ſerviunt, quid de Abrahamo patre noſtro dicemus? illum ne operibus juſtificatum, cùm certè per Fidem in Chriſtum juſtificatus non fuerit? neque Chriſtum de facie cognoverit, aut eo tempore, quo palam exhibitus eſt Chriſtus, vixerit. Objectionem adverſùs Judæos torquet Apoſtolus: ℣. 2, *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam*, quo glorietur, *ſed non apud Deum*. Id verò abſurdum eſt.

Græcos typis vulgatos (b), & doctiſſimi Interpretes (c) jungunt *ſecundùm carnem* cum inveniſſe, hóc modo: *Quid ergo dicemus? Abraham Patrem noſtrum inveniſſe* juſtitiam & gratiam *ſecundùm carnem*, aut per opera Legis naturæ, exteriori tantùm cultu ac ſine Fide exercita? Vel: *Quid ergo dicemus ſortitum eſſe ſecundùm carnem Abraham patrem noſtrum?* Ex exterioribus operibus, ſecundùm carnem præſtitis, quid commodi retulit? Quid illi ad juſtificationem profuit circumciſio, operumque Fide & gratiâ carentium exercitatio? *Caro* hîc oppoſitus *Fidei* & Spiritui.

Poſtrema hæc explicatio maximè omnium convenire videtur propoſito Apoſtoli, perſpicuo certiſſimoque exemplo demonſtrare conantis, hominem non operibus ſed Fide juſtificari. Atque ita cum ſuperioribus jungi poteſt. Objicis, o Judæe, ſi homo per Fidem, non per opera juſtus efficitur, Legem igitur eſſe prorſus inutilem, noſque Legem deſtruere, dum Fidei meritum commendamus? Avertat Deus! Imò Legem commendamus, dum illius, ut oportet & cum fructu ſervandæ, modum oſtendimus. Quo pacto Abrahamum aſſecutum juſtitiam arbitraris? Per opera ne & Circumciſionem, an per Fidem? Carne, an ſpiritu? Profectò non carne aut Circumciſione; ſecùs, locus illi eſſet, ut ſe ipſe jactaret, ſuamque juſtitiam ſibi tribueret, non Deo; quippe nondum donatus a Deo Fide & gratiâ.

(r) *Græc.* Καταργοῦμεν. *Auguſt. Tertull.* Evacuamus; *alii*, abrogamus, inutilem reddimus.
(s) *Chryſoſt. Theophyl. &c. Aug. de Spiritu & Litt. cap. 30.* (t) *Chryſoſt. Eſt. Tolet. Men.*
(u) *Chryſoſt. Theophyl. Gennad. apud Oecum. Phot. ibid. & Ep. 166. Ita & Vulg. Cod. Alex. Bor.ner. Velez. Origen. alii. Vide Eſt. Tolet. Eraſm.* (b) Τί οὖν ἐροῦμεν Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν εὑρηκέναι κατὰ σάρκα; (c) *Ambroſiaſter, Theodoret. D. Thom. Cajet. Hammond. Syr. Arab. Lud. de Dieu, Grot. alii plures.*

℣. 2. Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.

℣. 3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

℣. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.

℣. 5. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei.

COMMENTARIUS.

tiæ. Hoc ipſum mox videbimus in ℣. 2.

℣. 2. SI ABRAHAM EX OPERIBUS (d) JUSTIFICATUS EST, in ſe uno gloriari poteſt, non apud Deum; cùm juſtitiæ bonorumque illius operum author minimè ſit Deus. Nefas autem eſt, creaturam ſe ipſâ gloriari (e); ſuaque omnia in Deum, ex quo in omnibus pendet, ab illâ referenda ſunt: abjicienda eſt igitur ſententia, impiam adeò collectionem pariens.

Aliter: Si tota Abrahami juſtitia in ſolis Abrahami operibus conſiſtit, ille quidem gloriari poterit apud homines, qui ab exteriori dumtaxat ſpecie judicium ferunt, non apud Deum, qui res ipſas ponderat (f). Minimam certè eſſe neceſſe eſt Abrahami juſtitiam, qua is cum Deo non conciliatur, neque Deo gratus efficiatur. Atqui Abraham procul dubio juſtus fuit & Dei amicus: aliam igitur juſtitiam habuit, præter eam, quam dixi (g).

℣. 3. CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. Hæc vera juſtificationis Abrahami origo: Fides, non opera. Juſtus tunc denique appellatur, poſtquam credidit: fides *reputatur illi ad juſtitiam*; eadem meriti loco illi eſt, ut juſtus efficiatur. Author Fidei illius Deus, author eſt etiam juſtitiæ; at alteram alterius cauſâ largitur. Mater quodammodo & origo juſtitiæ eſt Fides; atque ubi audis, Abrahami fidem reputatam illi fuiſſe ad juſtitiam, cave illud exiſtimes, juſtitiam Abrahami meram fuiſſe qualitatem illi imputatam, non virtutem intus inhærentem. Non modò reputatus eſt juſtus Abraham, ſed juſtus reverâ fuit (h); neque eo ſolùm tempore, quo notat Moyſes (i), *fidem reputatam illi fuiſſe ad juſtitiam*, ſcilicet, quo tempore Deus frequentem adeò poſterorum multitudinem illi pollicitus eſt, uti ſtellas cœli, quamquam Abraham & Sara jam effœti videbantur; jam antea juſtus erat (k), cùm e patriâ ſuâ egrederetur, illique promitteret Deus futurum, ut illum beneficiis cumularet, illique protector eſſet ac merces. Cùm autem Patriarchæ fides in dies creſceret, ita creſcente fide juſtitia augebatur (l). Porrò fides in promiſſiones Abrahamo exhibitas complectebatur ſaltem ex obliquo fidem in Mediatorem, ad quem omnia Patriarcharum vota ferebantur. Igitur Abrahami fides a fide Chriſtianorum non differebat, niſi tantùm ex eo, quòd fortaſſe minùs expreſſa eſſet, ſuumque ipſa finem minùs luculenter agnoſceret (m).

℣. 4. EI AUTEM QUI OPERATUR, MERCES NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM; meriti & juſtitiæ nomine debetur. Si igitur Abraham juſtificationis gratiam operibus promeruit, hæc igitur gratia non eſt, ſed debitum: vel ſi eſt gratia, uti certè eſt, jam non eſt merces: *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia* (n). Gratiam eſſe dico, quia, Scripturâ teſte, illi imputata eſt. Minimè autem imputari dicitur quod debetur (o), ſed ſolvi ac reddi. Creditor pecuniæ ſolutionem imputans debitori, gratiam illi facit; minimè verò, ſi pecuniam a debitore accipit. Cùm fidem nobis largitur Deus, & juſtitiam imputat, nihil ex nobis accepit: id mera eſt illius gratia: idcircò credimus, quia cor animumque noſtrum aperit Deus (p).

℣. 5. EI VERO QUI NON OPERATUR, CREDENTI AUTEM Deo, fides pro juſtitiâ imputatur, ex Divinæ gratiæ conſilio. Superiore verſiculo diſputavit de homine, qui fide carens operatur; hic de eo qui ſine operibus credit. Ille fide donatur gratis: hic eâdem miſericordiâ Dei, a quo fide donatus eſt, juſtus efficitur. Abraham, antequam vocaretur, Deorum ſuperſtitionem ſectabatur, teſtibus Scripturâ (q), Joſepho (r), nonnulliſque Rabbinis (s). Fidei donum operibus minimè promeruit: at cùm, Deo vocante, patriam deſeruit, illique innumeros promiſit poſteros Deus, Abraham promiſſis fidem habuit, ejusque fides imputata illi eſt pro juſtitiâ: quamobrem Abrahami fides & juſtitia merum Dei donum ſunt (t). Neque Abrahami fides mortua erat, in ſolâ contemplatione verſans, ſed agens & charitate vivens, quemadmodum omnia vitæ illius geſta demonſtrant. Fides initium fuit juſtitiæ Abrahami, non perfectio. *Credens in eum qui juſtificat impium, a fide incipit*, inquit S. Auguſtinus (u), *ut bona opera non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod accepit, oſtendant.*

SECUNDUM PROPOSITUM GRATIÆ DEI. Verba hæc neque in Græco neque in Latinis nonnullis Codicibus leguntur (x). At Ambroſiaſter in Epiſtolam ad Romanos, Hieronymiaſter, Pelagius, Sedulius, Remigius, ac Latini plerique ea legunt: ex quo illorum vetuſtas colligitur. His docemur, neque fidem neque juſtitiam cuiquam deberi, neque ab hominum merito, ſed a Dei gratiâ æterniſque illius decretis proficiſci.

℣. 6. Si-

(d) *Ambroſiaſt. D. Thom. alii. Quid.* Ex operibus Legis, *mendosè.*
(e) *Vide Rom.* III, 27; 1 *Cor.* I, 31; III, 21; IV, 7; 2 *Cor.* VII, 17; *Epheſ.* II, 9.
(f) *Tolet. Men. Tirin.* (g) *Vide Eſt. & Lud. de Dieu.* (h) *Eſt. Menoc. Tirin. alii.*
(i) *Geneſ.* XV, 6. (k) *Geneſ.* XII, 3; XV, 1. (l) *Tolet. Eſt. Menoc. Tirin.*
(m) *Vide Eſt. Men. Gomar. Para.* (n) *Rom.* XI, 6. (o) *Eſt. Para. alii.*
(p) *Act.* XVI, 14: *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his quæ dicebantur a Paulo.*
(q) *Joſue*, XXIV, 2. Vide & *Iſai.* XLIII, 27; *Sap.* X, 5; *Judic.* V, 7.
(r) *Joſeph. Antiq. lib.* 1, *cap.* 8.
(s) *Maimon. plurib. locis.* (t) *Tolet. Menoc. Eſt.* (u) *Auguſt. in Pſal.* CX.
(x) *Vide Eraſm. Eſt. Mill.*

℣. 6. Sicut & David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiam ſine operibus:

℣. 7. Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

℣. 8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.

℣. 9. Beatitudo ergo hæc in circumciſione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad juſtitiam.

℣. 10. Quomodo ergo reputata eſt? in circumciſione, an in præputio? Non in circumciſione, ſed in præputio.

COMMENTARIUS.

℣. 6. Sicut ut David dicit. Poſtquam docuit, juſtitiam nonniſi per fidem Abrahamo fuiſſe impotatam, oſtendit ex Davide, juſtitiam hominibus per opera non imputari, adeoque hanc imputationem eſſe merè gratuitam.

℣. 7. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. In præſenti vitâ ſupremum hominis bonum eſt juſtitia; eademque eſt æternæ beatitudinis ſemen. Ea porrò in hoc maximè verſatur, ut homo peccato careat, & deinde virtutem exerceat. Hic propriè agitur de primâ juſtitiâ, primoque juſtificationis gradu, atque interioris hominis inſtauratione. Ex Davide probat Apoſtolus, beatitudinem hanc & juſtitiam merum Dei unius eſſe beneficium (y); atque ita rem conficit. Quisquis ex peccatore juſtus efficitur, ſolâ Dei miſericordiâ iſtud aſſequitur. Porrò quisquis juſtus fit, antea peccator fuerat; vel, ſi mavis, nemo juſtus eſt, antequam a Deo gratiam juſtificationis accipiat; merâ igitur Dei miſericordiâ juſtus efficitur. Operum merito juſtificatione donari non poteſt; illum enim injuſtum & peccatorem eſſe ponimus: merâ igitur Dei miſericordiâ. Neque dixeris, aliquos eſſe juſtos, qui nunquam obnoxii peccato fuerint; ut enim luculentiſſimè demonſtratum eſt, homines univerſi peccavere (z), atque opus habent, ut gloriæ & clementiæ ſuæ ſpecimen Deus erga ipſos exhibeat: omnes igitur coram Deo fateantur oportet, ſe eſſe peccato obnoxios (a).

Locus ex Davide nullam patitur difficultatem: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Antequam hominis peccata dimitteret ac tegeret Deus, illique juſtitiam pro peccato imputaret, quid ille niſi peccator fuit? Quid verò, crimine dimiſſo & non imputato, niſi juſtus effectus eſt? Quid porrò veniam & juſtificationem illi promeruit? Nulla certè opera, cùm nonniſi malis operibus abundaret. Unâ igitur Dei miſericordiâ effectus eſt juſtus.

Cæterùm cùm David canit, peccata hominis a Deo tegi, illique non imputari, cave ita reputes, quaſi peccata adhuc ſint & vivant, ac tantummodò non imputentur; quemadmodum uſu venit homini, ex quo æs alienum, quod debet, non exigitur; ſed reo, cujus noxa nondum purgata non punitur (b). Debitum & crimen manent: ſolutio dumtaxat & vindicta negligitur. Res aliter de peccatis ſeſe habet. Debitum penitus aboletur, crimen reverâ dimittitur (c). Quatuor animadvertenda ſunt in peccato, ait Pererius: *Offenſa Dei*, quæ in re præſenti dimittitur: *actio peccati*, quæ cùm patrata ſit, fieri non poteſt quin patrata non fuerit, & tegitur: *culpa*, quæ non imputatur: *deformitas*, ſeu *labes animæ*, quæ detergetur.

℣. 8. Cui non imputavit Dominus peccatum (d): cui pepercit Deus, quem pro innoxio & juſto habet (e). Si reus eſſet, illum certè Deus innoxium exiſtimare non poſſet, quippe qui res ita uti eæ ſunt videt. Creditor, condonato ære alieno, alterum ſibi debitorem exiſtimare non poteſt. Qui in gratiam Principis revocatus eſt, reus non reputatur. At dimiſſâ peccantis culpâ, pœna etiam non dimittitur. Aut in præſenti aut in alterâ vitâ punit Deus peccata (f), quarum culpam ipſe dimiſit, pœnam homo non ſatis diluit. Eadem tamen Deus eo ſupplicio quod merentur, non punit; ſed vel præſentis vitæ vel Purgatorii pœnis perſequitur.

℣. 9. Beatitudo hæc tantum manet (g) in circumcisione? Beneficium non imputandi ac dimittendi criminis adeò ne ſervatur Judæo, ut ad Ethnicum nihil pertineat? Profectò David de Judæis agere videtur; at cùm generica ſit ſententia, ad utrumque referenda eſt; uterque enim, uti docuit Apoſtolus, æquè peccavere, & merito carent. Siquid autem diſcriminis inter utrumque ſit, illud certè eſſe non poteſt, niſi de inæquali utriusque merito aut peccatis.

Ut doceat Apoſtolus, iſta æquè ad Judæum atque Ethnicum pertinere, ad Abrahamum redit. Fide juſtus effectus eſt Abraham, ait Scriptura; id porrò neque ſub Lege, neque poſt Circumciſionem illi contigit: neque Lex igitur, neque Circumciſio, neque Judaicæ Religionis profeſſio nobiliſſimum hoc beneficium illi peperere (h). Quæ ſi vera ſint de Abrahamo, cur de cæteris Gentilibus negentur? Vide ℣. 10.

℣. 10. Non in circumcisione, sed in præputio. Profectò circumciſione initiatus eſt Abraham

(y) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. alii.*

(z) *Rom.* III, 9: *Cauſati ſumus Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.*

(a) *Rom.* III, 23: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ.*

(b) *Auguſt. in Pſalm.* XXXI, *Enarr.* 2, *n.* 9, *pag.* 176: *Cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; ſi noluit advertere, noluit punire; ſi noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Beati quorum tecta ſunt peccata; nec ſic intelligatis quod dixit: Peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant, &c.* (c) *Vide Grot. Menoc. Tolet. Tir. Eſt.*

(d) Ὧ οὐ μὴ λογίσηται Κύριος. *Plures Codd. Mſſ.* Imputabit. *Ita Ambroſ. Origen. ſeu Rufin. in hunc loc.*

(e) *Tolet. Eſt. Men. Tirin.* (f) *Vide Auguſt. lib.* 22 *contra Fauſt. cap.* 67; *& in Pſal.* L; *& in Expoſit. inchoatâ in Ep. ad Rom. in hæc verba; Gratia vobis & pax. Eſt. hic.*

(g) Hæc verba, *Tantùm manet*, deſunt in Græco, Syriacâ, multisque Latinis Codicibus.

(h) *Vide Grot. Eſt. Menoc. Tir. alios.*

Digitized by Google

℣. 11. Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam:

℣. 12. Et ſit pater circumciſionis, non iis tantùm qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.

℣. 13. Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini ejus, ut hæres eſſet mundi; ſed per juſtitiam fidei.

℣. 14. Si enim qui ex lege, hæredes ſunt: exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio.

COMMENTARIUS.

ham anno ante ortum Iſaacum primo; Dei verò promiſſiones & juſtificationem ante annum xxv acceperat, cùm, jubente Deo, Meſopotamiam deſeruit.

℣. 11. SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS (i). Circumciſio, qua initiatus eſt Abraham, juſtitiæ illius cauſa non fuit, quippe qui jam antea juſtus fuerat; ſed ſignum & nota juſtificationis, qua per Fidem donatus eſt. Animadvertunt Patres (k), Circumciſionem datam fuiſſe Abrahamo, cæteriſque per ipſum Hebræis, ut ex eâ inter gentes ſecernerentur. Pignus erat promiſſionum Abrahamo ejusque poſteris exhibitarum; ſignum fœderis, quod cum illo juraverat Deus; nota fidei ab Hebræis præſtitæ, futuros ſe Dei populum, a cæteris gentibus ſecretum. Circumciſio denique ob parentum fidem peccatum originale delebat (l), & inſtitutum a Jeſu Chriſto Baptiſmum ſignificabat; complectebatur etiam profeſſionem implicitæ fidei in Dei promiſſiones ac Mediatorem, qui juſtorum omnium spes erat ac expectatio. Vide noſtram Diſſertationem de effectibus Circumciſionis.

UT SIT PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRÆPUTIUM. Fidei ergo ſuæ merito Abraham juſtitiam accepit, atque ante circumciſionem factus eſt *Pater*, exemplum, princeps, magiſter (m) omnium, qui poſt ipſum atque ejus exemplo, ſive Judæi ſive Gentiles, credidere Deo, ex eoque juſtitiam per Fidem, non per opera & circumciſionem, accepere. Quæ Deus Abrahami causâ geſſit, pignus erant certiſſimum, eadem præſtitum iri in commodum eorum, qui eſſent illum imitaturi.

℣. 12. ET SIT PATER CIRCUMCISIONIS; ut pater ſit circumciſorum pariter & circumciſione carentium, quatenus Fidei exemplum illis præbuit; Judæorum pater carne, Gentilium ſpiritu. Fruſtra Judæus Abrahamo patre gloriatur, niſi Fidem virtutemque illius imitetur: neque Gentili nocebit aliena ab Abrahamo carnis cognatio, ſi filius Abrahami ſit ſpiritu. Judæus ac Gentilis æquè juſtitiam Abrahami hæreditate ſortientur, ſi Fidei ac Religionis Abrahami hæredes fuerint.

℣. 13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO. Sub Lege non erat Abraham, nullumque illi erat ejus generis meritum, quod ex ſervatis Moyſis ſanctionibus proficiſcitur, quo tempore Deus Palæſtinæ poſſeſſionem illi ſive ejus poſteris promiſit. Circumciſionem ille tunc ignorabat, nullamque Legem, præter naturalem, noverat. Fatendum igitur eſt, hujusmodi promiſſiones non operum præmium fuiſſe, ſed Fidei. Invicta collectio.

Hæc verba, *Ut eſſet hæres mundi*, variè uſurpantur. Sunt (n) qui de Chananitide intelligant, *terra univerſa* nomine interdum appellatâ, præſertim ſi complectatur finitimas regiones, quæ reverâ Hebræis ſub Davide & Salomone paruerunt. Cenſent alii (o), ſpectari hìc ab Apoſtolo ea Geneſeos verba (p), quibus Abrahamo promiſit Deus: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*: quæ promiſſa Chanaanitidis fines prætergreditur. Denique ſpiritali ſenſu accipi poteſt (q), ut pater ſit credentium omnium, quo fit, ut mundi totius dominus quodammodò efficiatur, cùm ſpiritales illius filii toto orbe diſperſi, univerſi totius, ut ita dicam, hæredes ſint; uti ſonant ea Pſalmi verba ad Meſſiam, Abrahami filium ex carne, verumque promiſſionum Abrahamo exhibitarum hæredem (r): *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

Promiſſio iſta exhibita eſt *Abrahæ aut ſemini ejus*; Abrahamo & Iſaaci poſteris. Hæc porrò beneficia neque Abrahami neque ejus poſterorum operibus præſtita fuere. Scriptam Legem, poſt annos ab illo amplius quadringentos latam, ignorabat Abraham: nondum erant ejus filii, adeoque nec boni quicquam præſtare potuerant. Hæ igitur promiſſiones penitus gratuitæ ſunt, earumque expletio merum Divinæ erga illos miſericordiæ beneficium (s).

℣. 14. SI ENIM QUI EX LEGE, HÆREDES SUNT: Si Legis & præceptorum causâ filii Abrahami hæredes ſunt promiſſorum, ipsaque promiſſa in ipſis tantummodo conſiſtunt, EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO. Fit inutilis Fides, cùm absque Fide juſtificatio acquiratur; promiſſa eventu carent, cùm non promiſſionum aut fidei Abrahami, ſed operum causâ Deus juſtitiam Hebræis largiatur. Fruſtra credit Abraham Deo, cùm præmium non Fidei, ſed illius operibus exhibeatur. Fruſtra illi exhibet promiſſa Deus, quæ ille expleta non vidit (t); vel ſiqua in filiis expleta vidit, id non Dei promiſſionibus, ſed operum

(i) Σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς. *Alii Codd.* Περιτομήν. *Vide Mill. Chryſoſt. Theophylact. Juſtin. Dialog. Syr.*
(k) *Juſtin. Dialog.* Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ᾽ οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβε. *Iren. lib.* 4, *cap.* 30: *Circumciſionem non quaſi conſummationem juſtitiæ, ſed in ſigno dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveraret genus Abrahæ. Tertull. contra Judæos: Accepit (Abraham) circumciſionem, ſed quæ eſſet ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam. Ita & Chryſoſt. Theodoret. Aug. Ambroſ. alii.*
(l) *Ita Auguſt. lib.* 16 *de Civit. cap.* 27; *lib.* 2 *contra Pelag. & Celeſt. cap.* 30; *lib.* 2 *de Nuptiis & Concupiſc. cap.* 51; *lib.* 2 *de Peccato origin. cap.* 30. *Ita Proſper, Beda, Bernard. Alii poſt eos multi.* (m) *Grot. Glaſſ. Vide & Tolet. Eſtium. ex Chryſoſt. Theophyl. ad* ℣. 12.
(o) *Vide Glaſſ. Rhetor. lib.* 1, *cap.* 16; *alii quidam.* (o) *Grot. Bez.* (p) *Geneſ.* xxii, 18.
(q) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Corn. Tir. Menoch.* (r) *Pſal.* ii, 8.
(s) *Vide Eſt. Men. Pare. Lud. de Dieu.* (t) *Vide Grot. Eſt. Tolet. Menoc. Tirin.*

℣. 15. Lex enim iram operatur. Ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.

℣. 16. Ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei, qui ex lege eſt ſolùm, ſed & ei, qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrum,

℣. 17. (Sicut ſcriptum eſt: Quia patrem multarum gentium poſui te) ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt:

℣. 18. Qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundùm quod dictum eſt ei: Sic erit ſemen tuum.

COMMENTARIUS.

rum illius merito debetur.

℣. 15. LEX ENIM IRAM OPERATUR. Adeò verum eſt, Legem Hebræis non promeruiſſe promiſſiones & beneficia quæ diximus, & juſtificationem illis non peperiſſe, ut potiùs Dei iram, vindictam, maledicta in illos provocaverit: neque tamen iſta per ſe & ex directo effecit, ſed ex occaſione (u). I, enim *ubi non eſt Lex, nec eſt prævaricatio*. Levior eſſet hominis culpa (x); præſtat enim Dei Legem penitus ignorare, quàm cognitam violare (y); & ſervus perſpectæ domini voluntati repugnans, ſeveriùs altero punietur (z). II, roboratur adversùs Legem concupiſcentia, & obfirmatur. Quo ſeverius eſt interdictum, eò acrior eſt interdictæ rei cupiditas. Ita fit, ut Lex peccandi libidinem & peccantium numerum augeat (a). III, Lege creſcit hominis arrogantia, cenſentis, poſſe ſe impetrata præſtare, ſuæ infirmitatis obliti, negligentisque opem gratiæ qua nunquam non eget (b).

℣. 16. IDEO EX FIDE UT SECUNDUM GRATIAM SIT PROMISSIO. Promiſſiones igitur Abrahamo ejusque poſteris exhibitæ, promiſſaque illis hæreditas ad eos non pertinent, qui exteriori tantùm obsequio Legem ſervant, absque Fide & gratiâ, quæ meritum humanorum operum efficiunt; ſed ad eos dumtaxat, qui inſtituuntur Fide (c), quam animat charitas, & bona opera comitantur. Quamobrem non merito ſed gratiæ debes, quicquid hac ex parte habes, ſive Judæus ſis, ſive Gentilis. Fatendum omnino tibi eſt, nullum penitus tibi meritum eſſe. Eâ confeſſione, *firma ſit promiſſio*, Abrahamo exhibita, nedum erga Judæos, verùm etiam erga Gentiles. Ea quidem in ſe nunquam non firma eſt atque immutabilis: at erga nos etiam talis efficitur, cùm illius firmitatem agnoſcimus, reddimusque Deo gloriam, exhibitâ noſtræ infirmitatis ac ſubjectionis confeſſione, commendatâque Dei potentiâ & juſtitiâ, nos prævenientis gratiâ, ſuaque in nobis coronantis dona, dum merita noſtra coronat.

NON EI QUI EX LEGE EST SOLUM. Per fidem, non per opera, Judæi ac Gentiles hæredes fiunt promiſſionum Abrahamo exhibitarum. Hæreditas unis Abrahami filiis promittitur: at duplex eſt filiorum genus, ex carne atque ex ſpiritu. Filii ex carne, non ſecùs ac alieni generis homines, promiſſionum hæreditate excluduntur, niſi fide vivant, Patrisque fidem & obedientiam imitentur.

℣. 17. PATREM MULTARUM GENTIUM POSUI TE. Ad literæ & hiſtoriæ ſenſum, multæ ex Abrahamo gentes ſatæ ſunt per Iſmaëlem, Iſaacum, filiosque ex Cethurâ procreatis. At morali ſenſu ac Prophetico, multarum gentium pater futurus erat, vocatis ad Chriſti fidem Gentilibus; ia enim *ante Deum* pater eſt fidelium, qui ejus fidem, obedientiam, fidelitatem imitantur. Pater igitur multarum gentium eſt Abraham ſpiritu & coram Deo (d), non carne. *Ante Deum, cui credidit* (e). Græci aliter interpretantur (f). Pater eſt credentium omnium, *exemplo Dei*. Quemadmodum Deus creatione communis eſt hominum univerſorum pater: ita Abraham exemplo Fidei pater eſt omnium Fidelium.

QUI VIVIFICAT MORTUOS, &c. Abraham credidit Deo, vitæ necisque domino, cui perinde eſt mortem inferre aut vitam reddere; producere quæ non ſunt, aut ea quæ ſunt auferre. Referri hæc poſſunt ad ortum Iſaaci ex effœtâ jam Sarâ (g). Filios Saræ polliceri perinde erat ac mortuum e ſepulcro revocare. Id tamen certiſſimè credidit Abraham, vix locutus eſt Deus. Aliter, promittens Abrahamo Deus futurum, ut innumeras gentes antea infideles, vitiis & ſuperſtitione implicitas, inter filios numeraret, tantumdem præſtitit, ac ſi mortuos innumeros e ſepulcris redituros prædiceret (h). Rei tamen difficultas minimè obſtitit, quin Abraham illi fidem adjungeret. Denique uſurpari poteſt genericè de ampliſſimâ Abrahami fide, cui nihil inſuperabile, vel etiam difficile videbatur, ubi Deus locutus fuerat (i). Gemina ejus rei exempla profert Apoſtolus, quæ difficillima cenſentur, & naturæ viribus longè ſuperiora, mortuos nimirum revocare, atque ea quæ non ſunt in lucem educere.

℣. 18. QUI CONTRA SPEM, IN SPEM (k) CREDIDIT. Quamquam & ſe ipſe ſenem, & Saram uxorem effœtam ſenſit, tamen *contra ſpem in ſpem credidit*; ſperavit, tametſi humana omnia negare videbantur, ipſum fore multarum gentium patrem tum myſtico ſenſu tum naturali, uti mox explicavimus. Reddi poteſt Græcus (l): *Contra ſpem in ſpe credidit*; credidit in Divinarum promiſſionum ſpe, certiſſimâque veritatis illarum opinione, omnibus licèt contrarium portendentibus (m).

SIC ERIT SEMEN TUUM. Græci ac Latini Codices.

(u) *Eſt. Tolet. Zeger. alii paſſim.* (x) *Auguſt. Ep. 88. Vide Eſt. hic.* (y) *Jac.* IV, 27.
(z) *Luc.* XII, 47, 48. (a) *Rom.* VII, 7, 11, 12, 13. *Auguſt. de Spiritu & Litt. cap.* 4.
(b) *Auguſt. lib. 3 contra duas Epiſtol. Pelag. cap* 7. (c) *Eſt. Tolet. Men. Para.*
(d) *Vat. Eſt. Anſelm. Alii.* (e) Ἐπίστευσε. *Alii*, ἐπίστευσας, *credidiſti. ita Syr. Arab. Ambroſiaſter.*
(f) Κατέναντι οὗ ἐπίστευσε Θεοῦ. *Chryſoſt. Theophylact. Theodoret. Eraſm. Paro. Tolet. Eſt.*
(g) *Origen. Piſcat. Menoc. Para. alii.* (h) *Ambroſiaſter, Oecum. Eſt. Grot.* (i) *Tolet. Eſt.*
(k) *Quid.* In ſpe. *Ita Pelag. Primaſ. Hugo. Gr.* Ἐπ' ἐλπίδι. (l) Παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι.
(m) *Eraſm. Eſt. Men. Tir. Chryſoſt. hic:* Παρ' ἐλπίδα τὴν ἀνθρωπίνην, ἐπ' ἐλπίδι τῇ τοῦ Θεοῦ.

℣. 19. Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cùm jam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vulvam Saræ.

℣. 20. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo:

℣. 21. Pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere.

℣. 22. Ideò & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

℣. 23. Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam:

℣. 24. Sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum a mortuis,

℣. 25. Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.

COMMENTARIUS.

dices multi addunt (n): *Sicut ſtellæ cœli, & arena maris*: quæ verba deſumpta ſunt ex Geneſi xv, 5, & ad ſpiritales Abrahami nepotes pertinent.

℣. 19. Corpus suum emortuum, &c. Minimè animadvertit, & ſe & Saram effœtos eſſe, ut fiduciâ caderet: optimè noverat, ſuam ipſius ſenectutem, cum naturali Saræ ſterilitate conjunctam, ex naturæ viribus obſtinatiſſimè repugnare iis quæ a Deo promittebantur: at his neglectis, conſtans in Dei fiduciâ permanſit. At quàm verè dicitur corpus Abrahami veluti emortuum & effœtum, cùm poſt Isaaci ortum & Saræ obitum Abraham plures deinde filios e Cethurâ procrearit? Reſpondeo (o), Abrahami corpus ceu mortuum fuiſſe generationi, ubi ad Saram naturâ ſuâ ſterilem referretur; quamquam ex ſe & cum adoleſcentulâ conjunctum, filios procreare præter prodigium poterat: unde fit, ut tradat Scriptura (p), traditam Saræ fœcunditatem, Abrahamo penitus prætermiſſo

Plerique (q) tamen, abjectâ hac reſponſione, ajunt, utrumque, Abrahamum ſcilicet ac Saram, donatos a Deo eâ virtute qua carebant; eamque vim diù poſt Isaaci ortum in Abrahamo manſiſſe. Non inficiantur illi, Scriptorem Epiſtolæ ad Hebræos non meminiſſe Abrahami fœcunditate donati, quemadmodum de Sarâ tradit; at ea fert quæ idem valent, cum aſſerat, Isaacum ex Abrahamo jam ſene ac velati mortuo procreatum: *ab uno nati ſunt, & hoc emortuo, tamquam ſidera cœli*. Poſt Isaaci ortum Abraham annos quinque & ſeptuaginta ſuperſtes fuit.

℣. 20. Non hæsitavit diffidantia. Si ſola Abrahami verba inſpicias, ea diffidentiæ aliquid indicare videntur (r). *Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Deum: Utinam Iſmaël vivat coram te!* Quaſi ſpem ſuam ultra filium ancillæ non porrigeret. Nec defuere Patres (s), qui ancipitis animi æſtum in verbis Abrahami ſenſerint. Cæteri verò Patres atque Interpretes ajunt, ex Apoſtoli ſententiâ, neque dubitaſſe, neque hæſiſſe Abrahamum, ſed piâ animi demiſſione occupatum, cùm ſe tanto beneficio indignum exiſtimaret, mirabundum quæſiviſſe, qua id ratione eventurum eſſet, & an Iſmaël ipse futurus eſſet tam multarum gentium pater (t). Satis beatum me feceris, Domine, ſi exhibitarum mihi promiſſionum hæres futurus eſt Iſmaël: novo quippe beneficio indignum me ſentio, neque id hac ætate ſperare datur.

Dans gloriam Deo, illius potentiam ac veritatem falli neſciam confitens. Demiſſo & conſtanti animo fidem verbis Dei adjunxit: grates ſinecrâ mente reddidit, merum miſericordiæ atque omnipotentiæ illius munus eſſe teſtatus (u).

℣. 22. Reputatum est illi ad justitiam. Fides, quam Dei promiſſis hac in re habuit Abraham, juſtitiæ nomine illi imputata eſt, non ſecùs ac altera qua Deo ſe vocanti ex regione Chaldæorum, atque ante Iſmaëlis ortum alloquenti credidit. Variæ hujuſmodi imputationes incrementa ſunt juſtitiæ Abrahami, atque appendices juſtificationis, qua initio donatus eſt ob fidem, merâ Dei largitione (x).

℣. 24. Sed et propter nos. Fides Abrahamo juſtitiæ nomine imputata, non ipſi ſolùm, verùm etiam nobis prodeſt: non quòd Abrahami juſtitia nobis imputetur, ſed quòd Abrahami fidem imitantibus, hoc ipſum nobis ad juſtitiam imputaturus ſit Deus, quemadmodum Abrahamo. Abrahami fides rem futuram remotamque ſpectabat; noſtra Incarnationem Jeſu Chriſti, ejusque Mortem atque ex mortuis Reſurrectionem. Diverſis licèt loco ac tempore, ſi credimus ut ille credidit, fides noſtra nobis ad juſtitiam imputabitur; noſtraque juſtitia in dies eodem gradu augebitur, quo fides noſtra perficietur.

℣. 25. Resurrexit propter justificationem nostram. Æternus Pater Filium morti dedit, ut crimina noſtra expiaret; noſtræque juſtificationis causâ illum ex mortuis revocavit. Chriſti mors redemptio noſtra eſt; reſurrectio eſt Fidei noſtræ ſcopus. Fides erga Reſurrectionem nobis juſtitiæ nomine imputatur; quemadmodum fides Di-

(n) *Ita Hieronym. hic; Origen. ſeu Rufin. in Ep. ad Rom. Theophyl. in Comment. Eraſm. in Vulg. Vide Eſt. M.ll.* (o) *Auguſt. lib. 16 de Civit. cap. 8; & q. 35 ſuper Geneſ. Perer. Druſ.*

(p) *Hebr. xi, 11: Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, &c.*

(q) *D. Thom. Perer. Eſt. Tolet. alii.* (r) *Geneſ. xvii, 17.*

(s) *Chryſoſt. homil. 40 in Geneſ. Hieronym. lib. 2 Dialog. contra Pelag. cap. ru; & lib. 3, cap. 5.*

(t) *Vide Ambroſ. lib. 1 de Abrah. cap. 4, & lib. 2, cap. 11; Auguſt. lib. x de Civit. cap. 26, & 31. Eſt. Tolet.* (u) *Chryſoſt. Eſt. Tolet. Grot. alii.*

(x) *Vide Eſt. hic.*

Divinis promiſſionibus addita, Abrahamo (y). Fidei ac juſtificationis noſtræ cauſam ponere videtur Apoſtolus unam Jeſu Chriſti Reſurrectionem; non quòd cætera noſtræ Religionis myſteria excludat, quæ & univerſè & ſingillatim Fide noſtrâ ſpectantur, ſed quòd Reſurrectio per excellentiam, ceu omnium ſigillum & perfectio, illa contineat. Hæc interpretatio cum antecedentibus & conſequentibus aptiſſimè cæterarum necti videtur.

CAPUT V.

Juſtificatorum commoda. Infinita Dei bonitas erga illos. Quemadmodum per hominem unum mors & peccatum in orbem terrarum invaſere; ita per unum in multos gratia & vita manarunt.

℣. 1. JUſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:

℣. 2. Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.

℣. 3. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus: ſcientes, quòd tribulatio patientiam operatur:

℣. 4. Patientia autem probationem, probatio verò ſpem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. JUSTIFICATI ERGO EX FIDE. Impetratâ criminum veniâ per Domini noſtri Jeſu Chriſti mortem, fideque Reſurrectionis ipſius, dignam reconciliatione, in quam admiſſi fuimus, & pace quam cum illo habemus, vitam inſtituamus. Illud vult Apoſtolus, ſatis non eſſe, primam gratiam nos accepiſſe, ſed eam ſervandam a nobis eſſe atque augendam piâ vitæ inſtitutione, fideque religioſiſſimâ. Codices multi (a) pro, *habeamus pacem*, ferunt, *pacem habemus*; in Dei gratiam & amicitiam redivimus per Chriſtum Jeſum omnium Servatorem, qui veniam morte, Reſurrectione juſtitiam nobis comparavit. Supra, ℣. 25.

℣. 2. PER QUEM ET HABEMUS ACCESSUM. Per Fidem in Chriſtum veniam criminum & juſtificationem retulimus; per eamdem cum Cœleſti Patre conciliati ſumus, & adoptionis gratiam aſſequuti. Ad principium redit Apoſtolus, Fidem ſcilicet unam eſſe juſtitiæ noſtræ cauſam, eamque merum eſſe Divinæ miſericordiæ munus, non operum noſtrorum mercedem. Ad hanc vocavit nos Filius, Spiritus duxit, traxit Pater (b). Sequeſter eſt Filius, qui & introduxit (c): per ipſum omnia ad nos manant Dei beneficia. *Per Fidem* in Græcis Codicibus quamplurimis deſideratur (d).

IN QUO STAMUS, ET GLORIAMUR IN SPE, &c. Perſeveramus ac manemus in gratiâ reconciliationis, juſtificationis, & adoptionis, qua per Fidem donati fuimus; itaut ſummum gloriæ noſtræ caput in eo ipſo conſtituamus animo ita conſtanti, ut neque moveamur malis quibus obnoxii ſumus, aut uſitato apud homines Divini hujus muneris contemptu, neque de ſublimi tanti beneficii, in quo felicitas noſtra conſiſtit, opinione remittamus. Quantum Apoſtolus hominem deprimit, ſpectatis ipſius viribus meritiſque, tantumdem erigit verâ ſolidâque vocationis gloriâ, & fiduciâ, quam is de omnipotenti Dei ope præſumere debet. Fides, gratia, juſtificatio ad inæſtimabilem gloriam hominem evehunt: at idem ſtatim ab eâ cadit, ubi vel minimum quid ſibi arrogat; ex quo colligit Apoſtolus, gloriandum eſſe homini. non de ſe ipſo, ſed *in ſpe gloriæ filiorum Dei*; firmâ ſcilicet fiduciâ, promiſſam filiis Dei gloriam ſibi a Deo traditum iri in æternitate. Græcus vulgatus (e), Patres Græci, Codices manu deſcripti, S. Cyprianus (f), S. Ambroſius, ſive Author Commentarii ſub ejus nomine cognitus, & Syrus legunt dumtaxat: *Gloriamur in ſpe gloriæ Dei*, non *gloriæ filiorum Dei*. Poſteriorem hanc lectionem ferunt Vulgata, Hilarius Diaconus, Rufinus, Scholiaſtes in hanc Epiſtolam ſub nomine S. Hieronymi.

℣. 3. SED ET GLORIAMUR IN TRIBULATIONIBUS. Spes noſtra præcipuum eſt lætitiæ noſtræ noſtrarumque virium argumentum, ac per eam in ærumnis, odiis, pugniſque gloriamur. Profectò ſi nulla præter hanc vitam ſpes eſt Chriſtianis, Sanctis, & Dei amicis, nihil illis miſerius infeliciuſque (g). Tota illorum gloria eſt, mala pati ut Chriſtianos (h) & Jeſu Chriſti imitatores, ac Dei ſui gloriam patientiâ procurare. *Ibant* Apoſtoli *gaudentes a conſpectu Concilii*, ait Lucas (i), *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Una demum Chriſtiana Religio docere iſta homines poteſt, ac facere, ut illi ſolatium ac voluptatem inter ærumnas inveniant, æternæ vitæ ſibi promiſſæ amore, quam ſolis Fidei oculis intuentur.

TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR. Hac nimirum ratione ærumnæ gaudium parere poſſunt Chriſtiano, in æternorum ſcilicet bonorum ſpem, in qua tota ſiſtit Chriſtiani lætitia & quies, in-

du-

(y) *Perer. Sasbod. Adam. Cajet. Vide 1 Petri, 1, 3: Qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam per Reſurrectionem J. C. ex mortuis.*

(a) *Gr. Impreſſ.* Εἰρήνην ἔχομεν. *Sed Vulg. Syr. Mſ. Alex. Clarom. & alii plures. Chryſoſt. Theodor. Theoph. alii,* εἰρήνην ἔχωμεν, *Pacem habeamus. Origen. Ambr. hic; Tertull. lib. 5 contra Marc. cap. 13: Pacem habemus.* (b) *Joan.* VI, 44. (c) 1 *Timot.* II, 5.

(d) *Vide Mill. hic;* Τὴν προσαγωγὴν ἐσχήκαμεν τῇ πίστει. *Deeſt* τῇ πίστει *in Clarom. Gr. S. Germ. G. L. Barb.* 1; *Æthiop. Boerner. G. L.* (e) Καυχώμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ.

(f) *Cyprian. de Exhort. Mart. cap.* 9. (g) 1 *Cor.* XV, 19.

(h) *Theodoret.* Καυχώμεθα, καὶ μεγαλοφρονοῦμεν ὡς πορισθέντες τῷ δεσπότῃ τῶν παθημάτων.

(i) *Act.* V, 41.

℣. 5. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

℣. 6. Ut quid enim Chriſtus, cùm adhuc infirmi eſſemus, ſecundùm tempus pro impiis mortuus eſt?

℣. 7. Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori.

COMMENTARIUS.

ducunt. *Tribulatio patientiam operatur*, exercet, materiam atque occaſionem præbet. *Patientia autem probationem.* Homo frequenter periculo obnoxius, Divinamque opem frequenter expertus, animo confirmatur, pugnæ aptior fit, intrepidamque inter mala conſtantiam acquirit; expertusque Dei miſericordiam, certò futurum ſperat, ut ille promiſſum laboribus ſuis præmium largiatur: *Probatio verò ſpem.*

Vel *probatione* uſurpatâ pro ipsâ Dei voluntate hominem comprobante. Patientia, qua homo ærumnas fert, fiduciam in animo illius parit, ipſum a Deo comprobari: teſtis illi eſt conſcientia (k). *Probatio operatur ſpem*: firmâ de Divinis promiſſionibus fiduciâ illum complet, certumque reddit, Deum laboribus mercedem exhibiturum. Vide totum Caput primum Epiſtolæ primæ ad Corinthios.

℣. 5. Spes autem non confundit. Falſa quædam ſpes eſt, fallax, arrogans, qua ſi innitaris, probro obrueris. At ſpes quæ ex ærumnis, periculis, patientiâ, Dei comprobatione & promiſſis oritur, fallere nunquam poteſt. Conſtantiſſimo nimirum fundamento utitur, atque eſſe deſineret Deus, ſi hujuſmodi ſpes falli poſſet (l). Qui vivam fovet fidem, cum charitate conjunctam, certamque reddere vocationem ſuam patientiæ bonorumque operum exercitatione ſemper laborat, is poteſt, imò & debet firmam de Divinis promiſſionibus fiduciam animo concipere, ac certo exiſtimare, ſpem ſuam irritam non fore; quemadmodum inanis eſt illorum, qui diu expectant, neque unquam impetrant; poſtulant, & repulsam ferunt (m).

Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Jungenda hæc ſunt cum ſuperioribus. Chriſtiani hominis ſpes vana eſt; quippe Dei amor in Chriſtianorum mentibus diffunditur. Quî igitur fieri poteſt, ut quos charitate ſuâ cumulavit Deus, his felicem promiſſionum ſuarum, illorumque ſpei exitum deneget? quos gratiâ & beneficiis planè immerentes occupavit, an promiſsâ mercede fraudaturus eſt, ubi præſertim eam promereri patientiâ & fidelitate conati fuerint (n)? Hæc explicatio admodum conſentire videtur cum Apoſtoli ſententiâ.

Aliter: Spem noſtram irritam cadere minimè patietur Deus, cùm charitas, qua cumulati ſumus, firmam nobis fiduciam præbeat, nos ea quæ pollicitus eſt impetraturos (o). Fide, charitate, patientiâ & fidelitate donatos, an Regno excludet? Cùm certum benevolentiæ ſuæ pignus ac fidem nobis exhibuerit, charitatem ſcilicet, qua nos implevit, ſuum ipſe opus non perficiet, atque exhibita nobis promiſſa non exequetur? *Charitas Dei* uſurpari poteſt vel pro amore, quo nos proſequitur Deus (p), vel pro noſtrâ erga Deum charitate (q); quemadmodum in variis Scripturarum locis non rarò uſurpatur.

℣. 6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, &c. Si ſpem noſtram fallere volebat Deus, an opus erat, tam multa nobis charitatis ſuæ argumenta exhiberet, præverteret miſericordiâ, vocaret ad Fidem, ac denique Jeſum Chriſtum Redemptorem ac ſequeſtrum daret? atque eo quidem tempore, quo nos in illum peccabamus maximè, atque adhuc in crimine languebamus, vitâque Fidei deſtituebamur; qui nunc mero gratiæ illius beneficio a morbis animi convaluimus, ſtamusque (r) in Dei præceptorum viâ, ejusque voluntatis obſequio (s).

Græcus (t) fert: *Cùm enim adhuc infirmi eſſemus.* Non legit, *utquid*? At vulgatam lectionem habent S. Irenæus (u), & Commentarii in hanc Epiſtolam, ſub SS. Ambroſii & Hieronymi nomine. Si Græcam ſequeris, ita interpretare: Quod luculentius benevolentiæ Dei erga nos argumentum exquirimus, quàm ea ipſa, quæ is noſtri causâ præſtitit? *Cùm enim adhuc infirmi eſſemus*, Chriſtum Jeſum nobis præbuit, quo redimeremur.

Hac locutione, *Cùm adhuc infirmi eſſemus*, ſeu morbo teneremur, innui poteſt languor, infirmitas, mors, in quibus impius jacet. Infirmitas hoc modo uſurpata, interdum pro animi morte accipitur (x). Hic porrò dicendi modus verbis tenuis videtur, at ſenſu eſt validiſſimus; quemadmodum *ſomnus* pro morte, *inutilis* pro pernicioſo, *vanus* pro impio, *infirmus* pro fracto ac proſtrato. *Infirmi* hoc loco idem ſonat ac *impii*, *peccatores*, *Deo inimici*, uti habetur hîc, ℣. 8 & 10.

Secundum tempus a Deo definitum. Chriſtus Jeſus mortuus eſt eo tempore, quod decreverat Providentia (y), & Prophetarum oracula ſignificaverant: cùm ſcilicet omnia iniquitate ac ſcelere occuparentur, extremaque omnia remedium poſtularent (z). Sunt qui *ſecundùm tempus* referant ad ſuperiorem vocem *infirmi*. Quo tempore homines maximè infirmi, ægroti, nequiſſimi erant, illos aſpexit Deus, ac miſericordiâ prævênit.

℣. 7. Vix enim pro justo quis moritur. Patris ergo nos benignitatem commendat, infinitamque charitatem Filii, mortem ſponte ſubeuntis, ut nos redimeret, cùm maximè infirmitate

(k) 2 Cor. I, 12: *Gloria noſtra hæc eſt, Teſtimonium conſcientiæ noſtræ.*
(l) *Eccli.* II, 10: *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.*
(m) *Pſal.* XXI, 6; XXIV, 3; XXX, 2. *Vide Grot. Eſt. Tolet.* (n) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Cajet. Tolet.*
(o) *Vide Auguſt. de Spirit. & Litt. cap. 32; Primaſ. Menoc. Grot.*
(p) *Luc.* XI, 42; *Joan.* V, 42; 1 *Joan.* III, 17; & V, 3.
(q) *Rom.* VIII, 39, 2 *Cor.* V, 14. & XIII, 13: *Epheſ.* III, 19; 1 *Joan.* III, 17; & IV, 9.
(r) *Supra*, ℣. 2: *Per gratiam iſtam, in qua ſtamus.* (s) *Vide Tolet. Eſt. Menoc.*
(t) Ἔτι γὰρ Χριστὸν ὄντων ἡμῶν ἀσθενῶν. *Velez. tis* τί. *Barber.* 1, & *Syr.* ὑγι. *Iſid. Peluſ.* εἰ γὰρ, *Si enim.* (u) *Iren. lib.* 3, *cap.* 18. (x) *Vide Lud. de Dieu hic, Grot. Eſt. Vide* 1 *Cor.* XV, 43: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute.* (y) *Theodoret. Tolet. alii.*
(z) *Hieron. Theophyl. Sedul. Titin.*

℣. 8. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus

℣. 9. Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab irâ per ipſum.

℣. 10. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus: multò magis reconciliati, ſalvi erimus in vitâ ipſius.

℣. 11. Non ſolum autem: ſed & gloriamur in Deo per Dñm noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

℣. 12. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

COMMENTARIUS.

& morte peccati occuparemur. Nemo vitam prodigit, ſceleſti hominis causâ; vix ob juſtum & pium: at Dei Filius ſuam ipſe vitam prodegit ob impios & peccatores, a quibus eodem ipſo tempore ſpernebatur. Sunt (a) qui Græcum reddant (b): *Vix pro juſtâ causâ quis moritur: quis enim pro injuſtâ re audeat mori?* Legunt alii (c): *Eſt hoc rarum, ut quis pro homine malo mortem velet oppetere; pro bono enim forſitan quis ſuſtineat mori*, pro amico, pro homine ex quo aliquid commodi ſuerit. Priorem explicationem ſequunt Patres, & Interpretes plerique.

℣. 8. Commendat charitatem suam Deus in nobis, quòd Filium ſuum unicum dederit, ut nos immeritiſſimos redimeret. Jactent, ut lubet, Hiſtoriæ amicum morti objectum amici gratiâ, uti pro Davide Jonatham (d), Damonem pro Pythia (e), pro Euryalo Niſum. Periculo ſe objiciat pro filii vitâ pater, ſeu pro patre filius; quis denique alius ob ſamiliæ aut patriæ defenſionem: mirum inſolitumque non eſt. Bonus quis diſcrimen ſubeat, ut juſti hominis innocentiam tueatur, aut illum a morte ſervet: id ſanè multo nobilius eſt ac magis eximium. Quòd autem ob ingratos, hoſtes, alienos, impios, non Deus, ſed homo viliſſimus vitam prodigat: id porrò quoslibet inauditæ charitatis fines prætergreditur.

℣. 9. Multo igitur magis nunc justificati, conciliati cum Patre, inter Dei Filios per adoptionem excepti, quid ex illius miſericordiâ non expectabimus? Cùm Filium dederit Pater, ac Filius ſuam ipſius vitam ob impios hoſteſque prodegerit, quid facturus eſt ob juſtos, filios, amicos? annon ipſe tutos ab irâ terribilique judicio efficiet? *Salvi erimus ab irâ per ipſum.*

℣. 10. Salvi erimus in vita ipsius. Repete ultimum ſuperioris Capitis verſum: Chriſtus *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Mortem oppetiit, ut impios & peccatores redimeret: reſurrexit, ut juſtitiam per Fidem illis compararet. Si peccantes atque inimicos effusè adeò amavit, quid facturus nunc eſt noſtri causâ, quos & illius mors redemit, & Reſurrectionis Fidea juſtos effecit? Firmius eſſe nequit ſpei noſtræ fundamentum, noſtriſque in ærumnis ac periculis gloriari poſſumus, cùm adeò certa nobis pignora Deus ipſe præbuerit. Vide ℣℣. 2, 3, 4, 5, hujus Capitis.

℣. 11. Non solum autem reconciliati ſuimus & juſtificati per Jeſu Chriſti mortem ac Reſurrectionem, sed et gloriamur in Deo per Jesum Christum. Præſtita nobis a Deo beneficia hujusmodi gradatione commendat Apoſtolus. Redemit nos Chriſtus ſuâ ipſius morte; juſtos reddidit fide Reſurrectionis; cum Patre conciliavit; inter amicos filiosque recenſuit: quid jam ſupereſt, niſi ut *gloriemur in Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, reconciliationis atque adoptionis noſtræ gratiam magni ſaciamus, meritas agamus Deo grates, eademque beneficia fideli cooperatione promereri pergamus?

℣. 12. Propterea sicut per unum hominem peccatum. *Propterea* hoc loco particula non eſt, quæ dictorum rationem inſerat, ſed mera conjunctio, ad aliam rem gradum faciens. Enumeratis innumeris beneficiis, quibus a Deo per Chriſtum Jeſum donati ſuimus, ad majus aliquid tranſit Apoſtolus, & Jeſum cum Adamo comparat, oſtenſurus, vitium peccati, Adami crimine in homines illatum, ſanatum eſſe Chriſti morte & obedientiâ. Videtur quodammodo Paulus latentem objectionem diluere. Profectò, inquies, Chriſtus beneficiis nos cumulavit, ſatiſque æſtimari nequit beneficium, quo ille Fideles proſequutus eſt: at cur charitatem intra brevem adeò hominum numerum definiit? cur non omnes amplexus eſt? cur tam multi adhuc Infideles, idolorum cultores, impii, Judæi increduli & pertinaces? nonne dignum majeſtate illius erat, miſericordiæ ſuæ divitias in amplam adeò miſerorum multitudinem effundere?

Sunt (f) qui cum præcedentibus ita conjungant: *Per quem nunc reconciliationem accepimus;* atque hoc eſt ejusmodi reconciliationis myſterium, hac ratione peractum, Omnes in Adamo perieramus, omnes peccato obnoxii, primique parentis crimine implicati (g): hiſce vinculis moriens nos ſolvit Chriſtus. Aliis etiam rationibus iſta cum præcedentibus conjunguntur: at durior eſt conjunctio & exquiſitior. Apoſtolus oratione utitur deſultoriâ, ac ſententiis minimè expectatis implicatâ. Spiritûs Sancti vi & impetu raptus, ex unâ re in alteram deſilit, lectore non præmonito; ex quo potiſſimùm fit, ut illius Epiſtolæ difficilè intelligantur.

Sicut per unum hominem peccatum. Peccatum originis, ac miſerrimæ illius appendices in mundum erupere invidiâ Dæmonis (h), primique hominis a muliere decepti ſcelere. Prior peccavit Eva, & peccatum Adamo perſuaſit; at fœdus

(a) *Hieron. Ep. ad Algaſiam, Druſ. Vatab. Eraſm.*
(b) Μόλις γὰρ ὑπὲρ δικαίου τις ἀποθανεῖται. ὑπὲρ γὰρ τοῦ ἀγαθοῦ τάχα τις καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν.
(c) *Syr. Arab. Grot.* (d) 1 *Reg.* XIX, XX. (e) *Vide Valer. Maxim. lib.* 4, *c.* 7; *Lactant. lib.* 5, *cap.* 18.
(f) *Perer. Eſt. Tolet.* (g) *Auguſt. Serm.* XXII, *cap.* 9, *nov. edit. Alias de tempore*, 509: *Traducem mortalitatis de parentibus duximus, & maſſâ peccati, maſſa iræ facti ſumus.*
(h) *Sap.* II, 24: *Invidiâ diaboli, mors introivit in orbem terræ.*

℣. 13. Uſque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.

COMMENTARIUS.

dus inter Deum & homines nonniſi Adamo peccante fractum eſt (*i*). Evæ crimen privatum erat; Adamus ita peccavit, ut omnium quodammodo poſterorum peccatum eſſet, utpote quos ipſe Adamus ceu radix continebat, quosque complectebatur pactum, quod Deus cum illo ſanxerat (*k*). Peccatum originis in Adami poſteros manavit, non imitatione, ut ajunt Pelagiani & Sociniani, ſed veriſſimâ transfuſione per generationem (*l*), veràque imputatione ex juſtitiæ legibus; quippe cùm Deus promiſiſſet, illum fore beatum unà cum poſteris, ſi in bono perſeveraret; moriturum, niſi præcepto obtemperaret.

Per peccatum mors. Mortis neceſſitas nonniſi poſt Adami crimen inducta eſt (*m*). Primus omnium parens in immortalitatem conditus, cùm Deo non obedierit, mortem animæ ſubiit, eamque conſecuta eſt neceſſitas mortis corporum (*n*), cui comites acceſſere infirmitates, mortalitatis cauſæ, præcurſores & apparatus; dolor, laſſitudo, morbi, corruptio, aſſidua adversùs mortem pugna uſu potûs ac cibi, quietis & ſomni. Aſſentiuntur Rabbini (*o*), mortem nonniſi per Adami peccatum in orbem terrarum irrupiſſe.

Et ita in omnes homines mors pertranſiit, per ductam ex Adamo originem. Vetuſti Codices multi (*p*), Origenes, S. Ambroſius, S. Auguſtinus non legunt hoc loco *mors*, ſed: *Et ita in omnes homines pertranſiit*: quæ ſententia de peccato uſurpari poteſt, vel de morte, quæ per Adami peccatum in omnes homines manavere. Teſte S. Auguſtino (*q*), Pelagiani in libris *mortis* nomen non ferentibus, addidere non *peccatum* ſed *mortem* corporis, ne, peccati originalis transfuſionem confitentes, arma adversùs ſe ipſi ſuppeditarent.

In quo omnes peccaverunt, cùm omnes Adami nepotes in eo uno quodammodo continerentur: *Quando omnes illi unus homo fuerunt* (*r*): quemadmodum arbor in radice vel in ſemine continetur (*s*). Nonnulli Græcum reddunt (*t*): *Per quem omnes peccaverunt*; ſive, per quem omnes ſubiere pœnam, ceu criminis rei; *peccare* enim frequenter hoc ſenſu uſurpatur (*u*). Vertunt alii (*x*): *Propterea quòd omnes peccaverunt*. Mortalitatem ſubiere omnes, quia omnes crimini obnoxii ſunt & peccato. Hæc tamen verſio ſuſpecta eſt, utpote ex parte repugnans transfuſioni peccati originalis, per filiorum Adami propagationem: *Quod ex primi parentis malâ voluntate contractum, factum eſt quodammodo hereditarium*, ait S. Auguſtinus (*y*).

℣. 13. Usque ad Legem enim peccatum erat in mundo. Univerſum hominum genus, peccato originis, per Adami crimen in orbem terrarum ingreſſo, vitiatum, in flagitia quælibet ruit; adeò ut totum illud tempus, quod ab orbis initio usque ad Legem fluxit, peccati regnum appellari queat (*z*). Superveniens deinde Lex, malo remedium afferre non potuit (*a*): detexit peccatum, non deſtruxit, neque illi vincendo vires ſuppeditavit: hominem erudivit, at ita, ut antea, infirmum corruptumque reliquit.

Quamobrem ubi dicitur, *Usque ad Legem peccatum erat in mundo*, colligendum non eſt, peccatum pulſum fuiſſe per Legem, ſed ad Legem usque fermè ignotum regnaſſe: *Peccatum non imputabatur, cùm Lex non eſſet*: id quidem peccatum erat, at Deus non dabat culpæ, ſiquis adversùs ſcriptas Leges, nondum eo tempore latas, ageret (*b*). Levius erat peccatum, utpote cum gravi ignoratione conjunctum, *Non imputabatur*, ſcilicet, minùs imputabatur, ac minori pœnâ dignum erat.

Reddi etiam poteſt Græcus (*c*): *Peccatum verò non computabatur, cùm Lex non eſſet* (*d*). Præſto erant homini naturæ Lex & conſcientia, quibus quid bonum eſſet quid malum, docebatur, ſed obſcuriori quadam ratione magisque perturbatâ. Non ſatis intelligebant homines quid ſui officii eſſet, quemadmodum poſt Legem intellexere. Multa peccati loco non habebantur, utpote ignota; eaque detecta ſunt Lege. Hæc explicatio fermè convenit cum ſuperiori, legente *imputabatur*.

Locum hunc Baſilides (*e*) de metempſychoſi interpretabatur. Ajebat ille, nunquam non in mundo fuiſſe peccatum, at hominibus tunc ſolummodò imputatum, cùm illi in corpora humana migrarent, Legemque cognoſcerent; atque ubi Paulus ait (*f*), *Ego vivebam ſine Lege aliquando, ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*, tempus, quo Paulus ſine Lege vixit, illud fuiſſe, quo is ſeu avis ſeu alterius animalis corpore induebatur; at eo in humanum corpus ingreſſo, peccatum, quod hactenus in ipſo ceu ſepultum latuerat, ſurrexiſſe. At hujusmodi fabulæ Baſilidianis relinquantur.

Docet Origenes (*g*), peccatum iners ac veluti mortuum intra hominem eſſe, dum is capax rationis non eſt: at fulgente demum rationis lumine, atque acie judicii explicatâ, per luculentam boni & mali, Legisque naturalis cognitionem, peccatum quodammodo vires ſumere, revocari in vitam, ac tyrannidem in hominem exercere. Si puer patrem & matrem verberet, id culpæ non vertitur, cùm ille ratione non utatur, neque naturæ, multoque minùs Dei Legem, id vetantem, noverit: at ſi adultus id ipſum agat, impius exiſtimatur, atque adversùs Dei Legem refractarius.

Peirerius, Author Libri Præadamitarum, ſententiam ſuam ex Origene hauſiſſe videtur: at cùm Origenes tenebroſum hujusmodi tempus in ſolâ ſin-

(i) *Vide Auguſt. de Civit. lib. 16, cap. 27; Bed. in Luc. 11; Perer. Eſt. Tolet.*
(k) *Vide ad Geneſ. XVII, 14.* (l) *Vide Aug. contra Julian. citante Bedâ. Item, lib. 1 de Baptiſmo parvul. cap. 18; Hugon. qu. 132; Eſt. hic. Vide Eccli. XXV, 33; & Concil. Trident. ſeſſ. 5.*
(m) *Vide Eſt. Perer. Para. alios.* (n) *Geneſ. II, 17: Quacumque die comederis ex eo, morte morieris.*
(o) *Chald. Paraph. ad Ruth, IV; Bereſchit Rab. ſect. 14; Midras Cohelet, III, 14; Jarchi, alii. Vide Grot.*
(p) *Vide Mill. hic, & Eſt.* (q) *Aug. lib. 4 contra duas Epiſt. Pelag. cap. 4.*
(r) *Auguſt. lib. 1 de Bapt. parvul. cap. 10; Et lib. 3, cap. 7; & lib. 2 de Nupt. & Concupiſc. cap. 5; & Ep. olim 106, nunc 186.* (s) *Perer. Tolet. Eſt. alii.* (t) Ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.
(u) *Grot. hic. Vide Geneſ. XXXI, 36; Job, VI, 24.* (x) *Vat. Para. Piſc. Tigur. Eraſm. Caſtal.*
(y) *Aug. lib. 1 Retract. cap. 13.* (z) *Eſt. Tolet. Para. Grot. &c.*
(a) *Auguſt. Theodoret. alii. Vide infra, VII, 3, 4, 5, 6.* (b) *Vide Eſt. Tolet.*
(c) Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται, μὴ ὄντος νόμου. (d) *Vide Perer. Caſtal. Piſc. Tirin.*
(e) *Baſilid. apud Origen. in hunc loc. lib. 5, pag. 344.* (f) *Rom. VII, 9.* (g) *Origen. loco citato.*

℣. 14. Sed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ, qui eſt forma futuri.

COMMENTARIUS.

ſingulorum hominum pueritiâ conſtituat, quo tempore peccatum non imputatur, contra Peiterius longam ponit annorum ſeriem, qua hominum natura quamdam veluti pueritiam egerit, lumine carens & cæca, quo tempore peccatum illi minimè imputaretur. Poſt Adamum dumtaxat, latâ Lege naturæ, accenſoque rationis lumine, peccare cœpit natura, reaque criminis apud Deum fieri. Cùm igitur ſcribit Apoſtolus, *Uſque ad Legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm Lex non eſſet*, id porrò, inquit Peirerius, intelligendum eſt de naturæ Lege, Adamo ejusque poſteria traditâ (h); adeò ut mors in mundo ab Adamo ad Moyſem usque regnaverit, in iis etiam, qui Adami peccatum imitati non fuerant.

Unum dumtaxat præceptum narrat Scriptura Adamo traditum, illud ſcilicet, quo interdicebatur, ne fructum ex arbore vitæ & mortis guſtaret (i). Aliqua deinde alia Noëmo tradita fuere (k). Dicitur Abraham (l) *obedivíſſe voci Dei, & cuſtodiviſſe præcepta & mandata ejus, & ceremonias legesque ſervaſſe*. Habes igitur ante Moyſem leges. Neque proprio & abſoluto ſenſu dici poteſt, peccatum ante Moſaicam Legem hominibus non fuiſſe imputatum (m), quemadmodum hic dicere videtur Apoſtolus; quis enim neſcit, pulſos e Paradiſo Adamum & Evam, Cainum cæterosque ante diluvium impios ſeveriſſimis ſuppliciis ob crimina affectos, Sodomæ & Gomorrhæ cives poſt diluvium igne cœleſti & Maris mortui aquis obrutos, Pharaonem Ægypti Regem ob raptum Saræ multatum (n), Onanum nefandi flagitii causâ interfectum (o)?

Quòd ſi peccatum ante Moyſis Legem, uti diximus, culpæ dabatur, aliud igitur tempus quærendum eſt, quo dici queat; *Peccatum non imputabatur, cùm Lex non eſſet*. Illud porrò ipſum eſt, quod ante Adamum traditamque illi Legem naturæ fluxit (p). Homines ante Adamum conditi, *Præadamitæ*, quod ad ipſam peccati materiam, non ſecus ac Adam ipſe peccabant; minimè tamen imputabatur peccatum, Lege nondum productâ. Culpa ipſa peccati eſſe atque imputari non cœpit, niſi condito jam Adamo, ac violatâ per eum Lege. Tunc denique peccatum nedum in homines ex Adamo naſcituros, verùm etiam in cæteros antea conditos manavit (q); quemadmodum pretium Sanguinis Jeſu Chriſti non modò hominibus poſt illum editis, ſed præteritis etiam imputatum eſt.

At qui fuit Præadamitarum ſtatus? In ſtatu, ait (s), merè naturali erant, vitamque agebant cætera animalibus ſimilem, nullâ ſupra naturam cognitione Dei Conditoris, ejusque voluntatis, aut Legum quæ naturales nuncupantur: quicquid ex Deo noſſe poterant, naturæ fines non ſuperabat: leviſſimè illi noverant Deum ex conditarum rerum contemplatione, nihilo luculentiùs quàm Athenienſes, qui aram *Ignoto Deo* (t) poſuerant. Deus verus ſe ipſe ſuamque voluntatem prodere nonniſi Adamo cœpit. Hactenus mundi, ut ita dicam, pueritia.

Peccabat quidem eo tempore homo, at minimè in Deum, quem diſtinctè non noverat. Erat in homine peccatum, at in eo non vivebat. Pudebat hominem peccati, quòd dedecori eſſet naturæ; at nullus illi erat dolor ob violatam Dei Legem, utpote quam ignorabat. Siquæ inter hujusmodi homines Leges habebantur, humanæ erant ac civiles; quamobrem illarum violatores ſupernaturalis pœna non ſequebatur, quemadmodum nulla erat in violatione moralis deformitas. Mors tunc temporis obtinens, peccati pœna non erat, ſed naturæ neceſſitas. Moriebatur homo, non tamen *morte moriebatur*, quemadmodum deinde Adam. *Morte morieris*. Simplex erat mors; at apud nos eſt duplex, pœna ſcilicet criminis Adami & noſtri.

Scriptor hic, tam abſurda commentus de peccato & Præadamitis, nihilo meliora de Jeſu Chriſto & humani generis reparatione ſentiebat. Epiſtolâ ad Judæos datâ ſcribit futurum, ut Jeſus Chriſtus, quem nos colimus, & Majores illorum crucifixere, ad delenda illorum peccata aliquando redeat. In carne vênit Chriſtus, Gentiles ſervaturus; rediturus eſt ſpiritu, ut ſalutem afferat Hebræis, ex eâ Pauli ſententiâ (u); *Omnis Iſraël ſalvus fiet, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob*.

Ut univerſum Peiretii ſyſtema evertatur, ſatis eſt ab eo quærere, quinam e Sacris Scriptoribus egerit de hominibus hiſce Adamo antiquioribus; quod ejus rei argumentum præſto ſit; quo loco, aut in qua mundi regione extiterint. An fabula narratur, ubi materia ex nihilo educta ſcribitur, & chaos illud, ex quo Deus omnia ſenſibus obnoxia produxit? Ante chaos illud aliusne mundus extitit, aut alia terra, in qua Præadamitæ vixerint? Quis e ſacris profaniſve priorem iſtum mundum prodidit? An divinitus agnovit Peirerius? Nonne paſſim Scriptura nullos ante Adamum homines innuit? Adamum ſextâ die mundi conditum tradit Moyſes: nullum ergo tempus locusque eſt, in quo Præadamitæ conſtituantur.

Quod enim ponit Peirerius, hominem, ſive homines ſextâ die mundi conditos, alios eſſe ab Adamo, id verò eſt principii petitio, atque inane commentum. Ad hæc, cùm Pauli ſententia, qua totus nititur Peirerii labor, apud Catholicos nullo negotio explicetur, Præadamitas comminiſci neceſſe non eſt. Cætera Scriptoris hujus argumenta in Geneſi diluimus, quæ tamen adverſarium non merentur.

Abſurda etiam magis & impia ſunt, quæ de Jeſu Chriſto ſcribit. Si pro altero Jeſu Chriſti adventu illud ipſum, quod Eccleſia univerſa, intelligit, nequidquam felix Judæis promittitur. Adveniet Chriſtus, ut in illorum perfidiam ac pertinaciam judicium ac vindictam exerceat; quo quidem tempore ex iis plurimi ad Chriſtum convertentur: at horum converſio minimè officiet, quin ex ipſis qui in pertinaciâ ſuâ deceſſere, ac deinceps ad illud usque tempus peribunt, æternis ſuppliciis addicantur. Hoc monendi erant, non erigendi in ſpem ejuſmodi felicitatis, quam nemo fortaſſe illorum, ad quos ſcribebat Peirerius, eſt gaviſurus.

℣. 14. REGNAVIT MORS AB ADAM USQUE AD MOYSEN,

(h) *Præadamit. Exercit.* 2, *cap.* 2. (i) *Geneſ.* II, 17. *Vide & Geneſ.* III, 18, 19.
(k) *Geneſ.* IX, 3, 4, 5. (l) *Geneſ.* XXVI, 5. (m) *Præadamit. Exercit. cap.* 4.
(n) *Geneſ.* XII, 17. (o) *Geneſ.* XLVI, 12. (p) *Idem*, *cap.* 8. (q) *Idem*, *cap.* 19.
(s) Vide & eumdem, *cap.* 18. (t) *Act.* XVII, 23. (u) *Rom.* 11, 26.

Digitized by Google

℣. 15. Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratiâ unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.

COMMENTARIUS.

MOYSEN, in eos etiam, qui Legem non violarunt. Quamvis peccata in Legem Moyſis nemini imputarentur, antequam illa vulgaretur; nullus hominum tamen peccato caruit ac tranſgreſſione. Mors & peccatum inter homines dominabantur per Legis naturæ violationem, quæ Lex patem ipſâ homini antiquitatem præfert.

ETIAM IN EOS QUI NON PECCAVERUNT ſimili Adami peccato. Neque illud exiſtimaveris, mortis & peccati regnum in eos dumtaxat ſeſe porrexiſſe, qui Dei voluntatem luculenter æquè ac Adamus agnoverant. I, Illi ipſi, quibus nulla erat Dei præceptorum cognitio, in eo peccabant, quòd naturæ Leges, in ſingulorum hominum animis inſculptas, violarent (x). II, Peccatum obtinuit imperium non in eos modò, qui cùm Adamum, ejusque lapsum & pœnam noſſent, ipsum imitati ſunt violatis Dei præceptis in ipsorum mente deſcriptis; verùm etiam in Gentiles, qui neque Adami creationem, neque peccatum, neque pœnam cognoverant; quorum culpa levior erat quàm nepotum Abrahami, exempli causâ, apud quos aliqua celeberrimæ hujus rei memoria nunquam non exſtitiſſe videtur. III, Mortis & peccati regnum nedum in viros fuit ratione utentes, & Adamum imitatos Divinarum Legum violatione, ſed in pueros etiam, qui electione, cognitione, atque expreſſo voluntatis actu non peccavere: hi nimirum obnoxii fuere peccato originis ob hoc ipsum, quòd genus ex Adamo retulerint (y), cujus unius originis causâ mortem corporis & animæ ſubierunt.

Cùm ſcribit Apoſtolus, mortem ab Adamo ad Moyſem usque regnaſſe, cave illud exiſtimes, illius regnum in Moyſe deſiiſſe. Illud ſolummodo agitur, ut ejus regni progreſſus explicetur, ipſiusque diuturnitas diſtribuatur in partes, quo luculentiùs ejus conſecutiones intelligantur. Ante Legem, mors & peccatum in homines univerſos eo tyrannidem occupavere, quòd Leges mentibus ipſorum a Deo inſcriptas violarent. Regnavere poſt Legem, ob peccata eorum, qui cum Dei Legem noſſent, vel negligebant, vel male ſervabant.

Vetuſti Codices Græci & Latini aliquod hîc diſſidium ferebant; cùm alii legerent (z), *In eos qui non peccaverunt*, ſicut Adam; alii, *Qui peccaverunt*. S. Ambroſius, ſeu potiùs Hilarius Diaconus, qui ſcripſiſſe creditur Commentarium in Pauli Epiſtolas, hactenus ſub Ambroſii nomine vulgatum, legendum aſſerit, *Qui peccaverunt*, ablatâ negante particulâ; quam qui ferunt, Codices Græcos eſſe vitiatos. Fatetur S. Auguſtinus (a), negantem particulam in nonnullis Latinorum Libris deeſſe; at in plerisque Græcis legi. Origenes, ſive Origenis Interpres Rufinus (b) eam non legit in Textu; fatetur tamen in aliquibus Libris haberi; veruſque Origenes in Joannem illam admittit. Neutram lectionem rejicit Sedulius. At Græci typis editi & Vulgatæ lectio procul dubio eſt omnium optima & probatiſſima, & cum Pauli ſententiâ aptiſſimè convenit: illam denique S. Irenæus (c), & Patres Græci Latinique paſſim amplectuntur.

IN SIMILITUDINEM TRANSGRESSIONIS ADÆ, QUI EST FORMA FUTURI. Primus Adam mortalium & peccantium omnium eſt pater: unus ipſe mortem ac peccatum in mundum invexit. Secundus Adam eſt Chriſtus Jeſus, teſte ipſomet Paulo ad Corinthios (d), vivorum Juſtorumque Pater, Author reconciliationis, gratiæ & ſalutis. Peccans Adam figura eſt Jeſu Chriſti per antitheſim ſeu rationem contrariorum. Quantum hominibus nocuit Adami contumacia, tantum profuit Chriſti obedientia. Prioris peccatum ad omnes illius poſteros tranſiit; juſtitia & meritum alterius in omnes illi credentes manavere. Ipſi met illi, qui Adamum neque cognovere, neque peccando imitati ſunt, in mortem incurrerunt: eodemque modo ii qui neque necem paſſi ſunt, neque ſanguinem effudere ut Chriſtus, merâ Dei miſericordiâ a mortis & Sanguinis illius merito excluſi fuere (e).

Sunt qui reddant (f): *In ſimilitudinem tranſgreſſionis Adæ, qui eſt forma futuri* temporis: nimirum Adami lapſus & pœna exemplo ſunt, quid eventurum ſit iis, qui ipſum imitaturi fuerint, ac deinde ſequuturi. Aliter: *Adæ, qui eſt forma futuri* hominis, ſive hominum deinceps futurorum. Omnes primi illius hominis nepotes, ipſius exemplo, peccato obnoxii ſunt & morti. Hos puniit Deus, imputato illis peccato originis, & communi omnibus morte, qua tum adultos tum pueros æquè obvolvit (h).

℣. 15. SED NON SICUT DELICTUM, ITA ET DONUM. Poſtquam dixit, Adamum eſſe Jeſu Chriſti figuram per antitheſin, docet hîc, in quo poſitum ſit utriusque diſcrimen. Non eadem eſt vis peccato Adami ad perniciem, quæ dono gratiæ Jeſu Chriſti ad ſalutem. Impium eſt, hominem Deo æqualem conſtituere, mortem vitæ, Adami peccatum redemptioni a Jeſu Chriſto comparatæ.

SI ENIM UNIUS DELICTO MULTI MORTUI SUNT, ratione multo potiori per Jeſu Chriſti gratiam iidem vitam conſequentur. Si hoc loco Paulus ſpectaret ſolummodò ingentem hominum, ob Adami culpam percuntium, multitudinem, collatam cum iis qui per Chriſti gratiam ad ſalutem æternam perveniunt, falsò diceret, gratiam & miſericordiam latiùs effuſas eſſe per Chriſtum, quàm peccatum mortemque per Adamum. Quis neſciat, damnatos reprobosque majori numero eſſe, quàm electos ac prædeſtinatos? At ſi dignitatem Jeſu Chriſti ſpectaveris, naturam auxiliorum quæ ille ſuppeditat, peccata ab illo nobis dimiſſa, gratiæ vim in hominum animos, ejusque modos & amplitudinem nullo fine concluſam, qua nedum homines univerſi, ſed innumeri etiam alii juſtitiâ donari queant; inficiari non poteris, peccatum a dono plurimùm ſuperari, resque a Chriſto in noſtri commodum geſtas multo eſſe ſuperiores iis, quæ Adam in noſtri perniciem peccavit. Juſtiſſimam damnationis ſententiam omnes in Adamo ſubieramus; propriumque illius pec-

(x) *Chryſoſt. Theophyl. Theodor. Perer. Eſt. Tolet.* (y) *Auguſt. lib. 2 de Baptiſmo parvul. cap. 21; & Ep. olim 89, ad Hilar. nunc 157; Hieron. Dialog. contra Pelag. alii.*
(z) *Ita Gr. impreſſ.* Ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας. *Alii:* Ἐπὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας.
(a) *Auguſt. de Peccat. merit. lib. 2, cap. 15; & Ep. 157, nov. Edit.*
(b) *Origen. in Epiſt. ad Rom.* (c) *Iren. lib. 3. cap. 20.* (d) 1 *Cor.* 15, 45; *Coloſſ.* 2, 17.
(e) *Ita Auguſt. & cæteri PP. & Interpp. paſſim.* (f) Ὅς ἐϛι τύπος τοῦ μέλλοντος.
(h) *Vide Knatchbull.*

Digitized by Google

℣. 16. Et non ſicut per unum peccatum, ita & donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in juſtificationem.

℣. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vitâ regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.

℣. 18. Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.

COMMENTARIUS.

peccatum effectum eſt nobis commune, fœderis causâ, Deum inter & Adamum ejusque poſteros ſanciti, primoque ab homine violati. At neque ſalus, neque gratia, neque reconciliatio nobis debebantur, nullâ ſcilicet re bene geſtâ promeritis. Atque hoc alterum diſcrimen eſt, quo Jeſu Chriſti donum multo excellentius viribus paterni criminis demonſtratur (i).

Gratia Jesu Christi in plures abundavit. *Plures* propriè ſignificat *majori numero homines*; at Græcus legit (k) *multos*; & S. Auguſtinus (l) ſtilum acuit in Pelagianos, qui hac voce *plures* abuſi, ajebant, gratiam ſalutis ad pueros, Adami peccatum non imitatos, prorogari; quippe compertum eſt, originis peccatum a Pelagianis non admitti eo ſenſu, quo ab Eccleſiâ. Illud dumtaxat vult hoc loco Apoſtolus, quemadmodum Adami peccatum *plures* traxit in mortem, omnes nimirum homines, ex eo per carnem ortos, & in Jeſu Chriſto non regeneratos (m); ita Chriſti mortem vitæ fuiſſe *pluribus*, omnibus ſcilicet ex eo per ſpiritum natis, baptiſmo lotis, inter ſuos numeratis, ac præſertim Electis. Homines univerſi mortem in Adamo, in Chriſto vitam promeruere: at quemadmodum non omnes Adami filii per carnem pereunt, quòd ingens illorum numerus per Dei clementiam ab interitu ſervetur; ita non omnes homines, quorum causâ Chriſtus Sanguinem fudit, ſalutem aſſequuntur, quòd non omnibus meritum ejus Sanguinis ſuâ ipſorum culpâ applicatum fuerit (n).

℣. 16. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Originalis peccati in noſtram perniciem conſecutiones comparat cum gratiæ Jeſu Chriſti viribus ad juſtificationem. Uno crimine Adam poſteris omnibus mortem peperit: at Jeſu Chriſti gratia non onius tantùm criminis labem abſterget, ſed & originis & actionis peccata dimittit (o), vitamque animæ & æternam beatitudinem elargitor. Sententia hæc in conſequentibus lucolentiùs explicatur.

Græcus fert (p): *Et non ſicut de uno qui peccavit, ita & de dono* res habet ſese. Hanc lectionem ferunt S. Auguſtinus, Beda, S. Ambroſius, aliique Codices Latini quamplures, apud quos eſt *peccantem*, non *peccatum*. At plerique Codices manu exarati, editique fermè omnes legunt *peccatum*; pluresque Græci Codices conſentiunt.

Nam judicium quidem ex uno. Damnati fuimus unius hominis causâ, vel ob unius noxam; at poſt multa peccata per gratiam juſtificamur. En aliud diſcrimen inter Adamum & Jeſum Chriſtum. Adami peccatum, quod una tantùm eſt actio, damnationem in univerſum hominum genus induxit; gratia Jeſu Chriſti homines, tametſi innumerorum criminum reos, cum Deo conciliat. Uno Adami peccato mors in poſteros univerſoa inducta eſt: omnibus hominum peccatis ab initio ad finem uſque gratia Servatoris inutilis non efficitur. Hoc igitur quoque ſenſu Gratia Chriſti multo ſuperior eſt primi hominis crimine.

℣. 17. Si enim unius delicto mors regnavit, multo igitur potiori argumento vita in nobis per Chriſti gratiam regnatura eſt. Si potuit Adam omnes in mortem trahere, multo magis Chriſtus Electos omnes vitâ gratiæ, juſtitiæ & gloriæ, per Paſſionis ſuæ meritum, eſt donaturus (q). Ingentem hominum multitudinem, per Adami crimen pereuntium, non comparat hîc Apoſtolus cum eorum numero, qui per Jeſu Chriſti gratiam ſalutem aſſequuntur: opponit ſolummodo Electos Reprobis. Hi per Adamum damnantur: illi ſervantur per Chriſtum.

℣. 18. Sicut per unius delictum in omnes damnatio manavit: quemadmodum Adami causâ damnamur omnes morte, atque iræ & peccati filii naſcimur; ita per unum Jeſum Chriſtum Fidem, gratiam, juſtificationem & gratiam accipimus. Miſeros facit Adami peccatum, reos, impios: gratia Jeſu Chriſti juſtos, Filios Dei, beatos. Comparatio primum inter & alterum Adamum neque major neque luculentior eſſe poteſt.

At quàm verè ſcribit Apoſtolus, quemadmodum homines univerſi per Adami peccatum ſubiere damnationem (id quod præter exceptionem eſt), ita omnes in Jeſu Chriſto juſtificari: *Sic per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*; cùm compertum ſit, tam paucos uti gratiâ ſalutis, quam Chriſtus omnibus promeruit? Reſpondeo I, *omnes* hoc loco definitè uſurpari pro *ingenti numero*; cujus acceptionis exempla in Scripturis non ſemel occurrunt (r). II, Omnes qui juſtificantur, per Jeſum Chriſtum & in Jeſu Chri-

(i) *Vide Tolet. Eſt. Perer. Men. Grot. alios.*
(k) Εἰς τοὺς πολλοὺς ἐπερίσσευσε.
(l) *Auguſt. oper. 2 contra Julian. apud Bedam, hîc.*
(m) *Eſt. Tirin. Grot. Perer.*
(n) *Auguſt. de Correptione & Gratiâ, cap. 10: Quòd autem pauci in comparatione pereuntium, in ſuo verò numero multi liberantur, gratiâ fit, gratis fit, gratiæ ſunt agenda.*
(o) *Vide Tolet. & Eſt.*
(p) Καὶ οὐχ ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, τὸ δώρημα. Nonnulli legunt in Latino: *Et non ſicut per unum peccantem, ita & donum. Ita Ambroſiaſt. Aug. in editionib. Bud. Eraſm. Mſſ. Ciſterc. & apud Lovan. lib. de Peccator. meritis, cap. 52. Sed edit. Benedictin. legit: Per unum peccatum; & ſic plures Græci Codd.* Δι' ἑνὸς ἁμαρτήματος. *Vide Mill. hîc, Eſt. Zeger.*
(q) *Vide Tolet. Eſt. Menoch.* (r) *Vide Luc.* VI, 26; *Act.* XIII, 25; *Coloſſ.* I, 28. *Eſt. hîc.*

℣. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.

℣. 20. Lex autem ſubintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.

℣. 21. Ut ſicut regnavit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dñm noſtrum.

COMMENTARIUS.

Chriſto juſtificari *(s)*. Hæc quoque univerſitas exceptione caret; quamquam tam latè non patet quàm altera, quoad numerum eorum qui per Adamum pereunt. Ill denique, omnes qui in Chriſto renaſcuntur, juſtificari; quemadmodum obnoxii ſunt morti & condemnationi omnes qui ex Adamo oriuntur *(t)*: quæ reſponſio fermè convenit cum ſuperiori. Satis igitur non eſt, quòd Chriſtus omnium causâ mortem obierit, atque infinita ſit mortis illius virtus, qua omnia mundi peccata deleri queant: opus eſt, illius merita per baptiſmum ſingulis applicentur, noſque ad finem usque in virtutem exercitatione, & conſtanti cum Dei auxiliis cooperatione perſeveremus, vitæ genus fidei noſtræ conſentaneum ſequamur, certam denique vocationem noſtram per bona opera efficiamus.

℣. 19. SICUT PER INOBEDIENTIAM UNIUS, &c. Eamdem ſententiam ſæpe & variè repetit, quò altiùs mentibus hominum infigatur. Totum Adami peccatum in *inobedientiâ* conſtituit; totumque Chriſti meritum in *obedientiâ*. Hæc profectò in Chriſto Jeſu cæteras omnes virtutes complectitur; quemadmodum Adami *inobedientia* totam criminis illius deformitatem continet. Verbis ita genericis non utitur hîc Apoſtolus, uti membro ſuperiori; ac ſolummodo ait, *multos conſtitutos eſſe peccatores* per Adamum, quemadmodum per Jeſum Chriſtum *juſti conſtituuntur multi*. At eadem eſt utriusque loci ſententia *(u)*. Multi per Adamum effecti ſunt peccatores, omnes ſcilicet qui ex eo per carnem ortum duxere. In Chriſto Jeſu *juſti conſtituuntur multi*, nempe omnes ii, qui gratiâ Fidei, juſtificationis, regenerationis & perſeverantiæ donati ſunt.

℣. 20. LEX SUBINTRAVIT, UT ABUNDARET PECCATUM *(x)*. Particula *ut* hoc loco non ſignificat cauſam *(y)*, ſed id quod occaſione Legis evênit, quamquam repugnante Lege, quæ peccata minui volebat: quamobrem id non Legi, ſed Judæis Legem accipientibus, tribuendum eſt. Præcepta quamplura continet Lex, naturæ præceptis addita; quibus per Judæos violatis, nova prodiere innumera peccata, quæ antea ignorabantur. Concupiſcentiam irritavit Lex, & per occaſionem effecit, ut illa adversùs præceptum conſpiraret *(z)*: vitia priùs ignota detexit, fecitque ut ſe homo infirmum eſſe, atque ope Mediatoris indigere ſentiret: isque potiſſimus eſt atque utiliſſimus Legis fructus erga Judæos, qui ſuperbiâ intolerabili efferebantur *(α)*, uti ſæpè animadvertit S. Auguſtinus.

UBI ABUNDAVIT DELICTUM, &c. Cùm illud præſtitiſſet Deus, ut Hebræi totum infirmitatis ſuæ pondus, atque Ethnici magnitudinem erroris ſui experirentur, Filium ſuum ad utroſque miſit, quo beneficiis cumularentur. Gentiles, gravioribus morbis atque erroribus implicati, uberiori etiam gratiarum copiâ donati ſunt, uti ex innumeris illorum converſionibus, toto paſſim orbe tam brevi tempore geſtis, conſtat. *Ubi* uſurpari etiam poteſt pro *quando* *(β)*. Quo tempore univerſus orbis peccato ceu alluvione obruebatur, Deus Reparatorem hominibus præbuit. Medicum omnipotentem miſit, cùm deplorata erat valetudo, extremamque indigentiam homines agnovere.

℣. 21. UT SICUT REGNAVIT PECCATUM IN MORTEM, ita gratia vitam largiendo regnaret. Servavit Deus ſimilitudinem quamdam inter mala per peccatum parta, & commoda per Jeſu Chriſti gratiam in terras afferenda. Peccando Adam poſteros omnes in duplicem animæ & corporis interitum rapuit; nos ab utroque per gratiam liberat Chriſtus. Corporis Reſurrectionem æternamque beatitudinem nobis promittit; gratiam, Fidem, & juſtificationem largitur *(γ)*. Id verò eo ſenſu intelligendum eſt, quo ſæpe diximus, nec repetere vacat.

(s) Aug. plurib. locis. Menoch. Para.

(t) Tolet. Menoch. Grot. Piſc. alii. (u) *Eſt. Tolet. Menoch. Grot. Piſc.*

(x) Νόμος παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. (y) *Chryſoſt.* Τὸ ἵνα, ἐνταῦθα οὐκ αἰτιολογίας, ἀλλ' ἐκβάσεώς ἐστι. Οὐ γὰρ διὰ τοῦτο ἐδόθη ἵνα πλεονάσῃ, ἀλλὰ ἐδόθη μὲν ὥστε μειῶσαι, καὶ ἀνελεῖν τὸ παράπτωμα. Ἐξέβη δὲ τοὐναντίον, οὐ παρὰ τὴν τοῦ νόμου φύσιν, ἀλλὰ παρὰ τὴν τῶν δεξαμένων ῥαθυμίαν. *Ita plerique.* (z) *Rom.* VII, 7, 8, 9, &c.

(α) *Vide Eſt. & D. Thom. hic, & Auguſt. plurib. locis.* (β) *Tolet. Eſt. Menoch. Grot. alii.*

(γ) *Vide Eſt. Tolet.*

CAPUT VI.

Peccandum non eſt, ut locus fiat uberi gratiarum effuſioni. Per Baptiſmum mortui ſumus peccato, ne iterum illi vivamus. Vivendum eſt juſtitiæ, cujus ſervi & milites quodammodo effecti ſumus.

℣. 1. QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet?

℣. 2. Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?

℣. 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus?

℣. 4. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUid ergo dicamus? permanebimus in peccato? Cùm dixerit ſupra (a), *ubi abundavit delictum, ſuperabundaſſe gratiam*, hic aliquid ſibi ipſe objicit, quod ex dictis ſponte oriri videtur; quod tamen jam innuit Capite III, his verbis (b): Cur *non (ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona?* Increduli igitur Judæi, & Pauli dogmatum inimici, id Apoſtolo objiciebant. Cùm verò iſtorum verba negotium aliquod parere Fidelibus poſſent, objectum ſolvit, docens, iis qui per Baptiſmum gratiam juſtificationis adepti ſunt, ſtudioſiſſimè cavendum eſſe, ne iterum in crimen ruant. Profectò dignum erat Dei amplitudine ac majeſtate, Gentiles, tametſi graviſſimis criminibus implicitos, ad Fidem vocare: qua quidem vocatione vis gratiæ magis magiſque commendabatur: at illud minimè conſequebatur, redeundum eſſe ad ſuperſtitionem ac peccatum, ut iis iterum vocatis, Deus eximium miſericordiæ ſuæ ſpecimen daret.

Græcus quibusdam in libris fert (c): *Quid ergo dicemus*, ſeu faciemus? *permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* An iſtud docemus? omnia potiùs contraria. Demiſſo animo fatemur, effuſam eſſe a Deo in nos gratiarum copiam, præteritis noſtris criminibus convenientem: at inſanum eſſet colligere, peccandum igitur eſſe in eum, qui largo adeò miſericordiæ beneficio nos vocavit.

℣. 2. Qui enim mortui ſumus peccato, &c. Mori peccato dupliei modo in Scripturis accipitur; I, peccatum patrare, animumque morte afficere per flagitium (d); II, a peccato ceſſare, ſeque talem præbere peccato, qualis erga vitam & agendi facultatem eſt is, qui morte obiit. Poſteriori hoc modo hìc uſurpandum eſt. Abdicato deletoque ex mente peccato, eoque ita vacui, uti homo mortuus ac ſepulcro conditus vitâ caret; dicto illi æternum vale, qui fieri poterit, ut iterum illius conſuetudine gaudeamus? An qui mortem obiere, in vitam redeunt? At monſtrum longè majus fuerit, Chriſtianum hominem ad crimina reverti, quàm mortuum communi inter viventes potu ac cibo uti. Similes harum locutiones uſurpavere Profani, cùm abſolutam vitæ converſionem, voluptatum atque illecebrarum abdicationem ſignificarent. Id ipſum eſt, quod rerum moralium Scriptores nuncupant mortem ſpiritalem (e).

℣. 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus, &c. Baptiſmus figura eſt mortis Chriſti: per baptiſmum homo crimini moritur, uti per corporis necem Chriſtus præſenti huic vitæ mortuus eſt. Baptiſmus etiam ſolemne quoddam eſt profeſſionis genus, quo teſtamur, nos mundo ac peccato mori, ſolâ gratiæ & Jeſu Chriſti vitâ victuros: ſacro eo ritu participes efficimur meritorum mortis Chriſti, jubemurque illius mortem ſpiritali modo imitari, rejecto anteactæ vitæ inſtituto, vetuſtiſque habitudinibus poſitis, ut uno Chriſti ſpiritu vivamus (f). Iſta ſunt Chriſtianæ profeſſionis principia, quæ paſſim Apoſtolus in Epiſtolis repetit.

℣. 4. Conſepulti enim (g) ſumus. Ad conferendi Baptiſmatis ritum alludit. Totus aquâ mergebatur homo, eâque merſione aptiſſimè deſcribebatur homo in ſepulcrum deſcendens, atque ab hominum conſpectu elabens (h). Per baptiſmum & Chriſti obitum, & noſtram peccato mortem exhibemus. Chriſti mortem imitamur, ejusque participes efficimur: morte autem noſtrâ vetus vitæ inſtitutum abdicare incipimus, ne aliâ præterquàm Chriſti vitâ vivamus: *Ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit* (i).

Surrexit a mortuis per gloriam Patris, per Patris virtutem ac potentiam. *Pater*, ajebat paulò ante obitum Chriſtus (k), *clarifica filium tuum*, in vitam revoca. Aliter, ſurrexit *ob gloriam Patris*. Chriſti Reſurrectio nobiliſſimum eſt Divinæ potentiæ prodigium, atque invictum Divini-

(a) *Rom.* v, 20. (b) *Rom.* III, 8. (c) Τί οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμενοῦμεν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσῃ: *Alii:* Τί οὖν ἐροῦμεν; ἐπιμένωμεν, *&c. Ita plures Mſ. apud Mill. hic. Vide Grot.*
(d) *Epheſ.* II, 1; & *Coloſſ.* II, 13. (e) *Vide Porphyr. Marc. Antonin. Macrob. Somn. Scipionis, apud Grot. hic.* (f) *Vide Auguſt. Enchirid. cap.* 35. *Tolet. Eſt. Men. Vat. Alii paſſim.*
(g) Græcus: Συνετάφημεν οὖν, *Conſepulti igitur ſumus.* At Vulgata, Syrus, Arabs, S. Ambroſius, aliique plures legunt *Enim*, non *Igitur*. (h) *Vide Eſt. Grot. Menoc. alios.* (i) 2 *Cor.* v, 15.
(k) *Joan.* XVII.

℣. 5. Si enim conplantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus.
℣. 6. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultrà non ſerviamus peccato.
℣. 7. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato.
℣. 8. Si autem mortui ſumus cum Christo, credimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto:
℣. 9. Scientes, quòd Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.
℣. 10. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo.

COMMENTARIUS.

vinitatis Chriſti argumentum. Denique, ſurrexit *in gloriâ Patris*. Ad vitam rediit, gloriâ & immortalitate inſtructus, vitam non humilem & obſcuram, ſed in propriâ & convenientc ſibi gloriâ acturus. Singulas haſce explicationes probant Interpretes doctiſſimi; eæque cum Græco planè conſentiunt *(l)*.

Ex his colligit Paulos: *Ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, utpote com Chriſto in vitam revocati. Si enim inaudita res eſt, hominem mortuum ad vitam reverti, ut cum cæteris ſit, agat, & conſueſcat; ita & abſurdum eſt, hominem in vitam revocatum in veteri vitæ inſtituto, vetuſtis cupiditatibus obtemperantem, permanere: alium in hominem vertitur. Porrò nos per Baptiſmum mortui ſumus peccato, cum Chriſto ſurreximus per Chriſtianæ fidei profeſſionem. Utrumque igitur in geſtis exhibeamus, mortem ſcilicet ac reſurrectionem, novo ſanctoque vivendi inſtituto. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram (m)*.

℣. 5. Similitudini mortis ejus. En aliam ſimilitudinem, quæ ad idem redit. Per Baptiſmum quodammodo inſiti ſuimus Chriſto: quemadmodum igitur ille mortuus eſt ac reſurrexit, ita opus eſt in illo & cum illo moriamur & reſurgamus. Similem ſe viti dicit Chriſtus, cujus palmites Diſcipuli (n). Eodem modo ſcribit Apoſtolus, nos eſſe Chriſto inſitos: quamobrem vivamus oportet uno ipſius ſpiritu & vitâ, quemadmodum ramus arbori inſitus eâdem illius vitâ vivit, ejusque ſucco nutritur.

℣. 6. Vetus homo noster simul crucifixus est. Hominem ad Chriſti ſacra converſum ſpectat veluti ex duplici homine compoſitum: altero qui ante converſionem fuit, altero poſt ipſam. Primus dicitur vetus homo, alter novus. Vetus homo, antiquæ conſuetudines, peccata præterita quodammodo cum Chriſto crucifixa fuere, ne iterum vivant. Hujusmodi locutiones inauditæ non ſunt apud Judæos, cùm ipſi doceant, Gentilem ad Judaicos ritus translatum, & circumciſione Baptiſmoque initiatum, animo, ut ita dicam, mutari, aliumque penitus hominem effici (o); adeò ut liberti fierent qui ſervi fuerant, propriosque parentes ignorarent ii, qui ante eum ritum habuerant. Huc ſpectat Chriſtus in Evangelio (p), ubi Nicodemum docet, opus eſſe iterum naſci, vetere homine ſpoliari, & novo indui.

Ut destruatur corpus peccati. Ad verbum (q): *Inutile fiat*, agendi poteſtate viribusque ſpolietur, ceu mortuum corpus & cruci affixum. *Corpus peccati* eſt vel ipſum hominis corpus in peccato procreatum, vel peccatum viribus ſuis ferox, vel totus homo peccator. Hebræi, & horum exemplo Paulus, pro ſubſtantiâ ſeu re ipsâ *corpus* uſurpant (r): corpus diei pro die, corpus mortis pro morte, corpus peccati pro peccato, &c. Chriſtianus, olim peccator, fit juſtus Baptiſmo; qui peccato vixerat, mortuus fit peccato per Jeſu Chriſti mortem; qui mortuus fuerat Jeſu Chriſto ac vitæ, per gratiam & juſtitiam vivus efficitur.

℣. 7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. Qui exemplo Chriſti mortuus eſt peccato, culpâ ſolutus, liber eſt a captivitate, qua olim tenebatur. Jam non, ut antea, ſervus eſt criminis, diaboli, & cupiditatum. Jam non peccat, vel ſaltem ita non peccat, ut mortem animæ inferat. Novum ac ſanctum vitæ genus in Chriſto Jeſu inſtituit. Græcus (s) fert: *Juſtificatus eſt*, quod re ipsâ idem eſt ac *liberatur*, quamquam verborum antitheſim non ſatis ſervat: *Ut ultra non ſerviamus peccato. Qui enim mortuus eſt* peccato, *liberatus eſt a peccato*. Juſtificatus pro abſoluto, libertate donato accipitur.

℣. 8. Si autem mortui sumus cum Christo: ſi verè mortui ſumus peccato, ejusque ſervitute liberati, ſperandum nobis eſt fore, ut cum Chriſto vivamus in gloriâ, quam ſuâ ipſe morte ſingulis comparavit (t). Sive: Novo vitæ genere, vitâ gratiæ, mundâ prorſus ac ſanctâ vivemus (u).

℣. 9. Scientes quod Christus jam non moritur (x), deinceps non morietur: nullum jus morti eſt in illum: quamobrem ita vivendum nobis eſt in Chriſto, vitâ penitus novâ, nullo unquam ad peccatum, animæ mortem, reditu. Novam Jeſu Chriſti vitam ac Reſurrectionem imitemur, quemadmodum imitati ſumus mortem Baptiſmo.

℣. 10. Quod enim mortuus est peccato, pro peccato, non ſuo ipſius, qui nunquam illi ob-

(l) Ἐγέρθη διὰ τῆς δόξης τοῦ πατρός. *Deeſt in Tertull. de Reſurrect. cap. 37; & apud Iren. lib. 3. cap. 18. Ambroſiaſt. Per virtutem Dei. Cyrill.* Διὰ τῆς δόξης τοῦ πνεύματος, *Per gloriam ſpiritûs*.
(m) *Coloſſ.* III, 2. (n) *Joan.* XV, 2. (o) *Vide Selden. de Jure N. & G. lib. 2, cap. 2, 3; & lib. de Synedr. cap. 3.* (p) *Joan.* III, 10. (q) Ἵνα καταργηθῇ σῶμα, *&c.*
(r) *Vide Geneſ.* VII, 3; XVII, 23; *Levit.* XXIII, 14, *&c. Joſue*, V, 27; *Rom.* VII, 24. *Vide Tolet. Eſt. Menoc. Ham. alios.* (s) Δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. *Chryſoſt.* ἀπήλλακται. *Baſil. Theophyl.* ἀπολέλυται. ἠλευθέρωται. (t) *Chryſoſt. Origen. Theodoret. Alii plures. Grot. hic.* 2 *Timot.* II, 11; 1 *Cor.* IV, 8, *&c.* (u) *Eſt. Tolet. Menoc. alii.* (x) Οὐκ ἔτι ἀποθνήσκει, θάνατος αὐτοῦ οὐκ ἔτι κυριεύει.

℣. 11. Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato; viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℣. 12. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.

℣. 13. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.

℣. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratiâ.

℣. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratiâ? Abſit.

℣. 16. Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?

COMMENTARIUS.

noxius fuit, ſed ut omnium hominum peccata expiaret (y). Verti non poteſt, *Mortuus eſt ipſi peccato*; ita enim innueres, Chriſtum antea ſub jugo peccati fuiſſe; ſed, *mortuus eſt pro peccato*, pro omnium peccatis; qua in re is quàm latiſſimè a nobis diſcrepat, qui *per peccatum* mori poſſumus, ubi peccamus; vel *ipſi peccato*, cùm illud abdicamus; at non *pro peccato*; non enim mors noſtra, quemadmodum Chriſti, efficax eſt ut æternam ſalutem promereatur iis, quibus pretium Sanguinis ipſius per Fidem ac Baptiſmum applicatur. Semel mortem ſubiit in noſtrorum criminum expiationem (z), eâque gloriam æternam, immortalem glorioſamque vitam promeruit (a).

℣. 11. ITA EXISTIMATE, VOS MORTUOS ESSE PECCATO; non ut Chriſtus, pro peccato, quemadmodum animadvertimus ſupra. In Chriſti morte illud ſolummodo ſpectat Paulus, quòd una fuerit. Semel tantùm mortuus eſt Chriſtus criminum noſtrorum causâ: caveamus igitur, ne plusquam ſemel peccato moriamur. Si noſtræ conditionis eſt, peccato obnoxios naſci, multaque huic peccato noſtro ipſi ſcelere addidimus, innocentiam vitamque in Baptiſmo acceptam tueri ſtudeamus, veræque mortis loco novum in peccata lapſum metuamus. *Vivamus* uni *Deo*, *in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. In Deo, ex Deo, per Deum vivamus, vivatque in nobis Deus Spiritu, charitate, gratiâ (b).

℣. 12. NON ERGO REGNET PECCATUM IN VESTRO MORTALI CORPORE. Peccatum duplici ratione hîc uſurpari poteſt; vel pro peccatis quæ quotidia agendo patramus, animæ mortem afferentibus; ſive pro concupiſcentiâ, ex originali peccato ortâ, atque ad actuale peccatum impellente. Prohibere non poſſumus, quin concupiſcentia & ad peccatum propenſio in nobis ſit: poſt regenerationem manet: peccatum ipſa non eſt, ſed pœna originalis peccati, & pondus in malum (c): at gratiæ ope id conſequi poſſumus, ne illa in nobis regnet, neque tyrannidem exerceat: poſſumus ſiquidem illius illecebris repugnare (d), ejusque cupiditatibus non obſequi (e): atque ita neque actuale peccatum neque concupiſcentia in nobis dominabitur. Liberi reverà erimus, viventes ac redivivi in Chriſto, quamquam corpore mortali atque obnoxio peccatis obvoluti.

℣. 13. NEQUE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA (ſeu inſtrumenta) INIQUITATIS PECCATO. *Arma* frequenter pro quolibet inſtrumento uſurpantur: *arma iniquitatis* ſignificare poſſunt *arma iniqua*, vel inſtrumenta iniquitati deſervientia in peccatum. Oculi, manus, pedes arma iniquitatis fiunt, cùm ad prava opera lethaleſque actiones iis utimur, nosque ſponte criminis & iniquitatis ſervi efficimur. Contra verò, eadem hæc membra fiunt arma ſive inſtrumenta juſtitiæ, ſi per ea gerimus quæ juſta ſunt, vitamque ita inſtituimus, ut in Chriſto Jeſu redivivi, novamque vitam agentes. *Exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

℣. 14. PECCATUM VOBIS NON DOMINABITUR, &c. Ad objectionem ſub initium Capitis recitatam redit. *Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?* Cave, ne peccatum in te dominetur, quia ſub Lege non es, ſed ſub gratiâ; neque iterum in peccati ſervitutem redeas idcirco, quia te liberavit Chriſtus. Perinde eſſet ac ſi diceres: Graviſſimum morbum evaſi, lethali vulnere convalui: opus eſt iterum vulnerer, ſimilemque in morbum recidam, ut iterum a medico curer. Vel: Mitiſſimum Patrem ſprevi, amicum dulciſſimum: deditâ operâ iterum ſpernam, ut ille rurſus parcat. Hæc porrò eſt illorum ſententia, qui peccandum eſſe dicunt, quia ſub Lege non ſumus, ſed ſub gratiâ; ac ſubeundum eſſe peccati jugum, quia legalium rituum jugo nos liberavit Chriſtus per Fidem & vocationem. Ipſamet una ſententiæ hujus explicatio adeò abſurda eſt, ut uno commate 15 refellatur.

℣. 16. NESCITIS, QUONIAM CUI EXHIBETIS, &c. Peccati ſervitute liberos vos eſſe dicitis: at nonne animadvertitis, iterum vos fieri ſervos, ſi peccatum ſequamini? Quid enim aliud ſervitus eſt, niſi alteri ſubjici & obtemperare? At peccando ſequendoque iniquitatem, nonne peccato obtemperatis? *Cui exhibetis vos ſervos ad obe-*

(y) *Perer. Tolet. Eſt. Vatab. Vide Chryſoſt. Theodoret. Hilar. alios.*

(z) *Vide Grot. hic.* (a) *Luc.* XXIV, 26. (b) *Vide Tolet. Eſt. Menoch. Vat. alios.*

(c) *Concil. Trident. ſeſſ. 5, cap. 5. Ex Aug. lib. 5 contra duas Epiſt. Pelag. cap. 13; & alibi ſæpius.*

(d) *Chryſoſt. Eſt. Tolet. Perer. alii.* (e) Græcus vulgatus fert: *Ut obediatis ei in cupidinibus ejus.* Εἰς τὸ ὑπακούειν αὐτῇ ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις αὐτοῦ. *Origen. de Prece, § 14, & Theodoret. pro* αὐτοῦ, *legunt* αὐτῆς. At Codices eximii quamplures cum Vulgatâ conſentiunt. Alii verò ſolùm ferunt: *Ut obediatis ei.* Vide Mill.

℣. 17. Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſervi peccati; obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.
℣. 18. Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.
℣. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.
℣. 20. Cùm enim ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.
℣. 21. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.
℣. 22. Nunc verò liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem; finem verò vitam æternam.
℣. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

COMMENTARIUS.

obediendum, ſervi eſtis ejus, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam. Stultum ergò & abſurdum eſt dicere: *Permaneamus in peccato, ut gratia abundet*. Id porrò eſt verbis pugnare: ſervum eſſe peccati, & peccato liberum (f). *Obedientiam* opponit *peccato*; quippe obedientia præſtita Fidei, Evangelio, Dei voluntati, Jeſu Chriſti præceptis, eſt juſtitiæ, vitæ, æternæque beatitudinis via.

℣. 17. Gratias autem Deo, ... in quam traditi estis, formati; ſeu, quæ vobis tradita eſt in exemplum: prior tamen explicatio magis convenit cum Græco (g), quo ſpectatur mos exprimendi imaginem applicito archetypo. Evangelium eſt veluti exemplar (h), ad quod formandi ſunt Chriſtiani. De Fidelibus Romæ degentibus teſtatur Paulus, illos diaboli ſervitute ſolutos, humili ſinceroque animo ſeſe Apoſtolorum inſtitutioni ſubjeciſſe, vitamque Jeſu Chriſti, divini ipſorum exemplaris, in ſe fideliter expreſſiſſe. Minimè vereor, ne in flagitia, quæ damno, ruatis: novi enim vos eſſe fideles Jeſu Chriſti imitatores, veroſque inſtitutionum illius Diſcipulos.

℣. 18. Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ. Eamdem ſententiam variè explicat, varioque ſub aſpectu retractat, utì mentis fœcunditas, & amplitudo materiæ ſuadent. Mortuum eſſe peccato, peccato liberum, peccato crucifixum, ſub peccati tyrannide non teneri, una eademque res eſt; ſcilicet juſtificatum eſſe Baptiſmo, Fide, gratiâ: novam agere vitam, vivere in Chriſto ejuſque Spiritu, cum eodem reſurgere. Simul ac ab iniquitatis ſervitute elabimur, in libertatem juſtitiæ ingredimur.

℣. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ. Tropis utor ex uſu familiari deſumptis, ut orationem meam ingenio veſtro Divinis rebis parum adhuc aſſueto accommodem (i). Novam vitam, veſtramque ad Chriſtiana ſacra converſionem ſub nominibus ſervitutis ac libertatis, vitæ mortiſque, captivitatis ac ſolutionis ſignifico: quæ quidem locutiones parum dignitatis habent, multum verò ſententiæ ac perſpicuitatis.

Alii (k) aliter: Nihil arduum aut ſublime vobiſcum loquor: nihil poſtolo, quod vires veſtras Divinâ ope firmatas ſuperet, veſtræque cognitioni aut naturali æquitati repugnet: id ſolùm poſtulo, ut Dei causâ geratis ea, quæ mundi gratiâ egiſtis; juſtitiæ veſtræque ſaluti tribuatis, quæ peccato & exitio tribuiſtis: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in juſtificationem*.

℣. 20. Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Bona libertas eſt, & eſt mala, utì bona malaque ſervitus. Veritatis & juſtitiæ ſervitus laudabilis eſt & beata; peccato ſervire, malorum omnium eſt miſerrimum. Hoc itaque vult Apoſtolus: Antea Deo non ſerviebatis, in illud ſolummodo incumbentes, ut libidines expleretis, peſſimamque male agendi libertatem tueremini: confregeratis jugum, voſque ſervituros negaveratis (l): at nunc jugo Dei collum ſubdidiſtis, veritatem amatis; dominatur in vobis juſtitia, veſtraſque intra mentes Dei amor regnum obtinet: felici ſervorum ac Fidelium illius conditione gaudetis (m).

℣. 21. Quem ergo fructum habuistis? Quæ verò libertas illa, quam tantopere amabatis, & cujus nunc pudet? quò illa ducebat? ſcilicet in mortem. Dei autem ſervitus, quam per Baptiſmum, abdicatis ſuperſtitionibus, amplexi eſtis, quem in finem deſinit? in vitam ſcilicet, ſupremamque beatitudinem. Quanti igitur facienda eſt tam beata conditio?

Finis illorum mors est, non corporis, ſed animæ; æterna mors, & infinita ſupplicia: atque iſta opponit æternæ vitæ, quæ bonorum eſt merces, ℣. 22: *Finem verò vitam æternam*.

℣. 23. Stipendia peccati mors. Deſcribit hîc Paulus peccatum & juſtitiam ceu dominos, quorum alterutri neceſſe eſt homines obnoxios eſſe univerſos. Qui ſub juſtitiâ non eſt, omnino ſervit peccato: qui peccati jugum non trahit, ſubditus eſt juſtitiæ. Uterque dominus ſuam ſervis mercedem exhibet: mors peccato datur, vita juſtitiâ. At ſummum eſt inter mercedem utramque diſcrimen, non ipsâ tantùm re; nihil enim contrarium magis eſt quàm mors & vita; verùm etiam

(f) *Eſt. Tolet. Grot. Vide Joan.* VIII, 34: *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*. 2 *Petri*, II, 19: *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt, &c.*
(g) Εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. (h) *Vide Tolet. Eſt. Menoc. Grot. Tirin. alios.*
(i) *Grot. Vat. Grmar. Feſſel. adverſar, lib.* I, *cap.* 5; *Martianay.* (k) *Tolet. Eſt. Hammond. Menoch. Vide Chryſoſt.* (l) *Jerem.* II, 20: *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, dixiſti: Non ſerviam.* (m) *Vide Eſt. Tolet. Vat. Men. Zegec. Tir. alios.*

etiam ipſo exhibendæ mercedis modo: ſiquidem illa debitum eſt, iſta merum Dei beneficium. Mors peccato debetur: vita æterna eſt Dei munus & liberalitas: *Gratia autem Dei, vita æterna* (n).

Neque tamen exiſtimaveris, nullum eſſe juſtitiæ recteque factis meritum, ut vitam æternam aſſequantur; aut fieri poſſe, ut Deus præmium non largiatur iis, qui piè vixerint, atque omnia juſtitiæ officia expleverint. Paulus ipſe (o) conſtanter ſcribit, ſe pro certo ſcire, juſtum Judicem ſibi aliquando coronam juſtitiæ redditurum. Vult igitur illud intelligamus, merâ Dei gratiâ id eſſe nos quod ſumus (p); ea quæ bene geſimus, ab ipſius miſericordiâ præveniente proficiſci; ſuaque illum dona coronare, cùm bonis hominum operibus coronam impertitur. *Intelligendum eſt igitur*, ait S. Auguſtinus (q), *etiam ipſa hominis bona merita eſſe munera; quibus cùm vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratiâ redditur?* Ipſe prædeſtinat, vocat, juſtificat, gloriâ cumulat (r) mero miſericordiæ beneficio; ex illo non mercedem modò, ſed & juſtitiam obtinemus (s).

Nonnulli (t), poſt Tertullianum (u), reddunt: *Donativum verò Dei, vita æterna. Donativum* in Romanorum caſtris erat id largitionum genus, quod conſueto ſtipendio addebatur; puta coronæ, munera, honores; quæ quidem debebantur nemini, ſed merâ Imperatoris ſeu Tribuni liberalitate dabantur. Huc ſpectat hoc loco Paulus: *Stipendia peccati mors* æterna. Id conſequeris, dum peccato ſervis. At Deus munificentiſſimus eſt ac maximè liberalis: vitam æternam largitus, non ſtipendii nomine, ſed gratiæ & donativi. Munus eſt, quo merita tua & obſequia proſequitur. Hic porrò remunerandi modus nobilior eſt, & Deo dignior. Munera, quibus ſervos locupletat, mera ſunt illius beneficia; noſtra enim coronans merita, ſua ipſe dona coronat. Confer Cap. v, ℣. 21.

CAPUT VII.

Mortui ſumus Legi per Chriſtum. Lex peccatum exaggerat; juſti hominis cupiditates adverſus illum pugnant: quamobrem quæ vult ipſe non facit. Hac ſervitute liberos efficit gratia.

℣. 1. AN ignoratis, fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit?

COMMENTARIUS.

℣. 1. AN IGNORATIS, QUIA LEX IN HOMINE DOMINATUR, QUANTO TEMPORE VIVIT ipſa (a)? Toto ſuperiori Capite objectionem diluit Apoſtolus, quam ipſe ſibi oppoſuerat, & ab ipſius dogmate proficiſci criminabantur. Cùm gratia eò magis abundaverit, ubi diutiùs regnaverat peccatum, ajebant, an manendum eſt in peccato, ut uberiori gratiæ locus fiat (b)? Ut objectionem everteret, docuit ſupra, Fideles mortuos eſſe peccato: evincit hìc, ipſos Legis jugo eſſe ſolutos (c). Hinc oritur, redeundum illis non eſſe ſub peccati aut Legis imperium; oppoſitamque objectionem ita eſſe abſurdam, ac ſi quis diceret: Cùm a ſæviſſimi domini manibus, ſub quo duriſſimâ ſervitute opprimebar, evaſerim, opus eſt illuc revertas, ut is qui me liberavit, redditâ iterum libertate vires ſuas exerceat.

Alloquitur hìc Judæos ad Chriſtum converſos uti ex totius Capitis ſerie colligitur; ac retractat argumentum, quod Capite vi, ℣. 14, brevioribus verbis propoſuerat: *Peccatum vobis non dominabitur: non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratiâ.* Novum certè Judæis converſis erat dicere, ipſos *ſub Lege non eſſe, quòd eſſent ſub gratiâ*. Cæteri Apoſtoli nihil ſimile docuerant (d). Eâ de re nihil ſanxerat Synodus Jeroſolymitana (e); cui ſatis fuit decernere, Gentiles ad Chriſtum converſos legalium rituum religioni minimè ſubditos fore. Cæterùm Judæi Legem ſervare pergebant, ac pleríque ægrè ferebant, Gentiles Chriſtianis connumeratos eâ ſervitute liberari. Ipſimet Apoſtoli plerumque Legis ritus ſervabant.

Moyſis Legem exhibet hìc Paulus ceu vivum hominem, ceu maritum, qui imperium in ſibi nuptam & fœdere ſociatam exercet. Dum in vivis eſt maritus, princeps familiæ eſt, & uxori ac liberis imperat. Ita dum Lex exiſtit, vivit, pro morum ac vitæ regulâ habetur; in iis qui illam accêpere atque amplexi ſunt, dominatur. At quemadmodum mortuo viro, uxor & filii ab illius obedientiâ abſoluti cenſentur; ita mortuâ vobis Lege, nullum illi eſt in vos imperium. Hoc quidem cum Legis ipſius ſanctionibus convenit, ut ipſi noſtis: *Scientibus enim Legem loquor.* Uxorem illa ſubditam viro facit, dum is ſuperſtes eſt. Vir de uxoris corpore, libertate, opibus in poſterum, atque ad tempus poſt mortem futurum decernere non poteſt.

Nonnulli (f) reddunt (g): *Lex in homine dominatur, quanto tempore vivit* homo; eoque ſatis functo, Legis auctoritas perit: mortuus eſt Legi, ut illi Lex. Vivebatis olim Legi, eaque in vos imperium exercebat: at ubi vos mortui eſtis Legi, novum in Fœdus per Fidem ac Baptiſmum adlecti, nulla in vos eſt Legi poteſtas, vobiſque nulla erga Legem ſervitus. Hæc explicatio cum priore convenit; illa tamen magis ſequitur litteram.

℣. 2. QUÆ

(n) Τὸ δὲ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος.
(o) 2 Timot. iv, 8.
(p) 1 Cor. xv, 10: *Gratiâ Dei ſum id quod ſum.*
(q) *Auguſt. Enchirid. cap. 107. Vide eumdem, lib. de Grat. & libero arb. cap. 6, 7, 8; Lib. de Corrept. & Gratiâ, cap. 13; & Ep. olim 105, ad Sixt. nunc 194.*
(r) *Rom.* viii, 30. (s) *Vide Perer. Eſt. Tolet. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact.*
(t) *Vide Eſt. Grot. Gatak. in Cinno, cap. 5.* (u) *Tertull. de Reſurrect. carnis, cap. 47.*
(a) *Origen. Ambroſ. Eraſm. Eſt. Vat. Denſ. Para. Grot.* (b) *Cap.* iv, *alt. &* v, 1.
(c) *Vide Eſt. Tolet. Perer. alios.* (d) *Grot. Hammon.* (e) *Act.* xv. (f) *Oecumen. Theophyl. Aquinas, Cajetan. Bez. Hamm. Tolet.* (g) Ὁ νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ.

Digitized by Google

℣. 2. Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro, alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt a lege viri.

℣. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri: ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

℣. 4. Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo.

℣. 5. Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti.

COMMENTARIUS.

℣. 2. QUÆ SUB VIRO EST MULIER, &c. Pergit in allegoriâ. Duobus viris nubere non poteſt fœmina; virum, cui nupſit, relinquere non poteſt, dum ille ſuperſtes eſt; divortium enim nonniſi viro ex Lege propriè explicatâ permittitur (h). Nupſeratis Legi, ceu viro; ſubditi fuiſtis illius ſanctionibus, dum illa ſuperſtes fuit. At ubi novum Fœdus induxit Chriſtus, Lex habita eſt uti mortua, voſque illius imperio & ſervituti ſubducti. Hæc verba, *Si autem mortuus fuerit*, cum reliquis usque ad ℣. 4, in quibusdam Libris deſiderantur (i). Neque profectò neceſſaria hîc videntur, cùm ſint ſolummodo fuſior interpretatio ſententiæ, ℣℣. 1 & 2 ſatis explicatæ.

℣. 3. VIVENTE VIRO, VOCABITUR ADULTERA. Puto, non agere hîc Paulum de uxore per divortium dimiſsâ, quæ alteri nupſiſſet: huic enim per Legem licebat alteri pro libito nubere (k), quamquam neque divortium, neque ſecunda hujuſmodi matrimonia, priori viro ſuperſtite, a Lege probarentur (l). Quin etiam ſubdubito, verum ne matrimonium ab Apoſtolo ſignificetur: vox enim, qua utitur (m), deſignare poteſt flagitioſam uxoris cum alieno viro conſuetudinem (n). Ita igitur explico: *Uxor, vivente viro, vocabitur adultera, ſi conſueverit cum altero viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri*: adulterii rea non cenſetur, ſive alteri nubat, ſive aliud flagitium admittat: Lex enim nonniſi in verum propriumque adulterium animadvertit (o).

℣. 4. ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPUS CHRISTI. Chriſti mors in priſtinam vos libertatem aſſeruit (p). Hujus corpus & vita vobis quodammodo id fuit, quod corpus Legis; eo enim nece ſublato, abſolutam libertatem adepti eſtis; licuit nuncium Legi remittere, quemadmodum uxor a viro, ubi is obiit, ſejungitur. Re quidem ipsâ renunciaſtis, & amplexi eſtis Evangelium: iniiſtis igitur novas nuptias, novumque fœdus.

Aliter: Lex nonniſi figura fuit; res ipſa, Chriſtus: Lex umbra, corpus Chriſtus. Hactenus figuram ſectati eſtis atque umbram: at prodeunte Chriſto, deſeruiſtis Legem, ut illum ſequeremini. Relictâ umbrâ, amplexi eſtis corpus. Ut probè conſtaret comparatio, dicendum fuit: Quemadmodum uxor libera fit, mortuo viro; ita vos jugo Legis ſubducti eſtis, Lege mortuâ. Sed Apoſtolus, Judæis connivens (q), dicere mavult, *Mortui eſtis Legi*, quàm, *Lex vobis eſt mortua*. Eadem tamen eſt ſententia: ſi enim Judæi ad Chriſtum converſi mortui ſunt Legi, illis etiam mortua eſt Lex: ac *per Corpus Chriſti* utrumque verum efficitur. Per veritatem adventûs Chriſti, per ipſius vitam ac mortem, per expletam Propheticorum oraculorum & Legis figurarum fidem, poteſtas ſit Judæis, ut relictâ Lege Evangelium amplectantur.

Ajunt alii (r), ea verba, *Mortificati eſtis Legi*, idem valere ac, *Mortua eſt vobis Lex*: opus Lege non habetis; vobis inutilis eſt Lex; viri loco hæc vobis erat; viro mortuo, ſub illius poteſtate eſſe deſiiſtis. Simplex maximè eſt hæc explicatio; neque diſſentiunt Patres (s) & Interpretes, quod ad ſententiam attinet: omnes quippe fatentur, hanc eſſe mentem Apoſtoli; ſcilicet *per corpus Jeſu Chriſti*, per ipſius mortem, per ipſummet Jeſum (*corpus* interdum (t) pro homine uſurpatur), per expletam promiſſionum fidem, cum Legis figuris umbriſque comparatam, Judæos jugo Legis eſſe liberatos, ac libertate uſos eſſe eos, qui ad Chriſtum converſi ſunt, novo fœdere cum eo inito: factos illius membra, ſponſas, unumque quodammodo cum ipſo corpus: *Ut ſitis alterius, qui a mortuis reſurrexit*.

UT FRUCTIFICEMUS DEO. Connubium cum Jeſu Chriſto initum, ſterile non eſt; vitæ fructum ferre debet (u): ſponſus enim eſt Chriſtus, & ſponſas decet Cœleſti Patris filios benedictionis parere, fructus æternitatis, virtutum ſcilicet bonorumque operum exercitationem: alios planè a fructibus prioris cum Lege connubii, quo *fructus mortis* ferebantur, ℣. 5.

℣. 5. CUM ESSEMUS IN CARNE; ſub Lege ſcilicet, quæ appellatur *caro*, ut opponitur Evangelio, quod gratia & *ſpiritus* dicitur (x). Cùm igitur nos Judæi ad Chriſtum converſi ſub carnalis Legis imperio eſſemus (y), antequam regeneraremur in Chriſto; cùmque adhuc ſub vetere homine viveremus, *paſſiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti*. Hæc nimirum in priori ſub Lege connubio pariebamus. Caro carnales fructus ferebat, fructus mortis, per quos mortis æternæ rei conſtituebamur. Mox explicabit, quo ſenſu Lex fructus mortis ferret: ſcilicet non ipſius culpâ, ſed noſtrâ; cauſa ejus rei non erat Lex,

ſed

(h) *Deut.* XXIV, 1, 2, 3. (i) *Deſunt in Æthiop. & in Codic. Claromont. Lat. & S. Germani Lat. Mill. hic.* (k) *Deut.* XXIV. (l) *Jerem.* III, 1, *& ſeq.* (m) Μοιχαλὶς χρηματίσει ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. (n) *Vide Grot. hic, & ad* ℣. 2; *Para. Perer.* (o) *Levit.* XX, 10.
(p) *Eſt. Grot. Menoc. Tirin. Para. alii paſſim.* (q) *Theodoret. Cajet.*
(r) *Grot. Men. Para. Vorſt. Hamm. Caſtal. Lud. de Dieu.* (s) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. Ambroſiaſt. Anſelm. alios.* (t) Supra, VI, ℣. 6. (u) *Theophyl.* Ἵνα ἐκ τῆς συζυγίας ταύτης τῆς πρὸς τὸν Χριστὸν τεκνογονήσωμεν τῷ Θεῷ, πράξεις ἀγαθὰς δηλαδή. *Ita alii paſſim.*
(x) *Rom.* VIII, 2, 6, 8. (y) *Theodoret.* Τῇ σαρκί, τουτέστι τῇ κατὰ νόμον πολιτείᾳ. Σάρκα γὰρ τῆς σαρκὸς δεομένης νομοθεσίας ὠνόμασε.

℣. 6. Nunc autem ſoluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritûs, & non in vetuſtate literæ.

℣. 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognovi, niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.

COMMENTARIUS.

ſed occaſio (z). Hi reverâ fructus Legis non erant, quippe quos damnat ac vetat Lex; ſed hominis infirmi ac vitiati, violantis Legem, ſeque æternâ morte dignum conſtituentis.

℣. 6. Nunc autem soluti sumus (a) a Lege mortis. Poſt converſionem ac Baptiſmum, priore illo conjugio, mortis fructus dumtaxat ferente, ſoluti ſumus, novoque atque alio prorſus fœdere implicamur. Eramus tunc ſub Lege, nunc ſub Jeſu Chriſto: ferebamus fructus mortis, nunc vitæ fructus edimus: Den ſerviebamus in vetuſtate literæ, nunc in novitate spiritûs.

Moyſis Legem nuncupat *Legem mortis*, utpote peccati ac mortis occaſionem iis, qui eam ſervare tenebantur (b). *Novitatem ſpiritûs*, novæ Legis, Evangelii, opponit *vetuſtati literæ*, Legis per Moyſen deſcriptæ. Hæc literæ atque exterioribus obſervationibus inhærebat, manum ſolummodo metu coërcens, minimeque ſuppeditans gratiam opemque interiorem, illi ſervandæ uti decet neceſſariam (c). At nova Lex & Evangelium Spiritum Sanctum nedum pollicetur, ſed affert, a quo Spiritu deſtruitur vetus homo, novusque procreatur, ut gratiâ fulti novum vitæ genus inſtituamus (d): *In novitate vitæ ambulemus*.

Græci Libri typis editi legunt (e): *Soluti ſumus a lege, mortui in eo quo detinebamur*; ſive: *Mortui Legi qua detinebamur*. At Codices multi, pluresque ex Patribus cum Vulgatâ conſentiunt: *Soluti ſumus a lege mortis, in qua detinebamur*. S. Chryſoſtomus, & Editiones nonnullæ (f): *Soluti ſumus a Lege mortuâ*. At leve eſt in ſententiâ diſcrimen. Omnes prorſus Interpretes, utut legatur, in eo conveniunt, hoc velle Paulum, Fideles eſſe Legi mortuos, nullâ illius religione cogi, eamque illis eſſe inutilem.

In novitate spiritus, at non in vetustate literæ. Scriptæ Legi antea obnoxii eratis, Legi remotiſſimam vetuſtatem, & ſanctitatem Authoris jactanti: at nunc ſubditi eſtis ſpiritali prorſus ac novæ, quæ tanto ſublimior eſt veteri, quanto nobilior eſt corpore ſpiritus, intellectus literâ. Legem habebant Judæi, ſed Legis propoſitum non aſſequebantur: præſto illis erant Scripturæ, ſed illarum ſenſum ignorabant. Utrumque penès nos eſt, adeoque Lex undique abſolutiſſima. Legis officia penitus intelligimus, eaque per gratiæ & Spiritûs ſancti opem ſanctiſſimè exercemus (g). Cùm enim tam ſæpe docet Paulus, jugo Legis ſolutos eſſe Chriſtianos, minimè repugnat Jeſu Chriſto (h) ajenti, ſe veniſſe ut Legem perficeret, non deſtrueret. Vigent adhuc Legis officia; quæ tamen nonniſi Chriſtianus uti opus eſt ſervat: unus dat Chriſtus, ut ea in ſpiritu & veritate exerceantur (i).

℣. 7. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Dixerat ℣. 5: *Paſſiones peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris noſtris, ut fructificarent morti*. Occupat difficultatem facilè objiciendam: Igitur ne Lex peccatum eſt, ac flagitioſa Legis inſtituta? Avertat Deus! id non dicimus: at certè aſſerimus, Legem iis qui eam amplexi ſunt, factam eſſe peccati occaſionem; uti ſtatim oſtendit.

Sed peccatum non cognovi, nisi per Legem. Hìc & in conſequentibus Paulus primâ perſonâ utitur, quaſi aliquo olim tempore Legis cognitione penitus caruerit; deſcribit deinde quid expertus ſit cognitâ Lege, quid Dei cognitio in ipſo pepererit. Quæritur, ipſe ne reverâ de ſe agat, ſeque in exemplum Romanis Fidelibus proponat; an univerſam in ſe uno humanam naturam deſignet, qualis ante Legem erat, deinde ſub Lege.

Origenes (k) aliique nonnulli cenſuere, deſcribi ab Apoſtolo Judæi hominis ſtatum, antequam is per ætatem uti ratione valeat. Suas ille cupiditates nullo metu aut religione ſectatur, quia Legem ignorat: ubi verò adultior noſſe cœpit, quid ſui officii ſit, eadem illa, quæ antea inſons gerebat, culpæ naturam induunt; illique vertuntur crimini, quæ olim innoxia illi erant. Ita Lex hac ex parte illi fit occaſio peccati.

Alii (l) multo plures putant, Apoſtolum ſapientiſſimâ cautione naturam hominis, liberam priùs atque in ſtatu naturæ, deinde ſub Lege conſtrictam, in ſe ipſo exhibere voluiſſe. Homo, ſolâ naturæ Lege inſtructus, ignorare poterat peccata eſſe multa, quæ ipſe patrabat: ac poſt Legem eadem illa diſertè vetita, in peccata tranſierunt: quamobrem Lex, minimè ablatâ ab eo concupiſcentiâ, neque additis ad repugnandum viribus, inſtructiorem effecit ac magis reum. Hæc explicatio magis placet.

Antequam Lege inſtruerer, innumera peccata, deinde perſpecta, ignoravi. Noveram, nefas eſſe homicidium, quæque ipſe mihi fieri nollem, alteri non eſſe facienda: at neſciebam, exempli causâ, mala deſideria eſſe peccata. Exiſtimabam, Idolorum & aſtrorum cultum, inane jusjurandum, atque alia multa, Dei voluntati non repugnare: ac profectò Ethnici nullo religionis metu innumera admittebant, in Lege vetita ut mala. Fortaſſe illorum doctiſſimi earum rerum deformitatem noverant: at populus aliter ſentiebat.

Superveniente Lege, aliud mihi de rebus judicium acceſſit. Ita Lex illud mihi ſolummodò præſtitit, quòd peccata multiplicaverit; non quòd iſta ante Legem nefaria non eſſent, ſed quòd æquè

(z) *Chryſoſt.* Τὰ διὰ νόμου φαινόμενα, καὶ γνωριζόμενα.
(a) Κατηργήθημεν αὐτοῦ τοῦ νόμου. *Oecum.* ἀπολελύμεθα, λελυτρώμεθα. *Theodoret.* Ἄργος ἡμῖν ἐστιν ὁ νόμος· οὐκέτι κατ' ἐκεῖνον πολιτευόμεθα. (b) *Vide Eſt. Tolet. Menoc.*
(c) *Vide Eſt. Tolet. Vat. Menoc. Tirin. alios paſſim.* (d) *Vide Rom.* VI, 19, 22; 2 *Cor.* III, 6; *Galat.* III, 3. (e) Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα.
(f) Κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου θανάτου, ἐν ᾧ κατειχόμεθα. *Ita Auguſt. Ambroſiaſt. Rufin. ſeu Origen. in Ep. ad Rom. Cod. Clarom. G. L. & S. Germ. G. L. Quid. ut Chryſoſt.* Κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος. *Ita Vatab. & Vorſtel. & alii quidam.* (g) *Eſt. Tirin. Para.*
(h) *Matth.* V, 17. (i) *Joan.* IV, 24. (k) *Origen. hic. Hieron. Ep. ad Hedibiam, q. 8. Pareus hic, &c.*
(l) *Chryſoſt. hic; Auguſt. lib. 1 contra duas Epiſt. Pelagg. Oecum. Ambroſiaſt. Eſt. Grot. Hamm. Tolet. &c.*

Digitized by Google

℣. 8. Occaſione autem acceptâ, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat.

℣. 9. Ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit.

℣. 10. Ego autem mortuus ſum: & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.

COMMENTARIUS.

tequè gravis non foret illorum colpa, quippe quæ cum peccato conjuncta non cognoſcerentur. Præterea non adeò vehemens erat erga iſta animi mei propenſio, antequam diſertè vetarentur; negligebam, cùm innoxia exiſtimarem. Ea denique Deus mihi non imputabat ceu transgreſſiones, antequam Legem iſta vetantem mihi traderet (m).

NAM CONCUPISCENTIAM NESCIEBAM, NISI LEX DICERET: NON CONCUPISCES. Involuntaria deſideria non vetantur Lege, cùm ea removere noſtrarum virium non ſit in hoc naturæ vitio quo laboramus; cavet ſolummodo ne voluntaria fiant, illis aſſentiar, ea ſequar atque expleam (n). Ante Legem, ipſosque inter Ethnicos ignota non erat malorum cupiditatum deſormitas; multi ex Gentilibus (o) confeſſi ſunt, ineſſe cupiditatibus hominum ac deſideriis vitium. Interim verò inter Judæos non deerant, qui meras cogitationes ac deſideria, modò actu non exolerentur, peccato vacare contenderent. Hoc Phariſæorum dogma (p) conſtantiſſimè aſſerit Joſephus Hiſtoricus (q). Id tamen minimè officit, quin verum ſit, homines ex Lege didiciſſe, mala deſideria eſſe peccata. Moralem hanc veritatem nunquam perſpicuè cognovere Profani, neque ea quæ opus erat, ex eâ collegerunt. Siquis ex Hebræis hac in re erravit, minimè idcirco remiſſior eſt adversùs mala deſideria Legis ſanctio. Diſputat Apoſtolus de re generatim verâ, neglectis exceptionibus quæ objici queunt, neque rei veritatem minuunt.

℣. 8. OCCASIONE ACCEPTA, PECCATUM PER MANDATUM OPERATUM EST IN ME OMNEM CONCUPISCENTIAM. Concupiſcentiam nuncupat *peccatum*, quia fructus & pœna peccati eſt, & in peccatum propenſio (r). Peccatum hoc ſenſu uſurpatum, arripit ex Lege opportunitatem, ut nos in Legis violationem trahat: naturâ enim ita comparati ſumus, ut quæ vetita ſunt avidiſſimè appetamus: *Nitimur in vetitum*; id quod ex nativo libertatis amore oritur.

Leges aliquando, interdicta, & cautiones libidinem movent ea faciendi, quæ præter cautionem negligerentur. Ambages, quibus nonnulla obvolvuntur, acrius irritant animum, ut illa ſcrutetur. Aquæ furtivæ dulciores ſunt (s). *Si velis quod nondum vetitum eſt, timeas ne vetêre; at ſi prohibita impunè tranſcenderis, neque metus ultra neque pudor eſt* (t).

Grotius (u) Græcum reddit peccatum, ſive, ut ait, *conſuetudo peccandi, quæ fuerat ante Legem: nacta impunitatem a præcepto*, videns ſcilicet, mala deſideria a Lege non damnari, pœnâ ſenſibus obnoxiâ, ex eâ impunitate opportunitatem in quælibet ſcelera ruendi arripuit. Vidit, ſeveriſſimè in furtum, adulterium, homicidium animadverti; ſuppliciorum metus manum hominis coërcuit; at in cætera quæ ſolùm Lege damnantur, nullâ pœnarum interminatione, homines effusè delati ſunt.

SINE LEGE PECCATUM MORTUUM ERAT (x). Sopita erat concupiſcentia, excitante nemine aut irritante (y); torrenti ſimilis, qui dum nihil reſiſtit, perniciſſimus intra alveum fluit; at ſi agger objiciatur, latè effunditur ac vaſtat. Aliter: *Peccatum mortuum erat*, pleriſque hominibus ignotum; ignaris non imputabatur, ſaltem uti tranſgreſſio (z). Non agit hìc de juris naturæ principiis, quæ ſatis nota ſunt omnibus, ut nullus ſit excuſationi locus, ſi violentur; ſed de ſcriptis Legibus, per Moyſen latis (a).

℣. 9. EGO AUTEM VIVEBAM SINE LEGE ALIQUANDO. Perſonam invidiæ plenam induit Apoſtolus, ut leniùs tractet eos ad quos ſcribit (b). Ego, cæterique mecum homines Dei voluntatem penitus ignorabamus: *Ego vivebam ſine Lege aliquando; ſed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit*. Ignis erat ſub cinere latens, qui vix detectus ac ventilatus exarſit: exiſtebat peccatum, ſed veluti ſopitum. Vigebat concupiſcentia, ſed languebat vigor, quòd Lex non repugnaret. Intra me peccatum erat, mihi fermè ignotum (c). *Peccatum revixit; ego autem mortuus ſum*. Exarſit concupiſcentia, & mortem attulit; morbum non ſentiebam: putabam ipſe me optimè valere, ſtatimque me mortuum ſenſi: id effecit Lex, ut animæ meæ ſtatum intelligerem, meque mortis æternæ reum eſſe cognovi (d).

℣. 10. INVENTUM EST MIHI MANDATUM, QUOD ERAT AD VITAM, HOC ESSE AD MORTEM; non naturâ ſuâ aut vitio, ſed, uti ſæpe diximus, occaſione; concupiſcentia præcepto vetante irritata, enixiùs in malum delata eſt. Legem mihi dederat Deus, ut fideli præceptorum obſervatione beatus fierem: at meâ unius culpâ ipſa ejus Lex magis me reum ac miſerum reddidit (e); hac nimirum ratione, quòd cauſa fuerit, ut duplex peccatum committerem, rei male geſtæ tranſgreſſionem adjiciens, cùm antea ſimplex peccatum facerem. *Lex prohibens, omnia delicta congeminat. Non enim ſimplex peccatum eſt, non ſolùm malum, ſed etiam vetitum committere*, in-
M quit

(m) *Rom* III, 20. (n) *Vide Grot. Eſt. Jac. Capell. Perer. Tolet.* (o) *Vide Grot. in Decalog. Exod.* XX, 17.
(p) *Vide Abenezra ad initium Decalogi; Kimchi ad Pſal.* LXV, 18 *Matth.* V, 27, 28.
(q) *Joſeph. Antiq. lib.* XII, *cap.* 53. (r) *Anſelm. Tolet. Eſt. Menoc. Para. Piſc. alii.*
(s) *Prov.* IX, 17.
(t) *Tacit. Annal.* 3.
(u) Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ ἁμαρτία διὰ τῆς ἐντολῆς.
(x) *Aug. & Pelag. Peccatum mortuum eſt.* (y) *Tolet. Eſt. Grot. Menoch. Tirin. Oecum.* Νεκρὰ ἀνενέργητος· οὐ γὰρ ἐνήργει καὶ πρὸ τοῦ νόμου, ἀλλ' οὐ τοσοῦτον. κατεῖδον ἰδόντες εἰς πλείους ἁμαρτίας.
(z) *Chryſoſt. Ambroſiaſt. Tolet. Eſt. Vatab. Para.* (a) *Aug. Chryſoſt. Ambroſ. Tolet. alii.*
(b) *Grot. Ham. Tolet.* (c) *Chryſoſt.* Οὐκ ὄντως κατεδικαζόμην. (d) *Tolet. Eſt. Men. Para.*
(e) *Vide Menoc. Tolet. Zeger. Eſt.*

℣. 11. Nam peccatum occaſione acceptâ per mandatum, ſeduxit me, & per illud occîdit.

℣. 12. Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.

℣. 13. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

℣. 14. Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.

COMMENTARIUS.

quit S. Auguſtinus (f).

℣. 11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me. Concupiſcentia repugnante præcepto irritata, novis viribus aucta eſt, meque doloſis illecebris fefellit, & morte affecit. Perſuaſit, ut ſe, ſpretâ obedientiâ Divinis mandatis debitâ, ſequerer. Eamdem explicationem, quam in ℣. 8 explicavi, hoc loco ſequitur Grotius.

℣. 12. Itaque lex quidem sancta. Quidquid hactenus dixi, Legem non accuſo, neque ſanctitati ac juſtitiæ præcepti detraho: novi ego, a Deo, præcepti authore, nihil niſi ſanctiſſimum æquiſſimumque imperari; noſque ſanctitatem, juſtitiam, vitam, æternamque beatitudinem conſecuturos, ſi ea præcepta ſectaremur. Malum a Lege partum uni mihi debeo (g).

℣. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Qui bona eſſe Lex poteſt, quæ mihi mortem affert? quo autem pacto mortem illa non parit, ſi, uti dixi ℣. 10. *Inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem?* Respondet: Lex quidem mortis meæ cauſa non eſt, ſed occaſio. Iniquum autem eſt meræ occaſioni tribuere mala quæ inde naſcuntur; ingratorum vitium adſcribendum eſſet beneficis; rebus ſacris impiorum ac ſacrilegorum ſcelus; ſanctiſſimis veritatibus Hæreticorum inſaniæ. Cauſæ appellatio hîc proprio ſenſu non uſurpatur.

Sed peccatum, ſcilicet concupiſcentia, ut appareat peccatum, ut conſtet quid ipſa ſit, per bonum operatum est mihi mortem. Concupiſcentia ex effectis ſe ipſa prodidit, occaſione Legis quæ bona erat. Vel: Peccatum apparuit eſſe peccatum, occaſione Legis qua vetabatur, ac transgreſſionis quæ conſequuta eſt. Ante Legem nonniſi obſcuriſſimè peccatum noveram; perſpicuum fecit Lex; atque irritatâ concupiſcentiâ, ex obliquo & occaſione me in peccatum traxit (h). Eadem eſt ſententia, variis locis modiſque retractata. Duplici ratione Lex peccatum auget; I, ipſum vetando manifeſtum efficiens; II, concupiſcentiam irritans, atque ita occaſionem transgreſſionibus præbens. Duobus hiſce ſervatis, omnes hi loci ſtatim enodantur.

Ut fiat supra modum peccans peccatum. Præceptum, mandatum, Lex eo auxere peccatum, quòd occaſioni fuerint concupiſcentiæ peccandi præter modum, ac majori quàm antea furore atque inſaniâ; aucta eſt viribus concupiſcentia ipſo Legis interdicto, ut ſæpe diximus. *Peccans* hîc non hominem ſignificat, ſed *peccans peccatum* eſt ipſa peccati actio iterata. *Peccatum peccans*, immodica peccandi libido vel conſuetudo (i). Hujus rei occaſio in homine Lex fuit.

℣. 14. Scimus autem quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum. Legem defendit ab accuſantibus, ipſam eſſe cauſam peccati; omnemque culpam in caput hominis peccato vitiiſque corrupti & carnalis vertit. Optima eſt Lex, ſancta, juſta; homo carnalis, malus, impurus.

Celeberrima hîc oritur quæſtio, agat ne Paulus, tum hîc tum in conſequentibus, de homine ſub Lege conſtituto, an ſub Evangelio. Cenſent quamplures (k), eamdem hîc ab Apoſtolo agi perſonam, quàm ℣. 7 induit; deſcribi nempe ipſum a ſe Apoſtolum ceu hominem a ſtatu naturæ ad ſtatum Legis migrantem, totumque ſentientem pondus infirmitatis ſuæ ac vim concupiſcentiæ, in malum impellentis, quin opem qua regatur, & gratiam qua liberetur, in Lege inveniat.

Ajunt alii, deſcribi hominem juſtum, jugo Legis liberatum, viventem ſub gratiâ, ſub cupidinum ſuarum pondere gementem, adversùs quas aſſiduè pugnat, ut peccato, quò illæ trahunt, liber ſervetur. Alteram hanc ſententiam tuentur S. Auguſtinus (l), ejusque Diſcipuli (m), & ante illum S. Gregorius Nazianzenus, S. Hilarius, S. Ambroſius, & Sanctus ipſe Hieronymus, qui ſtatim contrariam opinionem amplexus (n), re meliùs perſpectâ, intelligensque hoc loco abuti Pelagianos in ſui erroris præſidium, victas huic manus dediſſe videtur (o).

Contendebat Pelagius (p), Scriptores omnes Eccleſiaſticos cum ipſo ſentire, non agere hîc Apoſtolum de homine ſub gratiâ & Evangelio conſtituto. At S. Auguſtinus, qui olim idem ſenſerat, deinde adversùs Pelagium duo iſta defendit; I, nonnullos eſſe veteres, qui hoſce locos alio quàm Pelagius ſenſu explicavere; II, ea quæ ille colligebat, Fidei Eccleſiæ repugnare; cùm ille aſſereret, ſufficere tum ſub Lege cùm ſub gratiâ liberi arbitrii vires, ut malo reſiſtamus.

Vi-

(f) *Auguſt. lib. de Verâ Relig. cap. 6.* (g) *Grot. Eſt. Tolet. Pare.*
(h) *Tolet. Eſt. alii.* (i) *Origen. Eraſm. Tolet. Eſt. Men.*
(k) *Origen. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. Oecumen. hic; Auguſt. qu. 1 ad Simplic. & lib. 83 quæſt. q. 66; & in propoſit. expoſitio hujus Epiſt. & Baſil. Regul. brevior. qu. 16, Ambroſiaſt. Sedul. Pelag. in hunc loc. & lib. 3 de Lib. Arbitr. apud Auguſt. de Grat. Chriſti, cap. 39. Ita Tolet. Lyr. Carthuſ. Eraſm. Hamm. Vorſt.* (l) *Vide Auguſt. l. 1 Retract. cap. 23, & 26; l. 2, c. 1; l. 3 contra Julian. c. ult. l. 6, c. 23. item Hilar. Nazianz. Ambroſ. apud eund. Aug. l. 2 contra Julian. c. 3, 4, 5; Epiphan. hæreſ. 64, quæ eſt Origeniſtar.* (m) *Vide Bedam hic; Proſper. lib. contra Collator. cap. 8; Greg. Moral. lib. 19, cap. 5, & lib. 29, cap. 15; & in Libb. Reg. lib. 5, c. 1; Hug. Victorin. Quæſt. huj. loci; Pererium. Eſt. Cajet. Heſſel. Sasbold. alios.*
(n) *Hieron. Ep. ad Algaſiam; & in Habac. 1; & in Dan. 11.* (o) *Idem Dialog. contra Pelag. lib. 2, c. 5.* (p) *Pelag. lib. 3 de Liber. Arbitr. apud Aug. lib. de Grat. Chriſti, cap. 39.*

℣. 15. Quod enim operor, non intelligo; non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.

℣. 16. Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt.

℣. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

COMMENTARIUS.

Vitato Pelagii errore, nihil prohibet, quin Patrum Græcorum explicationem, quam priore loco dedimus, amplectamur; quæ certè maximè ſimplex atque ad literam videtur, & cum præcedentibus aptiſſimè omnium cohærere. Altera plus aſſeclarum & autboritatis habet in Latinâ Eccleſiâ. Hanc itaque ſequemur cum S. Auguſtino, in reliquâ hujus Capitis explicatione: alterâ tamen minimè ſpretâ, quæ omnino Catholica eſt, ſi ex Patrum Græcorum mente uſurpetur, atque a Pelagii ejusque aſſeclarum ſententiâ removeatur.

Scribit Apoſtolus, *Legem ſpiritualem eſſe, ſe autem carnalem.* Profectò Moyſis Lex, ſi uti a Deo ac Spiritu Sancto tradita, ad gratiæ Legem ducens, hominem ad divina evehens, ac virtutis exercitium moderans, inſpiciatur, eſt ſpiritalis; homo autem ſub Lege vivens carnalis eſt, vitii plenus, in peccatum propenſus, atque in Lege neque gratiam invenit, neque auxilia, quibus eget, ut peccato reſiſtat. At gratiæ Lex ſublimiori ratione magis eſt ſpiritalis: id enim unum ſibi ipſa proponit, ut veros in ſpiritu ac veritate cultores Deo inſtituat; hominemque ad nobiliſſimarum virtutum exercitationem evehit. Chriſtianus, rametſi regeneratus, non idcirco tamen expers eſt concupiſcentiæ & propenſionis in malum (q): quamobrem dici poteſt *carnalis, venumdatus ſub peccato*: at ſpiritalis quoque eo eſt, quòd Legi Dei ſubjicitur, eamque gratiâ confirmatus ſervat, quamquam non ſine labore & pugnâ.

Venumdari ſub peccato genus eſt Hebraicæ locutionis, cujus exempla nonnulla in Veteri Teſtamento inveniuntur (r); qua ſignificatur is, qui totum ſe peccato dedit ac ſervum fecit. Fas erat apud Judæos cuilibet ſe ipſum venumdare, ſuamque libertatem obligare (s): patri licebat filium alteri vendere (t). Primus omnium parens Adam nos peccando, ut ita dicam, peccato vendidit: quamobrem ſervos cupidioum, illisque obligatos nos experimur. Eâ tamen venditione non usque adeo ablata eſt libertas, ut tantum ex eâ non ſuperſit, quantâ opus eſt, ut reſiſtamus malo, bonumque ſequamur, gratiâ Jeſu Chriſti opem ferente: idque veriſſimè dicitur nedum de hominibus ſub Lege viventibus, verùm etiam de regeneratis, & ſub Evangelio conſtitutis.

℣. 15. Quod enim operor, non intelligo. Non intelligo comprobatione (u). Quamvis ſciens prudensque id faciam, nonniſi repugnando aſſentior: repugno, at non qua decet virtute: motus intra me excitari ſentio, in meâ poteſtate minimè poſitos, quos non probo. Bonum, quod agendum eſt, video; ex parte amo, probo etiam: at in contrarium rapior; neque ſatis virium ad reſiſtendum habere me ſentio, præter ſupernaturale Dei auxilium (x). *Video meliora proboque: deteriora ſequor.* Nulla tamen mihi eſt excuſatio; ſi enim aſſentior, id meæ infirmitatis & culpæ eſt; ſponte eligo & ſequor, cùm neceſſitatem non afferat concupiſcentia: ſollicitat illa, non cogit. Reſiſtere poſſum, ſi velim.

Non enim quod volo bonum, hoc ago (y). Bonum non ago, quod voluntate imperfectâ dumtaxat & ancipiti volo: bona deſideria animo concepta non proſequor. At fieri non poterit, ut bonum quod voluero non agam, ſi voluntate conſtanti & abſolutâ voluero: quòd ſi optimâ voluntate inſtructus omne id bonum quod volo non explevero, quòd vires non ſufficiant, cenſebitur mihi apud Deum idem prorſus meritum, ac ſi illud expleverim. Bonâ animi mei voluntate, ubi ſincera fuerit, ac per me non ſteterit, quominus illa expleatur, contentus eſt Deus.

Sæpe etiam *quod odi malum, hoc ago*; ſive, in malum quod non amo, rapior: quoddam intra me pondus ſentio, quo trahor invitus in malum quod execror; unâque Dei ope & gratiâ contineor, ne ſuccumbam. At dum adversùs malam hanc propenſionem pugno, eamque ſentio præter aſſenſum, illud peccato non adſcribit Deus: quamobrem propriè ac verè nunquam ago malum quod odi; vel, ſiquid exterioribus facultatibus ago præter aſſenſum ac voluntatem, illud propriè non ago; neque exterior actio & motus interior, aſſenſu & voluntate non accedente, peccatum eſt. Hoc quod dixi, æquè locum in utriusque Teſtamenti Juſtis habet. Non ſemper illi bonum agunt quod volunt, ac frequenter in malum quod nolunt rapiuntur. Pugnam in ſe ipſi experiuntur, ſive bonum agere velint, ſive malum vitare (z).

℣. 16. Si autem quod nolo illud facio, consentio Legi. *Facio* tum hîc tum in ſuperioribus actum incompletum, non perfectam actionem ſignificat. *Si illud facio*, ſi me invitum trahi ſentio ad id *quod odi*, quod agere ſuadeor, *conſentio Legi*, Legem probo, bonam eſſe fateor; imò & expleo; meaque voluntas juſta eſt apud Deum, & culpâ vacat (a). Id porrò Juſtis utriusque Fœderia convenit, confirmatis gratiâ, & Fidei lumine inſtructis; ſola enim Lex neceſſaria huic rei auxilia non ſuppeditat.

℣. 17. Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Si concupiſcentiæ in malum trahenti reſiſto, jam non ego mala excito deſideria intra animum meum exorientia, quæ rapiunt in malum, ad quod me propenſum experior: *ſed quod habitat in me peccatum*: concupiſcen-

(q) *Concil. Trident. ſeſſ. 5, n. 5. De peccato originali: Manere in renatis concupiſcentiam vel fomitem hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit; quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus, non valet.*

(r) 3. *Reg.* xxi, 20; & 1 *Macc.* i, 17. (s) *Levit.* xxv, 39. (t) *Exod.* xxi, 7.

(u) Ὃ γὰρ κατεργάζομαι, οὐ γινώσκω, *Non approbo. Eraſm. Vat. Druſ. Illyr. Perer. Eſt. Grot. alii paſſim. Confer Pſal.* i, 6; *Oſee*, viii, 4, &c. (x) *Ovid. Vide Grot. & Hamm. hic.*

(y) Optimi Latini Codices & Græci non legunt hîc *bonum*, neque deinde *malum*, ſed tantùm: *Non enim quod volo, hoc ago; ſed quod odi, illud facio.* (z) *Vide Auguſt. ſuprà. Tolet. Menoc. Eſt.*

(a) *Tolet. Eſt. Tir. Men. alii.*

℣. 18. Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt in carne meâ, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.

℣. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.

℣. 20. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum.

℣. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.

COMMENTARIUS.

piſcentia *(b)* cauſa eſt malorum quæ exector & ægerrimè fero; quamobrem & Deus illa mihi non imputat, cùm præter voluntatem ſint. At cùm poſt ſenſum ponè ſit mors *(c)*, domeſticoque huic hoſti reſiſtere nequeam, niſi divinâ ope firmatus, aſſiduam agere pugnam, metuens, vigilans, oransque cogor. Aſſidua & domeſtica hæc pugna, atque animi angores in rebus geſtis Sanctorum, tum ante tum poſt Chriſtum viventium, luculentiſſimè deſcribuntur: omnes quippe ſalutem ſuam cum timore ac tremore curarunt.

℣. 18. SCIO QUIA NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA, BONUM. Cùm ait Paulus, ſe eſſe carnalem, venumdatum in malum, facere ſe malum quod odit, de ſe ita agit uti in peccatis generato, natoque iræ filio, & concupiſcentiæ relicto: id tamen minimè prohibet, quin Dei ope firmatus virtutem exercere queat, ejusque mens a Spiritu ſancto illuſtrari poſſit, ut bonum videat, invictumque virtutis amorem illi inſpirari. Juſtificatus homo, tametſi coram Deo purus & noxâ vacuus, fateatur neceſſe eſt, nihil proprium ſibi eſſe, præter peccatum & concupiſcentiam, quæ radices in ipſo habet, eumque aſſiduè in malum impellit *(d)*, ſeque a cupidine ſuperatum iri, ſi Divinâ ope deſtituatur. At neque propenſio, neque mala deſideria libertatem deſtruunt, ac bene agendi, cum Dei auxilio, poteſtatem. Quantumvis peccato originis vitiatus ſit, infirmisque liberi arbitrii viribus, illum neceſſariò non trahit concupiſcentia in peccatum, ſtatim ac Dei gratiâ deſtituitur. Nunquam non liberum homini eſt concupiſcentiæ reſiſtere & gratiæ, quantumvis validè utraque vel in bonum vel in malum trahant.

NAM VELLE ADJACET MIHI: PERFICERE AUTEM BONUM, NON INVENIO. Ex his colligebant Pelagiani, homini ineſſe bene agendi principium; liberum arbitrium poſſe ſuis unius viribus bonum velle: hoc denique in noſtrâ eſſe poteſtate conſtitutum. At illud ſolommodo ſignificat hìc Apoſtolus, poſſe quidem homini naturâ ſuâ ineſſe incertam quamdam voluntatem, & imperfecta bene agendi deſideria: at ejuſmodi voluntatis ac deſideriorum, quæ dumtaxat ex naturâ oriuntur, nullum eſt meritum apud Deum, non eo ſolùm, quòd ad rem agendam numquam perveniunt, verùm etiam quòd per Dei Spiritum & gratiam concepta non fuerint. *Velle bonum* hoc loco mutuò refertur ad eamdem locutionem, in ſuperioribus recitatam, ubi pro inani incertâque voluntate, & inefficacibus deſideriis uſurpatur. Si hoc vult Paulus, homini eſſe, per ſolas liberi arbitrii vires, efficacem bene agendi voluntatem ac poteſtatem, ſecum ipſe pugnat, cùm alibi doceat *(e)*: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus:* Deum in Fidelibus bona incepiſſe, & perfecturum *(f)*; ipsum agere in nobis & velle & facere, uti videtur *(g)*: denique falsò dicit, ſe nihil penitus eſſe absque gratiâ, nihil poſſe, nihil ſuum & proprium habere, præter malum & peccatum.

Addit: *Perficere bonum*, intra me *non invenio*. Novi ego quid mei muneris ſit; aliquo moveor deſiderio id perficiendi: at viribus deſtituor. Mihi relictus, velle nequeo, neque decreta exequi, præter opem gratiæ *(h)*. Sceleſtiſſimos etiam interdum tædet ſcelerum; miſeram ſui conditionem deflent, vincula frangere cupiunt; at dominantur in illis cupidines, quibus inania iſthæc deſideria ſtatim evertuntur. *Semiſauciam hac atque hac verſare voluntatem, hac parte aſſurgentem, cum aliâ parte luctantem (i).*

℣. 19. NON ENIM QUOD VOLO BONUM, HOC FACIO. Repetit dicta ℣. 15; ubi *bonum* & *malum* in Codicibus multis deſunt, quæ hìc in omnibus leguntur. Nullo non tempore, & quibuſvis in conditionibus qui piè vivere volunt, pugnam hanc a Paulo deſcriptam experti ſunt. *Ego ſuſpirabam ligatus, non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate*, ait S. Auguſtinus *(k)*.

℣. 21. INVENIO IGITUR LEGEM, Ea Lex eſt concupiſcentia, intra nos pugnans, ac reſiſtens bono, quod gerere cupimus *(l)*. Quamobrem cùm bene agere conor, pugnam intra me excitatam ſentio, *mihique malum adjacere*, intra me eſſe, cognoſco: concupiſcentiam in carne meâ conſidere; meque mihi relictum bene agere non poſſe, præter ſupernaturale Dei auxilium: non quòd neceſſitas mihi ſit male agendi, nonquam enim ad id cogor: Dei ope confirmatus, peſſimæ propenſioni reſiſtere poſſum, volensque ab eâ trahor: at meis unius viribus nunquam efficaciter in bonum ferar; meque infirmitate vitiisque obvoluto, inanes tantummodo & inefficaces mei in bonum conatus futuri ſunt.

Interpretes nonnulli *(m)* hanc ex Græco ſententiam eruunt *(n)*: Ex Lege, qua ad bene agendum ducor, expertus ipſe in me novi, aliam mihi ineſſe Legem illi oppoſitam, qua ad malum trahor. Aliter: Tametſi malum in me verſatur, tamen bonam quoque Legem in me invenio, dum bene agere volo. Carnis Legem Legi ſpiritûs opponit; eam quæ ad bonum ducit, alteri in malum trahenti; motus concupiſcentiæ, deſideriis rectè vivendi. Vide ℣. 28.

℣. 22. CON-

(b) *Eſt. Vat. Menoc. Tir. alii.* (c) *Geneſ.* IV, 7. (d) *Vide Perer. Eſt.*
(e) 1 *Cor.* III, 6, 7. (f) *Philipp.* I, 6. (g) *Philipp.* II, 3. (h) *Vide Eſt. Perer. Tolet. alios.*
(i) *Auguſt. Confeſſ. lib.* 8, *cap.* 8. *Idem, cap.* 9: *Ideo ſunt duæ voluntates, quia una earum tota non eſt, & hoc adeſt alteri, quod deeſt alteri.* (k) *Aug. Confeſſ. lib.* 8, *cap.* 5.
(l) *Tolet. Men. Eſt. Tirin. alii. Auguſt. Confeſſ. lib.* 8, *cap.* 5, 6, 7, 8.
(m) *Lud. de Dieu, Zeger. Pucaus, Grot.* (n) Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται.

℣. 22. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem.

℣. 23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

℣. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

℣. 25. Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei: carne autem legi peccati.

COMMENTARIUS.

℣. 22. CONDELECTOR ENIM LEGI DEI SECUNDUM HOMINEM INTERIOREM. Divinæ Legis æquitatem video, probo, amo: arcanâ voluptate afficior; dum illam ſervo. *Video autem aliam Legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ.* Eadem eſt ſententia, ſæpe adeo retractata. Cupiditas, caro, vetus homo, homo exterior, lex membrorum, malum, peccatum, in nobis exiſtentia, unam eamdemque rem toto hoc Capite ſignificant: quemadmodum contra Lex interior, Lex mentis, homo interior, mens, ſuperiorem hominis partem deſignant, illuſtratam lumine gratiæ, & Spiritûs Sancti afflatu confirmatam.

Alii ſic explicant: Homo interior eſt inditum quoddam nobis a naturâ ingenium, quo amamus rectum ordinem, juſtitiam, veritatem; odimus verò perverſitatem, iniquitatem, mendacium; quod quidem ingenium in corruptiſſimis quoque hominibus interdum elucet: *Video meliora proboque; deteriora ſequor.* Ingenio huic repugnat Lex membrorum, vitium in nobis regnans, gravius certè validiusque pondus, quo in malum trahimur, cui efficaciter non reſiſtimus, niſi ſupernaturali gratiæ ope roborati.

℣. 23. CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI (o). Peccati Lex, inquit S. Chryſoſtomus (p), eſt ipſa peccati vis & tyrannis. Cave tamen putes, Legem peccati, qua quodammodo captivi detinemur, ejus potentiæ eſſe, ut coacti in malum trahamur, quin illud vitari queat; adeo ut inviti & neceſſariò peccemus. Repugnant iſta Apoſtolo, & ab Eccleſiâ damnantur.

Captivitas, de qua hìc agitur, communem ſolummodo neceſſitatem ſignificat, qua unusquisque peſſimæ hujus propenſionis motus ſentire cogitur, ſollicitantis quidem, non cogentis; qua irretimur, at præter neceſſitatem (q); quæque in ſervitutem nos trahere conatur, at nonniſi volentes trahit. *Magnâ ex parte id patiebar invitus, quod faciebam volens*, ait S. Auguſtinus (r). Lex peccati, ex eodem Auguſtino, eſt conſuetudinis via, qua mens vincta & captiva detinetur: *Ex perverſâ voluntate facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Et: *Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur.*

℣. 24. QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUJUS? ſive, *de corpore hoc mortali* (s); mortali, aliiſque tam multis malis obnoxio; præſertim verò captivitati concupiſcentiæ, & ſeditioni carnis adverſùs mentem, Legisque membrorum adverſus Dei Legem: his malis, hac pugnâ, hac ſervitute liberari cupit per beatam mortem, vel dumtaxat per cupiditatum victoriam, per Jeſu Chriſti gratiam. *Corpus mortis*, ex multorum ſententiâ (t), uſurpari poteſt pro carne vitiis concupiſcentiæ corruptâ; corpore nihil non moliente, ut mortem animæ inferat; gravi hac membrorum mole mentem cœlo natam in terras trahente.

. . . . Quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animam quoque prægravat unâ,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

℣. 25. GRATIA DEI PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. Fatetur Apoſtolus, ſe uno, ſolisque naturæ viribus, ſe non poſſe concupiſcentiæ motibus, conatibusque carnis adverſùs mentem pugnantium, reſiſtere; atque hanc victoriam ex unius Dei gratiâ, per Chriſtum Jeſum nobis comparatâ, ſe expectare: una hæc Apoſtoli ſpes eſt & ſolatium.

Græci Libri typis editi ferunt (u): *Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum.* Reſponſio eſt ad id quod ſupra rogavit: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Deo gratias ago, qui hoc mihi beneficium per Jeſu Chriſti Servatoris merita comparabit. At vetuſti Codices multi, ac præſertim Claromontanus & S. Germani Pratenſis Græco-Latinus (x), S. Irenæus (y), Theodoretus (z), S. Auguſtinus, Origenes, ſive Rufinus, Ambroſiaſter in hunc locum, Hieronymiaſter, Sedulius, Primaſius, atque omnia Vulgatæ exemplaria legunt: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Omnes hæ lectiones in unam ſententiam conveniunt; cùm procul dubio poſitum ſit, non poſſe hominem morte peccati, & concupiſcentiæ viribus liberari, niſi per Jeſu Chriſti gratiam; agendasque Deo aſſiduè gratias, ſi reſiſtimus & ſuperamus.

MENTE SERVIO LEGI DEI: CARNE AUTEM LEGI PECCATI. Ego, & quilibet mortalis homo, meî ſimilis, in peccato natus, & concupiſcentiæ Legi obnoxius, mente quidem paremus Legi Dei, probamus illam, ejusque æquitatem agnoſcimus, cupimusque ſervare; infirmâ tamen & nutanti voluntate; ita ut eodem tempore aliam Legem in malum trahentem ſentiamus (α). Imbellis propenſio, quam naturâ in bonum habemus, ab alterâ in nobis dominante, atque in peccatum rapiente, ſuperatur. Atque eo ipſo tempore, quo per Jeſu Chriſti gratiam conſtantiſſimè decernimus Divinæ Legi obtemperare, inſurgit concupiſcentia, bonam-

(o) Αἰχμαλωτίζοντά με τῷ νόμῳ, &c. *Alii*, ἐν τῷ νόμῳ. *Ita Clarom. plures, & S. Germ. G. L. Alii, Vide Mill.* (p) Τῷ νόμῳ, τουτέστι, τῇ τυραννίδι, τῇ δυνάμει.

(q) *Vide Auguſt. Eſt. Tirin. Menoc. Perer. diſp.* 27.

(r) *Auguſt. Confeſſ. lib. 8, cap.* 5.

(s) *Hieron. Tolet. Zeger. Eſt. Chryſoſt.*

(t) *Tolet. Vat. Zeger. Grot. Eraſm.*

(u) Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Alii*, χάρις δὲ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

(x) Χάρις τοῦ Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Lucas Brugenſis putat, Vulgatam olim legiſſe; *Gratia Deo*,

(y) *Iren. lib.* 3, *cap.* 12.

(z) *Theodoret. in Comment.* Ἐν δὲ τῷ παρόντι τῆς τοῦ παναγίου πνεύματος χάριτος ἀπολαύοντες, &c.

(α) *Auguſt. ſerm.* 6 *de Verbis Apoſtoli: Non mente operabatur conſentiendo, ſed carne concupiſcendo.*

namque voluntatem aggredior; atque interdum etiam voluntas noſtra gratiæ viribus Divinæque inſpirationi non ſatis integrâ fide reſpondens, victas dat concupiſcentiæ manus, & imperio peccati ſubjicitur. *Certum habebam, eſſe melius tuæ caritati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere: ſed illud placebat & vincebat*, ait S. Auguſtinus (β), tumultum deſcribens, quo ipſe ante converſionem agitabatur.

CAPUT VIII.

Qui vivunt in Chriſto, ſunt damnationis expertes. Spiritu vivunt; & qui Spiritu aguntur, hi ſunt filii Dei, futuræque gloriæ ſpe gaudent. Omnia Electis proſunt; qui nullâ re a Jeſu Chriſti amore ſejungi queunt.

℣. 1. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.

℣. 2. Lex enim ſpiritûs vitæ in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis.

℣. 3. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu. Inſitâ licèt Lege carnis, Legi mentis repugnante, conantèque hominem ſub peccato captivum reddere; poſſumus, Chriſti gratiâ opem ferente, damnationem ac peccatum vitare, ſi reſiſtamus, conſtanterque Jeſu Chriſto per fidem & charitatem inhæreamus (a). Concupiſcentia peccatum non eſt; & qui ſpiritu renati ſunt in Chriſto per Baptiſmum, qui gratiam juſtificationis fide integrâ ſervavere; *qui non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum* (b); qui adverſùs cupidines pugnant, & carnem menti ſubdere laborant, convenienti laboribus ac pugnæ mercede donabuntur (c).

℣. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu, &c. En alteram Legem, oppoſitam Legi carnis ſive concupiſcentiæ. Concupiſcentia Lex eſt contraria juſtitiæ, menti, recto ordini, ſaluti. Lex Nova lex vitæ eſt & libertatis, ſpiritalis tota, a Jeſu Chriſto nunciata, illius exemplis freta, ejuſque in charitate conſtituta. Hominem illa peccati lege liberat, ac ſuperiorem facit conatibus concupiſcentiæ, per ſancti Spiritûs auxilium, & gratiam Servatoris. Hunc vitii fontem, in nobis manentem, illa quidem non deſtruit, neque cupidinis focum extinguit: id ſolummodo efficit, ut peccatum in homine non dominetur (d). *Ut non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*, uti dixit Capite VI, 12.

℣. 3. Nam quod impossibile erat Legi, &c. Lex peccatum detexit, irritavit concupiſcentiam: at neque gratiam ſibi ſervandæ neceſſariam, neque vires quibus tumultus concupiſcentiæ coërcerentur, largiri potuit: idque non Legis ipſius vitio, quæ ſanctiſſima eſt & juſtiſſima, ſed carnis causâ, *per carnem*; quia nimirum homines carnales ſunt & vitioſi. Utrumque nobis per Filium largitus eſt Deus, cognitionem ſcilicet ac vim, lucem & gratiam. Poſſumus nos, Sancto Spiritu opem ferente, abſolutiſſimè noſſe, quàm multa ex nobis exigantur, ſanctiſſimas Dei Leges ſervare, maliſque animi noſtri cupiditatibus reſiſtere. Omnia iſthæc auxilia in novo Fœdere uberrimè invenimus (e).

Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. Miſſum non ait Filium in carne peccati, ſed in carne quæ ſimilis erat carni peccati; Jeſus quippe, tametſi veram carnem noſtræ ſimilem aſſumpſit, peccatum tamen vitiumque non habuit (f). *Tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato* (g). Infirmitati noſtræ penitus ſe ſubjecit, præter peccatum ac peccati conſecutiones.

De peccato damnavit peccatum in carne. Peccati imperium evertit, perque ſuam ipſius mortem peccatum morte damnavit. Jeſus Chriſtus morte damnatus ab impiis, peccatum iniquitatis damnavit, illudque arrogato iniquè imperio juſtiſſimè ſpoliavit (h). Aliter: Chriſtus Jeſus, factus hominum victima pro peccato, peccata noſtra ſuo ipſius ſanguine & morte expiavit (i): peccatum deſtruit ſacrificio, quod ipſe exhibuit pro peccato. Sive (k): Damnavit *peccatum* Deus, nempe concupiſcentiam, per Filii ſui carnem: peccato nos originali purgavit, vires cupidinum fregit; victores de iis nos reddidit per Baptiſmum, gratiam juſtificationis, Fidem, Spiritum Sanctum,

℣. 4. Ut

(β) *Auguſt. Confeſſ. lib. 8, cap. 5.* (a) *Tolet. Eſt. Menoch. Tirin.*
(b) Græcus: Μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Poſtrema tamen hæc verba in Vulgatâ, Syro, S. Chryſoſtomo, S. Ambroſio, Origene, &c. non habentur.
(c) *Vide Auguſt. lib. 2 de Peccat. meritis, cap. 27; Lib. 2 contra Julian. cap. 10; lib. 2 contra duas Epiſt. Pelag. cap. 13.* (d) *Eſt. Tolet. Menoc. Tirin. &c.* (e) *Eſt. Tolet. Men. Vat. Grot. Para. &c.*
(f) *Chryſoſt.* Οὐδὲ γὰρ ἁμαρτωλὸν σάρκα ἔσχεν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ὁμοίαν μὲν τῇ ἡμετέρᾳ τῇ ἁμαρτωλῷ, ἀναμάρτητον δὲ, καὶ τῇ φύσει τὴν αὐτὴν ἡμῖν. *Vide & Theodoret.* (g) *Hebr. IV, 15.*
(h) *S. Leo, Serm. 18 De Paſſione Domini; Theodoret. Chryſoſt. Eſt. Tolet. Menoch. Grot. Vide Auguſt. lib. 3 contra 2 Epiſt. Pelag. cap. 6; & qu. 66 inter 83.* (i) *Theodoret. Vatab. Glaſſ. Piſcat. Para. Ludov. de Dieu. Vide Auguſt. ſerm. 6 de Verbis Apoſtoli.* (k) *Perer. Zeger.*

℣. 4. Ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum.

℣. 5. Qui enim ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt. Qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs ſentiunt.

℣. 6. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritûs, vita, & pax.

℣. 7. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt.

℣. 8. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

℣. 9. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.

℣. 10. Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus verò vivit propter juſtificationem.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Ut justificatio (*l*) Legis impleretur in nobis; ſive, ut cum gratiæ ope omnia Legis officia impleremus. Antequam Chriſtus nobis hoſtia expiationis fieret, ac peccati imperium ſuâ ipſe morte deſtrueret, ea quæ imperabantur Lege noſtris ipſi viribus explere non poteramus; Lex quippe, cùm infirma eſſet, auxilia ſervandis mandatis neceſſaria non præbebat; at poſt Servatoris mortem, in ſupernaturalibus auxiliis, ab eo comparatis, præſto ſunt omnia bene agendo neceſſaria, vitandoque peccato. Chriſtiana profeſſio Legem perfecit, non deſtruxit; neminem Dei præceptorum religione ſolvit: docuit ſolummodò, qua ratione optimè ſerventur, ac neceſſariis ut oportet ſervandis auxilia uberrimè ſuppeditavit (*m*).

℣. 5. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. Singula beneficia, mox enumerata, Chriſtianæ Religioni peculiaria, iis duntaxat reſervantur, qui Spiritu vivunt, ſeque dignos appellatione Diſcipulorum Chriſti efficiunt. Neque enim intra Eccleſiam deſunt, qui carne vivunt, inimici Crucis Chriſti (*n*): qui certè nomine tantùm ab Judæis differunt, utpote quibus idem ingenium eſt, eademque vitæ inſtitutio, quæ Veteris Teſtamenti filiis. De hiſce hominibus hic non agit Paulus, qui opponit eos *qui ea quæ carnis ſunt ſapiunt*, *iis qui ſentiunt quæ ſunt ſpiritûs*. Illi cupidinum impulſus ſectantur, hi Spiritûs Sancti actionem. Illi amant terrena, carnalia, ſenſibus obnoxia; hi cætera nihili faciunt præter cœleſtia, pietatem, virtutem, Dei gloriam & cultum.

℣. 6. Nam prudentia carnis, mors est. Prudentia (*o*) hoc loco pro amore, ſtudio, judicio uſurpatur. Terrenarum & carnalium rerum amor mortem animæ parit: ſtudium rerum ſpiritalium, ſupernaturalium & divinarum largitur vitam. Rationem reddit, cur dixerit ℣. 1: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant*. Ii enim, qui ſpiritum non ſectantur, fruſtra inter Chriſti aſſeclas numerantur; iſtud quippe beneficium illorum damnationem auget.

℣. 7. Sapientia carnis inimica est Deo: amori & cultui Dei opponitur: hominem Deo inimicum facit, docetque a Deo deſciſcere, illique refragari; contraria eſt voluntati & Legi Dei: *Legi Dei non eſt ſubjecta: nec enim poteſt*: unà quippe eſſe nequeunt carnis ſapientia, & obedientia mandatis Dei; hanc verò pugnam una poteſt auferre Chriſti gratia, & ſincera converſio.

℣. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt, dum ſententiam ac propoſitum non mutaverint. Perduellis in perduellione perſeverans, Principis amicus eſſe nequit; at ſcelus agnoſcere poteſt ac reparare, atque ita in amicitiam reſtitui (*p*).

℣. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Romanos Fideles alloquitur. Vos Divino Spiritu plenos cenſeo, carnem ejusque deſideria non ſectari. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis*. Reddi poteſt Græcus (*q*): *Quoniam Spiritus Dei habitat in vobis*. Hac ſententiâ minimè ſignificat exceptionem dictorum, aut dubitationem (*r*), cùm ſub Epiſtolæ initium aſſerat, Romanos eſſe Deo caros, & vocatione ſanctos; atque infra luculentiùs ſcribat, certò ſcire ſe, illos eſſe charitatis plenos (*s*): *Certus ſum autem & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione*. At his minimè prohibetur, quin dicere potuerit Paulus quaſi conditionis loco: Si tamen donum fidei & Spiritûs Sancti conſtanter ſervaſtis (*t*). Quantumvis ſanctiſſima fuerit Romanorum Eccleſia, contumeliæ loco illi eſſe non poterat, ſi ita loqueretur Apoſtolus; cùm inter bonos eſſe poſſent & infirmi & mortui.

℣. 10. Si autem Christus in vobis est, ut in templo; ſi ſpiritu Chriſti vivitis, ſi verè Chriſtum ſectamini, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. Tametſi in corpore mortali & cupiditatibus obnoxio vivitis, ob primi hominis peccatum, quod ex origine proprium ſingulis effectum eſt (*u*): ſpiritus tamen fide, gratiâ, juſtitiâ vivit; immortalis eſt, ac tandem ali-

(l) Δικαίωμα, *Id eſt*, τὸ τέλος, ὁ σκοπὸς, τὸ κατόρθωμα, finis, ſcopus, juſtitia Legis.

(m) *Vide Eſt. Menoc. Tolet.* (n) *Philipp.* III, 18: *Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus .... qui terrena ſapiunt.*

(o) Φρόνημα τῆς σαρκὸς καλεῖ τὴν γεώδη τῆς διανοίας ὁρμὴν, καὶ τὴν εἰς τὰς ἀτόπους πράξεις ῥοπήν. *Oecumen.* Τὰ τῶν παθημάτων σκιρτήματα. *Theodoret.* Ἐπιθυμία τῆς σαρκός. *Galat.* v, 14.

(p) *Vide Eſt. Tolet. Para. alios.* (q) Εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν.

(r) *Chryſoſt. Theodoret. Eraſm. Para.* (s) *Rom.* xv, 14. (t) *Grot. Eſt. Tolet. Menoch.*

(u) *Eraſm. Vat. Zeger. Men. Tolet.*

℣. 11. Quòd ſi Spiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.

℣. 12. Ergo, fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus.

℣. 13. Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.

℣. 14. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.

℣. 15. Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater).

℣. 16. Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei.

COMMENTARIUS.

aliquando æternâ beatitudine fruiturus, ſi in virtutis exercitatione perſeveraverit. Grotius ita explicat: Si Chriſtus in vobis eſt per Spiritum Sanctum intra vos manentem, cupiditas in vobis quodammodo mortua eſt, quam ipſi coërcetis, vitandi criminis causâ; ac Spiritus Sanctus vitæ fons vobis eſt (x), quia operatur in vobis juſtitiam. Hæc ſententia reſpondet alteri ex Epiſtolâ ad Corinthios (y): *Licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur; tamen is qui intus eſt, renovatur de die in diem.*

℣. 11. Quod si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis. Si Divini Patris Spiritus in vobis manet, quemadmodum Pater Jeſum a morte revocavit, ita vos Spiritus Sanctus revocaturus eſt a morte peccati, vitamque gratiæ largiturus. Fieri non poteſt, ut Dei Spiritu, Spiritu vitæ, Spiritu omnipotenti in vobis manente, ipſi in morte verſemini. Jeſu Chriſti Reſurrectionem tribuit Patri Apoſtolus, ex fide Scripturarum (z). Spiritalis ac myſtica Fidelium reſurrectio, per gratiam, Fidem ac Baptiſmum, opus eſt Spiritûs Sancti: Chriſti Reſurrectio ex mortuis, opus eſt Patris. Id verò minimè officit, quin verè Chriſtus propriâ ſui virtute ſurrexerit, quemadmodum Scriptura ſæpe teſtatur.

℣. 12. Ergo, fratres, debitores sumus non carni. Reſurrectionem noſtram novamque vitam non carni (a), ſed Chriſto Jeſu ejusque Spiritui accepto referre debemus. Unus ipſe noſtræ libertatis eſt author: illi vivamus oportet: carni, peccato, concupiſcentiæ ſubditi jam non ſumus: nullum his imperium in nos eſt: unus regnare debet in noſtris mentibus Chriſtus. Miſeros porrò, ſi libertate filiorum Dei neglectâ, iterum obnoxii efficimur imperio peccati, noſtrâque inconſtantiâ Spiritum Sanctum intra nos manentem contriſtamus (b); ſi ipſum removemus, & diſcedere cogimus (c).

℣. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si carnis deſideria & concupiſcentiæ motus ſectati fueritis, mortem animæ incurretis: ſin verò cupiditatis impetum per Spiritum Sanctum intra vos manentem coërcueritis, gratiæ vitâ in terris, vitâ gloriæ in cœlo vivetis. Vita carnis eſt vita peccati; vita ſpiritûs eſt vita gratiæ. Noſtris tantùm viribus vitâ gratiæ vivere non poſſumus: Divini Spiritûs illuſtrantis agentisque auxilio indigemus (d).

℣. 14. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Quos Sanctus Spiritus animat, qui eo movente agunt (e), qui moventem ſequuntur, illius charitate pleni, Dei Legem animo inſculptam gerentes, qui trahenti gratiæ obtemperant, dulcesque illius voces integrâ fide excipiunt; hi profectò filii Dei ſunt, dilecti, hæredes, imitatores: Dei gratiâ & charitate in terris vivunt, ejusque gloriâ in æternitate gaudebunt.

℣. 15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. Legis propoſitum erat metus; Evangelii, amor. Caſti amoris metûsque ſalubris author idem eſt Spiritus Sanctus; at diverſa quamvis agat, diverſus a ſe ipſo non eſt. In aliis metum ac dolorem; amorem & fiduciam in aliis parit. Legem ſervat Judæus ſervorum more, ad verborum ſonum: Chriſtianus ſpiritali ratione & charitate. Timor donum Dei eſt, non ſecùs atque amor: at utrumque donum par non eſt, tametſi ab eodem proficiſcantur. Prima converſionis rudimenta ponit metus; absque charitate, ſaltem inchoatâ, vera non fit converſio (f). Veteres Patriarchæ ac Prophetæ ad novam Legem, animi affectione, pertinebant. Animum gerebant charitate & libertate plenum, non ſervitute.

Spiritum adoptionis filiorum. Spiritum Sanctum accepiſtis, intus teſtantem, vos eſſe adoptivos Dei filios, inſpirantemque fiduciam, qua clametis: Pater mi, Pater mi. Illud nobis promeruit Chriſtus, ut filii Dei ſimus: docuit, eumdem

(x) Græcus vulgatus legit: Τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ, *Spiritus autem eſt vita*. Et S. Irenæus, S. Hilarius, S. Ambroſius, Tertullianus, S. Auguſtinus conſentiunt. Pauci admodum libri manu exarati ſecunt *Vivit*, cum Vulgatâ. (y) 2 *Cor.* IV, 16.

(z) *Act.* III, 15; IV, 10; V, 30; XIII, 37; *Rom.* IV, 24; 1 *Cor.* VI, 14. *Vide Grot. Men.*

(a) *Tolet. Eſt.* (b) *Epheſ.* IV, 30.

(c) 1 *Theſſal.* V, 19. (d) *Tolet. Eſt. Alii.*

(e) *Auguſt. Serm.* 13 *de Verbis Apoſt. Dicit mihi aliquis: Ergo agimur, & non agimus. Imò agis & ageris; & tunc bene agis, ſi a bono ageris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis,*

(f) *Vide Eſt, Menoc, Tolet. Aug. paſſim.*

℣. 17. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.

℣. 18. Exiſtimo enim, quòd non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

℣. 19. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

COMMENTARIUS.

dem ſibi eſſe & nobis Patrem (g); juſſit illum precibus invocare, ac dicere (h): *Pater noſter, qui es in cœlis*. Nos denique fratres appellare non dedignatur (i).

In quo clamamus: Abba, Pater. Spiritus Sanctus, mentibus noſtris inſidens, fiduciam largitur, qua Deum Patrem noſtrum nuncupamus (k). *Abba*, vox eſt Syriaca, ſonans, Pater, vel Pater mi. Apoſtolus, ſive Apoſtoli Interpres addidit *Pater*, quæ vox Græcè & Latinè idem ſignificat. Hæc locutio, Pater mi, liberorum eſt & ingenuorum: Hebræis enim teſtibus (l), ſervorum filiis non licebat patrem appellare *Rabba*, matrem *Imma*, ſive *Amma*. Sub veteri Lege hujusmodi locutiones perrarò inveniuntur. Dominum appellant Hebræi Deum ſuum, ſalutem ſuam, protectorem ſuum, gloriam ſuam, timorem ſuum; rarò Patrem. De uno fortaſſe Salomone ait Deus (m): *Ipſe invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus*. Et (n): *Ipſum elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem*. At hoc ipſum idcirco, quòd Salomon fuerit figura Meſſiæ, qui verus Patris Filius eſt, coæternus, & Patri æqualis.

Teſtimonium a Spiritu Sancto nobis intus exhibitum, eſſe nos filios Dei adoptivos, vel, ut habet Græcus (o), noſtræ mentis teſtimonium, cum Spiritûs Sancti teſtimonio conjunctum, adeò ut duo iſthæc teſtimonia unum ſint, omnino certiſſimum eſt, illique fidem denegare jure non poſſumus. At cùm Angelus Satanæ interdum in lucis Angelum transformetur, & arrogantia perſæpe juſtam fiduciam imitetur; hinc hominis Chriſtiani fiducia nunquam a metu filiis digno ſejungitur. Fiduciæ plenus eſt, præter arrogantiam. Clamat ille, Pater mi; at ſimul meminit, judicem ſibi eſſe Deum. Deum rogat, ut fidem ſibi, ſpem & charitatem augeat, ne temeraria confidentia fructum adoptionis & Dei Patris benevolentiam auferat (p).

℣. 17. Si autem filii, et hæredes. Apud Hebræos, filii tantummodò hæredes erant: filiæ, niſi mares deeſſent, hæreditate excludebantur. At a divinâ hæreditate neque ſexus, neque conditio quemquam excludunt. Unum ſumus omnes in Chriſto, eâdem fide æternorumque bonorum ſpe conjuncti: modò per baptiſmum regenerati ſimus, & in filiorum Dei adoptionem admiſſi, conſtanterque in id incumbamus, ut certam per bona opera vocationem noſtram efficiamus (q). Pater nobis eſt Deus; Jeſus Chriſtus, frater; promiſſa hæreditas, Regnum Cœlorum. Ut illud aſſequamur, opus eſt *compatiamur* Chriſto, *ut & conglorificemur*. Hac nimirum conditione promittitur beatitudo: ſi unà cum Chriſto, pro Chriſto, exemplo Chriſti, ob Jeſu Chriſti gloriam mala patiamur, perpeſſiones noſtras cum illius paſſione conjungamus, ejusque crucem poſt ipſum ad ſupremum usque ſpiritum ferendo perſeveremus. *Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ paſſionis* (r).

℣. 18. Non sunt condignæ (s) passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Illam nunc nonniſi velo intermedio cernimus, & per ænigma noscimus (t): elapsâ tamen hac vitâ, perſpicuè & præter figuram intuebimur. Vitæ hujus ærumnæ cum cœleſti beatitudine comparatæ, prorſus nihil ſunt. Quicquid caducum eſt ac fluxum, pro nihilo habendum eſt, ſi cum æterno conferatur (u). Pleraque mala, quæ in præſenti vitâ toleramus, opinionis plus habent, quàm rei: cœleſtium bonorum infinita eſt ſoliditas, amplitudo, exiſtimatio. Hæc porrò Deus largiri nobis vult mercedis loco, poſtquam gratiæ illius ope promeriti fuerimus (x).

℣. 19. Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. Eò deſinunt rerum omnium creatarum deſideria. Univerſum orbem hic exhibet Paulus (y) ceu animâ inſtructum, hominis felicitate gaudentem, ſuſpenſumque in expectationem temporis, quo is ex duro viatoris ſtatu ad promiſſam quietem eſt transferendus. Porrò æquum eſt, res omnes creatas hominis felicitate gaudere, cùm omnes in hominis uſum conditæ fuerint. Cruciantur illæ quodammodo in aſperis illius rebus, ejusque adhuc peregrini calamitatibus dolent: atque aliquod quietis genus experiuntur, ubi ex hujus vitæ tumultibus turbisque ad æternitatis beatitudinem migrat. Potiſſima tamen illarum lætitia in eo verſatur, quòd expleto Sanctorum numero, in ſæculorum fine, futurum ſperant, ut in ſtatum longè pulcherrimum ac perfectiſſimum reſtituantur (z), cùm novos Cœlos Deus novamque terram reſtauraverit (a).

Veteres nonnulli (b) ſub *creatura* appellatione deſignari putant *Angelos*, qui nolentes vanitati ſubjecti ſunt, dum hominibus in cœlorum viâ duces eſſe jubentur, & obſequium illis præſtare, na-

(g) *Joban.* xx, 17. (h) *Matth.* vi, 9.

(i) *Matth.* xxviii, 10; *Joan.* xx, 17; *Hebr.* ii, 11. (k) *Confer Galat.* iv, 6.

(l) *Vide Gemarr. Selden. & Lud. de Dieu, hic.* (m) *Psal.* lxxxviii, 27. (n) 1 *Par.* xxviii, 6.

(o) Αὐτὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι.

(p) *Vide, ſi placet, Perer. diſput.* 9; *Eſt. hic. Concil. Trident. ſeſſ.* 6, *cap.* 9: *Quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſuâ gratiâ formidare & timere poteſt: cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* (q) 2 *Petr.* i, 10. (r) *S. Leo, ſerm.* 9 *de Paſſione Domini.*

(s) Οὐκ ἄξια τὰ παθήματα, *Non ſunt digna. Eraſm. Non ſunt pares. Ambroſ. & Auguſt. Indigna ſunt. Vide Eſt. hic.* (t) 1 *Cor.* xiii, 12.

(u) 2 *Cor.* iv, 17: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis.* (x) *Vide Tolet. Menoc. &c.*

(y) *Pagn. Vat. Eſt. Grot. Tolet. Perer. Jac. Capell. Para.* (z) *Vide Grot. Men. Tir. & Origen. lib.* 4 *contra Celſ. & Chryſoſt. hic.* (a) 2 *Petr.* iii, 13; *Apoc.* xxi, 1; *Iſai.* lxv.

(b) *Theodoret. hic; Nazian. orat.* 1 *contra Julian. Cyrill. lib.* 14, *cap.* 1 *Theſaur. Vide & Ambroſ. Ep.* 34, 35; *& Origen. apud Tolet. hic.*

℣. 20. Vanitati enim creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in spe.

℣. 21. Quia & ipsa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

℣. 22. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit usque adhuc.

℣. 23. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias spiritûs habentes; & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.

COMMENTARIUS.

naturæ ipſorum dignitati minimè convenicns. Ingemiſcunt igitur, finem præſtolantes, quo Electi collocentur in cœlis, & miniſterii ſui tempora abſolvantur. Hæc tamen explicatio humilem ingerunt de beatis hisce Spiritibus opinionem. Neque illorum dignitas neque gloria læditur, dum hominibus obſequia in terris præſtant.

S. Auguſtinus *(c)* aliique nonnulli cenſuere, Fidelem dumtaxat hominem creaturæ appellatione hoc loco ſignificari. Præſtolatur Chriſtianus gloriæ ſuæ manifeſtationem, promiſſæque beatitudinis ſpe ingemiſcit. Alii *(d)* de omnibus in univerſum hominibus, potiſſimùm verò de Gentilibus, explicant. Gentiles, in Rabbinorum libris, mundi ſeu creaturæ nomine ſignificantur; obnoxii ſunt vanitati & diaboli fraudibus, dum veram Religionem non amplectuntur. Feliciſſimam hanc mutationem, tametſi non ſatis perſpectam, enixis deſideriis præſtolantur. Ipſa illorum conditio pro illis ingemiſcit. Hinc fit, ut apud Scripturam *(e)* Meſſias Gentium expectatio & deſiderium nuncupetur. Explicatio priore loco allata cæteris præſtat, & paſſim probatur.

℣. 20. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, mutationi, ſenectuti, corruptioni, innumeriſque viciſſitudinibus, ortis plerumque ex Dei ſententiâ, qua Deus maledixit tellusi, ob primi parentis culpam. Senſum ac rationem rebus ratione carentibus tribuere videtur Paulus. *Subjecta eſt vanitati non volens*, præter voluntatem ac propenſionem; quidlibet enim ad ſui perfectionem nititur; eâ verò in ſervitute moſantur, ut obediant voluntati Creatoris, qui primi criminis pœnam non in Adamum modò, verùm etiam in creatas res, illius imperio ſubjectas, ejusque uſibus & obſequiis relictas, convertit; *Sed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe.* Libertatem ſperant, feliciorem que conditionis mutationem, tunc demque futuram, ut diximus, cùm Deus in ſæculorum exitu univerſum orbem reſtauraturus eſt, novamque illi formam traditurus *(f)*.

℣. 21. Et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. Pergit Apoſtolus: Creatæ res ſollicitè præſtolantur, & certò ſperant futurum, ut felicem conditionis ſuæ mutationem videant; ſpem alunt, ſeſe aliquando liberatum iri ſervitute, qua ob peccatum hominis opprimuntur, ingreſſuraſque *in libertatem gloriæ filiorum Dei*: non quòd creatæ res ratione carentes beatitudine, aut gloriâ Prædeſtinatorum ſint gaviſuræ; ſed quòd videantur tum participes illius fore, cùm in ſæculorum fine puriorem ſtatum, corruptionis expertem, ac perfectiorem quàm antea, ſint adeptuæ; obnoxiæ non erunt mutationi ac viciſſitudini, uti antea ſub peccato, neque illarum pulcritudine ſeu bonitate in poſterum homo adversùs Conditoris voluntatem, atque in illius injuriam abutetur.

Putavere S. Ambroſius & S. Hieronymus *(g)*, ſolem, lunam & ſtellas majori tunc lumine micaturas, nec fore obnoxias tenebris, defectui & viciſſitudini, quæ nunc patiuntur. Philo *(h)* & Tertullianus *(i)* exiſtimare videntur, feras venenataſque belluas tunc virus & ferociam poſituras. Docent Rabbini *(k)*, in ſupremâ hominum reſurrectione, aſtra, arbores, ipſaque animalia feliciorem perfectioremque conditionem acquiſituras.

℣. 22. Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc *(l)*. Hoc ex dictis oritur. Creatæ res ſenſibus obnoxiæ, ipſique met Angeli, ex nonnullorum Patrum ſententiâ *(m)*, exitum ſæculorum cupiunt: quicquid enim nunc in orbe vitioſum eſt, perverſum & malum, tunc eſt corrigendum, reſtaurandumque in eam pulcritudinem, ordinem, ac perfectionem, quam creatæ res omnes optant. Ait Apoſtolus, creatas res quodammodo *parturire*, ſcilicet partûs doloribus excruciari, dum id contingat; qua locutione mirè ſignificatur vis, quam creata omnia patiuntur, & conatus, quo illæ beatiſſimam eam mutationem quamcitiſſimè aſſequi eniruntur. Cæterùm memineris, hæc omnia eſſe orationis ornamentum, quo inanimum aliquid ceu mente inſtructum induitur.

℣. 23. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, baptiſmo regenerati, donatique juſtificationis gratiâ per Jeſum Chriſtum, gemimus, adoptionem filiorum expectantes. Vitæ hujus peccato, innumeriſque infirmitatibus obnoxiæ finem, paratamque Filiis Dei in cœlo beatitudinem deſideramus. In terris verſamus veluti exilio alienâque regione, abſolutamque libertatem enixè cupimus.

Sunt *(a)* qui cenſeant, his verbis, *Nos ipſi primitias ſpiritûs habentes*, deſignari Apoſtolos, San-

(c) *Auguſt. lib. 83 Quaſtionum, q. 67; Gregor. lib. 4 moral. Anſelm. hic; alii quidam.*
(d) *Vide Knatchbull, Ligfoot, Hamm.*
(e) *Geneſ. xlix, 10; Agg. ii, 7.*
(f) *Vide Grot. Vatab. Menoc. Tirin. Eſt. Toler. alios.*
(g) *Vide Hieronym. in Abac. iii; Chryſoſt. hic; Ambroſ. Ep. olim 25. & 22, nunc 34. 35.*
(h) *Philo, de Præmiis*: Οὐκ ἀπελπιστέον ἐξημερουμένων τῶν κατὰ διάνοιαν, καὶ τὰ ζῶα ἡμερωθήσεσθαι.
(i) *Tertull. adverſ. Hermogen. apud Grot. hic.* (k) *Manaſſe Ben-Iſraël, de Reſurrectione, lib. 3, cap. 6.*
(l) Συστενάζει, καὶ συνωδίνει, *Simul ingemiſcit, & ſimul parturit.*
(m) *Vide Origen. lib. 1 de Princip. cap. 7. & 8; Ambroſ. Ep. olim 22, nunc 34; Theodoret. &c.*
(o) *Sedul. Aquinas, Cajet. Vorſt. Grot. Vide & Origen. hic.*

℣. 24. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?

℣. 25. Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam exſpectamus.

℣. 26. Similiter autem & ſpiritus adjuvat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

℣. 27. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro Sanctis.

COMMENTARIUS.

Sancti Spiritûs primitiis doniſque pretioſiſſimis ſacrâ Pentecoſtes die donatos. Alii tamen (o) ajunt, ab Apoſtolo ſignificari Fideles univerſos eâ ætate viventes, qui, uon ſecus atque ille, primitias acceperant ejuſdem Spiritûs, omnibus deinde ſæculis effundendi in animos Fidelium, ex quibus Jeſu Chriſti Eccleſia componenda eſt. Neque dicit Apoſtolus, plenam Spiritûs Sancti ubertatem nos accepiſſe; cùm hoc iis tantummodò conveniat, qui pleniſſimè fruuntur Deo, cœleſtiumque deliciarum torrente penitus proluuntur; ſed *habere ſpiritûs primitias*; cœleſtis vitæ ſuavitatem jam prægustare; aliquod futuræ beatitudinis pignus in Sancti Spiritûs intra nos habitantis gratiâ poſſidere. Aliquo ad cœleſte Regnum, utpote adoptione filii, jure gaudemus; at nondum hæreditatem adivimus, maximumque adoptionis noſtræ fructum nondum carpimus.

Primitiæ pro eo uſurpantur quod qualibet in re eſt eximium & exquiſitiſſimum (p); vel pro eo quod oblatum eſt, uti ex toto pars. Duplici hac ſignificatione nititur duplex hujus loci explicatio mox recitata.

℣. 24. SPE ENIM SALVI FACTI SUMUS. Nondum re ſalutem aſſequuti ſumus, ſed tantùm ſpe. Supremum bonum nondum poſſidemus, ſed fiduciâ promiſſionibus Chriſti fretâ expectamus. Quædam eſt inchoata ſalus, de qua in præſenti & alibi Paulus (q): *Gratiâ ſalvati eſtis*. Et (r) *Deus ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit*. Et eſt abſoluta ſalus, beatorum ſcilicet in cœlis, ſpei noſtræ finis & expectatio. Qui hanc poſſident, fruuntur, non ſperant.

SPES AUTEM QUÆ VIDETUR, NON EST SPES. Videre hoc loco frui, poſſidere ſignificat. *Videre bona in terrâ viventium* (s) eſt poſſidere. *Videre voluptatem Domini* (t) eſt Dei deliciis frui. *Videre mala* (u), malis opprimi. Cùm igitur aliquid hoc modo videtur, probatur, ſentitur, guſtatur, jam non eſt ſpes, ſed poſſeſſio.

℣. 25. SI AUTEM QUOD NON VIDEMUS, SPERAMUS: PER PATIENTIAM EXPECTAMUS. Optamus, ingemiſcimus ut aſſequamur. Spei noſtræ finis, cœleſtis eſt beatitudo, quam nondum uſucepimus, ſed procul ſalutamus: omnia patimur, ut eâ digni ſimus, eamque aſſequamur: id verò noſtris in laboribus ærumniſque ſolatium eſt.

℣. 26. SIMILITER (x) AUTEM ET SPIRITUS ADJUVAT. Nedum futurorum bonorum ſpes ſolatio nobis eſt in laboribus; verùm etiam Spiritus Sanctus animos recreat, preceſque ac gemitus intra nos parit, quos nunquam non exaudit Deus, quippe ſibi jucundiſſimos, nimirum ex principio amoris ac ſanctitatis profectos.

Jungi hæc poſſunt cum ſuperioribus hoc modo. Teſtimonium nobis exhibet Spiritus Sanctus, nos eſſe Dei filios, quo clamamus: Pater mi. Idem denique confirmat infirmos, docet orare ut oportet, noſtraſque preces ipſe in ſingulorum mentibus creat: nutantes ducit, docet ignorantes, debiles regit, morbis ſpiritalibus laborantes ſanat, triſtes conſolatur, crucem ferentibus auxilio eſt (y): *Adjuvat infirmitatem noſtram* (z).

NAM QUID OREMUS SICUT OPORTET, NESCIMUS. Docet Spiritus Sanctus exorare Deum, quid & quo modo rogandum dictat. Nonnunquam oramus Deum, ut noxia largiatur: vitæ hujus bona, ſive ærumnarum finem enixioribus deſideriis quàm ſpiritalia bona, & a malis multò gravioribus incolumitatem poſtulamus: peccamus ipſi & ipſâ orationis ſubſtantiâ & modo, vel quòd judicio deficimus, vel quòd perverſa fovemos deſideria, nimioque amore in ea, quæ minùs amanda ſunt, ferimur. Hæc vitia removet Spiritus Sanctus, preceſque noſtris in mentibus efficit: acria verorum bonorum deſideria inſpirat, & quid poſtulandum ſit, oſtendit.

Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (a), ſive *pro nobis intercedit* (b) ineffabili gemitu, quem intra nos creat, uti advocatus apud Principem pro clientibus, libellos ipſe dictans, docenſque qua ratione ſit poſtulandum. Ipſe quidem non loquitur, ſed homines ad loquendum movet (c). Gemitus a Spiritu Sancto in homine excitatus *inenarrabilis* dicitur, ſive quòd acris & validus ſit, ſive quòd interior, & exprimi nequeat.

℣. 27. QUI AUTEM SCRUTATUR CORDA, SCIT QUID DESIDERET SPIRITUS. Vocibus non eget cor, ut exaudiatur: illius ſuſpiria gemituſque intuetur Deus & exaudit. Judæi nullas preces valere cenſebant, niſi voces ſaltem intra labia exprimerentur (d). Aſſerit Paulus, deſideria noſtra a Deo percipi, ſenſaque a Spiritu Sancto intra mentes hominum condita pervideri. Quamvis enixè rogemus, ut præſenti aliquâ calamitate liberemur, quemadmodum rogabat Chriſtus, ut Paſſionis calix a ſe removeretur, arcanam juſti hominis mentem

(o) *Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Tolet. Vide & Ambroſiaſt. Auguſt. lib. 2 de Peccat. meritis, cap. 7, 8.*
(p) *Pſal.* LXXVI, 51; CIV, 36; 1 *Cor.* XV, 20, 23; *Apoc.* XIV, 4. (q) *Epheſ.* II, 5, 8.
(r) *Tit.* III, 5. (s) *Pſal.* XXVI, 13. (t) *Pſal.* XXVI, 4. (u) *Pſal.* LXXXIX, 15.
(x) *Gr.* ὡσαύτως idem valet ac יחד *Itidem, præterea.* (y) *Vide Perer. Eſt. Tolet. &c.*
(z) Συναντιλαμβάνεται ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. *Alii plures cum Vulg.* Συναντιλαμβάνεται τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν. *Ambroſ. Adjuvat infirmitatem orationis noſtræ. Berner. Mſſ. Gr.* Συναντιλαμβάνεται τῆς δεήσεως ἡμῶν. *Lat. Adjuvat infirmitatis noſtræ.* (a) Ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν.
(b) *Matth.* X, 20. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.*
(c) *Vide Perer. Eraſm. Tolet. Grot. Eſt. alios. Vide Auguſt. Ep. olim* 121, *nunc* 130, *cap.* 14; *& lib.* 2 *& 3 contra Maximum.* (d) *Vide Grot. ad* ℣. 26.

℣. 28. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

℣. 29. Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

COMMENTARIUS.

tem intuens Deus videt, illum Divinæ voluntati penitus ſubjici; Sanctuſque Spiritus intus repetit: Non mea voluntas, ſed tua fiat: ineffabili ratione clamat: Da, Domine, quæ nobis utiliſſima, & gloriæ tuæ accommodatiſſima exiſtimas. Ita Deus interdum arcanas haſce Sancti Spiritûs voces exaudit, rejectis precibus, quas exteriùs ingenti cum clamore porrigimus.

Spiritus poſtulans S. Chryſoſtomo (e) eſt orandi facultas, Spiritûs Sancti donum, quod olim Fidelibus largiebatur Deus, uti linguarum ac prodigiorum dona; quo qui cumulati fuerant, pro populo univerſo preces fundebant, magniſque gemitibus a Deo poſtulabant ea quæ ſingulis e cœtu convenirent.

QUIA SECUNDUM DEUM POSTULAT PRO SANCTIS. Nihil niſi id quod juſtum bonumque eſt, rogat: quamobrem omnino illum exaudiri neceſſe eſt. At, uti diximus, interior oratio, quæ nunquam non exauditur, non ſemper ea eſt, quæ ore labiiſque concipitur. Sanctorum orationes hac ſemper conditione definiuntur vel expreſſâ vel ſubaudiendâ: Uti voluntati tuæ placet; vel, uti utiliſſimum eſt gloriæ tuæ, meæque ſaluti. Quamobrem exaudita fuit Jeſu Chriſti oratio vel tum cùm Deus illam rejicere videretur; veluti cùm Patrem rogavit, ut Calix Paſſionis a ſe averteretur, ſuiſque carnificibus & inimicis parceret; quippe & ipſius Paſſio, & in pertinaces Judæos vindicta æternis certiſſimiſque Dei conſiliis decretæ jam fuerant, ipſeque nihil niſi ex Divinorum hujuſmodi conſiliorum definitione poſtulabat (f).

℣. 28. SCIMUS AUTEM, QUONIAM DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM. Divinis oraculis, exemplo Sanctorum, noſtrâque ipſorum experientiâ certò novimus, eorum qui Deum amant, ſaluti, felicitati ac perfectioni ſervire univerſa. Quicquid exteriùs illis contingit, proſpera & adverſa, bona & mala, ipſa interdum ipſorum aliorumque peccata, Electis proſunt, ſive ut animi demiſſionem diſcant, ſive ut virium ſuarum infirmitatem ſentiant; ſeu denique ut exerceantur ipſi, majoremque ad ſedulitatem, ſanctiorem fidem, cautiorem vigilantiam excitentur (g).

HIS QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI; Fidelibus vocatis ad Fidem, & Baptiſmo regeneratis. Non omnes Chriſto initiati ſanctitatem cœleſtemque beatitudinem conſequuntur: at omnes vocati ſunt, & excuſatione indigni, niſi conſequantur. Donatos ſemel juſtificationis gratiâ, nunquam deinde illos deſerit Deus, niſi priùs ipſe ab iis deſeratur (h).

Quæritur hìc, quodnam decretum iſtud ſeu *propoſitum*, cujus ex regulâ homines ad Fidem Cœleſtemque beatitudinem vocantur. Græci Patres (i), recentioreſque Interpretes nonnulli (k) eſſe ajunt propoſitum hominis vocati, atque integrâ fide Divinæ vocationi, atque illuſtranti interiori lumini reſpondentis. At Latini Patres (l) atque Interpretes plerique (m) Dei Decretum eſſe volunt, quo prædeſtinantur homines, adeoque ad Fidem vocantur, gratuito prorſus miſericordiæ beneficio. Theologi omnes in eo conſentiunt, vocationem ad fidem Chriſtianamque Religionem, munus Dei eſſe omnino gratuitum. Eccleſia ſatis perſpicuè docuit, ſibi probari eorum ſententiam, qui homines ad gloriam præter merita prædeſtinari contendunt: tametſi damnandos non cenſuit eos, qui prædeſtinationem ex prævîſis meritis fieri arbitrantur. Cæterùm omnino veriſimile eſt, de vocatione ad Fidem ſermonem ab Apoſtolo hìc inſtitui.

Græcus habet ſolummodo (n): *Qui vocati ſunt*; omittit *ſancti*; quæ vox in vetuſtiſſimis Codicibus Græcis Latiniſque, apud S. Auguſtinum, Ambroſiaſtrum, Primaſium, Sedulium non legitur, quamvis nunc in horum libros irrepſerit: at ex illorum Commentariis colligitur, eos illam non legiſſe. Vero proximum videtur, τὸ *Sancti* additum hìc fuiſſe, ex primo hujus Epiſtolæ verſiculo.

℣. 29. NAM QUOS PRÆSCIVIT, ET PRÆDESTINAVIT. Quos prævidit non repugnaturos gratiæ, eum eâque fideliter cooperaturos (o), ad gloriam prædeſtinavit. Sive, quos per præſcientiam cognovit, meràque miſericordiâ ſecrevit ex vitioſâ maſſâ, qua univerſum genus humanum obvolvebatur, ut illos efficaciter educeret gratuito miſericordiæ ſuæ beneficio; prædeſtinavit, nullâ meritorum ratione habitâ, adeoque ad Fidem vocare decrevit, ac deinde ad gloriam, efficacibus auxiliis, quæ paravit, ut ad eum finem certiſſimè at liberè pervenirent: ita ut vocatio, Fides, gratia, fidelitas, bona opera effectus ſint, non cauſa Divinæ prædeſtinationis. Ita explicant S. Auguſtinus ejuſque Diſcipuli (p).

PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI. Hoc ſibi propoſuit Deus in Electorum Prædeſtinatione; ut ſcilicet inſtitueret imitatores obedientiæ ac fidelitatis Jeſu Chriſti, veros ſpiritu & veritate adoratores ſibi formaret, adoptione filios ſibi procrearet, ad normam Jeſu Chriſti, Principis Prædeſtinatorum. Conformes Filio efficit, per-

(e) *Chryſoſt. homil. 14 in Rom. VIII.*

(f) *Hugo Victor. hic. Vide Eſt.*

(g) *Vide Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 9: Uſque adeo procedit omnia, ut etiam ſi qui eorum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Vide & Bern. ſerm. 2 in Pſal. XC. Eſt. hic. Plato, lib. 1 de Legib.* Τῷ δὲ θεοφιλεῖ οὐχ ὁμολογήσομεν ὅσα γε ἀπὸ θεῶν γίγνεται πάντα γίγνεσθαι, ὡς οἷόν τε ἄριστα.

(h) *Auguſt. de Nat. & Grat. cap. 26. Concil. Trident. ſeſſ. 6, cap. 11.*

(i) *Origen. Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. hic, Cyrill. Ambroſiaſt. Hieronym.*

(k) *Grot. Hamm.* (l) *Auguſt. plurib. locis, ut lib. de Prædeſt. Sanctorum, & lib. 2 contra 2 Ep. Pelag. cap. 10; & de Prædeſt. & Gr. cap. 7; Primaſ. alii.* (m) *D. Thom. Cajet. Lyran. Eſt. &c.*

(n) *Chryſoſt. Theodoret. Hieronym. Mon.* (o) *Auguſt. de Dono perſever. cap. 14, n. 35; & Retract. lib. 1, cap. 23; & alibi ſæpiùs. Lege Petav. Theologic. dogmat. tom. 5, lib. 9, cap. 6, & ſequ.*

(p) Vide *Perer. diſp. 22; Eſt. Vat. Eraſm. alios plures.*

℣. 30. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.

℣. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra nos?

℣. 32. Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

COMMENTARIUS.

perpeſſionibus primùm & exercitatione virtutis, deinde gloriâ & cœleſtis Regni poſſeſſione (q): ut, quemadmodum terreni hominis imaginem geſſimus, cœleſtis quoque feramus (r). Si peccatum nos Adamo ſimiles reddidit, gratia Jeſu Chriſto conformes efficiet (s); ac poſtquam laborum ærumnarumque illius participes in terris fuerimus, ejus quoque gloriâ in Cœlis nos fruituros ſperamus (t).

Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, Dei Filius totâ ab æternitate genitus, unus naturâ Filius eſt, eâque ex parte, qua Deus, primogenitus eſt Patris; at qua Θεάνθρωπος, primogenitus eſt inter Prædeſtinatos, cùm Electi omnes filii Dei efficiantur eâ duntaxat adoptione, quam illis ipſe promeruit; & gratuita illius Prædeſtinatio exemplar ſit Electorum omnium Prædeſtinationis. Æquè utili Electis, & glorioſâ Chriſto vice, Prædeſtinatorum copia & vita ſanctè acta gloriam Filii Dei augent: ingenti enim ſanctæque familiæ præeſſe, illuſtre ipſi eſt ac præclarum; & quo major eſt numerus illorum ac ſanctitas, eò illuſtrior ipſius dignitas ſanctitaſque inter eos eminens micat. Id verò argumento eſt, quæ vis gratiæ Chriſti ſit, meritorum fœcunditas, ſapientiæ ac potentiæ magnitudo.

℣. 30. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit. Præcipuos prædeſtinationis effectus perſequitur per gradus Apoſtolus. Quos elegit, primùm vocat ad Fidem Deus (u); deinde juſtos efficit, gratiam largitur & auxilia, quibus ipſum agnoſcant, & virtutem exerceant; deinde donat perſeverantiâ, & ad gloriam perducit. Huc definit ordo prædeſtinationis, adoptionis & vocationis Sanctorum. Vocantur multi, in adoptionem Filiorum Dei Baptiſmo admittuntur multi, gratiâ juſtificationis donantur multi; at non omnes in bono perſeverant, & gloriam conſequuntur. Vocationem hîc nonnulli (x) interpretantur vocationem ad paſſiones; ac profectò paſſim Scriptura (y) docet, Fideles ad crucem gerendam vocari, terendaque Jeſu Chriſti per labores veſtigia: at hæc vocatio ex vocatione ad Fidem ac prædeſtione ad gloriam conſequitur.

Quos vocavit, hos et justificavit. Qui ab eo efficaciter vocati, vocationem ſequuti ſunt; multi enim ſunt vocati, qui renuſant: *Vocavi & renuiſtis* (z); qui, inquam, Divinæ vocationi paruerunt, gratiam juſtificationis accipiunt, per donum Fidei, per dolorem de peccatis, per Baptiſmi Sacramentum: prima hæc beneficia nobis largitur Deus, primiſque hiſce gradibus in Eccleſiam & viam ſalutis ingredimur.

Quos autem justificavit, illos et glorificavit. Qui abſolute Dei decreto ad gloriam prædeſtinati fuere, certiſſimè ſalutem conſequentur, poſt gratiam juſtificationis & perſeverantiæ. At quamplures ſunt in Eccleſiâ, qui poſt vocationis & juſtificationis beneficium, gloriam non conſequuntur, quòd ſuâ ipſorum culpâ ſe dignos reddiderint, quos deſereret Deus, ſuæque infirmitati ac vitiis relinqueret. Poſteriores hi prædeſtinati ſunt ad gratiam & vocationem, quamquam non efficaciter ad gloriam (a).

℣. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? Poſt tam multa bonitatis ac miſericordiæ Dei pignora & argumenta; cùm nos vocaverit Deus, juſtificaverit, Spiritu ſuo cumulaverit, certamque futuræ gloriæ ſpem fecerit, an quidquam metuendum ſupereſt? ærumnis, malis, ipsâque morte terreamur? An promiſſis defuturus eſt Deus, imperfectumque opus ſuum relicturus? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Qui a Deo protegimur, a quo ſuperabimur? Invadere poſſunt & exagitare mundus, caro, Diabolus: vincere niſi cum ipſorum pernicie non poterunt; ſi exteriùs illorum conatibus ſuccubuerimus, interiùs gratiâ nos reget Deus, ipsâque in infirmitate gaudium, felicitatem, gloriam nanciſcamur efficiet. Spoliabimur certè, vinciemur, innumeris ſuppliciis afficiemur: at nihil juſtitiam auferet, innocentiam, pacem, charitatem, Fidem, ſpem, futuræque vitæ beatitudinem, quam expectamus.

℣. 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, &c. Potuit ne illuſtrius certiusque amoris ſui exhibere argumentum Deus, quàm unico Filio ſuo noſtri causâ in mortem tradito? quid verò deinceps denegabit? Jeſum Chriſtum unicum verumque Dei Filium opponit Fidelibus, filiis tantummodo per adoptionem. Hunc a Deo traditum docet pro omnibus nedum Fidelibus, ſed hominibus omnino univerſis (b); quamquam non omnes gratiâ Redemptionis utuntur, quam execuſant vel alii culpâ ſuâ, vel ii, *quibus miſericordiam non eſſe præbendam, æquitate occultiſſimâ & ab humanis ſenſibus remotiſſimâ judicat* Deus (c). Addit denique, Deum nihil auxiliorum quæ indigemus, ut ſtudeamus gloriæ ipſius, noſtræque ſanctificationi, atque ad decretam nobis gloriam ducamur, nobis denegaturum; neque in laboribus patientiam, neque in ærumnis conſtantiam, neque in dubiis cognitionem, neque gratiam in-

ten-

(q) *Philipp.* III, 10; *Coloſſ.* III, 4; 1 *Cor.* XV, 49; 2 *Timot.* II, 12.
(r) 1 *Cor.* XV, 49.
(s) *Coloſſ.* III, 4; 1 *Joan.* III, 2. *Vide D. Thom. Eſt. Tolet. alios hic.*
(t) *Aug. Oper. imperf. contra Julian. lib.* 1, *cap.* 38; *&* *in Joan. tract.* 74, *&* 82.
(u) *Tolet. Eſt. Eraſm. Parc. alii.*
(x) *Grot. Hamm.*
(y) 1 *Petr.* II, 20, 21; 1 *Theſſ.* III, 3, *&c. Matth.* X, 38; XVI, 22.
(z) *Prov.* I, 24. (a) *Tolet. Var. Eſt. Perer. hic, disp.* 25. *Auguſt. paſſim.*
(b) *Joan.* II, 2: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* 2 *Cor.* V, 15: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*
(c) *Aug. de diverſ. quæſt. ad Simplic. lib.* 1, *q.* 2, *n.* 16, 17.

℣. 33. Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat.
℣. 34. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt: immò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.
℣. 35. Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?
℣. 36 (Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur totâ die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis)
℣. 37. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.
℣. 38. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo,

COMMENTARIUS.

tentationibus, dum ea ubi oportet poſtulemus.

℣. 33. Quis accusabit adversus electos Dei? Triplex affertur hujus & conſequentium ℣℣. explicatio. I, *Quis accuſabit Electos Dei? Deus eſt qui nos juſtos facit. Quis damnabit? Chriſtus Jeſus eſt qui mortuus eſt noſtri causâ, &c.* (d). II, *Quis accuſabit Electos Dei? Nemo; cùm Deus ipſe illos juſtificet. Quis damnabit? Nemo; quoniam Jeſus Chriſtus mortuus eſt pro nobis, &c.* (e). III, *Quis accuſabit Electos Dei? an Deus, qui juſtos facit? Quis damnabit? an Chriſtus Jeſus, qui mortuus eſt pro nobis?* Agit hîc Paulus de Juſtis ad gloriam prædeſtinatis, quos Deus, miſericordiæ ſuæ beneficio, ad Cœlum perducere ſtatuit (f). Quis vel damnabit vel accuſabit, quos ſervare vult Deus? Immeritos certè non ſervabit; at efficaci gratiâ illos inſtruet, qua illi & ipſius benevolentiâ & præmio dignos ſeſe reddant. Juſtos efficiet Chriſtus, perſeverantiâ donabit, ſua ipſe coronabit dona, dum illorum merita in cœlis coronaverit.

℣. 34. Qui etiam interpellat pro nobis. Salutem noſtram noſtraſque res Patri commendat, non ſupplicis aut ſubditi more, ut cùm in terris inter homines fuit; ſed dexteræ Patris aſſidens, illi æqualis, qua Deus eſt, potentiâ & gloriâ, aſſumptum noſtri causâ Corpus, tolerataque vulnera oſtendet; eâque ratione, quæ infinitam ſui majeſtatem atque amplitudinem deceat, noſtræ ſalutis & gloriæ deſiderium ſignificabit (g).

℣. 35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi (h)? Cùm Chriſtus tam multa noſtri causâ geſſerit, quid jam a debitâ erga illum charitate nos removebit? Quæ tanta mala aut cruciatus efficere poterunt, ut amantem adeò noſtri Deum deſeramus (i)? Aliter: Quid jam nobis auferet charitatem, qua nos proſequitur Chriſtus? Quid inutilem nobis illius charitatem atque amorem efficiet? Si Deus nos ſervare voluerit, quid prohibebit? Poſtrema hæc explicatio verior videtur, magiſque cum præcedentibus & conſequentibus cohæret (k). Hominum odia, ærumnæ, fames, nuditas, ferrum, graviſſima quoque diſcrimina minimè illud evincent, ut quæ Deo debemus, ea deſeramus; nullumque ex his infortunium Divinam erga nos bonitatem avertet. Tametſi repugnent omnia, noſtræ ſalutis ac prædeſtinationis opus ipſe perficiet.

℣. 36. Sicut scriptum est: Quia propter te, &c. Sententiam recitat hîc Paulus e Pſalmo xliii; quæque Pſalmiſta de Judæorum Babylone captivorum ærumnis habet, accommodat Apoſtolus malis, quibus primitivi Fideles tum ab Judæis, tum ab Ethnicis agitabantur. Solet Apoſtolus hujuſmodi ſententias recitare, quibus ad aliqua dumtaxat alludit, aut varios Scripturarum locos accommodat iis rebus de quibus agit, pleriſque ad ornatum potiùs quàm ad argumentum facientibus. Ita conſueverunt Hebræi, & Eccleſiæ Patres, qui Scripturarum locutionibus in oratione ſtudioſiſſimè utebantur, ut elegantiam ſimul & majeſtatem orationi conciliarent. Id porrò in Eccleſiaſtico dicendi genere nunquam non eſt opportunum, quod frequentibus Scripturarum alluſionibus mirificè ornatur.

℣. 37. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos (l): ob illius amorem & gloriam omnia toleramus. At melior in Græco ſententia (m): *Per eum qui dilexit nos*. Per opem a Deo ſuppeditatam, per gratiam Jeſu Chriſti, qui adeò nos amavit, ut ſe ipſe noſtri causâ in mortem daret, inſectationes, ærumnas, ſupplicia ſuperamus. Per hunc Apoſtoli & Martyres mortem nedum patienter conſtanterque, verùm etiam hilariter ſubeunt (n).

℣. 38. Certus sum, &c. Certò confido (o), Deum minimè paſſurum, ut ab ipſius charitate ſejungamur; utque aut mors, aut vitæ ſtudium, aut reliquæ mundi hujus vices eò nos adigant, ut ipſius amorem, cultum, obſequium deſeramus: denique conſtantem de illius ope fiduciam foveo, fore ut me de hoſtibus meis victorem, propoſitique

(d) *Origen. Lyran. Grot. Eraſm. Tolet. &c.*
(e) *Aug. lib. 3 de Doctr. Chriſt. cap. 3.*
(f) *Tolet. Eſt. Menoc. alii.*
(g) *Chryſoſt. Rupert. Ambroſ. Tolet. Eſt. Menoc. &c. Vide Hebr. iv, 14; vii, 25.*
(h) Codices nonnulli legunt *Dei* pro *Chriſti*.
(i) *Origen. Chryſoſt. Ambroſiaſt. hic.*
(k) *Tolet. Eſt. Cajet. Para. &c. Auguſt. ſæpiſſimè.*
(l) *Ambroſiaſt. Tertull. Cyprian. alii.*
(m) Διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς. *Et ita legunt Auguſt. Proſper, Syr. & Græci PP.*
(n) *Chryſoſt. Tolet. Eſt. Grot. Menoc. &c.*
(o) *Chryſoſt. Theophyl. alii Græci. Pontr.*

℣. 39. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

COMMENTARIUS.

tique geſtorum meorum finis compotem efficiat. Aliter: Certiſſimè ac præter dubitationem credo (p), Deum minimè paſſurum, ut decretum Prædeſtinationis, circa Electos ſancitum, effectu careat, quicquid illis in hac vitâ contingat. Cùm Paulus fortaſſe divinitus didicerit, ſe inter Prædeſtinatos connumerari, de ſe ipſo agit ex illorum perſonâ.

NEQUE MORS, NEQUE VITA. Neque metus mortis, neque vitæ amor, neque diſcriminum timor, neque voluptatis illecebræ, neque ullæ denique vices nos a debito erga Deum amore ſejungent.

NEQUE ANGELI boni aut mali. Tametſi fieri poſſet, ut bonus Angelus, ſive Angelus lucis ſuadere vellet, ut a Deo deſciſcerem (q); tametſi Dæmones univerſi adversùs me exerant quicquid furoris habent, nequitiæ & fraudis, nunquam me a Deo meo avellent (r).

NEQUE PRINCIPATUS, NEQUE VIRTUTES. Varii ſunt Angelorum Chori (s); vel, ex nonnullis (t), mali Angeli, inter quos Scriptura (u) enumerat eoſdem poteſtatis atque ordinis gradus, quos inter bonos (x). Sunt (y) qui de ſæculi Poteſtatibus, Imperatoribus, Regibus, Magiſtratibus interpretentur. Nihil quicquam tale ex nobis extorquebit, ut debita erga Deum officia deſeramus.

NEQUE INSTANTIA, NEQUE FUTURA. Neque præſentia mala, neque futura; nec ea quæ patimur, nec ea quæ imminent. Nulla non calamitas expectanda erat Apoſtolis ac Fidelibus, perſpectâ hominum in ſe ſimultate.

℣. 39. NEQUE ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM. Proſperæ, adverſæ res (z); opprobria, honores (α), Quicquid promittatur, præclariſſimum blandiſſimumque, miſerrimum teterrimumve; nihil terrebit: aëris denique & maris diſcrimina, fulmina, procellæ, naufragia (β) minimè nos obruent. Stat pro nobis Deus: omnibus ille periculis nos ſubducet, ſive in ſuam ipſius gloriam noſtramque utilitatem iſta convertet.

POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI, qua Deum proſequimur, QUÆ EST IN CHRISTO JESU DOMINO NOSTRO: ſive, ab amore quo nos ille complectitur (γ), quem nobis promeruit Chriſtus, cum Patre per mortem ſuam conciliatis, quæſitâque adoptionis, vocationis & juſtificationis gratiâ, adeoque & glorificationis, quam ex Patris miſericordiâ præſtolamur. Ex dictis illud conſequitur, neminem ex Electis periturum, & certam, abſolutam, efficacem Dei voluntatem, Prædeſtinatos ſervare volentis, effectu carere non poſſe. Hinc oritur difficultas, in conſequentibus enodanda.

CAPUT IX.

Nonnullorum Judæorum lapſu inanes non efficiuntur Dei promiſſiones illis præſtitæ: implentur in Iſraelitis ſpiritu. Quos vult Deus per miſericordiam prædeſtinat, vel per juſtitiam damnat. Gratuito prorſus Dei beneficio eliguntur ac vocantur Ethnici; ejuſdem juſtitiâ rejiciuntur Judæi.

℣. 1. VEritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ in Spiritu Sancto:

COMMENTARIUS.

℣. 1. VERITATEM DICO IN CHRISTO. Poſtquam ſuperiori Capite oſtendit, prædeſtinationis effectus, Deique in Electos conſilia nullâ prorſus re poſſe turbari, occupat Apoſtolus difficultatem facilè objiciendam de Judæis, qui olim a Deo in populum ſibi peculiarem electi, ac nobiliſſimis promiſſionibus confirmati, ab eo tamen derelicti fuerant, & in ſuâ ipſorum perfidiâ deſtituti: Ethnicis interim, populo nullis dignitatibus aut meritis illuſtri, vocatis ad Fidem, ac beneficiis divinitus cumulatis. Hinc omnino illud oriri, Dei promiſſiones obnoxias eſſe mutationi, factamque ab eo electionem effici poſſe hominum culpâ inanem inutilemque. His reſpondet hoc Capite Apoſtolus, ac duobus proximè conſequentibus, quibus myſterium prædeſtinationis ac reprobationis explicat.

Antequam rem aggrediatur, Deo ſinceritatis ſuæ teſte, ait, ſeſe ſinceriſſimâ fratres ſuos charitate proſequi; & ſiquid de iis durius pronunciet, vi veritatis cogi: ſe neque illis inſultare, neque de illorum geſtis ſententiam ferre: Dei tantùm jura ſe tueri, certamque & immutabilem promiſſionum ac decretorum Dei fidem oſtendere; docere, reprobatâ licet aliquâ Judæorum parte, Dei electionem effectu vacuam non eſſe, in Iſraële Dei, ac populo Fidei & obedientiæ Abrahami atque Iſraëlis imitatore completam.

Veritatem dico in Chriſto, non mentior. Teſtem dictorum adhibet Chriſtum; per Chriſti nomen jurat (α), teſtimonium ſimul illius divinitati reddens. Siquando unquam jurare licuit, nunc

(p) *Auguſt. in propoſ. 58. Tolet. & Latini plerique.* (q) *Galat. 1, 8. Vide Chryſoſt. Hieronym. Anſelm. Tolet.* (r) *Grot. Tolet. Eſt. Piſc.* (s) *Menoch. Piſc.* (t) *Eſt. Grot.* (u) *Epheſ. v, 12; 1 Cor. xv, 24.* (x) *Epheſ. 1, 21; Coloſſ. 1, 16.* (y) *Para. Vatab. Bez.* (z) *Oecum. Men. Tolet.* (α) *Grot. Eſt.* (β) *Vat. Para.* (γ) Supra, ℣. 35; *Tolet. Perer. Eſt. Para. Menoch.*
(α) *Vatab. Tolet. Eſt. Men. Tir. Para.*

℣. 2. Quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo.

℣. 3. Optabam enim ego ipse anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.

℣. 4. Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa:

COMMENTARIUS.

nunc omnino jurandum fuit, cùm iniqua Judæorum ſuſpicio ab Apoſtolo removenda erat, a quibus accuſabatur, quòd Legis ritus temerè deſeruiſſet, eos penitus abrogatos conſtanter prædicaret, gentem ſuam parvi faceret, neglectiſque fratribus res gentilium nimio ſtudio curaret. Addit jusjurandum per *conſcientiam ſuam*, per conſiliorum animique ſui ſinceritatem, idque *in Spiritu Sancto*. Fieri enim poteſt, ut conſcientia vel cupiditatis æſtu fallatur, vel vitietur crimine, vel ignorantiâ in tranſverſum agatur: at ubi inſidente Spiritu Sancto illuſtratur, ducitur, purgatur, regula eſt, nulli periculo aut errori obnoxia.

℣. 2. Quoniam tristitia mihi magna est, miſeram gentis meæ conditionem inſpicienti, adversùs veritatis dogmata, Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos pugnantis, Evangelio inimicæ, ſuâque in perfidiâ deſtitutæ.

℣. 3. Optabam ego ipsa anathema essa a Christo pro fratribus meis. Anathema uſurpatur hîc pro excommunicatione, atque exciſione ab Eccleſiæ ſocietate, communione & orationibus (b); ſive pro exceiatione, abſolutoque excidio (c). Cùm civitas aliqua ſeu regio anathemate devoveretur, omnia gladio & igne abſumebantur. Denique anathema ſignificat damnationem æternam, qua quis a Jeſu Chriſto æternùm ſejungitur, ejuſque promiſſionum fructu privatur (d).

Probabile non eſt, optaſſe Paulum, æternis ſe addici ſuppliciis, & fieri Chriſto inimicum, ut Judæorum ſaluti conſuleret. Impium eſt ejuſmodi deſiderium, ſecumque pugnaret Paulus, qui non docuit, Dei Decreta, & Electorum Prædeſtinationem nullo prorſus impedimento fieri poſſe inutilia. Neque etiam veriſimile eſt, optaſſe ab Eccleſiâ ſejungi per excommunicationem, cùm ejuſmodi abſciſſio nonniſi lethalis peccati pœna eſſe queat; nullum autem lethali peccato atque ejuſmodi abſciſſione gravius malum contingere poteſt homini, ac nefas eſt vel optare mala vel facere, ut eveniant bona.

Potuit igitur Paulus optare vitæ ſuæ, valetudinis, ac fortunarum exitium, eo modo quo civitas ſeu gens anathemate devovetur, ut iſto vitæ hujus infortunio æternum fratrum exitium averteretur. Ita Moyſes Deum orabat, ut ſeſe e Libro vitæ, ſcilicet e viventium numero deleret, niſi populo parceret (e). Hoc ipſum optat Paulus; facitque id ipſum quod præſtitit Chriſtus, præſtandumque Apoſtolis & populi ſui Paſtoribus imperavit (f), ut ovium cauſâ ſuam ipſi vitam diſcrimini objicerent (g).

Patres nonnulli (h) putavere, ſpectari hîc ab Apoſtolo tempora, quæ converſioni ſuæ præceſſere. Chriſtum teſtor, quo tempore Judaicam Legem ſectabar, antequam animus meus a Deo illuſtraretur, optaſſe me a Chriſtianis haberi ceu anathema & execrabilem, meiſque odiis & inſectationibus teterrima iſthæc nomina ea iis promereri. At nunc, agnitâ veritate, fieri ne poteſt, ut nullo animi mœrore fratres meos a Jeſu Chriſto alienos, atque ab Eccleſiâ ſejunctos aſpiciam? Hanc explicationem Recentiores plerique (i) non probant; vetus enim Pauli in Chriſtianos odium Judæos non latebat, minimeque probabat, ipſum ingenti erga fratres charitate flagrare; qua de re nunc agebatur. Poterat Paulus & olim fuiſſe Chriſtianorum inimicus, & nunc animo a Judæis alieno.

℣. 4. Quorum adoptio est filiorum. Dei filii per adoptionem fuere Iſraëlitæ, aliâ prorſus ratione ac quam explicavit Paulus ſuperiori Capite, de Chriſtianis atque ad glotiam Prædeſtinatis diſputans. Hi adoptionem accepere, vocationem ad Fidem, juſtificationem, perſeverantiam, & denique gloriam. At contra Judæi electi fuere inter gentes, ut Dei populus fierent; donanturque apud Scripturam glorioſâ *primogenitorum Dei* appellatione (k): *Primogenitus meus Iſraël. Dimitte filium meum, ut ſerviat mihi*. At jure ſuo plerique ipſorum culpâ ſpoliati ſunt. Idem qui adoptaverat Deus, ingratos videns atque infideles, quamplurimos hæreditate ac domo expulit; eorumque loco alienam gentem aſſumpſit, ex qua Eccleſiam componeret. Plerorumque Judæorum adoptio imperfecta fuit; Chriſtianorum, quos ad glotiam Deus prædeſtinavit, abſolutiſſima eſt.

Et gloria. Glorioſos reddidit ſuâ ipſius præſentiâ, Arcâ (l), Templo, Lege, Sacrificiis, voluntatis ſuæ manifeſtatione, promiſſis, patrocinio; denique honoribus cumulavit, populi ſui loco electos, cæteraſque inter totius orbis gentes honore diſtinctos.

Et Testamentum. Fœdus cum Iſraële ſanxit Deus, Lege in vertice Sinai traditâ (m). Græcus typis editus fert (n): *Teſtamenta*, ſeu *Fœdera*; quaſi varia ſignificet Fœdera a Deo cum Abrahami ſobole percuſſa. Solemne fœdus primò iniit Deus cum Hebraicæ gentis Patre, imperatâ Circumciſione (o), ceu Fœderis ſigno: inſtauravit iterum ad Sinai; deinde in ipſâ promiſſâ regione ab Joſue iteratum (p), ac ſæpiùs dein-

(b) *Chryſoſt. Theophyl. Oecum. Grot. Hamm. Lud. de Dieu, alii non pauci.*
(c) *Hieronym. ad Algaſiam, q. 9; & Comment. in Zachar.* XIV. *Perer. hic. Vide Num.* XXI, 2, 3; *Deut.* VII, 26; XIII, 15: XX, 17; *Joſue*, VI, 17; VII, 11, 12, 13; *Zachar.* XIV, 11.
(d) *Hugo Victor. Vat. Tolet. Para. Piſc. Eſt. Gomar. alii.* (e) *Tolet. Eſt.* At S. Chryſoſtomus, *lib. 4 de Sacerdotio, pag.* 75, putat optaſſe pro fratribus ad gehennam damnari: Ηὔχετο εἰς γέενναν ἀπελθεῖν, καὶ αἰωνίῳ παραδοθῆναι κολάσει, ὑπὲρ τοῦ τοὺς Ἰουδαίους σωθῆναι.
(f) *Exod.* XXXII, 32. (g) *Joan.* X, 11; XX, 13. (h) *Ambroſiaſt. Hieronym. Anſelm. hic, Cajet.*
(i) *Perer. Diſp.* 3; *Eſt. Para. hic.* (k) *Exod.* IV, 22.
(l) *Vide* 1 *Reg.* IV, 21, 22; *Pſal.* XXV, 8, LXXI, 2. *Vide Grot. Tolet. Druſ. alios.* (m) *Exod.* XXIV.
(n) Καὶ διαθῆκαι. *Et ita Hieronym. Auguſt. Ambroſ. Cod. S. Germ. G. L.*
(o) *Geneſ.* XVII, 10, *&c.*
(p) *Joſue*, XXIV, 25.

℣. 5. Quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

℣. 6. Non autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Iſraël ſunt, ii ſunt Jſraëlitæ.

COMMENTARIUS.

deinceps variis temporibus repetitum.

Patres quamplures (q) *Teſtamenta* interpretati ſunt Vetus Novumque Teſtamentum; duplex Fœdus, alterum ad Sinai, alterum Jeroſolymis ſancitum; illud victimarum cruore, iſtud Jeſu Chriſti nece ac Sanguine conſecratum, ac Sancti Spiritûs illapſu confirmatum. Id tamen velle hoc loco non videtur Apoſtolus, ubi veteris populi decora cum novi dignitatibus confert, Synagogam cum Eccleſiâ. Porrò, ſi ita uſurpetur, Novum fœdus ad Synagogam minimè pertinebat, ab eoque Judæi excludebantur.

Legislatio. Negatum cæteris beneficium, Judæis impertitus eſt Deus, traditâ nimirum illis per ſe ipſum Lege, & quidem ſcriptâ, manifeſtâque voluntatis ſuæ ſignificatione. Se ipſe Iſraëlis Principem, Regem, Legislatorem profeſſus eſt.

Obsequium, cultum (r), Religionem, Ritus. Iſraëliticam gentem ex omnibus ſelegit, in qua veram Religionem inſtitueret, abſolutosque ſui cultores formaret, cæteris gentibus ita deſtitutis, ut libidines ſuas ſectarentur (s).

Promissa (t), Patriarchis a Deo ſignificata, miſſum iri Meſſiam, Liberatorem, ac Servatorem; ipſos inductum iri in Chanaanitidis poſſeſſionem, beneficiis cumulandos, Divinoque patrocinio gaviſuros: quibus promiſſis certiſſima fides ſtetit, dum Hebræi per infidelitatem non obſtitere.

℣. 5. Quorum Patres Patriarchæ ſunt. Ampliſſimum Hebræorum decus illud eſt, quòd ex Patriarchis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Joſepho genus duxerint. Inſignium horumce virorum exempla, merita, preces maximam quovis tempore utilitatem genti pepererunt, atque ingens præmium, longamque beneficiorum ſeriem illi comparavere. Teſtatur paſſim in Scripturis Deus, ſe populo vel parcere, vel beneficia elargiri, Abrahami gratiâ & Jacobi.

Ex quibus est Christus secundum carnem. Ortus in tempore Meſſias ex Judæorum genere, nobiliſſimum eſt ejus gentis decus; quo uno cæteras quàm longiſſimo intervallo ſuperavere. Illud porrò certiſſimum eſt, nec revocari in dubium poteſt; neque ſatis eſſet, Meſſiam merum eſſe Regem, Triumphatorem celeberrimum, ſapientiſſimum Legislatorem: *Eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Habes hîc luculentiſſimum pro Meſſiæ Divinitate argumentum.

Eraſmus & Grotius, non video quo conſilio, poſtrema hæc verba, *Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*, de Patre Æterno, non de Filio interpretati ſunt. Nonnullis etiam argumentia in dubium revocare conantur, unquam nec *Dei* nomen hoc loco ſcripſerit Paulus. Id non legiſſe in ſuis libris S. Cyprianum (u), & S. Hilarium (x), contendit Eraſmus; idemque de Syro affirmat Grotius. *Dei* appellationem præterit in Commentariis ad hunc locum S. Chryſoſtomus, omnino non neglecturus, ſi in Græcis Codicibus legeretur. Alii poſt *carnem* interponunt colon, novamque ſententiam inſtituunt ab iis, *qui eſt Deus ſuper omnia*, quam ad Patrem, non ad Chriſtum referunt.

At Græci omnes Latinique Codices Epiſtolarum Pauli, tum antiqui tum recentiores (y), conſtanter legunt: *Qui eſt Deus benedictus in ſæcula.* Aſſentiuntur Verſiones Syriaca, Arabica, Cophtica, Armena. Fateor, in vetuſtis quibusdam S. Cypriani Editionibus *Dei* vocabulum hîc deſiderari: at emendatiſſimæ Editiones, optimique Codices manu exarati cum Vulgatâ conveniunt. Ad hæc, S. Cyprianus eamdem ſententiam alio loco recitat, ut Deum eſſe Chriſtum evincat. Eâdem utitur S. Hilarius (z), & ex ipsâ oratione omnino colligitur, illum ita legiſſe, uti nunc legitur. Denique ut demus, S. Chryſoſtomum in hujus loci Commentariis non inſtitiſſe huic vocabulo, quod argumento eſſet pro Chriſti Divinitate, at certè parem noſtræ lectionem hujus loci paſſim alibi recitavit (a).

Præterea Græci omnes Latinique Patres, Ario tum antiquiores tum recentiores (b), nullam hoc loco difficultatem ſuſpicati ſunt, noſtramque lectionem ſervavere, eo etiam utentes, ut Jeſu Chriſti Divinitatem comprobarent. Ipſi demum Hæretici nunquam de eo diſputavere. Agnoſcenda itaque eſt & loci integritas, & veritas dogmatis, quod certè luculentiùs quàm his Pauli verbis tradi non potuit.

℣. 6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Quæ de Judæorum dignitatibus dixi, quaſi illos ab iis excidiſſe exiſtimem, non illud evincunt, Dei promiſſa circa Judæos effectu carere, quemadmodum ex meâ oratione colligi poſſe videtur, iis contrarium quæ ſupra docui. Ajo, Dei promiſſa penitus expleta eſſe abſolutiſſimè, at in gente ex Abrahamo non ſecundùm carnem ortâ (c).

Reddi poteſt Græcus (d): *Fieri nequit, ut irritus ſit ſermo Dei*: poſitis etiam iis quæ dixi, Dei verbum mendax eſſe non poteſt. Judæorum obduratio & infidelitas promiſſiones Divinas confirmabunt, non deſtruent. Quicquid prædictum eſt, neceſſe eſt expleatur; at non ita uti falſo sperant Judæi.

Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt

(q) *Chryſoſt. Ambroſ. Anſelm. hic. Ita & Hieronym. ad Algaſ. q. 9; & alii quidam.*

(r) *Gr.* Λατρεία. (s) *Act.* xiv, 15. (t) Ἐπαγγελίαι.

(u) *Cyprian. lib. 2 ad Quirin.* § 6. (x) *Hilar. in Pſal.* cxxii. (y) *Vide Mill. in nov. Teſt. hic.*

(z) In novâ editione legit, n. 7: *Qui eſt ſuper omnia Deus.* Et Author Editionis nullam hîc lectionis varietatem notat. (a) *Chryſoſt. homil. 4 in Matth. Idem homil. in Matth.* xxi, 23, *edita a Cotelerio, tom. 3 Monum. p. 121; Homil. 33 in Joan. Homil. 19 in Rom. Homil. 116, t. 5; & tract. de Trinit. t. 6, pag. 955, 962; Homil. 20 in Ep. ad Corint. & Homil. 3 & 5 contra Anomæos.*

(b) *Iren. lib. 3, cap. 18; Tertull. contra Praxeam Novatian. de Trinit.* § 13, 15; *Origen. hic; PP. Synod. 2 Antioch. Ep. ad Paul. Samoſ. Dionyſ. Alex. Ep. ad eumd. Athanaſ. ad Epictet. & orat. 2 & 5 contra Arianos; & Hilar. lib. 4 & 8 de Trinit. Alii. Vide Mill. hic.*

(c) *Vide Eſt. Men. Vat.* (d) Οὐχ οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Ita Tolet. Pagnin. Grot. Para. Bez. Mont.*

℣. 7. Neque qui ſemen ſunt Abrahæ omnes filii: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen:

℣. 8. Ideſt, non qui filii carnis, hi filii Dei; ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine.

℣. 9. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: Secundùm hoc tempus veniam; & erit Saræ filius.

℣. 10. Non ſolùm autem illa; ſed & Rebecca ex uno concubitu habens, Iſaac patris noſtri.

℣. 11. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret)

COMMENTARIUS.

SUNT ISRAELITÆ. Verus Iſraëlita, authore Paulo, is eſt, qui fidem, obedientiam, pietatem Jacobi Patriarchæ imitatur. Compertum autem eſt, eos qui ex Iſraële genus ducunt in carne, illius virtutem non imitati: veri igitur Iſraëlitæ non ſunt; adeoque ſi Dei promiſſa ad Iſraëlitas ita uti dixi ſpectatos pertinent, plerique Judæorum excluduntur; quamobrem, iis reprobatis, Divini ſermonis veritas minimè labefactatur.

℣. 7. NEQUE QUI SEMEN SUNT ABRAHÆ, OMNES FILII. Græcus (e): *Neque quia ſunt ſemen Abrahæ*, idcirco ſunt *filii*, hæredes: non ipſis exhibitæ ſunt promiſſiones; *ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Neque Iſmaël, nec reliqui ex Cethurâ procreati, pro Abrahami filiis habentur; quippe quos non elegit Deus, ut populum ſuum ex illis componat. Unus Iſaac filius promiſſionum eſt, unusque placet Deo; ii ſcilicet, qui, inſtar Iſaaci, Abrahami fidem, obedientiam, pietatem imitantur. Fruſtra ſibi blandiuntur carnales Judæi, ſe filios eſſe Abrahami, dum a præclariſſimi parentis virtute abſunt. Aliud Abrahami genus illorum locum occupabit. Judæos mente obduratos ſignificat Iſmaël, qui, tametſi ex Abrahamo ſatus, rejicitur.

℣. 8. NON QUI CARNIS, HI FILII DEI. Qui ex Abrahamo per carnem orti ſunt, non idcirco neceſſe eſt eos eſſe Dei Filios, Deo caros: neque enim carnalis origo ex Abrahamo certum affert jus in hæreditatem Fidei, & ad gratiam adoptionis. Eligit inter Gentiles Deus, non ſecus atque inter Iſraëlitas, veros ſui cultores, fideles filios, ſtudioſosque Fidei Abrahami imitatores (f).

℣. 9. PROMISSIONIS VERBUM HOC EST: SECUNDUM HOC TEMPUS, &c. Ut videas, veros Abrahami filios eſſe filios promiſſionis, lege Scripturas (g): *Veniam ad te tempore iſto*, evoluto anno, & *habebit filium Sara uxor tua*. Promiſſus filius eſt Iſaacus, verus Divinæ promiſſionis, ac fidei Abrahami filius: igitur non filius carnis; æquè enim filius carnis Abrahæ Iſmaël; ſed filius precibus Abrahami impetratus, gratiæ & miſericordiæ Divinæ filius. Porrò Fideles quilibet, quovis genere, quavis gente, hoc modo ſunt Abrahæ filii, per gratuitam Dei electionem, conſtantemque Abrahami imitationem.

℣. 10. NON SOLUM AUTEM ILLA, SED ET REBECCA. Quæ dixi de ortu Iſaaci & Iſmaëlis, itidem in ortum Jacobi & Eſau competunt. Non corporis dignitati promiſſa exhibet, aut benevolentiam adjungit Deus, ſed ſuæ ipſius electioni ac miſericordiæ, & cooperationi hominis, cui exhibita fuere promiſſa, ac fidelitati illius, cui gratiam largitus eſt: Dei promiſſiones & electio noſtra omnino merita antevertunt; at promiſſa, niſi cooperantibus nobis, non implentur. Illud ſaltem ex nobis exigitur, ut obicem executioni promiſſorum non ponamus, pleniſſimam deinde fidem re ipſâ conſecuturæ.

EX UNO CONCUBITU (h) HABENS ISAAC PATRIS NOSTRI. Iſaacus & Iſmaël, duabus ex matribus, dignitate ac virtute diſſimillimis, procreati, dubio locum facere poterant, an quidquam matrum conditio in filiorum electionem aut excluſionem contuliſſet. Difficultatem occupat Paulus, geminosque fratres in exemplum adducit, iiſdem parentibus procreatos, eodem tempore genitos editosque, quorum alter eligitur, alter reprobatur. Igitur non parentum conditio, aut varia conceptionis atque ortûs tempora, ſive bona malave opera, quæ præceſſerint, alteri prædeſtinationem, reprobationem alteri attulerunt (i); ut enim ſtatim ſubjicit, *cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali*, decreta eſt alterius electio, alterius reprobatio.

℣. 11. UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEI MANERET. Geniti fuere Jacob & Eſau ac deſtinati, alter imperio, alter verò ſervituti, ut in ipſis perſpicuum exhiberetur exemplum, quo certiſſimam Divinorum decretorum fidem intelligeremus. Potiſſimum iſtud eſt Pauli in hac oratione propoſitum. Quemadmodum libera & gratuita Dei electio circa Jacobum, excluſo Eſau, firma ſtetit, plenâque fide deinceps expleta eſt (k); ita quicquid decrevit Deus, quicquid abſolutè promiſit, certiſſimæ executioni mandatur, nullâ prorſus re executionem impediente.

Quæ autem ſanctio hujusmodi decretorum, de quibus hîc agit Paulus, quorum gratiâ exemplum Eſau & Jacobi produxit? Hoc ipſum eſt, de quo adhuc Patres, & Chriſtianorum Catholicorumque Scholæ disputant. Ajunt alii, ſolam prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad Fidem ab Apoſtolo ſignificari, atque ex obliquo dumtaxat agi de prædeſtinatione ad gloriam, utpote quia ad gratiam prædeſtinatio refertur ad gloriam, ceu ad finem. Aliis videtur Apoſtolus propriè de abſolutis Dei decretis agere, atque ad gloriam prædeſtinatione. Docent illi, deſtinatis a Deo ad gratiam Gentilibus gratuitâ ipſius miſericordiâ, decretâque illorum vocatione ad Fidem, nihil poſſe intercedere, quin hæc decreta penitus compleantur. Contendunt hi, prædeſtinatis abſolutè a Deo ad Cœleſtem beatitudinem

Ele-

(e) *Græc.* Ο'ὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Α'βραάμ. *Ita Codd. plures, & Ambroſ. Primaſ. Sedul. Quia.*
(f) *Vide Eſt. Tolet. Grot.* (g) *Geneſ.* XVIII, 10. (h) Ε'ξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, *Ex uno concubitum habens*, ſive, *ex uno viro genituram*, vel, *cubile habens*. Eſtius putat, poni *concubitu*, pro *concubitum* in Vulgatâ. (i) *Vide Tolet. Menoc. Eſt. Grot. & apud eum, Philon. de Allegoriis.*
(k) *Chryſoſt. Ambroſiaſt. Aug. Tolet. Eſt.*

Digitized by Google

℣. 12. Non ex operibus; ſed ex vocante dictum eſt ei:

℣. 13 Quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.

℣. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Abſit.

COMMENTARIUS.

Electis, Dei decretum neque falli poſſe, neque irritum fieri, cùm Chriſtus ipſe teſtetur (l): *Quos dediſti mihi, nemo ex eis periit.*

Omnes tamen in eo conveniuot, Dei decretum, de quo hîc agitur, omnino eſſe gratuitum; idque luculentiùs tradi non potuit, quàm ℣. 12: *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia major ſerviet minori.* Communi etiam aſſenſu probant, vocationem ad Fidem, & prædeſtinationem ad gratiam, merum eſſe Divinæ miſericordiæ beneficium (m); alioqui gratiam jam non eſſe gratiam.

In eo igitur verſatur difficultas, utrùm Paulus propriè de prædeſtinatione ad gloriam egerit: quod ubi poſueris, neceſſe eſt fateare, hujuſmodi prædeſtinationem prorſus eſſe gratuitam, uti placuit S. Auguſtino; an de vocatione ad gratiam tantummodo: idque ſi reputaveris, ex hoc certè loco gratuitam prædeſtinationem ad gloriam, quæ S. Auguſtino placuit, propriè non evinces, at neque quidquam adversùs illum proficies. Locus hîc non eſt quæſtionis hujus accuratiùs pertractandæ, quæ integrum atque ingens volumen poſtulat. Illud omnino præter dubitationem eſt, gratuitam penitus electionem tradi hîc ab Apoſtolo, ſive illa ad gratiam & Fidem ſit, ſive ad gloriam æternamque ſalutem, ſive ad utramque ſimul.

℣. 12. NON EX OPERIBUS, &c. Antequam gemini in lucem ederentur, Rebeccam monuit Deus, alterum alteri ſerviturum (n), minori majorem, Eſavum Jacobo. Hæc porrò promiſſio neque merces eſſe poterat rerum ab altero bene geſtarum, neque pœna male geſtarum ab altero; ab unâ igitur Dei, Jacobum Eſavo anteponentis, voluntate atque electione proficiſcebatur. Si dixeris, Deum res bene a Jacobo gerendas prævidiſſe, obedientiam, fidem, Pauli argumentationem labefactabis, cùm ex eo exemplo jam colligi nequeat, Deum miſereri cujus vult, præſtitamque a Deo miſericordiam neque a volente neque a currente pendere, ſed uno tantùm ex Deo. Ita animadvertunt Toleius Cardioalis (o), aliique, poſt S. Auguſtioum (p).

℣. 13. SICUT SCRIPTUM EST: JACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI. Jacob Iſraëlitarum pater, & Eſau Idumæorum, figura ſunt Electorum Reproborumque. Perſpicua divinæ circa Jacobum electionis effecta ſunt, imperium in Eſau, ſobolis amplitudo & nobilitas, regionis ubertas, dignitas Religionis, promiſſio naſcituri ex illius gente Meſſiæ. Perſpicua erant iſta, & ſenſibus obnoxia atque aliud ſignificabant, Jacobi ſcilicet prædeſtinationem ad gloriam, ac præterea vocationem Electorum ad Fidem, atque æternæ beatitudini prædeſtinationem. Quemadmodum Jacob ejuſque poſteri promiſſis ſibi, vel ante Jacobi ortum, dignitatibus in tempore gaviſi ſunt; ita Fides, gratia, juſtificatio, gloria deſtinantur Electis, ſive Judæis ſive Gentilibus, non ſuperioris alicujus ipſorum meriti gratiâ, ſed gratuito prorſus divinæ miſericordiæ beneficio.

Jacobus a Deo, antequam naſceretur, dilectus, figura eſt Gentilium, quos Deus Chriſtianam ad Religionem æternamque beatitudinem vocavit, antequam id re ullâ bene geſtâ promereri poſſent: Eſau Deo odioſus, ſcilicet non ita carus & beneficiis cumulatus (q) ut Jacob, quamquam fratre non magis reus, reproborum figura eſt (r), tum eorum, qui ſuâ ipſorum culpâ veritatem intueri recuſavere, inter quos Judæi, tum cæterorum, qui juſto ſed arcano Dei conſilio in maſſâ corruptionis relicti fuere, & a beatitudine excluſi.

Ex his colligendum non eſt, Eſavum reverâ reprobatum eſſe & a cœleſti beatitudine excluſum, aut reprobos, quidquid ipſi gerant, ſalutem conſequi non poſſe. Oſee locus potiſſimùm ſpectat ad temporariam fugacemque poſterorum Eſavi ſervitutem ſub Jacobi nepotibus, tranſlatamque natalium prærogativam ex Eſavo in Jacobum. Vero ſimillimum eſt, Eſavum ad ſupremum usque ſpiritum verâ in Religione perſeveraſſe, Sanctorumque beatitudinis fuiſſe participem. Reproborum figura eſſe potuit, ipſe non reprobus.

Quod ad reprobos attinet, illud præter dubium eſt, adultos æterno igne damnatos, liberè, ſponte, ſuâque culpâ damnari. Nulla illis eſt infidelitatis & erroris excuſatio; veriſſimumque omnino eſt, ipſos conſequi ſalutem poſſe, ſi velint, cùmque omnium hominum ſalutem velit Deus, parata illis fuiſſe auxilia ſatis idonea, quibus ſalutem aſſequantur, ſi velint iis uti; neque jure illos queri, niſi auxiliis efficaciter in bonum moventibus a Deo occupentur. Iniquus illis minimè eſt Deus, neque in ipſis auxiliorum privationem, aut involuntariam ignorantiam, ſed malitiam, ſpontaneam ignorantiam, peccatum punit (s).

℣. 14. QUID ERGO DICEMUS? NUMQUID INIQUITAS APUD DEUM? Nonne perſpicuè iniquum eſt, inæqualem adeò agendi rationem cum fratribus geminis nondum in lucem editis, qui nihil adhuc geſſere mali bonique, ſervare? Iniquiſſimum profectò eſſet, ſiquis Judex e duobis æquè innoxiis vel reis damnaret alterum, alterum verò dimitteret. At hîc res aliter habet ſeſe: gratia & Dei miſericordia munera ſunt planè gratuita, quæ nemini debentur: electo Jacobo, non Eſavo, injurius Eſavo non eſt Deus, cùm præ-

(l) *Joan.* XVII, 12. (m) *Rom.* XI, 6.

(n) *Geneſ.* XXV, 22, 23. (o) *Tolet. hîc, Annot.* 18, *&* 59.

(p) *Auguſt. Ep. olim* 105, *nunc* 194, *ad Sixtum; & Ep. olim* 106, *nunc* 186, *ad Paulinum; & Ep. olim* 157, *nunc* 190, *ad Optat. Alibi ſæpiùs, ut Retract. lib.* 1, *cap* 23. (q) *Eſt. Menoc. Grot.*

(r) *Aug. plurib. locis; D. Thom. hîc; Pererr. diſp.* 12; *Eſt. hîc; Petr. Lombard. lib.* 2 *Sent. diſt.* 41; *& in hunc loc. Cajet. Liran. hîc; alii.*

(s) *Vide Auguſt. lib.* 3 *de Liber. Arbitr. cap.* 19: *Rectè enim fortaſſe quærerentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret; cùm verò ubique ſit præſens qui multis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis.* Vide & eumdem, *tract.* 89 *in Joan.*

℣. 15. Moyſi enim dicit: Miſerebor cujus miſereor: & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor.

℣. 16. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.

℣. 17. Dicit enim ſcriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſâ terrâ.

COMMENTARIUS.

rogstivam electionis illi non debeat. Quod attinet ad reprobationem, nulla etiam in Deo eſt iniquitas, cùm homines univerſi communi Adami damnatione, & maſſâ corruptionis obvolvantur (t): quamobrem juſtiſſimè poteſt Deus in eâ maſſâ relinquere aliquos, alios verò ſervare: beneficio hunc proſequi, illum deſtituere. Hoc ipſum in conſequentibus oſtendit Apoſtolus, & paſſim S. Auguſtinus inculcavit.

℣. 15. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor. Igitur non bene geſtorum gratiâ miſericordiam exhibet Deus, aut in vaſa honoris eligit. Miſeretur cujus vult, & cui vult miſericordiam denegat; ſive, ut ait ℣. 58: *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Cùm aliquem eligit, atque inter prædeſtinatos recenſet, id merces non eſt juſtitiæ hominis, ſed merum Dei beneficium, pro ipſius libito impertitum (u): ita nulla eſt in Deo iniquitas, ubi ſelegit Ethnicos, ut ex iis componat Eccleſiam, illos plerisque Judæorum, a ſe excluſis, anteponens.

S. Chryſoſtomus, Theodoretus, cæterique Chryſoſtomi aſſeclæ interpretantur hîc de veniâ, quam Deus impartitus eſt Hebræorum nonnullis, exhibiti aureo Vitulo cultûs reis, aliis Levitarum operâ ſeveriſſimè mulctatis. Ac profectò eo tempore Deus hæc verba pronunciavit: *Miſerebor cui miſereor, &c.* Hoc ipſum verò ſignificat, decretum reprobationis niti juſtitiâ, prædeſtinationis miſericordiâ.

℣. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Hominum igitur electio, vocatio, prædeſtinatio neque illorum conatûs merces eſt, neque meritorum; merum eſt Divinæ miſericordiæ beneficium. Si electi ſunt Gentiles, ut Dei populum componerent, ſi ad Fidem vocati ſunt, atque ad gloriam deſtinati, excluſis plerisque Judæis, id Dei unius miſericordiæ debent, qui paribus omnium malis meritis, quos vult pro libito eligit rejicitque (x).

His verò neque libertas neque cooperatio impeditur. Electi beatitudinem virtutis exercitatione dumtaxat, divinorumque Præceptorum obſequio conſequuntur: gratiâ præveniente & auxiliante non coguntur: ſalutem obtinent, quia volunt; volunt autem, quia voluntatem prævertit gratia & præparavit (y). Reprobi quoque in exitium volentes ruunt; nulla enim neceſſitas in eos ex reprobatione inducitur. Damnat in iis Deus peccata ſponte admiſſa, auxiliorum neglectum, Legis violationem, malum libertatis & cognitionis uſum. Hac ratione ſingulorum ſalus aut exitium, ſcilicet prædeſtinationis aut reprobationis executio, *volentis eſt & currentis*, bonum malumve quærentis, currentisque in alterutrum liberâ voluntatis electione (z).

℣. 17. In hoc ipsum excitavi te, &c. Poſtquam docuit, electionem ſive prædeſtinationem ad ſalutem gratuitum eſſe Dei beneficium, exemplo Jacobi, verbisque Moyſis, quibus ait Deus, *Miſerebor cui miſereor*; oſtendit jam, reprobationem effici a Dei juſtitiâ, juſtamque eſſe peccati hominis pœnam (a); idque probat Pharaonis exemplo, a Deo ad hoc unum propoſiti, ut inſigne juſtitiæ ac potentiæ ſuæ ſpecimen in illo præberet. Pharao ſibi relictus, juſto at formidando Dei conſilio, animo obduratur, ac luculentiſſimum tum humanæ infirmitatis, vitioſitatis & malitiæ, tum Divinæ juſtitiæ atque *iræ* exemplum efficitur.

Cùm Pharao a Deo rejectus atque obduratus in Scripturis dicitur (b), illud ne reputaveris, miſerrimi Regis exitium certo abſolutoque Decreto fuiſſe conſtitutum, aut ſtatuiſſe Deum, eo in ſcelera & obſtinationem inducto, illum deinde ad gehennam damnare. Satis eſt, quòd felix prædeſtinationis decretum de illo non ediderit (c), pio miſericordiæ oculo illum non proſequutus ſit, ſuæ illum vitioſitati reliquerit (d). Pharao, uti maſſæ vitioſæ pars, nihilo indignior erat, quàm alii innumeri, quos Deus mero miſericordiæ beneficio ex eâ maſſa detraxit: at ſatis reus erat, ut a Deo in ſuâ corruptione relinqueretur, adeoque auxilia denegarentur illi efficacia, minimè tamen debita, quibus certè & reſipiſceret, & ſalutem aſſequeretur.

Tametſi deſtituendi in maſſâ vitioſâ Pharaonis cauſa una Deo fuerit ſua ipſius gloria, ea abundè fuit (e), uti locus e Moyſe innuit: *Idcirco poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & nar-*

(t) *Auguſt. Ep. 186, nov. edit. cap. 6, n. 16; & Ep. 190, cap. 3, n. 9: Meritò ergo videretur injuſtum quòd fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quod ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam. Quod autem fiunt naſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.* (u) *Aug. paſſim. Eſt. Tolet. Men. Perer. Para.*
(x) *Vide Tolet. Eſt. Perer. Menoc. ex Auguſtino paſſim.*
(y) *Prov.* VIII, 35, *ſecundùm* 70: *Præparatur voluntas a Domino.*
(z) *Vide Perer. hic, & Auguſtinum plurib. locis; V. G. in Pſal.* CI, *Serm.* 2, *n.* 6. *Vide & 2 Petr.* I, 10. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*
(a) *Vide Tolet. Para. alios quosdam.* (b) Exod. IX, 12; X, 1, 20, *&c.* (c) D. *Thom.* 1 *parte, qu.* 23, *art.* 23. *Vide Oecumen. hic.* Σκληρύνει, ἐξ αὐτὸν σκληρὸν εἶναι, συγχωρῶν εἰς τὸ ἀντεξούσιον.
(d) *Aug. de Gratiâ & Libero Arbitr. cap.* 23; *& Quæſt.* 2 *ad Simplician. & Oper. imperf. contra Julian. lib.* 1, *cap.* 141: *& Ep.* 194, *nov. Edit. cap.* 3, *n.* 14: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Perer. Eſt. Chryſoſt. Homil.* 67 *in Joan.* XII, *p.* 437: Πῶς δὲ τοῦ Φαραὼ τὴν καρδίαν σκληρῦναι λέγεται . . . . τουτέστιν ἀνεχώρησεν, ἀφῆκεν. Οὐχὶ γὰρ ἐνεργοῦντα αὐτὸν ἐνταῦθα εἰσάγει, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἑτέρων πονηρίας ταῦτα γινόμενα δείκνυσι. Ὅταν γὰρ ἐγκαταλειφθῶμεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, παραδιδόμεθα τῷ διαβόλῳ. *Vide & in Expoſit. Pſalm.* CXVII, *p.* 360; *& in cap.* III *Iſai. tom.* 3, *p.* 595.
(e) *Eſtius. Vide D. Thom. hic; & Auguſt. de Gr. & Lib. Arbitr. cap.* 20, 21, *&c.*

℣. 18 Ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat.

℣. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis reſiſtit?

℣. 20. O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit: Quid me feciſti ſic?

COMMENTARIUS.

& narretur nomen meum in omni terrâ. Ope meâ deſtitutus, ſponte ac liberè refractarius fies, & obduraberis (f); meæque in te juſtitiæ atque iræ ſpecimen innumeris prodigiis exhibebo. Tuam quoque nequitiam plagis malisque exterioribus perſequar, quibus irritabitur ſuperbia tua, & pervicacia augebitur. Juſtiſſimo ultionis meæ conſilio permittam, ut falſis præſtigiatorum prodigiis decipiaris, & Moyſis conſtantia te irritet: tenebræ tuæ tenebris aliis, aliisque criminibus crimina punientur (g). Ipſa quoque impunitas, qua te aliquandiu frui patiar, meaque erga te indulgentia obſtinationem tuam fovebunt (h).

℣. 18. Ergo cujus vult miseretur, et quam vult indurat. Totius orationis collectio. Hominem igitur ex meritis non prædeſtinat, ſed ex merâ ſui miſericordiâ. Siquem reprobat, quid affert injuriæ? nonne omnes eâdem vitioſâ maſsâ obvolvimur, quavis miſericordiâ indigniſſimi? noſtriſque viribus relicti, nonne miſericordiæ Dei contemptu, maloque noſtræ libertatis uſu ſponte in exitium ruemus?

Igitur ne queratur Iſraël, quaſi Deus promiſſis defuerit, & quem cumulatum iri a ſe beneficiis pollicitus fuerat, populum ſuum deſeruerit. Omnia fœderis ſui pacta complevit Deus, quippe qui populum elegit ex Abrahamo natum, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm promiſſiones, populum quem ipſe fidelem ac morigerum reddidit; rejecto altero, qui ex Abrahamo quidem ſecundum carnem ortus fuerat, ſed alienus erat ſpiritu ab Abrahamo, ſeque Divinis beneficiis indignum conſtituerat.

Neque dixeris, gravioribus vitiis implicitos fuiſſe Ethnicos, quàm Hebræos: *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Ut refellaris, ſatis eſt, voluiſſe Deum proſequi Ethnicos miſericordiâ. Quid quereris, Iſraël? Docui, te Divinis beneficiis indignum fuiſſe. An quidquam tibi debuit Deus? Promiſerat, inquis, ſuamque mihi fidem obſtrinxerat, me ipſius populum ſemper futurum. Multa quidem filiis Abrahami & Jacobi pollicitus eſt, at filiis ſpiritu, non carne dumtaxat. Tu carne tantùm ad Abrahamum pertines: promiſſa igitur nihilo magis ad te quàm ad cæteros ſpectant. Te meliores non erant Ethnici; eſto: at neque illos meritorum gratiâ elegit Deus: gratis prædeſtinat, & gratuito prædeſtinationis decreto alterum continetur, ut gratiâ & auxiliis eos ſancta, æternâque beatitudine digna efficiantur (i). Neque univerſos Iſraëlitas reprobat; elegit ex vobis quos vult: *Cujus vult miſeretur.*

℣. 19. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quæritur (k)? Altera hîc objectio. Supra Judæus Deum iniquitatis & inconſtantiæ accuſabat: hîc ſævitiæ arguit. Si miſeretur Deus cujus vult, & quem vult indurat, quid jam queritur? Quòd obſtinati ſumus & reprobi, idem ipſe in causâ eſt, qui tales fecit. Illius ne voluntati, qua ad obſtinationem & peccatum deſtinamur, reſiſtere poſſumus? An haberi poteſt ſine gratiâ fides? quòd ſi utramque denegat, cur ab eo damnamur, quòd ea non præſtiterimus, quæ præter utramque præſtari nequeunt?

Qui iſtud objiciunt, uſurpant ea verba, *Quem vult indurat*, eo ſenſu, qui ſtatim ſeſe offert legenti, quaſi Deus certâ actione impios obduret; cùm *obduratio Dei ſit nolle miſereri*, uti paſſim docet S. Auguſtinus (l). Iſtam porrò miſericordiam nemini debet Deus, & jure queritur nemo, ſi eam denegat Deus. Neque rectè colligitur, Deum injuriâ queri de hominis nequitiâ & obſtinatione. Peccans homo liberè peccat; nullam peccandi neceſſitatem infert Deus; ex homine exigit ea quæ jure æquiſſimo poteſt; denegat quæ denegari pari juſtitiâ fas eſt. Sapientiſſimis ſemper cauſis & juſtiſſimis movetur Deus, at humanâ cognitione longè ſuperioribus (m). Si Pharao animo obduratus non obtemperavit, *non hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperavit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur, priore infidelitate*, ait S. Auguſtinus (n). Peccata ab impiis obſtinatis patrata, quæ pœna ſunt præteritorum, illis reverâ imputantur, veraque peccata ſunt, quorum pœnas in æternitate luent, quemadmodum & obſtinationis, niſi reſipuerint, egerintque pœnitentiam.

℣. 20. O homo, tu quis es? Ajebant Marcionitæ & Manichæi, Paulum poſtremâ hac objectione in anguſtias adactum, cùm reſpondere non poſſet, ſilentium adverſario imperaſſe, ſummam Dei poteſtatem objiciens, cui nemo repugnet (o). Id tamen Marcionitæ falsò comminiſcebantur. Tria hîc diluit Paulus; I, cùm homo merum ſit coram Deo peccatum & cinis, hominis non eſſe Deo litem intendere, geſtorumque rationem exigere, aut arcana illius conſilia perſcrutari. Satis eſſe debet, rem ita ſe habere, uti tradidit Deus, & probant Scripturæ. II, Deum eſſe figulo ſimilem, qui ex luto quicquid videtur ſin-

(f) *Auguſt. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 23: Deus induravit Pharaonem per juſtum judicium, & ipſe ſe Pharao per liberum arbitrium.*

(g) *Tolet. Perer. Eſt. ex Auguſt. hîc; & in Exod. qu. 18; & Ep. 149 nov. Edit. & lib. 2 Oper. imperf. contra Julian. cap. 241; & de Grat. & lib. Arbitr. cap. 20.*

(h) *Origen. Philocal. cap. 20; & Theodoret. hîc; & Baſil.*

(i) *Auguſt. de Dono perſeverantiæ, cap. 14, n. 35: Prædeſtinatio Sanctorum nihil aliud eſt, niſi præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Idem, ibid. cap. 19: Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe. Vide Perer. diſput. 8, & Eſt. in ℣. 26.*

(k) T. ἔτι μέμφεται;

(l) *Aug. in Joan. tract. 53; & de Diverſ. qu. ad Simplic. n. 15: Ut obduratio Dei ſit nolle miſereri; ut non ab illo irrogetur aliquid quo ſit homo deterior, ſed tantùm quòd ſit melior, non irrogetur.*

(m) *Vide Eſt. & Pera. ad ℣. 20.*

(n) *Aug. in Ep. ad Rom. art. 62, & 63.*

(o) *Auguſt. Enchirid. cap. 99; & qu. 68, inter 83. Vide Perer. Eſt. Tolet. hîc.*

℣. 21. An non habet poteſtatem figulus luti ex eâdem maſsâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

℣. 22. Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientiâ vaſa iræ apta in interitum,

℣. 23. Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

COMMENTARIUS.

fingit (*p*); quæ locutio e Scripturis hauſta eſt (*q*), & a Prophetis uſurpata. III denique, quicquid agit Deus, eò intendere, ut potentiæ vel juſtitiæ ſuæ ſpecimen in vaſa iræ; clementiæ verò & pietatis in vaſa miſericordiæ exhibeat (*r*).

℣. 21. AN NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI? Quemadmodum licet figulo, ex eâdem luti conſperſione pro libito vaſa in uſus nobiliſſimos alia, alia in deterrimos fingere, quin ullus ſit querelæ locus luto: ita potuit Deus de rebus a ſe creatis pro libito ac voluntate decernere. Sui unius, gloriæque ſuæ causâ omnia condidit Deus; hominesque deſtinavit, ut poſt Adami peccatum ſuam in illis vindictam iramque, ſive miſericordiam pietatemque commendaret. Univerſum hominum genus ceu figuli maſſa uſurpatur: ex hia nonnullos eligit Deus, quos prædeſtinans, divitiarum gratiæ ſuæ exempla conſtituat; alios reprobans, iræ ſuæ monumenta efficiat (*s*). Formidabilis profectò ſententia.

S. Chryſoſtomus (*t*), aliique veteres, eo antiquiores recentioresque, hanc ſententiam lenire conati, docuere, homines, præviſo libertatis & auxiliorum bono malove uſu, a Deo prædeſtinari. Ajunt (*u*), hac figuli & luti comparatione non ſignificari, nullam eſſe Deo cauſam prædeſtinandi homines ſeu reprobandi, præter unam ipſius voluntatem; ſed illud ſolummodo oſtendi, nefas eſſe, quòd creatæ res Dei conſilia ſcrutentur & quærant. Mihi tamen ægrè quis perſuaſerit, veram hanc eſſe Apoſtoli mentem, quippe cujus verba ad ulterius aliquid ducant (*x*).

Putat S. Auguſtinus, univerſam hominum collectionem a Deo inſpici uti vitio corruptam, tum de ſingulorum prædeſtinatione aut reprobatione decerni; ac præter eam inſpectionem, Dei juſtitiam non poſſe defendi (*y*). Certi nihil de graviſſimo hoc argumento definivit Eccleſia. Utramque ſententiam cum modo amplecti licet: quamquam utramvis ſequare, nunquam non immenſum in eo myſterio pelagus occurret, idemque humanæ ratiocinationis ſcopulus ſemper futurum eſt.

℣. 22. QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM, &c. Quid reponere aut queri potes, ſi Deus juſtitiæ ſuæ ſpecimen in reprobis exhibere volens, tantâ illos patientiâ vivere ſinit? nonne ſtatim æterna in ſupplicia præcipites agere poteſt? ut nequa ſit illis excuſatio, peccata diſſimulat, innumeris illos beneficiis proſequitur, pœnam differt, ad pœnitentiam vocat, ne criminentur Deum ſævire in immeritos (*z*). Niſi reprobationem pumeritus es, certè dignum te conſtituiſti gehennæ ſuppliciis peccando, abutendoque ratione ac libertate. Reprobatio quippe reprobis poteſtatem non auſert, ait S. Thomas (*a*).

SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRÆ APTA IN INTERITUM. Vaſa, ſive inſtrumenta iræ, reprobi ſunt, in ultionem devoti: illos patientiſſimè ſuſtinet Deus; ſupplicium differt; patitur in peccatis perſeverent; peccata diſſimulat: deinde verò acerrimè in illos animadvertit, & ſupplicii magnitudine moram puniendi æquat. *Apta in interitum*. Certiſſimis Dei, a quo reprobati ſunt, decretis in interitum deſtinantur: at ipſi peſſimo vitæ inſtituto spontè in ruinam feruntur, ſeque ſupremo infortunio dignos peccando efficiunt (*b*).

℣. 23. UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SUÆ. Græcus initio hujus commatis addit copulam (*c*): *Et ut oſtenderet*, &c. Quaſi ſignificet, aliam reprobationis impiorum cauſam eſſe piorum prædeſtinationem. Profectò Prædeſtinationis gratia non ſatis agnoſceretur, ſi hominibus univerſis communis eſſet; neque Divinæ Juſtitiæ & Miſericordiæ effectus inter ſe ſatis ſecernerentur, ſi nemo reprobaretur. At infinito conditionis prædeſtinatorum reproborumque diſcrimine geminæ iſtæ Dei proprietates ſummoperè commendantur (*d*).

Reddi etiam poteſt hoc modo (*e*): Cur queritur homo, ſi hos reprobat Deus, illos eligit; rejectâque Judæorum parte, Gentiles aliquot in illorum locum inducit? I. cur id egerit, nemini ſignificare tenetur Deus. II, humani generis maſſa, peccato Adami vitiata, nullam ſe ipsâ miſericordiam meretur; ac juſtiſſimè poteſt Deus, quos voluerit, in eâ deſtituere. III, Reprobi, vitâ peſſimè actâ, digniſſimi ſunt infortunio, cui addicuntur, ſervataque circa illos Dei patientia omnem illis excuſationem auſert. IV, quod ad prædeſtinatos attinet, quis jure queratur, Deum uti erga illos miſericordiâ? An præſtitum his beneficium eſt aliorum injuria? an dona ſua pro libito largiri non poteſt Deus? an invidendum eſt iis, qui donis hiſce cumulantur? *Obduratio impiorum utrumque demonſtrat, & quid timendum ſit, ut quisquis pietate ad Deum convertatur; & quanta agenda ſint gratia miſericordiæ Dei, qui in aliorum pœnâ quid aliis debet oſtendit* (*f*).

℣. 24. Vo-

(p) ℣. 20, 21. (q) *Jerem.* XVIII, 4, 6; *Isai.* LXIV, 8, *&c.* (r) Vide ℣. 22, 23.
(s) *Vide D. Thom. hic, & ad ℣. 20. Eſt. Tolet. Para.* (t) *Chryſoſt. hic, & alibi.*
(u) *Ita Theodoret. Oecumen. Theophyl. Ambroſiaſt. Hieronym. ad Hedibiam, Ep.* 150; *Method. apud Oecumen. alii.* (x) *Tolet. hic.*
(y) *Auguſt. Ep.* 186, *nov. edit. cap.* 6, *n.* 18, *olim* 106: *Hæc maſſa ſi ita eſſet media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex eâ fierent vaſa in contumeliam. Idem, Ep. olim.* 157, *nunc* 190, *cap.* 3, *n.* 9: *Meritò autem videretur injuſtum, quòd fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata.*
(z) *Vide Tolet. Eſt. Tirin. Para.* (a) *D. Thom.* 1 *parte, qu.* 23, *art.* 3, *ad* 3.
(b) *Tolet. Menoc. Tirin. Eſt. Grot.*; *Aug. qu. ad Simplic. n.* 56.
(c) Καὶ ἵνα γνωρίσῃ. (d) *Vide Eſt. Tolet. Grot.*
(e) *Auguſt. ad Simplic. n.* 28. *Zeger. hic.*
(f) *Auguſt. loco citato.*

℣. 24. Quos & vocavit nos, non ſolùm ex Judæis, ſed etiam ex Gentibus.

℣. 25. Sicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.

℣. 26. Et erit: In loco, ubi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filii Dei vivi.

℣. 27. Iſaias autem clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorum Iſraël tamquam arena maris, reliquiæ ſalvæ fient.

℣. 28. Verbum enim conſummans, & abbrevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram:

COMMENTARIUS.

℣. 24. Vocavit nos, &c. Si Eccleſiam ſuam Deus e Gentilibus ſolummodò compoſuiſſet, aliquis querelæ locus Judæis eſſe videretur; ſi ex unis Judæis, queri poſſent Gentiles. At Deus e Gentilibus indiſcriminatim & Judæis elegit quos placuit, ut vaſa honoris, veroſque ſpiritu & veritate cultores efficeret; oſtendens, penès ſe nollam eſſe perſonarum rationem, ſeque libero prorſus arbitrio eligere, ſuorumque arbitrum eſſe beneficiorum.

℣. 25. Vocabo non plebem meam, plebem meam. Ignota vobis conſilia mea non eſſe, par fuit: multo antea ſignificavi per Oſeen Prophetam, meo nomine dicentem *(g)*: Populum meum nuncupabo eum, qui meus non erat: Gentiles arceſſam, meumque in populum adoptabo. *Non dilectam, dilectam (h)*. Quam non amaveram, dilectam nuncupabo. Gentium nationem, ceu meretricem, quovis vitiorum genere inquinatam, execrabar: amavi hactenus Synagogam, atque in deliciis habui. Aliud jam inſtitutum ſequar: Gentium nationem, proſtibulum illud, ſponſæ loco ducam ac penès me habebo, repudiabo Synagogam.

Ita pronunciaverat Oſee, cùm de Tribubus decem in captivitatem ducendis ageret. Iſraëliticas Tribus inter gentes ita diſpergam, ut ſub populi Dei appellatione non agnoſcantur. At certo annorum ſpatio evoluto, iſtorum Iſraëlitarum nepotes revocabo, ac populi mei loco habebo, fœdus cum illis feciam, eoſque bonis cumulabo. Profectò cùm Cyrus Babylone regnaret, redeuntibus e captivitate Juda & Benjamino, unà rediere quamplurimi ex Iſraëlitis, qui majori erga Deum fide, ac luculentioribus Divini amoris indiciis, quàm ipſorum patres, commendabantur. Iſraëlitæ ab Aſſyriis Regibus diſperſi, atque in captivitatem ducti trans Euphratem, figura fuere Judæorum, ætate Jeſu Chriſti pervicacium ac reproborum. Qui Babylone rediere, vel Ethnicos ad Chriſtum converſos *(i)*, vel Judæos Fidem amplexos & in exitu ſæculorum amplexuros ſignificabant.

℣. 26. Et erit: In loco ubi dictum est eis, &c. Reduces e captivitate Iſraëlitæ, populus Domini agnoſcentur, ſuâque in regione, qua pulſi fuere, filii cariſſimi vocabuntur; neque jam illos terrebunt, uti olim, aut Prophetarum objurgationes, aut Dei minæ, ſed iis ceu fidelibus Deoque caris benedicetur. Hujus tamen vaticinii fides luculentiſſimè non patuit niſi in Gentilibus ad Chriſtum converſis, *filiis Dei viventis* appellatis, & in Judæis morigeris, qui Jeſu Chriſti & Apoſtolorum inſtitutionibus manus dedêre.

℣. 27. Isaias autem clamat pro Israel *(k)*. Superius vaticinium ad Gentiles Fidem Chriſti amplexos, ab Iſraëlitis e captivitate reverſis ſignificatos, potiſſimùm pertinebat: hoc peculiare Judæis eſt. Ait Iſaias *(l)*, perpaucos fore qui ſervabuntur. Ex innumeris certè Judæis, qui Jeſu Chriſti ætate recenſebantur, quàm pauci Chriſtianam Religionem amplexi ſunt? Ex hoc Iſaiæ vaticinio tria colligit Apoſtolus; I, Iſraëlem univerſum minimè periturum; II, Modicum fore numerum Electorum vocatorumque ad Fidem; III, Illorum loco Ethnicos in Eccleſiam ſucceſſuros, amplexuroſque Fidem eos, qui olim juſtitiam non quærebant.

Ex verborum ſono, iſta pronunciavit Iſaias pro Judæis ſub Ezechia viventibus, qui cædibus a Sennacheribo in regionem illatis ſuperſtites fuere. Achazum allocutus Iſaias, prædixit quæ futura eſſent ſub Ezechia. Regnum ſub Achazo Ezechiæ anteceſſore graviſſimis calamitatibus afflictum fuerat: Aſſyrii, quos ille in auxilium arceſſiverat, oppreſſere libertatem, non tutati ſunt: at illum moneri juſſit Deus, poſt tot mala populum ſuperſtitem reverſurum ad Dominum, & cumulatum iri beneficiis: idque ſub Ezechia filio & ſucceſſore uſu vênit.

℣. 28. Verbum enim consummans. Pergit Iſaiæ vaticinium. Minitatur Deus, ſeſe multos e populo ſucciſurum, Regis inſtar, multos ab exercitu inutiles dimittentis. Populum ſuum ad minimam multitudinem adiget; ea tamen ſelecta erit ac fidelis *(m)*. Figura id fuit rei ætate Jeſu Chriſti explendæ; perpaucorum ſcilicet electorum ex innumeris Judæis, per Romanos trucidatis, aut bello conſumptis ſub Veſpaſiano, Trajano, & Adriano *(n)*. Hebræus fert *(o)*: *Vaſtationem & conciſionem Dominus faciet in medio totius terræ*. Regionem univerſam vaſtaturus eſt, & perpauci elabentur.

℣. 29. Ni-

(g) *Oſee*, 1, 9, 10, 11, 24.

(h) Græci Codices nonnulli, S. Irenæus, lib. 4, c. 37; S. Hieronymus in *Oſee*, 1, legunt dumtaxat: *Vocabo non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam*. Omittunt, *Non dilectam, dilectam*. (i) *Vide Eraſm. Grot. Eſt. Piſc.* (k) *Pro Iſraël. Gr.* ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ, *De Iſraël*, ſive, *ſuper Iſraël*. Iſaias de Iſraële agens, ait, &c. (l) *Iſai.* x, 22.

(m) Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. Codices multi Græci & Latini non legunt, ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον, *In æquitate, quia verbum abbreviatum*. Vide Mill.

(n) *Vide Eſt. Tolet. Vat. Men. Tir. alios.*

(o) כלה ונחרצה ארני עשה בקרב כל הארץ

℣. 29. Et ſicut prædixit Iſaias : Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus.

℣. 30. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam: juſtitiam autem, quæ ex fide eſt.

℣. 31. Iſrael verò ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervênit.

℣. 32. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offenſionis,

℣. 33. Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis, qui credit in eum, non confundetur.

COMMENTARIUS.

℣. 29. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, omnino periiſſemus; tam gravibus malis oppreſſi ſunt Juda & Iſraël; minimum abfuit, quin omnes penitus perderemur. Verba Iſaiæ ſunt: at quamvis miſerrima fuerit Judææ facies poſt bellum Sennacheribi in Ezechiam, adhuc tamen magnoperè florebat, ſi cum futuro poſt Jeſu Chriſti necem ſtatu conferretur, nedum ſpectatis calamitatibus quæ oppreſſere Judæam, verùm etiam ſpectato permodico eorum numero, qui Fidem Jeſu Chriſti amplexi ſunt.

℣. 30. Gentes, quæ non sectabantur justitiam, &c. Ex Iſaiæ verbis quid colligendum eſt? nimirum Judæos Fidem amplexuros, perpaucos fore, magnaque illa promiſſa, quæ in Scripturis leguntur de Regno Meſſiæ, numeroque hominum, ex quibus conſtanda erat Eccleſia, complenda eſſe in Gentilibus, amplexuris Fidem & Juſtitiam, nomina ſcilicet Jeſu Chriſto daturis.

Gentiles triplici notâ deſignat. I, *Gentes quæ non ſectabantur juſtitiam*; Lege carebant (p), neque juſtitiam ſectari ſe gloriabantur, ut Judæi, qui juſtitiam in eo conſtituebant, ut Moſaicam Legem ex verborum ſono ſervarent. II, *Apprehenderunt juſtitiam*, & Chriſtiana ſacra amplexæ ſunt, regeneratæ Baptiſmo, & Jeſu Chriſti Sanguine, ut ita dicam, lotæ (q). III, *Apprehenderunt juſtitiam, quæ ex fide eſt*. Fiduciam collocavere, non in operibus, velut Judæi, ſed in unâ Jeſu Chriſti Fide, in Fide cum charitate bonorumque operum exercitatione conjunctâ (r).

℣. 31. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit (s). Juſtitiam in Moſaicæ Legis obſequio nanciſci voluit, Fidemque Jeſu Chriſti repulit, ſolam ſibi Legem ſufficere arbitratus. At inanis fuit Iſraëlis fiducia. Caruit juſtitiâ quæ ex Lege eſt, & eâ, quam potuit comparare per Chriſtum. Poſt Jeſu Chriſti obitum, inutiles effectæ ſunt Legis obſervationes; unaque ducens ad juſtitiam & beatitudinem via eſt in Chriſtum Fides.

Moſaicam Legem nuncupat *Legem juſtitiæ*, utpote a Deo Judæis traditam ceu regulam juſtitiæ: at Judæi, eâ ex verborum ſono ſervatâ, veram *juſtitiæ Legem* aſſecuti non ſunt; ſive quòd minimè ſervaverint uti oportebat; ſive quòd amplexi non ſint Evangelium, veram juſtitiæ Legem, quòd rectam ſervandarum moralium Moyſis Legum rationem doceat, Fidemque impertiatur & gratiam, ſine quibus inutilis ſaluti eſt exterior obſervatio.

℣. 32. Quare? quia non ex Fide. Hoc defuit Judæorum juſtitiæ. Studioſiſſimi Ritualium Legum cultores, ſuiſque viribus & juſtitiâ temerè freti, Evangelium & Jeſu Chriſti Fidem ceu inutilia repudiarunt. *Nos ſcimus*, ajebant (t), *quia Moyſi locutus eſt Deus; hunc autem (Jeſum) neſcimus unde ſit*. Ita (u) *juſtitiam ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*. Mandatorum iter ſtudioſè tenebant, non tamen cautè. *Offenderunt in* Jeſum Chriſtum, factum ipſis *lapidem offenſionis* (x): illum rejecerunt, non crediderunt: quamobrem & fide caruerunt & gratiâ; quibus deſtituta ipſorum opera, mortua eſſe & inutilia æternitati, neceſſe fuit.

℣. 33. Sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis. Judæorum lapſum & reprobationem prædixit Iſaias duobus locis, ab Apoſtolo in unum collectis, quòd in idem argumentum recidant. Hunc morem paſſim ſervat Paulus, pluresque ſententias argumento ſervientes ſimul colligens, veluti unam recitat. Scriptura univerſa corpus unum eſt, cujus partes invicem explicantur. Primus Iſaiæ locus apud ipſum fert (y): *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, &c.* Alter (z): Dominus *erit vobis in ſanctificationem; in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali, duabus domibus Iſraël*. Iſraëlitas Achazo Rege viventes alloquitur Iſaias. Si fiduciam in Domino collocaveritis, ſanctos vos faciet Deus ac proteget: ſi verò externam opem quæſiveritis, fiet vobis offendiculum Deus.

Haſce minas convertit Apoſtolus ad ætatis ſuæ Judæos, qui ad Deum confugere, ac fiduciam in Chriſto Jeſu collocare negligentes, putabant, Fide & Chriſti gratiâ ſe non indigere, juſtitiamque & ſalutem in literali Legis obſervatione, auxiliis, de quibus agimus, viduâ, nanciſci volebant; at malo ipſorum fato, ideo ille ab ipſis rejectus, factus eſt ipſis lapis offenſionis. In illum impacti ſunt & confracti. Jeroſolymam aggreſſi ſunt Romani, regionem vaſtavere, exciſiſque illorum arcibus ac Templo, fame & ferro ingentem adeò hominum multitudinem perdidere, ut nullum unquam crudelius bellum fuerit. Hoc fuit Judæorum infidelium & incredulorum fatum.

At pauci illi, qui Jeſu Chriſto credidere, ſpe ſuâ decepti non ſunt, ſalutemque in eo & ſanctitatem invenere. *Omnis qui credit in eum, non confundetur*. In ſupremis gentis ſuæ calamitatibus illos divinitus protexit Deus. Tempeſtivè illos monuit, quæ mala patriæ telluri imminerent, ipſique in Herodis ditionem, belli expertem, ſeceſſere.

CA-

(p) *Eſt. Tolet. Menoch.* (q) *Apoc.* 1, 5.
(r) *Eſt. Menoc. Tolet. Pera.* (s) Græci plures Libri legunt dumtaxat: *Ad legem non pervênit*, Εἰς νόμον οὐκ ἔφθασε. (t) *Joan.* 9, 29. (u) *Rom.* 10, 3.
(x) *Confer Luc.* 2, 34; *Matth.* 21, 6; & 22, 42; & 1 *Petri*, 2, 7, 8.
(y) *Iſai.* xxviii, 16. (z) *Iſai.* viii, 14.

CAPUT X.

Judæi, juſtitiam ſuam ſtatuere conati, eam quæ ex fide eſt, & a Jeſu Chriſto traditur, non obtinuere. Vera juſtitia Fide, non operibus continetur. Fides per prædicationem acquiritur. Fidem audivere omnes, at Gentiles ſolummodò excepere.

℣. 1. FRatres, voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum, fit pro illis in ſalutem.

℣. 2. Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.

℣. 3. Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

℣. 4. Finis enim legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.

℣. 5. Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in eâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VOLUNTAS QUIDEM CORDIS MEI, &c. Quæ hactenus diſputavi, pleroſque Judæos reprobatos a Deo fuiſſe docens, non eo dixi, ut illis inſultarem, eorumque calamitate gauderem aot gloriarer. Miſeret me infortonii Judæorum, & Deum rogo, ut intelligentiam illis largiatur, neulosque ad veritatis agnitionem aperiat. At iniquum eſſet, falsâ charitatis ſpecie, veritatem diſſimulare, perverſiſque & incredulis illorum animis lenocinari.

℣. 2. ÆMULATIONEM DEI HABENT, ſtodio erga Deum, vel magno Legis ſtudio flagrant, SED NON SECUNDUM SCIENTIAM. Teſtor, illos eſſe Legis, rituumque exteriorum ſtudioſiſſimos: quòd Moyſen ament, non damno. At ſtudium hoc neceſſe eſt Fide illuſtretur, & charitate ducatur; Evangelicarum veritatum cognitionem, & profeſſionem Chriſtianæ Religionis cum ſtudioſiſſimâ Legis Moſaicæ obſervatione conjungant. Studioſè entrunt, non tamen quò opus eſt. Sequuntur Legem, at Legis propoſitum non agnoſcunt: malitiâ peccant, non ignoraotiâ; idque ipſum magis reos efficit, cùm in ipſis ſtet objectam lucem oculis excipere. Excuſat Judæos Apoſtolus, & ex parte commendat, ut illorum mentes ad ea, quæ in conſequentibus adversùs ipſos dicturus eſt, æquo animo excipienda comparet (a).

℣. 3. IGNORANTES JUSTITIAM DEI, quam habemus per Fidem, per Jeſu Chriſti gratiam, per adoptionem, per veniam peccatorum, qua in baptiſmo donamur. Juſtitiam hanc ignoravere Judæi, cùm in Eccleſiam ingredi recuſaverint, obfirmatiſque mentibus obſervationes Legis ſequuti ſint, eas dumtaxat ſanctitati ac ſaluti comparandæ ſufficere arbitrati: quamobrem *juſtitiam ſuam quærentes ſtatuere* ſuis tantùm viribus, uniſque Legis operibus, *juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*, cervicem Deo non ſummiſere, ut juſtitiam acciperent, quæ a Deo proficiſcitur, per Fidem cum charitate conjunctam (b). Nihil magis exoſum Deo eſt, quàm arrogantia, ſuperbia, ſuarumque virium fiducia: quibus unis omnia bene a Judæis geſta perdi poterant.

℣. 4. FINIS LEGIS CHRISTUS, AD JUSTITIAM OMNI CREDENTI. Rejecto Chriſto, fruſtra Judæi fiduciam in Legis obſervatiooibus collocavere. Lex in Chriſto Jeſu finem babet. Suâ is morte Judæos a Moſaicorum rituum obſervatinoe liberavit. Illi quidem ante Meſſiam optimi fuere: nunc prorſus inutiles. Via erant ad Liberatorem ducens; ubi finem hunc attigeris, Lex inanis efficitur (c).

Aliter: Legis perfectio & faſtigium eſt Chriſtus (d). Idem ille ſe veniſſe teſtatur, ut Legem impleat perficiatqoe (e). Explevit & vitâ & morte: fidem figurarum in Lege exhibitarum, in ſe completam oſtendit; nobiſque gratiam, qua illam ut oportet exequamur, promeruit. Geſtis & verbis docuit, quæ ſit Legis perfectio; ac genuinam illius mentem, adversùs peſſimas Phariſæorum interpretationes, explicavit.

Denique, *Finis Legis Chriſtus*; quem ſibi propoſuit Lex, quem ſpectat (f). Legis ritus figura Chriſti erant & pignus; illum ſpectabant morum Leges, veluti largitorem gratiæ, per quam ipſæ abſolutiſſimè ſervarentur. Antiquum Fœdus in præſeotis dumtaxat alicujus temporis uſum erat, dum Novum ſuccederet. Judæi, in Vetere commorati, neque Legiſlatoris mentem, neque Legis propoſitum agnovere. Arbitrati ſunt, I, fœdus in ipſorum dumtaxat gratiam initum eſſe: qua in re falſi ſunt, cùm ad homines univerſos pertineret. II, Juſtitiam Lege dumtaxat afferri poſſe: quæ tamen Lex nonniſi per Fidem in Chriſtum juſtos facit: *In ſalutem omni credenti.*

℣. 5. MOYSES ENIM SCRIPSIT, &c. Ut evincat Paulus, unâ tantùm Lege juſtitiam non afferri, Moyſen laudat, ajentem, eum qui Legem ſervaverit, in Lege nacturum vitam, non animi & juſtitiæ, (ſecùs enim fides & gratia inutiles forent) ſed corporis vitam, proſperas vitæ hujus vices, terrenamque felicitatem (g). Hæc porrò merces colentibus a Lege promittebatur, alia prorſus ab eâ, quæ colentes Evangelicam Legem, vitâque Fidei viventes manet. Hanc explicationem optimi Interpretes probant.

At S. Auguſtinus, S. Chryſoſtomus, aliique plures (h) aſſerunt, hic ab Apoſtolo ſignificari ani-

(a) *Theodoret. hic.* (b) *Vide Eſt. Menoc. Para. Tolet. Grot.* (c) *Vide Grot. Para. Cyrill. in Tolet.*
(d) *Chryſoſt. Eraſm. Vat. Tolet.* (e) *Matth. v, 17.* (f) *Eſt. Tolet. Menoc. Tir. Para. alii.*
(g) *Tolet. Menoc. Tir. Vat. Hamm. Vide & Aug. lib. 4 contra duas Epiſt. Pelag. cap. 5.*
(h) *Aug. loco citato; & lib. de Spiritu & Litt. cap. 16; Chryſoſt. Oecumen. Theophyl. Eſt. alii.*

℣. 6. Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis aſcendet in cœlum? id eſt, Chriſtum deducere.

℣. 7. Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum a mortuis revocare.

℣. 8. Sed quid dicit Scriptura? Propè eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus.

℣. 9. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris.

℣. 10. Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

COMMENTARIUS.

animi vitam æternam, quam conſequi nequit homo neque ſolâ Legis obſervatione, neque unis naturæ viribus, lumine Fidei, & gratiæ auxilio deſtitutis. Prætereà merces hæc iis dumtaxat promittitur, qui Legem univerſam abſolutè ſervant (*i*). Sine Fide autem & gratiâ fieri non poteſt, ut abſolutè atque integrâ religione ſervetur. Igitur fatendum eſt, Jeſum Chriſtum Legis finem eſſe & perfectionem, quærendamque nobis eſſe juſtitiam quæ ex Deo eſt, non quæ ex nobis.

℣. 6. Quæ autem ex Fide eſt justitia, sic dicit: At de juſtitiâ quæ ex Fide eſt, ita Moyſes ſcribit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in Cœlum? aut quis descendet in abyssum? Iſta reputans, credere videris, juſtificationem, qua in Chriſto Jeſu per baptiſmum donaris, aut incertam eſſe, aut minimè conſequendam. Poſtulas quodammodò, ut Chriſtus e Cœlo deſcendat, certiorem promiſſionum fidem tibi exhibiturus. Similem fermè locutionem vide *Hebr.* vi, 6. Cùm Chriſtus Jeſus e Cœlo deſcenderit, mortem in terris obierit, imoque e ſepulcro ſurrexerit, nihil jam nobis metuendum eſt de promiſſionum illius veritate, certâque verborum fide. Fides in Chriſti nomen eſſe debet abſolutiſſimum fiduciæ noſtræ momentum. Nihil facilius, quàm Chriſto credere, Chriſtum amare, in Chriſtum ſperare, opem ferente ipſo; nihilque præterea ad juſtitiam æternamque beatitudinem conſequendam exigitur.

Accipe jam ipſa Moyſis verba, quæ Paulus de more παραφραστικῶς potiùs quàm ἱστορικῶς recitat, ea uſurpans quæ propoſito ſerviunt, & ad Fidem torquens ea quæ Moyſes de ſuâ ipſius Lege tradidit (*k*). Ita igitur Moyſes (*l*): *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum: nec in cœlo ſitum, ut poſſis dicere: Quis noſtrûm valet ad cœlum aſcendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos uſque deferre, ut poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed juxta te eſt ſermo valdè, in ore tuo & in corde tuo, ut facias illum.* Illud denique verbis hiſce ſignificatur, nullam jam eſſe Hebræis excuſationem, niſi Dei Leges ſervant, quippe qui eas noverint, memoriâ teneant, & ore verſent.

Apoſtolus ut Judæis perſuadeat, juſtitiæ viam a ſe propoſitam, præter quam ait neminem conſequi ſalutem poſſe, neque difficilem eſſe, neque viribus ſuperiorem, iiſdem fermè verbis, quibus Moyſes, utitur: *Ne dixeris: Quis aſcendet in Cœlum? aut quis deſcendet in abyſſum?* ut fidem in Chriſtum Jeſum, & gratiam, de qua loquor, inveniat. Idem eſſet ac ſi diceres: Chriſtum Jeſum e Cœlis arceſſito, iterum a mortuis revoca: tum credemus. Venit Chriſtus, mortuus eſt, ſurrexit, prædicatur, vobiſque ignotus non eſt: veſtrûm eſt igitur, opem ferente ipſius gratiâ, ipſum amplecti, credere, oblatiſque ac paratis ab eo auxiliis rectiſſimè uti (*m*).

℣. 8. Prope est verbum in ore tuo. Ne dixeris, quo pacto credam? quis credenda docebit? Noſti Evangelium: quotidie prædicatur. Satis eſt, ex ore ad mentem & ad executionem Fide, gratiâ & charitate transferas. Erudire jam, crede, vitam Fide tuâ dignam inſtitue. Hanc fidem nos prædicamus: hæc Dei juſtitia vobis deeſt: *Hoc eſt verbum Fidei, quod prædicamus.*

℣. 9. Quia si confitearis, &c. Laudabili vivendi inſtituto quo gloriaris, pioque Legis ſtudio quo flagras (*n*), adde Fidem in Chriſtum Jeſum, *ſalvus eris*. Recta gere per Fidem & charitatem, *confitere Dominum* eſſe *Jeſum*, *& in corde tuo crede, quòd Deus illum ſuſcitavit a mortuis*; fiduciam omnem in ipſo repone, unoque ab illo juſtificationem ſalutemque tuam præſtolare: ſpe non cades. Cave credas, ſterilem ab Apoſtolo Fidem exigi, quæ in ſolâ meditatione conſiſtat: homines alloquitur, qui exterius vitæ inſtitutum ſanctè agebant, Divinamque Legem ſummo obſequio proſequebantur: deerant illis Fides, gratia, charitas, ut penitus ſancti efficerentur. Aliud certè ab Ethnicis impiiſque poſtularet; abſolutam ſcilicet converſionem, mutationem morum ac ſententiarum. Illud potiſſimùm oſtendere hoc loco vult Apoſtolus, ardua non eſſe quæ poſtulat (*o*): trananda non eſſe maria, nubes ac ſidera volatu non prætereunda, imos terræ ſinus non penetrandos. Credendum ſolummodo & amandum.

℣. 10. Corde enim creditur ad justitiam. Credendum eſt animo, ut juſtitiam, confitendum ore, ut ſalutem aſſequaris. Duplex conditio ad ſalutem neceſſaria, & duplex proprietas Fidei, ut meritum pariat: animo credendum, ore confitendum. Adde his charitatem & opera, ſine quibus Fides mortua eſt (*p*). At de Fide dumtaxat hic agit Paulus. Satis non eſt ſi Chriſto credas mente: ejus Religionem exteriori confeſſione præ te feras neceſſe eſt, verbiſque & operibus confiteare; multi enim ſunt qui Chriſtum ore confitentur, factis negant (*q*). Ii porrò ſunt infi-

(i) *Deut.* xxvii, 26; *Galat.* iii, 10. (k) *Chryſoſt. Theodoret. Tolet. Hammon. Perer.*
(l) *Deut.* xxx, 11, 12, 13. (m) *Vide Tolet. Vat. Grot. Hammond. Men. Lud. de Dieu, Eraſm. Perer.*
(n) *Sup.* ℣. 2. (o) *Chryſoſt. Grot. Eſt.*
(p) *Jacob.* ii, 20, 26: *Fides ſine operibus mortua eſt.*
(q) *Tit.* i, 16: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.*

℣. 11. Dicit enim Scriptura: Omnis, qui credit in illum, non confundetur.

℣. 12. Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.

℣. 13. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

℣. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?

℣. 15. Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

℣. 16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Iſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro?

℣. 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.

COMMENTARIUS.

infidelibus deteriores *(r)*. Sunt ex Rabbinis qui cenſeant, negari verbis Religionem poſſe, dum animo ſervetur; idemque videri ajunt Perſis Muhammedanis: at impias hujuſmodi ſimulationes Chriſtiana Religio exſecratur.

℣. 11. Omnis qui credit in illum, non confundetur. Quilibet, ſive Judæus, ſive Gentilis, in Chriſtum credens eâ Fide, quam mox deſcripſimus, ſpe ſuâ non decipietur: in præſenti vitâ juſtitiam, in alterâ ſalutem conſequetur. Vera Fides carere præmio nequit.

℣. 12. Non enim est distinctio, &c. Ad Fidem ac ſalutem Deus Fidelem æquè atque Ethnicum vocat: omnium hominum dominus eſt & conditor; miſericordiæ ſuæ divitias in omnes ſeſe invocantes effundit: *Dives in omnes*. Ex iis non eſt, qui optimâ erga ſervos voluntate ſunt, at opibus carent, quibus ſervos remunerentur: in omnes ſibi credentes abundè bonitatis ſuæ opes effundit *(s)*: bonis cumulat *omnes ſeſe invocantes*, non ore dumtaxat, ſed animo & voluntate. *Invocare nomen Domini* frequenter apud Scripturam ſignificat *(t)*, ejus religionem profiteri, illi credere, Leges illius ſequi; denique pro quolibet Religionis opere uſurpatur.

℣. 13. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Invocare nomen Domini, eo ſenſu quem diximus, Religionem univerſam complectitur: Fidem, ſpem, Charitatem. Deum quem ignoras, quem non amas, nec vereris, in quo fiduciam non collocaſti, ex quo nihil præſtolaris, illum certè non invocas: ſtatim ac credis, times, amas, facere non potes, quin illius præcepta ſerves, Leges ſequaris. His executioni mandatis, certa eſt ad juſtitiam ac ſalutem via.

℣. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Difficultas hîc objicitur adversùs dicta de facilitate conſequendæ ſalutis, per Fidem in Jeſum Chriſtum. Eſto, leve negotium ſit credere, ſalutem aſſequatur is qui uti opus eſt credit. At qui fieri poteſt, ut innumeri propè, tum ex Judæis tum ex Gentilibus, ad quos Chriſti fama nunquam pervenit, credant? Qui credant, ſi nemo illis Evangelium nunciat? Profectò quis ſibi ſuaderet futurum, ut piſcatores non amplius duodecim, iique pauperrimi, ac Diſcipuli duo & ſeptuaginta, innumeras inter ærumnas & calamitates, nullo amicorum, ſcientiæ, opum, eloquentiæ præſidio, Fidem Chriſti in univerſum orbem, quàm latè patebat, brevi tempore inferrent? Probabilis videtur oppoſitio. Prophetæ certâ fide pollicentur fore, ut univerſo in orbe Meſſias Regnum teneat, omneſque gentes illius imperio ſubjiciantur. At qui fieri poteſt, ut tam paucis a Jeſu Chriſto ad ſeſe prædicandum miſſis hæc promiſſa impleantur? Minitatis, neminem aſſequuturum ſalutem, niſi Chriſto credat: innumeros igitur in exitium ruere neceſſe eſt, qui nominis Chriſti notitiam excipere nequeunt prædicatione, itinere ſcilicet arduo & longo.

℣. 15. Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes *(u)*, &c. Iſaias *(x)* de iis loquitur, qui Babylonicâ e captivitate libertatem Judæis nunciabant: *Quàm ſpecioſi pedes nunciantium bona!* Quàm expectati veniunt! Hæc verba Paulus accommodat iis, qui pacis Evangelium, bonumque ſalutis nuncium afferunt. Hinc autem probat, bonum Evangelii nuncium ubique diffundi; omnia feliciùs celeriùſque pervaſurum, ſi audientes ita libenter exciperent, ut Judæi captivi libertatem, clamarentque: Felix fauſtuſque ſit hominum pacem nunciantium adventus!

℣. 16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Non omnium animos illuſtravit & comparavit Deus, ut oblato ſibi beneficio utantur: non omnes obediunt Evangelio. Hi nuncios inſectantur; illi negligenter audiunt; alii denique in ludibrium vertunt. Ipſiuſmet Iſaiæ ætate non deerant, qui Prophetarum verba aſpernarentur, & fidem vaticiniis non adderent *(y)*: hinc illa Iſaiæ: *Domine, quis credidit auditui noſtro*, iis quæ ex nobis audierunt? At Iſaias cæterique Prophetæ futuras ac remotiſſimas res nunciabant: Apoſtoli a Chriſto miſſi præteritas prædicant, ſibi aliiſque innumeris probè perſpectas.

℣. 17. Ergo fides ex auditu. Fides igitur tale quid non eſt, quod ægrè obtineatur. Satis eſt, Dei verbum audias, illudque cum obſequio, animoque intento, docili, ac minimè occupato ex-

(r) 1 Timot. v, 8: *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* (s) *Vide Rom.* II, 4; & IX, 23; *Epheſ.* I, 7; II, 7, &c.
(t) *Vide Geneſ.* IV, 26; XIII, 4; XXI, 33; XXXII, 20; 2 *Reg.* XXII, 4, 7; *Iſai.* XII, 4; XLIII, 7, 22, &c.
(u) Ὡς ὡραῖοι. *Tertull. lib.* 5 *contra Marcion. cap.* 2: *Quàm tempeſtivi*. *Ibid. cap.* 5: *Quàm maturi pedes.* (x) *Iſai.* LII, 7. (y) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Tolet. Eſt. Menoc.*

℣. 18. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

℣. 19. Sed dico: Numquid Iſraël non cognovit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam.

℣. 20. Iſaias autem audet, & dicit: Inventus ſum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.

℣. 21. Ad Iſraël autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.

COMMENTARIUS.

excipias. Non inficior, Dei donum eſſe Fidem, mentisque illuſtrationem, & præparationem animi ex eo eſſe expectandam. At noſtrum eſt, ipſo ferente opem, intentos ipſius verbis nos præbere, diſcere, vetuſtas opiniones exuere, ipſius opem implorare. Noſtrum eſt præſtare quæ poſſumus, & quæ non poſſumus, poſtulare, ait Synodus Tridentina (z).

℣. 18. Sed dico: Numquid non audierunt? An cauſari poſſunt Judæi, ſeſe Fide carere, quòd Evangelii prædicationem non audierint? *Et quidem in omnem terram exivit ſonus eorum*, qui Evangelium prædicant; *& in fines orbis terræ verba eorum*. Cùm hanc Epiſtolam ſcriberet Paulus, quarto ſcilicet ac viceſimo poſt Jeſu Chriſti Reſurrectionem anno, nulla erat fermè Romani Imperii Provincia, quò Jeſu Chriſti Evangelium delatum non fuiſſet (a); nullaque Judæis præſertim erat excuſatio, quippe qui Jeſu Chriſti perſonam ac geſta ignorare non poſſent; cùmque, conantibus licèt Jeſum Chriſtum ejusque dogmata vituperare, & Apoſtolos accuſare gentis ſuæ Proceribus (b), ii qui veritatem ſincero animo quæſivere, ſe penitus ſcrutati ſunt an vera eſſent quæ illis imputabantur, nullo negotio veritatem manu tangere, & calumnias detegere potuerint. Ita quamlibet in partem Judæi convertantur, probabilem excuſationem minimè inveniunt.

Sunt qui ſententiam hanc ad Gentilēs referant: An non omnes Evangelii prædicationem audivere? Per ipſos ſtetit, quin audirent: Apoſtoli quippe ac præcones vocem ſuam extremis terrarum partibus intulerunt. Huic explicationi potiſſimùm illud favet, quòd proximo commate de nunciato Judæis privatim Evangelio agitur. At ℣. 19 intelligi poteſt iterata reſponſio, novaque ejusdem veritatis confirmatio. Toto enim hoc Capite Judæi potiſſimùm ſpectantur.

℣. 19. Sed dico: Numquid Iſraël non cognovit? Inſtat Apoſtolus, argumentisque ad rem propiùs accommodatis oſtendit, auditum Judæis Evangelium, poſitumque in ipſorum poteſtate, ferente opem Deo, converti, & Chriſtum ſequi. Duabus autem rationibus utitur; quarum prima luculenter evincit, vocatos eſſe Gentiles, videntibus Judæis & ſentientibus: altera oſtendit, qua ſolicitudine Deus Judæos vocaverit, quantâque pervicaciâ Judæi repugnaverint: utrâque autem conficitur, Jeſu Chriſti adventum ſatis fuiſſe Judæis exploratum, ipſisque ſolummodò eſſe adſcribendum, ſi Fide carent.

Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem. Illud efficiam, ut erga populum qui veſter non eſt, ſive erga gentem nomine nationis indignam, livore diſrumpamini; gentem, inquam, vilem adeò & deſpectam, ut in populorum cenſu illam connumerare dedignemini; gentem ſtultam, Dei ejusque Legum cognitione deſtitutam. Gentem vobis deſpectiſſimam beneficiis cumulabo (c); dilectum mihi populum efficiam; ſpretam a vobis rejectamque adoptionis gratiam illi largiar; atque hæc intuentibus vobis faciam, ut invidiâ & furore efferamini (d). Profectò nemo unquam adeò exarſit ac ſæviit, ut in Chriſtianos Judæi. Quo tempore Chriſti Eccleſia hoſtium inſectationibus obnoxia fuit, acerrimi Chriſtianorum hoſtes fuere Judæi. Si igitur Ethnici vocati ſunt intuentibus vobis ac ſentientibus, conſequens fit, ut Evangelium noveritis: id quod conficiendum erat.

Nonnulli (e) ita interpretantur: *Numquid Iſraël non cognovit* vocationem Gentium ad Fidem? Omnino ignorare non potuit, quippe a Moyſe apertiſſimè prædictam iis verbis: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*, &c. quibus & gentium vocatio & reprobatio Judæorum luculentiſſimè ſignificatur. Prior tamen interpretatio magis ad mentem Apoſtoli accedere videtur.

℣. 20. Iſaias autem audet, &c. Luculentiùs etiam Iſaias hic vocationem gentium, & conſequenti ℣. voluntariam Judæorum infidelitatem demonſtrat, Dei nomine clamans: *Inventus ſum a non quærentibus me*. Gentiles, quibus ignotus eram & neglectus, me invenere, dederuntque manus ſtatim ac Evangelii mei prædicationem audierunt: *Palam apparui iis, qui me non interrogabant*, non quærebant. In Novi Teſtamenti Libris *interrogare* frequenter uſurpatur pro rogare, quærere, flagitare (f).

℣. 21. Ad Iſraël (g) autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, &c. Id porrò argumentum eſt, nullam Judæis eſſe ſuæ obſtinationis excuſationem. Queritur Deus, illos eſſe pervicaces, ſuisque ſuaſionibus refractarios: ait, ſe *totâ die*, ſive *omnibus diebus* (h) manus ad illos tetendiſſe; ſua illis verba nunciari juſſiſſe: at illos tum Dei tum Prophetarum monita aſpernatos. Iſaias certè de rebus ætate ſuâ geſtis, deque iis quæ præceſſerant, agebat: ſimul tamen ſignificabat, quæ in poſterum eventura erant; habebaturque exploratiſſimum, Chriſtum & Apoſtolos labore ſemper fermè inutili Judæam & Jeroſolymam docendo peragraſſe, auresque docentibus præbuiſſe Judæorum quàm pauciſſimos, ſi cum iis qui recuſavere, conferantur. CA-

(z) *Concil. Trident. ſeſſ. VI, de Juſtificatione, cap.* 13.

(a) *Vide Rom.* I, 8; *Act.* VII, 6; *Coloſſ.* I, 6, 23: *Quod prædicatum eſt in univerſâ terrâ quæ ſub cælo eſt. Vide & Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Grot. Eſt. alios.*

(b) *Vide Euſeb. & Hieronym. in Iſai.* XVIII, 2; *Juſtin. Dialog. pag.* 234; *Origen. lib.* 6 *contra Celſum.*

(c) *Eraſm. Grot. Parα. Eſt. Druſ.* (d) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Vat. Hammond. Grot.*

(e) *Tolet. Menoch.* (f) *Vide Luc.* V, 3; VII, 3; XIV, 18: Ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον, *&c.*

(g) Πρὸς Ἰσραὴλ. Reddi poteſt: *Ad Iſraël, quod ad Iſraël*, vel *adverſùs Iſraël.*

(h) *Iſai.* LXV, 2. כל היום. 70, Ὅλην τὴν ἡμέραν. *Symmac. & Aq.* Πᾶσαν ἡμέραν, *apud Theodoret. hic.*

CAPUT XI.

Aliquot Iſraelis reliquias ſibi reſervavit Deus, cæteris in obſtinatione ac cæcitate perſeverantibus. Gentes oleaſter ſunt inſitus bonæ oleæ, nempe Judæis. Futura Judæorum converſio. Judiciorum ac Sapientiæ Dei altitudo.

℣. 1. Dico ergo: Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Benjamin.

℣. 2. Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit. An neſcitis, in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum adversùm Iſraël?

℣. 3. Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.

℣. 4. Sed quid dicit illi divinum reſponſum? Relìqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal.

℣. 5. Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ, ſalvæ factæ ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NUMQUID DEUS REPULIT POPULUM SUUM? Novam ſibi difficultatem objicit Apoſtolus, nomine Judæorum. An Deus omnino rejecit Iſraëlem, cui tam multa olim ac magnifica promiſerat, quem peculiaribus adeò beneficiis eſt proſequutus? ubi jam promiſſorum fides, & conſiliorum conſtantia? Iſta avertat Deus; nimirum res Iſraëlis amo, utpote ipſe Iſraëlita; ac pro certo credo, quamplurimos ſui cultores ſervosque fideles e gente ſuâ ſibi Dominum reſervaſſe. Ipſe ego ejus rei exemplum ſum & argumentum (a).

℣. 2. NON REPULIT DEUS PLEBEM SUAM, QUAM PRÆSCIVIT, quam gratuito beneficio elegit (b), & ſcientiæ ac dilectionis prærogativâ ex univerſis ſecrevit. Sive, præſcientiâ pro ſimplici cognitione ſeceroente & comprobante uſurpatâ: Scio, populum ſuum penitus a Deo non fuiſſe rejectum, cui ſcilicet is nunquam non benevolentiam ac miſericordiam exhibuit (c).

AN NESCITIS, IN ELIA QUID DICIT SCRIPTURA (d)? ſive, per Eliam, de Elia, ſeu denique, in Elia, ubi ſcilicet de Elia ſcribitur? Rabbini, cùm ſententias e Scripturis recitant, uſurpare ſolent: Scriptum eſt in Abraham, in Saul Rege, in Locuſtâ; ut innuant locum Geneſeos de Abrahamo, Samuelis de Saule, Joëlis de Locuſtis, &c. Ita hîc Paulus Scripturam laudat in Elia, ſcilicet, in Eliæ hiſtoriâ (e).

℣. 3. DOMINE, PROPHETAS TUOS ... ET EGO RELICTUS SUM SOLUS. Achabi & Jezabelis ætate florebat Elias, iis nimirum temporibus, quibus miſeriora in decem Tribuum Regno pii homines nunquam experti ſunt. Acerrimo Divinarum rerum ſtudio flagrans Elias, cum Deo queritur, Prophetas Domini interfectos, everſas aras; eas fortaſſe, quas Prophetæ in monte aliquo ſacras Deo ſtruxerant, ne populi reliquiæ, quæ fidem Deo ſervaverant, in ſuperſtitionem ruerent. At reſpondet Deus, malum tam latè non ſæviiſſe, quàm ipſe arbitratur; ſolum non eſſe Eliam in Dei obſequio conſtantem; ſeptem hominum millia ſibi ſervaſſe Deum, quæ Baalem non coluere. Colligit hinc Paulus, cùm Eliæ ætate, quo tempore Dei religio apud Iſraëlem in oblivionem penitus abiiſſe videbatur, tam multi laterent pii Iſraëlitæ, fieri poſſe, ut ætate ſuâ plures eſſent fideles Judæi ac prædeſtinati, quàm vulgò hominibus viderentur: Electorum numerum Deo exploratum eſſe; &, ſi hactenus perpauci eſſent ex Judæis Chriſto credentes, futurum fortaſſe, ut quamplurimos deinceps Deus in Eccleſiam convocaret.

Iſraëlis Regnum a Regno Juda ſejunctum, Judæos reprobos incredulosque, ab Judæis electis ac fidelibus, Jeſu Chriſto coætaneis, ſecretos, ſignificabat. Dei cultum deſeruere decem Tribus; tenuere Judas & Benjamin. Idem contigit temporibus Pauli. Judæorum pleſique pervicaci animo priſcis Legibus inhærentes, Meſſiam ac Dei Regnum ſibi nunciatum rejecere: at ex iis ipſis, qui reprobæ & pervicaciſſimæ gentis loco habebantur, ſelecti fortaſſe fuere quamplures, qui vel jam crederent, vel aliquando eſſent credituri (f). Iſta ſcribit Paulus, ne animos Judæorum irritet, utque illos doceat, ſe nihil ſimultatis in ipſos fovere.

℣. 5. SIC ERGO ET IN HOC TEMPORE, RELIQUIÆ SECUNDUM ELECTIONEM GRATIÆ, SALVÆ FACTÆ SUNT. Græcus legit dumtaxat (g): *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ, ſecundùm electionem gratiæ, factæ ſunt.* Omittit, *ſalvæ*. Minimus Judæorum numerus, qui Chriſto nomina dederunt, aptiſſimè deſignatur iis, qui Eliæ ætate in Domini obſequio perſeveraverant. A propoſito non diſce-

(a) *Vide Theodoret.* (b) *Deut.* VII, 7; *& Rom.* XI, 6; *& Tolet. hic, Eſt.*

(c) *Vide Rom.* VIII, 29; 1 *Petr.* I, 20. *Vat. Verſ.*

(d) Ἐν Ἠλίᾳ, *De Elia. Eraſm. Illyr. Tig. Pagn. Caſtal. Ludov. de Dieu, Glaſſ.*

(e) *Vide Heinſ. Verſ. Camer. Eſt. Grot. Syr. Arab.* (f) *Theodoret. hic.*

(g) Οὕτως ἐν καὶ τῷ νῦν καιρῷ λῆμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. At Origenes, ſive Rufinus in hunc locum, Ambroſiaſter, cum Vulgatâ conſentiunt. Non legit pluribus in locis S. Auguſtinus; ex quo oritur conjectura, iſta addita eſſe a librariis. *Brugenſ. Eſt. Mill.*

℣. 6. Si autem gratiâ, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.

℣. 7. Quid ergo? quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt:

℣. 8. Sicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.

℣. 9. Et David dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis.

℣. 10. Obſcurentur oculi eorum, ne videant: & dorſum eorum ſemper incurva.

COMMENTARIUS.

diſcedit Paolos; ac diſertiſſimè hîc ſcribit, has Iſraëlitarum reliquias integram Domino fidem ſervaſſe, gratuitâ Dei electione: *Secundùm electionem gratiæ*; ne gloriarentur illi, quaſi id fide & bonis operibus promeruiſſent (b).

℣. 6. SI AUTEM GRATIA, JAM NON EX OPERIBUS. Ne quis igitur glorietur, bonis operibus ſe id eſſe aſſecutum, ut ad Fidem a Deo vocaretur. Quemadmodum ſeptem millia hominum, qui Baalem non coluere, gratuito beneficio electa ſunt, *Reliqui mihi*; ita & ii, qui Chriſto crediderunt, gratuitâ prorſus electione inter cæteros ſecreti ſunt: *Secundùm electionem gratiæ*. Quòd ſi merâ dumtaxat gratiâ, jam non operum causâ: *alioqui gratia jam non eſt gratia* (i), ſed debitum.

Græcus addit (k): *Si ex operibus, jam non eſt gratia. Alioqui opus jam non eſt opus*. Si bonorum operum causâ illos elegit Deus, nullâ jam gratiâ illos donavit: ſi verò gratiâ, opus jam non eſt opus, nullum eſt meritum: atque ita meritum ſimul eſſet & non eſſet, gratia foret ac debitum: id quod verbis pugnat. Hæc tamen Additio in vetuſtis Codicibus non legitur, pota in Alexandrino, Claromontano, S. Germani Pratenſia, Græco-Latinis, aliiſque optimæ notæ. Deeſt etiam in omnibus omnino Latinis; eamque non agnovere Commentarii ſub Ambroſii, Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti nominibus vulgati. Hinc fit, ut a Librariis ſubſuta cenſeatur (l).

℣. 7. QUID ERGO? QUOD QUÆREBAT ISRAEL, HOC NON EST CONSECUTUS. Suam ipſe juſtitiam in literali Legis obſervatione quærens Iſraël, ut ait Apoſtolus ſupra, x, 3, excidit a verâ juſtitiâ, quæ in Fide & Jeſu Chriſti gratiâ invenitor. Ii dumtaxat, qui a Deo electi fuere, ejuſque gratiâ præoccupati, veram juſtitiam, ſive in Eccleſiâ ſive in Synagogâ, repererunt (m). Cæteri in cæcitate permanſere. Vide ſupra, ix, 31, 32.

ELECTIO AUTEM CONSECUTA EST (n). Invenere ii, qui a Deo electi ſunt; Iſraëlitæ vocatione donati: quos Deus gratiâ elegit ac vocavit ad Fidem, ſive ad gloriam prædeſtinavit. *Cæteri verò excæcati ſunt*. Græcus (o): *Obdurati ſunt*. Obfirmavere animum in ſcelere, & Chriſtum Jeſum agnoſcere renuerunt: quamobrem Deus ſuæ illos libidini ac mentis errori reliquit: illorum lapsum, infidelitatem, infortunium permiſit, non inſidiis circumveniens, aut malitiam inſpirans, ſed miſericordiam denegans.

℣. 8. DEDIT ILLIS DOMINUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS: ſoporis ac ſtuporis. Græcus cum Vulgatâ conſentit (p). At Hebræus (q) procul dubio ſoporem ac ferreum ſomnum ſignificat; ac perſæpe Septuaginta Græcam vocem *Catanuxis* pro ſomno uſurpavere (r). Deus igitur propinavit Iſraëli potionem, qua ebrius fieret, ejuſque ratio & intellectus hebetaretur; in ebrietatem quamdam ruere paſſus eſt, ita ut Jeſum Chriſtum, & quæ ſibi eſſent utiliſſima, non agnoſceret. Iſraëlis errorem & infidelitatem agendo non juvit Deus (s): errare paſſus eſt, non vetando. *Spiritum compunctionis* S. Chryſoſtomus ac Theodoretus certam obſtinatamque male agendi conſuetudinem interpretantur.

OCULOS, UT NON VIDEANT. Oculis illos inſtruxit Deus, quibus ii uti noluere, ut quid officii ſui eſſet, perſpicerent. Stuporem culpâ ſuâ & cæcitatem retulere; ſive quòd auxilia a Deo oblata rejecerint ſpreverintque, ſive quòd Deus æquiſſimâ juſtitiæ ſuæ vice illis deinde negaverit auxilia, quibus illi ſeſe indignos aliquando præbuerunt, miſericordiam non exhibuerit, ſuâque illos in maſsâ corruptionis reliquerit. Vide ſupra, ix, 18, 19, 20, 21, 22.

Locus, quem explicamus, ex congeſtis in unum ſententiis, propoſito ſervientibus, conſtat. Hæc verba, *Oculos ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem*, in Deuteronomio (t) leguntur, non in Iſaia. Ea uſurpavit Apoſtolus, ut oſtenderet, Judæos eodem ſemper fuiſſe ingenio, pervicaces, Deo refractarios; unamque illorum infidelitatem, nullo unquam argumento fractam, ſi aliæ deeſſent, juſtam ſatis fuiſſe cauſam, cur rejicerentur.

℣. 9. FIAT MENSA EORUM IN LAQUEUM. Pſalmus

(b) *Tolet. ex Auguſt. Theodor. Eſt. Menoc. Tir. Vorſt. Para. Vat.* (i) *Eſt. Tolet. Men. alii qui ſupra.*

(k) Εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις. Ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶν ἔργον.

(l) *Eraſm. Zeger. Eſt. Grot. Mill.* (m) *Vide Eſt. Menoc. Tir.*

(o) Ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν. *Grot. Vorſt. Eſt. Menoc.* Ἐκλογὴν τοὺς ἐκ τῶν Ἰουδαίων πεπιστευκότας καλεῖ. *Theodoret.* (o) Οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν. Legiſſe videtur Vulgata: Ἐπηρώθησαν.

(p) *Iſai.* xxix, 10: Πνεῦμα κατανύξεως, *Spiritum compunctionis*. Uſurpaſſe videntur κατανύξις pro κατανυσταξις, ſive κατανυσταγμὸς, ex κατανυστάζω, quo verbo interdum utuntur Septuaginta.

(q) רוח תרדמה

(r) *Vide 70 in Pſal.* lix, 3: Ἐπότισας ἡμᾶς οἶνον κατανύξεως. *Hebr.* הרעלה *Pſal.* lxxv, 6: Ἐνύσταξαν οἱ ἐπιβεβηκότες τοὺς ἵππους. *Levit.* x, 3; *Iſai.* xlvii, 5. *Vide & Eccli.* xxi, 21; *& Pſal.* iv, 5, κατανύγητε. *Hebr.* דמו *Silete*. *Vide Lud. Capell. Lud. de Dieu, Hamm. Grot. Le Clerc hic.*

(s) *Chryſoſt.* Τὸ ἔδωκεν, ἐνταῦθα μὴ ἐνέργειαν νόμιζε εἶναι, ἀλλὰ συγχώρησιν. Κατάνυξιν δὲ, ἐνταῦθα τὴν περὶ τὸ χεῖρον ἕξιν τῆς ψυχῆς φησι, τὴν ἀνιάτως ἔχουσαν καὶ ἀμεταθέτως. *Ita & Theodoret.*

(t) *Deut.* xxix, 4.

℣. 11. Dico ergo: Numquid ſic offenderunt, ut caderent? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus, ut illos æmulentur.

℣. 12. Quòd ſi delictum illorum divitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum divitiæ Gentium: quantò magis plenitudo eorum?

℣. 13. Vobis enim dico Gentibus: Quamdiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo,

℣. 14. Si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, & ſalvos faciam aliquos ex illis.

℣. 15. Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis?

COMMENTARIUS.

mi xlviii, 23, ex quo hauſta eſt hæc ſententia, de iis explicatur, qui fideles Judæos inſectabantur, quibus mala hæc a Prophetâ prædicuntur (u). Fidelium Judæorum adverſarii reprobos Judæos, qui Chriſtianos odere, ſignificant; quæque mala illis nunciat Propheta, iſtis omninò conveniunt. Fel & acetum in cibum potumque mihi illi exhibuere: iſthæc ipsa veneno illis ſint; cùmque illi ad menſam acceſſerint, hoſtium inſidiis capiantur; ruant, & ad lapidem confringantur.

Altare ac Templum, quibus fiducia Judæorum nititur, laqueus iis ſint, & lapis offenſionis. Illorum oculi tenebris obducantur, & cervix ad terram inflexa opprimatur. Hoc ipſum reverà uſu vênit Judæis in ſupremo Romanorum bello: Urbs, Templum, Altare quodammodo laqueus illis fuere, quo capti ſunt. Mœnium firmitate, fortitudine militum, inanique elati fiduciâ, futurum nunquam, ut Deus Templum, Altare, Sanctuarium temerari pateretur, bellum univerſæ genti exitiale temerè ſuſceperunt. Odio in Chriſtianos cæci, illos inſectati ſunt, & obique calumniis oppreſſere, rati, ſe obſequium Deo præſtare; at minimè ſentientes, ſupremum criminibus ſuis faſtigium ſe imponere, omnesque in caput ſuum calamitates provocare (x).

℣. 11. Numquid sic offenderunt, ut caderent? Nulla ne converſionis spes Judæis eſt (y)? nunquam illi ad Deum revertentur? Sive: Ita ne ruerunt, ut omnes penitus ad unum perierint (z)? Seu denique: Judæorum lapsus nedum præter remedium eſt, verùm etiam præter utilitatem (a)? Minimè gentium: *ſed illorum delicto, ſalus eſt gentibus*. Cur verò? *Ut illos ipſi æmulentur*. Ut Judæis a fide excidentibus, Gentiles in eorum locum ſubirent; & Judæi debitum ſibi locum ab externis occupari ægrè ferentes, in Eccleſiam confluere, & Fidem amplecti properarent. Hoc loco Apoſtolus ad Moyſis verba, ſupra recitata (b), alludit: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem*. Conſentiunt Interpretes (c) futurum fuiſſe ut, ſi Judæi a fide non deſciſcerent, neque Chriſtum rejicerent, Gentiles in Eccleſiam eo tempore ac modo, quo id geſtum eſt, non ingrederentur. Nunciatum Judæis Evangelium ipſi amplexi eſſent, plenusque illorum numerus ſalutem aſſecuturus fuiſſet, antequam Gentiles converterentur: at contra res habuit ſeſe, Judæorum culpâ: cæteris prævenere in Eccleſiam Gentiles, neque venturi ſunt Judæi, niſi Gentium multitudine ſalutem conſecutâ (d). Quæ dixi, de universâ collectione Judæorum intellige, ſub exitum ſæculorum ad Chriſtum acceſſurâ: non enim deſunt ex iis aliqui, qui identidem Chriſtianam Religionem amplectantur.

℣. 12. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, &c. Si Deus, arreptâ opportunitate ex Judæorum perfidiâ, tam multas in mundum opes effudit, ac tam multos ad Fidem Gentiles arceſſivit, quid futurum eſt, cùm Judæi in ſæculorum exitu nomina dederint Chriſto, & ad Eccleſiam acceſſerint (e)? Quàm beatus gratiæ, gaudii, hilaritatis, fervoris imber tum Gentiles olim converſos, tum Judæos nuper adjunctos proluet? Quàm felix inter utroſque æmolatio ſtudiorum erga Dei obſequium, animorumque vocatione gaudentium?

℣. 13. Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, &c. Quæ pro Judæis dixi, ſuſpicionem vobis, Gentiles, ne ingerant; quaſi illos vobis præferam, aut vos minimi faciam, veluti idcirco ingreſſos Eccleſiam, quòd illi beneficium iſtud rejecerint. Vocationis veſtræ gratiam non minuo; quin & illuſtrare conor, quippe qui me Gentium Apoſtolum eſſe glorior, ad miniſterium iſtud a Deo & Eccleſiâ electum (f). Gentiles ad Eccleſiam convocare, eoſque hortari non deſinam, ut fide & obſequio dignos ſe hoc beneficio exhibeant; nimirum ut horum Fides, ſtudium, ſanctitas piam ac ſalubrem in Judæis æmulationem pariant, eoſque ad imitationem ingrediendi in Eccleſiam impellant (g). Id proximo commate ſubdit.

℣. 14. Provocam carnem meam, Judæos fratres: modus dicendi eſt Hebraicus, in Veteris Teſtamenti Libris uſurpatus (h): Caro es ex carne meâ, & os ex oſſibus meis: frater, conſanguineus.

℣. 15. Si amissio eorum reconciliatio est mundi. Futuram Judæorum converſionem ac vocationem ægrè ne feramus, gloriæ nobis & utilitati futuram; Eccleſiæ, reſurrectionem quodammodo, novamque vitam. Cùm Judæi ad Chriſtum acceſſerint, nova in Fidelibus univerſis bene agendi æmulatio, novumque perfectionis ſtudium vigebit. Sive: Judæorum converſio tam jucunda cæteris Fidelibus futura eſt, quàm reddita incolumitas amico ex morte revertenti, quem amiſſum lugebamus (i). Denique: Cùm illi reſipuerint, tum univerſalis omnium Reſur-

re-

(u) Vide nos in eum Pſalmum. (x) *Vide Grot. Eſt. Brais.*
(y) *Origen. Tolet. Eſt. Menoc. Eraſm. Grot. Hammond. alii.* (z) *Vide Eſt. Hamm. Vatab.*
(a) *Vide Auguſt. hic, & Zeger.* (b) *Rom. 2, 19, ex Deut.* xxxii, 21.
(c) *Eſt. Tolet. hic; Med. in Apoc.* vii, 4, *&c.* (d) *Rom.* xi, 25.
(e) *Vat. Eſt. Men. Tir. Grot. Para.* (f) *Act.* ix, 15; xiii, 2; *Galat.* ii, 7.
(g) *Vide Tolet. Eſt. Menoch. Tirin. Vatab. alios.*
(h) *Geneſ.* xxix, 14; xxxvii, 27; *Levit.* xviii, 12, 13, 17, *&c.*
(i) *Grot. Vatab. Vorſt.*

Digitized by Google

℣. 16. Quòd ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami.

℣. 17. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis olivæ factus es,

℣. 18. Noli gloriari adversùs ramos. Quòd ſi gloriaris: non tu radicem portas, ſed radix te.

℣. 19. Dices ergo: Fracti ſunt rami, ut ego inſerar.

℣. 20. Benè: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time.

COMMENTARIUS.

rectio fiet. Proximæ felicitatis noſtræ, rerumque omnium inſtaurationis indicium erit (k).

℣. 16. Quod si delibatio sancta est, et massa. Gentiles, qui Chriſto creditis, Judæos ad Chriſtum converſos ne aspernemini, eosque a veſtrâ conſuetudine ne ſegregetis (l); quin neque eos, qui nondum Eccleſiæ acceſſerunt: gens enim iſta, quantumvis incredula, &, ut ita dicam, derelicta, præclariſſimis adhuc laudibus commendatur. Conſperſio eſt, ex qua primitiæ oblatæ ſunt Deo. Minima hæc pars Deo exhibita, conſperſionem univerſam ſanctam efficit. Ita modicus Judæorum numerus, qui nomina dederunt Chriſto, ceu totius gentis primitiæ ſunt: gens tota modico iſto Credentium numero ſancta redditur. Tota olim ſimul Deo conjungetur.

Alludit hic Apoſtolus ad Moyſis ſanctionem (m), qua cavebatur, ut conſperſionis primitiæ Deo dicarentur. Hæ porrò ſingulorum locorum Sacerdotibus aut Levitis exhibebantur. Id ætate ſuâ ſervatum, teſtatur Philo (n); ſolentque adhuc Judæi aliquam conſperſionis partem ſeparare, & igni tradere (o), dum penitus comburatur. Teſte S. Hieronymo (p), Judæorum mos & traditio ſexageſimam partem ut minimum, quadrageſimam ut maximum definierant.

Et si radix sancta, et rami. Judæi ſanctâ ex radice orti ſunt, ſanctis nimirum Patribus & Patriarchis (q). De iſtorum ſalute & converſione deſperandum non eſt. Primi omnium Divino Fœdere veteri comprehenſi fuere: putandum eſt, nolle Deum, ut a Novo penitus excludantur. Exhibita illis promiſſa Deo non exciderunt: illa citiùs ſeriùsve complebit. Patrum ſanctitas illis non imputatur: propriâ intrinſecùs ſanctitate non gaudent, ſed exteriori dumtaxat, morali, analogicâ, quæ proximum certè jus in Regnum Cœlorum illis non tribuit, at remotum, converſionis illorum ſpe innixum.

℣. 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt; ſiqui ex Judæis increduli permanſere, atque a promiſſis, Patribus ipſorum præſtitis, exciderunt, idcirco gens tota ſpernenda eſt? Si qui arboris rami fracti ſunt, rejecta ne arbor dici poteſt, atque igni tradita? Ipſe tu, o Gentilis, *cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis*, Judæis, qui bona olea ſunt: omnia debes trunco, cui inſitus fuiſti: ex eo humorem & ſuccum trahis. Niſi Judæi eſſent, in Eccleſiam non intraſſes. Hi Evangelium tibi Chriſtumque nunciavere. Si eorum nemo a promiſſis excidiſſet, illorum particeps tu fortaſſe non eſſes. Diſce igitur, quanta debeas Judæis.

Mirum, quòd Paulus comparationem ducat ex re, quæ agricolarum arti repugnat. Non ſilveſtris arbor ſativæ inſeritur, ſed ſativa ſilveſtri, ut humor a ſilveſtre exſuctus, ſativæ fibris exceptus, naturam mutet, ac purgetur, fructum producturus ex naturâ arboris inſitæ.

At in comparationibus illud uſurpari ſolet, quod argumento ſerviat; neque urgenda eſt comparatio præter loquentis propoſitum: ſatis eſt, ſi fieri queat id quod ſcribit Paulus. De fructu a Gentilibus ferendo hic non agit: illud ſolummodo vult, Gentiles inſitos eſſe Judæis. Quò magis præter naturam eſt inſitio, eò luculentius eſt beneficium a Deo Gentilibus præſtitum. Arboris truncus Patriarchæ ſunt; rami, Hebræi; boni rami, trunco inhærentes, Apoſtoli & Judæi Chriſto credentes; rami fracti, Judæi increduli; ſurculi pro fractis ramis inſiti, Gentiles ad Chriſtum converſi. Hoc porrò eſt comparationis propoſitum (r).

Socius radicis et pinguedinis, promiſſionum Patriarchis exhibitarum, fidei illorum, & cognitionis Dei, gratiæ cum illis a Deo communicatæ. Gratia & Fides, quæ Veteris Teſtamenti Sanctos fecit, eadem & Novi facit.

℣. 18. Noli gloriari adversus ramos. Ramos neque fractos, neque trunco inhærentes aspernare; nimirum neque converſos Judæos, neque cæteros. Per converſos te vocavit ad Fidem Deus; cæterorum locum tu occupas. De illorum ſalute deſperandum non eſt: propinquiores ſaluti erant illi quàm tu, cùm a Deo illuſtrareris. *Non tu radicem portas, ſed radix te.* Multum debes Patriarchis, Hebræiſque Fidelibus; tibi non item illi. Nihil hi ex te accepere, tu multum ex illis (s).

℣. 19. Fracti sunt, ut ego inserar. Me illis antepoſuit Deus, cùm illos excluſerit, ut me intra Eccleſiam admitteret: paſſus eſt eos cadere, ut ego ſurgerem (t). Sive: Fracti ſunt illi, meque loco illorum inſeruit Deus (u). Adversùs ramos, non adversùs radicem efferor.

℣. 20. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. In Deo gloriari potes, illique grates reddere, quòd illorum loco te ſubſtituerit. Incredula illorum mens digna fuit pœnâ: *Tu verò fide ſta* (x); time ne cadas, ſimilemque pœnam in te provoces. Dei populus hi olim erant, filii fœderis; nunc hiſce laudibus ſpoliati: idem imminere tibi fatum poteſt: fieri potes arrogans, incredulus, obſtinatus; tuæque virtuti aut geſtis

(k) *Chryſoſt. Theodoret. Anſel. Tolet. hic.* (l) *Vide Grot. hic.* (m) *Num.* xv, 20.

(n) *Philo, de Præmiis Sacerdotum, initio*: Κελεύει γὰρ τοὺς σιτοποιοῦντας ἀπὸ παντὸς φυράματος ἄρτον ἀφαιρεῖν ἀπαρχὴν εἰς ἱερέως χρῆσιν.

(o) Leon Modena, part. 2, c. 9, De' Riti Giudaici. (p) *Hieronym. ad cap.* XIV *Ezech.*

(q) *Tolet. Vorſt. Para. Eſt. Men. alii.* (r) *Origen. Grot. Caſtal. Tolet. Eſt. Eraſm. Menoch.*

(s) *Tolet. Eſt. Grot. alii.* (t) *D. Thom. Eſt.* (u) *Tolet. Grot. Men.*

(x) Σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας. *Fide ſtas*, ſive, *per fidem ſtas. Tolet. Eſt. Menoc. Para.*

℣. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat.

℣. 22. Vide ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excidêris.

℣. 23. Sed & illi, ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.

℣. 24. Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam: quantò magis ii, qui ſecundùm naturam inſerentur ſuæ olivæ?

℣. 25. Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc, (ut non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret;

℣. 26. Et ſic omnis Iſraël ſalvus fieret, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion, qui eripiat, & avertat impietatem a Jacob.

COMMENTARIUS.

ſtis non debea quòd ſtas, ſed Fidei, quæ merum eſt Divinæ miſericordiæ beneficium. Fides, vocatio, gratia amitti queunt (y). Suâ ex imbecillitate timenda ſunt homini omnia, colendaque eſt animi demiſſio. ℣. 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne fortè nec tibi parcat.*

℣. 22. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei (z), bonitatem erga te, ſeveritatem in Judæos infideles. Expertus bonitatem in vocatione donoque Fidei, quod immerito largitus eſt Deus, time, ne juſtitiæ ſeveritatem in pœnâ infidelitatis, arrogantiæ ac perfidiæ experiaris. Perſeverantiam, ſine qua cætera Dei dona tibi ſunt inutilia, minimè tibi debet Deus (a).

℣. 23. Si non permanserint in incredulitate; ſi ad Dominum acceſſerint, iterum radici ſuæ inſeri poterunt, ſuumque in locum poſtliminio reſtitui: *Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos.* Largiri poteſt illis, ut tibi, cor carneum, & Fidei donum, iisque miſericordiam aliquando exhibere, uti nunc ſeveritatem in ipſos exercet (b).

℣. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, ut bonæ oleæ inſerereris, multo faciliùs poteſt Deus, ſativam oleam radici ſuæ inſerere, fractumque ramum loco ſuo reſtituere. Majori operâ inſitus tu fuiſti. Si ergo præſtare potuit Deus id quod eſt difficilius, omnino poterit id quod facilius fuerit.

℣. 25. Nolo vos ignorare mysterium hoc. Ne fortè in errorem feramini, perperam uſurpatis iis, quæ hactenus dixi, myſterium, vobis nondum fortaſſe ſatis notum, explico. Docui, vos mero Divinæ miſericordiæ beneficio fuiſſe vocatos (c), ac Dei conſilia de vobis nullâ re poſſe turbari (d); quos ille vocavit, hos & juſtitiâ & gratiâ cumulaſſe (e); credentem Chriſto, ſalutem conſecuturum (f); juſtum denique Fide vivere (g). Ex his colligendum videbitur, ſalutem vobis eſſe certiſſimam, nullumque ſupereſſe metum exitii, cùm inter Electos recenſeamini. At arcanum in eâ re myſterium latet, vobis ignotum, quod ſtatim explico. Certiſſima ſunt quæ tradidi: nemo ex prædeſtinatis periturus eſt: at multi ſunt vocati, pauci verò electi (h): Fide, juſtitiâ, primâque gratiâ donantur multi, quos Deus ad gloriam æternamque beatitudinem non prædeſtinavit. Certam igitur bonorum operum exercitatione, demiſſione animi, integrâque fide erga Dei beneficia, ſalutem veſtram ac vocationem efficite. Hoc fuſiùs docet Apoſtolus Capite XII.

Aliud eſt myſterium, quod vobis explicari neceſſe eſt; partem ſcilicet Judæorum ruiſſe in infidelitatem, ut Dei miſericordia & vires in vobis primùm, deinde in illis emicarent: in vobis quidem, per vocationem ad Fidem; in illis verò, ſub exitum ſæculorum, per converſionem ad Dominum. Infidelitas Judæorum occaſio veſtræ fidelitatis fuit (i); veſtraque fides illos aliquando ad Deum trahet. Miſericordiæ erga genus Abrahami nunquam oblitus eſt Deus. Deo inimici nunc Judæi ſunt, quòd in illorum locum vos ſubieritis: at amici ſunt ob Patres veteresque Patriarchas (k), atque ob electionem, qua illos ſecrevit Deus, ut gentem ſuam componerent. Vitam igitur ita inſtituite, ut Dei furorem, quemadmodum illi, non experiamini.

℣. 26. Et sic omnis Israel salvus fieret. Iſraëlis lapſus neque in univerſum eſt, neque ſpe reparationis caret; pars Chriſto credidit; para aliquando credet, atque ad Eccleſiam convertetur (l). At quando? cùm plenus gentium numerus intraverit; in exitu ſæculorum (m); eo tempore, quod unus novit Deus. Verba hæc, *Omnis Iſraël ſalvus fiet*, propriè a plerisque uſurpantur. Putant alii, explicanda eſſe de univerſitate non abſolutâ: omnes fermè reſipiſcent: ingens adeò futurus eſt illorum numerus, ut cæteri cum his collati pro nullis habeantur (n).

(y) *Vide 1 Timot.* 1, 19; II, 15; IV, 1, 7; *& 1 Cor.* XVI, 13; 2 *Petri*, I, 10.
(z) Χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν. (a) *Vide Eſt. Tolet. Grot. alios.*
(b) *Vide Eſtium hic*; *& Rom.* IV, 21; XIV, 4; 2 *Cor.* IX, 8; *&* 2 *Timot.* I, 12; *Hebr.* XI, 19.
(c) *Rom.* 15, 15, 16, 13. (d) *Rom.* VIII, 1, 2, *& ſeq.* (e) *Rom.* VIII, 30. (f) *Rom.* 15, 33.
(g) *Rom.* III, 28. (h) *Matth.* XX, 16.
(i) Vide infra, ℣. 32. (k) Infra, ℣. 28.
(l) *Eſt. Vorſt. Tolet. Perer. Menoc. Para. alii. Ita & PP. paſſim.*
(m) *Ita Origen. Ambroſ. Chryſoſt. D. Thom. Alii plures apud Eſt. hic.* (n) *Vide Perer. hic, Disp.* 13; *Menoc. Para.*

℣. 27. Et hoc illis a me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum.
℣. 28. Secundùm Evangelium quidem, inimici propter vos: ſecundùm electionem autem, chariſſimi propter patres.
℣. 29. Sine pœnitentiâ enim ſunt dona, & vocatio Dei.
℣. 30. Sicut enim aliquando & vos non crediditis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis, propter incredulitatem illorum:
℣. 31. Ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, ut & ipſi miſericordiam conſequantur.

COMMENTARIUS.

℣. 27. Et hoc illis a me testamentum, hoc fœdus cum illis feriam, cum abstulero peccata eorum. Sive: Hujusmodi fœdus cum illis feriam: nimirum delebo illorum peccata, inter amicos excipiam, auferam cor lapideum, & carneum dabo.

℣. 28. Secundum Evangelium, inimici. Judæi Evangelio non credentes, inimici ſunt Deo, veſtri causâ: vos enim per miſericordiam vocavit Deus, illos per juſtitiam in infidelitate deſtituit (o). Opus eſt igitur illos ametis, eorumque vos miſereat. Filii erant legitimi; hos repudiavit Deus, ut vos adoptaret. Illorum igitur infortunio ne illudatis, ac modeſtè utimini beneficio: mementote, illos *ſecundùm electionem chariſſimos eſſe propter Patres*. Cùm cæteras inter gentes illos elegerit Deus, ſanctâque & chariſſimâ e radice eduxerit, latentem ſecretamque erga illos miſericordiam mente fovet (p), ſuo tempore, infinitæ dumtaxat ipſius ſapientiæ explorato, prodituram. Minimè patietur Deus, ut gens olim adeò chara, penitus ac præter ſpem pereat: expletâ ſeveritate, clementiam exercebit.

℣. 29. Sine pœnitentia (q) enim sunt dona et vocatio Dei. Irrevocabilia ſunt Dei dona, nec voluntatem mutat Deus, uti ſolent homines, ab odio ad amorem, ab amore ad odium tranſeuntes; inconſtantes, leves, incerti. Secum pugnare nequit Deus, qui Abrahami genus in gentem ſuam elegit, verbisque adeò ſolemnibus pollicitus eſt, ſeſe fore illius mercedem. Populi, quocum fœdus faciebat, præſentem futuramque inconſtantiam ac levitatem noverat; neque tamen eâ deterritus eſt, quin ſuum illi patrocinium promitteret, ſponderetque ſemper fore ſe illius Deum. Datam igitur fidem certiſſimè præſtabit Deus, parte Israëlis ſervatâ, ſi non univerſo. Ad ſe Judæos convertet ac vocabit; Fidem & vocationis gratiam largietur. Docuit Apoſtolus ſupra, Capite VIII, nullâ re fieri poſſe, quin Dei beneficia in Electos & conſilia compleantur; & Capite III, 3, 4, tum Capite IX, irrita non fore promiſſa, quæ Deus Patriarchis exhibuit.

Latiori etiam modo locus hic explicatur de omnibus Dei donis; ac diſcrimen inducitur inter ea quæ abſolutè, & ea quæ cum conditione promittit. Quæ abſolutè promiſſa ſunt, revocari nequeunt; at quæ cum conditione, revocari poſſunt, ex noſtro loquendi modo (r): propriè enim nulla eſt in Deo aut pœnitentia aut mutatio. Hujusmodi fuere promiſſa de Saule & Salomone, & cætera de præſtandâ populo pace atque ubertate, dum ille in fide atque obſequio permaneret. Ubi populus conditionibus defuit, ſtatim Dei miſericordiam erga ſe ceſſaſſe intellexit. At promiſſio de mittendo Meſſia, & cæteræ, quibus ſpoponderat Deus, ſe verorum Israëlitarum Deum ſemper fore, regnumque in illis habiturum, abſolutæ ſunt, quæ nunquam revocavit Deus, neque unquam implere deſtitit; quamvis implendarum modus cum hominum judicio & ſpe non ſemper congruat.

Qui ad gloriam prædeſtinati ſunt, excidere poſſunt a gratiâ, qua illos donavit Deus, in crimen labi, ac fieri Deo inimici: at æternum in exitium certiſſimè nunquam ruent, cùm Deus ab æterno paraverit iis auxilia, quibus illi ſalutem omnino conſequentur (s): contra, qui gratiâ dumtaxat vocationis aut Fidei donati fuere, Dei beneficiis gaudere, ac diu etiam in illius amore ac Legum obſequio vitam agere poſſunt; at beatitudinem non aſſequentur, ac perſeverantiæ donum, quod nemini debet Deus, non obtinebunt.

℣. 30. Sicut enim aliquando et vos, &c. De nullius ſalute deſperandum eſt. Olim & vos a Deo ita abhorrebatis, ut is nullam veſtri curam habiturus videretur: nihilo tamen ſeciùs, Judæis in infidelitate obſtinatis (t), miſericordiam vobis præſtitit. Viciſſim Judæi, a quibus ſpernebamini ceu a Deo derelicti, in incredulitatem lapſi ſunt, ut, vobis in Eccleſiam collectis æmulatione excitati, ad Eccleſiam confluere ſtatuerent (u). Ita, cùm Judæi ac Gentiles eâdem prorſus conditione eſſent, nullamque gloriandi rationem haberent, quippe de ſuo nihil niſi peccatum & incredulitatem ferentes, Deus miſericordiam his præſtat, illis præſtiturus eſt, nequis de ſe glorietur (x), ac nemo non confiteatur, quicquid ipſe eſt, ex Deo eſſe.

Iſtud velle mihi videntur ℣℣. 30, 31, 32. Atque hoc ipsum eſt myſterium, quod Paulus, ℣. 25, Romanis explicare volebat: myſterium ſcilicet Juſtitiæ circa ſuperbos incredulosque Judæos, a Deo rejectos; myſterium Miſericordiæ erga Judæos animo demiſſos, ſuamque infirmitatem ſentientes, in ſæculorum exitu ad Deum reverſuros. Myſterium juſtitiæ ſimul & miſericordiæ in converſione Gentilium, & Judæorum lapsu. His porrò Dei gloria, ſapientia & ſcientia mi-

tiſi.

(o) *Ambroſ. Eſt. Menoc. Perer. Tolet. Vorſt.* (p) *Origen. Tolet. Eſt. Men. Para. &c.*

(q) Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα, καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. *Quid. Codd.* ἀμετάβλητα, *Immutabilia. Apud Perer. Ambroſ. in 1 Luc. Sine ronatu; quaſi* ἀμέλητα, *vel* ἀμελέτητα. *Eſt.*

(r) *Grot. Eraſm. Vide & Theodoret. hìc:* Ὅτι γὰρ ἃ δίδωσιν ὁ Θεὸς ἀγαθὰ, πάλιν λαμβάνει, ὅταν ἴδῃ τοὺς εἰληφότας ἀχαριστίαν νοσοῦντας· μάρτυς ὁ Σαοὺλ, *&c.*

(s) *Auguſt. contra Julian. lib. 5, cap. 6; & de Corrept. & Grat. cap. 7, & 9; & de Prædeſtin. SS. cap. 16: Illorum nemo perit, quia omne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquam, &c. Vide Eſt. Menoc. Tolet. Tirin. Para. Perer. Confer Joan.* VI, 39; X, 28; XVII, 12; XVIII, 9; *Rom.* VIII, 28.

(t) *Eraſm. Vorſt. Grot. Piſc. &c.*

(u) *Chryſoſt. Grot. Para. Eſt.*

(x) *Epheſ.* II, 8, 9, 10; 1 *Cor.* IV, 7.

℣. 32. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate: ut omnium miſereatur.

℣. 33. O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!

℣. 34. Quis enim cognovit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius ejus fuit?

℣. 35. Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

℣. 36. Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: Ipſi gloria in ſæcula. Amen.

COMMENTARIUS.

rificè commendantur; adeò ut clamet Apoſtolus, ℣. 33: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei!*

℣. 32. Conclusit Deus omnia in incredulitate, nequid eſſet Judæis ac Gentilibus, quod mutuò exprobrarent; utque ſi Judæus Gentilem arguat, quòd vitam in errore ac Dei oblivione duxerit, reſpondere queat Gentilis: At tu vitæ Authorem repudiaſti, tuumque Liberatorem non cognoviſti *(y)*: quamobrem ſi ego incredulus olim fui, tu nunc es; ſi me ad Fidem vocavit Deus mero miſericordiæ beneficio, eodem & tu vocaberis. Feliciſſimam igitur ſortem, qua nunc fruor, mihi ne invideto: hanc ego non merui; at tu indignum te præbes eâ, quæ tibi parata eſt. Hoc vult totâ hac Epiſtolâ Paulus *(z)*: docere conatur tum Judæos, tum Gentiles, quicquid illi ſunt, Deo authore eſſe; ſimultates mutuas removere; arrogantiam Judæorum curare, cohibere contemptum, quo Judæi a Gentilibus habebantur; utroſque deprimere, paciſque conſtantiſſimæ inter utramque gentem, quibus & tunc componebatur, & deinceps componenda erat Jeſu Chriſti Eccleſia, fundamenta ponere. Non de ſingulis Judæis aut Gentilibus agit, ſed de utriſque ſimul collectis. *Concluſit in incredulitate*; oſtendit nempe, utroſque incredulitate detineri *(a)*, utroſque incredulitatis arguit *(b)*.

℣. 33. O altitudo divitiarum, &c. Quàm ſublimia ſunt ea quæ dixi de aliorum reprobatione, & prædeſtinatione aliorum; de electis a Deo Gentilibus, rejectis Judæis; de præſenti illorum converſione, horum verò futurâ; de lapſu Judæorum, quem permittit Deus, ut ex eo opportunitatem capiat vocandi Gentiles; de utroſumque incredulitate, ex qua gloriam ſuam colligit Deus! Quis horum cauſas evolvet? quis iſta agentis ſapientiam, & ſcientiam iſthæc myſteria pervadentem explicabit? Hanc provinciam ſuſcipere non audeo, humili ſilentio ea venerari contentus.

Divitiæ ſapientiæ & ſcientiæ ſunt abſolutiſſima & infinita Dei cognitio, pervidentis omnia quæ Electis reprobiſque contingunt, & ſapientia, qua is omnia diſponit ac moderatur; ea præſertim quæ circa Electos elucet *(c)*; viæ, quibus illos ad finem ducit; auxilia, quæ illis parat; conſilia, quæ ſibi proponit; obſtacula, quæ prævenit aut ſuperat: perſpicua horum cognitio nullâ hominis mente obtinetur. Hæc noſtrorum materia ſtudiorum, actioniſque gratiarum beatâ in æternitate futura ſunt. Inſpectâ Pauli hiſce in rebus modeſtiâ, pudeat jam eos, qui intolerabili ſuperbiâ in re difficili adeò atque obſcurâ neque Scripturarum authoritatem verentur, neque imperari ſibi ſilentium patiuntur. Si quantum ſtudii & curæ in hiſce diſputationibus impenditur, tantum ſolicitudinis in eo quiſque poneret, ut vocationem electionemque ſuam certam redderet, nobiliora virtutis exempla in Eccleſiâ cernerentur, Theologiæ ſtudium innumeris litibus careret.

℣. 34. Quis enim cognovit sensum Domini? Quis agere audeat de myſteriis hiſce, ab unâ Omnipotentis voluntate pendentibus? Quis Dei conſilia arcanoſque receſſus ſe pervaſurum ſperet? Quòd ſi hominum mente iſthæc intelligi nequeunt, viſumque Deo eſt ea minimè detegere, cur humili pavore trepidi coram Deo non ſilemus? Cur ſaluti noſtræ operam non damus cum timore ac tremore *(d)*, cùm ambiguum ſit, odio ne an amore digni ſimus *(e)*?

℣. 35. Quis prior dedit illi? Homo, quiſquis es, quid meriti habes? an quidquam tibi debet Deus? Quid exhibuiſti Deo? aut quid præſtitiſti, quod præſtare non tenereris? Si primi hominis ſcelere omnes Dei indignationem ſubiimus, quis jure queratur, quòd juſto judicio Deus hos in maſsâ corruptionis deſtituat, illos verò beneficio prorſus gratuito eripiat *(f)*? Cùm nullus eſſes, te creavit Deus, beneficiis prævertit, largitus eſt gratiam, qua bonum præſtares, quod abſque illius ope præſtare non poteras *(g)*. Quid igitur habes, quod a Deo non acceperis? *Quid dedimus Deo, quando totum quod ſumus, & quod habemus boni, ab illo habemus?* ait S. Auguſtinus *(h)*.

℣. 37. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Verba ſatis idonea non invenit Paulus, quibus ſignificet, quid ipſe cenſeat de infinito Divinitatis Imperio, hominiſque erga Deum ſubjectione. Hominem coram Deo penitus ad nihilum deprimit: quid enim jam ſupereſt homini, ſi ex Deo, per Deum, in Deo ſunt omnia? Si omnium unus ipſe conditor eſt, conſervator, principium, cauſa, finis *(i)*? Si in ipſo dumtaxat, per ipſum, & propter ipſum exiſtimus? ſi ex eo tum in rebus morum, tum in phyſicis abſolutè pendemus? Siquid boni in nobis eſt, ab illo exordium, progreſſum ac finem habet. Tum priores gratias, tum ultimas ex eo accepimus: quicquid eſt ab ipsâ vocatione ad Fidem uſque ad glorificationem, quæ in æternitate perficitur, ab uno Deo proficiſcitur *(k)*, debetque ad Deum reverti. *Ipſi gloria in ſæcula. Amen.*

(y) *Act.* III, 15. (z) *Tolet. Eſt.* (a) *Zeger. Glaſſ. Para.* (b) *Grot. Vorſt. Chryſoſt.* Συνέκλεισε, τουτέστιν ἤλεγξεν, ἀπέδειξεν ἀπειθοῦντας. *Vide & Theodoret. hic.* (c) *Vide Tolet. Eſt. Perer.*
(d) *Philipp.* II, 12. (e) *Eccle.* IX, 1. (f) *Eſt. Tirin. Vorſt. Para.* (g) *Tolet. Vide* 1 *Cor.* IV, 7.
(h) *Aug. Serm.* 16 *de Verb. Apoſtoli, c.* 2. (i) *Vide Theodoret. Baſil. Tolet. Eſt. Men. Para. alios.*
(k) *Rom.* VIII, 30.

CAPUT XII.

Moralia inſtituta. Vita novitas. Omnes ſimul unum corpus ſumus, pluribus ex membris conſtans: Quiſque in bonum commune ingenio utatur. Mutuus amor. Bene faciendum iis, qui malum irrogant.

℣. 1. Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum.

℣. 2. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſûs veſtri: ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.

℣. 3. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus, qui ſunt inter vos: Non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra. Ad ℣. 25 Capitis ſuperioris diximus, partem myſterii, quod Paulus explicaturus erat Fidelibus, eam eſſe, oportere, ut, tametſi Dei vocatione & gratiâ cumulati, non ita de ſuâ ſalute confidant, ut aliquando vel minimum negligant traditam ſibi gratiam exercere, acceptiſque auxiliis cooperari.

Cùm hactenus occupatus fuerit detegendo myſterio vocationis Gentium, ruinæ Judæorum, futuræque horum converſionis ad Deum in ſæculorum exitu, hîc tandem docere aggreditur, quid agendum, ut vocatio certa fiat, ac de virtutibus Chriſtianâ profeſſione dignis diſputare. Hoc igitur eſt hujus Capitis argumentum.

Primò autem Fideles obſecrat *per miſericordiam Dei* omnino gratuitam, qua vocati fuere ad Fidem, innumeris aliis ab eâ excluſis, atque in incredulitate ac cæcitate deſtitutis, *ut exhibeant corpora ſua, hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*; non externa ſacrificia, ſed ſua ipſorum corpora, viva & ſpirantia, Dei obſequiis addicta. Cultum exigit, non exteriorem, aut ſervis dignum, quale erat Judæorum, ſed liberum, ratione temperatum, ſpiritalem; obſequium charitate & Spiritu Sancto animatum. Spiritales hoſtias corporeis opponit; viventes victimas pecoribus mactatis; corporis noſtri victimam per ſpiritale ſacrificium Deo oblati, victimis Legis, quæ in altari abſumebantur; hoſtiam ſanctam & Deo gratam, impuris execrandiſque ſacrificiis, quibus Ethnici Deos placabant.

℣. 2. Nolite conformari huic sæculo. Sæculi placita & dogmata ne amplectamini, neque mores imitaminor. Univerſus jam mundus vanitas eſt, error, nequitia. Hujus amatores pleniſſimi ſui ipſorum ſunt, ſuperbiâ & ambitione tument, voluptates dumtaxat ac præſentia bona ſectantur. Ab horum imitatione quàm longiſſimè abeſte: deſideria & ambitionem ad Cœleſtia erigite: quæ mundi ſunt, aſpernamini; ut qui vos viderit, ſtatim intelligat, vos ex mundo non eſſe, nullamque ineſſe vobis illius æſtimationem aut amicitiam.

Sed reformamini in novitate sensus vestri. Spiritus Sanctus vobis inſidens illud efficiat, ut alii penitus homines videamini. Qui voluptates, ſpectacula, gloriam amabant, dejectione gaudeant, ſolitudine, ac mundi illecebrarum odio. Animi ſententiæ, voluntatis propenſiones, actus exteriores prorſus novi hominibus videantur, utpote qui novam generationem, novam mentem, novam voluntatem habetis.

Ut probetis, quæ sit voluntas Dei. Nova totius hominis inſtauratio, de qua loquor, vos ad quærendum inducat, quæ ſit Dei voluntas, quid bonum, quid jucundum Deo, quid perfectum. Hactenus temerè ſectabamini ea quæ ſenſibus aut libidini blandiebantur, nullo rerum cœleſtium amore. Nunc illud ſolummodo vobis quærendum eſt, ut in quibuſque rebus Dei voluntatem agnoſcatis; ſecernatis quæ juſta, bona, Deo jucunda ſunt, a contrariis; quod minùs perfectum eſt, a perfectiſſimo. Omnia cum ſapientiâ & judicio agite; non ſatis eſt, ſi vitam minimè damnandam, ſive etiam apud homines laudabilem geſſeritis: abſolutiſſima ſanctitas vobis quærenda eſt, ac veluti Deo præſente vivendum.

℣. 3. Dico autem per gratiam quæ data est mihi; Apoſtolicâ authoritate, mihi a Deo traditâ *(a)*, ſive Sancti Spiritûs gratiâ, qua me donavit & cumulavit Deus *(b)*. Hortor vos, & pro viribus obſecro, *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere*; veram ſinceramque animi demiſſionem colatis, tum ab indignâ humilitate, cùm ab arrogantiâ remotam. Ne animo erigamini pluſquam opus eſt; non quòd in ſuperbiam efferri ad certum uſque modum liceat; ſuperbia enim malum eſt nullo unquam tempore licitum; ſed illud admonemini, ne vobis ipſi tribuatis ea, quæ veſtra non ſunt; quidquid boni vobis ineſt, ex Deo habetis: omnem ex iſto gloriam in Deum convertite, nihilque vobis arrogate. Veſtris ipſi meritis ne gloriemini. Humillima de vobis ipſi ſentietis, ſi quod æquum eſt judicaveritis.

Sapere ad sobrietatem. Demiſſo modeſtoque animo tuemini Divina munera, quibus per Fidem in baptiſmo donati fuiſtis; neque illis ſuperbè gloriemini, quaſi meritorum præmio. Iſthæc nimirum beneficia unius Dei miſericordiæ debetis: quamobrem ineptiſſimum eſſet, ſi vobis ea tribueretis *(c)*. Hiſce

(a) *Grot. Tolet. Eſt. Menoc. Tirin. Vide Rom.* xv, 15; *Galat.* ii, 9; *Epheſ.* iii, 2.

(b) *Chryſoſt. Theodoret.* (c) *Vide infra*, ℣. 6, 7, 8. *Tolet. Eſt. Tirin. Men. alios.*

℣. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent:

℣. 5. Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra.

℣. 6. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes; ſive prophetiam ſecundùm rationem fidei,

℣. 7. Sive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrinâ.

COMMENTARIUS.

Hiſce monitis opus erat eo potiſſimùm tempore, quo exteriora Sancti Spiritûs dona paſſim in Eccleſiâ conſpiciebantne. Eadem fermè Corinthios pauld ante monere debuit Apoſtolus (d). Eadem communia eſſe non deſierunt ætate S. Juſtini Martyris (e), S. Irenæi (f), aliiſque deinde temporibus. Vide nos in Acta, II, 4. *Dona Fidei* nuncupat Apoſtolus, quòd illa Fidelibus largiretur Deus ceu Fidei præmium, vel ſaltem ceu Baptiſmi & Chriſtianæ Religionis effecta.

℣. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus. Eâdem comparatione uſus eſt, cùm de ſimili argumento ad Corinthios ſcriberet (g). Quemadmodum uno eodemque in corpore ſingula membra ſuis functionibus deſtinantur, quas unumquodque præter invidiam exercet; ita in Eccleſiâ ſinguli Fidelea proprium ſibi munus a Deo hahuere; neque par eſt ut alter donis alterius invideat, ſed contentus eſſe debet menſurâ gratiæ, qua quisque donatus eſt. Beneficia fratribus impertita, per charitatem fieri debent communia; eaque nemo invidere debet alteri, quemadmodum manus ægrè non fert, quòd oculus videndi, pes gradiendi facultate donentur. ℣. 5: *Ita multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra* (h).

℣. 6. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis. Dona exteriora ſignificat, quibus primitivi Fideles cumulabantur plerumque poſt impoſitionem manuum, quæ Baptiſmum conſequebatur. Quamplura ejus rei exempla in Actis Apoſtolorum leguntur. Hujusmodi autem erant Prophetia, dona linguarum & prodigiorum, facultas interpretandi Scripturas, atque alia, quæ Deus pro arbitrio diſtribuebat, ac Neophytorum precibus largiebatur. Quamobrem Paulus monebat Corinthios, ut *charisimata meliora* (i), præfertim verò prophetiæ donum (k), a Deo poſtularent. Quæcumque autem dona divinitus acceperitis, pacem mutuam & concordiam ſervate; erga Deum verò modeſtiam, obſequium, ſubjectionem.

Sive prophetiam secundum rationem fidei. Prophetia, de qua hic Paulus, nedum facultas erat, eâ ætate vulgaris (l), noſcendi futura, verùm etiam latentia pervidendi (m). Docendi atque exhortandi facultas, donum interpretandi Scripturas, ſcientia myſteriorum Religionis ſub uno Prophetiæ nomine continentur (n). Jubet Apoſtolus, Fideles hoc dono diſtinctos, eo uti in optimam Eccleſiæ inſtitutionem, *ſecundùm rationem fidei*; ut nimirum quicquid dixerint doceantve, cum Eccleſiæ Fide conveniat: ne inani arrogantiâ, maloque ambitionis ſtudio novas ſententias tradant, novaque dogmata, ſive aliena ab iis, quæ Apoſtoli tradiderunt (o). Non rarò enim uſuveniebat, ut inter Prophetas ambitio, arrogantia, malaque æmulatio glifcerent. Ejus rei argomento ſunt ea quæ hic monet Paulus, & quæ ad Corinthios ſcripſit. Quorum mentes Sancto Spiritu illuſtrabantur, non ſemper eodem excitabantur voluntates, aut geſta ducebantur. Exteriora Fidei dona, divinaque iſthæc munera, de quibus loquimur, arrogantiam bumaoaque vitia non excludunt.

At, inquies, quî fieri poteſt, ut ii, qui prophetiæ facultate donati fuere, *ſecundùm rationem fidei* non loquantur? Id ſi fieri poſſet, quid jam certum de vaticiniorum Librorumque Divinorum veritate teneremus? Respondeo, prophetiæ facultatem, de qua loquimur, eam non eſſe, quæ proprium hominis ingenium opprimat. Propheta, dum Dei afflatum divinumque lumen ſequitur, neque fallere neque falli poteſt. Sin verò ſuum ipſius ingenium ſectetur, & arrogantiæ aures præbeat, & falſa & nova & contraria *rationi fidei* nunciabit, ſibique auſcultantes in errorem rapiet. Adversùs hoc diſcrimen Apoſtolus Fideles munit, dum hortatur Prophetas, ut loquantur ea quæ cum Fidei ratione conveniunt: ſimulque monet, ut pro ſuſpectis habeantur ea quæ fidei repugnant. Profectò ut æquum de vaticiniorum, ac Prophetarum Præconumque miſſione judicium feras, illud potiſſimùm ſervandum eſt, doceant ne ea quæ cum Eccleſiâ conſentiunt: ſiquis autem contrarium quid iis, quæ ab Eccleſiâ didicimus, afferat, illum execremur (p).

℣. 7. Sive ministerium, in ministrando. Qui ad Eccleſiæ miniſterium vocatus eſt, in miniſterio perſeveret. Duplici modo uſurpari poteſt Eccleſiæ miniſterium; ſive pro Sacrorum Miniſtrorum, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, ac Diaconorum functionibus (q); ſive pro exterioribus officiis, puta eleemoſynarum diſtributione, ſive obſequio erga pauperes & ægrotos (r). Quodcumque munus in Eccleſiâ obtinueris, jubet Paulus, illud fide integerrimâ exerceri, vetatque ne quis miniſterium ultro aggrediatur, niſi vocatus, ut pax & ordo in Eccleſiâ ſerventur (s).

Sive qui docet, in doctrina. Qui docendi facultate donatus fuit, doceat. Diximus, Prophetiæ nomine interdum docendi munus comprehendi. Hic *docere* hoc ipſum tantummodo munus ſignificat; unusquisque incumbat in officium, cui

vel

(d) 1 *Cor.* XIV, 71 & XII, 1, 2, *& ſeq.* (e) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* Παρ᾽ ἡμῖν ἐστιν ἰδεῖν καὶ θηλείας καὶ ἄρσενας, χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἔχοντας.

(f) *Iren. lib.* 5, *cap.* 6. (g) 1 *Cor.* XII, 13, *& ſeq.* (h) *Tertull. Apologet.* § 39: *Corpus ſumus de conſcientiâ Religionis, & diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere.* (i) 1 *Cor.* XII, 31. (k) 1 *Cor.* XIV, 1, 39.

(l) *Vide Act.* XIII, 1; XV, 32; 1 *Cor.* XII, 28; XIV, 29; *& Epheſ.* III, 5; IV, 11, *&c.*

(m) *Theodoret. hic*: Προφητείαν καλεῖ, οὐ μόνον τῶν ἐσομένων τὴν πρόγνωσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν κεκρυμμένων τὴν γνῶσιν. (n) *Men. Tolet. Vat. alii.* (o) *Anſelm. Tolet. Vat. Eſt. Para. Gagn. alii.*

(p) *Galat.* 1, 8: *Licèt nos aut Angelus de Cœlo evangelizet, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* (q) *Act.* 1, 17; *Rom.* XI, 13; 2 *Cor.* III, 5. *Eſt. Men. Tir.*

(r) *Act.* VI, 1; 1 *Cor.* XVI; 1 *Timoth.* III, *& paſſim.* (s) *Tolet. Men. Eſt. alii.*

℣. 8. Qui exhortatur, in exhortando; qui tribuit, in ſimplicitate; qui præeſt, in ſolicitudine; qui miſeretur, in hilaritate.

℣. 9. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono:

℣. 10. Charitate fraternitatis invicem diligentes: Honore invicem prævenientes:

℣. 11. Solicitudine non pigri: Spiritu ferventes: Dño ſervientes:

COMMENTARIUS.

vel ab Eccleſiâ vel a Spiritu Sancto addictus fuit. Suam quisque vocationem ſequatur, acceptaque munera exerceat. *Doctorum* frequenter meminit Apoſtolus (t), veluti peculiaris miniſtrorum ordinis, Apoſtolis inferiorum.

℣. 8. Qui exhortatur, in exhortando. Reddi poteſt Græcus (u): *Qui conſolatur*, ſive, *qui exhortatur*. Quicquid verteris, opus eſt, ut is qui a Deo donatus eſt facultate ſolandi mœrentes, ſive infirmos & animo dejectos exhortandi, id muneris in Eccleſiâ exerceat in Eccleſiæ inſtitutionem, non in ſui commodum, ſive ad tumultus in diſciplinæ ordine pariendos.

Qui tribuit, in simplicitate. Duplex hîc eſt interpretatio; I, Qui ſua pauperibus largitur, cum ſimplicitate, rectoque animi propoſito ac bonâ fide largiatur (x), nullo perſonarum diſcrimine, aut ambitionis humanæque exiſtimationis deſiderio. II, Is, cui creditum eſt munus diſtribuendi Eccleſiæ eleemoſynas, id ſimplici ſinceroque animo exerceat; ſive ex Græcis Patribus (y), liberali animo, quidquid habet abundè largiens, præter queſtus aut moroſitatem: denique non ſuam ipſius gloriam, ſed aliorum commodum quærens (z). Apud Scripturam ſimplicitas interdum pro liberalitate uſurpatur (a).

Qui præest, in solicitudine. Solicitudo Paſtorum eſt: hanc unusquisque ſuo in ordine, & in creditam ſibi gregis partem exerceat: cui numeroſior grex creditus fuit, ab eo ſolicitudo major exigitur. Cenſent plerique, de ſecundo Paſtorum ordine hîc agi (b). Græca vox (c), quæ hîc redditur *ſolicitudo*, ſtudium ac ſolertiam ſignificat.

Qui miseratur, miſericordiam exercet, in hilaritate. Hæc ad eos præcipuè, qui ægrotis inſerviunt, ſpectare cenſentur (d). Hi in Chriſtianorum Imperatorum Legibus *Parabolani* vocantur. Jubet Apoſtolus, hujusmodi homines obſequium exhibere hilari animo, prompto, ſtudioſo, ac ſereno ore, neque moroſitate ægrotantium, neque morborum diuturnitate aut gravitate deterritos. Lucri loco, inquit Theodoretus (e), habendæ ſunt occaſiones exhibendi fratribus officii. Qui quæſtum facit, nunquam non lubenti atque hilari animo facit.

℣. 9. Dilectio sine simulatione. Hæc ſententia tum ad omnes Eccleſiæ Miniſtros, de quibus ſupra, tum ad ſingulos Fideles pertinet. Verorum Chriſtianorum nota eſt charitas & concordia; vera ſit opus eſt ac ſincera, non verbis ſolùm, ac ſpecie dumtaxat exteriori (f).

℣. 10. Charitate fraternitatis invicem diligentes (g). Paſtores cum ovibus, ovesque cum Paſtoribus, Fideles denique inter ſe mutuâ ſinceràque charitate conjungantur. Ea porrò vinculum eſt pacis & concordiæ, quibus Eccleſia cæteræque ſocietates maximè commendantur.

Honore invicem prævenientes. Græcus (h): *Honore cæteros invicem vobis præponentes*. Tanti facite fratres, ut vobis illos quovis tempore & quibuslibet in rebus præferatis. Si illud ſolummodò vellet Paulus, prævertendum eſſe alterum exteriori honoris ſignificatione, civile dumtaxat officium poſtularet: at illud vult, ut cæteros pluris quàm nos ex animo æſtimemus, colamus ex animo, firmaque hæc animi perſuaſio in geſtis appareat. Unusquisque Chriſtum in fratre intueatur, Chriſtiani ſigillum in illo veneretur, multâque erga illum exiſtimatione occupatus, abſolutum illi obſequium oſtendat: tam libenter unusquisque inter vos obediat ſerviatque, uti apud cæteros imperium & authoritas quæritur.

℣. 11. Domino servientes. Id animo verſantes, ad ſollers ac ſtudioſum Dei obſequium excitemini: quæratis quid ipſe velit, & quàm ſtudioſiſſimè impleatis. Græcus (i) vulgatus fert: *Tempori ſervientes*, id agentes quod res tempusque poſtulaverint. Jubent Sapientes, tempus & opportunitates quæri, ut vitam ad illam componamus. Quamvis enim nunquam non ſit benè agendum, prædicandaque veritas, interdum tamen ſerviendum eſt tempori variisque rerum conjunctionibus, non ut male quis agat, aut deſit officio, ſed ut differatur bonum, certoque quodam modo præſtetur, ſeu vera quædam, quæ ingrata eſſe aut male excipi queant, ſilentio premantur. Hoc ipſum docere voluit Chriſtus, cùm diceret (k): *Ne mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & converſi diſrumpant vos*. Idem monuit vetus Græciæ Sapiens (l) iis verbis: *Tempus noſce*. Cave omnia tempori facias, & opportunitate utaris. Sunt (m) qui explicent: Utimini tempore; bene agendi opportunitatem ne prætereatis. *Dum tempus habemus, operemur bonum*, ait alio loco Paulus (n); & (o): *Redimite tempus, quoniam dies mali ſunt*.

Vulgatam hanc Græci lectionem ſequuti ſunt vetus

(t) 1 *Cor.* XII, 28, 29; XIV, 6; *Epheſ.* IV, 11. *Vide Act.* XIII, 1.
(u) Εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει. (x) *Ita Antiqui ferè omnes. Tolet. Pata. Vat.*
(y) *Chryſoſt.* Ἐν ἁπλότητι, τουτέστι μετὰ τῆς φιλοτιμίας. *Ita Theodoret. Grot. Tolet. Lud. de Dieu, Eſt.*
(z) *Theodoret.* Μὴ τὴν τῶν ἄλλων θηρώμενος δόξαν, ἀλλὰ τὴν χρείαν τῶν δεομένων πληρῶν.
(a) *Vide Jacobi*, I, 5; *&* 2 *Cor.* VIII, 2; IX, 11, 13. (b) *Vide Grot. Tolet. Ham. Vorſt. &c.*
(c) Ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ. (d) *Tolet. Pata. Vorſt. Grot.* (e) *Theodoret. in hunc locum.*
(f) 1 *Joan.* III, 18. (g) Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι.
(h) Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι.
(i) *Gr. impreſſ.* Τῷ καιρῷ δουλεύοντες. *Alii quamplurimi*: Κυρίῳ δουλεύοντες. *Ita Steph.* α, δ, ε, ι, ια. *Alex. Vel. Vien. Lu. Petav.* 2; *Cov.* 2, 3, 4; *Cant.* 3; *Hunt.* 1, *&c. Codd. Latini omnes, Syr. Arab. Æthiop. Clem. Alex. Pædag. lib.* 3, *c.* 12; *Chryſoſt. Theod. Oecum. Baſil. Theophyl. Beda, Primaſ. Sedul. &c.* (k) *Matth.* VII, 6. (l) *Pittac. apud Laërt. lib.* 1: Καιρὸν γνῶθι.
(m) *Bez. Quidam apud Eſt. & Ambroſiaſter.*
(n) *Galat.* VI, 10.
(o) *Epheſ.* V, 16.

℣. 12. Spe gaudentes: in tribulatione patientes: Orationi inſtantes:

℣. 13. Neceſſitatibus Sanctorum communicantes: Hoſpitalitatem ſectantes.

℣. 14. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

℣. 15. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus:

℣. 16. Idipſum invicem ſentientes: Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes. Nolite eſſe prudentes apud vosmetipſos.

COMMENTARIUS.

vetus Interpres hujus Epiſtolæ, ſub Ambroſii nomine, S. Cyprianus (p), ac fortè S. Ignatius Martyr (q), vetuſti Codices G. L. manu exarati duo, Claromontanus, & S. Germani Pratenſis. Græci quidam Libri (r), & Latini nonnulli vetuſtiſſimi (s), Beda, Sedulius, Primaſius, Hieronymiaſter in Epiſtolam ad Romanos, Rufinus in Verſione Commentariorum Origenis in hunc locum: omnes, inquam, hi novere lectionem quæ fert, *Tempori ſervientes*, quamquam ab iis reſpuitur, & antefertur altera, *Domino ſervientes*, quæ tunc vulgo in Græcis Latiniſque Libris habebatur. Lucas Brugenſis animadvertit, vetuſtos occurrere Latinos Codices, apud quos leguntur ſummæ Capitum veteris Vulgatæ ante Hieronymianam emendationem, ferentes hoc loco: *De tempori inſerviendo*.

His argumentis victi Eraſmus & Millius, Græci vulgati lectionem amplexi ſunt. Ajunt, haud præter probabilitatem, Librarium aliquem, ratum hic ab Apoſtolo imperari id, quod humanam prudentiam ſaperet, ſubſtituiſſe Κυρίῳ *Kyriò*, Domino, pro Καιρῷ, *Kairô*, tempori; idque in quamplurimos deinde libros migraſſe. Sunt (t) qui velint, invectas ex eo fuiſſe turbas, quòd ſcriptum fuerit per compendium Κῳ *Kô*, ex quo ſcioli finxerint Καιρῷ, *Kairô*: at Millius, ultro confeſſus, τὸ Κυρίῳ frequenter ſcribi Κῳ, negat itidem ſcribi Καιρῷ, quod a Librariis integrum ſemper deſcribitur. Quamobrem ex arrogantiâ potiùs librariorum, quàm ex ignorantiâ ortus eſt error.

Alteram lectionem, *Domino ſervientes*, habent Latini omnes Libri noſtrâ ætate cogniti, & Græci plerique; tum Syrus, Arabs, Æthiops, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Chryſoſtomus, Origenes, Theodoretus, aliique innumeri. Denique cùm hanc lectionem Vulgata conſecraverit, eaque optimam ſententiam reddat, ſervanda eſt, & cum obſequio retinenda; Græcâ tamen minimè ſpretâ, quæ vetuſtatis gratiâ obſequio digniſſima eſt.

℣. 12. SPE GAUDENTES. Chriſtiani hominis gaudium & ſolatium eſt ſpes fruendi tandem Deo in Cœlis. Hac expectatione leves efficiuntur labores, ærumnæ, miſerrimæque vices, quibus ille in hac vitâ agitatur.

℣. 13. NECESSITATIBUS SANCTORUM. Apud Apoſtolum, *Sanctorum* appellatione plerumque deſignantur Fideles (u). Jubet Chriſtianos mutuum ſibi ferre ſolatium, ac mutuò cum cæteris communicare opes, ubi quis indiguerit; adeo ut bona & mala quodammodo communia per charitatem fiant, ſingulis fratrem levantibus.

Græci Codices nonnulli (x), & S. Chryſoſtomus (y), aliique plures legunt: *Memoriis Sanctorum*. Erga remotos pii ac miſericordes, Sanctorum, qui procul ſunt, reminiſcimini: ſive: Imitatores eſtote Sanctorum, quorum memoriam colitis, & geſta veneramini.

COMMUNICANTES. Sunt qui hæc verba explicent de Communione, quæ Fideles inter Sanctosque jam vitâ functos intercedebat, nedum eâdem Fide ac Spe, verùm etiam agapis ac religioſis conviviis, quæ viventes ad mortuorum ſepulcra agebant, rati, ſe eâ ratione cum Sanctis Martyribus communicare, & communi cum illis menſâ uti. Vetuſtum hunc morem tota novit Antiquitas (z); atque hunc locum Patres quamplurimi poſteriori hoc ſenſu uſurpavere (a).

HOSPITALITATEM SECTANTES erga pauperes & advenas, citra jactantiam, faſtum, oſtentationem. Vocabula, quibus utitur Apoſtolus, indicant, quærendos eſſe hoſpites, vocandos, cogendos, neque expectandum ut ipſi hoſpitium quærant: vis adhibenda eſt non poſtulantibus, atque honor hoſpitii ceu lucrum quærendus. *In recipiendis hoſpitibus ignotis ſolemus dicere, multo eſſe melius malum hominem perpeti, quàm forſitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus ne recipiamus malum*, ait S. Auguſtinus (b).

℣. 14. BENEDICITE PERSEQUENTIBUS VOS. Cum honore de iis loquimini, orate pro illis, bonis precibus illos cumulate: cavete autem, ne æſtu doloris abrepti, mala ipſis imprecemini, aut contumeliis eos afficiatis.

℣. 15. GAUDETE CUM GAUDENTIBUS, FLETE CUM FLENTIBUS. Miſerorum vos miſereat, beatorum fortunis gaudete. Fratres ſinguli loco amicorum vobis ſunto; eorumque commoda vobis gaudium, mala mœrorem afferant (c): nulla vobis in illos ſimultas, inimicitia, negligentia eſto.

℣. 16. IDIPSUM INVICEM SENTIENTES, nullo ſententiarum animorumque diſſidio. Concordiam abſolutiſſimam colite: a fratribus ne ſejungamini ſin-

(p) *Cyprian. Ep. 5.* (q) *Ignat. ad Polycarp. p. 15;* Τοὺς καιροὺς καταμάνθανε. (r) *Stephani* β, ζ, ιδ.
(s) *Hieronym. ad Marcellam.* (t) *Vide Brz. & Mill. hic.*
(u) *Act.* IX, 13, 32, 41; XXVI, 10; *Rom.* I, VIII, 7, 27, *& paſſim.*
(x) *Græc. impreſſ.* Ταῖς χρείαις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. *Alii*, Ταῖς μνείαις, *&c. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Rufin. ſeu Origen. in Ep. ad Rom. Ambroſiaſt. Chryſolog. Serm.* 120; *Optat. lib.* 2 *contra Donatiſt. pag.* 38; *& lib.* 4, *pag.* 89; *Auguſt. Serm. olim* 49 *de Verb. Domini, nunc* 137, *cap. ult. Hilar. lib. contra Conſtantium; Scholiaſt. ſub Hieronymi nomine; Sedul. hic, apud Mill.* (y) *Chryſoſt. homil.* 3 *in Ep.* 2 *ad Timoth. tom.* 4, *pag.* 340: Ταῖς μνείαις. At hic legit: Ταῖς χρείαις. (z) *Euſeb. Hiſtor. Eccl. lib.* 5, *cap.* 15 *de ſancto Polycarpo.* Κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ. *Vide Not. Valeſii in eum locum, p.* 72.
(a) *Optatus, lib.* 2; *Hilar. lib. contra Conſtant. ad finem.* (b) *Aug. Ep.* 38 *nov. Edit. n.* 2.
(c) *Theodoret. hic:* Κοινωνεῖτε ἀλλήλοις καὶ τῶν λυπηρῶν, καὶ τῶν ἐναντίων. Τὸ μὲν γὰρ συμπαθοῦς, τὸ δὲ φιλίας οὐκ ἰσχούσης τοῦ φθόνου τὸν μῶμον.

Digitized by Google

℣. 17. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

℣. 18. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes:

℣. 19. Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

ſingularibus ſententiis, moribus, geſtis; facilis quippe eſt a ſingularibus ad diſſidentes ſententias tranſitus.

Non alta sapientes. Sive (d): Ne arroganter de vobis ipſi ſentiatis. Piam animo humilitatem ac modeſtiam colite: ne quemquam aſpernemini, neve ſingularem inter cæteros oſtentationem ſectemini. Superbia diſſidiorum fons eſt in Eccleſiâ, Rebuspublicis, omnibusque Societatibus.

Humilibus consentientes. Vel ex Græco (e): *Humillima ſectantes*: quicquid humillimum eſt, quærite: amate paupertatem, contemptum, obſcurum inter homines nomen: quicquid gloriam parere apud homines poteſt, fugite. Ita interior exteriorque tranquillitas comparatur.

Uſurpari etiam poteſt ita (f): *Humilibus vos accommodantes*. Pauperes quærite, ignorantes, in fide infirmos: eorum ærumnis dolete, piè obſecundate, eorumque infirmitati obſequimini. Sub Eccleſiæ initia monitis hiſce omnino opus erat, præſertim ob neophytos illuſtriori genere, aut profanâ ſcientiâ ornatos, vel ob eos etiam, quos Cœleſtibus donis Deus inter cæteros diſtinxerat. Hi quippe in diſcrimine verſabantur ſpernendi inopes, imperitos, infirmos, ſeque *ſapientes eſſe* exiſtimandi (g).

℣. 17. Nulli malum pro malo reddentes. Privatam vindictam damnat. Alterius odio odium ne rependeritis, neque calumniis calumnias, cujusvis loci, religionis, aut conditionis fuerit inimicus (h): omnem potiùs gloriam in eo conſtituite, ut bene omnibus faciatis, *non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus* (i). Pro vindictâ, beneficiis cumulate, non modò ut Deo imperanti obtemperetis, verùm etiam ut pietatis, charitatis, virtutis exempla exhibeatis. Vide I Petri, III, 16.

℣. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, &c. Si diceret, *Pacem cum omnibus hominibus habete*, id fortaſſe imperaret, quod ſervari non poſſet; quoſdam enim invenias, quibuscum, intacto Divinæ Legis obſequio, illæsâque veritate, aut citra flagitium, pacem ſervare nequeas; atque ubi pacem hoc pretio emere debeas, tumultus eligendus eſt, abdicandaque hujusmodi hominum amicitia, conjunctio, ſocietas. Primitivi Fideles, quos alloquebatur Paulus, inter infideles, ethnicos, Chriſti ejusque Religionis inimicos vitam agebant: monet, ut, quod ex ipſis eſt, & quantum conſcientia, honeſtas & officium patitur, pacem ſervent cum pacis inimicis, vel cum bonorum rerumque detrimento, ſive etiam famæ, ubi leges pacis periclitantur, illatâ vel repulsâ injuriâ.

Minimè tamen vetat, inimicis pacis ac veritatis, pietatis ac juſtitiæ repugnare (k), ſi ea illi vel in nobis vel in cæteris aggrediantur. Chriſtus Jeſus, Princeps pacis (l), qui pacem Apoſtolis reliquit (m), in Evangelio dicere non veretur, *ſeſe non veniſſe pacem mittere, ſed gladium* (n); noverat enim, quàm multa ſervis ſuis mala imminerent. At vel tum, cùm pacem turbare cogimur juſtitiæ & veritatis causâ, ſive cùm ab aliis adversùs nos turbatur, cavendum eſt, ut pacem & charitatem erga illos, qui juſtè aut injuſtè vim nobis inferunt, animo ſervemus (o).

℣. 19. Non vosmetipsos defendentes. *Defendere* non rarò uſurpatur pro *vindicare* (p). Vindictâ interdicit Apoſtolus, jubetque *dari locum iræ*, cedere, ceu furenti belluæ, quam quisque vitat (q). Aliter: *Dare locum iræ* eſt tempus dare, ut ipſa per ſe deferveat, cadat (r): ſive de eo intelligas, cui irrogatur injuria (s), ſive qui irrogat, ſuique furoris æſtum ſequitur (t). Hominem in ipſo iræ tumultu ne irritaveris: tempus locumque dato, ut animum colligat: tunc fortaſſe vel per te vel per amicos illum eò trahes, ut tibi ſatisfaciat. Sive: Primos iræ tuæ impetus ne ſequare: maneto dum primus iræ fervor cadat: tibi gratulaberis, quòd cæcum animi impetum, æquitatis ac modi neſcium, coërcueris.

Patrum quamplures (u) explicant: *Date locum iræ* Dei: ne prævertite; tempus locumque illi relinquite, ut irrogatam vobis injuriam ipſe perſequatur: probè faciet: unus ipſe & tuus & inimici judex eſt: tempus expecta. Cæterarum fortaſſe optima eſt poſtrema hæc explicatio, cui favent conſequentia.

Eum qui irato animo eſt, hortatur Paulus, ut cum inimico concilietur ante Solis occaſum, locumque ne præbeat diabolo (x); nimirum, ne illius nequitiâ imperioque ſe agi ſinat: locum dæmoni intra animum ne dederis vel inimicitiis, vel vindictæ deſiderio: id quod planè opponitur

huic

(d) *Confer ſup.* ℣. 3; *&* XI, 20. *Chryſoſt. hic. Tolet. Eſt. Men. Tir.* (e) Τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι. (f) *Tolet. Eſt. Eraſm. Vatab. Lud. de Dieu, alii plures.* (g) *Vide Iſai.* V; *Prov.* III, 7.

(h) Μηδενὶ κᾂν ἕλλην ᾖ, κᾂν μιαρὸς, κᾂν ὁστισοῦν. *Chryſoſt. hic.*

(i) Græcus legit ſolùm, *coram omnibus hominibus*. At Codex Alexandrinus, Polycarpus, Clemens Alexandrinus, Lucifer Calaritanus, Facundus, Origenes, Ambroſiaſter, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Sedulius, Hieronymus cum Vulgatâ conſentiunt: *Coram Deo & hominibus*: Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων. (k) *Vide Tolet. Eſt. Para. Grot. alios.* (l) *Iſai.* IX, 6, 7.

(m) *Joan.* XIV, 27. (n) *Matth.* X, 34. (o) *Gregor. Mag. lib.* XI *Ep. nov. Edit. p.* 1093.

(p) *Judith.* I, 12; II, 12; IV, 2; VI, 13; *Sap.* V, 17, *&c. Græc. hic*: Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες.

(q) *Ambroſ. Anſel. Vat. Para. Men. Tir. Druſ.* (r) *Syr. Ludov. de Dieu.*

(s) *Ambroſ. Vat. Arab. Lud. de Dieu.* (t) *Origen. Baſil. Ambroſiaſt. Tolet. Vatab. Druſ. alii.*

(u) *Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. Theophyl. hic; Aug. hic, & in Pſalm.* LXXVIII, *& alibi; Sedul. Pelag. Primaſ. Beda, Caſar. Ita & D. Thom. Tolet. Eſt. Grot. Vorſt. Camerar. & alibi plerique.*

(x) *Epheſ.* IV, 27.

Digitized by Google

℣. 20. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.
℣. 21. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.

COMMENTARIUS.

hoic ſententiæ, *Date locum iræ*: pacis inimicos juſtæ Dei iræ & vindictæ relinquite. Apud Eccleſiaſticum (y), *Dare locum alicui* eſt plerumque, aliquem excipere, magni facere, amare. *Dare locum medico, dare locum timori Altiſſimi*, &c. Priores interpretationes cum literâ magis congruunt.

℣. 20. SI ESURIERIT INIMICUS TUUS, CIBA ILLUM. Omnia humanitatis officia ſignificat, dum cibum potumque exhiberi inimico jubet. Volo nedum inimico non iraſcaris, aut irrogatam tibi injuriam non vindices, verùm etiam bene facias, potum ac cibum exhibeas, ut amico. His præcipuè laudibus Chriſtiana Religio, & Jeſu Chriſti inſtituta ſupra Philoſophorum ſanctiones commendantur. Addit Paulus: *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*: mortuam in illius animo charitatem excitabis: ex inimico amicum facies: animi illius duritiem ceu igne tuæ charitatis emollies. Pudebit illum malitiæ ſuæ, ac ſponte ad te redibit (z). *Nulla major ad amorem invitatio, quàm prævenire amando*, ait S. Auguſtinus (α).

S. Chryſoſtomus (β), Theodoretus, aliique Chryſoſtomum ſequuti, aliter interpretantur: *Hoc faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus*: graviſſimum Divini furoris pondus in ipſum provocabis; ſive, prunas in caput ſuum congerit. Iram Dei ne prævertito; ſecurus præſtolare ultionis tempus. Bene illi facere ne deſinito: ſi is reſipuerit, eumque tu ad Deum converteris, uterque beati eritis: ſin ille in tui odio & injuriâ perſeveraverit, Dei furor tandem aliquando erumpens, illum ignis inſtar abſumet. Poſtrema hæc explicatio maximè ad literam accedit. Pii homines neque ſui vindictam, neque inimicorum infortunium quærunt: quo tamen minimè fit, ut illorum injurias negligat Deus, aut non gaudeant Sancti juſtitiâ Dei adverſùs impios obſtinatosque ſuo tempore ſeſe proditurâ.

℣. 21. NOLI VINCI A MALO, ſive hoſtis tui malitiâ. Illum tu magis ama, quàm ille te oderit: injuriis ille te petit, tu illum beneficiis vince. Nobiliſſimum vindictæ genus, parcere, atque inimicum patientiâ, lenitate, clementiâ ad amicitiam pertrahere. *Noli vinci a malo* irâ, vindictâ, indignatione: animi motum comprime, teque & inimicum glorioſiùs vinces, quàm ſi ſterneres, atque ad veniam poſtulandam adigeres (γ). *Vincit malos pertinax bonitas, nec quiſquam tam duri infeſtique adversùs diligenda animi eſt, ut etiam vi tractus bonos non amet* (δ).

CAPUT XIII.

Parendum Principibus ac Magiſtratibus; iisque ſolvendum quod debes. Proximorum amor, in quo Lex tota conſiſtit. Opera tenebrarum. Arma lucis. In Chriſto Jeſu vivendum.

℣. 1. OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinatæ ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNIS ANIMA POTESTATIBUS. Pergit hîc Apoſtolus docere Fideles vitæ ac morum officia. Quæ ſuperiori Capite vidimus, eò deſinunt, ut bonus ordo & pax in Eccleſiâ interque Fideles ſervetur. Hæc potiſſimùm ſpectant ad obedientiam, quam unusquisque ſuperioribus poteſtatibus debet. Chriſtianorum libertatem, atque a Moſaicis legibus immunitatem commendaverat Apoſtolus (a): at nequis monitis abutatur, docet hîc, quæ debeat eſſe ſubditorum ſubjectio erga Reges & Magiſtratus.

Hoc ipſum graviſſimè monuerant primos Eccleſiæ Diſcipulos Petrus (b) & Jacobus (c); repetitque Paulus ad Titum ſcribens, ſive ut Chriſtianos, inſectantium injuriis undique obnoxios, in patientiâ contineret, ſive ut vulgi opinionem deleret, qua Diſcipuli Jeſu Chriſti, omnes fermè Galilæi, ſententiam Judæ Gaulonitæ ſequi, & Principum authoritati repugnare cenſebantur (d).

Omnis anima, quilibet quavis conditione aut dignitate, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; Regibus, Principibus, Magiſtratibus, iis denique quibus legitima eſt authoritas, ſive abſoluta, ſive alteri obnoxia. Neminem excipit Apoſtolus, non Presbyteros, non Præſules, non Monachos, ait Theodoretus (e); illæſâ tamen Eccleſiaſticorum immunitate. Tunc ſolummodò parère non debes, cùm aliquid Divinæ Legi contrarium imperatur: tunc enim præferenda eſt debita Deo obedientia; quin tamen vel arma capere ad-

(y) *Eccli.* XIX, 18; XXXVIII, 12.
(z) *Hieronym. lib.* 1 *contra Pelag. cap.* 9; *Auguſt. in Psalm.* LXXVIII; *& lib.* 3 *de Doctr. Chriſt. cap.* 16, *&c. Tolet. Menoch. Piſcat. Tirin. Vat. Beda, Primaſ. Ceſar. alii apud Eſt. hic.*
(α) *Auguſt. de catechizandis rudib. c.* 4.
(β) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Photius apud Oecumen. Hieronym. lib.* 1 *Dialog. contra Pelag. cap.* 9; *Grot. Lud. de Dieu, Camer. Zeger. alii. Confer* 4 *Esdr. ult.*
(γ) *Ambroſ. lib.* 1 *Offic. cap.* 36: *Vindicare ſe non eſt actus fortitudinis, ſed abjectionis & timiditatis; vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.* (δ) *Senec. lib.* 7, *cap.* 31, *de Beneficiis.*
(a) *Rom.* VI, 14, 15; *&* VII, 1, 2, *& ſeqq.* VIII, 2, *&c.* (b) 1 *Petri*, II, 13, 14.
(c) *Jacobi*, V, 6, 7, 8, 9. (d) *Baron. Tolet. Tirin. Eſt.* (e) *Theodoret. hic. Ita Eraſ. Grot. Eſt. Tolet. alii.*

℣. 2. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.

℣. 3. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac; & habebis laudem ex illâ.

COMMENTARIUS.

adversùs Principes, vel in ſeditionem abire liceat. Repugnandum eſt in iis tantùm, quæ juſtitiam ac Dei Legem violant; in cætera parendum. Si imperaverint aut idolorum cultum aut juſtitiæ violationem cum necis vel bonorum jacturæ interminatione, vitam & fortunas diſcrimini objicito, ac repugnato: in reliquis autem obtempera.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO. Abſolutiſſimâ in libertate conditus eſt homo, nulli creatæ rei, at uni Deo ſubditus. Niſi mundum invaſiſſet unà cum Adami tranſgreſſione peccatum, mutuam æqualitatem libertatemque homines ſervaſſent. At libertate abuſos damnavit Deus, ut parêrent iis, quos ipſe principes illis daret, ob pœnam arrogantiæ, qua pares Conditori effici voluerunt *(f)*. At, inquies, quis neſciat, quorumdam veterum Imperiorum initia & incrementa ex injuriâ atque ambitione profecta? Nemrod, exempli causâ, Ninus, Nabuchodonoſor, aliique quamplures an Principes erant a Deo conſtituti? Nonne ſimilius vero eſt, violenta Imperia primùm exorta eſſe ab imperandi libidine? liberorum verò Imperiorum originem fuiſſe hominum metum, qui ſeſe impares propulſandæ externorum injuriæ ſentientes, aliquem ſibi Principem creavere, datamque ſibi a Deo naturalem ulciſcendi injurias poteſtatem, volentes libentesque alteri tradiderunt? Quàm verè igitur docet Apoſtolus, quamlibet poteſtatem a Deo eſſe, eumque eſſe poſitæ inter homines authoritatis inſtitutorem?

Omnino Deus poteſtatis author & cauſa eſt, I, quod hominibus tacitè inſpiraverit conſilium ſubjiciendi ſe uni, a quo defenderentur. II, quòd imperia inter homines utiliſſima ſint ſervandæ concordiæ, diſciplinæ, ac religioni. Porrò quicquid boni eſt, a Deo ceu fonte proficiſcitur. III, Cùm poteſtas tuendi ab aggreſſore vitam vel opes, hominibus a Deo tradita, atque ab ipſis in Principem converſa, a Deo primùm proveniat, Principes eâ poteſtate ab hominibus donati, hanc ab ipſo Deo accepiſſe jure dicuntur *(g)*: quamobrem Petrus *(h) humanam creaturam* nuncupat, quam Paulus *poteſtatem a Deo* inſtitutam: humana igitur & divina eſt, variâ ratione ſpectata, uti diximus. IV, denique ſuprema authoritas a Deo eſt, utpote quam Deus, a ſapientibus inſtitutam, probavit *(i)*.

Nulla unquam gens ſæcularibus poteſtatibus magis paruit, quàm primæ ætatis Chriſtiani, qui a Chriſto Jeſu & ab Apoſtolis edocti, nunquam auſi ſunt Principibus a Providentiâ ſibi datis repugnare. Diſcipulos fugere tantùm jubet Chriſtus *(k)*. Ait Petrus *(l)*, Chriſtum nobis exemplum reliquiſſe, cùm ſeſe Judicum iniquitate peſſimè agi paſſus eſt. Monet hîc Paulus, reſiſtere te Dei voluntati, atque æternæ damnationis reum effici, ſi poteſtati repugnas. *Quamvis nimius & copioſus noſter populus, non tamen adversùs violentiam ſe ulciſcitur: patitur*, ait S. Cyprianus *(m)*. Satis virium eſt ad pugnam: at omnia perpeti ex Chriſto didicimus. *Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur! ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quàm occidere*, inquit Tertullianus *(n)*. *Cùm nefanda patimur, ne verbo quidem reluctamur, ſed Deo remittimus ultionem*, ſcribebat Lactantius *(o)*. S. Ambroſius *(p)*: *Coactus, repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere: adversùs arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma ſunt. Talia enim ſunt munimenta Sacerdotis. Aliter nec debeo nec poſſum reſiſtere.*

QUÆ AUTEM SUNT, A DEO ORDINATÆ SUNT. Explicari poteſt *(q)*: *Quæ autem ſunt* reverà poteſtates, non latrocinia, *conſtitutæ ſunt a Deo*. Quælibet legitima poteſtas authore Deo eſt. Reges filii Jovis ſunt, ex veterum Gentilium ſententiâ; eorumque poteſtas a Deo manat, Divinamque poteſtatem imitatur. *Cujus juſſu homines naſcuntur*, ait S. Irenæus *(r)*, *hujus juſſu & Reges conſtituuntur, apti illis, qui illis temporibus ab ipſis reguntur.* Ut Chriſtianus Principem amet ac vereatur, inquit Tertullianus *(s)*, ſatis eſt ipſum a Deo conſtitutum ſciat: *Quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut & ipſum diligat, & revereatur, & ſalvum velit.*

℣. 2. QUI RESISTIT POTESTATI, DEI ORDINATIONI RESISTIT; niſi tamen, uti diximus, is qui authoritate præditus eſt, eâ male utatur, eaque imperet quæ juſtitiæ Divinæque Legi repugnant. Eſſeni, cùm ejus ſectæ myſteriis initiarentur, ſanctiſſimam unicuique, præſertim verò Principibus, fidem jurejurando ſpondebant; illud certiſſimè arbitrati, ſupremam poteſtatem a Deo dari, ac neminem abſque peculiari Providentiæ conſilio, authoritate potiri *(t)*.

Addit Paulus: *Qui reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*; ſive a Magiſtratibus, in refractarios animadvertentibus *(u)*; ſive a Deo, damnante contumaces, perſpicuis interdum editis ſeveritatis exemplis, veluti in Core, Dathan, & Abironem; æternam denique damnationem ac pœnam in caput ſuum provocant, cùm juſto ordini, atque a Providentiâ inſtituto repugnent *(x)*. Pro *damnationem*, Græcus legit, *Judicium*: at eadem omnino res eſt, tum hîc, tum alibi *(y)*.

℣. 3. PRINCIPES NON SUNT TIMORI, ſi bene agas, ſed ſi male. Conſtituti non fuere Principes, ut poteſtatem in bonos, ſed ut in malos exerceant. Legitimâ authoritate non utuntur, ut ad male agendum te adigant, ſed in bonum impellant, atque a malo deterreant. Peſſimo Principe

(f) *Geneſ.* III, 5. (g) *Tolet. Eſt. Para.* (h) 1 *Petri*, II, 13.
(i) *Vide Grot. de Jure Belli & Pac. lib.* 1, *cap.* 4, *n.* 7. (k) *Matth.* x, 23.
(l) 1 *Petri*, II, 21, 23. (m) *Cyprian. ad Demetrian.* (n) *Tertull. Apologet. cap.* 37.
(o) *Lactant. lib.* 5. (p) *Ambroſ. orat. in Auxent.*
(q) Αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. (r) *Iren. lib.* 5, *cap.* 24. (s) *Tertull. Apologet.*
(t) *Vide Joſeph. de Bello, lib.* 2, *cap.* 12, *pag.* 786: Τὸ πιστὸν ἀεὶ παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσιν, οὐ γὰρ δίχα Θεοῦ περιγίνεσθαί τινι τὸ κρατεῖν.
(u) *Chryſoſt. alii Græci. D. Thom. Eſt. Tirin. Vorſt. Hamm. &c.* (x) *Chryſoſt. Eſt. Tolet. alii.*
(y) Ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται.

℣. 4. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine causâ gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in iram ei, qui malum agit.

℣. 5. Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

℣. 6. Ideò enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.

℣. 7. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

℣. 8. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem implevit.

COMMENTARIUS.

ciplo deterior eſt male agendi impunitas ac libertas, quam impiis permittit carens Principe legitimâque authoritate Reſpublica. Interdum poteſtate male utuntur Principes: at non usque adeò inſaniunt, ut impiis quidlibet audendi licentiam relinquant: ſuas ipſi res everterent (z). *Quomodo ſterilitas, aut imbres, & cætera naturæ mala; ita luxus vel avaritia dominantium toleranda* (a). *Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illâ.* Publicè accuſaberis, quòd Principi non obtemperes: at privatim laudaberis. *Bonus vir Cajus Sejus, tantùm quòd Chriſtianus* (b).

℣. 4. Dei enim miniſter est, ut te ab impiis defendat, Fidem publicamque tranquillitatem tueatur, perditorum molimina coërceat. Ablato Principe ac Magiſtratu, ubi Leges, libertas, fides, ſecuritas, religio?

Non sine causa gladium portat. Gladius poteſtatem vitæ necisque ſignificat: gladio uti poteſt tum ut animadvertat in impios, tum ut bonos tueatur. Thalmudiſtæ Regem his verbis deſignant: *Rex qui portat gladium.* Gladii nomine omnia publicæ ſeveritatis ac vindictæ inſtrumenta comprehenduntur: ignis, rota, trochlea, carcer.

℣. 5. Ideo necessitate subditi estote (c). Cùm Divinæ humanæque Leges, veſtra ipſorum utilitas, ſuppliciorum metus cogant, *ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram*, metûs causâ, *ſed etiam propter conſcientiam*: Lex enim, quæ obſequium erga Principes imperat, civilis dumtaxat non eſt, ſolâque ſupplicii interminatione publicè obligans, ſed conſcientiâ, ut pecces ubi non parueris: nititur naturali ac Divinâ Lege (d), quæ Principi, Dei locum obtinenti, parère te jubet. Leges a Principibus latæ, niſi juſtitiæ Divinæque Legi repugnent, conſcientiam obligant, quippe legitimâ authoritate, a Deo traditâ, inſtitutæ (e).

℣. 6. Ideo et tributa præstatis, ceu ſubditi, & parêre coacti, nedum ſuppliciorum metu, verùm etiam conſcientiâ. Tributi nomine intelligi hìc poſſunt publica quælibet vectigalia, quæ Principes a ſubditis exigunt. Redduntur verò illa Principi ceu debitum & merces ob aſſiduam rerum publicarum curam (f), ut oneribus cum dignitate conjunctis ſatisfaciant, ſe ipſi alant ac domeſticos, præſidia, exercitus, aliiſque innumeris parea ſint, quibus privati non egent (g). Teſtantur Tertullianus (h), & Juſtinus Martyr (i), qua fide olim a Chriſtianis tributa Imperatoribus redderentur.

℣. 7. Reddite ergo omnibus debita. Cuivis poteſtati, quæcumque demum illa ſit, Imperatori, Magiſtratui, Præſidi, publico Juſtitiæ Miniſtro, omnibus denique publico munere aut dignitate fungentibus, reddite quæ debetis: *Cui tributum tributum. Tributum* illud eſt, quod in capita vel in bona imperatur; *vectigal*, quod in mercimonia (k). *Timor* (l) eſt reverentia, metus, ne pecces in Principem ejusque Miniſtros, & præſtita præceptis obedientia. *Honor* debetur Principibus ac miniſtris, vel indignis, ob muneris præſtantiam. Hæc Pauli dogmata planè opponuntur Judæ Galilæo, cujus meminere Acta (m) & Joſephus (n).

℣. 8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: non quòd cæteris officiis, præterquam charitati, ſatisfacias: quinimò huic præ cæteris ſatisfaciendum eſt. Fratres amando charitatem ſemper augeri jubet: ita ames, ut magis tibi amandum eſſe ſcias (o). Cætera debita perſolvuntur: charitatis debitum nunquam non viget. *Semper debeo charitatem, quæ ſola, etiam reddita, ſemper detinet debitorem*, ait S. Auguſtinus (p). cætera bona ubi alteri dederis, tibi minuuntur: charitas *etiam cùm redditur ab homine, creſcit in homine; & tanto major acquiritur, quanto pluribus redditur. Non ergo ſic impenditur charitas, ut pecunia.... impendendo illa diminuitur, hæc augetur.* Nunquam dicere potes: Satis amavi (q).

(z) *Vide Luc.* XXIII, 40; *1 Cor.* VI, 7; *Act.* XXIV, 25; *Rom.* II, 2; *Hebr.* VI, 2; *2 Petri*, II, 3, *&c. Vide Hamm.* (a) *Tacit.* (b) *Tertull. Apologet.*

(c) *Græc. impreſſ.* Ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι. *Quid. Codd.* ὑποτάσσεσθε, *omiſſ.* ἀνάγκη. *Ita Complut. Clarom. & S. Germ. G. L. Iren. Ambroſ. Quidam Latini*: Neceſſitate ſubditi eſtote. *Vide Mill.*

(d) *Vide Matth.* XXII, 21; *Marc.* XII, 16, 17; *Luc.* XX, 24. (e) *Perer. hic, Eſt. Para.*

(f) *Miniſtri Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Gr.* Λειτουργοὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες, *In hoc ipſum incumbentes.* (g) *Vide Para. Grot. Tolet.* (h) *Tertull. Apologet. Cætera vectigalia gratias Chriſtianis agunt ex fide pendentibus, qui alieno fraudando abſtinemus.*

(i) *Juſtin. Apol.* 2: Φόρους καὶ εἰσφορὰς τοῖς ὑφ' ὑμῶν τεταγμένοις πανταχοῦ πρὸ πάντων πειρώμεθα φέρειν, ὡς ἐδιδάχθημεν παρ' αὐτοῦ. (k) *Vide Theodoret. hic.* (l) Φόβον. *Oecumen.* δέος, εὐλάβειαν.

(m) *Act.* V, 37. (n) *Joſeph. de Bello, lib.* 2, *cap.* 12.

(o) *Theodoret. hic*: Οὐχ ἵνα μὴ καλύωμεν τῆς ἀγάπης τὸ χρέος. τοῦτο γὰρ ἐκτίειν προσήκει πρὸ τῶν ἄλλων ἅπαντα, ἀλλ' ἵνα αὔξωμεν τῇ ἐκτίσει, ἡ γὰρ ἀπόδοσις πολυπλασιάζει τὸ χρέος.

(p) *Aug. Ep.* 192, *nov. edit.* (q) *Tolet. Grot. Para. Eraſm.*

℣. 9. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falſum teſtimonium dices: Non concupiſces: & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

℣. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio.

℣. 11. Et hoc, ſcientes tempus, quia hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus.

℣. 12. Nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.

COMMENTARIUS.

Nonnulli Græcum reddunt (r): *Nemini quidquam debetis, niſi ut invicem diligatis.* Abſolutam vobis libertatem comparavit Chriſtus, cùm gratiam adoptionis vobis promeruit: at debitâ erga proximum charitate non ſolvit: cætera potiùs auferens, hoc imperavit: huic igitur ſatisfacite uti decet, & Legem univerſam implêſtis: *Qui enim proximum diligit, Legem implevit.* Univerſam ſcilicet Legem, quà ſpectat proximum, non quà Deum; alterius enim naturæ ſunt quæ Deo debes (s); niſi cum Auguſtino (t) & Thoma (u), aliiſque dixeris, proximi amorem in Dei amore contineri, quatenus præcipit Deus, ut proximum quaſi te ipſum ames: *Hominem diligere non novit, quiſquis eum non diligit, qui hominem fecit* (x). Non amas proximum, niſi Deum abſolutiſſimè ames: igitur cùm amas proximum, amas Deum. Hæc tamen exquiſitiora ſunt.

℣. 9. Nam, Non adulterabis, & reliqua hujus generis præcepta hoc uno comprehenduntur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Falſo teſtimonio decipi non vis (y), non affici injuriâ, non occidi, non uxorem tuam ſtuprari: iſta igitur alteri ne feceris (z).

℣. 10. Dilectio proximi malum non operatur, alteri nihil mali fieri patitur, ſed bene facere ſuadet (a). Statim ac bene non feceris proximo, non amaſti. Græcus redditur (b): *Dilectio proximum non afficit malo.* Quæ verſio cum Vulgatâ convenit.

Plenitudo ergo Legis est dilectio. Charitas erga proximum eſt abſolutiſſima univerſæ Legis expletio, in iis quæ hominis erga hominem officia ſpectant, uti diximus in ℣. 8. Prohibet, nequam proximo injuriam irrogemus, ſuadetque beneficiis illum proſequi (c): ita cum Gregorio Magno jure dixeris (d): *Omne mandatum de ſolâ dilectione eſt, & omnia unum præceptum ſunt: quia quicquid præcipitur, in ſolâ charitate ſolidatur.*

℣. 11. Et hoc, scientes tempus. Novimus, adeſſe tempus exercendæ erga omnes charitatis, ejusque obligationem vulgato Evangelio multò eſſe graviſſimam (e). Contumeliæ, quibus nunquam non obnoxii ſumus ob Chriſtum, multo magis, ipſosque erga hoſtes eam coli a nobis jubent.

Explicari poteſt: *Novimus, urgere tempus, & adeſſe horam a ſopore ſurgendi.* Vigilandi tempus eſt, non dormiendi (f). Graviſſimum ab hoſtibus diſcrimen imminet, proxima eſt ex Chriſto ſalus; utrumque verò aſſiduam ex nobis vigilantiam poſtulat. Miles adversùs hoſtem & coram Imperatore non dormit (g). Conſpicuis inconſpicuisque hoſtibus undique cingimur. Chriſtus Jeſus in medio, ad prælium & vigilantiam hortatur; prope eſt Domini adventus: *Nunc propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus*, cùm Fidei nomina dedimus. Quo ulteriùs progredimur, eò propior noſtra libertas eſt ac redemptio. Chriſti adventus, de quo Paulus, vel mortis tempus eſt, vel Supremi Judicii (h). Hoc porrò quàm longiſſimè aberat ab iis, ad quos ſcribebat; at proximum erat privatum uniuscujusque Judicium, quo de ſingulorum ſorte decernitur. Univerſale illud confirmaturum ſolummodo eſt ea, quæ privatis definita fuerint.

℣. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. *Nox* ignorantiæ tempus, *dies* tempora Evangelii ſignificat (i). Gentiles alloquitur Paulus. Antequam nomina daretis Chriſto, vitam in tenebris agebatis: abiit tenebrarum tempus: adeſt dies: ſuperſtitionis, ignorantiæ, peccati tenebras Evangelium diſſipavit. *Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis* (k): vitemus peccatum, quod lucem ac fulgorem odit, & latibula ſolùm quærit (l): fulgentibus induamur armis (m), clypeo Fidei, thorace juſtitiæ, galeâ ſalutis, gladio Spiritûs.

Putant nonnulli (n), *arma lucis* hîc eſſe *veſtes rutilas*, quibus adversùs inconſpicuos hoſtes & tegamur & tuti ſimus: hujusmodi ergo veſtes morali ac ſpirituali ſenſu idem ſunt atque *arma lucis*; vita nimirum honeſta, piè acta, gravis, mo-

(r) Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε. *Ita Arab. Lud. de Dieu.*

(s) *Eſt. Cajet. Tolet.* (t) *Aug. Ep. olim 95, nunc 177, n. 12; & Ep. olim 150, nunc 258, n. 2.*

(u) *D. Thom. in hunc locum.* (x) *Auguſt. Ep. 258, n. 2.*

(y) Libri quamplures non legunt: Οὐκ ψευδομαρτυρήσεις, *Non falsum teſtimonium dices. Ita Alex. Claram. & Germ. G. L. Syr. Theod. Baſil. Ambroſ. alii plures. Vide Mill.*

(z) *Vide Theodoret. hic.* (a) *Vide Eſt. Para. Grot.*

(b) Ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐκ ἐργάζεται, *Quid.* τῷ πλησίον, *Ita Steph. a, Velez. Vulg. Auguſt. Ambroſ.* (c) *Vide Grot. Tolet.* (d) *Greg. Magn. Homil. 27 in Evangel.*

(e) *Eraſm. Tolet. Tirin.* (f) Καὶ τοῦτο, εἰδότες τὸν καιρὸν, ὅτι ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι. *Theodoret.* Ἀντὶ τοῦ, καὶ μάλιστα, ὅτι οὐχ ὕπνου, ἀλλ' ἐγρηγόρσεως. (g) *Vide Grot.*

(h) *Vide Theodoret. & 1 Petri, IV, 7; Jacobi, V, 8.* (i) *Vide Hamm. hic.*

(k) *Theodoret.* Νὺξ τῆς ἀγνοίας καιρός. Ἡμέραν καλεῖ τὸν μετὰ τὴν παρουσίαν τοῦ Σωτῆρος χρόνον.

(l) *Joan. III, 20; Qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

(m) *Epheſ. VI, 13.*

(n) *Eſt. Tolet. Para. Vat.*

℣. 13. Sicut in die honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus, & impudicitiis; non in contentione, & æmulatione:

℣. 14. Sed induimini Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.

COMMENTARIUS.

modeſta, optimi exempli, cujus nos in luce non pudeat: *Sicut in die honeſtè ambulemus.*

℣. 13. NON IN COMESSATIONIBUS. Junge cum ſuperioribus: *Sicut in die, honeſtè ambulemus, non in comeſſationibus & ebrietatibus* (o). Iſta porrò ſunt opera tenebrarum, de quibus ſupra: ea igitur fugiamus, ut indigna die ac luce, in qua vivimus: vitam agamus filiis lucis dignam, veluti coram præſente, atque omnia pervidente Deo.

NON IN CUBILIBUS ET IMPUDICITIIS. Duobus hiſce vocabulis complectitur omnia impudicitiæ genera, & quicquid impudicitiam comitatur. Alterum in Græco vocabulum ſignificare videtur ea quæ fiunt contra ſexuum leges (p).

NON IN CONTENTIONE ET ÆMULATIONE; litibus, æmulatione, quæ comes eſt litium (q); ſive jurgiis & zelotypiâ, quæ ab impudicâ amatione nunquam ſejungitur.

℣. 14. SED INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM. Locutio familiaris etiam ætate Chryſoſtomi: indui aliquem, nempe, res illius curare, unius eſſe ſententiæ, familiariter illo uti. Chriſto Jeſu ita indui debent Chriſtiani, ut illum ament, imitentur, ſequantur, divini hujus exemplaris effigiem in geſtis exhibeant, quemadmodum veſtis figuram & imaginem hominis repræſentat.

CARNIS CURAM NE FECERITIS. Græcus (r): *Carnis providentiam ne feceritis in deſideriis.* Bonam corporis valetudinem curate, quæque neceſſaria corpori ſunt, illi præſtate (s): at immoderata illius deſideria ne ſectemini. Si diceret, habendam non eſſe carnis curam, ejus verba peſſimè torquere quis poſſet; at cùm addat, *In deſideriis*, ſtatim innuit, aliquam corporis curam haberi poſſe, at ea rationis legibus, vitanda nempe nimia illius commoda & delicias: hoſtis teterrimus caro tua efficitur, ubi illius cupiditates explere ſtudueris (t). Fruſtra homines monueris, ut carnem ſuam ament: hortandi ſunt, ut ne nimis ament. *Nemo carnem ſuam odio habuit* (u).

CAPUT XIV.

Qui fortes in fide ſunt, infirmos ferant; infirmi ne damnent fortes. Mutuis criminationibus ne arguamini. Omnium Judex, Chriſtus Jeſus. Malum exemplum devita. Quicquid geritur abſque Fide, peccatum eſt.

℣. 1. INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. INFIRMUM IN FIDE ASSUMITE. Chriſtiana Eccleſia ex Gentilibus ac Judæis ad Chriſtum converſis coaluerat. Judæi, Legalium obſervationum nunquam non ſtudioſiſſimi, ajebant, abſtinendum eſſe aliquibus ciborum generibus, quæ Moyſes impura eſſe juſſerat. Gentiles conceſſâ ſibi per Evangelium libertate uti volentes, quoslibet indiſcriminatim cibos uſurpabant. Hæc ſententiarum atque uſûs diſſimilitudo peſſimos fortaſſe exitus habitura erat, niſi Paulus occurreret, animoſque contineret, hortatus, ut mutuò ſe ferrent, neque alter alterum damnarent, aut ſejungerentur (a).

INFIRMUM IN FIDE ASSUMITE; benignè excipite, veluti manu tenete, regite (b) *infirmum in Fide*, eum qui nondum didicit, inutiles eſſe Legis obſervationes, qui timidâ & imbecilli adhuc eſt conſcientiâ: docete, vel ſaltem tolerate, ne rejicitote, neque offenſionis cauſam ſuperbis ſermonibus illi exhibete. Gentiles neophytos alloquitur. Judæos, qui priſcas opiniones ægrè exuunt, ne aſpernemini (c).

NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM. Acribus diſceptationibus obſcuratur veritas, non illuſtratur; ſubrepens enim mentis obſtinatio rem ad extrema impellit. Judæus, Chriſto credens, legales ritus aut neceſſarios, aut ſaltem utiles eſſe contendet: Gentilis ſpernet, ac fratri illudet. Hiſce in rebus præſtat omnino ſervare ſilentium, atque opportunitatem præſtolari detegendæ veritatis, cùm vetus opinio ſenſim aut exciderit, aut diminuta fuerit. In cæteris, ubi de potiſſimis dogmatibus uſibusque tuendis agitur, importunum eſt atque imprudens conſilium

vitare

(o) *Vide Grot. Hamm. Eraſm. alios.*

(p) Μὴ κοίταις καὶ ἀσελγείαις. *Vide Tolet. Grot.* (q) Μὴ ἔριδι καὶ ζήλῳ.

(r) *Καὶ τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας. Origen. Auguſt. Eraſm.*

(s) *Epheſ. v, 29: Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.*

(t) *Vide Eraſm. Grot. Vat. Tolet. Eſt. Theodoret.* Οὐκ ἀπηγόρευσε τὴν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν, ἀλλὰ τὴν τρυφὴν, καὶ τὴν ἀκρασίαν ἐξέβαλεν. (u) *Epheſ. v, 29.*

(a) *Theodoret. ad finem cap. XIII. Eſt. Tolet. Grot. hic.* (b) Τὸν δὲ ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε. *Theodoret.* Ἀσθενοῦντα, τὸν ταῖς νομικαῖς παρατηρήσεσι δεδουλωμένον.

(c) *Theodoret. hic, Grot. alii.*

℣. 2. Alius credit ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet.

℣. 3. Is, qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit.

℣. 4. Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

℣. 5. Nam alius judicat diem inter diem: alius autem judicat omnem diem; unusquisque in ſuo ſenſu abundet.

COMMENTARIUS.

vitare lites, pacemque errantium non turbare. Tunc enim clamandum eſt, acriterque errori aut vitio repugnandum.

Reddi poteſt Græcus (d): *Non ad dijudicationes cogitationum*: benevolè ac leniter illos excipite, ſuæque conſcientiæ relinquite, deque opinionibus illorum ne ferte ſententiam. Prior tamen explicatio multò probatiſſima eſt.

℣. 2. Qui autem infirmus est, olus manducet (e). Suam quisque ſequatur conſcientiam; qui fortis in Fide eſt, ac probè ſcit quid ſibi liceat, comparatâ ſibi a Chriſto libertate utatur: qui ſatis eruditus non eſt, quem timida conſcientia prohibet, ne quolibet cibo indiſcriminatim utatur, olera dumtaxat in cibum adhibeat; idque religioſiſſimè ſervet, dum ſoluta non fuerit conſcientia; aliter enim & necem animæ inferret, ac diſplicebit Deo, ſiquid cognitioni ſuæ contrarium aget.

Græcus legit (f): *Qui infirmus eſt, olus manducat*; dum alter eruditior quibuslibet indiſcriminatim cibis utitur. Qui infirmus eſt, olus dumtaxat comedit: cur? S. Chryſoſtomus (g) ac Theodoretus ajunt, Judæos ad Chriſtum converſos, cùm puderet ad Gentiles in Eccleſiam admiſſos accedere, nedum ſuillâ cæterisque cibis in Lege vetitis abſtinuiſſe, verùm etiam ſimulato jejunio ad olera tantummodo ſeſe adegiſſe; cùm mallent omnino carnium eſu carere, quàm ſuperſtitioſi atque imbecilles a cæteris exiſtimari.

Contendunt alii (h), Judæos carnibus abſtinuiſſe, ne inciderent in aliquod cibi genus a Deo per Moyſen interdictum; fermè uti Daniel, qui apud Nabuchodonoſorem (i) a rebus impuris abſtinere volens, maluit olera tantùm in cibum adhibere, quàm labis diſcrimen ſubire, uſurpatis dapibus, quæ ex menſâ Regis exhibebantur. Alii (k) denique cenſent, hyperbolicè hîc ab Apoſtolo uſurpari *olus* pro abſtinentiâ eorum, omnium quæ vitam habent, aut lege Moyſis interdicuntur.

Cæterùm Paulus voluntariam abſtinentiam ex eo ſolùm damnat, quòd cum ſuperſtitione & conſcientiæ imbecillitate, nonquam non vitioſâ, conjungitur. At nunquam defuere in Eccleſiâ, qui piæ afflictationis causâ penitus carne, ſive tantùm pecorinâ, abſtinuerint. Ejus exempla in ſanctiſſimâ remotiſſimâque Antiquitate, ipſisque in Apoſtolis conſpiciuntur (l). Qui hanc ſibi regulam præſcripſere, eos nedum non damnavit Eccleſia, ſed commendavit, modò id cum debitâ erga legitimos Paſtores ſubjectione præſtarent, vitarentque ſuperſtitionem & errores, ab Apoſtolis Patribusque damnatos. Id optimè hîc oſtendit Grotius; qua in re refellere videtur eos, qui poſtremis hiſce ſæculis damnavere afflictationes ab Eccleſiâ imperatas, & ab Eccleſiæ Catholicæ Romanæ Monachis religioſè ſervatas.

℣. 3. Is qui manducat, non manducantem non spernat. Nemo de fratre judicet, nemo damnet ac ſpernat: qui ciborum quorumlibet uſum ſibi licitum putat, aliter ſentientem ne ſpernat (m), Gentilis converſus Judæum infirmum adhuc & imperitum ne contemnat: viciſſim Judæus nimia religioſus, ſuorumque rituum ſtudioſus, *ne damnet* (n) alterum, quibus alia placent, neque uti guloſum ac voluptuoſum traducat: id vobis inter fratres non liceat, quippe qui Dei ſunt; uni huic rationem geſtorum reddere debent; unus ipſe illorum judex: *Deus enim illum aſſumpſit* (o): in Eccleſiam admiſit, veniam peccatorum dedit, inter familiares eſſe patitur: cur tu non feras?

℣. 4. Tu quis es qui judicas alienum servum? Servus res domini eſt; ipſe de ſervo judicat, damnat, abſolvit: ſi moritur ſervus, damno heri eſt; ſi vivit, lucro; nemini jus eſt de ſervi geſtis ferre ſententiam. Ex priſci juris legibus loquitur Apoſtolus, quod abſolutam in ſervos authoritatem dominis permittebat (p). Sanguine ſuo nos êmit Chriſtus, ejusque ſervi ſumus: ſeu vivimus ſeu morimur, de re illius agitur: *Suo domino ſtat aut cadit*. Vel: Domini eſt ſervum damnare, ſi peccat; ſi probus fuerit, abſolvere: domini judicio relinquendus eſt (q).

Stabit autem: ſperandum eſt fore, ut dominus, cujus vires finem non habent, illum perire aut in peccatum labi non ſinat. Superſtitioſa iſthæc religio, & conſcientiæ imbecillitas minimè prohibebunt, quin ſervetur a Domino, ſi fidem ſervaverit, & reliqua ejus vita cum Chriſtiani hominis conditione congruerit: erudiet illum Deus, erroremque opinionis illi deteget, aut fidelitatis gratiâ imbecillitatem diſſimulabit.

℣. 5. Alius judicat diem inter diem. Feſtos dies ſecernit a cæteris, obſervat Sabbathum, Neo-

(d) Μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. *Vide Lud. de Dieu.*
(e) Λάχανα ἐσθιέτω. *Ita Germ. & Clarom. G. L. Berner. G. L. Vulg. Arab. Æth. Rufin.*
(f) Ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει, *Ita Origen. Ambroſ. in Pſal. xxxvi; Hieronym. Tertull.*
(g) *Quid. apud Theodoret. hic.* (h) *Vat. Tolet.* (i) *Dan.* 1, 21. (k) *Vide Tolet. hic, Eſt.*
(l) *Vide Clement. Alex. Pædag. lib.* 2, *de ſancto Matthæo; Auguſt. lib.* 20, *cap.* 20, *contra Fauſtum, de ſancto Jacobo fratre Domini. Can. Apoſtol.* 20; *Origen. lib.* 4 *contra Celſ. Tertull. lib.* 2 *de Cultu femin. Euſeb. Hiſt. l.* 5, *c.* 3. (m) Μὴ ἐξουθενείτω. *Chryſoſt.* μὴ ὀνειδιζέτω, διαβαλλέτω, ὡς ὀλιγόπιστον, ὕπουλον, καὶ νόθον, ὡς Ἰουδαΐζοντα ἔτι. (n) Μὴ κρινέτω, *Chryſoſt.* μὴ κατακρινέτω ὡς παρανομοῦντα, καὶ ὅλως λαιμαργίᾳ προσέχοντα.
(o) *Chryſoſt.* Προσελάβετο, τουτέστι, τὴν ἄφατον αὐτοῦ περὶ αὐτὸν ἐπεδείξατο χάριν, καὶ πάντων ἀπήλλαξεν ἐγκλημάτων. (p) *Vide Theodoret. hic*: Πᾶς οἰκέτης καὶ ζῶν τῷ οἰκείῳ δεσπότῃ κερδαίνει, καὶ τελευτήσας πάλιν αὐτῷ προξενεῖ τὴν ζημίαν. *Ita Tolet.* (q) *Vetſt. Eſt, Menoc. Tir.*

℣. 6. Qui ſapit diem, Domino ſapit. Et qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat: & gratias agit Deo.

℣. 7. Nemo enim noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur.

℣. 8. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.

℣. 9. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit: ut & mortuorum & vivorum dominetur.

COMMENTARIUS.

Neomenias, atque alia Iſraëlis ſolemnia (r): fermentato abſtinet per Paſchatis octavas; jejunia, quæ in Synagogâ imperantur, religioſè ſervat. Iſta non exigit ex nobis Deus: hoc jugo nos liberavit Chriſtus: at is, qui Chriſtianâ libertate uti ſcit, ac meritò exiſtimat, nullum eſſe dierum diſcrimen, *judicat omnem diem*, ne efferatur aut damnet imbecilles, qui ſe peccare cenſerent, ſi cœptas a primâ ætate exercitationes desererent. Inanis planè eſt timor, at laudabili ſaltem fundamento.

Hîc procul dubio non damnat Apoſtolus piam conſuetudinem in Eccleſiâ inſtitutam, qua diſcrimen inter dies inducitur, atque alii abſtinentiæ atque afflictationi, alii ſpiritali lætitiæ, ac peculiari Dei obſequio conſecrantur. Superſtitionem damnat ac pervicaciam, quæ his uſibus interdum accedunt, ac privatorum arrogantiam, qui inconſultâ Eccleſiæ authoritate, veluti communi præcepto, dies alios aliis ex arbitrio præferunt: id verò, quod legitimi Paſtores probavere, non modò damnandum non eſt, ſed cum obſequio excipiendum, ceu Divinæ voluntatis ſignificatio. Eccleſia, a Spirito Sancto edocta, tempora definit, quæ aut ſpiritali lætitiæ aut penitentiæ impendenda eſſe, Chriſtus Jeſus & Apoſtoli in univerſum prononciavere. Laudat illa, ſiquis ex Fidelibus a Spiritu Sancto edoctus fuerit aliquid communibus exercitationibus addere, majoris ſanctitatis gratiâ; neque tamen aut inanes conſcientiæ terrores, aut ſuperſtitiones, aut privatos minimeque probatos cultus probans, neque peſſimam illorum licentiam, qui ipſius leges violant, aut novas ex arbitrio ſibi fingunt (s).

UNUSQUISQUE IN SUO SENSU ABUNDET (t). Suam unuſquiſque ſententiam liberè ſequatur (u). Sive: Unuſquiſque in placito conſtans eſto. Si ratione vinci nequit, ſententiam & conſuetudinem teneat. Qui cibis indiſcriminatim omnibus uti ſe poſſe putat, pergat; qui nefas arbitratur, radicibus oleribuſque veſcatur: ſuam unuſquiſque conſcientiam & cognitionem ſectetur. Hæc tamen regula ſeu libertas quiboslibet in rebus locum non habet: pernicioſa foret, ſi ad Fidei dogmata, imperataſque ac neceſſarias obſervationes porrigeretur: in rebus dumtaxat in medio poſitis ac per ſe licitis admittenda eſt, quibus aut abſtinere aut uti potes pro arbitrio (x).

℣. 6. QUI SAPIT DIEM, DOMINO SAPIT. Qui diſcrimen dierum facit, id agit, ut Deo placeat. Græcos addit (y): *Et qui non ſapit diem, Domino non ſapit*. Hæc tamen additio in vetuſtis quampluribus Græcis Latiniſque Codicibus non invenitur. Utrorumque conſuetudinem in bonam partem interpretatur Apoſtolus, tum utentium carnibus ceu licitis, tum aliquas ceu impuras vitantium aut timore aut conſcientiæ imbecillitate. Id autem ſapientiæ atque indulgentiæ illius eſt. Monet deinde, *gratias agant Deo*, ſive abſtineant, ſive comedant; hi nimirum omnibus indiſcriminatim cibis utentes, illi olera tantùm conceſſoſque a Lege cibos adhibentes.

℣. 7. NEMO ENIM NOSTRUM SIBI VIVIT. Seu vivimus ſeu morimur, comedimus aut abſtinemus, peculiari Chriſtianæ Religionis libertate utimur ſive non utimur, omnia Dei causâ aut agimus aut agere debemus; idque gerentes, gloriæ illius & obſequii causâ, ut in rebus etiam in medio poſitis Deo placeamus, neque in illius juſtitiam neque in bonitatem peccamus.

Aliter (z): Nemo noſtrûm in ſui poteſtate eſt, ſed Chriſti. Sive vivimus ſive morimur, ſervi ſumus Chriſti. Uni Chriſto geſtorum ratio a nobis reddenda eſt: unus ipſe omnium judex: quamobrem nemo fratrem arguat. Eadem ſententia eſt, quæ ℣. 4: *Domino ſuo ſtat aut cadit.* Res domini agitur, ſi ſervus piè aut nefariè vivit, ſi peccando necem animæ affert, aut gratiæ vitam vivit. Hic locus minimè favet iis, qui ſubjectionem omnem erga Eccleſiam a Chriſtianis removere conantur; verba enim Apoſtoli uſurpanda ſunt dumtaxat in rebus ejus naturæ, de quibus hîc loquitur: iniquum foret ultra argumentum ea prorogare.

℣. 9. IN HOC ENIM CHRISTUS MORTUUS EST ET RESURREXIT (a), &c. Chriſtus Jeſus, qua Deus eſt, abſolutum in creatas res omnes imperium nunquam non exercuit: at quà homo, imperium exercere non cœpit, niſi poſt mortem ac Reſurrectionem (b). Morte ſuâ ceu pretio univerſos ſibi homines comparavit: reſurrectio titulus quodammodo imperii eſt: Chriſto igitur Jeſu addicti ſumus, ſeu vivimus ſeu morimur; illius ſumus qualibet in conditione; juſti, impii; infirmi, fortes. Chriſti jura violas, ſi fratrem arguis: licentiâ tuâ offenditur Chriſtus. Vide *Rom.* II, 1, 2, *&c.*

℣. 10. Tu

(r) *Hieronym. Eſt. Grot. Para.* (s) *Tolet. Menoc. Tir.*

(t) Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Verbum πληροφορεῖσθαι, apud Paulum uſurpatur pro abſolutâ perſuaſione. Vide *Coloſſ.* II, 2; 1 *Theſſal.* I, 5; *Hebr.* VI, 11; *Rom.* IV, 21; XIV, 5; 2 *Timot.* IV, 5; IV, 17. *Ambroſiaſt. Suo quiſque conſilio remittatur.* (u) *Ita PP. & Interpp. paſſim.*

(x) *Theodoret. hic:* Οὐ καθολικῶς τοῦτο τέθεικεν. Οὐδὲ γὰρ περὶ τῶν θείων δογμάτων τοῦτο ἀξιοῖ φρονεῖν. Ἀναθεματίζει γὰρ τοὺς τἀναντία τῇ ἀληθείᾳ διδάσκειν ἀνεχομένους. *Vide Eſt. hic.*

(y) Καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, τῷ Κυρίῳ οὐ φρονεῖ. *Sed hæc deſunt in Alex. Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Barberin.* 3, *Copht. Æth. Ambr. Ruſin. Vide Mill. Eraſm. Zeger.*

(z) *Vide Tolet. Para.* (a) Græcus: Καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν, *Reſurrexit & revixit*. At diſſident hic Codices; alii enim ferunt ſolummodo ἀνέστη, alii ἀνέζησε. Vide Mill. & Eſt.

(b) *Tolet. Men. Tir. Eſt. Grot.*

℣. 10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis
fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.
℣. 11. Scriptum eſt enim: Vivo ego, dicit Dominus: quoniam mi-
hi flectetur omne genu; & omnis lingua confitebitur Deo.
℣. 12. Itaque unusquisque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo.
℣. 13. Non ergo ampliùs invicem judicemus: ſed hoc judicate
magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.
℣. 14. Scio, & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per
ipsum, niſi ei, qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commu-
ne eſt.

COMMENTARIUS.

℣. 10. TU AUTEM QUID JUDICAS FRATREM TUUM? Tu, Judæe ſuperſtitioſe, cur fratrem damnas? AUT TU, Gentilis qui Chriſto credidiſti, QUARE SPERNIS FRATREM TUUM, Judaica ſervantem, & imbecillem? Cur judicis veſtri Chriſti Jeſu ſententiam prævertitis? *omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti*. Cauſam hic detegit Chriſtus, cur ea quæ toto hoc Capite leguntur, ſcripſerit: nimirum ut coërceret Judæorum audaciam, violatæ Divinæ Legis arguentium Gentiles, qui quolibet ciborum genere indiſcriminatim utebantur: tum ut Neophytos ex gentibus cohiberet, a quibus ſpernebantur Judæi ceu animo imbecilles, & conſcientiâ erroribus implicatâ. Utrosque provocat Apoſtolus ad Chriſtum, a quo judicium de omnibus ferendum eſt.

Neque verò exiſtimaveris, quodlibet judiciorum genus ab Apoſtolo damnari. Nefas non eſt, ſi Chriſtianus peccatum publicè compertum damnet: Eccleſiæ Principes æquiſſimo jure damnant Chriſtianos, pernicioſa ſentientes, ſanctarumque Religionis Legum violatores. Permittit Chriſtus, ut ad Eccleſiam provoces (*c*), niſi audierit te is qui tibi injuriam irrogavit. Vetat igitur hîc dumtaxat Apoſtolus, nequis judicet, damnet, ſpernat Chriſtianos, qui nonnullis rebus per ſe licitis, quarum uſus in medio eſt, aut utuntur, aut abſtinent. Arrogantiam ac ſuperbiam damnat, ex quibus præcipitata ac temeraria judicia oriuntur; easque argumento ex totâ Religione validiſſimo ac ſublimiſſimo coërcet. I, Unusquisque hominum res Jeſu Chriſti eſt; quamobrem nemini jus datur in alterius conſcientiam. II, Omnes Chriſto Judici adſuturi ſumus; quamobrem ſupremi Judicis ſententia a nemine prævertenda eſt.

℣. 11. VIVO EGO, DICIT DOMINUS, QUONIAM MIHI FLECTETUR OMNE GENU. Quod ſupra dixit, homines univerſos coram Chriſto Judice eſſe ſiſtendos, oſtendit Apoſtolus ex Iſaia (*d*): *In memetipſo juravi, quia mihi curvabitur omne genu*; Divinitatem meam, poteſtatem, abſolutumque in res creatas imperium omnes agnoſcent; *& omnis lingua confitebitur Domino*, me Deum eſſe, omniumque hominum Judicem ac Dominum (*e*).

Perſpicuus omnino eſt hic locus pro Chriſti Jeſu Divinitate; nihilque diſertiùs loqui potuit Apoſtolus: ita ℣. 12: *Unusquisque noſtrûm pro ſe rationem reddet Deo*, non pro cæteris (*f*); niſi aliorum cura tibi credita fuerit, eorumque exitio aut ſaluti operam contuleris: eam quippe ob cauſam judicio fratris ex obliquo comprehendêris, abſolutusque aut damnatus abibis, qualia fuerint ea quæ tibi imputabuntur circa fratres, quibus bono vel malo exemplo fueris, quosque vel docueris, vel errare permiſeris.

℣. 13. NON ERGO AMPLIUS JUDICEMUS. Cùm ſupremus omnium Judex ſit Chriſtus, nemo fratrem arguat, damnet, aſpernetur. Illud tamen certiſſimum vobis eſto, nemini fas eſſe, offenſionis & lapſûs cauſam alteri præbere. Hoc vobis credendum eſt, hoc judicandum; in hoc incumbendum eſt, ne cui malo exemplo ſitis; *ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri*. Vos autem, Judæi, dum damnatis Gentiles, quibuslibet indiſcriminatim cibis utentes, deterretis cæteros a ſuperſtitione ad Chriſtum facilè acceſſuros; vosque, Gentiles, dum Neophytos ex Judæis, diſcrimina per Moyſen inducta ſectantes, aſpernamini, removetis eos, qui Judaica ſacra relicturi ſunt, ut ad Chriſtum tranſeant: atque ita ex re leviſſimâ graviſſimum movetis negotium, atque ob nullius momenti obſervationem, Eccleſiam univerſam in diſcrimen adducitis; Gentiles, inquam, qui Judæorum conſuetudinem temerè damnatis; Judæi, qui acriùs quàm par eſt obſervationes veſtras defenditis. Indifferens eſt, quibusdam cibis utaris ne, an abſtineas: at lapſûs occaſionem fratri exhibere, exitiale eſt (*g*).

Fruſtra hîc laboraveris quærendo, quid diſcriminis ſit *offendiculum* inter & *ſcandalum*: utrumque enim indiſcriminatim uſurpatur. *Ponere ſcandalum* propriè atque ex vocabuli ſono eſt, lapidem, lignum, aliudve quid in itinere objicere, in quod incidens alter ruat. Morali ſenſu uſurpatur de factis dictisve, quibus alter in crimen trahitur. Innumera ſunt in medio poſita, quæ fieri fas ſit aut nefas, uti vel facta vel omiſſa aut innoxia ſunt, aut ſcandalum pariunt. Alia ſunt, quæ prorſus nefas eſt omitti, tametſi ſcandalo futura noveris; puta ea quæ ex præcepto ſunt, & præteriri non licet. In re præſenti, ſi noſti, indiſtinctum carnium eſum fore fratribus ſcandalo, abſtinere debes, vel ſaltem te purgare, ac perſuadere illi, quo præſente, id facis. Si argumentis minimè vincitur, jubet charitas te abſtinere iis, quæ ipſi moleſtiam pariunt (*h*), & aliquid indulgere imbecillitati illius, qui perperam geſtis tuis offenditur: neque aut malitiæ aut obſtinationi, ſed pietati tribuendum eſt quòd offenditur.

℣. 14. SCIO ET CONFIDO IN DOMINO JESU, ex iis quæ docuit Chriſtus (*i*), novi, nihil eſſe impurum ex naturâ ſuâ. Vel: Scio, in Chriſti Eccleſiâ, Novoque ſub Teſtamento (*k*), *nihil*

pro

(c) *Matth.* XVIII, 17: *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ.*
(d) *Iſai.* XLV, 23. (e) *Vide Eſt. Vorſt. Men. alios.* (f) *Vide Tolet. Eſt. Menoc. &c.*
(g) *Matth.* XVIII, 7. (h) Vide ℣. 15. (i) *Tolet. Theodoret. Eſt.*
(k) *Galat.* V, 6. *Par.*

Digitized by Google

℣. 15. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur: jam non ſecundùm charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.
℣. 16. Non ergo blaſphemetur bonum noſtrum.
℣. 17. Non eſt enim Regnum Dei eſca, & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.
℣. 18. Qui enim in hoc ſervit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.

COMMENTARIUS.

per ſe impurum eſſe (l); alii reddunt: *Nihil impurum per ipſum*, per Chriſtum Jeſum, ſive per Legem Evangelicam: omnia munda ſunt ſub Evangelio. Libertatem nobis comparavit Chriſtus, abrogatâ eâ Legis parte, qua eorum uſu interdicebamur. At verſio ferens, *Nihil impurum eſt per ſe*, naturâ ſuâ, præſtantior eſt, ob ea quæ ſequuntur: *Niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe*. Duplicis hujus commatis oppoſitio non ita perſpicua eſt in alterâ interpretatione. *Omnia munda mundis*, ait alibi (m); *coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum*. Tametſi falſa eſt illorum opinio, erratque conſcientia, iis tamen ita obligantur, ac ſi res mala eſſet ac vetita (n): in iis enim damnat Deus peccandi voluntatem, quæ in re indifferenti, non ſecus atque in nefariâ, invenitur.

℣. 15. SI ENIM PROPTER CIBUM, rei per ſe indifferentis, quam tamen frater vetitæ ac pollutæ loco habet, FRATER TUUS CONTRISTATUR, pariturque illi moleſtia, ſive is a te ſperni ſe putet, ſive Moyſis Legem violari; denique ſi repugnando illum irritas, ſive libertate offendis, *jam non ſecundùm charitatem ambulas*. Fratrem ſatis non amas (o), quippe in cibum uti vis eâ re, qua carere potes, tametſi noveris, illum idcirco objici peccandi periculo, adversùs te irritari, imò & adversùs Evangelium, cujus auctoritate comprobas id quod facis. Imperat charitas, ut nedum imbecilles feras, verùm etiam quibusdam licitis abſtineas, pacis causâ, ut infirmorum ſcandalum vites, & concordiam tuearis.

NOLI CIBO TUO ILLUM PERDERE, PRO QUO CHRISTUS MORTUUS EST. Nihil validius afferre potuit Apoſtolus; I, exitium fratris; II, amorem, quo illum Chriſtus proſequutus eſt, ejus causâ moriens. Fratris animam ne leve quid eſſe cenſueris: pretium ſanguinis Chriſti eſt. Neque putes, leve malum eſſe id quod facis, aut rem nullius momenti, in iis rerum ac temporis adjunctis, de quibus diſputo. Fortaſſe mortem animæ fratris illaturus es: at quo pacto? amittendæ charitatis, ſpernendi Evangelii, abdicandi Jeſu Chriſti, deſerendæ Eccleſiæ illum diſcrimini objicis; vel ſaltem id agendi, quod ipſius conſcientiæ repugnet, adhibitâ in cibum re, quam ipſe malam & impuram cenſet (p). Confer 1 *Cor.* VIII, 11: *Et peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.*

℣. 16. NON ERGO BLASPHEMETUR BONUM NOSTRUM (q). Græcus vulgatus: *Bonum veſtrum*; quæ varietas gravem ſententiæ mutationem non infert, cùm utrobique de bono Eccleſiæ, de Fide, de Evangelio, quod Fidei regula eſt, agatur (r). Reddunt alii (s): *Bonum noſtrum*: ne ea, quæ piè ac bene agimus, maledictis obnoxia ſint, imprudentiæ veſtræ causâ. Gentiles, ſpectatâ familiari diſcordiâ, nobis ne illudant, neve convicia in Chriſtum Jeſum evomant. Denique: *Bonum noſtrum*, noſtra libertas. Libertas, qua gaudemus, ne offenſioni ſit externis, ac religionem contemptui ne exponat (t). Eodem fermè ſenſu alibi ſcribit Apoſtolus (u): *Ut quid libertas mea judicatur ab alienâ conſcientiâ?* Et (x): *Vos in libertatem vocati eſtis; tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

℣. 17. NON EST REGNUM DEI ESCA ET POTUS. Iſtis nimirum cœleſtem gloriam non aſſequemini, ſcilicet, nec libertate utendi quibuslibet indiſcriminatim cibis, quam tuemini, nec ſuperſtitioſâ Moſaicarum legum, quibusdam interdicentium, obſervatione, ſed virtutis exercitatione, Fide, charitate.

Aliter: Neque libertas, quam ſtudioſè defenditis, neque Judaica obſervatio, quam mordicus tuetis, Chriſtianum hominem faciunt, aut Deo carum. Eamdem ſententiam aliis verbis alibi tradidit (y): *Eſca autem nos non commendat Deo*. Quibuslibet cibis utare, aut aliquibus abſtineas, nullius momenti eſt ad ſalutem; quamobrem id non magni faciendum eſt. Quid levius pacis & charitatis gratiâ facias?

SED JUSTITIA, ET PAX, ET GAUDIUM IN SPIRITU SANCTO. In his porrò Dei Regnum conſiſtit. Iſta plurimi omnium facere debet Chriſtianus: his ille cœlum aſſequetur: hi ſunt Evangelii fructus. *Juſtitia*, reconciliationis gratia, innocentia, opera juſtitiæ, *pax*, Dei & fratrum amicitia, mentis tranquillitas, conſcientiæ quies. *Gaudium in Spiritu Sancto*: hilaritas mentis, pignus & effectus inhabitantis Spiritûs Sancti; quæ in eo ſita eſt, ut ſerenus ſit mentis ſtatus, Providentiæ decretis abſolutiſſimè ſubjiciaris, libenter exequare quæ imperat Deus: quibus in rebus verſatur vera *devotio*, quam Eccleſia his verbis poſtulat: *Fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & Majeſtati tuæ ſincero corde ſervire.* ℣. 18. *Qui in hoc*, juſtitiâ ſcilicet, pace, & gaudio Spiritûs Sancti (a), *ſervit Chriſto, pla-*

(l) Ὅτι οὐδὲν κοινὸν δι' ἑαυτῦ, *Per ſe, ex naturâ ſuâ. Ita plerique. Alii*: δι' αὐτῦ. *Alii*: δι' αὑτῦ, *Per ſeipſum.* (m) *Tit.* I, 15. (n) *D. Thom. Grot. Perer. Eſt. Menoc. alii.* (o) *Vat. Tolet. Grot.* (p) *Vide Grot. Verſ. Eſt. Menoc. &c.* (q) Μὴ βλασφημείσθω ὑμῶν τὸ ἀγαθόν. *Alii*: ἡμῶν τὸ ἀγαθόν. *Ita Vulg. Syr. Copht. Amb. Aug. Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 1; *alii.*
(r) *Origen. Ambroſiaſt. Theodoret. alii plures.* (s) *Vide Grot. hic.*
(t) *Tolet. Eſt. Grot. Hamm. Verſt. alii.*
(u) 1 *Cor.* X, 29.
(x) *Galat.* V, 13.
(y) 1 *Cor.* VIII, 8.
(z) *Clem. Alex.* Τρῶσις καὶ πόσις, ὐδὲ μὲν ἀπὸ οἴνυ ϗ ἄρτων.
(a) *Vat. Tolet. Eſt. Para. Menoch. alii.*

℣. 19. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in invicem cuſtodiamus.

℣. 20. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat.

℣. 21. Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur.

℣. 22. Tu fidem habes? penès temetipſum habe coram Deo: Beatus qui non judicat ſemetipſum in eo, quod probat.

℣. 23. Qui autem diſcernit: ſi manducaverit, damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

COMMENTARIUS.

eet Deo, & probatus eſt hominibus. At neque Deus neque homines magnoperè curant, quibus cibis utare.

℣. 19. Itaque quæ pacis sunt sectemur, et quæ ædificationis sunt. Seditionem liteſque vitemus, conemurque pacem mutuamque concordiam colere; ac remotis diſſidiis & criminationibus, bonorum operum exemplo mutuam ſaluti operam præſtemus. Utinam hæc Apoſtoli monita omnium Chriſtianorum mentibus altè inſcribantur! Multum ſcilicet temporis inſumimus diſcordiâ infinitis litibus ſerendâ; neglectis penitus atque in oblivionem miſſis pace, charitate, patientiâ, juſtitiâ.

℣. 20. Noli propter escam destruere opus Dei. Fidem, charitatem, pacem, juſtitiam, a Spiritu Sancto in animo fratris ſatas, leviſſimis diſceptationibus de ciborum delectu ne evellas (b). Opus Dei uſurpari etiam poteſt pro Chriſtiano, quem Deus ſui ipſius Templum ſedemque conſtituit, & Chriſtus Jeſus novam creaturam gratiâ bonorumque operum exercitatione reddidit (c).

Omnia quidem sunt munda. At is qui ſcandalo eſt fratri per hujusmodi ciborum uſum, malos male utendo facit; male agit, cùm ſcandalo eſt fratri, tametſi conceſſis carnibus in cibum utens.

℣. 21. Bonum est non manducare carnem. Præſtat carnibus abſtinere, quàm labendi occaſionem fratri objicere (d). Præferenda eſt, ubi opus ſit, quibuslibet a carnibus abſtinentia, quàm vel conceſſam comedere cum fratris ſcandalo. Charitas & pacis ſtudium digna ſunt, quorum causâ multò etiam majora præſtes. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum,* ſcribit alio loco Apoſtolus (e).

℣. 22. Tu fidem habes? Probè tenes quid fas ſit, quid nefas; quouſque porrigatur libertas, Eccleſiæ a Jeſu Chriſto comparata; quid diſcriminis intercedat inter rituales leges Evangelio abrogatas, ac morales confirmatas a Chriſto, atque ad perfectionem adductas? Si hac Fide ac ſcientiâ inſtructus es, *penès temetipſum habe coram Deo.* Hujusmodi Fidem & libertatem temerè ne oſtentato: cum modo utere; quòd ſi vereris, ne illæ fratri ſcandalo ſint, iis ipſo præſente ne utare (f). Non revoco id quod ſupra dixi, omnia munda eſſe habenti Fidem; at moneo ne utaris libertate, ut fratrum conſcientiæ moleſtiam parias.

Beatus qui non judicat ſemetipſum (quem non damnat conſcientia) *in eo quod probat*, quod agit. Beatus qui perſpicuâ eſt conſcientiâ, qui nihil agit adversùs ea quæ novit. Te beatum, ſi ex iis es, qui meliora conſilia eligere noveris; te verò illorum miſereat, quos infirma ac timida conſcientia aſſiduis tumultibus inquietos agit; & verère, ne illos inconſultâ vi offendas. Verti poteſt (g): *Beatus qui ſe ipſo non damnat in iis quæ probat*: qui ſcandali reum ſe non conſtituit, neque charitatem lædit uſu libertatis, quodlibet carnium genus in cibum adhibens, coram fratribus in Fide nondum firmis, eamque libertatem illicitam eſſe cenſentibus.

℣. 23. Qui autem discernit (h). Judæus, diſcrimen ciborum a Moyſe imperatum ſequens, ſi adversùs conſcientiæ ſtimulos carnibus in cibum utitur, *damnatus eſt, quia non ex fide* agit, & exequitur id, quod nefas eſſe arbitratur. Nihil unquam, vel leviſſimum & in medio poſitum, invitâ conſcientiâ præſtandum eſt. Quicquid invitâ conſcientiâ geritur, & *non eſt ex fide, peccatum eſt.* Si quid non conceſſum putas, & tamen facis, volens prudenſque te objicis peccandi periculo (i), adeoque peccas. Nefaria eſt hæc animi tui habitudo: res probè tenenda eſt, antequam agas, vel ſuſtinendum eſt, vel denique penitus ab actione ceſſandum. Nequid unquam facias, quod dubites æquum ſit an iniquum, ajebat Tullius (k).

Hanc Apoſtoli ſententiam, *Omne autem quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*, S. Auguſtinus (l), S. Proſper (m), S. Fulgentius (n), aliique plures perinde interpretati ſunt, ac ſi diceret Paulus, quic-

(b) *Tolet. Menoc. Pare.* (c) 2 *Cor.* v, 17; *Galat.* vi, 15; *Jacobi*, 1, 18; *Epheſ.* ii, 10: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis. Vide Eſt. Grot. Piſc.*

(d) *Græc.* Ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει, ἢ σκανδαλίζεται, ἢ ἀσθενεῖ. At Ms. Alexandrinum, Syriaca, Æthiopica, Cophtica, Origenes, S. Auguſtinus non legunt poſtrema hæc: *Aut ſcandalizatur, aut infirmatur.* (e) 1 *Cor.* viii, 13. (f) *Vat. Eſt. Tolet. Men. Piſc. alii.*

(g) Ὁ μὴ κρίνων ἑαυτὸν ἐν ᾧ δοκιμάζει. (h) Ὁ δὲ διακρινόμενος. Reddi poteſt: *Qui autem dubitat*, qui anceps hæret, liceat ne ſibi omnibus indiſcriminatim carnibus veſci.

(i) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. Theophyl. Eſt. Peter. Tolet. Men. alios. Vide & Ambroſiaſt. Hug. &c.*

(k) *Cicero, lib.* 1 *de Officiis: Benè præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit an iniquum; æquitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.*

(l) *Auguſt. lib.* 4 *contra Julian. cap.* 3; *lib. de Gratiâ Chriſti, cap.* 26; *lib.* 1 *de Adulter. conjug. cap.* 18; *Ep. olim.* 105, *ad Sixt. nunc* 194. (m) *Proſper, lib.* 3 *de Vitâ Contemplat. cap.* 1; *contra Collator. cap.* 22, & 28; & *Ep. ad Rufin.* (n) *Fulgent. lib.* 2 *de Remiſſione, cap.* 1.

quicquid præter Fidem Chriſtianam geritur, eſſe peccatum; adeo ut omnia Infidelium acta, apud Deum peccata cenſeantur. Hæc tamen explicatio præter literæ ſeorſum eſt. Non agit hîc Apoſtolus de Fide, qua efficimur Chriſtiani, ſed de fiduciâ, per quam tumultibus conſcientiæ agendo caremus, quippe quibus certum eſt, licitum eſſe aut indifferens illud ipſum quod facimus. De geſtis Infidelium quæſtio videnda eſt apud Pererium hîc, & Theologos.

Ad hujus Capitis calcem Græci Codices bene multi (o), S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Theodulus, aliique, ſubnectunt iſta, quæ in vulgatis noſtris Editionibus in calce Capitis XVI hujus Epiſtolæ feruntur: *Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis gentibus cogniti, ſoli ſapienti Deo per Jeſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.* Additionem hanc, & reliqua Capita XV & XVI, rejiciebat Marcion (p), ceu ſuppoſita. Qui tres hoſce verſiculos hîc legunt, in fine XVI Capitis non repetunt (q).

Quæritur, unde hîc iſta additio? Grotio aliiſque (r) videtur Paulus primùm hîc finire voluiſſe Epiſtolam, quamobrem & ſcripſiſſe ea quæ recitavimus, quibus Epiſtola clauderetur; ſed poſtea, cùm nonnulla adjicienda videretur ob dictorum perſpicuitatem, ſubtexuiſſe duo poſtrema Capita, uſque ad ℣. 21 Capitis XVI, quo ℣. clauditur additio. Ejuſdem Capitis commata 22, 23, 24, 25, poſtcripta fuere, quemadmodum uſuvenit in epiſtolis, quibus variorum ſalutationes ſubſcribuntur; eaque vel Paulus, vel Tertius Pauli Amanuenſis ſubtexuit. Deinque Eccleſia, ſive Librarii adjecere commata 25, 26, 27, quæ in fine Capitis XVI jam legebantur.

Hæc opinio probabilitate non caret: nemo tamen aſſeruerit, eam eſſe hujuſmodi varietatum cauſam. Sunt qui cenſeant (s), ex libris a Marcione truncatis ortum eſſe, ut iſta in Græco hîc legantur. Ut enim fraudem Marcionis, duorumque ſupremorum Capitum abſciſſionem diſſimularent Diſcipuli, fini Capitis XIV ſubjunxere tria commata, quæ ad finem Capitis XVI rejicienda ſunt. Nemo non videt, ea hîc extra locum eſſe, ac Pauli ſententiam turbare.

CAPUT XV.

Mutua charitas & obſequium. Jeſus Chriſtus Judæis promiſſus; & Gentilibus per gratiam nunciatus. Paulus Romanis pollicetur, ſe illos inviſurum. Evangelii progreſſus, prædicante Paulo.

℣. 1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.

℣. 2. Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem.

℣. 3. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere. Neophytos ex Gentibus docere pergit, atque hortari, ut indulgentiæ plurimum & charitatis erga Judæos Chriſtianam Religionem amplexos adhibeant. Qui firmiores eſtis in Fide, atque in Religionis rebus eruditiores, fratrum imbecillitatem benigniùs ferte. Nonnihil remittite ex iis quæ facere vobis licet, neque libertate, ab Evangelio conceſſâ, quoslibet indiſcriminatim cibos uſurpandi, totâ prorſus utimini. Ne faciatis quicquid licet, in levis adeò momenti negotio.

Græcus (a): *Ne vobis ipſi placeatis*, ſive, libertati veſtræ veſtriſque cognitionibus præter modum indulgeatis; veſtrum ipſi judicium ne pervicaciùs ſequamini; veſtrique amor vobis ne ſuadeat, ut fratrum diſcrimen, ſcandalum, exitium minimi faciatis (b). Ne ipſis præſentibus uſurpetis cibos, quos illi impuros exiſtimant: ſaltem illos ne aſpernemini.

℣. 2. Proximo ſuo placeat in bonum (c). Placere potes proximo in illius, aut in tui ipſius exitium. Monet Paulus, ut illi placere ſtudeas in illius ac tui commodum & ſalutem (d), ut illum ad virtutem, juſtitiam, pietatem inducas. Perniciosum eſt obſequii genus, impio male agenti blandiri; & eſt alterum, pium & Chriſtiano dignum, quo quis proximo offenſionem ac moleſtiam exhibere veretur: poſtremum hoc Apoſtolus ſuadet Fidelibus.

℣. 3. Etenim Chriſtus non ſibi placuit. Sua ipſe commoda non quæſivit: mundi honores, delicias, gloriam ſprevit: in hominum ſalutem atque inſtitutionem ſolummodo incubuit: omnia tulit, ut placeret Deo: omnibus vitæ commodis ſeſe abdicavit, ut abſolutiſſimum ſpoliationis exemplum exhiberet. In horto angorem ſuum, cruciatus, voluntatem Patri obtulit. Tantumdem ex te non exigit: illud ſolummodo vult, ut pacis & fratrum ſalutis gratiâ tibi leviſſimâ in re ne

(o) *In Steph. omnes, Alex. Magd.* 1, 2; *Lin. Cant.* 2, 3; *alii plures; Lectionarii Græci; Codd. alii qui, teſte Origen. ſeu Rufino in Ep. ad Rom.* xvi. *Vide Mill.* (p) *Origen. in cap.* xvi, *ad finem.*
(q) Unus Codex Alexandrinus iſta repetit. (r) *Quid. apud Mill. hic, & Mill. ipſe.*
(s) *Beza hic; & Eſt. ad cap.* xvi, 25.
(a) Καὶ μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν. (b) *Vide Eſt. Tolet. Menoc. alios; & Theodoret. hic.*
(c) *Græc. Impreſſ.* Ἕκαστος γὰρ ἡμῶν, *unuſquiſque enim noſtrûm.* At eximii Codices Græci quamplures cum Vulgatâ conſentiunt. Vide Mill. (d) *Theodoret.* Εἰς τὸ ἀγαθὸν, καὶ πρὸς οἰκοδομήν, ἐστὶ γὰρ ἀρέσκειν, καὶ ἐπὶ λύμῃ καὶ ἑαυτοῦ, καὶ τοῦ πλησίον.

℣. 4. Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.

℣. 5. Deus autem patientiæ, & ſolatii det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm Jeſum Chriſtum:

℣. 6. Ut unanimes uno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

℣. 7. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.

℣. 8. Dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum:

COMMENTARIUS.

ne gratificeris (e), minimæ libertatis uſu abſtineas.

℣. 4. Quæcumque enim scripta sunt (f), ad nostram doctrinam scripta sunt. Exempla Prophetarum, Chriſtum ceu figurâ exhibentium, noſtræ inſtitutionis causâ ſcriptis tradita fuere. Quamobrem ubi locos e Prophetis recito, eosque Chriſto accommodo, Dei, Authoris Scripturarum, conſilio ac propoſito ſervio. Singulæ Scripturarum paginæ Servatorem pingunt. *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus.* Chriſtiani hominis ſpes nititur bonis per Scripturas promiſſis. Inde inter ærumnas patientia; inde in mœrore ſolatium. Si tentamur, opprimimur, derelicti ſumus, in Scripturis exempla patientiæ, ſolatii & gaudii argumenta nanciſcimur; nimirum in Sanctorum exemplis, & Dei promiſſis (g).

℣. 5. Deus autem patientiæ et solatii: Deus patientiæ author & finis, qui ad patientiam hortatur, ejusque argumenta nobis exhibet, qui animum gaudio & ſolatio cumulat, *det vobis idipſum ſapere in alterutrum*, ſententiarum ac voluntatum concordiam vobis largiatur. Fideles ad concordiam hortatus, preces addidit exhortationi, quippe qui noverat, pacem & charitatem munus eſſe Divinæ benignitatis & gratiæ; cùmque ſit perniciosum quoddam concordiæ & conjunctionis genus, indignum creatæ rei amorem ſpectans, addit Paulus. *Secundùm Jeſum Chriſtum*, ex Chriſti inſtitutione, Evangelio, exemplis (h). Fratribus gratificamini in ipſorum ſalutem, ut eorum lapſum & offenſionem vitetis.

℣. 6. Ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Græcus (i): *Eum qui Domini noſtri Jeſu Chriſti Deus eſt & Pater.* Deus Pater, rerum omnium conditor & conſervator, Deus quoque eſt Jeſu Chriſti quà hominis, Pater verò quà Dei: quemadmodum ipſe Chriſtus in Evangelio ait (k): *Vado ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum.* Alii legunt: *Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Omnipotens enim Deus pater eſt Jeſu Chriſti, ab ipſo ante omnia ſæcula geniti (l).

℣. 7. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos: mutuò tolerate, uti vos toleravit Chriſtus (m). Eam benignitatem invicem exercete, quam erga vos exercuit Chriſtus. Ad vos usque deſcendit Chriſtus, ut vos ad ſeſe eveheret: ad puerilia, ut ita dicam, ſe dimiſit, ut rudibus ingeniis veſtris ſeſe accommodaret. Illum imitamini erga fratres, ſi infirmi ſint, ſi rudiores, ſi moroſi: tolerate, docete, gratificamini.

Explicari poteſt Græcus (n): *Excipite* illos, uti vos Chriſtus. Illud præ ceteris moneo, a fratribus ne ſejungamini, ne diſcordiam ſeratis, neve illorum occurſum & conſuetudinem vitetis: communem cum illis vitam ac menſam habete, uti Chriſtus a communi vobiſcum vitâ & conſuetudine non abhorruit. Hoc diſcriminis metuebat ex hiſce ſeditionibus Paulus, ne ſcinderetur charitas, ac deinde communio. Lites quaslibet ac ſimultates poſtponite ſtudio Divinæ gloriæ: *In honorem Dei.*

℣. 8. Dico enim, Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis. Gentilis ne ſupra Judæum, neque Judæus ſupra Gentilem efferatur. Par omnium conditio eſt in Eccleſiâ. Utroſque mero miſericordiæ beneficio vocavit Chriſtus. Judæi ob promiſſa Patribus exhibita, non meritorum causâ, vocati fuere. Gentiles acceſſere ad Fidem, ex Propheticorum oraculorum veritate. Utrique vocationis ſuæ promiſſiones in Scripturis inveniunt; at nemo meriti ſui argumenta in illis oſtendet. Hoc velle videtur Paulus ℣℣. 8, 9, 10, 11, 12.

Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis aſſerit; ipſum ſcilicet vocaſſe Judæos (o), docuiſſe Evangelium, ac miſiſſe qui docerent, vitam egiſſe inter illos, ac mundi ſalutem in mediâ ipſorum regione perfeciſſe (p). Compertum eſt, *Circumciſionem* apud Apoſtolum non rarò pro *Judæis* uſurpari (q). His porrò beneficiis Judæi maximoperè commendantur ſupra Gentiles, quibus nunquam auditus aut viſus eſt Chriſtus; cùm hic ad oves e domo Iſraëlis errantes dumtaxat ſe miſſum fuiſſe diceret (r); *ad confirmandas promiſſiones Patrum*, ut impleretur fides promiſſionum Patribus exhibitarum. Atque hæ quidem promiſſiones alterum decus ſunt, quo caruere Gentiles; promiſſiones quippe Iſraëli exhibitæ vetuſtiores ſunt, luculentiores, multoque nobiliſſimæ quàm cæteræ de Gentilibus agentes; cùm hi intra Eccleſiam idcirco, ut ita dicam, admiſſi fuerint,

(c) *Vide Theodoret. Eſt. Grot. &c.*

(f) Ὅσα γὰρ προεγράφη, *Quæcumque enim antea ſcripta ſunt.* Scripturas Veteris Teſtamenti ſignificat.

(g) *Chryſoſt. hic*: Τουτέστιν, ἵνα μὴ ἐκπέσωμεν, ἵνα νευρωμένοι καὶ παρακαλούμενοι παρὰ τῶν γραφῶν, ὑπομονὴν ἐπιδειξώμεθα, ἵνα ἐν ὑπομονῇ ζῶντες, μένωμεν ἐπὶ τῆς ἐλπίδος· ταῦτα γὰρ ἀλλήλων ἐστὶ κατασκευαστικά. *Vide & Theodoret. Tolet. Eſt. alios.* (h) *Theodoret. Grot. Tolet. Eſt.*

(i) Δοξάζητε τὸν Θεὸν, καὶ πατέρα Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Vide Theophyl.*

(k) *Joan.* xx, 17. *Vide Epheſ.* i, 17 (l) *Theodoret. Theophyl. alii.* (m) *Tolet. Eſt. Men.*

(n) Διὸ προσλαμβάνεσθε. (o) *Vat. Eraſm. Grot. Tolet. Eſt. alii.* (p) *Pſal.* LXXIII, 12.

(q) *Rom.* III, 30; IV, 9, 12; *Galat.* II, 9. (r) *Matth.* XV, 24.

℣. 9. Gentes autem ſuper miſericordiâ honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo cantabo.

℣. 10. Et iterum dicit: Lætamini Gentes cum plebe ejus.

℣. 11. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum: & magnificate eum omnes populi.

℣. 12. Et rurſus Iſaias ait: Erit radix Jeſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.

℣. 13. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti.

℣. 14. Certus ſum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientiâ, itaut poſſitis alterutrum monere.

℣. 15. Audaciùs autem ſcripſi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, quæ data eſt mihi a Deo,

COMMENTARIUS.

rint, quòd recuſaverint Judæi *(s)*.

℣. 9. GENTES AUTEM SUPER MISERICORDIA. Tum Judæi cùm Gentiles merâ Dei miſericordiâ vocati fuere ad Fidem; at Judæos commendabant promiſſiones Patribus ipſorum exhibitæ, quibus diſtinguebantur ab Ethnicis, & jus quoddam obtinendi Meſſiæ ipſis creabatur. Nullum tale decus erat Gentilibus, iiſque dumtaxat agendæ ſunt grates Deo, quòd ſeſe mero miſericordiæ beneficio vocaverit *(t)*. Cùm nullas fuiſſe dico promiſſiones Gentibus faventes, intellige promiſſiones iis ſimiles, quæ circa Hebræos erant; Deus enim vocationem gentium earumque converſionem innumeris Prophetarum oraculis nunciari juſſit, utì ſtatim docet Paulus, locis nonnullis recitatis. Generica magis erant circa Gentiles promiſſa, minusque luculenta & vetuſta iis, quæ Deus circa Hebræos Patriarchis exhibuit. Illa ipſa, quibus ſpectabantur Gentiles, non his credita fuerant, ſed Judæis. Tabulæ erant ad Ethnicos ſpectantes, at penès alios ſervabantur. Primi omnium tum donis tum dignitate ſunt Judæi; Gentiles in fœdus admittuntur ceu ſubſidii loco, quòd ſcilicet Judæi, hæredes ſui, recuſaverint.

CONFITEBOR TIBI IN GENTIBUS. His verbis innuebat Pſalmiſta, Gentes aliquando inter populum Dei futuras, audituraſque carminum ſacrorum ſonos: id quod illarum converſionem ſatis ſignificabat; externi enim in Templum cæteroſque Judaicæ Religionis cœtus admitti non ſolebant. Duo loci, verſiculis 10 & 11 recitati, hoc ipſum indicant: *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus* *(u)*; feſtorum & religioſæ hilaritatis participes eſtote. *Laudate, omnes gentes, Dominum*: voces miſcete cum populi vocibus, eumdemque Deum adorate.

℣. 12. ERIT RADIX JESSE, &c. Jeſſe, Davidis pater; ſurculus Jeſſe, Meſſias, Davidi promiſſus. Huic autem ſurculo Iſaias *(x)* imperium gentium pollicetur; cujus vaticinii fides in Gentium converſione impleta eſt. Hebræus ſignificare poteſt *(y)*, ſurculum Jeſſe erectum iri ceu ſignum, quo ſunt cogendi Gentiles; utì ſolet copiarum Imperator, ſignum tollens ut exercitum cogat, & prælium ſignificet.

℣. 13. DEUS AUTEM SPEI REPLEAT VOS, &c. Deus ſpei eſt Dominus, qui Judæis Gentibuſque promiſit, ſeſe illos in Eccleſiam ſuam convocaturum, promiſſaque ſanctiſſimè implevit; eaque vocatio aliorum munerum pignus eſt, in Cœlis paratorum *(z)*. Sive, *Deus ſpei* dicitur Dominus, quòd ipſe ſpei noſtræ author ſit, cauſa, & argumentum *(a)*: ipſius promiſſione freti ſperamus; ipſo nos fruituros confidimus. *Deus igitur ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo*: animos menteſque conjungat, ut eadem ſentiatis, abſolutaque hujuſmodi concordia vos gaudio cumulet. Diſſidia & ſimultates removete: pacem unuſquiſque & obſequium colat; Judæus erga Gentilem, erga Judæum Gentilis; ut in Eccleſiâ conſpiciatur imago pacis, quam Chriſtus in terras detulit: ita *abundabitis in ſpe & virtute Spiritûs Sancti*; augebitur ſpes veſtra per virtutem Spiritûs Sancti, qui eò uberiùs in vos effundetur, quò perfectiùs charitas & concordia inter vos regnaverint.

℣. 14. CERTUS SUM, QUONIAM PLENI ESTIS DILECTIONE; vel ex Græco *(b)*: *Pleni eſtis bonitate*. Opus non eſt, ut charitatem & concordiam vobis ſuadeam: utràque abundè inſtructos vos ſcio, paratoſque facere quæ monui, ut Eccleſiæ concordiam tueamini, & ſcandalum imbecillium vitetis; meiſque monitis vos non egere, *repletos omni ſcientiâ, ita ut poſſitis alterutrum monere*. Modeſtum loquendi genus, quo ſeſe Paulus excuſat. Pergit proximo commate: *Audaciùs autem ſcripſi vobis*, non præceptoris more docturus, quaſi de animi veſtri præparatione dubitans, ſed *ex parte tamquam in memoriam vos reducens*, retractans ea quæ jam nôſtis. Id verò mihi præſtan-

(s) *Vide Luc.* XIV, XV, XIX, XX; *&* *Rom.* IX, X, XI.

(t) *Vide Tolet. Eſt, &c.*

(u) ℣. 10: Εὐφράνθητε ἔθνη μετὰ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. *Ex Deut.* XXXII, 63, *juxta* 70. *in Hebr. eſt* הרנינו גוים עמו *Laudate, Gentes, populum ejus; vel, Laudate, Gentes, populus ejus; vel, Laudate Gentium cum populo ejus.* (x) *Iſai.* XI, 10. (y) עמד לנס עמים 70: Καὶ ὁ ἀνιστάμενος ἄρχειν ἐθνῶν. (z) *Vide Theodoret. hic.* (a) *Grot. Vat. Eſt. Tolet. Men. alii.*

(b) Μεστοί ἐστε ἀγαθωσύνης. *Sed Clar. & S. Germ. G. L. in Latino*, Dilectione. *In Gr.* Ἀγαθωσύνης. *Velez. & Berner. G. L.* Ἀγάπης. *Theoph.* ἀγαθωσύνης, ἀγαθῆς γνώμης καὶ φιλαδελφίας.

℣. 16. Ut ſim miniſter Chriſti Jeſu in Gentibus: ſanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta & ſanctificata in Spiritu ſancto.

℣. 17. Habeo igitur gloriam in Chriſto Jeſu ad Deum.

℣. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam Gentium verbo, & factis:

℣. 19. In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritûs Sancti: ita ut ab Jeruſalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Chriſti.

℣. 20 Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt:

COMMENTARIUS.

ſtandum cenſui, tamquam Apoſtolo gentium, atque ad Apoſtoli munus vocato (c); *Propter gratiam, quæ data eſt mihi a Deo, ut ſim miniſter Jeſu Chriſti in gentibus.*

℣. 16. Sanctificans Evangelium Dei; obiens ſacrificium Evangelii Dei. Hæc eſt hujus loci ſententia, uti ſonat Græcus (d), docentque conſequentia: *Ut fiat oblatio gentium accepta, & ſanctificata in Spiritu Sancto.* Hoc ſenſu explicavero Patres atque Interpretes (e). Comparat quodammodo Veteris Novæque Legis Sacerdotes. Hebræorum Sacrificuli cruenta ſacrificia, victimasque carnales offerebant Deo, bonis tantummodo Sacrificulorum precibus, ipſarumque oblatione Domino exhibitâ conſecratas. Apoſtoli Jeſu Chriſti, Fœderis Novi Sacerdotes, Prædicationis laborumque ſuorum ſacrificium offerunt Deo, purasque & ſuaves hoſtias adducunt, populos ad Chriſtiana ſacra converſos, animos dolore perfoſſos, charitate animatos, illius Spiritu plenos, Baptiſmo regeneratos, gratiæ effuſione roboratos, Dei verbo nutritos, Corpore & Sanguine Filii Dei ſaginatos. Hoc porrò diſcrimen inter veteres Novosque Sacerdotes intercedit.

℣. 17. Habeo igitur gloriam in Christo. Quamobrem? quòd Dei opus felicem exitum habuerit; ob gentium converſionem, fervorem, Fidem, concordiam. Minimè gloriatus Paulus aut ſcientiâ, aut eximiis laudibus, ob quas præſtantiſſimus omnium Eccleſiæ Miniſtrorum habebatur; ſed eo dumtaxat, quòd Dei gloriæ & obſequio ſervit: atque hoc ipſo non in ſe gloriatur, ſed *in Chriſto Jeſu*, vocationis, muneris, gratiarum, feliciaque laborum exitûs authore.

℣. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Quammaximè caveo, ne citra veritatem glorier. Sat ſcio, ſtudioſiſſimos vos eſſe eorum, quæ gloriæ Dei, & progreſſui Evangelii ſerviunt, vobisque gratiſſimum fore, ſi quis iſta narraverit. Atque hæc ego libenter deſcriberem, niſi ad me pertinerent. Optimè noſtis, quas mihi partes in hoc negotio dederit Deus: pudet recenſere: at Deo uni eſto de omnibus gloria. Non ego tam multas gentes in Eccleſiam induxi, ſed Dei gratia, per me. ℣. 19: *In virtute ſignorum & prodigiorum, in virtute Spiritûs Sancti*: minimæ partes meæ ſunt. Cùm glorioſum aliquid de ſe prædicare cogitur Paulus, modeſtiſſimis verbis utitur.

℣. 19. Ita ut ab Jerusalem, &c. Nedum Jeroſolymam, Judæam, finitimasque Provincias, ſed cæteras ab Jeroſolymis ad Illyricum usque docendo peragravi: Syriam, Phœnicem, Arabiam, Ciliciam, Pamphiliam, Piſidiam, Lycaoniam, Galatiam, Pontum, Paphlagoniam, Phrygiam, Troadem, Aſiam, Cariam, Lyciam, Ioniam, Lydiam, inſulas Cyprum & Cretam, aliasque minoris nominis, Thraciam, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam. Iſta de Pauli itineribus, inſtitutisque ab eo Provinciis novimus (f): at quamplurima ignorantur. Vide Tabulam Geographicam ad Acta Apoſtolorum.

S. Clemens Papa (g) tradit, Paulum peragratis docendo Oriente atque Occidente, gloriam & nomen Apoſtoli, terrarumque Magiſtri retuliſſe. Aſſerit S. Chryſoſtomus (h), illum breviori quàm triginta annorum ſpatio ad veritatem duxiſſe Romanos, Perſas, Indos, Scythas, Æthiopas, Sarmatas, Parthos, Medos, Saracenos, denique quicquid hominum ubique eſt. Ex Pauli tamen Epiſtolis atque ex Actis minimè colligimus, illum ultra Romani Imperii fines Evangelium prorogaſſe: quamobrem videtur Chryſoſtomus ſignificare fructum, quem Apoſtolus nedum ſuperſtes, verùm etiam poſt obitum tulit per Epiſtolas, quàm citiſſimè omnibus iis regionibus illatas, quæ lucem, qua ipſæ micant, ubique ſparſerunt.

℣. 20. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus. Cave hæc iſta prorſus uti ſonant uſurpes. Studioſiſſimè quærebat Paulus, quæ in loca nondum illatum foret Evangelium (i); at operam non denegabat iis, qui Evangelium, quacumque demum ratione, cognoverant. De iis agit quæ ubique ferè præſtitit, vel quibus præſtandis ipſe non defuit: in illud totus incumbebat, ut Jeſu Chriſti Imperium quàm latiſſimè prorogaret, & Eccleſias quamplurimas conderet. *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem* (k); alieni laboris honorem ſibi arrogare vitans, falſosque execratus Apoſtolos, qui ſuæ ipſorum gloriæ & commodi ſtudio, percurrebant Eccleſias, aſſumptâ Doctorum Cenſorumque perſonâ, quæſtum ex Evangelicâ prædicatione facientes, fugientesque quicquid periculi ac laboris ſacro eo munere afferetus,

(c) *Tolet. Grot. Vorſt. Tir. Eſt. alii.* (d) Ἱερουργοῦντα τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος. *Aug. Conſecrans Evangelium.* (e) *Chryſoſt. Origen Theodoret. alii Græci. Eſt. Grot. Para. Lud. de Dieu, alii.* (f) Confer Hiſtoriam Actorum cum dictis in Epiſtolâ ad Galatas, cap. 11. (g) *Clemens Papa, Ep. ad Corinth.* § 5. Κήρυξ γενόμενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἐν τῇ δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβε, διδάξαι ὅλον τὸν κόσμον.
(h) *Chryſoſt. tom. 5, homil. 45, p. 312.*
(i) *Eſt. Men. Grot.* (k) Vide 1 *Cor.* III, 10; *Epheſ.* II, 20.

℣. 21. Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

℣. 22. Propter quod & impediebar plurimùm venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc.

℣. 23. Nunc verò ulteriùs locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis:

℣. 24. Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quòd præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero.

℣. 25. Nunc igitur proficiſcar in Jeruſalem miniſtrare ſanctis.

COMMENTARIUS.

tur, & quæ utilia erant & jocunda captantes.

℣. 21. QUIBUS NON EST ANNUNTIATUM. Gentiles (hos enim præcipuè (*l*) ſpectat Isaias) qui nullam Dei cognitionem habuerant, & Chriſtum Jeſum nunquam audierant, tunc denique aſpexere illius lucem, & verba excepere (*m*). Ipſimet Judæi in plerisque locis ab Apoſtolo inſtitutis, nihil fermè de Jeſu Chriſto noverant: cæteri illum quàm maximè execrabantur; cùm Jeroſolymitani Senatores ac Sacerdotes ſedulam operam dediſſent, ut de Chriſto Jeſu, ejusque inſtitutionibus & Apoſtolis perverſa prædicarentur.

℣. 22. PROPTER QUOD ET IMPEDIEBAR PLURIMUM VENIRE AD VOS. Dixit ſupra (*n*), jam pridem ſibi in votis fuiſſe, Romanos inviſere, ut aliquem ex iis, quemadmodum ex cæteris gentibus, fructum caperet. Docet hic, ſe fuiſſe prohibitum, gravioribus fortaſſe negotiis, a Deo monitum, aliud eo tempore ab ipſo exigi, quàm iter Romanum, quod in aliud tempus rejiciebat.

℣. 23. NUNC VERO ULTERIUS LOCUM NON HABENS IN HIS REGIONIBUS (*o*), cùm locus non ſit, quò illatum non fuerit Evangelium (*p*), cùm nulla ſuperſit manendi ratio, cæteriſque negotiis ſolutus, Romanum iter aggredi poſſim. Reverâ poſt annos aliquot Romam profectus eſt Paulus (*q*); at non ita uti propoſuerat; eò enim ductus eſt vinctus ad Cæſarem (*r*).

℣. 24. CUM IN HISPANIAM PROFICISCI COEPERO. Dubitationem ſignificare videtur Græcus (*s*): *Siquando in Hiſpaniam ivero*. Meliùs tamen abſolutè uſurpatur; eumque ſenſum admittit Græcus. Quæritur, utrùm reverâ Paulus in Hiſpaniam contenderit. Aſſerunt Patres multi (*t*); alii (*u*) non ità diſertè affirmant. Pelagius Hæreticus iter hoc inter dubia rejecit. Gelaſius Papa (*x*) conſtanter ſcribit, Hiſpanicum iter ab Apoſtolo non fuiſſe confectum. Innocentius I tradit, Occidentem ab uno Apoſtolo Petro excultum. Certum in Hiſpaniâ veſtigium nullum reperitur, quo Eccleſiam ullam in Hiſpaniâ a Paulo inſtitutam fuiſſe diſcamus. Clemens Papa, teſtis in hac re omnium præſtantiſſimus, quippe Paulo coætaneus, ait, Paulum *in fines occidentis veniſſe* (*y*): quæ verba de Hiſpanico vel de altero itinere Romano uſurpari queunt. Probabiliùs negari Hiſpanicum Pauli iter, putat Eſtius: anceps eſt Grotius: Tillemontius (*z*) rem neque impoſſibilem eſſe neque certam ait. Pro certo affirmant Hiſpani: at argumenta rem non evincunt. Baronius & Pererius, argumentis in utramque partem recitatis, in affirmantem deflectunt: S. Thomas & Scotus in negantem.

A VOBIS DEDUCAR ILLUC: ut ſocios a vobis accipiam, viæ duces & comites, quemadmodum Theſſalonicæ contigit, ubi ſocios accepit, a quibus deductus eſt Athenas (*a*). Græcus (*b*) ſignificare poteſt, Romanos, officii & honoris gratiâ, proſequuturos fuiſſe Apoſtolum uſque ad urbis portas, quemadmodum fieri ſolebat (*c*), cùm Paulus ex oppidis, in quibus moram aliquam duxerat, & notus erat, diſcederet. Interdum etiam longo itinere Fideles cum uxoribus ac liberis illum comitabantur, cùm ab ipſo ægrè avellerentur.

℣. 25. IN JERUSALEM MINISTRARE SANCTIS, collectas pecunias ad eos deferre. *Sanctos* nuncupat primos Jeroſolymorum Fideles, qui pio fervore, ac fidei magnitudine compulſi, omnibus ſe opibus abdicaverant (*d*), voluntariam paupertatem amplexi. Horum inopiam levaturus, eam provinciam ſuſceperat Paulus, ut quibus in locis Evangelium prædicaret, pecunias in illorum uſum colligeret, ac non ſemel Jeroſolymam venit, collectam ſtipem deferens. Hanc verò curam appellat miniſterium (*e*): *Miniſtrare Sanctis*; quòd reverâ id negotii ſuſceperit ob Apoſtolorum monita & preces, ut in Actis (*f*) legitur. Jeroſolymitanum hoc iter ſupremum eſt ab Apoſtolo ſuſceptum hujus rei causâ. Ubi eò pervenit, in vincula datus fuit, atque annos duos Cæſareæ detentus, inde Romam miſſus, ut cauſam apud Cæſarem diceret.

℣. 26. Pau-

(l) *Isai.* LII, 15.
(m) *Vide Tolet. Eſt. Grot. &c.* (n) *Rom.* I, 11. (o) Νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τούτοις. (p) *Eraſm. Tolet. Men.* (q) Anno J.C. 60. Hæc Epiſtola ſcripta eſt anno 58.
(r) *Act.* XXV, 10, 11, 12. (s) Ὡς ἐὰν πορεύωμαι εἰς τὴν Σπανίαν. *Alii plures*, εἰς τὴν Ἱσπανίαν. *Vide Mill. hic, & Grot.* (t) *Epiphan. hæreſ.* 27; *Chryſoſt. Præf. in Ep. ad Hebr. Hieron. in Isai.* XI, ℣. 14; *Theodoret. in* 2 *Timot.* IV, 17; *& in Philipp.* I, 26; *Greg. in Job*, *lib.* 31, *cap.* 22. *Vide Baron. an.* 61, § 3, 4. (u) *Athanaſ. ad Dracont. pag.* 956; *Cyrill. Cath.* 17.
(x) *Gelaſ. tom.* 4 *Concil. pag.* 1253, *e. tract.* 3 *adverſ. Pelag. hæreſ.*
(y) *Ep. ad Corinth.* § 5: Ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών. (z) Tillemont, tom. 1, pag. 63, & 314; & Note 73, ſur ſaint Paul.
(a) *Act.* XVII, 15. (b) Καὶ ὑφ' ὑμῶν προπεμφθῆναι ἐκεῖ.
(c) *Act.* XX, 38; XXI, 5; *Joan. ad Cajum*, ℣. 6; *Tit.* III, 13.
(d) *Act.* IV, 32, 34.
(e) Διακονῶν τοῖς ἁγίοις. *Vide Act.* VI, 2; *&* 1 *Cor.* XVI, 15; 2 *Cor.* VIII, 4; IX, 13.
(f) *Act.* XI, 30; XII, 25; *Galat.* II, 10.

℣. 26. Probaverunt enim Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes ſanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.

℣. 27. Placuit enim eis: & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis.

℣. 28. Hoc igitur cùm conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

℣. 29. Scio autem, quoniam veniens ad vos, in abundantiâ benedictionis Evangelii Chriſti veniam.

℣. 30. Obſecro ergo vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem Sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum,

℣. 31. Ut liberer ab infidelibus, qui ſunt in Judæâ, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis,

℣. 32. Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiſcum.

COMMENTARIUS.

℣. 26. Probaverunt enim Macedonia et Achaia; præſertim verò Corinthii, Theſſalonicenſes, ac Philippenſes, qua liberalitate ſunt, aliquam opum ſuarum partem Jeroſolymitanis impertiri decreverunt. Tacitè Romanos ad pares liberalitates invitat (g).

℣. 27. Debitores sunt eorum. Gentiles neophyti ex Achaiâ & Macedoniâ plurimum debent Judæis; cùmque opum ſuarum partem illis largiantur, minimam reddunt partem eorum quæ debent. Quid autem debent? Spiritualia nimirum bona, quibus ipſi fruuntur, multò pretioſiſſima, quàm mundi totius divitias. Cave tamen intelligas debitum, ſtipulatione & jure firmatum, ſed quoddam remunerationis genus ex grati animi officio. Fœderis filii erant Judæi, promiſſionum hæredes, radix ſancta, primo loco vocati: alieni a fœdere, promiſſis, hæreditate Gentiles. Per Fidem & Evangelium participes effecti ſunt ſpiritualium bonorum, quibus abundabant Hebræi: æquiſſimum igitur erat, ut viciſſim hi terrenarum opum partem illis largirentur. Hanc ipſam collectionem vide 1 *Cor.* IX, 11.

℣. 28. Hoc cum consummavero et assignavero (h). Cùm hoc officium explevero, collectamque pecuniam illis diſtribuero: cùm ſtipem, laboris mei, & fratrum pietatis fructum, tradidero. *Conſignaturum* ſe ait, ſive *conſignatam* traditurum (i), quemadmodum rerum pretioſarum faſciculus, ſive epiſtola ſigillo munita mittitur. Aliter, uſurpato *ſignandi* vocabulo pro eo quod eſt *explere*, utì paſſim ſolet Scriptura (k); cùm pecuniam corrogare abſolvero, eamque Jeroſolyma delatam, Apoſtolis tradidero, pauperibus diſtribuendam.

℣. 29. Veniens ad vos in abundantia benedictionis Evangelii (l). Futurum ſpero, ut meâ operâ vos beneficiis doniſque cumulet Deus; vobiſcum ego communicem ſpiritualia munera, quæ ipſe mihi largitus eſt: atque ingens ſolatium vos ex me, ego ex vobis referamus (m), per Fidem & Evangelium, quod profitemur. Aliter: Confido, me nacturum vos uberrimâ Chriſti donarum copiâ cumulatos (n). Spectans Theodoretus (o) ea, quæ Paulo in Romano itinere contigerunt, hanc donorum ubertatem interpretatur labores & pericula, quæ ille Jeroſolymis & in itinere perpeſſus eſt.

℣. 30. Obsecro vos... ut adjuvetis me, (mecum pugnetis) in orationibus vestris (p). Pugnam appellat orationes; quodammodo enim orando cum Deo pugnamus, ejus iram ac juſtitiæ ſeveritatem placaturi. Pugnæ vocabulo innuitur conatus, ardor, attentio, quibus fulcienda eſt oratio. Jacobi certamen cum Angelo (q) innuit, quantoperè conandum nobis ſit orando, ut Dei opem & favorem conſequamur. Obſecrat Romanos Apoſtolus, ut *ſecum unà pugnent* orationibus; non enim ſatis eſt, te opem orationum ab amicis poſtulare: jungenda eſt oratio tua, tibique pro viribus laborandum.

℣. 31. Ab infidelibus, qui sunt in Judæa. Imminens ſibi in Judæâ & in reliquo itinere diſcrimen præſentiebat Paulus, eorumque pluribus in locis illum Spiritus Sanctus monuerat (r). Apoſtolus ipſe, Mileto diſcedens, Fidelibus illis prædixerat, ſe deinceps in Aſiâ non futurum (s).

Et obsequii mei oblatio; officium, quod ipſis præſtiturus ſum; vel pecunia, quam ſum allaturus. Vidimus ℣. 25, & alibi ſæpe (t) *miniſterii* vocabulum pro pecuniis, quas Paulus in uſum Jeroſolymitanorum Fidelium colligebat. Quæ verò timoris cauſa? an tanti momenti munus ad pauperes delatum, tam multis laboribus collectum, atque inter tot pericula comportatum, grato animo excipiendum non erat? Ju-

(g) *Eſt. Grot.*

(h) Τοῦτο οὖν ἐπιτελέσας, καὶ σφραγισάμενος αὐτοῖς τὸν καρπὸν τοῦτον.

(i) *Eraſm. Vat. Eſt. Men. Para. alii.* (k) *Vide Dan.* IX, 24; *Ezech.* XXVIII, 12; 2 *Cor.* VIII, 6; *Galat.* III, 3; 4 *Reg.* XXII, 4. *Lud. de Dieu, hic.* (l) *Mſſ. plures omittunt*: Τοῦ Εὐαγγελίου. *Vide Mill. hic.* (m) *Vide Rom.* I, 11. *Vide Origen. Anſelm. Ambroſiaſt. Tolet. Grot.*

(n) *Vide Chryſoſt. Eſt.* (o) *Theodoret. hic.*

(p) Συναγωνίσασθαί μοι ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Θεόν. (q) *Geneſ.* XXXII, 24, 25, *&c.* (r) *Act.* XX, 23: *Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jeroſolymis me manent. Act.* XXI, 11. (s) *Act.* XX, 38.

(t) *Vide Act.* VI, 1; *Rom.* XII, 7; 1 *Cor.* XVI, 5; 2 *Cor.* VIII, 4; IX, 1, 2.

℣. 33. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

Judæorum ingenium probè noverat Paulus, neque ignorabat, ſeſe illis maximè ſuſpectum eſſe, quòd faveret Gentilibus, quos in Evangelii prædicatione (id ſaltem crimini dabant inimici) Judæis præponere videbatur (*u*). Metuendum erat, ne Judæi, vaniſſimâ religione ducti, pecunias recuſarent, utpote ab homine ſuſpecto, atque a Gentilibus miſſo, delatas. Cenſent alii, Paulum obteſtari Romanos, ut preces pro ſe fundant, nequid ſibi diſcriminis ex hoſtium inſidiis in itinere contingat, ut pecunia Jeroſolymam integra & ſalva deferatur; inſidias enim ſibi a Judæis undique parari noverat, necemque ſibi ab illis intentari (*x*); quamobrem iter per Macedoniam facere cogebatur (*y*).

℣. 33. DEUS AUTEM PACIS SIT CUM OMNIBUS VOBIS. Præter cætera, pax curæ eſt Apoſtolo, quòd, uti vidimus, aliqua eſſent inter Romanos diſſidii ac ſeditionis ſemina, ob ciborum delectum, & quaſdam Legis obſervationes, quas Gentiles ceu inutiles aſpernabantur; Judæi verò neophyti multâ religione colebant. Hortatur ut pacem ſervent, Deumque rogat, pacis, charitatis, & concordiæ authorem, ut inter ipſos moretur, & concordiam illis ſuadeat. Vide ℣. 20 Capitis conſequentis.

CAPUT XVI.

Phœben Chriſtianam fœminam, literas deferentem, Romanis commendat Apoſtolus. Nonnullis Romanis ſalutem dicit; Romanoſque omnes multorum nomine ſalvere jubet. Monet, ut vitent diſſidia, illiſque gratiam Jeſu Chriſti imprecatur.

℣. 1. COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris:

℣. 2. Ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis: & aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit: etenim ipsa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi.

℣. 3. Salutate Priſcam, & Aquilam adjutores meos in Chriſto Jeſu;

COMMENTARIUS.

℣. 1. COMMENDO VOBIS PHOEBEN SORORAM. Abſolutis iis, quæ a Dei Spiritu ſcribere jubebatur ad Romanorum inſtitutionem, Epiſtolam claudit Apoſtolus longâ ſalutationum ſerie & officiorum, tum ex ſe, tum ex Eccleſiâ Corinthi, ex qua literas dabat. Hæc autem officia dictavit idem Spiritus, qui totam Epiſtolam; nihilque dignius Spiritu charitatis & pacis eſt, quàm iſthæc humanitatis officia, quibus animorum concordia fovetur.

Phœbe, de qua hîc Paulus, pia erat fœmina, Eccleſiæ Cenchræenſis Diaconiſſa. Cenchræ oppidum erant, portus Corinthi, ad Helleſpontum & Aſiam. In ædibus Phœbes aliquandiù verſatus eſt Paulus (*a*); eùmque hæc, negotiorum cauſâ, Romam proficiſceretur, Epiſtolam illi deferendam dedit Apoſtolus (*b*). *Diaconiſſæ* appellatio ſonat mulierem ſolatio pauperum, ægrorum, advenarumque deſtinatam (*c*). Hanc fortè Cenchræenſis Eccleſia elegerat, quòd illius probitatem, virtutem, charitatem noſſet. S. Chryſoſtomus, aliique Interpretes addictam cenſent Eccleſiaſtico alicui muneri, quod illius ſexum & dignitatem non dedeceret, puta inſtituendi ac docendi Chriſtianas fœminas, ſtipem illis impertiendi, exhibendique in morbis miniſterium (*d*). Diaconiſſas diu ſervavit Eccleſia, toto præſertim Oriente, quæ olim ſolemnibus cæremoniis, per manuum impoſitionem, initiabantur (*e*). Recentioribus nonnullis creditur Phœbe Pauli uxor fuiſſe; at nihil tale Veteres tradidere (*f*).

℣. 2. DIGNA SANCTIS, ita uti vos & illam decet. Dignâ Chriſtianis charitate, & obſequio mulieri ſanctæ Diviniſque obſequiis dedicatæ conveniente. *Aſſiſtatis ei .. etenim ipſa quoque aſtitit multis.* Græcus (*g*) propriè ſignificat, Phœben multis fuiſſe *patronam*. Reddunt alii: *Etenim ipſa quoque hoſpitio accepit multos*, advenas nimirum humaniſſimè (*h*), Ipſe ego expertus ſum. Apud Phœben manſiſſe creditur Paulus, cùm Cenchræas proficiſceretur.

℣. 3. SALUTATE PRISCAM ET AQUILAM. Græcus vulgo legit *Priſcillam & Aquilam*; notatque Theodoretus, ſuâ jam ætate diſſidium fuiſſe inter Græcos Codices, aliis nimirum *Priſcam*, aliis *Priſcillam* ferentibus. Libri manu exarati quamplures legunt *Priſcam*. De Priſcâ & Aquilâ egimus in Acta (*i*). Apud hos primùm manſerat Paulus Corinthi, qua ex urbe hanc Epiſtolam dedit. Hoc tamen tempore uterque Romæ erant; deinde reverſi ſunt in Aſiam, ubi morabantur, cùm Paulus alteram Epiſtolam ad Timotheum daret (*k*), qua Epiſtolâ ſalvere illos jubet. Hi fortaſſe vitam in Oriente abſolverunt, cùm Marty-

(u) *Act.* XXI, 20, 21. *Vide Eſt. hic, & Theodoret.* (x) *Tolet. Vat.* (y) *Act.* XX, 3.
(a) *Theodoret. in hunc loc.* (b) *Hic*, ℣. 2, 3. *Anſelm. ſeu Hervæus, Eraſm. Tolet. hic.*
(c) *Vide Grot. Hamm. Capell. Eſt. Vat.* (d) *Vide Plin. lib.* X, *Ep.* 97. *Conſtit. Apoſt. lib.* 3, *cap.* 15, 19. *Grot. Tolet. Eſt. Menoch.* (e) *Concil. Laodic. c.* 11. (f) *Vide Tolet. hic.*
(g) Καὶ γὰρ αὕτη προστάτις, *Patrona. Grot. Strig. Lud. de Dieu.*
(h) *Pagn. Piſc. Bez. Lud. de Dieu. Theodoret.* Προστασίαν, ὡς οἶμαι, τὴν φιλοξενίαν καλεῖ. Αὕτη μὲν γὰρ, ὡς εἰκὸς, εἰς οἰκίαν αὐτὸν ὑπεδέξατο πρὸς χρόνον ἐν Κορίνθῳ διέτριψε.
(i) Vide *Act.* XVIII, 2. (k) 2 *Timot.* IV, 19.

℣. 4. (Qui pro animâ meâ ſuas cervices ſuppoſuerunt : quibus non ſolus ego gratias ago, ſed & cunctæ Eccleſiæ Gentium)

℣. 5. Et domeſticam Eccleſiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitivus Aſiæ in Chriſto.

℣. 6. Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.

℣. 7. Salutate Andronicum & Juniam, cognatos & concaptivos meos : qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto.

COMMENTARIUS.

tyrologia illorum obitum ad VIII Idus Julii in Oriente conſignent. Tentoriorum artifex erat Aquila, uti & Paulus.

℣. 4. PRO ANIMA MEA SUAS CERVICES SUPPOSUERUNT. Vitæ meæ causâ, caput periculis objecerunt. Ignotum eſt, quo tempore aut loco id præſtiterint; niſi fortè Corinthi aut Epheſi. Putat Origenes (l), ab his protectum fuiſſe Apoſtolum adversùs Judæorum inſidias. Aliis videntur ſeſe objeciſſe diſcrimini, Pauli causâ, in ſeditione Corinthi in illum excitatâ (m); vel in aliâ Epheſi (n), ab aurariis fabris motâ. Quod autem ait, *gratias illis agere omnes Eccleſias gentium*, de eo explicandum creditur, quòd illi advenas Fideles omnes hoſpitio exciperent (o); quæ in ſe illos imitabantur domeſtici, quorum ſanctitas ea erat, ut tota illorum domus ab Apoſtolo Eccleſia nuncupetur.

℣. 5. ET DOMESTICAM ECCLESIAM EORUM. Eodem nomine donat familiam Priſcæ & Aquilæ alibi (p); ex quo colligi datur, Priſcæ & Aquilæ domum, tum Corinthi, tum Romæ, tum Epheſi, Sanctorum fuiſſe perfugium; cœtus Religionis apud illos haberi conſuevisse (q); denique univerſam illorum familiam eâ fuiſſe morum probitate, ut Eccleſia videretur (r): fortaſſe familiaribus profanam religionem colentibus non utebantur. Alibi (s) Paulus ſalvere jubet Eccleſiam, *quæ in domo Nymphæ eſt*: & in Epiſtolâ ad Philemonem, ℣. 1, 2, ſalutat Eccleſiam, *quæ in domo eſt ejus*. Quibus locis confirmatur ſuperior opinio, cœtus ſcilicet Chriſtianorum in eorum ædibus cogi conſueviſſe, vel ſaltem nonnullorum ejus loci Chriſtianorum: *Ubi tres, Eccleſia eſt, licèt laici*, ait Tertullianus. Si domeſticos tantummodò ſignificaret Paulus, aliis verbis uſurus fuiſſe videtur.

SALUTATE EPÆNETUM DILECTUM MIHI, QUI EST PRIMITIVUS ASIÆ. Græcus fert (t): *Primitia Achaia*. Fortaſſe primus Gentilium in Achaiâ fidem amplexus eſt. Illud tamen difficultatem movet, quòd alibi (u) *primitia Achaiæ* dicitur Stephanas. At reſpondent nonnulli (x), Stephanæ filium fortè fuiſſe Epænetum; quamobrem cùm utrique ſimul Chriſto nomina dederint, utrumque *primitias Achaiæ* nuncupari. Fortaſſe etiam, nullo licèt generis fœdere juncti, duo vel plures ſimul credidere, primitiæ Achaiæ communi nomine deinde nuncupati. Græci Codices aliqui manu exarati (y), ut Latini omnes, ferunt: *Primitia Aſiæ*; ac proximum vero videtur, *Primitia Achaiæ* ſcriptum eſſe a Librariis pro, *Primitia Aſiæ*, quòd ſcilicet *Primitia Achaiæ* in primâ ad Corinthios, XVI, 15, legerentur. Feſtus S. Epæneti dies a Græcis colitur III Kal. Auguſti, unà cum SS. Clemente & Andronico. Hos obiiſſe in pace ajunt, Fide Chriſtianâ inſtitutis Chalcedoniâ, Galliâ, aliiſque orbis regionibus (z).

℣. 6. SALUTATE MARIAM, &c. Hæc ſolò ex nomine nota fuiſſe Paulo a multis (a) creditur. At fieri poteſt, ut vel in Judæâ, vel in Aſiâ, vel denique in Græciâ illam Paulus noverit; eâque Romam profectâ, Paulus ex aliorum narratione didicerit, quàm bene de Romania merita eſſet ſolicitudine, exhortationibus, eleemoſynis (b), &c. Codices Græci quamplures (c), Syrus, Arabs, Æthiops, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, vetus Commentariorum Author ſub nomine S. Ambroſii, ferunt ut Vulgata, *In vobis*. At Græcos vulgatus, aliique libri quamplures habent, *In nobis*; ex qua lectione illud colligendum videtur, Mariam fœminam fuiſſe Chriſtianam, fortaſſe gente Judæam, uti argumento eſt ipſum nomen, quæ Apoſtolo in Græciâ laboranti operam exhibuerit, vel in Aſiâ; eo autem tempore Romæ fuiſſe. A Recentioribus nonnullis (d) eadem eſſe creditur Maria Caſſobolitis, ad quam Ignatius Martyr quartam Epiſtolam dediſſe exiſtimatur. Hæc tamen Epiſtola conficta eſt, ac nihilo fortaſſe verior Maria Caſſobolitia (e).

℣. 7. ANDRONICUM ET JUNIAM. Exemplaria quædam (f) ferunt *Juliam*, non *Juniam*. Incertum, ſit ne *Julias* ſeu *Junias* vir, an *Julia* ſive *Junia* mulier. Andronicum & Juniam cum Paulo jungebat generis unitas, Fidem amplexos, antequam Paulus crederet. Quod autem addit Paulus, eos *eſſe nobiles in Apoſtolis*, ſuſpicionem movet, illos in ſeptuaginta Diſcipulorum numero fuiſſe recenſitos (g). Recentiorum plerique (h) Andronicum & Juniam viros cenſent. *Cognatos*, virili genere, nominat Apoſtolus (i). At Patres, uti S. Chryſoſtomus, ejuſque aſſeclæ (k), Græci in Lectionariis, plures denique Interpretes doctiſſimi virum Andronicum, Juniam fœminam, ac fortè Andronici uxorem arbitrantur. Miratur Chryſoſtomus, potuiſſe fœminam Apoſtolicis adeò laboribus fungi, atque Apoſtolicam ap-

(l) *Origen. hic.* (m) *Act.* XVIII, 17. (n) *Act.* XIX. (o) *Origen. Theophyl. Eſt. alii hic.*
(p) 1 *Cor.* XVI, 19. (q) *Grot. Para. Med. de Eccleſ. lib.* 2, *pag.* 412. (r) *Eſt. Tolet. Men. Para.*
(s) *Coloſſ.* IV, 15. (t) Ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστόν. *Ita Chryſoſt. Theodoret. alii.*
(u) 1 *Cor.* XVI, 15. (x) *Schol. Syrus*, *&* *Lud. de Dieu.* (y) Ἀπαρχὴ τῆς Ἀσίας. *Steph.* 1, *Alexand. Clarom. & Germ. & Borner. G. L. Copht. Æth. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Origen. hic, & homil.* XI *in Num.* (z) *Menæa, pag.* 299. *Vide* Tillemont, tom. 5, S. Paul, art. 25, pag. 255.
(a) *Vide Para.* (b) *Theodoret. Theophyl. alii.* (c) *S. Germ. & Clarom. & Borner. G. L. Alex. alii apud Mill.* Εἰς ὑμᾶς, vel ἐν ὑμῖν. *Impreſſ. & Theophyl.* εἰς ἡμᾶς.
(d) *Apud Tolet. hic, & Eſt.* (e) *Du Pin, Tillemont. alii.* (f) *Veler. Copht. Origen. Ambroſiaſt. hic.*
(g) *Origen. hic. Grot. Chronic. Alex.* (h) *Plerique in Eſt. Menoc. Tirin. Hammon. Vide & Theodoret.* (i) Ἀνδρόνικον καὶ Ἰουνίαν τοὺς συγγενεῖς μου, καὶ συναιχμαλώτους μου, οἳ καὶ πρὸ ἐμοῦ γεγόνασιν ἐν Χριστῷ. (k) *Chryſoſt. Theophyl. Grot. Mald, &c.*

℣. 8. Salutate Ampliatum, dilectiſſimum mihi in Domino.

℣. 9. Salutate Urbanum adjutorem noſtrum in Chriſto Jeſu, & Stachyn dilectum meum.

℣. 10. Salutate Apellem, probum in Chriſto.

℣. 11. Salutate eos, qui ſunt ex Ariſtobuli domo. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos, qui ſunt ex Narciſſi domo, qui ſunt in Domino.

COMMENTARIUS.

appellationem promereri.

Feſtum diem Andronici & Juniæ Græci agunt XVI Kal. Junii; ſcribuntque, orbem univerſum ab Andronico peragratum, Chriſtum prædicando, diſſipatos errores, conditas Eccleſias, everſa ſimulacra, patrata denique innumera prodigia *(l)*. Eàdem die Latini quidam utrumque colunt, primumque Illyrici Epiſcopum fuiſſe ajunt Andronicum. Leviſſima tamen eſt Recentiorum authoritas. Satis ſuperque illos commendat Apoſtolus, ut quamplurimi uterque æſtimentur. Criticorum nonnullis *(m)* videtur Paulus *cognatos* nuncupare, quòd & Judæi eſſent, & contribales.

℣. 8. SALUTATE AMPLIATUM *(n)*. *Ampliam* habet Græcus. Eximiâ virtute fuiſſe putandus eſt Amplias, cùm illum in Domino amicum ſibi fecerit Paulus. Sapientiſſimus certè Apoſtolus Ampliam, niſi ſanctiſſimum ac piiſſimum virum, inter amicos non recenſeret. Ampliæ geſta ignorantur. Illum venerantur Græci pridie Kal. Novembris *(o)*, Apoſtolum nominant, Martyrem, prodigiis clarum, Epiſcopum Odyſſopolis in Myſia, ab Andrea Apoſtolo initiatum; ejusque oſſa Conſtantinopoli ſervata jactabant.

℣. 9. URBANUM ADJUTOREM NOSTRUM. Græcus vulgatus *(p)*: *Urbanum ſocium laboris noſtri*. Alii tamen Codices & S. Chryſoſtomus: *Socium laboris mei*. De Urbano nihil novimus, præter ea quæ tradidit Paulus. Feſtum hujus diem agunt Græci pridie Kal. Novembris; Epiſcopum Macedoniæ fuiſſe putant, ab Andrea Apoſtolo conſecratum, atque e Diſcipulis Jeſu Chriſti duobus & ſeptuaginta.

Stachys, Græcis eſt primus Byzantii Epiſcopus; Apoſtolus appellatur, unusque e duobus & ſeptuaginta Diſcipulis. Feſtus illius dies pridie Kal. Novembris ponitur *(q)*.

℣. 10. APELLEM PROBUM IN CHRISTO. Græcus *(r)*: *Probatum in Chriſto*. Apelles hic a nonnullis creditur *(s)* *Apollos* ille, in Actis *(t)* & in priore ad Corinthios Epiſtolâ *(u)* notiſſimus. At plura dicturus erat Apoſtolus, ſi idem ille eſſet. Apellem Græci faciunt Chriſti Diſcipulum e duobus & ſeptuaginta, quod in album illi nullo negotio quamplurimos referunt. Heracleenſem Epiſcopum dicunt, & pridie Kal. Novembris venerantur *(x)*.

℣. 11. EOS QUI SUNT EX ARISTOBULI DOMO. Græcis Recentioribus *(y)* Ariſtobulus hic Barnabæ Apoſtoli frater creditur, unus e Diſcipulis LXXII, & Epiſcopus vel a Paulo vel a Barnaba initiatus; in Britanniam miſſus, ibique multis laboribus exantlatis, vitâ functus, innumeris ad Chriſtum perductis. Feſtum ejus diem agunt vel Idibus Martii, vel poſtridie: univerſa tamen hæc narratio fabulam olet *(z)*. *Ariſtobuli familiam* ſalutat Paulus; cœtum ſcilicet Chriſtianorum, in ejus domo collectum, inquit Ambroſiaſter. An Chriſtianus fuerit Ariſtobulus, dubitat Paræus, quòd non ipſum, ſed familiam ſalvere jubeat Paulus: illum tamen Grotius aut abſentem aut mortuum eo tempore fuiſſe arbitratur; ita enim & de Oneſiphori mortui familiâ loquitur Apoſtolus *(a)*.

SALUTATE HERODIONEM COGNATUM MEUM. Pauli cum Herodione cognationem nonnulli eamdem ponunt, quam cum Andronico & Juniâ, quòd ſcilicet communis iis fuerit natio, Tribus, patria. Nos tamen ita, uti verba ſonant, uſurpamus, cùm alienum ſenſum quærere nulla neceſſitas cogat. Multa de Herodione tradunt Græci Recentiores *(b)*. Illum & inter LXXII Diſcipulos & inter Apoſtolos numerant: at is, inquiunt, piâ animi demiſſione, Apoſtolorum omnium ſervum ſeſe exhibebat. Tum Presbyter, deinde Epiſcopus Neopatrenſis, fortaſſe in Achaiâ, initiatus eſt. Idem omnino videtur Herodion, quem illi nuncupant *Rhodiona* *(c)*, & Romam cum Petro Apoſtolo veniſſe ajunt cum Olympiade; utrumque verò capite plexum qua die Petrus crucifixus fuit. At Rhodionis aliam, aliam Herodionis hiſtoriam venditant; qua ex re collige, quàm obſcurè a Græcis hi noſcerentur, & quàm incerta quæ de iis tradita ſunt *(d)*.

QUI SUNT EX NARCISSI DOMO, QUI SUNT IN DOMINO. Cauſa hujus diſcriminis eſt, quòd nonnulli eſſent in Narciſſi familiâ, a Chriſtianâ Fide alieni *(e)*. Neque etiam certum eſt, Narciſſum fuiſſe Chriſtianum, quidquid certent ii qui reddunt *(f)*: *Narciſſum & qui ex ejus domo*. Aſſerit hic Ambroſiaſter, in nonnullis Exemplaribus Narciſſum dici Presbyterum; huic autem ſalutem non dicere Paulum, quòd is fortaſſe tunc aberat, munere ſuo occupatus. Illum Græci & Latini *(g)* ceu Martyrem colunt pridie Kal. Novembris; atque alii Athenienſem, alii Patrenſem in Achaiâ Epiſcopum faciunt. Græci etiam Apoſtoli nomen illi addunt, atque inter LXXII Diſcipulos recenſent. Interpretibus quibusdam Narciſſus eſt celebris ille Claudii Libertus, nunquam cer-

(l) *Menæa*, *pag.* 541.
(m) *Eſt. Men. Cornel. a Lapid.* (n) Ἀμπλίαν. *Alii*, Ἀμπλιατόν. *Alexand. Vatbel. Origen. ſeu Rufin. Borner. G. L. Æthiop. Copht. Hieronymiaſt. hic*. (o) *Menæa*, *pag.* 393, 396, *&c.*
(p) *Græc. impreſſ.* Οὐρβανὸν τὸν συνεργὸν ἡμῶν. *Alii*: Τὸν συνεργόν μου. *Ita Cov.* 3, *Clarom. G. L. Chryſoſt.* (q) *Menæa*, *pag.* 396; *Baron. Mart. Ughel. Nicephor. Chron.* (r) Τὸν δόκιμον ἐν Χριστῷ. *Theodor. hic*. Ἀρετῆς ἄκρας ἡ μαρτυρία· τὸ γὰρ μηδὲν ἔχειν κίβδηλον τῶν ἀγαθῶν ἐστι κολοφών.
(s) *Origen. Grot.* (t) *Act.* XVIII, 24; XIX, 1. (u) 1 *Cor.* I, 12; III, 4, *&c.* (x) *Menæa*, *pag.* 394.
(y) *Doroth. in Synopſi*; *Menæa*, *pag.* 392. *Vide Baron.* 15 *Mart. Bolland. ibid.*
(z) Tillem. N. 7 ſur S. Barnabé. (a) 2 *Timot.* I, 16. (b) *Menæa.* 8 *April. Bolland. ibid.*
(c) *Menæa. pag.* 147, 150, 155; *Sur.* 29 *Jan.* (d) Tillem. Not. 83 ſur S. Paul.
(e) *Origen. Theodoret. Eſt. Men. Grot.* (f) Τοὺς ἐκ τῶν Ναρκίσσου. *Vide Eſt. hic*, *& ad hæc verba*: *Qui ſunt ex Ariſtobuli domo*. (g) *Vide* Tillemont, Note 48 ſur S. Paul.

℣. 12. Salutate Tryphænam, & Tryphoſam, quæ laborant in Domino. Salutate Perſidem chariſſimam, quæ multùm laboravit in Domino.

℣. 13. Salutate Rufum, electum in Domino, & matrem ejus, & meam.

℣. 14. Salutate Aſyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem; &, qui cum eis ſunt, fratres.

℣. 15. Salutate Philologum & Juliam, Nereum & ſororem ejus, & Olympiadem, & omnes, qui cum eis ſunt, ſanctos.

℣. 16. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti.

COMMENTARIUS.

certè Chriſtianus. Narciſſum hunc mortuum cenſet Baronius aliquot ante hanc Epiſtolam annis, neque repugnat Tillemontius; ſed putat, Liberti illius familiarea ſub appellatione *domûs Narciſſi* noſci potuiſſe.

℣. 12. Tryphænam et Tryphosam. Geminæ iſtæ in Actis Theclæ celebrantur: at cùm iſthæc Acta nullius ſint authoritatis, nullam quoque authoritatem geſtis Tryphænæ ac Tryphoſæ conciliant. Feſtus harum dies in Martyrologio Romano iv Idus Novembris conſignatur. Nihil de iis novimus, præter hoc ipſum quod ſcribit Paulus: *Quæ laborant in Domino*. Eodem modo ſcribit de *Perſide*, quæ prorſus ignota eſt, & in Eccleſiis nuſquam colitur.

℣. 13. Rufum electum in Domino, ſive, *electum in Domino*, et matrem ejus atque meam; Rufi matrem naturâ, Pauli affectu, vel obſequii causâ Paulo exhibiti, vel ob virtutem ac probitatem (*h*). Polycarpus in Epiſtolâ ad Philippenſes (*i*), anno cvii datâ, Ignatium Martyrem & Rufum proponit ceu exempla patientiæ. Marcus Evangeliſta (*k*), Simonem, qui cruci geſtandæ operam Chriſto exhibuit, Alexandri & Rufi patrem nuncupat. Vetuſta quædam Martyrologia Rufi memoriam xv Kal. Januarii conſignant.

℣. 14. Asyncritum. Hujus geſta ignorantur. Hyrcaniæ Epiſcopum dicunt Græci, & vi Idus Aprilis colunt. Eâdem die apud Latinos reperitur.

Phlegon ignotiſſimus eſt. Græcis Recentioribus eſt Epiſcopus Marathonis in Atticâ, & vi Idus Aprilis colitur.

Hermas Origeni (*l*), aliiſque Veteribus poſt ipſum (*m*) creditur idem eſſe, cujus librum legimus ſub Paſtoris nomine, magnæ olim authoritatis in Eccleſiâ. Hanc ſententiam vulgo ſequuntur Interpretes (*n*), neque eſt, cur ab eâ recedamus. Liber Paſtoris ſcriptus fuit Romæ, vel in ſuburbiis, circa annum Chriſti xcii, ante perſecutionem Domitiani (*o*). Ado, Uſuardus, & Romanum Martyrologium Hermam inter Sanctos collocant vii Idus Majas, Græci viii Idus Martias, & tertio Nonas Octobris, eumque inter Apoſtolos & lxxii Diſcipulos recenſent. Addunt, Epiſcopum fuiſſe Philippenſium in Macedoniâ, ſeu Philippopolis in Thraciâ. Minimè dubitant, quin idem ſit, cui Paulus hîc ſalutem dicit.

Patrobas, ſeu *Patrobas*, Græcis (*p*) eſt Epiſcopus Puteolorum, ſeu Neapolens in Italiâ. Ejus geſta ignorantur. Apud Græcos Latinoſque colitur pridie Nonas Novembris. Putat Origenes, contubernalem fuiſſe Aſyncriti & cæterorum, quos Paulus hoc verſiculo complectitur.

Hermas, e lxxii Diſcipulis, ut ajunt; ex Græcis Dalmatiæ Epiſcopus; vi Idus Aprilis colitur (*q*).

Philologus, Græcis Epiſcopus Sinopes in Ponto: pridie Nonas Novembris conſignatur (*r*). Philologum Juliæ virum cenſent; Nereum verò ejuſque ſororem, & Olympiadem, Philologi familiares (*s*). Juliam (*t*) nonnulli virum potiùs quàm fœminam eſſe ſuſpicantur.

Nereus, Origeni eſt Philologi familiaris: dubitant alii (*u*), eumdem eſſe ac Nereum illum, qui cum Achilleo iv Idus Majas colitur. Huic ſententiæ incommodum accidit, quòd Sanctorum Nerei & Achillei Martyrium ſub Trajano ponitur, anno poſt hanc Epiſtolam ferè quinquageſimo.

Olympiadem, *Olympam*, ſive *Olympiam*; triplex enim hæc lectio occurrit (*x*). Penitus ignoratur; incertumque eſt, vir fuerit an fœmina.

℣. 16. Salutate invicem in osculo sancto, charitatis, pacis, mutui amoris oſculo. Conſuetus ſalutandi modus, oſculum (*y*). Eodem utebantur in ſacris conventibus Chriſtiani, ſed modeſto & pudico (*z*); ejuſque uſus diu in Eccleſiâ obtinuit. Viri viros, fœminæ fœminas oſculabantur. Ejus moris veſtigium ſervatur in Miſsâ ſolemni apud Majores Eccleſias, ubi Miniſtri Altaris mutuum pacis oſculum ferunt, reliquis verò Clericis Subdiaconus.

Salutant vos omnes Ecclesiæ. Eccleſiæ omnes Græciæ & Aſiæ, quas peragravi (*a*), & monui, me ad vos daturum literas, juſſere ſalutem vobis ſuo nomine dici: vos illæ plurimi faciunt & amant. Suis ipſe auribus exceperat Paulus laudes, quibus Romanorum Fidelium probitatem cæteri proſequebantur. Cùm autem ipſe abſens Romanos oſculari nequeat, jubet mutuò ferre oſculum; & omnium orbis Eccleſiarum nomine ſalvere jubet celeberrimam Urbem, terrarum

(h) *Theodoret.* Τὸν μὲν Ῥούφου ἡ φύσις αὐτὴν ἀπέφηνε μητέρα, τοῦ δὲ Θείου Παύλου τῆς ἀρετῆς τὸ κιβδίσημον. (i) *Apud Coteler. pag.* 500. (k) *Marc.* xv, 21. (l) *Origen. in hunc loc.*
(m) *Vide Euſeb. lib.* 3, *cap.* 3 *Hiſt. Eccleſ. Hieronym. de Viris Illuſtr.* c. 10.
(n) *Vide Eſt. Grot. Bez. Druſ.* (o) *Vide* Tillemont, tom. 2, p. 521. (p) *Menæa*, *pag.* 78.
(q) *Vide Bolland.* 8 *April. pag.* 741. (r) *Menæa*, *pag.* 78. *Vide Oecum. hic.*
(s) *Origen. in hunc loc.* (t) *Eſtius hic.* (u) *Vide Eſt. in hunc locum.* (x) *Vide Var. Lect. Mill. hic.*
(y) *Vide Sueton. in Tiber. cap.* 34: *Quotidiana oſcula prohibuit edicto.*
(z) *Vide* 1 *Cor.* xvi, 20; 2 *Cor.* xiii, 12; 1 *Theſſ.* v, 26; 1 *Petri*, v, 14. *Juſtin. Apolog.* 2: Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. *Theodoret. hic*: Φιλήματι ἁγίῳ, σεμνῷ, καὶ σώφρονι, καὶ εἰλικρινεῖ, καὶ γνησίῳ, καὶ δόλου παντὸς ἀπηλλαγμένῳ. *Vide & Clem. Alex. & Tertull. Apud Grot. hic.* (a) *Ambroſiaſt. Origen. Grot. alii.*

Digitized by Google

℣. 17. Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis.

℣. 18. Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium.

℣. 19. Veſtra enim obedientia in omnem locum divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

℣. 20. Deus autem pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.

℣. 21. Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater, cognati mei.

COMMENTARIUS.

rum dominam, ait Theodoretus. Codices nonnulli manu exarati (b) omittunt poſtrema hæc verba: *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti*. Græcus non habet *omnes*.

℣. 17. ROGO VOS (c), UT OBSERVETIS EOS. Huc ſæpe redit Paulus, ac Judæos præſertim alloquitur, legis ritus, & dierum ciborumque delectum cum Evangelii obſervatione miſcentes; eosque ex Neophytis Gentilibus, qui vanâ libertatis oſtentatione, omnia indiſcriminatim in cibum uſurpabant, præſentibus etiam Judæis, quibus ſcandalo erant, quosque nonnihil aſpernabantur. Vide ſupra, xiv, xv. Maximè omnium verò alloquitur Paulus falſos ex Judæis Apoſtolos, a quibus Neophyti turbabantur: obſervari jubet hoc hominum genus, qui, quicquid ipſe docuerit, & illi ex prioribus Apoſtolis didiciſſent, pacem in Eccleſiâ miſcebant. Hos vitari jubet, atque uti anathemate inuſtos haberi: prohibet, nequis unà cum illis oret, cibumque ſumat, aut illis ſalutem dicat.

Poſt longam ſalutationum ſeriem, monitosque Fideles ut mutuò ferant oſculum, iſta ſubtexit Paulus, veluti ſignificans, neque ſalutationes, neque oſculum ad eos ſpectare, qui turbas cient in Eccleſiâ novis dogmatibus, ſcandalo, ſeditione. ℣. 18: *Hujuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri*. Neque Judæi, rituum ſuorum ſtudioſiſſimi (d), neque falſi Apoſtoli, qui ad Judaicas obſervationes vos perducere ſtudent, gloriam Jeſu Chriſti & Evangelii progreſſum quærunt: unum illis propoſitum eſt, cupiditatibus gratificari (e).

℣. 19. VESTRA ENIM OBEDIENTIA IN OMNEM LOCUM DIVULGATA EST. Græcus (f): *In omnem locum pervenit*. Obſecro igitur, ut falſis Apoſtolis, pacem turbantibus, aures ne præbeatis, labemque ne inferatis Fidei veſtræ atque obedientiæ, ab omnibus commendatæ. Eo magis obnoxii eſtis diſcrimini, quo plures advenæ Romam alliciuntur & ipsâ urbis amplitudine, & obedientiæ veſtræ famâ (g): quos inter advenas pernicioſi ſunt Præcones, homines inopiâ & voluptatum amore laborantes, quibus unum eſt illud ſtudium, ut vobis imponant jugum, quod ipſi recuſant. De malis hiſce operariis paſſim queritur (h).

Addit: *Volo, vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo*; vel, *ſapientes circa bonum, ſimplices circa malum*. Ita Chriſtus in Evangelio Diſcipulis imperat (k), ut ſerpentis inſtar prudentes ſint, ſimplices ut columbæ: & alibi Paulus (l): *Malitiâ parvuli eſtote: ſenſibus autem* (prudentiâ) *perfecti eſtote*. Solâ boni ſpecie ne decipiamini: conſtanter tenete dogmata, quæ accepiſtis: novas res fugite, omnia probate, quod bonum eſt ſectamini (m).

℣. 20. DEUS AUTEM PACIS CONTERAT (n), &c. Deus, pacis & concordiæ author atque amator, Sathanam ſeditionis ac tumultûs dominum ac Principem confringat; omnes illius miniſtros & cooperatores evertat; Dæmonis vires & nequitiam deſtruat; detegat fraudes ac mendacia eorum qui a Diabolo mittuntur, falsorum ſcilicet Apoſtolorum, de quibus egit (o); *qui per dulces ſermones & benedictiones, ſeducunt corda innocentium* (p).

GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VOBISCUM. Donis vos cumulet Deus, ſibi gratos efficiat, gratiâ præveniat. Epiſtolam claudere hîc voluiſſe videtur Apoſtolus; ſed tempore dato, pauca adjecit, ut ſolet ſubter Epiſtolas fieri (q). Exemplaria quædam, vetuſtate commendata (r), omittunt iſta: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum*; eaque legunt dumtaxat ℣. 24. Contra Syrus hîc legit, infra omittit.

℣. 21. SALUTAT VOS TIMOTHEUS; idem ille, ad quem Epiſtolas duas dedit Paulus, de quo jam in Actis egimus (s). Fuſiùs de eo ad Epiſtolas illi inſcriptas.

LUCIUS (t), nonnullis creditur Lucas Evangeliſta; aliis idem eſt ac *Lucius Cyrenenſis* apud Acta (u): prior tamen opinio verior.

JASON, qui Paulum hoſpitio excepit Theſſalonicæ (x); moràque ibi adversùs Paulum ſeditione, ejus causâ caput diſcrimini objecit (y); Pauli cognatus, ut hîc dicitur. Colitur apud Græcos IV vel III Kal. Majas; a quibus & Tharſenſis Epiſcopus, & Apoſtolus, primorum ſcilicet Apo-

(b) *Omittunt Clarom. S. German. Borner. G. L.* (c) Παρακαλῶ, *exhortor*.
(d) *Theodoret. Oecumen. Theophylact. Eſt. alii*. (e) Confer *Philipp.* III, 18, 19; *Galat.* V, 13 VI, 12.
(f) *Græc.* Εἰς πάντας ἀφίκετο. (g) *Tolet, Caſtal. Grot. alii*. (h) *Epheſ.* I, 18; III, 2, 18, 19; *Galat.* VI, 12; 2 *Cor.* XI, 15, *&c.* (i) *Græc.* Σόφους μὲν εἶναι εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἀκεραίους δὲ εἰς τὸ κακόν.
(k) *Matt.* X, 16; *Luc.* X, 3. (l) 1 *Cor.* XIV, 20. (m) 1 *Theſſal.* V, 21.
(n) *Græc.* Συντρίψει, *conteret*. *Alii*: Συντρίψαι, *conterat*. *Ita Alex. Syr. Æthiop. Theod.*
(o) *Chryſoſt. Theodoret. Grot. alii*. (p) *Sup.* ℣. 18. (q) *Vide Grot. Bez.*
(r) *S. Germ. & Clarom. & Borner. G. L.* (s) *Act.* XVI, 1, *& ſeq.*
(t) *Orig. Eſt. Ligfoot. alii plerique*. (u) *Act.* XIII, 1. *Vide Grot.*
(x) *Act.* XVII, 7. *Vide Origen. & Chryſoſt. & alios hic*. (y) *Act.* XVII, 7, *&c.*

℣. 22. Saluto vos, ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino.
℣. 23. Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis, & Quartus, frater.
℣. 24. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.
℣. 25. Ei autem, qui potens eſt vos confirmare juxta Evangelium meum, & prædicationem Jeſu Chriſti, ſecundùm revelationem myſterii temporibus æternis taciti,

COMMENTARIUS.

Apoſtolorum Diſcipulos inter clariſſimos, nuncupatur. Cenſent nonnulli (z), Jaſonem eumdem eſſe ac Judæum illum Alexandrinum Neophytum, qui alterum Judæum, nomine Papiſcum, ad Chriſti ſacra convertit: cujus opinionis leviſſima ſunt argumenta.

Sosipater, Berœenſis (a), de quo in Actis. *Sopater* etiam appellatus legitur; & in Latino Actorum textu additur, *filius Pyrrhi*. Comes Apoſtoli fuit ex Græciâ in Judæam, unâque cum illo in Aſiam rediit. Cognatus Pauli erat, quamquam, uti videtur, origine Gentilis (b); Judææ quippe mulieres viris Gentilibus interdum nubebant, uti conſtat exemplo matris Timothei (c): at fortè *cognatus* hic, ut alibi ſæpe, ejuſdem gentis hominem, Judæum genere, ſignificat (d). Feſtum Soſipatri diem Græci agunt iv vel iii Kal. Majas; Latini vii Kal. Julii.

℣. 22. Saluto vos ego Tertius. Tertius Paulo Amanuenſis fuit in hac Epiſtolâ; eamque vel ex dictantis Apoſtoli ore excepit (e), vel ex Pauli archetypo deſcripſit (f). Sunt qui putent (g), eumdem eſſe *Silam*, multorum Pauli itinerum comitem (h): Hebraicum quippe vocabulum *Silas* cum Latino *Tertius* convenit. Tertium colunt Græci iv Idus Novembris; eumque nonnulli *Terentium* nominant (i).

℣. 23. Cajus hospes meus. Caji plures in Eccleſiâ fuere: at hunc Paulus deſignat ab hoſpitio, quod ille ſibi Corinthi præbebat. Meminit Lucas (k) Caji cujuſdam Macedonis, qui unà cum Apoſtolo Epheſum profectus, in ſeditione Demetrii argentarii par diſcrimen ſubiit. Nihil obſtat, quin idem ſit hic ab Apoſtolo nominatus. Origenis ætate (l), is vulgo credebatur fuiſſe Epiſcopus Theſſalonicæ, unde genus ducebat. Docet Paulus (m), a ſe tinctum fuiſſe baptiſmate Cajum Corinthi. Cajus iv Nonas Octobris colitur.

Et universa Ecclesia Corinthi vobis ſalutem impertitur. Græcus (n): *Cajus hoſpes meus & totius Eccleſiæ*. Cajus igitur omnes Chriſtianos advenas, hoſpitio carentes, domi excipiebat (o).

Erastus arcarius civitatis. Græcus (p): *Eraſtus œconomus civitatis*. At Græcè *Oeconomos* idem fermè ſignificat ac Latinè *Quæſtor*, ærarii cuſtos, cui curæ erat publicæ pecuniæ exactio ac diſtributio. De eo in Actis. Hunc Paulus Corintho Epheſum duxit, miſitque in Macedoniam; is denique Corinthi manſit (q). Ex frequentibus hiſce itineribus colligi datur, illum eo tempore non exercuiſſe Quæſturam, ſed olim eo munere functum, adhuc nomen ſervaſſe (r). Notat S. Chryſoſtomus, jam tum cœpiſſe Deum, viros humanis dignitatibus illuſtres ad Fidem vocare, ut oſtenderet, publica munera opeſque minimè officere, quin ſalutem aſſequaris, modò piam animi demiſſionem & vigilantiam colas. Putat igitur, Eraſtum per id tempus Quæſtoris munus exercuiſſe.

Et Quartus frater. Incertum cujus frater, aut a quo Quartus diceretur. Eraſti frater ab aliquibus dicitur, ab aliis Tertii qui Epiſtolam ſcripſit. Sunt quibus fratris appellatio Chriſtianum dumtaxat hominem ſignificare videatur; eo enim tempore Chriſtiani communi fratrum appellatione donabantur (s). Apud Græcos Quartus eſt Berithi Epiſcopus, atque e LXXII Diſcipulis unus (t); coliturque iv Idus Novembris; apud Latinos tertio Nonas ejuſdem.

℣. 24. Gratia Domini nostri, &c. Iterum jam aut tertium (u) valere Romanis dicit, omniumque donorum copiam imprecatur. Videtur omnino, hæc verba, quæ ſupra, ℣. 20, dictavit Tertio, addidiſſe hic manu ſuâ, ut ipſi moris erat (x). Vide 1 *Cor.* xvi; & 2 *Theſſal.* iii, 17, 18. Verſiculum hunc non ferunt Syrus, & optima Exemplaria quamplura (y).

℣. 25. Ei autem qui potens est, &c. Epiſtolam claudens, Deum rogat, ut Fideles in Fide confirmet, Deoque gloriam reddit, quòd Evangelii myſterium, tam multis antea ſæculis abſconditum, ipſis patefecerit. Nedum poſtrema hæc verba, ſed tota etiam Capita xv & xvi, abſtulerat Marcion, teſte Origene.

Secundum Evangelium meum. Jeſu Chriſti Evangelium Paulus ſuum nuncupat, quòd ab ipſo ubique prædicaretur. Deum rogat, ut Romanos in ſuo Evangelio conſtantes reddat, tametſi ipſe illis non tradiderit: quippe qui pro certo habeat, illud idem a prioribus Apoſtolis traditum; & ea quæ totâ Epiſtolâ docuit, ſuum eſſe Evangelium, ſuaque dogmata. Evangelium nuncupat myſterium omnibus antea ſæculis ignotum (z); ac profectò Deus in Evangelio myſteria detexit altiſſima, atque apud Judæos obſcuriſſima de Incarnatione, æternâ Verbi Generatione, ejuſque Divinitate, ac denique de Trinitate. Evangelio velum reductum eſt ex veris quamplurimis officiiſque, ante Evangelii promulgationem vel penitus ignotis, vel parum cognitis.

℣. 26. Pan

(z) *Cyprian. pag.* 565, 567. (a) *Act.* xx, 4. (b) *Origen. in Rom.* xvi, *lib.* 2, *pag.* 632.
(c) *Act.* xvi, 1. (d) *Vide Sup.* ℣. 7. *Grot. Eſt. Men.* (e) *Tolet. Eſt. Tir. Theodor.*
(f) *Grot. Tolet. Bez.* (g) *Ligfoot. Chorog. pag.* 125. (h) *Act.* xv, 40; xvi, 19; xvii, 4, *&c.*
(i) *Eraſm. edit.* 1, *& Ald. & Theodul. Comment.* (k) *Act.* xix, 29. (l) *Origen, hic.*
(m) 1 *Cor.* i, 14. (n) Ἐκκλησίας ὅλης.
(o) *Vide Ambroſiaſt. Primaſ. hic. Eſt. Tolet. Alii hic. Beda in Joan.* 5.
(p) Ἔραστος ὁ οἰκονόμος τῆς πόλεως. (q) *Act.* xix, 22, *&c.* 2 *Timoth.* iv, 20.
(r) *Pelag. Eſt. Tillemont.* (s) *Vide Eſt. hic.* (t) *Menæa, pag.* 150.
(u) *Vide ultimum* ℣. *capitis* xv.
(x) *Vide Eſt. & Grot.*
(y) *Alexand. Stephan.* δ, *Origen. Ambroſiaſt. Copht. Colb.* 7, *Codd. Conſtantinop. apud Eraſm.*
(z) *Confer Epheſ.* i, 9; vi, 19; *Coloſſ.* i, 26; ii, 2; *Et* 1 *Petri*, i, 12.

℣. 26. (Quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, ſecundùm præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti;

℣. 27. Soli ſapienti Deo, per Jeſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 26. PER SCRIPTURAS PROPHETARUM. Oracola Prophetarum & Evangeliom mutuam ſibi operam præſtant. Evangelio explicantur vaticinia, cùm eo expleta oſtendantur; viciſſim Evangelium multum evidentiæ ac perſpicuitatis mutuatur ex vaticiniis, cùm ea quæ traduntur Evangelio, & Prophetarom vaticiniis continentur, ſibi viciſſim conſtent; quamvis enim Evangelium patefactione novum ſit, vetuſtiſſimum tamen eſt Dei deſtinatione, ipſo rerum initio facta, & vaticiniis, quibus per longam tot ſæculorum ſeriem quodammodo clauſum & obvolutum latuit. Denique: *In cunctis gentibus cognitum eſt*, tum Judæis tum Gentilibus; *ad obeditionem fidei*, ut obediant Fidei, Chriſto credant, vitamque cum Fide componant.

℣. 27. SOLI SAPIENTI DEO, &c. Obſequium omne præſtemus infinitæ Dei ſapientiæ, qui altiſſimis conſiliis meràque miſericordià, veritatis patefactionem ita ordinavit, ut Evangelii cognitio, ejusque Myſteriorum Fides noſtris temporibus manifeſtatæ ſint, & ad nos usque pervenerint; *Cui honor & gloria per Jeſum Chriſtum* (α). Quòd creatæ res omnes Jeſum Chriſtum noverint, laudent, adorent, id porrò ſummæ eſt Patris totiusque Trinitatis gloriæ (β). Una Chriſtiana Religio veros ſpiritu & veritate cultores Patri peperit (γ). Qui ſub Veteri Teſtamento naturæque Lege ſunt, Deo placuere, Novoque Fœdere comprehenſi ſunt per ipſorum Fidem, charitatem, bonaque opera.

In calce Græcorum Exemplarium typis editorum leguntur iſta: Epiſtola *ad Romanos data eſt Corintho per Phœben Diaconiſſam Eccleſiæ Cenchreenſis. Verſus habet* DCCCCXX. At maxima hìc eſt exemplarium varietas: alia enim eam notam omittunt; alia partem dumtaxat illius ferunt (δ). Inter omnes conſtat, hujuſmodi additiones in calce Epiſtolarum Pauli neque vetuſtas eſſe, neque probatas; easque rejicere, nulla religio eſt, cùm plerumque falsam adſcriptionem ferant. In Præfatione expendimos ea quæ ad tempus & locum ſcriptionis pertinent.

IN

(α) Μόνῳ σοφῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα. *Alii*: Αὐτῷ ἡ δόξα.
(β) *Vide Eſt. Tolet. Men.* (γ) *Joan.* IV, 23. (δ) *Vide Mill. Var. Lect. Eſt. Grot. hic.*

Finis Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Romanos.

IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS

PROLEGOMENON.

Corinthus, celeberrima & opulentiſſima Achaiæ urbs, cui locus ipſe inter Ægæum ad Orientem, & mare Jonium ad Occaſum negotiationis commodum, & opum incrementum quàm maximè contulit, ſuperbiæ, epulis, voluptati, & cæteris, quæ commercium & divitiarum copiam comitantur, vitiis ſe ita dediderat, ut cultui & religioni impudicitia haberetur: meretrices enim adhiberi ad publicas preces canendas conſueverant, Venerique a quibusdam dicabantur novæ meretrices, quarum copia ea erat, ut proverbio nomen efficeret.

Anno circiter Chriſti LII Apoſtolus Corinthum profectus, monente Chriſto, ſe multum in eâ Urbe ſibi populum ſelegiſſe (*a*), duodeviginti menſes ibidem egit, quibus & Judæorum & Ethnicorum plurimos Deo quidem peperit, ſed plures etiam calamitates tulit; ab Judæis (*b*) præſertim, ægrè ferentibus, quòd Evangelium Ethnicis nunciaret. Quare incredulos obſtinationi ſuæ reliquit, ab iisque diſcedens, veſtibus priùs excuſſis, ita eſt minitatus (*c*): *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego ex hoc ad Gentes vadam.*

Corintho Paulus Epheſum venit, ubi tribus annis concionandi muneri vacavit. Apollo interim, & fortè S. Petrus, ſive aliquis ex Petri Diſcipulis Corinthum profecti, aliquos ſibi aſſeclas adſciverunt. Corinthii diverſis, quæ Græciam invaſerant, Philoſophorum ſectis aſſueti, eumdem & a Catholicis ſervari morem, & a Paulo, Petro, Apollo, cæteriſque Evangelii Præconibus totidem ſectas conſtitui arbitrantes, eorum cuilibet proprios, qui de præceptoris nomine nuncuparentur, aſſeclas adhærere, ſibi ſuaſerant. Chriſtianâ præterea libertate, quæ mundis omnia munda eſſe docet, Fideles quidam abutentes, & nonnulla, cæterùm vera, ſed ad errorem diſtrahentia, præter modum urgentes Idola verbi gratiâ nihil eſſe, iisque oblata neque ſacra fieri poſſe neque turpia, cibis promiſcuè omnibus, iis etiam, qui Idolis oblati fuerant, nullâ religione abſterriti veſcebantur: quod vel Hebræis recèns fidei addictis, fratribusque conſcientiæ imbecillioris, vel Ethnicis eam temeritatem demirantibus, pravitatis exemplum exhibebat.

Fœdiſſimis alii, non modò non coërcitis, verùm etiam cultu probatis, impudicitiis aſſueti, ob pravam conſuetudinem difficilè ſeſe abdicabant; quare & Fidelium unus Novercæ, Patris ſui uxoris, inceſtu pollui auſus eſt. Erant præterea, qui lites ad Laicorum Tribunalia deferrent, quique Eloquentiæ ac Philoſophiæ plus nimio addicti, mortuos reſurrecturos negarent. Cùm verò unâ convenirent, ſive ad conciones, ſive ad myſteria ſacra, divites cœnam in Templum minimè deferentes, nequid pauperibus erogarent, domi cœnabant, vel, ſi cœnarent in Templo, ab egenis ſeorſum veſcebantur.

Alterum ambitio vitium invexerat: qui enim externarum linguarum, prophetiæ, & concionis ad populos habendæ dono divinitùs ditati fuerant, eodem unâ tempore dicebant ſinguli, & aliena, licèt auditorum nemo ea perciperet, idiomata oſtentabant. Mulieres ipſæ, nudo capite Templum ingreſſæ, populos edocturæ publicè verba facere audebant, quòd præcipuo loquendi munere a Spiritu Sancto donatas ſeſe jactarent. Quædam denique de ſtatu Virginum, de Matrimonio, deque Conjugum obligationibus difficultates irrepſerant, quibus in diverſas ſententias Corinthi Eccleſia diſtrahebatur.

Paulus Epheſi verſans, hæc omnia accepit vel a Stephanâ, Fortunato, & Achaico, qui Corintho ad ſe inviſendum perrexerant (*d*); vel ab Epiſtolis, quas Paulo reddendas Chloës domeſtici eisdem tradiderint (*e*); vel ab Eccleſiæ Corinthi Principibus viris, qui ad eum literas dederint (*f*); vel denique ab horum ſingulis, quorum alter de hoc, de illo alter monitum fecerint. Epheſi igitur (*g*), non Philippis, uti probat inſcriptio ad calcem Græcorum Exemplarium, hanc Epiſtolam Apoſtolus exaravit; qui Eccleſiæ Aſiæ nomine, & præſertim Aquilæ & Priſcillæ [*h*], quos Epheſi commoratos certò ſcimus (*i*), Corinthi Eccleſiæ ſalutem dicit; & ejusdem Epiſtolæ capite XVI, 8, ſe usque ad Pentecoſten Epheſi moram ducturum teſtatur; ex quibus colligi-

(a) *Act.* XVIII, 10.
(b) *Vid.* 1 *Theſſal.* III, 7; & 2 *Cor.* XI, 9; 1 *Cor.* II, 3.
(c) *Act.* XVIII, 6.
(d) *Vide* 1 *Corinth.* XVI, 15, &c. & *Chryſoſt.* & *Theodoret. ibid.*
(e) 1 *Cor.* I, 11.
(f) *Vide Chryſoſt. hom.* 44; & 1 *Cor.* VII, 1, &c.
(g) *Chryſoſt. Theodoret. Athanaſ. in Synopſ. Oecumen. Syrus Tremellii, Arab. Latina inſcriptiones ad caput hujus Epiſt. Capell. Grot. Ham. alii paſſim.*
(h) 1 *Cor.* XVI, 19.
(i) *Act.* XVIII, 19, &c.

colligitur, Apoſtolum Epheſi fuiſſe, cùm iſta ſcriberet. Latina, pleraque etiam Græca Exemplaria, Epheſi ſcriptam oſtendunt; adſcriptionem verò, qua Philippis exarata fertur, neque in Manuſcripto Alexandrino, neque in Græco & Latino Claromontano, neque in Græco S. Germani (quamquam in Latino ejusdem manuſcripti legitur) neque in præclariſſimis aliis eſt reperire. Quæ Paulus de ſingulis hiſce rebus ſanxerit, ea proſequi ſingillatim ſupervacaneum arbitramur; videnda enim ſingula exhibentur ab eâdem Epiſtolâ; quæ, ſi tot tantaque, de quibus agit, perpendantur, breviſſima habenda erit: nec non maximè commendanda occurret Apoſtoli ſapientia, ſcientia, vis, ardor, charitas, & animi moderatio.

Miſſam ad Romanos hæc ad Corinthios Epiſtola præceſſit; hanc enim Apoſtolus anno Chriſti LVI, illam anno LVIII dedit. Vitia verò, quæ tollere nititur Apoſtolus, omnino exſcindere non valuit. Pontifex enim Clemens, Petri Apoſtoli Diſcipulus, aliquot poſt annos eosdem Corinthios ambitionis, ſuperbiæ, contentionum, litium, & diſſenſionum arguit.

Ante hanc ad Corinthios, alteram ab Apoſtolo ad eosdem datam, ſed modò deperditam, nonnulli opinati ſunt [k], eo ducti, quòd ejusdem Epiſtolæ capite V, 9, Paulus dixerit: *Scripſi vobis in Epiſtolâ, ne commiſceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi.... alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus..... cum ejusmodi nec cibum ſumere.* Hæc tamen facilè ad ea referuntur, quæ ſupra Paulus enunciaverat (l) v. g. capite V, 2: *Non luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus* (inceſtum) *fecit.* Et ℣. 6: *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Præterea nullam, duas præter quæ extant, Epiſtolam Veteres agnoverunt. Hanc verò iidem Stephanas, Fortunatus, Achaicus, qui Epheſum profecti delatas Corintho Epiſtolas Paulo tradiderant, ex eodem Apoſtolo acceptam ad Corinthios detulerunt.

(k) *Eſt. Juſtin. Bez. Para. Ligfoot. Grot. Lud. de Dieu.*

(l) *Chryſoſt. Theodoret. Hieronym. Eſt. Tirin 1 Cor. v, 9. Gloſſ. Sud. Capell.*

DISSERTATIO

De Baptiſmate pro Mortuis, ad 1 Corinth. XV, *29.*

QUamvis Mortuorum Reſurrectionis dogma optimis Fidelibus ſolatium ſemper attulerit, atque explicitam in orthodoxâ Religione Fidem ſibi ſemper comparaverit; inter alienos non modò, ſed ipſos etiam inter Fideles, ſæpiſſimè nihilominus adverſarios offendit. Jam ante Chriſti adventum quædam Judæorum ſecta ſe Reſurrectioni præſertim inſenſam profitebatur. Seſe reſurrecturum, cæterosque ad vitam homines poſtremâ ſæculorum die reverſuros, in omnium animos præ cæteris inducere Servator ſtuduit, cujus equidem reſurrectio maximum Catholicæ Religionis firmandæ, ac certius erat Fidelium ad vitam revocandorum argumentum. Apoſtoli etiam, dum conciones habebant, Chriſti Reſurrectionem potiſſimùm Auditoribus perſuadere ſatagebant. Dæmon verò ope hæreſum, quas primò in Eccleſiam invexit, Reſurrectioni vel prorſus eliminandæ, vel ſaltem in incertum adducendæ vehementer ſtuduit.

Paulus ad Corinthios ſcribens, ab eorum quibusdam Reſurrectionis Fidem minimè teneri conqueritur (*a*): *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Timotheo etiam per Epiſtolam nunciavit (*b*), *Hymenæum & Philetum a veritate excidiſſe, dicentes, reſurrectionem eſſe jam factam.* Compertum eſt, Simonis Magi Diſcipulos (*c*), Nicolaitas [*d*], Gnoſticos [*e*], Archonticos [*f*], Cerinthianos aliquos (*g*), Valentinianos [*h*], Marcionitas [*i*], Marcoſianos [*k*], Cainitas (*l*), Saturninum (*m*), Baſilidem (*n*), Apellem (*o*), Bardeſanem [*p*], Menandrum (*q*), denique omnes ferè Hæreticos, qui duobus ſeu tribus prioribus ſæculis in Eccleſiam invaſerunt, corporum reſurrectioni adverſatos, eamque tantummodo ſaſſos eſſe reſurrectionem, qua quis Baptiſmate ablutus per juſtificantem gratiam reviviſcit. Harum hæreſum plurimæ vel Pauli ætate jam irrepſerant: quare Apoſtolus in ſuis Epiſtolis, Reſurrectione omnium argumentis probatâ, eas ſæpè refellit, ſuosque inſtruit Diſcipulos, ne a Pſeudo-Doctoribus, orbem, ut errores evulgarent, circumeuntibus, interciperentur.

Prioris ad Corinthios Epiſtolæ capite XV, Reſurrectioni inſenſos validiſſimè impugnat; quam propterea I, Scripturis, & vaticiniis de reſurrectione agentibus; II, Apoſtolorum, qui Jeſum redivivum viderant, ſuique ipſius, cui ſe Dominus prope Damaſcum exhibuerat (*r*), teſtimonio firmat. III, Ex Chriſti reſurrectione homines ad vitam reverſuros colligit: *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.* IV, Si Chriſtus non ſurrexit, inanes Apoſtolorum conciones, ipſosque Apoſtolos ſubdolos

(a) *1 Cor. xv, 12.*
(b) *2 Timoth. ii, 18.*
(c) *Epiph. hæreſ. 21; Auguſt. hæreſ. 1.*
(d) *Auguſt. hæreſ. 18.*
(e) *Epiph. hæreſ. 25, c. 15.*
(f) *Epiph. hæreſ. 40, c. 2.*
(g) *Epiph. hæreſ. 28, c. 6.*
(h) *Tertul. Præſcript. c. 33.*
(i) *Iren. l. 1, c. 19.*
(k) *Epiph. hæreſ. 45.*
(l) *Auguſt. hæreſ. 18.*
(m) *Tertull. Præſcript. c. 48.*
(n) *Tertull. Præſcript. c. 46.*
(o) *Epiph. hæreſ. 44.*
(p) *Epiph. hæreſ. 56.*
(q) *Tertul. Præſcript. c. 46, & Iren. l. 2, c. 21.*
(r) *Act. ix, 6, 7.*

Digitized by Google

atque mendaces. V, Catholicorum Fidem a veritate alienam, eosque per Baptiſmum a peccatis minimè liberatos. VI, Chtiſtianos in exitio eſſe, atque inanem illorum ſpem. VII, Chriſtianos omnium miſerrimos, ſi incerta ſit Reſurrectio, cùm in hac vitâ innumeris undique calamitatibus obruantur. VIII denique (s): *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?*

(s) 1 *Cor.* xv, 29: Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν;

Hæc præcipua Pauli pro reſurrectione argumenta: quorum profectò prima validiſſima, & ſatis probantia; poſtremum verò nonnullis obvolvitur difficultatibus, quas hac Diſſertatione explanandas aſſumimus. Nova quidem hîc non promittimus, aliter hujusmodi quæſtio ſilentio prætereunda eſſet, de qua latè adeò actum eſt, ut fuſiùs fortaſſe nihil. Cùm verò noſtrum ſit ea referre, quæ Authores præcipui de ſingulis Scripturæ locis ediſſerunt, noſtri etiam erit inſtituti, varias hujus loci interpretationes, argumenta pariter ac ſententias recenſere; noſtramque demum eâ de re mentem aperiemus.

I. Putant vetuſtiores Interpretes, Apoſtolum hîc meminiſſe quorumdam, qui *pro mortuis*, ſeu mortuorum vice, *baptiſmate* idcirco abluebantur, quòd homines ante baptiſmum morte correptos, ſacri lavacri, quo ſuperſtites ipſorum ſeu amici ſeu cognati perſunderentur, virtute levari, ac peccatis omnibus liberari, ſibi ſuaderent. Quemadmodum nos precibus & eleemoſynis Deo pro defunctis oblatis, peccatorum, quibus minimè ſatisfecere dum viverent, pœnas adimi, atque etiam omnino expiari, fide tenemus. Hanc ſanè ſententiam ipſa Textûs verba videntur innuere: cui etiam Græcus magis favet, qui propriè ſonat *baptiſma pro mortuis*, ſeu mortuorum beneficio; quomodo pluribus in locis *pro hominibus*, ſeu propter hominum ſalutem, Chriſtus mortuus in Scripturis nunciatur. Utriusque loci ſyntaxis eſt eadem.

Eos Corinthios, qui Reſurrectioni adverſabantur, argumento, quod *ad hominem* vocant, Apoſtolus hîc urgere quibusdam videtur. Corinthios inſanâ quadam pietate pro mortuis baptiſmate ablui ſciens, Minimè, inquit, conſuetudinem veſtram ſeu laudo, ſeu probo: at ſi mortui, ut aſſeritis, non reſurgunt, quid prodeſt ſacro fonte pro ipſis luſtrari? Cerinthianos & Marcionitas, Reſurrectioni infenſos, baptiſmo pro mortuis perſundi ſolitos, certò ſcimus.

Hi porrò Hæretici, per vitam juſtificantis gratiæ, qua in baptiſmate donamur, reſurrectionem tantummodo fieri ſibi ſuadentes, non ineptè ratiocinabantur [t]. Cùm enim Chriſtus defunctos reſurrecturos fuerit pollicitus, inde ſtatim facilè colligebatur, poſſe mortuos juſtificante gratiâ donari, adeòque & baptiſmate, cujus virtute gratia acquiritur, peccata delentur (u). Cùm verò ſacro fonte per ſe ipſi ablui defuncti minimè poſſent, ſuperſtites de eorum ſalute ſolliciti, ut illi hac reſurrectione gauderent, jure pro iiſdem baptiſmo expiabantur, quemadmodum filii æs alienum, quo genitores tenentur, exſolvunt.

(t) *Epiph. hær.* 28; *Iren. l.* 1, *c.* 19.

(u) *Matth.* xxviii, 19; *Mar.* xvi, 16.

Paulus a Fide alienum dogma everſurus in hoc eodem capite [x], mortuos ſupremâ judicii die reſurrecturos perſpicuè oſtendit: ut verò ipſis eorum armis adverſarios aggrediatur, inanem & riſu dignum, niſi mortui reſurgant, eorum morem eſſe ait; quem tamen non fatetur bonum, ſi mortui reſurgant; ſed iis minimè reſurgentibus abſurdum prorſus futurum dicit. Cur enim mortale, quod nunquam reſurrectione fruetur, corpus abluitis pro cadavere jam tabido, quod e mortuis minimè revocabitur? Qua utilitate alterutrum baptiſmus afficiat? Si juſtificationem, innocentiam, reſtaurationem vitæ, & veteris hominis ſpoliationem, hanc tantummodo reſurrectionem agnoſcitis, quonam modo iſta hominem mortuum afficere valent, qui ad baptiſmum, quo vos abluimini, neque per corpus, neque per fidem, neque per voluntatem accedit? Si & vos de verâ mortuorum reſurrectione nobiſcum conveniretis, vobis utique in promptu eſſet reſponſio: vos nempe baptiſmate elui, ut beatam mortuis reſurrectionem afferretis, eo ſanè modo, quo triticum terræ commiſſum irrigatis, ut aliquando germinet (y), & per reſurrectionem renaſcatur; quod tamen argumentum ut rem evinceret, ipſummet corpus reſurrecturum, non aliud, abluendum foret, quemadmodum ſemen ipſum naſciturum irrigatur. At pro altero, qui nunquam reſurget, expiari baptiſmo, inſanum profectò & prorſus inane eſt.

(x) 1 *Cor.* xv, 4, 13, 14, *&c.*

(y) *Epiph. hæreſ.* 28, *n.* 6. Καί τι παραδόσεως πρᾶγμα ἦλθεν εἰς ἡμᾶς· ὡς τινῶν μὲν παρ' αὐτοῖς προφθανόντων τελευτῆσαι ἄνευ βαπτίσματος, ἄλλους δ' ἀντ' αὐτῶν εἰς ὄνομα ἐκείνων βαπτίζεσθαι ὑπὲρ τοῦ μὴ ἐν τῇ ἀναστάσει ἀναστάντας αὐτοὺς δίκην δοῦναι τιμωρίας, βάπτισμα μὴ εἰληφότας.

Nihil hac in re difficilius, quàm ut Pauli ætate Hæreticos reſurrectioni contrarios, & pro mortuis baptiſmo ablui ſolitos, extitiſſe dilucidè exhibeamus. Nos hîc unà cùm præſtantiſſimis Scriptoribus, ad Corinthios, de qua agimus, Epiſtolam Neronis anno ſecundo, a Chriſti adventu LVI, a Servatoris reſurrectione XXIII, exaratam fuiſſe, certò arbitramur: cujus temporis argumenta apud præclariſſimos Chronologos Uſſerium, Pearſonium, Tillemontium, & alios videnda relinquimus. Illis ſanè temporibus Simoniani, Gnoſtici, & Nicolaitæ, reſurrectioni omnes infenſi, & Cerinthiani, homines pro mortuis baptiſmo expiare conſueti, jam Eccleſiam invaſerant. Marcionitas verò, qui eumdem ſervantes morem, ſuos ex Gnoſticis errores hauſe-

hauſerant (z), cùm Paulus hanc epiſtolam ſcriberet, jam extitiſſe omnes fatentur.

Marcionitas baptiſmate pro mortuis ablui conſueviſſe, Tertullianus ſatis oſtendit, ubi neque eum morem inductum ab Apoſtolo, neque confirmatum affirmat: *Noli Apoſtolum novum authorem aut confirmatorem ejus denotare*: additque, Paulum eorum, qui baptiſmo pro mortuis perſundebantur, idcirco meminiſſe, ut ipſos eorum armis impugnaret, & mortuorum reſurrectionem perſpicuè comprobaret: *Ut tanto magis ſiſteret carnis reſurrectionem, quanto illi, qui vanè pro mortuis baptizarentur, fide reſurrectionis hoc facerent*. Præterea in libro de Carnis reſurrectione (a), Pauli ætate quoſdam extitiſſe aſſerit, qui ſecundum baptiſma pro mortuis idcircò ſuſcipiebant, quòd illis ad reſurrectionem profuturum arbitrarentur: *Certè illâ præſumptione hoc eos inſtituiſſe contendit, quia alii etiam carni ut vicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis*.

Refert Chryſoſtomus (b), conſueviſſe Marcionitas, ſtatim ac quis ex eorum Catechumenis decederet, vivum aliquem ſub ejus lecto condere, & ad cadaver accedentes, an baptiſmum peteret, poſtulare: quibus illo non reſpondente, is qui ſub lecto erat, baptiſmum ſe admodum cupere, pro defuncto reſponderet: quare illum, actione theatro potiùs quàm ſanctiſſimo Myſterio dignâ, mortui loco baptizabant.

Addit Epiphanius (c), Marcionitas eoſdem, non modò ſemel, ſed bis, & quoties libitum eſſet, baptiſmo conſueviſſe perfundi. Ad morem eumdem (d) Tertullianus alludit; locutus enim de Marcionitis, pro mortuis baptiſmate ſe abluentibus, iteratos hoſce Baptiſmos a Paulo jam improbatos aſſerit: *Habemus illum alicubi unius baptiſmi definitorem*.

Quoad Cerinthianos, S. Epiphanius (e) apertè docet, eorum plurimos mortuorum reſurrectioni adverſatos eſſe, eoſque impugnari ab Apoſtolo, dum is reſurrectionem in Epiſtolâ ſtrenuè tuetur. Et in hos ipſos fortè Polycarpus inſurgens (f), Antichriſtos appellat; quòd Chriſti Domini Incarnationem, Judicium, & Reſurrectionem impugnarent. Epiphanius denique (g) ſe ex antiquis accepiſſe ait, Cerinthianos baptizari ſolitos nomine eorum e ſuis, qui ſine baptiſmo deceſſerant. Cerinthianos imperante Domitiano primùm extitiſſe, ex Authoribus plurimis accepimus: nihilominus refert Epiphanius, Cerinthum Chriſtianæ Fidei nomen dediſſe eâ ætate, qua Cornelius baptiſmate eſt initiatus [h]. Euſebius verò (i), S. Polycarpus, S. Irenæus [k], Philaſtrius, & S. Hieronymus [l], cùm florerent Apoſtoli, eumdem in vivis egiſſe aſſeverant. Eſto tamen, florente adhuc S. Joanne Evangeliſtâ ſub Domitiano vixerit, noſtram nihilominus tuemur hypotheſim, ſi Cerinthianorum hæreſes diu ante a Nicolaitis, qui omnium ſententiâ ſub Eccleſiæ initium extitere, vulgatas fuiſſe, unà cum (m) Irenæo aſſeramus.

Nec hæreſes iſtæ in obſcuro loco, aut inter paucos ingloriæ jacuerunt; quin potiùs ſeſe latè diffuderant. Etenim Pſeudo Apoſtoli, quos & hæretici, Eccleſiæ Catholicæ inſtar, ſibi conſtituerant, quoſque ſæpiſſimè in ſuis Epiſtolis Paulus arguit, ex Simonianis, ſeu Gnoſticis, vel Cerinthianis erant, qui Provincias peragrantes, eâ Catholicarum rerum pernicie venenum effundebant, ut Paulus e ſuis Diſcipulis aliquos, dirâ labe infectos (n), Reſurrectionis fidem amiſiſſe queratur. Quare ad Corinthios ſcribens, inter quos & hæ hæreſes irrepere cœperant, & pro mortuis baptiſmo nonnulli luſtrabantur, mirum minimè fuerit, ſi eo utatur argumento: *Si mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro illis?*

Hanc, ut diximus, ſententiam vetuſtiſſimi, qui hunc locum explicant, Patres tuentur, Tertullianus [o], Hilarius Diaconus (p), Syriacus Interpres, Arabs, Haimo Alberſtadienſis, Valafridus Strabo (q), S. Anſelmus, ſeu Author Commentarii ſub ejus nomine editus, Petrus Abbas Cluniacenſis, Theophylactus, S. Thomas, Gloſſa ordinaria, Recentiores plures tam ex Catholicis, quàm ex Hæreticis in primam ad Corinthios Epiſtolam, veluti Clarius, Zegerus, Eraſmus, Titelmannus, Godeau, Grotius, Tremellius, Diodatus, Sculterus, Calovius, Danhaverus, Camero, Schligtingius; aliique etiam, ut Bochartus (r), Juſtellus (s), Dallæus (t), Iſaacus Caſaubonus, Joſephus Scaliger, Pelicanus, Muſculus, &c.

Ambroſiaſter (u) ſeu Hilarius Diaconus, Tertullianus, Venerabilis Petrus Abbas Cluniacenſis (x) in ſuâ adversùs Petrobruſianos Epiſtolâ, Joſephus Scaliger editâ in

Comment. Tom. VIII. V 2 hunc

(z) *Tertull. contr. Marcion. l. 5, c. 10; & Chryſoſt. in 1 Cor. hom. 40, p. 450.*

(a) *Tertull. de Reſurrect. Cap. 48.*

(b) *Chryſoſt. hom. 40 in 1 Corinth.* Ἐπειδὰν γάρ τις κατηχούμενος ἀπέλθῃ παρ' αὐτοῖς, τὸν ζῶντα ὑπὸ τὴν κλίνην τοῦ τελευτηκότος κρύψαντες, προσίασι τῷ νεκρῷ, καὶ διαλέγονται, καὶ πυνθάνονται εἰ βούλοιτο λαβεῖν τὸ βάπτισμα; εἶτα ἐκείνου μηδὲν ἀποκριναμένου, ὁ ὑποκεκρυμμένος ἀντ' ἐκείνου, κάτωθέν φησιν, ὅτι δὴ βούλοιτο βαπτισθῆναι, καὶ οὕτω βαπτίζουσιν αὐτὸν ἀντὶ τοῦ ἀπελθόντος.

(c) *Epiphan. hæreſ. 42.*

(d) *Tertull. l. 5 contr. Marcion. cap. 10.*

(e) *Epiphan. hæreſ. 28, c. 6.*

(f) *Polycarpi Epiſt. ad Philippenſ.*

(g) *Epiphan. hæreſ. 28, c. 6.*

(h) *Epiph. ibid.*

(i) *Euſeb. l. 3, c. 18, Hiſt. Eccleſ.*

(k) *Iren. l. 3, c. 3, ex Polycarp.*

(l) *Hieronym. de Viris Illuſtr. cap. 9.*

(m) *Iren. l. 3, c. 11.*

(n) *1 Cor. xv, 12; & 2 Timoth. II 18.*

(o) *Tertull. de Reſurrect. carnis, cap. 48.*

(p) *Ambroſiaſt. in 1 ad Cor. xv, 29.* (q) *Valafrid. Strab. de Ritib. Eccl.* (r) *Boch. Diſſertat. ſingular. t. 2 Geograph. p. 1026.* (s) *Juſtell. not. ad Can. 12 Neocæſar.* (t) *Daill. lib. 1 de Satisfactione.* (u) *Ambroſiaſt. ad 1 Cor. xv, 29: In tantum ſtabilem & ratam vult oſtendere reſurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam ſecuri erant de futurâ reſurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur, ſi quem mors prævenisſet; timentes, ne aut male, aut non reſurgeret qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur; unde & ſubjicit: Quid & baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectione oſtendit.* (x) *Petrus Cluniacenſ. Epiſt. contra Petrobruſianos. Baptizatos tunc temporis quoſdam ajunt, bonâ quidem, ſed non ſanâ voluntate, pro mortuis non baptizatis; æſtimantes baptiſmum, quod viventes non perceperant, ſi pro ipſis vivi baptizarentur, mortuis prodeſſe. Quod Apoſtolus ſic de hoc eorum opere loquens temperat, ut baptiſmum talem non approbet, & baptizatorum voluntatem collaudet.*

hunc locum Diſſertatione, non modò hos hæreticos, ſed & Catholicos quoſdam pro mortuis baptizari ſolitos ſentiunt, quòd Baptiſma eorum ſaluti, qui repente abſque baptiſmo deceſſerant, admodum prodeſſe, piâ ſimplicitate arbitrarentur. Quare Apoſtolus, ait Petrus Venerabilis, rectâ mente eum morem exercentium voluntatem commendat, morem ipſum non probat. Februarii Kalendas huic baptiſmati potiſſimùm deſtinatas refert Tertullianus (y): *Viderit inſtitutio iſta, Kalendæ ſi fortè Februariæ reſpondebunt illi, pro mortuis petere.* Eâ de cauſâ hanc diem ſelectam Joſephus Scaliger opinatur, quòd Chriſtum Dominum eâdem die baptiſmate perfuſum per aliquot annos putaverint. Neque nobis mirum accidere debet, ſub Eccleſiæ initium quadam mentis ſimplicitate, & pietate animi, ad rationis normam non omninò compoſitâ, Fideles aliquos huic ſuperſtitioſo mori adhæſiſſe, cùm temporibus clariori lumine jam perfuſis ipſos interdum mortuos baptizare conſueverint; quam quidem conſuetudinem pluribus in locis Concilia Africana memorant (z), atque omninò interdicunt. Alibi etiam ſolitos vel in mortuorum ore Sacram Euchariſtiam condere, vel ſuper eorum pectora (a) componere Fideles comperimus. Quæ omnia mirificè quidem reſurrectionem probant: eos tamen mores nunquam Eccleſia comprobavit.

II. S. Chryſoſtomus, Oecumenius, Photius, Theophylactus, Harmenopulus (b), Zonaras, & Balſamon [c], Petrus Martyr, Forbeſius [d], Hammondus, aliique Paulum ad eam conſuetudinem alluſiſſe putarunt, qua olim Catechumenus, antequam baptiſmo ablueretur, Fidei profeſſionem enunciabat, ut peccatorum remiſſionem, mortuorumque reſurrectionem ſe credere teſtaretur; veluti hujuſmodi eſſet Apoſtoli ratiocinatio: Ad reſurrectionis futuræ ſpem deſignandam, Fidem profiteri, & aquâ mergi, quid prodeſt, ſi mortui minimè reſurgunt? Nonne hæc theatrica vaniſſima actio foret? Quid ei rei, quæ nunquam eveniet, credere compellimus? Hoc itaque loco *pro mortuis baptizari* idem ſonat, ac *baptizari pro noſtris corporibus mortalibus*, ut futuram eorumdem reſurrectionem ſolemniter profiteamur.

Sed hujus ſententiæ vitio vertitur nimia textûs diſtractio, & maximè omnium implexæ difficultates. Cùm enim verba ſonent: *Ut quid pro mortuis baptizari?* eò torquenda ſunt, ut ſignificent: *Ut quid baptizari pro corpore morti obnoxio, quod reſurrectionis ſpe baptizatur?* Præterea S. Chryſoſtomus re nimiùm incertâ nititur, quòd nempe Pauli ætate ii, qui baptizabantur, expreſsè & ſolemniter remiſſionis peccatorum, & mortuorum reſurrectionis fidem profiteri cogerentur.

III. Idem Chryſoſtomus, Theodoretus, Zonaras, Balſamon, Cajetanus, aliique (e) explicatione non longè aliâ a ſuperiori hunc etiam locum interpretantur; ſentiunt enim nempe *baptizari pro operibus mortuis*, *baptizari pro mortuis*, idem eſſe ac *peccato*: in baptiſmi aquas deſcendere, veluti mortuos in ſepulchrum, ut quadam reſurrectionis ſpecie, quæ poſtremâ judicii die reverâ futuram deſignat, peccati abluti inde egrediantur. Conſueto loquendi more uſurpamus, Deſeri pro mortuo, pro altero haberi, pro deſtituto ſpe vitæ relinqui: quare eâdem prope ratione dici poſſet: *Baptizari pro mortuis*, ſeu, veluti mortuos, mortuorum ſpeciem referentes, & Chriſti Domini mortem & ſepulturam imitatos, cùm baptiſmatis aquis mergimur.

Veremur tamen, ne iſtæ loquendi formulæ, ſermoni noſtro ſatis accommodæ, a Græco nimis abhorreant. Græca præpoſitio *hyper* ut plurimùm ſonat *pro*, ſeu ad alterius utilitatem; quare & apud Evangeliſtas, & apud Paulum Chriſtus *hyper emôn*, pro nobis mortuus ſæpiſſimè memoratur. Ad id autem innuendum, quò hic detorquetur; nempè *baptizari pro mortuis*, veluti ſi mortuus eſſes, eam præpoſitionem uſurpari, nullibi reperimus. His præterea verbis, *baptizari pro mortuis*, nequit aptè ſignificari, baptizari ob peccatum, quod eſt animæ mors, abolendum, ſeu ad opera mortua, peccata nempe, expianda, ſeu ad mortuorum reſurrectionem ſignificandam; ſeu denique ad moriendum homini veteri. Hæ omnes interpretationes ad ſenſum moralem faciunt, non ad literam.

IV. S. Iſidorus Peluſiota (f), & Author Commentarii in Pauli Epiſtolas, quem D. Hieronymo tribuunt [g], Apoſtoli mentem fuiſſe putant, ut mortuorum nomine mortalia noſtra corpora deſignaret, noſque baptiſmate elutos corporibus immortalitatem comparare. Quorſum baptiſmo carnem luſtramus, ſi nunquam reſurget? *Carnem noſtram* Apoſtolus *mortuam appellat, quoniam hac morte anima non moritur.* Hæc tamen *mortuorum* interpretatio ad noſtra mortalia corpora denotanda, obſcura nimis eſt atque detorta, quam Apoſtolus ad Catholicam tanti ponderis veritatem comprobandam non fuiſſet uſurpaturus.

V. S. Epiphanius (h), quem plures ſequuti ſunt [i], hunc Pauli locum ita vertunt: *Quid fiet de his, qui baptizantur imminente morte?* qui nempe dum graviter ægrotant, & omni incolumitatis ſpe deſtituti jam propè mortui decumbunt, reſurrectionem vitamque feliciorem ſperantes, baptiſmate expiantur in lecto? Chriſtiano-

rum

(y) *Adverſ. Marcion. lib. 5, cap. 10.*

(z) Concil. Carthag. cap. 28 *ſeu* 19: *Nec jàm mortuos homines baptizari Presbyterorum ignaviâ.* Et Concil. III, *can. 6: Ut mortuos baptizari poſſe, fratrum infirmitas credat.*

(a) Concil. Carthag. *can.* 18; *&* Concil. *in Trullo, can.* 83; *& l.* 2 *Dialog. S. Greg. Papæ, cap.* 24.

(b) *Harmenopul. de hæreſ. Marcion.*

(c) *Zonaras & Balſamon, ad Can.* 18 *Concil. Carthag.*

(d) *Forbeſ. Inſtitut. Theolog. l.* 13. *c.* 13.

(e) *Primaſ. Sedul. Haymo,* D. *Thom. Lyr. Rigalt. not. in Tertull. Molceneue et Aquic Silef; Cornel. a Lapid. Chamier, tom.* 3, *lib.* 25, *cap.* 19, *n.* 7, *Epiſcopius in hunc locum; Knatchbull.*

(f) *Iſidor. Peluſ. l.* 1, *Epiſt.* 221: Βαπτιζόμεθα ὑπὲρ τῶν νεκρῶν τῇ φύσει σωμάτων, εἰς ἀφθαρσίαν αὐτὰ μετασκευασθῆναι πιστεύοντες.

(g) *Hieronymiaſter in* 1 *Cor.* xv, 29.

(h) *Epiph. hæreſ.* 28, *c.* 6: Καλῶς δὲ ἄλλοι τὸ ῥητὸν ἑρμηνεύοντες, φασὶν, ὅτι οἱ μέλλοντες τελευτᾷν, ἐὰν ὦσι κατηχούμενοι, ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἐλπίδι πρὸ τῆς τελευτῆς λουτροῦ καταξιοῦνται, &c.

(i) *Ita Jacob. Capell. Calvin. Petr. Martyr, Hypeeius. Vide & Eſtium, & Heſſel. in* 1 *Petr.* iv, *& Galen. Catech.* 3; *& Fromond. hic.*

rum plurimos, quos per ludum Clinicos appellabant, in poſtremis vitæ finibus baptizari aliàs conſueviſſe, nemo ignorat. Quamvis Eccleſia hanc baptiſmi conſuetudinem nunquam omnino repulerit, attamen de eorum incuriâ, qui baptiſmum ad mortis anguſtias protrahebant, quodam mœrore affectam ſemper ſe exhibuit, eoſque, qui fortè incolumitati reſtituerentur, a Clero rejiciebat.

Cui ſententiæ adverſatur I, ipſa textûs verſio, quæ dura nimis atque obſcura fuerit, ſi *mortuos* interpretemur *mortem*, & *baptizari pro mortuis* reddatur, *baptizari imminente periculo mortis*. II, Pauli collectio imbecillis ſanè foret, neque reſurrectionis fidem profectò ab incredulis extorqueret; qui enim in extremis baptizabantur, eò tantùm reſpicere poterant, ut æterna ſupplicia evitaturi, peccatis abluerentur, quin de reſurrectione cogitarent.

VI. Ex Hæreticis (*k*) plurimi Apoſtolum cujuſdam veteris Eccleſiæ moris hîc meminiſſe tuentur, quo ſuper Martyrum ſepulchra baptiſmo initiabantur. Græca locutio optimè verti poteſt: *Baptizari ſuper mortuos*, βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ſuper illuſtrium mortuorum ſepulchra, in Chriſti fidelium Cœmeteriis. Cujus tamen baptiſmi conſuetudo, licèt ſecundò, tertio, & quarto ſæculo frequens, ætate Pauli florere planè non poterat. Quæ enim tunc apud Corinthios Martyrum ſepulchra, quæ ſacella, quæve Chriſtifidelibus tantummodò deſtinata cœmeteria?

VII. Heinſius (*l*) hunc locum vertit: *Quid facient, qui mortuorum gratiâ baptizantur*? Etenim ad eam conſuetudinem Apoſtolum alluſiſſe putat, qua alicujus ſeu ex Veteri ſeu ex Novo Teſtamento ſpectatæ ſanctitatis viri nomine in baptiſmate inſigniri ſolebant.

Si verò ea fuiſſet Apoſtoli mens, verſionis duritie & collectionis imbecillitate prætermiſſis, ad reſurrectionem probandam duo neceſſariò poſtularentur. I, Ut ſinguli novo ſemper nomine inſignirentur in baptiſmate, quod vix de infantibus impleri poterat, qui perraro eâ ætate baptiſmo initiari conſueverant. II, Ut ſola defunctorum nomina in baptiſmate tribuerentur. Eo ſanè, quod libitum erat, ſeu Patris, ſeu Avi, ſeu Patrini nomine vocabantur: quam utique conſuetudinem vel dum floreret Chryſoſtomus (*m*) adhibitam, nos etiam in præſentiâ retinemus. Cùm verò baptizarentur adulti, eodem, quo antea, tametſi a Chriſtifidelibus alieno, nomine ſæpiſſimè appellabantur; cujuſmodi erant Diodorus, Ciotrephes, Apollo, Apollodorus, Aphrodiſius, Hermes, Poſidonius, &c. quibus Ethnicorum Idola memorabantur.

VIII. Ludovicus de Dieu ideò viventes *pro mortuis* baptizari putat, quòd reſurrectionem, quam mortui omninò expleendam opperiuntur, baptiſmatis ſuſceptione confirment.

Quæ quidem interpretatio ſubtilis eſt nimiùm & detorta. Qui Deo in cœlis jam perfruuntur, eorum, qui baptizantur, teſtimonio ad reſurrectionem ſperandam nullo modo indigent. Eorum prætere multi qui baptiſmo initiantur, minimè profectò cogitant de reſurrectione iis probandâ, qui non ampliùs lumine fidei, ſed perſpicuo Dei aſpectu eamdem futuram & ſciunt & præſtolantur.

IX. Arias Montanus *Baptiſmum pro mortuis*, ſeu *ad mortuorum reſurrectionem probandam* illum eſſe tuetur, quo abluebantur ii, quos ante baptiſmum Spiritus Sanctus perfuderat, quique deinde baptiſmalibus aquis tantummodò luſtrabantur, ut reſurrectionem futuram, cujus ſymbolum exhibebat baptiſmus, ſe credere publicè profiterentur.

Tamen I neque Cornelius, neque Paulus, neque cæteri ante Baptiſmum Spiritu Sancto perfuſi, ab aquarum ſuſcipiendo baptiſmate exempti ſunt. II, Si ea mens fuiſſet Apoſtolo, clariùs utique pateſeciſſet. III, Pauli collectio infirma nimis eſſet ad reſurrectionem probandam; qui enim ita baptizabantur, alia multa ſibi potuiſſent proponere, quin de reſurrectione probandâ minimum cogitarent.

X. *Pro mortuis baptizari*, ait Joannes Cloppenburgius (*n*), idem ſonat, ac mortuorum, Martyrum præſertim, a quibus Catechumeni fidem hauſerant, memoriâ & obſequio baptizari. Quare ut eorum memoriam colerent, & ſectarentur exempla, baptiſmate perfundebantur.

Quid verò hæc ad futuram mortuorum reſurrectionem argumentis evincendam? Nimiis præterea anguſtiis eorum, qui baptizabantur, mentem circumſcribimus, ſi, ut mortuorum memoriam commendarent, & veſtigiis inhærerent, baptiſmate ſe abluiſſe velimus.

XI. Spanhemius ita hunc locum explicat (*o*): *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis*? Qui nempe ſeu Martyrum, ſeu Chriſtifidelium conſtantiam atque hilaritatem, quam imminente morte reſurrectionem ſperantes exhibebant, admirantes, ut eamdem ſibi felicitatem facerent, ad baptiſmum adducebantur.

Verùm hæc interpretatio Pauli phraſim nimiùm diſtrahit atque detorquet, ſi per eam colligas hunc ſenſum: Quid fiet iis, qui permoti conſtantiâ eorum, qui cum ſpe reſurrectionis moriuntur, ad baptiſmum accedunt?

XII. Harduinus (*p*) fuſiùs rem explicat: *Quid proderit iis, qui mortuorum oc-*

ca-

(k) *Luter. Hammond. Balduin. Meiſner. Hutter. Chemnit. Gerhard. Piſc. Gerard. Joh. Voſſ. diſput. 2 de Reſurrect. Amyrald. in 1 Cor. xv, 29; Glaſſ. Gramm. 3 p. l. 3, c. 14; alii plures.*

(l) *Heinſ. Exercit. ſacr. in hunc loc. 1 Cor. xv.*

(m) *Chryſoſt. Hom. 21 in Geneſ. vi*: Ὡς ἔτυχε, καὶ τυχόντως προσηγορίαις τῶν πάππων, καὶ τῶν ἐπιπάππων, καὶ τῶν πρὸς γένος διαφερόντων, &c.

(n) *Joan. Cloppenbourg. Syntagm. Selectar. diſp.* 6.

(o) *Frideric. Spanhem. Exercit. in 1 Cor. xv, 29, tom. 3, noviſſim. editeon. Operum ejus, ſect.* 5.

(p) *Harduin. de Triplice Baptiſmo, pag. 227, nov. edit. Amſtel.* 1709.

caſione poſtulant & ſuſcipiunt baptiſmum, ſi mortui non reſurgunt? Iis nempe, qui morientium inter Corinthios frequentiam intuiti, ad baptiſma feſtinabant, ne aut eodem infortunio interciperentur, aut morte occupati ante baptiſmum, ab immortalitate & reſurrectione excluderentur; iis, inquam, quid ea proderit ad baptiſmum feſtinatio, ſi mortui non reſurgunt? Sanè igitur alteram vitam poſt reſurrectionem opperiuntur, cùm temporalem mortem baptiſmus minimè avertat.

Harduinus quidem Corinthiorum plurimos, eos potiſſimùm, qui ad Sacramenta indignè accedebant, a Deo morte multatos, ipſius Apoſtoli teſtimonio dilucidè oſtendit (*q*): *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Oſtendit præterea ex pluribus Patrum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ locis, cùm publicè calamitates obruerent, hominum frequentiam ad baptiſmum ſæpiſſimè feſtinaſſe, ſibi conſulentibus ſingulis, ne ſine baptiſmate e vivis egrederentur.

Quæ tamen interpretatio corruit, ſi eâ, de qua Paulus, mortis frequentiâ eos tantummodo, qui indignè ſacra gerebant, laboraſſe animadvertamus: quæ quidem calamitas longè alia eſt ab iis publicis ærumnis, quarum meminere hiſtoriæ, quæque populos feſtinanter ad baptiſmum impellebant. Hac itaque improborum ſolummodò fidelium pœnâ Judæi, Ethnici, & ipſi Catechumeni avertendi potiùs videbantur, quàm ad baptiſmum impellendi: cur enim, quis fortè dixiſſet, ad Sacramenta properemus, quæ tot homines calamitare conficiunt? Satiùs profectò nobis conſultum fuerit, ſi ad poſtremas vitæ anguſtias baptiſmum rejiciamus.

XIII. Beza, poſt quem & alii (*r*), Apoſtolum ad eam conſuetudinem hîc alluſiſſe fert, qua Judæi, qui mortuum tetigiſſent, ſeptem diebus habebantur impuri, & cæremoniis lotionibusque a Lege præſcriptis ablui cogebantur (*s*); quem ritum Eccleſiaſticus *a mortuo baptizari* [*t*] appellat. Hæc verò ablutio reſurrectionis, ut ajunt, ſimbolum cenſebatur. Revera quo alio conſilio hujuſmodi conſuetudo induceretur? Si fortè ad ſenſibilem & corporalem turpitudinem detergendam poſt cadaveris tactum ablui conſueverant, quare ſeptem poſt dies fiebat ablutio?

XIV. Nonnulli (*u*) Apoſtolum veteris moris hîc meminiſſe volunt, quo non Hebræi modò, ſed omnes propè Infideles mortuorum cadavera, priusquam vel ſepulchro vel flammis committerent, abluebant. Quorſum mortuorum corpora detergunt, ſi minimè reſurgunt? Nonne ſatiùs illa horroris & corruptionis argumenta vel humi conderent, vel flammis abſumerent? Honorem ſanè mortuis exhibitum, vel idcircò tribuebant, quòd illi, dum in vivis agerent, meriti fuerint, vel quòd fortè reſurrecturos arbitrarentur. Cadavera apud Veteres ablui, & ſæpè oleo, & a plurimis etiam opobalsamo perfundi ſolita, latè oſtendere prætermittimus: vetuſti & recentiores Hiſtorici conſulantur.

Utraque tamen ex duabus hiſce ſententiis ſatis refellitur; I, quòd dura nimis ſit interpretatio, ſi *baptizari pro mortuis* ſeu *ſuper mortuis* vertatur, *ablui poſt mortui contactum*, ſeu *corpus mortuum detergere*. II, Quòd neque Ethnici, neque Judæi, qui ſeu aquâ, ſeu oleo, ſive opobalsamo perfundebant cadavera, de docendâ reſurrectione minimè cogitarent. Ethnici enim nullam ei fidem præſtabant; Judæi verò ſi in eamdem animum intendebant, quemadmodum Rabbinorum [*x*] nonnullis viſum eſt, hujuſmodi ritus reſurrectionem ſpectaret; hinc tamen colligere non poſſumus, hunc ritum eam tantùm ob rem inſtitutum, & ab Hebræis ad reſurrectionem inſinuandam adhibitum fuiſſe, ii quippe Hebræorum, qui reſurrectioni adverſabantur, & populi, qui eidem fidem minimè habebant, eâdem, qua cæteri, pietate, mortuis abluendis, & ſervandis cadaveribus ſtudebant. III, Quòd imbecille nimis foret Apoſtoli argumentum: dicenti enim, *Quid facient Judæi, qui abluunt mortuos, ſi non reſurgunt?* illicò reſponderi poterat: Quid facient Ethnici, qui eosdem detergunt? An illi Judæorum & Chriſtifidelium exemplo, mortuorum reſurrectionem opperiuntur?

XV. Sebaſtianus Schmidius (*y*), qui huic loco explicando expreſsè operam navavit, eamdem poſt mortui contactum lavandi conſuetudinem ab Apoſtolo ſpectari ſentit; cujus tamen lotionis aliam exhibet cauſam. Cùm, inquit, quorumdam erga mortuos populorum impietatem Moyſes animadvertiſſet, qui cadavera, ſordium inſtar, in ſterquilinium, ſeu in cloacas canibus, vulturibus, aliiſque id genus animalibus pabulum projiciebant; eo obſequio eadem tractari juſſit, ut ab eorum contactu labes referretur, non alia ab eâ, qua ii afficiebantur, qui aliquâ maculâ inquinati res ſacras tetigiſſent: quos idcirco, ſicuti eos qui immunda tetigerant, Lex a Sanctis arcebat.

Tangi autem mortuos, addit Schmidius, Moyſes ideò interdixit, quòd reſurrecturos fide certum teneret; cùm verò quis poſt mortui contactum ſeſe abſtergeret, Deum, tacitè ſaltem, orabat, ne ſibi id vitio tribueret; non enim per contemptum tetigerat cadaver; poſtulabatque, ut quemadmodum legalem ad labem detergendam eluebatur exteriùs, ab occultis etiam ſordibus & a peccatis interiùs expiaretur.

Hæc

(q) 1 *Cor.* XI, 30.

(r) *Ligfoot. Hor. Hebr. in* 1 *Cor.* XV; & *Vaſques*, 3 *p. t.* 2, *q.* 69, *diſp.* 157, *c.* 3, *n.* 48, 51. *C. Bertram. Lucubrat. Francoth. cap.* 18; *Jo. Coccius, in Hebr.* IX, 13, 14; *Franciſ. Burman. Chamier, Panſtratiâ Catholicâ, tom.* 3, *lib.* 16, *c.* 29, *n.* 35. *Alii apud Nebriſſenſem. Spanhem.*

(s) *Num.* XIX, 11.

(t) *Eccli.* XXXIV, 30: Βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκροῦ.

(u) *Paraus*, & *Bullinger. hic.*

(x) *Rabb. Bechai*, & *lib. Zohar*, *citati a Ligfooto, Hor. Hebr. in hunc locum.*

(y) *Sebaſt. Schmid, Diſput. in* 1 *Cor.* XV, 29, *Argentor. an.* 1656.

Hæc verò ſententia iisdem, quibus ſuperiores ferè omnes, difficultatibus obvolvitur. I, Nullo argumento aſſerit, eam Moyſis fuiſſe mentem, ut ab impierate & ſævitiâ, quibus populi quidam mortuos excipiebant, Judæos averteret. Ægyptii, inter quos diu illi vixerant, nimio potiùs cultu mortuos proſequebantur; Patriarchas verò, quorum ſoboles erant Judæi, mortuis ſepeliendis curam omnem & cogitationem impendiſſe conſtat. Imò ipſi Judæi, vel ante Legem, maximum cadaveribus cultum adhibuere. II, Si Moyſes de probandâ reſurrectione cogitabat, quare eâdem lege non modò ab hominis mortui, ſed a beſtiarum etiam contactu labem referri decrevit? An fortè & has immortales & reſurrecturas oſtentabat? III denique etiamſi eumdem, quem Authores nonnulli, huic textui ſenſum tribueremus, adhuc Apoſtoli collectio Judæos quidem, minimè verò Ethnicos convinceret. Paulus autem argumentum ad omnes pertinens exhibere, ſibi propoſuerat. Noſcimus profectò quoſdam [z] Ethnicorum populos, qui labem aliquam a mortui contactu referri ſibi ſuadebant; quare quamdam ad ſe detergendos, Judæorum inſtar, lotionem invexerant, qui nihil tamen de futurâ reſurrectione cogitabant.

XVI. Eſtius (a), aliique ferunt, ſi fortè Judæorum quis alicui maculæ obnoxius, antequam luſtrationis dies abſolveret, migraſſet e vivis, eorum alterum loco illius ſeſe juxta legem abluere conſueviſſe; quem quidem morem idcirco induxerant, quòd eam lotionem mortuo prodeſſe arbitrarentur, & de animæ immortalitate & corporis reſurrectione optimè ſentirent.

Cujus quidem opinionis nullum hactenus argumentum, neque ullum Authoris Judæi textum agnovimus. Eſto tamen, fautoribus minimè deſtituta fuerit. Judæos tantummodo, quorum plerique reſurrectionem minimè negabant, Apoſtolus convinceret; Corinthios verò, Fidei nuper adſcriptos, quorum plurimi ab idololatriâ ad Eccleſiæ ſacra tranſierant, nullâ vi urgeret.

(z) *Vide Priorium not. in lib. v Tertull. cont. Marcion. alios.*

(a) *Eſtius hic, & Quidam apud Hugon. Cardinal. Vide & Salmer. & Juſtinian. & Tarrian. lib. 4, pro Epiſt. Pont. c. 14.*

XVII. Dionyſius Carthuſianus, Catharinus, Gagnæus, Cardinalis Hugo, Turrianus, Stapletonius, Becanus, Bellarminus, aliique (b) metaphoricè hunc locum explicant, baptiſmi nomine ærumnas, afflictationes, crucem, & martyrium interpretantes. Quo quidem ſenſu & Dominus interdum hanc phraſim adhibuit: *Poteſtis baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari* [c]? Poteſtis nempe calamitatum fluctibus, uti ego, obrui, & dolorum ac lacrymarum undis mergi? Quid proderit pro mortuis vos baptizari, ſi mortui non reſurgunt? Cui bono eleemoſynis, jejuniis, lacrymis, precibus, spontaneiſque afflictationibus animas, quæ in Purgatorio torquentur, juvare nitimini, ſi mortui nunquam reviviſcant?

Quidquid de Purgatorio docet Catholica Eccleſia, noſtraſque preces ad mortuorum utilitatem conferre, & certò ſcimus, & religioſiſſimè profitemur. Hujus verò loci eam eſſe, quam modò retulimus, veram interpretationem minimè credimus. I, Conveniunt omnes, ad metaphoricam explicationem tunc eſſe tantummodò confugiendum, cùm literali & obvio ſenſu deſtituimur, ſeu quid a fide alienum offendimus: quæ omnia hìc longiſſimè abſunt. II, Verbum *baptizari*, ſeu baptiſmum ſuſcipere, in Scripturâ ſpontaneas afflictationes, ſeu pœnitentiæ opera nunquam ſonat.

(b) *Vallemburgenſ. Fratres de unitate Eccleſ. l. 13, c. de Purg. n. 84; Tirin. Juſtinian. Salmeron, Sa, Henriquez, Tanner, Bail, Fevardent. Coſter. & alii. Vide Henric. Maller. Diſſert. in hunc loc. pag. 16.*

(c) *Marc. 2, 38.*

XVIII. Maldonatus [d], Guillaudus (e), Gagnæus, Bencius (f), Tilenus, Tarnovius, Ligſoorus, Sclaterus, Vorſtius eumdem Apoſtoli locum ita interpretantur: *Quid fiet iis, qui proprio ſanguine*, nempe per Martyrium, *baptizantur, ad reſurrectionis fidem tuendam, ſeu in fide reſurrectionis*, ſi mortui non reſurgunt? Vana utique eorum tolerantia, & ſpes inanis.

XIX. Alexander Morus ita lêgit (g): *Quid facient qui baptizantur pro mortuo?* nempe pro Jeſu Chriſto, ſi Chriſtus non reſurrexit, & ſi mortui non reſurgunt? Si enim mortui non reviviſcunt, neque Chriſtus reſurrexiſſe dicendus eſt. Licet autem in Græco *pro mortuis* legatur, ibi tamen pluralem pro ſingulari numero poſitum volunt.

XX. Anna Maria Schurman [h], ſingulari eruditionis famâ celeberrima, hanc in quadam Epiſtolâ explanationem affert: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* qui videlicet plurima quotidie ſuſtinent *pro mortuis*, nempe pro Fidelibus, qui quodammodo jam mortui reputantur, ſi nulla eos manet reſurrectio? Eo ſanè Eccleſiæ naſcentis exordio Chriſtifidelium vita nonne mortem referebat? Quam verò de calamitatibus voluptatem illi percepiſſent, niſi de immortalitate & reſurrectione ſperarent?

(d) *Maldonat. in Matth. xx, 22; & Luc. XII, 50.*

(e) *Guillaud, Doctor Pariſ. in hunc locum.*

(f) *Gagna. & Benc. in hunc locum.*

(g) *Rivet. & Alex. Morus in hunc loc.*

(h) *Anna Maria Schurman, Epiſt. Rripenſorâ ad Jacob. Lydium.*

Duobus abſurdis hæ tres ſententiæ laborant. I, A literali & obvio Pauli ſenſu longè recedunt, cùm Baptiſmum interpretentur ærumnas, & abſque neceſſitate ad metaphoricam & ſymbolicam explanationem confugiant. II, Hanc vocem *mortui* novâ quadam interpretatione exponunt; nempe ad *ſpem reſurrectionis mortuorum*, ſeu *Chriſtum Dominum*, ſeu *Chriſti Fideles morti expoſitos* detorquent. Quæ mens ſi fuiſſet Apoſtolo, is profectò reconditas adeò ac prorsùs obſcuras phraſes non adhibuiſſet.

XXI.

Digitized by Google

XXI. Franciſcus Junius, & alii (*i*), Apoſtoli collectionem ita exhibent: Si mortuorum reſurrectio nulla, cur in dies ultro occurrimus ærumnarum, calamitatum, perſecutionum, & martyrii baptiſmo pro mortuis (*k*)? pro Chriſtifidelibus nempe, qui e vivis migrarunt? cur in tuendâ eorum fide plurimùm laboramus? Cur tam incertâ atque inani ſpe ducti periculis omnibus objicimur?

Hæc quoque ſententia Baptiſmnm metaphoricè interpretatur. Videantur, quæ in articulos 18, 19, 20, paulò ante diſſeruimus.

XXII. Clericus [*l*], qui *pro mortuis baptizabantur*, eos fuiſſe cenſet, qui quotidie Eccleſiæ accedentes, baptiſmate expiabantur, ut Fidelibus, qui in dies decedebant, ſufficerentur. In hujus Epiſtolæ capite xv, ubi legitur ſententia Apoſtoli, quam hac Diſſertatione verſamus, eorum ſingulos, qui Eccleſiæ addicebantur, de reſnrrectione ambiguos non fuiſſe, Paulus oſtendit; cùm enim eos, qui decedebant, miſerrimè, quantum ad mundi opinionem, occubuiſſe cernerent, ad baptiſmum nihilominus accedebant, ut mortuis ſuccedentes, eâdem inſelici vitâ viverent, & miſerrimâ morte interirent. Quare Apoſtolus reſurrectionem directè probandam hic non aſſumit, ſed tantùm eam eſſe totius Eccleſiæ, omniumque Chriſtifidelium fidem oſtendit, ut, eâdem deſtituti, omnium infeliciſſimi reputati potuerint [*m*].

Cum hac interpretatione, omnium, quas retulimus, ingenioſiſſimâ, poteſt Græca phraſis [*n*] conſtare, quamvis ejus ſyntaxis a conſueto diſcedat, neque ſimilem hactenus in Novo Teſtamento noverimus. Id tamen illi adverſatur, quòd Pauli collectionem ita detorquet, ut a communi totius Eccleſiæ conſuetudine argumentum ſuum Apoſtolus repetere cogatur; cùm potiùs ex peculiari quorumdam more, apud Fideles communiter non obtinente, deducat. Si enim Chriſtifidelium ſinguli cum Reſurrectionis Fide, ut præſertur, ad baptiſmum accedebant, Pauli collectio minimè concludit: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Dicendum erat: *Quid vos*, ſive, *quid nos omnes & ſinguli baptiſmum ſuſcipimus pro mortuis*, ut iis Chriſtifidelibus, qui deceſſerunt, ſuccedamus?

XXIII. Putat Brochmandus (*o*), Apoſtolum per ea verba: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* idem ſcripſiſſe ad Corinthios, quod & ad Theſſalonicenſes: *Nolumus vos .... ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent* (*p*). Nimiam, ait Brochmandus, de cognatorum morte triſtitiam, Baptiſmum Paulus appellat, ita colligens: Quid dicemus iis, qui propter cognatorum interitum prorſus conſolationem reſpuunt, ſi mortui non reſurgunt? Qua ratione oppreſſos mœrore animos erigemus, ſi nulla poſt obitum felicitas? nulla poſt mortem reſurrectio?

Si vox *baptizare* ſine addito interdum in Scripturâ doloris & lacrymarum baptiſmum ſonaret, fortè huic interpretationi ſubſcribi poſſet: verùm eo ſenſu nunquam adhibitam invenimus; vel ſi invenimus, alterâ voce, ſeu phraſi adjunctâ ad metaphoricam ſignificationem deflectitur. Hæc præterea explanationis diſtractio Pauli argumentum ſaltem infirmat; cùm enim ſcripſerit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* dicere debuit: *Quid faciemus*, ſeu, quid dicemus iis, qui nimio mœrore ob cognatorum mortem tenentur?

XXIV. Henricus Mullerus, qui hac de re Diſſertationem anno 1656 Roſtochii vulgavit, poſtquam decem & ſeptem diverſas in hunc locum ſententias recenſuit, perpendit, & improbavit, ſuam denique ſic proponit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* videlicet, pro mortuorum defenſione, pro fulciendâ reſurrectione, quam ſperantes occubuerant? Ita ergo concludit Apoſtolus: Si nullam reſurrectioni fidem habetis, cur baptiſmi ſuſceptione eorum ſententiam tuemini, qui reſurrectionis fidem confirmarunt? baptiſmum enim & vos idcirco ſuſcipitis, ut reſurrectionem, quam mortui ſperaverunt, vobis promereamini.

Hæc explanatio ad ſententias Ludovici de Dieu, & Cloppenburgi, numero VIII & X relatas, ſatis accedit. Nimis autem Apoſtoli phraſis detorqueatur oportet, ut ejus ſententia cum horum mente cohæreat. Eteulm *baptizari pro mortuis*, vel, ſi lubet, *pro defenſione mortuorum*, minimè ſonat, ob reſurrectionis promiſſionem ac ſpem tuendas baptizari. Hæc præterea ſententia Pauli argumentum infringit, atque infirmat: *Quid facient, qui baptizantur pro fulciendâ fide, quam mortui de reſurrectione habuerunt?* Hoc non ſatis urget.

Poſtquam diu immorati ſumus in variis plurimorum ſententiis recenſendis, quarum aliæ a veritate deficiunt, quòd impropriè, myſticè, & violenter Baptiſmi nomen uſurpent; aliæ verò, quòd vocem *mortui* vi adhuc majore detorqueant; aliæ pariter, quòd ambiguis factis rebuſque quàm maximè implexis innitantur; quædam denique, quòd textum Græcum aliter quàm Græcus ſermo patitur, interpretentur; noſtram pandimus, & Tertulliani atque Hilarii Diaconi ſententiam, cui celeberrimi ætatis noſtræ Critici ſubſcribunt, veriorem, firmioribuſque innixam argumentis arbitramur.

(i) *Franciſ. Junii. in Bellarmin. Cont. 6, de Purgat.*

(k) *Rambourt. Profeſſ. Sedan. apud Boch. Diſſert. in hunc locum, pag. 1028; Tarnov. Exercit. Bibl. pag. 649; Tillen. par. 2, diſp. 65, apud Henric. Mull. Diſſer. ſingul. in hunc loc.*

(l) *Cleric. Not. in Hammond. & in hunc loc.*

(m) *1 Cor. xv, 16.*

(n) *1 Cor. xv, 29: Βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν. Dionyſ. Halicarn. lib. 8, pag. 555: Ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων ἐν τῷ πρὸς Ἀντιάτας πολέμῳ στρατιωτῶν ἠξίουν ἑτέρους καταγράφειν: Viſum eſt novos conſcribere milites pro iis, qui in bello Antiatico interierant.*

(o) *Brochmand. P. III Syſtem. Theol. art. de mort. cap. 2; apud Henric. Muller. Diſſert. in hunc loc. Huic ſubſcribit Joh. Tobias Major, orat. pro defunct. contr. Got. c. 2.*

(p) *1 Theſſal. iv, 13.*

Primò

Primò enim favet huic perſpicuitas Textûs, qui ab omnibus, quemadmodum a nobis, ab unoquoque ſtatim legente uſurpatur: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* gratiâ nempe, ſeu mortuorum beneficio, ad peccatorum veniam mortuis comparandam? Si nihil in eâ interpretatione abſonum ſuſpicati fuiſſent Scriptores, omnes planè victas illi manus dediſſent. Cùm de Interpretationibus agitur, ea quæ primùm Lectoribus occurrit, ſi generatim loquamur, cæteris anteferenda eſt, præſertim cùm argumentis aliis ad eam improbandam non adigamur.

II. Totam argumenti vim hæc explanatio tuetur, ſive cum Tertulliano, Hilario Diacono, Petro Venerabili, Scaligero, aliiſque plurimis, Chriſtianos etiam, licèt non ſine vitio, pro mortuis baptizari crebrò conſueviſſe velimus; ſive eam conſuetudinem ab Hæreticis Reſurrectioni infenſis tantummodo ſervatam arbitremur, quos Apoſtolus argumento *ad hominem* ſic impugnet: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* Quonam modo hoc viventium baptiſma mortuis proſit, ſi mortui de reſurrectione omnino deſperent? Si per hujuſmodi baptiſmum gratiam vivus ſuſciperet, eamdem ne in mortuum referre valeret? Qua itaque mente hæc induci potuit baptiſmi conſuetudo, niſi ut reſurrectionis ſpes ſignificaretur, & a Domino id impetraretur, ut quemadmodum viventia corpora per baptiſmum renaſcuntur, & quodammodo reviviſcunt, ita qui deceſſerunt, aliquando reſurgant?

III. Illud, quod hujus interpretationis fundamentum eſt, ſupra ſatis ſuperque probavimus; Hæreticorum enim pleroſque, qui Pauli ætate in vivis agebant, fuiſſe reſurrectioni infenſos, & eorum quoſdam pro mortuis baptizari conſuetos, oſtendimus. Quam baptiſmi conſuetudinem & apud Fideles obtinuiſſe, minimè probari poſſe ultrò admitto; Veteres tamen & Recentiores, quos attulimus, id eveniſſe minimè improbant; quod ſanè facilius credere eſt, quàm illud de Africæ Fidelibus, quos quarto adhuc ſæculo ipſos mortuos baptiſmo abluere conſueviſſe legimus.

IV. Abſurda, quibus hæc interpretatio notatur, quæque Eruditos ab eâ avertunt, difficultatem ſpecie tantùm præſerunt, &, ſi ſeriò perpendantur, vim omnem amittunt. Apoſtolus, ajunt, baptiſmi pro mortuis conſuetudinem probare videretur; non enim credendus eſt inde futuræ reſurrectionis argumentum ducere, ubi pravitatem & ſuperſtitionem agnoverit. Deinde vel Fidelibus, ſi verè apud eorum aliquos mos ille invaluerat, ad eumdem retinendum animos addidiſſet, vel Hæreticorum conſuetudini faveret, qui reſurrectionum negantes, eodem baptiſmate expiabantur. Præterea neque Hæreticos reſurrectioni infenſos, neque Chriſtifideles eamdem profitentes, neque baptiſmum pro mortuis ſuſcipientes, neque illum non exercentes, Pauli collectio convinceret.

Cerinthiani & Marcionitæ, qui baptiſmate pro mortuis eluebantur, Apoſtolo ſic concludenti, *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non reſurgunt, utquid & baptizantur pro illis?* reſponderent: Baptiſma, quo abluimur, idcirco mortuis prodeſt, quòd eiſdem peccatorum veniam conſequatur, quæ vera eſt reſurrectio, quemadmodum a Chriſto appellatur, cujus in tuis Epiſtolis ſæpè ipſemet meminiſti, cùm Baptiſmi dignitatem extolleres, atque eumdem cum Servatoris reſurrectione conferres. An Deus, cujus curæ eſt omnium hominum incolumitas, ſalutis remedia non paraverit iis, qui abſque baptiſmo ex hac vitâ præcipiti morte deceſſere? Quid porrò eorum ſaluti opportunius, quàm quòd inſtitui voluerit, ut eorum beneficio regenerationis Sacramentum ſuſciperetur?

Neque majore vi Chriſtifideles, quibus fortè reſurrectio in dubium incertumque veniſſet, Apoſtoli argumentum urgeret; reſponderent enim: Quidquid ſeu Hæretici, ſeu aliqui ex Fidelibus ſimplicioribus egerint, ad nos nihil pertinet. Ex te ipſo unam eſſe Eccleſiam, unumque Baptiſma didicimus: aliâ igitur, ut nos convincas, tibi viâ incedendum eſt. Etenim quæ ſunt Fidei Catholicæ, per abſurdos mores minimè comprobantur: aliter nihil prohiberet, quin aliquibus Eccleſiæ dogmatibus Fidem præſtitiſſe Ethnici dicerentur, ſi ex plurimis ſuperſtitioſis, quibus inhærent, ritibus eorum fides colligi valeret. Ex Hæreticorum denique pro mortuis baptiſmo neque rectè omnino, neque propriè reſurrectio concluditur, quamvis eorum opinio de animæ immortalitate ritè colligitur. Immortalitatem verò animæ a corporis reſurrectione longè aliam eſſe quis ignorat?

His omnibus reponimus, Paulum neque Hæreticorum, neque eorum Fidelium, qui ſimplicitate nimiâ pro mortuis baptizarentur, morem ſuo argumento comprobaſſe, ſed adversùs eoſdem *ad hominem*, ut diximus, ratiocinatum eſſe. Probos Chriſtifideles, & lumine Fidei optimè inſtructos, minimè hic Paulus alloquitur; illi enim neque reſurrectioni adverſabantur, neque in eorum, qui pro mortuis baptizabantur, conſuetudinem iverunt. Sed adversùs Hæreticos, & rudes ac ſuperſtitioſos Fideles validiſſimè probat, ab ipsâ eorum conſuetudine argumentum optimè duci, quo ſibi

de reſurrectione perſuadeant. Utique enim inanem prorſus de mortuis curam aſſumerent, ſi ad vitam illi nunquam revocarentur, vel hinc ablati alibi non viverent. Quòd ſi in alterâ vitâ exiſtunt, & anima immortalitate donatur, faciliè ſatis hominum reſurrectio concluditur. Alienum quippe ab juſtitiâ foret, corpus, ſi quod velutì pars operam ſuam vel bene vel male geſtis contulit, aut pœnâ non afficeretur aut præmio. Deus verò, ſi animæ tantummodò vel pœnam redderet vel præmium, alterius tantùm partis aut innocentiam aut pravitatem metiretur. Opus igitur eſt, ut corpus, bene vel male geſtorum comes, pœnam quoque vel præmium ferat. Ita Hæreticos ſuo illo pro mortuis baptiſmate, ex obliquo ſaltem, ad reſurrectionis futuræ fidem Apoſtolus adigit.

Digitized by Google

COMMENTARIUS LITERALIS IN *EPISTOLAM PRIMAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM.

Gratias Deo agit Apoſtolus de collatis ab illo in Corinthios donis. Ut ſchiſmata evitent, hortatur. Carnis ſapientia damnatur Jeſu Chriſti Cruce, quæ Judæis ſcandalum eſt, Gentibus verò ſtultitia. Rudibus utitur Deus, ut ſapientes confundat.

℣. 1. PAulus vocatus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater,

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS VOCATUS APOSTOLUS JESU CHRISTI; id eſt per vocationem Dei (a). Paulus omnium primus Chriſti fidem Corinthiis nunciaverat, apud quos diu egerat, ut converſos erudiret confirmaretque. Sed eo demum diſcedente, Fideles Corinthii occaſione novorum quorumdam Doctorum, qui eò venerant, contraria in ſtudia parteſque abierunt. Igitur Apoſtolos authoritatem, qua tunc opus habebat, ad tollenda vitia ſibi conciliaturus, continuò ſe dicit *Apoſtolum Jeſu Chriſti per vocationem & voluntatem Dei*. Licèt ego in cenſum duodecim illorum, quos Jeſus Chriſtus inter mortales agens elegit, adlectus non fuerim; nihil tamen illis concedo, cùm delectu & voluntate Dei Apoſtolus conſtitutus ſim. Ac tametſi aliqui refragari velint huic meæ dignitati & muneri, vobis id certè non licet, quos ego peperi Evangelio (b): *Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum; nam ſignaculum Apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino.*

ET SOSTHENES FRATER. Notus eſt *Soſthenes* Princeps Synagogæ Corinthi, cæſus coram Gallione Achaiæ Proconſule (c). Conſtat autem, ſub idem fermè tempus Apoſtolo diem fuiſſe dictam apud Gallionem; ſed non ſatis compertum eſt, utrùm Soſthenes pro Fide Chriſti ſupplicium illud tulerit. S. Chryſoſtomus (d) a Judæis cæſum putat, quòd Chriſti fidem profiteretur (e). Euſebio (f) placet, Soſthenem inter ſeptuaginta Diſcipulos nomen dediſſe; quod tamen cum dignitate Principis Synagogæ Corinthi conſtare nequaquam poteſt. Probata magis opinio docet, Soſthenem fidei causâ cæſum fuiſſe Corinthi, ejuſque nomen ceu viri apud Corinthios notiſſimi & ampliſſimi, a Paulo hic ſcribi, ſive honoris causâ, ſive quò majorem epiſtolæ authoritatem adſciſceret. Sunt qui (g) credant, Epiſtolam hanc, dictante Apoſtolo, ſcriptis exceptam a Soſthene fuiſſe. Apud Græcos VI Idus Decembris colitur, ejuſque nomen recenſetur ante multos e ſeptuaginta Diſcipulis, quorum memoria eâ die celebratur. Eſt autem illis primus Colophonis Epiſcopus. In Latinorum Martyrologiis IV Kal. Decembris relatus eſt: Soſthenes, Pauli

(a) Κλητὸς Ἀπόστολος, *Vocatione Apoſtolus, vel, vocatitius Apoſtolus. Eſt. Pagn. alii. Deeſt vox κλητὸς in Mſſ. Alexand. Clarom. G. L. & S. Germ. G. L.*
(b) 1 *Cor.* IX, 2.
(c) *Act.* XVIII, 12. . . . 26.
(d) *Chryſoſt. homil.* 39 *in Acta, pag.* 342.
(e) *Vide Aug. Ep.* 93, *n.* 7, *nov. edit. Beda, Grot.* Tillemont, note 33 ſur S. Paul.
(f) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 1, *c.* 12.
(g) *Eſtius.*

℣. 2. Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro.

℣. 3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

℣. 4. Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu:

℣. 5. Quòd in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientiâ:

℣. 6. Sicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis.

℣. 7. Ita ut nihil vobis deſit in ullâ gratiâ, expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

℣. 8. Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine, in die adventûs Domini noſtri Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

ſeu Apoſtolorum Diſcipulus.

℣. 2. ECCLESIÆ DEI .... SANCTIFICATIS IN CHRISTO, VOCATIS SANCTIS; ideſt, Fidelibus, quos vocatio Sanctos effecit, vel qui per vocationem Dei Sancti effecti ſunt; qui Chriſtianam Religionem, quæ ſancta eſt, ſectantur; vel demum qui ad morum ſanctimoniam & perfectionem invitantur (h).

QUI INVOCANT NOMEN DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IN OMNI LOCO IPSORUM, ET NOSTRO. Græcus (i) Latinusque textus ita digerendi ſunt: *Qui in omni loco invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti (qui eſt Dominus) ipſorum & noſter.* Qui invocant nomen Domini Jeſu Chriſti, ii ſunt in hac Apoſtoli ſententiâ, qui ejus Religionem profeſſi, Deum ſibi illum & Dominum agnoſcunt (k); qui Servorum & Diſcipulorum Jeſu Chriſti nomine diſtinguuntur.

℣. 3. GRATIA VOBIS ET PAX. Divinum lumen ſuum vobis affundat, gratiam & benedictionem largiatur; ineatis gratiam apud Deum, ejusque beneficentiæ ac largitatis argumenta accipiatis ampliſſima. Conferat vobis ſpiritum pacis & mutui amoris, per quem omnia a vobis diſſidia auferantur. Tunc equidem Corinthii in partes ſcindebantur; quibus componendis, hujus Epiſtolæ ſcribendæ conſilium potiſſimùm Apoſtolus cepit.

℣. 4. IN GRATIA DEI QUÆ DATA EST VOBIS. Gratias ago Deo ob vocationem ad Fidem Chriſtianam, ac cætera Divinæ munificentiæ dona, quibus cumulati eſtis; ob ſcientiam, patrandorum miraculorum poteſtatem, munus linguarum & prophetiæ, &c. (l). Quid ſint iſthæc dona, oſtendit infra, ℣. 5.

℣. 5. IN OMNI VERBO, ET IN OMNI SCIENTIA. Verbi nomine non diſertè loquendi ſolummodo facultatem uſurpat, ſed & variarum linguarum ſcientiam, cum prophetiâ & Scripturarum interpretatione. Scientia verò hîc complectitur Religionis Myſteria, Scripturarum peritiam, & ſcientias reliquas, quæ ad Religionem & ſalutem conferunt. Eo pariter nomine Corinthiis gratulatur Clemens I Papa, quòd ſcientiâ abundent (m): *Quis ad vos peregrè veniens, perfectam veſtram tutamque ſcientiam non commendavit?*

℣. 6. SICUT TESTIMONIUM CHRISTI CONFIRMATUM EST IN VOBIS; teſtimonium ſcilicet, quod vobis redditum eſt de Jeſu Chriſto (n). Nonnullam vobis Evangelii veritatem aſſeruerunt dona illa ſuperioris largitatis, quæ in vos congeſta ſunt. Cœleſtia hæc dona prædicationis meæ veritatem magis magisque confirmarunt; certoque hoc argumento demonſtratum eſt, genuinos vos eſſe Jeſu Chriſti Diſcipulos. S. Clemens ſupra laudatus plenam S. Spiritûs effuſionem accepiſſe Corinthios agnoſcit (o).

℣. 7. NIHIL VOBIS DESIT IN ULLA GRATIA, EXPECTANTIBUS, &c. Admiſſo Evangelio, omnis continuò cœleſtium bonorum copia in vos redundavit; ſed cavete, ne veſtra culpâ uberrimo tot gratiarum fructu privemini. Pavores ac trepidi opperimini diem illum terribilem, quo Filius Dei redibit (p); ſanctum mutui amoris fœdus ſervetis hortor, ne fortè contingat, ut quæ vobis locupletandis collata ſunt, in exitium veſtrum damnationemque vertantur.

℣. 8. SINE CRIMINE IN DIE ADVENTUS DOMINI. Quæ veſtri causâ timui mala, minimè eventura confido, largiturumque Deum vobis ſpero donum perſeverantiæ, quo cætera illius dona perficiuntur; atque effecturum, ut ab omni crimine puri, ad diem illam tremendi Judicii perveniatis. Non tamen ab omni crimine excuſare Corinthios vult Apoſtolus; non unam enim ob rem in conſequentibus arguit; ſed ne animis deſpondeant, profitetur, de eorum converſione ſe minimè deſperare, ac planè confidere, ipſos felicem exi-

(h) *Eraſm. Eſt. Juſtinian.*

(i) Σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν. *Id eſt, ex Photio apud Oecumen.* Κοινοῦ ἁπάντων Κυρίου, καὶ οὐ μόνον ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἁπανταχοῦ. *Ita Chryſoſt. Theodoret. alii.*

(k) *Vide Act.* II, 54, 21; XXII, 56; 2 *Timot.* II, 22, *&c.*

(l) *Theodoret. Hieronym. Primaſ. Juſtinian. alii.*

(m) *Clem. Rom. Ep.* 1 *ad Corinth.* Τίς παρεπιδημήσας πρὸς ὑμᾶς, τὴν τελείαν ὑμῶν, καὶ ἀσφαλῆ γνῶσιν οὐκ ἐμακάρισεν;

(n) Τὸ μαρτύριον τοῦ Χριστοῦ. Τουτέστι τὸ κήρυγμα. *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Ita alii paſſim.*

(o) *Clem.* 1 *Ep. ad Corinth.* Πλήρης πνεύματος ἁγίου ἔκχυσις ἐπὶ πάντας ἐγίνετο.

(p) *Theodoret. Juſtin. Eſt. alii.*

℣. 9. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.

℣. 10. Obſecro autem vos, fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipsum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eâdem ſententiâ.

℣. 11. Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui ſunt Chloës, quia contentiones ſunt inter vos.

℣. 12. Hoc autem dico, quòd unusquisque veſtrûm dicit: Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo: ego verò Cephæ; ego autem Chriſti.

℣. 13. Diviſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?

COMMENTARIUS.

exitum habituros.

℣. 9. FIDELIS DEUS. In Deo fiduciam meam collocavi, de illius fidelitate confidens qui vos ad fidem vocavit. Suos ille non deſeret, nec pollicitationum, quibus ſeſe vobis obſtrinxit, fidem fallet (q). Gratiâ ſuâ vos fulciet, nec patietur ut in peccatum proruatis, veſtraque maximè neceſſaria deſeratis officia. Ita planè Apoſtolus more ſapientis Medici animos illorum præparat, ut quam exhibiturus eſt, medicinam aptè recipiant.

℣. 10. UT IDIPSUM DICATIS OMNES. Omnes idipſum dicere, eſt, idipſum ſentire omnes: alterum enim ex altero ſequitur (r). Ex Corinthiis quidam ſe Paulum ſectari, alii Cepham, alii demum Apollo profitebantur. Hunc loquendi diſſidium tollit, unde animorum diſcordia naſcitur. Una ſit omnium vox & ſententia: Chriſti ſumus omnes; Chriſto omnes adhæremus.

℣. 11. AB IIS QUI SUNT CHLOES. Id erat nominis Chriſtianæ cuidam fœminæ Corinthiæ, cujus filii vel domeſtici admonuerant Apoſtolum, Epheſi tunc agentem, de gliſcentibus inter Fideles Corinthios diſſidiis. Facilè credimus, domeſticos Chloës literas ad Paulum miſiſſe (s) per Stephanam, Fortunatum, & Achaicum, qui Epheſum ad Paulum inviſendum perrexerunt (t). Nec prætereundum, ſileri hic ab Apoſtolo nomina eorum, a quibus per literas iſta didicerat, ne Corinthiorum invidiæ illos exponeret.

℣. 12. EGO QUIDEM SUM PAULI, &c. Ex Patribus non pauci (u) arbitrati ſunt, Apoſtolum nomen hic ſuum, ſicut & Cephæ & Apollo, exempli tantummodo gratiâ exhibuiſſe; neque Corinthiorum diſſidium causâ horum dumtaxat natum fuiſſe; ſed potiùs ob varios, quos ſibi elegerant, Doctores, quorum alii hunc, alii illum ſectabantur. Atque ita in Eccleſiam mos ille invehebatur, qui Athenis cæteriſque in Græciæ urbibus obtinebat, ut ſingulis peculiarem Philoſophorum ſectam amplectentibus, alius ſe Platonis diceret, alius Ariſtotelis, hic Zenonis, Epicuri alter. Hujus opinionis argumentum præcipuum ducitur ex iis, quæ infra IV, 6, leguntur: *Hæc autem transfiguravi in me & Apollo propter vos.*

Aliis verò (x) perſuaſum eſt, Corinthios diſſidium reverâ agitaſſe causâ Pauli, Petri & Apollo, quorum alter poſt alterum Fidem apud illos nunciaverat: cenſent autem, ſapientiſſimos eorum Fidelium, continentes ſeſe, ne in partes ſecederent, Diſcipulos ſe Jeſu Chriſti profeſſos. Huic ſententiæ ſeries ipſa orationis favet. Putat S. Hieronymus (y), diſſidium hoc ſui causâ natum moleſtè adeò tuliſſe Apollo, ut ideò ſeceſſerit in Cretam cum Zena Legisperito, altero Evangelii miniſtro; tum ablatis per literas Pauli diſſidiis, eò rediiſſe, ibique fuiſſe Epiſcopum.

De Apollo fuſiùs in Actis (z) diſſeruimus. Theodoretus apud Oecumenium tradit, primum Corinthiorum Epiſcopum renunciatum fuiſſe. Suſpicari ex hoc textu licet, Apoſtolum Corinthi fidem nunciaſſe, vel ſaltem Diſcipulorum ſuorum nonnullos eò prædicandi gratiâ miſiſſe. Abſurdè Corinthios ratiocinari, expendit Theodoretus, quippe qui nomen Pauli, Cephæ, & Apollo cum Jeſu Chriſto ineptè miſcuerint. Poſtremos hoſce cenſent nonnulli ex iis fuiſſe (a), qui Jeſum Chriſtum in Judæâ prædicantem viderant & audiverant; quo nomine gloriantes, Apoſtolorum nulli ceu Magiſtro ſubdebantur. Ligfooto ſunt homines, qui uno tantùm baptiſmate Joannis initiati, Meſſiam quidem credebant, ſed an Jeſus ipſe eſſet Chriſtus, non ſatis exploratum habebant. Sed multo æquiùs æſtimandum eſt, Apoſtolum deſignare his verbis Corinthiorum Fidelium maximè cordatos, qui nulli ſe parti addicentes, unum ſe Jeſum Chriſtum Magiſtrum habere profitebantur.

℣. 13. DIVISUS EST CHRISTUS? An in ſectas Chriſtiani ſcinduntur? Plures ne ſunt Chriſti? alter quidem Petri, Pauli alter, alius Apollo? Seu, Diverſa nos Evangelia nunciamus? Nonne unicus eſt Chriſtus; una & individua doctrina, Eccleſia, Religio? Ablatâ interrogationis notâ, ita legi Textus poteſt (b): Ita *diviſus eſt Chriſtus*, diſſidii, factionum & concertationum veſtrarum causâ. Sed prior interpretatio maximè omnium probatur.

NUMQUID PAULUS CRUCIFIXUS EST PRO VOBIS? Vitam pro amico dare, in hominis poteſtate eſt: poterat & Paulus pro Corinthiis neci ſe

(q) *Eſt. Menoch. Tirin. Juſtin. alii.*

(r) *Eraſm. Eſt.*

(s) I *Cor.* XVI, 15, 17. (t) *Chryſoſt. Theodoret. hic, alii.* (u) *Chryſoſt. Theodoret. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. alii.* (x) *Eſt. Grot. Ita & Clemen. Rom. Epiſt. ad Corint.* Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου . . . ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ αὐτοῦ τε, καὶ Κηφᾶ, καὶ Ἀπολλώ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι. *Vide Auguſt. de Baptiſmo, cap. 5.*

(y) *Hieronym. in Epiſt. ad Tit. cap.* III. (z) *Act.* XVIII, 24; XIX, 1. (a) *Grot. hic.*

(b) *Quid. in Theodoret. Oecumen. in Epiſt. Ambroſiaſt. in Juſtiniano, Theophyl. Ita & Codd. quidd. in Mill.*

℣. 14. Gratias ago Deo, quòd neminem veſtrûm baptizavi, niſi Criſpum & Cajum:

℣. 15. Ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis.

℣. 16. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterùm neſcio ſi quem alium baptizaverim.

℣. 17. Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare: non in ſapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Chriſti.

℣. 18. Verbum enim crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt: iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt.

COMMENTARIUS.

ſe tradere: qui verò morte ſuâ hominum peccata expiare potuerit, unus fuit Jeſus Chriſtus *(c)*; cui proinde uni ita adhærendum eſt, ut neminem niſi propter ipſum & in ipſo ſequamur.

℣. 14. Gratias ago Deo, quòd occulto Providentiæ ſuæ conſilio nullum ex Corinthiis initiandum mihi baptiſmate tradiderit, præter unum Criſpum & Cajum: quamobrem diſſidii hujus cauſa nulla mihi imputari meritò poteſt. Si factioni meæ tantummodò acceſſerint ii, quos baptiſmate tinxi, profectò raros habiturus ſum aſſeclas, qui brevi ſe reliquis adjungent; neque enim ſtudium iſtud erga me probo & admitto. *Criſpus* Princeps erat Synagogæ Corinthi, de quo in Actis *(d)*, & ſacro lavacro ab Apoſtolo ablutus fuit. *Cajus* hoſpitem diu habuit eumdem Apoſtolum, dum is Corinthi fuit *(e)*.

℣. 15. Ne quis dicat, &c. ne quis ſchiſmatis ſcintillas ex me natas arguat, quòd nimis multos baptizaverim, quibus proinde veluti ſpiritalis parens effectus, adeò mihi illos neceſſitudine iſtâ conjunxerim, ut de meo nomine Paulini appellentur. Nihil antiquius habui, quàm ne unquam factionis Princeps evaderem. Innui hic tacitè ab Apoſtolo notat Theodoretus *(f)*, fuiſſe nonnullos, qui nomen ſibi ex eo adſciſcerent, a quo baptizati fuerant. Græcus legit *(g)*: *Ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizavi*; ſed veterum Patrum non pauci *(h)* Vulgatæ verſionem retinent.

℣. 16. Baptizavi et Stephanæ domum. Infra, XVI, 15, docet, *Stephanam* primitias Achaiæ fuiſſe; ipſumque & domeſticos fuiſſe primos e Corinthiis, qui Chriſto nomen dederint *(i)*. Stephanas unà cum Fortunato & Achaico *(k)* Epheſum ad Apoſtolum venerat aliquanto antea quàm epiſtola hæc daretur; quibus & teſtimonium perhibet Apoſtolus, quòd totos ſe obſequio Sanctorum & Eccleſiæ tradiderint. Græcis *(l)* Stephanas eſt carceris Præfectus Philippis Macedoniæ, qui ad Fidem converſus & baptizatus ab Apoſtolo, Corinthum ad eum viſendum vènit *(m)*.

℣. 17. Non enim misit me Christus baptizare, Apoſtoli munus non eo potiſſimùm conſilio deſtinatum fuit mihi, ut converſos baptizarem *(n)*. Id mihi non niſi per occaſionem contingit; Evangelii prædicatio mihi potiſſimùm commiſſa eſt; quod planè munus nobilius eſt quàm baptiſmo tingere; id enim a privato quolibet Sacerdote, Laico etiam Fideli, quin & a fœminâ, ubi neceſſitas cogat, ritè præſtatur: at Evangelium nunciare munus eſt Apoſtolicum. Nihil planè eſt in totâ Religione dignius, præter ſacrificii oblationem, quàm verbum in populos diſtribuere *(o)*.

Non in sapientia verbi, ſeu meditatâ oratione, & profanâ eruditione. Græcorum enim pleriſque, ac præſertim Corinthiis, nihil tunc ſapiebat, niſi philoſophiâ planè humanâ conditum; nihil erat in honore, niſi eloquentiâ, ratiocinatione, fuciſque Philoſophiæ, ac Rhetoricæ perlitum. Apoſtolus expendendum illis proponit, quàm parum ſemper curarit humana hæc adminicula ad Jeſum Chriſtum nunciandum; ut & ipſi pariter diſcerent, negligenda eſſe iſta, & flocci facienda. Atque ita ſenſim ad propoſitum deſcendit, ut nimiam illorum ſollicitudinem erga ſcientiam & eloquentiam arguat, & eos damnet, qui in Chriſtianam Religionem Sectarum diſcrimen, quod inter Ethnicorum Philoſophos regnabat, inducere videbantur.

Ut non evacuetur. Si in Evangelii prædicatione Apoſtoli adhibendam cenſuiſſent opem ratiocinii, ſcientiæ humanæ adminiculum, & vim eloquii arte compoſiti, tribui meritò potuiſſet Religionis Jeſu Chriſti incrementum artibus hiſce, hominum induſtriâ exquiſitis. Palàm igitur edicit Apoſtolus, illa omnia ſeſe recuſaſſe, ne Crux Jeſu Chriſti evacuaretur, id eſt, ne quid pateretur detrimenti, neque eloquentiæ ſuæ potiùs, quàm Crucis virtuti tribueretur victoria, quam de infidelitate & errore retulerat *(p)*. Non rarò uſurpat Apoſtolus verbum *evacuare* *(q)*, pro, vanum & inutile efficere.

℣. 18. Verbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est; infidelibus ſcilicet atque incredulis, qui ſermones noſtros ceu figmenta aniles que fabulas traducunt. Reverâ quid anilius eſt humanæ ſapientiæ, quàm ſalutis ſuæ ſpem in homine crucifixo collocare, in homine, inquam, qui nequitiæ & odio adverſariorum ſuccubuit? Quid dementius, quàm Religionem amplecti, credere cogentem res, quas animo non aſſequare? ſpondentem bona inviſibilia, nec niſi poſt mortem conſequenda; quæ alterius planè ſunt naturæ a carne & a ſenſibus; quæ denique rudi minervâ vix fingere animo poſſumus? Religionem probare

(c) *Auguſt. in Joan. tract. 84: Etſi fratres pro fratribus moriuntur; tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullus ſanguis Martyris funditur. Vide & Leon. Magnum, ſerm. 12 de Paſſione Domini; & Ep. 83, & 97. Eſt. hic.* (d) *Act.* XVIII, 8. (e) *Rom.* XVI, 23.
(f) *Theodoret.* Αἰνίττεται, ὡς οὐ μόνον ἀπὸ τῶν διδασκάλων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῶν βαπτισάντων τινὲς ἑαυτοὺς ὠνόμαζον. (g) Ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα.
(h) *Chryſoſt. Euthal. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Copht. alii.*
(i) 1 *Cor.* XVI, 15. (k) 1 *Cor.* XVI, 17. (l) *Græci apud Grot. hic.* (m) *Act.* XVI, 27, 33.
(n) *Vide Eſt. Menoc. Grot.*
(o) *Theodoret. Juſtin. Eſt. Grot.* (p) *Vide Oecumen. Theodoret. ex Chryſoſt. alios paſſim.*
(q) *Græc.* Κενωθῇ. *Vide Rom.* IV, 14; 1 *Cor.* IX, 15; 2 *Cor.* IX, 3; *Philipp.* II, 7. *Item*, κενὸς γίνομαι, 1 *Cor.* XV, 10, 14; 1 *Theſſal.* II, 1; III, 5.

℣. 19. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

℣. 20. Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi?

℣. 21. Nam quia in Dei ſapientiâ non cognovit mundus per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.

℣. 22. Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt:

℣. 23. Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam:

℣. 24. Ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:

COMMENTARIUS.

bare, quæ non niſi rerum abdicationem, ærumnas, labores, & cruces affert? Hæc ſunt quæ in Religione Chriſtianâ ſapientia carnis videbat, quæque illam ceu dementiam reſpui jubebant.

IIS AUTEM, QUI SALVI FIUNT, ID EST NOBIS, DEI VIRTUS EST. Salutem in nobis feliciter operatus, atque ad eam, quam ſperamus, felicitatem re ipsâ perducit. Illa nos revocat ad saniora, mentem illuſtrat, cor afficit, juſtitiæ nos reſtituit, atque ineffabili voluptate perfundit, dum juſſionibus Dei parêmus, ejuſque nominis causâ gravia & ardua toleramus. Denique Religionis Chriſtianæ promulgationem per Crucis virtutem, & abſque humanæ ſapientiæ & eloquentiæ ope, meritò ſuſpicimus ceu grande ſpecimen Divinæ potentiæ & virtutis: *Dei virtus eſt.*

℣. 19. PERDAM SAPIENTIAM SAPIENTIUM; ſapientium hujus ſæculi (r); quorum inanitatem & ignorantiam, detractâ ſapientiæ larvâ, detegam. Profectò Chriſtiana Religio magnas adeò veritates ignotasque Philoſophis detexit, tantâ illas luce perfudit, tantumque provexit, ut ejus comparatione philoſophia nonniſi ignoratio & inanitas appareat; Philoſophi collati cum Apoſtolis, Martyribus, privatiſque Fidelibus, qui per varia Eccleſiæ ſæcula ad Evangelii normam vitam inſtituerunt, nonniſi umbræ ſint, & virtutum larvæ.

℣. 20. UBI SAPIENS, UBI SCRIBA, UBI CONQUISITOR HUJUS SÆCULI? Hæc Iſaiæ ſententia longè aliter hîc, quàm apud Prophetam, uſurpatur (s). Agebat ille de Ducibus copiarum vel Sennacheribi, vel Ezechiæ Regis Juda. In fugam verſus eſt Sennacherib, ejuſque exercitus trucidatus eſt. Quo abierunt ſapientes illi, rei militaris periti, Præfecti, qui exercitum luſtrabant, viri, qui dies ſupputabant? Transfert hæc Apoſtolus ad Sapientes Gentilium. Gloriabatur olim Philoſophia, ope tantummodo ſuâ fieri poſſe, ut homines ad virtutem formarentur, & in viam ab errore redirent. Quis eſt igitur, qui vos convertit, inſtituit, & in viam ſalutis deduxit? An id factum eſt ab Ethnicorum Philoſophis, Judæorum Doctoribus, Curioſis & Politicis (t), ſive Doctis & Phyſices peritis (u), ſeu denique ab allegoriarum ſtudioſis, eximiiſque Scripturarum Interpretibus, qui ſenſus illarum omnes rimantur & eruunt (x)? Has enim omnes interpretationes admittit illud: *Conquiſitor hujus ſæculi.* Politices ac Phyſices ſcientia, & Scripturarum ſtudium, varios earum ſenſus rimans, ſaluti veſtræ minimè profuerunt; id ex uno Evangelio Crucis Chriſti accepiſtis.

℣. 21. IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MUNDUS. Viſum eſt Deo, per ſtultitiam Crucis mundum ad ſalutem adducere. Intelligens Deus, quàm irrito conatu ſapientia hujus ſæculi ſtuderet lumen mentibus affundere, & cor hominis in viam rectam dirigere, oppoſitum planè conſilium inivit, ſalvandi ſcilicet eos, qui ſibi credunt non per ſapientiam, ſed per ſtultitiam potiùs; ſtultitiam, inquam, Crucis, quæ maximè ſublimem ſapientiam docet, & ad celſiſſimum virtutis culmen mortales ducit. Quanta quanta eſt Philoſophia, ſtudio licèt ac meditatione exculta, nunquam aſſecuta fuit, ut Deum in operibus ſapientiæ & potentiæ ſuæ cognoſceret (y); vel ſi obtinuit, non tamen pro merito gloriam illi rependit (z). Sed Evangelii dementia, quam vocatis (a), quæ homini crucifixo Dei nomen tribuit, quæque in hac vitâ nonniſi aſpera toleranda proponit, tantum valuit, ut vos ab errore revocatos ad æternam felicitatem perduceret.

℣. 22. JUDÆI SIGNA PETUNT, prodigia ſcilicet (b). Duplici modo vincuntur homines, authoritate & ratione. Judæos non convincit authoritas, ſed prodigia; his enim jam inde ab initio aſſuevere (c); atque ex Prophetis intelligentes futurum, ut Chriſtus poteſtate & ſapientiâ inſtructus veniret, prodigia flagitabant, ut fidem ſuam iis, quæ nunciabantur, addicerent. Gentiles Philoſophiæ argutationibus aſſueti, ſuſpectum habebant quidquid planum & minimè philoſophicum ſaperet: nihil niſi evidens probabant. Quam igitur convertendis Judæis & Gentilibus rationem Chriſtus inivit? Sapientiam ille quidem & miracula adhibuit, ſed tanto artificio, ut genuinam ſapientiam perinde ac dementiam Philoſophi traducerent; Judæi increduli in illam veluti in lapidem offenderent. ℣. 23: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum; Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.*

℣. 24. CHRISTUM DEI VIRTUTEM, ET DEI SAPIENTIAM; Chriſtum ſcilicet, qui Dei virtus & ſapientia eſt iis, qui vocati ſunt, ſive Judæi ſint ſive Gentiles. Illi qui Dei invitantis vocem non fruſtra audierunt; quorum corda Deus recluſit (d); quique ad vitam præordinati ſunt

(r) *Ignat. ad Epheſ.* Τῶν λεγομένων συνετῶν. *Clem. Alexand. Strom.* 5τ τῶν δοκησισόφων, καὶ [illegible] δηλονότι. (s) *Iſai.* xxxiii, 18. (t) *Pareus*, *Vatab.* (u) *Grot. Druſ. Bez. Juſtin. Men.* (x) *Fuller. Miſcellan. Lud. de Dieu*, *Ligfoot. Hammond.* (y) *Chryſoſt.* Τῇ διὰ τῶν ἔργων φαινομένῃ δι' ὧν ἠθέλησε γνωρισθῆναι. *Grot. Eſt. Juſtin. Vat. alii.* (z) *Rom.* i, 19, 20, 21. (a) *Vat. Grot. Tir. Juſtin. alii.*
(b) *Græc. impreſſ.* Σημεῖον αἰτοῦσι, *Signum petunt. Sed Alex. Clarom. S. Germ. & Boraer. GG. LL. Syr. Clem. Alex. Chryſoſt. Theodoret. Tertull. Cyprian. Ambr. alii: Signa petunt*, Σημεῖα αἰτοῦσι.
(c) *Eſt. Men. Tirin. alii.* (d) *Act.* xvi, 14.

℣. 25. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.

℣. 26. Videte enim vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles:

℣. 27. Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia:

℣. 28. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret:

℣. 29. Ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus.

COMMENTARIUS.

ſunt (e); illi, inquam, Judæi & Gentiles Evangelium & prædicationem Crucis Chriſti, non ſecus ac virtutem & ſapientiam Dei, eaceperunt. Judæis Fidelibus eximiorum prodigiorum loco habita fuit; & Geotilibus perinde fuit in pretio, ac ſubtiliſſimæ quælibet validæque argutationes (f). In Jeſu Chtiſto Crucifixo, ejusque prodigiis & obitu, utrumque hominum genus illud tanta nactus eſt argumeota eredendi, tot exempla, & documenta, ut planè perſuaſi victas manus Fidei dederint.

℣. 25. Quod stultum est Dei, &c. Crucis myſterium (g), Evangelii prædicatio, Chriſtus Cruce peremptus dementiæ ſpecimen mortalium oculis præbet; at iſthæc dementia adeò ſapiens eſt, ut philoſophorum omnium ſapientiam ſuperet; plus valuit, ac mortales ab errore revocavit magis, iniquos ad ſaniora plus traxit, plus denique ad morum emendationem intra decennium profecit, quàm in totâ ſæculorum decade philoſophia; ſeu potiùs, cùm philoſophia nonniſi audaces & hypocritas pepererit, Evangelium viros planè ſapientes ac pios formavit. Ita pariter: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*: plus valet, quàm tota hominum virtus. Jeſus Chriſtus ex imbecillitate noſtrâ infirmus, plus edidit prodigiorum, quàm omnes ſimul Prophetæ. Evangelii prædicatio, Crucis Jeſu Chriſti virtus innomeras propemodum gentes ad Fidem converterunt; converſio autem illa, quam pauci quidam & egeni piscatores, homines e vulgo & imperiti, operarii ſunt, prodigiorum omnium gloriam & admirationem ſuperat. Quotquot ſunt in orbe Principes, ſuis ſtipati exercitibus, quotquot Oratores eloquentiâ præſtantes, nunquam ſimile quid aſſecuti ſunt.

℣. 26. Videte vocationem vestram. Conferte numerum eorum qui paruerunt Evangelio, quique ea Dei munere verbum ſalutis non ſine fructu audierunt, cum iis qui in tenebris ignorantiæ ſeu infidelitatis adhuc jacent; ſtatimque intelligetis, quàm rari ſapientes ſecundùm carnem, rari potentes, & clari genere vocati ſint, pro numero eorum qui in viis mundi & umbrâ mortis adhuc errant. Non ait quidem Apoſtolus, ut Theodoretus expendit, neminem ex ſapientibus viriſque generoſis eredidiſſe, ſed raros. Deus vocat, quos libet; infinitisque pollens viribus, obſtinatarum mentium pervicaciam frangere, & rebelles etiam voluntates ad obſequium flectere valet. Quò tamen validiora ſunt impedimenta, eò rarior converſio eſt. Sapientia autem profana, divitiarum copia, voluptates & dignitates mundi magna ſunt utique virtutis & ſalutis impedimentum. A vero non abludit, diſſidia nonnulla inde nata fuiſſe, quòd Fideles Corinthii conditione inter ſe diſcreparent (i).

℣. 27. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; ideſt, ſapientes (k). Deus ſibi Diſcipulos & Apoſtolos tales elegit, qui arduis conſiliis ſuis ineptiſſimi omnium viderentur; ſed hinc potiſſimùm gloria profundæ ejus ſapientiæ ſummæque potentiæ augetur. Nemini enim ſuccurret, ut felicem prædicationis exitum hominibus adſcribat.

℣. 28. Ignobilia mundi. In ipſis Eccleſiæ crepundiis probro dabatur Chriſtianis, quòd cœtum ſuum non niſi ex infimæ fæcis hominibus, ſervis, ancillis, Eunuchis, & obſtetricibus conflarent. Objiciebat iſta Julianus Imperator, eamdemque criminationem ad ſuam uſque ætatem perſeveraſſe, teſtatur S. Chryſoſtomus (l).

Et ea quæ non sunt; quæ flocci erant & nihili, ut ea, quæ aliquid erant, deſtrueret. Eccleſiam ſuam veluti e nihilo eduxit (m), ut profanas ſuperſtitiones, peccatum, errorem, regnum Diaboli, quod jam inde a pluribus ſæculis in orbe invaluerat, everteret. In ipſo ſui exordio Fideles erant cœtus hominum ita exiguus, pauci adeò erant Apoſtoli, ſi præſertim grande illud, quod agitabant, molimen ſpectetur, ut vix ac ne vix quidem illud tentari poſſe, nedum perfici, videretur.

℣. 29. Ut non glorietur omnis caro. Id commiſit Deus, ut venturis deinde ſæculis compertum eſſet, Eccleſiæ inſtitutionem non hominis eſſe, ſed Dei peculiare opus & molimen. Hominem quodammodo cogit ad ſuum ſe nihilum colligere, ut demiſsè, uti par eſt, de ſe ſentiat ac ſapiat.

℣. 30. Ex

(e) *Act.* xiii, 48.
(f) *Eſt. Eraſm.*
(g) *Theodoret. Juſtinian. Eſt. Men.*
(h) Βλέπετε γὰρ τὴν κλῆσιν. Reddi poteſt: *Videtis vocationem veſtram*; ſeu: *Videte vocationem veſtram*: Sive: *Videtis, qui ex vobis vocati ſint*. *Vocatio* uſurpari poteſt pro *vocatus*, quemadmodum *Circumciſio* pro *circumciſus*.
(i) *Vide Grot. hic.*
(k) Tertullianus plerumque legit: *Ut confundat ſapientiam*; *lib. 2 de Carne Chriſti, cap. 4; contra Prax. cap. 10; de Reſurrect. cap. 57; lib. 5 contra Marc. cap. 5.*
(l) *Chryſoſt. ad cap. 2 primæ ad Corinth. Grot. hic.*
(m) *Clement. Epiſt. 2 ad Corinth.* Ἐκάλεσεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας, καὶ ἠθέλησεν ἐκ μὴ ὄντος εἶναι ἡμᾶς. *Et Chryſoſtom.* Τὰ μὴ ὄντα. Τοὺς μηδὲν εἶναι λογιζομένους διὰ τὴν πολλὴν οὐδενίαν.

℣. 30. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio:

℣. 31. Ut, quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur, in Domino glorietur.

COMMENTARIUS.

℣. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo; per Deum tales effecti fuiſtis, quales nunc in Chriſto eſtis. Igitur Deo uni ejusque miſericordiæ tribuendum eſt, quòd in tantâ hominum turbâ vocati ac delecti eſtis: quòd nunc in Chriſto ejusque Eccleſiâ verſamini, ejusdem Dei beneficio accepiſtis. Deus vobis tradidit Servatorem, ut ſapientia, juſtitia, ſanctimonia & redemptio veſtra ſit. Chriſti labore parta eſt vobis vera ſapientia, juſtitia, ſanctitas, ſalus, & felicitas æterna. Deus Pater adoptavit nos in Chriſto Jeſu, atque inter filios amicosque recenſui (n). Qui nos redemit, ad juſtitiam formavit, erudivit, docuitque regulas genuinæ ſapientiæ Evangelio & geſtorum ſuorum exemplis, unus fuit Jeſus Chriſtus. Hinc fit, ut cùm nulla gloriandi ratio nobis ſit, *qui gloriatur, in Domino glorietur*.

CAPUT II.

Docet Apoſtolus, nonniſi unum Jeſum Chriſtum Crucis patibulo peremptum a ſe Corinthiis prædicatum, nec uſum ſe niſi facili oratione. Nunciaſſe verò ignotam hominibus, notamque uni Dei Spiritui ſapientiam, cui aſſequendæ carnalis homo impar eſt.

℣. 1. ET ego, cùm veniſſem ad vos, fratres, vêni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti.

℣. 2. Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

℣. 3. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Cum venissem ad vos. Exemplo ſuo demonſtrare pergit, nec hominum ſapientiam nec Philoſophiam, nec eloquentiam inſtrumenta fuiſſe, quæ Deus in gentium converſione adhibuerit. Ipſos vos, Corinthii, appello: an philoſophicis ratiocinationibus, ſive eloquentiæ illecebris ad fidem deducti fuiſtis? Num ego iis inſtructus artibus, quibus corda mentesque capiuntur, inter vos ſteti? Profectò nec eloquentiæ nec doctrinæ adminicula deerant Apoſtolo; accedebat valida & vehemens oratio; ſed doctrinâ Theologicâ potiùs quàm philoſophicâ præſtabat. Operam navaverat ſtudio Judaicarum Legum & Religionis, Scripturarum denique ac Prophetarum. Sed philoſophicas argutias, quæ Græcis ſapiebant, parùm notat; & eloquio a pluribus Græciæ Philoſophis & Oratoribus ſuperabatur. Nihilo tamen ſeciùs Corinthios ad fidem converterat, prodigiorumque ac ſermonum virtute eò pertraxerat, ut exciperent *teſtimonium Chriſti*; ſive, ut in Græco (a), *teſtimonium* ſeu *myſterium Dei*; id eſt Evangelium (b), quod eo nomine ſuperiori capite, ℣. 6. jam deſignatum eſt.

℣. 2. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Cùm eſſem inter vos, quæcumque noram, pro nihilo habui, omnemque meam ſcientiam quodammodo ſepoſui & occului (c); unum ſciens & prædicans Jeſum Chriſtum. Eò me redegi, ut de Cruce Domini mei dumtaxat coram vobis diſſererem. Aliter (d): Nullam mihi neceſſariam eſſe ſcientiam inter vos duxi, niſi hanc unam, ut Jeſum Chriſtum cruci affixum ſcirem. Id mihi ſatis eſſe cenſui, quæ ea quæ capiti meo incumbebant mala tolerarem, vosque tyrones adhuc erudirem; non enim majoribus intelligendis aptos arbitrabar. Vide infra, ℣. 6. Seu potiùs (e): Nihil aliud docendum vos cenſui. Satis vobis eſſe reputavi, ſi probè ſciretis Jeſum Chriſtum crucifixum. Græcus non legit *me ſcire*, ſed tantùm *ſcire* (f).

℣. 3. In infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos. Quamdiù inter vos Corinthi egi, injuriis ſemper obnoxius, inter ærumnas, malorumque hominum odia vitam traduxi (g); atque adeò ea exequi, quæ Jeſus Chriſtus paſſione ſuâ me docuit, opportunum mihi accidit. Adverſa illa, quibus nunquam non patui, cogebant me, aliud planè cogitare, quàm diſerti ſermonis culturam, & philoſophicarum argutationum ſophiſmata. Eò me redegi, ut manuum mearum labore vitam tolerarem (h). Judæorum

(n) *Theodoret. Eſt. Vatab. Grot. alii.*
(a) Μαρτύριον τοῦ Θεοῦ. *Alii non pauci*: μυστήριον τοῦ Θεοῦ. *Ita Syr. Copht. Ambr. Alii Quid. Codd.*
(b) *Theodoret. in textu; Grot. Eſt. Menoc. Verſ.* (c) *Eſt. Tirin. Caſtal. Men. Juſtin.*
(d) *Vide Lud. de Dieu, Pagn. Grot.* (e) *Cantebull.* (f) Οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν. *Plures omittunt* τοῦ. *Vide Mill.* (g) *Theodoret. hic. Grot. ad* ℣. 2; *Juſtin. Ita Chryſoſt.*
(h) *Act.* XVIII, 3.

Digitized by Google

℣. 4. Et ſermo meus, & prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis:

℣. 5. Ut fides veſtra non ſit in ſapientiâ hominum, ſed in virtute Dei.

℣. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſæculi, neque Principum hujus ſæculi, qui deſtruuntur:

℣. 7. Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram:

℣. 8. Quam nemo Principum hujus ſæculi cognovit: ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

COMMENTARIUS.

ac Gentilium (i) contumelias tuli; ad Præſidis tribunal raptus ſui (k); denique ut adverſariorum meorum inſectationes vitarem, ſolum mihi vertendum fuit. Alii dictum hoc accipiunt de humili illo dejectionis ſtatu, ad quem Apoſtolus Corinthi redactus fuit; de ſollicitudine & anxietate perpetuâ, quâ afficiebatur, metuens, nequis larvatus Apoſtolus illos falleret, ſive ne illi admiſſam olim Fidem desererent.

℣. 4. In ostensione Spiritus et virtutis. Id vobis ſaluti fuit, non humana mea ſapientia, vel eloquentia. *Oſtenſio Spiritûs* ſuperna ſunt Sancti Spiritûs dona iis collata, qui baptiſmate initiabantur, ſive pius ardor Apoſtoli, ſeu vis illa planè divina Sancti Spiritûs, per ipſum loquentis, & auditoribus robur ad credendum largientis. Vel denique, Veteris Teſtamenti oracula, quorum veritatem in Jeſu Chriſto impletam Apoſtolus demonſtrabat (l). *Virtus Dei* ſunt prodigia, quæ ob Fidei confirmationem Apoſtolus Corinthi patrabat (m). Sunt qui (n) *Oſtenſionem Spiritûs & virtutis* perinde accipiant, ac ſi legeretur: *Oſtenſionem virtutis ſpiritalis*; confirmans ea quæ verbis aſſerebam, prodigiis & Divinæ virtutis argumentis.

℣. 5. Ut fides vestra non sit in sapientia. Si nos nunciando Evangelio philoſophicis ſubtilitatibus & eloquentiâ uſi eſſemus, reputari utique potuiſſet, deceptos vos atque artificio aliquo captos ad Fidem veniſſe. At nihil tale contigit: veſtra enim fides nonniſi a perſpicuitate veritatis repetenda eſt, nonniſi denique a virtute S. Spiritûs, qui lucem mentibus, ignem cordibus infudit (o).

℣. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Cùm primum ad vos veni, totum myſteriorum, quæ docendi eratis, pondus ſuſtinere impares eratis: quare Chriſtum crucifixum docere ſatis habui. Igitur ne arbitremini, ex imbecillitate factum eſſe, ut a ſubtilitatibus philoſophicis & oratorio artificio abſtineremus; quin & ſæpè accidit, ut a ſublimioribus Religionis myſteriis reſerandis abſtineamus. Prudentiæ leges nobis ſtatuimus, & ad auditorum ingenium omnia temperamus (p).

Græci Patres (q) id explicant de Evangelii & Crucis Chriſti prædicatione. Evangelii dogmata ſtultitiæ nomine Gentiles traducebant; ſed *perfecti* Fideles, ſacris Chriſtianorum myſteriis initiati, ceu ſapientiæ & abſolutæ ſapientiæ regulas venerabantur. Alii (r) ſic reddunt (s): *Scientiam proponimus in perfectiſſimis*. Toto hoc capite Apoſtolus nonniſi de doctrinâ ſuâ diſputat, non de iis quos docebat; de quibus nonniſi ſequenti capite ſermonem incipit; docetque, ipſos adhuc infantes eſſe in Jeſu Chriſto. Hac ipſa voce *perfecti*, Græcè τέλειοι, utuntur Gentiles, ut ſacris abditiſque myſteriis religionis ſuæ initiatos deſignent; eorumque imitatione Apoſtolus eamdem vocem de penitioribus noſtris myſteriis adhibet.

Non hujus sæculi, neque Principum hujus sæculi. Sapientia Mundi eſt rei politicæ ſcientia, humana prudentia, philoſophia, eloquentia; cui ſynonimum eſt, *Sapientia Principum hujus ſæculi*. Viri docti, Philoſophi & ſummi viri hujus ſæculi (t) gloriam ſuam, & ſtudium in his collocant. Alii (u) nomine Principum hujus ſæculi Dæmones accipiunt, cùm & Chriſtus in Evangelio Principem hujus ſæculi Dæmonem appellaverit (x). Sapientia ſæculi, artes curioſæ, philoſophia, cùm vanis occupatur, vanitati hominum alendæ tantummodo ſerviens, merito ſapientia Dæmonis, Principis hujus ſæculi, nuncupatur.

℣. 7. Sed loquimur Dei sapientiam. Quam nunciamus ſapientiam, ea longiſſimè a Sapientiâ hujus ſæculi, hominum invento, abeſt; cùm ſit ipſa Dei ſapientia, jam inde ab æternitate abdita in ejus Myſterio, ac noſtrâ demum ætate per Jeſum Chriſtum manifeſtatâ. Sapientia illa, quam pro ſuâ munificentiâ Deus ante omnia ſæcula nobis prædeſtinavit, & quam denique nobis detexit, ad noſtrum commodum noſtramque gloriam in hoc & futuro ſæculo promovendam; hæc, inquam, Sapientia, non verò inanis ſæculi hujus ſapientia, noſtræ gloriæ unicus finis eſto & argumentum.

℣. 8. Quam nemo Principum hujus sæculi. Hujus ſæculi Principes, apud Patres Græcos (y), ſunt Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas, aliique Principes, qui in necem Jeſu Chriſti conſpira-

(i) *Act.* xviii, 6. (k) *Ibid.* ℣. 12. (l) *Origen. lib.* 1 *contra Celſ.* Ἀπόδειξις Πνεύματος καὶ δυνάμεως. πνεύματος μὲν διὰ τὰς Προφητείας ἱκανὰς πιστοποιῆσαι τὸν ἐντυγχάνοντα, μάλιστα εἰς τὰ περὶ Χριστοῦ. Δυνάμεως δὲ διὰ τὰς τεραστίους δυνάμεις, ἃς κατασκευαστέον γεγονέναι, καὶ ἐκ πολλῶν μὲν ἄλλων, καὶ ἐκ τοῦ ἴχνη δὲ αὐτῶν ἔτι σώζεσθαι παρὰ τοῖς κατὰ τὸ βούλημα τοῦ λόγου βιοῦσιν.

(m) *Theodoret. alii.* (n) *Caſt. Eſt. Pagnin.* (o) *Vide Eſt. Grot. Vatab. Men. Tir. &c.*

(p) *Vide infra*, iii, 1; xiii, 11; xiv, 20, *Hebr.* v, 14. *Eſt. Juſtin. Tir. alii.*

(q) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. &c.* (r) *Cnatchbull. hic.* Cene, projets da verſion, pag. 628.

(s) Σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. (t) *Chryſoſt. Theodoret. & alii Græci.*

(u) *Ambroſiaſt. Eſt. Men. alii paſſim.* (x) *Joan.* xii, 31; xiv, 30; xvi, 11.

(y) *Origen. homil.* 1 *in Cant. Chryſoſt. Theodoret. Vide & Tertull. lib.* 3, *cap.* 6, *contra Marc. Vide & Grot. Vorſt. Juſtin. Corneł. Sclater. alios.*

Digitized by Google

℣. 9. Sed ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.

℣. 10. Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.

℣. 11. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.

℣. 12. Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis:

COMMENTARIUS.

ſpirarunt. Sed Latinis (z), & Interpretibus non paucis (a) ſunt Dæmones, quos authores necis Jeſu Chriſti præcipuos fuiſſe, non uno Evangelii teſtimonio diſcimus (b). Porrò nec Dæmones, nec Judæorum Optimates, Herodes aut Pilatus, neci Jeſum Chriſtum tradentes, de Divinitate ejus quidquam norant; alioqui enim, licèt in illum peſſimè debacchati, vix fieri potuiſſet, ut ſupplicium decernerent in *Dominum gloria*, in Jeſum Chriſtum, totius Sanctorum gloriæ in hac vitâ & in æternitate authorem, quique ſupplicii ſui opprobrio ſummam ſibi ſolidamque gloriam & nomen ſuper omne nomen peperit (c). Ex nonnullis Evangelii (d) locis diſcimus, Dæmones non penitus Divinam Jeſu Chriſti naturam ignoraſſe: an verò perſpicuè noſſent, non ſatis compertum eſt; plus enim ſuſpicionis quàm ſcientiæ habuiſſe videntur.

℣. 9. SED SICUT SCRIPTUM EST: QUOD OCULUS NON VIDIT. Sapientiam prædicamus, de qua ſcriptum eſt, &c. Locus ab Apoſtolo laudatus occurrit in Iſaia, LXIV, 4, ubi Propheta ſermonem habens de felicitate populi ſui, quam Deus, diſſipatâ Antiochi Epiphanis procellâ, populo parabat, ait: *Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Sed Apoſtolus verbis Prophetæ aliquid addit, & ab Hebræo & Septuaginta recedit. Legunt enim Septuaginta: *A ſæculo non audivimus, neque oculi noſtri viderunt Deum, præter te & opera tua, quæ facies expectantibus miſericordiam.* Hinc Græci Patres ſententiam hanc, uti ab Apoſtolo laudatur, in Bibliis nullibi invenientes, deductam illam fuiſſe ſuſpicati ſunt ex vetuſto aliquo apocrypho libro (e), vel Scriptione aliquâ, quæ hodie perierit; vel denique ex peculiari Dei revelatione Apoſtolo innotuiſſe. At revera Hebræi ſenſum tenuit Apoſtolus, non verba; ita enim ſonat Hebræus ad literam: *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt. Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.*

℣. 10. NOBIS AUTEM REVELAVIT DEUS, &c. Non ſenſuum nec rationis ope arcana Chriſtianæ Religionis pervaſimus: ipſe nobis Spiritus Sanctus ea reſeravit; quemadmodum Jeſus Chriſtus ipſe nos docuit (g): *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

SPIRITUS ENIM OMNIA SCRUTATUR (h), ETIAM PROFUNDA DEI; omnia rimatur; non quòd aliquid ignoret (i): pervidet, nota illi ſunt & explorata abditiſſima quæque myſteria (k). Ea verò non ſibi tantùm cognoſcit infinitâ ſcientiâ divinitatis ſuæ, ſed & nobis eadem exponit ac detegit; nos trahit, ut illa & ſtudio & meditatione verſemus, quemadmodum alibi de eodem Spiritu ſcriptum eſt (l): *Miſit Spiritum Filii ſui in corda veſtra, clamantem,* &c. ideſt, moventem ut clamemus.

℣. 11. QUIS ENIM HOMINUM SCIT QUÆ SUNT HOMINIS, NISI SPIRITUS HOMINIS? Quemadmodum cor hominis alius non ſcrutatur homo, niſi qui in illo vota & cogitationes efficit; ita pariter Dei Myſteria unus novit Dei Spiritus, qui in ipſo Deo eſt Deus & idem, utpote a Patre Filioque procedens, & unius cum utroque naturæ (m). Eodem Spiritu docente, Fidei Myſteria habemus explorata; eodem inſpirante, bona ſuperiora cognoſcimus & diligimus. In eamdem ſententiam concedit Jeſus Chriſtus in Evangelio (n): *Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.*

℣. 12. NOS AUTEM NON SPIRITUM HUJUS MUNDI (o). Mihi autem comperta eſt ea, quam vobis nuncio, veritas, quòd acceperim Spiritum Dei, Spiritum veritatis, qui abdita quæque & profundiſſima nobis pandit & exponit. Sermonem ad vos non habemus, ſpiritu mundi hujus edocti (p), ſpiritu mendacii, vanitatis, erroris, & nequitiæ; neque peculiari noſtro ſpiritu ſuggerente; denique non humanâ ſcientiâ inſtructi, quam ſtudio vel ingenio comparaverimus. Omnia quæ vos docui, divinâ perfuſus luce, propheticâ, & planè divino munere infuſâ, tradidi; quamobrem adſiſtente mihi Spiritu Omnipotenti, & afflante me Numine, ſupervacaneum duxi ex ſtudio & ratiocinatione argumenta ad vos convincendos arceſſere. Spiritus Sanctus ſtatim cor petit, & breviore viâ pergens, cor noſtrum mentemque interiori impulſu atque erudi-

(z) *Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Leo Mag. ſerm.* 9, 11, *&* 18; *Innoc.* 3, *ſer. fer.* 5 *poſt Dominic.* 1 *Quad. D. Thom.* (a) *Cajet. Eſt. Haymo, Hervaeus.*

(b) *Luc.* XXII, 53; *Joan.* VIII, 44; XIII, 2; XIV, 30. (c) *Ita Interpp. Græci.*

(d) *Marc.* V, 7; *Matth.* VIII, 28; *Marc.* I, 24, *&c.*

(e) *Hieronym. in Iſai.* LXIV, 4; *Theodoret. hic*; *&* *Chryſoſt.* Origenes aliique Veteres nonnulli cenſuere, ſententiam hanc hauſtam eſſe ex apocryphâ *Apocalypſi Eliæ*. Mavult Grotius ex libris Rabbinorum, qui eam ex priſcis accepere. At omnino compertum eſt, ſpectatum ab Apoſtolo locum Iſaiæ, LXIV. (g) *Joan.* XVI, 13. (h) Τὸ γὰρ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ.

(i) *Theodoret. Juſtin. Eſt. Menoc.* (k) *Vide Eſtium hic.* (l) *Galat.* IV, 6; *Rom.* VIII, 15.

(m) *Vide Theodoret. hic. Tertull. adverſ. Hermogen. cap.* 18; *&* *contra Praxeam, cap.* 18.

(n) *Matth.* XI, 27. (o) Ἡμεῖς δὲ οὐ τὸ πνεῦμα τοῦ κόσμου ἐλάβομεν. *Ita Syr. & Codd. quid. Latini, omiſſo* hujus. *Sed Clar. & S. German. GG. LL. Boerner. G. L. Ambroſ. Copht. cum Vulg. legunt,* hujus, τούτου. (p) *Vide* 1 *Joan.* IV, 4, 5, 6; *&* V, 19; *&* 2 *Reg.* XXII, 25; *Joan.* VIII, 45.

℣. 13. Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ Spiritûs, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.

℣. 14. Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritûs Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur.

℣. 15. Spiritualis autem judicat omnia: & ipse a nemine judicatur.

℣. 16. Quis enim cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

COMMENTARIUS.

ditione vincit & domat. ℣. 13. *Quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrinâ Spiritûs* (q).

℣. 13. SPIRITUALIBUS SPIRITUALIA COMPARANTES; id eſt, religioſa religioſè tractantes; vel, aptantes, exponentes religioſa viris religioſis. Apoſtoli, cæterique Apoſtolicum munus agentes viri, Dei Spiritu afflati, ingenio auditorum ſeſe accommodant, & pro ſingulorum neceſſitate doctrinam diſtribuunt. Quæ contra opponi a Corinthiis poſſent, occupare quodammodo videtur Apoſtolus. Si tu Spiritu Dei afflaris, Spiritu nimirum illo, quem abdita quæque rimari doces, pande igitur myſteriorum iſtorum arcana: cur unum dumtaxat Jeſum Chriſtum cruci affixum crepas? Ideò potiſſimùm, reponit Apoſtolus, quòd hominibus ſpiritalis ſectantibus ſpiritalia tradere novi. Græcus reddi poteſt (r): *Explicantes ſpiritalia ſpiritalibus*; quæ verſio cum ſuperiori convenit. Vertunt alii: *Conferentes ſpiritales res cum rebus ſpiritalibus*. Conferentes Prophetarum oracula cum geſtis dictiſque Jeſu Chriſti, dum inter mortales ageret, ac demonſtrantes, oraculorum veritatem totam a Jeſu Chriſto impletam (s). Aliter (t): Tractantes ſpiritalia pro illorum naturâ verbis propriis & opportunis. Sed prior expoſitio melior.

℣. 14. ANIMALIS HOMO NON PERCIPIT EA QUÆ SUNT SPIRITUS DEI. Superiori verſiculo docuerat, in erudiendis auditoribus ſuis, pandendiſque religionis myſteriis, ad auditorum ingenia ſermonem ſuum ſe temperare. Hanc agendi rationem hîc excuſat eo nomine, quòd homo animalis, ſeu non ſpiritalis, Sancti Spiritûs unctione nondum initiatus, ſublimes haſce veritates minimè ferat. Cibus ſunt ſolidior, quàm illius ſtomacho concoquatur. Veritati huic demonſtrandæ conſequenti etiam capite incumbit. *Animalis homo* hîc uſurpatur pro eo qui humanæ rationis dictata ſolummodò ſequitur (u), ac planè diverſus eſt ab eo, quem alibi appellat *hominem carnalem* (x); qui ſe totum carnis licentiæ permittit, quique carni & ſanguini & geſtis & ſententiis obſequitur. Ingenuè tamen fatendum eſt, non rarò *hominem animalem* & *hominem carnalem* unum idemque ſignificare. Judas Apoſtolus hominem animalem appellat illum, qui S. Spiritu caret (y): *Animales, Spiritum non habentes*. Quod a mente Apoſtoli hîc non abludit.

℣. 15. SPIRITUALIS AUTEM JUDICAT OMNIA, ET IPSE A NEMINE JUDICATUR. Qui S. Spiritu afflatur, quique vias Domini non ignorat, de omnibus judicat, penitiora quæque myſteria, & ſublimes maximè veritates perſpectas habet: quâlibet de re ſermo haberi cum illo poteſt: mentem enim ad omnia inſtructam habet. *Et ipſe a nemine judicatur*: argui & damnari nequit; vitam enim agit nonniſi laudabilem, dogmata ſectatur ſana; longe ſuperior eſt quocumque homine carnali; nec fieri poteſt, quin is ab homine ſpiritali probetur & commendetur (z). Judicio eſt rectus, moribus ſanctus, agendi ratione juſtus; incertus non eſt opinionibus, & incepto ſemel conſilio perſeverat; opinionem arbitriumque hominum mutabile non ſequitur. Reddi poteſt Græcus (a): *Spiritualis judicat de omnibus, & ipſe in nihilo judicatur*; omnia judicio ipſius, ipſe verò nullius judicio obnoxius eſt; docet alios, nec docetur a quoquam, niſi fortè ab homine ſpiritali. Nihil prohibet, quin ſpiritalis homo a ſpiritali altero judicetur (b); pietatis enim & perfectionis plures ſunt gradus.

℣. 16. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM DOMINI? Cauſam reddit, cur ſpiritalem hominem a nemine judicari docuerit. Spiritu Dei plenus, arcana illius pervadit: & quis hominum tantum audeat, ut judicio cum illo contendat, mores ejus & doctrinam carpat? Ut enim aliquid arguatur, priùs cognoſcendum eſt: *Quis autem cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* Deſumpta ſunt hæc ex Iſaia (c). Addit Apoſtolus: *Nos autem ſenſum Chriſti habemus*; quamobrem ſpiritales nos eſſe, Myſteriorum Religionis non ignaros, aptoſque abdita illorum pervadere, intelligentes quando & quomodo ea detegenda ſint, meritò arbitramur. Scimus quæ auditoribus noſtris conveniant, quæ ingenium illorum & neceſſitas poſtulet. Ideò uni Deo ratio reddenda eſt nobis de eâ, quam vobis tradidimus, doctrinâ, cæteriſque rebus, quas vobis expoſuimus.

CA-

(q) *Grot.* Οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, *Non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctis Spiritûs ſancti (ſupple, verbis). Ideſt, eo ſermone quem docet Spiritus ſanctus. Quidam:* Ἀλλ' ἐν διδαχῇ πνεύματος. *Quàm plurimi omittunt* ἁγίου. *Vide Mill.* (r) Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες. *Grot. & Heinſ.* συγκρίνω uſurpatur pro explicare, *Geneſ.* XL, 8, 16, 22; & XLI, 12, 13, 15; & *Dan.* V, 13, 17.

(s) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Alii Græci.* (t) *Eſt. Menoc. Juſtin. Bez. Verſ. Tir. alii.*

(u) *Vide Grot. hic, & Eſt. & Theodoret. ex Chryſoſt. Auguſt. plurib. locis.*

(x) *Vide Rom.* VII, 14; & 1 *Petri*, II, 11. (y) *Judæ*, ℣. 19. (z) *Aug. Juſtini. Grot. Eſt. Vat. alii.*

(a) Ὑπὸ οὐδενὸς ἀνακρίνεται. (b) *Chryſoſt. Theophyl. Vide & Theodoret.*

(c) Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν Κυρίου, ὃς συμβιβάσει αὐτόν; *Quis novit ſenſum Domini, qui inſtruat, ſeu convincat, vel ad conſenſum deducat eum? Iſai.* XL, 13: Τίς Κυρίου νοῦν ἔγνω, καὶ τίς αὐτοῦ σύμβουλος ἐγένετο;

CAPUT III.

Corinthii, utpote adhuc carnales, ſpiritalia & celſiora ferre non potuerunt. Diſſidia inter eos orta. Jeſus Chriſtus unicum eſt fundamentum, quo innitens ædificium igne probabitur. Ne dedicatum in nobis Templum Dei violemus. Mundi ſapientia deſtruetur. Cavendum, ne gloria in hominibus collocetur.

℣. 1. ET ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tamquam parvulis in Chriſto.

℣. 2. Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis.

℣. 3. Cùm enim ſit inter vos zelus & contentio: nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?

℣. 4. Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli; alius autem: Ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid verò Paulus?

COMMENTARIUS.

℣. 1. NON POTUI LOQUI VOBIS, QUASI CARNALIBUS. Quod in prædicatione Evangelii ſequutus eſt inſtitutum, apud Corinthios defendit Apoſtolus. Si abdita Religionis Chriſtianæ myſteria ipſo ſtatim exordio vobis non detexi; ſi prædicationem meam intra unum Jeſum Chriſtum crucifixum continui, id utique a me factum non eſt, quòd altiora myſteria non ſuppeterent; ſed quòd impares illis adhuc vos cenſuerim, & imbecilliores, quàm ut pondus illorum ferretis; ac nonniſi injuriâ falſi Apoſtoli diſpendio nominis mei famam quærunt. Nulli eorum concedo: ſi me demiſi, id veſtri causâ, ut me ſcilicet vobis accommodarem, præſtiti. Opportunum tempus opperiebar, quo vos in fide firmiores, & ſcientiâ Fidei doctiores eſſetis. Decipi vos paſſi eſtis novorum Præconum aſſentationibus; myſteriorum, quæ vobis nunciata ſunt, magnitudo vos cepit: ſed ultra metam illi provecti ſunt. Rerum Spiritûs peritiſſimos vos eſſe reputarunt, cùm carnales adhue eſſe, eventus ipſe probaverit: id enim turbas in vobis & ſeditiones excitavit.

TANQUAM PARVULIS IN CHRISTO; tamquam Neophytis, virtute rudioribus, & rerum divinarum imperitis (a). Alendi eratis lacte, non ſolidiori cibo; doctrinâ facili, communi, familiari, non revelatis, quæ virtute provectos deceant, veritatibus. Hac comparatione gaudet Apoſtolus (b). Porrò illud *parvulis in Chriſto*, virtuti & pietati Corinthiorum non officit, utpote quos capite I, 5, *divites in Chriſto* appellat. S. Ignatius Trallianos (c) nuncupat parvulos Dei in Jeſu Chriſto, quos tamen eâdem Epiſtolâ ceu dignos Deo & pietate eximios commendat.

℣. 2. LAC VOBIS POTUM DEDI, NON ESCAM; vulgares veritates vobis expoſui, imbecillioribus accommodatas; eaſque planâ & ſimplici ratione propoſui, ne oneri eſſem rudioribus. Majora ſervavi in aliud tempus, cùm ætas firmior, virtus perfectior vobis acceſſiſſent (d). Intellexi tamen ex veſtris diſſidiis, imbecillimos adhuc vos eſſe, nec ſatis validos, ut ad majora aſcendatis. Solemne olim erat nutricibus, ut pueris a lacte pulſis cibum manderent (e).

℣. 3. ADHUC ENIM CARNALES ESTIS. Spiritus Sanctus nondum vos penitus pervaſit; nec probati eſtis quantum oportet, ut puram mentem ad ſpiritalia erigatis. Id autem inde colligo, quòd inter vos *zelus* eſt *& contentio* (f); diſſidia enim hæc, carnis & ſpiritûs hominis, non Spiritûs Dei opera & argumenta ſunt. Ubi enim regnat in corde charitas & in mente ſinceritas, inde illa faceſſere neceſſe eſt. *Carnalis* hic periode valet ac *animalis* Capite II, 14.

℣. 4. NONNE HOMINES ESTIS (g)? Nonne humanum & carnale planè ſapitis? Græcus: *Nonne carnales eſtis?* Nondum plurimum in Chriſtianæ Religionis perfectione profeciſſe vos, fatendum eſt, cùm ſchiſma inter vos audiatur, *Ego ſum Pauli; ego Apollo;* ac ſi Paulus (h) & Apollo magiſtri, & principes veſtri ſint ac domini. Diſſidia hæc nonniſi ex ignorantiâ & malâ cupiditate cordi inſitâ naſci potuerunt.

℣. 5. Mi-

(a) *Clem. Alex. Pædag. lib. 1, cap. 6:* Τοῖς γοῦν κατηχουμένοις, καὶ νηπίοις οὖσιν ἐν Χριστῷ. Τοῖς νεοκατηχήτοις, καὶ μηδέπω κεκαθαρμένοις, ὡς ἔτι σαρκικοὺς αὐτοὺς λέγει, ἐπειδὴ τοῖς ἐθνικοῖς τὰ σαρκὸς ἔτι φρονοῦντας. (b) *Vide Sup.* II, 6, 15, 16; *Epheſ.* IV, 13; *Hebr.* V, 14.

(c) *Ignatius ad Trallianos:* Οὐ δύναμαι τὰ ἐπουράνια γράψαι, ἀλλὰ φοβοῦμαι μὴ νηπίοις οὖσιν ὑμῖν βλάβην παραθῶ. Καὶ συγγνωμονεῖτέ μοι, μήποτε οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι, στραγγαλωθῆτε.

(d) *Origen. lib. 3 contra Celſ.* Τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ, καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐποροῦμεν συνετῶν ἀκροατῶν. Ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα τοὺς συνερχομένους, καὶ δεομένους λόγου τροπικῶς ὀνομαζομένου γάλα.

(e) *Theophraſt. Charact.* Περὶ ἀηδίας. Τὸ παιδίον τῆς τίτθης ἀφελόμενος, μασσώμενος σιτίζειν αὐτός.

(f) *Græc.* Ζῆλος, καὶ ἔρις, καὶ διχοστασίαι, *Æmulatio, & contentio, & diſſenſiones.* At neque Ms. Alexandrinum, neque Cophtica, Æthiopica, Clemens Alexandrinus, aliique plures legunt, διχοστασίαι, *diſſenſiones.* (g) Οὐχὶ σαρκικοί ἐστε. *Sed Mſſ. Alex. Clarom. GG. LL. Borner. G. L. Barber. 1, Copht. Æthiop. Aug. Ambroſ. Homines eſtis,* ἄνθρωποί ἐστε.

(h) *Galat.* V, 20.

℣. 5. Miniſtri ejus, cui crediſtis, & unicuique ſicut Dominus dedit.

℣. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit: ſed Deus incrementum dedit.

℣. 7. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed, qui incrementum dat, Deus.

℣. 8. Qui autem plantat, & qui rigat, unum ſunt. Unusquiſque autem propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem.

℣. 9. Dei enim ſumus adjutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.

℣. 10. Secundùm gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet.

COMMENTARIUS.

℣. 5. Ministri ejus, cui credidistis. Quando unquam occurrit, ut poſt accepta ex Principe aliquo, aut optimate, vel amico ingentia beneficia, aboleatur largitoris memoria, ut miniſtrorum illius nomen retineatur? Apollo & Paulus miniſtri ſumus tantummodò & inſtrumenta, quibus Deus vos ad Fidem perduxit. Græcus (i): *Nonne miniſtri ſunt, per quos crediſtis?*

℣. 6. Ego plantavi. Ego primus Evangelium Corinthi nunciavi. *Apollo rigavit*; me excipiens Apollo, jacta ſemina rigavit; ſed neuter ut in cordibus veſtris Fides germinaret, neque ut lux menti veſtræ affunderetur, nec denique ut motionem voluntas veſtra ſentiret, effecimus. Deus unus laboribus hiſce noſtris favens, ad Fidem vos non fruſtra vocavit (k). Nobis quidem datum eſt, ut aures corporis veſtri, & ipſam veluti ſpiritûs ſuperficiem tangeremus: at quòd perſuaderemini, quòd veritatem agnoſceretis, vitâ æternâ digni efficeremini; denique quòd fide vivâ per charitatem inſtrueremini, quòd ſuperſtitionem & peccata abdicaretis, hæc porrò Dei unius opera ſunt (l).

℣. 8. Qui plantat et qui rigat, unum sunt, miniſterio. Uterque pares ſunt, qua Dei ſervi: neuter vos ad Fidem perducere, aut corda veſtra piè afficere valuit. Uterque inſtrumenta fuerunt, quæ Deus in veſtram utilitatem & inſtitutionem adhibuit; ſed unus ipſe interiori voce vos admonuit, & intimâ gratiæ ſuæ vi traxit (m).

Secundum suum laborem. In præmii largitione Deus ſucceſſum laborum non ſpectat; novit enim, proſperum rei ſucceſſum a ſe uno pendêre. Præmio donat labores, etiamſi fruſtra ceſſerint. Infelix rei eventus merito operis apud Deum nihil detrahit (n); qui, licèt Apoſtoli & Prædicatoris labores coronans, dona ſua peculiaria, & beneficia illis impenſa remuneratur; rationem tamen referre illis vult eorum, quæ in ſui obſequium agunt, gratiæ ſuæ & piæ mentis motioni cooperantes. Neque enim niſi opus, quod in gratiam obſequiumque Dei præſtitum eſt, & charitate animatur, æternæ vitæ meritum obtinet (o).

℣. 9. Dei enim sumus adjutores; operis ſcilicet adjutores (p). Non quòd egeat Deus hominum ope & adminiculo; quaſi abſque nobis præſtare nihil poſſit (q); libet illi dumtaxat nobis uti, tamquam inſtrumento libero & animato. Ipſo ceſſante, nunquam labores hominum cum merito & aliorum utilitate proficient. Sæpè Deus impios in miniſterium adhibet, ut Electorum ſuorum felicitatem procuret. Igitur quòd Deus nos ad opus ſuum adhibeat, inde colligendum non eſt, nos a Deo probari; nec ex eo certum exhibetur futuræ mercedis pignus, quòd laboribus noſtris exitus felix accedat. Gloriam ſuam in præmium nunquam largietur Deus, niſi operibus, quæ Spiritu ejus intus agente præſtita fuerint.

Dei agricultura estis. Prædicatores & Apoſtoli ſunt Dei ſervi, quibus Deus in agri ſuâ culturam utitur, ut cædant ſcilicet, diſponant, lapides in ædificium ordinent. Petrus, Paulus, Cephas, Apollo de felici ſegetis ubertate, aut eleganti ædificii ſtructurâ gloriam ſibi, quæ tota agricolæ eſt & Architecti, vindicare non poſſunt.

℣. 10. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Membro ſuperiore docuit, unum eſſe Deum, qui conſtruit ædificium & dirigit: hìc autem ſubdit, ſe peritum eſſe architectum: *Ut ſapiens architectus fundamentum poſui*. Id tamen non abſolutè ſibi tribuit, ſed ex parte, nempe per gratiam, quam a Deo obtinuit; ut proinde tota laboris operiſque gloria in Deum referatur (r). Ego quidem ſpiritalis ædificii veſtri fundamenta poſui, ſed Dei juſſu & ope. Ipſe me ad Apoſtolicum munus vocans, ad nunciandum Evangelium deſtinavit, laboreſque meos favore promovit.

Alius autem superædificat. Apollo, cæterique ſucceſſores mei ſuper locatum a me fundamentum fabricati ſunt. *Unuſquiſque autem videat, quomodo ſuperædificet*; videat ſcilicet quæ doctrina ſua, quæ fides ſit, quæ dogmata, quæ morum regula (s). Fundamentum ſtabile eſt; novi enim quam Fidem vo-

(i) Ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε. *Sed Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Auguſt. Vulg. Ejus cui crediſtis. Velez.* αὐτοῦ ᾧ ἐπιστεύσατε.

(k) *Vide Auguſt. contra 2 Epiſt. Petil. cap.* 54; *& tract.* 80 *in Joan. & tract.* 7 *in Epiſt.* 1 *Joan. Miniſteria forinſecùs adjutoria ſunt, & admonitiones; cathedram tamen in cœlo habet, qui corda docet. Sic ſunt hæc verba quæ forinſecùs dicimus, quomodo eſt agricola ad arborem. Forinſecùs enim agricola operatur, ſed tamen poma non format. Ita D. Thom. Eſt. Juſtin. alii.*

(l) *Clem. Alex. Theodoret. Eſt. Men. alii.*

(m) *Auguſt. lib. de Grat. Chriſti adverſus Pelag. & Celeſt. cap.* 35, *n.* 38: *An credat aliquod adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ, per inſpirationem flagrantiſſimæ atque luminoſiſſimæ charitatis.* (n) *Vide Chryſoſt. hic, & Theodoret. & alios.* (o) *D. Thom. Dionyſ. Carth. Eſt.*

(p) Συνεργοί, *Cooperatores, operis adjutores.* (q) *Theodoret. Eſt. Iſai. XL,* 13: *Quis adjuvit Spiritum Domini? Greg. Magn. lib.* 3 *Moral. in Job, cap.* 15. (r) *Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Grot. Juſtin. alii.* (s) *Vide Primaſ. D. Thom. Ambroſiaſt. Herva. Eſt. Grot. Juſtinian.*

Digitized by Google

℣. 11. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

℣. 12. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam:

℣. 13. Uniuſcujusque opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujusque opus quale ſit, ignis probabit.

COMMENTARIUS.

vobis nunciaverim, quam morum regulam tradiderim; ſed vadem me pro cæteris non exhibeo. Deus judicet. Si fortè illi pro firmis lapidibus ac marmore ſuperſtruunt ligna, ſtipulam, male compactum lutum, brevì fiet, ut moles tota corruat, vel flammis abſumatur. Si pro doctrinâ ſanâ, ſacris e Scripturis, erutâ ponunt ſcientiam inanem, & philoſophiam omnino profanam; ſi relictâ Sancti Spiritûs impreſſione, ferri ſe patiuntur inani ambitione, & ſtultâ dominandi cupiditate, aut curioſitate, fiet brevì, ut labores illorum fruſtra cadant, & ædificium evertatur. Veſerum plures (*t*) cum Recentioribus nonnullis ædificio ſuper fundamentum erecto deſignari arbitrantur bona quæque opera, ab hominibus poſt Fidem & baptismum facta. Sed prior interpretatio, quæ de doctrinâ explicat, literæ magis congruere videtur.

℣. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est. *Nemo potest*, ſcilicet, *Nemo debet*; quemadmodum & ℣. 1: *Non potui*, ideſt, non debui, *loqui vobis quaſi ſpiritualibus*; & infra (*u*): *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum*; id eſt, indignum eſt, cultum Domini ſimul & Dæmonis miſcere. Docet igitur Apoſtolus, Evangelii præcones, qui ſibi ſucceſſere, non debuiſſe doctrinam aliam tradere, aut diverſo ſermone loqui; ſe enim fundamentum locaſſe ipſum Jeſum Chriſtum, præter quem ſi quis aliquid prædicaverit, ædificium penitus ruiturum.

℣. 12. Siquis superædificat supra fundamentum hoc, aurum, &c. Varia eſt ſententiæ hujus interpretatio, utì ſupra, ℣. 10, ſignificavimus. Græci Patres (*x*) vulgò explicant de operibus bonis malisque, quæ quis poſt baptismum & Chriſtianæ Religionis profeſſionem præſtiterit. Verùm Latini Patres (*y*), cum frequenti ſacrorum Scriptorum turbâ, de doctrinâ interpretantur malâ vel bonâ, quam quis, ſive Apoſtolus ſive Apoſtolicus Miniſter, prædicaverit iis, qui dogmata Fidei jam exceperunt. Inter mala primorum illorum ſæculorum peſſimum erat, perſonatorum Apoſtolorum, quos Synagoga ſuppeditaverat, turba, quippe qui ubique ſeſe inſinuarent, arrogarent ſibi potiſſimùm prædicationem ad Gentiles Neophytos, docerentque, nihil illis reliqua omnia profutura, niſi legalia ſervarent, Hos arguit Apoſtolus in plerisque Epiſtolis; eosdemque ait ſuperſtruere ligna, fœnum, ſtipulam fundamento, quod jam locatum eſt. *Aurum, argentum & lapides pretioſi* SS. Auguſtino (*z*) & Gregorio Magno (*a*) ſunt bona opera, ſalute æternâ digna; *ligna* verò, *fœnum, ſtipula* ſunt venialia delicta, & rerum temporalium cupiditas.

℣. 13. Dies enim Domini (*b*) declarabit. Dies Domini, dies judicii eſt (*c*). Ignis omnia abſumens, quæ in terrâ continentur, diem illam terribilem præiturus, ea deteget, quæ huic fundamento ſuperſtructa ſunt; deteget, inquam, non per ſe quidem, neque enim ſpiritus igne tanguntur, neque conſcientiæ, ut ea quæ ignorant, velut affusâ luce hoc igne, detegantur; ſed illum ſtatim excipiet Judicium ſupremum, in quo pandentur volumina, & cordium arcana atque occultas quasque veritates Deus revelabit. Tunc utique fiet, ut boni malique Evangelii Præcones dignoscantur; quemadmodum & genuinus Fidelis, qui firmus veritati & fundamento inhæſit, ab altero, qui rapi ſe in omnem doctrinæ ventum permiſit, quique in agro cordis ſui inter triticum incautus lolium admiſit.

Eſt aliis (*d*) *dies* ærumnarum, vexationum & diſcriminis. His quippe juſtus ab hypocritâ diſtinguitur; verus Apoſtolus ab Impoſtore, lupus ovillâ pelle tectus ab ove (*e*), Alii planiùs ſic explicant (*f*): Qui fuerint illi, tunc compertum erit. Veritas filia temporis eſt, utì dicitur: temporis beneficio omnia tandem, vel occultiſſima, revelantur (*g*). Alii (*h*) malunt hæc interpretari de ultione, quam Deus parabat in Judæos, & mendaces prioris illius ſæculi Chriſtianos, quorum crimina invidiam Chriſtianæ Religioni apud Gentiles conflabant. Denique placet nonnullis (*i*) accipere de Spiritu Sancto, ſeu de lucernâ Verbi Dei, quæ adhuc exiſtit in Eccleſiâ, quæque id præſtat, ut temporis ſucceſſu majori diligentiâ expendantur Doctorum ſententiæ, adeoque & quæ a regulâ veritatis & fidei aliena ſunt, abjiciantur ac reprobentur. Re ipsâ quidem noſtrâ demum ætate ſententiarum quarumdam falſitas, quæ prioribus Eccleſiæ ſæculis obtinuerant, innotuit.

Recepta magis & proclivior ſententia ad ſupremum Judicii diem hæc verba refert: & nomine ignis abſumentis ligna, ſtipulam, fœnum, interpretatur ignem, qui ante ſupremum illum diem ter-

(t) *Chryſoſt. Theodoret. alii Græci antiqui & recentiores.*
(u) 1 *Cor.* x, 21. (x) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. & alii.*
(y) *Ambroſiaſt. Sedul. Hervæus, D. Thom. Lyran. Carthuſ. Cajet. Eſt. Menoch. Juſtinian. alii.*
(z) *Auguſt. lib. de Fide & operib. cap.* 56; *Enchirid. cap.* 68; *in Pſalm.* 37, & 80.
(a) *Greg. Magn. lib.* 4 *Dialog. c.* 30. (b) *Græc.* Ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει, *Dies enim manifeſtabit.* Omittit *Domini*; quæ vox in vetuſtiſſimis Græcis Exemplaribus, multisque Latinis deeſt.
(c) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Alii Græci. Aug. Enchirid. cap.* 68; *Greg. lib.* 4 *Dialog. Sedul. Haymo, Hervæus, Carthuſ. Eſt. alii plerique.* (d) *Auguſt. & Greg. Magn. locis citatis.*
(e) *Joan.* x, 12. (f) *Grot. Verſ. Erlater. Calv.* (g) *Sophocl.*
Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα. *Et Simonides*;
Οὐκ ἔστιν μείζων βάσανος χρόνου οὐδενὸς ἔργου.
(h) *Hamm. Ligfoot.*
(i) *Calv. Para. Verſ. Piſc. Sclater. Le Clerc.*

℣. 14. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet.

℣. 15. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipse autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

℣. 16. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis?

℣. 17. Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

COMMENTARIUS.

terram comburet. Igne hoc ſcelera omnia conflagrabunt, nempe maculæ peccatorum nondum elutæ purgabuntur (*k*), ut nullus exinde Purgatorio locus ſuperſit, & juſti omnes beatitudine fruantur. De naturâ ignis, qui animas poſt mortem expiabit, Patrum ac Theologorum diverſa eſt opinio. Cenſent quidam, animas omnes, ne exceptis quidem ſanctiſſimis, e mundo migrantes, per ignem tranſire, antequam in Cœlum deferantur. Alii (*l*) ſignificari hìc ignem Purgatorii opinantur, per quem plerique, vel ii pariter qui vitam innoxiam egerunt, tranſire coguntur, ad reliquias peccatorum expiandas. S. Chryſoſtomus (*m*), Theophylactus, & Græcorum alii expreſſum hìc agnoſcunt ignem infernum, quo reprobi immortali cruciatu torquentur.

℣. 14. Si cujus opus manserit; ſiquis fundamento ſuperſtruxerit aurum, argentum, gemmas, ſubſtructio illa manebit, & præmium ille, quicumque fuerit, referet. Si probus eſt & fidelis Doctor, cujus doctrina ſana fuerit, pura & ſolida, laboris illius Deus rationem habiturus eſt, & præmium rependet.

℣. 15. Si cujus opus arserit. Si quis optimo & ſolido fundamento ſuperſtruxerit ſtipulam vel lignum; ideſt, ſi quis prædicaverit doctrinam ſpecie tantummodo ſanam, humanam, inanem, curioſam; *detrimentum patietur*: ejus opus peribit, & præmio artifex carebit. *Ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem*. Velut homo qui per ignem ſemiuſtus tranſit, quique id unum molitur, ut per flammas viam ſibi uni aperiat, neglectâ ſupellectili (*n*). *Salvum eſſe quaſi per ignem*, proverbium eſt, ſacris æquè ac Profanis perfamiliare. Amos & Zacharias his verbis (*o*) idem exprimunt: *Facti eſtis ut torris raptus ex incendio*. S. Judas (*p*): *Hos quidem arguite, illos verò ſalvate, de igne rapientes*. Apud Livium Æmilius Paulus (*q*) ait, ſe *populare incendium priore Conſulatu ſemiuſtum effugiſſe*. De hominis vitâ differens Cicero, ait (*r*): *Ex quo intelligi licet, non naſci longè optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quàm primùm mori, & tamquam ex incendio effugere fortunæ*. S. Cyprianus ad mortis contemptum hortatur, eadem proponens (*s*): *Exeundum eſt velociter de incendio ſarcinis, priuſquam flammis ſupervenientibus concremetur. Nemo diu tutus eſt periculo proximus*.

Ignis, de quo hìc Apoſtolus, Purgatorium eſſe ignem, Patres & Catholici Theologi docent. Pravi doctores, hypocritæ, deceptores, lupi, qui in ovile irrumpunt, ut gregem perdant, ad infernum ignem damnati, pœnas æternas luent; quippe qui fundamento ſuperſtruere recuſantes, illud potiùs pro viribus evulſerunt. Vide infra, ℣. 17. At Prædicatores alii, qui vel imbecillitate, vel præjudicatâ opinione, vel nimio amore ſcientiæ ſive eloquentiæ humanæ inducti, fundamento ſuperſtruxere ſtipulam & fœnum, ita ſervabuntur quaſi per ignem; audaciæ pœnas dabunt, ſed imbecillitatis eorum Deus miſerebitur. Hæc omnia in alterâ vitâ implentur ſtatim poſt hominum deceſſum, per ignem Purgatorii; tum in exitu ſæculorum, ante communem hominum reſurrectionem, per ignem de quo ℣. 13, implebuntur (*t*).

℣. 16. Nescitis quia Templum Dei estis. Hactenus de fundamento ac Templi ædificatione egit. Fundamentum ipſe eſt Jeſus Chriſtus; Apoſtoli ædificant; Eccleſia ædificium eſt. Fideles ſinguli pro ſe quisque in Templi conſtructionem veniunt (*u*). Singuli pariter Templum ſunt Dei, in quo Spiritus Sanctus reſidet. Poſtquam igitur Apoſtolus ſortem ædificantium expoſuit, deſcribit officia eorum, qui viva Templa Dei ſunt. Vos igitur, fratres, qui Templum Dei eſtis, inſidens fundamento Prophetarum, Apoſtolorum & Jeſu Chriſti (*x*), fidei puritatem & morum innocentiam colite. Vitate larvas haſce Apoſtolorum, quorum nonnulli veſtrum exitium quærunt; alii verò fundamento nihil adjiciunt niſi fœnum, ligna, ſtipulam. Vos autem firmi inhærete Fidei, quam ex nobis accepiſtis, nec rapi vos ſinite omni doctrinæ vento (*y*).

Spiritus Dei habitat in vobis per gratiam, dona cœleſtia, ac denique per ſe ipſum. Docet alibi (*z*), Fideles eſſe Templum Spiritûs Sancti. Deus igitur eſt Spiritus Sanctus (*a*); cùm enim Templum ſimus Sancti Spiritûs, ipſius Dei Templum ſumus. Arca Fœderis in Templo Jeroſolymitano perinde erat, ac pignus Dei præſentis. Qui nos animat, dirigit, conſecrat Spiritus Sanctus, non tantùm pignus eſt & argumentum Dei nobis inſidentis, ſed & ipſe Deus eſt, in cordibus noſtris reſidens. ℣. 17. Si

(k) *Origen. in Luc. homil.* 14; *Hilar. in Pſal.* CXVII, *litt.* 3, *num.* 4, 12; *Ambroſ. in Pſal.* XXXVI; *& in Pſal.* CXVIII, *ſerm.* 3, *&* 20; *Lactant. lib.* 7, *cap.* 21; *Baſil. in Iſai.* IV; *Rupert. lib.* 2 *in Geneſ. cap.* 32; *Eucher. homil.* 3 *de Epiph. Domini*; *Alcuin. lib.* 3 *Trinit. cap.* 21.
(l) *Concil. Florentin. Ambroſ. Theodoret. D. Thom. alii, quos vide apud Bellarm. de Purgatorio, & Salmeron. hic.* (m) *Chryſoſt.* Οὐχὶ γὰρ αὐτὸς ὥσπερ ἀπολεῖται, ὡς τὰ ἔργα, εἰς τὸ μηδὲν χωρῶν. Ἀλλὰ μενεῖ ἐν τῷ πυρί. (n) *Vide Hamm. hic.* (o) *Amos*, IV, 11; *Zach.* III.
(p) *Judæ*, ℣. 23. (q) *T. Liv. lib.* 22, *cap.* 40. (r) *Cicero, de Conſolatione*. (s) *Cyprian. Ep.* 66.
(t) *Auguſt. lib.* XXI *de Civit. cap.* 13, *&* 16; *& Eſt. hic.* (u) 1 *Petri*, II, 4. 5: *Et vos tamquam lapides vivi ſuperædificamini.* (x) *Epheſ.* II, 20: *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu.*
(y) *Epheſ.* IV, 14: *Et circumferamur omni vento doctrinæ.*
(z) 1 *Cor.* VI, 19.
(a) *Aug. lib.* 3 *contra Maximin. cap.* 21.

Digitized by Google

℣. 18. Nemo ſe ſeducat. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.

℣. 19. Sapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutiâ eorum.

℣. 20. Et iterum: Dominus novit cogitationes ſapientium, quoniam vanæ ſunt.

℣. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus.

℣. 22. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura: omnia enim veſtra ſunt:

℣. 23. Vos autem Chriſti: Chriſtus autem Dei.

COMMENTARIUS.

℣. 17. SI QUIS AUTEM TEMPLUM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLUM DEUS *(b)*. Spiritale Eccleſiæ Templum doctrinarum perverſitate ac pravitate violatur, cùm ædificium evertant illæ, atque concutiant fundamenta. Violatur etiam, prava exempla, & periculoſa dogmata inducendo; violatur miſcendo turbas, diſſidia, ſcandala; denique privatus quisque intimi Templi ſui ſanctitatem morum corruptelâ, & vitæ licentiâ violat. Id genus hominum ſervatum iri veluti per ignem, non aſſero: peribunt in æternum: *Disperdet illum Deus.*

℣. 18. NEMO SE SEDUCAT. Cùm adverſùs fraudes Pſeudo-Doctorum cautos diſcipulos ſuos jam præſtiterit Apoſtolus, ſibi ipſos pariter cavere jubet, ut curioſitatem, ſuperbiam, malumque ſui amorem vitent. Amabant Corinthii ſapientiam ſeu Philoſophiam, eloquentiam, rerumque novarum ſcientiam, quo ſub amore, non malo quidem ſpecie, periculoſum laqueum Apoſtolus detegit. *Si quis videtur inter vos*, ait, *ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Si vano ſcientiæ, philoſophiæ, & eloquentiæ, ac cæterarum rerum, quæ magni æſtimantur ab hominibus, ornamento gloriamini, iſthæc inania aſpernite, ut veram ſapientiam, quæ in Cruce Jeſu Chriſti poſita eſt, teneatis. Scientias reliquas abjicite, præter Evangelium, & ſcientiam ſalutis; quæ ſi ſtultitiæ damnentur ab hominibus, ſtultitiam iſtam ſectamini.

℣. 19. SAPIENTIA ENIM HUJUS MUNDI, STULTITIA EST APUD DEUM. Si Crucis ſapientia, ſtultitia eſt hominibus; ſapientia Mundi Deo viciſſim ſtultitia eſt. Unum ſupereſt, Deine an Mundi judicium erret; ex duobus enim oppoſitis ambo ſimul vera eſſe non poſſunt. Scriptura adverſùs Mundi ſapientiam judicat: *Comprehendam ſapientes in aſtutiâ eorum.* Univerſam eorum ſapientiam, errorem eſſe & cæcitatem, perſpicuè demonſtrabo. Principes Sacerdotum everſuros ſe Eccleſiam, neci tradito Jeſu Chriſto, opinati ſunt; quæ tamen Eccleſia ex hac potiſſimum necé ſtetit. Imperatores rebantur, e republicâ eſſe, veterem Religionem defendere, & Chriſtianos ad internecionem usque inſectari. Contra tamen factum eſt, ut vexationes illæ profanam Religionem everterent, Eccleſiam firmarent. Philoſophi nervos omnes eloquentiæ, argumentorum ſubtilitatem, vim, eruditionem, famam & auctoritatem adhibuerunt, ut dogmata ſua promoverent; ſed fruſtra hæc omnia. Jeſus Chriſtus adminicula hæc aſpernatus, ſuper everſam Idololatriam, philoſophiam, Regnumque Dæmonis, Eccleſiam ſuam conſtituit.

℣. 20. DOMINUS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIUM, QUONIAM VANÆ SUNT. Pſalmus ad literam legit *(c)*: *Cogitationes hominum*; ſed orationis ſeries demonſtrat, potiſſimùm cogitationes, conſilia, & meditationes ſapientum hujus Mundi ſpectari.

℣. 21. NEMO ITAQUE GLORIETUR IN HOMINIBUS. Nemo igitur deinceps oggerat illud: Ego ſum Pauli, ego Apollo; nemo doctorem ſuum alteri præponat, nec ſectis Eccleſiam ſcindat, uti Philoſophiam, quæ in varias diviſa partes, alia eſt Platonicorum, Stoicorum alia, Peripateticorum, aliorumque *(d)*.

℣. 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT. Omnia veſtris commodis ſerviunt, omnia ad inſtitutionem & ſanctificationem veſtram a Deo ordinata ſunt *(e)*: *Omnia ſuſtineo propter electos*, ajebat Apoſtolus *(f)*, *ut & ipſi ſalutem conſequantur.* Paulus, Cephas, Apollo non niſi inſtrumenta ſunt, quæ Deus deducendis vobis in beatitudinem adhibet. Doctores vobis ſunt; vos illorum non eſtis. Ne igitur, conſtitutum a Deo ordinem turbantes, finem ſcopumque in eo collocetis, quod via tantummodò & adminiculum eſt ad finem aſſequendum.

℣. 23. VOS AUTEM CHRISTI: CHRISTUS AUTEM DEI. Hunc ordinem Deus in Mundo ſtatuit. Deus unicus ſcopus eſt & finis, ad quem omnia feruntur, ſive quæ in Cœlo, ſive quæ in terrâ. Nec alium ſibi finem propoſuit Jeſus Chriſtus toto vitæ ſuæ mortalis curſu, præter gloriam Patris *(g)*. Apoſtoli cæterique Evangelii præcones id unum curant, ut mentes & corda ad cognitionem atque amorem Dei perducant. Denique Fidelis cujusque peculiare officium eſt, ut ſalutem ſuam in timore & charitate procurans,

(b) Εἴ τις τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ φθείρει, φθερεῖ αὐτὸν ὁ Θεός, *Si quis Templum Dei corrumpit, corrumpet illum Deus. Quod verbum metuentes multi Latini Interpretes, noluerunt dicere, Corrumpet, ſed, Diſperdet illum Deus. Et non deviantes a re ipſâ, offenſionem vocabuli devitarunt. Auguſt. contra Epiſt. fundamenti, cap. 39. Tertull. de Pudicitiâ, cap. 56, & alibi: Si quis templum Dei vitiaverit, vitiabit illum Deus.*

(c) *Pſal.* XCIV, 11. מחשבות אדם כי המה הבל 70: Τοὺς διαλογισμοὺς τῶν ἀνθρώπων, ὅτι εἰσὶ μάταιοι.

(d) *Vide Grot. Verſ.*

(e) *Rom.* VIII, 28: *Omnia cooperantur in bonum his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.*

(f) 2 *Timoth.* II, 10.

(g) *Joan.* VII, 18; XIV, 28; 1 *Cor.* XI, 3.

Dei gloriæ ſerviat. Ita demum fit, ut turbatæ licèt res mundi hujus videantur, Deus tamen ſemper in omnibus eluceat: *Ut ſit Deus omnia in omnibus (h)*. Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Deus, & ipſi pariter impii gloriam illius augent, licèt inviti *(i)*. Igitur omnia in Deum referte: in ipſo & propter ipſum vivite, nec in alio gloriam veſtram conſtituite.

CAPUT IV.

De Sacris Evangelii præconibus quid ſentiendum ſit. Ne judicium de re quacumque in anteceſſum feratur. Ne donis Dei gloriemur. Apoſtolorum conditio laborioſa atque humilis in hominum æſtimatione. Paulus brevì ſe Corinthi adfuturum ſpondet.

℣. 1. SIc nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.

℣. 2. Hìc jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur.

℣. 3. Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die: ſed neque meipsum judico.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SIC NOS EXISTIMET HOMO, UT MINISTROS CHRISTI. In eâ, quam ſibi Corinthii de Apoſtolis ſuis finxerent, opinione dupliciter peccabant; alios enim pluris juſto, alios æquo minoris faciebant. Cùm philoſophiam, eloquentiam, & ſæculares diſciplinas magnoperè amarent, ſiquis prædicationi Evangelii eas laudes adderet, illum efferebant; contra nihili faciebant eos, qui humili & ſimplici oratione Jeſum Chriſtum nunciebant. Quidem adhærebant Paulo, alii Cephæ, alii autem Apollo; nec verebantur palam ſe eorum aſſeclas & Diſcipulos profiteri; cùm interim alii novos Doctores ingenio ſuo quæreſent. Docet hìc Apoſtolus, ut juſtam & æquam de Doctoribus ſuis opinionem concipiant *(a)*, perinde de illis exiſtimandum eſſe, ac de *miniſtris Jeſu Chriſti & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* Si de illis ita ſenſeritis, majus erit vobis erga illos obſequium, ſtudiumque moderatum & decens; neque enim in illis niſi Deum unum reſpicietis.

℣. 2. HIC JAM QUÆRITUR *(b)* INTER DISPENSATORES. Apoſtoli quidem omnes & Sacri Præcones Evangelii, Miniſtri ſunt Dei, & diſpenſatores arcanorum illius: at non ex æquo integrâ fide omnes ſunt, aut parem æſtimationem merentur. Qui aliena bona diſtribuit præter voluntatem Domini, iniquus eſt diſpenſator. Si quis Eccleſiæ miniſter, tametſi haud miſſus, occurreſit, & minimè deſtinatus Evangelii prædicationem aggrediatur, diſpenſator eſt infidelis. Nec meliori elogio donandus eſt ille, qui fundamento ſolido Jeſu Chriſti fœnum ac ſtipulam ſuperſtruit. Animum igitur advertite, o Corinthii, ut ſecernatis eos, qui Jeſum Chriſtum vobis nunciant; neque enim pro rei dignitate id omnes præſtant, nec fiduciam veſtram ut in ſe collocetis, jure omnes exigunt.

℣. 3. MIHI AUTEM PRO MINIMO EST UT A VOBIS JUDICER, AUT AB HUMANO DIE; id eſt, ab homine quocumque. *Ab humano die (c)*; ideſt, judicio hominis *(d)*. Cilicem loquendi modum hìc expreſſum arbitratur S. Hieronymus, ratus e patriâ linguâ ab Apoſtolo acceptam. Alii Hebraiſmum ſuſpicantur. *Dies Domini* ſæpe judicium & vindictam Domini deſignat *(e)*. Dies hominis eſt Jeremiæ judicium hominis *(f)*: *Diem hominis non deſideravi: tu ſcis.* Theodoreto eſt mortalis vitæ brevitas *(g)*; ac Theophylacto *(h)* judicium hominis in dignitate conſtituti; ſolemne eſt enim Scripturæ, ait ille, dignitatis alicujus celſitudinem diem hominis appellare. Ambroſiaſtro denique ſunt leges inter homines inſtitutæ. Sed prior interpretatio majori Scriptorum aſſenſu probatur.

Quæ opponi ſibi poſſent, hìc Apoſtolus occupat. Ais, ſacros Evangelii Præcones omnes quidem diſpenſatores myſteriorum Dei eſſe; non verò omnes id muneris integrâ fide præſtare; quæ ergo ratione fideles ab infidelibus diſtinguantur? Num te unum fidelem miniſtrum facis? De me judicium vobis integrum permitto, reſpondet Apoſtolus; neque enim de hominum erga me opinione ſollicitum animum gero. Vel, de me ipſo judicium ferre non audeo; timeo enim ne mihi aſſenter: Domino judicium de me relinquo. Vos autem moneo, ut judicium veſtrum cohibeatis in rebus non apertè malis; ne veſtrum judicium Summi Judicis ſententiam prævertet; ſed contineri vos ſuadeo intra fines ſimplicis & humilis demiſſionis, nulli hominum temerè inhærentes, nec ſuperbè ſupra cæteros fratres vos efferentes. Hæc meos Apoſtoli verſiculis 4, 5, 6.

℣. 4. Ni-

(h) 1 *Cor.* xv, 28. (i) *Prov.* xvi, 4: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, quoque impium ad diem malum.*

(a) *Vide Theodoret. Grot. alios.*

(b) *Græc.* Ὃ δὲ λοιπὸν ζητεῖται, *Quod reliquum eſt, quæritur, &c. Quidam Codd.* ὧδε λοιπὸν, *hic jam, &c. Quidd.* ζητεῖτε, *quæritis*, ſeu *quærite*, pro ζητεῖται, *quæritur. Steph.* 3. *Alex. Lin. Cant.* 3. *Quid. apud. Oecum.* (c) Ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.

(d) *Hieronym. Ep. ad Algaſ. qu.* 10; *Eſt. Raban. Hug. S. Thom. Eraſm. Grot. Menoch. Juſtin. alii.*

(e) *Job*, XXIV, 1; *Iſai.* XIII, 6, 9; XXXIV. 8; LXI, 2; *Joël*, II, 11, 31; III, 14; *Amos*, V, 8, *&c.*

(f) *Jerem.* XVII, 16. (g) *Theodoret. hic*: Ἀνθρωπίνην δὲ ἡμέραν ἐκάλεσε τὸ τῆς φύσεως ὀλιγόβιον.

(h) *Theophyl. hic*: Ὑπ' ἄλλου τινὸς ἀνθρώπου ἐνδόξου, καὶ ὑψηλοῦ. Ἡμέραν γὰρ ἀνθρώπου ἡ γραφὴ τὸ ὕψος ἔνδοξον ὀνομάζειν.

℣. 4. Nihil enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Dominus eſt.

℣. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo.

℣. 6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, unus adversùs alterum infletur pro alio.

℣. 7. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?

COMMENTARIUS.

℣. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Quamquam nec diligentiæ nec fidei in munere meo præſtando quidquam me defuiſſe intelligo, non tamen ſecurum de innocentiâ meâ, & de penſo integrè reddito, coram Deo animum gero: proclive eſt enim Deo aliquid in me vitii noſcere, quod me fugit (i). Mihi ſemper timenda ſunt & ea quæ vel imprudens peccavi, & ea, in quibus fortè alii, mei causâ, deliquerunt. Igitur ſummi Judicis ſententiam opperiar. Humilis hæc in ſummo Apoſtolo modeſtia audaciam noſtram in ferendâ de cæteris ſententiâ arguit; monetque, ne animi eorum ſenſa, quæ fortè non aſſequimur, temerè damnemus; improbatque eorum audaciam, qui cenſent, Fidelium quemlibet juſtum effici ſtatim ac ille ſibi conſtanter perſuaſerit, ſe juſtitiam tenere: quam opinionem Concilium Tridentinum jure merito proſcribit (k).

℣. 5. Nolite ante tempus judicare. Id mihi non arrogo, ut judicium Dei de cæteris Evangelii præconibus prævertam, neque eò vos adigo, ut illos incognitâ causâ damnetis. Rem integram reſervate judicio Dei, *qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique a Deo*. Tunc quales fuerint, ex operibus palam fiet. Porrò ſi opera illa perſeveraverint, & tamquam aurum igne probatum intacta permanſerint, meritas illis laudes reddemus; ſin verò aliter res ceſſerit, poſt latam a Judice in illos ſententiam a nobis pariter condemnabuntur. Non vetat Apoſtolus judicium de malo ferri, cùm manifeſtum eſt; ut enim illud vitetur, noſci priùs oportet: ſed vetat, ne causâ non ſatis exploratâ, iniquam de proximo ſententiam feramus.

℣. 6. Hæc autem transfiguravi in me et Apollo propter vos: hæc ego meo & Apollo nomine propoſui, &c. His verbis inducti Veteres quidam (l) arbitrati ſunt, Apoſtolum ſe & Apollo propoſuiſſe, velut aſſumptum quoddam paradigma, ad exhibendum diſſidium Corinthiorum, nolens prodere nomina eorum, qui ſeditionis hujus auctores extiterant. Sed ea quæ hactenus in medium allata ſunt, perſpicuè oſtendunt, Paulum, Apollo, & fortè etiam Cepham, aliosque nonnullos, quorum ſupprimit nomina, ſchiſmatis hujus inter Corinthios argumentum fuiſſe. Illud igitur tantummodò innuit, ſe nonniſi Pauli, Apollo, & Cephæ nomina expreſſiſſe, ne probro perfunderet tum Corinthios, qui temerè adeò diſceſſerant in partes (m); cùm etiam eorum præceptores, qui gliſcentem ſeditionem vel non oppreſſerant, vel fortè promoverant.

Ut in nobis discatis, &c. ut ex nobis diſcatis modeſtè ſapere de nobis, præcipitatum judicium non ferre, nec temerè de proximo iniqua opinari: *Ne ſupra quàm ſcriptum eſt*; ne, quam præſcribo, legem transgrediamini; legem, inquam, ſupra, I. 31, propoſitam: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; tum capite III, ℣. 21: *Nemo glorietur in hominibus* (n). Sunt qui (o) illud, *Nemo ſupra quàm ſcriptum eſt*, accipiant de Sacris quibusque Scripturis. Nemo veſtrûm ſuperbiat, neque ſibi arroget quidquam ultra Sacrarum Scripturarum præſcriptum (p). Magiſtri æquè & Diſcipuli, diſcite uno Deo gloriari; ne de veſtris laudibus ſuperbiatis, ne de cæteris temerè judicetis. At priorem interpretationem cæteris præferimus.

Ne .... unus adversus alium inflatur pro alio. Ne quis virtute & doctrinâ Magiſtri ſui utatur in alterius incommodum. Hæc potiſſimùm cauſa erat diſſidii inter Corinthios: alii adversùs alios inſurgebant, ſingulis inſtitutorem ſuum, a quo baptiſmate tincti fuerant, ſupra reliquos Doctores efferentibus; ac ſi baptiſma e. g. Pauli baptiſmati Apollo præſtaret; ſive glorioſius eſſet, hujus quàm alterius prædicatione ad cognitionem veritatis perveniſſe.

℣. 7. Quis enim te discernit? Unde petitur ratio, cur alter alteri præferatur? Qua in re meritum veſtrum conſtituitis? An ideirco in ſuperbiam vos effertis, quòd meliùs inſtituti fuiſtis, aut plus cæteris profeciſtis; ſive denique crediditis perfectiùs, vel quòd Magiſtrum doctiorem & dignitate majorem ſortiti eſtis? Quaſi ſcilicet iſthæc omnia Dei dona non ſint, gratuito beneficio vobis tradita, & nullo bonorum operum merito acquiſita: *Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Sed plerique (q) referenda cenſent ad Corinthiorum Doctores. Vos qui diſſidium ambitione in-

(i) *Theodoret. hic.* Καίτοι παράνομον οὐδὲν ἐμαυτῷ συνειδὼς, ὥστε κρῖναι ἐμαυτῷ, ὅτ' ἄξιον ἐμαυτὸν ἀποφῆναι ἀνέξομαι, περιμένω δὲ τὴν τῦ Κυρίυ ψῆφον. *Vide & Chryſoſt. & Theophyl. & alios; maximè Grotium, qui poſt allata Chryſoſt. Hieronymi, Ignatii, Clem. Poſidii de Auguſtino teſtimonia, concludit: hac veriſſima hujus loci explicatio, nec quærenda eſt alia. Confer Pſalm.* XVIII, 12, 13: *Delicta quis intelligit, &c.* (k) *Concil. Trid. ſeſſ. 6, can. 14.*

(l) *Chryſoſt. Theodoret. Ambroſiaſt. alii. Vide & Eſt. Quid. apud Menoch. Vat. Hieronym. in Tit.* III, 3.

(m) *Oecumen.* Δι' ὑμᾶς, ἵνα μὴ ἀσιάσω ὑμᾶς ὀνομαςὶ καταντόμενος. *Vide Grotium.*

(n) *Vat. Menoc. Vorſt. Juſtin. Eſt. alii.* (o) *Cajet. Grot.*

(p) Grotius putat, Paulum alludere ad locum Deut. XVII, 20: *Ne elevetur cor ejus in ſuperbiam*: De Rege loquitur Moyſes. Si ſuperbia Regi interdicitur, moltò magis cæteris.

(q) *Chryſoſt. Theodoret. Grot. Eſt. Vatab. Juſtin. alii.*

℣. 8. Jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis: ſine nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.

℣. 9. Puto enim, quòd Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.

℣. 10. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

℣. 11. Usque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus,

℣. 12. Et laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus:

COMMENTARIUS.

induxiſtis & aliis, vos, inquam, alloquor: quid eſt quod vos diſtinguit, & alios ſupra alios effert? Quod veſtrum eſt conſilium, ubi ſectam in Eccleſiâ a cæteris ſegregatam inſtituitis? *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Doctrinamne, vocationem ad fidem, linguarum donum, vaticinandi facultatem? An non hæc omnia ex Deo? Cur igitur gloriam in illum non regeritis? cur diſſidia in Eccleſiâ ex ambitione orta non componitis, revocantes populum ad unicum illud cultûs, obſequii & amoris argumentum? Sed conſequens verſiculus priori explicationi, quæ de Fidelibus Corinthiis locum accipit, magis favere videtur.

℣. 8. Jam saturati estis. Corinthios alloquitur, qui velut obliti prioris vocationis, & modeſtiæ, quam illorum animis exemplo & ſermone Apoſtolus inſinuaverat, rapi ſe ad ambitionem permiſerant, ſtudebantque mutuò diſtingui laudibus adſcititiis, merito ſive dignitate Magiſtrorum, vel antiquitate vocationis ad fidem, & levioribus aliis argumentis. Huic eorum ambitioni coërcendæ Apoſtolus diſſimulatione quadam illos pungit: *Jam ſaturati eſtis*; quæ ejus verba ad Moſaica illa alludunt (r): *Incraſſatus eſt, & recalcitravit*. Jam divites evaſiſtis, vel ſaltem evaſiſſe vos opinamini, nullius ope vos indigere arbitrati (s); nihil jam vobis veteres Magiſtri veſtri proſunt; Philoſophos enim, Rhetores, viros doctos, & Oratores poſcitis. Evangelii doctrina nimis eſt vobis plana atque pedeſtris: *Sine nobis regnatis*; Regio more nullius imperium ſuſtinetis, ceu communibus legibus ſuperiores. *Et utinam regnetis!* utinam eò perfectionis deveniſſetis, ut opus non haberetis admonitione (t). Sed longiùs abeſtis ab opinione hac veſtrâ; qui ſi re ipsâ id aſſecuti eſſetis, nos perfectioni veſtræ plauderemus. Si vos regnaretis, regnaremos nos unà vobiſcum, quippe qui corona & gaudium noſtrum eſtis. Tangere ex obliquo videtur pſeudo-Apoſtolos, qui imperium quoddam in Fideles Corinthios exercere nitebantur.

℣. 9. Deus nos Apostolos novissimos ostendit: perinde nos Apoſtolos habere Deus videtur, ac hominum deſpectiſſimos. Dum vos largiùs in rerum ſpiritalium opulentiâ verſamini, nos Apoſtolos mala omnia opprimunt; & perinde ſumus ac nudi homines, ad beſtias in amphiteatro populi ſpectaculo damnati. Græcum ἐσχάτους, quod redditum eſt, Apoſtolos *noviſſimos*, deſignat propriè homines deſtinatos loco gladiatorum, vel eorum qui olim cum beſtiis in amphiteatro pugnabant; iis enim deinde ſubſtituebantur alii morte damnati (u): ac miſeros hoſce Apoſtolus hic reſpicit. Tertullianus (x) pro *morti deſtinatos* legebat *beſtiarios*, ad beſtias deſtinatos, vel cum beſtiis pugnantes.

Spectaculum facti sumus (y) Mundo, et Angelis, et hominibus. Probè intelligimus, Paulum cæteroſque Apoſtolos ſpectaculum fuiſſe mundo & hominibus, ob gravia ea mala, quæ ſubierunt. Qui verò & Angelis? ſi præſertim ſpectaculi nomen accipiatur de oblectatione inimicis exhibitâ, quemadmodum exhibebantur Apoſtoli ſpectaculum gentibus, a quibus vexabantur. S. Chryſoſtomus (z), Theodoretus, aliique plures explicanda hæc cenſuerunt de bonis Angelis, qui laboribus & pugnâ Sanctorum, unde illis ſumma felicitas orietur, ſummoperè delectantur. Sed alii hæc dicta accipiunt (a) de Angelis malis, qui hanc veluti vindictam ob imperii ſui everſionem expetebant.

℣. 10. Stulti propter Christum. Ceu dementes ab hominibus habemur (b), quippe quorum doctrina amentiæ damnatur. *Vos autem prudentes in Chriſto*. Iſtud ἐιρωνικῶς dicitur. Ne mala iſta vos tangant, ſolicitè cavetis; ſtudetis enim, ut ſapientiæ nomine commendemini, quippe qui philoſophiam, eloquentiam, prudentiam colitis; idque *in Jeſu Chriſto*, & in Eccleſiâ, in quam inducere nitimini ſtudium diſſidii, curioſitatis, ſuperbiæ, & ambitionis (c). *Nos infirmi*, malis omnibus, ærumnis, injuriis expoſiti; *vos autem fortes*, vos veſtrâ opinione inſuperabiles eſtis, & extra omnem ærumnarum ac malorum aleam. In patriâ tranquilli, rerum novarum curioſarumque ſtudio tenemini.

℣. 11. Usque in hanc horam esurimus et sitimus. Immeritò equidem nos Apoſtoli adeò ſoliciti ſumus, cùm vos ſecuri & quieti agatis. Si adeò commoda eſt ad Cœlum via, & ad Chriſtianæ perfectionis culmen aſcenſus, fruſtra nos angimur. Cur non ſectemur Corinthiorum exemplum, qui in opulentiâ & quiete ſedentes, patulas aures præbent Philoſophis & Oratoribus, qui vana & inania ſplendido quæſitoque ſermone venditant. Nihil acrius hac ironiâ.

℣. 13. Tam-

(r) *Deut.* XXXII, 15.

(s) *Chryſoſt. hic*: Οὐδενὸς δεῖσθε λοιπὸν, οὐδενὸς ἐν χρείᾳ καθεστηκέναι νομίζετε, οὔτε Ἀποστόλων οὔτε διδασκάλων κωμῳδῶν αὐτοὺς ἔλεγε. (t) *Oecumen.* Εἴθε ἦτε βασιλεύοντες, ἀλλ᾽ οὐκ ἐστέ.

(u) *Vide Selden. de Diis Syris; Præfat. Lud. de Dieu hic; Heinſ. Exercit. p.* 354, 355; *Scaliger. not. in Manil. lib.* 5; *Quiſtorp. Grot.* (x) *Tertull. de Pudicit. cap.* 14: *Beſtiarios*, *Gr.* Ἐπιθανατίους.

(y) Ὅτι θέατρον ἐγενήθημεν. (z) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Hieronymiaſt. Zegor. Juſtin. Cornel. alii.*

(a) *Vat. Eſt.* (b) *Theodoret. Eſt. Grot. Men.* (c) *Eſt. Grot. Men. alii.*

℣. 13. Blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſque adhuc.

℣. 14. Non ut confundam vos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo.

℣. 15. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui.

℣. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

℣. 17. Ideò miſi ad vos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in Domino: qui vos commonefaciet vias meas, quæ ſunt in Chriſto Jeſu, ſicut ubique in omni Eccleſiâ doceo.

℣. 18. Tamquam non venturus ſim ad vos, ſic inflati ſunt quidam.

COMMENTARIUS.

℣. 13. Tamquam purgamenta hujus mundi (d), Facti sumus omnium peripsema usque adhuc; nempe omnium excrementa. Verbis hiſce Apoſtoli (e) deſignari creduntur miſeri illi, qui apud Ethnicos deſtinabantur in victimas, ad averruncandam ab urbe vel gente luem, vel publicam calamitatem. Mos iſte apud veteres Gallos (f), Romanos, Athenienſes, plurimosque Orientales cernitur. Cùm ſtato aliquo tempore victimæ illæ publico ſumptu nutritæ fuiſſent purioribus cibis, die neci deſtinatâ floribus ac verbenis redimitæ circumducebantur, populo dira omnia in illas imprecante, ac rogante Deos, ut quæ mala Urbi imminerent, ea in ejus victimæ caput converterent. Tum flagris cæſæ, deinde vivæ cremabantur, projectis in mare cineribus, additâ imprecatione (g): *Eſto noſtra expiatio*, vel *redemptio*. Interdum vivus homo mergebatur mari, Neptuno Sacrificium. Quamobrem ſententia hæc Apoſtoli reddi poteſt: Facti ſumus tamquam victimæ illæ humanæ, quæ publicorum criminum causâ mactantur: tamquam ii, qui peccata totius gentis nece ſuâ expiant.

℣. 14. Non ut confundam vos, hæc scribo. Verbis hiſce Apoſtoli offendi Corinthii potuerunt; quorum proinde acrimoniam temperans, ait, ſe alio planè conſilio hæc ſcribere, quàm ut illis illudat, vel probro ſuffundat, ſed quòd ſui eſſe muneris credat, illos ceu filios & Diſcipulos officii ſui admonere. Non poſſum quin doleam, vos tantopere veſtra negligere.

℣. 15. Decem millia pædagogorum. Pædagogus eſt ductor vel præceptor, ad inſtitutionem adoleſcentis (h). Plus autem ſeveritatis eſt illis, & minus charitatis, quàm parentibus. Ego quidem aliis pædagogi nomen permittam; ſed patris nomen mihi retineo: diligo enim vos perinde ac filios, quos in Chriſto Jeſu per Evangelium genui. Itaque, filii chariſſimi, ℣. 16, *rogo vos, imitatores mei eſtote*; modeſtiam meam (i), animi demiſſionem, labores, & gloriæ humanæ contemptum imitamini. *Sicut & ego Chriſti* in his rebus imitator ſum. Græcus impreſſus (k) poſtrema hæc verba non legit, ſed tantùm habet: *Imitatores mei eſtote*.

℣. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, fidiſſimum Diſcipulum, ac filium in Chriſto Jeſu chariſſimum, ut turbatum in Eccleſiâ veſtrâ ordinem reſtituat, ut quæ ſit voluntas mea, doceat, pacem reſtauret, vitia tollat, ac de laboribus meis certiores vos reddat. *Qui vos commonefaciet vias meas*, doctrinam ſcilicet ac ærumnas meas narrabit (l). *Sicut ubique in omni Eccleſiâ doceo*. Ex ipſo audietis, nihil me a vobis poſtulare, niſi quæ ab omnibus Eccleſiis exigo; nihilque in vobis reprehendere, niſi quod ab omnibus Eccleſiis abeſſe deſidero. Corinthum vênit quidem Timotheus, ſed Epiſtolam hanc, uti viſum eſt S. Chryſoſtomo (m), non detulit. Facilè enim eò non pervênit, niſi ſeriùs aliquantò quàm reddita eſt: tranſeundum enim illi fuit per Macedoniam (n), atque inde Corinthum. Timotheum neceſſitudine conjunctum cum Apoſtolo fuiſſe, Origenes cenſuit (o). Illum equidem hîc & alibi ſæpe (p) chariſſimum filium appellat: hæc tamen verba ſanguinis conjunctionem neceſſariò non arguunt.

℣. 18. Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Corinthiorum nonnulli, rati, ſe nunquam Apoſtolum reviſuros, ſuperbiâ inflari cœperunt, & conſtitutam in eâ Eccleſiâ diſciplinam labefactare. Doctores alii, ejus

(d) Ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν, πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. Vox περίψημα, propriè ſignificat ſordes, id quod everritur; vel, ex Suida, id quod in mare projicitur, expiandæ urbis causâ.

(e) *Vide Grot. Eraſm. Strigel. Saubert. de Sacrific. c. 3, art. 21; Dougt. Analect. S. Thom. 1, Excurſ. 72; Pearſon. Vindic. Ignat. p. 2, p. 108, 209, G. H. Urſin. Analect. Sacr. l. 1, c. 29; & Quæſt. Bibl. 3, cap. 12; Hoſpin. de Feſtis Ethnic. pag. 138, 168; Outram. de Sacrif. lib. 1, cap. 22; Heinſ. Exercit. pag. 355; Le Moine, Var. ſacr. t. 2, p. 579; Le Cene, p. 608.*

(f) *Vide Jul. Cæſar. Commen. lib. 6; Serv. ad illud Virgil. Auri ſacra fames. Papin. Thebaid. 10; & Scholiaſt. Item Scholiaſt. in Plutum Ariſtophan. pag. 29:* Καθάρματα ἐλέγοντο οἱ ἐπὶ καθάρσει λοιμοῦ τινος, ἢ τινος ἑτέρας νόσου θυόμενοι τοῖς θεοῖς.

(g) Περίψημα ἡμῶν γένου. *Suidas.* (h) *Grot, Eſt. Vatab.* (i) *Theodoret. hic.*

(k) *Græc.* Μιμηταί μου γίνεσθε. *Sed Steph.* ιϛ, *Chryſoſtom. Cov.* 2, *Hieronymiaſter, Velez. Vulg.* Καθὼς καὶ ἐγὼ Χριστοῦ. *Ex 1 Cor.* xi, 1. (l) *Chryſoſt. hic:* Τὰς οἰκονομίας, τοὺς κινδύνους, τὰ ἔθη, τοὺς νόμους, τοὺς θεσμοὺς, κανόνας τοὺς Ἀποστολικοὺς, τὰ ἄλλα πάντα.

(m) *Chryſoſt. Argument. in hanc Epiſt. Ita & Græci Codd. ſubſcript. ad calcem hujus Epiſt.*

(n) *Act.* xix, 22.

(o) *Origen. in Rom.* xvi.

(p) 1 *Timoth.* 1, 2, 18; 2 *Timoth.* 1, 2; & 11, 1.

℣. 19. Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit: & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem.

℣. 20. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.

℣. 21. Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?

COMMENTARIUS.

ejus abſentiæ occaſione, indebitam ſibi auctoritatem vindicabant (q). Tantum autoritatis ſibi apud illos retinuerat Apoſtolus, ut gliſcentem licentiam præſens facilè coërcere poſſet; ſpondet igitur, ſtatim ſe eò venturum, ut audaciores in ordinem cogat. *Veniam ad vos citò, &c.* Venit equidem, ſed nonniſi poſt biennium; cujus moræ cauſa facilè fuit prioris hujus Epiſtolæ ſucceſſus, inductaque ab eâ inter Corinthios morum correctio. Alteram ad illos dedit Epiſtolam, antequam eò veniret.

℣. 19. COGNOSCAM NON SERMONEM EORUM, SED VIRTUTEM. Tunc res erit, non de ingenio & compiâ oratione, ſed de opere & virtute. Conferetur in medium, ſiquid utile Eccleſiæ, Jeſu Chriſto & Fidelium ſanctitati contulerint ii, qui nunc Magiſtros & Doctores agunt; qui dominari in Eccleſiâ, & conſtitutum a me ordinem invertere nituntur. Nam, ℣. 20, *Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.* Eccleſiæ regimen, Chriſtiana perfectio, animarum ſalus, profeſſio Evangelii, cordis converſio, non ab eloquentiâ quidem & hominum induſtriâ, ſed a Numinis omnipotentiâ & Spiritûs Sancti virtute petuntur a inde lux in mentem, ignis in voluntatem; ex illo cognitio & amor veritatis. Mundi converſio, & Eccleſiæ inſtitutio miraculis Apoſtolorum, non eloquentiæ, debentur (r).

℣. 21. IN VIRGA VENIAM AD VOS, AN IN CHARITATE? Græci hîc Caput quintum exordiuntur; cujus equidem Capitis verba iſta veluti exordium ſunt. Vultis, ut ad vos veniens magiſtri ſeveritate utar, an lenitate patris? eligite. Veſtrum eſt, adventum meum & ſeveritatem prævertere, ſi corrigatis vitia, quæque inter vos gliſcunt mala, tollatis. Mala iſta erant nuptiæ inceſtæ, & jurgia inter fratres. Virga, quam minitatur, eſt ſive cenſura, ſive anathema, ſive ſupplicium aliquod mortis vel ſubiti interitûs, quo rei punirentur (t); quemadmodum Petrus Ananiam & Saphiram morte affecit (u), & Paulus Elymam lucis uſurâ privavit (x).

CAPUT V.

Stupri reus apud Corinthios ab Apoſtolo permittitur Satanæ. Præcipit, ut ſe ab iis ſegregent, qui magnis criminibus inquinantur.

℣. 1. OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNINO AUDITUR INTER VOS FORNICATIO. Continuanda ſunt hæc cum præcedentibus: *In virgâ veniam ad vos, an in charitate & Spiritu manſuetudinis?* Cur non armatus virgâ veniam, cùm ſparſus ſit de vobis rumor, ſtupri reum inter vos verſari, & ſtupri *talis, quale nec inter gentes?* Grande malum eſt, tantum crimen in Eccleſiâ inveniri; ſed ſparſus rumor, pravumque exemplum ex eo partum, longè peſſimum (a). Cùm ait Apoſtolus, crimen illud vel a gentibus ignorari, *Qualis nec inter gentes*, per hyperbolen hæc dicta accipienda ſunt. Connubia hæc, quamvis rara, alicubi tamen permittebantur (b); quamquam non ſine cæterorum horrore (c), præſertim apud Romanos Græcosque, gentes olim maximè omnium cultas, qui Legibus moribuſque ſuis latè ubique dominabantur. Credibile eſt, inceſtas hujuſmodi nuptias Præfectos vel Magiſtratus Provinciæ latuiſſe; alioqui ex Romanorum Legibus conſequuta fuiſſet pœna (d).

ITA UT UXOREM PATRIS SUI ALIQUIS HABEAT; idque patre, fœminæ illius viro, adhuc ſuperſtite; quo crimen augetur, quodque Legis divinæ præſcripto utrumque, virum nempe ac mulierem, neci adjudicabat (e). Priorem fœminæ hujus virum ſuperſtitem adhuc fuiſſe, cum Interpretibus plurimis dixi (f); quod & ab Apoſtolo in alterâ ad Corinthios epiſtolâ non obſcurè innuitur iis verbis (g): *Et ſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt, &c.* Quis autem ille, qui injuriam paſſus eſt, niſi vitricus? Suſpicati ſunt quidam (h), hominem hunc nuptias cum novercâ conciliaſſe; ſed plerique vitiaſſe illam tantummodo arbitrantur (i); quod perinde ingens malum erat, cùm adulterio inceſtum adderet.

S. Chryſoſtomus (k) ac Theodoretus (l) cenſent, inceſtum hunc virum inter Principes ſeditionis ſeu ſchiſmatis, Corinthios in partes diſtrahen-

(q) *Chryſoſt. Theophyl. Juſtinian. Grot. Eſt.* (r) *Chryſoſt.* Διὰ σημείων, οὐ δι' εὐγλωττίας.
(s) *Eſt. Menoc. Juſtin. alii.* (t) *Ita Theodoret. hîc:* Ῥάβδον δὲ καλεῖ τὴν παιδευτικὴν ἐνέργειαν, διὰ ταύτης γὰρ ἐπήρωσε τὸν Ἐλύμαν τοῦ φωτός. *Ita Theophylact. Grot. alii.*
(u) *Act.* v, 3, 5. (x) *Act.* XIII, 8, 9, *&c.* (a) *Theodoret. Vide & Grot.* (b) *Vide Juſtinianum hîc.*
(c) *Eſt. Grot. Jac. Capell.* (d) *Vide Grot. ad* ℣. 2. (e) *Levit.* XX, 11: *Qui dormierit cum novercâ ſuâ, & revelaverit ignominiam patris ſui, morte moriantur ambo.*
(f) *Vide Eſt. Hervaum, Jacob. Capell. Ligfoot. alios plerosque.* (g) 2 *Cor.* VII, 12.
(h) *Eraſm. Grot. Vorſt.* (i) *Eſt. Juſtinian. alii.* (k) *Chryſoſt. hîc.*
(l) *Theodoret. Præfat. in Epiſt.* 1 *ad Corinth.*

℣. 2. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrûm, qui hoc opus fecit.

℣. 3. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt,

℣. 4. In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Jeſu,

℣. 5. Tradere hujuſmodi Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

hentis, fuiſſe. Vir, inquiunt, erat diſertiſſimus, cujus orationis ſuavitate capti, crimen illius, publicum licèt & apertum, Corinthii diſſimulabant, unam ejus eloquentiam admirati. Hinc Apoſtolus, coërcitâ Corinthiorum ſuperbiâ, & vanitate ſcientiarum humanarum detectâ, inceſtum hunc aggreditur, criminis illius deformitatem exponens. Sed quæ de eloquentiâ hominis ab his Patribus traduntur, dubia ſunt & incertiſſima.

℣. 2. Et vos inflati estis, Cùm laborandum vobis eſſet, ut peſſimum iſtud exemplum auferretis, curioſa & inania ſectamini; philoſophiæ & eloquentiæ vacatis; atque inter vos id unum agitatur, cujus quisque ſit cliens, Pauli ne an Petri, an Apollo, quaſi ſcilicet Eccleſia civilis ſit populi cœtus, in quo quisque ſuum ſibi Principem ſtatuit, ac peculiarem ſectam, a cæteris dogmatum varietate diſcretam, ſectatur.

Et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Neminem abjicit Eccleſia, niſi mœrens & invita (m). Vitioſum licèt atque informe membrum, nunquam tamen niſi cum dolore abſcinditor. Perinde uti mortuos & amiſſos plorant Chriſtiani eos, quos a ſocietate ſuâ ſegregare coguntur, ait Origenes (n); ita ferme uti ſolebant Pythagorici funus ducere eorum, qui a Pythagorâ diſcedebant.

Quæſtio agitatur de ſignificatione earum vocum: *Ut tollatur de medio veſtri.* Id aliqui (o) de corporis morte accipiunt, cujus pœnam utique legis Moſaicæ ſanctione delicti hujus reus incurrerat (p). Sed Fideles vix illum punire potuiſſent, niſi ad Præfectum urbis delatum. Nec ſanè hanc fuiſſe Apoſtoli mentem, credimus. Plerique (q) de excommunicatione explicant, Hebræos excommunicationem noviſſe, negante licèt Seldeno (r), certum eſt; nec adversùs majura delicta illam Profanæ pariter Gentes ignorabant (s). Mos idem omnibus ſæculis apud Chriſtianos ſtetit. Porrò hanc pœnam hominis hujus pervicacia & delictum merebantur; eamdemque inſligi debuiſſe, tota ſermonis ſeries demonſtrat.

℣. 3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi. Abſens licèt, hominem hunc ab Eccleſiæ ſocietate anathematis ſententiâ removi. Apoſtoli & Eccleſiarum Præſules, per quos Apoſtolorum auctoritas perennatur, jus habent ſententiam ferendi, damnandique reos, non præſentes modò, ſed & abſentes, in delictis publicis & famoſis (t). Hic verò Apoſtolus ſtatuiſſe tantummodo apud ſe videtur, ſententiam in ſontem ferre, nondum tamen conceptis verbis ſententiam hanc pronunciaſſe (u); id enim non obſcurè tota ſermonis ſeries demonſtrat, uti & ſecunda ad Corinthios Epiſtola.

℣. 4. In nomine Domini Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, inceſti reus homo, Satanæ tradatur. Nondum igitur traditus fuerat: at ſi ille in crimine perſeveraturus erat, Paulus ſpiritu ſeſe cum Eccleſiâ Corinthiorum conjungens, nomine & authoritate Jeſu Chriſti (x) illum Satanæ adjudicavit. Græci quidam Codices loci hujus ſyntaxim ita inſtruebant, legebantque: *Ego jam judicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini Jeſu Chriſti*; ideſt qui hanc invidiam in ſanctum Chriſti Nomen conflavit, grande hoc delictum in Eccleſiâ commiſit, *tradendum eſſe Satanæ*, &c. (y). Verùm quam primo loco dedimus interpretationem, æquiorem reputamus. Sententia autem ferenda erat in cœtu Fidelium, ritè priùs Jeſu Chriſti nomine invocato; cui Judicio præſens animo aderat Apoſtolus, principibus viris Eccleſiæ Corinthiorum adſiſtens. Denique Eccleſiaſticum ſolemne judicium inſtituendum erat.

℣. 5. Tradere hujusmodi Satanæ. Satanæ tradi, perinde eſſe Græci Patres (z) arbitrantur, ac re ipsâ permitti, ut a Dæmone quis poſſideatur, vel ſaltem ut morbo aliquo vexetur; quò fiat, ut corpore afflicto, anima purior effecta, ſalutem in Judicio Chriſti aſſequatur. Jam ſupra animadverſum eſt (a), ac deinceps etiam adnotabitur (b), olim in Eccleſiæ exordio uſuveniſſe frequenter, ut qui in crimen aliquod grave inciderent, punirentur ſive morte, ſive morbo, ſive Dæmonis obſeſſione; id quod vel ab excommunicatione ipsâ, & diris, quibus reus devovebatur, repetendum erat, ſive ab aliâ Eccleſiæ poteſtate, eo tempore conceſſâ, ut quemadmodum valetudinem prodigio reſtituebat, ita & divinâ vi morbos inferret.

Sed plerisque (c) *tradi Satanæ* nihil eſt aliud, quàm ab Eccleſiæ ſocietate ſegregari; quæ pœna erat Hebræorum *Cherem*, ſive anathematis majoris; vel *Schammata*, ſive excommunicationis menſtruæ; ſeu denique *Nidduï*, ſegregationis omnium le-

(m) *Conſtit. Apoſt. lib. 2, cap. 41:* Μετὰ λύπης καὶ πένθους ἀνιάτως ἔχοντα, τῆς ἐκκλησίας ἀπόκοπτε.
(n) *Origen. lib. 3 contra Celsum*, Οἱ (Χριστιανοὶ) ὡς ἀπολωλότας, καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας, ἤ τινος ἀτόπου γινομένους ὡς νεκροὺς πενθοῦσι.
(o) *Vide Tertull. cap. 14 de Pudicitiâ. Ligfoot.* (p) *Levit. xx, 11.*
(q) *Eſt. Juſtin. Menoc. Cornel. Grot. Beza, Hamm. Piſc. alii.* (r) *Selden. de Synedr. lib. 1, cap. 8.*
(s) *Vide Juſtinian. hic.* (t) *Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Juſtinian.* (u) *Eſt. Cajetan.*
(x) *D. Thom. Menoch. Eſt. Juſtin. Tirin. Vorſt.* (y) *Ita Codd. nonnulli apud Chryſoſt. hic;* Ὁ εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ ἐνυβρίσας, ὁ μετὰ τὸ γενέσθαι πιστὸς καὶ ἐπώνυμος ἐκείνης τῆς προσηγορίας, τοιαῦτα τολμήσας. (z) *Chryſoſt. Theodoret. alii Græci Interpp. Grot. Alii apud Selden. lib. 1 de Synedr. cap. 8; Ligfoot. Hora Thalm. Hamm. Vide & Auguſt. lib. 1, cap. 20, de ſerm. Domini in monte; & lib. 3 contra Ep. Parmen. cap. 1.* (a) *1 Cor. iv, 21; Act. v, 3, 5; xiii, 8, 9, &c.*
(b) *1 Cor. xi, 30: Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.*
(c) *Ambroſiaſt. Eſt. Juſtin. Menoc. Scalig. Sclater. Hamm. alii.*

℣. 6. Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?

℣. 7. Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

℣. 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.

℣. 9. Scripſi vobis in epiſtolâ: Ne commiſceamini fornicariis.

COMMENTARIUS.

leviſſimæ, & minimi temporis. Rei gravitas, & ipſa Apoſtoli oratio ſermonem hîc eſſe de anathemate, non obſcurè demonſtrant. Id circò autem anathema iſtud *traditio Satanæ* appellabatur, quòd extra Eccleſiam Mundus ceu Dæmonis Imperium haberetur; quòdque pariter ab Eccleſiâ ita avolſi, precibus, ſuffragiis, Sacramentis, aliisque publicis & communibus auxiliis, quibus adversùs Satanam munimur, deſtituerentur; militum inſtar, qui deſertæ militiæ rei, nudi & inermes adverſariorum furori tradebantur *(d)*. Porrò id genus homines execrationi a reliquis Chriſtianis habitos fuiſſe, infra dicemus *(e)*. Vitabantur, & ſedulò cavebatur, ne quis obvios illos haberet: nihil ab illis datum accipiebatur, nec menſæ ſocii adhibebantur.

In interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Jam diximus, Patres non raros arbitrari, homines eâ cenſurâ ictos, morte ſive morbo ſubito correptos fuiſſe, ut in hac vitâ mulctati, in alterâ ſervarentur. Hanc explicationem S. Auguſtinus *(f)* alicubi probat; alibi verò *(g)* *interitum carnis* accipit de concupiſcentiæ cohibitione, quæ animæ vitam in homine parit. Patres quidam *(h)* verba illa, *Ut spiritus ſalvus ſit in die Domini*, exponunt de Spiritu Sancto, verſante in corde hominis morbo afflicti. Porrò vexationes, morbi, & mala, quæ quis corpore tolerat, in causâ ſunt, ne gratiâ Sancti Spiritûs deſtituatur. Sed planiùs dicta hæc accipiuntur de homine *(i)*, qui attritus, vexatus, & ſalutari probro per excommunicationis ſententiam obrutus, reſipiſcens per pœnitentiam, gratiam apud Deum obtinere, ſummumque malum extremâ Judicii die vitare meretur.

℣. 6. Non est bona gloriatio vestra: nihil eſt, cur adeò gloriemini; ſive, pudere vos debebat tanti flagitii, non erigenda erat cervix, tantumque ſcelus minimè negligendum. Græci Interpretes *(k)*, uti monuimus, cenſent, virum hunc nequam unum aliquem fuiſſe ex recentioribus Corinthiorum Magiſtris, quibus illi magnoperè plaudebant. Veteres quidam Codices *(l)* olim negantem particulam hinc tollebant: *Eſt bona gloriatio veſtrâ?* Id verò in ſententiam Vulgatæ recidit.

Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Græcus impreſſus *(m)*: *Totam maſſam fermentat*. Sed veteres archetypum legiſſe videtur, *corrumpit*, cùm præſertim ejus veſtigia adhuc in vetuſtiſſimis Codicibus ſuperſint *(n)*. Eâdem locutione utitur Apoſtolus in Epiſtolâ ad Galatas *(o)*; atque hoc ipſum reſpexiſſe videtur Jeſus Chriſtus, monens Diſcipulos *(p)*, ut a fermento Phariſæorum & Saducæorum caveant. Profanam cenſebant Judæi totam farinæ maſſam, ſi quid fermenti per ſeptem Paſchatis dies admiſceretur. Abierat id in proverbium, ut innueretur, cœtus omnes, religioſiſſimos licèt, totam ſanctitatis famam amittere, & facilè gliſcentibus vitiis corrumpi, ſi locum aliquem hominibus male moratis permiſerint. Præter eos dies, fermentum ſi miſceatur, non vitiat, ſed perficit. Hæc igitur accipienda ſunt de tempore Paſchali, quemadmodum ſermonis ſeries evincit.

℣. 7. Expurgate vetus fermentum. Spectatur hîc mos, qui olim ante diem Paſcharis obtinebat. In omnibus Hebræorum domibus ſedulò ſi quid eſſet fermenti, aut ad fermentum attinens, perquirebatur. Mactra ſollicitè expurgata, anguli omnes domûs explorati, ita ut ex ipſis ſedibus ſuis, ut verbis eorum utar, fermentum extruderetur. Ita quoque a vobis agendum eſt, ut Eccleſiam purgetis; ſiquid eſt impurum, ex quo ſordem referatis, abjicite. Segregate vos ab homine inceſti hujus reo, qui magnam in cœtum veſtrum invidiam conflat *(q)*; atque ita demum fiet, *ut ſitis nova conſperſio*, Paſchali perſimilis, qua azyma conficiuntur. Nam ex quo Jeſus Chriſtus verus agnus paſchalis *immolatus eſt*, vos evaſiſtis *azyma ſinceritatis & veritatis*.

℣. 8. Itaque epulemur non in fermento veteri. Chriſtianum Paſcha inſtituamus, paſti Eucharistiâ, vero Agno Paſchali. *Non in fermento veteri*, poſitis animi vitiis, in quibus olim verſabamini ante receptam fidem, nondum abjectis veteris hominis exuviis, ut in novos homines effingeremini *(r)*. *Neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*; hypocriſia & impuritatis; *ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Denique e medio veſtri malum ejicite, ut in cœtibus veſtris ſanctimonia, ſinceritas, æquitas, innocentia, veritas regnent. Si quid eſt immundum, ſiquid audax, ſi malæ cupidinis aliquid vanique ſtudii, exulet.

℣. 9. Scripsi vobis in Epistola. Non in alte-

(d) *Vide Chryſoſt. ad 2 Timoth. 2.*

(e) *Vide ſupra ad* ℣. 9, 21, *&c.* (f) *Auguſt. lib. 2 de Serm. Domini in monte, cap. 20, n. 65.*

(g) *Idem advers. Parmen. lib. 3, cap. 1. Ita Eſt. Grot. alii.* (h) *Theodoret. Oecum. Ambroſiaſt.*

(i) *Eſt. Men. Piſc. Grot. Cornel. Ita Auguſt. lib. de Serm. Domini in monte, cap. 20, n. 65; & lib. 3, cap. 2, contra Parmen. n. 3.* (k) *Chryſoſt. Theophylact. Vide Grot. & Eſt.*

(l) *Calarit. Ambroſiaſt. Codd. aliqui Latini apud Auguſt. lib. 3, cap. 2, contra Parmenian. Bona gloriatio veſtra; ſic enim nonnulli, & maximè Latini codices habent.*

(m) Ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.

(n) *Clarom.* δολοῖ, *corrumpit. alii* δηλοῖ. *alii* φθείρει. *Antiqui Latini, Corrumpit, ut Vulg. ex* δολοῖ. *Vide Mill. Not. hic, benè & fusè.* (o) *Galat. v, 9.* (p) *Matth. xvi, 6.*

(q) *Zeger. Eſt. Men. Tir. Sclater.* (r) *Juſtin. Dialog. pag. 179:* Μετὰ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας τῶν ἀζυμοφαγιῶν, νέαν ζύμην φυρᾶσαι ἑαυτοῖς ὁ Θεὸς παρήγγειλε, τουτέστιν ἄλλων ἔργων πρᾶξιν, καὶ μὴ τῶν παλαιῶν καὶ φαύλων τὴν μίμησιν. *Et pag. 178:* Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ σύμβολον τῶν ἀζύμων, ἵνα μὴ τὰ παλαιὰ τῆς κακῆς ζύμης ἔργα πράττητε.

℣. 10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus,
aut idolis ſervientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.
℣. 11. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri; ſi is, qui frater no-
minatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens, aut male-
dicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejusmodi nec cibum ſumere.
℣. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? Nonne
de iis, qui intus ſunt, vos judicatis?

COMMENTARIUS.

alterâ ad vos antea datâ, ſed in hac ipsâ, quam ſcribo (s), ſupra, ℣. 2, monens, *ut tollatur de medio veſtrûm* homo inceſti reus; & ℣. 6: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Cenſent quidam (t), alteram antea Epiſtolam a Paulo ad Corinthios datam, quæ ad noſtram ætatem, communi cum pluribus fato, non pervenerit. Fieri utique potuit, ut Apoſtolus alteram priorem dederit Epiſtolam; nec Textus hanc ſententiam reſpuit. Sed cùm æquè commodè noſtram quoque interpretationem litera admittat, nihil certi hac in re ſtatui poteſt.

℣. 10. NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI; Gentilibus nempe (u), quos Scriptura *fornicarios* ſæpe nominat; ſive mundi amatoribus, qui adeò ſæpè rerum terrenarum amore polluuntur. *Mundum* appellat hic quidquid ab Eccleſiâ ſincerâque Religione alienum eſt. Non illud moneo, ut ſecedatis a ſocietate avarorum raptorumque, qui illicitis pravisque artibus ſibi divitias comparant, nec denique eorum, qui idola ſectantur. *Alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe*; cùm extra Eccleſiam nihil fermè aliud occurrat, quàm iſta hominum peſtis. Latè regnat vitium & corruptela. Optandum eſt, ut ab eorum ſocietate removeamini: at cùm id fieri nequeat, ſaltem cavete, ne iis, qui criminibus notam nomini Jeſu Chriſti inurunt, occurratis. Ita demum fiet, ut gentiles traducatis ad fidem, quos probitas & morum veſtrorum ſanctitas vincet (x). Frater autem veſter ignominiâ obrutus, citiùs ad Deum redibit, reſipiſcet, pœnitentiam aget, ac denique veniam merebitur.

℣. 11. SI IS, QUI FRATER NOMINATUR, EST FORNICATOR, &c. Græcus reddi poteſt (y): *Si frater aliquis appellatur*, vel *renunciatur fornicator aut avarus*. Sive ex Vulgatâ, ac veterum Græcorum Latinorumque Patrum quampluribus (z), cum Syro, optimisque Codicibus: *Si quis eorum qui fratres appellantur, eſt fornicator*. Totum ſententiæ diſcrimen efficitur ex apice unius literulæ, quæ pro diverſâ pingendi ratione modò *vel*, modò *ſit* redditur. Vertunt quidam (a): *Si quis frater eſt fornicator inſignis & famoſus, vel avarus*, &c. Hos vitari jubet Apoſtolus, ne inita cum illis conſuetudo invidiam Eccleſiæ creet, tamquam turpia iſthæc flagitia admittat aut probet.

AUT IDOLIS SERVIENS. Nullo quidem negotio intelligimus, poſſe Chriſtianum in ſtuprum, avaritiam, obtrectationis vitium incidere; at quo pacto ad idola declinet, Chriſtianâ profeſſione non abdicatâ? Respondeo I, omnia hæc crimina Chriſtianæ profeſſioni perinde fermè repugnare, ac idolorum cultum. II, Chriſtianum aliquem imbecillem occultam aliquam animi propenſionem erga Idololatriam retinere poſſe, ac ſuperſtitioſis Paganorum cæremoniis, conviviis, ſolemnibus intereſſe. Neque enim reputandum eſt, Eccleſiam in cœtum ſuum admiſiſſe hominem apertè profanum, quemadmodum nec tolerabat avaros, fornicarios, ebrioſos, maledicos, iis vitiis palam & perpetuò detentos. At effici non poterat, ne homines nuper ex idolis abſtracti, languore quodam animi in ea interdum crimina reciderent, quibus diu laboraverant.

AUT EBRIOSUS. Id nominis non de illis tantùm uſurpatur, qui largiore mero e ſtatu mentis excedunt; ſed & de iis, qui quamdam quaſi potandi artem exercentes, modum excedunt, quamquam longâ potandi aſſuetudine adversùs noxios vini vapores caput obſirmaverint (b). Malus ejusmodi creaturæ uſus, diſcrimen quod objicitur iis, quibuscum bibitur, peccatum ebrioſitatis conſtituit. *Væ qui potentes eſtis*, ait Iſaias (c), *ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendum ebrietatem*. Vinum graviſſimus eſt adverſarius; tametſi enim non ſemper mentem lædat, noxios tamen ſemper pravosque animi affectus alit: pater eſt libidinis, iræ, diſſidiorum, malorumque omnium tum publicorum cùm privatorum. Quid ab eo alienum eſt, qui vino incaleſcit? Vide *Proverb.* XXIII, 29, 30 .... 34.

CUM EJUSMODI NEC CIBUM SUMERE. Ita ab illis cavete, ut ne menſæ quidem ſocios patiamini; neque ſacræ tantùm menſæ (d), quippe indignos, ut ne accedant quidem, dum hujus morbi virus perſeverat, ſed neque veſtræ familiaris; ne vos illis ciborum ſocios adjungite; ut probro onuſti, meliora tandem conſilia admittant; vosque nullum ex eorum ſocietate periculum incurratis. Dum vetat cibos cum illis ſumere, vetat pariter, ne reliqua vitæ civilis officia, conſuetudo, viſitationes, literarum commercia, itineris ſocietas ineantur. At in his omnibus ne unquam vobis excidat, fratrem eſſe illum; caventibus, ne odium peccati ipſam hominis perſonam feriat. *Nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem* (e).

℣. 12. QUID MIHI DE HIS, QUI FORIS SUNT, JUDICARE? de iis ſcilicet, qui extra Eccleſiam ſunt (f). Cur ego eorum conſuetudinem vitari jubeam? num judex conſtitutus ſum, ut illos damnem,

(s) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Hieronymiaſt. Tir. Sclater. Glaſſ. Ham. Verſ.*
(t) *Eſt. Juſtin. Grot. Para. Bez. Ligfoot. Lud. Capell.*
(u) *Chryſoſt.* Τὺς παρὰ τοῖς ἕλλησι λέγει. (x) *Auguſt. contra Parmen. lib. 3, cap. 2: Opus veſtrum in hoc mundo illud eſt, ut peccatores Chriſto ad ſalutem lucremini; quod fieri non poterit, ſi eorum colloquia convictumque fugiatis.* (y) Ἐάν τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ἢ πόρνος, ἢ πλεονέκτης.
(z) *Chryſoſt. Theodoret. & Phot. hic; Iren. lib. 4, cap. 46; Tertull. de Pudicitiâ, cap. 18; Hieronym. in Helvid. Ambroſ. Calarit. Oecumen. Clarom. & S. Germ. G. L.* Ὀνομαζόμενος ᾖ.
(a) *Nicephor. Conſtantinop. cap. 37, apud Coteler. vol. 3 Mon. Eccl. Gr. pag. 450:* Εἴ τις ἀδελφὸς ὀνομαζόμενος ᾖ πόρνος, οὐχ ἐν ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα ἰδὲ πορνεύοντα λέγων δοκῇ, ἀλλὰ τὸν ὀνομαζόμενον, ἤτοι πᾶσι γνωριζόμενον. (b) *Eſtius hic.* (c) *Iſai.* V, 22.
(d) *Theodoret. Verſ. Vide & Cleric. ad Hamm.* (e) 2 *Theſſal.* III, 15.
(f) *Eſt. Juſtin. Men. alii plerique.*

℣. 13. Nam eos, qui foris ſunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipſis.

COMMENTARIUS.

mnem, proferamque, indictâ ſegregatione, anathematis ſententiam? Quorſum autem hæc? num ignorant, quanto horrore vitia & idololatriam illorum inſectemini? an timendum mihi eſt, ne poſt eorum abdicationem, iterum in priſtinos errores revertamini? Hæc autem unica eſſet ratio, cur vobis a Gentilium conſuetudine interdicerem: ſed præterquam quòd vix fieri id poteſt in eo rerum ſtatu, in quo verſamini; utile eſt vos cum illis conſueſcere, ut veſtris exemplis ac ſermone illecti, ad fidem pertrahantur.

Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? An non veſtrum erat, judicium meum prævertere, pulso ab Eccleſiâ eo, qui talem improbi notam illi infert? An non juris id veſtri erat? Igitur moneo & hortor, ut ſecedatis ab iis fratribus, qui vos ſcandalo afficiunt; de reliquis verò extra Eccleſiam agentibus integrum judicium Domino remittite. ℣. 13: *Nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit.* Duo hæc commata ita a Ligfooto redduntur (g): *Cur mihi datum eſt de iis, qui extra Eccleſiam ſunt, judicare? nonne de iis qui intus ſunt, vos judicatis? nam eos qui foris ſunt, Deus judicabit.* Aſſerit Apoſtolus, datam ſibi a Deo poteſtatem judicandi puniendique eos, qui extra Eccleſiam verſantur; quo jure in Elymam uſus fuit. Ad Fideles verò quod attinet, penès illos jus eſt de fratribus ſuis tantummodo judicandi; quin neque illud privato cuique permittitur. Ad Eccleſiæ Principes pertinet, in commiſſum ac judicio probatum crimen animadvertere; privatorum autem Fidelium eſt, eorum ſententiæ ſeſe ſubmittere.

Græcum alii (h) aliter diſtinguunt (i): *Nam denique quid mihi juris eſt de iis, qui foris ſunt, judicare? Nihil planè. Vos autem judicate de iis qui ſunt intus; & Deus judicabit eos qui foris ſunt.* Nihil nobis eſt juris in Gentiles, nihil judiciariæ poteſtatis. Satis habeamus de cauſis fratrum, qui crimen famoſum commiſerint, cognoſcere.

℣. 13. Auferte malum ex vobis ipsis. Spectat Apoſtolus verba illa tam crebrò a Moyſe repetita (k): *Auferte malum*, vitium, *de medio veſtri.* Græci Codices impreſſi legunt: *Auferte malum hominem ex vobis ipſis* (l); id quod Interpretum plures ſecuti ſunt; ſed Vulgatæ ſenſus probatior eſt: Auferte crimen, & quàm fieri poteſt, ejus memoriam eradite; id autem ſi diutiùs tuleritis, veremini, ne Deus in vos animadvertat.

CAPUT VI.

Lites damnantur. Peccata, quæ Cœli fores obſtruunt. Corpora noſtra membra ſunt Chriſti, & Spiritûs Sancti Templa; eaque impudicitiæ ſordibus violantur ac polluuntur.

℣. 1. Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?

COMMENTARIUS.

℣. 1. Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos. Apud Judæos veluti lege ſanctum erat, ne quis litigaret apud externos Judices (a), patriarum legum ignaros. Judæâ in Provinciam redactâ, Præſides jus ſibi tantummodo cognoſcendi de cauſis capitalibus reliquerant; cætera verò cognoſcenda ad leges Judaicas Judicibus ex eâ gente ſelectis permiſerant. In ipsâ pariter captivitate ac diſperſione Judæi ſponiè rem ad arbitros deferebant; & Judices e ſuis communi aſſenſu, non repugnantibus externis Principibus, eligebant. Eorum exemplum primitivæ Eccleſiæ Fideles ſecuti ſunt (b); ejuſdemque disciplinæ optima inſtituta hîc exhibet Apoſtolus. Nonne viro Chriſtiano probroſum eſt, litem in fratrem intendere, præſertim apud iniquos, Ethnicos nempe & Infideles (c)? Rem ceu planè illicitam non damnat Apoſtolus; cùm enim Chriſtianis nullus eſſet e ſuis judex legitimâ authoritate conſtitutus, opus erat, ut ſi quid litis aut diſſidii inter ipſos inſurgeret, ad Magiſtratus locorum ſe conferrent; vel ſaltem ii, quibus dies apud Judices dicta erat, fugere Gentilium tribunalia nequaquam poterant. Idcirco ſatis habet Apoſtolus, vitio illis vertere, quòd ab eâ re minùs, quàm par eſſet, abhorrerent; quaſi inter Fideles nemo eſſet tantâ ſcientiâ & prudentiâ, ut judicium ferre poſſet; vel potiùs non ſatis alter alteri fidens, arbitrario probatiſſimorum judicio ſtare recuſarent; neque enim Judices ſuos publicâ authoritate conſtitutos habere poterant.

Labente deinde tempore, Chriſtianâ Religione jam latè ſub Chriſtianis Imperatoribus firmatâ, penès Epiſcopos ſtata erant judicia, rerum etiam civilium Diœceſis ſuæ. S. Auguſtinus, teſte Poſſidio (d), eâ diligentiâ, æquitate ac pietate id muneris exercebat, ut alterius etiam Religionis homines cauſas ſuas ad illum deferrent; atque ipſe de ſe S. Doctor affirmat (e), inquietâ ſollicitudine ſe vexari ob tumultum cauſarum ſæcularium & externarum, quæ ad ſe deferebantur. Teſte Deo

(g) *Ligfoot. Hor. Hebr.* Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε; τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. (h) *Cuatebull. Ham. Le Cruc.* (i) Τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν; οὐχί. Τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. *Sic aliqui Codd. apud Theophylact.* (k) *Deut.* XIII, 5; XVII, 7; XIX, 21; XXII, 21, 22, 24; XXIV, 7. (l) Καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. *Alii* ἐξαίρετε, *vel* ἐξάρατε τὸ πονηρόν. *Theodoret. Ald. Theophyl. Vide Hamm. Grot. Cuateb.* (a) *Druſ. Grot. Ligfoot.*
(b) *Conſtit. Apoſt. lib. 2, cap. 46.* (c) *Eſt. Men. alii paſſim.* Vide *Gal.* II, 15, ubi *peccatores* uſurpatur ceu ſynonymum τῷ *Gentiles.* (d) *Poſſid. de Vitâ Auguſt. cap.* 19.
(e) *Auguſt. de Opere Monach. cap.* 29.

℣. 2. An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo judicabunt? Et ſi in vobis judicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis judiceris?

℣. 3. Neſcitis quoniam Angelos judicabimus? quantò magis ſæcularia?

℣. 4. Sæcularia igitur judicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſiâ, illos conſtituite ad judicandum.

COMMENTARIUS.

Deo afferit, malle ſe quietem Cœnobii, in qua ſtudium & oratio ſuccedebat labori manuum, quàm officia illa quæ præſtabat judicando de cauſis implicatiſſimis ac moleſtiſſimis. *Quibus*, ait, *nos moleſtiis affixit Apoſtolus, non utique ſuo, ſed ejus qui in eo loquebatur arbitria*. Occurrit apud Gratianum (f) Lex Theodoſii, qua litigantibus ſit poteſtas proſequendi cauſam apud Judicem Eccleſiaſticum, inceptâ etiam apud Laicum lite. Hanc Theodoſii legem inſtaurans Carolus Magnus Imperator, id egit, ut totâ latè Imperii ditione obtineret.

℣. 2. AN NESCITIS, QUONIAM SANCTI DE HOC MUNDO JUDICABUNT? Jeſu Chriſto ſpondente (g): *Amen amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius Hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël*. At quale judicium inſtituent? Oppoſitis, inquiunt, Patres nonnulli (h), geſtis moribusque Sanctorum & Apoſtolorum, vitæ ab impiis & Gentilibus inſtitutæ. Eâ comparatione damnabuntur impii, quemadmodum Jeſus Chriſtus eodem capite docet futurum, ut Ninivitæ & Regina Saba extremo judicio damnent Judæos (i); quòd illi quidem Jonæ prædicanti crediderint, hæc ab extremis terræ finibus Salomonem auditura venerit; Judæi verò Jeſu Chriſto Filio Dei ac Meſſiæ, Salomone utique ſapientiori, & Jona præſtantiori, aures præbere recuſaverint.

Contendunt alii (k), viros ſanctos judicaturos aſſenſu, quo ſententiam divinam probaturi ſunt; quemadmodum apud Principem viri a Conſiliis, & Judicum aſſeſſores unà cum Principe ac Judicii Præſide ſententiam ferre cenſentur. Mortales homines ſinguli coram Judice Chriſto ſtatuentur (l); hœdi rejicientur ad lævam, agnis in dexterâ collocatis (m). Apoſtoli, Sancti, & Fideles, ſummi Judicis ſententiam ſubituri ſunt; ac deinde laude & aſſenſu probabunt damnationis ſententiam, quæ in impios pronunciabitur. *Judicare* enim hîc, ex Patribus & Interpretibus, eſt *damnare*. Ligfootus (n) cenſet, mentem Apoſtoli hanc eſſe, Sanctos & Chriſtianos inſtitutum iri univerſæ terræ Judices, & Mundi Principes. Ita autem Apoſtoli collectionem effingit: An neſcitis, Sanctos olim fore mundi dominos (o)? Igitur ne indignos eos judicetis, qui de rebus civilibus inter vos cognoſcant. Sed explicationem hanc detortam judicamus. Proclivior eſt interpretatio: Neſcitis, Sanctos de mundo judicaturos? quòd ſi de mundo, cur non de veſtris quoque cauſis ſententiam ferant?

℣. 3. NESCITIS, QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS? Judicare de bonis Angelis, noſtrum non eſt, niſi Deo laudes rependendo, qui illos tanto affecit honore, & æquitati ejus plaudendo, qua eorum fidelitatem juſto præmio donavit (p). Nunquam enim fiet, ut Angeli multo nobis præſtantiores non ſint naturâ; & Filius Dei in Evangelio judicium nobis pollicetur, non in Sanctos & Angelos, ſed in Dæmones & reprobos. Itaque Patres & Interpretes exponenda hæc de pravis Angelis arbitrantur (q). Sunt, qui Angelorum nomine deſignari hîc malos Sacerdotes opinentur (r). Sed communis ſententia hæc verba refert ad pravos Angelos, illos nempe, quibus, ait Tertullianus (s), in Baptiſmo renunciamus.

QUANTO MAGIS SÆCULARIA? Græcus (t): *Nedum res hujus vitæ*; quæ ad vitam, bona, resque neceſſarias pertinent: denique omnia hujus temporis negotia (u).

℣. 4. SÆCULARIA IGITUR JUDICIA SI HABUERITIS, CONTEMPTIBILES QUI SUNT IN ECCLESIA (x), ILLOS CONSTITUITE AD JUDICANDUM; Fidelium nempe minimos: minimus enim Fidelium vel optimo Gentilium præſtat (y). Nec reputandum eſt, Apoſtolum ſeriò imperare, ut viliſſimi Fidelium Judices conſtituantur: aliam quippe eſſe ejus mentem, ipſa orationis ſeries demonſtrat. Significat igitur, ſi eò deveniatur, ut Fidelium ineptiſſimus quiſque adhibendus ſit judex, præſtare, illius judicio quàm Gentilis cujuslibet judicio deferre. Judices e veſtris aſſumite, viros ſapientiâ & ſcientiâ cæteris ſuperiores. Cavete, ne lites veſtras coram Gentilibus agitetis; quin potiùs, ſi neceſſe fuerit, vel minimos Fidelium eligite. Ita communi ſuffragio locum hunc explicant Patres & Interpretes (z).

Ligfootus putat, Apoſtolum ſpectare hîc tribunalia illa diverſa, quæ apud Judæos obtinebant. Quatuor erant ſtata & ſolemnia; magnum Sanhedrium, Conſilium viginti trium, alterum trium Judicum, ac denique alterum, quod Rabbini appellabant *Conſilium authenticum*. Noverant & quintum alium (a) non *authenticum*, quod propriè conſtituebatur ex arbitris, ſponte & ex conſenſu

(f) *Gratian. 2, qu. 1, cap. quicumque, &c. volumus.*
(g) *Matth.* XIX, 28. (h) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Photius in Biblioth.*
(i) *Matth.* XIX, 41, 42. (k) *Eſt. Juſtinian. Eraſm. Grot. Para. alii. Vide Dionyſ. Alexandrin. apud Euſeb. lib. 6, cap. 42 Hiſt. & Eulog. Alex. lib. 5 adverſ. Novatianos.* (l) 2 *Cor.* V, 10.
(m) *Matth.* XXV, 32. (n) *Ligfoot. Horæ Hebr. & Talmud.* (o) *Dan.* VII, 18, 27; *Apoc.* XX, 4.
(p) *Ambroſiaſter, & alii Patres. Ita Men. Tirin. Cornel.*
(q) *Chryſoſt. hîc; Theod. Theoph. Tertull. de Pœnitent. cap. 7: Dolet diabolus quòd ipſum & Angelos ejus Chriſti ſervus ille peccator judicaturus eſt. Juſtinian. Menoc. Grot. alii paſſim.*
(r) *Chryſoſt. hîc.* (s) *Tertull. de Cultu feminarum, pag. 171, Edit. Rigalt. Hi ſunt nempe Angeli, quos judicaturi ſumus; hi ſunt Angeli, quibus in lavacro renuntiamus.*
(t) Μήτιγε βιωτικά. (u) *Eraſm. Eſt. Grot. alii.* (x) Τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ.
(y) *Theodoret.* Ὁ πάντων εὐτελέστατος, καὶ τῆς ἐκκλησίας ἐλάχιστος, κρείττων ἐστὶ τῶν παρ' ἐκείνοις σεμνυνομένων ἐπιστημόνων. Οὐ γὰρ τοὺς εὐτελεστάτους τῆς ἐκκλησίας κρίνειν κελεύει. ἀλλὰ τοῦτο δηλοῖ τὰ ἑξῆς. (z) *Chryſoſt. hîc:* Κἂν γὰρ μηδεὶς ᾖ σοφὸς, τοῖς ἐλαχίστοις ἐπιτρέψατε. *Ita Theodoret. Theophyl. alii Græci & Latini. Eſt. Vat. Grot. Sclat. Eraſm. Men. Tir. Lud. de Dieu.*
(a) בר שאינן מומחין *Ligfoot. Hor. Talm.*

℣. 5. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?

℣. 6. Sed frater cum fratre judicio contendit: & hoc apud infideles?

℣. 7. Jam quidem omninò delictum eſt in vobis, quòd judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

COMMENTARIUS.

ſenſu partium electis. Ejuſmodi autem Judices ſpontaneos appellari hîc ab Apoſtolo *contemptibiles*, idem Author cenſet. Aliis (b) ſub hoc nomine Gentiles deſignantur; vertitur autem: Sæcularia judicia ſi habetis, cur conſtituitis ad judicandum homines, qui ſunt in Eccleſiâ contemptibiles? Cnatchbullus, mutatâ vocum diſtinctione & ſyntaxi, aliam ſententiam elicit (c): *Igitur conſtituite Judices ad ſæcularia judicia (ſi homines infideles indignos exiſtimatis qui de vobis judicent)*. Sed quæ ſententia Vulgatæ tribui ſolet, maximè omnium proclivis eſt. S. Gregorius Papa (d) conſtituendos cenſet Judices eos, qui ſpiritalibus muneribus, prædicationi ſcilicet, inepti ſunt.

℣. 5. Ad verecundiam vestram dico. Verbis hiſce ſatis indicat, ad literæ ſonum dicta hæc ſua nolle Apoſtolum accipi. Nolo ego quidem, ut viliſſimos Fidelium Judices vobis conſtituatis; ſed opto, ut ſi fortè eò deveniendum ſit, cauſas potiùs veſtras ad deſpectiſſimum id hominum genus, quàm ad Gentiles Judices deferatis. *Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?*

℣. 7. Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Peremptoria ſunt hæc ad quodcumque litis genus inter Chriſtianos damnandum; & ſi quid contra objici poteſt, occupans Apoſtolus, addit: *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Ne igitur queramini, calumniam vobis irrogari, res veſtras diripi, & injurias inſontibus inferri. Præſtat hæc omnia pati, quàm litigare. Si quid nobis inferatur injuriæ, ne reſiſtamus, Jeſus Chriſtus monet (e): *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Et apud Lucam (f): *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas*. E litibus enim longa malorum ſeries gignitur, charitatis vitium, ſimultas, temporis jactura, dolus, fraudes. Nefas eſt viro Chriſtiano his ſe periculis objicere. Bonorum & famæ jactura minimum eſt malum, ſi cum exitio innocentiæ & charitatis comparetur. S. Auguſtinus non ſemel (g) ad literam uſurpat dictum hoc Apoſtoli, vel hoc ipſum peccatum eſſe, ſi quis litem in fratrem intentet. Ipſe pariter Apoſtolus non obſcurè pronunciat (h): *Servum Dei non oportet litigare*.

At nulla ne eſt hujus regulæ exceptio, liteſque indiſcriminatim omnes damnandæ ſunt? Iniquum eſt, noſtra repetere, jus noſtrum proſequi, coërcere impios, noſtram ipſorum, fratrum ac familiæ famam tueri? Si judicio certare peccatum eſt, cur Apoſtolus id planè non vetat, monetque, ne cauſa agatur coram Gentilibus, ſed Fidelibus & Eccleſiaſticis? Nec ejus verba liquidò exprimunt, lites judiciarias peccatum eſſe, ſed minus aliquid habere ſanctitatis, & imbecillitatis plurimum; hæc enim propria eſt Græci ſignificatio (i). S. Chryſoſtomus (k) peccatum litigandi in eo conſtituere videtur, quòd Chriſtiani Religionem ſuam exponerent dicteriis Gentilium; qua in re, ait, tam Actor quàm Reus æquè peccabant. Theophylactus (l) docet, lites res eſſe reprehenſione dignas ac turpes; Theodoretus (m), odioſum eſſe ait litigare, cùm addat Apoſtolus: *Quare non magis injuriam accipitis, &c.* id enim multò perfectius eſt.

S. Auguſtinus (n) ita diſſerit: *Hoc ipſum habere inter ſe judicia & lites de ſæcularibus rebus, delictum eſſe dicit* (Apoſtolus): *quod tamen fieri eſſe admonet, ſi vel Eccleſiaſtico judicio lites bujuſmodi finiantur*. Addit, meâ Eccleſiæ indulgentiâ non vetari lites; nunquàm tamen litigari ſine peccato, ſaltem levi, pro quo neceſſe eſt quotidie clamare: *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Repoſcere debitum, iniquum utique non eſt, ſed malum eſt idcirco litigare. *Nec ibi neceſſe eſt omni pertinaciæ debitori dimittere debitum, ſed ei qui reddere noluerit in tantum, ut nolis etiam litigare* (o). Monet Apoſtolus (p): *Servum Dei non oportet litigare*. Nunquam ferme temporalium rerum cauſâ litigamus, niſi illis inhæreamus tenaciùs; & qui in Chriſtianâ perfectione profecerint, omnia priùs paſſuri ſunt, quàm ſeſe litibus immiſceant (q).

Exceptiones nonnullas, quas æquiſſimas judicamus, Eſtius hîc adducit. Si quis e. g. defenſionem aggrediatur non rerum tantummodò & honoris ſui, ſed & cœtûs alicujus & Communitatis; atque id agatur juſſu Præſidis, amotâ ſimultate ac ſollicitudine, charitate penitus illæsâ: ſi æquum jus tueare, bona pauperis, vi-

(b) *Voeſt. Caſtal. Quid. in Camer. Menoc; alii.*

(c) Βιωτικὰ μὲν οὖν κριτήρια, (τοὺς ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τούτους), καθίζετε.

(d) *Greg. Magn. Paſtoral. Cura, parte 2, cap. 2. Idem lib. 19 Moral. cap. 21: Qui minoris ſunt meriti in Eccleſiâ, & nullis magnarum virtutum meritis pollent, ipſi de terrenis negotiis judicent; quatenus per quos magna nequeunt, bona minora ſuppleantur.*

(e) *Matth.* v, 38, 39. (f) *Luc.* vi, 30. (g) *Vide Auguſt, lib. 2 de ſermone Domini in monte, cap. 8; in Pſal.* LXXX, *n.* 21; *& ſerm.* 351, *nov. Edit. n.* 5; *Enchirid. c.* 78; *& alibi.*

(h) 2 *Timoth.* II, 24. (i) Ἤδη μὲν οὖν ὅλως ἥττημα ὑμῖν ἐστιν, *Defectus, minoratio, diminutio.*

(k) *Chryſoſt. hic:* Τίνι αὐτῷ κρίνεσθαι ἑκατέρους διαβέβληκας, καὶ οὐδὲν ἕτερος ἑτέρου βελτίων ... (l) *Theophyl.* Ἥττημα ταῦτα καλοῦμεν, αἰσχύνη. (m) *Theodoret.* Νεμεσητὸν γὰρ καὶ αὐτὸ τὸ δικάζεσθαι. Διὰ τί οὐχὶ μᾶλλον ἀποστερεῖσθε. Ταῦτα τῆς τελειότητος.

(n) *Auguſt. ſerm.* 351, *n.* 5, *pag.* 1355; *Idem, Enchirid. de Fide, Spe, &c. Tamen cùm ſiunt in Eccleſiâ talia judicia finire ... manifeſtum eſt etiam hic quid ſecundùm veniam concedatur infirmis.*

(o) *Lib. 2 de ſerm. Domini in monte, cap. 8.* (p) 2 *Timot.* II, 24. (q) *Conſtit. Apoſtol. lib. 2, cap.* 45

℣. 8. Sed vos injuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus.

℣. 9. An neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri,

℣. 10. Neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.

℣. 11. Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.

℣. 12. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.

COMMENTARIUS.

viduæ, pupilli judicio defendas; ubi paterfamilias uxoris ac filiorum jura proſequatur, eorumque bona ab externo uſurpata repetat, vel ab invaſore protegat, præſertim ſi ea illorum vitæ atque alimoniæ ſint neceſſaria: ubi quis pro ſuâ ipſius vitâ pugnat, utili præcipuè aut neceſſariâ multorum bono; quemadmodum Paulus ipſe ad Cæſarem provocavit ab Judæorum criminationibus, intentatam ſibi vim declinaturus. Jubet interdum charitas, improborum molimina coërceri, ubi illorum improbitas patientiâ & impunitate non minuatur, ſed creſcat. Præter has cauſas, fieri fermè non poteſt, ut lites peccato vacent; imò his ipſis in rebus cum æquiſſimo jure perſpicuè conjunctis, ægerrimè ſervatur æquitatis modus, ne violentur Evangelii leges, aut patientia, æquitas, ſinceritas, juſtitia, charitas Chriſtiana lædantur.

℣. 8. Sed vos injuriam facitis. Vitia quatuor in Corinthiis invenit S. Chryſoſtomus (r): I, quòd injuriam non patiantur; II, quòd alteri inferant; III, quòd judicium de injuriâ ad externum ferant; IV, quòd fratrem aggrediantur.

℣. 9. An neſcitis, quia iniqui, &c. Iniqui, de quibus hîc Paulus, ii ſunt, quorum crimina deinceps enumerat: ſcortatores, idololatræ, adulteri, &c. Qui hujuſmodi crimina admiſerit, huic nulla eſt Cœleſtis Regni ſpes, niſi ſeriò pœnitentiam egerit. Non ſemper æquè gravia ſunt hæc peccata: veniale dumtaxat interdum eſt furtum, obtrectatio, ebrietas: at ſi gratiâ ſpolient, mortemque animæ inferant (s), perpetuum a beatâ æternitate exilium pariunt, niſi, uti diximus, pœnitentiâ eluantur.

℣. 10. Neque molles. Duplex eſt mollities, maſturbatorum alia (t), alia pathicorum ſeu cinædorum (u). *Maſculorum concubitores* ſunt qui cinædis nefariè abutuntur.

Maledici. Græcus, Λοίδοροι, *convitiatores*, vel coram, vel clam.

Rapaces. Nonnulli (x) mulieris ſeu puellæ raptorem ſignificari putant; plerique tamen (y) alienæ rei uſurpatorem.

℣. 11. Et hæc quidam fuiſtis. Nonnulli, ex iis præſertim, qui ex Gentilium ſuperſtitione reſipuerant, his flagitiis antea fuerant obvoluti. Non omnibus Chriſtianis iſta vitio vertit Paulus; at inter Gentiles rari erant hiſce criminibus vacui. Exemplaria Latina quamplura legunt: *Et hæc quidem fuiſtis*. At legendum eſt: *Et hæc quidam fuiſtis*; teſte Græco (z).

Sed abluti estis. Baptiſmo nedum criminum veniam, ſed ſanctificantem quoque gratiam & juſtitiam, per Jeſu Chriſti merita & Spiritûs Sancti virtutem, aſſecuti eſtis.

℣. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non ſatis videtur, quo pacto iſta cum reliquâ Apoſtoli oratione conſtent; atque ægrè cum præcedentibus & conſequentibus componuntur. Ita autem vulgò explicantur. Enumeratis iis, quæ hominem a Regno Cœlorum exturrem faciunt, deſcendit ad ea, quæ per ſe ἀδιάφορα ſive indifferentia ſunt, puta cibus & potus; atque ad ea quæ a Gentilibus ἀδιάφορα putabantur, veluti ſcortatio. De prioribus ait, tametſi liceat iis uti, minimè tamen expedire; I, quia facilè modus utendo exceditur (a), iiſque male utens homo, illorum ſervus efficitur: *Ego ſub nullius redigar poteſtate*. II, quia caduca ſunt, & facilè peritura, brevì a Deo deſtruenda; adeoque indigna, quibus mens æternitati condita inhæreat.

Scortationem, quæ apud Gentiles indifferens cenſebatur, damnandam ac flagitioſam eſſe demonſtrat; hominis corpus impudicitiâ inquinari; injuriam ipſimet Chriſto per ſcortationem inferri, cùm Chriſtianorum corpora membra ſint Chriſti, eaque per ſcortationem membra meretricis efficiantur. Hæc ſimplex maximè loci hujus interpretatio videtur.

Sunt (b) qui iſta referant ad lites, de quibus ſupra. Mihi ne, inquis, non licet jure meo uti, mearumque injuriarum reparationem proſequi? Omnino licet; at litigare non expedit; cùm enim litigas, Gentilium Judicum & Cauſidicorum poteſtati te ſubjicis. Nunquam autem expedit, hujuſmodi ſervituti obnoxium fieri. Alii (c): Mihi, non ſecus atque aliis, fas erat, ex vobis exigere alimoniæ meæ ſumptus, ac cætera mihi neceſſaria; malui tamen his carere, vitamque

(r) *Chryſoſt. Homil.* 16 *in hunc loc.* (s) *Auguſt. Oper. imperfecti contra Julian. lib.* 2, *cap.* 97; & *lib. de Perfect. juſtit. cap.* 4; *lib.* 2 *de ſerm. Domini in monte*, *cap.* 20; *de Correptione & grat. cap.* 22.
(t) *Syr. Grot. Tir.* (u) *Grot. Men. Theophyl. D. Thom. Vide maximè Grot.* (x) *Hamm. Le Clerc.*
(y) *Tertull. lib. de Pudicitiâ*, *cap.* 26; *Cyprian. ad Quirin. cap.* 3, § 65; *Iren. lib.* 4, *cap.* 46, 72; *lib.* 5, *cap.* 11; *Auguſt. lib.* 10 *de Pænit. Hæc aliquando*, &c. *Claram. S. Germ. Lat. Quidam. Sed Gr. textû, Edit. Sixt. V, Quidam*; & *alii innumeri.* (z) Καί ταῦτά τινες ἦτε.
(a) *Vide Chryſoſt. hic*: Ἔξεστι φαγεῖν καὶ πιεῖν, ἀλλ' οὐ συμφέρει μετὰ ἀδηφαγίας.
(b) *Eſt. Tirin. Menoch. Vide & Anſelm. ſeu Hervaum*, *D. Thom. Cornel.*
(c) *Ambroſiaſt. D. Thom.*

℣. 13. Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet: corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dominus corpori.

℣. 14. Deus verò & Dominum ſuſcitavit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

℣. 15. Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit.

℣. 16. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne unâ.

℣. 17. Qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.

℣. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.

COMMENTARIUS.

que manuum mearum labore tolerare.

Ego sub nullius redigar potestate. Nullâ me potûs aut cibi libidine agi patiar. Carnes & edulia in cibum adhibebo eâ libertate, quam dat Deus, & Chriſtus comparavit: at non ita abutar, ut fœdiſſimæ cupiditatis ſervus fiam *(d)*. Qui interpretantur de libertate, quam intactam ſervavit Paulus, nihil ex Corinthiis accipiens, ajunt, ipſum quodammodo illis obnoxium futurum fuiſſe, ſi alimoniæ ſumptus ab iis accepiſſet, neque eâdem conſtantiâ illos redarguturum.

℣. 13. Esca ventri, et venter escis. Eſcas creavit Deus, ut iis veſcamur; ventrem, ut cibos concoquat: atque hic juſtus eſt naturæ ordo: ubi verò modum exceſſeris, ſtatim ordo turbatur; puta, ſi unius voluptatis causâ, præter neceſſitatem vel utilitatem, comedas; immodicus enim cibus nocet valetudini, non ſervit. *Deus autem & hunc & has deſtruet*, ventrem & eſcas. Cibum ſenſui obnoxium, aut guſtûs oblectationem, ceu finem ultimum, ne ſequare. Vaniſſima iſthæc ſunt, & maximè caduca; indigna proinde quæ ames. Iis utere ceu vitæ adminiculis: ne quæras ullì beatitudinis argumentum. Ubi animam egeris, venter, cibi, epulæ, guſtûs oblectatio quodammodo deſtruentur *(e)*. Peractâ reſurrectione, corpora ſingulis erunt ſuis numeris partibusque abſoluta, ut in præſenti; at neque venter eſcis, neque corpus alimoniâ egebit: futuri quippe ſumus velut Angeli Dei *(f)*.

Corpus non fornicationi, sed Domino; et Dominus corpori. Scortatio quid indifferens non eſt, uti cibus & potus, ſed juſtitiæ repugnat. Corpus in Dei Creatoris, & Chriſti Jeſu Servatoris poteſtate eſt: unius igitur Dei gloriæ & obſequii causâ utendum eſt membris. At ſcortatio nedum Divino honori non ſervit, ſed injuriam irrogat Chriſto Jeſu, cujus membra facti ſumus per Baptiſmum, quique corpora noſtra in vitam revocaturus eſt, quemadmodum ipſe per Patris virtutem in vitam rediit. Si meretrici conjungeris, unum quodammodo cum illâ corpus efficeris. Immane igitur ſacrilegium eſt, turpiſſima profanatio & iniquitas, membris Chriſti abuti, ut membra meretricis fiant; ac nefariâ libidine vitiare corpus, in glorioſam reſurrectionem æternamque gloriam deſtinatum. Nihil validius ſublimiusque hiſce argumentis, ut animi & corporis puritas ſuadeatur.

℣. 15. Corpora vestra membra sunt Christi. Inſiti quodammodo ſumus Corpori Jeſu Chriſti per Baptiſmum & gratiam adoptionis, nedum animæ, verùm etiam corpori hominis Chriſtiani impertitam; corpus enim animi inſtrumentum eſt, cum eoque jungendum poſt reſurrectionem, ut ſimul in æternâ Beatitudine regnet.

℣. 16. Unum corpus efficitur, ſexuum conjunctione. Ad nefariam viri conjunctionem cum meretrice detorquet Apoſtolus ea, quæ Deus initio de viri & uxoris conjunctione pronunciavit *(g)*: *Erunt duo in carne unâ*; naturalem quippe ſolummodo actionem ſpectat, non vitium, quo ſcortatio a licito conjugii uſu diſtinguitur *(h)*.

℣. 17. Qui adhæret Domino, unus spiritus est. Chriſtiani hominis anima quodammodo eſt Jeſu Chriſti ſponſa, illi inhærens vinculis Fidei & charitatis, ſponſione per Baptiſmum firmatâ: quamobrem conjunctio eſt prorſus ſpiritalis. In hominum conjugiis, vir & uxor unâ eâdemque carne junguntur: in ſpiritali connubio, Chriſtianus homo & Chriſtus Jeſus ſpiritu conjunguntur: *Unus ſpiritus eſt*. Vivendum nobis eſt ſpiritu Jeſu Chriſti, ejusque gratiâ & amore: una cum eo mens ſervanda eſt, una voluntas. Porrò qui iſthæc aliâ mente inſcripta geſſerit, cavebit certè, ne impudicitiam & carnis deſideria ſequatur.

℣. 18. Fugite fornicationem. Nonnulla ſunt peccata, quibus reſiſtendum eſt, cum iiſque pugnandum: at impudicitiæ diſcrimina fugienda ſunt *(i)*, vitandæ occaſiones, removendaque omnia, quibus impurus ignis accenditur: cautè cuſtodiendi ſenſus, atque ineundum cum oculis atque auribus fœdus, nequid libidini ſerviens percipiant: mens animusque piis cogitationibus implendi, quibus adversùs interiorem animi propenſionem, qua homo in voluptatem rapitur, muniamur: affligendum corpus ac ſubjiciendum, ne adversùs mentem pugnet. Id porrò eſt, fugere fornicationem. Hoſtis eſt, ſubtiliſſimis artibus

(d) *Chryſoſt. hic, homil. cap. 7:* Οὐκ ἂν μένοι Κύριος ὢν, ἂν σκοπῇ μὴ γένηται δοῦλος τούτου τοῦ πάθους. ὁ μὲν γὰρ εἰς δέον αὐτῷ κεχρημένος αὐτὸς, αὐτοῦ Κύριός ἐστι. Ὁ δὲ εἰς ἀμετρίαν ἐξιὼν, οὐκέτι Κύριος, ἀλλὰ δοῦλος αὐτοῦ γίνεται.

(e) *Vide Eſt. Grot. Menoch. Patres.*

(f) *Matth.* XXII, 30. (g) *Geneſ.* II, 24.

(h) *D. Thom. Eſt. Tirin. &c.*

(i) *Chryſoſt. hic, homil. 18:* Οὐκ εἶπεν, ἀπέχεσθε τῆς πορνείας, ἀλλὰ, φεύγετε, τουτέστι, μετὰ σπουδῆς ποιεῖσθε τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ κακοῦ.

℣. 19. An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri?

℣. 20. Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

COMMENTARIUS.

bus invadens: quamobrem pro viribus fugite (k).

QUI AUTEM FORNICATUR, IN CORPUS SUUM PECCAT. Furtum, vis, ebrietas, peccata pleraque per corpus patrantur, quemadmodum libidinis opera: cætera tamen crimina eamdem non irrogant injuriam corpori, quam impudicitia: non æquè polluunt ac profanant, eamdem labem non afferunt (l). S. Chryſoſtomus, Theodoretus & Oecumenius animadvertunt, eos, qui ad meretricem acceſſerant, balneo ſtatim ablui conſuevisse, quaſi corpora impuri contagione inquinatos. Cenſent nonnulli, alludere Apoſtolum ad morbos, probroſaſque impudicitiæ conſecutiones. Qui impudicè peccat, in corpus ſuum peccat, illud injuriâ & dedecore afficit, & quodammodò deſtruit.

℣. 19. MEMBRA VESTRA (m) TEMPLUM SUNT SPIRITUS SANCTI. Dixit ſupra, Chriſtiani hominis corpus membrum Jeſu Chriſti eſſe: hîc ait, eſſe Templum Spiritûs Sancti. Nihil ſublimius, aut homini Chriſtiano glorioſius dici potuit; nihilque validius quo movearc, ut corpus tuum obſerves, illudque actionibus impuris, brutis, indignisque Filii Dei & Divini Spiritûs ſanctitate, non polluas (n). Templa ſumus Spiritûs Sancti, nobis per gratiam, charitatem, & juſtitiam inſidentis.

℣. 20. EMPTI ENIM ESTIS PRETIO MAGNO. Græcus non legit *magno* (o), ſed, *Empti enim eſtis pretio*. Quidam etiam veteres Latini Patres (p) omittunt; alii (q) legunt. Sanguinis ſui pretio nos redemit Chriſtus: quamobrem res illius ſumus, uti ſervus eſt res illius, qui pretium pro ipſo exhibuit. Noſtri juris non ſumus: vivamus oportet atque agamus dumtaxat gloriæ Dei causâ. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* Ita vos gerite, uti ſupremum veſtri Dominum intra vos deferentes: arca templumque illius eſtis: corpus veſtrum ſummopere obſervate, Dei inſidentis obſequio. Animo evolvite, qua reverentiâ Sacerdotes Arcam Fœderis in Iſraëlitici agminis profectione geſtarent. Longè ſacratiſſimum aliquid ipſi fertis, cùm ipſummet Jeſum Chriſtum, ſanctumque Spiritum geratis. Quàm cautè igitur & caſtè vobis vivendum eſt?

Græcus (r): *Glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Veteres tamen Latini Patres, & S. Chryſoſtomus (s) cum Vulgatâ conſentiunt, atque omittunt illa: *Et in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei*; quæ verba in vetuſtiſſimis etiam optimiſque Codicibus deſiderantur. Corinthus urbs erat totius Græciæ corruptiſſima. Veneris ſanum in eâ erat, mille amplius meretricibus abundans, Veneri ſacris (t). Hinc fit, ut Apoſtolus hoc argumentum acriùs tractet, ac tam validis rationibus Corinthios petat, ut ab impuritate abſtineant.

CAPUT VII.

Præcepta ad conjuges, & de conjugii uſu. Quo pacto gerere ſe debeat cum infideli uxore vir Fidelis, & contra. Virginitatis laus: præſtantior matrimonio. Vidua ad alteras nuptias tranſire poteſt: laudabilius tamen fuerit, ſi vidua permanſerit.

℣. 1. DE quibus autem ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini mulierem non tangere:

℣. 2. Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI. Eccleſiæ Corinthiorum Optimates, datis ad Paulum literis per Fortunatum, Stephanam, & Achaicum, poſtulaverant, quid in uſu conjugii

(k) *Theodoret. hic:* Οὐκ εἶπε, μισεῖτε, καὶ ἀποστρέφεσθε, ἀλλὰ φεύγετε, ἰδὼν τὴν τῆς ἁμαρτίας ταύτης ὀξύτητα. Καὶ τὸν διωκόμενον διανίστησι, καὶ παρεγγυᾷ φεύγειν γὰρ διώκουσαν.

(l) *Nyſſen. Juſtinian. Eſt. Menoch. Tirin. Sclater. &c.*

(m) *Græc.* Ἢ οὐκ οἴδατε, ὅτι τὸ σῶμα ὑμῶν ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου πνεύματός ἐστι; *Alii*, τὰ σώματα, *Corpus veſtrum*, ſeu, *corpora veſtra*. Plerique veteres Latini PP. legunt: *Corpora*. Ambroſ. Hieronym. Auguſt. Vide Mill. & Eſt.

(n) *Tertull. l. 2 de Cultu fœminar. Cùm omnes templa ſimus Dei, illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum ac profanum inferri ſinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat.*

(o) Ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς. (p) *Tertull. de Pudicit. cap. 16; & ad Uxor. lib. 2, cap. 3; & Ambroſ. lib. 2 de Cain & Abel, cap. 3; & Epiſt. lib. 2, ep. 2.*

(q) *Tertull. de Carne Chriſti, cap. 4; contra Marcion. lib. 5, cap. 7; & lib. de Pudicit. cap. 6; Cyprian. ad Quirin. §. 1; Hilar. in Pſal. CXXXV; Ambroſiaſt. Auguſt. Optat. alii.*

(r) Δοξάσατε δὴ τὸν Θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν, καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ.

(s) *Vide Mill. hic, & Chryſoſt. in edit. Veron. & Savil.* Δοξάσατε δὴ, ἄρατε τὸν Θεόν.

(t) *Strabo, lib. 8; alii.*

℣. 3. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & uxor viro.

℣. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

℣. 5. Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.

COMMENTARIUS.

gii ſervandum eſſet; utrum deinde præſtantius, conjugium an cælibatus (a). Gentilium Philoſophos quæſtio hæc diu torſit (b). Veriſimile eſt, Corinthios Fideles, qui Philoſophiam amabant, & Religionis res plerumque Philoſophicâ ſubtilitate tractabant, hac de re non rarò diſputaſſe, antequam Apoſtolum conſulerent.

Bonum eſt homini mulierem non tangere. Commodum omnino eſſet, ſi vir quiſque continens & conjugio liber eſſe poſſet. Ea quippe conditio tam multis obnoxia eſt ærumnis, laboribus, ac periculis, tam multa complectitur officia, animum ita indulgentem expoſcit, ut homines, ſi vitæ quietem dumtaxat ac ſuavitatem quærant, eâ prorſus abſtineant. Ipſa etiam Religio id ſuaſura videtur, cùm mens animuſque conjugio quàm maximè diſtrahatur, atque homo frequentiſſimis labendi periculis objiciatur. Hujuſmodi incommodorum causâ hìc aſſerit Paulus, bonum homini eſſe, ſi nullam unquam fœminam tangat, neque in conjugio, neque extra conjugium.

Sin autem res aliâ ex parte ſpectetur, verum omnino eſt, quemadmodum Deus ipſe initio pronunciavit (c): *Non eſt bonum, eſſe hominem ſolum.* Utiliſſimum eſt, hominem jungi matrimonio, tum gloriæ Dei causâ, tum reipublicæ ac ſocietatis, hominumque propagationis; tum denique ut cognationis, amicitiæ, ac negotiorum vinculis familiæ genteſque nectantur. Cuilibet animalium ſpeciei neceſſarium eſt, ut mas & fœmina conjungantur; idque potiſſimùm ſpectavit Conditor, cùm virum & mulierem e nihilo eductos, ſacratiſſimis inviolatiſque nexibus copulavit. Haſce rationes, utpote vulgares, atque ex naturâ petitas, præterit Apoſtolus, aliam ſubjiciens multò ſublimiſſimam, quæ ad æternitatem ſpectat. ℣. 2: *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Cùm non omnes continentiæ dono divinitus ornati fuerint, qui conjugio juncti ſunt, juncti maneant; qui verò ſoluti, ſoluti vivant, ſi abſolutiſſimè ſervare continentiam valent; ſi nequeunt, nubant. Porrò communis hæc regula eſt. Conjugium ferè dumtaxat remedium eſt incontinentiæ (d). Scribit S. Chryſoſtomus, hæc verba, *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, de Sacerdotibus tantummodo fuiſſe a nonnullis uſurpata: ipſe tamen ad Fideles univerſos pertinere docet.

℣. 3. Uxori vir debitum reddat... et uxor viro. Cùm vir & uxor mutuâ in conjugis corpus poteſtate gaudeant, uti mox docebit, neceſſe quoque eſt, ut conjugale debitum, utpote æquo jure imperatum, reddant. Sunt qui debitum conjugum prorogent ad cætera omnia, quæ viciſſim debent, fidem, opem, mutua officia. At ipſa orationis ſeries perſpicuè oſtendit, Apoſtoli propoſitum id unum eſſe, ut doceat, quid ſervandum ſit in eo, quod proprium eſt matrimonii (e). Græcus (f) habet: *Mulieri vir debitam benevolentiam reddat.* Honeſta debiti maritalis deſcriptio. Moyſes iiſdem fermè verbis utitur (g), ut eam rem ſignificet, itemque Profani (h). Vetuſtiſſimi tamen Codices (i) & Patres (k) cum Vulgatâ conſentiunt: *Debitum reddat*; atque hanc veram eſſe legendi rationem, peritiſſimi Interpretes aſſerunt (l).

℣. 5. Nolite fraudare invicem (m) iſto jure, uti debitor creditorem (n), cui negat id quod debet, aut foro cedit. Vir ab invitâ uxore ne diſcedat, neque maritali debito fraudet; idemque inſtitutum uxor erga virum ſervet. *Niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi* liberiùs attentiùſque. Uſu conjugii abſtinebant Hebræi in luctu, in jejunio, iiſque diebus, quibus ſeſe ad ſacrum ſolemne comparabant. Græcus pro *vacetis orationi*, legit (o): *Ut vacetis jejunio & orationi.* Præſtantiſſimi tamen Codices, Æthiopica, Cophtica, S. Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Chryſoſtomus, cæterique Patres Græci ac Latini dumtaxat ferunt: *Ut vacetis orationi.*

Iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas. Conjuges monet Paulus, ne diu ſponte ſecubent, ipſius vel orationis causâ; ne ſcilicet illos ſollicitet ſatanas, ipſique ſollicitationi cedant vel in malam aliquam cupiditatem, vel in labem voluntariam ſui ipſorum, aut cum altero (p); nondum enim ſatis continentes erant, ut abſque diſcrimine ſecubarent: *Propter incontinentiam veſtram.* Græcus (q) ſonat potiùs *intemperantiam*; atque ita lege-

(a) *Chryſoſt. Theodoret. alii.*

(b) *Muſonius & Hierocles apud Stobæum. Alii apud Grot. hic. Menander:* Γαμεῖν ἐάν τις τὴν ἀλήθειαν σκοπῇ, κακὸν μέν ἐστιν, ἀλλ' ἀναγκαῖον κακόν. *Metellus Numidic. in oratione quam cenſor habuit: Si ſine uxore poſſemus, Quirites, eſſe, omnes eâ moleſtiâ careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commodè, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potiùs, quàm brevi voluptati conſulendum.* (c) *Geneſ.* II, 18.

(d) *Chryſoſt. hic, homil.* 19: Εἰ μὲν γὰρ τὸ ὑψηλὸν καὶ σφόδρα ὑπερέχον ζητεῖς, φησὶ, βέλτιον μὲν μηδ' ὅλως ὁμιλεῖν γυναικί. Εἰ δὲ τὸ ἀσφαλὲς καὶ βοηθεῖν σου τῇ ἀσθενείᾳ, ὁμίλει γάμῳ.

(e) *Ita Patres & Interpp. paſſim.* (f) Τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω.

(g) *Exod.* XXI, 10. שארה כסותה ועֹנָתָה 70: Τὰ δέοντα, καὶ τὸν ἱματισμὸν, καὶ τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς. (h) *Vide Grot. & Gatak. hic.*

(i) *Alexand. Clarom. Sancti Germ. GG. LL. Barber.* 2, *Steph. Æthiop. &c.* ὀφειλὴν, *debitum.*

(k) *Clem. Alex. Strom.* 3; *Origen.* Περὶ εὐχῆς; *& in Matth. Tertull. de Pudicit. cap.* 16; *Chryſoſt. hic; Cypr. ad Quirin. lib.* 3; *Hieronym. contra Jovin. lib.* 1, *cap.* 4; *Auguſt. Ambroſ. Fulg. alii.*

(l) *Zeger. Eraſm. Grot. Mill.* (m) Μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους. (n) *Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Eraſm. Menoch.*

(o) Ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ, καὶ προσευχῇ.

(p) *Clem. Alexand.* Πρὸς καιρὸν, ἔφη, ὡς μὴ κατὰ ἀνάγκην ἐπιτηδεύων τὴν ἐγκράτειαν ὁ γήμας, ὀλισθήσῃ ποτὲ εἰς ἁμαρτίαν. φειδοῖ μὲν τῆς ἑαυτοῦ συζυγίας, ἐπιθυμίᾳ δὲ ἀλλοτρίᾳ περιπεσών.

(q) Διὰ τὴν ἀκρασίαν ὑμῶν.

℣. 6. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.

℣. 7. Volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum: ſed unusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem ſic, alius verò ſic.

℣. 8. Dico autem non nuptis, & viduis; bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego.

℣. 9. Quòd ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quàm uri.

COMMENTARIUS.

legebant Veterum nonnulli (r). Hac Pauli indulgentiâ & ſedulitate indigebant Corinthii; nulla quippe terrarum gens minùs continentiam noverat.

℣. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam (s), non secundum imperium. Cùm moneo ne ſecubetis, poſt aliquam orationis causâ continentiam, non jubeo; hortor dumtaxat, ſeu potiùs permitto, & imbecillitati veſtræ indulgeo (t). Concubitus, non prolis causâ, ſed vitandæ ſcortationis gratiâ, & mali gravioris metu, nunquam peccato, ſaltem veniali, vacat, ex quamplurimorum Patrum ſententiâ (u): remedium eſt adversùs incontinentiam, non laudabilis actio & imperata. Sunt (x) qui hæc verba referant ad id quod Paulus initio Capitis dixit, oportere ſcilicet, ut unusquisque uxorem ſuam habeat: Hoc ego indulgentiæ causâ, non præcepti, dico. Alii (y) detorquent ad conſequentia, ubi de continentiâ: Opto, omnes eſſe ſicut me, ſolutos nimirum & continentes: id tamen non ab omnibus exigo. Prior interpretatio præſtantior videtur: *Indulgens, non præcipiens ita fieri*, ait Tertullianus (z).

℣. 7. Volo vos omnes esse sicut meipsum; nimirum continentes (a). Minimè dubium eſt, quin poſt vocationem Paulus abſolutiſſimam continentiam ſervaverit: at conjugio junctus ne fuerit, dubitatur. Id ab aliis aſſeri, ab aliis negari tradit Origenes (b); at nihil definit. Cælibem ſemper & continentem vixiſſe, ſcribit Tertullianus (c). Idem ſentire videtur S. Epiphanius (d). Negat S. Chryſoſtomus (e), de uxore ſuâ agere Apoſtolum in Epiſtolâ ad Philippenſes. S. Hieronymus (f) refellit eos, qui cultam ab Apoſtolo virginitatem negant. Cenſet S. Auguſtinus (g), ſervatam ab eo abſolutiſſimam continentiam. Diſertè ſcribit Theodoretus (h), Paulum nunquam vinctum fuiſſe conjugio. At S. Clemens Alexandrinus (i) docet, illi uxorem fuiſſe, cùm literas ad Corinthios & Philippenſes daret; ejusque verba, veluti probans, recitat Euſebius (k). Viduitatem & continentiam ab Apoſtolo ſervatam, aſſerit S. Methodius (l). Illum ex virginum cœtu excludere videtur S. Chryſoſtomus (m), cùm Joannem Baptiſtam & Joannem Evangeliſtam virginitate, Petrum & Paulum continentiâ illuſtres prædicet. Locus eſt in S. Ignatii Martyris Epiſtolis, ubi Paulus diſertè inter viros conjugio vinctos recenſetur: at nemo jam dubitat, quin hic locus corruptus ſit ac vitiatur. Variæ quoque ſunt Recentiorum, uti Veterum, ſententiæ: at plerique in eo conveniunt, Paulum eo tempore cælibem fuiſſe & continentem (n).

Unusquisque proprium donum habet. Alius quidem virginitatem abſolutamque continentiam ex Deo accepit; alius continentem viduitatem; alius pudicum matrimonium; hoc quippe poſtremum fortaſſe donum nihilo inferius eſt abſolutâ continentiâ (o). Quamobrem nemo ſe alteri præferat, cùm quicquid unusquisque eſt, ex Deo acceperit (p). At qui continentiæ donum non obtinuit, ſe ab illius ſervandæ obligatione liberum cenſeat, dum junctus non eſt matrimonio, aut ſeſe continentiæ reum voto fecit. Quod non habet, poſtulet; impetrare pro viribus conetur; corpus affligat; vitet diſcrimina; libidines coërceat; vel denique, ſi liber ſit, matrimonium, continentiæ remedium a Deo inſtitutum, amplectatur. Vide S. Gregorium Magnum, *Paſtoral. parte 3, admonit.* 28.

℣. 8. Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant. Græcus (q) ſignificare videtur tum fœminas tum viros conjuge viduatas. Hos hortatur Paulus, ut viduitatem ſervent. Alteras nuptias non damnat, ſed viduitatem vel continentiam præfert. Monet, ut in tranquillo vitæ ſtatu, ac Deo ſerviendi libertate, quam adepti ſunt per viduitatem, perſeverent.

℣. 9. Quod si non se continent, nubant: nullam cælibatûs neceſſitatem imponit Eccleſia. Non ait, *Quòd ſi ſe continere nequeunt*; nihil enim eſt quod fieri ab homine cum Dei ope nequeat; ſed: *Quòd ſi non ſe continent*: ſi conſtantiâ bonâque voluntate carent, ſi moleſtioribus pugnis obnoxii ſunt, ita ut ſervare continentiam nequeant, abſque gravi ſalutis diſcrimine, ad nuptias confugiant. *Admonendi ſunt cælibes*, ait S. Gregorius Papa (r), *ut ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, conjugii portum petant: ſi tamen needum meliora voverunt; nam*quis-

(r) *Auguſt. lib. 1 de Nupt. & Concup. cap. 14; Ambroſ. cap. 14.*
(s) Κατὰ συγγνώμην. *Quid. Codd.* Κατὰ γνώμην. (t) *Eſt. Juſtin. Men.* (u) *Auguſt. de Peccato Originali, cap. 38: Evidenter dum tribuit veniam, denotat culpam. Et Enchirid. cap. 78. Quis eſſe peccatum neget, cùm dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur! Vide & de Bono Conjug. cap. 10; & alibi frequenter. Gregor. Magn. lib. 32 Moral. in Job, cap. 20; Auth. Oper. imperfecti in Matth. homil. 1.*
(x) *Grot. Bez. alii.* (y) *Jacob. Capell. hic.* (z) *Tertull. de Monogam. c. 11.* (a) *Chryſoſt. hic*: Ὡς ἐμαυτὸν, ἐν ἐγκρατείᾳ. *Ita Theod. Auguſt. de Opere Monach. cap. 32; Clem. Alex. Strom. 3.* (b) *Origen. in Rom. 1, ℣. 1.* (c) *Tertull. de Monogam. cap. 3.* (d) *Epiph. hæreſi 58, cap. 4.* (e) *Chryſoſt. in Philipp. homil. 13.* (f) *Hieronym. Ep. 22.* (g) *Auguſt. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. 4.*
(h) *Theodoret. hic, ad ℣. 8:* Ἔδειξε πάλιν ἑαυτὸν τῆς τῶν ἀγάμων ὄντα συμμορίας.
(i) *Clem. Alex. Strom. lib. 3.* (k) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 3, cap. 30.*
(l) *Method. Conviv. Virg. pag. 45. Vide Grot. ad ℣. 18.* (m) *Chryſoſt. de Virgin. cap. 8.*
(n) *Oecumen. Theophyl. Sedul. Eſt. Men. Tir. Vorſt. Caſtal. Zeger. Bez.* (o) *Vide Theodoret. hic.*
(p) *Clemens. ad Corinth. § 33:* Ὁ ἁγνὸς ἐν τῇ σαρκὶ, καὶ μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσκων ὅτι ἕτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν. (q) Λέγω δὲ τοῖς ἀγάμοις, καὶ ταῖς χήραις.
(r) *Gregor. Magn. Paſtoral. parte 3, cap. 28. Vide, ſi lubet, Eſt. hic, & Patres ab eo citatos.*

℣. 10. Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere.

℣. 11. Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.

℣. 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.

℣. 13. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illâ, non dimittat virum.

COMMENTARIUS.

quiſquis bonum majus ſubire propoſuit, bonum minus, quod licuit, ſibi illicitum fecit. Vide & Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 24, *Can.* 9.

Melius est nubere, quam uri; ſcilicet, ex S. Auguſtino (s), *occultâ flammâ concupiſcentiæ vaſtari.* Impudicus amor optimè dicitur ſimilis flammæ & incendio, animos miſerrimè vaſtanti. *Uri* hoc loco non ſignificat ſolummodo libidinis motus, & profani amoris æſtum experiri, ſed aſſentiri, ab iis vinci, flagrare, aduri (t). Præſtat conceſſis uti remediis, quàm morbo confici. Continentia bonum eſt, saluti magnoperè ſerviens: licita res eſt matrimonium, multis tamen æternæ ſalutis difficultatibus impedita: uri, aſſentiri libidini, atque impuro amore vinci, certum eſt malum, & iter in exitium ducens. Omnino igitur eligendæ ſunt nuptiæ, ſi dono continentiæ cares, & proximo flagrandi periculo es obnoxius (u). Hæc tamen dumtaxat ad eos pertinent, qui ſeu voto ſive aliis de cauſis continentiam, vel maritalem pudicitiam ſervare coguntur, puta ad virum abſente uxore, vel uxorem abſente viro (x). Sunt (y) qui *Uri* de inferno igne, quò trahit impudicitia, interpretentur. Hæc tamen explicatio a literali abeſt.

℣. 10. Præcipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere. Hoc ego non ex meâ ſententiâ, ut Apoſtolus Jeſu Chriſti, hortor aut impero; ſed Chriſtus ipſe, & Deus Chriſti Pater multò antea præcepit. In ipſo rerum exordio pronunciavit Deus (z): *Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ.* Quæ verba ita explicavit Chriſtus, ut conjugii vinculum ſolvi non poſſe ſignificent (a). Quamobrem qui juncti ſunt matrimonio, ne diſcedant. Uxorem Judæi leviſſimas ob cauſas dimittebant (b); major etiam fuit Gentilibus licentia. Docuit Chriſtus, unam eſſe divortii cauſam, alterius conjugis adulterium; at eâ lege, ut neque inſons neque reus ad alteras nuptias ante obitum alterius tranſeat. Hoc ipſum præcipitur ℣. 11.

℣. 11. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Diſceſſionem hanc cum pleriſque de divortio interpretamur. Alii (c) tamen diſceſſionem intelligunt temporariam, friguſculo aliquo partam, quemadmodum ſæpe uſuvenit in familiis. Quaslibet autem ob cauſas nefas eſt, alterutrum conjugem, ſive inſontem ſive reum, ad alteras nuptias gradum facere. Hujuſmodi enim diſceſſionibus matrimonii vinculum non ſolvitur. Hiſce in rebus monet Paulus, ut reconcilientur conjuges, ſimulque conſueſcant, vel etiam poſt diſceſſionem redeant; ſive diſceſſio verum divortium fuerit adulterii causâ; ſive libera ſeparatio, aliquo friguſculo parta. Illud autem hîc animadvertendum eſt, quòd Paulus par jus tum viro tum uxori tribuit, ſive diſceſſionis ſive reditûs; cùm civilia jura viris multò magis faverent, quàm fœminis. Ipſa etiam Moyſis Lex hac in re omnem fermè libertatem viris tantummodo permittit. Nullus certè Moſaicæ Legis locus ſancit, Judææ uxori fas eſſe, vel ob adulterium, multoque minùs ob leviora, divortium a viro facere, quemadmodum viro conceſſum eſt (d).

℣. 12. Nam cæteris (e) ego dico, non Dominus: de reliquis quæ ſcripſiſtis; ſive de conjugibus, quorum alter Fidelis eſt, alter infidelis, hæc ego trado, quantum Deo largiente intelligo; cùm neque Chriſtus disertè quidquam, neque Lex perſpicuum aliquid de conjugiis hiſce tradiderint. Moyſes certè præcipit, nequis Hebræus uxorem externam ducat; nihil tamen habet de marito, ad ſacra Judaica converſo, exemplum non ſecutâ uxore; cùmque Chriſtus Jeſus perſpicuè in terris doceret, de afferendo Gentilibus Evangelio non agebatur: quamobrem de re præſenti ferri ſententia neque ex Veteris, neque ex Novæ Legis ſanctionibus poterat. Nova prorſus erat quæſtio, quam Apoſtolus ex charitatis lege, atque ex interiori Sancti Spiritûs illuſtratione definit (f). Ait Tertullianus (g), Fideles nonnullos, ex Gentilium ſuperſtitione converſos, ſibi nefas eſſe arbitratos cum uxore infideli verſari, aut uti conjugio, poſtquam Fidei nomen dederant; eorumque dubitationi Apoſtolum hîc reſpondere. Permittit, ut priſtinâ conſuetudine utantur, modò aſſentiatur infidelis; negatque dimittendum infidelem conjugem, ſi hic ſimul eſſe velit.

S. Auguſtinus (h), quem alii quamplures ſequun-

(s) *Auguſt. de Sanctâ Virginit. c.* 14.

(t) *Theodoret. hîc:* Πύρωσιν ἡ τῆς ἐπιθυμίας καλεῖ τὴν ἐνόχλησιν, ἀλλὰ τὴν δούλωσιν τῆς ψυχῆς, καὶ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον ῥοπήν. (u) *Vide Ambroſ. ad Virgin. Lapſam, cap.* 5; *Auguſt. de Sanctâ Virginit. cap.* 74; *Ambroſiaſt. alios hîc.* (x) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Ambroſ. loco citato; Hieronym. lib.* 1 *contra Jovinian. Aug. lib.* 2 *de Adalter. conjug. cap.* 55; *Ephrem, tract. de hac re ſingulari.* (y) *Vide Sedul. Primaſ. Fabr. in Comment.*

(z) *Geneſ.* II, 24. (a) *Matth.* V, 32; XIX, 9.

(b) *Deut.* XXIV, 1, *& ſeq.* (c) *Vide Grot. Paro. Eſt.*

(d) *Vide Theodoret. ad* ℣. 3 *hujus Capitis. Ambroſ. in Luc.* XVI; *& lib.* 1 *de Abrahamo.*

(e) Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐγὼ λέγω, *&c.* (f) *Vide Grot. Eraſm. Eſt. alios.*

(g) *Tertall. de Monogamiâ, cap.* 11: *Oſtendit Apoſtolus, fuiſſe qui in matrimonio a fide deprehenſi, verebantur ne non liceret eis matrimonio ſuo exinde uti, quia in carnem ſanctam Chriſti credidiſſent.*

(h) *Auguſt. lib.* 1 *de Serm. Domini in monte, cap.* 16; *& lib.* 1 *de Adulter. Conjug. cap.* 13, 17, *&c.*

℣. 14. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.

℣. 15. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater aut ſoror in hujuſmodi: in pace autem vocavit nos Deus.

℣. 16. Unde enim ſcis, mulier, ſi virum ſalvum facies? aut unde ſcis, vir, ſi mulierem ſalvam facies?

℣. 17. Niſi unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus eccleſiis doceo.

℣. 18. Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur.

COMMENTARIUS.

quuntur (i), cenſuit, his verbis, *Ego dico, non Dominus*, ſignificare Apoſtolum, ſeſe nihil velle, niſi hortari: at multò probabilius eſt, ipſum Apoſtolicâ authoritate præcipere (k). Definierat Dominus, quid ſervandum eſſet de divortio ob adulterium; omiſerat quid fieri oporteret, ubi de altero conjuge infideli ageretur: omiſſum ſupplet Apoſtolus.

℣. 14. SANCTIFICATUS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MULIEREM FIDELEM. Quo id pacto fit, aut quid illud eſt? Cave intelligas de ſanctitate propriè dictâ: ſed ita accipe, Fideli uxore paulatim moveri virum, ut Fidei nomen det; doceri ea quæ ad pietatem ac Dei timorem pertinent; viam ſalutis indicari; optimo uxoris exemplo virum a flagitiis removeri; illam precibus ſollicitare Deum, ut viro converſionem largiatur (l). Fas igitur uxori eſt, cum viro infideli, adeoque impuro, conſueſcere; quippe quam Religio docet purum reddere quicquid ipſa agit, legesque ſequi ſanctiſſimas, quibus a labe removeatur (m).

In ipſo conjugii uſu poteſt uxor ſancta fieri, liberorum procreatione & inſtitutione (n). Quamobrem addit Apoſtolus: *Alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt.* Si ab infideli viro diſcedis, liberis tuis quid fiet? Patris infidelitatem ſequentur: at tu ſaltem docebis, falſos Deos ſpernere, agnoſcere Deum, amare Religionem (o): atque ita ſancti ſunt, paratique ad Eccleſiam accedere: *Quaſi deſignati ſanctitatis, ac per hoc etiam ſalutis*, ait Tertullianus (p).

℣. 15. QUOD SI INFIDELIS (vir) DISCEDIT, illum dimittat: invitum detinere, aut infidelem imitari non debet; eoque dimiſſo, tranſire poteſt ad nuptias, ſive ſervare continentiam: viri legibus ſubjecta non eſt, ipſumque conjugii vinculum ceſſare cenſetur (q). Non jubet Paulus, conjugem Fidelem ab infideli diſcedere, neque etiam hortatur. At ſi infidelis a Fideli diſcedat, ait fas eſſe Fideli in alterius thorum adſciſci. Non cogit Chriſtiana Religio, te cum alterius Religionis homine, aſſiduas inter turbas ac diſſidia, vivere: *In pace enim vocavit nos Deus.*

℣. 16. UNDE ENIM SCIS, MULIER, &c. Hæc jungi poſſunt cum ſuperioribus: *In pace vocavit nos Deus*; quamobrem cum viro infideli commorare quàm diutiſſimè potes: cauſam diſcedendi a te ne præbueris: morum ſuavitate illum vince: fortaſſe enim Deus operâ tuâ in illius ſalutem uſurus eſt (r). Ita etiam explicatur (s): Cur cum infideli viro, Religionem tuam execrante, verſaris? An confidis fore, ut is tuo labore & exemplo ad Chriſtum accedat? In pace eſto, neque te objicias diſcrimini agendæ vitæ aſſiduis tumultibus agitatæ, aut priſtinos in errores labendi. Prior explicatio communiùs probatur.

℣. 17. NISI UNICUIQUE SICUT DIVISIT DOMINUS. Omnes ubique Eccleſias hoc ipſum doceo: unusquiſque ſectetur illud agendi inſtitutum, quod ipſi dederit Deus; & in eo ſtatu, ad quem vocatus fuit, continentiâ, virginitate, matrimonio, pro viribus conſtans eſto: Divinæ gratiæ ac voluntati obtemperato, ſive ut cum infideli viro, quantumvis improbo, commoreris; ſive ut diſcedas; ſive ut cælebs vivas poſt diſceſſionem, ſive tandem ut ad alterius thorum pro acquiſitâ libertate tranſeas. Traditarum mox inſtitutionum exceptio eſt. Quæ mox dixi, obnoxia ſunt Dei donis, quæ quiſque obtinuit. Hujuſmodi regulas ſectari poteſt, modò aliud non exigant peculiaria dona, quæ ex Deo acceperis.

Nonnulli Græcum ℣℣. 16 & 17 ita jungunt (t): *Quid ſcis, vir, uxorem ſervaturus ſis, an non? Unicuique ſicut diviſit Deus.* At vulgata lectio multo probatiſſima.

℣. 18. CIRCUMCISUS ALIQUIS VOCATUS EST? Ex Judaicis ad Chriſtiana ſacra converſus eſt?

(i) *Gloſſ. Interlin. Herva. D. Thom. Lyr. Carthuſ. alii.*

(k) *Theophyl. Oecumen. Hieronym. lib. 1 contra Jovin. cap. 5, 6; Haymo, Cajet. Gagna. Grot. Para.*

(l) *Chryſoſt.* Ἐνταῦθα μὲν ἐλπὶς σώζεσθαι τὸ ἀπολωλὸς μέρος διὰ τοῦ γάμου. *Ita Theodoret. Eſt. Grot. Menoch. alii. Hieronym. ad Latam: Sancta & fidelis domus virum ſanctificat infidelem: jam candidatus eſt fidei, quem filiorum & nepotum credens turba circumdat.* (m) *Vide Chryſoſt. hic. Tertull. lib. 2 ad uxorem: Non ut penès ſanctos officia ſexûs cum honore ipſius neceſſitatis, tamquam ſub oculis Dei, modeſtè & moderatè tranſigatur. Grot. Men. Tirin.*

(n) *1 Timoth. 11, 15: Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide.*

(o) *Theodoret. Grot. Eſt. Menoc. Tirin.* (p) *Tertull. de Animâ, cap. 30: Hieronym. ad Quaſitu Paulini, Ep. 53: Sanctos dici Fidelium filios, quòd quaſi candidati ſint fidei, & nullis idololatriæ ſordibus polluantur.* (q) *Eſt. Grot. Tirin. Pacu. Piſcat. Sclater. Vide & Ambroſ. in Luc. XVI; & Ambroſiaſt. hic; & Canon. 28, qu. 2, c. Si infidel. & Extrav. de Divortiis, c. Quantò, &c. Gaudemus. Et Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. Photi. Gloſſ. D. Thom. Lyran. Carthuſ. alios.*

(r) *Eſt. Grot. Pac. Piſc. Ita & Auguſt. lib. 1 De adulter. conjug. cap. 13.* (s) *Lyr. Gagn. Tir. Men. alii quid.* (t) Ἢ τί οἶδας, ἄνερ, εἰ τὴν γυναῖκα σώσεις, ἢ μή; Ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός. *Vide Oecumen. & Theophyl. & Severian. Vide Eraſm. Hammon. Mill.*

℣. 19. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſervatio mandatorum Dei.

℣. 20. Unuſquiſque, in qua vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat.

℣. 21. Servus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis utere.

℣. 22. Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.

℣. 23. Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.

℣. 24. Unuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum.

℣. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis.

COMMENTARIUS.

Non adducat præputium. Ad Libros Macchabæorum (u) docuimus, Veteres arte quadam virorum circumciſionem obduxiſſe; qua arte deſertores Judaicæ Religionis abutebantur. Tradit Celſus, qua ratione id fieret, attractâ ſcilicet extentâque quibusdam volſellis cute (x). Ejusdem crebro meminere Judæorum Libri (y); atque ajunt, iterum circumcidi debere eum, qui Circumciſionis veſtigia deleverit: ſecùs nullam futuri ſæculi partem habiturum. Nonnulli fortaſſe Judæi ad Chriſtum converſi, abdicatam penitus Judaicam Religionem ſignificaturi, vel ipſa illius veſtigia a corpore auferebant (z).

℣. 19. Circumcisio nihil est: circumciſus ſis, an non, id porrò perinde eſt ad ſalutem. Sed observatio mandatorum Dei, & vitæ inſtitutum Chriſtianis Legibus accommodatum. Abrahamo tradita fuit Circumciſio, ceu ſignum fœderis cum Deo initi (a), quo a Gentilibus atque Infidelibus ſeccerneretur (b), ſive etiam quo pueri labe peccati originis tergerentur (c). Porrò cùm poſt Jeſu Chriſti obitum abrogatum fuerit antiquum fœdus, novumque ſucceſſerit, diſcrimen Judæi ac Gentilis per Fidem in Chriſtum Jeſum ablatum eſt; paratoque per Chriſtum facili ac novo delendi paterni criminis remedio in Baptiſmo, remedium vetus, quod eum cruciatu exercebatur, inutile prorſus effectum eſt.

℣. 20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Hortatur, non imperat; ipſaque hæc exhortatio de iis dumtaxat uſurpanda eſt, quæ cum Chriſtianâ Religione non pugnant (d): ſi enim turpi ac nefariâ profeſſione, aut conditione crimini obnoxiâ implicaris, perſeverare non licet. Igitur intellige matrimonium, ſervitutem, circumciſionem, aut ſimiles ſtatus, qui Divinæ Legi non adverſantur.

℣. 21. Servus vocatus es? Non sit tibi curæ. Chriſtiani quidam ſervi, libertate perperam intellectâ glorіantes, aut aſpernabantur heros, aut moleſtiam pariebant Eccleſiæ, graveſque ſumptus a Fidelibus exigebant, ut manumitterentur (e). Vetat Apoſtolus illos aut partâ per Chriſtum libertate ſuperbire, aut manumiſſionem ſtudioſiùs quærere. Chriſtiana libertas cum humanâ ſervitute componitur; quippe quæ hominem peccato & libidinum tyrannide liberum facit.

Sed si potes liber fieri, magis utere. Si te manumittit herus, aut alius quis redimit, utere beneficio (f), quo liberiùs & commodiùs ſervias Deo. Alii (g) aliter explicant: Tametſi liberari queas, præfer ſervitutem, Cur verò? ait S. Chryſoſtomus. Prodeſt nimirum Chriſtianæ Religioni ſervitus, non nocet; ut enim ſubdit Apoſtolus: *Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini.* Poſterior hæc explicatio vulgo magis probatur; prior magis ſimplex videtur.

℣. 22. Qui in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. Quòd ſervus es, ne doleas; ad Fidem quippe a Deo vocatus, liber es peccato, veramque animi libertatem aſſecutus es. Nihilo vilior es cæteris Fidelibus ingenuis, atque abſolutiſſimâ libertate gaudentibus: omnes æquè eſtis ſervi Jeſu Chriſti. Libertatem eorum, qui extra Eccleſiam ſunt, ne optaveris, quæ vera ſervitus eſt (h).

℣. 23. Pretio empti estis, Jeſu Chriſti Sanguine. Jeſu Chriſto addicti eſtis potiori jure, quàm ſervus hero: herus enim ſervum pecuniâ tantùm emit; Chriſtus ſanguinem ac vitam in veſtri pretium erogavit. Partam itaque ab eo libertatem ſtudioſiſſimè tuemini, ipſumque conſtanter colite; nunquam enim perfectior futura eſt vobis libertas, quàm ubi ſolertiùs demiſſiùsque Jeſu Chriſto ſervieritis. Nemini unquam in ſervitutem vos date, quo liberiùs communi omnium Domino ſerviatis. Quòd ſi ſervi eſtis, animi ac mentis libertatem ſtudioſè tuemini; neque unquam peccato aut libidinum tyrannidi vos obnoxios reddite.

℣. 25. De virginibus autem præceptum Domi-

(u) 1 *Macc.* I, 16: *Fecerunt ſibi præputia. Vide & Joſeph. Antiq. lib.* XII, *cap.* 6: Τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπικαλύψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες.

(x) *Celſus, lib.* 7, *cap.* 27.

(y) *Bereſchit Rabb. fol.* 46; *Jeroſolymit. Jevamoth, fol.* 9. *&c. Vide Ligfoot. Hor. Hebr. Cartwigt. Melliſic. lib.* 3, *cap.* 2; *Synopſ. hic; Buxtorf. Lexic. in* משך *talis dicebatur,* משוך *attractus,* ἐπισπασθείς. (z) *Cuna. de Rep. Hebr. lib.* 3, *cap.* 5; *Hammond. hic.* (a) *Rom.* IV, 11.

(b) *Juſtin. Dialog. cum Tryphone; Iren. lib.* 4, *cap.* 30; *Tertull. adverſus Judæos; & alii plures.*

(c) *Auguſt. lib.* 2 *de Peccato Origin. cap.* 30; *& alibi.* (d) *Vide Auguſt. Expoſit. Epiſt. ad Galat.* 11.

(e) *Ignatii Epiſt. ad Polycarp. Vide Grot. hic.* (f) *Grot. Bez. Men. Cornel.*

(g) *Eſt. Grot. Men. Lud. de Dieu, Zeger. Camerar. Vide Chryſoſt.* Μᾶλλον χρῆσαι. Τουτέστι μᾶλλον δούλευε. Καὶ τί δήποτε τὸν δυνάμενον ἐλευθερωθῆναι κελεύει μένειν δοῦλον; Θέλων δεῖξαι ὅτι οὐδὲν βλάπτει ἡ δουλεία, ἀλλὰ καὶ ὠφελεῖ. *Ita & Theodoret. & alii Græci, & D. Thom. & Syr.*

(h) *Tertull. de Coronâ Militis: Omnia imaginaria in ſæculo, & nihil veri. Nam & tunc liber hominis eras redemptus a Chriſto, & nunc ſervus es Chriſti, licèt manumiſſus ab homine.*

℣. 26. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe.

℣. 27. Alligatus es uxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

℣. 28. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco.

℣. 29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve eſt: reliquum eſt, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint:

℣. 30. Et qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes:

℣. 31. Et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.

℣. 32. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.

COMMENTARIUS.

MINI NON HABEO. Neque in Moſaicâ Lege Deus, neque Chriſtus in Evangelio quidquam de Virginibus ſanxere. Dixerat ſolummodo Chriſtus, nonnullos eſſe, qui Cœleſtis Regni causâ ſeſe eunuchos effecerant (i); neque omnium eſſe, colere cælibatum. Ut cælibes ſint, neque omnibus imperavit, neque hortatus eſt. Itaque Apoſtolus quidquam eâ de re ſancitum eſſe negans, conſilium præbet ceu fidelis Miniſter, & divino beneficio ad munus Apoſtolicum vocatus: *Tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis* (k).

℣. 26. HOC BONUM ESSE PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM, QUONIAM BONUM EST HOMINI SIC ESSE, non jungi conjugio, virginitatem, cœlibatum colere (l), *propter inſtantem neceſſitatem*, ob hujus vitæ labores & matrimonii incommoda (m), denique ob vitæ brevitatem, & mala quibus iſta obſidetur. Facilius eſt, hominem liberum ac ſolitarium ex malis atque ærumnis evadere, quàm familiâ & uxore impeditum (n).

℣. 28. SI AUTEM ACCEPERIS UXOREM, NON PECCASTI. Malum non eſt naturâ ſuâ matrimonium; quamobrem dum hortor, ne matrimonio implicceris, te ab eo ceu a crimine non deterreo; moneo dumtaxat, utilius eſſe ac perfectius abſtinere.

TRIBULATIONEM TAMEN CARNIS HABEBUNT HUJUSMODI. Carnis moleſtiæ a matrimonio ſejungi nequeunt; mutua nimirum viri & uxoris ſubjectio & conniventia, altero alterius vitium tolerante; matrimonii onera, filiorum inſtitutio, matris pericula, parentum ſollicitudo erga familiam, curæ undique obſtrepentes. Hæc omnia *tribulationem carnis* nuncupat, uſurpatâ carnis appellatione pro exteriori homine vitâque præſenti, qua parte caro ſpiritui opponitur. *Ego autem*, inquit, *vobis parco*: id crimini non verto: miſeret me potiùs malorum, quæ ſponte ſubituri eſtis, dum matrimonium eligitis (o). Hiſce ærumnis vos eſſe liberos opto, ac matrimonio abſtinere (p). Vereor tamen, ne, dum ejus vitæ incommoda enumero, nimius ſim, & laqueum imbecillitati veſtræ objiciam (q). *Iſtam tribulationem cavere ſuſcipere tolerandam perſtultum eſſet*, ait S. Auguſtinus (r), *niſi metueretur incontinentibus, ne tentante Satana in peccata damnabilia laberentur.*

℣. 29. HOC ITAQUE DICO, FRATRES: TEMPUS BREVE EST (s). Brevis eſt hominis vita, ac non multum poſt tempus virum ab uxore, uxorem a viro mors ſejunget: moneo igitur, ne nimio amore matrimonium colatis, animumque ſeduló comparetis venturo mox Domino, ſtatimque amorem ſæculi exuatis. Græcus ita reddi poteſt (t): *Hoc autem dico, fratres (quoniam breve eſt tempus vitæ quod ſupereſt), ut & qui habent uxores, tamquam non habentes ſint.*

℣. 30. QUI FLENT, TAMQUAM NON FLENTES. Luctu ac mœrore ne opprimamini, quaſi ærumnis nunquam ceſſaturis; itemque ne nimiâ hilaritate efferamini, veluti nunquam peritura ſit veſtra felicitas. Caducum eſt quicquid in terris cernitur; nihil uno ſemper in ſtatu eſt. ℣. 31: *Præterit enim figura hujus mundi.* Theatrum & fabula eſt mundus, in quo perſonæ paululum agunt, ſtatim tranſeunt (u). Græcum alii reddunt (x): *Decipit enim figura hujus mundi*, fallit amatores (y); ſive, *A recto tramite abducit* (z), in errorem trahit.

℣. 32. VOLO VOS SINE SOLICITUDINE ESSE. Hoc unum vobis magnopere curandum eſt, ut paulatim animum ab hujus mundi rebus, uxore, filiis, negotiis, abſtrahatis, in unum illud neceſſarium, veſtram nempe ſalutem, incumbentes. Chriſtiani hominis perfectionem aſſequi non poteſtis, niſi per cupiditatum cohibitionem. Non jubet Paulus, Chriſtianum hominem vitam agere curis penitus vacuam, neque omnia prorſus negli-

(i) *Matth.* xix, 12. (k) Γνώμην δὲ δίδωμι, ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι.

(l) *Chryſoſt. Theodoret. Grot. Eſt. Menoch. alii.* (m) *Ita ferè Græci & Latini Eſt. Tir.*

(n) *Vide Grot. & Ligfoot.*

(o) *Oecumen.* Φείδομαι ὑμῶν ὡς τέκνων, βούλομαι ἐλευθέρους εἶναι, καὶ ἀλύπους.

(p) *Ambroſiaſt. Theodoret. Theophyl. alii.* (q) *Auguſt. de Sanctâ Virginit. cap.* 6: *Primaſ. alii.*

(r) *Aug. loco citato.* (s) *Græc.* Ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, *Tempus contractum. Tertull. lib.* 3 *adverſ. Marcion. cap.* 7; *& Hieronym. lib.* 1 *adverſ. Jovin. cap.* 13: *Tempus in collecto eſt. Hieron. in Eccle.* III: *Tempus in anguſto eſt.*

(t) Τοῦτο δέ φημι, ἀδελφοί, (ὁ καιρὸς συνεσταλμένος τὸ λοιπόν ἐστιν), ἵνα καὶ οἱ ἔχοντες γυναῖκας, ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. *Ita legunt Codd. plures Baſil. Theodoret. Theophyl. Oecum. Ambroſ.*

(u) *Ita Grot. Eſtius.* (x) Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα.

(y) *Cajet. Gagna. Alciat. Jac. Fab. Stapul. Sclater.* (z) *Budæus, Bez.*

℣. 33. Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.

℣. 34. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt; ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

℣. 35. Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.

℣. 36. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſuâ, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri: quod vult faciat: non peccat, ſi nubat.

℣. 37. Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.

℣. 38. Igitur & qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit: & qui non jungit, melius facit.

COMMENTARIUS.

gligere: illud vult, ut curas, ſtudium, ſolertiam ad digniora convertant, ad æternitatem ſcilicet ac beatitudinem.

℣. 33. Quomodo placeat uxori, et divisus est. Græca quædam Exemplaria cum Vulgatâ conſentiunt (a); at impreſſi Codices & plerique alii (b) jungunt cum conſequenti verſiculo ad hunc modum: *Quomodo placeat uxori: diſcreta ſunt hæc duo, mulier & virgo innupta.* Non magni momenti eſt hæc lectionum varietas, cùm eadem æquè ſit Apoſtoli ſententia: illud enim ſignificat, conjugum animos innumeris curis diſtrahi, vel hoc ipſo ut mutuò placeant. At vidua & virgo curis hiſce non diſtrahuntur, atque in hoc unum incumbunt, ut placeant Deo. Aliter planè atque ea *quæ nupta eſt*, quæ *cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Plenior eſt ac locupletior Vulgatæ ſenſus.

℣. 35. Non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum (c) est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Græcus (d): *Ut adhæreatis aſſiduè ſeu conſtanter Domino ſine diſtractione.* Illud non molior, ut cælibatûs neceſſitatem, aut jugum continentiæ vobis imponam: *Non ut laqueum vobis injiciam:* capiſtrum cervicibus veſtris injiciam, voſque jugo ſubmittam. Gallici plerique Interpretes reddunt, *inſidias ſtruam*; at hic certè non eſt Apoſtoli ſenſus, ut optimi Interpretes notant (e).

℣. 36. Siquis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta: id enim ſævitiæ patris in filiam, vel vitii filiæ, quo arceatur a nuptiis in adoleſcentiâ ineundis, ſuſpicionem movet. Adoleſcentiæ fines anno ætatis quinto & viceſimo ſtatuuntur; puellis enim eâ ætate majoribus poteſtatem faciunt Leges, ut vel patre non aſſentiente nubant.

Et ita oportet fieri, vel ſui vel filiæ honoris gratiâ, vel ut maturæ virginis diſcrimen vitetur, vel denique ne vis inferatur voluntati filiæ, continentiam non eligentis: quicquid horum ſit, optimè facit, ſi nuptum det.

℣. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, &c. Cui nulla ratio eſt nuptum tradendi filiam, qui hominum judicia ſpernit, vel qui filiam virginitatis amantem habet, nullâque ex cauſâ nuptum tradere cogitur, ſanctiſſimè agit, ſi virginem eſſe patiatur.

Potestatem habens suæ voluntatis. Si liber omnino eſt pater, tum ex hominum tum ex familiæ judicio; ſi nihil illius propoſito repugnat, tum ob filiam, tum ob conſanguineos, tum ob ſuam ipſius conditionem; his enim in rebus quamplurima ſpectanda ſunt, quæ patris libertatem, quoad maritalem aut cælibem filiæ ſtatum, auferunt minuuntve. Omnia, quæ opus eſt, excipit Apoſtolus, ne ipſe arguatur, quòd continentiæ jugum invitis impoſuerit.

℣. 38. Qui matrimonio jungit virginem suam (f). Qui in iis rerum articulis, quos diximus, nuptum tradit filiam, optimè agit: optimi parentis officio ſatisfacit, filiæ famam tuetur, bo-

(a) *Complut. Alexand. Æthiop. Cypr. Ambr. Auguſt. Fulgent. Primaſ. Hieronym. contra Helvid. in fine; & Epiſt. ad Euſtoch. de ſervandâ Virginit. & quid. Codd. Græci apud Mill. hic.*
(b) *Latini Codd. ante Hieronym. Clarom. & S. Germ. G. L. Syr. Arab. Tertull. de veland. Virgin. cap. 4; Sedul. Chryſoſt. Baſil. Theodoret. Theophyl. Oecum. Auguſt. non ſemel; Codd. Græci plerique.* Μεμέρισται ἡ γυνὴ, καὶ ἡ παρθένος: *Diſcreta ſunt hæc duo, mulier & virgo. Plurimum diſtat inter utrumque. Pagn. Piſcat. Eraſm. Grot. Syr. Tig. Bez. alii Oecumen.* Μεμέρισται, τουτέστιν, οὐ τὴν αὐτὴν ἔχουσι φροντίδα, ἀλλὰ μεμερισμένας ἐπὶ ταῖς σπουδαῖς.
(c) Οὐχ ἵνα βρόχον ὑμῖν ἐπιβάλω, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον, καὶ εὐπρόσεδρον τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως. *Alii plures*, εὐπάρεδρον τῷ Κυρίῳ. *Alii quidam*, εὐπρόσδεκτον. *Suidas*, εὐπάρεδρον, *interpretatur:* Καλῶς παραμένον, καὶ δικαίως, firmum, ſtabile, inconcuſſum. S. Hieronymus *adverſ. Jovinian. lib. 1, cap. 7,* ait, hæc verba, *Ad id quod honeſtum eſt*, & reliqua hujus commatis, in vetuſtis Latinorum libris deſiderari. Ea porrò non legère Ambroſiaſter, Pelagius, aliique.
(d) Ἀπερισπάστως. *Heſych.* Ἀμερίμνως, ἀφροντίστως, ἡσύχως.
(e) *Oecumen.* Οὐχ ἵνα ἀναγκάσω ὑμᾶς καὶ θέλοντας, καὶ μὴ θέλοντας παρθενεύειν, τὴν γὰρ ἀνάγκην βρόχον καλεῖ. *Ita Theodoret. Theophyl. Geor. Eſt. Men. Tir. alii plures.*
(f) Ὁ ἐκγαμίζων καλῶς ποιεῖ. *Plures addunt*, ἐκγαμίζων τὴν ἑαυτοῦ παρθένον. *Ita Alex. Clarom. S. Germ. Barber. Colb. alii. Vulg. Syr. Æthiop. Ambr. Hieron. Optat.*

℣. 39. Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult nubat: tantùm in Domino.

℣. 40. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium: puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.

COMMENTARIUS.

bonum denique opus facit, cùm conjugium naturâ ſuâ bonum ſit. *Trade filiam, & grande opus feceris*, ait Eccleſiaſticos *(g)*: id enim graviſſima eſt patris cura. At qui optimam filiæ voluntatem nactus, omnino ipſe ſtatuit virginem cælibatui conſecrare, melius facit: id ſanctius eſt, ac meriti longè majoris.

℣. 39. MULIER ALLIGATA EST LEGI *(h)*, QUANTO TEMPORE VIR EJUS VIVIT. A viro diſcedere, aut eo invito continentiam ſervare, aut a viro per divortium dimiſſa tranſire in alterius thorum non poteſt mulier, quippe neque corporis neque libertatis ſuæ domina: at viro mortuo, ſtatim libera fit, & cui libuerit nubere poteſt, modò Fideli viro: *Tantùm in Domino (i)*. Duo ex his colliguntur: & matrimonii vinculum ſolvi non poſſe, & nefarium non eſſe ad alteras nuptias tranſitum. Sunt *(k)* qui *In Domino* ita explicent: In Chriſtianâ Religione perſeveret, neque male abutatur libertate, ut ad ſuperſtitionem redeat, aut profano viro nubat: in timore Domini nuptias ineat, atque ex temperantiæ legibus; ob hoc unum, ut incontinentiæ diſcrimen vitet, liberosque in Dei obſequio & cognitione alat.

℣. 40. SI SIC PERMANSERIT, ſpreto conjugio, beatior futura eſt, quietior, Divinoque obſequio magis idonea; modò continentiæ donum a Deo acceperit, ſatiſque conſtantiæ, ut cælibatum deinceps ſervet. *Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Iſthuc, inquies, conſilium eſt, non præceptum. Omnino; per authoritatem non impero, neque pro imperio definio: at noſtis, me Dei Spiritu movente loqui, minuſque meam ipſius perſonam, quàm Spiritum meâ voce loquentem vobis eſſe verendum *(l)*. Me nihilo inferiorem exiſtimo cæteris, qui vos quadam cum authoritate, ipſis non conveniente, docent. Acerrimâ hac diſſimulatione pungit Corinthios, qui novos hujuſmodi Doctores magnopere obſervabant.

CAPUT VIII.

Scientia inflat, charitas ædificat. Idolum nihil eſt. Carnibus Idolo mactatis utendum non eſt in cibum aut repugnante conſcientiâ, aut malo cum cæterorum exemplo.

℣. 1. DE iis autem, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſcientiam habemus. Scientia inflat, caritas verò ædificat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE IIS QUÆ IDOLIS SACRIFICANTUR. Ex hiſce verbis colligitur, conſultum fuiſſe a Corinthiis Apoſtolum, liceret ne carnes Idolis mactatas comedere, ac Gentilium epulis adeſſe. Mactatâ idolis victimâ, pars illius aliqua ſervabatur, ut epulum familiæ vel amicis, ſive domi ſive in templo, daretur. Corinthii aliquot Chriſtiani, Philoſophicâ ſubtilitate diſputantes de inanitate idolorum, colligebant, nullâ religione abſterreri quemquam poſſe, ne iis epulis adeſſent, & carnes Diis mactatas liberè in cibum uſurparent: imbecilliores alii flagitii loco id habebant, cenſebantque, eum, qui hujuſmodi ſacrorum particeps fieret, tacito aſſenſu ſuperſtitionem, falſumque Gentilium cultum probare. Rogatus hac de re ſententiam Apoſtolus, reſpondet, ipſâ quidem re nihil eſſe idolum, carneſque illi mactatas neque pollui neque conſecrari: nunquam tamen iis utendum, ſi pravo imbecillioribus exemplo id futurum ſit, aut eo male abutantur Gentiles. Arguit Chriſtianos Tryphon *(a)*, quòd eorum plerique carnes idolis mactatas indiſcriminatim comedant. Reſpondet S. Juſtinus, iſtud quorumdam Chriſtianorum vitium univerſæ Eccleſiæ non eſſe adſcribendum: bonos autem Chriſtianos non idcirco in malum trahi; pravamque aliorum libertatem ab errore proficiſci. Ita de hiſce epolis primitivi Chriſtiani ſentiebant.

SCIMUS QUIA OMNES SCIENTIAM HABEMUS. ὑψαυχῶς *(b)*. Sublimiora iſthæc ingenia putant ſe ſatis ſcire, quid de idolo carnibuſque illi mactatis ſervandum ſit. Nos æquè docti ſumus: nemo ignorat, nihil eſſe idolum: at *ſcientia inflat, charitas ædificat*. Illud hîc non agitur, ut quis ina-

(g) *Eccli.* VII, 25.

(h) Γυνὴ δέδεται νόμῳ. *Deeſt* νόμῳ, *in plerisque*, *Alex. Clarom. S. Germ. G. L. Copht. Æthiop. Clem. Alexand. Baſil. Origen. Tertull. Cyprian. Hieron. Auguſt. Ambroſ. Sedul. Primaſ. &c. Vide Mill.*

(i) Ἐν Κυρίῳ. Τουτέστιν ὁμοπίστῳ, εὐσεβεῖ, σώφρονι, ἐννόμως. *Theodoret. Ita & alii Patres paſſim. Tertull. ad Uxorem, lib. 2, cap. 1, 2; de Monogam. cap. 7; & contra Marcion. lib. 5, c. 7; Cyprian. lib. 3, c. 5 Teſtim. c. 62; Hieron. lib. 1, c. 5 contra Jovin. Ambroſiaſt. Pelag. Sedul. Haymo, Recentiores paſſim.*

(k) *Auguſt. de Adult. Conjug. cap. 25. Vatab. Vorſt. Ita & Chryſoſtom. & Theophyl. & Theodoret.*

(l) *Origen. in Matth.* Τὸ κατὰ τὴν ἐμὴν γνώμην, ἵνα μὴ καταφρονηθῇ ὡς κενὸν κήρυγμα Θεοῦ, καλῶς ἐπήγαγε τὸ, δοκῶ πνεῦμα Θεοῦ ἔχειν. *Vide Eſt. & alios.*

(a) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon.* Καὶ μὴν πολλοὺς τῶν τὸν Ἰησοῦν λεγόντων ὁμολογεῖν, καὶ λεγομένων Χριστιανῶν, πυνθάνομαι ἐσθίειν τὰ εἰδωλόθυτα, καὶ μηδὲν ἐκ τούτου βλάπτεσθαι λέγειν .... Ἀλλὰ τὰ ἀπὸ τῶν τῆς πλάνης πνευμάτων, ἡμεῖς δὲ τῆς ἀληθινῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ καθαρᾶς διδασκαλίας μαθηταὶ, πιστότεροι καὶ βεβαιότεροι γινόμεθα, *&c. Vide Grot.* (b) *Theodoret. Bez. Ligfoot.*

℣. 2. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum ſcire.

℣. 3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo.

℣. 4. De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus.

℣. 5. Nam etſi ſunt qui dicantur dii, ſive in cœlo, ſive in terrâ (ſiquidem ſunt dii multi, & domini multi);

℣. 6. Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dn̄s Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.

COMMENTARIUS.

inani ſcientiâ cæteros in ſuam Sententiam trahat: magis conſulendæ ſunt charitatis leges, quàm Philoſophicæ ſubtilitates. Si tanta illis eſſet erga fratres charitas, quantum cognitionis jactant, ſtatim agnoſcerent, quid hiſce in rebus ſervandum ſit.

Scientia inflat, non vera & ſolida; nihil enim aptius eſt frangendæ hominis ſuperbiæ, adeò ut ſibi ipſe non credat, cautiusque de rebus ſententiam ferat, quàm vera & abſoluta magnorum noſtræ Religionis myſteriorum, dogmatum ad mores pertinentium, artium quin etiam humanarum ſcientia, cum charitate conjuncta: ſed inanis & exilis ſcientia, præſertim ſi circa profanas, curioſas, ac merè philoſophicas quæſtiones verſetur, ſi charitate ſit vacua, plerumque in ſuperbiam & arrogantiam trahit *(c)*; non ipſa quidem per ſe, ſed aſſeclarum vitio. Contra *charitas* ſemper *ædificat*, firmosque in bono & animi dejectione reddit non eos modò qui eâ inſtructi ſunt, verùm etiam proximos: regit, recreat, in pietate ac religione confirmat. *Ædificare* contrarium eſt ſcandalo, everſioni, deſtructioni. Chriſtiani hominis vita paſſim cum ædificio comparatur *(d)*. Juſtus & ſapiens homo, eruditus & charitate plenus, ædificat; impius, ſuperbus, arrogans deſtruit. *Sic itaque adhibeatur ſcientia, tamquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis aſſurgat, quæ maneat in æternum, etiam cùm ſcientia deſtruetur*, inquit S. Auguſtinus *(e)*. *Minùs certè aſſequatur illa quæ inflat, dum non offendatur illa quæ ædificat (f).*

℣. 2. SI QUIS SE AXISTIMAT SEIAA ALIQUIO, ſi ſcientiæ ſuæ præter modum fidit, ſi ſatis ſe doctum putat, ut reliquorum conſiliis non egeat, ſi eruditione ſuâ ſuperbè gloriatur, *nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum ſcire.* Omnino oſtendit, ſe & charitate & verâ ſcientiâ carere *(g)*; eruditione ſe rectè non uti, eamque in debitum finem non referre, cùm eâ neque in ſui neque in fratrum commodum utatur. Græcus *(h)*: *Nondum quicquam ſcit, quemadmodum oportet ſcire.*

℣. 3. SIQUIS AUTEM DILIGIT DEUM, HIC COGNITUS EST AB EO. Ubi Deum ita cognoſcimus, ut affectu & geſtis id ipſum præſeramus, hoc porrò Divinæ erga nos benevolentiæ argumentum eſt & effectus. Qua enim ratione nos amemus Deum, niſi priùs Ipſe nos amaverit *(i)*? Quo autem pacto amemus, niſi cognoverimus? quomodo noverimus ut dictum eſt, niſi mentem noſtram ipſe præveniat *per inſpirationem flagrantiſſimæ & lumi-noſiſſimæ charitatis*? ut ait S. Auguſtinus *(k)*. *Cognoſcere* in Deo idem eſt ac amare; quemadmodum *neſcire* eſt odiſſe, rejicere, aſpernari. Divinus Judex olim ſupremâ die reprobis dicturus eſt *(l)*: *Neſcio vos.*

Nonnulli *(m)* reddunt Græcum *(n)*: *Siquis diligit Deum, ideirco eſt quia ſe illi manifeſtum reddidit Deus.* Hoc beneficium uni Deo debetur: nemo gloriari eo debet, aut male abuti cognitione. Interdum enim quis ſublimiſſimarum etiam cognitionum occaſione in vitium labitur; ipſaque Divina earum manifeſtatio, ſi expers charitatis ſit, nedum inutilis, verùm etiam exitialis fieri poteſt *(o)*.

℣. 4. SCIMUS QUIA NIHIL EST IDOLUM IN MUNDO. Novi nihil affertis: novimus & nos, nihil eſſe idolum, nullam ineſſe illi virtutem, boni nihil aut dignitatis, quæ metum, obſequium, æſtimationem exigant. Ita alibi *(p)* docuit, nihil eſſe Circumciſionem, neque abſque charitate nihil eſſe *(q)*, ac tradere Prophetas, nihil & inane eſſe idolum *(r)*. Neque putes, illud velle Apoſtolum, ipſam idoli materiem nihil eſſe, cùm metallum ſit, lignum, lapis; interdum pecus, homo, aſtrum; poſtremo quod a Gentili colitur, quicquid ſit, reverâ eſt: at cùm idola ſint vaniſſimæ imagines, Dei nomine indignæ, nihili habendæ ſunt, ceu ſummo contemptu digoæ; quamobrem nulla habenda eſt illorum ratio, ac poteſt in cibum adhiberi quicquid illis mactatur eâ libertate, quàm ſi in macello in communem vulgi uſum mactatum fuerit *(s)*. Ludere videtur Apoſtolus in voce *Idolon (t)*, quæ propriè inane ſimulacrum ſignificat, veluti umbras noctu apparentes.

Umbra tenues, ſimulacraque luce carentum.

℣. 5. NAM ETSI SUNT QUI DICANTUR DII, quemadmodum reverâ quamplurimi ſunt, ſive in Cœlo, puta Jupiter, Juno, Sol, Luna, Aſtra; ſive in terris, ut Heroës in Deorum gentem ad-

(c) *Vide Auguſt. tract. 27 in Joan. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. c. 29; & alibi. Leo Papa, & alii apud Eſt. hic.* (d) *Vide Grot. Eſt. Le Clerc, &c. Act.* IX, 31; XX, 32; *1 Cor.* X, 23; XIV, 4; *1 Theſſal.* V, 11; *Rom.* XIV, 19, *& paſſim.* (e) *Auguſt. Ep.* 55, *n.* 39, *nov. edit.*
(f) *Idem, Ep.* 75, *n.* 9. (g) *Theodoret. Vide Grot. Men. Tirin. &c. Vide Bern. ſerm.* 36 *in Cant.*
(h) Οὐδέπω οὐδὲν ἔγνωκε καθὼς δεῖ γνῶναι, *Plures omittunt* οὐδέν. *Vide Mill.*
(i) *1 Joan.* IV, 10: *Non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.*
(k) *Auguſt. de Grat. Chriſti, c.* 35, *n.* 38. (l) *Matth.* VII, 27. *Vide Joan.* XVII, 3; *Rom.* VII, 25; VIII, 29; 21, 2; *& 1 Theſſ.* V, 12, 19; *& 2 Timoth.* II, 19, *&c. Pſalm.* I, 6; *Prov.* VIII, 27.
(m) *Pagn. Para. Bez. Jun. &c.* (n) Εἰ δέ τις ἀγαπᾷ τὸν Θεὸν, οὗτος ἔγνωσται ὑπ' αὐτοῦ.
(o) *Vide 1 Cor.* XII, 7; *& 1 Cor.* XIII, 1; *& Eſt. ad* ℣. 1, 2, *&c.* (p) *1 Cor.* VII, 19.
(q) *1 Cor.* XIII, 2. (r) *Iſai.* X, 10, 11; XIX, 1, 22; *Jerem.* XIV, 24; XXVI, 1; *Pſalm.* XCIV, 5, *&c.*
(s) *Vat. Eſt. Grot. Men. Tir. Ham.* (t) *Homer. ſæpiùs*: Νεκύων εἴδωλα καμόντων. *Virgil. Tenues ſine corpore vitas. Vide Cleric. ad Hamm. hic.*

℣. 7. Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientiâ uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cùm ſit infirma, polluitur.

℣. 8. Eſca autem nos non commendat Deo. Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, deficiemus.

℣. 9. Videte autem ne fortè hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis.

℣. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam, in idolio recumbentem: nonne conſcientia ejus, cùm ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta?

℣. 11. Et peribit infirmus in tuâ ſcientiâ frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt?

℣. 12. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis.

COMMENTARIUS.

adſcripti, dæmones, amnes, elementa, ipſæque pecudes divinis honoribus donata (u); ridicula & puerilia Numina, quæ Divinitatem ex errore & commentis hominum dumtaxat retulere; negari tamen non poteſt, quin ex hoc ſenſu & errore quamplures Dii ſint ac Domini, immeritò ac falſo eâ appellatione donati. *Nobis tamen unus Deus*, ℣. 6. Nos unum Deum novimus, rerum omnium Authorem & Conditorem. *Unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Sive ex Græco (x): *Unus Deus Pater, ex quo omnia* ſunt, *& nos ob ipſum* ſumus. Nos in Deum ferri debemus, unus ipſe finis noſter eſt, noſtraque beatitudo. *Et unus Dominus, Jeſus Chriſtus, per quem omnia* condita ſunt, *& nos propter illum.* Per Jeſum redempti ſumus, per Jeſum nobis aditus ad Patris ſolium patet.

℣. 7. Sed non in omnibus est scientia. Non eadem omnibus eruditio eſt, quæ vobis, qui de idolorum inanitate ita diſputatis. Imbecilles quidam inter vos ac pavidi ſunt, quibus perſuaſum eſſe nequit, nihil eſſe idolum, quique ſaltem vel dæmonem eſſe arbitrantur, ſive animam heroia, virtutem aliquam maleficam, immundum Spiritum, neque licere uti in cibum carnibus idolo mactatis, quin ſimul participes ſint cultûs idolo exhibiti, ipſaque actio ſit obſequii erga illud ſignificatio.

℣. 8. Esca autem nos non commendat (y) Deo. Hoc ipſum aliis verbis dixit in Epiſtolâ ad Romanos (z): *Non eſt regnum Dei eſca & potus.* Dei Regnum non in cibo potuque, ſed in juſtitiâ & pace conſiſtit. Mactatas carnes comedas aut abſtineas, neque Deo gratum neque ingratum eſt: at ſcandalum ac moleſtiam fratri objicere, ac peccandi occaſionem illi exhibere, id porrò diſplicet Deo. Quamobrem qui ex vobis ſeſe cæteris ſapientiores putant, ſcientiâ & uſurpatâ libertate ne glorientur, quæ ſcilicet illos apud Deum neque glorioſiores neque minùs nobiles facit.

℣. 10. In idolio recumbentem. *Idolium* eſt vel templum idolis ſacrum, vel epulum in idolorum honorem celebratum, vel denique locus, in quo epulum fit. Sacra & profanas epulas celebrabant Ethnici vel in Templi foribus, vel ipſo in Templo, vel in porticibus luciſve Templum ambientibus, vel denique in privatorum ædibus. Plerique (α) hîc de idolorum templo interpretantur.

Nonne ædificabitur ad manducandum idolothyta (β)? Nonne exemplo tuo animus & audacia illi addetur, ut carnes idolis mactatas pariter comedat? Cùmque ipſius conſcientia illum doceat, fieri non poſſe, ut aliquid ex iis comedat, quin ſimul cultum exhibeat idolis, quæ dæmones ſunt, aget repugnante conſcientiâ; tuque potiſſima peccati illius cauſa eris, vel ſaltem occaſio. ℣. 11: *Et peribit infirmus in tuâ ſcientiâ* (γ) *frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Cùm ſcientiâ & libertate tuâ imprudenter utaris, mortis cauſa es fratri, quem Dei Filius ita amavit, ut vitam ſalutis illius causâ profuderit. Hanc ipſam collectionem vide in Epiſtolâ ad Romanos, XIV, 15. His adde quæ Chriſtus pronunciavit de iis, qui pravo exemplo infirmis ſunt. *Matth.* XVIII, 6; *Marc.* IX, 41.

℣. 12. Percutientes (δ) conscientiam eorum, in Christum peccatis: illorum conſcientiam lædentes, impellentes in ruinam, inquietantes, peccatis in Chriſtum, qui amavit fratrem, eumque Sanguine ſuo redemit. Membrum Servatoris injuriâ afficitis, violatis Charitatis legem, inter vos infirmumque fratrem conſtitutam. Proprium Pauli eſt, magna de Religione docere, ac ratio-

(u) *Chryſoſt.* Ἐν οὐρανῷ ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη, καὶ ὁ λοιπὸς τῶν ἄστρων χορός, καὶ γὰρ καὶ ταῦτα προσεκύνησαν Ἕλληνες. Ἐπὶ γῆς δὲ δαίμονες, καὶ οἱ ἐξ ἀνθρώπων θεοποιηθέντες ἅπαντες.

(x) Εἷς Θεὸς ὁ Πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν. Καὶ εἷς Κύριος Ἰησοῦς Χριστός, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ. *Vide Theodoret. hîc, & Theophyl.* Ἐξ οὗ τὰ πάντα, ἡμῖν δηλοῦται, τοῖς τὴν γνῶσιν τῆς ἀληθείας ἐπισταμένοις. *Epiphan. hæreſ.* 25, *n.* 6; *Tertull. lib.* 5 *contra Marcion. c.* 7: *Omnia nobis.* (y) Παρίστησι, *Commendat. Alii plures*, παραστήσει, *commendabit. Vide Mill.* (z) *Rom.* XIV, 17. (α) Εἰδωλεῖον, *Templum idoli.* 2 *Maccab.* I, 50; X, 83: Ἀσταρτεῖον, *Templum Aſtartæ.* 1 *Reg.* XXXI, 10: Ἀτεργατεῖον. 2 *Maccab.* XII, 26: Ποσειδώνιον, *Templum Neptuni.* Μουσεῖον, *Templum Muſarum, &c. Vide Goot. Druſ. alios.*

(β) Οὐχὶ οἰκοδομηθήσεται εἰς τὸ τὰ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν.

(γ) Ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει. *Chryſoſt.* Ἐπὶ τῇ σῇ βρώσει. *Vide in hunc locum.*

(δ) Καὶ τύπτοντες αὐτῶν τὴν συνείδησιν.

℣. 13. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.

COMMENTARIUS.

nes ſublimiſſimas proferre, ſive exhortetur ſive arguat.

℣. 13. Non manducabo carnem in æternum, potiùs quàm fratri ſcandalum objiciam. Docet quid ſibi ipſe propoſuerit, & quid proponere ſibi debeant Chriſtiani, mutuò ſervandum, ut ſcilicet licitis maximè placitisque rebus abſtinere malint, quàm lædere charitatem, moleſtiam fratri exhibere, aut lapsûs occaſionem fieri.

CAPUT IX.

Tametſi Paulus neceſſarios vitæ ſumptus exigere ex Corinthiis potuerit, abſtinuit tamen, ne illis oneri eſſet. Omnia ſuſtinet ob Fidei incrementum. Omnes in ſtadio currimus. Paulus hortatur exemplo.

℣. 1. NOn ſum liber? Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi? Nonne opus meum vos eſtis in Domino?

℣. 2. Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum Apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino.

℣. 3. Mea defenſio apud eos, qui me interrogant, hæc eſt.

℣. 4. Numquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi?

℣. 5. Numquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Dñi, & Cephas?

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOn sum liber (a)? Pergit eos arguere, qui Evangelicâ libertate male abutentes, ſcandalo eſſe fratri non verebantur. Non ſum liber æquè ac vos? Quis vetet, me jure meo uti, & cultum Apoſtolicæ dignitati parem ex vobis exigere? Cùm autem id ego non exigam, mearumque manuum labore vitam tolerare maluerim, an multo æquius non eſt, carnibus idolo mactatis vos abſtinere? Nemo offendi poterat, neque arguere, ubi neceſſarios vitæ ſumptus ex vobis exigerem, nimirum illud ipsum, quod mihi permittit Deus. At vos prudentes ſcientesque fratris animam læditis, atque inconſultâ agendi ratione in peccatum impellitis (b).

Nonne Christum Jesum vidi? Quonam nomine cæteris Apoſtolis concedo (c)? An quòd ipse pariter Chriſtum Jeſum præſens non viderim? Omnino, in terris verſantem non vidi: at ille poſt reſurrectionem mihi ſe ſpectandum objecit, ipsoque meæ converſionis tempore, & in cœlis, quò raptus ſum, vidi (d).

Nonne opus meum vos? Hìc & conſequenti verſiculo ſe Apoſtolum eſſe oſtendit, deinde oſtenſurus, poteſtatem ſibi eſſe multa præſtandi, a quibus abſtinendum cenſuit. Perſpicua muneris mei argumenta vos eſtis, quorum converſio meum opus eſt, cum Dei ope; vos ego per Evangelium meum genui. ℣. 2. *Et ſi aliis non ſum Apoſtolus, ſed tamen vobis ſum: nam ſignaculum* (e), argumentum, teſtimonium *Apoſtolatûs mei vos eſtis*. Omnibus Apoſtoli officiis functus ſum apud vos, veſtraque Eccleſia fructus eſt laboris mei: ego illam inſtitui.

℣. 3. Mea defensio, ut doceam, me liberum eſſe, ac nihilo minùs quàm vos, qui ſapientiâ gloriamini, probè noſſe, quæ ſit libertas Evangelii, quid ab eâ permittatur, poſtremò quo usque eâ utendum ſit. Hæc verba quamplures (f) cum ſuperioribus jungunt. Defenſio mea adversùs Apoſtolatûs mei refragatores, Eccleſiæ ſunt quas inſtitui, atque innumeri homines quos ad Chriſtum duxi; imò & vos met ipſi, quorum Doctorem & Apoſtolum eſſe me, nemo negaverit. Præſtantiſſima omnium videtur hæc explicatio.

℣. 4. Potestatem manducandi et bibendi veſtris ſumptibus? quemadmodum Chriſtus in Evangelio tradidit (g): *In eâdem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſuâ*. Hac libertate non utebatur Paulus, ſed vitam labore manuum tolerabat (h).

℣. 5. Mulierem sororem circumducendi, quæ res vitæ neceſſarias curet, quemadmodum Chriſtum ſequebantur piæ fœminæ, quibus neceſſarias vitæ res, & quæ ad cibos pertinerent, co-

(a) *Græci impreſſ.* Οὐκ εἰμὶ Ἀπόστολος; οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; Vetuſti tamen complures libri, & Patres multi cum Vulgatâ conſentiunt: Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ Ἀπόστολος;
(b) *Chryſoſt. Theodoret. alii.* (c) *Theodoret. alii.* (d) *Act.* IX, 3, 6, 17; XXII, 14, 17, 18: *&* 2 *Cor.* XII, 1, 2. (e) Σφραγὶς, τουτέστιν ἀπόδειξις. Κἂν βούληταί τις μαθεῖν πόθεν Ἀπόστολός εἰμι, ὑμᾶς προβάλλομαι. Πάντα γὰρ τὰ τοῦ Ἀποστόλου ἐν ὑμῖν ἐπεδειξάμην, καὶ οὐδὲν ἐνέλιπον. *Chryſoſt. hic*: Ἀπόδειξιν γὰρ τῶν Ἀποστολικῶν κατορθωμάτων τὴν ὑμετέραν ἔχω μεταβολήν. Σφραγῖδα γὰρ τὴν ἀπόδειξιν, καὶ τὴν βεβαίωσιν καλεῖ. *Theodoret.* (f) *Vatab. Eſt. Menoc. Tirin. Theodoret. Theophyl. &c.* (g) *Luc.* X, 7. (h) *Act.* XX, 34; 1 *Theſſal.* II, 9; *&* 2 *Theſſal.* III, 8.

℣. 6. Aut ego ſolus, & Barnabas, non habemus poteſtatem hoc operandi?

℣. 7. Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?

℣. 8. Numquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit?

℣. 9. Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo?

COMMENTARIUS.

curandi provincia demandata fuerat (i). Communis tunc erat Judæorum hic mos, inquit S. Hieronymus (k), apud quos piæ mulieres Doctoribus ſacrisque Præconibus adhærebant, eosque in itineribus ſequebantur, mirante nemine. Magiſtrum imitati ſunt Apoſtoli: Petrus & cæteri obſequium a piis fœminis ubique comitantibus præſtitum, non reſpuebant (l). Paulus dumtaxat ac Barnabas hoc obſequio ſponte carebant, ne cui eſſent oneri, aut Gentilibus ſuſpicioni vel ſcandalo.

Non deſunt tamen Interpretes (m), quibus videtur Paulus hîc agere de uxore, quam ſecum ducere ſibi liceret, quemadmodum cæteri, præſertim verò Petrus, ſolebant. Ajunt hi cum S. Clemente Alexandrino (n), Paulum vinctum fuiſſe conjugio; at minimè uſum libertate, quam cæteri Apoſtoli uſurpabant, uxores circumducendi; quibuſcum tamen ceu cum ſororibus, non uxoribus, verſabantur. Hæ matronas docebant inſtituebantque, Apoſtolis viros docentibus. Græcus (o) ad verbum: *Sororem mulierem circumducendi.* Quæ verba explicari non poſſe ajunt, niſi de Pauli uxore, ad Chriſtum pariter converſâ, atque ita in ſororem adoptatâ: eorum tamen argumenta fidem non extorquent. Diximus, pleroſque Veteres Patres de muliere Chriſtianâ dumtaxat intellexiſſe, Apoſtolum pietatis ac Religionis cauſâ proſequente: atque ex Antiquis complures (p) pro *mulierem ſororem*, ſive *ſororem mulierem*, legebant *mulieres*, ſeu *ſorores mulieres*; quæ legendi ratio argumento eſt, cenſuiſſe illos, circumduci ab Apoſtolis conſueviſſe non uxores, ſed pias fœminas Chriſtianas, ſibi inſervientes. Vide ſupra, VII, 7, 8, quæ diximus de uxore Pauli Apoſtoli.

℣. 6. Non habemus potestatem hoc operandi? Eâdem ſcilicet cæterorum Apoſtolorum libertate utendi? Contra Græcos ſeſt (q): *Non habemus poteſtatem non operandi*, victuſque impenſas a Neophytis exigendi? Plures tamen ex priſcis Latinis Patribus cum Vulgatâ conſentiunt (r). Melior Græco ineſſe videtur ſententia, eamque optimi Interpretes ſequuntur. Omnino videtur, antiquiſſima eſſe librarii alicujus mutatio, qui *hoc* pro *non* ſcripſerit: vetuſtiſſima quippe lectio eſt.

℣. 7. Suis stipendiis. Græcus (s) ſignificat annonam, quæ militibus ipsâ re diſtribuebatur, vel in dies, vel in menſes.

℣. 8. Numquid secundum hominem hæc dico? An iſta vulgaris ratiocinatio eſt (t), & argumentum ex congruentiâ ductum? An et lex hæc non dicit? Nedum ratio, mos, conſuetudo gentium jubent, unumquemque ex labore ſuo victum & annonam referre, ſed ipſa Lex præcipit.

℣. 9. Non alligabis os bovi trituranti. Apud Palæſtinos, quemadmodum & in cæteris ferventioris cœli gentibus, fruges in agro terebantur pecudum pedibus, ac præſertim boum. Plures ſimul jungebantur ad latus, atque inducebantur in manipulos, converſis invicem capitibus, spicâ ſurſum ſtante, circum arborem, in areâ probè pavitâ. Solebant avari boum ora fiſcellâ conſtringere, nequid comederent terendo (u), aut comedendo lentiores eſſent. Animadvertit Maimonides (x), violatæ Legis reum eſſe, *qui in ore beſtiæ ſpinam ponit, cùm ea triturat, ne comedat; aut qui facit, ut leo prope aream, aut vitulus ejus illi accubet; aut qui ſitientem non potat; aut qui pellem extendit ſuper trituram, ut ab ipſa prohibeat.* Hujuſmodi ſævitiâ populo interdixit Deus, voluitque ut boves in areâ terentes, paleis ac tritico liberè veſcerentur. Legem hanc Paulus detorquet ad eos qui prædicant Evangelium, ac po-

(i) *Luc.* VIII, 2, 3.
(k) *Hieronym. in Matth.* XXVII; *& lib.* 1 *contra Jovinian. c.* 14.
(l) *Vide Theodoret. hic; Oecumen. Theophyl. Aug. de Opere Monach. cap.* 4, *&* 5; *Hieronym. lib.* 1 *contra Jovinian. cap.* 14; *Tertull. de Monogam. c.* 8; *Ambroſiaſt. Sedul. Primaſ. Ita alii plerique e recentioribus.* (m) *Beza, Grot. Cartwig. Sclater. Piſc. Quid. apud Chryſoſt. & Theodoret. in Philipp.* IV, 3. *Ita & Eraſm. Cajet. Cathar. Zanch. ibidem.*
(n) *Strom. lib.* 3: Οὐχ ὡς γαμετὰς, ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς, περιῆγον τὰς γυναῖκας. Συνδιακόνους ἐσομένας πρὸς τὰς οἰκουροὺς γυναῖκας, *&c.*
(o) Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν;
(p) *Tertull. de Monogam. cap.* 8; *& de Pudicitiâ, cap.* 14; *Hieronym. in Matth.* XXVII: *Sorores mulieres. Ambroſiaſter, Sedul. Hieronymiaſter, hic; Hieronym. lib.* 1 *contra Jovin. cap.* 14; *ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin. cap.* 8; *& lib. contra Helvid. cap.* 6; *tract. de ſingularit. Cleric. &c. Mulieres. Cod. Boerner. G. L.* γυναῖκας, *mulieres.*
(q) Οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι; *Ita Syr. & Aug. l. de Opere Monach. c.* 7.
(r) *Ambroſ. Tertull. Aug.*
(s) Τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ;
(t) *Vide Rom.* III, 6; VI, 19; *Galat.* III, 15.
(u) *Hinc Proverbium,* Βοῦς ἐπὶ σωρῷ; *quod dicitur* ἐπὶ τῶν ἀλοώντων, καὶ διὰ φιμοῦ ἐσθίειν κωλυομένων. Ælian. lib. 4 Hiſt. cap. 25, ait: *Cùm tritura tempus eſt, & boves in gyrum agantur, ne boves ſpicas comedant, nares eorum unguntur fimo bubulo.* Ὑπὲρ τοῦ τοὺς βοῦς μὴ ἀπογεύεσθαι τῶν σταχύων, βολβίτῳ τὰς ῥῖνας ἐπιχρίουσιν αὐτῶν.
(x) *Maimon. tract. Schebhiret, apud Boch. de Animal. ſacr. parte* 1, *l.* 2, *c.* 40.

℣. 10. An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare: & qui triturat, in ſpe fructûs percipiendi.

℣. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?

℣. 12. Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.

℣. 13. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?

℣. 14. Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

℣. 15. Ego autem nullo horum uſus ſum. Non autem ſcripſi hæc, ut ita fiant in me: bonum eſt enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.

℣. 16. Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria: neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.

COMMENTARIUS.

populos docent. Vide nos in *Deut.* xxv. 4.

℣. 10. ET QUI TRITURAT, IN SPE FRUCTUS PERCIPIENDI (y). Si Deus tam ſolicitè bubus ac pecudibus conſulit, hominum certè, agros colentium ac terentium ſegetes, oblitus non eſt; ſuis illos e laboribus victum comparare vult. Apoſtoli, atque Evangelici Præcones, qui peculiari magis ratione Deo ſerviunt, ſoli ne nullum e laboribus ſuis commodum referant? Cùm illi ſpiritalibus veſtris commodis tam ſolicitè ſtudeant, an æquum eſt, ut nullâ veſtrarum opum parte gaudeant?

℣. 12. SI ALII POTESTATIS VESTRÆ (z), ſcilicet poteſtatis, quam in vos cum conſenſu veſtro exercent, PARTICIPES SUNT. In vobis dominantur, ait S. Chryſoſtomus (a), poteſtatem exercent, vobis ceu ſervis utuntur, opes veſtras non uſurpantes modò, verùm etiam multâ cum authoritate exigentes. Græcum nonnulli (b) ſic reddunt: *Si alii participes ſunt facultatum veſtrarum, quare non potiùs nos?* In Libris Novi Teſtamenti, Græca vox *exuſia* paſſim uſurpatur pro imperio, quod heri ac Principes in ſervos ac ſubditos exercent (c). Hic tamen ex præcedentibus, ℣. 4, 5. 6, ſignificare videtur poteſtatem exigendi alimenta vitæ neceſſaria.

OMNIA SUSTINEMUS (d), inopiam, laborem, famem, ſitim, ærumnas, nuditatem, incommoda, quæ cum longis itineribus nunquam non conjunguntur: omnia verò hæc patimur, ne Evangelii progreſſum impediamus, ne ſimus oneri populis, neve quis nos lucri cupidos putet, de noſtris potius commodis, quàm de illorum ſalute ſolicitos.

℣. 13. QUI IN SACRARIO OPERANTUR, Miniſtri Templi, QUÆ DE SACRARIO SUNT, EDUNT, Quamplures erant in Templo Miniſtrorum gradus; omnes tamen, ab ipſo Pontifice ad infimum usque Levitam, ac viliſſimos etiam ſervos, comportandis in Templum aquæ & lignis deſtinatos, ipſius Templi ſumptibus alebantur: quamquam cum diſcrimine; nam *qui altari deſerviunt, cum altari participant*: Sacerdotes, Altari inſervientes, parte rerum Altari impoſitarum gaudent; non item meri Levitæ, quibus annona præbetur ex decimis, primitiis, rebusque Templo oblatis. At Sacerdotes veſcuntur partibus victimarum, quæ unis ipſis Legis ſanctione ſervantur (e); ita ut ne ipſis quidem liceat eas extra Templum & cum familiâ comedere, præter quasdam pacificorum partes (f), quas diſertis verbis Lex excipit.

℣. 14. DOMINUS ORDINAVIT, præcepit. Chriſtus Diſcipulos ad Evangelium nunciandum mittens, præceperat, nequid ſecum ferrent; nihil enim ipſis defuturum; quicquid in domibus hoſpitum invenirent, eo veſcerentur; dignum quippe mercede ſuâ eſſe operarium (g).

℣. 15. BONUM EST ENIM MIHI MAGIS MORI, QUAM UT GLORIAM MEAM QUIS EVACUET; quàm pati, ut gloria traditi a me nullâ mercede Evangelii minuatur (h). Nunquam patiar, objici mihi poſſe a falſis Apoſtolis, commoda mea me quæſiviſſe prædicatione Fidei, eosque imitatum, exactis arrogantes rebus ad vitam neceſſariis.

℣. 16. SI EVANGELIZAVERO, NON EST MIHI GLORIA. Satis mihi non fuerit, Evangelium docuiſſe: non magna hinc mihi oritura eſt gloriandi occaſio; vix enim explevero id, quod ex me exigit Deus, & mei muneris eſt. Cum iſtud egero, fatendum erit, me ſervum eſſe inutilem (i). At Evangelium nullâ mercede tradere, nemini gra-

(y) *Græc. impreſſ.* Ὁ ἀλοῶν τῆς ἐλπίδος μετέχειν ἐπ' ἐλπίδι. *Alii plures;* Ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν. *Sic Mſſ. plures. Origen. Ambr. Vulg. Vide Mill.* (z) Εἰ ἄλλοι τῆς ἐξουσίας ὑμῶν μετέχουσι, quaſi diceret, τῆς ἐξουσίας εἰς ὑμᾶς: uti apud Joan. xvii, 2: Ἐξουσίαν πάσης σαρκός.
(a) *Chryſoſt. hic:* Κρατοῦσιν ὑμῶν, ἐξουσιάζουσιν, ὡς δούλοις ἀποχρῶνται, οὐ λαμβάνοντες μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ πολλῆς αὐθεντίας. (b) Ἐξουσίας ὑμῶν, *quaſi diceret*, οὐσίας ὑμῶν. *Capell. Piſcat. Caſtal.* Vorſtius ait, Codices nonnullos ferre, οὐσίας. At nullam hic varietatem notat Millius.
(c) *Luc.* iv, 6; vii, 8; xxiii, 7: *Joan.* xviii, 2; *Rom.* xiii, 1, 2, 3.
(d) Πάντα στέγομεν, τουτέστι, ὑπομένομεν, καρτεροῦμεν. *Theodoret. Omnia ſuſtinemus, patimur, capimus, continemus, quaſi vas capaciſſimum.* (e) *Levit.* vii, 6, 7, 14, 15.
(f) *Levit.* x, 14. Vide & xxii, 11, 12, 13. (g) *Matth.* x, 10; *Luc.* x, 8.
(h) *Theodoret. Eſt. Vatab. Men. Tirin. alii. Vide & Auguſt. lib. 2 de Serm. Domini in monte, cap. 16.*
(i) *Luc.* xvii, 10.

℣. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt.

℣. 18. Quæ eſt ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate meâ in Evangelio.

℣. 19. Nam cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.

℣. 20. Et factus ſum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer.

℣. 21. Iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem (cùm ipſe non eſſem ſub lege) ut eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: iis, qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem (cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti) ut lucrifacerem eos, qui ſine lege erant.

COMMENTARIUS.

gravem eſſe, interque innumeras Apoſtolici muneris curas vitam labore manuum meorum tolerare, ea porrò laus eſt, qua gloriari mihi licet, plurimi a me facienda, quippe quæ gloriæ Domini mei plurimum ſervit, meque falſis Doctoribus, quorum vitia & avaritiam damno, præſtantiorem facit.

VÆ ENIM MIHI, SI NON EVANGELIZAVERO, Domino morem non geſſero, creditum mihi talentum humi condidero (k), abſcondero ſub modio lucernam ab eo in terras delatam, ut omnibus qui domi ſunt luceat (l). Reus fuero pœnæ ſervi inutilis (m), in tenebras exteriores projecti; objecero me periculo Jonæ, qui in Tharſum navigans, ne Niniven proficiſceretur, procellæ cauſa fuit, dignusque qui in mare projiceretur (n). Denique Spiritui Dei repugnavero, ejusque verbi lumen, quatenus in me fuerit, extinxero.

℣. 17. SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO. Si unius coactionis gratiâ ceu mercede conductus Evangelium nuncio, ne mihi iraſcatur Dominus, ſive ut mercedem referam, quod mihi meritum eſt, aut quid ex Deo expectem? nihilo certè plus quàm ſervus, qui metûs causâ imperata præſtitit: fecit quod ſuum erat, nihilque præterea; nullam illi laudem debet herus (o). *Diſpenſatio mihi credita eſt* (p). Dici de me illud ſolummodo poterit: Paruit; vel: Crediti muneris ratio illi reddenda eſt: non potuit quin obtemperaret. Si verò hilari ac ſtudioſo animo munus meum explevero, ſi quid ob Domini mei gloriam & obſequium, præter imperata, præſtitero, puta, ſi Evangelium nullâ ex hominibus mercede tradidero, ſi unius Dei amore omnes laborioſiſſimi muneris curas alacri ſtudio ſuſcepero, ſpes mihi ſupereſt futurum, ut Deus liberalitate dives me beneficiis cumulet.

℣. 18. QUÆ EST ERGO MERCES MEA? Ablatâ interrogationis notâ reddi poteſt Græcus (q): *Aliqua igitur mihi eſt merces*, ſi Evangelium nullâ humanâ mercede nunciavero, nihilque ex quoquam accepero.

UT NON ABUTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO. Apoſtolis omnibus ſacrisque Præconibus aſſertum jus eſt accipiendi alimenta & cætera vitæ neceſſaria ex iis, quos ipſi Evangelium docent, quemadmodum Apoſtolus paulo antea docuit. Hoc igitur non ſignificat, dum ait, cavere ſe, ne abutatur poteſtate in Evangelii prædicatione. Abutitur, qui alimenta ubique indiſcriminatim accipit, minimè veritus offenſionem hinc facilè orituram, malamque opinionem, quam populus ex eâ avaritiæ ſpecie ſit animo concepturus. Abutitur, qui mercedem hanc ceu laboris ſui finem ſibi propoſuit. Hoc eſt *abuti*, a quo cavet Paulus. Ab hoc vitio tum ipſe tum cæteri Apoſtoli quàm longiſſimè aberant; quamobrem his verbis Paulus notat falſos Apoſtolos, avaritiæ causâ laborantes, qui Evangelium vendere, non gratis tradere, videbantur (r).

℣. 19. CUM LIBER ESSEM EX OMNIBUS, OMNIUM ME SERVUM FECI. Redit ad ea quæ dixit ℣. 1: *Non ſum liber?* Cùm penitus liber eſſem ab hominibus, nullaque mihi obligatio eſſet tradendi Evangelium absque mercede, aut abſtinendi alimentis, quæ ſacris Præconibus debentur, omnes tamen ærumnas, incommoda, labores, cum hoc vitæ genere conjunctiſſimos, ſponte ſubii, quo pluribus utilis fierem, pluresque Jeſu Chriſto compararem: *Ut plures lucrifacerem.*

℣. 20. FACTUS SUM JUDÆIS TAMQUAM JUDÆUS. Judaicos mores cum Judæis ſervavi; ritibus Legis, quos & inutiles & antiquatos eſſe noveram & docebam, me obnoxium feci, ne illis offenſioni eſſem, imò ut illos ad Chriſtum ducerem. Sapientiſſimo hoc conſilio Timotheum circumciſione initiavit (s), cùmque Jeroſolymis eſſet, Nazaræatum profeſſus eſt, eumque ex Lege complevit (t).

℣. 21. IIS QUI SUB LEGE SUNT, QUASI SUB LEGE ESSEM. Dicta repetit. Judæum me cum Judæis præſtiti. Sunt (u) qui cenſeant, agere Apoſtolum de proſelytis ſub Lege viventibus, quamquam genere a Judæis alienis; ſive de Judæis ad Chriſtum converſis, adhuc tamen Moſaica jura ſervantibus (x). Alii (y) de Samaritanis, Moyſis Pentateuchum excipientibus. Prior explicatio ſimplex magis videtur, ac probabilior.

CUM IPSE NON ESSEM SUB LEGE. Hæc non leguntur in Græco typis edito, neque in Syriacâ; habentur tamen in eximiis Exemplaribus (z), Chryſoſtomo, Auguſtino, Hilario Diacono.

IIS QUI SINE LEGE ERANT, vel, quibus non erat Scripta Lex, ſive Moſaica. Cum Gentilibus

(k) *Matth.* xxv, 18. (l) *Matth.* v, 15. (m) *Matth.* xxv, 30. (n) *Jonas*, 1, 2, 3, 4.
(o) *Vide Theodoret. Eſt. Men. Tir. Hamm. alios paſſim.* (p) Οἰκονομίαν πεπίστευμαι.
(q) Τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθὸς, ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον, &c.
(r) *Vide Aug. lib. de Opere Monach. cap.* 11, 12. (s) *Act.* xvi, 3. (t) *Act.* 21, 23, 24, 26.
(u) *Chryſoſt. Theophyl.* (x) *Theodoret. hic:* Τὸ μὲν Εὐαγγέλιον δεξαμένοις, ὅτι ἡ τοῦ νόμου φυλακὴ προσδεδεμένοις. (y) *Ambroſiaſt. & alii quidam.* (z) *Alexand. Cod. S. Germ. & Claront. & Borner, GG. LL. Steph.* 10, *Barb.* 2, *Colb.* 7, *alii.*

℣. 22. Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.

℣. 23. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar.

℣. 24. Neſcitis quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravîum? Sic currite, ut comprehendatis.

℣. 25. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

COMMENTARIUS.

bus verſatus ſum tamquam a Judæis alienus; neglexi cum illis rituales ſanctiones, eoſque ad illarum obſervationem non adegi, ut illos Deo lucrifacerem: magnoperè cavi, ne hujuſmodi jugo illos opprimerem, eorumque converſioni impedimentum objicerem. Ita inter illos fui, veluti Lege carens (a): *Cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed eſſem ſub lege Chriſti*: Divinæ Legi reverâ ſubditus, non eo modo quo Scribæ ac Phariſæi docent, ſed quo præcepit atque explicavit Chriſtus, poſitus quidem ſub Scriptæ Legis ſervitute, at gaudens libertate Evangelii.

℣. 22. FACTUS SUM INFIRMIS INFIRMOS; Chriſtianis adhuc in Fide imbecillibus, neque ſcientibus, quàm latè porrigatur libertas a Chriſto comparata. Ciborum delectum inter illos ſervavi; abſtinui rebus idolo dedicatis; cœtibus Gentilium non adfui; id enim offenſioni illis fore noveram. Inſtar medici, morbum ſimulantis cum ægroto, ut illius animum deliniat, illique valetudinem reſtituat. Denique *omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos* (b): at minimè conſentiens impiis, neque peccatum diſſimulans, aut iniquitatem probans, cælanſve veritatem, ſive flagitium authoritate confirmans. Omnibus omnia factus ſum in iis rebus, in quibus neque veritati neque Religioni connivendo nocerem. *Omnibus omnia factus eſt*, ait S. Auguſtinus (c), *compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ*. Et alibi (d): *Non ſimulantis aſtu, ſed commiſerantis affectu*.

℣. 23. OMNIA (e) AUTEM FACIO PROPTER EVANGELIUM, ut Evangelium cum fructu & prædicetur & excipiatur. Hæc omnia Evangelii causâ facio; & *ut particeps ejus efficiar*, æternæ ſcilicet vitæ, quæ merces eſt hominum, qui Evangelio religioſè obtemperant. Evangelium omnes accepimus, eamdem mercedem expectamus omnes, eodemque in ſtadio omnes currimus.

℣. 24. QUI IN STADIO CURRUNT. Chriſtiani hominis vita ſtadium eſt, in quo Chriſtiani omnes currunt, ut præmium aſſequantur. Omnes quidem currimus: at ſatis non eſt cucurriſſe; reportandum eſt præmium. Eâdem comparatione utitur infra. *Philipp.* III, 14. Nihil olim illuſtrius apud Græcos, quàm ludi publicè habiti, quibus athletæ variè exercebantur. Sua erant præmia ſingulis conſtituta, ſive luctâ, ſive curſu, ſive ceſtu, ſive diſco & jaculo vincerent (f). De curſu hic agit Paulus. Qui curſu certabant, eodem omnes tempore, dato ſigno, e clauſtris ruebant; ſtatumque erat currendi ſpatium, ſtadii ſcilicet, vel paſſuum cxxv (g): qui primus metam attingeret, coronam e metâ pendentem capiebat (h). Equis etiam & curru certabant, quos deinde ludos Romani non ſecus ac Græci ſtudioſè colebant. At pedeſtrem curſum hîc ſignificat Apoſtolus.

℣. 25. OMNIS AUTEM QUI IN AGONE CONTENDIT. Qui ſeſe palæſtræ magiſtris erudiendos dabant, publicis deinde ludis certaturi, ſeveriſſimam diſciplinam ſervare debebant (i), & continentiſſimum vitæ genus, abſtinere cupediis, potu frigido, vino, ſtatis horis exerceri, frigus atque æſtum pati; deinde Magiſtro palæſtræ ſe tradere, ceu medico, cibos vitæque rationem moderanti (k).

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer: ſudavit, & alſit,
Abſtinuit Venere & Baccho.

Hinc diſce, quàm latè errent ii, qui corporis robur multo cibo ac vino comparari cenſent: imò nihil magis inimicum. Verus valetudinis tuendæ, ac vitæ diu protogandæ, & comparandarum corporis virium modus eſt, vitæ genus continens ac moderatum, expers voluptatis, ac labori & exercitationi aſſuetum. Id ſervabant profani, quibus opus erat valetudine ac robore.

Neque me fugit, quoſdam eſſe (l) qui arbitrentur, athletas multo cibo uſos. Scribit Ariſtote-

(a) Μὴ ὢν ἄνομος Θεῷ, ἀλλ' ἔννομος Χριστῷ. *Alii plures*: Μὴ ὢν ἄνομος Θεοῦ, ἀλλ' ἔννομος Χριστοῦ, *Non exiſtens exlex Deo, ſed ſublex Chriſto*.

(b) *Græc. impreſſ.* Ἵνα πάντως τινὰς σώσω. *Sed Mſſ. plures, ut Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Clem. Alex. Æthiop. Syr. Ambroſiaſt. Tertull. Auguſt.* πάντας, *omnes*.

(c) *Aug. Ep. olim* 12, *nunc* xl, *n.* 6. (d) *Epiſt. olim* XIX, *nunc* LXXXII. *Vide & lib. de Opere Monach. cap.* 11, *n.* 12: *Quod non ſimulandi verſutiâ faciebat, ſed compatiendi miſericordiâ*.

(e) *Græc.* Τοῦτο δὲ ποιῶ διὰ τὸ Εὐαγγέλιον. *Sed Alexand. Clarom. S. Germ. Borner. GG. LL. Ambroſiaſt. Chryſoſt. alii quid. ut Vulgata: Omnia facio*, πάντα ποιῶ.

(f) Πάλη, πυγμὴ, δρόμος, ἅλμα, δίσκος; *quæ ſic exprimit Epigr. Antholog.*

Ἴσθμια, καὶ Πυθοῖ, Διοφῶν ὁ Φιλῶνος ἐνίκα,
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

(g) Scholiaſtes Pindari, *Olymp. ode* 13, ccc cubitis porrigi ait.

(h) *Vide Juſtinianum hic*.

(i) *Epictet. cap.* 31: Δεῖ σε εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων, γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην ἐν ὥρᾳ τεταγμένῃ, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, μὴ ψυχρὸν πίνειν, μὴ οἶνον, ὡς ἔτυχεν. Ἁπλῶς, ὡς ἰατρῷ ἐπιδιδόναι σεαυτὸν τῷ ἐπιστάτῃ.

(k) *Horat. de Arte Poëticâ, v.* 412. *Vide Ælian. Var. hiſt. lib.* XI, *cap.* 3; *Grot. Hammon. Le Clerc hic*. (l) *Vide Juſtin. & Hammon. hic, Heinſ. H. Ueſin. qu. Bibl. lib.* 6, *c.* 6. Le Céne, projet de traduct. pag. 609, 610.

℣. 26. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans:

℣. 27. Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

COMMENTARIUS.

ſtoteles (m), illia eſſe quamdam comedendi neceſſitatem; Galenus athletarum vitam ſaginam eſſe ait, neque aut diuturnâ aut ſanâ vitâ uti illos poſſe. Mercurium inducit Lucianus prohibentem, ne Damaſias cum tantâ carnis mole cymbam Charontis ingrediatur (n). Negat Julianus Auguſtus, Imperatorem decere athleticum corpus & ſaginam (o). His argumentis perſuaſi Interpretes quidam hunc locum ita vertunt: *Athletæ ſtudioſiſſimè abſtinent* Venere. Eadem Græca vox quæ *temperantiam* ſignificat, interdum etiam pro *continentiâ*, quæ virtus eſt temperantiæ filia, uſurpatur.

At fruſtra quæſiveris aliam interpretationem Græci & Vulgatæ, præter eam quam dedimus; ac relati e Scriptoribus loci aut male recitantur, aut perperam intelliguntur. Minimè ſcribit Ariſtoteles, Athletas ad cibum invitos adigi, ſed quadam dumtaxat neceſſitate conſtringi ac regi, ut iis non liceret quos vellent aut quolibet tempore cibos ſumere: atque ut videas, minimè credidiſſe Ariſtotelem, athletas pinguiores eſſe, vetat pueros ante pubertatem (p) athleticis artibus exerceri; arctâ enim & parcâ vivendi regulâ, ac frequentibus illorum conatibus valetudinem puerorum corrumpi. Julianus Auguſtus non ſcribit, extraordinariam ac miram eſſe athletarum voracitatem, ſed certum illis eſſe cibum ſumendi tempus ac modum; quæ ab Imperatore negotiis occupato, præſertim in itinere, ſervari nequeunt. Damaſias ille, quem Mercurius a cymbâ Charontia arcebat, corpore erat pingui & procero, at ita ut neque craſſities neque proceritas aut lentiorem redderent aut imbecilliorem. Plerumque ii, qui hujuſmodi artibus operam dabant, firmo erant ac procero corporis habitu. Galenus, non ſecus atque alii, fatetur, Athletas vitæ genus coluiſſe auſterum ac temperatum. Utrùm ſatis ſanum, diſputare hujus loci non eſt: fortaſſe violenta illa virium exercitatio valetudini nocebat.

Hanc corporis exercitationem Paulus detorquet ad animum, atque ad laborioſas prædicationis agitationes. Si voluptatibus abſtinent athletæ, cæteriſque omnibus, ut caducam coronam referant, quid agendum nobis ac ferendum eſt, ut paratam nobis Cœli beatitudinem adipiſcamur? De athletis curſu certantibus egit initio; hîc & conſequenti verſiculo de pugilibus ac pyctis, cæteriſque athletis. Horum coronam nuncupat *corruptibilem coronam*, alludens ad conſuetum Iſthmiorum, olim in Græciâ celeberrimorum, præmium, coronam ſcilicet ex oleâ, quercu, pinu, lauro, aliâve arbore, ceu apio. Horum certè victoriam diuturnior in patriâ laus commendabat: corona verò neque pretioſa erat, neque permanens, neque diuturna.

℣. 26. Sic curro, non quasi in incertum (q). In ludis nunquam non multi erant athletæ, ad præmium currentes; incerti omnes de victoriâ, quippe qui probè noſſent, unum dumtaxat fore victorem. Æquè incertum ſe eſſe negat Paulus, cùm ad certam victoriam, & ad coronam multis victoribus parem, ſe currere ſciat, minimè hac diviſione diminutam; cùm infinitum ſit bonum, quod ab omnibus quæritur.

Non quasi aerem verberans, ut imperiti athletæ, qui vacuo ictu interdum cuunt (r).

Entellus vires in ventum effudit, & ultro
Ipſe gravis, graviterque ad terram pondere vaſto
Concidit.

Putant alii (s), alludere Paulum ad athletas, qui ante pugnam brachia jactantes, atque aërem verberantes, exercebantur (t):

. . . . . . *Alternaque jactat*
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Videtur Apoſtolus alludere ad quorumdam athletarum pugnas, velatis oculis ſive in tenebris pugnantium. Favent huic conjecturæ verba Apoſtoli: *Sic curro*, inquit, *non quaſi in incertum*, in obſcuro: *ſic pugno, non quaſi aërem verberans.* Similis non fuit *Andabatarum*: ita appellabantur athletæ, clauſis oculis certantes.

Tel jadis l' Andabate, armé de ſon poignard,
Combattoit à l' aveugle, & vainquoit au hazard.

ait Gallicus Poëta. Ad Andabatarum pugnas alludit S. Hieronymus, e. g. ubi ait, Helvidium, collectis Scripturarum locis, *more andabatarum in tenebris gladium ventilare*. Et adversùs Jovinianum ſcribit, *melius eſſe clauſis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare* in Jovinianum, *quàm directa ſpicula clypeo non repellere veritatis.* Alibi (u), de Dialogo Origenis & Candidi, pro Valentino hæretico pugnantis, ſcribens, ait: *In quo Dialogo duos andabatas digladiantes inter ſe ſpectaſſe me fateor.*

Significat igitur Paulus, ſeſe ſcientem ac probè videntem ad finem currere; pugnare in hoſtes conſpicuos atque inconſpicuos, medio in lumine; optimè ſibi perſpectos aggredi, Deoque opem ferente ſe ſperare victoriam.

℣. 27. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Græcus (x): *Obtundo corpus meum, & captivum facio*, militis more, hoſtem capientis, domitumque & ſeſe victum fateri coactum in ſervitutem adigentis. Græca quædam Exemplaria legunt: *Dejicio corpus meum*, vel dejectum opprimo, ceu luctator adverſarium. Sive,

(m) *Ariſtot. Politic. lib.* VIII, *cap.* 3, 4: Ὅταν δὲ ἀφ' ἥβης ἔτη τρία πρὸς τοῖς ἄλλοις μαθήμασι γένωνται, τότε ἁρμόττει καὶ τοῖς πόνοις, καὶ ταῖς ἀναγκοφαγίαις καταλαμβάνειν τὴν ἐχομένην ἡλικίαν.
(n) *Lucian. Dialog. Mortuorum*: Τοσαύτας σάρκας περιβεβλημένον. (o) *Julian. de Laudibus Conſtantii*, *orat.* 1: Τὴν τῆς παλαίστρας ἀντιληφότων θρυλλουμένην εὐεξίαν.
(p) *Ariſtot. lib.* 8 *Politic. cap.* 4. *initio*: Αἱ μάλιστα δοκοῦσαι τῶν πόλεων ἐπιμελεῖσθαι τῶν παίδων, αἱ μὲν ἀθλητικὴν ἕξιν ἐμποιοῦσι, λωβώμεναι τά τε εἴδη, καὶ τὴν αὔξησιν τῶν σωμάτων.
(q) Ὡς οὐκ ἀδήλως. (r) *Virgil. Æneid.* V; *Homer. Iliad.* Υ, *de Achille ter Hectorem fruſtra ferire conato*.... Τρὶς δ' ἠέρα τύψε βαθεῖαν.
(s) *Grot. Hamm. Men. Tirin.* (t) *Virgil. Æneid. V.*
(u) *Apolog.* 2 *contra Rufin.* (x) Ἀλλ' ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ. *Theophyl.* ὑπωπιάζω, τουτέστι πυκτεύω πρὸς τὸ σῶμα. ὑπώπια γὰρ λέγονται τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς τραύματα, ἃ ἐν τῷ πυκτεύειν γίνονται. *Codd. Clarom. S. Germ. Lat. Lividum facio. Alii legunt*: ὑποπιέζω, *dejectum opprimo; vel juxta Theophyl.* Λιμῷ παραδίδωμι, *fame cruccio. Sed impreſſæ conſentiunt Codd. pluſimi, Alex, Æth. Iren. Epiphan. Baſil. Chryſoſt. Nyſſ. Heſych. alii plerique.*

Sive, domo corpus, & ſame debilito. Prior tamen lectio multo probatior (y). Ait igitur Paulus, corpua ſuum a ſe hoſtia loco, quem rstioni ac meoti ſubdit, tiactari; domari ictibus, labore, ærumnis, jejunio, vigiliis, inopiâ (z); quicquid poteſt, illi ſubtrahi; poſtremo ita ſubjectum teoeri, ut ſeditione ac ſuperbiâ moleſtism non pariat.

Ne forte cum aliis prædicavarim, ipse reprobus efficiar; præmio, quod cæteris polliceor, & Cœleſti gloriâ, ad quam cæteros Evangelicâ prædicatione voco, ipſe caream. Ego ipſe curro in ſtadio, atque in palæſtrâ pugno, ne a Summo Judice, coronas diſtribuente, rejiciar, ac priver præmio, quod præcooi clsmanti, vocanti, exhortanti, atque athletas docenti, non debetur, ſed iis qui cucurrere, pugnavere, denique victoribus. Non hic agitur de æternâ ad infernum ignem damnatione, vel de prædeſtinatione ad gloriam, qusſi is qui prædeſtinatus fuit, futurus ſit reprobus, vel contra: ſed de eo dumtaxat, qui prædicsto cæteris Evangelio, ab æternâ felicitste repellitur, vel quòd vitam ex Evsngelii legibus non inſtituerit, vel quòd ad finem usque non perſeveraverit (α). Non de æterno ac certiſſimo Dei decretn res eſt, ſed de ipſius decreti executione. Diſce Pauli exemplo, quo timore, qua aoimi humilitate (β), qua vigilantiâ tibi ſtudendum ſit, ut aſſequare ſalutem, tuamque vocationem ac prædeſtinationem certam facias (γ). Israëlitæ, quorum meminit Capite conſequenti, qui poſt tsm multa Dei beneficia in Ægypto ac ſolitudine, morte demum pœnas dedère, a promiſsâ regione excluſi; luculentiſſimum ſunt eorum, quæ dicimus, argumentum, & eos qui in Dei viis ambulant, timere docent.

CAPUT X.

Judæi Divinis beneficiis ingrati ac ſeditioſi, in deſerto morte plectuntur. Quicquid illis contigit, figura eſt eorum quæ bonis maliſque eveniunt. Opem præſtat Deus, cùm tentamur. Vitanda eſt idololatria, & proximi ſcandalum. Omnia facienda ſunt ob Dei gloriam & fratrum utilitatem.

℣. 1. Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt:
℣. 2. Et omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari:
℣. 3. Et omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Nolo enim vos ignorare, &c. Nobis ipſi ne aſſentemor, fratres, quòd nos ad Fidem vocaverit Deus, veniam peccatorum in Baptiſmo dederit, nos in Eccleſiâ tueatur, cœleſtibus donis cumulaverit, vocaverit etiam ad Apoſtoli dignitatem. Fieri tamen poteſt, ut inter Prædeſtinatos non ſimus, quæſitamque felicitatem non aſſequamur. Hebræos duce Moyſe proficiſcentes inspicite. Quàm multo prodigiorum niſu illos ab Ægypto eduxit Deus? Per Erythræi gurgites traduxit incolumes; nube protexit; pavit mannâ, elicitisque e ſilice aquis potavit. At quàm pauci tamen ex tantâ multitudine Deo placuere? Quod illis uſu vênit, figura eſt eorum quæ nobis fortaſſe imminent. Erythræi tranſitus figura baptiſmi eſt; nubes Judæos protegens, eſt Dei patrociniom, quo in Eccleſiâ gaudemus: manna Eucharistiam, aqua e ſilice educta Jeſu Chriſti doctrinam ſignificabant. Atque hæc quidem eſt Pauli ratiocinatio ſex primis Capitis hujuſce verſiculis; atque hoc pacto Caput hoc cum ſuperiore conjungitur (a).

℣. 2. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari. Nullo negotio intelligis, ſignificatum Erythræi tranſitu Baptiſmum, a Jeſu Chriſto inſtitutum; atque Israëlitas, per maris alveum ſiccis veſtigiis gradientes, quodammodo per Moyſem, ducem ac Principem, baptizatos (b). At non æquè perſpicuum eſt, nubem, quæ interdiu illis erat umbraculo, noctu verò iter illuſtrabat, Baptiſmi pariter ſignum fuiſſe; niſi dixeris, quemadmodum Hebræi, Erythræo egreſſi, nube protegebantur, ita Chriſtianos in Eccleſiâ tutos eſſe ſub Jeſu Chriſti patrocinio, quo adversùs inconſpicuos hoſtes defenduntur. *Mare*, ait Theodoretus, ſacri balnei figura erat, quo Chriſtiani merguntur; *Nubes*, gratiæ Spiritûs Sancti; *Moyſes*, Sacerdotis Baptiſmo tingentis; Moyſis *virga*, Crucis Jeſu Chriſti; *Israël* inter fluctus, Chriſtianorum qui baptiſmo abluuntur; *Ægyptii* fluctibus obruti, & *Pharao* Ægyptiorum dux, dæmonum ab uſurpato in homines imperio pulſorum. Vide & Tertullianum, libro *de Baptiſmo*.

℣. 3. Eamdem escam spiritalem. Manna Chriſtum Jeſum ſignificabat, ut idem ipſe docet in Evangelio (c): *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi... Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Eumdem ipſum cibum, quem nos, comederunt Hebræi; figurâ illi, nos re (d). Cibus nobis eſt ſpiritalis; corporeus Hebræis. Manna, ut ait Scriptura (e), Angelorum mini-

(y) *Vide Eraſm. Grot. Strigel. Vorſt. Men. alios.*

(z) 2 *Cor.* VI, 4: *In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, &c.* (α) *Vide Eſt. & Cornel. a Lapide hic.*

(β) *Philipp.* II, 12: *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* (γ) 2 *Petri*, I, 10: *Magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

(a) *Theodoret. ad finem cap.* 12. *Eſt. hic, ad* ℣. 3.

(b) Εἰς τὸν Μωϋσῆν ἐβαπτίσαντο, *vel* ἐβαπτίσθησαν. (c) *Joan.* VI, 51, 59.

(d) *Auguſt. tract.* 26 *in Joan. Rupert. D. Thom. Petr. Lombard. Eſt. Juſtin. Vorſt. alii.*

(e) *Pſal.* LXXVII, 25. *Sap.* XVI, 20.

℣. 4. Et omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petrâ: petra autem erat Chriſtus).

℣. 5. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto.

℣. 6. Hæc autem in figurâ facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.

℣. 7. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.

COMMENTARIUS.

miniſterio parabatur: Jeſus Chriſtus in Eucbariſtiâ panis vitæ eſt, Patri oblatus ab ipſo met Chriſto, in hominum ſalutem. Hebræi, ait Philo (f), in manna verbum & rationem Divinam invenere.

℣. 4. OMNAS AUNDEM POTUM SPIRITALAM BIBAUNT. Hebræi omnes aquâ, per Moyſem e ſilice eductâ, potati ſunt: hanc ipſam aquam spiritali ratione bibunt Chriſtiani in inſtitutionibus Præceptoris ſui, qui ſimilem ſe dixit fonti, in vitam æternam ſalienti (g). Aqua e ſilice per Moyſem hauſta, jubente Deo, Evangelica dogmata (h), vel Jeſu Chriſti Sanguinem ſignificabat. Aquam, qua potabantur Israëlitæ, spiritalem nuncupat Apoſtolus, vel quòd prodigio, Divinâque ratione elicita fuerit, vel potiùs quòd aquam omnino Divinam ac spiritalem, utì diximus, ſignificaverit.

BIBAAANT AUTEM DE SPIRITALI CONSAQUANTE NOS PATRA (i). Aqua e ſilice, quem Moyſes in caſtris Raphidim percuſſit (k), Israëlitas conſequebatur, quòd illos toto per ſolitudinem itinere proſequuta fuerit, adeò ut rivus ex eâ fluens ſingulas illorum ſtationes comitaretur (l). Id tamen ſi verum eſt, cur ad Cades in ſeditionem diſceſſere Israëlitæ ob aquarum penuriam, aliamque rupem percuſſit Moyſes, ut aquas eliceret (m)? Victus hoc argumento Theodoretus ait, neque aquam e ſilice, neque ſilicem ipſum unà cum Israëlitis veniſſe, ſed Dei beneficentiam, nunquam non illis præſentem, ac neceſſaria omnia ſuppeditantem (n). Cenſent alii, Hebræos ſecutos rivum, quem aqua e ſilice percuſſo fluens conſtabat; & quamdiù circa rivum iter habuere, nunquam illis defuiſſe aquam; inde tamen profectos ad Cades, iterum aquarum inopiâ laboraſſe.

Sunt quibus videtur aqua e ſilice ſequuta proficiſcentes Hebræos, quemadmodum fermè Ælianus (o) ſcribit, aquas Choaspis ſequutas ubique Perſarum Reges, quòd ejus amnis aquæ in eorum Regum profectionibus deferri ſolerent. Ita Hebræi, dum ad rivum ex Horeb fluentem caſtrametabantur, iis aquis utebantur tum ipſi, tum pecora: cùm diſcederent, & in aridâ regione conſiſterent, aquas ex eo ſecum deferebant: at ubi fertilis occurreret & aquoſa planities, obviis aquis utebantur. Satis iſta ſunt, ut vera ſit Pauli locutio, neque neceſſe eſt aliud prodigium, Moyſe præſertim non narrante, comminiſci. Nec me fugit, docere Rabbinos (p), aquam e ſilice ſtudioſè adeò proſequutam Hebræos, ut in montes irreperet, inter montium anguſtias penetraret, per arenas flueret, ſtaretque veluti conſtituto loco, ubi caſtra metarentur, ibique ſtagna formaret, quibus multitudo potaretur: at non facilè admittenda ſunt iſthæc prodigia, ne homines parum religioſi ex iis opportunitatem capiant ſpernendi ea quæ vera ſunt & perſpecta.

PATRA AUTEM ERAT CHRISTUS. Rupes Horeb, & aqua e rupe fluens, Chriſtum Jeſum (q), ejusque dogmata, Sanguinem, & Sacramenta ſignificabat. Hanc ſuper rupem conſtituta eſt Eccleſia; Idem fons eſt beneficiorum, quibus & tunc Israëlitæ, & nunc Chriſtiani aſſiduè cumulamur. Aqua e ſilice proſequebatur Israëlitas: gratia Jeſu Chriſti nunquam nos deſerit, niſi priùs a nobis ſpreta: fons eſt nunquam non præſens patensque: quisquis aquas, utì oportet, ex eo poſtulat, uberrimè impetrat.

℣. 5. SED NON IN PLURIAUS AORUM. Tam multa Dei beneficia erga Israëlitas, argumento non ſunt, univerſam populi multitudinem Deo placuiſſe. Ex totâ Israëlitarum gente, Joſue dumtaxat & Caleb in promiſſam regionem pervenere (r). Ita & beneficiis, quibus vos in Eccleſiâ cumulavit Deus, ne arroganter gloriemini: timete potiùs, ne muneribus, quæ mero Dei beneficio accepiſtis, ſpoliemini.

℣. 6. HÆC IN FIGURA (s). Figura ſunt iſta eorum, quæ erga nos præſtiturus eſt Deus. Si Hebræorum ſeditionem, infidelitatem, pervicaciam, animumque refractarium imitati fuerimus, eadem nos manet pœna, qua illos afflixit Deus.

UT NON SIMUS CONCUPISCANTES MALORUM (t), ne rerum malarum, vetitarum, deſideria ſectemur. Carnes a Deo quæſivere Israëlitæ; manna leviſſimum & injucundum cibum eſſe querebantur (u). Iratus illis Deus coturnices dedit; quibus cùm adhuc illi veſcerentur, Divinus in illos furor exarſit. Mala iſtorum deſideria ne imitemini, neque Gentilium ſacrificia frequentetis, ne Deus arrogantiâ provocatus, vos in hoſtium poteſtatem tradat.

℣. 7. NAQUE IDOLOLATRÆ, quemadmodum Israëli-

(f) *Philo de Profugis, pag. 470:* Ο'υ γὰρ, ἦ φησὶ Μωσῆς, ᾔδεσαν τί ἦν· ζητοῦν μαθόντες ῥῆμα Θεοῦ, καὶ λόγον θεῖον ἀφ' οὗ πᾶσαι παιδεῖαι, καὶ σοφίαι ἀέναοι, ἣ δέ ἐστιν ἡ οὐράνιος τροφή.

(g) *Joan.* IV, 14: *Aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

(h) *Vide ad Joan.* IV, 14. (i) *Ita Chryſoſt. & alii Græci.* (k) *Exod.* XVII, 56.

(l) *Vide Interpp. ad Exod.* XVII, *& Rabb.* (m) *Num.* XX, 8. . . . . 10, *&c.*

(n) *Vide Theodoret. Grot. Vat. Glaſſ.* (o) *Ælian. Var. Hiſt. lib.* 12, *cap.* 40.

(p) *Vide, ſi placet, Ligfoot. Hor. Hebr.* (q) *Auguſt. lib.* 2 *contra adverſ. Leg. & Prophet. cap.* 6: *Petra ſignificabat Chriſtum. Vide Ambroſiaſt. Chryſoſt. Oecumen. Auguſt. in Joan. tract.* 26, *n.* 12: *Petra, Chriſtus in ſigno.* (r) *Num.* XIV, 23, 24. (s) Τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. *Alii:* Τύποι ἡμῖν, *Figura nobis*, vel *figura noſtra*, ſive *in figuram noſtri*. Quidam: Ε'ις τύπον ἡμῖν, *Vide Mill. & Eſt. hic.* (t) Μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν. (u) *Num.* XI, 4, 5, 6.

℣. 8. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt unâ die vigintitria millia.

℣. 9. Neque tentemus Chriſtum: ſicut quidam eorum tentaverunt, & a ſerpentibus perierunt.

℣. 10. Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.

COMMENTARIUS.

Iſraëlitæ vitulum aureum coluere (*x*). Animo in Ægyptum reverſi, Deos profectionis duces poſtulavere. Vitulum exemplo Apidis, Numinis Ægyptiorum, conflavit Aaron: huic victimas mactavit multitudo, atque ex reliquis profani ſacrificii carnibus epulum circa ſimulacrum dedêre; tum paſti potique, ad choreas ludosque ſurrexere: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Horum idololatriam & flagitia ne imitemini. Ad ejeratos errores ne revertamini, neque participes eſtote ſacrificiorum, quæ agunt impii, aut adhibitis in cibum carnibus idolo mactatis, aut frequentatis Gentilium epulis.

℣. 8. Neque fornicamur, quemadmodum olim Iſraëlitæ cum Moabiticis puellis (*y*), a quibus ad profana ſacra vocati fuere. Veremini, ne, dum nullo metu epulis Gentilium adeſtis, flagitio aliquo involvamini; immodica enim erat hujuſmodi epularum licentia. Peccato populi offenſus, *tria & viginti* Iſraëlitarum millia uno die trucidari juſſit Deus. *Quatuor & viginti* ſcribit Moyſes (*z*). Æthiopica Verſio duo tantùm & viginti millia hoc loco enumerat. Neque Paulus neque Moyſes fortaſſe integrum ac rotundum mortuorum numerum poſuere, ſed illi vicinum: plures nimirum tribus & viginti millibus fuere, pauciores aliquanto quatuor ac viginti millibus. Minorem numerum uſurpavit Paulus, Moyſes majorem, quemadmodum paſſim in familiari narratione certus ac definitus pro incerto numero uſurpari ſolet (*a*). Cenſent alii, in cenſu quatuor & viginti millium comprehenſos a Moyſe non eos modò, qui immiſsâ per Deum plagâ periere, ſed eos etiam, quos ſuſpendio necavit Moyſes ipſe, & iratus Phineis ſociorumque gladius trucidavit (*b*). Animadvertunt, eos dumtaxat hîc a Paulo deſcribi, qui *una die ceciderunt*; a Moyſe verò omnes, quos caſus iſte ſuſtulit.

℣. 9. Neque tentemus Christum, quemadmodum tentavere Iſraëlitæ in ſolitudine, cùm itineris diuturnitate ac labore fatigati, ſeditionem in Deum ac Moyſem excitavere (*c*): *Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ; anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes*, quorum morſu quamplurimi perierunt. Hanc Hebræorum ſeditionem Paulus nuncupat *Tentationem*; reverâ enim illi tunc tentavere Deum, ac defuere fiduciæ de illius potentiâ & bonitate. Græci Codices typis editi cum Vulgatâ conſentiunt, pariterque legunt (*d*): *Neque tentemus Chriſtum*. At S. Epiphanius (*e*) ait, obtruſum a Marcione *Chriſtum* pro *Dominum*; ac Theodoretus, aliique nonnulli Codices ferunt *Dominum*, non *Chriſtum*. Alii (*f*): *Neque tentemus Deum*. Vetuſtiſſimi tamen Patres (*g*), & antiquiſſima Exemplaria, atque omnia fermè vetera & recentiora monumenta penitus cum Vulgatâ conveniunt, adeò ut alia lectio quærenda non ſit.

Hebræi, cùm Deum tentarent, Chriſtum etiam, verè Deum, tentavere; tentavere autem ut Ducem ac Principem. Monet Paulus Chriſtianos, ne Chriſtum tentent, diſcrimen peccandi ſubeuntes (*h*), & in idololatriam ſive in impudicitiam ruendi, in Gentilium Sacris, ſive ſcandalum fratribus objicientes, ſeu denique nimiùm de ſuâ ipſorum ſcientiâ viribusque fidentes (*i*). Angelus *exterminator* ipſe eſt Diabolus, ſive is qui Dei vindictam exequitur; frequenter enim bonis Angelis uſus eſt Deus, ut in impios animadverteret.

℣. 10. Neque murmuraveritis, ut illi ſeditionem excitavere, reverſis iis, qui promiſſam regionem exploratum miſſi fuerant (*k*); quo tempore jurato ſpopondit Deus futurum, ut nemo e ſeditioſis in promiſſam regionem pedem inferret. Addit Moyſes (*l*): *Omnes viri, quos miſerat Moyſes ad contemplandam Terram . . . mortui ſunt atque percuſſi in conſpectu Domini.* Qui locus conſentaneus eſt alteri ejusdem Capitis, ℣. 12, quo minitatur Deus, ſeſe illos peſte afflicturum. Id fortaſſe Apoſtolus nuncupat, *perire ab exterminatore* (*m*).

Ajunt alii (*n*), ſpectari hîc ab Apoſtolo id quod Iſraëlitis adversùs Moyſem & Aaronem (*o*), poſt ſeditionem ac ſupplicium Core, Dathani & Abironis, conſpirantibus contigit. Iratus tunc Deus immiſſo igne magnam caſtrorum partem abſumpſit, penitus deleturus, niſi Aaron cum thuribulo accurreret, ceu paries inter flammas, illarum curſu & vim coërcens. Hac de re agens Judith (*p*), *Angeli exterminatoris* pariter meminit; & Author Sapientiæ (*q*) ait, Aarone cum ſacris veſtibus & thure ad incendium accurrente, ceſſaſſe Exterminatorem: *His autem ceſſit qui exterminabat, & extimuit.* Poſterior hæc ſententia melioribus fulcitur quàm prior.

Fortaſſe Corinthii de Pauli ſeveritate, vel de libertate, qua carnes idolo mactatas in cibum adhibebant homines religionis contemptores, obloquebantur; vel denique ſapientiores damnabant pavidos, a quibus damnabatur ipſorum libertas, atque ad ſimilem religionem quodammodo adigebantur, Apoſtolus, uti ſapiens Præceptor, concordiam tueri jubet, vetat obloqui, ac minitatus

(x) *Exod.* xxxii.

(y) *Num.* xxv, 9. (z) *Num.* xxv, 9. (a) *Vide Oecumen. D. Thom. Eſt. &c.*

(b) *Vide Catharin. Jun. Sclater. Eſt. Grot. Ligfoot. alios.* (c) *Num.* xxi, 5.

(d) Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστόν. (e) *Hæreſ.* 42. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν Κύριον.

(f) Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Θεόν. *Ita Alex. Æthiop. Cod. Baſilienſ. Ita legendum contendit Grot.*

(g) *Ita Iren. Theod. in* Ἐπιτομαῖς. *Alii paſſim.* (h) *Clarom. & S. Germ. G. L. alii paſſim.*

(i) *Vide Eſt. Vorſt. Para. alios.* (k) *Num.* xiv, 5, *& ſeq.* (l) *Num.* xiv, 37.

(m) Vide & Judith, viii, 24, 25. (n) *Eſt. Menoc. Piſcat.* (o) *Num.* xvi, 41, 42, 46.

(p) *Judith*, viii, 25.

(q) *Sap.* xviii, *ult.*

℣. 11. Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt.

℣. 12. Itaque, qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

℣. 13. Tentatio vos non apprehendat niſi humana: fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere:

COMMENTARIUS.

tur iratum fore illis Deum, ſi in ſeditionem abierint.

℣. 11. OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS (r). Figuræ illis erant rerum, apud nos deinde explendarum: Munera, quibus a Deo donabantur, mala quæ ferebant, ipſaque illorum peccata figuræ erant ac futurorum ſignificationes. Nunciabat Deus & quæ facturus eſſet ipſe noſtri causâ, & quæ ab ipſius juſtitiâ imminerent, ſi beneficia aſpernaremur. *Scripta ſunt ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt*, qui ſumus in fine ſæculorum, quæ prædixere Prophetæ, quibus ſæculis figuras omnes expleturus eſt Meſſias, atque omnia promiſſa & vaticinia clauduntur, novaque Lex antiquam eſt exceptura (s). Profectò, ſi probè inſpexeris, Veteris Teſtamenti Prophetæ, nunciatis Meſſiæ adventu, Paſſione ac Morte, & Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutione, cætera ſilentio prætereunt.

℣. 12. QUI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT. Spectantur his verbis eruditi inter Corinthios, qui ſcientiâ & libertate per Chriſtianæ Religionis profeſſionem acquiſitâ gloriantes, infirmos aſpernabantur, fretique viribus ſuis, diſcrimini lapsûs in idololatriam ſeſe objiciebant. Veremini, ne gravi aliquo lapſu arrogantiam veſtram puniat Deus, vosque in diſcrimine, quod temerè ſubiiſtis, deſtituat (t).

℣. 13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT, NISI HUMANA (u), vulgaris, conſueta. Graviora diſcrimina a vobis arceat Deus, neque adeò fræna laxet hoſti, ut totis viribus artibusque vos aggrediatur. Deum obſecro, ut vitæ hujus mala & ærumnas adeò temperet, ut iis ne cedatis. Par tentationi auxilium vobis præbeat (x). Quævis tentatio ſuperior eſt viribus naturæ ſibi ipſi relictæ, exutæque auxilio gratiæ; cùm, ex Conciliorum ſententiâ (y), homo nihil ex ſe uno habeat, præter mendacium & peccatum; at aliæ tamen ſunt aliis firmiores. Paulus, ut ſalubrem Corinthiis metum incutiat, eorumque arrogantiam coërceat, ſuam illis imbecillitatem ob oculos ponit, aſſiduumque diſcrimen, cui obnoxii ſunt, niſi Deus iis opem per miſericordiam præſtet.

Quamplura Vulgatæ Exemplaria, veluti Complutenſe & Antuerpienſe, Latinique Patres multi (z) legunt: *Tentatio vos non apprehendit, niſi humana*, uti habet Græcus (a). Nondum gravia ſubiiſtis & moleſta diſcrimina, quibus docetur homo, quàm imbecillis viribus ſit, & quàm ineptè arrogans. *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis* (b). Omnia igitur diſcrimina vitate, omnesque labendi occaſiones. *Qui amat periculum, peribit in illo* (c). Veremini, ne vos Deus in inimici poteſtatem tradat.

Attamen, quaſi aliquid æquo gravius dixerit, dicta corrigit: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum*; id efficiet, ut fructum ex tentatione referatis; *ut poſſitis ſuſtinere*. Spero minimè paſſurum ut cadatis, & auxilia cum tentatione æquaturum. *Fidelis eſt*; promiſit, vos a ſe inter ærumnas exauditum iri; gratiam largietur, ubi poſtulaveritis. Verti poteſt Græcus (d): *Faciet cum tentatione evaſionem*: tentatione liberos vos educet; reſiſtendi auxilia ſuppeditabit. Vel, *Faciet ex tentatione exitum*, Faciet, ut felix vobis eveniat tentationis exitus: gratiæ ope victores evadetis.

Animadverte, Paulum hîc Juſtos alloqui, quamquam vitiis levioribus obnoxios, vel homines, qui ſeſe juſtos eſſe arbitrantur; horum enim causâ præſertim opportunè ſcribit, Deum minimè paſſurum, ut præter vires tententur; cùmque Concilium Tridentinum pronunciavit anathema in eos, *qui dixerint, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratiâ conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia* (e): cùm Eccleſia primam Janſenii propoſitionem damnavit, ajentem: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant*; propriè de Juſtis intellexit, quemadmodum Eccleſia ipſa disertè ſignificavit.

Patres, qui hunc Pauli locum interpretati ſunt, de Juſtis & Prædeſtinatis explicavere (f); impios enim ac reprobos ſæpe ſinit Deus labi, proximasque vires illis deeſſe, ſive quòd illas a Deo per orationem quærere negligant, ſive quòd ſatis fideles Deo non fuerint, ſive tandem quòd in finem uſque tentationi non reſiſtant. Hinc minimè colligendum eſt, illos igitur neceſſariò peccare; peccant enim quia volunt; tentationi cedunt, quia nolunt reſiſtere, ac neceſſariam ſibi gra-

(r) Ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις. *Alii*: Τυπικῶς συνέβαινον, *&c. Mill. Theodoret.* Τύποι, ἀντὶ τοῦ, ὡς ἐκείνοις γὰρ τὰ ἡμέτερα συνεγράφετο.

(s) *Vide Grot. hic, & ad Matth.* 1, 22.

(t) *Vide Chryſoſt. hic; Auguſt. De dono perſeverant. cap.* 8; *Leon. Magn. ſerm.* 5 *de Quadrag. Eſt. alios.*

(u) *Chryſoſt.* Πειρασμὸς ἀνθρώπινος, μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος. *Ita Theodoret. & alii paſſim.*

(x) *Menoc. Tir. Vat. Eſt.* (y) *Concil. Arauſic.* II, *can.* 22; *& Concil. Trident. Et Auguſt. tract.* 5 *in Joan. n.* 5; *& ſerm.* 254, *nov. edit. n.* 7; *& ſerm.* 257; *& Prolog. in lib.* 1 *de Doctrinâ Chriſtianâ.*

(z) *Ambroſiaſter, Primaſ. Auguſt. lib.* 1 *de Serm. Domini in monte, cap.* 9; *Author Quæſt. V. & N. T. q.* 9; *Sedulius: Apoſtoli teſtimonium non intelligentes quidam poſuerunt pro indicativo optativum modum. Ita & Caſſian. ipſiſſimis verbis, lib.* 5, *cap.* 16; *Cyprian. lib.* 3 *Teſtim. cap.* 91: *Tentatio vos non occupavit niſi humana.* (a) Πειρασμὸς ὑμᾶς οὐκ εἴληφεν εἰ μὴ ἀνθρώπινος. *Et ita Græci PP. paſſim.* (b) *Hebr.* XII, 4. (c) *Eccli.* III, 27.

(d) Καὶ ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, τοῦ δύνασθαι ὑμᾶς ὑπενεγκεῖν.

(e) *Concil. Trident. ſeſſ.* 6, *de Juſtific. can.* 18. (f) *Vide Auguſt. Ambroſiaſt. Leon. Gregor. alios apud Eſt. hic. Vide & Fromond. & Cornel. a Lapide.*

℣. 14. Propter quod, chariſſimi mihi, fugite ab idolorum culturâ.
℣. 15. Ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico.
℣. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?
℣. 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus.
℣. 18. Videte Iſraël ſecundùm carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?
℣. 19. Quid ergo? dico, quòd idolis immolatum ſit aliquid? aut quòd idolum ſit aliquid?

COMMENTARIUS.

gratiam poſtulare; denique nunquam non abſoluta illis libertas eſt aut aſſentiendi aut repugnandi; cedere tentationi poſſunt aut reſiſtere; ac proxima bene agendi auxilia illis idcirco denegat Deus, quòd per contemptum, aliasve cauſas ſapientiæ Dei cognitas, ſeſe indignos reddiderint.

℣. 14. FUGITE AB IDOLORUM CULTURA, & quicquid ad eam refertur. Vitate Idololatrarum conſuetudinem, horum epulas ne frequentetis, neque utamini in cibum carnibus idolo mactatis (g).

℣. 15. UT PRUDENTIBUS LOQUOR. Corinthii, ad quos ſcribebat Paulus, ſcientiâ & prudentiâ gloriabantur, uti ſupra vidimus: Sapientiâ veſtrâ bene utimini, ut juſtitiam, quam ex vobis exigo, intueamini. Diſcrimen metuite, vitate occaſiones, viribus veſtris ne fidite, tentationi reſiſtite, fugite quicquid in peccatum inducit. Viribus, libertati, ſcientiæ veſtræ nimium ne credite.

℣. 16. CALIX BENEDICTIONIS, CUI BENEDICIMUS, NONNE, &c. Sublimiorem ſuperioribus cauſam affert Paulus, cur Corinthii epulis ſacriſque Gentilium abſtinere debeant. Jeſu Chriſti Corpus & Sanguis, quorum participes in ſacrâ Menſâ efficimur, nonne æquum eſt nos penitus arceant a profanis, impiis ac ſacrilegis epulis, in quibus carnes idolo mactatæ comeduntur? Calicem ſacrum nuncupat *Calicem benedictionis*, quòd illum Chriſtus poſt bonas preces Apoſtolis porrexerit; quòdque illum Sacerdos bonis precibus ac Divini Nominis & Omnipotentiæ invocatione conſecret, antequam diſtribuat Fidelibus (h), a quibus cum gratiarum actione accipitur (i). Hebræi in ſolemnibus epulis, per Paſchales alioſque Feſtos dies, quibuſdam ritibus dedicant panem & vinum, omnibus deinde convivis porrigendum (k). Gentis conſuetudinem Chriſtus in ſupremâ cum Diſcipulis cœnâ ſervavit: at cùm Corporis & Sanguinis ſui Sacramentum inſtituit, novâ prece novoque ritu id præſtitit.

℣. 17. UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS; quòd ſcilicet, dum Corporis & Sanguinis illius Sacramentum, quæ ipſa ſunt Corpus & Sanguis illius, accipimus, unum quodammodo corpus, unus ſanguis omnes efficimur, uno eodemque cibo, unâ Carne, uno Sanguine paſti (l). Et quemadmodum panis e multis tritici granis ſimul confractis tritiſque, unamque in conſperſionem collectis conficitur; ita nos in Chriſto Jeſu omnes conjungimur, ut myſticum illius Corpus componamus, efficiamuſque unum cum illo, voluntatum concordiâ, ejuſque gratiæ, amoris ac mentis communione (m). Quàm iniquum eſt igitur, nos arctè adeò cum Chriſto conjunctos, epulis gentilium adeſſe, & carnibus idolo mactatis veſci? *Unus panis, unum corpus*, ita legunt Græci (n), & S. Auguſtinus (o), *multi ſumus. O ſacramentum*, myſterium *pietatis, o ſignum unitatis, o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, incorporetur ut vivificetur. Non abhorreat a compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur; non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur. Sit pulcrum, ſit aptum, ſit ſanum: hæreat corpori, vivat Deo de Deo. Nunc laboret in terrâ, ut poſtea regnet in Cœlo.*

℣. 18. VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM, Judæos incredulos, qui Chriſto non credidere. Animadvertite, quàm ſedulò ſordes detergeant ii, quibus guſtanda eſt victima Deo mactata; quàm religioſè arceant a ſacrificio impuros, hominesque a fœdere ſuo alienos? Sacrilegum putant, ſiquis impurus e victimâ in Altari oblatâ comedat; injuria enim irrogatur Altari, ſiquid in eo oblatum indignè comederis. Quanto igitur potiori ratione abſtinere debes carnibus idolo mactatis tu, qui nihil ex iis comedere potes, quin aliquod obſequii & cultûs genus profano Altari, profanoque ejus altaris Numini deferas? Adde quòd profanis hiſce cibis animi & corporis tui ſanctitatem violas; animus enim corpuſque tuum per Baptiſmum a Chriſto Jeſu deterſa ſunt, ſacrâque in Menſâ enutrita, per Corporis & Sanguinis ipſius Communionem.

℣. 19. QUID ERGO? DICO QUOD IDOLIS IMMOLATUM, &c. An dicendum eſt, ea quæ idolis mactantur, aliquid eſſe, aut eſſe aliquid ipſum idolum? His nimirum ineſſe vim aut polluendi aliquid aut purgandi; prodeſſe aut nocere? Minimè gentium; nihil eſſe idolum ſcio, nullamque illi ineſſe virtutem. Græca Exemplaria typis edita legunt: *Quid igitur dico? idolum eſſe aliquid? & idolothytum eſſe aliquid?* At S. Auguſtinus, Tertullianus, Hilarius Diaconus, vetuſti Codices Græci & Latini Claromontanus & S. Germani Praten-

(g) *Theodoret. Zeger. Eſt. Sclater. alii.*
(h) *Vide Eſt. Liran. From. Cornel. alios.*
(i) *Chryſoſt. Theophyl. Eraſm.*
(k) *Vide Ligfoot. Hora; Hamm. hic; Buxtorf. Synag. Jud. c. 13.*
(l) Græcus non habet, *& de uno calice*. Legitur tamen in eximiis Exemplaribus.
(m) *Auguſt. tract. 26 in Joan. n. 17. Eſt. Gloſſa, Men. alii.*
(n) Εἷς ἄρτος, ἓν σῶμα, οἱ πολλοί ἐσμεν.
(o) *Auguſt. tract. 26 in Joan. n. 13.*

℣. 20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.

℣. 21. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.

℣. 22. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.

℣. 23. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.

℣. 24. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.

℣. 25. Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.

℣. 26. Domini eſt terra, & plenitudo ejus.

℣. 27. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.

COMMENTARIUS.

tenſis cum Vulgatâ conſentiunt.

℣. 20. Quæ immolant Gentes (p), Dæmoniis immolant. Ea profectò non erat Gentilium mens, ut ſacra facerent Dæmoniis; at omnino Dii, quos ii vulgò colebant, dæmonia erant, vel impii; ipſaque idola, templa, luci, myſteria, oracula a dæmoniis occupabantur. In his præſertim Princeps hujus mundi tyrannidem iniquiſſimè uſurpatam exercebat (q). Septuaginta in Pſalmo xcv, ℣. 5, ferunt: *Dii gentium, dæmonia*: Hebræus legit, *Dii nihili*, inanes, falſi. In aliquibus Scripturæ locis, in quibus Gentilium Dii nuncupantur *hirci*, Septuaginta reddunt *dæmonia* (r). Veteres Patres fusè docuerunt, ſimulacra Gentilium meras eſſe mortuorum hominum imagines, & pleraque celeberrima illorum templa ſuper ipſorum tumulos ædificata. Vide S. Clementem Alexandrinum, Euſebium, Tertullianum, &c.

Cùm Gentilium ſacra dæmoniis fiant, ſatis cauſæ id eſſe vobis debet, ut ab iis abſtineatis. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum*, aut illorum epulis adeſſe. *Non poteſtis Calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum*: neque licet, neque expedit. Iſta nimis pugnant, nimiumque adverſantur. *Calix dæmoniorum* eſt vinum, quod in profanis Deorum epulis propinabatur: invocabantur Dii, vinumque in illorum honorem libabatur. *Menſa dæmoniorum* altare eſt, in quo mactantur dæmoniis victimæ; vel menſa, in qua victimæ dæmoniis mactatæ comeduntur.

℣. 22. An æmulamur Dominum? Deum ne nobis iratum reddere, ejusque furorem in nos provocare volumus (s), dum illum quodammodo cum diabolo committimus, ejusque cultum cum dæmoniorum obſequio conjungimus; deſertâque ſacrâ menſâ, epulum adverſarii frequentamus? Quàm ægrè in hanc injuriam laturus eſt? quàm ſeverè animadvertet? Deus in Scripturis dicitur Deus zelotes, æmuli impatiens (t).

Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Hoc ipſum dixit ſupra, vi, 12, & viii, 8, 9. Probè ſcio, per ſe ſcelus non eſſe, ſi mactatas idolo carnes comederem: novi, nihil eſſe idolum, nullamque ex eo vel munditiem vel labem in ea, quæ ipſi offeruntur, manare: at neque expedit, neque bono cæterorum exemplo eſt, epulis Gentilium adeſſe. Dedecori eſt Chriſtianæ Religionis, & ſcandalo imbecillium; ſponte ac temerè idololatriæ diſcrimini, id agens, me objicerem. Theodoretus addit interrogationis notam: *Omnia mihi licent? ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent? ſed non omnia ædificant.*

℣. 24. Nemo quod suum est, quærat. Ne criminemini, me exitium afferre libertati veſtræ, jugumque iniquius cervicibus veſtris imponere. Æquum eſt, aliquid ob fratrum charitatem negligi, eorumque commoda potiùs quàm noſtra a nobis quæri (u), præſertim ubi de modicâ libertate, perniciosâ cæteroqui futurâ, agitur.

℣. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes, propter conscientiam; vel caro eo loco venalis licita ſit, vel Moyſis Lege vetita; ſive etiam Idolo dedicata fuerit. Interdum enim Chriſtianorum hoſtes datâ operâ profanabant carnes in macello venales, dedicatas nimirum alicui Numini, ne ex iis comederent Chriſtiani (x). Quælibet caro per ſe pura eſt: quòd oblata ſit idolo, nihil in eâ mutatur. At ſi monitus fueris, eas carnes Diis dicatas fuiſſe, aut fratrem tuum offendi libertate, qua circa cibos ex Lege impuros indiſcriminatim uteris, abſtinere charitas jubet. Tertullianus (y) ſignificans, permiſiſſe Apoſtolum, ut venalia quælibet, præter idolothyta, in cibum adhibeantur, ait: *Claves macelli tibi tradidit, permittens eſui omnia, ad conſtituendam idolothytorum exceptionem.*

℣. 27. Omne quod apponitur vobis, manducate. Siquis ad familiare amicumque convivium, nullâ ſacrificii mentione, vos vocaverit, ite, ſi lubet, & quicquid appoſitum fuerit, nihil

(p) Veteres multi omittunt *Gentes. Clarom. S. Germ. Berner. Tertull. Epiph. Ambroſ. alii.*

(q) *Tertull. de Spectaculis: Scimus nihil eſſe niſi nomina mortuorum, ſicut et ſimulacra eorum; ſed non ignoramus, qui ſub iſtis nominibus & inſtitutis operentur, gaudeant, & divinitatem mentiantur, neque ſpiritus, ſcilicet Dæmones.*

(r) *Deut.* xxxii, 17. יזבחו לשדים 70: Ἔθυσαν δαιμονίοις. *Levit.* xvii, 7. לא יזבחו עוד לשעירים Οὐ θύσουσι τοῖς ματαίοις. *Vulg. Dæmonibus. Hebr. hircis.*

(s) *Chryſoſt.* Παραζηλῶμεν, τουτέστι, παροξύνομεν τὸν Κύριον, εἰ δύναται κολάσαι ἡμᾶς, καὶ παροξύνομεν αὐτόν. (t) *Exod.* xx, 5; xxxiv, 14; *Joël*, viii, 18; *Deut.* xxxii, 16, 19, 21.

(u) *Vide infrà*, 33: *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis. Et* xiii, 5: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt. Et Philipp.* ii, 4: *Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum, &c.*

(x) *Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib.* 3, *cap.* 11. *Vide & cap.* 13. (y) *Tertull. de Jejunio.*

℣. 28. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis: nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam.

℣. 29. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab alienâ conſcientiâ?

℣. 30. Si ego cum gratiâ participo, quid blaſphemor pro eo quòd gratias ago?

℣. 31. Sive ergo manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.

℣. 32. Sine offenſione eſtote Judæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei:

℣. 33. Sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant.

COMMENTARIUS.

hil quærentes, comedite. At ſiquis e convivis, ſive Chriſtianus ſive Gentilis, ut ab eſu deterreat, monuerit, eas carnes idolis eſſe dedicatas, abſtinete, ne conſcientia monentis, qui earum uſum vobis illicitum eſſe cenſuerit, lædatur. Si monuerit Gentilis, & iis tamen vos uti in cibum viderit, Religionem veſtram a vobis violari exiſtimabit, adeoque illam execrabitur. Si imbecillis Chriſtianus, aut exemplo & ipſe comedet, reluctante conſcientiâ, aut clam vos mente damnabit (z).

℣. 29. UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIENTIA? Cur vel fratri vel Gentili ſcandali occaſionem præbeam, damnandique libertatem, qua circa omnes indiſcriminatim cibos utor? Nonne reus efficiar peccati illius, ſi nullâ neceſſitate id faciam, quo illum offendi ſcio (α)? licet ne libertate meâ uti cum fratris exitio? Pro *alienâ conſcientiâ*, nonnulli veteres (β) legunt, *ab infideli conſcientiâ*; quaſi *alienus* hoc loco idem ſit ac *infidelis*, quemadmodum alibi ſæpe uſurpatur. Genuinus tamen loci ſenſus iſte eſt: Cur objiciam libertatem meam, ut ab alterius, ſive Chriſtiani, ſive Gentilis, conſcientiâ damnetur?

℣. 30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO (γ); cum gratiarum actione; ſive cum Dei gratiâ, ejuſque beneficio; vel denique, ex libertate quam mihi largitus eſt Deus. Triplex hæc explicatio aum hoc loco ſatis congruit. An me objurgationis reum efficiam, maloque exemplo fratri ſim actione prorſus voluntariâ, in qua cum gratiarum actione utor conceſsâ mihi a Deo libertate? nonne melius fuerit, me hujuſmodi libertate abſtinere, cùm fratris conſcientiæ adeò noceat? *Quid blaſphemor?* Cur id efficiam, ut cæteri de me male obloquantur, meque aut voracitatis, aut imprudentiæ, aut profani cultûs, aut labis eſu impurarum carnium relatæ arguant?

℣. 31. SIVE ERGO MANDUCATIS ... OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. Ita claudit quæ hactenus diſputavit de carnium eſu vel abſtinentiâ. Sive iis utamini, ſive abſtineatis, unicum vobis propoſitum ſit Dei gloria. Si futurum intelligitis, ut Gentilis vel fratris alicujus conſcientia, ſive ipſamet Religio diſcrimini ob veſtram libertatem objiciatur, abſtinete. Ubi nullus eſt diſcriminis metus, cum actione gratiarum uſurpate. Si veremini, necui ſcandalo ſit id quod agitis, ceſſate. Dei gloria veſtrâ hac imprudenti importunâque libertate non augebitur. Vide *Coloſſ.* III, 17, & I *Petr.* IV, 11.

℣. 33. SICUT EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO. Omnibus conniveo, ſtudeoque ne cui aut offenſioni aut moleſtiæ aut ſcandalo ſim (δ). In iis quæ Divinâ Lege non imperantur, una mihi aut ea præſtandi aut abſtinendi regula eſt, Dei gloria & fratrum utilitas. Si peccati diſcrimen, aut proximi ſcandalum imminet, abſtineo, meamque libertatem hac in re penitus negligo.

CAPUT XI.

Aperto capite orent viri, velato fœminæ. Arguuntur Corinthii, quòd Domini cœnam ſatis religioſè non celebrent. Euchariſtiæ inſtitutio. Damnantur qui indignè accedunt.

℣. 1. IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IMITATORES MEI ESTOTE, SICUT ET EGO CHRISTI. Hæc verba jungenda ſunt cum ſuperioris Capitis fine. Me imitamini, conniventes cæteris, omnibuſque ſuaves eſſe conantes; quemadmodum ego nemini odioſus eſſe conor, exemplo Chriſti (a), qui *non ſibi placuit*, neque ſua ipſius commoda quæſivit, ſed omnibus ſe injuriis obnoxium reddidit, ut Patri ſatisfaceret, irro-

(z) *Vide Eſt. Menoch. &c.* (α) *Vide Theodoret. Theophyl. Eſt. Menoch. Tirin. Piſc. alior.*

(β) *Hieronym. Epiſt. ad Ageruchiam. Author tract. de ſingularit. Cleric. inter opera Cyprian. Sedulius hic, & Primaſ. Codd. Sancti Clarom. in Latino.*

(γ) *Ambroſiaſt. Sedul. Auth. de ſingularit. Cleric. Gratia particeps ſum. Antioch. in homil.* χάριτι μετείχω. *Græc. impreſſ.* χάριτι μετέχω. (δ) *Vide Theodoret. Theophyl. Eſt. Menoch. Tir. Grot. alios.*

(a) *Rom.* XV, 3.

℣. 2. Laudo autem vos, fratres, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.

℣. 3. Volo autem vos ſcire, quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus.

℣. 4. Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum.

℣. 5. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: unum enim eſt, ac ſi decalvetur.

COMMENTARIUS.

irrogatam illi injuriam repararet, hominum crimina expiaret. Me imitamini, demiſsè de vobis ipſi ſentientes, tuentes mutuam pacem, atque invicem conniventes. Ita inter vos vivite, ut ego inter omnes, atque Chriſtus ſeſe accommodavit omnibus, quibuſcum loquebatur ac verſabatur, ut omnes ſibi amicos faceret *(b)*.

℣. 2. LAUDO VOS, FRATRES. Videtur Paulus, ſingula capita Epiſtolæ a Corinthiis miſſæ perſequi, ac ſingulis reſpondere. Fortaſſe ajebant illi, nunquam ſe oblitos inſtitutionum Pauli, ſibique chariſſimam eſſe ipſius recordationem. Gratias eâ de re agit, laudatque, quòd inſtitutiones ſuas ſuaque præcepta religiosè tueantur: nonnulla tamen vitia in iis ſuborta damnat. Inter ea primum erat, quòd mulieres, eloquentiam ac fortaſſe etiam ſcientiam jactantes *(c)*, in Eccleſiâ docere auderent; quòdque aliæ, ſummo cum pudicitiæ muliebris dedecore, capite aperto in Eccleſiam convenirent, eoque habitu coram viris orarent. Alterum pertinebat ad agapas, quæ intra Eccleſias habebantur, atque ad pravam animi præparationem, qua Corinthii ad ſacram Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Communionem accedebant.

ET SICUT TRADIDI VOBIS, PRÆCEPTA MEA TENETIS *(d)*. *Traditarum* rerum nomine intelligenda ſunt dogmata, atque inſtitutiones ad diſciplinam pertinentes, quæ ore tenus docebant Apoſtoli, neque in Evangelio neque ab ipſis ſcripta, quæ deinde in ore populi & Eccleſiæ conſuetudine ſervata ſunt. Innumera hujus generis habentur, nonniſi diù poſt Apoſtolos ſcriptis excepta, ac per majorum narrationem dumtaxat apud Chriſtianos perpetuo uſui commendata. Hujuſmodi ſunt Sacramentorum ritus, ordo, tempus ac modus conventuum Eccleſiaſticorum *(e)*.

℣. 3. OMNIS VIRI CAPUT CHRISTUS EST; CAPUT AUTEM MULIERIS, VIR: CAPUT VERO CHRISTI, DEUS. Ut ordinem in Eccleſiâ ſervandum oſtendat, ait Apoſtolus, cujuslibet viri, nedum Chriſtiani, verùm etiam Ethnici, Chriſtum eſſe, utì Deum ac Dominum *(f)*. *Caput mulieris, vir*, non uxoria modò, ſed generatim vir, naturæ beneficio, ſuperior eſt fœminâ. Denique, *caput Chriſti, Deus*; non quòd Filius alterius naturæ a Patre ſit, aut illo inferioris; ſed quòd utì Homo, Mediator, ac Redemptor, ſubjici ſe parêre Patri voluerit, formâ ſervi aſſumptâ, quamquam non modò ſimilis, ſed unius cum Patre ſubſtantiæ *(g)*.

℣. 4. OMNIS VIR PROPHETANS, &c. *Prophetare* hoc loco eſt Scripturas publicè legere ſive interpretari, docere, verba facere, canere in Eccleſiâ, vel denique ſancto Spiritu aſſtante loqui, non raro per ea tempora inter Chriſtianos ſpectaculo. Itaque *omnis vir* ſolemnibus in cœtu Fidelium precibus *orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum*. Tecto vel aperto capite eſſe, per ſe indifferens eſt: ſunt enim gentes, apud quas obſequii ſignificatio eſt velato capite ſtare; & ſunt quæ contra ſolent. Veteres Græci aperto capite rem divinam faciebant *(h)*, in obſequii ſignificationem; Romani velato *(i)*. Hebræi Sacerdotes in Templo *(k)*, & adhuc in Synagogis Judæi capite adoperto verſantur. Iſthæc obſequii indicia ex arbitrio ſunt, utì quæque gens quibusdam exterioribus rebus variam pro arbitratu opinionem adjecit.

Paulus ad Corinthios, Græcos homines, ſcribens, ait, viros orantes, docentesque, aut vaticinantes, nudo capite ſtare oportere *(l)*; alites *caput ſuum deturpare*; ſcilicet Chriſtum Jeſum *(m)*, qui caput eſt viri, ut ait ℣. 2; ſive ſuum ipſorum caput *(n)*, dignitate quodammodò cadere, cùm aliquod ſubjectionis indicium, dignitati naturæ ſuæ, & conditionis libertati contrarium, aſſumant. Morem ab Apoſtolo Corinthiis imperatum omnes vulgò Eccleſiæ deinde tenuerunt. Tertullianus *(o)*: Chriſtiani oramus oculis ad cœlum ſublatis & *manibus expanſis, quia innocui; capite nudo, quia non erubeſcimus*; nos non pudet profeſſionis noſtræ; *denique ſine monitore*, non utì ſolent Gentiles, quibus Sacerdos orandi formulas dictat, *quia de pectore oramus*.

℣. 5. OMNIS AUTEM MULIER ORANS AUT PROPHETANS NON VELATO CAPITE, DETURPAT CAPUT SUUM. Primis Eccleſiæ temporibus vulgò ſpectabantur viri indiſcriminatim ac fœminæ, vaticinio inſi-

(b) *Vide Theodoret. Chryſoſt. Eſt. Men.* (c) *Theodoret.* (d) *Græc. impreſſ.* Καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις κατέχετε. *Plures*, τὰς παραδόσεις μου κατέχετε. *Ita Clarom. & Borner. G. L. Ambroſiaſt. Arab. Hieronymiaſt. Vulg.* (e) *Ambroſiaſt. Juſtinian. Eſt. Grot. & Theophyl.* Ἐντεῦθεν δῆλον ὅτι καὶ ἀγράφως πολλὰ παρέδωκε αὐτοῖς, ὡς οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι. (f) *Rom.* XIV, 9; *& 1 Cor.* XV, 27. *Eſt. hic.* (g) *Vide Ambroſ. lib. 4 de Fide ad Gratian. Theodoret. hic; Eſt. alios.*
(h) *Macrob. lib. 1, cap. 8 Saturnal. Illic Græco ritu, capite aperto res divina fit. Et ibid. cap.* 10: *Hinc eſt quòd ex inſtituto peregrino huic Deo (Saturno) ſacrum aperto capite facimus. Vide & lib.* 3, *cap.* 6: *Varro ait, Græcum hunc eſſe morem, nempe, ut omnes aperto capite ſacra faciant.*
(i) *Virgil. Æneid.* 3, *v.* 405.

Purpureo velare comas adopertus amictu....
Hunc ſocii morem ſacrorum, hunc ipſe teneto;
Hac caſti maneant in Religione nepotes.

Vide Servium ad eumd. lib. & Macrob. lib. 3, *cap.* 6.
(k) *Vide Exod.* XXVIII, 4; XXIX, 9; *Levit.* VIII, 13. (l) *Vide Theodoret. & Theophyl. & Grot. ad* ℣. 2.
(m) *Vat. Cajet. Eſt, Piſc. &c.* (n) *Grot. Eſt. Menoc. Sclater. Verſt. Theophyl. Oecumen.*
(o) *Tertull. Apologetico.*

℣. 6. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi aut decalvari, velet caput ſuum.

℣. 7. Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt.

℣. 8. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro.

COMMENTARIUS.

inſignes, aut Scripturas interpretandi ſcientiâ, uti pollicitus eſt Joël (p), & ratum habuit Chriſtus (q): *Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ*, &c. Divinis hiſce donis abundabat Corinthiorum Eccleſia, in fœminis æquè ac viris. At cùm optima quæque interdum in vitium degenerent, furtim irrepſerant ambitio & arrogantia. Fœminæ divino Spiritu afflatæ nudo capite in Eccleſiâ ſtabant, audebantque publicè docere (r). Aſſerit Apoſtolus, illas aperto capite in Eccleſiis eſſe non minùs dedecere, quàm penitus tonderi. Infra verò, xiv, 35, vetat illas omnino verba facere in Eccleſiâ.

Conſtans non erat inter omnes Græcos habitus mulierum, in publicum cœtusque prodeuntium; at plerumque ingenuæ ac virgines in publicum modeſtiſſimè atque ore velato prodibant. Severior erat apud Hebræos (s) atque Orientales diſciplina; nunquam enim illæ aperto ore in viâ, in cœtibus, in Templo ſpectabantur: rarò prodibant, nunquam non velatæ. In Synagogis fœminæ e conſpectu virorum abſunt, clatratis feneſtris incluſæ, per quas cæteros vident, ipſæ cæteris abditæ (t). Optat Paulus, ut apud Corinthios idem fermè ſervetur mos circa fœminas, qui apud Hebræos (u); eaque conſuetudo apud Orientales religiosè ſervata eſt. At apud Occidentales major eſt illis libertas; noſtriſque in Eccleſiis penitus neglecta ſunt Apoſtoli præcepta, ipſaque illius mens tum veſtium muliebrium immodeſtiâ, tum nuditate, tum loco, quem fœminæ in ſacris cœtibus occupant.

Deturpat caput ſuum. Sibi ipſa dedecus facit, tùm muliebrem verecundiam & modeſtiam violet; repugnat præcepto Dei, quo fœmina ſubjicitur viro, atque in ſubjectionis argumentum vult fœminæ caput velari (x). Vide infra, ℣. 10: *Debet mulier poteſtatem habere ſupra caput*. Quemadmodum turpe eſt, ſi fœmina penitus tondeatur, ita æquè modeſtiæ repugnat, ſi aperto ore nudoque capite in Eccleſiâ verſetur. Hebræi aliæque gentes in luctu, cùm viri tum fœminæ, tondebantur. Conſtat id ex Scripturâ (y) & Homero (z). Minitatur Iſaias (a) futurum, ut puellæ, in ambitionis criniumque calamiſtratorum pœnam, prorſus tondeantur. Apud Michæam (b) jubentur matresfamiliâs Judææ tondere caput, ut luctum filiorum ducant: *Decalvare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata calvitium tuum ſicut aquila*. In ſacris Adonidis, quæ funeris inſtar agebantur, tonderi ſolebant (c). Scribit Suetonius (d), mortuo Caligulâ, *Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium ultimi luctûs*. Apud priſcos Germanos uxorem adulteram, *acciſis crinibus, nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit* (e).

Chriſtianæ Virgines, quæ peculiari pietatis propoſito, rerumque humanarum faſtidio, caput radunt, nihil adversùs Apoſtoli ſententiam faciunt. Id profectò turpe non eſt, neque Legi contrarium, cùm capillorum tonſione id ſolummodò velint, ut Apoſtoli conſilio de ſervandâ virginitate ſanctiùs obtemperent (f), cautiuſque tueantur modeſtiam, poſito capitis ornamento, quo ipſas natura diſtinxit. Siquando prohibuit Eccleſia, nequa fœmina pietatis obtentu capillos raderet (g), virgines Deo ſacras dicataſque, cum Eccleſiæ ac Præſulum aſſenſu & ſolemni ritu, hoc interdicto complecti non voluit.

℣. 7. VIR IMAGO ET GLORIA DEI EST: MULIER AUTEM GLORIA VIRI EST. Hanc offert rationem Apoſtolus, cur in Eccleſiâ vir aperto capite eſſe debeat, velato mulier. Atque ita rem conficit: Cùm Deus hominem ad ſui formam & imaginem finxerit, quemdam majeſtatis atque authoritatis ſuæ radium ori illius impreſſit, quo cæterorum animalium dominus, ac Dei vicarius quodammodo in terris efficitur (h). Velatus igitur & ore adoperto prodire non debet; lucem quippe, qua illius os illuſtravit Deus quodammodo volens abſconderet. Fœmina dignitatis viri particeps eſt, & ipſa quoque ad Dei imaginem condita (i). At Divinitatis radius in ore illius non micat, niſi a viri ore repercuſſus, cùm fœmina ex viri corpore efficta fuerit (k). Quamobrem eadem ratio, quæ viri os velari vetat, non favet fœminæ; atque alia eſt ratio ex convenientiâ rectoque ordine ducta, fœminam velari jubens; muliebris nimirum verecundia & pudor, tum ipſius ſubjectio erga virum a Deo imperata.

Cùm *imago & gloria Dei* vir dicitur, triplicem hæc verba explicationem patiuntur; I, quatenus Deus hominem, rem cæterarum ſenſibus obnoxiarum præſtantiſſimam, condens, ſuæ ipſius gloriæ conſuluit: II, quia vir, utpote Dei ipſius manu creatus, atque uni Deo ſubjectus in terris, juſtiſſimam gloriandi cauſam habet; quemadmodum ii, qui uno Rege minores ſunt, cæterorum præſtantiſſimi ſunt ac nobiliſſimi. III denique, *Imago & gloria Dei* ſignificant abſolutè *Imaginem glorioſam*, quòd homo ore præferat ſignum imperii ac poteſtatis, qua ipſe a Deo donatus eſt, cùm crearetur. Poſtrema hæc explicatio maximè omnium proclivis videtur. Suam ipſius amplitudinem, majeſtatem, potentiam in aliâ creatâ re luculentiùs non oſtendit Deus, quàm in homine,

℣. 8. NON VIR EX MULIERE. Altera ratio, cur

(p) *Joël*, II, 28. (q) *Joan.* VII, 38, 39; *Act.* II, 6, 17.
(r) *Vide infra*, 1 *Cor.* XIV, 34. (s) *Tertull. de Coronâ militis, cap.* 4: *Apud Judæos tam ſolemne eſt fœminis eorum velamen capitis, ut inde noſcantur.*
(t) *Vide Grot. Ligfoot. Capell. Leon. Mutinenſ.*
(u) *Conſtit. Apoſtol.* Αἱ γυναῖκες κατακεκαλυμμέναι τὴν κεφαλὴν, ὡς γὰρ ἁρμόζει γυναιξὶν ἁγίαις, προσερχέσθωσαν. (x) *Eſt. Menoc. Tirin.* (y) *Iſai.* XV, 2; XXII, 12; *Jerem.* XVI, 6; XLVIII, 39, *&c.*
(z) *Homer. Iliad.* Ψ; *Odyſſ.* Δ. (a) *Iſai.* III, 24: *Pro criſpante crine calvitium.*
(b) *Mich.* I, 6. (c) *Vide Lucian. de Deâ Syrâ. Deut.* XIV, 1. (d) *Sueton. in Caligulâ.*
(e) *Tacit. de Morib. German.* (f) 1 *Cor.* VII, 25, 26, *& ſeq.*
(g) *Concil. Gangr. cap.* 17: Εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν ἀποκείροιτο τὰς κόμας, ἃς ἔδωκεν ὁ Θεὸς εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, ὡς ἀναλύουσα τὸ πρόσταγμα τῆς ὑποταγῆς, ἀνάθεμα ἔστω. (h) *Theodoret. Men. Tirin. Sclater.* (i) *Baſil. homil.* 10 *in Hexaëmer. Ambroſ. lib.* 6 *Hexaëmer. cap.* 6; *Auguſt. lib.* 12 *de Trin. cap.* 7. (k) *Theodoret. Eſt. Vorſt. alii.*

℣. 9. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum.

℣. 10. Ideò debet mulier poteſtatem habere ſupra caput, propter Angelos.

COMMENTARIUS.

tur vir ſit fœminâ ſuperior; quòd ſcilicet fœmina ex carne ſeu coſtâ, quam Deus Adamo eripuit, condita fuerit (l).

℣. 9. Vir propter mulierem, &c. Cùm Deus Adamum eſſe ſolum cerneret (m), *Faciamus*, inquit, *ei adjutorium ſimile ſibi*. Tertia ratio, cur fœmina viro pareat; nimirum condita eſt in viri commodum, ut præſto illi ſit, & operam conferat propagationi.

℣. 10. Ideo debet mulier poteſtatem habere (n) supra caput, propter Angelos; virilis authoritatis indicium; quod & priſci & recentiores (o) intelligunt de velamine, quo ſignificatur viri ac præſertim mariti authoritas in uxorem. Sponſæ peplum Hebræi nuncupant *redid* (p); quæ vox oritur ex *rada*, *dominari*, atque aptiſſimè ſonat id quod hoc loco Apoſtolus *poteſtatem* nuncupat. Cnatebullus & Heinſius ajunt, reddendum eſſe Græcum: *Debet mulier poteſtatem agnoſcere in capite* ſuo, in marito, *propter Angelos*. Marito, capiti ſuo, ſubdita eſſe debet, ut ait ℣. 3. Alibi ſcribit (q), opus eſſe, ut uxores viris ſubditæ ſint, *quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*. Et ad Timotheum ſcribens (r) præcipit: *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum*. Idem fermè atque illud, quod mulieri dixit poſt peccatum Deus (s): *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Græcum verbum (t), quod Latinè redditur habere, uſurpatur etiam pro agnoſcere, æſtimare, &c.

Hæc tamen explicatio durior hoc loco eſt, neque in Novi Teſtamenti Libris uſquam reperies ſimilem huic locutionem, quæ ſignificet, alterius authoritatem ſupra ſe agnoſcere. Prior interpretatio cum Apoſtoli ſententiâ mirè congruit; atque ita Veteres paſſim omnes uſurpavere. De fœminis agens Tertullianus (u), *Velamen*, inquit, *jugum illarum eſt*. Luſu verborum non rarò gaudet Apoſtolus. De viri poteſtate in fœminam ſupra diſſeruit; ait hîc, unam eſſe fœminæ, qua ad virum refertur, poteſtatem geſtandi velamen *ſupra caput*. Hæc porrò tota eſt fœminæ poteſtas, geſtandi ſcilicet hoc ſuæ ſubjectionis indicium, velamen in capite, dum orat in cœtu, ſeu vaticinatur. Latina quædam Exemplaria, & Sixtina Editio legunt: *Debet mulier velamen habere*. Aſſentitur S. Irenæus (x). At genuina lectio, quam libri tum manu deſcripti, cùm typis editi, Vereresque ac Recentiores (y) probant, vulgata eſt; *Debet mulier poteſtatem habere*.

Addit Apoſtolus, geſtandum eſſe a fœminis peplum *propter Angelos*; ſcilicet obſequio vel Angelorum, qui cœtibus Fidelium minimè conſpicui præſunt; vel Principum Eccleſiæ, Epiſcopi nempe, Sacerdotum, Miniſtrorumque, ac Prophetarum, quos interdum Scriptura Domini Angelos nuncupat. Quòd ſi Veteris Teſtamenti Sacerdotes ac Prophetas Angelos nominat (z); quanto potiori jure donandi ſunt eo nomine ii, qui Novo Fœderi inſerviunt? Sunt (a), qui Angelos hîc intelligant Dæmonas. Chriſtianæ mulieres peplo caput obnubant, ne ipſarum venuſtate dæmon intuentibus laqueum injiciat; ſive, ne Dæmones, qui, ex Veterum multorum ſententiâ (b), olim ante Diluvium fœminas amavere, impuro ipſarum amore flagrent. Ita ſentit Tertullianus, qui corporeâ Angelorum naturâ nititur; quam opinionem noſtrâ ætate penitus ejeravit Eccleſia. Interdum dæmones Angelorum nomine donantur; idque uſurpavit ipſe met Paulus, ſupra, vi, 3. Minimè tamen inde colligitur, hanc eſſe hujus loci ſignificationem.

Putat Ligfootus, Angelos hoc loco eſſe, nuptialium fœderum conciliatores, quorum operâ conjuges poſtulantur. Hos Rabbini nuncupant Angelos matrimonii, quòd reverâ nuncii & internuncii officio fungantur. Vult igitur Apoſtolus, mulieri eſſe *poteſtatem ſupra caput*, licere ſcilicet ore aperto ſeſe Paranymphis, ſive *Angelis* quos diximus, exhibere, ut poſtulatæ uxoris venuſtatem ad ſponſum referant. Solent quippe Orientales inire matrimonia, quin unquam ſponſi ſe mutuò viderint; miſſis dumtaxat interpretibus, qui puellam videant (c), pictamque illius imaginem ad ſponſum ferant. Nova prorſus interpretatio eſt, ac locum explicat modo a cæteris Interpretibus alieno.

Vult Cnatebullus, *mulierem agnoſcere authoritatem* & poteſtatem *Capitis*, mariti ſcilicet, *ſupra ſe*, *propter Angelos*, nempe Legis cauſâ, quam Deus miniſterio Angelorum juſſit illam eſſe viro ſubditam. *Sub viri poteſtate eris*, ait ad mulierem Deus (d), *& ipſe dominabitur tui*. Porrò comper-

(l) *Geneſ.* ii, 21. (m) *Geneſ.* ii, 18.

(n) Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς Ἀγγέλους. *Velox.* περιβόλαιον, *Velamen. Iren. lib.* 1, *cap.* 5, κάλυμμα, *in Græc. Epiphanianis.*

(o) *Chryſoſt.* Τὸ καλύπτεσθαι ὑποταγῆς, καὶ ἐξουσίας. *Theodoret.* Τὸ κάλυμμα ἐξουσίαν ἐκάλεσεν. *Theophyl.* Ὀφείλει ἡ γυνὴ τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι σύμβολον, τουτέστι τὸ κάλυμμα ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. *Ita Photius Ep.* 210; *Tertull. de veland. Virginib. cap.* 7, *& ult. & alibi paſſim legit*, *poteſtatem*. *Ita Eſt. Eraſm. Vat. Grot. Men. Tirin. alii paſſim.*

(p) רדיד, *a* רדה *Dominari*. *Vide Cant.* v, 7; *Iſai.* iii, 23. *Vide Capell. Hammond. hic; & Cleric. ad Geneſ.* xxiv, 64. (q) *Epheſ.* v, 22, 23, 24. (r) 1 *Timoth.* ii, 12, 13. (s) *Geneſ.* iii, 16.

(t) Ἔχω, *Agnoſco*, *æſtimo*, *teneo*, *Matt.* xiv, 5: Ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. *Ita* xxi, 26: Πάντες γὰρ ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην. *Ita &* ℣. 46; *Marc.* xi, 32; *Luc.* xiv, 18: Ἔχε με παρῃτημένον, *&c.* (u) *Tertull. de velandis Virginib.* (x) *Iren. lib.* 1, *cap.* 1, *adverſ. hæreſ.*

(y) *Ita Ambroſ. D. Thom. Hervæus.* (z) *Vide Agg.* i, 13: *Dixit Aggæus nuntius*, (vel *Angelus*) *Domini*, *de nuntiis Domini*. *Malach.* iii, 1: *Ecce ego mittam Angelum meum*, *& præparabit viam ante faciem meam*, *&c. Zach.* ii, 7: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*, *& legem requirent ex ore ejus*, *quia Angelus Domini exercituum eſt*. *Eccle.* v, 5: *Ne dicas coram Angelo: Non eſt providentia*. *Vide Apoc.* 1. (a) *Tertull. lib.* 5 *contra Marcion. cap.* 8; *& de Velandis Virginib*, *cap.* 7; *de Coronâ*, *cap.* 14; *de cultu fœminarum*, *cap.* 5; *de Habitu mulierum*, *cap.* 2.

(b) *Vide Clement. Juſtin. & alios ad Geneſ.* vi. (c) *Vide* Chardin, tom. 2, pag. 165.

(d) *Geneſ.* iii, 16.

℣. 11. Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro, in Domino.

℣. 12. Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo.

℣. 13. Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?

℣. 14. Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi:

℣. 15. Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

℣. 16. Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.

COMMENTARIUS.

cnmpertum eſt ex Apoſtolo, veterem Legem hominibus per Angelos traditam. Prior tamen explicatio, quæ ſub Angelorum appellatione bonos Angelos intelligit, ac vult, verecundiam fœminis ab Apoſtolo in Eccleſiis imperari (e), obſequii causâ, quod præſentibus Angelis debetur, paſſim a Patribus (f) ac plerisque Interpretibus probatur (g). Minimè dobitabant Hebræi, quin Angeli cuſtodiæ Templi præeſſent, ac præſentium preces offerrent Deo: quæ opinio in illorum libris (h), & in Apocalypſi (i) ſpectatur. Angelorum, qnibus credita eſt provincia preces bominum Deo offerendi, meminere libri Hebræorum & Eccleſiæ Patres (k), Suus unicuique noſtrûm eſt Cuſtos Angelus (l). Singuli Angeli coſtodes ſingulis Provinciis, Urbibus, Communitatibua, Altaribus, Eeeleſiis a Priſcis tribuebantur.

℣. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino (m). Metuens Apoſtolus, ne quid pernicioſum ex dictis de ſobjectione mulieris erga virum colligatur, dicta quodammodo corrigit, Si mulier, inquit, viro ſubjecta eſt, multum tamen debet vir mulieri, cùm absque illius ope ſui ſimilem neque procreare neqoe alere poſſit; ſapientiſſimoque providentiæ ſuæ conſilio voluerit Deus, ut alter alterius egeat, qoo firmior inter utrumque concordia & ordo ſervetur: idque prorſus *in Domino*, pietatis causâ, religionis, ac ſubjectionis voluntati ac Legi Dei, qui fœminam ex viri ſubſtantiâ condidit, & virum naſci vult ex fœminâ, qoo arctior ſit inter utrumque conjunctio, & perfectior charitas, in Deum viri & fœminæ conditorem deſinens. Hoc ipſum innuitur ℣. 12.

℣. 14. Quod vir si comam nutriat, fœminarum more. Viros per ſe non dedecet nutrire eomam; neque natura, viri caput capillis ornans, illos tondeti aut radi voluit: at *natura*, recta ſcilicet tatio, naturalis quædam Lex, & communis omnium gentium conſuetudo (n) noloit, ut viri comam fœminarum more geſtarent, promiſſam, pexam, comptamque, ut capiti velamen & ornamentum eſſet (o). Mollia habitns oris, quæſita ornamenta, inane verticia artificium turpia ſunt viro, ejusque conditioni natoræque repugnant: *Ignominia eſt illi*. At fœminam decet promiſſa cæſaries, utpote ornamentum illi a naturâ datum, quo illius venuſtas commendetur: promiſsâ cæſarie fœminam diſtinxit natora, ut ea intelligeret, debere ſe caput obnubere (p): *Quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt*. ℣. 15. Velamine eapot tegens, obtemperat naturæ, promiſsâ illam inſtruens comâ, qua operiatur.

℣. 16. Siquis autem videtur contentiosus esse. Siquis rationibua & argumentis hiſce non vincitur, is noverit, *nos talem conſuetudinem non babere, neque Eccleſiam Dei* (q), ut jurgia liteſque ſectetur (r). Doeiles ſubjectosque volumus nobis eſſe Diſcipulos. Simile non eſt Philoſophicis quæſtionibus Evangelium, de quibus in utramque partem disputatur, ut exercitationi atque ingenio locus fiat. Niſi bæe argumenta ſatisfaciant, nihil omnino ſatisfaciet. S. Clemens Papa (s) Corintbios arguit, quòd de rebus ad ſalutem non pertinentibus ſtudiosè disputent.

Ita etiam explicari poteſt (t): Siquis contra disputare velit, hoc unum repono, nobis hanc non eſſe conſuetudinem, ut fœminæ in Eccleſiia verba faciant, aut nudato eapite in Eccleſiâ ſint, viri velato. Conſuetudo pro Lege eſto. *In bis rebus, de quibus nihil eerti ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro Lege tenenda ſunt*, ait S. Auguſtious (u). Credendum eſt, ea quæ ſancita invenioutur extra Scripturam, a majoribus tradita fuiſſe per manus. *Hanc ſi nulla Scriptura determinavit, certè conſuetudo roboravit, qua ſine dubio de traditione manavit. Quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt* (x)? Innomera ſunt apod Eccleſiam, quorum origo mos ſolummodo eſt & majorum narratio. *Haeum diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi*

(e) *Act. VII, 53; Galat. III, 19; Hebr. II, 2.*
(f) *Chryſoſt. Theodoret. alii Graet. Aug. lib. 12 de Trinit. c. 7; Hieron. in Matth.* XVIII.
(g) *D. Thom. Heev. Eſt. Men. Tir. Geot. Piſe. alii paſſim.* (h) *Psal.* CXXXVII, 2; *Joſeph. de Bello, lib. 2, cap. 28; Philo, de Humanitate. Alii apud Geot. bic.* (i) *Apoc,* VIII, 3, 4, 5.
(k) *Tertull. de Oratione; Ambroſ. in Luc. 1; Greg. lib. 4 Dialog. cap. 58; Bernard. ſerm. de Angelis.*
(l) *Matth.* XVIII. (m) Ἐν Κυρίῳ. *Alii*, ἐν κόσμῳ, *In mundo, Theodoret. Quid. apud Eſt. Favent Graecorum ſcholia.* (n) *Vide, ſi placet, Salmaſ. de Comâ; & Synopſ. Critic. bic. Tertull. de Coronâ: Quaris igitur Dei Legem? Habes communem iſtam in publico mundi, & in naturalibus tabulis, ad quas & Apoſtolus ſolet provocare, ut cùm in velamine facies.*
(o) *Eſt. Menoc. Tir. Salmaſ. Vorſtius. &c.* (p) *Ambroſiaſt. Eſt. Selat. Bez. & alii,*
(q) *Grae.* Οὐ δὲ ἐκκλησίαι τοῦ Θεοῦ. *Alii plures*, Ἡ ἐκκλησία,
(r) *Grot. Eſt. Piſe. Chryſoſt. bic, Theodoret. Theophyl.*
(s) *Clement. Ep. ad Corinth.* § 45: Φιλόνεικοί ἐστε, ἀδελφοί, καὶ ζηλωταὶ περὶ μὴ ἀνηκόντων εἰς σωτηρίαν.
(t) *Chryſoſt. Ambroſ. Eſt. Geot. Piſcat. Voeſt. alii.*
(u) *Auguſt. Ep. olim* LXXXVI, *nunc 36, n. 2, pag. 68.* (x) *Tertull. de Coronâ, cap. 3, 4.*

℣. 17. Hoc autem præcipio, non laudans, quòd non in melius, ſed in deterius convenitis.

℣. 18. Primùm quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo.

℣. 19. Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.

℣. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non eſt Dominicam cœnam manducare.

COMMENTARIUS.

tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.

℣. 17. HOC AUTEM PRÆCIPIO, NON LAUDANS id quod fieri a vobis ſolet; veſtri enim conventus nocent ſaluti veſtræ, non ſerviunt (y): in deterius, non in melius proficitis (z). Conventus veſtri, quos opus erat vobis eſſe beneficiorum locum, diſcordiæ ac diſſidii occaſio vobis efficiuntur. Vitium hìc ab Apoſtolo damnatum, in eo ſitum erat, quòd Corinthii Fideles, qui initio epulum celebrabant ſimul in Eccleſiâ ſeu domo ſacro conventui Divinæque Synaxi deſtinatâ, habito ibi charitatis convivio, nullo divitis pauperiſve diſcrimine; paulatim cœpere ſeveritatem remittere, cùm locupletiores lautiorem cœnam in conventûs locum afferrent, eâque veſcerentur, minimè vocatis in ciborum partem pauperibus. Id ſe damnare ait Apoſtolus, quippe quod injuriam Eccleſiæ, probrum pauperibus pareret.

℣. 18. AUDIO SCISSURAS ESSE INTER VOS. Sunt apud vos ſententiarum diſſidia de carnium uſu, de habitu quo viri & fœminæ in Eccleſiis ſint; de agaparum ordine ac diſtributione. Neque deerant diſſidia circa Doctores, cùm alii Paulum, alii Apollo, alii alios ſectarentur (a). Fortè etiam frigusculum aliquod charitatis irrepſerat, & contemptus inter locupletes & pauperes, inter eos qui libertate & acumine ingenii gloriabantur, atque imbecilliores minuſque eruditos. Porrò hæc diſſidia circa mores ac diſciplinam propriè, non circa Fidei capita verſabantur.

℣. 19. NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE. Optandum eſt, ut nullæ penitus ſint: at humanæ naturæ conditio, & arcanum Divinæ Providentiæ circa Electos ad finem ſuum ducendos inſtitutum, occaſio ſunt, ut interdum in Eccleſiâ ſcandala, diſſidia, ſchiſmata, hæreſes oriantur. Mala hæc, quæ jure dixeris neceſſaria, boni nihilo minoris origo ſunt, cùm per illa *manifeſti fiant qui probati ſunt*, probatæ virtutis homines. Neque tamen fortis aut fati neceſſitatem intellexeris, ſive coactionem, ut aliter fieri nequeat (b). Hæretici & Schiſmatici ſponte omnino ac liberè diſſidia in Eccleſiam inferunt: at Dei Providentia peſſimo voluntatis eorum habitu, ſuperbiâ, inconſtantiâ utitur, ut ſuam ipſius gloriam atque Electorum ſalutem ex iis referat. Pejor eſt ſchiſmate hæreſis: ſchiſmate homo ab Eccleſiæ communione dumtaxat arcetur: hæreſis ſchiſmati addit errorem in ſententiis, & in errore pertinaciam.

Non miror, domeſtica inter vos eſſe diſſidia de rebus moribuſque leviſſimis, cùm Deus hæreſes in Eccleſiâ eſſe patiatur (c). *Ut qui probati ſunt, manifeſti fiant*. Particula *ut* non propoſitum agendi finem, ſed id quod eventurum eſt, ſignificat (d). Putant S. Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique Interpretes (e), hæreſes hoc loco non eſſe de dogmate diſſidia, ſed diſputationes & lites. Omnino compertum eſt, non ſemper odioſum nomen eſſe hæreſim; cùm Paulus ipſe Felicem Judææ Præſidem alloquens dixerit, ſe eſſe ex *hæreſi* vel ſectâ Chriſtianorum (f); *hæreſis* quippe Græcè, Latinè eſt *ſecta*.

℣. 20. CONVENIENTIBUS VOBIS IN UNUM, JAM NON EST DOMINICAM COENAM MANDUCARE. Jam non, ut olim, unâ mente perfectâque charitate convenitis; jam non agitis cœnam, quæ ſupremam Chriſti Jeſu cum Diſcipulis ipsâ obitûs ſui nocte cœnam repræſentet: omnia profani convivii indicia exhibetis, a quo convivio charitas exulet. In primitivorum Chriſtianorum conventibus, poſt ſacrorum voluminum lectionem & preces, Chriſti Corpus & Sanguis Fidelibus guſtanda porrigebantur: tum habebatur in communi charitatis convivium, Græcis *agape* dictum. Ita hunc locum explicant S. Chryſoſtomus (g) ejuſque aſſeclæ, ex gentis ſuæ conſuetudine: at apud alios, veluti Afros & Ægyptios (h), quintâ majoris hebdomadæ feriâ (i) vulgo fas erat Corpus & Sanguinem Chriſti ſumere non jejunis (k); quo more propiùs imitari videbantur rem a Chriſto geſtam, qui Divinam Euchariſtiam poſt Paſchalem cœnam inſtituit; & Apoſtolos, qui ſacra Myſteria poſt cibum celebravere (l). At S. Auguſtinus (m) animadvertit, ſuâ jam ætate vulgo in Eccleſiâ obtinuiſſe, ut ſacra ſynaxis a jejunis ſumeretur, præter quàm feriâ quintâ majoris hebdomadæ, qua die cibos ſumere ante ſacram ſynaxim licebat: *Liquidò apparet, quando primùm acceperunt Diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos: numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſa Eccleſia, quòd a jejunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam*

(y) *Chryſoſt. alii Græci. Grot. Eſt. Eraſm. alii.*

(z) Οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον, ἀλλ' εἰς τὸ ἧττον συνέρχεσθε. *Theodoret.* Δέον γὰρ ὑμᾶς αὔξειν τῷ χρόνῳ τὴν ἀρετήν, μειοῦτε ταύτην, καὶ ἐλαττοῦτε τὸν πλοῦτον. (a) 1 Cor. 1, 12.

(b) *Theodoret.* Τὸ δὲ δεῖ, οὐκ ἀναγκαστικόν. Τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ Κυρίου εἰρημένον, ὅτι τὰ σκάνδαλα ἐλθεῖν ἀνάγκη. (c) *Chryſoſt. Eraſm. Grot. Eſt. alii.*

(d) *Chryſoſt.* Ἵνα, οὐ πανταχοῦ αἰτιολογίας ἐστίν, ἀλλὰ πολλαχοῦ καὶ τῆς τῶν πραγμάτων ἐκβάσεως.

(e) *Theodoret.* Αἱρέσεις τὰς φιλονεικίας λέγει, οὐ τὰς τῶν δογμάτων διαφοράς. *Ita Chryſoſt. Theophyl. Vorſt. Men. Tir. &c.* (f) *Act.* xxiv, 14. (g) *Chryſoſt. hic, homil.* 27, *initio*; *Theodoret. ad* ℣. 36; *Theophyl. ibidem.* (h) *Auguſt. Epiſtol.* 54 *nov. edit. ad Januar. n.* 8; *& Concil. Carthag.* 3, *cap.* 29: *Ut Sacramenta altaris non niſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo cœna Domini celebratur.* (i) *Socrates, Hiſt. Eccl. apud Grot. ad Matth.* XXVI, 26.

(k) *Vide Pelag. Primaſ. Sedul. Herv. Hammon. D. Thom. Lir. alios.*

(l) *Act.* II, 46; XX, 7, 11. (m) *Auguſt. Ep.* 54 *ad Januar. n.* 8.

℣. 21. Unusquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.

℣. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.

℣. 23. Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem,

℣. 24. Et gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.

COMMENTARIUS.

ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur.

Videtur S. Auguſtino *Dominica Cœna* hoc loco propriè eſſe Cœna Euchariſtica; cui acceſſere alii (n), quaſi Apoſtolus arguat Corinthios, quòd conſuetis ac familiaribus epulis ſacra Euchariſtiæ myſteria miſcuerint, aut agapis imitati non ſint charitatem & æqualitatem, quæ in ſacrâ Communione ſervatur, qua & pauper & locuples, nobilis ac plebejus, Chriſti Corpore ac Sanguine pari modo paſcuntur; cùm lauta eſſet locupletum cœna, pauperum arcta & brevis. Anguſtior tamen æquo videtur hæc explicatio; probatior molliorque vulgo eſt, quam primo loco dedimus.

℣. 21. Unusquisque enim suam coenam præsumit, neglectis cæteris. Variæ ſunt hujus loci explicationes. Sunt (o) qui cenſeant, Corinthiorum Fidelium locupletiſſimos priùs domi cœnaſſe, tum ad ſacram Eccleſiæ Synaxim conveniſſe; cùm eò deferenda eſſet illis cœna, ex qua pauperes etiam ſumerent. Ajunt alii (p), cœnaſſe illos quidem in Eccleſiâ, ſed a cæteris diſcretos, pauperibus minimè vocatis; cœnabant illi, antequam accederent pauperes, quibus reliquias ſolummodo ciborum relinquebant. Vide ℣. 33. Ita ſaturi erant locupletes, eſuriebant pauperes: *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Poſtrema hæc verba, *ebrius eſt*, propriè uſurpanda non ſunt. Si Corinthii ebrietate peccaſſent in ſacris conventibus, quo tempore ad ſumendum Chriſti Corpus accederent, mitis adeò erga illos non eſſet Apoſtolus, ſed vitium acerrimè argueret. Ebrium eſſe apud Hebræos frequenter ſonat, ad ſatietatem bibere, abundè vino prolui (q). Vide *Geneſ.* XLIII, *ult. Cant.* V, 1; *Agg.* I, 6; *Joan.* II, 10. Cnatcbullus totum hoc membrum ita vertit; *Ʋnusquiſque ſumit cœnam ſuam; cùmque manducandum eſt* Corpus & Sanguis Chriſti, *alius quidem eſurit, alius autem eſt ſatur.* Hæc tamen verſio contraria eſt conſuetæ punctorum diſtributioni, ipſique Textûs ſyntaxi (r).

℣. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum? Cur in Eccleſiam cœnaturi convenitis, cùm id probro futurum ſit pauperibus, veſtraque copia illuſura ſit illorum inopiæ? Si ſolis cœnare ſine fratribus placet, domi cœnate, non in Eccleſiâ (s). *Aut Eccleſiam Dei contemnitis?* ſacrum ſcilicet locum, in quem convenitis; Chriſtiani enim locum, in quam Fideles coëunt, ſive aula ſit, ſive privata domus, ſive auguſtius ædificium, qualia conſequentibus deinde ſæculis conſtructa ſunt, Eccleſiam veteri conſuetudine nuncupaverunt (t). *Eccleſia* hoc loco Fideles etiam in unum coactos ſignificare poteſt (u). Ita ne Chriſtianos ſpernitis, præſertim pauperes, unà convenientes? *Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo.* Alii aliter membra diſtinguunt: *Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? non laudo.* Vulgatæ ſavent eximia Exemplaria (x). Hæc tamen varietas non officit ſententiæ.

℣. 23. Ego enim accepi a Domino. Corrigere volens Apoſtolus vitium, quo Corinthiorum conventus corrumpebantur, Euchariſtiæ inſtitutionem recitat, quo majori religione, modeſtiâ, & obſequio ſeſe ad illam comparent, & accedant (y). Oſtendit ſimul, quàm longè abſint a Jeſu Chriſti mente, dum pauperes convivas reſpuunt, cùm Chriſtus ſeſe in cibum Diſcipulis omnibus præbuerit, nullo perſonarum diſcrimine (z). Ait, *ſe accepiſſe a Domino* ea quæ mox dicturus eſt, & olim tradidit; innuitque ſeſe iſthæc divinitus didiciſſe (a), quemadmodum alibi (b) ait ſe accepiſſe Evangelium ex hominibus, ſed peculiari Jeſu Chriſti monito. Sunt (c) qui cenſeant, his verbis dumtaxat innui, quæ dicturus eſt Paulus, illum accepiſſe vel ex Anania Damaſci, vel ex aliis Diſcipulis. At ipſa verborum ſyntaxis priori explicationi magis favet. Animadverte, Paulum hic uti iiſdem verbis, quibus uſus eſt Lucas, ubi Euchariſtiæ inſtitutionem recitat. Confer *Luc.* XXII, 17, *&c.* Evangelium ſcripſit Lucas circa idem tempus, quo hanc Epiſtolam Paulus; quem Veteres Evangelio Lucæ plurimum contuliſſe arbitrantur (d).

℣. 24. Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Græcus typis vulgatus (e): *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur:* quaſi dicat, quemadmodum panis, quem manu tenet, atque in Corpus ſuum per Omnipotentiæ vires convertit, mox in fruſta frangendus eſt, ut ſpiritalis cibus Apoſtolorum fiat; ita Corpus ſuum

(n) *Auguſt. ibidem; Ambroſiaſt. Pelag. Gloſſ. Lombard. Herv. D. Thom. Carthuſ. Sclater. Para. &c. Theodoret.* Κυριακὸν δεῖπνον καλεῖ τὸ δεσποτικὸν μυστήριον. *Ita Oecum.*
(o) *Vatab.* (p) *Grot. Eſt. Benſon. Men.* (q) *Grot. Ligfoot. Eſt.*
(r) Ἕκαστος τὸ ἴδιον προλαμβάνει, Ἐν τῷ φαγεῖν, καὶ ὃ μὲν πεινᾷ, ὃ δὲ μεθύει. *Alii frequenter punctum habent poſt* ἐν τῷ φαγεῖν. (s) *Eſt. Grot. Men.* (t) *Grot. Med. Tir. Fuller.*
(u) *Eſt. Menoc. Tir.* (x) *Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Bornec. Barb.* 1, ἐπαινῶ.
(y) *Eſtius in hunc loc.* (z) *Vide Chryſoſt. hic, Theodoret. Theophyl. alios Græcos.*
(a) *Græci, Eſt. alii.* (b) *Galat.* I, 1. (c) *Beza, Grot. Vorſt. Sclater.* (d) Vide Præfationem in Lucam.
(e) *Græc. impreſſ.* Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. *Alexand. omittit* κλώμενον. *Clarom. Græc.* θρυπτόμενον. *Latin. Quod pro vobis frangitur. Ita S. Germ. Lat. Et alii Græc. Vulg.* παραδοθησόμενον. *Ita Copht. Vulg. Hieronymiaſt. ſed Ambroſiaſt. bis in antiquis Codd. & Beda in Luc.* XXII, *& Syr. & Liturg. Baſil. & alii; Quod pro vobis frangitur.*

℣. 25. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.

℣. 26. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

℣. 27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

℣. 28. Probet autem ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.

COMMENTARIUS.

ſuum cruciatum, laniatum, ac morte affectum iri in Paſſione, quæ mox imminebat (f).

℣. 25. SIMILITER ET CALICEM, POSTQUAM COENAVIT. Animadvertitur hic, Apoſtolum addere, *poſtquam cœnavit*, dumtaxat ubi agit de Calice, non verò ubi de pane, quem Chriſtus in ſuum ipſius Corpus conſecravit. Præſtantiſſimi Interpretes (g) cenſent, idcirco additum id fuiſſe, ut Calix in Chriſti Sanguinem conſecratus diſtingueretur ab altero Calice, de quo Lucas, XXII, 17, qui calix Paſchalis eſt, Diſcipulis a Chriſto propinatos ipſo tempore cœnæ, de more Hebræorum: qui calix alius planè fuit a Sanguinis Calice, quem poſt cœnam propinavit, ab Apoſtolo hic, & Luca, XXII, 20, memoratum. At omnino conſtat, τὸ *poſtquam cœnavit*, tum ad Panis tum ad Calicis conſecrationem pertinere; utramque enim peregit Chriſtus poſt cœnam.

HIC CALIX NOVUM TESTAMENTUM EST IN MEO SANGUINE. Quemadmodum priſcum Fœdus vitulorum taurorumque cruore confirmatum eſt (h); ita Novum Chriſti Sanguine ſignatum eſt. Nullum enim in Veteri Lege ſolemne fœdus inibatur, quin victimæ & Sanguinis effuſio intercederent (i). Fœderis cum novâ gente percuſſi diſcrimen a Vetere illud eſſe voluit, quòd cruor, quo ſancitur, Sanguis eſt Hominis Dei, qui fœdus ipſum juravit; neque contentus aſperſiſſe cruore ſuo corpus veſteſque eorum, quibuſcum fœdus init, ſuo ipſius Corpore illos veſci vult, ſuoque Sanguine potari, ut ſuaviſſimum atque arctiſſimum, quàm fingi animo poteſt, amoris vinculum inter utroſque exiſtat. Satis amori illius non eſt, ſi cruentæ victimæ Deo fœderum teſti, & perjuriorum vindici mactentur: ſe ipſe victimam Æterno Patri exhibet, ut expiet peccata ſervorum, quos eo ipſo inter filios atque amicos excipit. Denique Novum Fœdus & adjunctis & ritibus, promiſſis mutuiſque obligationibus tantum præſtat Veteri, quantum res figuræ, umbris corpus.

HOC FACITE, QUOTIESCUMQUE BIBETIS, IN MEAM COMMEMORATIONEM. Fœdus, quod vobiſcum percutio, fœdus æternum eſt, quod ipſi inſtaurabitis, quoties hoc ipſum quod ipſe feci, vos præſtiteritis. Panem ſcilicet vinumque ſumetis, meorumque verborum, vi meâque potentiâ Corpus & Sanguinem meum efficientes, inter vos diſtributis, in mei ac Fœderis inter nos initi monumentum. Non mera erit commemoratio præteritæ rei, quæ ſignis ex arbitrio vel pacto conſtitutis iterum ſub oculos revocatur; non ſimplex & inanis rei remotiſſimæ repetitio; ſed vera Corporis & Sanguinis mei conſecratio, quæ cum effectu iterabitur. Ita ſanxi & præcepi, meâque authoritate & virtute Miniſtros meos hujus rei causâ inſtruxi.

℣. 26. MORTEM DOMINI ANNUNTIABITIS, DONEC IPSE VENIAT; usque ad ſupremum illius adventum, quo tempore vivorum mortuorumque Judex redibit (k). Myſterium hoc perpetuò in Eccleſiâ celebrabitur, usque ad ſæculorum finem, ejuſque celebratione Mortem ac Paſſionem Servatoris repræſentabitis. Chriſti Corpus ſub ſpecie panis, & Sanguis ſub vini ſpecie abditum activâ quadam & efficaci ratione mortem Jeſu Chriſti ſignificant. Corporis Chriſti Sacramentum fractum ſciſſumque, in fruſta diviſum, dentibus contritum, ob oculos ponit cruciatus, quos Chriſtus in Paſſione pertulit. Sanguis Calice exceptus, atque a Corpore ſejunctus, cruentam illius necem ſignificat.

℣. 27. QUICUMQUE MANDUCAVERIT... INDIGNE (l), REUS ERIT, &c. Qui accedit ad hoc Sacramentum impurus, nullo obſequio, fideque, charitate & innocentiâ carens; qui cum criminis conſcientiâ, & mortali peccato inquinatus accedit, reus eſt mortis Chriſti. Judæi, qui Chriſtum cruci affixere, ſupremum ſceleris faſtigium attigiſſe cenſentur. Nihil certè eo parricidio horribilius: at qui Chriſti Sacramentum ore profano ſumunt, qui nullâ Religione, pietate, obſequio accedunt, multo graviùs ex parte peccant. Chriſtum illi non noverant, quippe ſervi formâ occultatum, ejuſque gloriâ nondum manifeſtatâ. At mali Chriſtiani, quem agnoſcunt, & glorioſum in Cœlo regnare ſciunt, injuriâ afficiunt (m). *Proh ſcelus! ſemel Judæi Chriſto manus intulerunt; iſti quotidie ejus corpus laceſſunt. O manus præcidendæ (n)!*

℣. 28. PROBET AUTEM SE IPSUM HOMO: ſe ipſe excutiat, videatque an dignus ſit qui ad ſacram Menſam accedat; ſeriò ſtudeat innocentiam recuperare iis adminiculis, quæ ſuppeditavit Deus, Divinæque Juſtitiæ ſatisfacere. *Eccleſiaſtica conſuetudo*, ait Concilium Tridentinum (o), *declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſâ ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat: quod a Chriſtianis omnibus, etiam Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta* Syno-

(f) *Vide Cajet. Anſelm. ſeu Herv. & Eſt. hic, & Cornel. a Lapide.*
(g) *Vide Hieronym. & Geor. in Matth.* XXVI, *Bedam & Theophyl. & Cajet. & Brug. in Luc.* XXII.
(h) *Exod.* XXIV, 8: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum.*
(i) *Hebr.* IX, 18, 19, 20. (k) *Chryſoſt. Theodoret. D. Thom. Eſt. Men. alii.*
(l) *Quidam legunt:* Ἀναξίως τοῦ Κυρίου, *Indignè Domino. Ita Codd. Stephan.* 3, *& alii nonnulli. Baſil. Oecumen. Ambroſiaſt. Auguſt. aliquoties. Vide Mill.*
(m) *Vide Chryſoſt. homil.* 60 *ad popul. Antioch. &* 83 *in Matth. & Theodoret. hic, & Theophyl.*
(n) *Tertull. de Idololatr. cap.* 7. (o) *Trident. ſeſſ.* 13, *cap.* 7.

℣. 29. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit: non dijudicans corpus Domini.

℣. 30. Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.

℣. 31. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.

℣. 32. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

℣. 33. Itaque, fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate.

℣. 34. Si quis eſurit, domi manducet: ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cùm venero, diſponam.

COMMENTARIUS.

Synodus perpetuò ſervandum eſſe decrevit, modò non deſit illis copia Sacerdotis. Verbum, quo hic utitur Apoſtolus, propriè ſonat (p), *probare cum delectu*: ſe ipſe excutiat homo ac probet; ſive, dignum ſe reddat qui a Deo probetur: ſtudeat gratioſus eſſe Deo, ac deinde ſacram ad menſam accedat. Panis vitæ eſt, filiorumque & amicorum cibus. Nemo accedat cum lethali animi habitu, Deoque odioſus. Ita nimirum acceſſit Judas, mortemque ex eâ, non vitam retulit. Venenum Judæ fuit Euchariſtia, non ſalubris cibus.

℣. 29. Non dijudicans (q) Corpus Domini, a communibus cibis non diſcernens; ſumens uti vulgarem panem, non uti Corpus Jeſu Chriſti, converſumque reipsâ in Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti ſubſtantiam. *Non enim*, ait S. Juſtinus Martyr (r), *ceu vulgarem panem vulgaremque potum iſta accipimus; ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter & carnem & ſanguinem noſtra ſalutis causâ aſſumpſit; ad eumdem modum etiam eam, in qua preces verbi ejus ab ipſo profecti gratia acta ſunt, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Sacramenti hujus communione *in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſimus*, inquiunt S. Clemens Alexandrinus, S. Chryſoſtomus, & S. Leo.

℣. 30. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. Indigna Corporis Chriſti ſumptio, minimumque obſequium, quo ſacram Euchariſtiam proſequimini, in causâ ſunt, cur ex vobis quamplures in morbos ipſamque mortem incidat. *Dormire* enim hoc loco feſtinatam mortem ſignificat. Somnus non rarò in Scripturis pro morte uſurpatur (s). Sub Eccleſiæ exordia Deus perſpicuis pœnis animadvertebat in eos, qui ad ſacram Menſam indignè accederent. Plura hujuſmodi animadverſionis ob indignas Corporis Chriſti ſumptiones exempla narrat S. Cyprianus (t). Quidam guſtatis carnibus idolo mactatis ad Euchariſtiam accedens, mutus repentè fuit: alter ſuam ipſius linguam dentibus diſcerpſit; puer Euchariſtiâ paſtus, ſacrum Panem cum cruciatu evomuit. Teſte S. Chryſoſtomo (u), multos occupavit Dæmon, quòd Euchariſtiam indignè comedeſſent. *Dormiunt multi*. Græcus (x): *Dormiunt ſatis multi*. Sunt (y) qui ita explicent: Quamplures morte plectuntur, ut exemplo ſint ac terrori cæteris: punit illos in hac vitâ Deus, ut in alterâ parcat. Ferit, ut illi reſipiſcant, & miſericordiam conſequantur (z). Vide infra, ℣. 32.

℣. 31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Si nos ipſi probaremus ut oportet, animumque pœnitentiâ & charitate purgaremus, in mala iſta non laberemur. Si Deum ſeverum tibi judicem ac vindicem eſſe non vis, ipſe te ad privatum judicium revoca, tibique pœnas infligito. Dei judicium pœnitentiâ præverte.

℣. 32. Ut non cum hoc mundo damnemur; cum impiis ſcilicet, quibus abundat mundus, peſſima illius inſtituta ſectantibus. Punit nos in hac vitâ Deus, ut malis æternis liberos præſtet.

℣. 33. Invicem expectate. Cùm unà convenitis, ut ſacrâ in menſâ veſcamini, atque agapas in Eccleſiâ celebretis, alter alterum expectate; neque feſtinent locupletes cœnam comedere, antequam venient pauperes, ℣. 21. Expectate ſimul omnes cœnaturi, ut unà omnes mente abſolutâque charitate ad Chriſti Corpus & Sanguinem accedatis.

℣. 34. Si quis esurit, domi manducat, neque in cœtûs locum veniat, ante cæteros cœnaturus. Irriſionis genus eſt (α). Si urget fames, communemque cœnam expectare non licet, quis prohibet ne domi cœnetis? id ſaltem vacabit ſcandalo, neque invidiæ erit apud fratres; denique *in judicium non convenietis*; ita ſcilicet non convenietis, uti nunc facitis; id quod veſtræ damnationi eſt.

Cætera autem, cum venero, disponam. Corinthum profecturus erat Apoſtolus paulò poſt hanc Epiſtolam. Eò autem venit ſub exitum conſequentis anni, LVIII Jeſu Chriſti. Apoſtoli ore tenus docebant Chriſtianos, multaque tradebant de cœtuum ordine, de ſacrorum tempore ac ritibus, aliiſque ad Eccleſiæ regimen ac diſciplinam pertinentibus. Iſta continent Apoſtolicæ Conſtitutiones, qui liber certè Apoſtolorum non eſt, ſed multò poſt deſcriptus, complectens diſciplinam ab Apoſtolis inſtitutam.

CA-

(p) Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτόν. *Vide Rom.* II, 18; XII, 2; I *Cor.* III, 3; XVI, 3; *Galat.* VI, 4; *Ephes.* V, 10, *&c.* (q) Μὴ διακρίνων. *Ambroſiaſt. Non diſcernens.*

(r) *Juſtin. Apol.* 2: Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν. Ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. (s) *Matt.* XXVII, 52; *Joan.* XI, 11; *Act.* VII, 60; I *Cor.* VII, 39; *Act.* XIII, 36; I *Cor.* XV, 6, 20; I *Theſſal.* IV, 13, 14, 15; 2 *Petri*, III, 4. (t) *Cyprian. ſerm. de Lapſis.* (u) *Chryſoſt. homil.* 3 *in* I *ad Timoth.* (x) Κοιμῶνται ἱκανοί. (y) *Vide Oecumen. hic*, *& Auguſt. ſerm. olim* 2, *de Diverſ. nunc* 148, *n.* 2: *Dormiunt ſufficientes, id eſt, quantùm ſufficiet ad Diſciplinam imponendam.* (z) *Auguſt. loco citato. Grot. hic.* (α) *Vide Grot. hic.*

CAPUT XII.

Varia ſunt Spiritûs Sancti dona: idem verò Spiritus ea diſtribuens utì lubet, in Eccleſia commodum. Quemadmodum corpus pluribus e membris conſtat, ſingulis ſuo munere fungentibus, ita & Fidelis unusquisque opus eſt in commune commodum laboret.

℣. 1. DE ſpiritualibus autem nolo, vos ignorare, fratres.
℣. 2. Scitis, quoniam cùm Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta
prout ducebamini euntes.
℣. 3. Ideò notum vobis facio, quòd nemo in Spiritu Dei loquens,
dicit anathema Jeſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus,
niſi in Spiritu Sancto.
℣. 4. Diviſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus:

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE SPIRITUALIBUS AUTEM, &c. (a). Per literas Paulum rogaverant Corinthii, quanti facienda eſſent ſpiritalia dona, quibus Eccleſia tunc temporis a Spiritu Sancto cumulabatur, & quomodo iis utendum. Quamplurimi iis optimè utebantur, ſcilicet ad Gentilium converſionem, inſtitutionemque Chriſtianorum. Alii male abutebantur in ambitionis atque jactantiæ alimentum & materiam. Qui linguarum dono inſtruebantur, alter alterum intercipiebant, & aliquando tres aut quatuor ſimul verba faciebant. Interdum variis linguis omnes loquebantur, nemine interpretante. Qui conſpicua magis atque illuſtria dona obtinuerant, ſpernebant cæteros, ſuâque laude gloriabantur: qui minora, invidebant iis qui acceperant nobiliora. Quamobrem ea ipſa, quæ in illorum inſtitutionem utilitatemque conceſſa illis fuerant, in perniciem non rarò convertebantur. Hæc igitur vitia hîc Paulus arguit.

℣. 2. SCITIS QUONIAM (b) CUM GENTES ESSETIS. Verſiculi hujus connexio cum ſuperiori & conſequentibus, non ſatis ſentitur. Ut Corinthiorum animos comparet Paulus ad excipienda ea, quæ de Divinis Spiritûs Sancti donis traditurus eſt, animadvertit, inſolita iſthæc beneficia uni Eccleſiæ Jeſu Chriſti ſervata eſſe, Gentilibus & Judæis ignota. Quod ad Gentiles pertinet, vos ipſos teſtor: noſtis enim, vos olim ad idola ductos ceu bruta ratione carentia. Quod ad Judæos, ℣. 3, compertum eſt, illos anathema in Chriſtum Jeſum pronunciare. Fieri autem non poteſt, ut anathema in Chriſtum pronunciet, aut colat idola, qui a Spiritu Sancto occupatur: ſi autem utroque hoc ſcelere implicabamini, vos certè Spiritus Sanctus non afflabat.

℣. 3. NEMO IN SPIRITU DEI LOQUENS, DICIT ANATHEMA JESU (c). Judæi omnes anathema in Chriſtum Jeſum ejusque aſſeclas pronunciabant (d). Sancto igitur Spiritu non occupabantur. Qui Judæos imitatur, nonniſi malo Spiritu plenus eſt. Quamobrem Ethnici omnes, venefici, genethliaci, arioli, quicumque demum de futuris vaticinantur, ſeu ſiderum ſeu viſcerum contemplatione, ſeu dæmonum ope, Spiritu Sancto non afflantur (e). Hoc generatim indicio Dei Spiritus a Dæmone dignoſcitur. At Apoſtolus hoc loco cum Judæis præſertim diſputare videtur. Certum eſt, illos a Chriſtianæ Religionis exordio, ac diu etiam poſtea, ter ſingulis diebus in Synagogâ in Chriſtum & Chriſtianos maledicta evomere conſueviſſe (f), Chriſto in vitam reverſo, homines ſummiſiſſe, qui Religionem Chriſtianam, ceu Divinitati legibusque inimicam, ubique carperent (g). Chriſtianos adhuc noſtrâ ætate execrari dicuntur ſub appellatione Goim, ſive Gentilium, vel Idumæorum (h).

℣. 4. DIVISIONES VERO GRATIARUM SUNT, IDEM AUTEM SPIRITUS. Frequentiſſima tunc fuiſſe iſthæc dona neceſſe eſt, cùm Paulus Chriſtianis multa de iis & tradere debuerit, quæ hoc Capite legimus. Suâ ætate ea paſſim obtinuiſſe, teſtantur S. Juſtinus Martyr (i), S. Irenæus (k), Origenes (l). Diu etiam poſtea viguere, teſtibus S. Hilario & Euſebio Cæſarienſi, quos recitavimus in *Act.* II, 4. Ut ſuperbiam eorum, qui donis hiſce ſpiritalibus gloriabantur, coërceat Apoſtolus, & conſoletur eos, qui iis carebant (m), animadvertit, eumdem Spiritum Sanctum eſſe authorem munerum, quæ ipſe unicuique ex arbitratu diſtribuit: munera quælibet glorioſa eſſe in Eccleſiâ, & in commune Fidelium commodum

Dei-

(a) Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν. *Theodoret.* Χαρισμάτων τοῦ πνεύματος. *Grotius; De iis qui Spiritu afflantur, ſive impuro, ſive ſancto. Sic infrà habes nomen maſculinum,* πνευματικὸς, *cap.* XIV, 37.
(b) *Græc. impreſſ.* Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε, *Noſtis, quia gentes fuiſtis. Alii:* Οἴδατε ὅτι ἔθνη ἦτε, *Scitis cùm gentes eſſetis. Alii:* Οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, *Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ut Vulg. Ita Steph.* α, δ, ι; *Alex. Clarom. Græc. Alii plures. Adi Mill. qui primam lectionem prafert.*
(c) *Cyrill. Alexand. plurib. locis.* Οὐδεὶς λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦ, εἰ μὴ ἐν Βεελζεβοὺλ.
(d) *Act.* XIX, 9: *Cùm quidam (Judæi) indurarentur, maledicentes viam Domini coram multitudine, &c. Et Joan.* IX, 22: *Jam enim conſpiraverant Judæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* (e) *Grot. Tirin.* (f) *Vide Juſtin. Dialog. cum Tryphon. pag.* 234, & 235; *Origen. Græc. in Jerem. homil.* 18; *Hieronym. in Iſai.*
(g) *Euſeb. in Iſai.* XVIII; *Hieronym. ibidem.*
(h) *Vide Buxtorf. Synag. Jud. c.* 5, *pag.* 162, 164, 165, & *cap.* 13, *p.* 334, &c.
(i) *Juſtin. Mart. Dialog.* Καὶ παρ' ἡμῖν ἔστιν ἰδεῖν καὶ θηλείας, καὶ ἄρσενας χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ ἔχοντας. (k) *Iren. lib.* 2, *cap.* 58. (l) *Origen. contra Celſ. l.* 7, *p.* 337.
(m) *Vide Theodoret. Grot. &c.*

℣. 5. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus:
℣. 6. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.
℣. 7. Unicuique autem datur manifeſtatio Spiritûs ad utilitatem.
℣. 8. Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem Spiritum:
℣. 9. Alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia ſanitatum in uno Spiritu:
℣. 10. Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.

COMMENTARIUS.

Deique gloriam referenda.

℣. 5. Divisiones ministrationum sunt, munerum officiorumque Eccleſiaſticorum. Alii ſunt Epiſcopi, alii Sacerdotes, alii Diaconi: ſunt quibus credita eſt pauperum cura, & ſunt quibus prædicatio: ſuum unicuique talentum eſt & officium. Qui cæteris præeſt, non ſuperbiat; qui paret, ne doleat. Unius Domini omnes Miniſtri ſunt; omnes ad eumdem pertinent: in unâ omnes domo ſerviunt; in unum omnes collineant, ſuo unusquisque modo.

℣. 6. Divisiones operationum sunt. Suâ unusquisque virtute & ingenio inſtruitur, ſive naturali ſive ſupra naturam: omnia tamen ex Deo ſunt, qui mirâ hac varietate Eccleſiam inſtituit ac regit. Græca vox (n), quæ redditur *operationes*, propriè ſignificat agendi efficaciam, vim ac virtutem, unicuique peculiarem, ex uniuscujusque ingenio & naturâ. Animadvertit Eſtius, *Charismata*, ℣. 4, Spiritui Sancto tribui; *Miniſtrationes*, ℣. 5, Filio, tamquam Eccleſiæ Domino ac Principi; *Operationes* denique, ℣. 6, Patri, uti rerum omnium principio.

℣. 7. Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem (o). Spiritûs Sancti dona, quæ ſenſibus obnoxia ſunt, conceduntur ut utilitati ſint, non oſtentationi, & Eccleſiæ inſtitutioni, non exitio. Dona quæ in Baptiſmo accipimus, veriſſima ſunt, at minimè ſenſibus obnoxia (p). Quæ verò poſt Baptismum, & in communem Eccleſiæ ac Fidelium utilitatem dantur, percipiuntur ſenſibus, atque opportuna ſunt & accommodata neceſſitati, affectionibus, & interdum meritis eorum, qui iis donantur (q).

℣. 8. Alii datur sermo sapientiæ. Sapienter loquendi donum, de quo hîc Paulus, in eo verſatur potiſſimùm, ut quis nobili, ſublimi ac ſententioſo loquendi genere in rebus ad Religionem pertinentibus utatur; cum dignitate ac delectu ſenſa explicet; verbis perſpicuis, prudentèr conceptis, atque audientium ingenio accommodatis; idque per Spiritûs Sancti virtutem, ſapientiamque divinitus infuſam.

Sermo ſcientiæ hoc loco non eſt virtus naturalis vel acquiſita, ſed ſupra naturam, & Spiritûs Sancti donum, quo Religionis dogmata perſpicuè & efficaciter explicantur, ope rationis artiumque humanarum; quemadmodum apud Theologos de Fidei principiis disputatur, ex quibus Theologicæ conſequentiones colliguntur. Apoſtoli a Spiritu Sancto ſapientiæ ac ſcientiæ donis abſolutiſſimè cumulati fuerant (r); quippe ſtatim divinitus illuſtrati, inſtructique ſcientiâ & ſapientiâ rerum, quas nunquam illi evolverant, ab ipſorum ſcilicet arte & ingenio remotiſſimas.

℣. 9. Fides; non ea quæ Juſtos & Chriſtianos facit, qua credimus ea, quæ Deus nos in Eccleſiâ docuit; ſed fiducia in Deum, & virtus miraculorum, qua Dei nomine nulloque metu divina & prodigioſa opera ſuſcipiuntur (s).

Gratia sanitatum (t). Oritur hæc ex dono Fidei & prodigiorum, de quo diximus: hoc autem donum primis Eccleſiæ ſæculis vulgare fuit.

℣. 10. Operatio virtutum (u). Ut a ſuperioribus diſtinguatur, de majoribus præſtantioribusque prodigiis intelligitur (x); ſeu de vi animadvertendi in impios perſpicuis prodigiis, uti cùm Paulus Elymam cæcum reddidit (y), vel Petrus Ananiam & Saphiram morte multavit (z).

Prophetia latè patet, complectiturque donum cognoſcendi futura, interpretandi Scripturas, Dei verba prædicandi, ſolemnesque Dei laudes in Eccleſiâ canendi; loquendi denique afflante Dei Spiritu ac docente.

Discretio spirituum (a) in eo ſita eſt, ut homines verè a Deo afflati a non afflatis ſecernantur (b); bonus a malo Spiritu diſtinguatur; Angelus lucis ab Angelo tenebrarum, verus a falſo Apoſtolo, juſtus ab hypocritâ, a verâ ove lupus ovinâ pelle tectus; Spiritûs Sancti afflatus ab afflatu amoris proprii malique ſpiritûs; qui verè vocati ſunt, ab iis qui fraudes moliuntur. Porrò hoc donum omnino eſt neceſſarium iis, qui-

(n) Διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσίν.
(o) Πρὸς τὸ συμφέρον, *Ad id quod confert, quod expedit, quod utile eſt.*
(p) *Vide Theodoret. hic*: Πρὸς τὸ συμφέρον, διδάσκων ὡς ὁ πάντα σοφῶς ἐπιστάμενος, καὶ τὸ λυσιτελοῦν ἑκάστῳ γινώσκων, σοφῶς τὰ πάντα ἴθυε.
(q) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon.* Λαμβάνουσι δόματα ἕκαστος, ὡς ἄξιοί εἰσι, φωτιζόμενοι διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ. Ὁ μὲν γὰρ λαμβάνει συνέσεως πνεῦμα, ὁ δὲ βουλῆς, ὁ δὲ ἰσχύος, ὁ δὲ ἰάσεως, ὁ δὲ προγνώσεως, ὁ δὲ διδασκαλίας, ὁ δὲ φόβου Θεοῦ. (r) *Vide Theodoret. hic.*
(s) *Chryſoſt. Theodoret. Vatab. Eſt. Tirin. Grot. alii.*
(t) *Græc. impreſſ.* Χαρίσματα ἰαμάτων. *Vulg. Gratia curationum. Ita Clarom. & Sangerm. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Tertull. Donum curationum, lib. 5 contra Marcion. c. 8.*
(u) *Græc. impreſſ.* Ἐνεργήματα δυνάμεων. *Alii*: Ἐνέργημα δυνάμεων. *Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Ambroſ. Hieronym. Hilar. Operatio, ſeu efficientia.*
(x) *Eſt. Tir. Sclater.* (y) *Act.* xiii, 11. (z) *Act.* v, 5, *&c.*
(a) Διακρίσεις πνευμάτων. *Alii*: διάκρισις. *Ita Tertull. Ambroſ. Hilar. Clem. Alex. Clarom. S. Germ. Borner. alii.* (b) *Schol. Manuſ. ex Bibliot. Medic. apud Pucc.* Διάγνωσις τῶν τε ἀληθινῶς καὶ ψευδῶς προφητευομένων. *Vide & Chryſoſt. hic, & infrà c.* xiv, 29; *& Theodoret. ibidem.*

℣. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.
℣. 12. Sicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm ſint multa, unum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus.
℣. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus, ſive Judæi, ſive Gentiles, ſive ſervi, ſive liberi: & omnes in uno Spiritu potati ſumus.
℣. 14. Nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa.
℣. 15. Si dixerit pes: Quoniam non ſum manus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore?
℣. 16. Et ſi dixerit auris: Quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideò non eſt de corpore?
℣. 17. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus?
℣. 18. Nunc autem poſuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore ſicut voluit.
℣. 19. Quòd ſi eſſent omnia unum membrum, ubi corpus?
℣. 20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.

COMMENTARIUS.

quibus Eccleſiæ & hominum curam dedit Deus. Vide 1 *Joan.* IV, 1: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.*

GENERA LINGUARUM, & INTERPRETATIO SERMONUM in eo differunt, quòd interdum qui multis linguarum generibus loquebatur, minimè tamen utebatur eo quod vulgare erat iis, ad quos verba faciebat: ita quis Syriacâ aut Hebraicâ ſive Scythicâ linguâ inſtructus, Græcam ignorabat; quamobrem apud Græcos diſputans, interprete egebat, qui dicta explicaret (c). Vide infra, XIV, 13: *Qui loquitur linguâ* extraneâ, *oret ut interpretetur.*

℣. 11. DIVIDENS SINGULIS (d) PROUT VULT. Spiritus Sanctus donorum ſuorum eſt arbiter, eaque pro libito quibus & quomodo vult, diſtribuit. Qui hujuſmodi dona obtinuit, ne glorietur: omnia Dei clementiæ debet. Qui non obtinuit, ne queratur: iſthæc illi non debentur.

℣. 12. SICUT CORPUS UNUM EST.... ITA ET CHRISTUS. Singula corporis noſtri membra ſuo uſui deſtinata ſunt, unumque corpus faciunt: ita in myſtico Jeſu Chriſti Corpore ſingulis Fidelibus, qui varia ſunt ejus corporis membra, ſuum eſt officium, donum, munuſque peculiare; iidemque unum corpus ſunt, unum Regnum, unus hominum cœtus. Chriſtus hic pro Eccleſiâ ponitur (e), quemadmodum in Epiſtolâ ad Romanos (f): *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto*, ſejungi ab Eccleſiâ Jeſu Chriſti. Vide infra, ℣. 27, 28.

℣. 13. IN UNO SPIRITU OMNES NOS, &c. Joannes Baptiſta in Evangelio docuit (g), ſuum ipſius Baptiſma a Baptiſmate Jeſu Chriſti ob id differre, quòd Chriſtus Spiritu Sancto baptizaret, ipſe verò aquâ. Et Jeſus Chriſtus ante Aſcenſionem promiſit Apoſtolis, daturum ſe illis Baptiſmum Spiritûs Sancti (h); id quod ſacrâ Pentecoſtes die impletum eſt. Ait Paulus, Chriſtianos omnes, cujuslibet gentis aut conditionis, baptizatos eſſe eodem Spiritu, participes eſſe ejuſdem gratiæ juſtificantis, divinorumque munerum partem ſingulos obtinuiſſe, ut unum corpus cum Jeſu Chriſto ſint, unamque Eccleſiam componant, fidei & charitatis vinculis conjunctam.

IN UNO SPIRITU POTATI SUMUS (i). Dogmata ſua Chriſtus non ſemel ſub aquæ & potûs nomine, quo potandi ſint Diſcipuli, ſignificavit (k): *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Alibi (l): *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.* Omnes igitur Chriſtiani ſpiritali hoc potu recreati ſunt, unumque corpus effecti, utpote nutriti eodem ſucco, eodemque Spiritu animati. Sunt (m) qui ſpiritalem hunc potum interpretentur de eo, quo ſacrâ in menſâ, Jeſu Chriſti Corpus ac Sanguinem ſumentes, proluimur. Porrò poſtrema hæc explicatio æquè nobilis eſt ac prior.

℣. 15. SI DIXERIT PES: QUONIAM NON SUM MANUS, NON SUM DE CORPORE. Singula corporis membra mutuâ ope indigent; atque alterum alteri operam auxiliumque & amorem præſtare decet. Non omnia eodem officio fungi poſſunt. Quæ maximè infirma & vilia videntur, ea ſedulo maximè omnium ſtudio tegimus. Ita, o Corin-

(c) *Theodoret. hic; Eſt. Grot. Chryſoſt. hic:* Ὁ μὲν γὰρ ᾔδει τὸ τί ἔλεγεν, ἑτέρῳ δὲ ἑρμηνεῦσαι οὐκ ἠδύνατο. Ὁ δὲ ἀμφότερα ταῦτα ἐπιστάτο, ἢ τούτων θάτερον.
(d) Διαιρῶν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται, *Dividens privatim unicuique prout vult. Auguſt. lib. de Trinit. & unit. Dei, cap. 8; Hieronym. Dialog. 2 contra Pelag. cap. 6: Propriâ unicuique. Alii omittunt,* ἰδίᾳ, *ſeu propriâ. Vide Mill.* (e) *Auguſt. ex Tichonio, lib. 3 de Doctrin. Chriſt. cap. 30, 31; Gloſſ. ord. Eſt. Grot. alii. Theodoret. hic:* Χριστὸν ἐνταῦθα τὸ κοινὸν σῶμα τῆς ἐκκλησίας ἐκάλεσεν, ἐπειδὴ κεφαλὴ τοῦδε τοῦ σώματος ἐστιν ὁ Χριστός. (f) *Rom.* IX, 3.
(g) *Matth.* III, 12; *Marc.* I, 8; *Luc.* III, 16; *Joan.* I, 33. (h) *Act.* I, 5.
(i) Εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. *Alii:* Ἐν πνεῦμα ἐποτίσθημεν. *Alii:* Ἐν πόμα ἐποτίσθημεν, *vel* εἰς ἓν πόμα, *Unum potum potavimus. Vid. Mill. & Eſt.* (k) *Joan.* VII, 37.
(l) *Joan.* IV, 10, 11. (m) *Chryſoſt. Cajet. Eſt. Tirin. Grot. &c.*

Digitized by Google

℣. 21. Non poteſt autem oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigeo: aut iterum caput pedibus: Non eſtis mihi neceſſarii.

℣. 22. Sed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.

℣. 23. Et quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundatiorem circumdamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundatiorem honeſtatem habent.

℣. 24. Honeſta autem noſtra nullius egent; ſed Deus temperavit corpus ei, cui deerat, abundatiorem tribuendo honorem;

℣. 25. Ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra.

℣. 26. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

℣. 27. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.

COMMENTARIUS.

rinthii, ſervanda vobis eſt abſoluta inter vos concordia. Nemo gratiæ fratris invideat, neque queratur, ſi minus habeat. Charitate, Fide, concordiâ, omnia hæc dona communia redditis. Unum corpus omnes efficitis; myſticum Corporis Caput Chriſtus. Hoc vult Pauli ratiocinatio ℣℣. 15, 16, 17, & conſequentibus, usque ad Capitis finem.

℣. 21. NON POTEST OCULUS DICERE MANUI. Populo Romano a Patribus deſciſcente (n), eo nomine, quòd Patres honoribus & commodis omnibus fruerentur, plebs oneribus premeretur, Menenius Agrippa ad eos miſſus, ita narravit: *Tempore, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuus ſermo fuerat, indignatas reliquas partes, ſuâ curâ, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quæri; ventrem in medio quietum, nihil aliud quàm datis voluptatibus frui. Conſpiraſſe inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent, hac irâ, dum ventrem fame domare vellent, ipſa unâ membra totumque corpus ad extremam tabem veniſſe. Inde apparuiſſe, ventris quoque haud ſegne miniſterium eſſe: nec magis ali quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, diviſum pariter in venas maturum, confecto cibo, ſanguinem.* Eodem fermè artificio Paulus Fideles Corinthios docet, quæ inter eos eſſe debeat pax & concordia.

℣. 22. QUÆ VIDENTUR MEMBRA INFIRMIORA ESSE, NECESSARIORA SUNT. Quæ omnium maximè otioſa videntur, uti venter, cor, viſcera; quæ maximè imbecillia & tenera, ut oculus, maximè neceſſaria ſunt ad vitæ cæterorumque membrorum defenſionem.

℣. 23. QUÆ PUTAMUS IGNOBILIORA, uti pes & manus, HIS HONOREM ABUNDANTIOREM CIRCUMDAMUS: pretioſis pedes calceis & ſandaliis tegimus; digitis annulos pretioſiſſimos inſerimus (o). *Et quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent* (p), membra ſcilicet, quæ nuda exhiberi pudor vetat. *Inhoneſta* dicuntur, ob regnantem in iis legem concupiſcentiæ (q), rationis & juſtitiæ Legi repugnantem. Adam & Eva poſt peccatum foliis ficus velârunt (r).

℣. 24. DEUS TEMPERAVIT CORPUS, &c. Antequam peccaret homo, & caro adversùs ſpiritum pugnaret, nullum hominis membrum pudendum erat: honeſta omnia, & minimè celanda: at poſt primi hominis lapſum, ratio & honeſtas jubent, velari ſtudioſiſſimè quædam membra, in quibus perſpicua maximè eſt concupiſcentia; ſeu quæ ſtomachum movent, hominisque mortalitatem & corruptelam maximè indicant, ſecretione partium cibi inutilium, quæ rejicit corpus. Docet hîc Apoſtolus, iſthæc membra ita a Deo fuiſſe temperata, ut major his, quàm cæteris, honor exhibeatur; cùm Deus author ſit rationis, communisque propenſionis, qua ad ea tegenda inclinamur. *Natura, quæ formam noſtram reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu; quæ partes autem corporis, ad naturæ neceſſitatem datæ, aſpectum eſſent deformem habituræ atque turpem, eas contexit atque abdidit* (s).

℣. 26. SI QUID PATITUR UNUM MEMBRUM, COMPATIUNTUR OMNIA MEMBRA. Id omnino verum in naturâ eſt, non in moribus. Sæpiſſimè evenit, ut eâdem in ſocietate, familiâ, Eccleſiâ, alterum membrum malo alterius non ſatis doleat. Optimus minuendi doloris aliorum modus eſt, dolere illorum malis (t): *Neſcio quomodo minus eſt quod patitur unum membrum, ſi compatiantur alia membra.*

℣. 27. VOS ESTIS CORPUS CHRISTI, ET MEMBRA DE MEMBRO, alter alterius membra. Caput veſtrum eſt Chriſtus, omnesque ſimul unam conflatis Eccleſiam, myſticum Chriſti Corpus: privata quælibet Eccleſia membrum eſt Eccleſiæ univerſæ; veſtrûm autem unusquisque veſtræ eſt membrum Eccleſiæ: ita *eſtis membra de membro* (u). Sive; *Membra ex parte*: ita vos alter erga alterum eſtis, uti unius corporis membra. Græcus (x): *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte.* Unusquisque myſtici hujus Corporis membrum eſtis: ſuum unicuique munus eſt, officium, donum; at vetuſti Codices Græci (y), S. Epipha-

(n) *Livius, lib. 2.*
(o) *Vide Chryſoſt, Eſt. Men. Grot.*
(p) Τὰ ἀσχήμονα, *indecora, immodeſta, verenda, inhoneſta.*
(q) *Auguſt. lib. 2 Retract. cap. 7; & lib. 4 contra Julianum Pelagian.* (r) *Geneſ. III, 7.*
(s) *Cicero, lib. 1 de Officiis.* (t) *Auguſt. Ep. 99, nov. edit. olim 155.*
(u) Ὑμεῖς δέ ἐστε σῶμα Χριστοῦ, καὶ μέλη ἐκ μέρους. (x) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. alii.*
(y) *Codd. S. Germ. & Clarom. & alius apud Curcel. & Velez.*

℣. 28. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.

℣. 29. Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?

℣. 30. Numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?

℣. 31. Æmulamini autem chariſmata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.

COMMENTARIUS.

phanius (z), aliique Græci, S. Auguſtinus, Ambroſiaſter, Hieronymiaſter cum Vulgatâ conſentiunt: *Membra de membro*.

℣. 28. PRIMUM APOSTOLOS. Primum inter Eccleſiæ membra locum jure habent Apoſtoli, ejusque Principes poſt Chriſtum ſunt: ipſi Eccleſiam plantavere, ipſi rigavere: Chriſtua incrementum dedit. Iidem Eccleſiæ Capita ſunt & columnæ, inſtitutores, Patres, duce & rectore Chriſto, x quo miſſi fuerunt. Apoſtolorum nomine intelliguntur nedum duodecim illi ab ipſo Chriſto ſelecti, verùm etiam ii, qui horum exemplo ad Eccleſiarum inſtitutionem ineubuere, veluti duo & ſeptuaginta Diſcipuli, aliique permulti, qui poſt duodecim Apoſtolorum obitum gentibus Evangelium nunciavere.

Apoſtolis ſuccedunt *Prophetæ* Novi Teſtamenti (a); non enim hic agitur de antiquis: hi autem præſertim ſunt, quibus donum erat futura prædicendi, ut Agabus, aliique multi ſub exordium Eccleſiæ. Uſurpari etiam ſub hac appellatione poſſunt ii, quibus facultas erat interpretandi publicè Scripturas, peculiari Spiritûs Sancti afflatu: atque hi quidem ceu oculi corporis Eccleſiæ habendi ſunt.

Doctores ſunt, quos Deus inſtruxit munere docendi populos, atque explicandi myſteria Religionis. Hi linguæ officium in Eccleſiâ gerebant. Divinâ tamen deſtinatione non excludebantur ſtudium & lectio, teſte Paulo ad Timotheum (b): *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ: noli negligere gratiam quæ in te eſt.*

VIRTUTES. Donum hoc ſub initium Chriſtianæ Religionis neceſſarium erat, ut Judæi increduli & Gentiles vincerentur. Accipi etiam poteſt de iis, qui poteſtatem exercent ad impiorum pœnam, quemadmodum ℣. 10; cùm alii ponantur ab iis, *qui gratiam habent curationum*, de quibus ſtatim.

OPITULATIONES, GUBERNATIONES. Qui fratribus ſpiritalem opem vel temporariam præſtant; qui exhibitâ procuratâque ex aliis pecuniâ illorum inopiam levant; ægrotos inviſunt, mœrentes conſolantur. Hoc olim peculiare fuit Diaconorum cæterorumque Eccleſiæ Miniſtrorum munus; tametſi ipſi met interdum Apoſtoli & Epiſcopi his officiis fungerentur, teſte Paulo. *Gubernatio*, animorumque regimen facile munus non eſt, nec humanæ prudentiæ. Donum Spiritûs Sancti eſt ars omnium præſtantiſſima, ac ſublimiſſima omnium ſcientia.

INTERPRETATIONES SERMONUM; donum explicandi vulgari linguâ id quod Prophetæ ignotâ canunt. Hæc verba in vulgato Græco non leguntur; ſed ea ferunt Editio Vechcliana (c), S. Auguſtinus, S. Ambroſius, S. Gregorius Nazianzenus.

℣. 31. ÆMULAMINI (ſtudioſè quærite) CHARISMATA MELIORA. Sunt (d) qui addant interrogationis notam: *Æmulamini chariſmata meliora?* Sublimiorem viam jam vos doceo. At Vulgatæ lectio melior probatiorque. Hortatur Corinthios Apoſtolus, ut dona poſtulent a Deo, non illuſtria magis ac ſplendida (e), ſed utiliora ad inſtitutionem Eccleſiæ, ſuamque ſanctitatem. Initio Capitis XII monet, ut Prophetiæ donum potiſſimùm quærant (f): *Æmulamini ſpiritualia, magis autem ut prophetetis.*

ADHUC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO. Dona quæ ſupra naturam ſunt, jure merito plurimi facitis: pleraque autem ex iis magni facienda ſunt ſuâ ipſorum naturâ, gloriæ Dei cauſâ, ob Eccleſiæ utilitatem, veſtramque perfectionem: at ſtatim docebo modum longè præſtantiſſimum, atque iter expeditiſſimum comparandæ ſalutis, donumque multo perfectiſſimum (g); Dei ſcilicet ac proximi amorem, de quo ſtatim Capite conſequenti.

(z) *Epiphan. hæreſ. Manichæ. & Proclus, t. 4 Concil. p. 725; Cyrill. Alex.*

(a) *Epheſ.* III, 5; IV, 11. (b) 1 *Timoth.* IV, 13. (c) Ἑρμηνείας γλωσσῶν.

(d) *Quid. apud Theodoret. Photius apud Oecumen.*

(e) Quædam exemplaria legunt: Χαρίσματα μείζονα. *Ita Steph.* δ, ε, ια; *Alex. Barber, alii quidam.* At præſtantiſſimæ ferunt: Χαρίσματα κρείττονα, uti Vulgata. *Vide Chryſoſt.*

(f) 1 *Cor.* XIV, 1. (g) *Chryſoſt. Theophyl. Alii paſſim.*

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Charitatis neceſſitas, effectus, diuturnitas, utilitas.

℣. 1. SI linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.

℣. 2. Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SI LINGUIS HOMINUM LOQUAR, ET ANGELORUM. Donum linguarum, quod plurimi omnium facitis, inane eſt, ſi charitate deſtituatur. Hinc diſcite, quanto præſtantior ſit charitas & ſuperior donis, quæ exiſtimationem veſtram, veſtraſque curas occupant. *Lingua Angelorum* ſermo non eſt ſenſibus obnoxius diſtinctusque, qualis eſt hominum. Cùm beatæ illæ mentes linguâ & ore non utantur, accommodatam humanis auribus vocem non edunt. Has nihilominus exhibet Scriptura laudantes Deum *(a)*, ac mutua miſcentes colloquia *(b)*, Dei juſſa excipientes, ac reſpondentes Deo. Pari igitur exemplo potuit Apoſtolus aliquod ſermonis genus Angelis tribuere, at intellectuale *(c)*, quo & cogitationes & deſideria Deo, hominibus, ſibique invicem patefaciunt. Sive, hyperbolen hic intellige ſimilem illi, quam vulgo uſurpamus, dum inſolitam venuſtatem, pulcherrimumque & abſolutiſſimum linguæ genus, Angelicam venuſtatem, Angelicam linguam dicimus *(d)*. Si linguâ uterentur Angeli, hac omnino uterentur.

Origenes *(e)* & Rabbini *(f)* linguas inter homines uſitatas poſt Babelis tumultum, ab Angelis inventas aſſerunt. Vide *Geneſ.* XI, 7, 9. Angelos etiam, cum veterum pleriſque, corporeâ naturâ donant: quo poſito, abſurdum non eſt dicere, illos quodam linguæ genere uti, quemadmodum in Cœlis poſt Reſurrectionem Beatorum corpora, cum animabus conjuncta, linguâ omnibus notâ perſpectâque loquentur, qua Deum concordibus vocibus tollent. Hanc fortaſſe linguam ſignificat Apoſtolus *(g)*.

Scribit Pſellus *(h)*, cùm ad uniuſcujuſque provinciæ regimen ac tutelam ſinguli Angeli deſtinati fuerint, ſingulis hiſce creditæ ſibi gentis linguam eſſe diſcendam: atque hinc fieri, ut Græcè apud Græcos, apud Chaldæos Chaldaicè reſponſa darent. Momenti alicujus eſſent hujuſmodi argumenta, ſi mutua hominum Angelorumque conſuetudo per ſermonem necteretur: at cùm hæc prorſus ſpiritalis ſit, negamus opus eſſe, ut Angeli calleant linguam hominum curæ ſuæ creditorum. Neque, quòd, ubi ſe hominibus ſpectandos exhibent, vulgari ipſorum linguâ utantur, idcirco credendum eſt, ullius laboris illis, ut nobis, eſſe, ignotam linguam uſurpare: quod hominibus ſtudium, id Angelis acerrima mentis ſubtilitas nullo negotio præſtat. Hìc tamen omnino agitur de linguâ Angelorum inter ſe loquentium: procul dubio autem eſt, illos neque diſtincto ſermone, neque ſignis ſenſui obnoxiis egere, ut ſenſa ſua cæteris explicent.

FACTUS SUM VELUT ÆS SONANS, AUT CYMBALUM TINNIENS. Majus mihi meritum apud Deum non eſt, quàm tinnulo æri, aut ſonanti cymbalo: denique, id prorſus inutile eſt. Cymbalum eſt vetus muſices inſtrumentum, galericulo ſimile; ſingula verò ſingulis manibus inſerta, mutuo pulſu, qua parte concava erant, percutiebantur. Vide noſtram Diſſertationem de Muſicis Hebræorum inſtrumentis ad Pſalmos, & Clericum ad Hammondum hìc.

℣. 2. SI HABUERO PROPHETIAM. Singula ſuperna dona perſequitur Apoſtolus, Prophetiam, Sapientiam ſive Myſteriorum cognitionem, Scientiam, Fidem vel conſtantiſſimam, Donum prodigiorum: hæc omnia, ſi charitate Dei & proximorum caream, prorſus inutilia ſaluti ſunt. Ex obliquo autem arguit invidiam, ſeditiones, ſtudium partium, quibus Corinthiorum Eccleſia ſcindebatur, ac proinde expellebatur, vel ſaltem minuebatur charitas, tum ea qua amatur Deus, ejuſque gloriæ ſtudetur, tum ea quæ proximorum ſalutem quærit.

OMNEM FIDEM *(i)*, ITA UT MONTES TRANSFERAM. Alludit ad ea Chriſti verba *(k)*: *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis*. Proverbii genus fuiſſe videtur, cùm quis diceret, montes loco movere, ut res naturæ viribus ſuperior ſignificaretur *(l)*. Ea quippe locutio extraordinaria quælibet prodigia, ac mirificas Fidei vires innuebat. Fides tam valida rarò ſine charitate invenitur: at omnino inveniri poteſt; eaque neque magis carum Deo, neque magis de ſalute ſecurum redderet hominem, qui charitatis expers montes loco moveret *(m)*.

℣. 3. Si

(a) *Iſai.* VI, 3. (b) *Dan.* IV, 11; VIII, 16; *Apoc.* XIV, 18, *& paſſim.*

(c) *Theodoret. hic, & Chryſoſt. Oecumen.*

(d) *Eſt. Tir. Men. Piſc. Sclater. alii.*

(e) *Origen. homil.* XI *in Num.*

(f) *Targum Jeroſol. & Rabb. paſſim.*

(g) *Bochart. Phaleg, lib.* 1, *c.* 15, *p.* 52.

(h) *Pſell. de Operationib. Dæmonum;* Ἐπεὶ δὲ καθάπερ ἐν Ἀγγέλοις ἔθνων ἑτέροις ἕτεροι προστήκασι. Ἄλλοι ἄλλοις συμπαρεδρεύουσι, ἕκαστοι τὰς ἑκάστων ἐξησκῆσθαι γλώττας, *&c.*

(i) *Omnis fides, ideſt, perfecta fides. Vide* 2 *Cor.* 1, 3; *Epheſ.* 1, 3, 8; *Coloſſ.* 1, 9; 1 *Timot.* 1, 15, *&c.*

(k) *Matth.* XVII, 19, 20.

(l) *Grot. Glaſſ. Ligfoot.*

(m) *Vide Eſt. in hunc locum, & PP. ab eo citatos, & Theodoret. ad* ℣. 3.

℣. 3. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

℣. 4. Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur,

℣. 5. Non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum,

℣. 6. Non gaudet ſuper iniquitate: congaudet autem veritati:

COMMENTARIUS.

℣. 3. SI TRADIDERO CORPUS MEUM, ITA UT ARDEAM (n). Ipſum etiam Martyrium, a Dei & proximorum charitate ſejunctum, in æternæ ſalutis finem nihil confert. Qui extra Eccleſiam, hæreſi, ſchiſmate, odio proximorum, peccati amore detenti, nullâ de peccatis pœnitentiâ, martyres fiunt, ſalutem non conſequuntur (o). Tunc denique prodeſt Martyrium, ſi ex Dei & proximorum charitate, ac veritatis & juſtitiæ amore proficiſcitur. Satis non eſt, ſi bonam ob cauſam patiaris; opus eſt patiaris ut oportet, ob imperatum a Deo finem, eâque animi habitudine, qua vult Deus. Quàm multi & Philoſophi, & milites, & latrones periculis, morti, ac ſæviſſimis ſuppliciis ſeſe objecere, ſuperbiæ aut gloriæ, ſive injuriæ vitandæ gratiâ?

S. Hieronymus (p) quibuſdam in Exemplaribus legebat: *Si tradidero corpus meum ut glorier*. Hanc lectionem habent Græcus in Manuſcripto Alexandrino (q), Editio Vecheliana, & Cophtica Verſio; at quamvis a S. Hieronymo probata, a cæteris vulgo Interpretibus rejicitur, pugnatque cum Græcis & Latinis Epiſtolarum Pauli Exemplaribus, ac reliquorum Patrum conſenſu.

℣. 4. CHARITAS PATIENS EST. Injurias æquo animo fert: de malis non queritur, neque animo frangitur. *Benigna eſt*, illud ſolummodo quærit, ut bene de cæteris mereatur (r). Aliter planè ac proprius ille malus amor, inter vos regnans, veſtriſque ſtudens commodis, & ſenſibus blandiens. *Non æmulatur*, non invidet alterius bonis, neque proximorum virtuti.

NON AGIT PERPERAM, temerè, abſque conſilio (s). Reddunt alii (t): *Non miſcetur iis quæ ſibi non conveniunt*. S. Chryſoſtomus (u), Theophylactus, & plerique uſurpant de temeritate ac præcipiti ratione agendi, quæ gravitati, prudentiæ, conſtantiæ opponuntur. Impurus amor vagus eſt, præceps, levis: aliter charitas. *Perperam* vox eſt Latinis vulgo cognita; at Græcum *perperevemai* in vetuſtis Græcis non legitur; quamobrem locus conjecturæ eſt, ex Latino proficiſci. Porrò Latinè *agere perperam* eſt temerè atque inconſultè agere; at Græcæ vocis ſignificatio eſt multo latior, ſonatque gloriari, in ſuperbiam efferri, ingenium ſive eloquentiam jactare (x); atque hæc genuina eſt loci hujus ſignificatio. Charitas inanem exiſtimationem non captat, neque laudibus ſuis gloriatur.

℣. 5. NON EST AMBITIOSA. Hæc lectio apud S. Ambroſium, S. Auguſtinum, ac Latinum vetuſtorum Codicum S. Germani & Claromontani non habetur (y). At Græcus in libris impreſſis & manu exaratis fert (z): *Non eſt faſtidioſa* (a); nihil aſpernatur: contemptum æquo animo fert; viliſſima quæque munera amplectitur (b). Aliter: Nihil turpe, nihil indignum agit, non aſſentatur. Alii (c): *Cavet quicquam agere, quod vel opinione hominum turpe ſit*; cynicum non agit: modeſta eſt ac verecunda. Id verò opponitur arrogantiæ eorum, qui in ſuperbiam efferebantur, quærebantque in cœtibus dominari, ac turbas excitabant. Vide infra, XIV, 40.

NON QUÆRIT QUÆ SUA SUNT, ſua ipſius commoda cum fratrum pernicie. Unicum illi propoſitum eſt Dei gloria, & cæterorum utilitas. Rerum ſuarum, ſuæque tranquillitatis detrimentum mavult, quàm ſua commoda cum detrimento cæterorum.

NON IRRITATUR (d). Non facilè iraſcitur; iræ impetum ac vim coërcet: diu iram non ſervat, neque malis illius deſideriis obtemperat. Lenis eſt ac patiens.

NON COGITAT MALUM (e): ſuſpicax non eſt; vel abſolutè, malas animo cogitationes non fovet; ſive, mala nulla meditatur. Bonam in partem omnia interpretatur; malum, quod in altero videt, pro viribus excuſat (f). Simultatem iramve adverſùs fratres animo non nutrit (g).

℣. 6. NON GAUDET SUPER INIQUITATE. Pauperis oppreſſione, & iniquâ in fratrem vi dolet. Miſeret illam ærumnarum illius; ſeu denique animo cruciatur, cùm illum peccare videt (h). *Congaudet veritati*: gaudet, quòd cæteri in juſtitiâ, veritate, charitate proficiant (i): magnoperè lætatur, quòd rectus ordo, veritas, æquitas

(n) Veteres plerique legunt: *Si tradidero corpus meum ut ardeam*; omiſſo *ita*. Græcus: Ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι. (o) *Vide Auguſt. ſerm. olim 50 de Verbis Domini, nunc 138, cap. 2; Hieronym. Comment. ad Gal. v.* (p) *Hieronym. in Iſai.* LVIII; *& ad Galat.* V. (q) Ἵνα καυχήσωμαι, pro, ἵνα καυθήσωμαι. (r) Χρηστεύεται. *Theophyl.* Χρηστὸν ἦθος καὶ ἄκακον ἐνδείκνυται. (s) Ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται. *Theophyl.* Οὐ προπετεύεται. πέρπερος γάρ ἐστι ὁ μετεωριζόμενος, ὁ κοῦφος, ὁ βλακευόμενος. (t) *Theodoret.* Οὐ πολυπραγμονεῖ τὰ μὴ ἀνήκοντα. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ περπερεύεσθαι. (u) *Chryſoſt. hic, homil.* Οὐ περπερεύεται, τουτέστιν, οὐ προπετεύεται, καὶ γὰρ ευσταθῆ ἐργάζεται τὸν ἀγαπῶντα, καὶ βαρὺν, καὶ βεβηκότα. (x) *Vide Hammond. Le Clerc. Caſaubon. Vatab. Lud. de Dieu, Heſych.* Περπερεύεται, κατεπαίρεται. *Baſil. in definition.* Τί ἐστι περπερεύεσθαι; πᾶν ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται. *Tull. lib.* I, *Ep.* 13, *ad Attic. Ego autem ipſe, Dii boni! quomodo* ἐνεπερπερευσάμην *novo auditori Pompejo? Oecumen. hic*: Οὐκ ἀλαζονεύεται. *Tertull. Non protervum ſapit.* (y) Οὐκ ἀσχημονεῖ. *Auguſt. Non deboneſtatur. Tertull. Non protervit.* (z) *Chryſoſt.* Τὰ ἔσχατα πάσχειν διὰ τὸν ἀγαπώμενον οὐδὲ ἀσχημοσύνην τὸ πρᾶγμα νομίζει. (a) *Vat. Eraſm. Zegor. Sclater. Theodoret.* (b) *Ambroſiaſt. Men.* (c) *Aug. Ham. Grot. Eſt.* (d) Οὐ παροξύνεται. *Tertull. Non incitatur. Alii: Non exacerbatur.* (e) Οὐ λογίζεται τὸ κακόν. (f) *Theodoret. hic.* (g) *Eſt. Men. &c.* (h) *Eſt. Men. Tir. Grot.* (i) *Eſt. Men. Grot. Ham. alii.*

Digitized by Google

℣. 7. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

℣. 8. Charitas nunquam excidit; ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur.

℣. 9. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.

℣. 10. Cùm autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.

℣. 11. Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.

℣. 12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte: tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.

COMMENTARIUS.

tas regnent. Hoc porrò maximum eſt & Juſtorum in hac vitâ *(k)*, & Angelorum in Cœlis gaudium *(l)*.

℣. 7. Omnia suffert. Vel, ex Græco *(m)*: omnia tolerat, diſſimulat, excuſat *(n)*; bonam in partem accipit; neque aliorum vitia damnat, niſi aut excuſari nequeant aut diſſimulari.

Omnia credit. Sanctitatis faſtigium non eſt, omnia nullo examine aut delectu credere: at ingens eſt ſanctitatis gradus, ſimplicitatem ac ſinceritatem colere, ſuſpicacem ac pavidum non eſſe, ut ii qui nihil credunt, putantque ſibi fraudes undique immioere *(o)*. Pii homines facilè dictis credunt, præſertim ſi alterius laudes audiant. Cùm fallere ſe mentiri neſciant, omnes ſui ſimiles eſſe exiſtimant.

Omnia sperat: de nullius converſione ac ſalute deſperat; cùmque homines vel a Deo alieniſſimos ad Deum reverſuros ſperet, illos amat, non quales modò ſunt, ſed quales futuros exiſtimat. *Omnia ſuſtinet*; mala ſibi irrogata, injurias, calumnias, moroſitatem fratrum: minimè tamen vitia, libidines, flagitia, convicia in Deum: his non aſſentatur, ſed pro viribus corrigit. Tria hæc poſtrema nonnulli ad Deum referunt *(p)*. *Charitas omnia credit*, quæ tradidit Deus; *omnia ſperat*, quæ promiſit; *omnia ſuſtinet*, ſive expectat ex Dei benignitate; promiſſa expectando non fatigatus. Prior tamen explicatio cum Apoſtoli propoſito magis convenit.

℣. 8. Charitas nunquam excidit *(q)*. Superna dona, de quibus actum eſt, ad certum usque tempus perſeverant; neque vitæ hujus fines prætereunt: quippe in Cœlo neque Prophetia eſt, neque donum ſcientiæ, neque prodigiorum facultas, neque linguarum copia. Charitas una in Cœlo æternum ſtat, ac ſupremum perfectionis faſtigium attingit. In Cœlis nimirum toto corde atque animo, totisque viribus Deum diligemus. Varius adeò tunc futurus eſt ſcientiæ ac ſapientiæ modus tum copiâ rerum, tum magnitudine, tum perfectione, ut hujus vitæ ſcientia & ſapientia penitus deſtructæ dici queant *(r)*. Nulla tunc in cognitionibus dubitatio, nulla ſapientiæ infirmitas aut metus *(s)*. Res effectas in causâ ipsâ intuebimur; omnia in Deo videbimus, ejusque lumine omnia cognoſcemus. Quæ utilia in terris didicerimus *(t)*, perfectiſſima exiſtent, vitio prorſus vacua.

℣. 9. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Quicquid in nobis eſt aut ſcientiæ aut Prophetiæ, imperfectum eſt. Divinis hiſce donis perpauci inſtruuntur; quique illa obtinuere, abſolutiſſima non poſſident. Vide quæ diximus in ſuperiorem verſiculum.

℣. 11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus. Antequam me Deus Fidei lumine illuſtraret, rerum præſtantiam ex illarum ſplendore ac præſenti utilitate dimetiebar: at Divino lumine illuminatus, aliter ſenſi. Nobiliſſima certè ſunt Prophetia & linguarum donum: at multo plurimi facienda eſt charitas. Aliter: Dum vivimus, plerumque circa Divinas res pueris ſimiles ſumus, intelligendi vi & delectûs facultate deſtituti. At in alterâ vitâ ipſam rerum naturam cognoſcemus, veramque illarum æſtimationem intelligemus *(u)*.

℣. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate *(x)*. Duo cognitionis humanæ vitia hîc complectitur. Speculo cognitionis inconſtantia, ænigmate obſcuritas ſignificatur. Speculum non res ipſas, ſed rerum imaginem fugacemque umbram exhibet: ænigma obſcurum eſt ac dubium. Talis eſt noſtra, dum vivimus, ſcientia: at in alterâ vitâ omnia coram, perſpicuè, perſeverantes, abſolutiſſimè intuebimus. Non modò Deum *(y)*, primum ac præcipuum noſtræ cognitionis & beatitudinis argumentum, ſed omnia quoque myſteria, & quidquid in Divino hoc lucis fonte, primâque exiſtendi atque agendi causâ inſpici poteſt, agnoſcemus.

Alludit Apoſtolus ad Dei verba ad Moyſem

(k) 3 *Joan.* ℣. 4.
(l) *Luc.* xv, 10.
(m) Πάντα στέγει. *Cyprian. ad Quir. lib.* 3, *cap.* 3; *& de Unit. Eccl.* § 3: *Omnia diligit, ex corrupto Græco*, πάντα στέργει.
(n) *Eſt. Menoc. Tir. Grot. Ham.*
(o) *Ita Græci & Latini plerique.*
(p) *Herva. Petr. Lombard. Vide Eſt.*
(q) Ἐκπίπτει. *Theophyl.* διαλύεται, διωκόντας, παύεται. *Tertull. Cyprian. Ambroſiaſter*, *excidet.*
(r) *Vide D. Thom. & Eſt. hic; & Auguſt. de Civit. lib.* 22, *cap.* 29, *n.* 4, 5, 6.
(s) *Sap.* IX, 14: *Cogitationes mortalium timidæ, & incerta providentia noſtra.*
(t) *Hieronym. ad Paulinum: Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cœlis.*
(u) *Eſt. Grot. Tirin.*
(x) *Quidd. Codd.* Ὡς διὰ ἐσόπτρου.... ὡς ἐν αἰνίγματι.
(y) *Theophyl. Oecumen.*

℣. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.

COMMENTARIUS.

ſem (z): *Siquis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſervus meus Moyſes, qui in omni domo meâ fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Modus videndi Deum in alterâ vitâ, cum præſenti collatus, ita eſt uti modus, quo Deum videbat Moyſes, collatus cum modo, quo cæteri Prophetæ Deum ſpectabant, & loquentem audiebant.

℣. 13. NUNC AUTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS: MAJOR AUTEM HORUM EST CHARITAS. Tria, dum vivimus, (α) dona ex Deo habemus, eaque permanentia; Fidem, Spem, Charitatem. Porrò hæ virtutes omnino neceſſariæ ſunt ad ſalutem, aliter atque cætera dona divinitus data, quæ neque neceſſaria ſunt, neque permanentia. Cenſent alii (β), τὸ *nunc* hoc loco non tempus ſignificare, ſed connexionem ſententiæ ſtatim conſequentis; atque hoc ſenſu in Novi Teſtamenti Libris uſurpatur (γ). Prophetia, donum linguarum, ſcientia aliquando abolenda ſunt: at Fides, Spes, Charitas ſtabunt: quo autem pacto? nimirum effectu. Quod credidimus, intuebimur; quod ſperavimus, eo fruemur; quem præſenti in vitâ amare cœpimus, abſolutiſſimâ pleniſſimâque charitate diligemus.

Prior explicatio præferenda videtur; in alterâ enim vitâ jam non exiſtet Fides, cùm perſpicua Dei viſio concedenda ſit: ſpes quoque ceſſabit, habitis iis quæ ſperabantur; charitas denique ſupremum perfectionis ſuæ culmen attinget, re tam diù optatâ fruens (δ). Præſtantior eſt Fide & Spe, I, utilitate; utilis enim & obtinenti & cæteris eſt: II, amplitudine; in omnes quippe latiſſimè effunditur: III, diuturnitate; utpote quæ in alterâ vitâ & in æternitate perſeverat: IV, effectu; nam & Fidei & Spei perfectionem & meritum largitur. Fides abſque Charitate mortua eſt; Spes, mera eſt arrogantia.

CAPUT XIV.

Prophetia dono linguarum anteponenda: donum linguarum inutile, a dono interpretandi ſejunctum. Sanctio de hujuſmodi donorum uſu in Eccleſiâ. Mulier in ſacro cœtu ſileat.

℣. 1. SEctamini charitatem, æmulamini ſpiritalia: magis autem ut prophetetis.

℣. 2. Qui enim loquitur linguâ, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiritus autem loquitur myſteria.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SECTAMINI CHARITATEM. Hæc verba jungenda ſunt cum ſuperioris Capitis fine. Cùm Charitas tantopere præſtet, nedum ſupernaturalibus ac perſpicuis Divini Spiritûs donis, verùm etiam Fidei ac Spei; illam igitur ſtudioſiſſimè omnique niſu quærite. Quod ad ſupernaturalia dona, de quibus diſputavi, Deum rogate, ut Prophetiæ donum vobis largiatur; omnium quippe ex iis, quæ Fidelibus tribuuntur, eſt præſtantiſſimum. Apud Corinthios plurimi æſtimabatur donum linguarum (a). Aliter ſentit Apoſtolus, ac Prophetiæ donum linguis anteponit. Prophetia nedum facultatem futura prædicendi, verùm etiam explicandi Legem, verba publicè faciendi, populum ad virtutem exhortandi, Dei laudes Divino œſtro & afflatu canendi, ſignificat. Cur verò Prophetiam cæteris Divini Spiritûs donis anteponit? Fortaſſe quòd aptius eſſet convincendis convertendiſque Gentilibus & Judæis, ac inſtituendis Fidelibus, atque in Fide confirmandis (b). Monet, ut donorum hujuſmodi præſtantiam a publicâ privatâque utilitate, non ab exteriori ſplendore metiantur.

℣. 2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA externâ. Donum linguarum facultatem largiebatur loquendi linguis, quas nunquam didiceras, atque interdum ipſe loquens non intelligebas, vel cæteris patriâ linguâ interpretari non poteras (c). Arabicâ quis, Syriacâ, Scythicâ, Phœniciâ linguâ coram Græcis loquebatur, quin Græcè interpretari poſſet quæ ipſe diceret, tametſi patrius illi ſermo eſſet Græcus. Quamobrem optat Paulus, ut, ſiquis in cœtu eſt, dono linguarum inſtructus, eo non utatur, niſi adſit alius, cui facultas ſit interpretandi ea, quæ externo ſermone dicuntur (d).

Donum linguarum habitus non erat permanens, quo quis pro libito uteretur, ſed tunc ſolummodo, cùm Spiritus Sanctus loquentem afflaſſet: quo afflatu ceſſante, patrius dumtaxat ſermo in promptu erat. At donum interpretandi permanens erat ac fixum. Qui eo inſtruebatur, nunquam non poterat interpretari ea, quæ barbaro ſer-

(z) *Num.* XII, 6, 7, 8.

(α) *Eraſm. Eſt. Verſ. Sclater.*

(β) *Iren. lib.* 2, *cap.* 47; & *lib.* 4, *cap.* 25; *Tertull. lib. de Patient. cap.* 12; *Phot. apud Oecumen. Grot. hic.* (γ) *Joann.* IX, 41; *Act.* VII, 34, 52; XV, 10; XX, 22, 25; XXII, 16; & *paſſim. Rom.* III, 21; VII, 17, &c. (δ) *Clem. Alexand. lib.* Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος. Πίστις μὲν γὰρ ἀπέρχεται, ὅταν αὐτοψίᾳ πεισθῶμεν ἰδόντες τὸν Θεόν. Καὶ ἐλπὶς ἀφανίζεται, τῶν ἐλπισθέντων ἐρχομένων. Ἀγάπη δὲ εἰς πλήρωμα συνέρχεται, καὶ μᾶλλον αὔξεται τῶν τελείων παραδοθέντων. *Vide & Theodoret.* (a) *Chryſoſt. Theodoret.* & *Sup.* XII, 10, 30; XIII, 5, &c.

(b) *Vide Grot. hic*; & *Chryſoſt. homil.* 35. (c) *Chryſoſt. Theodoret. Ambroſiaſt. Primaſ. Theophyl. Eſt. Cajet.* (d) 1 *Cor.* XIV, 26, 27.

℣. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem.

℣. 4. Qui loquitur linguâ, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat.

℣. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis: niſi fortè interpretetur, ut Eccleſia ædificationem accipiat.

℣. 6. Nunc autem, fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in revelatione, aut in ſcientiâ, aut in prophetiâ, aut in doctrinâ?

℣. 7. Tamen quæ ſine animâ ſunt vocem dantia, ſive tibia, ſive cithara, niſi diſtinctionem ſonituum dederint, quomodo ſcietur id quod canitur, aut quod citharizatur?

℣. 8. Etenim ſi incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?

℣. 9. Ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis; quomodo ſcietur id, quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes.

℣. 10. Tam multa, ut puta, genera linguarum ſunt in hoc mundo: & nihil ſine voce eſt.

℣. 11. Si ergo neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur mihi barbarus.

COMMENTARIUS.

ſermone dicta audiebat: ipſe tamen eo ſermone uti non poterat. Hic tamen intellige id quod plerumque eveniebat; interdum enim peculiari Dei beneficio is qui linguarum dono inſtructus fuerat, interpretandi etiam dono gaudebat, uti uſuvênit Apoſtolis, qui ſacrâ Pentecoſtes die utroque hoc dono abſolutiſſimè cumulati fuere. Eum qui linguas obtinuit, hortatur Apoſtolus, ut interpretandi donum poſtulet (e): & Corinthios arguit, quòd ex eorum cœtu quidam, inani divinarum rerum oſtentatione, linguis ignotis in Eccleſiâ loquerentur, quamvis nemo aut perciperet, aut interpretaretur in cæterorum utilitatem. Lingfooto *loqui linguâ* hoc loco eſt, Hebraicè disputare. Cenſet hic, Judæos ad Chriſtum converſos coram cœtu Hebraicâ linguâ, nemini intellectâ, loqui ſtuduiſſe; ex quo tumultus in cœtu orirentur. Hæc tamen ſententia non multum habet probabilitatis.

Ait Apoſtolus, illos *non hominibus loqui, ſed Deo*, quòd ſcilicet nemo illorum dicta perciperet, unusque Deus animi illorum motus & mentis ſenſa intelligeret; ſecretaque myſteria fruſtra illi patefacerent, quæ nemo aſſequebatur. Eximias fortaſſe preces pronunciatis, & myſteria ſublimia loquimini: at quorſum iſtud, cùm unus intelligat Deus? *Spiritu loquitur myſteria* (f). Spiritu Sancto agitur: at res prorſus ignotas loquitur (g). Aliter: *Spiritu loquitur*, perinde eſt ac ſi non loquatur, ſolâque mente cogitationes concipiat, atque animo tacitus verſet (h).

℣. 3. Qui prophetat, hominibus loquitur. Qui ſermone omnibus noto publicè disputat, Scripturas explicat, aut hortatur Fideles, ſeu denique arcana patefacit, Fideles conſolatur, inſtruit, monet, ad virtutem excitat; hic ſaltem fructum e ſermonibus refert: at qui barbaro ſermone loquitur, nemini utilis eſt. *Semetipſum ædificat*, ſe ipſe inſtruit, nihilque amplius præſtat. ℣. 4.

℣. 5. Volo omnes vos loqui linguis. Nequis ſuſpicetur, donum linguarum a me ſperni: opto unumquemque veſtrûm eo donari: at, ſi detur optio, malo vos Prophetiæ dono inſtrui, quod eſt Eccleſiæ utilius. Beatiſſimum porrò fuerit, utroque gaudere; ac dono linguarum donum interpretandi ſermones adjungere.

℣. 6. Quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in revelatione, &c. Si quis mei ſimilis verba ad vos faciat ſermone barbaro, quorſum is prædicaverit? niſi dicta explanaverit, aliâve ratione vos inſtituerit, prophetiâ ſcilicet, ſcientiâ, doctrinâ. Tria hæc vel pro variis Spiritûs Sancti donis (Vide ſupra, xii, 7, 8), vel pro unâ eâdemque re diverſis vocibus explicatâ, uſurpantur.

℣. 7. Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia; ſi varios non edant ſonos, quid iis canatur dignoſci nequit: ita ſi ignotâ cæteris linguâ disputatis, nemo loquentes percipiet. Quod ſonitûs varietas & concentus tibiæ, id humano ſermoni eſt interpretatio atque intelligentia. Buccinam præter regulam infla, aut quodlibet muſicum inſtrumentum temerè nulloque ordine percute: fragorem edes, aliud nihil; quid enim canas, nemo percipiet. Hoc ipſum dicito de oratione habitâ ſermone barbaro coram ignaris: fruſtra auram moves. Hæc ſententia eſt ℣℣. 8, 9.

℣. 10. Tam multa genera linguarum, &c. Reddi poteſt Græcus (i): *Tot genera linguarum in mundo ſunt, quot gentes; & nulla earum ſine voce eſt*. Iſtæ autem gentes, ſi altera alterius linguam non percipit, ceu barbaræ ſunt mutuo, nul-

(e) *Infra*, ℣. 13. (f) Quædam Exemplaria legunt: *Spiritus loquitur myſteria*. Male. Gr. Πνεύματι λαλεῖ μυστήρια. *Vide Mill.* (g) *Eſt. Grot. Verſt.* (h) *Cajet. Martianay.*

(i) Τοσαῦτα, εἰ τύχοι, γένη φωνῶν ἐστιν ἐν κόσμῳ, καὶ οὐδὲν αὐτῶν ἄφωνον, *Nulla earum (gentium) ſine voce eſt*. Vulg. *Et nihil ſine voce eſt*. Conſentiunt Græca Exemplaria quamplura, in quibus tantùm legitur: Καὶ οὐδὲν ἄφωνόν ἐστι. *Vide Alexand. Clarom. S. Germ. Borner. Vechel. Barb. alii.*

℣. 12. Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem Eccleſiæ quærite, ut abundetis.

℣. 13. Et ideò, qui loquitur linguâ, oret, ut interpretetur.

℣. 14. Nam ſi orem linguâ, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.

℣. 15. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

℣. 16. Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit.

COMMENTARIUS.

nullâque conſuetudine conjunguntur. Ita ſi unosquisque veſtrûm in Eccleſiâ peculiari ſermone, cæteris ignoto, loquitur, barbari quodammodo eſtis audientibus: puta ſi Scytha Græcos, Græcus Scythas alloquatur (k).

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli.

℣. 12. Sic et vos (l), quoniam ſpiritalia dona optatis, utilia deſiderate, & ea quæ Eccleſiæ inſtitutioni ſerviunt. Poſtulate non donum linguarum, parum adeò utile, ſed interpretationem, prædicationem, ſcientiam, quæ magno uſui & cæteris & vobis ipſis eſſe queunt. Cenſet Theodoretus (m), ironicum aliquid hic ab Apoſtolo miſceri, ut Corinthiorum arrogantia coërceatur.

℣. 13. Qui loquitur lingua, oret ut interpretatur, quò utilior ſit Eccleſiæ; iſthæc enim dona flagitantibus ut oportet, largitur interdum Deus. Ex quorumdam Martyrum Actis diſcimus, illos e ſacro Baptiſmatis fonte egredientes poſtulaſſe a Deo dona, quæ ſibi & amicis utiliſſima putabant, ac plerumque impetraſſe. Recentiores nonnulli (n) Græcum reddunt (o): *Qui loquitur linguâ* barbarâ, *oret* Deum in Eccleſiâ, ſed ita *ut* ſimul dicta ipſe vel alius quis *interpretetur*. Hæc explicatio cum conſequentibus convenit.

℣. 14. Si oram lingua ignotâ, spiritus meus orat; mens autem mea sine fructu est. Spiritus hic eſt vel animus, vel aura motu labiorum & linguæ agitata, qua vox efficitur; vel Spiritus Sanctus, hominem afflatum agens; vel naturalis voluntas & affectio. Si editâ voce Deum oro in cœtu Fidelium barbaro ignotoque ſermone, Spiritus qui me agit, mentem meam agitat, atque intra me orat, is efficit, ut preces Deo gratas proferam. *Mens autem mea ſine fructu eſt.* Meas ipſe voces non intelligo, easque cæteris perſpectas reddere nequeo (p). Vel, *Mens*, intelligentia, uſurpatur pro ſententiâ quam pronuncio: inutilia ſunt cæteris animi mei ſenſa, utpote ignota: cæteri quippe cogitationes meas non aſſequuntur. Vel aliter (q): *Si orem linguâ* extraneâ, *ſpiritus meus orat, ſenſus autem animi mei ſine fructu eſt*. Mihi uni oravero; animi mei ſententiæ, mentis meæ ſenſa, verborum ſonus inutilia fuerint audientibus. Opus eſſet, ut quod orans loquor, notâ omnibus linguâ explanarem. Vide ℣. 16.

℣. 15. Orabo spiritu, orabo et mente. Satis mihi non erit animo orare, ſolusque percipere id quod ad Deum loquor: conabor perſpicuum cæteris efficere, ut proſim. Vel, ex ſententiâ eorum, qui cenſent, ſua ipſorum verba non intellexiſſe eos qui barbarâ linguâ loquerentur: Orabo Spiritu Sancto me afflante, atque os movente; at ſimul orabo intelligentiâ dictorum, quam ipſe per me vel per interpretem cæteris exhibebo (r).

℣. 16. Qui supplet locum idiotæ, &c. Græca vox *idiotes*, quam Vulgata reddit *idiota*, plerumque uſurpatur pro homine privato, ut diſtinguitur a Principe ac Magiſtratu: hîc tamen merum Laicum ſignificat, cui nulla eſt in Eccleſiâ dignitas (s). Hujus generis homines fortaſſe in loco Epiſcopis ac Paſtoribus humiliori ſedebant; quique ex Laicis vatidico Spiritu agebantur ut verba ad populum facerent, ſubliniorem locum occupabant, ex quo cæteris eſſent conſpicui. Apud Judæos liturgia incipiebatur precibus, quibus populus reſpondebat, *Amen* (t). Traditum tamen eſt, id nonniſi in Templo Hieroſolymitano fieri conſueviſſe; ubi poſt preces reſpondebat populus: *Benedictus gloria Dominus: æternum regnum nominis ejus*. Interjectionibus hiſce, *Amen*, poſt preces magno animi fervore iteratis, magnoperè fidebant Hebræi (u). Ajunt hi, Cœlorum fores patêre iis, qui contento niſu reſpondent, *Amen*; cum verò qui reſpondet *Amen*, majorem eſſe eo qui bonas preces canit.

E Synagogâ didicit Chriſtiana Eccleſia poſt publicas preces reſpondere, *Amen*. In amplioribus Templis, in quibus univerſa multitudo vocem canentis preces audire non poterat, ſignum dabatur ſudario, ut vel remotiſſimi uno omnes tempore iterarent, *Amen*: ſæpe etiam poſt preces ſubmiſſâ voce recitatas, populus *Amen* elatâ voce reſpondebat. Hoc innuit Euſebius, ubi de Polycarpi martyrio; ac præter dubitationem confirmant Acta S. Pio-

(k) *Ovidius*. (l) Nonnulli, Theodoreto teſte, hæc verba cum ſuperioribus jungunt: *Ero ei, cui loquor, barbarus. Ita & vos. Quoniam æmulatores eſtis, &c.* Commoda explicatio.

(m) *Theodoret.* Αἴτησαι τὸν δεδωκότα σοι τὸ τῶν γλωττῶν χάρισμα, προσθεῖναι καὶ τὸ τῆς ἑρμηνείας, ἵνα προσφέρῃς τῇ ἐκκλησίᾳ τὴν ὠφέλειαν. *Vide Eſt. Men. Tir. alios.*

(n) *Laur. Vall. Cnatchull. Piſc. Verſ. Genev. Grot.* (o) Ὁ λαλῶν γλώσσῃ, προσευχέσθω ἵνα διερμηνεύῃ.

(p) *Eſt. Lyran. Cajet. Carthuſ. Zeger. &c.* (q) *Vide Grot. J. Capell. Cnatchull. Laur. Vall. Men. Tir. alios. Vide & Theodoret.* Ἑτέρᾳ τοίνυν γλώττῃ διαλεγόμενος, καὶ τοῖς παροῦσι μὴ προσφέρων τὴν ἑρμηνείαν, οὐδένα ἔχω καρπὸν ὄνησιν ἐκείνων μὴ δεχομένων.

(r) *Theodoret. hic:* Πνεῦμα τὸ χάρισμα καλεῖ, νοῦν δὲ τὴν σαφήνειαν τῶν λεγομένων. Λέγει δὲ ὅτι προσήκει τὸν ἑτέρᾳ γλώττῃ διαλεγόμενον ... ἢ αὐτὸν ἑρμηνεύειν, ἢ ἕτερον, τοῦτο ποιεῖν δυνάμενον συνεργὸν τῆς διδασκαλίας λαμβάνειν. *Vide Grot. J. Capell. Men. Tir. alios ſupra citatos.*

(s) *Theodoret.* Ἰδιώτην καλεῖ τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον.

(t) *Vide* 1 *Par.* XVI, 36; 2 *Esdr.* VIII, 5; *Psalm.* CVI, *ult. Deut.* XXVII, 15, 16, *& ſequ. &c.*

(u) *Vide Ligfoot. & Lud. de Dieu.*

℣. 17. Nam tu quidem bene gratias agis: ſed alter non ædificatur.
℣. 18. Gratias ago Deo meo, quòd omnium veſtrûm linguâ loquor.
℣. 19. Sed in Eccleſiâ volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam; quàm decem millia verborum in linguâ.
℣. 20. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote.
℣. 21. In lege ſcriptum eſt: Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

S. Pionii. Teſte S. Hieronymo (x), Romæ poſt ſacras preces *in ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboabat*. Laicus, respondens *Amen* poſt ſolemnes preces, inquit Theodoretus (y), meriti precum particeps eſt nihilo ſeciùs quàm qui in cœtu pronunciat.

℣. 17. Tu quidem bene gratias agis; at cæteris id utile non eſt. Ex his & ex dictis conſtat, Pauli propoſitum fuiſſe, ut publicis in precibus lingua omnibus cognita uſurparetur: ac profectò in Eccleſiæ exordio alius ferè ſermo in Liturgiâ non uſurpabatur præter patrium uniuscujusque regionis (z). Toto fermè Occidente Latinus, in Oriente Græcus in uſu erat; quòd ſcilicet duo hæc linguarum genera ab omnibus prope intelligerentur. Neque tamen putaveris, aut in Africâ, aut in Galliâ, aliisque locis innumeros non fuiſſe, præſertim ruſticos, quibus ignotus eſſet Latinus ſermo; vel in Ægypto, Aſiâ, aut alibi, quibus barbarus eſſet Græcus: ſed ſingulis Paſtoribus cura erat privatis inſtitutionibus huic inſcitiæ ſuccurrere, verbaque ingenio plebis accommodare. Noſtrâ verò ætate, qua veteres iſtæ linguæ penitus expiravere, in alias converſæ, adeo ut Latinus ſermo, qui vulgo in Italiâ, Hiſpaniâ, Galliâ, & plerumque in Africâ uſurpabatur, nonniſi ſtudio comparetur; veteres in Liturgiâ linguas ſervavit Eccleſia; permittit tamen, ut ſacræ preces vulgari linguâ legantur; monetque Paſtores, ut Divina Officia vulgari linguâ populo explicent.

Ita ſatis ſe obtemperaſſe Apoſtolo credidit (a); cenſuitque relinquendum non eſſe priſcum ſermonis genus pro veterum linguarum mutatione; frequentiores enim inducendæ eſſent mutationes, ac ludibrio obnoxia eſſent ſacra Myſteria ipſaque Religio, ob vulgarium linguarum, ex vetuſtis naſcentium, diverſitatem & inconſtantiam. Unitatis amor, metusque diſſidiorum perſuaſere, ut novas res in ſermonis uſu fugeret, ne ex ſermonis diverſitate rerum quoque diverſitas inter Fideles gliſceret. Denique, ut unâ in Communione populus ſervetur, maximi omnino momenti eſt unius ſemper linguæ uſum tueri in rebus Religionis ac Liturgiâ.

℣. 18. Omnium veſtrum lingua loquor. Apud Corinthi Eccleſiam quamplures erant Fideles dono linguarum præditi, alius aliâ, nonnulli etiam multis. Scribit Paulus, ſeſe Divino beneficio ſingulis iis linguis loqui (b), at iis ad inanem oſtentationem non uti; ac ſiquando in cœtu Fidelium barbarâ linguâ uſurus ſit, dicta aut per ſe aut per interpretes explicaturum. ℣. 19. *Sed in Eccleſiâ volo quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in linguâ.*

Græcus paulò aliter fert (c): *Gratias ago Deo meo, quòd omnibus vobis magis linguis loquor.* Dono linguarum uberiori quàm vos, & quidem quàm vos unà omnes, inſtructus ſum. Vel ex aliis: Calleo linguas omnium gentium, quæ inter vos audiuntur, & ex quibus Eccleſia veſtra coaleſcit (d).

℣. 19. In Eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui: pauca dicere, quæ ipſe percipiam, notâ mihi & cæteris linguâ unâ tantùm loqui, quàm longas orationes ignoto ſermone contexere (e). Arguit Corinthios, dono linguarum leviſſimè gloriantes. Pro *ſenſu meo*, Græcus habet (f), *intelligentiâ mei*. Alii (g): *Per legem*; errore manifeſto.

℣. 20. Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote. Pueros innocentiâ, non ſimplicitate imitamini: prudentes eſtote, benecordati, ſapientes, præter ſuperbiam, dolum, malitiam. Confer verba Chriſti ad Diſcipulos: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum* (h). Ordinem ne turbate, ait Theodoretus (i), neque inſcitiam ſed innocentiam puerorum imitemini: virorum autem prudentiam, non malitiam ſervate. Vide *Rom.* xiv, 19: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.*

℣. 21. In lege ſcriptum eſt, &c. Scripturas generico nomine *Legem* nuncupat, uti ſolent

(x) *Hieronym. Præfat. lib. 2 in Epiſt. ad Galat.* (y) *Theodoret. in 2 Cor.* 1, 20: Οὐ μόνος ὁ προσευχόμενος ἱερεὺς προσφέρει τὸν ὕμνον, ἀλλὰ καὶ ὁ τὸ ἀμὴν ἐπιλέγων κοινωνεῖ τῆς προσφερομένης δοξολογίας.
(z) *Origen. lib. 8 contra Celſ.* Οἱ μὲν Ἕλληνες ἑλληνικῶς, οἱ δὲ Ῥωμαῖοι Ῥωμαϊκῶς, καὶ οὕτως ἕκαστος κατὰ τὴν ἑαυτοῦ διάλεκτον εὔχεται τῷ Θεῷ, καὶ ὑμνεῖ αὐτὸν ὡς δύναται, καὶ ὁ πάσης διαλέκτου Κύριος τῶν ἀπὸ πάσης διαλέκτου εὐχομένων ἀκούει, *&c.*
(a) *Concil. Trident. ſeſſ. 22, cap. 8: Etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt patribus, ut vulgari paſſim linguâ celebraretur .... Mandat ſancta Synodus ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter miſſarum celebrationem, vel per ſe, vel per alios, ex iis quæ in miſſa leguntur, aliquid exponant.*
(b) *Hieronym. ad Hedibiam, qu. 9: Gratias agit Deo, quòd cunctis Apoſtolis magis linguis loquatur. Qui enim multis gentibus annuntiaturus erat, multarum linguarum acceperat gratiam. Ita D. Thom. Herv. Eſt. alii.* (c) Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν. *Ita legit Syr. & Græci PP. & Hieronym. ad Hedib. loco ſupra citato. Sed illud* μᾶλλον, *magis, omittunt Æthiop. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. alii.* (d) *Vide Menoch. Eſt. &c.*
(e) *Ambroſiaſt. Utilius dicit paucis verbis in aperatione ſermonis loqui quod omnes intelligant, quàm prolixam orationem habere in obſcuro.* (f) *Græc. impreſſ.* Διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι. *Alii:* Τῷ νοΐ μου.
(g) *Marcion, apud Epiphan. hæreſ. 42:* Διὰ τὸν νόμον. *Ambroſiaſt. Per legem. Paulin. Ep. 4, In lege.*
(h) *Matth.* xviii, 3. (i) *Theodoret. hic:* Μὴ ἀντιστρέψητε τὴν τάξιν, μηδὲ τῶν παιδίων τὴν ἄνοιαν, ἀλλὰ τὴν ἀκακίαν ζηλώσατε. Τῶν δὲ τελείων μὴ τὴν πονηρίαν, ἀλλὰ τὴν ἀγχίνοιαν ἔχετε.

Digitized by Google

℣. 22. Itaque linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus.

℣. 23. Si ergo conveniat univerſa Eccleſia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nonne dicent quòd inſanitis?

℣. 24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus.

℣. 25. Occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis ſit.

℣. 26. Quid ergo eſt, fratres? cùm convenitis, unuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.

℣. 27. Sive linguâ quis loquitur, ſecundùm duos, aut ut multum tres, & per partes, & unus interpretetur.

COMMENTARIUS.

lent Novi Teſtamenti Scriptores, & Chriſtus ipſe, qui ſacros omnes Libros eo nomine interdum complectitur (k). Eâ interdum appellatione utuntur etiam Rabbini, teſte Ligfooin. Locus ab Apoſtolo hic recitatus, eſt ex Iſaia, XXVIII, 11, ubi Propheta populo Juda minitatur Dei nomine futurum, ut ignotâ deinceps linguâ illum alloquatur, illique magiſtros det in regione, cujus linguam ignoret. Prophetæ verba recitat Apoſtolus non ex Septuaginta Interpretibus, ſed ſuo more; ac relictia Iſaiæ verbis, illius ſententiam reddit. Adjicit: *Et nec ſic exaudient me;* quæ verba in fine ℣. 12 ejusdem Capitis Iſaiæ leguntur.

℣. 22. LINGUÆ IN SIGNUM SUNT NON FIDELIBUS, &c. Donum linguarum prodigium eſt a Deo inſtitutum ob infidelium converſionem, non in uſum cœtûs Fidelium. Infidelis quis, hominem videns ſcientiarum imperitum ignoto ſermone loqui, & ignota vel ſapientibus myſteria explanare, admiratione percellitur: prodigii perſpicuitate ac vi argumentorum vincitur. At Fideli quorſum utile eſt donum linguarum, præſertim ſi ab inſtitutione & interpretatione ſejungatur? *Prophetia autem non infidelibus, ſed Fidelibus:* ſi ſacræ Scripturæ in Eccleſiis explicentur, celebrentur ſacra Myſteria, Dei laudes canantur, doceantur fratres; iſta porrò inutilia ſunt infidelium converſioni. Uſurpatis utì probata & perſpecta ea, quibus infidelis repugnat: huic ignota loquimini: præstereà non facilè infidelem intra cœtum admittitis. At Fidelis rectam inſtitutionem in iis nanciſcitur, docetur, in bono conſtantior redditur. Ordinem igitur a Providentiâ conſtitutum ne evertatis, neque donum linguarum in cœtu fratrum oſtentetis: Prophetiæ potiùs aut interpretationi operam date.

℣. 23. INTRENT AUTEM IDIOTÆ ET INFIDELES, &c. *Idiota*, utì diximus, variâ ratione uſurpatur. Sunt (l) qui Catechumenos intelligant; alii (m) Ethnicos, qui curioſitate acti Chriſtianorum Eccleſias ingrediebantur. Alii denique probabiliùs illiteratos Fideles (n), qui cùm in cœtum venientes, multos audirent ignotis linguis coram cœtu loquentes miſtim, facere non poterant, quin illos furere aut inſanire cenſerent. Indoctiſſimi etiam Fidelium norunt, nonnullos e Chriſtianis dono linguarum inſtructos eſſe; neque id illis admirationi eſt; ſed tumultu ejus exercitationis offenduntur.

℣. 24. SI AUTEM OMNES PROPHETENT, &c. *Prophetare* hoc loco aliud planè ſignificat a Prophetiâ ℣. 22: hic enim eſt futura prædicere, mentium arcana ſcrutari, abſcondita pateſacere: illic, explicare Scripturas, vel interpretari orationes ignoto ſermone pronunciatas. Prophetia poſteriore hoc ſenſu uſurpata Fidelibus ferè tantùm prodeſſe poteſt, ut ait Apoſtolus ℣. 22. At Prophetia quæ futura prædicit, vel arcana mentium pervidet, ſignum eſt ac prodigium infidelibus convertendis vincendisque opportunum, utì animadvertit Apoſtolus: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus* qui Prophetam agunt, *dijudicatur ab omnibus*, ejusque errorem & infidelitatem omnes arguunt; mentis illius arcana detegunt; flagitia, quæ is penitus deleta ex hominum memoriâ cenſebat, ob oculos illi objiciunt. Tunc verò, ℣. 25, *occulta cordis ejus manifeſta fiunt, & ita cadens in faciem, adorabit Deum*, quem inter vos medium adeſſe ſentiet. Ætate S. Irenæi, ipſo teſte (o), Fideles erant, quibus detegebat Deus quicquid intra hominum mentes abſconderetur.

℣. 26. CUM CONVENITIS, UNUSQUISQUE VESTRUM PSALMUM HABET. Non omnes Fideles ſupernis donis diſtinguebantur, atque inter donatos ingens erat diſcrimen: alii enim aliâ ratione afflabantur. Jubet Paulus, unumquemque in cœtu agere eâ ſapientiâ, modeſtiâ & ordine, ut ſcandalum ac tumultus vitentur: ſingulos ſuo ordine diſputare, omnesque in optimam Fidelium inſtitutionem conſpirare. *Pſalmum habet.* Se agi ſentit, ut ſacrum e Scripturâ Carmen recitet, vel quod ipſe exaravit, vel divino abreptus œſtro aliquod ex tempore effundat. *Apocalypſim.* Prædicendi futura, vel arcana Religionis myſteria, ſive obſcurum Scripturæ locum explicandi facultate donatus eſt.

℣. 27. SECUNDUM DUOS AUT TRES, ET PER PARTES. Cùm plures eſſe poſſent dono linguarum inſtructi, monet, ut ſingulis in cœtibus duo vel tres dumtaxat loquantur, & alter quidem poſt alterum, ſemperque adſit interpres. Ita hic locus vulgò explicatur. Alteram tamen interpretationem patitur Græcus (p): *Si quis linguâ* externâ *loquitur, duo vel ad ſummum tria* genera lingua-

(k) *Joan.* X, 34; XV, 25. *Vide Rom.* III, 19. (l) *Theodoret. Severian. Cajet.* (m) *Grot. Menoch.* (n) *Eraſm. Vatab. Eſt. alii.* (o) *Iren. lib.* 5, *cap.* 6; *& apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 5, *cap.* 7: Πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι. (p) Εἴτε γλώσσῃ τις λαλεῖ, κατὰ δύο, ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς, καὶ ἀνὰ μέρος. *Æth.* γλώσσαις.

℣. 28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſiâ; ſibi autem loquatur, & Deo:

℣. 29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.

℣. 30. Quòd ſi alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat.

℣. 31. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare: ut omnes diſcant, & omnes exhortentur.

℣. 32. Et ſpiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.

COMMENTARIUS.

guarum uſurpet, *& ſingillatim* (q).

℣. 28. Sibi loquatur at Deo. Non contentâ voce disputet, ſed clam intra mentem coram Deo ſecum ipſe revolvat ea, quæ Spiritus Sanctus ſuggeſſerit (r).

℣. 29. Cæteri dijudicent, ſententiam ferant de iis, quæ a Prophetis in Eccleſiâ dicuntur. Ubi quis in Eccleſiâ ſurgeret vaticinaturus, docturusve, aut verba facturus, vel interpretaturus Scripturas, judicabat cœtus, reverâ ne afflaretur (s); jam tunc enim falſi Prophetæ ac deceptores erant, populi credulitate ac ſimplicitate peſſimè abutentes. At ſolebat Deus aliquem inſtruere dono dignoſcendi ſpiritus, ut homo reverà afflatus a non afflato ſecerneretur.

℣. 30. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat, & loquatur alter. Contingebat interdum, ut aliquo disputante, afflaret alterum Spiritus, atque ad loquendum impelleret. Vetat Apoſtolus (t) eſſe inter Corinthios lites aut invidiam; &, afflato altero, priorem modeſtè ſilere jubet, alterumque Divino afflatu loquentem non intercipere. Poſteriori favet Spiritus ſanctus, cùm illum ad loquendum impellat.

℣. 31. Ut omnes discant et exhortentur. Poſtrema hæc vox vel activè vel paſſivè uſurpari poteſt. Qui paſſivè accipiunt, explicant de exhortatione, quam audit univerſa Eccleſia, Prophetis ſive Concionatoribus ſingillatim disputantibus, de ſingulis unoquoque rebus, ut a Spiritu Sancto aguntur. Activè (u) intelligitur de Prophetis, qui ſingillatim in cœtu disputant, atque ordine Fideles exhortantur. Theodoreti ætate (x) adhuc mos in Eccleſiâ ſervabatur, ut Concionatores in ſingulis cœtibus ſinguli alterno ordine loquerentur. Paſſiva uſurpatio magis convenire videtur cum Apoſtoli ſententiâ (y). Reddi poteſt Græcus: *Ut omnes doceantur, & omnes conſolationem accipiant.*

℣. 32. Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. Græci Latinique Patres (z), atque optimi Interpretes (a) explicant: Vis, ut Prophetæ alter alteri cedant, plures unâ ne disputent, ac ſileat prior, ubi alter afflatus fuerit: at quis impellenti Spiritui, atque œſtro agenti reſiſtat? Omnino, respondet Apoſtolus; nam vatidicus Spiritus a Prophetis temperatur. Aliter afflantur veri Prophetæ quàm arioli ac Dæmonis vates, qui vel inviti coguntur loqui, inani prorſus conatu nitentes dæmoni reſiſtere, ipſumque pectore excutere (b). Hi more furentium res ſibi ipſis ignotas loquuntur: at Prophetæ a Deo acti ſedato animo vaticinantur, nullâ agitatione, nullo tumultu; tempusque opportunum expectant, quo vaticinia effundant. Hinc vides Jonam navigantem Tharſum, cùm juberetur Niniven proficiſci (c); Dominumque in Jeremia (d) querentem de Prophetis, quòd metu territi non vulgarent ea, quæ populo tradere jubebantur. Damnantur a Patribus & Eccleſiâ (e) Montaniſtæ, qui veros Prophetas ita extra mentem rapi ajebant, uti Pythones ac Pythoniſſæ in furorem ab Apolline agebantur.

Locum hunc alii aliter uſurpant (f): *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt*; ſcilicet, Prophetæ verè a Deo afflati, judicant ac diſtinguunt, utrùm ii, qui ſeſe Prophetas venditant, reverâ ſint, & ulla ne fraus intercedat; atque hunc in uſum erat *diſcretio ſpirituum*, de qua ſæpe Apoſtolus (g). Aliis denique (h) alia placet interpretatio; Ne ſimul omnes, neque cum tumultu disputent Prophetæ, ſed alter alteri cedat, taceantque priores, ubi alter ad loquendum impellitur. Hæc explicatio optimè componitur cum iis quæ præ-

(q) *Cnatchul.* Cène, projet de traduction, pag. 676.

(r) *Chryſoſt.* Ἑαυτῷ δὲ λαλείτω, Τουτέστι, κατὰ διάνοιαν, ἢ ἠρέμα, καὶ ἀψοφητί. *Grot. Eſt. Menoc.*

(s) *Theodoret. Men. Eſt. &c.* (t) 2 *Cor.* XI, 3, 13; *Galat.* I, 7; & III, 1; V, 7. 8, &c.

(u) *Ita Sedul. Haymo, Lombard. Alii e Latinis.* (x) *Theodoret. hic:* Αὕτη μέχρι τοῦ παρόντος ἡ τάξις ἐν ταῖς ἐκκλησίαις μεμένηκε, καὶ τῶν διδασκάλων οἱ μὲν ἐν ταύτῃ τῇ πανηγύρει, οἱ δὲ ἐν ἑτέρᾳ τῷ λαῷ διαλέγονται. (y) Ἵνα πάντες μανθάνωσι, καὶ πάντες παρακαλῶνται.

(z) *Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. Origen. ad Rom.* VIII; *Hieronym. Prolog. in Iſai.*

(a) *D. Thom. Lombard. Herva. Grot. Eſt. Strig. alii.*

(b) *Virgil. Æneid.* VI:

At Phœbi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum; tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera colla domans, &c.

Lucan. lib. 5:

. . . . Bacchatur demens, aliena per antrum
Colla ferens, vittaſque Dei, Phœbeaque ſerta
Erectas diſcuſſa comas, per inania templi
Ancipiti cervice rotat, ſpargitque vaganti
Obſtantes tripodas, magnoque exæſtuat igne,
Iratum te, Phœbe, ferens.

(c) *Jonæ*, I, & II. (d) *Jerem.* XXIII.

(e) *Vide Hieronym. Præfat. in Iſai. in Nahum, & in Abac. Origen. t. 6 in Joan. & lib. 7 contra Celſ. Chryſoſt. & Baſil. in Pſal.* XLIV, 2, &c. (f) *Calv. Bez. Para.*

(g) 1 *Cor.* XII, 10; & 1 *Theſſal.* V, 21; & 1 *Joan.* IV, 1.

(h) *Camero, Lud. de Dieu, Heinſ. Ligfoot.*

℣. 33. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus Eccleſiis Sanctorum doceo.

℣. 34. Mulieres in Eccleſiis taceant; non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit.

℣. 35. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſiâ.

℣. 36. An a vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos pervênit?

℣. 37. Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.

℣. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

℣. 39. Itaque, fratres, æmulamini prophetare: & loqui linguis nolite prohibere.

℣. 40. Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant.

COMMENTARIUS.

præceſſere & conſequuntur, ac fortaſſe omnium optima & maximè proclivis eſt. Vide ℣℣. 28, 29, 30, 33, 39, 40. &c. Theodoretus interpretatur de Prophetis, qui Prophetis aliis parent, ut Joſue Moyſi, Eliſæus Eliæ, Prophetæ Judæ Eliſæo, Timotheus ac Titus Paulo.

℣. 33. NON ENIM EST DISSENSIONIS DEUS. Quamobrem operam date, ut juſtus ſit inter vos ordo, & Prophetæ mutuo alter alteri obſequantur. Ea eſt Chriſtianæ Religionis mens: id *in omnibus Eccleſiis doceo*. Servatâ explicatione Patrum, qui ſpiritus Prophetis ſubditos eſſe docent, ita ut vaticinentur cùm lubet, ita intelligitur: *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*: qui autem tumultus foret, ſi eodem in cœtu Spiritus idem multos afflaret, ut omnes unà loquerentur? Græcus aliter a Vulgatâ fert (i): *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis, ut in omnibus Eccleſiis ſanctorum*. Verbum *doceo* neque in Græco edito, neque in vetuſtis multis Codicibus legitur: at ferunt plerique alii, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſiaſter.

℣. 34. MULIERES IN ECCLESIIS TACEANT. Verſiculus hic & proximè conſequens in Codicibus nonnullis (k) loco moti ſunt, & poſt quadrageſimum leguntur. Jubet Paulus, fœminas in Eccleſiis ſilere; neque docere, neque exhortari, neque externis linguis loqui. *Docere mulierem non permitto*, alibi idem ait (l). Junge iſta cum ſuperioribus: Quod cunctis in Eccleſiis doceo, ſervate: fœminæ in cœtibus ſilento. Græcus vulgatus legit (m): *Mulieres veſtræ*: at Exemplaria quamplura dumtaxat ferunt: *Mulieri non licet legere in ſynagogâ, propter reverentiam quæ debetur cœtui illi* (n). Mulieri ornamento eſt ſilentium (o). Authoritatis eſt docere; quæ authoritas mulierem non decet. Oportet *ſubditas eſſe, ſicut & Lex dicit* (p): *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*.

℣. 35. DOMI VIROS SUOS INTERROGENT. Nedum non permittit, ut fœminæ in Eccleſiis doceant, verùm etiam vetat interrogare viros in Eccleſiis, aut dubitationum explicationes quærere: id enim verecundiæ ac modeſtiæ non convenit (q). Satis eſto, docentium voces audire, & orare ſecreto, unâque cum reliquis. Siquid rogandum illis ſuccurrit, domi a viris quærant: ſi ſatis eruditi viri non fuerint, Paſtores conſulant. Præſtat id per viros quàm per fœminas fieri, ut excurſiones malæque ſuſpiciones vitentur. Apoſtolus, Capite xi, 5, arguit mulieres, in Eccleſiam aperto capite venientes, eoque habitu orantes: turpe id eſſe illis ait, atque opportunius fore, ſi tonſæ venirent, quàm peplo carentes.

℣. 36. AN A VOBIS VERBUM DEI PROCESSIT? An Eccleſiis omnibus Legem ponere vultis, ita ut cæteri ad vos, tamquam ad Evangelii fontem, omniumque Eccleſiarum primam ac vetuſtiſſimam accedant, intellecturi, quid aliis in locis ſervandum ſit? Acrior hæc ſententia eſt, atque aptiſſima coërcendæ ſuperbiæ Corinthiorum, qui cùm recentiores aliis Eccleſiis eſſent, nemine inferiores eſſe, novoſque mores inducere conabantur. Vos decet id præſtare, quod viſum eſt cæteris Eccleſiis, non legem illis dicere.

℣. 37. SIQUIS VIDETUR PROPHETA ESSE, AUT SPIRITUALIS. Latet ſub hiſce verbis ironia. Hiſce objurgationibus digna erat Corinthiorum ſuperbia. Non negat, Prophetas ac *ſpirituales* eſſe inter Corinthios, homines nimirum donis Sancti Spiritûs præditos; ſed illud vult: Siquis donis hiſce gloriatur ac tumet, *cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata* (r); meque non temerè meoque arbitratu loqui. Nullum hoc argumento validius mihi ſuppetit, quo illos vincam.

℣. 38. SIQUIS AUTEM IGNORAT hæc mandata, IGNORABITUR. Chriſtum audiet dicentem: *Neſcio vos* (s). Inter reprobos recenſebitur. Hinc diſce, quæ ſit Apoſtolorum authoritas, quantoque obſequio excipienda ſint illorum reſponſa. Sunt qui in Græco legant (t): *Siquis ignorat, ignoret*. Diem non dico: ignoret quantum lubet: ſuo ipſe periculo ignoraverit (u): ſatis excuſationis non erit apud Deum ignorantia; ſatis monui.

℣. 39. ÆMULAMINI PROPHETARE, &c. Non jubeo, donum linguarum negligere: utile quippe eſt, præſertim Gentilium converſioni (x): at præſtantius eſt Prophetiæ donum, & Scripturas interpretandi facultas. Vel: Magni facite donum linguarum, neque prohibete ut quis in cœtibus eo utatur (y); adſit modò interpres: at Prophetiæ donum pluris æſtimate, nihilque vobis antiquius eſto, quàm ut in veſtris cœtibus *omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant*, ℣. 40. Ita clauditur hoc caput, ad diſciplinam in cœtibus ſervandam pertinens.

CA-

(i) Ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τῶν ἁγίων. *Ita Clarom. & S. Germ. & alii plures, etiam ex Latinis. Eſt.*
(k) *Clarom. S. Germ. Borner. & Ambroſiaſt.* (l) 1 *Timoth.* II, 12. (m) Αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν. (n) *Maimon. Capell. Ligfoot.* (o) *Sophocl.* Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. (p) *Geneſ.* III, 16. (q) *Turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſiâ. Ideſt: Non decet, inverecundum eſt, &c. Grot. Eſt. Men.* (r) Græca & Latina Exemplaria quamplura omittunt *Mandata*, ἐντολαί. *S. Germ. & Clarom. Borner. Ambroſiaſt.* (s) *Matth.* XXV, 12. (t) Εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω. *Ita Græc. impreſſ. Alii:* ἀγνοηθήσεται, *ignoratur. Ita Clarom. & S. Germ. fortè, ignorator. Mill.* (u) *Eſt. Grot. Men. Tirin.*
(x) *Sup.* ℣. 22, 23. *Vide Chryſoſt. Theod. alios.* (y) *Grot. Le Clerc.*

Digitized by Google

CAPUT XV.

Futuram mortuorum Reſurrectionem probat exemplo Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quam teſtimoniis confirmat. Reſurgendi ordo & modus: corporum ſurrecturorum forma & natura. Mors omnino deſtructa.

℣. 1. NOtum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis,

℣. 2. Per quod & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis.

℣. 3. Tradidi enim vobis in primis, quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas:

℣. 4. Et quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die ſecundùm Scripturas:

℣. 5. Et quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim:

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOTUM AUTEM VOBIS FACIO, &c. In Corinthiis deceptores erant, qui mortuorum reſurrectionem negarent (a). Qui iſti, aut quæ illorum argumenta, ignoratur: at omnino fuiſſe videntur Philoſophi, dogma reſurrectionis tropicè atque allegoricè explicantes, reſurrectionem ſcilicet jam contigiſſe, eamque in regeneratione per Baptiſmum & vitæ converſione conſiſtere. Ex his erant Hymenæus & Philetus, *qui*, ait Apoſtolus (b), *a veritate exciderunt, dicentes, reſurrectionem eſſe jam factam*. Ex Patribus ſecundi ſæculi diſcimus, quamplures tunc fuiſſe malos Chriſtianos & Hæreticos, qui Philoſophiæ principiis occupati, hunc Fidei noſtræ articulum impugnabant. Hanc Judæi æquè ac nos credebant; quamobrem illos hîc non alloquitur Paulus.

℣. 2. QUA RATIONE PRÆDICAVERIM VOBIS, SI TENETIS. Græcus (c): *Quo ſermone annunciavi vobis, ſi noſtis*; vel, *ſi meminiſtis*. Nonnulli omittunt particulam *ſi* (d). *Quo ſermone annunciaverim vobis, tenetis*, ſive, *debetis tenere*. Creditur hîc Apoſtolus revocare in mentem Corinthiis, quibus verbis ipſe mortuorum reſurrectionem illos docuerit, & quo pacto explicaverit Domini ſententias, aliter planè quàm Recentiores quidam interpretabantur. Iſta ne ego vos docui, atque hoc ſibi volebant ſermones mei? *Si meminiſtis*: ironicè, quaſi dicat, tanti momenti rem ex animo cadere neque poſſe neque debuiſſe.

NISI FRUSTRA CREDIDISTIS: niſi obliti jam eſtis quæ dixi, niſi fruſtra credidiſtis, niſi labor meus omnis in caſſum cecidit. Profectò, ſi inſtitutiones meas, & potiſſima fidei veſtræ capita obliti eſtis, fides veſtra inutilis effecta eſt: fruſtra Chriſtianorum appellationem præfertis. Ita etiam reddi poteſt Græcus (e): *Niſi temerè credidiſtis*, abſque conſilio, abſque examine, ut ii qui obvium quidlibet ſtatim amplectuntur, qui tam facilè fidem abjiciunt, quàm facilè exceperunt.

℣. 3. TRADIDI ENIM VOBIS... QUONIAM CHRISTUS MORTUUS EST, &c. Iſaias (f): *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: livore ejus ſanati ſumus*. Chriſti reſurrectio ex præcipuis eſt Religionis noſtræ fundamentis: quamobrem jure de eâ, ceu de depoſito Corinthiis credito, hîc agit Apoſtolus: ſacro, inquam, & inviolabili depoſito, quo potiſſimùm noſtra fides & ſpes innituntur.

℣. 4. ET QUIA RESURREXIT TERTIA DIE SECUNDUM SCRIPTURAS. Chriſti reſurrectionem Scripturæ Veteris Teſtamenti & nunciavere, & figuris exhibuere (g). At trium dierum numerum nulla Scriptura luculentiùs exhibet, quàm Jonæ hiſtoria (h); ad quam alludit Chriſtus, ubi de futurâ ſui reſurrectione loquitur (i).

℣. 5. ET QUIA VISUS EST CEPHÆ, ſeu Petro. Non omnes Chriſti apparitiones numerat Paulus, ſed eas dumtaxat, quas movendis Corinthiorum animis opportuniſſimas credit. Chriſtum apparuiſſe Petro, unus narrat Lucas (k), & ex occaſione; narratâ ſcilicet hiſtoriâ de Diſcipulis duobus in Emmaus proficiſcentibus, eorumque reditu Jeroſolymam, agnito Chriſto. Scribit Evangeliſta, inventos ab his Apoſtolos undecim unà collectos, ex quibus intellexere, Chriſtum prodiiſſe redivivum, ſeſeque Simoni exhibuiſſe.

POST HOC UNDECIM. Contigit id eodem ipſo tempore, quo Diſcipuli duo ab Emmaus reduces rem ſibi in itinere viſam reliquis narrabant (l). Græcus vulgatus legit: *Duodecim*; at veterum quamplures Vulgatæ aſſentiuntur: *Undecim* (m). Undecim recenſet Lucas, quamquam mortuo Judâ, & abſente Thomâ. Paulus numerat duodecim, tametſi decem erant. Id verò nihil negotii faceſſit. Spectat Lucas numerum Apoſtolorum, ex quo Apoſtolicum collegium eo tempore conſtabat: conſuetum illorum numerum, qualis ante

lapſum

(a) *Vide infra* ℣. 12; *& Chryſoſt. Theod. & Grot. hic.*
(b) 2 *Timoth.* II, 18. *Vide & Act.* XVII, 18: *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe, quia Jeſum & reſurrectionem annuntiabat eis.* (c) Τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, εἰ κατέχετε.
(d) *Syr. Clarom.* Ὀφείλετε κατέχειν, *Debetis tenere. Sic Ambroſiaſt. S. Germ. Debetis ſuſtinere. Boerner. G. L. Debetis tenere.* (e) Ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῇ ἐπιστεύσατε. (f) *Iſa.* LIII, 5.
(g) *Vide Iſai.* LIII, 9; *Pſal.* II, 7; XV, 8, 9, 10; *Oſee*, VI, 2, *&c.* (h) *Jonas*, I, 17.
(i) *Matth.* XII, 40; *Luc.* XI, 29. (k) *Luc.* XXIV, 34. (l) *Luc.* XXIV, 36; *Joan.* XX, 19.
(m) *Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Boerner. G. L. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Hieronym. ad Fabiol. manſ.* 6. *Quid. Codd. apud Auguſt. lib.* 3 *de Conſenſ. cap.* 33.

℣. 6. Deinde viſus eſt plus quàm quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam autem dormierunt:

℣. 7. Deinde viſus eſt Jacobo, deinde Apoſtolis omnibus:

℣. 8. Noviſſimè autem omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi.

℣. 9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei.

℣. 10. Gratiâ autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

COMMENTARIUS.

lapſum Judæ fuit, ſpectat Paulus. Vide *Aug. de conſenſ. lib. 3, cap. 33.*

℣. 6. PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS SIMUL; cùm Chriſtus, juſſis Diſcipulis in Galilæam proficiſci, in montem a ſe deſignatum (*n*), ſeſe illis conſpicuum exhibuit, ab iiſque adoratus eſt. Eodem in loco Diſcipulis imperavit, ut Evangelium in omnes latè gentes inſerrent, omneſque baptiſmo tingerent, nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Reddunt nonnulli Græcum (*o*): *Deinde viſus eſt ex alto a quingentis fratribus ſimul eodem tempore;* quaſi Chriſtus poſt Aſcenſionem ſpectandum e Cœlo ſeſe quingentis amplius Diſcipulis exhibuerit. Hanc ſententiam recitant S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Oecumenius, veluti aliorum opinionem, nec refellunt. Addit Apoſtolus, nonnullos ex iis, qui tum ſpectavere Chriſtum, ſuâ ætate adhuc vivere, ut rei teſtes cuilibet eſſe poſſent.

℣. 7. DEINDE VISUS EST JACOBO. Hanc apparitionem omittit Evangeliſta: at ex veteri narratione tradunt Patres, Chriſtum ſeſe ſpectandum exhibuiſſe Jacobo minori, Epiſcopo Jeroſolymitano, cognomine Juſto, fratri Domini. S. Hieronymus (*p*), ex Evangelio Nazaræorum, ſive *ſecundùm Hebræos*, hæc verba recitat: *Dominus autem cùm dediſſet ſindonem ſervo Sacerdotis, ivit ad Jacobum, & apparuit ei: juraverat enim Jacobus, ſe non comeſturum panem ab illâ horâ, qua biberat calicem Dominus, donec videret eum reſurgentem a mortuis. Rurſuſque poſt paululum, Afferte, ait Dominus, menſam & panem: tulit panem, & benedixit ac fregit, & dedit Jacobo juſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis a dormientibus.* Ex hujus loci authoritate colligendum eſſet, Chriſtum Jacobo apparuiſſe ipsâ reſurrectionis die; id quod repugnat Paulo ſcribenti, illum viſum eſſe Jacobo, poſtquam quingentis amplius in Galilæâ fratribus ſe ſpectandum præbuit. Superſtes hoc tempore adhuc erat Jacobus, martyrio affectus ſeptimo circiter poſt hanc Epiſtolam anno.

Hac in apparitione, ſive in alterâ ad omnes ſimul Apoſtolos Chriſtus Sponſæ ſuæ curam Jacobo commendavit (*q*), Eccleſiæ ſcilicet Hieroſolymitanæ, quam ipſe formaverat, illique curandam reliquit; quemadmodum, ex Lege, vir ſine liberis decedens, uxorem fratri relinquit, ut poſt ſui obitum ſibi a fratre liberi procreentur. Denique Chriſtus ipſe Jacobum inſtituit Hieroſolymæ Epiſcopum (*r*). At aliis (*s*) creditur initiatus ſuffragiis Apoſtolorum, obtemperantium electioni, qua Chriſtus ipſe Jacobum huic muneri deſtinaverat.

DEINDE APOSTOLIS OMNIBUS, unâ collectis Hieroſolymæ, ut Chriſti Aſcenſionem ſpectarent (*t*). Apoſtolorum nomine non duodecim tantùm, verùm etiam duo & ſeptuaginta Diſcipuli, eâ appellatione non rarò donati, ſignificantur (*u*).

℣. 8. NOVISSIME OMNIUM, TAMQUAM ABORTIVO, VISUS EST ET MIHI. Abortivum ſe nuncupat Paulus, piæ humilitatis causâ, quippe qui extra ordinem tempuſque deligendis Apoſtolis a Deo conſtitutum vènit. Vocatus ego deinde ſui cum cæteris Apoſtolis, modo prorſus inſolito; intempeſtivè, ut ita dicam, natus, factuſque præco Evangelii quod ignorabam, imò inſectabar; magnoque niſu, ac præter Legem ex matris meæ Synagogæ ſinu effuſus (*x*). Alii (*y*) abortivum ita uſurpant, ut ſignificet viliſſimum atque indigniſſimum Apoſtolorum, qui id nominis non mereatur, & conveniente huic nomini virtute ac ſanctitate careat. Chriſtum vidit Paulus, quo tempore Damaſcum proficiſcens, converſus eſt (*z*). Iterum in Templo, ut ipſe teſtatur cum Judæis diſputans (*a*).

℣. 9. EGO ENIM SUM MINIMUS APOSTOLORUM. Verè ne hoc dicit? qui alibi ſcribit (*b*): *Exiſtimo nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis.* Et (*c*): *Non ſum Apoſtolus? Nonne Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum vidi?* Denique (*d*): *Paulus, Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* Respondeo, non negare, ſe eſſe Apoſtolum, ſed minimum Apoſtolorum ſe dicere: quo autem jure? quia nimirum inſectatus eſt Dei Eccleſiam. Spectat id quod ipſe ante converſionem fuit; ſeque cum cæteris Apoſtolis conſert, non in rebus in Apoſtolico munere geſtis, cùm ipſe maximè omnium laboraverit (*e*), ſed in eo, quod ipſe antea fuit; hoſtis nimirum Eccleſiæ.

℣. 10. GRATIA AUTEM DEI SUM ID QUOD SUM. Cùm igitur Apoſtolicâ dignitate adeo indignus ſim, eam mero Dei beneficio ac peculiari largitione

(n) *Matth.* XXVIII, 16.

(o) Ἔπειτα ὤφθη ἐπάνω πεντακοσίοις ἀδελφοῖς ἐφάπαξ. *Chryſoſt.* Τινὲς τὸ ἐπάνω, ἄνω ἐκ τῶν οὐρανῶν εἶναί φασιν. (p) *Hieronym. Catalog. Script. Eccleſ. in Jacobo. Vide & Sedul. Scot. hic.*

(q) *Vide Hieronym. in Epiſt. ad Galat. Epiphan. hæreſ. 78, cap. 7; Bernard. lib. 2 de Conſid. cap. 8.*

(r) *Euſeb. lib. 7 Hiſtor. Eccl. cap. 19; Chryſoſt. hic, homil. 38; Epiphan. Hieronym. Theophyl. Procl. homil. 22.* (s) *Clem. Alex. apud Euſeb. lib. 2 hiſt. cap. 1; Athan. in Synopſ. Hieronym. de Viris Illuſtr. Ambroſiaſt. in Galat. 5.* (t) *Lyr. Eſt. Men. alii.*

(u) *Chryſoſt. hic:* Ἦσαν γὰρ καὶ ἄλλοι Ἀπόστολοι, ὡς οἱ ἑβδομήκοντα. *Ita & Theodoret. & Hieronym. ad Fabiol. manſione 6; Cajet. Zegec. Eſt.* (x) *Chryſoſt. Theodoret. Ambroſiaſt. Tir. Grot. Sclater. Vorſt. alii.* (y) *Vide Eſt. Vat. Menoc. alios.*

(z) *Act.* IX, 3, 4, 17, *& ſeq. Infrà*, XXII, 6; XXVI, 16. (a) *Act.* XXII, 17, 18, 19.

(b) 2 *Cor.* XI, 5. (c) 1 *Cor.* IX, 1, 2. (d) *Galat.* I, 1.

(e) 1 *Cor.* XV, 10: *Abundantiùs illis omnibus laboravi.*

℣. 11. Sive enim ego, ſive illi; ſic prædicamus, & ſic crediſiſtis.

℣. 12. Si autem Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?

℣. 13. Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit.

℣. 14. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra.

℣. 15. Invenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quòd ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.

COMMENTARIUS.

tione ſum aſſequutus *(f)*. Laudabile vitæ meæ inſtitutum, aut merita mea non ſpectavit Deus, cùm me vocavit, ſed unam pietatis ſuæ miſericordiam; illique gratias ago, quòd ipſius vocatio in me inutilis non fuerit, me ille in laboribus ſuſtinuerit, ejus gratia mihi ſemper adfuerit, me denique conſtantiſſimum omnium reddiderit laborando in opus, ad quod me deſtinavit. Vocationem ſuam, labores, proſperos ſucceſſus tribuit Paulus uni miſericordiæ Dei erga ſe; voluntatiſque cooperationem, & liberi arbitrii vim ſtatuit. *Quomodo ſolent medici potentiam ſuæ artis in deſperatis oſtendere*, ait S. Auguſtinus *(g)*: *ſic Dominus Jeſus Chriſtus, Medicus & Salvator noſter, in deſperato, qui perſecutor Eccleſiæ fuit, oſtendit magnitudinem artis ſuæ.*

Græci codices *(h)*, pro, *Et gratia ejus in me vacua non fuit*, legunt: *Et gratia ejus quæ in me eſt, inanis non fuit.* Vetuſta quædam Latina Exemplaria, & Græca etiam nonnulla *(i)* ferunt: *Gratia ejus in me pauper non fuit.*

ABUNDANTIUS ILLIS OMNIBUS LABORAVI. Nemo me amplius laboravit. Nihil nimium in his verbis eſt. Qui fuerint cæterorum Apoſtolorum labores, ignoramus; at credibile non videtur, graviores fuiſſe, quàm quos Paulus exantlavit; ſive inſtitutas ab eo Eccleſias recenſeas, ſive peragratas regiones, ſive ſtudium & alacritatem promovendæ ubique Dei Gloriæ verbis, geſtis, ſcriptis. Idem ipſe fatetur *(k)*, vulgatum ubique a ſe Evangelium, ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum; ſeque ea dumtaxat loca inſtituiſſe, quæ Chriſti nomen non audierant, ne jacto ab aliis fundamento ſuperſtrueret. Addit, *ſe non laboraſſe, ſed gratiam Dei ſecum (l)*. Neque ſolus ego, neque ſola gratia, ſed ego cum gratiâ, & gratia mecum. Primum quod agit, gratia eſt: ego cum gratiâ cooperor. *Præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum*, ait S. Bernardus *(m)*.

℣. 11. SIC PRÆDICAMUS, cæteri Apoſtoli & ego, Chriſtum ſcilicet reſurrexiſſe, noſque omnes reſurrecturos.

℣. 12. SI CHRISTUS RESURREXIT, QUOMODO QUIDAM, &c. Hi fortaſſe, uti diximus ſupra, ℣. 1, ex Philoſophis erant, philoſophiæ principia ſtudioſiùs ſectantes. Pauli ratiocinatio illud innuit, admiſſâ Jeſu Chriſti reſurrectione, ceu fidei articulo, nullum ſupereſſe dubium de mortuorum reſurrectione. Ita autem exponitur hæc argumentatio. I, Si reſurrexit Chriſtus, jam mortuorum reſurrectio ex iis non eſt, quæ fieri nequeunt: reſurrexit autem Chriſtus: igitur, &c. II, Chriſti reſurrectio nedum noſtræ reſurrectionis exemplar eſt, verùm etiam argumentum & cauſa merens. At qui reſurrexit Chriſtus, idemque beneficium nobis promeruit. Nulla igitur dubitatio de noſtrâ reſurrectione habenda eſt, quemadmodum de illius reſurrectione non dubitatur. III, Chriſtus Jeſus Eccleſiæ ſuæ caput eſt, noſque omnes myſtica ejus corporis membra. Si igitur ille reſurrexit, & nos reſurgemus. Neque inficior ex myſticâ colligi non poſſe naturalem corporis reſurrectionem: at cùm Chriſtus ſuam ipſius reſurrectionem exhibuerit ceu pignus certum reſurrectionis membrorum, mortemque vicerit non ſibi ſolùm, verùm etiam membris, illud certò dici poteſt, integram non fore illius victoriam, expletamque voluntatem, niſi fideles reſurgant.

Adde argumentum eodem e loco ductum, quo res omnino conficitur. Ex Chriſti Reſurrectione miſſio illius, divinitas, veritas promiſſorum certò evincitur: pollicitus eſt autem fore, ut ſuos in vitam revocet *(n)*: revocabit igitur. Atque hac collectione demonſtratur futura reſurrectio nedum Fidelium atque Electorum, verùm etiam impiorum, cùm docuerit Chriſtus, utroſque ſupremâ generalis Reſurrectionis die ſibi Judici adſuturos *(o)*; ac redituros in vitam tum qui bene tum qui male geſſerint, illos coronandos gloriâ, hos judicio damnandos *(p)*.

℣. 13. SI AUTEM RESURRECTIO MORTUORUM NON EST, fieri nequit, NEQUE CHRISTUS RESURREXIT. Si dubia eſt Chriſti Reſurrectio, incerta quoque eſt noſtra *(q)*.

℣. 14. INANIS EST ERGO PRÆDICATIO NOSTRA: INANIS EST ET FIDES VESTRA. Mendaces ſumus, aut falſi Apoſtoli, vel inſani & a ratione aberrantes; voſque temerè creduli fidem incertæ rei adjeciſtis. Nos porrò mendaciorum artifices dici non poſſumus; luculentiſſima quippe noſtræ miſſionis noſtrorumque dogmatum argumenta exhibuimus; voſque damnandi non eſtis aut præcipitis conſilii aut temeritatis in credendo. Chriſtus igitur reſurrexit, noſque ſimiliter reſurgemus.

℣. 15. INVENIMUR AUTEM ET FALSI TESTES DEI. Dei nomine & authoritate male abutimur, dum

(f) *Eſt. Grot. Men.* (g) *Auguſt. in Pſalm.* CXXX, *n.* 7. (h) Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμὲ, οὐ κενὴ ἐγενήθη.
(i) *Clarom. & Borner.* Καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ εἰς ἐμὲ πτωχὴ οὐκ ἐγενήθη. *Clarom. S. Germ. Ambroſiaſt. Gratia ejus in me paupera (ſic) non fuit. Ambroſiaſt. Pauper.*
(k) *Rom.* XV, 19, 20. (l) Græcus: *Gratia Dei quæ mecum eſt:* Ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί. *omittunt ultimum* ἡ *Germ. Clarom. Born. Ambroſiaſt.* (m) *Bernard. de Grat. & lib. Arbitr. Vide Eſt. hic, & D. Thom.*
(n) *Matth.* XXII, 13, 28, 30; *Luc.* XIV, 14; *Joan.* V, 29; *Matth.* XIX, 28.
(o) *Matth.* XIII, 28, 30, 32, 33. (p) *Joan.* V, 29. (q) *Vide Theodoret. Eſt. Grot. Men.*

℣. 16. Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.
℣. 17. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris.
℣. 18. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt.
℣. 19. Si in hac vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.
℣. 20. Nunc autem Chriſtus reſurrexit a mortuis primitiæ dormientium:
℣. 21. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.
℣. 22. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

COMMENTARIUS.

dum authore Deo aſſerimus, reſurrexiſſe Chriſtum, voſque pariter reſurrecturos. Quî autem ſuſpecti vobis eſſe poſſumus de gravi adeò ſcelere, ac perſpicuâ Divini nominis profanatione? Ullum ne vobis locum præbuimus, ut hanc criminationem adversùs nos ſtrueretis? Hæc verba, *ſi mortui non reſurgunt*, apud Veteres quamplures non leguntur (r).

℣. 17. Adhuc estis in peccatis vestris, quibus ablutos vos arbitrabamini Baptiſmo, qui figura eſt Reſurrectionis Chriſti, omnemque vim ex Chriſti morte ac Reſurrectione colligit (s).

℣. 18 Qui dormierunt in Christo, in Chriſtianæ Religionis profeſſione, in fide & ſpe reſurrectionis (t); Martyres (u), qui vitam Jeſu Chriſti causâ profudêre, perierunt. Mortem ſignificat *dormire*; hoc enim verbo in eam ſignificationem uſi ſunt Fideles, quòd futuram Reſurrectionem conſtantiſſimè crederent. Eo utitur Apoſtolus in eamdem ſententiam (x).

℣. 19. Si in hac vita tantum in Christo, &c. Apoſtolorum, Martyrum, piorum denique in hac vitâ ſors plerumque ſunt cruces, probra, inopia, labor. Si nulla poſt hanc vita eſt, miſerrimi omnium procul dubio ſunt: iniquus porrò eſſet Deus, ſi omnium ſanctiſſimi cæterorum miſerrimi forent: altera igitur vita eſt, & mortui reſurgent: ſecus, illorum felicitas foret imperfecta, ſi corpus, quod comes laborum fuit, nullâ mercedis parte gauderet.

Ajebat Porphyrius (y), Apoſtolos lucri causâ terram univerſam peragraſſe; atque omnium viliſſimos commodum ſibi arbitratos vulgare novam legem, ex qua lucrum referrent, quæque impelleret credentes, ut eorum rebus conſulerent: Apoſtolorum prodigia ex veneficio eſſe; hisque ſimilia ab aliis geſta, putà a Magis Ægyptiis; & poſt Chriſtum Jeſum, ab Apollonio Thyanæo, & Apulejo. Magicis igitur artibus prodigia patrabant Apoſtoli, ut mulierculas credulas fallerent, quarum opes ipſi occupabant. Eſto, reſpondet Hieronymiaſter in Pſalmos, Apoſtoli fuerint venefici, miracula lucri causâ patrantes. Cur verò ſeſe crucifigendos dedêre? Cur ſuppliciis & morti ſe objecerunt? An lucri causâ? Quis ob mortuum hominem hilari & libenti animo mortem ſubeat, crucemque ob crucifixum? Noverant illi, Jeſum cruce peremptum fuiſſe, & prodigia defendendæ doctrinæ & divinitatis illius causâ patrabant: quæ iſthæc inſania? Aliqua igitur præter hanc vitam ſpes illis erat. Æterna nimirum præmia præſtolabantur.

℣. 20. Nunc (z) autem Christus resurrexit. De Chriſti reſurrectione minimè dubitatis, eamque nemo ex vobis negat: univerſæ mortuorum collectioni illud eſt Chriſtus, quod conſperſioni primitiæ, a quibus hæc ſancta redditur, & Deo ſacra. Ita cùm Chriſtus reſurrexerit, id certum reſurrectionis pignus Juſtis omnibus eſt (a). *Primogenitus* eſt *mortuorum*: eadem fratribus hac in re, quæ illi, conditio eſt: participes igitur futuri ſunt reſurrectionis. Impii quoque reſurgent: at his reſurrectio neque beneficium futura eſt, neque felicitas; quippe quibus non debetur tamquam membris & fratribus Chriſti: auctarium potiùs erit majeſtatis Chriſti, atque exuberantia meritorum mortis ipſius, qui gloriam ſibi & ex felicitate Juſtorum, & ex impiorum ſuppliciis comparat (b).

℣. 21. Per hominem mors, at per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum Adami peccatum cauſa mortis poſteris omnibus fuit (c); ita æquum eſt, ut Chriſti reſurrectio beneficium reſurrectionis illis promereatur; & Chriſti mors nihilo minùs efficax ſit in hominum ſalutem, quàm Adami peccatum in perniciem fuit. Reſurrectio debetur iis, qui credidere Chriſto, & quibus ipſe promiſit: datur cæteris, infidelibus etiam & malis, miſericordiæ incremento; ſervato juſtitiæ jure, qua punitur ſcelus tum animi tum corporis ſuppliciis, cùm utrumque in ſcelus concurrerit.

℣. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, &c. Homines univerſi in Adamo moriuntur tum animo tum corpore; animo, per peccatum originis; corpore, per naturalem mortem, qua omnes, nemine excepto, & juſti & impii damnati fuimus. Homines univerſi ex parte in Chriſto reſurgent, cùm, nemine excepto, participes futuri ſint reſurrectionis, juſti quidem ut æternâ gloriâ fruantur; impii ut ſuppliciis addicantur æternis. Difficultatem, quæ ex parvulorum absque ba-

(r) *Ambroſiaſt. Iren. lib.* 5, *c.* 13; *Tertull. Syr. Theodoret. Codd. Germ. Clarom. G. L.*
(s) *Rom.* VI, 4. *Vide Theodoret. hic.* (t) *Eſt. Men.* (u) *Theodoret. Grot.*
(x) *Act.* VII, 60; 1 *Cor.* VII, 39; XI, 30; XV, 6; 1 *Theſſal.* IV, 13, 14, 15, *&c.*
(y) *Porphyr. apud Hieronymiaſt. in Pſalm.* LXXXI, *ad finem.*
(z) *Nunc* ponitur pro *ſed.* Vide *Rom.* III, 21; VII, 10; 2 *Cor.* V, 15; VII, 14; XII, 20; XIV, 6.
(a) *Eſt. Par. Piſcat. Sclater. Vorſt. Theodoret. hic:* Τῇ ἀπαρχῇ δὲ πάντως ἀκολουθήσει τὸ φύραμα. *Ita & Chryſoſt.* Εἰ δὲ ἀπαρχὴ, καὶ τούτους ἀναστῆναι δεῖ. *Vide Clem. in Epiſt.*
(b) *Coloſſ.* I, 18; *Apocal.* I, 5. (c) *Vide Rom.* V, 14, 15, 16, 17, *&c.*

℣. 23. Unuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ii, qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt.

℣. 24. Deinde finis; cùm tradiderit Regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.

℣. 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus.

℣. 26. Noviſſima autem inimica deſtruetur mors: Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus. Cùm autem dicat:

COMMENTARIUS.

baptiſmo decedentium exitio, atque ex reprobis, præmium a Chriſto comparatum non aſſequentibus, ducitur, ita diluunt S. Auguſtinus *(d)*, S. Leo *(e)*, aliique Interpretes *(f)* nonnulli, ut Apoſtoli verba arctiore ſenſu explicent: Quemadmodum qui pereunt, omnes per Adamum pereunt; ita qui ſalutem vitamque conſequuntur, per Chriſtum Jeſum conſequuntur. Sive; Quemadmodum ii omnes, qui ad Adamum pertinent, omnes ſcilicet homines, in Adamo moriuntur; ita ii, qui Chriſti ſunt, Electi ſcilicet, in ipſo ad gloriam reſurgent.

℣. 23. Unusquisque in suo ordine. Homines univerſi in ſæculorum exitu reſurgent, non omnes tamen ſimul, & confusè. Alii aliis præcedent. Veteris Legis Patriarchæ & Juſti, Martyres & Electi ante impios ac reprobos reſurgent. Chriſtus Jeſus tamquam major natu, & primitiæ omnium ſimul ad gloriam reſurgentium eſt. Primus ipſe ſurrexit, ejusque reſurrectio noſtræ pignus & argumentum eſt. Nonnulli veteris Fœderis juſti unà cum eo ſurrexere, teſte Evangelio *(g)*: at hi qui primùm cum Chriſto ſurrexere, iterum obdormiere in Domino; ac temporaria ipſorum reſurrectio, generalis reſurrectionis figura & ſpecimen fuit. Supremà demum die homines univerſi eodem omnes tempore unoque ictu oculi reſurgent *(h)*. Primi prodibunt electi, ut ait Paulus *(i)*, reſurgent ſcilicet, antequam coram Chriſto in nubibus procedant; ſoli occurrent Domino, reprobis interim Domini adventum in terrâ expectantibus; eaque profectio, juſtorum ſcilicet, ſuo ordine diſtribuetur. Veteres Patriarchæ, Martyres, Apoſtoli, & qui peculiarem gloriam promeruerint, cæteris electis & Chriſtianis, qui Domini adventum credidere, præibunt *(k)*.

Græcus legit *(l)*: *Quoniam qui Chriſti* ſunt, *in præſentiâ*, vel *adventu ejus*. Qui ad Chriſtum attinent, ejus ſervi & electi, ſupremâ Judicii ejusque adventûs die reſurgent *(m)*. Qui Chriſti ſunt, hoc nomine comprehenduntur veteres Juſti, qui in Chriſtum fidem ac ſpem habuere, antequam is inter homines eſſet, utì animadvertit Theodoretus *(n)*.

℣. 24. Deinde finis. Poſt hanc reſurrectionem nulla deinde mutatio futura eſt, certusque omnibus totâ æternitate ſtatus erit *(o)*. Sunt *(p)* qui cenſeant, redituros tunc in vitam impios reprobosque: at Paulus hîc horum reſurrectionem nonniſi obliquè perſtringit, ſcribens, unumquemque ſuo ordine reſurrecturum.

Cum tradiderit Regnum Deo et Patri. Jeſus Chriſtus, qua homo eſt, donatus fuit a Patre imperio Eccleſiæ, *quam acquiſivit ſanguine ſuo (q)*. In ſæculorum exitu, Chriſtus illud ipſum imperium remittet, Patrisque pedibus ſubjiciet omnes, quos ipſe acquiſivit atque ad ſalutem duxit. Quodlibet tunc imperium, quælibet authoritas ac poteſtas hominum evertetur, omnesque Dei hoſtes ceu ſcabellum pedibus Omnipotentis ſupponentur. Hujusmodi locutiones, e Scripturis hauſtæ, illud ſolummodò innuunt, dæmonis, impietatis, erroris, hominum imperium everſum iri, unumque Deum tum ab Angelis tum ab hominibus & bonis & malis agnitum iri ſupremum Univerſi moderatorem. Hæc porrò Imperia ſupremæ poteſtatis pars ſunt & fluxio. In temporum fine nulla erit authoritatis diviſio & ſciſſio.

℣. 25. Oportet illum regnare, donec ponat, &c. Dixit mox, Chriſtum Jeſum redditurum Patri omne imperium: ſubdit hîc, Filium, qua hominem ſimul & Deum, in Eccleſiâ regnaturum; qua Deum verò, in omnes creatas res totâ æternitate, *donec* Pater inimicos omnes illi ſubjiciat; non quòd ad illud usque tempus regnaturus non ſit, & ſupremâ tantùm Judicii die regnum ſit auſpicaturus; ſed quòd eâ die abſolutius quoddam & perfectius imperium ſit aditurus, quo tempore & dæmones & impii planè Chriſto ſubjicientur *(r)*. *Donec* non ſemper certum ac definitum tempus indicat, ſed aliquando etiam incertum; veluti hoc ipſo in Pſalmo cix, ex quo Paulus ſententiam mutuatur: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. An poſt id temporis regnaturus non eſt, neque in dexterâ Patris ſeſſurus? Et apud Iſaiam *(s)*: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*. Nempe, vos ego morte feriam, ut ſceleris pœnas luatis. Et in Evangelio *(t)*: Joſeph *non cognoſcebat Mariam, donec peperit filium ſuum primogenitum*. Nunquam eâ uſus eſt Joſephus, neque ante neque poſt Jeſu Chriſti ortum.

℣. 26. Novissima inimica destruetur mors *(u)*. Chriſtus Jeſus imperium in homines univerſos exercebit: mors autem inter præcipuos inimi-

(d) *Aug. lib. 13 de Civit. cap. 23; & Ep. olim 28, nunc 166; & Ep. olim 157, nunc 190. Vide & Bedam, & D. Thom.* (e) *Leo Magn. Ep. 23; & ſerm. 15 de Paſſione Domini.*
(f) *Eſt. Hervaus, Tir. alii.*
(g) *Matth. xxvii, 53.* (h) *1 Cor. xv, 52.* (i) *1 Theſſal. iv, 16.* (k) *Vide Tertull. de Reſurrect. carnis: Unusquisque in ſuo ordine, ſcilicet quia & in ſuo corpore. Ordo enim non aliud quàm meritorum diſpoſitor. Eſt. Grot. Tir. Men. Vide & Apocal. xx, 5.* (l) Ἔπειτα οἱ Χριστοῦ, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. *Ita Syr. Ambroſ. Hieronym. Auguſt. Primaſ. Codd. aliqui Latini. Vide Mill. & Eſt.*
(m) *Theophyl. Eſt. Vide 1 Theſſal. iv, 15.* (n) *Theodoret. hic.* (o) *Chryſoſt. Eſt. Menoc.*
(p) *Theophyl. Oecumen. Theodoret.* (q) *Auguſt. lib. de Trinit. cap. 8; Hilar. 11 de Trinit. Victor. Eſt. Tir. hic.* (r) *Theophyl. Oecumen. D. Thom. Eſt.* (s) *Iſai. xxii, 14.* (t) *Matth. 1, 25.*
(u) Ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος, *Ultimus inimicus deſtruetur mors. Ita legunt Tertull. de Reſurrect. carn. cap. 51; Hieronym. in Iſai. xxiv, & xxvii.*

Digitized by Google

℣. 27 Omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.

℣. 28. Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.

℣. 29. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omninò mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?

℣. 30. Ut quid & nos periclitamur omni horâ?

℣. 31. Quotidie morior, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℣. 32. Si (ſecundùm hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

COMMENTARIUS.

micos eſt: cum cæteris igitur deſtruetur: atqui nunquam deſtrueretur, ſi nulla eſſet reſurrectio: futura igitur eſt reſurrectio corporum (*x*), & quidem generalis: secùs, domita non foret mors, atque aliquis eſſet ioimicus, Servatori minimè ſubjectus.

℣. 27. Sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. Ex numero eorum, quæ ſubjecta ſunt Chriſto, omnino excipiendus eſt Pater, qui omnia illi tradidit. Hoc addidiſſe creditur (*y*) Paulus, nequis illum crimioaretur, quòd Chriſtum Patri anteponeret; neve putarent Ethoici, tale Regnum ab ipſo inoui, quale ipſi tribuebant Jovi, qui polſo ejectoque in fortunatas Inſulas Saturno, tom demum Cœlo potitus eſt.

℣. 28. Cum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipsa, &c. Cùm per reſurrectionem inimici omnes Filii deleti fuerint, ipſe demum Filius Patri ſubjicietur. Quî porrò, cùm illi æqualis ſit, uoiusque cum illo ſubſtaotiæ (*z*)? *Ego & Pater unum ſumus*. Subjectus nimirum eſt vel unitate ipsâ utriusque, per quam Filius in Deo eſt, & Deus in Filio, quin Filius illum Patris loco habere deſinat, illiqoe ſubjectus quodammodo eſt, nullo vel æqualitatis, vel potentiæ, vel majeſtatis infinitæ detrimento (*a*); vel Patri ſubjectus ex eo eſt, quòd Eccleſia, myſticum Chriſti Corpus, Patri ſubdita eſt abſolutiſſimè (*b*); vel denique quòd humaoa Chriſti natura, tametſi Verbo per hypoſtaſim conjuncta, inferioris tamen per ſe Divinitati ordinis infinito intervallo eſt, adeoque Patri ſubjecta (*c*).

Ut sit Deus omnia in omnibus, quodlibet genu coram ipſo flectatur, quæque hactenus Dei nomen uſurpaverant, comprimantur omnia & ſubjiciantur: quicquid rerum creatarum in Cœlo terrâque & inferis eſt, divinitatem illius ioſinitamque authoritatem vereatur; Filius ipſe eo modo quo diximus, ſubjectus illi ſit; infinitumque iſtud, abſolutum, æternum, generale imperium nullâ prorſus re perturbetur.

℣. 29. Alioquin quid faciant, qui baptizantur pro mortuis? Si mortui non reſurgunt, nullaque nobis spes poſt hanc vitam ſupereſt, quorſum baptiſmus pro mortuis acceptus? ſive, quorſum luſtrationes, qoibus poſt funera quis abluitur? Ajunt, uſos his luſtrationibus Chriſtianos, ut eluerent ſordes; iisque ſignificatam ceu ſymbolo reſurrectionem (*d*). Cenſent alii (*e*), in uſu fuiſſe, baptiſmo tingi loco hominis, quem Baptiſmi Sacramento non initiatum mors occupaſſet. Locum hunc integrâ Diſſertatione expeodimos.

℣. 30. Ut quid periclitamur omni hora? Si nihil poſt vitam hanc præſtolamur, nullaque expectanda eſt reſurrectio, quorſum tam multis diſcriminibus occurrimus? At, inquies, ſatis præmii non eſt æterna felicitas, ut perpeſſionum omnium pretio compareτur? Tametſi autem reſurrectionem non promitteret Chriſtus, cætera bona, quæ promittit Religio, digna non ſunt, ut ea comparandi causâ, diſcrimina quælibet ſubeamus? Omnino: at quod tunc eſſet corporis præmium? Quorſum tam multis periculis corpus objiceres, ſi mercedis particeps ipſum quoque futurum oon eſſet? Quis de capite, valetudine, quiete periclitari vellet, corpusque frigori, æſtoi, fami, cruciatibus exponeret ob felicitatem, quæ ad ipſum nullâ ratione ſpectaret?

℣. 31. Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres. Jurat Paulus per gloriam, quæ Corinthiorum converſione ſibi apud Deum comparabatur: filii mei eſtis in Chriſto, corona mea, gaudium, gloria, ſuaviſſimum amoris mei ac benevolentiæ argumentum. Quàm verum eſt, vos a me effuſiſſimè amari, tam verè aſſero, me quotidie mori, vel ſaltem paratum eſſe mori: adeò certus ſum de futurâ reſurrectione, tamque hanc vitam nihili facio (*f*). Græca quædam Exemplaria legunt (*g*): *Per noſtram gloriam*; per gloriam, quam ex Fide noſtrâ colligimus. At Vulgatæ Verſioni favent Exemplaria quamplura manu deſcripta, Patresque Græci & Latini (*h*). Alia tamen Latina legunt (*i*): *Propter veſtram gloriam*. Alia: *Pro gloriâ veſtrâ*, errore manifeſto. Colligit hoc ex loco S. Auguſtinus (*k*), per ſe culpâ vacare jusjurandum, cùm Paulus ipſe per gloriam, ex Corinthiorum ſanctitate ſibi provenientem, juraverit.

℣. 32. Si (secundum hominem loquor) ad be-

(x) *Eſt. Tir. alii.* (y) *Theophyl. Theodoret. alii.* (z) *Joan. x, 30.* (a) *Chryſoſt. hic, Theophyl. Oecumen. Ambroſiaſt.* (b) *Athanaſ. lib. de Humanâ Nat. a Verbo ſusceptâ; Theodoret. hic; Greg. Naz. apud Theophyl. Aug. qu. 69, inter 83.* (c) *Hieronym. lib. 3 Dialog. adverſ. Pelagg. cap. 6; Auguſt. lib. 5 contra Maxim. cap. 18; & lib. contra ſerm. Arian. cap. 37, qu. 69, inter 83.* (d) *Vide Ligfoot. hic.*
(e) *Grot. hic. Vide ibidem Tertull. de Reſurrect. carnis, & contra Marcion. & Ambroſiaſt. &c.*
(f) *Vide Grot. Eſt.* (g) Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν. *Ita impreſſi Codd.*
(h) *Ita Steph. Codd. 4; Clarom. & S. Germ. Boerner. Syr. Arab. PP. Græci & Latini paſſim. Vide Mill. & Eſt.* (i) *Ita edit. Sixti V, & quidam alii Vulg. libri. Vide Eſt. hic.*
(k) *Auguſt. lib. 2 de Sermone Domini, cap. 27: & lib. de Verbis Apoſtoli, cap. 28; & Ep. 89, nunc 157, n. 40.*

℣. 33. Nolite ſeduci: Corrumpunt mores bonos colloquia mala.
℣. 34. Evigilate juſti, & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent; ad reverentiam vobis loquor.

COMMENTARIUS.

BESTIAS PUGNAVI EPHESI, &c. Si naturalem dumtaxat vitæ amorem conſulo, quorſum eum beſtiis pugnavi Epheſi, ſi nulla eſt reſurrectio? Cur hisce periculis me objeci, ob inanem alterius vitæ expectationem? Profectò ſi ea, quæ de nobis in vitam revocandis pollicitus eſt Chriſtus, vera non ſunt, fidem nihilo majorem cætera promerentur.

Lis eſt apud Interpretes de hac Epheſinâ Pauli pugnâ cum beſtiis. Aliis *(l)* quippe creditur omnino damnatos, ut cum feris pugnaret, ob eamque rem in amphitheatro expoſitus, quamquam id ſileat Lucas. Alii *(m)* ex ipſo Lucæ ſilentio colligunt, Epheſinam hanc Pauli pugnam eam eſſe, qua is diſcrimen ſubiit ab argentariis fabris, ædiculas vel icunculas Dianæ Epheſiæ conficientibus *(n)*. Hos autem beſtias nuncupat eodem ſenſu, quo Martyr Ignatius *pardos* appellat milites, a quibus ducebatur; ipſumque apud Paulum *(o)* Nero *Leo* dicitur. Hæc tamen opinio, qua parte ad ſeditionis hiſtoriam ſpectat, defendi nequit, cùm ſeditio Epheſina fabrorum in Paulum altero poſt hanc Epiſtolam anno contigerit. Vult etiam Scaliger, legendum in Græco *(p)*: *Si pugnavi cum hominibus ad beſtias Epheſi*. Huic tamen lectioni Codex nullus aut manu exaratus aut vulgatus typis favet. *Beſtias* S. Hieronymus *(q)* interpretatur dæmonas, quorum artibus innumeri in Pauli exitium concitati fuere.

Maximè omnium ſimplex opinio eſt, Paulum beſtiis in Epheſino theatro exponendum fuiſſe, antequam hanc Epiſtolam daret, atque omnipotenti Providentiæ ope diſcrimen evaſiſſe. Idcirco autem neque Lucas in Actis, neque Paulus ipſe, ubi labores ſuos & diſcrimina enumerat *(r)*, hujus rei diſertis verbis meminere, quòd cùm res effectu caruerit, ſilentio prætereunda videbatur. Procul dubio autem hujus loci verba ſonant, beſtiis exponi; atque ita accepere S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſiaſter, S. Cyprianus *(s)*, S. Hilarius *(t)*. Nicephorus *(u)* ex *Itineribus Pauli* longam hujus rei narrationem recitat.

Cùm Paulus ab Epheſi Prætore Hieronymo datus eſſet in vincula, mox beſtiis exponendus, illum mulieres duæ, Tabulla & Artemilla, noctu, Baptiſmum poſtulantes, adiere. Solutis ille vinculis, atque e carcere egreſſus, ad maris litus proceſſit, eaſque ibi baptiſmo initiavit. In carcerem rediens, manus pedeſque iterum vinculis inſeruit, nemine rem ſentiente. Eo deinde expoſito, ſæviſſimus in illum leo immiſſus eſt, qui ſtatim ad illius pedes procubuit; itemque aliæ feræ ſingillatim immiſſæ. Eodem tempore vehementi adeò grandine pluit, ut ſpectatores multi necarentur. Reſipuit Hieronymus, & baptiſmo tinctus eſt. Ita diſcrimen evaſit Paulus. Vetus narratio eſt, at æquè fabuloſa.

MANDUCEMUS ET BIBAMUS, CRAS ENIM MORIEMUR. Laconicum proverbium *(x)*, ab Epicuræis vulgo uſurpatum. Cùm nihil in alterâ vitâ nobis expectandum ſit, volupe nobis ipſi faciamus, neque fruſtra laboribus fatigemur. Septuaginta *(y)* in Iſaia eodem modo loquunt; ex quo colligendum eſt, Paulum ex his potiùs, quàm ex Epicuræis, mutuatum eſſe ſententiam. Suam de reſurrectione ſententiam probat ex abſurdis, quæ ex contrariâ opinione oriuntur.

℣. 33. NOLITE SEDUCI; CORRUMPUNT MORES BONOS COLLOQUIA MALA *(z)*. Hæc vel ex Euripide, utì videtur Socrati Hiſtorico *(a)* & Nicephoro *(b)*; vel ex Menandro, ut ajunt plerique *(c)*, hauſta fuere. Profanorum Scriptorum ſententias interdum recitat Paulus *(d)*. Ne decipiamini, o Corinthii: pernicioſis hiſce hominibus, Reſurrectionem negantibus, aures ne præbetote: hos fugite ceu peſtem, qua mens animuſque veſter vitiari poteſt: anguis prudentiâ cum illis utiminor: nimia ſimplicitas inter homines hujuſmodi tuta non eſt. *Bonos mores*. Græcus *(a)*: Mores ſimplices, faciles deceptu, incautos.

℣. 34. EVIGILATE, JUSTI. Peſtilentes hoſce, Deum ignorantes, Epicuræorum vitam agentes, negatâque reſurrectione quodlibet flagitiorum genus ſectantes, vitate. Græcus habet *(f)*: *Expergiſcimini juſtè, & nolite peccare*. Sive: *Expergiſcimini* ab ebrietate *juſtè*, verè, ex animo, ac deinceps juſtitiam pietatemque colite *(g)*. Statum hominum, reſurrectionem negantium, nuncupat ebrietatem, ignorantiam, ſomnum, divinæ juſtitiæ oblivionem. Profectò in profundos hoſce vortices nemo defertur, niſi cupiditatum ebrietate, ſomno ignorantiæ vel inertiæ, vel denique abſolutâ oblivione promiſſorum & juſtitiæ Dei, qui bona æterna promiſit iis, qui fidem ſervaverint. Animi immortalitas, reſurrectio & præmium juſtis in alterâ vitâ ſervatum arctè adeò cum Divinæ Juſtitiæ notione conjunguntur, ut ha-

(l) *Ambroſiaſt. & Chryſoſt. Theodoret. hic, Piſc. Cornel. alii.*
(m) *Theophyl. Pearſ. Herva. Baron. Grot. Hamm. Eſt. Vide Tertull. de Reſurrect. carn. cap.* 48.
(n) *Act.* xix, 19, 30. (o) 2 *Timot.* iv, 17. (p) Ε'ι κατὰ ἀνθρώπων ἐθηριομάχησα ἐν Ε'φέσῳ, pro κατὰ ἄνθρωπον, *Secundùm hominem*.
(q) *Hieronym. Præfat. in lib.* 3 *Expoſit. Ep. ad Epheſ.*
(r) 2 *Cor.* xi, 24, 25, *&c. Vide* Tillemont, Note 40 ſur S. Paul. (s) *Cyprian. Ep.* 6, *p.* 19.
(t) *Hilar. in Auxent. pag.* 121. (u) *Nicephor. l.* 2, *c.* 25, *Hiſt. Eccleſ.*
(x) *Valla, Eraſm. & Mſſ. quoddam ut ſatuli, apud D. Bernard. de Montfaucon, Diar. Ital. pag.* 212: Λακωνικὴ ἐν ἀρχαίᾳ παροιμία. *Et alii Codd. apud Mill. hic habent ad marginem.*
(y) *Iſai.* xxii, 13. Φάγωμεν, καὶ πίωμεν, αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν. *Hebr.* אכל ושתו כי מחר נמות
(z) Φθείρουσιν ἤθη χρηςὰ ὁμιλίαι κακαί. *Cyprian. Ep.* 55; *& lib.* 3 *Teſtim. Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſima.* (a) *Socrat. lib.* 3, *cap.* 14. (b) *Nicephor. lib.* x, *cap.* 26.
(c) *Ex Menandri Thaide. Grot. Eſt. alii. Hieronym. expreſsè Ep.* 84, *ad Magnum; & ad Demetriad. Ep.* 8, *& quid. Codd. hic, ad marginem. Vide Mill.* (d) *Vide Act.* xvii.... *& Tit.* 1.
(e) Χρηςὰ. *Chryſoſt.* Ε'υξαπάτητα. *Theodoret.* Κοῦφα, *Levia.* (f) Ε'κνήψατε δικαίως, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Α'γνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινες ἔχουσι. *Alii* Ε'κνήψατε, δίκαιοι. *Ita Clarom. & S. Germ. Latin.* Evigilate, juſti. *Auguſt. Ambroſiaſter & Hieronymiaſt. Sed alii Latini Codd. plurimi habent* Juſtè; *& ipſe Ambroſ. in Pſal.* cxviii.
(g) *Eraſm. Grot. Eſt. Theodoret. Theophyl.*

℣. 35. Sed dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?

℣. 36. Inſipiens, tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi priùs moriatur.

℣. 37. Et quod ſeminas, non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, ut putà tritici, aut alicujus cæterorum.

℣. 38. Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & unicuique ſeminum proprium corpus.

℣. 39. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia verò pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium.

℣. 40. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria, alia autem terreſtrium.

℣. 41. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim a ſtellâ differt in claritate.

℣. 42. Sic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione:

℣. 43. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloriâ: Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute:

COMMENTARIUS.

harum altera negari nequeat, illæsâ alterâ.

℣. 35. QUOMODO RESURGUNT MORTUI? Conſtituto reſurrectionis dogmate, diluit objecta. *Quomodo reſurgunt mortui? qualive corpore venient?* Id fieri poſſe, ægrè intelligimus. Jamdiu futurum erit, cùm corpora hominum pulvis merus fuerint: ſi autem corpus hac ipsâ cum præſenti formâ reſurget, eadem ne, quæ nunc, neceſſaria nobis futura ſunt? Ubi igitur promiſſa felicitas?

℣. 36. QUOD SEMINAS, NON VIVIFICATUR, NISI PRIUS MORIATUR. Id corporibus uſuvenit, quod ſemini in terram jacto: ſtatim putre fit ſemen; tum germen ſemine obvolutum explicatur, creſcit, caulem, florem, fructum denique fert. Ita hominum corpora humo excipiuntur, putreſcunt, diu ceſſant: at denique virtute ſuâ Deus cum animâ olim animante conjungit, formamque & vitam illis reſtituit. Veteres Rabbini (h) hac ſeminis comparatione paſſim utuntur, ut reſurrectionem mortuorum doceant. Utitur quoque Chriſtus apud Joannem, XII, 24: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*

℣. 37. QUOD SEMINAS, NON CORPUS, QUOD FRUCTUM EST, SEMINAS. *Seminas nudum granum,* ait Tertullianus (i), *ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpica, ſine munimento ariſta, ſine ſuperbiâ culmi: exurgit autem copiâ fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultu munitum, & usquequaque veſtitum.* Ita credis terræ corpus mortale, corruptioni obnoxium, infirmum: per reſurrectionem proditurum eſt immortale, glorioſum, expers corruptionis.

℣. 38. DEUS DAT ILLI CORPUS, SICUT VULT (k). Rerum initio Deus uniuscujusque arboris ſemen eâ virtute inſtruxit, ut humo priùs exceptum & putre factum, ſe ipſum generet multiplicetque (l). Idem quod tunc, agit adhuc divina voluntas & potentia in arboribus, cæteriſque rebus a naturâ procreatis. Legebant Marcionitæ (m): *Deus dat illi ſpiritum, ſicut vult: ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpiritale: ſeminatur in corruptione, reſurget in incorruptione.* Quæ verba leguntur hîc ℣. 43 & 44, non nihil tamen diverſa.

℣. 39. NON OMNIS CARO, EADEM CARO. Ais: In carne, quales ſumus, reſurgemus? rurſus ne mortales erimus, & obnoxii corruptioni? Nequaquam. Neceſſe non eſt, ut quælibet caro corrumpatur: quàm multa carnis genera in mundo cernimus? Unaquæque caro eſt, at non eadem. Quamobrem quòd caro, qua induimur, mortalis eſt, ex eo non conſequitur, mortalem fore carnem, quacum reſurgemus. In reſurrectione aberunt corruptionis principia, quibus nunc corpora noſtra vitiantur: pœna in Adamum pronunciata, ceſſatura eſt: nulla erit contrariorum humorum miſtio & pugna; pura caro futura eſt, expers corruptionis, glorioſa.

Aliter: Quemadmodum in naturâ diverſæ ſunt animalium carnes; ita in reſurrectione ingens diſcrimen futurum eſt inter Beatorum & Electorum corpora, pro gloriâ, ſplendore, venuſtate, quibus illa veſtientur (n); multoque majus inter Electorum corpora & Reproborum (o).

℣. 40. ET CORPORA COELESTIA, ET CORPORA TERRESTRIA. Verſiculus hic & proximè conſequens, idipſum quod dictum eſt, probant: quemadmodum diſcrimen inter corpora in naturâ eſt, ita futurum eſt in reſurrectione (p); ipſumque diſcri-

(h) *Rabb. Meir, in Gemar. de Synedrio, & R. Hya. Vide Grot.*

(i) *Tertull. de Reſurrect. carn. cap. 52.*

(k) *Græc. impreſſ.* Καθὼς ἠθέλησε, *ſicut voluit. Ita & plures Latini.*

(l) *Geneſ. I, 11.* (m) *Apud Author. Dialog. contra Marcion. ſect. 5, p. 144:* Ὁ Θεὸς δίδωσι αὐτῷ πνεῦμα καθὼς ἠθέλησε, (pro σῶμα) σπείρεται σῶμα ψυχικὸν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. Σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσίᾳ.

(n) *Vide Eſt. Menoc. ex Auguſt. Bedâ, Lombard. Herveo.*

(o) *Tertull. de Reſurrect. carn. cap. 52: Alia caro hominis, id eſt, ſervi Dei, alia jumenti, id eſt, Ethnici. Alia volucrum, id eſt, Martyrum; alia piſcium, id eſt, quibus aqua Baptiſmi ſufficit.*

(p) *Vide Tertull. loc. cit. Ambroſiaſt. Eſt. alios.*

Digitized by Google

℣. 44. Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Si eſt corpus animale, eſt & ſpiritale, ſicut ſcriptum eſt:

℣. 45. Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem.

℣. 46. Sed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpiritale.

℣. 47. Primus homo de terrâ, terrenus: ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.

℣. 48. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.

COMMENTARIUS.

crimen ex ſingulorum meritis, gloriâ, beatitudine orietur: nam *in domo Patris Cœleſtis manſiones multæ ſunt* (q).

℣. 44. SEMINATUR CORPUS ANIMALE, SURGET CORPUS SPIRITALE. *Corpus animale* variè uſurpatur: Patres tamen (r) & Interpretum optimi (s) pro *corpore mortali* uſurpant, ubi opponitur *corpori ſpiritali*, ſcilicet immortali. *Anima* in Scripturis paſſim (t) *vitam* ſignificat, ſive animam ſentientem ac vegetantem, aliam a rationali. Hominis igitur corpus in præſenti hoc ſtatu animale eſt; mortuum verò atque humo conditum, corpus animale eſt quod ſeminatur; non quòd adhuc vivens & *animale* ſit, ſed quòd fuerit, ſuperſtite denominatione. Poſt reſurrectionem, corpus ſpiritale dicitur, non quòd in ſpiritûs naturam tranſeat, ſed quòd comparatum cum animali, quod nunc animamus, agilius futurum ſit, ſubtilius leviuſque, immortale, penetrans, exoneratumque iis omnibus, quibus corruptioni obnoxium, grave, mortuum redditur. In eo animus nullo labore aut impedimento aget; cupiditatum pondus ac libidinum, quibus ad terram trahitur (u), atque ad terrena inclinatur, non ſentiet. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem* (x).

SI EST CORPUS ANIMALE, EST ET SPIRITALE. Hæc verba in quibuſdam Exemplaribus deſunt (y), Græcus legit: *Eſt corpus animale, & eſt corpus ſpiritale*. Plura tamen Græca Exemplaria & Patres nonnulli Vulgatæ aſſentiuntur: *Si eſt corpus animale, &c.*

℣. 45. FACTUS EST PRIMUS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM. Primus homo conditus eſt animatus & vivens. Illum ſpiritu ac vitâ inſtruxit Deus (z); omneſque homines, ex eo genus ducentes, animati ſunt ac vivi, corpus animale habent ac mortale. At Chriſtus Jeſus (a) *noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem*, vivifico ſpiritu cumulatus eſt. Reſurrexit ipſe, cunctiſque Fidelibus ſpiritale corpus in Reſurrectione promiſit. Qui in eo per Baptiſmum ac Fidem orti ſunt, ſi in ejus amore perſeveraverint, ipſius gloriam conſequentur. Primus homo poſteros morti & peccato obnoxios procreavit; ſecundus Adam ſanctos & immortales. *Spiritus vivificans*, quem nobis largitur, vel Spiritus Sanctus eſt (b), quo revocamur in vitam, & immortalitate donamur; vel anima ipſa, qua animamur dum vivimus (c), quæ ſuum in corpus rediens, novâ illud vitâ multo perfectiore complet.

℣. 46. NON PRIUS QUOD SPIRITALE EST, SED QUOD ANIMALE. Adam præceſſit Chriſto, gratiæ peccatum, mors reſurrectioni. Rerum natura ex perfectiſſimis non incipit, Deo res ad perfectionem per gradus ducente. Ita ordine gratiæ, Lex imperfectior eſt Evangelio; prioribus ſuccedunt gratiæ præſtantiores: Deo ſervire incipis per timorem cum inchoato amore conjunctum; per amorem perfectum deſinis. Primus homo corporis animalis pater eſt; Chriſtus, corporis ſpiritalis. Corpus animale ſeminatur in terrâ; reſurgit corpus ſpiritale, & beatâ immortalitate fruitur.

℣. 47. PRIMUS HOMO DE TERRA, TERRENUS: SECUNDUS HOMO DE COELO, COELESTIS (d). Adam primus ex humo conditus, terrenus eſt, craſſus, corruptioni & morti obnoxius; alter, Chriſtus nempe ex Deo Patre genitus a totâ æternitate, naturæ noſtræ exuviis indutus, ac revocatus in vitam, neceſſe eſt ſit cœleſtis, æternus, omnipotens, immortalis. Conſtitutam hic a Paulo veritatem ſubodoratus eſt Philo. *Duplex*, ait (e), *eſt hominum genus, cœleſte & terrenum. Cœleſtis homo, utpote ad imaginem Dei conditus, corruptionis & terrena ſubſtantiæ prorſus eſt expers: terrenus ex dividuâ materiâ conſtat, quam Moyſes pulverem appellavit.*

℣. 48. QUALIS TERRENUS, TALES ET TERRENI. Qualis fuit primus Adam, mortalis, infirmus, innumeris laboribus obnoxius, tales in præſenti vitâ ſunt filii: *& qualis cæleſtis, tales & cæleſtes* filii, immortales, in vitam reſtituti, novâ vitâ viventes. Corpori noſtro, per ſe viliſſimo, novam prorſus formam inducturus eſt, ita ut corpori ſuo glorioſo ſimile efficiat (f). Addit, ℣. 49: *Sicut portavimus imaginem terreni* hominis, *portemus* (Græcus (g) *portabimus*) *& imaginem Cæleſtis*. Quemadmodum omnibus moriendum eſt in Ada-

(q) *Joan.* XIV, 2. (r) *Auguſt. Enchirid. cap.* 91; *lib.* 12 *de Geneſi ad Litter. cap.* 7; *& lib.* 13 *de Civit. cap.* 20; *& PP. Græci.*

(s) *Eſt. Grot. Tir. D. Thom. Cajet. Menoc. alii.* (t) *Geneſ.* I, 20, 24, 30; II, 7; IX, 4, 5; *Levit.* XVII, 11, 14. (u) *Horat. lib.* 2, *ſat.* 2. (x) *Sap.* IX, 15.

(y) Millius & Eraſmus hæc verba hîc ineptè addita arbitrantur. (z) *Geneſ.* II, 7.

(a) *Ita PP. & Interpp. paſſim. Rom.* V, 15, 16, 17.

(b) *Chryſoſt. Theophyl. Method. Oecumen. Tertull. de Reſurrect. carn.* 35; *Ambroſiaſt. hîc.*

(c) *Auguſt. Beda Herv. alii Latini D. Tom. Eſt. Cajet.*

(d) *Græc. impreſſ.* Ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Codices tamen multi & Patres non legunt, ὁ Κύριος. (e) *Philo, Allegor.* Διττὰ ἀνθρώπων γένη, ὁ μὲν γάρ ἐστιν οὐράνιος ἄνθρωπος, ὁ δὲ γήϊνος. Ὁ μὲν οὖν οὐράνιος, ἅτε κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγονώς, φθαρτῆς καὶ συνόλως γεώδους οὐσίας ἀμέτοχος. Ὁ δὲ γήϊνος, ἐκ σποράδος ὕλης, ἣν χοῦν κέκληκεν, ἐπάγη.

(f) *Philipp.* III, *ult.* (g) Καὶ καθὼς ἐφορέσαμεν τὴν εἰκόνα τοῦ χοϊκοῦ, φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου.

℣. 49. Igitur, ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.

℣. 50. Hoc autem dico, fratres, quia caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt: neque corruptio incorruptelam poſſidebit.

℣. 51. Ecce myſterium vobis dico: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.

COMMENTARIUS.

A[illegible]amo, ita omnes in Chriſto Jeſu reſurgemus. Pa[illegible] plerique, & Codices multi (h) favent Vulgat[illegible] [illegible]lterius Adami obedientiam & ſanctitatem imit[illegible] ut reſurrectionis promiſſorumque illius parti[illegible] efficiamur. Favent huic explicationi ea quæ conſequuntur.

℣. 50. CARO ET SANGUIS REGNUM DEI POSSIDERE NON POSSUNT. Carnalis homo, dum talis eſt, Reſurrectione Jeſu Chriſti gaudere nequit. Dum in præſenti vitâ verſamur, atque hoc mortale corpus circumferimus, reſurgere non poſſumus (i). Neceſſe eſt, ſemen creditum ſit priùs terræ, & putruerit, quàm germen & fructum ferat. Vel, morali ſenſu, junctumque cum ℣. 49, ex Vulgatâ (k): *Caro & ſanguis*, acta carnis & ſanguinis, ut opponuntur ſpiritui, rationi ac pietati, Dei Regno nunquam potientur (l); niſi ſpiritus carni ſuccedat, virtus ac pietas, Fides & Charitas operibus carnis, de quibus Apoſtolus (m): *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, &c. Et his ſimilia, quæ prædico vobis, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt.*

℣. 51. ECCE MYSTERIUM DICO VOBIS: OMNES QUIDEM RESURGEMUS, SED NON OMNES IMMUTABIMUR. Reſurrectione donabuntur tum boni tum mali; at mali beatam illam mutationem, quam ſortientur electi, non ſentient. Dei ſcilicet Regnum non poſſidebunt, gloriâ non induentur, neque inſtruentur nobiliſſimis iis proprietatibus, quibus in Cœlo Beati (n). *Ita ut incorruptio omnium reſurgentium ſit, gloria autem atque mutatio propriè Sanctorum*, ait Dydimus apud S. Hieronymum. Optabile iis bonum non eſt Reſurrectio, ſed malorum peſſimum, cùm eò majore ſupplicio proboque idcirco ſint obruendi. Hanc Vulgatæ lectionem, quam explicavimus, ſervant Codices optimi (o), veterumque Patrum quamplures (p); eaque vulgatiſſima ac fermè ſola apud Latinos fuiſſe videtur.

Legunt alii (q): *Dormiemus*, ſive *moriemur omnes, ſed non omnes mutabimur*. Hæc ſententia nullo negotio explicatur ex iis quæ diximus. Univerſi quidem homines morientur, at non omnes ad æternam gloriam reſurgent.

Denique Græcus vulgatus, vetuſtique Codices plerique, Patres & Interpretes ferunt (r): *Omnes quidem non dormiemus*, ſeu non moriemur, *omnes verò mutabimur*. Cùm in terras ſupremâ die venerit Chriſtus, ſuperſtites adhuc homines inveniet, qui vel non morientur, vel ſaltem non putreſcent, ut ii, qui diù antea obierint; *ſed omnes mutabuntur*, & induentur gloriâ, ſi digni fuerint. Ad beatam immortalitatem cum corpore humanis vitiis obnoxio non tranſibunt, ſed mutabuntur, gloriâque induentur non ſecus atque ii, qui ex pulvere ſepulcri reverâ redierint. Hoc Paulus myſterium nuncupat; pertinetque ad ea quæ idem ſcribit infra, ℣. 52, & in primâ ad Theſſalonicenſes, IV, 15, ſupremâ ſcilicet die fore pios homines adhuc ſuperſtites, qui mortem non experti, ſed beatam ſolummodo mutationem, de qua hîc, Chriſto Jeſu ſupremo Judici occurent (s).

Quî verò hoc quod ait Apoſtolus, *Non omnes moriemur*, componatur cum frequenti adeò Scripturarum dictato (t), conſtitutam eſſe omnibus generatim hominibus mortem? Tertullianus (u), S. Chryſoſtomus (x), Theodoretus, S. Hieronymus (y), Theodorus Heracleota, Apollinarius, apud S. Hieronymum in Epiſtolâ ad Minervium & Alexandrum, & Cajetanus ajunt, non omnes morituros, uti velle videtur hic locus. At alii plerique cenſent (z), omnes quidem ad breve tempus mo-

(h) *Vide Var. Lect. Mill. hic.* (i) *Eſt. Grot. Menoc. Tirin. Hammon. Vorſt. Sclater.*

(k) *Vide Auguſt. Epiſt. olim* 146, *nunc* 205, *ad Conſentium; Eſt. alios paſſim, utrumque ſenſum exponentes.* (l) *Vide Rom.* VIII, 13: *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Galat.* V, 16. (m) *Galat.* V, 19.

(n) *Diodor. Tharſenſ. Apollinar. Origen. Dydimus, apud Hieronym. Epiſt. ad Minervium & Alexand. Vide & Auguſt. lib.* 20 *de Civit. cap.* 20; *Tertull. lib. de Reſurrect. carnis. Alii Latini.*

(o) *Claram. S. Germ. Velez. S. Cyrill. teſte Gagn.*

(p) *Tertull. de Reſurrect. carn. cap.* 42; *Hilar. in Pſal.* CXVIII; *Ambroſiaſter hic; Ambroſ. in Hexaëmer. lib.* 4, *cap.* 4; *& lib.* 5, *cap.* 23; *Hieronymiaſt. hic; & Hieronym. Ep. ad Miner. ad finem; Auguſt. plurib. locis, qui in plerique Latinis haberi dicit; qu.* 3 *ad Dulcit. Fulgent. Rufin. Beda, Gennad. Philo Carpat. Vide Mill. hic.*

(q) Πάντες μὲν οὖν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα. *Ita Alexand. Colb.* 7, *Borner. G. L. Codd. Græci aliquot. Titib. Oecumen. Hieronymiaſt. hic; Hieronym. Ep. ad Minervium; Codd. Latini aliqui, teſte Auguſt. lib.* 20 *de Civit. cap.* 20; *qui & Ep. olim* 146, *nunc* 205, *notat eam lectionem fuiſſe Codd. Græc. Æthiop. Didym. apud Hieronym. Epiſt. ad Minervium & Alexand.*

(r) Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Ita Codd. aliqui Gr. teſte Oecumen. Hieronymiaſt. Hieronym. Acacio. Codd. aliqui Latini, teſte Didymo. Mſſ. plerique omnes Græci. Syr. Arab. Origen. Theod. Heracl. Apollinar. Didym. Diodor. Tharſ. Author Reſp. ad Orthodox. qu.* 91, *&* 109; *Theodot. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Auth. Dialog. contra Marcionit. Method. apud Phot. Hieronym. in Iſai.* 51. *Vide Mill. hic.*

(s) *Vide Eraſm. Zeger. Eſt. Grot. Druſ. Vorſt. Piſc. alios plures.* (t) *Geneſ.* III, 19; *Rom.* V, 12; *Heb.* IX, 27: *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem, judicium. hic,* ℣. 22.

(u) *Tertull. de Reſurrect. carnis, cap.* 41, 42. (x) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. &c. hic.*

(y) *Hieronym. Ep. ad Marcellam.* (z) *Vide, ſi placet, Auguſt. lib.* 20, *de Civit. cap.* 20; *Oecumen. hic; alios, maximè e Latinis, apud Eſt. hic.*

℣. 52. In momento, in ictu oculi, in noviſſimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.

℣. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.

℣. 54. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorta eſt mors in victoriâ.

℣. 55. Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt mors, ſtimulus tuus?

℣. 56. Stimulus autem mortis peccatum eſt: virtus verò peccati lex.

℣. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

℣. 58. Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote & immobiles: abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.

COMMENTARIUS.

morituros, ut ſtatim reſurgant. Horum mors ſomnus futura eſt leviſſimus breviſſimusque, alius planè a communi morte, qua corrumpimur, & horroris argumentum efficimur.

℣. 52. In momento, in ictu oculi . . . nos immutabimur; ſive, ad breviſſimum tempus dormiemus, ſtatim reſurrecturi, uti diximus: vel, mortis expertes, ſtatim uno ictu oculi, ex mortalitatis ſtatu ad immortalitatem transferemur, ut Græcis Patribus placet. Nihil hactenus hac de re definivit Eccleſia, atque ex duabus hisce ſententiis alterutram, quæ magis arrideat, ſequi licet.

Tubæ clangor, ab Apoſtolo hîc & alibi *(a)* commemoratus, omnibus ubique terris exaudiendus, quo mortui e ſepulcris revocentur, acris fortaſſe & acutus futurus eſt, qualis olim in vertice Sinaj, Deo Legem Moyſi dante *(b)*; vel quale ſonorum tonitru, Divinæ juſſionis indicium, ac veluti Divina vox, mortuos vocans; quemadmodum Chriſtus Lazarum e ſepulcro evocavit, cùm illum in vitam reſtituit *(c)*.

℣. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem. Ita de corpore loquitur, quaſi pellem digitis prehendens indicansque *(d)*. Corpus hoc ipſum, quod nunc morti obnoxium eſt & corruptioni, aliquando immortalitate induendum eſt, mutatâ, ut ita dicam, naturâ, antequam in Gloriam perveniat. Ex mortali & corruptibili, incorruptum & immortale fiat, neceſſe eſt.

℣. 54. Absorpta est mors in victoria. (55.) Ubi est, mors, victoria tua? Cùm vel reſtituti in vitam, vel mutati fuerimus, uti ſcripſit ſupra, ℣. 51, tunc mortis imperium penitus everſum cadet; impletaque cernentur ea Scripturæ verba: *Abſorpta eſt mors in victoriâ*, ſeu per victoriam. Locus hic ex Isaiâ eſt *(e)*, ubi in Hebræo legimus: *Abſorbuit mortem in perpetuum.* Vel, ex Septuaginta *(f)*: *Abſorbuit mors victrix*; quam verſionem cùm Paulus cum ſententiâ ſuâ componere non poſſet, ad Hebraicam veritatem confûgit, eamque non ad verbum quidem, ſed non præter ſenſum reddidit *(g)*.

℣. 55. Ubi est, mors, victoria tua? Locus hic ex Oſee eſt, ubi in Hebræo *(h)*: *Ero mors tua, o mors; ero morſus tuus, o inferne.* At Septuaginta, Syrus & Arabs aſſentiuntur Paulo *(i)*: *Ubi cauſa tua, o mors? Ubi ſtimulus tuus, inferne*, o ſepulcrum? Aquila & quinta Editio *(k)*: *Ubi ſunt ſermones tui, o mors?* Syrus: *Ubi victoria tua, o mors?* Arabs: *Ubi dolor tuus*, &c. Græca Pauli exemplaria verborum ordinem nonnihil invertunt *(l)*: *Ubi tuus, o mors, ſtimulus? Ubi tua, o inferne, victoria?* Non ſemel animadvertimus, Apoſtolum recitare ex Scripturis ſententias, verbis parum ſtudioſè ſervatis. Poſt generalem omnium reſurrectionem, nullus erit morborum, mortis, corruptionis, ſepulcri metus; iſta quippe Dei Filius in omnium utilitatem abſolutiſſimè ſuperavit.

℣. 56. Stimulus autem mortis peccatum est: virtus (robur) vero peccati Lex. Mortem exhibet Apoſtolus ceu anguem, ſive hoſtem aculeo armatum. Aculeus peccatum eſt. Deo non obtemperans Adam, arma in ſe ipſum ſuppeditavit morti, quæ deinde ipſum invaſit ac feriit. Porrò peccati robur, malignitas, vis in Lege ſita eſt. Quî iſthuc? Lex nimirum Dei vetans, peccato occaſionem præbuit, malâ hominis voluntate ſolicitatâ, detectoque voluntati malo, quod ipſa ignorabat, at minimè ſuppeditatis viribus, quibus illud vitatur & vincitur *(m)*. Vide Epiſtolam ad Romanos *(n)*. Gratia, dum vivimus, unicum præſidium eſt adversùs peccati vires, mortem animæ inferentes; in alterâ autem vitâ, morte ac mortis appendicibus liberi in perpetuum per reſurrectionem efficiemur.

℣. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum. Homines univerſi ſub peccati mortisque ſervitute tenebantur: illos per Chriſtum liberavit Deus; atque ipſe Chriſtus mortem ſubiit, ut neceſſaria ſaluti auxilia ſingulis nobis compararet; reſurrexit, ut reſurrectionis beneficium & gloriam nobis acquireret.

℣. 58. Estote et immobiles: abundantes in

(a) 1 *Theſſal.* iv, 15. (b) *Exod.* xix, 16. (c) *Joan.* xii, 43. (d) *Tertull. de Reſurrect. carnis.* *Cùm dicit, iſtud corruptivum, & iſtud mortale, carnem ipſam tenens dicit. certè iſtud, niſi de ſubjecto, niſi de comparenti pronuntiaſſe non potuit. Ita & Theodoret. hic*: Σαφῶς ἐδίδαξεν ὡς οὐχ ἕτερον ἀνίσταται, ἀλλ' αὐτὸ τὸ φθειρόμενον. Οἷον γάρ τινι δακτύλῳ τῷ λόγῳ τοῦτο αὐτὸ ὑπέδειξε, λέγων, φθαρτὸν τοῦτο, &c. (e) *Isai.* xxv, 8. בלע המות לנצח (f) 70: Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. (g) *Vide Chald. Syr. Arab. & Interpp. in eum locum.* (h) *Osee* xiii, 14. אהי דבריך מות אהי קטבך שאול *Sym.* Ἔσομαι πληγή σου. (i) 70: Ποῦ ἡ δίκη σου, θάνατε, ποῦ τὸ κέντρον σου, ᾅδη. (k) Ποῦ εἰσιν οἱ λόγοι σου. (l) Ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ, ᾅδη, (*alii* θάνατε), τὸ νῖκος; pro, *Ubi eſt, mors, victoria tua?* Veteres multi legunt: *Ubi eſt, mors, contentio tua?* Legebant νεῖκος, pro, νῖκος, Vide *Eſt.* (m) *Eſt. Menoc. Tir. Vorſt. Grot. alii.* (n) *Rom.* iii, 20; v, 13; vii, 8, 9, 10.

IN OPERE DOMINI. Conſtantes eſtote immobileſque, ac ſolertiſſimè in illud incumbite, ut Chriſtiani hominis perfectionem & officia expleatis, cùm docuerim, laborem veſtrum mercede non cariturum, voſque olim in Cœlo glorioſos fore.

CAPUT XVI.

Corinthios monet, ut Palæſtinæ pauperum curam gerant. Pollicetur ſeſe ad illos venturum. Excuſat quòd Apollo non venerit. Timotheum & Stephanæ domum illis commendat. Epiſtolam ſalutationibus claudit.

℣. 1. DE collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite.

℣. 2. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant.

℣. 3. Cùm autem præſens fuero: quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem.

℣. 4. Quòd ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt.

℣. 5. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo.

℣. 6. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hyemabo: ut vos me deducatis quocumque iero.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE COLLECTIS (a) AUTEM, QUÆ FIUNT IN SANCTOS. Ab Apoſtolis in Hieroſolymitano Concilio tradita fuerat Paulo provincia colligendi pecunias, ad pauperes Palæſtinæ mittendas (b). Functus erat ſtudioſiſſimè hoc munere; multaſque colligi juſſerat in Galatiâ & Macedoniâ, atque ipſe unà iturus erat cum iis, qui collectas deferrent. Profectus eſt, eâque in profectione captus eſt a Judæis (c). Galatarum exemplum proponit Paulus Corinthiis, ut illorum charitatem pietatemque excitet erga Hieroſolymitanos fratres, qui multa ex Judæis pertinacibus Chriſtoque inimicis pertulerant.

℣. 2. PER UNAM SABBATHI (d), UNUSQUISQUE VESTRUM APUD SE SEPONAT id, quod pauperibus largiri decreverit. Prima hebdomadæ dies Dominica eſt, nunquam non religioni habita, ſacriſque cœtibus deſtinata apud Chriſtianos, obſequio Reſurrectionis Jeſu Chriſti, quæ eam diem conſecravit (e). Meminit diſertè Tertullianus pecuniæ a ſingulis in Eccleſiæ depoſitum corrogatæ ſingulis hebdomadibus vel menſibus, in uſum pauperum, orphanorum, ſenum; atque adhibendæ in mortuorum ſepulturam, vel ſubſidium Martyrum, in exilium vel ad metalla ejectorum (f). *Modicam unuſquiſque ſtipem menſtruâ die, vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt.* Hæ, de quibus Paulus, in privatis uniuſcujuſque Chriſtiani ædibus ſeponebantur, quòd fortaſſe communis adhuc Eccleſia illis non eſſet, in quam de more convenirent.

℣. 3. QUOS PROBAVERITIS PER EPISTOLAS, HOS MITTAM in Palæſtinam, ut ſtipem collectam deferant. Scilicet, niſi Corinthum ipſe venero, literas ad me datote, monentes, quos elegeritis; eoſque ego Jeroſolymam mittam veſtro nomine & meo. Vel, mutato punctorum ordine (g): *Quos probaveritis, cum literis hos mittam.* Seu denique: Mittam cum literis veſtris & meis. Solebant enim commendatitiæ literæ Fidelibus dari ad Chriſtianos regionum, ad quas ii proficiſcebantur. Hæc explicatio maximè omnium proclivis videtur.

℣. 4. SI DIGNUM FUERIT: ſi ea fuerit pecuniæ ſumma, ut a me ipſo perferenda ſit Hieroſolymam, unâ proficiſcar (h).

℣. 5. VENIAM AD VOS, CUM MACEDONIAM PERTRANSIERO. Ex alterâ ad Corinthios Epiſtolâ (i) diſcimus, decreviſſe Apoſtolum Epheſo ſtatim migrare Corinthum, Corintho in Macedoniam, ex Macedoniâ denuo Corinthum, ac denique in Judæam. At mutatâ ſententiâ, Corinthios inviſere ſtatim noluit, ut tempus Corinthiis relinqueret auferendi vitia, quorum causâ illis ſubiratus eſſe videbatur; neque ſpes illum fefellit. Profectus Corinthum Titus, ſummo obſequio exceptus eſt; rediensque ad Paulum, qui Epheſo in Macedoniam migraverat, ſub finem menſis Maji anni LVII, narravit, quo ſtatu eſſet Corinthiorum Eccleſia. Alteram igitur ad Corinthios Epiſtolam dedit Paulus, ac per Titum miſit. Denique ſub exitum anni LVII, ad illos vênit (k), anno poſt priorem Epiſtolam elapſo.

℣. 6. APUD VOS AUTEM FORSITAN MANEBO, VEL

(a) Περὶ δὲ τῆς λογίας, &c. *Theodoret.* Λογίαν λέγει τὴν συλλογὴν τῶν χρημάτων. Collectas Paulus non rarò nuncupat εὐλογίαν. At Codices Mſſ. & typis vulgati uno aſſenſu hic ferunt, λογία. (b) *Galat.* II, 10. (c) *Act.* XXIV, 17. (d) *Una ſabbathi* ponitur pro, *prima ſabbathi*; *Sabbathum* pro totâ hebdomade, apud Hebræos. (e) Κατὰ μίαν σαββάτων, τουτέστι κυριακήν. *Chryſoſt. Vide Juſtin. Apolog.* 2; *Tertull. Apologet. cap.* 39; *Ambroſiaſt. Theodoret. hic. Apoc.* I, 10: *Dies Dominica.* (f) *Tertull. Apologet.* (g) Οὓς ἐὰν δοκιμάσετε, δι' ἐπιστολῶν τούτους πέμψω. *Ita Chryſoſt. Theodoret. Syr. Arab. Æth. Grot. Men. Haymo, &c.* (h) *Theodoret. Eſt. Men. Grot.* (i) 2 *Cor.* I, 16, 17. (k) *Act.* XX, 2, 2, *&c.*

℣. 7. Nolo enim vos modò in tranſitu videre, ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.

℣. 8. Permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten.

℣. 9. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & evidens: & adverſarii multi.

℣. 10. Si autem venerit Timotheus, videte ut ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego.

℣. 11. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus.

℣. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem, cùm ei vacuum fuerit.

COMMENTARIUS.

VEL ETIAM HIEMABO. Profectus Corinthum Paulus ſub anni exitum, trimeſtrem ibi moram duxit, ſive in urbe, ſive in oppidis urbi vicinis. Diſceſſit circa Feſtum Paſchatis, quod eo anno ad diem VIII Kalendas Aprilis contigit. Paſcha Philippis, Macedoniæ oppido, celebravit *(l)*. Ita hiemem apud Corinthios egit. *Forſitan* hiematurum ſe apud eos dicit; quod fortaſſe certò non ſciret, eſſet ne promiſſa expleturus *(m)*. Non ſemper Divino lumine Prophetæ illuſtrantur.

℣. 8. PERMANEBO AUTEM EPHESI USQUE AD PENTECOSTEN. Epheſo diſcedere coactus fuit ſeditione Demetrii argentarii, qui populum in Apoſtolum concitavit: qua in ſeditione Paulus periculum capitis ſubiit *(n)*. Inde abiit circa menſem Maji, anni LVII, paulò poſt Pentecoſten *(o)*.

℣. 9. OSTIUM ENIM MIHI APERTUM EST, MAGNUM ET EVIDENS *(p)*. Epheſinos vicinoſque accolas optimè animatos video erga Evangelium. Docilem maximè populum mihi exhibuit Deus *(q)*: quamquam circumſtrepunt *adverſarii multi*, tum ex Judæis, progreſſum Evangelii inter Gentiles ægrè ferentibus, tum ex Gentilibus multis, veritati repugnantibus. His tamen non terreor; omnia nihili facio, modò prædicetur Chriſtus, dociles que & piè animatos auditores alibi inveniam.

℣. 10. SI VENERIT TIMOTHEUS, VIDETE, UT SINE TIMORE SIT APUD VOS. Antequam ab Aſiâ diſcederet Paulus, præmiſit Timotheum diſcipulum cum Eraſto in Macedoniam *(r)*, juſſum petere Corinthum, atque inde ad ſe Epheſum proficiſci. Eo conſilio miſit fortaſſe, ut collectas pecunias Jeroſolymam mittendas pararet. Monet itaque Corinthios, ut cum honore ipſum excipiant, eum eoque ita ſe gerant, ut ſecurus ac ſine metu apud ipſos verſetur; ſecurus autem tum ab externis, tum a domeſticis, qui adoleſcentiæ causâ ipſum aſpernari poſſent, aut ſatis fidei & obſequii erga illum non exhibere *(s)*. ℣. 11: *Nequis illum ſpernat*.

℣. 11. DEDUCITE AUTEM ILLUM IN PACE. Omnia humanitatis officia illi exhibete *(t)*; eùmque is redire voluerit, ſecurum deducite, ad portum usque honoris causâ illum proſequimini, omnibusque cum amoris ſignificationibus dimittite *(u)*. Verebatur fortaſſe Paulus, ne ob diſſidia, quibus tunc Eccleſia Corinthiorum ſcindebatur, & ob acriores Epiſtolæ hujus ſententias, in ſimultates, contemptum, injuriamve aliquam Diſcipulus incurreret.

℣. 12. DE APOLLO AUTEM, &c. Compertum eſt, Apollo Corinthiis nunciaſſe Evangelium, & rigaſſe ea, quæ ſeverat Paulus *(x)*. Hic deinde Epheſum vènit, ibique amiciſſimè cum Paulo egit; aderatque, cùm hæc Epiſtola ſcriberetur. Plurimùm profectò profutura erat ejus præſentia ſedandis Corinthiorum tumultibus; quamobrem illum enixè rogavit Paulus, ut eò ſe conferret: at minimè perſuaſit. Illum fortaſſe deterrebant diſſidia, quæ ſui causâ inter ipſos erant; *Non fuit voluntas, ut nunc veniret*. Hæc verba nonnulli *(y)* ita interpretantur, ut cenſeant, noluiſſe Deum ut eò pergeret. At multò probabilius eſt, fuiſſe tunc ipſi Apollo rationes, cur ceſſaret *(z)*.

Addit Apoſtolus, *venturum Apollo, cùm ei vacuum fuerit*. Sunt *(a)* qui cenſeant, Apollo fuiſſe alterum ex duobus ab Apoſtolo miſſis Corinthum cum Tito ſub dimidium anni LVII, quos ille & Apoſtolos, nempe Eccleſiarum Legatos, & Jeſu Chriſti gloriam nuncupat *(b)*. De altero ex duobus agens ait, hujus ſtudium ac ſedulitatem multis in rebus ſibi eſſe perſpecta. Putat S. Hieronymus *(c)*, Apollo rediiſſe Corinthum, ubi diſſidia, causâ ſui nata, quieviſſe intellexit.

℣. 13. Vi-

(l) *Act.* xx, 3: *Chryſoſt. hom.* 43. Tillemont, ſur S. Paul, art. 34.
(m) *Theophyl.* Προςίθησι τὸ τυχὸν, διὰ τὸ ἄδηλον. Οὐ γὰρ ἤδει εἴτε ἐπιτραπείη τοῦτο παρὰ τοῦ πνεύματος, εἴτε μή. (n) *Act.* xix, 25, *& ſeq.*
(o) Tillemont, Note 48 ſur S. Paul. (p) Θύρα μεγάλη καὶ ἐνεργής, *Oſtium magnum & efficax. Alii:* Μεγάλη, καὶ ἐναργής, *Magnum & evidens. Ita Clarom. S. Germ. Boerner. in Lat. Ambroſiaſt. Auguſt. Hieronymiaſt. hic. Sed Codd. omnes Græci & Patres, etiam Codd. S. Germ. & Clarom. in Græco* ἐνεργής. *Mill. hic.* (q) *Chryſoſt. hic, homil.* 63: Εὐρύχωρός μοι ἡ εἴσοδος, ἀκμαζούσης λοιπὸν τῆς τῶν προσιόντων διαθέσεως εἰς τὴν τῆς πίστεως ὑπακοήν. Hic ἐνεργής, fortaſſe ponitur ut ſit *efficax, utilis, patens*, uti opponitur oſtio in rem nullam utili, ſolius ſpectaculi causâ, per quod nullus eſt tranſitus. (r) *Act.* xix, 22; *&* 1 *Cor.* iv, 17.
(s) Vide 1 *Timoth.* iv, 12: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.*
(t) *Theodoret.* Δέξασθε, θεραπεύσατε, μηδενὸς λυπηροῦ πειραθήτω.
(u) *Confer Act.* xx, 38: *Deducebant eum ad navem. Act.* xxi, 5. (x) 1 *Cor.* iii, 5, 6.
(y) *Theodoret. Theophyl. Oecumen. Cod. Epiſt. Bibl. Bodl.* Θέλημα Θεοῦ. (z) *Eſt. Grot. Men. Tir.*
(a) *Theodoret. in* 2 *Cor.* viii.
(b) 2 *Cor.* viii, 22, 23.
(c) *Hieronym. in Tit.* iii.

℣. 13. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini.

℣. 14. Omnia veſtra in charitate fiant.

℣. 15. Obſecro autem vos, fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam ſunt primitiæ Achajæ, & in miniſterium Sanctorum ordinaverunt ſeipſos:

℣. 16. Ut & vos ſubditi ſitis ejuſmodi, & omni cooperanti, & laboranti.

℣. 17. Gaudeo autem in præſentiâ Stephanæ, & Fortunati, & Achaici: quoniam, id quod vobis deerat, ipſi ſuppleverunt:

℣. 18. Refecerunt enim & meum ſpiritum, & veſtrum. Cognoſcite ergo qui hujuſmodi ſunt.

℣. 19. Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multùm Aquila, & Priſcilla cum domeſticâ ſuâ Eccleſiâ, apud quos & hoſpitor.

℣. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in oſculo ſancto.

COMMENTARIUS.

℣. 13. VIGILATE, STATE IN FIDE, &c. Vigiles eſtote, neque vos falſorum Apoſtolorum Doctorumque fraudibus capi patiamini: conſtantes ſervate Fidem, quam a nobis accepiſtis, neque vos quolibet doctrinæ vento agi ſinite.

℣. 14. OMNIA VESTRA IN CHARITATE FIANT. Diſſidia, lites, partium ſtudia omnino proſcribite (d): una omnium mens unuſque animus eſto in Chriſto Jeſu. Qui fortes ſunt, infirmos ferant; & unuſquiſque fratrum inſtitutioni & exhortationi ſtudeat.

℣. 15. NOSTIS DOMUM STEPHANÆ, &c. Tres hi Epheſum venerant, ut Paulum inviſerent; iiſque Corinthum redeuntibus deferendam hanc Epiſtolam is dedit, monens Corinthios, ut ipſos magnopere obſervarent, *quoniam ſunt primitiæ Achajæ, & in miniſterium Sanctorum ordinaverunt ſeipſos.* Nonnulli Græcum reddunt (e): *Noscite domum Stephanæ*, obſervate. Favet huic verſioni verſiculus 18. Græcus vulgatus unius Stephanæ meminit; Codices tamen multi manu deſcripti (f) ſubtexunt *Fortunatum*; adduntque alii (g) *Achaicum*, deſumptum ex ℣. 17 bujus Capitis. Stephanas ejuſque familia primitiæ erant Achajæ. Idem ne dicendum ſit de Fortunato & Achaico, ignoro.

℣. 16. UT ET VOS SUBDITI SITIS EJUSMODI: ut debitum ejuſmodi hominibus obſequium, iis deferatis, obſequamini, colatis, audiatis, imitemini: digna quippe eſt illorum ſedulitas ac ſanctitas, ut ſummo illos obſequio proſequamini. Timere videtur Paulus, ne illos in patriam reduces arguant Corinthii, quòd authores ſint exprobrationum, quibus epiſtolam aſperſit; illoſque habeant ceu homines, qui res in Eccleſiâ geſtas malignè narraverint (h).

℣. 17. ID QUOD VOBIS DEERAT, SUPPLEVERUNT. Obſequium mihi exhibuerunt & ſolatium, veſtramque erga me benevolentiam teſtati ſunt: vos quodammodo in ipſis vidi. Grotius explicat Græcum (i): *Certiorem me fecere de veſtris morbis*; vitia, quibus Eccleſia veſtra obſcuratur, narravere: quod ipſi narrare debuiſtis, ad me detulerunt. Confer 2 *Cor.* IX, 12.

℣. 18. REFECERUNT ET MEUM SPIRITUM ET VESTRUM (k). Animum meum recreavere, de vobis aliqua nunciantes, atque occaſionem ſcribendi ad vos & docendi præbuerunt. Aliter: Recreavere ſpiritum meum, qui & veſter eſt, cùm omnes unius charitatis vinculis conjuncti, eodemque Spiritu Sancto animati ſimus (l).

℣. 19. SALUTANT VOS ECCLESIÆ ASIÆ, Epheſina præſertim, ex qua tunc literas dabat Apoſtolus. Tunc fortaſſe in urbe Epheſo erant aliqui ex Eccleſiis Galatiæ, Lycaoniæ, Phrygiæ, ſive aliarum, quarum nomine Paulus ſalutem dicit Corinthiis.

AQUILA ET PRISCILLA, APUD QUOS ET HOSPITOR, utpote artis ſocius, ac tentoriorum ſutor (m). Horum hoſpes fuit Paulus in urbe Corintho: cùm autem uterque Epheſi comites illi eſſe voluerint, probabile eſt, Paulum apud ipſos manſiſſe: adhuc tamen incerta res eſt; Græcus enim vulgatus, vetuſtique Codices permulti, ac Patres Græci eam ſilentio premunt. Legitur tamen in Codice Claromontano, & S. Germani Pratenſis (n), apud Ambroſiaſtrum, Hieronymiaſtrum in Pauli Epiſtolas, & in Latinis Exemplaribus pleriſque. Addit Paulus: *Cum domeſticâ ſuâ Eccleſiâ*; quo nomine ſive Aquilæ familiam, quæ ad Chriſtum tranſierat univerſa (o), ſive Fideles intelligit apud illum convenientes, cœtumque ibi celebrantes, ut Dei verbum audirent. Condictus quodammodo Fidelibus locus erat, quò ad Paulum ipſumve Aquilam audiendum coibant.

℣. 20. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. Servabatur id in primorum Chriſtianorum cœtibus, concordiæ & charitatis indicio; eoque ex more occaſionem arripuere Gentiles, ut eos cœtus inceſtorum criminum aliorumque flagitiorum accuſarent. Vide *Rom.* XVI, 16; & 2 *Cor.* XIII, 12. Oſculum Sanctum mutuò ferebatur poſt orationem (p), & antequam ſacra myſteria ſumerentur (q). *Symbolum orationis* illud nuncupat Tertullianus (r), pignus charitatis & concordiæ, quacum con-

(d) *Vide Sap.* VIII, 1; XIII, 1, *& ſeq.* XIV, 1, *&c. Grot. Men. Tir. Theodoret.*
(e) Οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ. Quæ verba idem ſonant ac ἐπιγινώσκετε οὖν τοὺς τοιούτους, ex ℣. 18.
(f) *Alexand. Clarom. S. Germ.* 14, *Copht. Theodor. alii.* (g) *Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Borner. G. L.*
(h) *Theodoret. ad* ℣. 18; *Theophyl. & Chryſoſt.* (i) Ὅτι τὸ ὑμῶν ὑστέρημα οὗτοι ἀνεπλήρωσαν.
(k) Ambroſiaſter & Hieronymiaſter hic, addunt, *Charitate.*
(l) *Vide Eſt. Tir.* (m) *Act.* XVIII, 2, 3. (n) Ἀκύλας, καὶ Πρίσκιλλα παρ' οἷς καὶ ξενίζομαι.
(o) *Eſt. Grot. Eraſm. Hamm. Men. &c.* (p) *Origen. hic, lib.* X, *pag.* 458.
(q) *Cyrill. Catecheſ. Myſtag.* 5. (r) *Tertull. lib. de Oratione.*

℣. 21. Salutatio mea, manu Pauli.

℣. 22. Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, Maran-Atha.

℣. 23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum.

℣. 24. Charitas mea cum omnibus vobis in Chriſto Jeſu. Amen.

COMMENTARIUS.

conjungi debet oratio.

℣. 21. Salutatio mea manu Pauli. Reliquam Epiſtolam dictavi: Salutationem, ſcilicet ℣℣. 19, 20, & quod reliquum eſt, meâ manu ſcripſi (s). Eodem modo Epiſtolam ad Coloſſenſes (t), & ſecundam ad Theſſalonicenſes (u) claudit.

℣. 22. Siquis non amat Dominum noſtrum Jesum Christum, sit anathema, Maran-Atha. Poſtrema hæc vox Syriaca eſt, ſonatque: *Dominus venit*. Maximum erat anathematum, ioquiunt (x), quo quis extremis calamitatibus devovebatur, illique indicebatur Domini adventus & Judicium; quaſi dicas: In perpetuum exterminetur ille, veniatque quamprimùm Deus, in illum animadverſurus. *Maran-atha*, ex Druſio & Grotio, idem eſt ac *Schamatha*, ſeu *Schematha*, *Nomen venit*, ſcilicet, venit Deus. Schamata graviſſimum eſt excommunicationis genus apud Judæos. At Ligfootus & Seldenus (y) ajunt, nusquam meminiſſe τῦ *Maran-atha* Rabbinos hoc ſenſu; ac vero ſimillimum eſt, hoc loco aliud non ſignificare, quàm: *Siquis non amat Dominum Jeſum, ſit anathema: Dominus venit*. Venit ſummus Israëlis vindex & Dominus, cui Judæi increduli, unâque ii qui Meſſiam eſſe illum negant, nefariè maledicunt; at ipſi anathema ſunto. Judæos potiſſimùm his verbis petere videtur (z), nedum Jeſum non amantes, verùm etiam convicia in Synagogis & maledicta in illum evomentes (α). Fortaſſe etiam authores diſſidiorum, Corinthiacam Eccleſiam turbantium, ſpectat; hominem inceſti reum, & eos qui ſub vaniſſimæ libertatis obtentu, fratribus offenſioni eſſe non verebantur.

℣. 23. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Gratia vobis apud Jeſum eſto, vosque ille bonis cumulet. Conſueta Paulo Epiſtolarum concluſio.

℣. 24. Charitas mea cum omnibus vobis eſt, vel ſit: ego vos ſincerâ charitate proſequar, ſeu vos me. Parem meo erga vos amorem mihi exhibete.

Græca Exemplaria (β) hîc legunt, hanc Epiſtolam Philippis urbe Macedoniæ datam: at Epheſo ſcriptam fuiſſe, in Præfatione docuimos. Græcæ plerarumque Pauli Epiſtolarum ſubſcriptiones nullius fidei & authoritatis ſunt per ſe in Eccleſiâ. Error autem eorum, qui Epiſtolam Philippis datam cenſent, oriri ex eo potuit, quod Paulus ſcribit hîc, ℣. 5 (γ): *Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero; nam Macedoniam pertranſeo*. At ſcribit, *Pertranſeo*, non, *Pertranſibo*; reverà enim altero anno Corinthum veniens, Macedoniam peragravit.

AR-

(s) *Eſt. Grot. Men.*

(t) *Coloſſ.* IV, *ult.* (u) 2 *Theſſal.* III, 17.

(x) *Vide Grot. hic, & ad Luc.* VI, 22; *Druſ. ad Joan.* IX, 22; *& alibi; Marianam, hic. Ita Hieronym. Ep.* 137; *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Sedulius. Alii paſſim.*

(y) *Vide Selden. de Synedriis, lib.* 2, *c.* 8. (z) *Liran. Ligfoot. Eſt. Martianay.*

(α) *Hieronym. in Isai. Epiphan. alii.* (β) Πρὸς Κορινθίους πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανᾶ, καὶ Φορτουνάτου, καὶ Ἀχαϊκοῦ, καὶ Τιμοθέου. *Plures omittunt hanc ſubſcriptionem. Alii legunt;* Ἀπὸ Ἐφέσου. *Ita Seidel. Arab. Syr. Tremell. Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. Athan.*

(γ) ℣. 5, *cap.* 16: Ἐλεύσομαι δὲ πρὸς ὑμᾶς, ὅταν Μακεδονίαν διέλθω. (Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι.) *Vide Capell. & Ligf.*

Finis primæ Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

ARGUMENTUM

Secundæ Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

INcertus Apoſtolus, quem Corinthiis ſen ſum priore Epiſtolâ induxiſſet, Titum, cui & Diſcipulum comitem, nobis adhuc ignotum, adjecit (*a*), ad eos miſit, ut per illos totius rei eventum diſceret. Ea verò Epiſtola Corinthios adeò concuſſerat, & ad Apoſtoli amorem unâ & reverentiam ita excitaverat, ut, ubi Titus Corinthum pervênit, officioſi & pavidi eumdem exceperint. Interea Epheſius quidam, quem Demetrium vocabant, Argentariorum ſeditionem concitavit; quare Paulus Epheſo egredi coactus, Troadem in Helleſponti orâ vênit, ſi fortè Titum Corintho regredientem offenderet: quem cùm obvium minimè habuiſſet, tametſi de ſuæ Epiſtolæ eventu ſollicitus, nequo fructu Evangelium fraudaret, ab incepto itinere non abſtinuit, & in Macedoniam (*b*), quæ plurima ei perferenda objecit, trajecto mari pervênit.

Verùm, Deo humiles & doloribus obrutos animos ſolari conſueto, maximam Paulus de Titi adventu lætitiam percepit; ex quo Chriſtifideles ab homine inceſto jam diſceſſiſſe, amotis etiam, vel ſaltem cohibitis ſeditioſorum cæteris, ab ipſo Apoſtolo veniam poſcere, eleemoſynas Jeroſolymam mittendas rurſus corrogare (*c*), res denique Corinthi Eccleſiæ optimè cedere, quàm maximo animi ſolatio accepit. Dolorem tamen ſatis etiam idcircò ſenſit, quòd eorum quidam ab impudicitiis omnino non deſtitiſſent (*d*): quòd præterea Pſeudo-Apoſtoli ab Judæis egreſſi, ea, quæ ipſe ædificaverat, evertentes, Moyſis Legi obtemperandum docerent, ipſumque Paulum Legis everſorem, hominem neque a Chriſto neque a primis Apoſtolis miſſum, & Apoſtolatûs munere non decoratum, appellarent (*e*).

Quibus malis ut Paulus confeſtim occurreret, hanc ſecundam Epiſtolam dedit, quam Tito, duobus fratribus, quos & laudibus maximis tollit (*f*), eidem ſociis adjectis, deferendam commendavit. His literis primò eâ, qua ſpoponderat, celeritate ſe Corinthum non veniſſe fatetur, ne in eorum quoſdam, ægrè quidem, ſed graviſſimè animadvertere cogeretur (*g*). Eos laudat, quòd optimè cum inceſto ſe geſſerint, cui illorum gratiâ veniam indulget (*h*). Adversùs Pſeudo-Apoſtolos eâ ſapientiâ, eâque modeſtiâ ſui apologiam inſtruit, ut ſocios ſuos potiùs, ſuumque miniſterium, quàm ſe ipſum efferre videatur. Corinthios ut eleemoſynas (*i*), in Jeroſolymitanos pauperes erogandas, conferant, nihil ad illos ſuadendos omittens, hortatur (*k*). Ad ſui apologiam demùm regreſſus, Pſeudo-doctorum nequitiam detegit, & Apoſtolicâ prorſus vi ac libertate eos, qui iiſdem fidem habebant, nimiæ credulitaris arceſſit. Ut ea dilueret, quæ in ipſum conjecerant, de ſe præclarè loqui coactus, id ita præſtat, ut vim, quam humilitati ſuæ infert, ſatis exhibeat.

Philippis in Macedoniâ Apoſtolus hanc Epiſtolam ſcripſiſſe creditur, ut Exemplarium Græcorum pleraque oſtendunt. Exemplaria verò Latina Troade in Aſiâ Minore datam ferunt. Certò tamen in Macedoniâ exararam ſcimus (*l*); quamvis Philippis ne an in alterâ ejusdem regionis Urbe, minimè conſtet. Subſcriptiones Epiſtolis Pauli appoſitæ inter ſe differunt, & authoritatem fidemque non præferunt (*m*). Quædam vetuſtiſſima Mſs. iis omnino carent; quædam a Tito & Lucâ; alia ſolummodo a Tito; alia a Tito & Timotheo; alia denique a Tito, Barnaba & Luca hanc Epiſtolam delatam ſcribunt. Duos Diſcipulos laudibus cumulatos, quorum alterum Timotheum credimus, alterum penitùs ignoramus, itineris comites Tito fuiſſe, exploratum habemus.

Sub dimidium anni a Chriſti adventu quinquageſimi ſeptimi, toto ferè anno poſtquam primam ſcripſerat, hanc ſecundam Epiſtolam ad Corinthios Apoſtolus dedit.

(a) 2 Cor. XII, 18.
(b) 2 Cor. VII, 5.
(c) 2 Cor. VIII, 6; IX, 12.
(d) 2 Cor. XII, 21.
(e) 2 Cor. XI, 21, 22.
(f) 2 Cor. VIII, 18, 22.
(g) 2 Cor. I, 15, 23.
(h) 2 Cor. II, 13.
(i) 2 Cor. VII, 2, 6.
(k) 2 Cor. VIII, IX.
(l) 2 Cor. VII, 5, 6; VIII, 1, 3, 8, 11.
(m) *Vide Varias Lection. Millii.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN *SECUNDAM EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* CORINTHIOS.

CAPUT PRIMUM.

Mala, quæ Paulus in Aſiâ paſſus eſt. Iſta ſolatio Corinthiorum ſerviunt. Excuſat Apoſtolus, quòd ad illos non venerit. Immutabilis Evangelii veritas.

℣. 1. PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui ſunt in universâ Achajâ.

℣. 2. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

℣. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,

℣. 4. Qui conſolarur nos in omni tribulatione noſtrâ: ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni præſſurâ ſunt per exhortationem, qua exhortamur & ipſi a Deo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS, ET TIMOTHEUS, ECCLESIÆ QUÆ EST CORINTHI, ET OMNIBUS SANCTIS, &c. Cùm Titus Corintho in Macedoniam veniſſet, narravit Apoſtolo fructum, quem prior Epiſtola in Corinthiorum animis peperit; quamobrem alteram ad eos dedit Paulus, per Timotheum Titumque miſſam (*a*). Timothei unius meminit in Epiſtolæ fronte: at omoino comes fuit Titus, ut in Præfatione docuimus, unàque frater alius, illis ab Eccleſiis additus, ut oblatam a Fidelibus ſtipem colligeret. Legationis hujus principem haberi Timotheum, fortaſſe voluit Paulus. Hunc nuocopat *fratrem*, quò magis ipſum commendet apud Corinthios, ad quos anno ſuperiore is miſſus fuerat, ac poſt priorem Epiſtolam pervenerat (*b*). Altera hæc noo ad unos Corinthi cives Chriſtianos data eſt, ſed ad univerſos Achajæ populos, cujus provinciæ princeps erat Corinthus, ut ejus Epiſtolæ Exemplaria ad omoes latè fratres mitterentur (*c*).

℣. 3. BENEDICTUS DEUS ET PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (*d*). Græcum articulum ὁ omittunt Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Tertullianus (*e*): *Benedictus Deus Domini noſtri*, &c. omiſſo *Pater*; at optima eſt Vulgatæ lectio. Deus eſt Jeſu Chriſti ut hominis; Pater ut Dei.

℣. 4. UT POSSIMUS ET IPSI CONSOLARI EOS. Cùm noſſet Paulus, Corinthios priore Epiſtolâ fuiſſe perculſos, hîc ſolatium illis adhibet, ſeſeque ſpiritali guadio cumulatum eſſe ait a *Deo conſolationis*, ut cæteros ipſe conſoletur; innuens, ſe accepto ipſis referre ſolatium, quo affectos a Deo

(a) *Vide* 2 *Cor.* VII, VIII, 6, 16, 17; 12, 3, 5. (b) 1 *Cor.* IV, 17; XVI, 10. (c) *Vide Eſt. Grot.*
(d) Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ. *Alii*: Εὐλογητὸς Θεὸς, καὶ πατὴρ, *&c.* (e) *Tertull. lib.* 5 *contra Marcion. cap.* 12.

℣. 5. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.

℣. 6. Sive autem tribulamur pro veſtrâ exhortatione & ſalute, ſive conſolamur pro veſtrâ conſolatione, ſive exhortamur pro veſtrâ exhortatione & ſalute, quæ operatur tolerantiam earumdem paſſionum, quas & nos patimur,

℣. 7. Ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis; ſcientes quòd ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.

℣. 8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſiâ, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, itaut tæderet nos etiam vivere.

℣. 9. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos:

COMMENTARIUS.

Deo eſt, quaſi ſolatium ipſe acceperit, ipſis redditurus. Paternam hîc benevolentiam & charitatem perfectiſſimam ac puriſſimam vides.

Per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. Græcus *(f)* ſonare potiùs videtur: *Per conſolationem quam accepimus ipſi a Deo*: quamquam & Vulgatæ interpretationem admittit.

℣. 5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & ſolatium. Laboribus, quos illius causâ ferimus, par ſolatium exhibet Deus *(g)*: quales nobis permittit ærumnas, talia confert beneficia *(h)*.

℣. 6. Sive tribulamur, pro vestra exhortatione (inſtitutione) et salute. Quicquid nobis contingit, in veſtri commodum convertitur; ærumnæ, ſolatia, adverſæ res & proſperæ, omnia ſaluti veſtræ ſerviunt. Græca & Latina Exemplaria diſcrimen aliquod præferunt. Græcus typis vulgatus habet *(i)*: *Sive tribulamur, ob veſtram inſtitutionem & ſalutem, quæ fit per patientiam malorum quæ ferimus: ſive conſolationem accipimus, ob veſtram conſolationem & ſalutem.* At Græci Codices permulti legunt: *Sive tribulamur, ob veſtram inſtitutionem* (exhortationem, conſolationem) *& ſalutem, in patientiâ eorumdem malorum quæ patimur, & ſpes noſtra firma eſt pro vobis. Sive conſolationem accipimus, ob veſtram conſolationem & ſalutem.* Alii denique breviùs quàm Vulgata, & cætera Græca Exemplaria: *Sive conſolationem accipimus, ob veſtram conſolationem, quæ operatur in patientiâ eorumdem malorum quæ patimur, & ſpes noſtra firma eſt pro vobis.* Poſtrema hæc lectio fortaſſe puriſſima eſt exterarum *(k)*. Hoc vult Apoſtolus, ſuas ipſius ærumnas & ſolatium ſervire ſolatio ac felicitati Corinthiorum, qui ipſius mala unâ ſentiunt.

℣. 7. Ut spes nostra firma sit pro vobis. Cùm vos unâ mecum patiamini, omnino futurum ſpero, ut animos veſtros Deus, non ſecùs ac meum, conſolationis ſuavitate perfundat; voſque participes fore ſolatii, quemadmodum ærumnarum fuiſtis. Vel; Cùm mala noſtra ipſi ſenſeritis, confido fore, ut noſtrâ conſolatione gaudeatis; cùmque dolueritis ærumnis meis, fore vobis jucundiſſimum, ubi ſolatio nos perfuſos eſſe intellexeritis *(l)*.

℣. 8. De tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quæ gravis adeo fuit, ut nos vitæ tæderet. Cenſent Chryſoſtomus ac Theophylactus *(m)*, agi hîc ab Apoſtolo de iiſdem adverſariis, quos Epiſtolâ priore perſtrinxit *(n)*: *Oſtium mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi.* Explicat Theodoretus de ſeditione a Demetrio excitatâ *(o)*; ipſaque hæc Apoſtoli verba Chryſoſtomus ad eam rem revocat *(p)*. Alii generatim uſurpant de malis & ærumnis ab eo toleratis toto triennio, quo is in urbe Epheſo vicinisque locis fuit *(q)*. Ait Apoſtolus, immodica fuiſſe mala hujuſmodi, ſuiſque viribus majora: *Super modum, ſupra virtutem*, non majora quidem ſupernaturali virtute, cùm idem ipſe doceat *(r)*, *Deum non pati, nos tentari ſupra id quod poſſumus*; ſed naturali; additque: *Ita ut tæderet nos etiam vivere.* Vel ex Græco *(s)*: *Ita ut deſperaremus* quodammodo *nos etiam vivere.* Ab eo diſcrimine me non evaſurum putabam.

℣. 9. In nobismetipsis responsum mortis habuimus *(t)*. Reddunt alii *(u)*: *In nobiſmetipſis mortem præſenſimus (x).* Vertendum certat Heinſius *(y)*: *In nobiſmetipſis cautionem mortis habuimus*

(f) Διὰ τῆς παρακλήσεως, ἧς παρακαλούμεθα αὐτοὶ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ.

(g) *Pſal. xciii, 19: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (h) *1 Cor. x, 13: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

(i) Εἴτε δὲ θλιβόμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων, ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν. Εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας. *Vide Mill. in hunc locum.* (k) *Vide Eſt. Brug. Mill.* Confer Editiones Sixti V, & Clementis VIII. (l) *Vide Grot. & Eſt. & Theodoret. Theophyl. hîc*: Ὥσπερ διωκομένων ὑμῶν ἀλγεῖτε, ὡς αὐτοὶ πάσχοντες τοῦτο. Οὕτως ἴσμεν ὅτι καὶ παρακαλουμένων, αὐτοὶ τῆς παρακλήσεως ἀπολαύειν νομίζετε. (m) *Chryſoſt. & Theophyl.* (n) *1 Cor. xvi, 9.* (o) *Act. xix, 24, & ſeq.*

(p) *Chryſoſt. in Act. homil. 41, pag. 368.* (q) *Act. xx, 18. 19: Vos ſcitis a primâ die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſerviens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus.* (r) *1 Cor. x, 13.*

(s) Ὥστε ἐξαπορηθῆναι ἡμᾶς καὶ τοῦ ζῆν. *Ambroſiaſt. Ita ut deſperaremus nos etiam vivere.*

(t) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Grot. Eraſm. Alii plures. Confer 1 Cor. xv, 32: Ad Beſtias pugnavi Epheſi.* (u) *Vat. Eſt. Tir. Men.* (x) Ἀλλ' αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν. *Theophyl.* Μέχρι τῆς ὑπονοίας τῆς ἡμετέρας ἐστὶ ἡ τοῦ θανάτου προσδοκία.

(y) *Heinſ. Exercit. ſacr. p. 394.*

℣. 10. Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet.

℣. 11. Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis: ut ex multorum perſonis, ejus quæ in vobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

℣. 12. Nam gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ carnali, ſed in gratiâ Dei, converſati ſumus in hoc mundo: abundantiùs autem ad vos.

℣. 13. Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legiſtis, & cognoviſtis. Spero autem, quòd uſque in finem cognoſcetis,

℣. 14 Sicut & cognoviſtis nos ex parte, quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

mus, qua certiores efficiebamur, nos minimè morituros; quæ lectio congruere videtur cum *reſponſo mortis* apud Vulgatam. Prioribus tamen verſionibus multo plurimi aſſentiuntur. *Reſponſum mortis habuimus*, ut ægroti, qui moneutur, ut rebus ſuis conſulant; vel vinculis detenti, quibus pronunciata in ipſos mortis ſententia ſignificatur.

℣. 10. Qui de tantis periculis nos eripuit. Græcus (z): *De tantâ morte*, tanto mortis diſcrimine. Mors interdum in Scripturis pro imminenti mortis diſcrimine uſurpatur (a).

℣. 11. Adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis: mala hæc a nobis orationes veſtræ avertent. Græcus (b): *Adjuvantibus & vobis cum nobis oratione*: in noſtram incolumitatem ſimul laborantibus.

Ut ex multorum personis, &c. (c) Ut beneficium, quod accepimus ob multorum merita, agnoſcatur ex gratiarum actione, quam multi pro nobis præſtabunt. Codices nonnulli habent: *Pro vobis*; at optima eſt Vulgatæ ſententia, quam explicavimus. Quò pluses ſaluti noſtræ ſtudent, eò major Dei gloria exſurget, cùm gratiæ ob meam incolumitatem illi actæ fuerint.

℣. 12. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, teſtantis, nos verſatos eſſe *in ſimplicitate & ſinceritate Dei* (d); maximam ſcilicet æquitatem, abſolutiſſimamque ſinceritatem ſectatos, *Dei* nomen his virtutibus additum illas auget, ut paſſim in Scripturâ. Non *ex carnis ſapientiâ* egimus, ex humanæ prudentiæ cognitionibus, aut pernicioſæ verſutiæ principiis, denique non ex malitiâ, dolo, fraudibus, *ſed in gratiâ Dei*: in illud potiſſimùm incubuimus, ut Deo primùm, deinde vobis cari efficeremur. Vel: Non ſæculi ſapientia, neque humana prudentia cordium veſtrorum aditum nobis reſeravit, ſed Dei gratia, valida & ſecreta illius vis, Spiritûs Sancti afflatus, unà cum ſupernis donis, quibus Deus nos cumulavit (e). Falſos Doctores deceptoreſque, qui aliis prorſus modis animos Corinthiorum occupaverant, ex obliquo aggreditur (f).

℣. 13. Non alia scribimus vobis. Hoc ipſum in priore Epiſtolâ ſcripſi; voſque ipſos teſtes horum adhibeo. Spectat fortaſſe ad ea prioris Epiſtolæ verba (g): *Et ego cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti. Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, &c.

Græcus (h): *Non enim alia ſcribimus vobis, quàm quæ legitis & cognoſcitis*: veritatem eorum, quæ olim dixi, in epiſtolis meis cernitis. Sive: In iis quæ geſſi, conſpicitis vera eſſe quæ dico (i). Vos ipſos teſtari non vereor, vera eſſe quæ prædico, & æquiſſima quæ ago. *Spero autem quòd uſque in finem* (in dies magis) *cognoſcetis*. Dum apud vos fui, me planè noviſtis: teſtes geſtorum meorum vos appello; atque olim futurum ſpero, cùm meliùs me noveritis, ut æquiores mihi ſitis. Hæc verba jungunt Græci cum conſequentibus (k): *Spero, quòd & uſque in finem cognoſcetis, quemadmodum & cognoviſtis nos ex parte.*

℣. 14. Sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus. Certo futurum ſpero, ut opinionem, quam de falſis Doctoribus, inter vos ortis, concepiſtis, aliquando deponatis (l), ac denique fateamini, me ſatis perſpectum vobis non fuiſſe. *Quòd gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra.* Me magiſtro vos olim gloriabimini, uti nunc ego vobis Diſcipulis glorior: hoc tamen ipſum abſolutè conſpicietur *in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*, cùm Chriſtus advenerit. Tunc nimirum quid quiſque ſit apparebit, & ambitio, hypocriſis, fraus detegentur: æquum, quod mutuo debemus, teſtimonium, eâ die reddemus.

℣. 15. Et

(z) Ὃς ἐκ τηλικούτου θανάτου ἐῤῥύσατο ἡμᾶς. *Alii*: Ἐκ τηλικούτων θανάτων, *Ex tantis mortibus*. *Ita Chryſoſt. Theodoret. Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſ.*

(a) *Exod.* x, 17. 4 *Reg.* iv, 40; *Pſal.* xxx, 13; lxxxvii, 6, 7; *Iſai.* xxvi, 19; *Matth.* v, 18; 2 *Cor.* xi, 23.

(b) Συνυπουργούντων καὶ ὑμῶν ὑπὲρ ἡμῶν τῇ δεήσει.

(c) Editiones Latinæ veteres, Sixtina quoque, ferebant: *Ex multarum perſonis facierum*. At Vulgata typis edita Græco aſſentitur: *Ut ex multorum perſonis*: Ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ ὑπὲρ ἡμῶν, *Ut a multis perſonis*, vel *faciebus*, *de gratiâ in nos collatâ, gratiæ habeantur*.

(d) *Græc.* Ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ Θεοῦ. *Alii*: Ἐν ἁγιότητι καὶ εἰλικρινείᾳ, *In ſanctitate & ſinceritate Dei*. *Ita Alexand. Clem. Alex. Copht. Origen. Vide Mill. Confer infrà* 2 *Cor.* ii, 17.

(e) *Vide Eſt. Grot. Men. Tirin. Theophyl.* (f) *Theodoret.* (g) 1 *Cor.* ii, 1, *& ſeq.*

(h) Οὐ γὰρ ἄλλα γράφομεν ὑμῖν, ἀλλ᾽ ἢ ἃ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε.

(i) *Vide Syr. Grot. Eſt. Men.* (k) Ἐλπίζω ὅτι καὶ ἕως τέλους ἐπιγνώσεσθε, καθὼς καὶ ἐπέγνωτε ἡμᾶς ἀπὸ μέρους. (l) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Eſt. Men.*

℣. 15. Et hac confidentiâ volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis:

℣. 16. Et per vos tranſire in Macedoniam, & iterum a Macedoniâ venire ad vos, & a vobis deduci in Judæam.

℣. 17. Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, ut ſit apud me EST, & NON?

℣. 18. Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo EST, & NON.

℣. 19. Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit EST & NON, ſed EST in illo fuit.

COMMENTARIUS.

℣. 15. ET HAC CONFIDENTIA VOLUI PRIUS VENIRE AD VOS. Fiduciæ, de qua loquor ℣ plenus, ad vos venire decreveram, ut mei memoriam atque amicitiam in vobis inſtaurarem: hoc ipſum Epiſtolâ priore promiſi (m), omnino expleturus, *ut ſecundam gratiam* præſentiæ meæ *haberetis*, poſt primam, Epiſtolam ſcilicet (n); ſive, poſt primum prædicationis beneficium, alterum daturus eram, viſitationis meæ: ſeu denique, duplici vos beneficio afficere decreveram hoc ipſo itinere, priùs nempe ad vos, deinde in Macedoniam proficiſci, tum rurſus ad vos ex Macedoniâ. Vide ℣. 16. At novis rebus prohibitus ſum, quin promiſſa præſtarem.

℣. 16. PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM, &c. Priùs igitur Epheſo ſtatim migrare Corinthum decreverat Paulus (o), tum Corintho in Macedoniam, collectas ibi pecunias accepturus, deinde reverſurus Corinthum, ut inde Jeroſolymam navigaret. Hoc tamen conſilium Epiſtolâ ſuperiore non ſignificavit, pollicitus dumtaxat, ad eos ſe profecturum, ubi Macedoniam pertransîſſet, utì reverâ præſtitit. Sunt (p) qui cenſeant, primum illud ab Apoſtolo promiſſum priore aliâ Epiſtolâ, quæ perierit; ſive Tito mandaſſe, ut ſuo nomine promitteret; ſeu denique plus facere voluiſſe, quàm promiſerat (q). Quicquid ſit, non Epheſo Corinthum rectâ venit, ſed Epheſo in Troadem, Troade verò in Macedoniam. Iſta conſilii mutatio duplicem movere poterat Corinthiis ſuſpicionem; vel Paulum ſcilicet male animatum erga ipſos eſſe, vel animo eſſe inconſtanti, ac facilè mutare conſilia. Utramque ſuſpicionem hîc removet, docens I, ſibi quidem in animo primùm fuiſſe, ad illos proficiſci; II, ſeſe eâdem charitate, qua illos viſitare optaverat, fuiſſe detentum, ne duriùs quàm vellet erga refractarios agere cogeretur.

℣. 17. CUM ERGO HOC VOLUISSEM (r), NUMQUID LEVITATE USUS SUM? An temerè leviterque conſilia ineo, incertus decreta præſtandi? An ex iis ſum, qui *ſecundùm carnem cogitant*, quibus agendi ac decernendi regula ſunt caro & ſanguis, cupiditates, lucrum, libido? Mea ne verba nihil ſonabant præter merum urbanitatis officium, ac promiſſionem quam præſtare nollem? Denique, an *eſt apud me Eſt & Non*? Mendax ſum, inconſtans, animo duplici, nullius fidei ac ſinceritatis? Græca Exemplaria legunt (s): *Ut ſit apud me Eſt eſt, & Non non?* Qua lectione illud innui videtur, apud Apoſtolum eſſe merum illud Eſt & Non, quod Chriſtus Diſcipolis imperavit (t): ea ſcilicet aſſerere, quæ ſimplex animus dictat, ex unâ ſinceritate ac veritate dictis ſuis fidem comparans. At Vulgatæ lectionem tuentur Codices nonnulli manu exarati (u), eâque genuinus Apoſtoli ſenſus hîc exhibetur: quòd ſi vulgatam Græci lectionem, ab omnibus fermè Libris, Patribus, ac Verſionibus Orientalibus probatam, ſequare, ea nihilominus ita intelligenda eſt: *An eſt apud me Eſt & Non*, eâdem in re eodemque argumento?

℣. 18. FIDELIS DEUS. Teſtis mihi verax Deus, non eſſe apud me in iis quæ dixi, Eſt & Non. Promiſſionis ſuæ ſinceritatem Deo teſte probat (x). Aliter: Quemadmodùm fidelis eſt in iis quæ dicit Deus, ita vera ſunt & ſincera quæ dixi (y). Nonnihil obſcuritatis eſt in Latino: *Sermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo Eſt & Non*: cui addunt quædam Exemplaria: *Sed eſt in illo Eſt*. Græcus clariore & manifeſtiore ſententiâ (z): *Sermo noſter, qui fuit ad vos, non fuit Eſt & Non*, Quæ dixi, ſecum ipſa non pugnant.

℣. 19. DEI FILIUS, QUI PER NOS PRÆDICATUS EST.... NON FUIT EST ET NON. Evangelium, quod vobis nunciavimus, dogma incertum non eſt atque inconſtans, in quo ſit Eſt & Non (a): pugnantia non docuimus: quæ circa vos egimus, argumento vobis eſſe debent, qui ſimus ipſi, & quàm certa quæ dicimus. Sylvanum ac Timotheum inter Apoſtolatûs ſocios & adjutores numerat, quòd reverâ Sylvanus, alio nomine *Silas*, comes plerorumque itinerum ipſi fuerit; ac Timotheus jam diu ipſum ſequeretur, cui plurimum fidere Corinthios, Paulus magnopere optabat. Silas ac Timotheus ad Apoſtolum Corinthi verſantem venerant (b), illique in laboribus inſtituendæ Corinthi totiusque Achajæ inſervierant.

(m) 1 *Cor.* XVI, 5, *& ſeq. Veniam autem ad vos, cùm Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo; apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo, &c.*

(n) *Chryſoſt.* Ἵνα δευτέραν χάριν ἔχητε. Τί ἐστι δευτέραν; ἵνα διπλῆν χάριν ἔχητε, καὶ τὴν διὰ τῶν γραμμάτων, καὶ τὴν διὰ τῆς παρουσίας. *Ita & alii Græci.* (o) *Vide* 1 *Cor.* XVI, 5, *& ſeq.*

(p) *D. Thom. Liran.* (q) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Oecumen.*

(r) *Græc. impreſſ.* Τοῦτο οὖν βουλευόμενος. *Alii:* βουλόμενος, *Hoc igitur volens.*

(s) Ἵνα ᾖ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ. (t) *Matth.* V, 37; *& Jacob.* V, 12.

(u) *Ita Cod. Vat. Bez. Velez. Vechel. Hieronymiaſt.* (x) *Vat. Bez. Men. Tir.* (y) *Vat. Vide Eſt.*

(z) Ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς οὐκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ.

(a) *Theodoret. hic:* Ὁ περὶ τοῦ υἱοῦ Θεοῦ λόγος οὐδεμίαν ἔσχε διχόνοιαν, οὐδέποτε μὲν ταῦτα, ποτὲ δὲ ἕτερα ἐκηρύξαμεν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὑμῖν διδασκαλίαν προσενηνόχαμεν. (b) *Act.* XVIII, 5, 6.

Digitized by Google

℣. 20. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo Est: ideò & per ipſum Amen Deo in gloriam noſtram.

℣. 21. Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus:

℣. 22. Qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

℣. 23. Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam, quòd parcens vobis, non veni ultrà Corinthum: non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis.

COMMENTARIUS.

℣. 20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo est. Græcus ad verbum (c): *Quælibet promiſſiones Dei hoc ipſo Eſt, & hoc ipſo Amen* nituntur, ut ſint *Deo ad gloriam per nos.* Hæc ſententia ſatis commoda eſt: at Codices nonnulli cum Vulgatâ legunt (d): *In illo Eſt; ideò & per ipſum Amen, &c.* Promiſſa omnia, quæ nobis Deus de Jeſu Chriſto exhibuit, in Chriſto Jeſu implentur; *ideo & dicimus per ipſum* Jeſum Chriſtum *Amen Deo, ad gloriam noſtram*, ut per nos commendetur. Cùm dicimus *Amen*, fatemur, expleta eſſe in Chriſto Jeſu promiſſa omnia & vaticinia, reddimusque gloriam Patri, qui iſta & promiſit, & abſolutiſſimè implevit.

℣. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos unctione ſuâ, Deus eſt. Nequis putet, ſuam ipſius gloriam ab Apoſtolo quæri, dum iſta ſcribit de veritate prædicationis, gloriam hîc in Deum refert, ac ſignificat, Deo acceptum referri oportere, ſi Chriſtum prædicandi provinciam, ac prodigia ejus nomine patrandi poteſtatem ipſe obtinuit (e); ſe ab eo confirmatum in Fide, donatumque unctione Spiritûs Sancti & gratiæ (f), ſine qua ipſe nihil planè ſit.

℣. 22. Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus. Deus, mero miſericordiæ ſuæ munere, nos juſtitiæ & gratiæ ſigillo in Baptiſmo diſtinxit, largitusque eſt Spiritum Sanctum cum ſupernis donis, ceu pignus æternæ Beatitudinis, quam nobis promiſit. Qui rei alicujus pignora obtinet, de ipsâ re certus eſt, quamquam nondum illâ potitur: qui verò promiſſionem ſigillo clauſam & confirmatam tenet, nondum re promiſſâ gaudet, ſed certâ spe futuræ poſſeſſionis, certoque in illam jure donatur (g).

℣. 23. Testem Deum invoco in animam meam, animæ ſeu vitæ meæ periculo, quod parcens vobis non veni ultra Corinthum. Si enim in eo rerum ſtatu Corinthum veniſſem, omnino authoritate meâ uti debuiſſem, & animadvertere in hominem inceſti reum, cæteroſque, quorum flagitia priore Epiſtolâ exagitavi (h). Cùm iſta ſcribo, illud ne ſubeat, me *dominari fidei veſtræ*, aut nova vobis onera imponere, vel credendum proponere aliud quàm quod Chriſtus ipſe docuit (i). Sive: Magiſtri authoritatem in vos mihi non arrogo, quòd vos per me ad Fidem vocaverit Deus (k). *Adjutores ſumus gaudii veſtri*, veſtræ felicitatis, *nam fide ſtatis*. Quòd Evangelium conſtanter ſequamini, ex eo opportunitatem non arripio uſurpandi moleſtam vobis authoritatem: in hoc unum incumbam, ut genuinas ſolidasque gaudendi in Chriſto cauſas vobis exhibeam: atque hoc ipſum me præſtitiſſe puto Epiſtolâ ſuperiore, qua idcirco ad breve tempus contriſtati eſtis, ut vero ſolatio compleremini, reductia ad meliorem frugem errantibus, utque vos in fide conſtantiores efficeremini: *Nam fide ſtatis*. Sive, conjunctis verbis hiſce cum *Dominari fidei veſtræ*: Apoſtolicam authoritatem univerſam in vos exercere nolumus, cùm Fidem conſtantiſſimè teneamini: fortunis veſtris gaudemus, unàque vobiſcum lætamur: *Sed adjutores ſumus gaudii veſtri*.

CAPUT II.

Corinthum non vênit Paulus, ne moleſtiam Corinthiis pareret. Homini inceſto parcit. Titi reditum magnopere optat. Odor vitæ, odor mortis. Falſi Doctores.

℣. 1. STatui autem hoc ipſum apud me, ne iterum in triſtitiâ venirem ad vos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. STatui ... ne iterum in tristitia venirem ad vos. Cauſam dicit Paulus, cur ex promiſſo ad Corinthios profectus non ſit. In fine capitis ſuperioris ſcripſit, ſe in illis non dominari eo obtentu, quòd Fideles eſſent, ſed in hoc unum incumbere, ut ipſorum gaudio ſerviret, cùm in fide conſtantes eſſent divino beneficio: addit hîc, ſe noluiſſe ad eos proficiſci, dum aliquid corrigendum inter ipſos erat, ne quid triſtitiæ adderet dolori, quem prior Epiſtola pepererat.

℣. 2. Si

(c) Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναί, καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν, τῷ Θεῷ πρὸς δόξαν δι' ἡμῶν. (d) *Alii*: Ἐν αὐτῷ τὸ ναί, διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ ἀμήν. *Ita Alex. Steph. 10, Lin. Barber. 1, Copht. 7, Bern. G. L. alii.* (e) *Chryſoſt.* Ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς, Θεός. τουτέστιν, ὁ μὴ ἐῶν ἡμᾶς παρασαλεύεσθαι ἐκ τῆς πίστεως τῆς εἰς τὸν Χριστόν. (f) 1 *Joan.* II, 20, 27; *Rom.* I, 5; 1 *Cor.* XV, 50. (g) *Vide Chryſoſt. Theodoret.* (h) *Chryſoſt. Theodoret. alii.* (i) *Grot. Bez. Sclater.*
(k) *Theodoret. Photius, apud Oecumen. Eſt. Men. Eraſm. Gagn.*

℣. 2. Si enim ego contriſto vos: & quis eſt qui me lætificet, ni-
ſi qui contriſtatur ex me?
℣. 3. Et hoc ipſum ſcripſi vobis, ut non cùm venero, triſtitiam
ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere: con-
fidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium ve-
ſtrûm eſt.
℣. 4. Nam ex multâ tribulatione, & anguſtiâ cordis ſcripſi vobis
per multas lacrymas: non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis,
quam charitatem habeam abundantiùs in vobis.
℣. 5. Si quis autem contriſtavit, non me contriſtavit, ſed ex par-
te, ut non onerem omnes vos.
℣. 6. Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a
pluribus:
℣. 7. Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte
abundantiori triſtitiâ abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.
℣. 8. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem.
℣. 9. Ideò enim & ſcripſi, ut cognoſcam experimentum veſtrum,
an in omnibus obedientes ſitis.

COMMENTARIUS.

℣. 2. SI EGO CONTRISTO VOS, QUIS EST QUI ME LÆTIFICET? Si ad vos venirem, mœrori futurus *(a)*, an id ipſum mihi jocundum foret? vos enim omni me excipere, & lætitiâ afficere poteſtis. Ingrato igitur itineri me darem, ſi præſenti in ſtatu accederem.

℣. 3. ET HOC IPSUM SCRIPSI VOBIS, UT NON, CUM VENERO, TRISTITIAM SUPER TRISTITIAM HABEAM *(b)*. Hanc ob cauſam literas do, non venio. Vel: Nimirum ut vitia corrigatis, & puniatis peccata, quæ priore Epiſtolâ perſecutus ſum *(c)*; ne, cùm venero, mœſtus eſſe cogar, atque in vos duriùs animadvertere.

℣. 4. EX MULTA TRIBULATIONE SCRIPSI VOBIS. Mœrens dolensque priorem Epiſtolam ad vos dedi; verbisque acrioribus in eâ uſus ſum, non ſimultatis causâ, vel ut moleſtiam vobis parerem, ſed mei erga vos amoris gratiâ, ut corrigerem.

℣. 5. NON ME CONTRISTAVIT *(d)*, SED EX PARTE. Cùm ſcriberem, omnino de inceſti hominis flagitio dolebam *(e)*: at cæterorum in Fide ac virtute conſtantiam ſpectanti, dolor minuebatur. Unius peccatum non omnibus imputo. Grotius ita explicat: *Non totus cœtus me mœſtitiâ afficit, ſed quidam: hoc ideo exprimo, ne quis putet, ſingulos veſtrûm a me accuſari.* Hammondus: Non uni mihi mœſtitiam attulit, ſed omnibus vobis, ſaltem ex parte: hoc eò dico, ne novis illum accuſationibus onerem; vel, ne omnes vos hujus criminis accuſem.

℣. 6. SUFFICIT ILLI OBJURGATIO HÆC, QUÆ FIT A PLURIBUS. Satis eſt, quòd inceſtum hominem Eccleſia univerſa damnaverit atque arguerit, neque neceſſe eſt novas objurgationes addere *(f)*. Reddunt alii Græcum *(g)*: Huic ſatis eſto, iſta hactenus pertuliſſe; ſive de excommunicatione accipias *(h)*, quaſi dicat: Satis diù ab Eccleſiâ ſejunctus fuit: poteſt jam in cæterorum cœtum admitti; ſive de morbo: multum pœnarum ob flagitium dedit morbo *(i)*: poſtulanda jam eſt illius incolumitas.

℣. 7. UT MAGIS DONETIS, parcatis, veniam indulgeatis. Eccleſiæ Proceres alloquitur, cæterosque ex Fidelibus, qui illis acceſſerant, ut majus vel excommunicationi vel objurgationi procerum pondus adderent. Illum in cæterorum cœtum admittite, & conſolamini ſpe veniæ, ne immodico mœrore is opprimatur. Admiratur hic Theodoretus Pauli vim & eloquentiam. Inops hic tentoriorum ſutor mentes animosque hominum ita movere potuit, uti hoc loco conſpicitur; adeò ut neceſſe ſit ſolatii cauſas proferre, & orare, ut mitiores erga peccantem ſint, ne is deſperet.

℣. 8. UT CONFIRMETIS IN ILLUM CHARITATEM; conſolemini, pro illo oretis, in cœtum excipiatis, illique fratris charitatem abſolutiſſimam exhibeatis.

℣. 9. UT COGNOSCAM EXPERIMENTUM VESTRUM: ut experiar, an obtemperetis. Aliud quoque eſt, cur talem ad vos dederim ſuperiorem Epiſtolam, nimirum ut periclitarer, quantum vobis eſſet erga Fidei ac Dei Miniſtros obſequium; certoque intelligerem, an inceſti hominis ſupplicium probaretis, aut diſſidium ſententiarum inter vos ortum, docilitati ac pietati veſtræ nocuerit. Alii ita explicant: Alteram hanc Epiſtolam ad vos do, ut pericliter, quàm facilè obediatis, atque intelligam, utrùm eodem obſequio mihi pareatis imperanti inceſti hominis revocationem, quàm ejectionem mandanti *(k)*.

(a) Ἐλθὼν ἐν λύπῃ. *Chryſoſt.* Πλέον ἐπιτιμῶν, ἀγανακτῶν, ἀποστρεφόμενος.
(b) *Græc. impreſſ.* Ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἔχω, *Ut non triſtitiam habeam. Alii*: Λύπην ἐπὶ λύπῃ, *Triſtitiam ſuper triſtitiam. Ita plures apud Mill.* (c) *Eſt. Grot. Men. Tirin.*
(d) *Edit. Sixti V: Si quis contriſtavit me.*
(e) *Origen. homil.* 1 *in Pſal.* XXXVII; *Pacian. Ep.* 3 *ad Sympron. Ambroſ. & lib.* 1 *de Pœnit. cap. ult. Greg. lib.* 33 *Moral. cap.* 8; *Auguſt. lib.* 3 *contra Epiſt. Parmen. cap.* 1; *& Interp. paſſim.*
(f) *Theodoret. Bez. Eraſm.* (g) Ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων.
(h) *Eſt. Men. alii.* (i) *Vide* 1 *Cor.* v, 4: *Tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis. Vide Grot. Hammond.*
(k) *Theodoret. Eſt.*

℣. 10. Cui autem aliquid donaſtis, & ego : nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſonâ Chriſti.

℣. 11. Ut non circumveniamur a ſatanâ : non enim ignoramus cogitationes ejus.

℣. 12. Cùm veniſſem autem Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino,

℣. 13. Non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non invenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.

℣. 14. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco :

COMMENTARIUS.

℣. 10. CUI ALIQUID DONASTIS, ET EGO. Per Titum, qui paulò poſt redditam priorem Epiſtolam Corinthum venit, Paulum rogaverant Corinthii, ut parceret homini, quem Satanæ tradiderat (l) : reſpondet, cui parcant ipſi, ſeſe libentiſſimè pepercitſe, eumque excipere, pro quo ipſi deprecentur. Addit, ſe homini parcere *propter ipſos in perſonâ*, nomine & authoritate *Chriſti*. Jeſu Chriſti Miniſtrum & Apoſtolum hîc ago (m) ; meâque poteſtate hîc uti volo, ut veſtri causâ homini parcam.

℣. 11. UT NON CIRCUMVENIAMUR A SATANA. Uno omnes aſſenſu parcamus oportet iis qui peccavere, & pœnitentiam agunt, ne nos circumveniat Satanas : nos quidem, ad immodicam ſeveritatem impellens ; peccantes verò, ad deſperationem ac metum inducens (n) : vereamur oportet, ne remedia quæ adhibemus, triumphi materies Satanæ fiant : *Ne remedium noſtrum fiat ſatanæ triumphus*, ait S. Ambroſius (o). Reddi poteſt Græcus (p) : *Ne circumveniamur* & detineamur *a Satana*, uti ab iniquo violentoque domino. Aliter : Ne vincamur & ſubjiciamur a Satana. Ex his colligi poteſt, univerſam Eccleſiam in hominis inceſti ſupplicium conſenſiſſe, ac voluiſſe Paulum, ut eadem in illius reconciliationem concurreret. In utrumque conſenſit obedientiâ, precibus, interceſſione apud Apoſtolum. Reum ejecit, infortunio illius doluit, veniam atque indulgentiam petiit & impetravit.

℣. 12. CUM VENISSEM TROADEM. Epheſo diſceſſit Paulus poſt ſeditionem Demetrii argentarii, ac Troadem, Phrygiæ urbem, venit, inde in Macedoniam navigaturus, uti vidimus (q). Optabat ibi Titum nanciſci, miſſum a ſe Corinthum, ut ex eo diſceret, quem fructum Corinthii ex priore Epiſtolâ retuliſſent : tum etiam in Macedoniam abſque Tito proficiſci renuebat. Profectus eſt tamen, quamquam commodiſſimum Evangelicæ prædicationi oſtium in Phrygiâ patêre cernebat : *Et oſtium mihi apertum eſſet in Domino*. Primos labores meos tam propitio favore proſequutus eſt Deus, ut ingentem in eâ regione fructum fore ſperarem (r). Ejus gentis animos patefecerat Deus, eoſque nactus fueram docilimos (s).

℣. 13. EO QUOD NON INVENERIM TITUM, quem ex urbe Corintho expectabam, aliqua de rebus veſtris auditurus, atque intellecturus, quo animo priorem ad vos meam Epiſtolam excepiſſetis. Cenſet S. Hieronymus (t), Apoſtolum ægrè tuliſſe Titi abſentiam, quòd eo interprete uteretur, atque intelligeret, illius operam ſibi in Macedoniâ magno uſui futuram. At non facilè videmus, Apoſtolum interprete indiguiſſe. Sunt qui putent, Linguarum donum in Apoſtolis non fuiſſe perpetuum. Ajunt alii, Paulum, tametſi Græcè ſcientem, commodè tamen eo ſermone non uſum. Placet aliis, cùm Apoſtoli coram multitudine, ex varii ſermonis gentibus compoſitâ, verba facerent, interpretes reddidiſſe, exempli causâ, Latinè ea quæ ab Apoſtolo Græcè dicebantur, vel in Græcum vertiſſe, quæ Apoſtolus Latinè docebat. Videtur nonnullis munus Interpretum fuiſſe, perſpicuâ oratione explicare myſteria, quæ ab Apoſtolis ſublimiori ſermone tradebantur.

At fusè probat Eſtius, nullâ ex his rationibus propoſitum evinci, atque Apoſtolum interpretis egentem nullâ probabilitate exiſtimari ; cùm Apoſtolus ipſe teſtetur, nullum eſſe linguarum genus, quo ipſe non uteretur (u). I, Græcâ duntaxat linguâ & Syriacâ, quas præter prodigium callebat, univerſum fermè Orientem atque Occidentem inſtituere poterat ; imò Latinâ tantùm utens, toto fermè Occidente percipiebatur. II, In Macedoniâ & Græciâ, quò proficiſcebatur, nullo egebat Interprete, utpote qui Tharſenſis ortu, Græcum ex matre didicerat. III, Græci ſermonis elegantiam, & pronunciationis lepôres Paulus aſpernabatur, teſtatus ubique, ſeſe non oratoriâ eloquentiâ & Philoſophicâ ſubtilitate (x), ſed ſimplicitate Evangelicâ diſputare. IV denique, Apoſtoli dogmata ſua eâ ſapientiâ tradebant, ut inſtitutiones & dogmata ingenio auditorum accommodarent (y) ; & ſiqua myſteria reſeranda eſſent, ipſi præter Interpretis operam explicabant.

℣. 14. QUI SEMPER TRIUMPHAT NOS IN CHRISTO JESU : qui nos de hoſte victores nunquam non facit, per Chriſtum : qui nobis ſubjecit (z) & Judæos & Gentiles, ut illos Evangelio fideles efficiamus ; vel, ut probro afficiamus eos, qui in infidelitate ac pervicaciâ permanſere. Alii (a) ad verbum uſurpant : *Triumphat nos*, de nobis trium-

(l) *Vide Theodoret. Tirin.*
(m) *Matth.* XVI, 19 : *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis, &c. Theophyl.* Ὡς ἀντιπρόσωπος Χριστοῦ ὤν. *Vide & Theodoret.* (n) *Eſt. Menoc. Tirin. alii.*
(o) *Ambroſ. lib. 2 de Pœnitent. cap. ult.* (p) Ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ σατανᾶ. *Vide Bez. & Lud. de Dieu.* (q) *Act.* XX, 1, 7. (r) *Hieronym. Ep.* 150, *qu.* 11, *& ſequ. D. Thom. Primaſ. Sedul. Eſt. his.* (s) *Primaſ. Sedul. Arias Montan. Eſt. alii.* (t) *Hieronym. Ep.* 150, *qu.* 11.
(u) 1 *Cor.* XIV, 18 : *Omnium veſtrûm linguis loquor.* (x) 2 *Cor.* II, 5, *& ſeq.*
(y) 1 *Cor.* III, 1, *& ſeq.* (z) *Ambroſiaſt. Qui triumphat per nos. Eſt. Grot. Men. Tirin. & Grat.*
(a) *Eſt. Druſ. Lud. de Dieu.* Τῷ θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ Χριστῷ.

℣. 15. Quia Chriſti bonus odor ſumus Deo, in iis qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt:

℣. 16. Aliis quidem odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus?

℣. 17. Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.

COMMENTARIUS.

triumphum agit; nos Fidei ſubjecit, ac veluti triumpho agit, cen hoſtes, gratiæ ac Spiritûs ſui viribus ſuperatos.

ODOREM NOTITIÆ SUÆ MANIFESTAT PER NOS; Bonos odor bonum nomen eſt (β); malus, malum (γ). Chriſti bonus odor erant Apoſtoli, quòd ubique illius religionem, dogmata, vitam, Reſurrectionem, Divinitatem prædicarent; dictiſque conſentientes ſanctitate morum, eruditione, prodigiis, mortuos in vitam quodammodo revocarent, erutos e tenebris infidelitatis, atque ad Fidei lumen adductos: at infidelibus & incredulis *odor mortis* erant, ℣. 16, quòd nimirum illi Evangelium audientes ut reſiſterent ac repugnarent, ſuâ ipſi culpâ in exitium ruerent; ac ſponte in morte verſantes, peccatum exaggerarent contemptu veritatis, quam audiebant (δ). Quædam odorum genera animum recreant, & ſolatio ſunt olfacientibus; quædam verò pernicioſa ſunt, capiti noxia, ipſamque mortem interdum inferunt. Huc alludit Apoſtolus.

℣. 16. ET AD HÆC QUIS TAM (ε) IDONEUS? ut ſcilicet Evangelium prædicet, maliſque odor mortis ſit, vitæ bonis. Niſi Deus mero miſericordiæ beneficio ad hoc munus nos elegiſſet, atque inſtruxiſſet gratiâ ad illud optimè explendum neceſſariâ, quis noſtrûm tanto muneri ſatisfaceret? Non enim ipſi hanc provinciam ultro ſuſcepimus.

℣. 17: *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei.* Magni momenti res non eſſet Evangelii prædicatio, ſi imitaremur nonnullos, illud adulterantes, dogmata vitiantes, officia ab eo imperata diſſimulantes, ſuique ingenii inventa Dei verbo miſcentes (ζ); uti ſolent ii, qui vinum aquâ miſtum pro mero vendunt (η). Græcum alii reddunt (θ): *Abutentes ad quæſtum*, lucrum ex Dei verbo quærentes. Arguit hic falſos Apoſtolos, Evangelium idcirco prædicantes, quò lautiùs viverent, quique vitandi diſcriminis causâ Chriſtianam veritatem corrumpere non verebantur.

℣. 17. SED EX SINCERITATE. Prædicationis ſuæ ſinceritatem, liberalitatem, veritatem opponit ſimulationi, fraudibus, cupiditati, quibus diſtinguuntur falſi Apoſtoli, quos paſſim accuſat.

CAPUT III.

Commendatitiis literis non eget Paulus, qui ipsâ Corinthiorum converſione commendatur. Novum Fœdus majori dignum eſt honore quàm Vetus. Velum Moſaicæ Legi prætenſum: illud verò ab iis qui credunt Evangelio, removetur.

℣. 1. INcipimus iterum nosmetipſos commendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitiis epiſtolis ad vos, aut ex vobis?

COMMENTARIUS.

℣. 1. INCIPIMUS ITERUM NOSMETIPSOS COMMENDARE? Ut muneris ſui dignitatem tueretur Apoſtolus adversùs falſos Apoſtolos falſoſque Doctores (a), qui ipſum maledictis proſcindere, ejusque authoritatem infringere conabantur, coactus fuerat non paucis prioris Epiſtolæ locis (b) de ſe nonnulla prædicare: hîc iterum cogitur commendare muneris ſui præſtantiam, ac docere, quàm multis partibus Evangelium ſit Moſaicâ Lege nobilius. Occupat autem Corinthiorum animos, teſtatus, ſe iſta non dicturum, niſi neceſſitas cogeret.

AUT EGEMUS (c), SICUT QUIDAM, COMMENDATITIIS EPISTOLIS? Falſi Apoſtoli, ut authoritatem ſibi conciliarent, & quò moliiùs ab Eccleſiis exciperentur, ex iis locis, unde diſcedebant, commendatitias Epiſtolas poſtulare conſueverant, ut hoſpitium & reliqua ad vitam neceſſaria ſibi exhiberentur, omnesque ceu exploratæ fidei hominibus crederent. Epiſtolis hiſce Paulus verique Apoſtoli non indigebant. Prodigia, & Spiritûs Sancti dona, quæ nunquam ab iis aberant, ipſorum

(β) *Jerem.* XLVIII, 11, *Osee*, XIV, 7.
(γ) *Geneſ.* XXXIV, 30; *Exod.* V, 21. (δ) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eſt. Men. alios.*
(ε) *Tam, non legitur in Græc. Syr. Ambroſiaſt. Sedul. &c. Sed legunt S. Germ. & Clarom. Lat. Hieronymiaſt. Vide Eſt. & Mill.* (ζ) *Chryſoſt.* Καπηλεύοντες τὸν λόγον τῦ Θεῦ. Τὰ αὐτῶν ἀναμίγνυντες τοῖς θείοις. *Ita Theodoret. & alii plures.* (η) *Isai.* I, 22.
(θ) *Vide Eſt. Tirin. Men.* Καπηλεῦσαι. *Heſych.* Πραγματεύεσθαι. *Confer* 1 *Timoth.* VI, 5; *Tit.* I, 11; 1 *Petri*, II, 5. (a) *Chryſoſt. Theodoret.* (b) *Vide* 1 *Cor.* I, 11, 23, *& ſeq. &* II, 5, 6; IX, 1, 2; XIV, 18, 37. (c) Εἰ μὴ χρήζομεν, *Niſi egeamus. Alii:* ἢ μὴ χρήζομεν; *Aut non indigemus? Ita Steph.* 1, *S. Germ. Clarom. G. L. Syr. Arab. Theod. Ambroſiaſt.*

Digitized by Google

℣. 2. Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab omnibus hominibus:

℣. 3. Manifeſtati, quòd epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.

℣. 4. Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum:

℣. 5. Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:

℣. 6. Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non litterâ, ſed Spiritu; littera enim occidit, Spiritus autem vivificat.

COMMENTARIUS.

rum prædicationem ac virtutem ſatis ſuperque commendabant. Quoddam ironiæ genus in his verbis latet.

℣. 2. Epistola nostra vos estis. Ubi nos eſſe Corinthiorum Apoſtolos, eamque Eccleſiam inſtituiſſe dixerimus, ſatis agnoſcimur. Veſtra Religio, pietas, virtus nullum hominum latent (d). Iſta nobis favent teſtimonia. Hæc porrò Epiſtola non exteriùs exarata eſt, ſed *in cordibus noſtris*, ita ut legi queat ac percipi *ab omnibus hominibus*. At qui fieri poteſt, ut quæ in corde meo exarata eſt Epiſtola, ea ab omnibus legi queat? Nimirum, me vel non loquente, eamque intra me perlegente, effecta ipſa clamarent. Nemo ignorat & Corinthios ad Chriſtum converſos, & me Corinthiorum Apoſtolum. Quamobrem commendatitiis literis non egeo.

℣. 3. Manifestati, quod epistola estis Christi. Minimam Epiſtolæ hujus, ſibi tam honorificæ, partem, converſionis nempe Corinthiorum, ſibi arrogat Paulus. A ſe ſcriptam non aſſerit, ſed paratam ordinatamque: *Miniſtrata a nobis*, Sanctus ipſe Spiritus ſcripſit: *Scripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi*. Nihilo majorem operam in illam contulimus, quàm in Legis tabulas Moyſes, quas ipſe quidem e fodinâ eruit, dolavit, paravit (e); at Dei digitus decem Legis præcepta deſcripſit.

℣. 4. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum. Demiſſo prorſus animo fateor, me indignum eſſe miniſterio, quo fungor, veſtræque Fidei ac meæ prædicationis effectus, propagationem Evangelii, veſtrum denique profectum meis viribus multo eſſe ſuperiores (f): quamobrem omnem illorum gloriam in Deum refero, fateorque, me ita loqui audere per Chriſtum. Si prædicationis meæ ſigillum eſtis vos (g), meaque Epiſtola, id ex merâ Jeſu Chriſti ac Dei Patris benignitate impetravi.

℣. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid (boni) a nobis quasi ex nobis. Qui poſſemus animos menteſque veſtras aperire, ut ſalutis verbum exciperetis, cùm ex nobis ipſi, noſtriſque viribus quidquam boni animo decernere, Deoque gratum & æternâ mercede dignum cogitare nequeamus (h)? Veritatis ipſius effatum eſt, nihil boni poſſe nos agere ſine Deo (i): *Sine me nihil poteſtis facere*. Abſque Jeſu Chriſti gratiâ, fide, ſupernoque Dei auxilio in iis, quæ ad morum ſanctitatem ac meritum pertinent, id ſumus, quod viti palmes, qui ſtatim a vite ſejunctus, inutilis eſt (k). At *qui ex nobis tamquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus* (l). Apoſtolus ipſe (m): *Omnia poſſum in eo qui me confortat*.

Cùm dicimus, nihil boni cogitare nos poſſe ex nobis, cogitationes intellige ſanctas & meriti feraces, quibus ad fidem, ſalutem, converſionem ducimur; non eas, quæ in ſolâ meditatione ac naturæ ordine verſantur, bonum aliquod ejuſdem ordinis ac naturæ ſpectantes. Hujuſmodi erant bonæ veterum Philoſophorum cogitationes, & gentium, quæ Chriſtum Jeſum veramque Religionem ignorabant; vel eorum, qui cùm noverint, traditis ab eâ veritatibus animum vel curioſitatem inaniter paſcunt (n).

℣. 6. Sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti. Spectant hæc ad ſuperiorem ſententiam (o): *Et ad hæc quis idoneus?* Quis hujus muneris capax? Nos certè ex nobis idonei non ſumus; ſed idoneos facit Deus, nos inſtruens ſapientiâ, gratiâ, viribus, ut feliciter expleamus. Iniquus fuero, ſi boni partem alteram Deo, alteram mihi arrogavero, ait S. Chryſoſtomus (p): omnia ex eo eſſe confiteor.

Non littera sed spiritu. Apoſtoli miniſtri ſunt novi Fœderis, Evangelii, Regni Dei: *non litera*, Moſaicæ Legis in lapide deſcriptæ, *ſed Spiritûs* & Novæ Legis, Spiritum Sanctum largientis & gratiam, cujus ope ipſius præcepta ſervantur. Moſaica Lex indicabat, quid bonum eſſet, quid malum; at minimè ſuppeditabat vires, quibus impleretur illud, hoc vitaretur. Jeſu Chriſti

(d) *Theodoret. hic*: Ἐπιστολὴν ἔμψυχον ἔχομεν τὰ καθ' ὑμᾶς συνιστῶσαν ἡμᾶς, τὴν πίστιν τὴν ὑμετέραν, τὴν πανταχοῦ γῆς καὶ θαλάττης ᾀδομένην.

(e) *Deut. x, 1, 3: Dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, & ſcribam in tabulis verba quæ fuerunt in his quas antè confregiſti.*

(f) *Vide ſup. 2 Cor. II, 16.*

(g) *1 Cor. IX, 2: Signaculum Apoſtolatûs mei vos eſtis in Domino.*

(h) *Vide Auguſt. de Dono perſever. cap. 13; Concil. Arauſic. 2, can. 7.*

(i) *Joan. XV, 5.*

(k) *Joan. XV, 4.*

(l) *Concil. Trident. ſeſſ. XIV, cap. 8.*

(m) *Philipp. IV, 13.*

(n) *Eſt. Menoc. Auguſt. loco citato, & alibi ſæpiùs.*

(o) *2 Cor. II, 16.*

(p) *Chryſoſt. homil. 6 in 2 Cor. hic.* Οὐχ ἵνα ἴσως πεποίθησιν ἔχωμεν, ὡς τὸ μὲν ἡμέτερον εἶναι, τὸ δὲ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὸ πᾶν αὐτῷ ἀνατίθημι καὶ λογίζομαι.

℣. 7. Quòd ſi miniſtratio mortis, litteris deformata in lapidibus, fuit in gloriâ: ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi, propter gloriam vultûs ejus, quæ evacuatur:

℣. 8. Quomodo non magis miniſtratio Spiritûs erit in gloriâ?

℣. 9. Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloriâ.

℣. 10. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam.

℣. 11. Si enim quod evacuatur, per gloriam eſt: multò magis quod manet, in gloriâ eſt.

℣. 12. Habentes igitur talem ſpem, multâ fiduciâ utimur:

℣. 13. Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, quod evacuatur,

COMMENTARIUS.

ſti Lex abſolutiſſimè docet, quid præſtaadum ſit, quid ſugiendum, validisqde inſtruit auxilis, quibus hæc officia expleantur (q).

Litera enim occidit, spiritus autem vivificat. Litera, ſeu Moyſis Lex mortem decernit in eos, qui præcipua mandata violaverint (r); puta in Sabbathi profaoatorem, adulterum, homicidam, &c. At Spiritus, ſeu Nova Lex vitam animæ & gratiam per baptiſmum largitur. Oppoſitio vitæ spiritûs, quam Nova Lex comparat, & Legis, quam Vetus minitatur, argumento eſt, hîc de animæ morte agi. Quî verò Lex mortem animæ affert? Certè non ita, ot eam directè efficiat, aut propriè illam velit Deus Legis author, aut Moyſes Legislator; ſed quòd mors occaſiooe Legis oriatur, dum ea irritat concupiſcentiam, quæ oltro fertur in vetita (s); dum facit ot cognoſcas quid malum ſit, at auxilia non ſuppeditat, quibus reſiſtas cupiditati, imperataque compleas (t).

Aliter etiam uſurpari poteſt: *Litera occidit*; Scriptura ex mero verborum ſono intellecta, interdum hominem in errorem inducit, nocetque legenti non ſatis erudito (u): *Spiritus vivificat*; eadem ipſa vero ſenſu accepta, & ex Eccleſiæ regulis explicata, ſervatâ Fidei analogiâ, vitam animæ largitur, piè inſtituit, in Fide ac pietate confirmat: atque hoc ipſum fermè vult Chriſtus in Evangelio (x): *Spiritus eſt qui vivificat: caro non prodeſt quidquam.* Hujosmodi tamen explicationes ſatis literales non ſunt.

℣. 7. Quod si ministratio mortis litteris deformata. Si Dei Lex a Moyſe volgata, & in lapideis tabulis deſcripta, quæ per ſe mortem ſolummodo pariebat eo ſenſu quo diximus; ſi iſta Lex, inquam, tanto cum gloriæ fulgore lata eſt, ut Moyſes eam accipieos os velare coactus fuerit (y); quid reputandum eſt de *miniſtratione spiritûs*, ℣. 8, & glorioſo Apoſtolatûs munere? Quàm ingens erit Apoſtolorum gloria, & quis ſese ſatis idoneum exiſtimet, ot omnia illios officia expleat? *Ad hæc quid idoneus?* Quamobrem, fratres mei, ſi minifterii mei dignitatem ipſe commendo, nihil me mihi arrogare arbitraminor: fateor, id me non promeruiſſe, eoque eſſe indigniſſimum; vobisqoe ipſis fatendum eſt, quibuslibet laudibus majus eſſe, ſi illud cum Moyſis miniſterio contuleritis.

Quæ avacuatur, quæ defitura eſt. Fulgor oris Moyſis ad certum ſolummodo tempus erat permanſurus, ejusqoe cum morte periturus; ac temporarius hujus gloriæ splendor figura erat Legis Moſaicæ, quoad Leges merè rituales demum abrogandæ. Temporariam hanc Legem excepturum erat Evangelium, æterno lumine micans.

℣. 10. Nam nec glorificatum ast quod claruit in hac parta. Hæc ipſa Legis gloria vera non eſt, ſi cum Evangelii gloriâ conferatur (z). Quicquid maximè glorioſum eſt in Moyſe, cum dignitate Novæ Legis & Apoſtolorum Jeſu Chriſti collatum, nihil omnino eſt. Quæ verò iſthæc Evangelii ſupra Legem præſtantia? Nimirum in eo ſita eſt, quòd gratia in Evangelio uberrima ſit, dona Spiritûs Sancti præſtantiſſima, perfectio ſublimis, præcepta nobiliſſima, merces maxima & magnificentiſſima.

℣. 12. Habentas igitur talam spem, multa fioucia utimur. Refertur hæc ſententia ad ℣. 4. ubi dicitur: *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum.* Hac fidoeiâ freti, miniſterium noſtrum tam multis attollimus, Legemqoe Novam cum Veteri collatam commendamus. Inanis arrogantia non eſt, ſed ſapiens confidentia, Jeſu Chriſti verbis ac promiſſionibus Patris freta. Laudes hujusmodi in me non deſinunt: unicus illarom finis eſt Dei gloria, ac fundamentum veritas.

℣. 13. Ut non intendarant filii Israal in faciem ejus, quod evacuatur. Ne temporarium

(q) *Vide Rom.* VII, 7, 8, 9, *& ſeq. Et Aug. paſſim, lib. de Spiritu & litterâ; & contra adverſ. Legis & Prophet. & lib.* 3 *contra duos Epiſt. Pelag. cap.* 7, *&c.*

(r) *Chryſoſt. hic*: Γράμμα δ' ἐνταῦθα τὸν νόμον φησὶ, τὸν κολάζοντα τοὺς πλημμελοῦντας. Πνεῦμα δὲ, τὴν χάριν τὴν διὰ τοῦ βαπτίσματος τοὺς ὑπὸ τῶν ἁμαρτιῶν νεκρωθέντας ζωοποιοῦσαν. *Ita & Theodoret. & Theophyl. & Vatab. Zeger. Grot.*

(s) *Vide Rom.* VII, 8, 9, 10, *& ſequ. & Rom.* IV, 15: *Ubi non eſt Lex, nec prævaricatio. Et* ℣. V, 13: *Peccatum non imputabatur, cùm Lex non eſſet.* 20: *Lex ſubintravit ut abundaret delictum.*

(t) *Vide Aug. de Spiritu & litter. cap.* 4, *& ſeq. & lib.* 15 *contra Fauſt. cap.* 8, *& alibi ſæpiùs. Eſt. hic.*

(u) *Auguſt. lib.* 3 *de Doctrinâ Chriſt. cap.* 5, 6, 7, *& alibi non rarò.*

(x) *Joan.* VI, 63.

(y) *Exod.* XXXIV, 32.

(z) *Chryſoſt. hic.* Ἐν τῷ μέρει τούτῳ, τουτέστι, κατὰ τὸν τῆς συγκρίσεως λόγον. Εἰ γὰρ συγκρίνοιτο ταύτῃ ἐκείνη, οὐδὲ δόξα ἐστὶν ἡ δόξα τῆς παλαιᾶς.

℣. 14. Sed obtuſi ſunt ſenſus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum (quoniam in Chriſto evacuatur.)

℣. 15. Sed usque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.

℣. 16. Cùm autem converſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.

℣. 17. Dominus autem Spiritus eſt: Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.

COMMENTARIUS.

rium jubar, quo Moyſis os micabat, Israëlitæ intuerentur. Perſpicua eſt ſententia. Græcus tamen (a), Latinique Patres complures (b): *Ut non intenderent filii Israël in finem ejus quod evacuatur.* Quæ lectio potior videtur. Ait Apoſtolus, Legis Evangelicæ Miniſtros audacter & perſpicuè disputare, ac pateſacere myſteria Religionis hactenus ignota; cùm Moyſes nonniſi velato ore Hebræos alloqueretur: *Ne Legis infirmitatem brevitatemque inspicerent*, cujus figura erat temporarium oris illius jubar, & velum quo ipſe tegebatur. Allegoricè explicat Paulus velum & fulgorem oris Moyſis, ejusque finem cauſamque genuinam oſtendit (c). Cùm ait, *Ut non intenderent filii Israël in finem ejus quod evacuatur*, Legis nempe deſituræ, non illud vult, primum hæc fuiſſe verumque Moyſis propoſitum (d), ſed ex ipsâ re apparuiſſe, id non caruiſſe myſterio, arcanoque conſilio Dei, rem ita ordinantis, ut veritatem ab Apoſtolo detectam ipſi intueremur.

℣. 14. SED OBTUSI SUNT SENSUS EORUM. Pervicaces & cæcæ permanſere illorum mentes. Omnia per velum cernunt Hebræi: Lex illis liber eſt clauſus; cùmque illius corpus teneant, mentem non aſſequuntur: Literam legunt, ſententiam non percipiunt. Velum, quo Moyſis os tegebatur, ad hoc usque tempus animis illorum prætenſum eſt; cùm enim Chriſtum Jeſum non habeant, neque vaticiniorum explicationem, neque veram moralium ſanctionum cognitionem, neque in univerſum ſacrorum voluminum intelligentiam poſſident. Cæci ſponte fiunt; ipſorumque incredulitas velum eſt, quo illorum oculi teguntur (e). Prophetæ, Chriſtus Jeſus, Apoſtoli non ſemel cæcitatem Judæorum, eorumque pervicaciam accuſavere (f).

℣. 16. CUM AUTEM CONVERSUS FUERIT AD DOMINUM (g), AUFERETUR VELAMEN. *Converſus fuerit* vel Israël, vel populi animus, vel Moyſes, ſeu denique Lex; hæc tamen omnia in unum idemque recidunt. Cùm Deus ſub exitum ſæculorum Israëlitas ab errore & pervicaciâ revocaverit, auferet velum, quo illorum mens obducitur (h). Sive, cùm genuina Moyſis ſeu Legis ſenſa detexerit, auferet velum, quo illi hactenus prohibiti fuere ne intelligerent. Dicendum videbatur, ablatum iri velum, antequam illorum converſionem diceret; antequam enim fiat res, impedimenta removentur. At in familiari ſermone non usque adeò ſervatur ordo, præſertim ubi de rebus agitur eodem tempore contingentibus, ſimulque in eumdem effectum concurrentibus.

℣. 17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST: UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS. Revocanda hîc ſunt, quæ ſupra dixit, literam occidere, Spiritum vivificare; Legem eſſe literam, Spiritum verò Evangelium; miniſtrum Legis Moyſem, Spiritûs Apoſtolos. Ait hîc, Spiritum oppoſitum literæ eſſe Deum, authorem libertatis filiorum Evangelii; ab ipſo converti animos Judæorum, ac removeri velum ex illorum oculis; ab ipſo denique cor lapideum, quod Judæis ineſt, in carneum mutari: poſtremò, in Chriſtianâ Religione homines eſſe spiritu & veritate adorantes, filios Dei, verè liberos, uti diſtinguuntur a ſervitutis spiritu, quo animabantur Judæi. Spiritus vivificans opponitur literæ occidenti: Moyſes inſtar corporis erat; Chriſtus Jeſus eſt Spiritus (i).

Græci Patres, atque Orthodoxi Theologi vulgò utuntur hac ſententiâ, ut Sancti Spiritûs divinitatem evincant. *Dominus Spiritus eſt*, vel *Dominus eſt Spiritus* Dei viventis (k), quo implemur in Baptiſmo, in corda hominum effuſus, largiensque poteſtatem clamandi: Abba, Pater. Idem iſte Spiritus novum Fœdus a vetere diſtinguit. Israël ad Deum convertitur; Chriſtianus ad Spiritum Sanctum; uterque ad Deum, quia *Dominus Spiritus eſt*. Israël eſt ſervus, dum ſub Lege eſt; liber eſt Criſtianus, ſtatim ac ſub Spiritu; *ubi* enim *Spiritus Domini, ibi libertas*.

Graverolius, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter (l), contendit, vitiatam eſſe vulgatam hujus loci lectionem, atque ita reſtituendam: *Ubi Dominus, Spiritus eſt* (m), non, *Dominus Spiritus eſt*. His autem rem conficit: I, Superior verſiculus docet, *Domini* appellatione intelligendum eſſe Jeſum Chriſtum. Porrò nullus Scripturæ locus tradit, Spiritum eſſe Chriſtum, multoque minùs Spiritum hunc, nempe Spiritum Sanctum, tertiam ſanctæ Triadis Perſonam; nullumque ex iis quæ in contrariam partem afferuntur (n), ſatis evincere. Fi-

(a) Πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου. *Sed Alex. Velez. aliqui Græci:* Ἐπὶ τὸ πρόσωπον.

(b) *Auguſt. contra adverſ. Leg. & Prophet. lib. de Spiritu & litt. cap. 57, & aliis locis a Bedâ collectis. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Sedul. Primaſ. Græci plerique omnes. S. Germ. & Clarom. Latin.*

(c) *Vat. Eſt. Grot.* (d) *Vorſt. Gloſſ. Sclater. alii.*

(e) *Vide Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Origen. homil. 14 in Jerem. & homil. 12 in Exod. Theodoret. hic.*

(f) *Vide Isai.* VI, 10; *Matth.* XIII, 14; *Marc.* IV, 12; *Joan.* XII, 19; XII, 40; *Act.* XXVIII, 26, 27; *Rom.* XI, 7, 8, *&c.* (g) Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς Κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα.

(h) *Rom.* XI, 26: *Donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Israël ſalvus fieret.*

(i) *Vide Eraſm. Men. Tirin. Eſt.* (k) Ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν. *Vide infra,* ℣. 18: *A claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* (l) Tom. 9 Bibliot. Univers. pag. 203.

(m) Legit: Οὗ δὲ Κύριος, τὸ πνεῦμά ἐστι, pro, ὁ δὲ Κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι.

(n) Vide *Marc.* II, 8; *Rom.* I, 3, 4; *& Timoth.* III, 16; *Hebr.* IX, 14; *1 Petri*, III, 18, 19, 20; *Joan.* XI, 63, collatum cum ℣. 6.

℣. 18. Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.

COMMENTARIUS.

Filiom appellari Spiritum. II, Tametſi Jeſus Chriſtus Spiritos Saoctus, Spiritus Divinus, Spiritus lucis nuncuparetur, nulla probabilitas major contrariæ opiniooi accederet. Ipſemet Pauli verba rem demooſtrant: *Cùm converſus fuerit* Iſraël *ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Qoid conſentàneum eſt inter iſta, *Cùm converſus fuerit* Iſraël *ad Dominum, auferetur velamen*, & illa, *Dominus autem Spiritus eſt?* At ſervatâ Graverolii verſione, nibil eſt implexum: *Cùm converſus fuerit* Iſraël *ad Dominum, auferetur velamen. Ubi autem Dominus, Spiritus eſt; & ubi Spiritus, ibi libertas.* Nibil in Textum mutat Graverolius: prooomen ὁ *hoc* dumtaxat vertit in particulam οὗ, ubi. Veteres, ac præſertim Lacones literam O pro οὗ non raiò uſurpabant (o):

Una fuit tantùm, qua reſpondêre Lacones,
Littera, & irato Regi placuere negantes.

℣. 18. REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECULANTES. Judæus inter Legis ombras nonniſi per velum videt, ac literâ occidente dumtaxat paſcitur: nos verò divinas veritates perſpicuè intuemor, edocti unctione Spiritûs Sancti myſteria remotiſſima, quæ hîc *gloria Domini* (p) noncupantur. Reddi poreſt Græcus (q): *Noe ſeu in ſpeculo detectâ facie gloriam Domini inſpicientes.* Vel ex Græcis Patribus (r): Exprimimus, *repræſentamus velut in ſpeculo gloriam Domini.* Miniſtri Dei, Apoſtoli, Chriſtiani omnes ceu ſpeculum ſunt, in qoo exhibetur Chriſtus: illios charitas, modeſtia, patientia, humilitas, manſuetudo noſtris in moribus fulgeant neceſſe eſt. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro* (s).

IN EAMDEM IMAGINEM TRANSFORMAMUR; ſive ſpeculum ſimus, quo exprimitor Chriſtus; ſive gloriam oris illius abſque velo ac velut in ſpeculo intueamur: in Chriſtum transformamur; Chriſti effigies in nobis micat; illum in nobis geſtamus, illius virtutes ac ſanctitatem, quaotum creaturæ fas eſt, imitantes: nosque *a claritate in claritatem* progredimor, *tamquam a Domini ſpiritu*, Per Divini Spiritûs illuſtrationem. Fulgore Homanitatis Jeſu Chriſti, & gloriâ Patris in oobis micante, utì olim Dei præſentia in ore Moyſis micuit, glorioſi folgentesque reddemur, atque ita de jubare io jubar progrediemur, ex charitate Dei in noſtram, illâ in nos migrante: modeſtiam colemus, patientiam, lenitatem, benignitatem, ejus exemplo: cœleſtes erimus, ut ipſe cœleſtis eſt (t). Si participes fuerimus perpeſſionum illius, ejus quoque gloriâ & regno potiemur (u). *Si ſuſtinebimus, & regnabimus.* Hoc io nobis fit per illuſtrationem Spiritûs Sancti, qua transformamur in Chriſtum, indoimurque fulgore & gloriâ, de qua egimus, quæ in terris incepta per ſimilitudinem cum Chriſto, in Cœlis perficitur, nobis immortalitate indutis, æternâque gloriâ coronatis.

Pro, *Tamquam a Domini Spiritu*, complures cum Græco legunt (x): *Tamquam a Domino Spiritu.* Tamquam a Spiritu Sancto, qui Deus eſt. Extraordinariâ hac ſyntaxi non temerè uſus eſt Apoſtolus; eâ enim confirmat id quod ſupra dixit, ℣. 17: *Dominus Spiritus eſt.* At Vulgatæ verſio, quam Patres & Latini Ioterpretes probant, cum Græco componitur, eamdemque in ſententiam redit; Spiritus enim Sanctus, tertia ſanctæ Triadis Perſona, nos ſanctos efficiens, atque in Chriſtum Jeſum transformans per gratiam, omnino Deus eſt, non aliter quàm Pater & Filius.

Tertullianos legit (y): *Tamquam a Domino ſpirituum*; cui lectioni ſavent Interpretes noonulli, reddentes, *a Domino Spiritûs*; reverâ enim Spiritos Sanctos ſupernorum munerum arbiter ac domious eſt, ea diſtribuens quibus & quo modo libet, ex ſanctiſſimis Sapientiæ ac Providentiæ ſuæ legibus & ioſtitutis.

(o) *Auſon. Vide Scalig. in eumdem Joan. Gerard. Voſſ. Ariſtarch. lib. 5, cap. 13; Salmaſ. not. ad conſecrat. templi in Agon. Herod. Attic. pag. 37; & in Addend. pag. 217; & de tranſubſtant. contra Grot. pag. 31.*
(p) *Eſt. Tirin. alii.*
(q) Ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ κατοπτριζόμενοι.
(r) *Chryſoſt. homil. 7. Theodoret. hic:* Ὥσπερ γὰρ τὸ διαφανὲς ὕδωρ ἐκμάσσεται τῶν ὁρώντων τὰς ὄψεις, καὶ τῶν ὑρανῶν τὰ αὐγὴν, Οὕτω ἡ καθαρὰ καρδία τῆς θείας δόξης οἷον ἐκμαγεῖον, καὶ κάτοπτρον γίνεται.
(s) 1 *Cor.* VI, 20.
(t) 1 *Cor.* XV, 48.
(u) 2 *Timoth.* II, 12.
(x) Ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. *Ita Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. hic. Baſil. lib. de Spiritu Sancto, cap. 20. Bez. Valla, Eſt. Glaſſ. Eraſm.*
(y) *Tertull. lib. 5 contra Marcion. cap. 11.*

CAPUT IV.

Munus Evangelicum ab Apoſtolis impletum inter odia & ærumnas. Reproborum incredulitas. Apoſtolorum conſtantia inter mala. Æterna merces pro breviſſimis hujus vitæ laboribus.

℣. 1. IDeò habentes adminiſtrationem, juxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus,

℣. 2. Sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutiâ, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo.

℣. 3. Quòd ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis, qui pereunt, eſt opertum:

℣. 4. In quibus Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HABENTES ADMINISTRATIONEM (a) JUXTA QUOD MISERICORDIAM CONSECUTI SUMUS. Commendatâ Evangelici miniſterii præſtantiâ ſupra miniſterium Legis Capite ſuperiori, narrat Corinthiis labores in prædicatione exantlatos, & conſtantiam ſibi a Deo inter mala conceſſam. Hac porrò narratione illud ipſum vult quod ſibi propoſuit, exitium ſcilicet famæ, quam falſi Apoſtoli inter Corinthios ſibi comparaverant, ac Fidelium munitionem adversùs eorumdem inſidias, qui ea, quæ Paulus tanto labore ſtruxerat, deſtruebant; docebantque, Legis obſervationes eſſe ad ſalutem neceſſarias. Mirum non eſto, ſi hac fiduciâ nos loquentes auditis; neque ſuperbiæ aut arrogantiæ eſſe putetis, quæ de miniſterio noſtro prædicamus: Nimirum illius dignitatem agnoſcimus, certòque ſcimus, nos a Deo miſſos, ac favore tam perſpicuo protectos. Ipſe ſcilicet nos robore munit & conſtantiâ inter adverſa. At falſos Apoſtolos quis miſit? quas illi Eccleſias inſtituerunt? quæ mala pertulere?

NON DEFICIMUS: Labori non cedimus; ſive, ut nonnullis placet (b): *Non ſegneſcimus*, diſcrimen non fugimus, uti nequam illi, qui quæſtum ex Evangelio faciunt, ſuaque tantummodo ipſorum commoda ex eo quærunt.

℣. 2. SED ABDICAMUS OCCULTA DEDECORIS; flagitia ſcilicet, quorum turpitudo latebras quærit. Spectari putantur his verbis falſi Apoſtoli (c), qui turpi cupiditate acti Evangelium nuntiabant, ut lucrum & commodum vitæ in eo nanciſcerentur (d); vel qui ſeveritatem præferentes, turpes & flagitioſas libidines clam nutriebant (e).

NON AMBULANTES IN ASTUTIA; ceu nequam illi præcones, quos dixi; qui credulos ſpecie pietatis fallunt, *adulterantes verbum Dei*, cui animi ſui inventa admiſcent (f); qui Divinas veritates corrumpunt infirmantque, ut odia hominum vitent; quæ quidem vitari nequeunt ab iis, qui acri animi fervore ac ſtudio vitia, errores, libidineſque hominum inſectantur (g). Humanis artibus exiſtimationem hominum, ut illi, non captamus, neque commendatitias Epiſtolas ſimiliter quærimus apud Fideles, ad quos proficiſcimur (h). Una nobis commendatio apud homines eſt ſanctitas morum, ſinceritas, veritas denique prædicationis: *In manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*. Simulatio & fraus tandem aliquando deteguntur. Veritas, ſinceritas, æquitas tempori & humani judicii inconſtantiæ reſiſtunt. Provocat Paulus *ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*; ibi cauſam ſuam agi cupit, ubi nullus favor, præjudicata opinio, metus.

℣. 3. QUOD SI ETIAM OPERTUM EST EVANGELIUM, &c. Dixit, luculentiſſimum miſſionis ſuæ argumentum eſſe manifeſtationem veritatis, ac felicem prædicationis progreſſum. Occupat hîc id quod objici poteſt. Veritatis manifeſtatio id quidem efficere poteſt, ut iis in locis, in quibus tradita eſt, agnoſcaris: at ubi ipſa ignota eſt, quî tu notus fias? Commendatitias literas ad loca, in quibus Eccleſias inſtituiſti, non quæſieris: at non item ubi nunquam fueris. Respondet Paulus, Evangelium iis dumtaxat ignotum eſſe, qui ſponte incredulitatem fovent. Profectò nulla tunc erat Romani Imperii Provincia, quò non penetraſſet Evangelium. Ubicumque Judæi erant, res a Chriſto geſtæ noſcebantur. Apoſtoli, vel horum Diſcipuli in omnes terrarum partes pervaſerant. Veri & priſci Apoſtoli ubique noti erant, magnâ cum exiſtimationis acceſſione. Si veritatem diſcere, & audire Evangelium æquè cuperent homines, quàm nos nunciare, jamdiù nulli eſſent increduli & infideles (i). Hæc de Judæis præſertim intelligenda ſunt, quorum e numero erant falſi Apoſtoli, quos hîc arguit Paulus.

℣. 4. IN QUIBUS DEUS HUJUS SÆCULI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIUM. His quidem conditum adhuc eſt ſub velo Evangelium; pervicacibus hiſce

(a) Διὰ τοῦτο ἔχοντες τὴν διακονίαν ταύτην, *Habentes igitur hanc adminiſtrationem*.

(b) Οὐκ ἐκκακοῦμεν. *Grot. Bez. Pag. Piſc.*

(c) *Theodoret. Grot. Eſt. Menoc.* (d) 1 *Petri*, v, 2; & *Tit.* I, 11: *Docentes quæ non oportet turpis lucri gratiâ*. (e) *Epheſ.* v, 12: *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere*.

(f) 2 *Cor.* II, 17: *Non enim ſumus ſicut plerique adulterantes verbum Dei*. *Græc.* Καπηλεύοντες, *hic*, δολοῦντες, *Falſantes, dolo tractantes*. (g) *Vide Philipp.* III, 18: *Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt*. (h) 2 *Cor.* III, 1. (i) *Vide Theodoret. Eſt. Men. Tirin.*

℣. 5. Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum; nos autem ſervos veſtros per Jeſum:

℣. 6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu.

℣. 7. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis.

℣. 8. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur:

℣. 9. Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus:

COMMENTARIUS.

hiſce Judæis, quorum cæcitatem prædixere Prophetæ iis verbis (k): *Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere: excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava; & oculos ejus claude, ne fortè videant oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur, & ſanem eum.* Cur illi pervicaces ſint, cauſa non fuit Deus; pertinaciam illorum non imperavit, non probavit, non voluit, ſed arcano Juſtitiæ & ſapientiæ ſuæ conſilio permiſit (l).

Deus hujus ſæculi nonnullis (m) eſt diabolus, *excæcans mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii*. Is certè apud Scripturam non raro dicitur *princeps hujus ſæculi* (n). Se ille Regnorum omnium ac divitiarum dominum facit (o): innumeri illum populi per ſæcula complura coluere: ipſe imperium in impios, infideles, incredulos exercet: author eſt, fautor, probator criminum, flagitiorum, idololatriæ, erroris. Hæc explicatio ſatis vulgo probatur. At Patres (p) priori favent, locum ita uſurpantes, ac ſi diceret: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſæculi*, non, *Deus hujus ſæculi excæcavit*, &c. Vel diſtinctionis notam apponunt poſt *Deus*, hoc modo: *Deus, hujus ſæculi*.

ILLUMINATIO EVANGELII GLORIÆ CHRISTI, QUI EST IMAGO DEI. Permiſit Deus, ut Judæi in pervicaciam & incredulitatem laberentur, volentesque clauderent oculos adversùs Evangelium Jeſu Chriſti, qui Patris gloria & imago eſt (q). Sive: Rejecere Evangelium, gloriam Jeſu Chriſti, cùm contineantur in eo hiſtoria, prodigia, dogmata, mors, Reſurrectio Divini hujus Servatoris, *qui eſt imago Patris*, qua Deus eſt, totâ ab æternitate genitus, & conſubſtantialis illi, a quo ante omnia ſæcula genitus fuit; æqualis illi virtute, potentiâ, ſapientiâ. Imago etiam Patris eſt qua Homo & Deus ac Sequeſter, cùm in eo, velut in imagine abſolutiſſimâ (r), Divinas Patris proprietates repræſentante, Pater ipſe noſcatur. Meſſiam Hebræi nuncupant *imaginem Dei* (s).

℣. 5. NON ENIM NOSMETIPSOS PRÆDICAMUS. Neque famam neque obſequium, neque commoda prædicatione aucupamur, ut ii faciunt quos ſupra dixi. Satis cognitus ſum, ſatisque bene excipior, modò nuncietur Chriſtus, ejusque Evangelium fructus referat ubi ipſe fuero. *Nos ſervos veſtros per Chriſtum* (t): ſatis beatus ſum, ſi gloriæ & ſanctitati veſtræ meo labore ſerviero.

℣. 6. DEUS QUI DIXIT, rerum initio juſſit (a), DE TENEBRIS LUCEM SPLENDESCERE, IPSE ILLUXIT IN CORDIBUS NOSTRIS. Cùm Fidei donum gratuito beneficio acceperimus, opus eſt illam quoque gratis prædicemus. Qui lucem hanc ſenſibus obnoxiam creavit Deus, idem Fidei lumen in cordibus noſtris effecit: utque ille nullo diſcrimine ſolem ſuum ſuper bonos malosque oriri jubet (x); ita ipſius exemplo neceſſe eſt ubique ſpargamus *illuminationem ſcientiæ charitatis Dei, in facie Chriſti Jeſu*, notitiam ſcilicet gloriæ Dei, qualis apparet in Chriſto Jeſu, geſta nimirùm, prodigia, dogmata, quæ in Chriſto Jeſu micuere (y); ſive myſteria & perfectionem Dei, ita uti tradidit Chriſtus; ſeu denique vulgemus potentiam & gloriam Dei, *in perſonâ Chriſti*, nomine & authoritate Jeſu Chriſti, cujus Legati & Miniſtri ſumus (z), cujusque unius gloriam & obſequium quærere debemus.

℣. 7. HABEMUS THESAURUM ISTUM IN VASIS FICTILIBUS. Quæ dixi de miniſterii Evangelici præſtantiâ, mihi arrogantiæ eſſe non debent: nobiliſſimo quippe iſto munere me indigniſſimum eſſe fateor (a): *Et ad hæc quis idoneus?* Theſaurus eſt, at in vaſe fictili ſervatus; ut intelligamus, *ſublimitatem virtutis*, quicquid præſtantius nobis ineſt, *Dei eſſe* (b), *non ex nobis*. Ne igitur exiſtimetis, me iſta eò dicere, ut exiſtimationem aucuper. Munus meum commendo, ut Deo gloriam, probrum afferam falſis Apoſtolis, qui perverſis moribus nobiliſſimum munus polluunt.

℣. 8. IN OMNIBUS PERSECUTIONEM PATIMUR, SED NON ANGUSTIAMUR; non opprimimur malis, ad extrema, ad anguſtias non adigimur. Vulgata Hebræis locutio eſt, in anguſtiis eſſe, pro verſari in diſcrimine, malis, mœrore opprimi.

(k) *Iſai.* VI, 9, 10. (l) *Chryſoſt. Theodoret. Ambroſ. Primaſ. Sedulius*, &c.
(m) *Eraſm. Eſt. Grot. Menoc. Tirin. Zeger. Bez. Camerar. alii. Vide & Aug. lib.* 22 *contra Fauſt. cap.* 9.
(n) *Joan.* XII, 31; XIV, 30; 2 *Joan.* V, 19; *Epheſ.* VI, 12. (o) *Matth.* IV, 8, 9.
(p) *Vide Patres ſuprà citatos, & Iren. lib.* 3, *cap.* 7; *& lib.* 4, *cap.* 48; *Tertull. lib.* 5 *contra Marcion. cap.* 11; *Auguſt. lib.* 21 *contra Fauſt. cap.* 2; *& contra adverſ. Legis & Prophet. lib.* 2, *cap.* 7, 8, *apud Eſt. hic.* (q) *Vide Coloſſ.* 1, 15: *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et Hebr.* 1, 3: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*, &c.
(r) *Joan.* I, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Vide* 1 *Timot.* III, 16. (s) צלם אל *In Zohar*, &c. (t) Διὰ Ἰησοῦν, *propter Jeſum*.
(u) *Geneſ.* 1, 3. (x) *Matth.* V, 45. (y) *Grot. Men. Tirin.* (z) *Eſt. Primaſ. Sedul. alii.*
(a) 2 *Cor.* II, 16; III, 6. (b) Ἵνα ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν, *Ut ſublimitas, excellentia, exceſſus virtutis, ſit Domini, & non ex nobis*. Ita legunt veteres Græci Patres plerique. At Tertullianus & Latini favent Vulgatæ. Vide Eſtium.

Google

℣. 10. Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.
℣. 11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtrâ mortali.
℣. 12. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.
℣. 13. Habentes autem eumdem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur:
℣. 14. Scientes, quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum.
℣. 15. Omnia enim propter vos: ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei.
℣. 16. Propter quod non deficimus: ſed licèt is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.

COMMENTARIUS.

Mala, quæ ipſe Jeſu Chriſti causâ patitur, recenſet Apoſtolus, non ambitionis causâ, ſed ut fictorum Apoſtolorum ſuperbiam & mollitiem arguat, commendetque Dei vires ac potentiam, quibus ipſe inter mala ærumnasque ſuſtinetur.

APORIAMUR, arduis maximè rebus obvolvimur, SED NON DESTITUIMUR. Græcus ad verbum (c): *Perplexi ſumus, ſed conſilii inopes non ſumus.* Et interdum verſamur inter diſcrimina, ut minimè evaſuri videamur: at non ita a Deo deſtituimur, ut deſperemus, ejusque ope omnino privemur.

℣. 10. SEMPER MORTIFICATIONEM JESU IN CORPORE NOSTRO (d) CIRCUMFERENTES. Jeſu Chriſti perpeſſiones Crucemque in nobis ipſi exhibemus: quotidie, ut ita dicam, & cum illo & ob illum morimur; *ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris*; & quemadmodum participes perpeſſionum illius fuimus, ita & gloriæ & reſurrectionis ſimus (e): *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.*

℣. 12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR, VITA AUTEM IN VOBIS. Evangelica prædicatio, quam liberaliter interque tot mala exercemus, nobis argumentum mortis eſt, vobis vitæ. Innumeris ob illam malis nos obruimur, vos bonis omnibus cumulamini. Vos laborum noſtrorum fructu tranquillè gaudetis: at nos fortunis veſtris non invidemus, quippe qui promiſsâ laboribus mercede nos fruituros confidimus. Hæc ſententia eſt ℣. 14.

℣. 13. HABENTES AUTEM EUMDEM SPIRITUM FIDEI. At cùm eodem illo Spiritu Sancto, qui vobis Fidem largitus eſt, nos quoque animemur, & loqui doceamur, *ſicut ſcriptum eſt, Credidi, propter quod locutus ſum*, futurum ſperamus, nunciatis veritatibus ſacris, ſervatoque in finem Fidei depoſito, ℣. 14, *quoniam qui ſuſcitavit Jeſum, & nos cum Jeſu ſuſcitabit (f), & conſtituet vobiſcum* coram Deo, in æternâ beatâque vitâ, ut laborum noſtrorum ac Fidei præmium ſimul percipiamus (g).

℣. 15. OMNIA ENIM PROPTER VOS. Sive prædicationem exercemus, ſive mala patimur, vel hominum odiis agitamur, ſeu victores de hoſtibus ſumus, ſive ſub illorum conatibus cadere videmur, hæc omnia veſtri causâ ſubimus, eademque veſtris commodis veſtræque ſaluti ſerviunt (h). Dei quoque gloriæ conferunt; quò enim magis *gratia abundans* eſt, eò magis *per multos in gratiarum actione abundat in gloriam Dei* (i). Quamobrem poſt multos & Dei & veſtri causâ labores, ſpes certa nobis ſupereſt, inanes non fore labores noſtros, illorumque rationem Deum aliquando in Judicio habiturum. Elici poteſt ex Græco hæc ſententia (k): *Omnia libenter fero veſtri causâ; ut gratia* Evangelii *majorem in dies in multitudinem effundatur, cum gratiarum actione, in gloriam Dei.*

℣. 16. PROPTER QUOD NON DEFICIMUS. Æternæ mercedis ſpes, & fiducia quam fovemus futurum, ut laboribus noſtris faveat Deus converſione populorum, id efficiunt, ut libenter feramus omnia, ita ut, *licèt is qui foris eſt noſter homo*, & mortale corpus (l) *deſtruatur; tamen is qui intus eſt, renovetur de die in diem*, novasque vires & conſtantiam inter ærumnas acquirat. *Renovatur* Fide illuſtriori, firmiore ſpe, ac ferventiori charitate (m).

℣. 17. Id

(c) Ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. *Theodoret.* Ἐν ἀπόροις πράγμασι πόρους εὑρίσκομεν σωτηρίας.
(d) Græcus non legit *noſtro*: Τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες. At Patres plerique, Syrus, Arabs, Æthiops, Ms. Claromontanum & S. Germani legunt *noſtro*, ἡμῶν.
(e) 2 *Timoth.* II, 12. *Vide &* Rom. VIII, 17.
(f) Rom. VIII, 11: *Quòd ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitavit J. C. a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, &c.*
(g) *Vide Eſt. Men. Tirin. Grot. Zeger.*
(h) 2 *Cor.* I, 6: *Sive autem tribulamur, pro veſtrâ exhortatione & ſalute; ſive conſolamur, pro veſtrâ conſolatione, &c. Et* 2 *Timoth.* II, 10: *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur.*
(i) Confer locum hunc cum 2 *Cor.* I, 11: *Ut ex multorum perſonis, ejus quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.*
(k) Τὰ γὰρ πάντα δι' ὑμᾶς, ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα, διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. (l) *Vide* Rom. VII, 22, 24; VIII, 10; *Epheſ.* IV, 22, 24; *Coloſſ.* III, 9, 10.
(m) *Chryſoſt.* Ἀνακαινοῦται τῇ πίστει, τῇ ἐλπίδι, τῇ προθυμίᾳ.

Digitized by Google

℣. 17. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis,

℣. 18. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 17. ID ENIM QUOD IN PRÆSENTI (n) MOMENTANEUM, &c. Pauli alacritas confirmare vel imbecillimos poterat. Vita inter ærumnas, labores, odia, inſectationes acta, breviſſimum illi eſt momentum perpeſſionis, quam excepturum eſt in alterâ vitâ *æternum pondus gloriæ*, cui nihil par aut ſimile. Magnificè dicta hæc ſunt, ac mirificè docent, quàm ampla crederet Paulus ea, quæ ſibi paraverat Deus. Pondus immenſum æternæ gloriæ, collatum cum momento leviſſimæ afflictationis, mirè orationem ornat. Apud Hebræos Chaldæosque eadem vox quæ gloriam, pondus quoque ſignificat; & apud Sacros Scriptores *gravis* pro multo, copioſo, opulento, locuplete, uſurpatur.

℣. 18. NON CONTEMPLANTIBUS NOBIS, &c. Mala hujus vitæ, cum æternis ſuppliciis collata, idcirco minimi facimus, quòd animi oculos non in caduca iſthæc & ſenſibus obnoxia, ſed in æterna & inconſpicua intendamus. *Temporalis ſubſtantia ſupernæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potiùs dicenda quàm vita* (o).

CAPUT V.

Cœleſtis præmii ſpes hominem vitæ contemptorem facit. Placere debes Chriſto, futuro Judici; illique uni vivere. Chriſti Legati, Apoſtoli. Per Chriſtum reconciliati ſumus cum Deo.

℣. 1. SCimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.

℣. 2. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes:

℣. 3. Si tamen veſtiti, non nudi inveniamur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SCIMUS ENIM, QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS NOSTRA, &c. Pergit Paulus ea enumerare, quibus fiducia ſua inter ærumnas ſuſtinetur, hominiſque Chriſtiani imaginem in ſe deſcribere, hac in vitâ idcirco dumtaxat commorantis, quòd illum hîc verſari voluerit Deus, ut ſuæ ipſe ſanctitati, & gloriæ Conditoris ſerviat: nullo ceterùm cujuſlibet rei creatæ amore devinctus, æternam ſolummodo felicitatem quærens, Judici ſuo placere unique illi vivere ſolicitus. *Terreſtris domus hujus habitationis* corpus mortale eſt: *domus non manufacta, æterna in cœlis futura*, idem ipſum corpus eſt redivivum (a), ſeu Beatorum ſedes in Cœlis (b), de qua ſcriptum eſt (c): *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Græcus pro *terreſtris domus noſtra, &c.* fert (d): *Si terrena domus noſtra hujus tabernaculi diſſolvitur*, ſive dejicietur; innuens, corpora noſtra ceu tentoria eſſe, quæ ſtatim dejiciuntur, nullo veſtigio ſuperſtite (e). Toto hoc Capite ſpectare videtur potiſſimùm eos ex Corinthiis, qui Reſurrectionem negabant. Vide 1 Cor. xv, 12, &c. & hîc, ℣. 6, 7.

℣. 2. NAM ET IN HOC (ob hoc) INGEMISCIMUS, HABITATIONEM NOSTRAM, corporis noſtri glorioſi, immortalis, redivivi, QUÆ DE CŒLO EST, SUPERINDUI CUPIENTES. *Superindui* ait (f), quia immortale corpus futurum non eſt re ipsâ alterum ab hoc quod geſtamus; idem futurum eſt, additâ immortalitate & gloriâ, quæ futuræ ſunt ceu veſtes corpori adjunctæ. *Oportet enim*, ut alibi ſcribit (g), *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

℣. 3. SI TAMEN VESTITI, NON NUDI INVENIAMUR. Ut beatæ immortalitatis ac Reſurrectionis Sanctorum participes ſimus, ſatis non eſt, non mortem oppetere, atque a caduci corporis hujus ſede diſcedere: opus eſt etiam, meritis locu-

(n) Græc. impreſſ. Τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. Sed S. Germ. Clarom. & Borner. G. L. ſic: Τὸ γὰρ παραυτίκα πρόσκαιρον καὶ ἐλαφρὸν. Et ita Vulg. Auguſt. Tertull. Ambroſ. alii.

(o) Gregor. Magn. homil. 37 in Evangel.

(a) Tertull. de Reſurrect. carnis, cap. 41; Cajet. Men. Eſt. Vorſt. alii. Vide 1 Cor. xv, 44, 46, 48, 49.

(b) Photius apud Oecumen. Hervæ. D. Thom. Tirin.

(c) Joan. xiv, 2.

(d) Ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ. Tertull. Hujus tabernaculi.

(e) Chryſoſt. Theodoret. Hieronymiaſt. Grot. alii.

(f) Theodoret. hîc: Οὐκ εἶπεν δὲ ἐκδύσασθαι, ἀλλ' ἐπενδύσασθαι, ἐπειδὴ οὐχ ἕτερον ἐνδυόμεθα σῶμα, ἀλλὰ τὸ φθαρτὸν τοῦτο τὴν ἀφθαρσίαν ἐπενδύεται.

(g) 1 Cor. xv, 53.

℣. 4. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati; eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri: ut abſorbeatur quod mortale eſt, a vitâ.

℣. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritûs.

℣. 6. Audentes igitur ſemper, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino:

℣. 7. [Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem]

℣. 8. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.

COMMENTARIUS.

cupletes ſimus, induamurque charitate & bonis operibus (h): ſi abſint iſta, reſurget quidem corpus, at nudum erit, neque gloriâ aut felicitate filiorum Dei gaudebit (i). Ipſa illius immortalitas æternam illi calamitatem & rabiem pariet.

Alii (k) aliter explicant: Cœleſti noſtrâ domo induemur, quin mortem ſubeamus; *ſi tamen* ſupremâ Judicii die ex iis erimus, qui adhuc *veſtiti* erunt corporibus ſuis, *non* ab iis *nudi* & ſpoliati per naturalem mortem. Creditur hic Paulus alludere ad ea, quæ in priore ad Corinthios Epiſtolâ docuit (l), futurum nempe, ut ii, qui in ſecundo Jeſu Chriſti adventu ſuperſtites fuerint, non moriantur ut cæteri; neque reſurgant ut ii qui in ſepulcris putruerint, ſed mutentur: *Et nos immutabimur*. Quæ verba idem ſonant ac *ſuperindui immortalitate*.

Docent alii (m), claudendum eſſe inter parentheſis notas, ceu aſpirantis verba, hunc verſiculum: Utinam tunc veſtiti inveniamur, ac bene geſtis pleni, non a virtutibus nudi! Sive; Utinam ſupremâ die induamur immortalitate, non penitus nudi ſimus, ut ii qui ad æternum dumtaxat ſupplicium reſurgent!

Nonnulli denique Latini Græcique Codices (n), & Patres, veluti Tertullianus (o), S. Paulinus (p), Primaſius, aliique (q) legunt aliter quàm Vulgata a S. Hieronymo emendata (r): *Tametſi exuti, non nudi inveniemur*; quæ verba cum ſuperioribus & conſequentibus conjuncta, optimam ſententiam reddunt. ℣. 2: *Ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuperindui cupientes*; quæ habitatio ceu veſtis eſt, qua corpus noſtrum eſt induendum. Optamus non mori, ſed ſuperſtites eſſe uſque ad Servatoris adventum, ut præter mortis amaritiem & ſepulcri putredinem, immortalitate induamur, ſtatimque a mortali ad immortalem vitam tranſeamus. Hæc votorum noſtrorum ſumma. At, ℣. 3, *tametſi exuamur* corpore, ac projiciamur inter eos, qui in pulvere dormiunt, id moleſtiæ nobis eſſe non debet; *non* enim idcircò *nudi inveniemur*. Nos in vitam revocabit Deus, atque immortalitate & gloriæ æternæ veſte induet. ℣. 4, Dum in corpore verſamur, *ingemiſcimus gravati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeatur quod mortale eſt, a vitâ*. Traditam hic explicationem tuetur S. Chryſoſtomus (s); certatque Millius, legendum eſſe ita, ut ex vetuſtis Codicibus recitavimus.

℣. 4. Eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri. Chriſtianorum ſanctiſſimi gloriam & immortalitatem optant, ſed metuunt mortem, a qua abhorret natura, ceu malorum peſſimo. Inter duos hoſce timoris & amoris impulſus, optant ex mortalitatis atque infirmitatis ſtatu gradum momento facere ad immortalitatem & gloriam (t), ac beatâ mutatione, de qua Apoſtolus (u), frui; quam mutationem experientur Juſti, qui in ſecundo Chriſti adventu ſuperſtites fuerint. Hinc perſpicuè colligitur, reſurrecturum ſupremâ die idem hoc corpus, quod animamus, ac veluti tentorium incolimus (x).

℣. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, ad immortalitatem, beatitudinem, reſurrectionem; Deus. Ne quæratis, qua ratione aut cur futura ſit reſurrectio; Deus ipſe illam & promittit & executioni mandat. Idem ipſe hujus pignora nobis inſeruit: *Deus qui nobis dedit pignus Spiritûs*. Superna dona quibus nos cumulat, illuſtrationes & gratiæ quibus complet, prodigia quæ in Fidelibus patrat, totidem ſunt argumenta, quibus veritas promiſſionum Dei & futura reſurrectio comprobatur (y).

℣. 6. Audentes igitur semper, fiduciâ pleni. His promiſſionibus, hac ſpe reſurrectionis aliquando futuræ, atque immortalitatis obtinendæ freti, quæ jam diſcrimina, quas ærumnas verebimur (z)? In terris ut exules verſamur, corpus ceu carcerem habemus, gemimusque veluti a Deo, qui noſtra & felicitas & ſpes eſt, remoti: quid jam timebimus? quo pacto mortalem hanc vitam amabimus?

℣. 7. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Confirmat id quod dixit, nos nimirum remotos a Deo, & a patriâ exules: *Peregrinamur a Domino*. Ad patriam tendimus, quamquam hiſce oculis corporis non videmus: eam quippe ſolis Fidei oculis intuemur.

℣. 8. Audemus autem, ... magis peregrinari a corpore. Futurum ſperantes, ut aliquando immortalitate induamus, cœleſtemque patriam videamus, mortem vitæ anteponimus, omneſque mundi aut illecebras aut terrores aſpernamur; il-

(h) *Coloſſ.* III, 12; *Apoc.* XIX, 8. (i) *Theodoret*, Πάντες μὲν γὰρ ἄνθρωποι τὸ τῆς ἀφθαρσίας ἔνδυμα περιβαλοῦνται, οὐχ ἅπαντες δὲ τῆς θείας μετασχῶσι δόξης. (k) *Cajet. Grot. Men, Eſt. Piſcat. Sclat.* (l) 1 *Cor.* XV, 51, 50. (m) *Vide Knatebull.* (n) *Clarom. G. L. S. Germ. Borner.* Ἐκδυσάμενοι, *expoliati. Codd. aliqui Græci, teſtib. Chryſoſt. & Oecumen. & quidd. Lat. teſte Ambroſiaſtro.*
(o) *Tertull. de Reſurrect. carnis, cap. 41; lib. 5 contra Marcion. cap. 10.*
(p) *Paulin. Ep. 5 ad Sever.* (q) *Primaſ. Macar. hic.* (r) Εἴγε καὶ ἐκδυσάμενοι, οὐ γυμνοὶ εὑρεθησόμεθα. (s) Εἴγε καὶ ἐνδυσάμενοι. Τουτέστι, οὐδὲ ἀποθώμεθα τὸ σῶμα, οὐ χωρὶς σώματος ἐκεῖ παραστησόμεθα, ἀλλὰ καὶ μετὰ τοῦ αὐτοῦ ἀφθάρτου γενομένου. (t) *Vide Eſt. Grot. Men. Caſtal. alios.*
(u) 1 *Cor.* XV, 51, 52. (x) *Chryſoſt. Theophyl. alii.* (y) Confer 2 *Cor.* I, 22: *Signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris.* (z) *Chryſoſt. hic*: Θαῤῥοῦντες, πρὸς τοὺς διωγμοὺς, πρὸς τὰς ἐπιβουλὰς, πρὸς τοὺς θανάτους τοὺς συνεχεῖς.

℣. 9. Et ideò contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes, placere illi.

℣. 10. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.

℣. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus ſuademus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem, & in conſcientiis veſtris manifeſtos nos eſſe.

℣. 12. Non iterum commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde.

℣. 13. Sive enim mente excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis.

COMMENTARIUS.

illud planè perſuaſum animo gerentes, quicquid boni aut mali in mundo eſt, nihil penitus eſſe, ſi cum præmio, quod in æternitate præſtolamur, conferatur.

℣. 9. ET IDEO CONTENDIMUS PLACERE ILLI. Dum vivimus, unus omnium nobis finis eſt, placere Deo, ac bene geſtis gloriam reſurrectionis beatamque immortalitatem promereri, ſive libeat Deo, vivere nos ſive mori: in vitâ, morte; proſperis, adverſis; tranquillitate, tumultu, Deo adhæreſcimus, illiuſque unius benevolentiam quærimus: *Contendimus ſive abſentes ſive præſentes placere illi.*

℣. 10. OMNES ENIM NOS MANIFESTARI OPORTET ANTE TRIBUNAL CHRISTI. Rationem reddit, cur ſtudendum nobis ſit placere Deo, ſive viventibus ſive mortuis: *Sive abſentes, ſive præſentes.* Cur? Quia cùm obierimus, ſtandum nobis eſt ante Chriſti Tribunal, de geſtis rationem reddituris, ſubituriſque ſententiam damnationis vel abſolutionis; ac relaturis bonorum operum præmium, vel peccatorum pœnas. Hoc ipſum quælibet Scripturarum pagina docet (*a*). *Propria corporis* (*b*) ea ſunt quæ unuſquiſque in corpore vivens geſſerit, non ſolius corporis opera, ut ab animi operibus ſejuncta.

℣. 11. SCIENTES ERGO TIMOREM DOMINI, HOMINIBUS SUADEMUS. Cùm ea quæ dixi de Judicio ab omnibus ſubeundo probè teneam, eadem iſta cæteros docere ſtudeo, & dictorum teſtem Deum ipſum adhibeo. Aliter: Cùm noverim, qua in re ſita ſit vera Religio, quam Scriptura plerumque *timorem Domini* nuncupat, cæteris eam tradere conor (*c*); atque optimæ voluntatis noſtræ teſtis eſt Deus. Deinque ita uſurpari poteſt: Cùm ſciam, terribilem eſſe in Judicio Deum, innocentiam meam hominibus approbare conor: at animi noſtri arcana novit Deus: exiſtimo autem, *nos vobis conſpicuos eſſe in conſcientiâ*. Poſtrema hæc explicatio potior videtur. Legitur conſequente verſiculo Apoſtolus rationem de ſe reddens, defendenſque adversùs fictos Apoſtolos ſui ipſorum exiſtimationem extollentes, ut ſeſe illi anteponerent. Quamobrem Apoſtolatûs ſui gloriam ſeque ipſe hactenus commendavit, quam id ita præſtitit, ut repugnantem ſe & coactum facere oſtenderet.

℣. 12. NON ITERUM COMMENDAMUS NOS VOBIS. Fortaſſe exiſtimabitis laudes meas, meamque apud vos exiſtimationem a me quæri: minimè id gentium: unum hoc quæro, ut *occaſionem demus vobis gloriandi pro nobis*; meque Apoſtolo, primoque præceptore veſtro cum novis hiſce doctoribus, qui cum commendatitiis epiſtolis accedunt, collato, *habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.* His verbis deſignantur falſi Apoſtoli Corintho profecti, qui Pauli exitio nomen ſibi creare conabantur, inductaque ab eo inſtituta novis ſanctionibus inſtitutiſque evertere conabantur.

Ingenioſiſſima eſt ac ſapientiſſima hæc locutio: *Non commendamus nos vobis, ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis*: innuimus capita, ex quibus defenſionem noſtram inſtituatis: novi ego, quàm ſincerè a vobis amer: apud vos defendi non debeo, ſed a vobis. Siquis igitur apud vos de me obloqui auſus fuerit, dicite, planè vobis perſpectum eſſe Apoſtolum veſtrum, in quo nihil damnari queat. *Ut habeatis adverſùs eos*, quo me tueamini, aut quo illos refellatis, ſive quo apud novos hoſce doctores gloriemini.

℣. 13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, extra mentem rapimur, DEO. Prophetæ & Apoſtoli, cùm in ecſtaſim, afflante Spiritu Sancto, rapiebantur, extra ſe eſſe, atque alii penitus homines videbantur: os, oculi, verba planè aliud exhibebant, quàm cùm tranquilli eſſent, & afflatu carerent. Ut ea, quæ hîc de ſe prædicare apud Corinthios cogitur, excuſet Apoſtolus, duo innuit: primum, iſta ſe dixiſſe ecſtaſi quadam raptum, Divinoque Spiritu afflatum: alterum, ea dixiſſe, ut Dei gloriæ ſerviret, muniretque Corinthios, ne pſeudo-Apoſtolorum artibus caperentur (*f*). Sive igitur noſtras ipſi laudes immodicè prædicare videmur, hoc Dei causâ facimus: *Sive ſobrii ſumus, vobis*; ſive majori modeſtiâ, ſive ſuſiùs de nobis loquimur, unicum nobis propoſitum eſt Dei gloria, veſtraque utilitas. Vel: Sive nos ipſi veſtris ingeniis accommodamus, humanoque more loquimur,

(a) *Matth.* xxv, 31; *Rom.* xiv, 10, 12; *Act.* x, 42; xvii, 31; *Job*, xxxiv, 11; *Pſal.* lxi, 13; *Eccle.* xii, 14; *Jerem.* xvii, 10; xx, 11, 19, *&c.* (b) Græcus vulgatus: Τὰ διὰ τοῦ σώματος, Quæ per corpus fecit. At *Origen. homil.* 19 *in Jerem. Ambroſ. in Pſal.* 1; *Cyprian. lib.* 2 *&* 3 *Teſtim. ad Quirin. Theodoret. ſerm.* 12 *de Virtute activâ*; *Fulgent. de Fide ad Petrum*, *cap.* 3; *Calaritan. Ruſin. Gennad. Hieronymiaſt. Ambroſiaſt. Clarom. S. Germ. Bornev. Lat. Propria corporis. Edit. Complut.* Τὰ ἴδια τοῦ σώματος. (c) *Grot. Menoc. &c.* (d) *Eſt. Zeger. Hamm.* Confer *Galat.* 1, 10: *Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo? Vide & Chryſoſt. hic & in Galat.* 1, 10.
(e) *Oecumen.* Ἵνα ἔχητέ τι ἀπολογεῖσθαι, λέγων, καυχᾶσθαι. *Chryſoſt.* Ἔχητε καλλωπίζεσθαι. *Vide & Theodoret. &c.* (f) *Chryſoſt.* Ἄν τε τι μέγα φθεγξώμεθα, (ἔξεστιν γὰρ τοῦτο καλεῖ, ὥσπερ ἦν καὶ ἀλλαχοῦ ἀφροσύνην. *Vide* 2 *Cor* xi, 1, 16; xii, 11.) διὰ τὸν Θεὸν τοῦτο ποιοῦμεν, ἵνα μὴ ὑμεῖς νομίζοντες ἡμᾶς εὐτελεῖς, καταφρονήσητε, καὶ ἀπόλησθε. Ἐάν τε μέτριόν τι καὶ ταπεινὸν, δι' ὑμᾶς, ἵνα μάθητε ταπεινοφρονεῖν. *Vide Eſt. Grot. & Theodoret.*

Digitized by Google

℣. 14. Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi
unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.
℣. 15. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam
non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.
℣. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem.
Et ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc jam
non novimus.
℣. 17. Si qua ergo in Chriſto nova creatura: vetera tranſierunt:
ecce facta ſunt omnia nova.

COMMENTARIUS.

mur; ſive attollimur, & ſublimia maximè atque arcana myſteria detegimus (g), Dei gloriam ſolummodo veſtrumque progreſſum quærimus.

℣. 14. Charitas enim Christi urget nos. Amor, quo Chriſtum proſequimur, nos iſta & loqui & facere cogit; modò ſupra homines quodammodo evehi, modò infra omnes demitti; nunc hoſtibus veritatis reſiſtere, nunc omnium pedibus ſubjici. Varias haſce perſonas inducit charitas.

Æstimantes hoc, quod si (h) unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Si Jeſus omnium cauſâ mortem oppetiit, omnes igitur mortui erant; inſanum quippe fuiſſet pro viventibus & ſanis mori (i): quamobrem charitas, qua erga Deum afficimur, nos impellit, ut omnium ſaluti ſtudeamus, noſque accommodemus indigentiæ ſingulorum, ſive lenitate utentes, ſive ſeveritate; ſive humilia, ſive ſublimia de nobis prædicantes.

Aliter: Si Chriſtus Jeſus omnium cauſâ mortuus eſt, omnes igitur ſibi mori debent, ac veteri homini & peccato, ut unius Jeſu Chriſti, juſtitiæ & gratiæ vitâ vivamus (k). *Nemo noſtrûm ſibi vivit, & nemo ſibi moritur*, ait Apoſtolus alibi (l). *Sive enim vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus ſive morimur, Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur*. Alibi (m): *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, &c. Quæ conſequuntur, favent huic explicationi, ℣. 15: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit*.

Ita autem intelligi poteſt Pauli collectio. Dei gloria & proximorum utilitas unicus ſunt geſtorum noſtrorum finis: charitas qua abundamus, & Spiritus Sanctus quo animamur, impellunt, ut variis hominum, quibuscum verſamur, ingeniis accommodemur, ut omnes ad Chriſtum trahamus. Cùm Chriſtus hominum omnium cauſâ mortem ſubierit, æquum eſt, ut omnes cum ipſo moriantur peccato & iniquitati, & vitâ gratiæ dumtaxat vivant: omnia ſcilicet Chriſto conſecrent, ſenſus, animum, voluntatem, geſta.

℣. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Ita hîc verſamur, ut mortui in Chriſto Jeſu, unàque cum illo in vitam revocati; tamquam mundi hujus incolæ non ſimus, ac neminem ex carne noverimus. Non eadem quæ olim, ſentimus, quærimus, amamus: Chriſtum Jeſum dumtaxat amamus, illius gloriam quærimus, ejusque Imperii in omnium animos propagationem optamus. Non movemur carne, ſanguine, amicitiis, odiis, proſperis rebus & adverſis, nullo denique eventu, præterquam quo Evangelii progreſſus & Dei gloria vel promovetur, vel impeditur (n).

Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus illum eodem modo. Antequam a Deo vocaremur ad Fidem, ita errabamus in Meſſiæ cognitione, ut plerique Judæorum (o). Illum ſcilicet ex carne dumtaxat noveramus, ac præſtolabamur veluti Heroem aut Regem, cujus viribus ſubjiciendæ forent gentes univerſæ, reſtituendumque meliorem in fortunam Iſraëlis imperium: at nunc ita non novi: ſublimiora ſentio, æquiora, nobiliora.

Aliter (p): Tametſi olim Jeſum Chriſtum ex carne noverimus, cùm is inter mortales verſaretur, illum modò ita noſſe non poſſumus. Nimirum colimus uti Deum, illum & ſurrexiſſe & glorioſum regnare ſcimus, imitari ſollicitè ſtudemus, novum vitæ genus inſtituere, illius gloriam ubique promovere. Videtur Paulus hoc loco ex obliquo arguere pſeudo-Apoſtolos, qui viſum a ſe in carne Jeſum Chriſtum gloriabantur, quem Paulus nunquam vidiſſet (q). Reſpondet, tametſi illum inter mortales vidiſſet, ſeſe ejus rei oblitnrum, ut regnantem in Cœlo cognoſceret, ejusque ſanctitatem moribus ſuis imitari conaretur.

℣. 17. Siqua ergo in Christo nova creatura. Si quis ad Chriſtum pertinet regeneratione ac Fide, is *nova creatura* effectus eſt: carnalis homo non eſt, vitiis obvolutus, arrogans: novus eſt homo. *Vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova*; cognitio, cupiditas, propoſitum. In Chriſto Jeſu, & uni Chriſto vivit. Chriſtiana profeſſio nova quædam creatio eſt; baptiſmus quædam eſt reſurrectio (r): id porrò in Chriſtianis omnibus elucere neceſſe eſt. *Si quis in Chriſto eſt, nova creatura eſt, non natura novita-*

(g) *Vide Auguſt. tract.* VII *in Joan. lib.* XII *contra Fauſt. cap.* 26; *in Pſalm.* XXX, *conc.* 1. *Bedæ, Herv. alios*. (h) Codices multi omittunt *ſi*. Ὅτι εἷς ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν, *Quoniam unus pro omnibus mortuus eſt. Vide Mill. Var. Lect.* (i) *Ita plerique in Eſt. Zeger. Vat. Men.*
(k) *Ita D. Thom. Lir. Eſt. Grot. Zeger.* (l) *Rom.* XIV, 7, 8. (m) *Rom.* VI, 4, 5, 6.
(n) *Aug. lib.* XI *contra Fauſt. cap.* 7, 8; *Leo Magn. ſerm.* 2 *de Reſurrect. Domini*; *D. Thom. Lombard. Vide Eſt. Vat. Grot. Men. alios*. (o) *Cajet. Sclater. Dieſen. Martinna.*
(p) *Grot. Vat. Le Clerc.* (q) Paulus Chriſtum viderat poſt Reſurrectionem, ipſo teſte, 1 *Cor.* XV, 8, & IX, 1. Chriſtus Paulo apparuit in itinere Damaſceno. Vide *Act.* IX, 3, 27; XVIII, 9; XXII, 14, 17, 18; XXIII, 11; XXVI, 16. At illum adhuc inter mortales verſantem non viderat.
(r) *Theodoret.* Προσήκει τοίνυν τοὺς τῷ Χριστῷ πεπιστευκότας, ὡς ἐν καινῇ τινι πολιτεύεσθαι κτίσει· ἀναγεννηθέντες γὰρ διὰ τοῦ παναγίου βαπτίσματος τὸ τῆς ἁμαρτίας ἀπεδυσάμεθα γῆρας.

℣. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavir ſibi per Chriſtum: & dedit nobis miniſterium reconciliationis.

℣. 19. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipsorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis.

℣. 20. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

℣. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipso.

COMMENTARIUS.

vitate formetur, ſed gratia, ait S. Ambroſius (s). *Quod majus opus eſt, ut ex impio juſtus fiat, quàm creare Cœlum & terram*, ſubdit S. Auguſtinus (t).

℣. 18. OMNIA AUTEM EX DEO. Nequis putet, Apoſtolum ſibi arrogare aliquid ex iis, quæ de miniſterii ſui præſtantiâ, deque Chriſtianæ Religionis gloriâ prædicavit, palam fatetur, omnia ex Deo proficiſci, merâque illius miſericordiâ nos in Chriſto eſſe novam creaturam; ſpiritu vivere, non ex carne; mortuos eſſe injuſtitiæ & impietati. Quicquid boni in nobis eſt, ex Deo proficiſcitur: uni ipſi honor & gloria & gratiarum actio in ſæcula. Nos ille redemit, ſecumque reconciliavit per Chriſtum, atque ad Apoſtolicum munus vocavit: *Et dedit nobis miniſterium reconciliationis*, novique Fœderis.

℣. 19. QUONIAM QUIDEM DEUS ERAT IN CHRISTO MUNDUM RECONCILIANS SIBI; ſive *per Chriſtum*, utì reddit Theodoretus (u), appoſitâ diſtinctionis notâ poſt *Deus erat*. Servari tamen poteſt Vulgatæ ſententia ad verbum, ac dici, Deum in Chriſto Jeſu fuiſſe, & Chriſtum Jeſum in Deo (x), toto Incarnationis & Redemptionis noſtræ negotio. Filium Pater hominibus dedit, ut ipſos redimeret (y): *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Nunquam ille diſceſſit a Filio, ſimulque ſemper cum illo fuit, unà omnia faciens (z): *Pater in me manens, ipſe facit opera*. Mundum ſibi per Chriſtum reconciliavit, *non reputans illis delicta ipſorum*, imò dimittens, modò ipſi crederent, & amplecterentur ſalutis auxilia, quæ ipſe ſuppeditavit. Hæc porrò eſt hujus reconciliationis conditio, utì tradidere Apoſtoli, *in quibus poſuit Deus verbum reconciliationis*, quibus imperavit, ut eam prædicarent, explicarentque illius modos, cauſam, effectus; quos inſtruxit poteſtate reconciliandi eos, qui ad Deum reverterentur, & Jeſu Chriſto crederent (a).

℣. 20. PRO CHRISTO ERGO LEGATIONE FUNGIMUR. Commendat his verbis muneris ſui dignitatem, oſtenditque, ſe Jeſu Chriſto, a quo mittitur, obtemperare. Cùm igitur nomine & auctoritate Jeſu Chriſti, a quo miſſi fuimus, ut ipſe a Patre (b), vos alloquamur, æquum eſt ut aures docentibus ſummo obſequio præbeatis, ac vitetis eos, qui non iiſdem veritatis ac fidei notis, quibus nos, diſtincti accedunt. *Reconciliamini Deo*, pœnitentiam criminum agite, Deum placate: Deus ipſe per nos hortatur: nos Jeſu Chriſti nomine obſecramus.

℣. 21. EUM QUI NON NOVERAT PECCATUM, PRO NOBIS PECCATUM FECIT, ſcilicet, in illum tamquam in reum animadvertit. Chriſtus Jeſus, cujus natura ſanctitas & innocentia eſt, ſceleſti hominis pœnas luit (c), in cruce ſuſpenſus, conviciis & maledictis Judæorum expoſitus; qui victima expiationis erat ob totius mundi crimina (d); Agnus labis neſcius, ab initio ſæculorum immolatus (e), qui ſanguine ſuo univerſos homines lavit, omniumque noſtrûm peccata ſibi impoſuit, ut nos innocentes, ſanctos, Deo caros efficeret: *Ut nos efficeremur Juſtitia Dei in ipſo*: ut per illum nobis tribuatur juſtitia, noſque apud Deum juſti ſimus & innoxii. *Peccatum* in Scripturis non rarò pro victimâ expiationis uſurpatur (f); *non noſſe peccatum* eſt, nunquam peccaſſe, peccatum damnare & execrari, innoxium penitus eſſe; quæ loquendi formæ ſunt Hebræis familiares.

Ambroſ. Ep. 8 ad Fauſt. (t) *Aug. in Joan. tract.* 72. (u) Ὡς ὅτι Θεὸς ἦν, ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ. *Ita Theod.* (x) *Joan.* I, 1; & 2, 38; XIV, 10. (y) *Joan.* III, 16.
(z) *Joan.* XIV, 10. (a) *Vide Eſt. Grot. Men. Caſtal.* (b) *Joan.* XX, 21. (c) *Chryſoſt.* Ἁμαρτίαν ἐποίησεν, ὡς ἁμαρτωλὸν καταριθμῆναι ἀφῆκεν, ὡς ἐπικατάρατον ἀποθανεῖν. *Theodoret.* Τοῦτο κληθεὶς ὅπερ ἦμεν ἡμεῖς, ἐκάλεσεν ἡμᾶς, ὅπερ ὑπῆρχεν αὐτός. *Vide Oecumen. Grot. alios paſſim.*
(d) *Ambroſiaſt. Sedul. Primaſ. Haymo, Aug. pluribus locis, Eſt. Men. Tir. Vatab. Eraſm. alii paſſim.*
(e) *Apocal.* XIII, 8. (f) *Levit.* IV, 3, 25, 29; V, 6; VII, 2, &c. *Pſalm.* XXXIX, 7; *Rom.* VIII, 3; *Hebr.* X, 6; XIII, 11.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Dei gratiam ne in vanum acceperis. Munere ſuo dignè functus eſt Paulus. Vetat, ne Fidelis cum Infideli matrimonium jungat. Dei Templum, populus, filii ſunt Chriſtiani.

℣. 1. ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

℣. 2. Ait enim: Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.

℣. 3. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.

℣. 4. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis,

℣. 5. In plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis,

℣. 6. In caſtitate, in ſcientiâ, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu ſancto, in charitate non fictâ,

COMMENTARIUS.

℣. 1. ADJUVANTES AUTEM EXHORTAMUR (*a*); cùm ſimus Cooperatores ac Legati Dei, utì docuit in fine Capitis ſuperioris. Legationis noſtræ officio fungimur, obſecrantes vos, ut bene utamini auxiliis Dei, ac tempore, quod ſanctitatis & ſalutis comparandæ causâ vobis largitur Deus, atque Evangelii lumine & inſtitutionibus, quas accipitis. His rectè utimini, eſque ne inutilia efficiatis negligentiâ & ignaviâ. *Gratia* hoc loco non tam ſonat gratiam actu vel habitu a Spiritu Sancto in hominum animos infuſam (*b*), quàm gratiam redemptionis, & auxilia exteriora, quæ ad ſalutem impertitur Deus. Veteres multi (*c*) hunc locum ita uſurpant: *Adjuvantes vos, exhortamur.* At explicatio nos tradita melior. Vide 1 *Cor.* III, 9: *Dei enim ſumus adjutores.*

℣. 2. AIT ENIM: TEMPORE ACCEPTO EXAUDIVI TE. Locus eſt ex Iſaia (*d*). *Tempus acceptum* eſt vel præſens vita, in qua æternam beatitudinem bene geſtis promereri poſſumus, vel tempus prædicationis Evangelicæ, collatum cum tempore profanæ ſuperſtitionis, vel etiam Legis, antequam inter mortales naſceretur Chriſtus. Reddi poteſt Græcus (*e*): *Tempore placito*; quæ verſio cum Hebræo magis congruit. Quemadmodum nihil jucundius nunciari poterat Judæis Babylone captivis, quàm libertas & reditio in patriam; ita nihil ſuavius accidere potuit hominibus, quàm præſentis ſalutis ac Redemptionis a Chriſto peractæ nuncius, poſtquam diu inter mortis umbras & ignorantiæ tenebras jacuerant. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

℣. 3. NEMINI DANTES ULLAM OFFENSIONEM. Græcus (*f*): *Nullum uſquam damus offendiculum*; nemini ſumus offenſioni aut verbis aut geſtis; nullam ſcandali & lapsûs occaſionem præbemus aut ego, aut Timotheus, aut ii qui mecum in Evangelico munere laborant, *ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Nihil pernicioſius famæ Religionis, quàm mali prædicantium ac Miniſtrorum mores. Si vera docent iſti, cur hoc vitæ genus ſectantur? ajunt homines nullius religionis, aut imperiti.

℣. 4. IN OMNIBUS EXHIBEAMUS NOSMETIPSOS, SICUT DEI MINISTROS. Græcus ſimpliciore ſententiâ (*g*), iſta ad Apoſtolum ac ſocios Evangelicæ prædicationis refert: *In omnibus exhibentes*, ſeu, *commendantes noſmetipſos, ut Dei miniſtros* eſſe decet. Liquet ex conſequentibus, iſta de Corinthiis non eſſe uſurpanda.

℣. 5. IN SEDITIONIBUS, quibus obnoxii ſumus, veluti Antiochiæ Piſidiæ (*h*), Iconii (*i*), Theſſalonicæ (*k*), Corinthi (*l*), Epheſi (*m*). Græcus (*n*) incertum vitæ genus ſignificat, ac neceſſitatem vertendi ſolum, atque huc illucque fugiendi, quæ vitari nequit ab iis, qui aliorum odiis pelluntur, coguntúrque, ex Servatoris conſilio (*o*), ex oppido in oppidum fugere, ut inimicorum perquiſitiones declinent.

IN LABORIBUS, nunquam a prædicatione ſejunctis, præſertim additâ inopiâ, ac novitate dogmatum & auſteritate; rejectis etiam, ob pœnitentiæ & paupertatis amorem, rebus, quæ vitam minùs asperam efficiunt. Paulus manuum laborem, quo victum compararet, labori itinerum ac prædicationis addebat (*p*).

℣. 6. IN CASTITATE. Nedum integerrimam caſti-

(a) *Græc.* Συνεργοῦντες δὲ καὶ παρακαλοῦμεν. *Plures omittunt* Καὶ. *Ambroſiaſt. Clarom. Germ. Lat. Mſſ.* 6 *Lovan. retinent. Iterùm plures legunt* παρακαλοῦντες, *pro* παρακαλοῦμεν, *Adjuvantes autem & exhortantes. Ita Germ. Clarom. Boerner. Lat. & alii ex Latinis.*

(b) *Cajet. Eraſm. Eſt. Grot. alii.* (c) *Ita Latini veteres pleríque.*

(d) *Iſai.* XLIX, 8. (e) Καιρῷ δεκτῷ. בעת רצון (f) Μηδεμίαν ἐν μηδενὶ διδόντες προσκοπήν. *Sed Vulg. Syr. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Nemini. Clarom. & S. Germ. In nullo.*

(g) Ἐν παντὶ συνιστῶντες ἑαυτοὺς ὡς Θεοῦ διάκονοι. *Chryſoſt.* Συνιστῶντες, Ἀποδεικνύντες.

(h) *Act.* XIII, 50. (i) *Act.* XIV, 2, *& ſeq.* (k) *Act.* XVII, 5. (l) *Act.* XVIII, 12, 12, *& ſeq.*

(m) *Act.* XIX, 28. (n) Ἐν ἀκαταστασίαις. *Theophyl.* Τουτέστι διωγμοῖς, ὅταν μὴ ἔχῃ τις ποῦ στῇ ἐλαυνόμενος ἐκ τόπου εἰς τόπον. *Ita Chryſoſt. Oecumen.* (o) *Matth.* X, 23.

(p) *Chryſoſt. Theodoret.* Προστίθησι δὲ τοῖς ἀγωνίοις, καὶ τοὺς ἀνθρωπίνους πόνους.

℣. 7. In verbo veritatis, in virtute Dei; per arma juſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris;

℣. 8. Per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam: ut ſeductores, & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti:

℣. 9. Quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati, & non mortificati:

℣. 10. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.

COMMENTARIUS.

caſtitatem colebat Paulus, verùm etiam quamlibet impuritatis ſuſpicionem vitabat, illud ipſum ſibi auferens, quod uſurpaverat Chriſtus ipſe (q), & Apoſtoli non reſpuebant (r), piarum ſcilicet quarumdam mulierum obſequium, rebus neceſſariis conſulentium: corpus affligebat, redigebatque in ſervitutem (s), gemens ſub ſarcinâ concupiſcentiæ, cujus tumultum, utpote carne indutus, experiebatur (t).

Græci Patres (u) uſurpant etiam de rerum contemptu, quo Paulus nedum turpe lucrum vitabat, verùm etiam reſpuebat ea, quæ ad neceſſarios vitæ uſus a Corinthiis exhibebantur. Græca vox genericè caſtitatem ſonat, ſive corporis & morum, ſive manuum, contemptum ſcilicet opum ac divitiarum.

In scientia. Religionis præco maximè omnium eget rerum divinarum ac Myſteriorum Religionis ſcientiâ. Fateri non veretur Paulus, ſe præditum eſſe ſcientiâ (x); id quod, eo etiam non fatente, ſatis illius ſcripta evincerent. Charitatem cum ſcientiâ conjungebat, referebatque in Deum ejus rei gloriam, in proximos utilitatem, novo ſemper atque immenſo animi fervore Deum prædicans.

In Spiritu Sancto (y); ubertate donorum ſpiritalium, quibus nos cumulavit Deus, puta Prophetiæ, doni linguarum, prodigiorum, ſcientiæ, ſpirituum diſcretionis; ut ſileam interiora gratiæ, juſtitiæ, innocentiæ, charitatis, lenitatis, modeſtiæ dona, quibus abundare oportet Apoſtolum.

℣. 7. In verbo veritatis; mentiri, fallere, veritatem diſſimulare, Divini verbi puritatem ſanctitatemque profanare neſcientes (z): *Non adulterantes verbum Dei*, ut idem alibi ait (a).

In virtute Dei, per arma justitiæ, a dextris et a sinistris. Opus eſt ut Evangelicus Præco Dei virtute, divinâ prorſus ac ſupra naturam conſtantiâ inſtructus ſit: illius arma juſtitia, integritas, ſinceritas ſint: dextrâ gladium æquitatis geſtare debet, ſiniſtrâ conſtantiæ clypeum. Enſe hoſtem aggreditur; ſe ipſe clypeo protegit. Impietatem invadere debet, Religionis contemptum, peccatum, errorem; veritatem, juſtitiam, innocentiam vitæ ipſius diſcrimine tueri. Illum idcirco armis inſtruit Deus *a dextris & a ſiniſtris*. Dextera proſperas res, ſiniſtra adverſas ſignificat. Quolibet in rerum ſtatu, opus eſt juſtitiam conſtanter amemus & exerceamus (b).

℣. 8. Per gloriam et ignobilitatem. Reſiſtimus, & officia Miniſtrorum Chriſti, tum in adverſis, tum in proſperis, dedecore, honore, explemus: *Per infamiam & bonam famam*; ſeu dignè ſeu indignè tractemur; ſive deceptores habeamur, ſive æquitas ac ſinceritas noſtra agnoſcatur: *Ut ſeductores & veraces*. Chriſtus Jeſus & Apoſtoli *ſeductorum* appellatione apud Judæos notabantur (c).

Sicut qui ignoti et cogniti. Nullius nominis homines, & contemptu digni exiſtimamur: at iis, qui noſſe nos cupiunt, ſat noti ſumus. Tam multis in locis fuimus, ut quivis diſcere ex aliis queat vitæ noſtræ inſtitutum: converſiones hominum a nobis ubique peractæ, prodigia patrata, locupletes noſtri teſtes ſunt: non niſi volentibus ignoti ſumus. Pſeudo-Apoſtoli, a quibus ignoti dicimur, hoc non affererent, ſi veritatem amarent.

℣. 9. Quasi morientes et ecce vivimus; periculis nunquam non obnoxii, nece ſemper imminente, ceu rei ſupremo ſupplicio damnati, & carnificem expectantes. Hebræi graviora diſcrimina, ærumnas & extrema quælibet mala mortem nuncupant. Malis hiſce nos liberat Deus; quodammodo in vitam revocat, atque a morte ſervat.

Ut castigati et non mortificati (d), interfecti. Supplicio objicimur; ceu malefici plectimur: at perimi nos non patitur Deus (e). Hoc non rarò expertus eſt Paulus: virgis cæſus, lapidibus appetitus, oneratus vinculis, tractuſque ad Magiſtratus, ac fortè Epheſi beſtiis objectus. Vide 1 *Cor.* xv, 32.

℣. 10. Sicut egentes, multos autem locupletantes. Non, ſicut egentes, quamquam locupletes; cùm nemo ignoraret, Paulum eſſe egeniſſimum, nulliſque opibus humanis frui; ſed, *ſicut egentes, multos autem locupletantes*. Quippe reverâ innumeros ipſe Fideles locupletabat pecuniâ ex aliis collectâ, iiſque diſtributâ, mirâ prorſus liberalitate (f). Plerique tamen (g) de animi opibus interpretantur, Fide, gratiâ, Evangelio, donis Sancti Spiritûs (h), quorum diſpenſatores ac miniſtri erant Apoſtoli.

Tamquam nihil habentes, et omnia possiden-

(q) *Matth.* xxvii, 55; *Luc.* xxiv, 52. (r) 1 *Cor.* ix, 5. (s) 1 *Cor.* ix, 27.
(t) 2 *Cor.* xii, 7, 8, 9. (u) *Theodoret.* Ἁγνότητα δὲ καλεῖ τὴν τῶν χρημάτων ὑπεροψίαν. *Ita Chryſoſt. & Theophyl. Eſt.* (x) 2 *Cor.* xi, 6: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ.*
(y) Ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Chryſoſt.* Ἐν τοῖς πνευματικοῖς χαρίσμασι.
(z) *Chryſoſt.* Οὐ δολοῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, οὐδὲ νοθεύοντες διετελέσαμεν.
(a) 2 *Cor.* ii, 17; iv, 2. (b) *Vide Theodoret. Grot. Eſt. Menoc. J. Capell. alios.*
(c) *Vide Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Origen. contra Celſ. lib.* 1, *l.* 3, *& l.* 6, *&c.*
(d) Ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. *Borner. G. L.* Ὡς πειραζόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι. *Ambroſiaſt. ut tentati, &c.* (e) *Eſt. Men. Tir. Cajet.* (f) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eſt. alii.*
(g) *Ita Patres, Eſt. Grot. Men. Tir. alii.*
(h) 1 *Cor.* i, 4, 5: *Gratias ago Deo meo, quòd in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientiâ.*

℣. 11. Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt.

℣. 12. Non anguſtiamini in nobis; anguſtiamini autem in viſceribus veſtris.

℣. 13. Eamdem autem habentes remunerationem, tamquam filiis dico, dilatamini & vos.

℣. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?

℣. 15. Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

℣. 16. Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

COMMENTARIUS.

nantas, Nullis hnmaois opibus pollemus, omnia ſponte abjecimus, ut Chriſti exemplo voluntariam paupertatem ſectemur; at divitiarum loco ipſa paupertas eſt. Satis locupletes ſumus, ſatiſque abundamos, dum opes aſpernamor, atque hac animi tranquillitate fruimur, qua nihil caducum optamns *(i)*, Denique id efficit Deus, ut omnibus deſtituti, nullâ prorſus re indigeamus, cùm ipſius Providentia omnia abundè ſuppeditet.

℣. 11. Os nostrum patat au vos. Silere nequeo, & ea quæ ſentio cohibere. Dilatatur cor maum, cùm vos alloquor; planè geſtio, dum narro ea quæ ob Dei gloriam geſſi, quippe qui planiſſimè novi, vos æquè gaudere. Animi mei ſenſa audacter vobiſcom communico; meaque verba lcoiùs oberiùſque fluere ſentio, quòd ex cordis abundantiâ loquar.

℣. 12. Non anoustiamini in nouis, &c. Viſcera mea vobis elauſa non ſunt, ſed veſtra mihi. Vel: In anguſtiis apud me non eſtis, ſed animus veſter mihi anguſtus eſt. Qui multum amant, ſatis ſe amari non creduot; cùmque ipſi acriter, ferventer, ac præter modum ament, ſimilem ſuo amorem ac majorem etiam in amatis optant. Cùm Paulus Corinthios ſummâ benevolentiâ proſequeretur, ipſo amoris fervore queri cogitur, ſe ab iis non æquè diligi. Quaſi diceret; Quantumvis ingens ae fervidus ſit veſter erga me amor, meum erga vos non æquat: hoc porrò diſcite ex ipſo corde meo, quod vos univerſos complectitur, cùm vix ego veſtris capiar. Si quem feriunt hæ Apoſtoli querelæ, eos certè, qoi credulas nimiùm pseudo-Apoſtolis aures præbebant. Similem huic queſtum habet infra *(k)*: *Licèt plus vos diligens, minùs diligar.*

℣, 13. Eamdem autam haubntes ramunarationem *(l)*. Parem amori meo amorem reddite: ſimilem erga me benevolentiam exercete; dilatate animos, ut eâdem in iis ſede, qua vos in meo, accipiar. Jungi hæc poſſunt cum ſuperioribus; Anguſtus eſt erga me vobis animus: parem gratiam a vobis tamquam a filiis poſtulo *(m)*. Sive; Pari gratiâ (vos ut) filios alloquor) & vos dilatate animos *(n)*.

℣. 14. Nolita juoum duceru cum infidelibus. Sunt qui hæc verba de matrimonio explicent, cum infidelibus non incuodo *(o)*. Confirmat Paulus Moſaicam hac de re legem *(p)*, & ea quæ idem ipſe in priore ad Corinthios Epiſtolâ de connubio Fidelium cum Gentilibus tradidit. Permitit in eâ, ut diverſæ Religionis conjuges matrimooium ſolvant *(q)*: hîc nondum nuptis imperat, ut alterius Religionis conjugem non ducant. Alii *(r)* genericè interpretantur de conſuetudine, amicitiâ, convictu, menſæ ſocietate, denique de qualibet re in infidelitatem, crimen, diſciplinæ remiſſionem, offenſionem infirmorum inducente. Multa jam ſapientiſſimè tradidit in Epiſtolâ ſuperiore de hoc argumento, ubi de epulis apud Gentiles, & carnibus Idolo mactatis. Alludere videtur ad myſticam Moyſis ſanctiooem, ne diverſi generis animalia conjungantur, ne ager diverſo ſemine ſeratur, nequis veſtem ferat ex lino lanâque contextam, nequis bovem & aſinum uni aratro ſubjiciat *(s)*.

℣. 15. Quæ conventio Chuisti ao Belial? *Belial* genericè uſurpatur de homine nequam, exlege, Religionis contemptore. Hujus vocis etymon ſonat hominem jugi impatientem, vel hominem nihili. Hujuſmodi ſunt impii, infideles, idololatræ, qoibus nulla pars eſt cum Chriſto Jeſu; quos Diſcipuli Jeſu Chriſti pro inimicis Præceptoris ſui habent; quibuſcum nulla iis conſuetudo habenda eſt, niſi ut ab errore reducant, atque ad Deum trahant. *Belial* quoque dicitur Diabolus, mendacii pater, reproborum impiorumque Princeps; pluresqoe ex Interpretibus *(t)* cenſent, hanc eſſe genuinam hujus loci ſignificationem; *Quæ communio Chriſti cum Satanâ?*

℣. 16. Templo Dei cum idolis? Clam arguit Corinthios, familiariter nimis cum Gentilibus conſueſcentes, a quibus interdum vocabantur Corinthii ad ſacras epulas, in quibus carnes idolis mactatæ comedebantur: id quod offendiculo erat tum Fidelibus tum profanis *(u)*. Ut illos ab impiis ejuſmodi epolis revocet, cauſam no-

(i) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Theodoret, Geor. & Philipp.* IV, 18. *Habeo autem omnia, & abundo,*

(k) 2 *Cor.* XIII, 15. (l) *Græc. non legit: Habentes:* Τὴν δὲ αὐτὴν ἀντιμισθίαν, ὡς τέκνοις λέγω. *Ita & Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. legit, habentes, ſed jungit præcedentibus.*

(m) *Ita Chryſoſt. alii Græci, Ambroſiaſt.* (n) *Vide Syr. Arab. Geor. Cnatchull.*

(o) *Eſt. hic, & Cornel. Hieronym. lib.* 1 *contra Jovinian. Cleric. hic. Tir. Eraſm.*

(p) *Deut.* VII, 3; *Exod.* XXII, 33, 34, *&c.* (q) 1 *Cor.* VII, 12, 13.

(r) *Vide Grot. Eſt. Ham. alios paſſim.* (s) *Levit.* XIX, 19; *Deut.* XXII, 10,

(t) *Syr. Eſt. Druſ. Piſc. Vorſt. alii, ut Chryſoſt. & PP. paſſim.*

(u) 1 *Cor.* X, 18, 19, 20, *& ſequ.*

℣. 17. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis:

℣. 18. Et ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

COMMENTARIUS.

nobiliſſimam affert: Vos templa Dei eſtis, intra vos morante Spiritu Sancto; qui igitur in idoleo eſſe audetis? participes eſſe ſacrificiorum Dæmonis? carnes impuras atque execrabiles eodem ore, quo Chriſti Corpus & Sanguinem, accipere? *Neſcitis quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos* (x). Et alibi (y): *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritûs Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri?*

℣. 17. EXITE DE MEDIO EORUM, &c. Verba hæc & ſuperiora ex variis Scripturæ locis deſumpta fuere (z), quæ Paulus in rem ſuam uſurpat; quorum ſententiam potiùs quàm ipſas ſacri Scriptoris locutiones recitat. Corinthios monet, non ut de medio impiorum abſcedant (penitus enim abeundum ex mundo foret, ut idem Paulus (a) fatetur); ſed ut relinquant eorum conſuetudinem, qui lapsûs occaſio eſſe poſſunt, quorum ex ſermonibus & ſocietate Fidei diſcrimen imminet. Ejuſmodi ſunt ii, qui acrius cæteris ingenium jactant, quos Scriptura contemptores ac deriſores nuncupat (b), qui malignis artibus & irriſione contemptum vel dubitationem circa res Religionis inducunt. Pernicioſius eſt iſtud hominum genus, quàm qui impietatem profitentur, palamque ab omnibus flagitioſiſſimi agnoſcuntur. Taxat his verbis Apoſtolus pseudo-Apoſtolos, a quibus Corinthii decipiebantur, eosque ex Fidelibus, qui miſtâ Religioni Philoſophiâ, negabant Reſurrectionem, deque myſteriis audaciùs diſputabant. *Separamini* ab iis, *& immundum ne tetigeritis.* Iſta uſurpanda ſunt eo ſenſu quem diximus: diſcedite ab iſtorum conſuetudine, ſermonibus aures ne præbeatis, neu credite argumentationibus, neque ſocii geſtorum ſitis.

℣. 18. ET EGO RECIPIAM VOS; ET ERO VOBIS IN PATREM. De medio impiorum abſcedite, mihique vos penitus tradite: vos ego ceu pater filios ab inimico fugientes excipiam. Hæc verba, *Ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens*, totidem verbis in nullo Scripturarum loco leguntur; at ſimile quid habet Jeremias (c): *Quia factus ſum Iſraëli pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Secundus Regum Liber (d): *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Iſaias (e): *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Joannes Evangeliſta (f) eumdem locum ſpectare videtur: *Ero illi Deus, & ipſe erit mihi filius.* S. Thomas ſumpta cenſet hæc verba ex Prophetico aliquo libro, qui perierit; Grotius verò deſumpta putat ex hymno aliquo celebri apud Hebræos.

CAPUT VII.

Corinthios docet Paulus, quantopere ipſos amet, ſeque ab iis amari fatetur. Solatium quod ex iis accepit. Gaudet mœrore, quem prior Epiſtola illis attulit, ob ortam inde utilitatem. Gratias agit, quod benignè Titum exceperint.

℣. 1. HAs ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.

℣. 2. Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HAS HABENTES PROMISSIONES, MUNDEMUS NOS, &c. Cùm igitur nobis polliceatur Deus futurum, ut nos excipiat, noſque inter filios cooptet, modò abſcedamus ab impiis, fallere atque in errorem inducere conantibus; mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, labe corporis, vitio apud Corinthios familiari; & perverſitate ſpiritûs, ſeu ſententiarum, ut ii qui Reſurrectionem negabant; ſeu cordis, ut ii, qui ſeditionem in Eccleſiâ fovebant, & offendiculo erant fratribus præpoſterâ libertate uſurpandi in cibum carnes idolis mactatas, unâ cum Gentilibus. *Perficientes ſanctificationem* noſtram *in timore Dei*; ſancti purique in Dei timore & cultu. Sanctitatis noſtræ opus Baptiſmo incepimus; perficiendum eſt innocentiâ vitæ, integritate, puritate morum, quæ Templis Spiritûs Sancti convenit. Aliter interpungunt Veteres nonnulli (g): *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritûs perficientes ſanctificationem, in timore Dei.*

℣. 2. CAPITE NOS: NEMINEM LÆSIMUS. Nos ani-

(x) 1 *Cor.* III, 16, 17. (y) 1 *Cor.* VI, 19. (z) *Levit.* XXVI, 12; *Ezech.* XXXVII, 27; *Iſai.* LII, 20. (a) 1 *Cor.* V, 10. (b) *Pſal.* I, 1; *Prov.* I, 22; III, 34; IX, 1, 2, 7, 8; XIII, 1; XIV, 6, *&c.* (c) *Jerem.* XXX, 8, 9. (d) 2 *Reg.* VII, 14. (e) *Iſai.* XLIII, 6. (f) *Apoc.* XXI, 7. (g) *Ambroſiaſt. hic. Vide & Auguſt. lib. 3 de Doctrin. Chriſt. c. 2. Et ſic interpungunt Bib. Vatic. Sixti V, an.* 1590. *Item Clem. VIII, ann.* 1592, 1593, 1598, *& Plantin.* 1503; *& Pariſ.* 1618: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis; & ſpiritûs perficientes ſanctificationem. Alii verò paſſim: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, perficientes, &c.*

℣. 3. Non ad condemnationem veſtram dico: prædiximus enim, quòd in cordibus noſtris eſtis, ad commoriendum, & ad convivendum.

℣. 4. Multa mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis; repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ.

℣. 5. Nam & cùm veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores.

℣. 6. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi.

℣. 7. Non ſolùm autem in adventu ejus, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, veſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

℣. 8. Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtolâ, non me pœnitet: & ſi pœniteret, videns quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit:

COMMENTARIUS.

animis excipite: cor dilatate, ut eo excipiamur (b). Aliter. *Amplectimini nos* tamquam Apoſtolos & amicos; ſiniſtrum nihil adversùm nos admittite; aures claudite adversùs fictos Apoſtolos, qui nos e mentibus veſtris delere conantur: *neminem læſimus, neminem corrupimus* (fefellimus), *neminem circumvenimus*, nullius bona occupavimus; vel neminem vexavimus, quemadmodum illi accuſant, nosque illos viciſſim accuſare poſſumus (c). Reddi poteſt Græcus (d): *Quæ dico, probè intelligite: neminem fefellimus*. Profectò latet hìc acris ſententia, qua pseudo-Apoſtolos & criminatores compreſſo nomine atgnit.

℣. 3. Non ad condemnationem veſtram dico (e); quaſi verear, vos iſta de me ſentire, aut me a vobis accuſari, ceu deceptorem ac lucri cupidum & avarum: pſeudo-Apoſtolos accuſo (f). *In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & ad convivendum*. Nunquam veſtri oblivisear, nihilque animum meum erga vos minùs æquum efficiet. Optimi Paſtoris laus.

℣. 4. Multa mihi fiducia apud vos; audacter apud vos loquor, ut apud filios pater, & apud amicos amicus. *Multa mihi gloriatio pro vobis*; gloriari mihi licet, me, omnia mea, meaque inſtituta vobis eſſe cariſſima: quamobrem *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ*. Illud mihi ſolatio eſt, quòd fideles discipulos, conſtantes amicos, ſtudioſus morigerosque filios vos nactus fuerim.

℣. 5. Nam et cum veniſſemus in Macedoniam, &c. Paulus Epheſo profectus, aliquandiu Troade ſtetit, unde navigavit in Macedoniam, ex qua hanc Epiſtolam dedit. Ait igitur, ſe, cùm in Macedoniam veniſſet, quid apud Corinthios ageretur penitus ignarum, maximè ſollicitum fuiſſe, quid ſuperior Epiſtola peperiſſet, aut quo animo excepta fuiſſet. Hos inter tumultus venit Titus, narravitque, me a vobis magnopere diligi.

Foris pugnæ, intus timores. Exteriùs Gentiles, Judæi, falſi fratres; intrinſecus timores, quos dixi, me cruciabant: acrior ne fuerit epiſtula mea? anathemati paruerit homo inceſti reus? ea ne deſtruxerint pſeudo-Doctores, quæ ego apud Corinthios ſtruxi? animos irritaverit epiſtola? Hæc nimirum timoris mei argumenta (g).

℣. 6. Sed consolatus est nos Deus in adventu Titi, optimum Eccleſiæ veſtræ ſtatum, veſtram erga me benevolentiam, felicemque converſionem, Epiſtolâ ſuperiore partam, nuncianţis.

℣. 7. Non solum autem in adventu, &c. Nedum Titi præſentia, quamquam poſt diuturnam abſentiam optatiſſima, me ſolatio affecit, verùm etiam ea quæ ille de vobis nunciavit: gaudio cumulatus ſum, cùm illum veſtris erga ſe officiis lætum vidi, ex eoque didici, veſtram erga me benevolentiam non modò non imminutam fuiſſe Epiſtolâ ſuperiore, ſed confirmatam, ita ut me ad vos venire cupiatis, cùm præſertim me venturum promiſerim. Narravit etiam lacrymas, quibus inceſtum hominem veſtraque ipſorum peccata fleviſtis; & gemitum, quo labores ærumnasque meas accepiſtis.

℣. 8. Etsi contristavi vos in Epistola, non me poenitet, etsi poeniteret. Vel (h): *Et, ſi pœniteret*, ſeu *pœnituiſſet*, nunc gauderem, cùm partam ab eâ utilitatem videam: objurgationi meæ plaudo.

℣. 9. Con-

(b) *Ita Theodoret. Chryſoſt.* Χωρήσατε ἡμᾶς, τουτέστι, φιλήσατε ἡμᾶς. *Ita Grot. Eſt. alii plerique.*
(c) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. &c. Eſt. Eraſm. Menoc. Alii.*
(d) Χωρήσατε ἡμᾶς. *Confer Matth.* xix, 11: Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον. & xix, 12: Ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω.
(e) *Alii: Non ad condemnationem dico. Et ita Græci*, οὐ πρὸς κατάκρισιν λέγω. *Et ita Quidd. Lat. Eſt.*
(f) *Ita PP. Græc. Eſt. Cajet. Cathar. Men. alii.*
(g) *Chryſoſt.* Ἔξωθεν μάχαι παρὰ τῶν ἀπίστων. Ἔσωθεν φόβοι, διὰ τοὺς ἀσθενεῖς τῶν πιστῶν, μὴ παρασυρῶσι. *Ita alii paſſim.*
(h) *Et ſi pœniteret, vel pœnituiſſet.* Οὐ μεταμέλομαι, εἰ καὶ μετεμελόμην. *Vide Chryſoſt. hic:* Τὸ πολὺ κέρδος τὸ ἐξ αὐτῶν, οὐκ ἐᾷ μεταμεληθῆναι.

℣. 9. Nunc gaudeo: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

℣. 10. Quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur: ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

℣. 11. Ecce enim hoc ipsum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. In omnibus exhibuiſtis vos, incontaminatos eſſe negotio.

℣. 12. Igitur, etſi ſcripſi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui paſſus eſt: ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis.

℣. 13 Coram Deo: ideò conſolati ſumus. In conſolatione autem noſtra, abundantiùs magis gaviſi ſumus ſuper gaudio Titi, quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis.

COMMENTARIUS.

℣. 9. CONTRISTATI ESTIS SECUNDUM DEUM, UT IN NULLO DETRIMENTUM PATIAMINI EX NOBIS; vel, atque ita moleſtia, qua vos affecimus, vobis detrimento non fuit. Magnopere dolerem, ſi Epiſtola mea vos inani mœrore affeciſſet; at cùm ea vos ad pœnitentiam induxerit, ſanctumque ac ſalubrem mœrorem attulerit, gaudeo. Patrem vides ubique in Paulo, ſpiritali filiorum utilitati conſulentem.

℣. 10. SÆCULI AUTEM TRISTITIA MORTEM OPERATUR. Quæ iſthæc ſæculi triſtitia? Mœror, inquiunt Patres (i), ob amiſſionem bonorum, amicorum mortem & abſentiam, neglectum ſui & injurias. Porrò hic mœror utilis ſaluti non eſt; valetudini nocet vitæque felicitati: mortem animæ parit, cùm immodicus eſt ac voluntarius, atque ab immodico rei creatæ alicujus amore proficiſcitur. Contra verò *triſtitia ſecundùm Deum*, de peccatis dolor, mœror ob fratrum peccata & flagitia, labor ob Dei gloriam & peccati fugam, *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem* (vel ex Græco (k) *pœnitentiam non pœnitendam*) *operatur*. Pro brevi dolore immenſam beatitudinem parit, atque efficit, ut doloris non pœniteat. Suaves ſunt pœnitentium lacrymæ; atque ii, quorum animos movit Deus, lacrymas ſuas inanibus mundi voluptatibus mutare nolunt. *Dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum*, ait S. Auguſtinus (l). *Ipſa lacrymæ contribulatorum, mœſtum ſunt amantium* (m). *Stabilem*, vel *non pœnitendam*, referri poteſt ad *ſalutem*. Beatitudinem affert quibuslibet laboribus majorem.

℣. 11. QUANTAM SOLICITUDINEM, SED DEFENSIONEM, &c. Quàm cautos vos reddidit mœror iſte, quàm ſolicitos de ſalute veſtrâ, quàm ſtudioſos placandæ iræ Dei, & corrigendorum Eccleſiæ veſtræ vitiorum? *Defenſionem*. Ad verbum (n): *Apologiam*, excuſationem. Unusquisque veſtrûm in illud maximè incubuit, ut ſeſe mihi reum non eſſe probaret, oſtenderetque, ſe cum homine inceſto commune nihil habere; ejus flagitium aut neſciſſe, aut damnaſſe; ſive ut ſe purgaret, quòd ſatis conſtanter peccantem non coërcuerit. *Indignationem* in pernicioſum hominis facinus, & in ſeditionis ac turbarum authores. *Timorem* Divinæ Juſtitiæ, quem vobis attulit ſeveritas mea, vis objurgationis meæ, & exemplum anathematis in inceſtum hominem pronunciati. *Deſiderium* videndi mei, & cautius vitæ genus deinceps inſtituendi. *Æmulationem*, ſtudium gloriæ Dei, famæ Apoſtoli, peſſimi exempli auferendi, morumque corrigendorum. *Vindictam*, deſiderium vindicandi honoris Dei & Eccleſiæ, cui nocuit inceſti hominis flagitium, ac tuendæ famæ Pauli, quam pſeudo-Apoſtoli labefactare conabantur.

℣. 12. NON PROPTER EUM QUI FECIT INJURIAM; non modò ut ſalubri probro obruerem filium, qui novercâ abuſus eſt; *nec propter eum qui paſſus eſt*, patrem ſcilicet, cui filius injuriam irrogavit (o). Graviſſima omnino fuit injuria, ſeu ſuperſtes fuerit pater ſeu mortuus, conſenſerit pater an repugnaverit; mortuorum injurias, uti ſuperſtitum, jure perſequimur; ac multo graviùs mortuorum, cùm ipſi per ſe perſequi nequeant. *Sed ad manifeſtandam ſolicitudinem noſtram, quam habemus pro vobis coram Deo.* Me non impulit ſimultas, aut odium, vel inimicitia in filium, vel patria amicitia: id mihi primùm propoſui, ut vobis oſtenderem, quanto ſanctitatis veſtræ ſtudio tenear, & quantopere doleam, cùm flagitia & pernicioſa inter vos exempla video.

℣. 13. IDEO CONSOLATI SUMUS; conſolationem accepimus ex iis, quæ ipſi hac in re geſſiſtis, & ex felici Epiſtolæ noſtræ ſucceſſu. At gaudio noſtro cumulum addidit Titus, de quo eſtis optimè meriti: *quia refectus eſt ſpiritus ejus ab omnibus vobis*, quodammodo in vitam revocatus, tam multis benevolentiæ argumentis illi exhibitis, exceptus ceu Dei Angelus, oſtenſisque innumeris veſtri erga me amoris ſignificationibus, &c.

℣. 14. Si-

(i) *Chryſoſt.* Λύπην δὲ λέγει τὴν ἐπὶ βλάβην τῶν λυπουμένων. Ἐὰν λυπηθῇς διὰ χρήματα, διὰ δόξαν, διὰ τὸν ἀπελθόντα. *Vide & Theodoret. &c.* (k) Μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. *Quidam*, ἀμετανόητον, *non pœnitendam*. *Alii*: Ἀμετακίνητον, *Stabilem*. *Ita Velez. Clarom. S. German. Latin. Ambroſiaſt. Auguſt.* (l) *Auguſt. in Pſal.* CXXVII, *n.* 10, *p.* 1442.
(m) *Idem in Pſal.* LXXIII, *n.* 10. (n) Ἀλλὰ ἀπολογίαν.
(o) *Theodoret. hic.* Ἀδικήσαντα λέγει τὸν πεπορνευκότα. Ἀδικηθέντα δὲ τὸν ἐκείνου πατέρα. Καὶ τεθνεὼς γὰρ ἠδίκητο, τῆς εὐνῆς ὑβρισθείσης. *Ita & alii plerique.*

℣. 14. Et ſi quid apud illum de vobis gloriatus ſum, non ſum confuſus: ſed ſicut omnia vobis in veritate locuti ſumus, ita & gloriatio noſtra, quæ fuit ad Titum, veritas facta eſt.

℣. 15. Et viſcera ejus abundantiùs in vobis ſunt: reminiſcentis omnium veſtrûm obedientiam, quomodo cum timore, & tremore excepiſtis illum.

℣. 16. Gaudeo quòd in omnibus confido in vobis.

COMMENTARIUS.

℣. 14. SIQUID APUD ILLUM, &c. Si vos apud Titum laudavi, neque pudet neque pœnitet: quæ dixi, ipſi comprobaſtis: pietatem, ſtudium, charitatem, de quibus apud illum egi, gratulabundus quodammodo erga vos, ſive mecum ipſe veſtri cauſâ, ille nactus eſt apud Corinthios. Meo de vobis teſtimonio fidem ac veritatem re ipſâ addidiſtis, *Ita & gloriatio noſtra, veritas facta eſt*.

℣. 15. VISCERA EJUS ABUNDANTIUS IN VOBIS SUNT. Vos ille magis in dies amat, totusque commovetur, cùm *reminiſcitur omnium veſtrûm obedientiam*, ſive quam ſanctionibus meis, ſive quam ipſi Tito exhibuiſtis, explentes ſummo obſequio omnia, quæ ipſe vel ſuo vel meo nomine vobis imperavit: & *quomodo* nedum eum benevolentiâ, verùm etiam cum obſequio, *cum timore & tremore excepiſtis illum*, cum maximis reverentiæ ſignificationibus (p), nedum ut patrem, ſed ut dominum (q).

℣. 16. GAUDEO QUOD IN OMNIBUS CONFIDO IN VOBIS: ſecurus certusque de vobis ſum. Poſt iſta veſtræ charitatis ac benevolentiæ pericula, arguere vos, hortari, laudare poſſum, quin vetear, ne vos objurgatio inimicos faciat, aut laudes meæ mendaces, & fiducia inanis inveniatur. Fidere vobis queo ut hominibus mihi penitus devotis, quorum benevolentia & fides nunquam ſint defuturæ (r).

CAPUT VIII.

Hortatur Paulus Corinthios, ut pauperes Jeroſolymitanos ſtipe juvent, exemplo Macedonum, qui ingentem pecuniam contulere. Bonam illorum voluntatem laudat, eosque quos ad pecuniam colligendam mittit.

℣. 1. NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ.

℣. 2. Quòd in multo experimento tribulationis, & abundantia gaudii ipſorum fuit: & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum:

COMMENTARIUS.

℣. 1. GRATIAM DEI, QUÆ DATA EST IN ECCLESIIS MACEDONIÆ. Captatâ Corinthiorum benevolentiâ, laudatisque iis a charitate, fervore, ac ſui benevolentiâ, gradum facit ad pecuniam ab ipſis corrogandam in Jeroſolymitanos Fideles; eosque exhortatur exemplo Fidelium Macedoniæ. *Gratia Dei* hoc loco eſt liberalitas & largitio, quam Macedoniæ Eccleſia exercuerat. Eodem hoc ſenſu uſurpatur *gratia* hoc capite, ℣℣. 4, 6, 7, 19; & Dei nomen illi additum, largitionis magnitudinem ſignificat; ut alibi cedri Dei, montes Dei, tumultus Dei, zelus Dei, &c. (a).

℣. 2. IN MULTO EXPERIMENTO TRIBULATIONIS. Quòd ad Chriſtianam Religionem vocati fuerint, tam multum idcirco gaudent, quàm multa mala ejus rei cauſâ pertulere: quò graviora ob Dei gloriam ferunt, eò pluris vocationem faciunt. Teſte Actorum Libro (b), Philippenſes ac Theſſalonicenſes in Macedoniâ Chriſtiani inimicos experti ſunt & Judæos & Gentiles. Addit Paulus: *Altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum* (c); ſcilicet, ſinceræ charitatis opes uberrimè effudit. *Simplicitatem* uſurpat pro *liberalitate* (d); quòd reverâ grata non ſit Deo liberalitas, niſi ex animo ſimplici ac ſincero proficiſcatur; & is, qui cum mœrore invitoque animo, ſeu cum arrogantiâ ac ſuperbiâ, aut lucri cauſâ largitor, liberalis & benignus dici non debet: vendit potiùs, ſimulat, fallit. Se ipſos ſuperavere Macedones, ut ſummam erga Jeroſolymitanos liberalitatem oſtenderent.

℣. 3. Su-

(p) *Chryſoſt.* Οὐ μετὰ ἀγάπης μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ τιμῆς ἐπίσταμένης.

(q) *Theodoret. alii.* (r) *Theodoret.* Ἐγὼ δὲ θυμηδίας ἐμπίπλαμαι, ὅτι ἐπιπλῆττειν ὑμῖν, καὶ ἐπιτιμῶν θαῤῥῶ. Καὶ ἂν πάλιν ἐνδημῶν ὑ διαμαρτάνω τῆς ἀληθείας. *Vide Grot. Eſt. Men. Tir. alios.*

(a) *Cnatchbull. Eſt. D. Thom. Tirin. Men. Vorſt. Sclater. alios.*

(b) *Act.* xvi, 20, 21, *&c.* xvii, 5, *& ſeq.*

(c) Εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. *Theodoret.* Ἐν ἐσχάτῃ πενίᾳ φιλοτιμίᾳ πλουτοῦντες.

(d) *Ita Theodoret. Theophyl. Chryſoſt. Eſt. Grot. Zeger. Eraſm. Menoc. Tir. &c. Confer* 2 *Cor.* ix, 11, 12, 13; *Rom.* xii, 8, *&c.*

℣. 3. Quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarii fuerunt;

℣. 4. Cum multâ exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in ſanctos.

℣. 5. Et non ſicut ſperavimus, ſed ſemetipſos dederunt primùm Domino, deinde nobis per voluntatem Dei;

℣. 6. Ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam.

℣. 7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientiâ, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtrâ in nos, ut & in hac gratiâ abundetis.

℣. 8. Non quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſolicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans.

℣. 9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.

℣. 10. Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis utile est, qui non ſolùm facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Supra virtutem voluntarii fuerunt. Plura dedêre, quàm poſtulavimus: ſponte ac liberaliter obtulere majora, quàm opes ferrent, ſcilicet, majora quàm ſperabamus, penſatis ipſorum opibus. *Voluntarius* ſonat *liberalem*, & eum qui plura quæſitis offert aut vovet. Locutio eſt ex Hebræo derivata (*e*).

℣. 4. Gratiam et communicationem miniſterii, quod fit in ſanctos. Hoc loco *gratia* pro piis largitionibus uſurpatur, uti ℣℣. 1, 6, 7. *Sancti*, de quibus Apoſtolus, Fideles Jeroſolymitani ſunt, qui converſionis initio, fortunis ſpoliati, iiſque in communem uſum collatis, ingenti deinceps inopiâ laboravere. Cùm illos, poſt Stephani necem, Judæorum odia exagitaſſent, ipſique nullum largitionibus modum poſuiſſent, æs collectum ex iis quantocius exhauſtum eſt. Macedonum Eccleſiæ Paulum rogavere, ut has ipſe pecunias Jeroſolymam deferret ac diſtribueret: id quod re ipsâ explevit Paulus, teſtibus ℣. 19, & Actorum Libro (*f*).

℣. 5. Semetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis, per voluntatem Dei. Quod ad hujus vitæ commoda, totos ſe Providentiæ tradiderunt; noſtræque ſolicitudini in iis, quæ ad rerum diſpenſationem ſpectant; noſtroque penitus arbitrio permiſerunt, ut de rebus ſuis ex Dei voluntate decerneremus; omnia Providentiæ relinquentes. *Per voluntatem Dei* hoc loco ſignificare poteſt, per liberalitatem (*g*), bonamve voluntatem prorſus extraordinariam. *Voluntarium* pro liberali uſurpatum mox vidimus; & Dei nomen voluntati additum, ipſius fervorem optimamque habitudinem indicat.

℣. 6. Ita ut rogaremus Titum, ut.... perficiat in vobis gratiam iſtam (*h*), liberalitatem, largitionem. Macedonum liberalitatem intuens, Titum rogavi Corinthum veniret, vos hortaturus, ut fratrum exempla ſequeremini, miſſis, ut illi, Jeroſolymam pecuniis, ne inferiores ſitis Macedonibus, ℣. 7: *Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientiâ, & omni ſolicitudine, inſuper & charitate veſtrâ in nos, ut & in hac gratiâ abundetis.* Laudaverat jam Corinthios hoc nomine Apoſtolus (*i*): *In omnibus divites facti eſtis in illo* (in Chriſto), *in omni verbo, & in omni ſcientiâ,... ita ut nihil vobis deſit in omni gratiâ.*

℣. 8. Non quaſi imperans dico. Charitas præcepto imperatur: at charitatis exteriùs exercendæ modus nullâ lege definitur. Satis præcepit Deus, cùm amandos dixit cæteros uti nos (*k*), atque ita cum iis agendum, uti nobiſcum agi optamus. Apoſtolus, propoſito Macedonum exemplo, ait, nolle ſe Corinthiis neceſſitatem inducere exercendi latiùs charitatem, quàm illi præſtiterint; at normam porrigit, qua duce charitatem moderentur, atque illorum comparatione judicium de ſe ipſi ferant.

℣. 9. Quoniam propter vos egenus factus eſt. Voluntaria Jeſu Chriſti paupertas noſtræ & argumentum eſt & exemplum. Ejus causâ ſpernenda nobis ſunt hujus vitæ bona, iiſque levandi pauperes, ut meritum paupertatis Chriſti, ac ſpiritales divitiæ, pauperibus ſpiritu in Cœlo promiſſæ (*l*), & in præſenti etiam vitâ, per Dei gratiam & ſuperna munera, iiſdem conceſſæ (*m*), nobiſcum communicentur.

℣. 10. Hoc enim vobis utile eſt, largitiones facere, & Macedonum liberalitatem imitari, nedum in iis, quæ ad Cœleſtem beatitudinem pertinent, atque ad meritum alterius vitæ, ad quam comparatis theſaurum; ſed præſenti etiam in vitâ, cùm & pium cæteris exemplum relin-

(*e*) נדיב *Liberalis, qui ſponte offert, Princeps. Exod.* XXV, 2; XXXV, 5, 21, 22, *& paſſim in Pſalmis.*
(*f*) *Act.* XX, 22; *&* XXIV, 17; *& infra*, 2 *Cor.* IX, 1, 13; *&* 1 *Cor.* XVI, 15.
(*g*) נדבה *Liberalitas, ſpontaneitas, devotio. Levit.* VII, 26; XXII, 18, 21, 23, 28; *Num.* XXIX, 39.
(*h*) *Theodoret. ad* ℣. 4, 5: Χάριν δὲ, καὶ κοινωνίαν τὴν τοιαύτην θεραπείαν ἐκάλεσε, δι' ἀμφοτέρων διδάσκων ὡς τῷ μεταδιδόντι τὸ κέρδος. (*i*) 1 *Cor.* I, 5, 6, 7.
(*k*) *Levit.* XIX, 18; *Matth.* V, 43. (*l*) *Matth.* V, 3: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* (*m*) *Chryſoſt. homil.* 17, *hic*: Πλοῦτον δὲ ἐνταῦθα φησὶ τὴν γνῶσιν τῆς εὐσεβείας, τὸν τῶν ἁμαρτημάτων καθαρισμὸν, τὴν δικαιοσύνην, τὸν ἁγιασμὸν, &c.

℣. 11. Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis.
℣. 12. Si enim voluntas prompta eſt: ſecundùm id quod habet, accepta eſt, non ſecundùm id quod non habet.
℣. 13. Non enim ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate.
℣. 14. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt:
℣. 15. Qui multum, non abundavit: & qui modicum, non minoravit.
℣. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem ſolicitudinem pro vobis in corde Titi,

COMMENTARIUS.

quaris, & nomini veſtro gloriam inter Fideles comparetis. His accedit, quòd teſtimonium, benignitati veſtræ a me redditum, confirmatis.

Non solum facere, sed et velle coepistis ab anno priore, nemine exhortante (n). Non modò id facere decreviſtis, ſed & cœpiſtis anno ſuperiore: bene igitur ceptum implete. Fortaſſe occaſione prioris Epiſtolæ ad Corinthios, anno ſuperiore datæ, decreverant Corinthii, pecunias conferre, in uſus Jeroſolymitanorum pauperum colligendas. Hoc ipſum innuerat Paulus ſub finem prioris Epiſtolæ, Capite xvi, 1, 2, 3: idque ita acceperant Corinthii, ut vel ipſis Macedonibus exemplo eſſe poſſent. Si Macedones ſuperiores vobis ſunt fervore ac liberalitate, a vobis, qui omnium primi cœpiſtis, temporis ordine ſuperantur. Quamobrem proximo capite ſcribit (o): *Scio promptum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones*, narrans, *quoniam & Achaia* (cujus Provinciæ princeps erat Corinthus) *parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.*

℣. 11. Nunc vero et facto perficite. Ignaviæ alicujus arguit Corinthios Paulus, quaſi non ſtatim impleverint id quod anno ſuperiore inceperant. Hortatur ut conferant id quod habent (p), ſive poſſunt; unusquisque ex opum ac fortunarum modo.

℣. 12. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est. Duplici ex parte largitiones veſtras ſpectat Deus: ex fervore ſcilicet piâque voluntate; tum ex liberalitate, veſtris fortunis pari. Si modicæ vobis opes ſunt, & modicum multâ pietate largimini; modicum ipſum loco ingentis pecuniæ vobis adſcribitur: ſi multæ, vosque multum datis; largitionem veſtram, ubi fervor & charitas abſint, Deus aſpernatur. Modicum & multum metitur Deus ex multis modicisve fortunis: at charitatem piamque voluntatem ab omnibus parem poſtulat. Quo major charitas eſt, eò majus meritum; ex eâ quippe illud proficiſcitur (q).

℣. 13. Non enim ut aliis sit remissio, &c. Tam multa largiri vos nolo, ut cæterorum causâ ipſi inopes efficiamini: iniqua ſcilicet diſpenſatio eſt. Fortunis omnibus nos ſpoliari non jubet Deus: hortatur quidem, idque eſt perfectiſſimum: at nunquam eò devenicmus, ut grave hoc onus indiſcriminatim omnibus imponamus. Quibus carere potеſtis, largimini, & quæ præter incommodum abdicare licet (r); ita ut aliqua æqualitatis ſpecies inter vos appareat, ℣. 14. Tum vobis, tum pauperi ſuppetat id, quod eſt vitæ neceſſarium; ita ut, quemadmodum vos extremâ inopiâ non laboratis, neque laboret pauper: *Ut fiat æqualitas. Ut veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia* bonorum ſpiritalium *veſtra inopia* eorumdem *ſit ſupplementum*. Vos pauperi caducas res largimini; vobis ille æternas atque immutabiles reddet; immenſam vobis mercedem pro modicâ largitione acquiret: *Ut illorum abundantia veſtræ inopia ſit ſupplementum.*

℣. 15. Qui multum, non abundavit. Cùm Deus manna in ſolitudine Hebræis demiſiſſet, imperavit, ut gomor unum in ſingulos colligerent. Avidior æquo populus collegit quantum potuit, ſpreto Moyſis monito (s). At effecit Deus, ut qui plus collegerat, nihil magis haberet; & qui minus, illi non deficeret, omnesque eâdem menſurâ donavit (t). Ita in terrenarum opum uſu vult Deus, ut unusquisque cum modo, quantum poſtulat neceſſitas, ex iis uſurpet. Damnat illorum cupiditatem, quibus ſatis eſt nihil.

Locum hunc Apoſtolus recitavit ex Septuaginta (u), qui innuere videntur, prodigium quoddam tunc interceſſiſſe, ita ut qui multum manna collegerant, nihilo plus in vaſe invenirent, quàm qui minus; puniente illorum avaritiam Deo, collectumque manna minuente. Ita explicavere Patres nonnulli, multique Interpretes (x). At prodigio non favet Hebræus, ferens ad verbum (y): *Filii Iſraël collegerunt alii plus, alii minus; & cùm metirentur per gomor, is qui plus collegerat, non accepit plus* quàm gomor, *& qui minus collegerat, nihil defuit ei*; quod enim illi deerat, ſuppeditabant cæteri, qui plus habebant. Allegorica Pauli explicatio hoc fundamento nititur.

℣. 16. Qui dedit eamdem solicitudinem pro

(n) Theophyl. Ἑκουσίως ποιῶν, καὶ μηδενὸς προτρεψαμένου. (o) 2 Cor ix, 2. (p) Ἐκ τοῦ ἔχειν.
(q) Theodoret. Τὴν μὲν γὰρ προθυμίαν τελείαν εἶναι προσήκει. Τὰ δὲ προσφερόμενα τῇ δυνάμει μετρεῖν οὐδὲν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς, οὐ γὰρ τὴν ποσότητα, ἀλλὰ τῆς γνώμης ὁρᾷ τὴν ποιότητα.
(r) Theodoret. Τῶν περιττῶν μεταδοῦναι προσέταξε. Vide Eſt. Men. Tir. Verſ. alios paſſim.
(s) Exod. xvi, 18. (t) Vide Theodoret. Chryſoſt. Theophyl. Men. Tirin.
(u) Exod. xvi, 18, juxta 70: Οὐκ ἐπλεόνασεν ὁ τὸ πολὺ, καὶ ὁ τὸ ἔλαττον οὐκ ἠλαττόνησε.
(x) Vide Philon. lib. 2 de Allegor. pag. 90. 91. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. hic. R. Salom. in Exod. xvi, 18. Cornel. hic, & in Exod.
(y) וילקטו המרבה והממעיט וימדו בעמר ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר

℣. 17. Quoniam exhortationem quidem ſuſcepit: ſed cùm ſolicitior eſſet, ſuâ voluntate profectus eſt ad vos.

℣. 18. Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias:

℣. 19. Non ſolùm autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam, & deſtinatam voluntatem noſtram:

℣. 20. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur a nobis.

℣. 21. Providemus enim bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus.

℣. 22. Miſimus autem cum illis & fratrem noſtrum, quem probavimus in multis ſæpè ſolicitum eſſe: nunc autem multò ſolicitiorem, confidentiâ multâ in vos,

COMMENTARIUS.

Pro vobis in corde Titi. Titum, non aliter quàm me, impulit Deus, ut ad hujuſmodi largitiones vos hortaretur (z); vel, ut vos ſuaderet, utì ego Macedones ſuaſi, *Eumdem ſolicitudinem pro vobis*, ſcribit Paulus, ut innuat, ſibi ac Tito perſuaſum fuiſſe, ſeſe bene mereri de Corinthiis, dum largitionem ſuadebant. Profectò majus largitionis lucrum largitoris eſt, non accipientis. Pium eſt fœnus (a): *Si vis fœnerator eſſe, apud me eſto, dicit tibi Deus: mihi da; ego ſum uſuris reſtituo.* Cùm pauperi damus, nihil noſtrum damus, ſed quod Dei eſt: *Habuiſti me largitorem, fac me debitorem: habeam te fœneratorem: pauca mihi das; plura reddam* (b). *Quare non des, Beatus qui occupat vocem petituri* (c).

℣. 17. Cum solicitior esset, &c. Impelli non debuit ad vos viſendos Titus, ut pecuniæ collectionem, quam dixi, urgeret: ultro vênit, meaque vota quodammodo occupavit: illum nactus ſum paratiſſimum ad profectionem.

℣. 18. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio. Quis iſte? Lucas ne, an Barnabas, Silas, Apollo? incertum. Diſſident Patres, & Interpretes. Lucam ſeu Barnabam, cenſent nonnulli, teſtibus S. Chryſoſtomo ac Theophylacto (d): at idem Chryſoſtomus alibi (e), & S. Hieronymus (f) cum Recentioribus multis putant, Lucam eſſe, Scriptorem Evangelii, quod ipſius nomine inſcribitur, quo Paulus plerumque utebatur. Favet Barnabæ Theodoretus (g).

Recentioribus nonnullis (h) eſt Silas; Ligfooto (i) Joannes Marcus, miſſus ab Hieroſolymitanâ (k) & Antiochenâ Eccleſiâ (l), unâ cum Paulo & Barnabâ, ut eleemosynas colligeret. Reverâ Joannes Marcus diſceſſerat ab Apoſtolo (m): at iterum reconciliatus, in gratiam rediit. Pleriſque tamen creditur Lucas, majori probabilitate (n). Id cum Chryſoſtomo & Hieronymo aſſeruit Origenes (o). Quæ de iſto ſcribit Paulus, adamuſſim cum Lucâ congruunt: celebre erat Evangelio Lucæ nomen apud omnes Eccleſias; Evangelio ſcilicet vel ſcripto vel prædicato. Sunt enim qui negent, Lucæ Evangelium eo tempore fuiſſe deſcriptum: ac reverâ fatendum eſt, id Pauli verbis perſpicuè non evinci. *In Evangelio* uſurpari poteſt pro merâ apud plures Eccleſias prædicatione.

℣. 19. Ordinatus est comes peregrinationis nostræ. Barnabam legimus ab Eccleſiis Antiochenâ (p) & Hieroſolymitanâ (q) ſelectum, ut comes itinerum Paulo eſſet, unâque eleemoſynas colligeret: at nihil prohibet, quin Lucas pariter ab Eccleſiis in idem munus ſelectus fuerit, quamquam ſilente Actorum Libro; diu enim fuiſſe Apoſtolo itinerum comitem ſcimus.

Et destinatam voluntatem nostram: ut piæ voluntati noſtræ, ſtudioque comparandi fratribus Jeroſolymitanis ſubſidii obſecundaret. Græcus vulgatus legit (r): *Et voluntatem veſtram*; plures tamen vetuſti Codices, & pleriqque Patres favent Vulgatæ.

Devitantes hoc, nequis nos vituperet ob uberem hanc eleemosynam. Mos erat Hebræorum, inquiunt (s), eleemoſynis diſpenſandis tres præficere optimi nominis homines. Eum hîc ſequitur Paulus erga Macedones & Corinthios, nequis ipſum de his eleemoſynis criminaretur. Satis Apoſtolo non eſt, innoxium eſſe, & argui non poſſe: opus eſt omni avaritiæ ac malæ fidei ſuſpicione careat. Studere debet, ℣. 21, *providere bona* (rectè agere) *non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus* (t); utì docuit Chriſtus (u): *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cœlis eſt.*

℣. 22. Misimus et fratrem. Frater hic Corinthum miſſus a Paulo, pleriſque (x) creditur Apollo. At de eo ita locuturus fuiſſe non videtur Apoſtolus, cùm ille notiſſimus Corinthi fuerit.

(z) Τὴν αὐτὴν σπουδὴν ὑπὲρ ὑμῶν, ἐν τῇ καρδίᾳ Τίτου.

(a) *Auguſt. ſerm. 38 de Verbis Eccli. 2, c. 6, n. 8, p. 197, nov. edit. & Serm. 390, n. 2.*

(b) *Auguſt. 123, n. 5.* (c) *Auguſt. in Pſal. 103, Serm. 3, n. 10, pag. 1157.*

(d) *Chryſoſt. & Theophyl. hic.* (e) *Chryſoſt. homil. 1 in 2 Timoth. & in Acta homil. 1.*

(f) *Hieronym. de Viris Illuſtrib. c. 7.* (g) *Theodoret. hic.* (h) *Eſt. & apud illum Græci.*

(i) *Ligfoot. Chron. pag. 118.* (k) *Act. XII, 25.* (l) *Act. XIII, 5.* (m) *Act. XV, 39.*

(n) *Hieronym. loc. cit. & Præfat. Comment. in Matth. & in Ep. ad Philem. Primaſ. Cajet. Faber, Druſ. Grot. Zeger.* Tillemont, to. 1, & not. 47 ſur S. Paul. (o) *Origen. homil. 1 in Luc.*

(p) *Act. XI, 29, 30; XII, 25; XIII, 1, 2, 3.* (q) *Act. XV; Galat. II, 10.*

(r) Καὶ προθυμίαν ὑμῶν. *Alii*: Προθυμίαν ἡμῶν. *Ita Vulg. Syr. Arab. Æthiop. Auguſt. Ambroſ. Theodoret. Clarom. S. Germ. Borner. alii plures.* (s) *Vide Grot. ad* ℣. *18; Maimon. tom. 3, fol. 85.*

(t) *Vide Theodoret. hic, Tir. Men. aliis.* (u) *Matth. V, 16.* (x) *Vide Theodoret. hic, D. Thom. Lir. Tir.*

℣. 23. Sive pro Tito, qui eſt ſocius meus, & in vos adjutor, ſive fratres noſtri, Apoſtoli Eccleſiarum, gloria Chriſti.

℣. 24. Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ, & noſtræ gloriæ pro vobis, in illos oſtendite in faciem Eccleſiarum.

COMMENTARIUS.

Aliis eſt *Epenetus*, cujus meminit Epiſtola ad Romanos (y), Zenas, Silas, Soſthenes, Lucas: demum unusquisque pro libito ariolatur (z).

Confidentia multa in vos. Multum de vobis confidimus, illum benignè exceptum iri (a), lætumque veſtrâ liberalitate & charitate futurum. Vel: Studioſiſſimus hujus negotii eſt, *ob confidentiam multam in vos*, quòd nimirum Titus vos optimè paratos eſſe narraverit.

℣. 23. Sive pro Tito qui est socius meus... sive fratres nostri Apostoli, &c. Dicendum erat (b): *Sive pro Tito, ſive pro fratribus noſtris Apoſtolis, &c.* At Paulus rebus ipſis occupatus, ſyntaxeos regulas neglexit. Conciſior ſententia non unâ ratione ſuppleri poteſt (c): *Sive de Tito agitur, ſive de cæteris fratribus noſtris, qui ſunt legati Eccleſiarum* ad hoc negotium. Vel: Hos excipite Titi gratiâ, ſive Apoſtolorum, &c. Seu denique: *Quod ad Titum cæterosque legatos* (d), planè confidimus, illos benignè e vobis exceptum iri. Poſtrema hæc verſio fortaſſe optima omnium eſt.

Apostoli hoc loco ſunt legati, probatæ fidei homines, quibus pecunia publica credebatur. Ita nuncupabantur apud Judæos ii, qui decimas & alia Levitis debita ad ipſos deferebant (e); tum ii, quibus hujusmodi collectarum ad Patriarcham deferendarum provincia dabatur. Hi apud Apoſtolum *gloria Chriſti* dicuntur, quòd reverâ Chriſti gloriam prædicatione, Fide, pietate, ſcientiâ promoverent. Latini quidam veteres libri ferunt: *Legati Eccleſiarum gloria Chriſti*; itaut poſtrema hæc verba ad Eccleſias, non ad legatos referantur. Profectò Chriſtiana Eccleſia eſt Chriſti gloria & amor: at altera lectio potior.

℣. 24. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ. Illos pro meritis excipite, omnesque Eccleſiæ charitatem ac liberalitatem veſtram videant. Reddi poteſt Græcus (f): Approbate illis omnibusque Eccleſiis benevolentiam, qua erga me afficimini; veraſque oſtendite moribus laudes, quibus vos cumulavimus.

CAPUT IX.

Monita circa eleemoſynam. Largiendum eſt absque cunctatione, abundè hilariterque.

℣. 1. Nam de miniſterio, quod fit in ſanctos, ex abundanti eſt mihi ſcribere vobis.

℣. 2. Scio enim promptum animum veſtrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam & Achaïa parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.

℣. 3. Miſi autem fratres: ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati ſitis:

℣. 4. Ne cùm venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos (ut non dicamus vos) in hac ſubſtantiâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ex abundanti (ſupervacaneum) est mihi scribere vobis hac de re, deque his eleemoſynis, poſt ea quæ ſupra dixi, & quæ de veſtro erga me animo novi: ℣. 2, *ſcio enim promptum animum veſtrum*, veſtram erga me benevolentiam, & libentiſſimè prædico, *quoniam & Achaïa* (cujus provinciæ princeps Corinthus) *parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.* Cùm igitur ſupervacaneum eſſe ait, Corinthios ad largitiones hortari, non eò dicit, quòd reverà inutile id eſſe cenſeat, inquit Theodoretus (a); ſed figura orationis eſt, qua illos multò acrius hortetur. Piam Apoſtoli artem admirare, Macedonum exemplo Corinthios excitans, Corinthiorum verò Macedonas.

℣. 3. Misi fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur, inane reddatur. Corinthios impellit ſuæ ipſorum exiſtimationis causâ, ne fallant id quod illorum nomine ipſe promiſit. Titum duosque comites ad vos miſi, ne mendax efficiatis teſtimonium, quod de charitate veſtrâ prædicavi. Partam vobis gloriam, dictorumque meorum veritatem tueri, veſtrum eſt.

℣. 4. Ne erubescamus in hac substantia: ne id & nobis & vobis probro & pudori ſit. Ne cunctatio veſtra in præſtandis iis, quæ veſtro nomine pollicitus ſum, & me & vos dedecore afficiat. Græcus (b): *Ne erubeſcamus in hoc argumen-*

(y) *Rom.* xvi, 5. *Vide Grot. hic.* (z) *Vide Eſt. Tir. Men.* (a) *Eſt. Men. alii.*
(b) Εἴτε ὑπὲρ Τίτου κοινωνὸς ἐμὸς . . . εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν, Ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν, δόξα Χριστοῦ, *Gloria Chriſti. Alii: Gloria Chriſti. Ita Ambroſiaſt. & Hieronymiaſt. & plures antiqui Libri Latini.* (c) *Pagn. Piſcat. Grot. Vatab. Eraſm. ex Græcis.* (d) *Men. Tir. alii.*
(e) *Vide Talmud. & Cod. Theodoſ. & Grot. ad Matth.* x, 1; *& hic.* (f) Τὴν οὖν ἔνδειξιν τῆς ἀγάπης ὑμῶν, καὶ ἡμῶν καυχήσεως ὑπὲρ ὑμῶν, εἰς αὐτοὺς ἐνδείξασθε, καὶ εἰς πρόσωπον τῶν ἐκκλησιῶν.
(a) *Theodoret. hic.* Περιττὴν ἐκάλεσε τὴν περὶ τῆς φιλοτιμίας παραίνεσιν, οὐ περιττὴν ὄντως ὑπολαμβάνων, ἀλλὰ τῷ τοιαύτῃ τῶν λόγων μεθόδῳ πρὸς πλείονα διεγείρων φιλοτιμίαν.
(b) Μήπως καταισχυνθῶμεν . . . ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως. *Theophyl.* ὑπόστασιν, τὴν ὑπόθεσιν, καὶ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, ἤτοι τὴν ὕλην τῆς χρήσεως νοεῖ.

℣. 5. Neceſſarium ergo exiſtimavi rogare fratres, ut perveniant ad vos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe, ſic quaſi benedictionem, non tamquàm avaritiam.

℣. 6. Hoc autem dico: Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

℣. 7. Unusquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitiâ, aut ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

℣. 8. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum,

℣. 9. Sicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

℣. 10. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ:

COMMENTARIUS.

mento gloriationis; laudatoque ſtudio veſtro, vani ſimus, quòd contraria omnia penès vos inveniantur. Plerique tamen veteres cum Vulgatâ conſentiunt, *in hac ſubſtantiâ*, omiſſo, *gloriationis* (c).

℣. 5. Necessarium existimavi rogare (d) fratres, ut perveniant ad vos, antequam ego accedam, ut veniens parata omnia inveniam, *ſic quaſi benedictionem, non quaſi avaritiam;* ita ut videantur charitatis donum, non ſpolia avaritiæ. Avarus ægrè dat, cunctanter, triſti animo, cum metu, ac minimum quàm poteſt. Vos autem obſecro, fratres, opportunitatem hanc ceu Dei munus ac beneficium reputare videamini. Animadverte, totâ hac Epiſtolâ nunquam uti Apoſtolum nomine muneris aut doni, pro eleemosynâ; ſed charitatis, gratiæ, communicationis, benedictionis, ſimplicitatis, juſtitiæ; quaſi innuat, eleemoſynam debitum eſſe erga pauperem (e); magisque affici beneficio largitorem, quàm accipientem.

℣. 6. Qui parce seminat, parce et metet; ac multum metet, qui multum ſeverit. Eleemoſyna, quam largimini, jacturæ loco habenda non eſt; ſemen eſt fertili ſolo creditum. Si uberem meſſem optatis, multum ſerite: centuplum referetis. Uberem ſementem ac meſſem nuncupat *benedictionem*, liberalitatem, munificentiam. Munificentia verò pro modo fortunarum piâque voluntate largientis uſurpatur. Meſſis in æternitate expectanda eſt, ubi *menſura bona & conferta & coagitata & ſupereffluens* homini *in ſinum dabitur* (f).

℣. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo. Neque legem, neque modum, neque neceſſitatem cuiquam induco: quisque privatâ pietate largiatur. *Non ex triſtitiâ*, ut avari ſolent, *aut ex neceſſitate*, vi, quemadmodum a ſubditis tributa exiguntur; ſed voluntate hilari ac promptâ: *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Nihil tuum poſtulat Deus: quæ habes, ipſe largitus eſt: rerum ſuarum partem illi redde, at hilari animo redde (g).

℣. 8. Potens est autem Deus, &c. Poteſt Deus beneficiis omnibus ſupernis & exterioribus, vel etiam interiori gratiâ vos cumulare, largitionis præmio. Cùm verò *gratia* totâ hac Epiſtolâ pro eleemoſynâ paſſim uſurpetur, verti poteſt: Satis virium Deo eſt, ut largitiones veſtras multiplicet, vel modum ſuppeditans plurima largiendi, vel fortunis vos augens, poſt largitionem. Ne igitur vereamini, ne, parte fortunarum in pauperes erogatâ, vos inopes efficiamini: *Non erit egenus tribuendo, quia theſaurus cœleſtis certiùs poſſidetur* (h). Si opem, quam pauper Dei nomine rogavit, non denegaſti, repulſam a Deo non feres, cùm divina dona a Deo ipſius Dei nomine poſtulaveris. Reddi poteſt Græcus (i): *Ut in omnibus contenti iis quæ neceſſaria ſunt naturæ, vobis abundè ſuppetat quod largiamini*. Optima explicatio, & ad literam. Hortatur ut parcè utantur ſuis, quo plura largiantur pauperibus (k).

℣. 9. Justitia ejus manet in sæculum sæculi (l). *Juſtitia* hìc miſericordiam, eleemoſynam ſignificat, quemadmodum alibi in Scripturis ſæpe (m). Juſtus abundè largitur: *Diſperſit*. Beneficii memoria æternum manet: charitatis fructus immortales ſunt: immenſum in Cœlo præmium feret, atque immortali in terris gloriâ gaudebit.

℣. 10. Qui autem administrat semen seminanti . . . multiplicabit semen vestrum. Græcus (n), optantis more: Utinam *qui ſuppeditat ſemen ſerenti, & panem ad manducandum præſtet, & multiplicet ſemen veſtrum, &c.* Videtur Apoſtolus alludere ad Iſaiæ (o) locum ex Septuaginta: *Det Deus ſemen ſerenti, & panem in cibum*. Cæterùm hæc Vulgatæ lectio vetuſtiſſimis optimisque Codicibus (p), Syriacâ, Æthiopicâ confirma-

(c) *Omittunt* καυχήσεως *S. Germ. & Clarom. & Born. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Auguſt. alii.*

(d) Παρακαλέσαι, *Exhortari. Chryſoſt. Theophyl.* Προπέμψαι, *Præmittere.*

(e) *Auguſt. in Pſalm.* xcv, *n.* 15: *Si de tuo dares, largitio eſſet: cùm de illius das, redditio eſt.*

(f) *Luc.* vi, 38. (g) *Eccli.* xxxv, 11: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas. Et Rom.* xii, 8: *Qui miſeretur, in hilaritate.* (h) *Auguſt. in Pſal.* cxi, *n.* 4.

(i) Ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, περισσεύητε εἰς πᾶν ἔργον ἀγαθόν.

(k) *Grot. Eſt. Men. Tir.*

(l) *Vide Pſal.* cxi, 8. (m) *Vide* lxx *in Deut.* vi, 25; *1 Reg.* xii, 7; *Pſalm.* xxiii, 6; xxxv, 11; l, 16; *Prov.* x, 2; xi, 4, *&c.*

(n) Ὁ δὲ ἐπιχορηγῶν σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν χορηγήσαι, καὶ πληθύναι τὸν σπόρον ὑμῶν. (o) *Iſai.* lv, 10 *juxta* lxx: Καὶ δῷ σπέρμα τῷ σπείροντι, καὶ ἄρτον εἰς βρῶσιν. *Vulg. Dat ſemen ſerenti, & panem comedenti.*

Digitized by Google

℣. 11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

℣. 12. Quoniam miniſterium hujus officii non ſolùm ſupplet ea, quæ deſunt Sanctis, ſed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino,

℣. 13. Per probationem miniſterii hujus, glorificantem Deum in obedientiâ confeſſionis veſtræ, in Evangelium Chriſti, & ſimplicitate communicationis in illos, & in omnes,

℣. 14. Et in ipſorum obſecratione pro vobis, deſiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis.

℣. 15. Gratias Deo ſuper inenarrabili dono ejus.

COMMENTARIUS.

firmatur. S. Cyprianus, S. Auguſtinus, Ambroſiaſter, & plerique alii legunt: *Præſtabit, multiplicabit, &c. incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*, ſcilicet largitionum fructus: æternam in alterâ vitâ mercedem largietur, atque in præſenti beneficiis cumulabit, terrenisque opibus, ſi utile eſſe cenſuerit. Vide proximum ℣.

℣. 11. Ut in omnibus locupletati, animo ſimplici, facili, liberali, quodlibet miſericordiæ opus exerceatis. Ingens charitati veſtræ præmium reddet Deus, & vel in hac vitâ vos locupletabit, ut largiri aſſiduè poſſitis. Profectò Deus centuplum vel in terris reddit iis, qui eleemoſynas in pauperes abundè effudere. Innumera ſunt ejus rei exempla. Græcus cum ſuperioribus jungit (p): Augeat Deus fructum juſtitiæ veſtræ (q); *& in omnibus locupletati, largitiones favore ut deſinatis in omni liberalitatis genere: quæ facit, ut nos gratias agamus Deo*. Vel: Quæ pauperem, ipsâ liberalitate recreatum, & eos qui illam vident aut intelligunt, ad agendas Deo grates movet, laudesque rependendas ob ea, quæ per nos veſtramque charitatem facit: *Quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo*.

℣. 12. Sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. Liberalitas veſtra nedum pauperes locupletat, verùm etiam, ut ita dicam, Deum, cùm innumeras undique gratiarum actiones laudesque illi comparet; tum ex iis, qui beneficio affecti ſunt, tum ex iis qui liberalitatem veſtram audiunt; Deum quippe laudant, quòd piam iſtam mentem vobis indiderit, vosque facultate ac voluntate largitiones iſtas faciendi inſtruxerit.

℣. 13. In obedientia confessionis; quòd Evangelio Jeſu Chriſti obtemperetis. Chriſtianorum quippe charitas & eleemoſyna amore Dei movetur & fide erga Jeſu Chriſti promiſſiones in Evangelio deſcriptas. Quamobrem eleemoſyna dici poteſt Chriſtianæ Religionis profeſſio. *In ſimplicitate communicationis*; ob ſimplicem animum, quo largitionem exercetis. Charitatem, eleemoſynam, liberalitatem non ſemel jam appellavit *ſimplicitatem & communicationem*. Hic (r) *ſimplicitas communicationis* eſt *communicatio ſimplex*, ubertima largitio.

℣. 14. Desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Interpretes multi (s) animadvertunt, *deſiderare* hoc loco uſurpari pro *amare*. Dei donum in vobis amant: vos ut eximiâ charitate plenos colunt. Ipſi videtis, quàm multæ in Deum laudes, quàm pium in Fideles exemplum ex veſtris largitionibus proveniat. Reddunt alii (t): *Deſiderantium videre vos, propter eximia dona*, quibus a Deo cumulati eſtis. Verior videtur altera explicatio.

℣. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. His clauduntur ea, quæ hactenus de eleemoſynâ diſputavit: ad aliud argumentum capite conſequenti gradum facit. Æterna ſit omnipotenti Deo gloria, qui perfectam adeò charitatem animis veſtris indidit. *Inenarrabile* hoc *Dei donum* S. Chryſoſtomo, Theophylacto, aliisque permultis (u) eſt Jeſu Chriſti Incarnatio, & gratiæ quæ ex eâ oriuntur. Dei dona generatim ineffabilia ſunt, infinita, incomprehenſa, ut ipſe infinitus eſt & incomprehenſus. Tam multa certè nobis non largitur Deus, quàm poteſt, ſed quàm ipſi capere poſſumus, ait Philo (x): ingens enim diſcrimen eſt inter munificam charitatem, & capacitatem eorum quibus fit beneficium. Sive, ut accuratiùs loquar, non omnia quæ poteſt ipſe beneficia confert, & quæ ipſi accipere poſſumus: ſuorum ipſe donorum arbiter eſt, largiturque pro libito, ut ipſius ſapientia, miſericordia & juſtitia poſtulant.

CA-

(p) *Steph. ια. Χορηγήσαι, καὶ πληθυνεῖ τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσαι. Clarom. & S. Germ. G. L. alii.*

(q) Ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι εἰς πᾶσαν ἁπλότητα. *Quidam:* Ἵνα ἐν παντὶ. *Ita Chryſoſt. Berner. G. L. Vrlez. Valg.*

(r) Ἐν ἁπλότητι κοινωνίας. *Quid.* Ἐν ἁπλότητι διακονίας, *In ſimplicitate miniſterii, &c.*

(s) Ἐπιποθούντων, *Amant. Vide Pſal.* CXVIII, 31. *Grot. hic, Pagn. Piſcat. Bez. Martian. Le Clerc.*

(t) *Eraſm. Vat. Eſt. Menoc. Vide Rom.* 1, 11: *Deſidero enim videre vos, ut aliquid impertiar gratiæ ſpiritalis, &c.*

(u) *Sclater. Piſcat. &c.*

(x) *Philo de Mundi opificio*: Οὐ πρὸς τὸ μέγεθος εὐεργετεῖ τῶν αὐτοῦ χαρίτων. ἀπερίγραφοι γὰρ αὗταί γε, καὶ ἀτελεύτητοι. Πρὸς δὲ τὰς τῶν εὐεργετουμένων δυνάμεις. Οὐ γὰρ ὡς πέφυκεν ὁ Θεὸς εὐποιεῖν, οὕτω καὶ τὸ γινόμενον εὖ πάσχειν.

CAPUT X.

Arguit Paulus pſeudo-Apoſtolos, ſuum ipſius miniſterium, & authoritatem vituperantes. Ait, ſe æquè fortem eſſe, ſive præſens ſit ſive abſens, ſeque ipſum ex laborum magnitudine metiri: ſe in aliorum partem non immittere manum: unicuique verò veram laudem expectandam eſſe ex Deo.

℣. 1. Ipſe autem ego Paulus obſecro vos, per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis.

℣. 2. Rogo autem vos ne præſens audeam, per eam confidentiam, qua exiſtimor audere, in quoſdam, qui arbitrantur nos tamquam ſecundùm carnem ambulemus.

℣. 3. In carne enim ambulantes, non ſecundùm carnem militamus.

℣. 4. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ipse autem ego Paulus, &c. Hoc Capite, & conſequentibus duobus continetur Pauli apologia adversùs pſeudo-Apoſtolos, ipſius dogmata, mores, vitam vituperantes, ut Eccleſiis ab ipſo inſtitutis dominarentur, omnemque illarum ordinem & diſciplinam everterent. Peſſimi iſti Doctores Judæi erant, Moſaicæ Legis ſtudioſi (a), Paulum accuſantes prævaricationis, quòd Legis ritus ſervandos non eſſe doceret. Ipſi porrò novos in Eccleſiam mores, Phariſaicas traditiones, aliasque ſententias, quàm quæ initio Fidelibus traditæ fuerant, inducebant. Paulum aſpernabantur, tamquam eloquentiâ carentem, qua ipſi fortaſſe præſtabant; plures enim eâ ætate Judæi erant, veluti Joſephus & Philo, eloquentiam Græcamque eruditionem profitentes. Hi denique ſuæ ipſorum gloriæ & lucro dumtaxat ſtudebant. Illos tribus hiſce capitibus ita pingit Apoſtolus, ut peſſimos eſſe demonſtret. Quibus adde ea, quæ in Epiſtolis ad Galatas & Philippenſes ſcribit; eoſdem quippe pſeudo-Apoſtolos in iis accuſat.

Obſecrat ſtatim Corinthios *per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*, ut vacuis ac faventibus animis ſeſe audiant. Nulla hìc de hujus ſæculi bonis commodiſque diſputatio; neque ſimultatis aut odii causâ nobis loquendum eſt: aures præbete manſuetudine ac modeſtiâ Chriſti. Compertum mihi eſt, nonnullos in id incubuiſſe, ut animos veſtros adversùs defenſionem meam occuparent (b), ac dicere, me, cùm præſens ſum, humilem inter vos & contemptu dignum videri; abſentem verò eſſe animoſiorem, ac ſuperbiæ & authoritatis ſpeciem uſurpare. Vos probè me noſtis: ipſe ego Paulus Apoſtolus veſter loquor. Quæ vidiſtis in me & cognoviſtis, animo recolite. Idem ille ſemper ſum, quicquid hoſtes mei de doctrinâ meâ venditent. *In facie*, ſcilicet, *in præſentiâ* (c).

℣. 2. Rogo autem, ne præsens audeam, ſcilicet, ne præſens uti confidenter cogar authoritate, quæ mihi ut Apoſtolo veſtro debetur, & quam peſſimi Doctores criminationibus minuere conantur. Defenſionem meam excipite, obſecro, ne exerceam authoritatem, qua me malè abuti, quamque a me uſurpatam illi blaterant (d). Subolet hìc ironia in Corinthios, aures tam facilè præbentes inimicis Apoſtoli; ipſosque in pſeudo-Apoſtolos, qui Paulum inter Diſcipulos vituperare conabantur.

In quosdam, qui arbitrantur nos tamquam secundum carnem ambulemus. Pſeudo-Apoſtoli (e) Paulum eſſe ajebant hypocritam, deceptorem, atque uſurpare in Diſcipulos imperium & authoritatem, nihil denique niſi ex regulâ carnis agere. Faciles fortaſſe aures præbuerant his criminationibus nonnulli ex Corinthiis: quamobrem illos obſecrat Paulus, ne ſeſe cogant uti in iſtos authoritate, ſive in pſeudo-Doctores (f), a quibus ipſe carnis regulam ſectari dicebatur; Evangelium ſcilicet unius lucri, ambitionis, commodorum causâ prædicare. Putat Theodoretus (g), *ſecundùm carnem ambulare*, poni hìc pro, ex Lege Moſaicâ vivere.

℣. 3. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. Quamvis enim in carne infirmâ, mortali, innumeriſque laboribus obnoxia vivimus (h), Deo tamen opem ferente non infirmè pugnamus (i): bellum prorſus ſpirituale ſuſtinemus, atque aliquid quodammodo homine majus conamur. Apoſtolici muneris laborem cum militiâ comparat, uti ſæpè ſolet (k).

℣. 4. Arma militiæ nostræ... potentia Deo; ſcilicet validiſſima, Divino prorſus & prodigioſo robore inſtructa. Dei nomen vocabulis additum, illa exaggerat, eſtque loco ſuperlativi, quo carent Hebræi. Tametſi in fragili ac mortali carne, valida & invicta arma geſtamus, quæ ſunt Dei Verbum, donum prodigiorum (l), ſcientia divinitus data, vis qua Deus prædicationem

(a) *Vide Theodoret. & Eſt. hic.* (b) *Græci, Grot. Eſt. Camer. alii.* (c) Κατὰ πρόσωπον, *Coram præſens. Grot. Eraſm. Eſt. Men. Tir. alii.* (d) *Eſt. Men. Tir.* (e) *Oecumen. hic*: Οἱ ψευδαπόστολοι διέβαλλον αὐτὸν ὡς ὑποκριτὴν, καὶ ἀπατεῶνα, καὶ πάντα πρὸς ἐπίδειξιν ποιοῦντα, *&c.*
(f) *Chryſoſt. Theophyl.* (g) *Theodoret.* Τὸ γὰρ κατὰ σάρκα περιπατεῖν, ἀντὶ τοῦ κατὰ τὸν νόμον πολιτεύεσθαι τέθεικεν. (h) *Vide Galat.* IV, 13; *Heb.* II, 14; V, 7; & 1 *Joan.* IV, 2. *Grot. hic.*
(i) *Vide Grot. Hamm. Le Clerc.* (k) *Vide* 1 *Timoth.* I, 18; 2 *Timoth.* II, 3; & 1 *Cor.* IX, 7; 2 *Cor.* XI, 8.
(l) *Theodoret. Eſt. alii.*

℣. 5. Et omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti;

℣. 6. Et in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cùm impleta fuerit veſtra obedientia.

℣. 7. Quæ ſecundùm faciem ſunt, videte. Si quis confidit ſibi Chriſti ſe eſſe, hoc cogitet iterum apud ſe: quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos.

℣. 8. Nam & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtrâ, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram; non erubeſcam.

COMMENTARIUS.

nem noſtram inſtruit, fervor quo nos animat, conſtantia qua firmat, ut reſiſtamus impiis, & coërceamus eos qui veritati repugnant, *ad deſtructionem munitionum*, *conſilia* illorum *deſtruentes*. *Munitiones* ſunt impedimenta, quæ Diabolus, ejusque emiſſarii objiciunt veritati ac prædicationi; hominum eloquentia ac ſcientia, ſæculi potentia, malitia, invidia, calumnia. Impii dicuntur *munitiones hoſtis*, atque opponuntur piis, qui Sancti Spiritûs Templa nuncupantur *(m)*.

℣. 5. CONSILIA DESTRUENTES, ET OMNEM ALTITUDINEM EXTOLLENTEM SE ADVERSUS SCIENTIAM DEI. Arma, quibus inſtructi ſumus, nullo negotio evertunt omnia Philoſophorum ſophiſmata *(n)*, omnemque illam eruditionis, eloquentiæ, & ſcientiæ pompam, quam jactant, & qua paſcuntur, repugnantes *ſcientiæ* Dei, Evangelio, & Fidei Chriſti. Profectò omnes Philoſophorum artes omnisque ſcientia nunquam iis viribus fuere, ut perspicuitati miraculorum, ab Apoſtolis exhibitorum, efficaciæ gratiæ Jeſu Chriſti, puritati dogmatum Chriſtianorum, Fidei ac Dei verborum authoritati reſiſterent. Cenſuit Diabolus futurum, ut poſt idolorum falſorumque Numinum cladem, ac detectam profanæ ſuperſtitionis inanitatem, Philoſophorum ſaltem atque Oratorum authoritate aciem inſtauraret, ingenioſè explicatis Poëtarum fabulis ac Profanorum Theologiâ; at Dei verba & virtus arcea Dæmonis ſubruerunt. Repulſus hoſtis, vix leviſſimâ velitatione repugnavit. Sacri Præcones *in captivitatem redegere omnem intellectum in obſequium Chriſti*.

℣. 6. IN PROMPTU HABENTES ULCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM. Poteſtatem nobis dedit Deus nedum ſuadendi ac vincendi incredulos, verùm etiam animadvertendi in eos, qui veritati repugnant. Hanc exercuit Apoſtolus in Elymam, illum cæcitate feriens *(o)*; Petrus in Simonem Magum, atque in Ananiam & Saphiram. Ejus authoritatis ſpecimen nuper dederat Apoſtolus in Corinthium inceſti reum. Quis prohibet, ne ſimiliter agam in pseudo-Apoſtolos, eosque ex veſtris, qui illis obſequuntur?

CUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBEDIENTIA. At poteſtatis gladio indiſcriminatim non utar, quin priùs omnes manſuetudinis modos tentaverim; præſtolabor, dum ipſi redeatis ad officium, atque hos pseudo-Apoſtolos relinquatis, & peccatum agnoſcant ex veſtris ii, qui illis obaudiere: ac deinde in pseudo-Doctores pro meritis animadvertam *(p)*. Sive: Si quis pœnitentiam respuit, & pervicax reſiſtit, arma omnia, quibus me inſtruxit Deus, in illum convertam *(q)*. Bonus paſtor extremis remediis nonniſi invitus utitur. Exhortationes, minas, lacrymas, obteſtationes diu experitur, antequam ab Eccleſiâ Fidelem removeat. Cautus paterfamiliâs liberam ſervis poteſtatem non facit lolium evellendi, ne illi triticum unâ evellant. At adulto ſatis tritico, ac lolio ſeſe ſatis prodente, tunc excitanda eſt diſciplinæ ſeveritas *(r)*.

℣. 7. QUÆ SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE: falsâ hujusmodi deceptorum ſpecie ne facilè capiamini: horum mores animadvertite, & cum noſtris conferte *(s)*. His inspectis, nulla ne dubitatio adversùs illos ſuborietur, neque vitabitis hoc hominum genus, quorum dogmata, ſententiæ, mores adeò ab iis differunt, quæ ex nobis didiciſtis, atque ab ipſo Chriſti Evangelio? Alii Græcum reddunt *(t)*: *Quæ ſecundùm faciem ſunt, videtis*; eloquentiam, confidentiam, ſubdolos pseudo-Apoſtolorum ſermones: his decepti fuiſtis: omnem illorum nequitiam omnesque artes non pervaſiſtis. Nonnulli notam interrogationis adduot: *Adeò ne illa tantùm quæ apud homines valent, reſpicitis?* An homines ab ambitione, faſtu, oſtentatione, ac cæterorum criminatione penditis? Docebo jam, me nihilo inferiorem eſſe iſtis, quos tanti facitis.

SI QUIS CONFIDIT SIBI, CHRISTI SE ESSE *(u)*, eſſe Chriſti Apoſtolum, ab eo miſſum, ejusque inſtitutionibus probè inſtructum, idem noſſe debet, nos itidem eſſe Chriſti, ut ipſe eſt. Fortaſſe gloriabantur pseudo-Doctores, ſe ſpectaſſe in terris Chriſtum, atque ex eo accepiſſe inſtitutiones ac miſſionem; rejiciebantque Paulum, ſibi eâ in re minimè parem. Non ſemel ex Pauli Epiſtolis colligitur, hoc ipſum ab inimicis ipſi objectum fuiſſe.

℣. 8. NAM ET SI ALIQUID AMPLIUS GLORIATUS FUERO, &c. nihil falſum proferam, nihilque agam, quo ambitioſus & gloriæ cupidus exiſtimer *(y)*. Authoritas, mihi a Chriſto tradita, neque dubia eſt neque ambigua: ejus vires ipſi ſpectaſtis, & certiſſima illius ſpecimina exhibere queo: at nunquam eâ erga vos utar, niſi neceſſitas cogat. Novi ego, me iſtâ poteſtate inſtructum a Deo fuiſſe *in ædificationem & non in deſtructionem veſtram*. Hanc por-

(m) *Theodoret. hic, ad* ℣. 5.
(n) Λογισμοὺς. *Theophyl.* Συλλογισμοὺς, καὶ τὰ τῶν ἑλλήνων σοφίσματα. *Vide Grot. Pagn. Bez. Piſc. Eſt. Men. Tir.* (o) *Act.* XIII, 8, 9, *&c.* (p) *Chryſoſt. hic, Theophyl.*
(q) *Vide Eſt. Juſtini. Grot.* (r) *Auguſt. lib.* 3 *contra Parmen. cap.* 2, *n.* 12, 13, 14.
(s) *Vide Eſt. Men. Tirin. &c.* (t) Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε. *vel*, κατὰ πρόσωπον βλέπετε; *Vide Theodoret. Grot. Eraſm. Eſt. Zeger.* (u) Χριστοῦ εἶναι. *Alii*: Χριστοῦ δοῦλος εἶναι. *Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Berner. G. L. Ambroſiaſt.* (x) 1 *Cor.* IX, 1; XV, 8.
(y) *Chryſoſt.* Οὐ διεχθήσομαι ψευδόμενος οὐδὲ ἀλαζονευόμενος. *Vide ſup. c.* VII, 14. *Grot. hic.*

℣. 9. Ut autem non exiſtimer tamquàm terrere vos per epiſtolas:
℣. 10. Quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graves ſunt & fortes: præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis:
℣. 11. Hoc cogitet qui ejusmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto.
℣. 12. Non enim audemus inſerere, aut comparare nos quibusdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis nosmetipſos metientes, & comparantes nosmetipſos nobis.
℣. 13. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi uſque ad vos.

COMMENTARIUS.

porrò ſanctiſſimam authoritatis ſuæ regulam, ſive jubendo, ſive vetando, ſolvendo, ligando, Eccleſiæ Paſtores nunquam non ſibi propoſuere. Eâ ſcilicet ita uti debent, ut uſus eſt Chriſtus: in hominum ſalutem, non in exitium.

℣. 9. Tamquam terrere vos per epistolas: hoc quippe vitio mihi dant pſeudo-Apoſtoli. Poteſtatem meam hîc commendare nolo, aut obſequium mihi conciliare vel minis, vel rerum mearum oſtentatione: id enim ambitionis eſſe vobis videri poteſt, quæ, deficiente rerum laude, verba ſectatur. ℣. 11: *Quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto* nos vobis exhibebimus.

℣. 10. Quoniam quidam epistolæ, inquiunt (z), graves sunt, &c. Iſta venditabant falſi Doctores, ut Pauli authoritatem minuerent: at ipſamet iſta illius laudem pariunt. Humilis contemptusque coram Diſcipulis erat, quòd ſponte modeſtiam, ſimplicitatem, humilitatem præſeferret, ut ſimilis eſſet Chriſto, qui inter homines ceu ex illis unus, ceu ſervus, & peccato obnoxius, verſatus eſt: voluit Apoſtolus abſolutiſſimum humilitatis ac manſuetudinis Chriſti exemplum eſſe, atque omnia omnibus fieri, ut omnes ad Chriſtum traheret. Si vilis adeò Pauli præſentia erat, cur pſeudo-Apoſtoli nonniſi eo abſente docebant? Cur non coram? *Epiſtolæ graves ſunt & fortes*: acres ſunt, ſeveræ, minarum plenæ: tonat, aſſurgit, ſternit (a). Vim epiſtolarum illius metuentes, illam criminationibus occupare conabantur.

Corporis illius formam ita deſcribunt Nicephorus (b) & Menæa: Paulus parvus erat, & contractâ corporis magnitudine, & quaſi curvus: ore albo, longo, rugoſo, capite calvo, oculis acribus ſimulque ſuavibus, barbâ promiſſâ, ipsâque incanis miſtâ, quales erant capilli. Vetus Scriptor Græcus, cujus oratio inter Chryſoſtomi orationes legitur (c), Paulum nominat hominem tricubitalem, qui tamen Cœlum attingeret. Lucianus (d) Triephonem quemdam, qui ſeſe baptiſmo tinctum a Paulo ajebat, dicentem inducit, Paulum fuiſſe calvum, & bene naſutum.

℣. 11. Hoc cogitet qui hujusmodi est, idque animo altè imprimat, nos eam vim, quam epiſtolis abſentes præferimus, præſentes quoque exhibituros. Cùm opus fuerit, adeò ſeverus & conſtans coram ero, quàm per epiſtolas videor.

℣. 12. Non enim audemus inserere, &c. Pſeudo-Apoſtolos carpit. Nunquam ego me contulero cum magnis iſtis viris, qui Chriſtum vobis nunciant; pari ingenio, eloquentiâ, oris majeſtate non ſum; careoque magnis iis laudibus, quas illi jactant, tamque aſſiduè ob oculos habent, ut nihil in cæteris niſi multo inferius videant. Ego me mecum ipſe comparo, meque nemini præfero. Cùm de me ago, veriſſima tantùm loquor; ad res geſtas provoco (e): hac nimirum menſurâ utor. Diſertus non ſum; at cum Dei ope, multo plurimos ego ad Chriſtum converti, multoque plurimas Eccleſias inſtitui ego, quàm cæteri: oris & corporis elegantiâ careo; at meis ſermonibus ac prodigiis, quæ per me patravit Deus, integris gentibus perſuaſi.

Græcus (f) aliter: *Non enim audemus nos inferre & conferre quibusdam, qui ſe ipſos commendant: ſed iſti in ſe ipſis ſeipſos metientes, ac ſibiipſis ſeipſos conferentes, non intelligunt*, inſaniunt. Ridiculum profectò eſt, aliquem de ſe judicium ferre, dum ſecum ipſe ſe confert. Cùm aliquid metiris, cum altero confers. Siquis pygmeus, ubi ſolus eſſet, ſibi ſe ipſe conferens, maximum ac proceriſſimum hominum ſeſe exiſtimaret, inſaniam oſtenderet. Eadem eſt pſeudo-Apoſtolorum cauſa, qui nihili quemquam, præter ſeſe, faciebant, omniumque præſtantiſſimos ſeſe arbitrabantur, quòd inſanam de ſe opinionem ipſi ſibi finxiſſent (g). Cùm Paulus, ex Vulgatâ vetuſtisque Codicibus (h), ait ſe conferre ſibiipſi ſeipſum, aliter planè res habet ſeſe; illud quippe ſolummodo vult, ſe neminem aſpernari, aut ſeipſo inferiorem credere, ſed ita de ſe loqui uti verum eſt, ipſaque geſta, omnibus ſatis nota, demonſtrant. Quæ conſequuntur, favent magis explicationi Græcorum.

℣. 13. Nos autem (i) non in immensum gloriabimur. Vertendum eſſet: *Quod ad nos attinet*, non gloriabimur præter modum; quibus innuitur, ſuperiore membro pſeudo-Apoſtolos ſpectari, ut ex Græcis explicavimus. Ait igitur Apoſtolus, nolle ſe præter modum gloriari, ut pſeu-

(z) Αἱ μὲν ἐπιστολαὶ, φησὶ, *inquit*. *Alii*: Φασὶ, *inquiunt*. *Vulg. Syr. Borner. Lat. Syr. Hieronymiast.*
(a) *Chryſoſt.* Ὅταν δὲ ἀπῇ, φυσᾶται, καὶ κομπάζει, καὶ κατεξανίσταται ἡμῶν, καὶ ἀπειλεῖ.
(b) *Nicephor. lib.* 2, *cap.* 17: Παῦλος μικρὸς ἦν καὶ συνεσταλμένος τὸ τοῦ σώματος μέγεθος, Καὶ ὥσπερ ἀγκύλον αὐτὸ κεκτημένος. Σμικρὸν δὲ, καὶ κιρνφός. Τὴν ὄψιν λευκὸς καὶ τὸ πρόσωπον προφερὴς, ψιλὸς τὴν κεφαλὴν, &c. (c) *Chryſoſt. tom.* 6, *homil.* 30, *pag.* 265, 6: Παῦλος ὁ τρίπηχος ἄνθρωπος, καὶ τῶν οὐρανῶν ἁπτόμενος. (d) *Lucian. Philopatr. pag.* 122: Ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας, καὶ τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκώς. (e) *Vide Phot. Eſt. Tir. Men. Ambroſiaſt.* (f) Οὐ γὰρ τολμῶμεν ἐγκρῖναι, ἢ συγκρῖναι ἑαυτούς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων. Ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ἑαυτοὺς μετροῦντες, καὶ συγκρίνοντες ἑαυτοὺς ἑαυτοῖς, οὐ συνιοῦσι. (g) *Ita ferè Græci. Grot. Bez. Vorſt. Vatab. Sclater. alii.*
(h) *Vide Ambroſiaſt. S. Germ. & Clarom. & Borner. G. L. Syr. Hieronymiaſt.*
(i) *Nos autem*, ἡμεῖς δὲ, *omittunt Germ. & Clarom. & Borner. & Ambroſiaſter.*

℣. 14. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos: usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Chriſti.

℣. 15. Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundùm regulam noſtram in abundantiam,

℣. 16. Etiam in illâ, quæ ultra vos ſunt, evangelizare, non in alienâ regulâ in iis, quæ præparata ſunt, gloriari.

℣. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.

℣. 18. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

COMMENTARIUS.

do Apoſtoli ſolebant (k). Illa non prædicabo, peragratum a me orbem univerſum Evangelicâ prædicatione, converſos ad Chriſtum innumeros, exantlata immenſa diſcrimina, prodigia præter numerum patrata, &c. *Sed ſecundùm menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis* Deus: intra fines mihi a Deo conſtitutos conſiſtam, & gloriabor quòd *pervenerim usque ad vos*. Sua unicuique noſtrûm pars obtigit (l), ſuus finis, ſuus ager colendus. Minimè glorior, ut falſi iſti Doctores faciunt, quòd Evangelium in omnes terrarum plagas intulerim; at probè ſcio, me nihil ſuperſtruxiſſe fundamento ab aliis jacto (m), neque in vicini agrum injeciſſe meſſem, ut peſſimi iſti agricolæ ſolent. Peragratis innumeris provinciis, *ad vos perveni* (n): nemo me Apoſtolum veſtrum eſſe inficiabitur: cur igitur deſtruunt iſti quod ego ſtruxi? ſuos unusquisque fines tueatur; illorum fines ipſe non turbo. Ex vetuſto Eccleſiæ more, ab ætate Apoſtolorum ad noſtram usque ſervato, quisque Evangelii Præco moderatur eas gentes, quibus ipſe prior Evangelium nunciavit: hinc orta eſt Diœceſum provinciarumque Eccleſiaſticarum diviſio. Canonum ſanctio eſt, ut unusquisque Epiſcopus in ſuâ Diœceſi authoritatem exerceat, non extra illius fines.

℣. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos. Negaverit nemo, me ante cæteros vobis Evangelium nunciaſſe, aut vos eſſe juris mei, tamquam meam ſpiritu hæreditatem. Aliena jura non turbavi, cùm Corinthios inſtituerem; & qui deinceps venerunt, iniquum eſt, illos indebitam ſibi authoritatem uſurpare.

℣. 15. Non in immensum gloriantes in alienis laboribus; ut iſti criminatores faciunt, qui Evangelium inferre in novas regiones nolunt, ac periculoſarum hujusmodi miſſionum inter populos, quibus ignotus eſt Chriſtus, laboribus ærumnisque ſeſe objicere non audent (o): inſtitutas antea Eccleſias invadunt, ut verorum Apoſtolorum laboribus gaudeant; &, quaſi id non abundè ſufficiat, vituperant eos qui laboravere, ipſorumque famam apud Diſcipulos obſcurare conantur. Id porrò turpiſſimum eſt atque indigniſſimum.

Spem habentes crescentis Fidei vestræ, in vobis magnificari, &c. Futurum ſperamus, ut creſcente in dies Fide veſtrâ, fines noſtros multò ampliùs prorogemus. Sive (p): *Spem habemus, ut, creſcente Fide veſtrâ, per vos multo magis accreſcamus in funiculo noſtro*, parte noſtrâ. Finitimi atque externi, Fidem ac religionem veſtram ſpectantes, multò paratiores erunt ad excipiendum Evangelium (q). Aliter (r): Spem habemus, quòd creſcente fide veſtrâ, per vos majorem laudem conſequamur in locis, quibus ipſi intulimus Evangelium. *Secundùm regulam noſtram*, in parte noſtrâ, quæ in dies labore noſtro augebitur, ℣. 16: *In illa, quæ ultra vos ſunt, evangelizare*,

℣. 16. Non in aliena regula, in iis quæ præparata sunt, gloriari; ſcilicet, quin alienos fines invadamus, nosque paratis antea fundamentis ſuperſtruxiſſe gloriemur. *Regula* toto hoc Capite partem ſignificat; regulam, funiculum, menſoris agrarii menſuram. Cavet Paulus, ne intra alterius fines exultet: ad Romanos ſcribens (s), ait: *Prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*.

℣. 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Cæterùm neque illi qui ad vos venerunt, neque nos, a quibus ante cæteros inſtituti fuiſtis, gloriari in nobis ipſi poſſumus, ſed in Deo, ex quo utrique accepimus quicquid habemus. His etiam verbis taxat pſeudo-Apoſtolos, qui immodicè gloriabantur, cæterosque ſpernebant, illud non animadvertentes, quòd, ℣. 18, *non qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Omnium Judex dominusque eſt Deus: idem bonum a malo ſervo olim ſecernet; atque ad ejusdem judicium provoco. Ita etiam explicari poteſt: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; gloriam omnem in eo collocet, ut Chriſtum Jeſum cognoſcat, amet, illi ſerviat: *Non enim qui ſe ipſum commendat* laudibus immodicis, *ille probatus eſt*, commendatione dignus, & ſervus Domino utilis, *ſed quem Deus commendat*, laboribus illius favens, ac felici ſucceſſu prædicationem ipſius proſequens. Judicium de me deque pſeudo-Apoſtolis, non ex verbis, ſed ex geſtis, atque ex iis quæ ſtatim ſubjicio, ferte.

CA-

(k) *Chryſoſt.* Καυχησόμεθα, καθάπερ οὗτοι· καὶ γὰρ εἰκὸς ἦν αὐτοὺς κομπάζοντας λέγειν, ὅτι τὴν οἰκουμένην ἐπεστρέψαμεν, πρὸς τὰ πέρατα τῆς γῆς ἀφικόμεθα, ἐν πολλὰ ἕτερα τοιαῦτα μεγαληγοροῦσι. *Vide Eſt. Men. Tir. Grot, alios.* (l) Τὸ μέτρον τοῦ κανόνος. Porrò κανών eſt funis, ſeu menſoris agrarii menſura. *Grot. Bez. Capell. &c.* (m) *Infra* ℣. 15: *Non in immenſum gloriantes in alienis laboribus. Rom. xv, 20: Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* (n) *Eſt. Menoc. Grot. alii.*
(o) *Theodoret.* Αἰνίττεται δὲ ἐκείνους, τοὺς τοῖς μὲν οὐδέπω πεπιστευκόσι, κηρύττειν οὐχ αἱρουμένους τοῖς δὲ τὸ κήρυγμα δεξαμένους διαφθείρειν ἐπιχειροῦντας. (p) Ἐλπίδα δὲ ἔχοντες, αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν, ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ὑμῶν εἰς περισσείαν. Reddi poteſt: *Spem habentes, ut, creſcente fide veſtrâ, per vos multò magis accreſcamus in funiculo noſtro.*
(q) *Chryſoſt. hic:* Ἐλπίζω, ὑμῶν ἐπιδιδόντων, ὅτι καὶ περαιτέρω ὁ κανὼν ἡμῶν ἐκταθήσεται, εἰς τὰ ὑπερέκεινα εὐαγγελίσασθαι. *Ita Grot. Menoc. Tirin.* (r) *Vatab. Eſt.* (s) *Rom.* xv, 20.

CAPUT XI.

Suas ipſius laudes proſequi cogitur Paulus, ut hoſtes probro afficiat. Pauli modeſtia, & benevolentia erga Corinthios. Authoritatem ſuam & Apoſtolatum defendit. Seſe cum magnis Apoſtolis ob labores comparat.

℣. 1. UTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me:

℣. 2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Deſponendi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

℣. 3. Timeo autem, ne ſicut ſerpens Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.

℣. 4. Nam ſi is qui venit alium Chriſtum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis; aut aliud Evangelium, quod non recepiſtis: rectè patcremini.

COMMENTARIUS.

℣. 1. UTINAM SUSTINERETIS MODICUM QUID INSIPIENTIÆ MEÆ. Jungenda hæc ſunt cum Capite ſuperiori. Nos ipſi commendare non debemus, ſed laos expectanda ex Deo eſt. Nunquam fiet, ut captandæ exiſtimationis causâ, minuendique cæterorum nominis, me ipſe commendem: id quippe inſipientis eſſe fateor. At cùm ab hoſtibus meis eò adigar, ut illorum criminationes refellam, ſinite me ipſe tuear; atque inſanos paululum imiter, meis laudibus enumeratis.

SED ET SUPPORTATE ME, tametſi me laudando ineptus videar. Græcus reddi poteſt (a): *Supportatis me*. Probè nôvi, vos id mihi vitio non daturos; quippe qui ſcitis, quantopere ineptas iſtas laudes execrer: at neque ignoratis quàm neceſſe mihi ſit, me tueri.

℣. 2. ÆMULOR ENIM VOS DEI ÆMULATIONE (b). Vos vehementiùs amo, quàm vir uxorem. Dei nomen vocabolo additum, illud exaggerat. Aliter: Zeſotypos veſtri ſum, Dei causâ: uti amicus ſolet, cui uxor amici credita eſt, quique illam majori ſolicitudine, quàm vir ipſe, cuſtodit. Sequeſter ego fui fœderis, quod ipſi cum Deo iniiſtis (c): promiſſiones veſtras ipſe excepi, vosque quodammodo Cœleſti Sponſo deſpondi: per me amicitiæ illius piguora, primaque ejus dona habuiſtis. Debeo ego *vos virginem caſtam exhibere Chriſto*, veſtramque pudicitiam ſedulò cuſtodire. Veteres noonulli legunt (d): *Æmulans enim vos, Deo æmulor*. Zelotypia, qua erga vos teneor, Dei unius causâ eſt. Chriſti Sponſa eſt Eccleſia; & unusquisque Fidelis particeps eſt hujus nominis.

℣. 3. TIMEO AUTEM, NE SICUT SERPENS, &c. Vereor, ne pseudo-Apoſtoli animum veſtrum occupantes, vos fallant, rapiantque ſimplicitatem, ac munditiem animi, quam a vobis poſtulat Sponſus. *Simplicitas* hoc loco pro morum integritate, puritate Fidei, ſinceritate Chriſtianâ, humili docilitate, quæ genuina eſt ſimplicium Chriſtianorum laus, uſurpatur. Pseudo-Doctores rerum novarum ſtudium, eloquentiæ, humanarum artium, ſublimium ac ſterilium cognitionum, nunquam non ab Apoſtolo damnatarum (e), amorem inſpirabant. Hæc verba, *& excidant*, non leguntur in Græco vulgato, vetuſtis Exemplaribus Latinis (f), veluti Claromontano & S. Germani, & iis quibus utebantur S. Auguſtinus & S. Ambroſius; & pro *a ſimplicitate*, veteres alii legunt, *a caſtitate*; alii denique (g) utrumque jungunt: *A caſtitate, & ſimplicitate*.

℣. 4. NAM SI IS QUI VENIT, ALIUM CHRISTUM PRÆDICAT..... RECTE (jure) PATEREMINI. Quî conſtant hæc cum iis quæ idem alibi ſcribit (h): *Licèt nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit?* Græci Patres (i) ita explicant: Si novi iſti Doctores vobis nunciarent alium Meſſiam, quem nunciari oporteret, nosque minimè nunciaſſemus, aut utilia aliqua, ſeu neceſſaria, a nobis neglecta, docerent, illos meritò audiretis. At duplex ne Meſſias eſt? aut alia ſalutis via, præter quam ipſi docuimus? ulla ne dogmata ſunt ſaluti neceſſaria, quæ ex nobis non didiceritis? an nova Spiritûs Sancti dona Doctores iſti attulerunt? Si novi nihil afferunt, cur illos auditis?

Alii (k) ironicè explicant: *Si quis alium Chriſtum*

(a) Ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου, *Toleratis me*. *Pagn. Eraſm. Vatab. Tigur. Græci.*
(b) Ζηλῶ γὰρ ὑμᾶς Θεοῦ ζήλῳ. *Theophyl.* Οὐχ ἵνα ἐγὼ κερδαίνω, ἀλλ᾽ ἵνα ὑμεῖς μὴ διαφθαρῆτε. *Non ut mihi proſit, ſed ne vos damnum patiamini.* (c) *Theodoret.* Προμνήστωρ ὑμῶν ἐγενόμην, καὶ τοῦ γάμου μεσίτης. Δι᾽ ἐμοῦ ἐδέξασθε τοῦ νυμφίου τὰ δῶρα, &c. (d) *Calaritan. Ambroſiaſt. S. Germ. & Clarom. Lat.* (e) *Vide* 1 *Cor.* I, 17, 18, 19, & *ſequ.* & II, 1, 4; III, 1, 2, & *ſeq.*
(f) *Calaritan. Auguſt. haud ſemel, Gaudent. Ambroſiaſt.*
(g) *Clarom. S. Germ. G. L. Colb.* 7, *Boerner. G. L. Epiphan.* κατὰ ὀφιτῶν, § 8; *Auguſt. lib.* 22 *contra Fauſt. cap.* 49: *Simplicitate & caſtitate*, ἁγνότητος καὶ ἁπλότητος. (h) *Galat.* I, 8.
(i) *Chryſoſt.* Διὰ πάντων δηλοῖ ὅτι οὐχ ἁπλῶς, εἰ πλέον τι λέγουσι, προσέχειν δεῖ, ἀλλ᾽ εἴ τι πλέον λέγουσι, ὃ λεχθῆναι ἔδει, καὶ παρ᾽ αὐτῶν παρελείφθη. *Photius apud Oecumen.* Ὃ ἔδει λαβεῖν ὑμᾶς, οὐκ ἐλάβετε. *Vide & Theophyl. & alios.* (k) *Vide Eraſm. Jacob. Capell. Cnatchbull. Colomiez.* Καλῶς ἀνείχεσθε. Confer *Marc.* VII, 9: Καλῶς ἀθετεῖτε, *Pulcrè rejicitis.*

℣. 5. Exiſtimo enim nihil me minus feciſſe a magnis Apoſtolis.

℣. 6. Nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ: in omnibus autem manifeſtati ſumus vobis.

COMMENTARIUS.

ſtum prædicarent præter eum, quem nos prædicavimus, aut alium Spiritum acciperetis, quem non accepiſtis . . . pulerè toleraretis. Scilicet, e contrario, inſaniſſimum foret.

℣. 5. EXISTIMO ENIM NIHIL ME MINUS FECISSE A MAGNIS APOSTOLIS, puta Petro, Jacobo, Joanne, qui Eccleſiæ columnæ cenſebantur (l), quoſque Chriſtus nunquam non diſtinxerat peculiaribus benignitatis ac familiaritatis ſignificationibus. Sunt qui ironicè explicent: *Exiſtimo, me minorem non eſſe iſtis glorioſis, qui ſeſe Apoſtolorum præſtantiſſimos jactant;* falſis nimirum Apoſtolis (m), qui plus cæteris in prædicationis negotio ſeſe laboraſſe gloriabantur. Prior interpretatio magis arridet. Refellere videtur Paulus eos, qui ſe a Petro, Jacobo, ac præſtantiſſimis Apoſtolorum miſſos, eorumque Diſcipulos eſſe jactabant. His ego Apoſtolis nihilo inferior ſum.

℣. 6. ET SI IMPERITUS SERMONE, SED NON SCIENTIA. Pauli Epiſtolis non deſunt vis, majeſtas, ſublimitas, ac cæteræ artes movendo, perſuadendo, delectando opportunæ (n): credendum eſt, nihilo minorem loquenti fuiſſe vim & ſuavitatem, cùm Lyſtrenſes, eo audito, Mercurium ſe audiſſe crediderint, illique ſacra facere voluerint (o). At ea non erat vana & canora Græcorum eloquentia: verba non eligebat disponebatque, non metiebatur periodos, orationem non ornabat, neque Rhetorices regulas ſectabatur: nocuiſſet id Apoſtoli propoſito, rerumque traditarum majeſtatem labefactaſſet. Hac ex parte fatetur Apoſtolus, ſe eſſe ſermone imperitum.

Cæterùm S. Chryſoſtomus (p) ait, illum eloquentiâ excelluiſſe, ejuſque epiſtolas admirationi fuiſſe, tum Judæis tum Ethnicis, & potiori jure Fidelibus, quorum deliciæ ac ſolatium erant. Ipſimet adverſarii (q) fatebantur, vim ac robur ineſſe Epiſtolis. Idem Chryſoſtomus (r) de Paulo hæc ſcribit: *Cilix homo erat, corii ſector*, ſcilicet tentoriorum ſutor, quæ tentoria eo tempore ex pellibus conficiebantur, *externarum artium, ac Philoſophiæ ignarus, Hebraicam ſolummodo linguam callens, omnium apud Romanos deſpectiſſimam.* Hic porrò eſt, qui Neronem perterrefaciebat, & etiam nunc hominum laudes atque admirationem ſibi vindicat. At ea quæ ſcribit Chryſoſtomus, magnus cæterùm Pauli admirator, Apoſtolum ſcilicet nonniſi Hebraicè ſciviſſe, Græcorumque artes ante converſionem ignoraſſe, ea porrò ſatis defendi nequeunt. Poëtarum lectione & Dialecticâ excultior erat Paulus, quàm ex homine Judæo expectaretur; quæque ex Profanis recitat in Epiſtolis Actiſque Apoſtolorum, ea divinitùs & Spiritu Sancto docente didiciſſe non videtur.

Putat S. Hieronymus (s), innui dumtaxat hìc ab Apoſtolo, quantopere is humanam eloquentiam ſperneret, *vel certè, quod erat humilitatis, diſſimularet;* reverâ enim Paulus ſcientiâ & eloquentiâ erat excultiſſimus. *Quem quotieſcumque lego*, ſubdit ille (t), *videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* Lege Epiſtolas ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios: ſenties vera eſſe quæ dico. Quantum artis, ſapientiæ, ſolertiæ, cùm adverſarios argumentis ex Veteri Teſtamento aggreditur? Primâ quidem fronte oſcitari videtur, ac neſcire, quo pacto adverſarius in ſententiam pertrahatur: at ſi ſedulò perpenderis, *quæcumque reſponderis, fulmina ſunt.* Illum alibi (u) nuncupat *flumen eloquentiæ Chriſtianæ.* Contra verò alio loco (x) de eodem ſcribit: *Illud quod crebrò diximus* (Paulum neque Græco ſermone, neque eloquentiâ fuiſſe ſatis excultum) *nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus.* Addit (y): *Divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat* (Paulus) *Græci eloquii explicare ſermone: habebat Titum interpretem.* Ut igitur Hieronymum cum Hieronymo conciliemus, dicendum eſt, Paulum eloquentiâ caruiſſe, ſi cum Demoſthene, Iſocrate, Lyſandro, Platone, Ariſtotele comparetur; at ſi eloquentia in vi, robore, atque efficacitate, vincente animos ac trahente, atque in ſuavitate ſermonis perſuadente conſtituatur, fuiſſe eloquentiſſimum. Nullus certè Orator ea obtinuit, quæ Paulus; nulluſque animos eorum, quibuſcum aut præſens aut per literas loquebatur, ita permovit, ut Paulus.

S. Auguſtinus (z), eloquentiæ judicio par Chryſoſtomo & Hieronymo, miram Pauli eloquentiam æquè commendat. Omnia ille Rhetorices ornamenta in Pauli Epiſtolis videt, & ſubdit: *Sicut ergo Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quod ejus ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus.* Ait denique, de hoc loco, quem explicamus, agens, videri Paulum, non concedere adverſariis, ſe carere eloquentiâ, niſi Rhetorico ornamento, quod Conceſſionem nominamus; neque tamen ipſi fuiſſe perſuaſum, deeſſe ſibi eam eloquentiam, quæ muneri ſuo conveniret (a). Scientiâ verò, ſine qua gentium Apoſtolus eſſe non poterat, abundè ſe præditum eſſe teſtatur; ipſaque ejus ſcripta ſatis oſtendunt. Pollebat ille nedum ſcientiâ ſtudio comparatâ (b), verùm etiam rerum ſublimiſſimarum cognitione, hauſtâ e Cœlo, quo divinitus raptus fuerat (c). Pauli eruditio ipſos etiam Profanos non latebat (d): *Multæ te literæ ad inſaniam convertunt*, ajebat Feſtus Judææ Præſes.

℣. 7. AUT

(l) *Vide Chryſoſt. & alios. Eraſm. Eſt. Men. Tirin. Grot. Zeg.* (m) *Bez. Sclater. alii quidam.*

(n) Ἰδιώτης λόγῳ, *Idiota locutione*, vel, *utens ſtylo idiotico, familiari; infra ſermonem Rhetoricum, & politicum. Vide Cleric. hic, ad Hammond.* (o) *Act.* XIV, 11, 12.

(p) *Chryſoſt. lib. 4 de Sacerdotio, cap. 7:* Πῶς δὲ οὐ παρ' ἡμῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησιν μάλιστα πάντων θαυμάζεται; οὐκ ἀπὸ τῆς τῶν ἐπιστολῶν ἀρετῆς; (q) 2 *Cor.* X, 10.

(r) *Chryſoſt. homil. 4 in 2 Timoth. 3, pag. 564.* Κίλιξ ὁ ἄνθρωπος ἦν, σκυτοτόμος, πένης, τῆς ἔξωθεν σοφίας ἄπειρος, Ἑβραϊστὶ μόνον εἰδὼς, γλῶτταν ἐξουθενουμένην παρὰ πάντων.

(s) *Hieronym. adverſ. Rufin. pag. 301: Ille Hebræis literis eruditus, & ad pedes doctus Gamalielis, quem non erubeſcit jam Apoſtolica dignitatis magiſtrum dicere, Græcam facundiam contemnebat, vel certè, quod erat humilitatis, diſſimulabat.* (t) *Hieronym. Apolog. ad Pammach. Ep. 50.* (u) *Idem ad Pammach. Ep. 61.* (x) *Idem ad Algaſiam, Ep. 51.* (y) *Epiſt. ad Hedibiam.*

(z) *Auguſt. lib. 4 de Doctrinâ Chriſt. cap. 7, n. 11.* (a) *Idem, ibid. n. 15: Videtur quaſi concedendo obtrectatoribus ſic locutus, non tamquam id verum agnoſceret confitendo.* (b) *Act.* XXII, 3.

(c) 2 *Cor.* XII, 2, 4.

(d) *Act.* XXVI, 24.

℣. 7. Aut numquid peccatum feci, me ipſum humilians, ut vos exaltemini? quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis?

℣. 8. Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum.

℣. 9. Et cùm eſſem apud vos, & egerem; nulli oneroſus fui: nam quod mihi deerat, ſuppleverunt fratres, qui venerunt a Macedoniâ: & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo.

℣. 10. Eſt veritas Chriſti in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaïæ.

℣. 11. Quare? Quia non diligo vos? Deus ſcit.

℣. 12. Quod autem facio, & faciam: ut amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem, ut in quo gloriantur, inveniantur ſicut & nos.

COMMENTARIUS.

℣. 7. Aut numquid peccatum feci, &c. Conabantur fortaſſe pseudo-Apoſtoli Paulum deſpectiſſimum reddere (e), quòd humillimum ac modeſtiſſimum vitæ genus inter Corinthios coluiſſet, ſuis ipſe manibus laborans, gratis docens, nihilque vel victûs nomine accipiens; ex quibus Apoſtoli gloria & nomen augeri debebant. Homo nihili eſt, ajebant, miniſterio ſuo invidiam creans indigno atque humili vitæ inſtituto; qui ſibi probè conſcius, ex populis a ſe inſtitutis nihil exigere vel vitæ neceſſarium audet, quòd a primis, uti nos, Jeſu Chriſti Apoſtolis miſſus non fuerit. Respondet Paulus: An peccatum eſt, quòd ipſe me demiſſum, inopem, neceſſariis rebus indigentem reddidi, ut ipſi nobiles, locupletes, omnibus abundantes efficeremini? Quis Evangelium donaque Sancti Spiritûs vobis attulit? nonne ego? Quis vos in bono conſtantes fecit? nonne mei exemplum, demiſſio, lucri contemptus?

℣. 8. Alias Eccleſias expoliavi, res vitæ neceſſarias ex iis accipiens, ne vobis oneri eſſem. Innuit Philippenſium Eccleſiam in Macedoniâ (f), qui abundè Apoſtolo conſuluere. Illorum liberalitatem ſignificare videtur, cùm ait, *exspoliavi*; ſive etiam odioſo hoc vocabulo utitur, quo luculentiùs Corinthiorum injuriam oſtendat (g).

Accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum (h); res vitæ neceſſarias ex illis accepi, ut vobis inſervirem. Munus ſuum Apoſtolus ceu militiam ſpectat; cùmque inauditum ſit, militem vivere ſtipendio alterius ab illo, ſub quo meret, Corinthiorum injuriam perſpicuè magis demonſtrare non potuit Apoſtolus, quàm his vocabulis utens. Macedonum ſtipendio vixi, quo tempore apud vos fui. Grotius aliter explicat: *Accepi ab illis annonam, ad ſuſtentandos pauperes veſtros.* *Miniſterium* non ſemel hac in Epiſtolâ pro pauperum curâ uſurpatur (i). At probatam vulgò interpretationem, quæ maximè accommoda eſt, relinquere non placet.

℣. 9. Cum eſſem, nulli oneroſus fui. Perſpicua eſt ſententia in Vulgatâ: at Græcus (k) aliam explicationem admittit. Putat S. Hieronymus (l), Græcum vocabulum e linguâ Cilicum, ex quibus originem ducebat Apoſtolus, hauſtum eſſe, ac ſignificare: *Neminem gravavi*; ad verbum, *Nemini obtorpui*, uti homo qui morbo aut ſomno torpet, cæteriaque gravis efficitur. Torpor meus nemini gravis fuit; ſive, inertiæ me non dedi, neque quidquam neglexi, ex iis quæ ad progreſſum veſtrum & miniſterii mei officium ſpectant. Melior eſt Vulgatæ ſententia.

Suppleverunt fratres, qui venerunt a Macedonia. Philippenſes abundè mihi conſuluere (m). Hos ita alloquitur in Epiſtolâ ad ipſos datâ poſt annos quinque vel ſex (n): *Scitis vos, Philippenſes, quòd quando profectus ſum a Macedoniâ, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli.* Suis ipſe manibus Corinthi (o) laborabat Paulus: id verò minimè prohibebat, quin ſubſidia, spontè a nonnullis Eccleſiis miſſa, acciperet. Grotius ita explicat: Cùm manibus mihi victum tenuem pararem, ab illis accepi unde pauperes juvarem.

℣. 10. Est veritas Christi in me. Verum loquor, Chriſto teſte. Aſſerit quodam jurisjurandi genere (p), ſeſe ubique prædicaturum, præſertim Corinthi & in Achaïâ, eodem lucri contemptu, quem alibi oſtendit. *Hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaïæ.* Græcus (q): *Hæc gloriatio non obſtruetur*, non obſignabitur *mihi in univerſâ Achaïâ*; magis magiſque ſpargetur, eamque ego jactare non deſinam. Nemo mihi os hac in re obſtruet (r).

℣. 12. Ut amputem occasionem, &c. Duplex eſt loci hujus interpretatio. Aſſerit Paulus, nunquam ſe aliquid accepturum ab iis quos inſtituit, ne glorientur pseudo Apoſtoli, ſeſe omnia ſpernere. Me ab illis vinci nolo: ſi gratis illi docent, nihil minus ipſe præſtabo (s). Aliter: Nihil unquam ex inſtitutis a me Eccleſiis accipiam, ne exemplo probem falſos iſtos Doctores, quibus una prædicandi cauſa eſt lucri cupiditas. Po-

(e) *Vide Theodoret. hic, Chryſoſt. Oecumen. Theophyl. Eſt. Grot. alios.*
(f) *Philipp.* IV, 15. (g) *Theophyl.* Πληκτικώτερον τὸν λόγον ποιῶν, παρ' ἄλλων, φησὶν, ἔλαβον, καὶ ταῦτα ὑμῖν διακονούμενος. Τὸ δὲ ἐσύλησα, ἀντὶ τοῦ ἐγύμνωσα, καὶ πένητας αὐτοὺς ἐποίησα.
(h) Λαβὼν ὀψώνιον, πρὸς τὴν ὑμῶν διακονίαν.
(i) *Vide* 2 *Cor.* VI, 8; VIII, 4; IX, 1, 12, 13. (k) Ὑστερηθεὶς, οὐ κατενάρκησα οὐδενός.
(l) *Hieronym. ad Algaſ. qu.* 10. (m) *Vide Theophyl.* Τινὲς δὲ τὸ, οὐ κατενάρκησα, ἀντὶ τοῦ οὐκ ἠμέλησα, ἢ ῥᾳθυμότερος πρὸς τὸ κήρυγμα γέγονα. *Oecum. Grot. Vorſt. Schind. Camer. alii.*
(n) *Philipp.* IV, 15, 16. (o) *Act.* XVIII, 3. (p) *Theodoret. Lyran. Eſt. alii paſſim.*
(q) Οὐ φραγήσεται εἰς ἐμέ. *Alii*: Οὐ σφραγισθήσεται. (r) *Theodoret.* Οὐδεὶς ἐμφράξει μου τὸ στόμα, οὐδὲ ἀποστερήσει με τοῦ τῆς δὲ φιλοτιμίας αὐχήματος. *Vide Grot. Heinſ. J. Capell.*
(s) *Eraſm. Vat. Grot. alii plerique. Theodoret.* Ἔδειξεν αὐτοὺς λόγῳ κομπάζοντας, λάθρα δὲ χρηματιζομένους.

℣. 13. Nam ejusmodi pſeudo-Apoſtoli, ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.

℣. 14. Et non mirum: ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis.

℣. 15. Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur velut miniſtri juſtitiæ: quorum finis erit ſecundùm opera ipſorum.

℣. 16. Iterum dico (ne quis me putet inſipientem eſſe, alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier)

℣. 17. Quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientiâ, in hac ſubſtantiâ gloriæ.

℣. 18. Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem: & ego gloriabor.

℣. 19. Libenter enim ſuffertis inſipientes: cùm ſitis ipſi ſapientes.

℣. 20. Suſtinetis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit.

COMMENTARIUS.

Poſtrema hæc explicatio cæteris præſtat *(t)*. Compertum eſt, pseudo-Apoſtolos accepiſſe victum, imò & exegiſſe ex Eccleſiis, quss inſtituebant *(u)*.

℣. 13. Pseudo-Apostols sunt operarii subdoli, neque a Chriſto Jeſu, neque a primis Apoſtolis miſſi. *Operarii ſubdoli*, qui pro ſanis dogmatibus perverſa tradunt; Evangelium evertunt, ut Legis obligationes ſtatuant; Domini vineam evellunt, non colunt; laborant, at malâ fide, veri Paſtoris speciem præſeferentes, cùm intrinſecùs ſint lupi rapaces.

℣. 14. Ipse Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Cùm Diabolus, tenebrarum Angelus, inimicus omnis juſtitiæ ac veritatis, in lucis Angelum, Angelum bonum, miniſtrum Divinæ voluntatis, juſtitiæ, veritatis, aliquando ſeſe transfiguret; mirum fuerit, quòd perverſi homines, inſani, ventris amici, viros Apoſtolicos & charitate ferventes ſeſe ſimulent? Docet vera Religio, Diabolum aliquando ea hominibus inſpirare, quæ plena pietatis videntur, at denique in crimen, perverſitatem, lapſumque credulorum deſinunt. Ipſimet Profani fatebantur, malos genios interdum in Deos transfigurari, ac ſeſe ſpectandos exhibere, ceu defunctorum animas; ſpecie terribili interdum indui, ut metum incuterent; modò inſpirare peccatum, modò ea quæ bona videbantur, at denique in ſcelus trahebant *(x)*.

℣. 15. Quorum finis erit secunoum opsra ipsorum: peribunt in ſimulationis & flagitiorum pœnam *(y)*. Vel, finis docebit, qui ipſi fuerint, ſtatimque palam fiet, ipſos fuiſſe pseudo-Apoſtolos, & male concepta de illis exiſtimatio evertetur *(z)*.

℣. 16. Iterum dico. Inſaniam meam ſuſtinete, meque a me laudari ſinite. Vel: iterum de meis laudibus loquor: id verò ne inſaniæ tribuatis: hoc agere neceſſe eſt, defenſionis meæ causâ. Me non ſuadet ambitio, ſed veritatis amor, veſtræque ſalutis ſtudium.

℣. 57 Quod loquor, non loquor secundum Deum. His in verbis non videtis Jeſu Chriſti Diſcipulum, cujus una laus eſſe debent modeſtia & humilitas; ex homine loquor, non ex Deo. Me certè damnabitis, ſi mea dumtaxat verba ſpectaveritis: at, ſi placet, illud animadvertite, neceſſe eſſe a me obtrectatores meos, meique miniſterii adverſarios refelli. Hæc verba, *In hac ſubſtantiâ gloria*, jungo cum his, *Quod loquor, non loquor ſecundùm Deum (a)*: Reddi autem ex Græco poſſunt: *Quod loquor in hac parte gloriationis (ſive in hoc genere gloriandi) non loquor ſecundùm Deum*. Vel: *Cùm iſta gloria argumenta tracto, ſecundum Deum non loquor*.

℣. 58. Quoniam multi oloriantur secundum carnem, et eoo oloriabor. Cùm pseudo-Apoſtoli exteriores laudes quærant ab generis origine, obſervatione Legis, notitiâ Scripturarum, eadem & ipſe de me prædicare queo *(b)*.

℣. 19. Libenter enim suffertis insipientes, &c. *ἄφρονες*. Futurum confido, ut aliquid in me diſſimuletis; tametſi enim ſapientes, alios ſuſtinetis, ſapientiâ mihi non pares: & ſi inſanum eſt, meas me laudes proſequi, id profectò mihi condonare poteſtis, cùm pseudo-Apoſtolis condonaveritis.

℣. 20. Sustinetis enim, &c. Flagitia erant pseudo-Doctorum in Chriſtianos. Non repugnatis, ubi alii vos jugo Legis ceu ſervos ſubjiciant; res veſtras devorent, ſubſidia & annonam exigentes; bona veſtra uſurpent, victum neceſſario lautiorem poſtulantes; ſupra vos erigantur imperioſè ac tyrannicè; os veſtrum feriant, & cum contemptu arroganterque vobiſcum agant. Cùm tam

(t) *Eſt. Men. Gagn. Cajet. Aug. lib. 2 de Serm. Domini in monte, cap. 16.*
(u) *Vide infra*, ℣. 20; *&* 1 *Cor.* 12, 4, 6, 7; *Philipp.* III, 19; *Rom.* XVI, 17, 18.
(x) *Porphyr. lib. 2 de Abſtin. Jamblich. de Myſter. lib. 3, cap, 32; & lib. 4, cap.* 17.
(y) *Philipp.* III, 19: *Quorum finis interitus.*
(z) *Grot. Men.*
(a) *Eſt. Tirin. Zeger. Men. alii paſſim.*
(b) *D. Thom. Theodoret. Eſt. Chryſoſt.* Ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ἀπὸ εὐγενείας, ἀπὸ πλούτου, ἀπὸ σοφίας, ἀπὸ τοῦ περιτομὴν ἔχειν, καὶ προγόνους Ἑβραίους, *&c. Vide Philipp.* III, 3, 4: *Non in carne fiduciam habentes; quamquam ego habeam fiduciam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, &c.*

℣. 21. Secundùm ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientiâ dico), audeo & ego:

℣. 22. Hebræi ſunt? & ego: Iſraelitæ ſunt? & ego: Semen Abrahæ ſunt? & ego:

℣. 23. Miniſtri Chriſti ſunt? (ut minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.

℣. 24. A Judæis quinquies, quadragenas, unâ minus, accepi.

℣. 25. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.

COMMENTARIUS.

tam facilè vos novis hiſce Apoſtolis laniandos permiſeritis, omnia certè paſſuri eſſe videmini; mihique ſperandum eſt fore, ut aliquid ex meâ feratis, ſaltem hanc inſaniam, qua iſta de me apud vos prædico.

℣. 21. Secundum ignobilitatem dico: ad ignominiam meam dico. Meam ipſe lenitatem accuſo, fateorque, me majori quàm opus eſſet, modeſtiâ erga vos uſum. Debui & ego, ut novi hujuſmodi Apoſtoli, authoritatem in vos uſurpare, voſque arrogantiùs tractare atque imperioſiùs (c). Aliter: *Ad ignominiam veſtram dico*; arroganter vos agi ſinitis a perverſis hiſce operariis iniquitatis, noſque imbecilliores fuimus erga vos, quos modeſtè leniterque tractavimus, nullâ prorſùs arrogantiâ. Grotius Græcum reddit (d): *Si de ignominiis agitur, nos eas pertulimus maximas. In hac parte* non legitur in Græco vulgato. Oecumenius jungit cum ſuperioribus: *Vos in faciem cædi ſinitis*, non quòd ſeverâ cædamini, ſed quod *ad ignominiam* attinet, ita vobiſcum agitur, quaſi cæderemini (e).

℣. 22. Hebræi ſunt? et ego. Vel: *Hebræi ſunt; & ego*. Fruſtra quæſiveris diſcrimen inter *Hebræos*, *Iſraëlitas*, *ſemen Abrahæ*. Unum omnia iſta ſunt, uniuſque amplificationis causâ ponuntur.

℣. 23. Miniſtri Chriſti ſunt? plus ego. Plura quàm illi, Chriſti causâ & feci & tuli. *In mortibus frequenter*. Perſæpe morti proximus fui. Mors pro gravibus periculis non rarò uſurpatur (f).

℣. 24. A Judæis quinquies, quadragenas, unâ minus, accepi. Judæis eo tempore jus vitæ ac necis in reos non erat; at permittebant Romani, ut ſuos in Synagogis cæderent virgis, ſi quos legum ſuarum violatores invenirent (g). Quamobrem illi reos novem ac triginta dumtaxat ictibus feriebant, ut obtemperarent Moyſi (h), amplius quàm ictus quadraginta vetanti.

℣. 25. Ter virgis cæſus ſum. Aliud erat ſupplicii genus a lotis, quibus nuda hominis terga cædebantur; cùm contra virgæ in hominem humi ſtratum, nudis humeris, ſive pedibus in altum ſublatis, & paxillo alligatis, adhiberentur. Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis. Tribunus Romanarum copiarum, quæ Jeroſolymis erant, hoc ſupplicio, inter Romanos familiari, animadvertere volebat in Apoſtolum, cùm illum catenis vinciri juſſit, virgis cæſurus. *Act.* xxi, 33.

Semel lapidatus ſum. Supplicium hoc plerumque in populi tumultibus, præter Judicum authoritatem, contingebat. Lyſtris in Lycaoniâ lapidibus appetitus fuit Paulus, & pro mortuo relictus (i) ab illâ ipsâ multitudine, quæ paulò antea ſacra illi facere ceu Deo voluerat (k).

Ter naufragium feci. Unicum Pauli naufragium novimus ad Melitam Inſulam (l): at illud multò poſt hanc Epiſtolam contigit. Quo tempore triplex hoc naufragium evenerit, ignoratur.

Nocte et die in profundo maris fui. Triplex eſt hujus loci explicatio. I, diem totum totamque noctem in profundo maris egi, aquis non ſuffocatus, Deo me ſervante (m), uti olim Jonas in ventre ceti ſervatus eſt. II, Noctem & diem egi in carcere obſcuriſſimo, qui ab obſcuritate profundum maris appellabatur (n). Porrò hic carcer in urbe Cyzico fuiſſe dicitur (o), ubi Paulum prædicaſſe ajunt. III, Diem unum ac noctem alto mari jactatus ſum poſt naufragium, vel natatu vel fragmento aliquo navis vitam tueri coactus, cum fluctibus, ventis, ipsâque morte depugnans. Hanc explicationem, mihi quidem maximè probabilem, propoſuere & ſecuti ſunt S. Chryſoſtomus, Theodoretus (p), Oecumenius, Ambroſiaſter, S. Thomas, multique ex Recentioribus. Nonnullis, teſte Theophylacto, *profundum maris* eſt puteus altiſſimus, *Bythos* vel *profundum* appellatus, in quo delituerit Apoſtolus poſt vitæ diſcrimen, quod ille ſubiit Lyſtris, ubi & lapidibus impetitus eſt, & pro mortuo relictus (q). Maldonatus in adnotationibus manu deſcriptis apud Cor-

(c) *Vide Men. Tirin. Vat. J. Capell.*

(d) Κατὰ ἀτιμίαν λέγω, ὡς ὅτι ἡμεῖς ἠσθενήσαμεν. *Quidam addunt;* ἐν τούτῳ τῷ μέρει, *In hac parte. Clarom. G. L. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymus. Vulg.*

(e) *Oecumen.* Εἰς ἀτιμίαν λέγω. Οὐχ ὅτι τύπτεσθε, φησὶν, ἀλλ' ὅτι τῶν εἰς πρόσωπον τυπταμένων οὐκ ἔλαττον πάσχετε. (f) *Exod.* x, 17; 4 *Reg.* iv, 40; *Psal.* xxc, 13; *Eccli.* xxvi, 19; *Matth.* v, 58. (g) *Vide Ligfoot. & Grot. hic; & Matth.* x, 17: *In Synagogis ſuis flagellabunt vos.*

(h) *Deut.* xxv, 3: *Pro menſurâ peccati, erit & plagarum modus; ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus. Vide & Joſeph. Antiq. lib.* 4, *cap.* 8; *& alios ad Deut.* xxv, 3. (i) *Act.* xiv, 18, 19; (k) *Ibidem*, ℣. 10, 11.

(l) *Act.* xxvii. (m) *Eſt. Eraſm. Hervæus, Haymo, From. Et hæc eſt*, ait Haymo, *traditio PP.*

(n) *Quid. apud Baron. anno Chriſti* 58. *Vide & Hamm. hic.*

(o) *Beza, ex Theodoro Archiep. Cantu. Angl. L. Queſt. q.* 3. *art.* 8.

(p) *Theodoret. hic.* Τῆς σκάφης διαλυθείσης πᾶσαν τὴν νύκτα καὶ τὴν ἡμέραν διετέλεσα, τῇδε κἀκεῖσε ὑπὸ τῶν κυμάτων φερόμενος.

(q) *Act.* xiv, 18.

℣. 26. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus:

℣. 27. In labore & ærumnâ, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate:

℣. 28. Præter illa quæ extrinſecùs ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.

℣. 29. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?

℣. 30. Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.

℣. 31. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mentior.

℣. 32. Damaſci, præpoſitus Gentis Aretæ Regis, cuſtodiebat civitatem Damaſcenorum, ut me comprehenderet:

℣. 33. Et per feneſtram in ſportâ demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus ejus.

COMMENTARIUS.

Cornelium a Lapide: Sævâ adeò procellâ jactatus ſum, ut diem noctemque in profundo maris me agere exiſtimarem. Græcus legit dumtaxat: *Nocte & die in profundo fui.* Hæc tamen vox pro maris profundo (r), vel pro alto mari (s) plerumque uſurpatur. Syrus: Die ac nocte abſque navi in mari fui, vel mari innatavi.

℣. 26. PERICULIS IN MARI. Hilarius Diaconus iſta interpretatur de diſcrimine, quod Paulus tunc ſubiit, cùm milites ejus navis, quam Julius Centurio Romam ducebat, vinctos necare decreverunt (t). At ſecunda hæc ad Corinthios Epiſtola ante annos aliquot a Romano Pauli itinere data eſt.

IN FALSIS FRATRIBUS, malis Chriſtianis, qui odio, invidiâ, vel avaritiâ acti, adverſariis Apoſtolorum accedentes, inſidias illis junctâ operâ moliebantur. Hujuſmodi erant ii, de quibus Apoſtolus alibi (u), ipſum idcirco ſectantes, ut propiùs inſpicientes, criminationis occaſiones in ejus geſtis ſcrutarentur.

℣. 27. IN JEJUNIIS; non involuntariis, quæ ſub famis & ſitis nomine complexus eſt, ſed ſpontaneis, quæ afflictationis causâ ipſe ſuſcipiebat.

IN FRIGORE ET NUDITATE; frigori & aëris injuriis obnoxius, quòd ſatis veſtium non haberem. Nudus pro male protecto uſurpatur.

℣. 28. PRÆTER ILLA, QUÆ EXTRINSECUS SUNT, INSTANTIA MEA. Aliam explicationem admittit Græcus (x): Quæ hactenus dixi, ad me privatum attinent; at aliis exteriùs cutis angor, negotiis, omnium Eccleſiarum ſolicitudine, quæ mihi graviora ſunt cæteris. Reddunt alii (y): Præter mala, quæ mihi inferuntur ab Ethnicis; ſeu, præter ſeditiones, quas Ethnici adverſùs me cient; vel denique, præter ea, quæ ſilentio prætereo (z). Prior verſio melior.

℣. 29. QUIS INFIRMATUR, ET EGO NON INFIRMOR? vel benevolentiæ & miſericordiæ causâ, vel ob metum, ne ille diſcrimini cedat (α). Infirmitas hoc loco ſunt ærumnæ, dolor, dejectio, angor animi, conſcientiæ timores.

QUIS SCANDALIZATUR, ET EGO NON UROR? Si nutat frater, & ſcandalum patitur, crucior, ac fervore animi ad erigendum lapſum, ad coërcendam offenſionis progreſſionem, ad cadentem ſuſtinendum impellor.

℣. 30. QUÆ INFIRMITATIS MEÆ SUNT, GLORIABOR, ærumnis meis; non vitiis aut maculis, ſed laboribus. Cùm gloriari cœperim, narrare malo ærumnas quas pertuli, quàm laudabilia quæ geſſi, aut felicem ſucceſſum, laboribus meis a Deo conceſſum.

℣. 31. DEUS ET PATER DOMINI NRI JESU CHRISTI. Jusjurandum uſurpat, ut in re graviſſimâ fidem ex Corinthiis extorqueat (β): illud autem refertur ad ea quæ hactenus dixit, & ad ea quæ de ſe ipſe dicturus eſt. Reddendum eſt (γ): *Deus qui & Pater, &c.*

℣. 32. DAMASCI, PRÆPOSITUS GENTIS ARETÆ REGIS, &c. Hoc in Actis (δ) narratur. Arabum Rex erat Aretas, & Herodis Antipæ Tetrarchæ ſocer. Provinciæ Præſes, *Præpoſitus gentis*, Græcè Ἐθνάρχης, *Ethnarcha*, dicitur, dignitatis nomen apud Joſephum, Strabonem, & Libros Macchabæorum paſſim, ſonans Provinciæ ſeu gentis Præfectum. Damaſcus vulgo in Syriâ recenſebatur: at eo tempore parebat Aretæ, & interdum apud Geographos tribuitur Arabiæ. Tunc paruit Apoſtolus monito Chriſti ad Diſcipulos (ε): *Si perſecuti vos fuerint in unâ civitate, fugite in aliam.* Damaſcenos Fideles eo tempore moderabatur Ananias, Pauli baptiſmo celebris.

CA-

(r) *Vide Exod.* XV, 5; *Pſalm.* LXVII, 24; LXVIII, 2, 19.
(s) *Vide Pſal.* CVI, 24. (t) *Act.* XXVII, 42. (u) *Galat.* II, 4.
(x) Χωρὶς τῶν παρεκτὸς, ἡ ἐπισύστασίς μου ἡ καθ' ἡμέραν, ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν.
(y) *Vatab.* (z) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl.* Πλείονα τὰ παραλειφθέντα τῶν ἀπαριθμηθέντων. *Chryſoſt.*
(α) 1 *Cor.* 12, 22: *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Vide Chryſoſt.* Οὐκ εἶπεν, οὐ κοινωνῶ τῇ ἀθυμίᾳ, ἀλλ' ὡς ἐν αὐτῷ ὢν τῷ πάθει, ὡς ἐν αὐτῇ ὢν τῇ ἀρρωστίᾳ, οὕτω θορυβοῦμαι, καὶ ταράσσομαι. (β) *Auguſt. Chryſoſt. alii.* (γ) *Theodoret.* (δ) *Act.* 12, 23, *& ſeq.*
(ε) *Matth.* X, 23.

CAPUT XII.

Revelationes a Paulo habitæ. Stimulo carnis vexatur. Pauli benevolentia erga Corinthios, & quæ ipſe illorum causâ præſtiterit.

℣. 1. SI gloriari oportet (non expedit quidem): veniam autem ad viſiones & revelationes Domini.

℣. 2. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore, neſcio, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum.

℣. 3. Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit):

COMMENTARIUS.

℣. 1. SI GLORIARI OPORTET, &c. Totâ hac oratione paſſim oſtendit Apoſtolus, quàm invitus ſeſe commendaret, idque coactum ſe agere, ac dumtaxat Corinthiorum gratiâ. Græcus vulgatus (a) habet: *Gloriari non expedit mihi, veniam enim ad viſiones & revelationes.* Alii: *Gloriari oportet; non expedit autem mihi.* Alii denique Vulgatam ſequuntur, cujus ſententia optima omnium eſt. Probè intelligo, mihi non expedire ut glorier: at obtrectatorum criminationibus me ad id adigi ſentio.

℣. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO; Chriſtianum quemdam (b), hominem in Chriſto Jeſu regeneratum, & communis omnium noſtiûm Religionis. Nomen ſuum modeſtiæ causâ ſilet.

ANTE ANNOS QUATUORDECIM. Præſens Epiſtola miſſa eſt ad Corinthios anno Æræ Chriſtianæ ſeptimo & quinquageſimo: ſubductis autem annis quatuordecim, reditus fit ad tempus, quo Paulus, Tharſo Ciliciæ relictâ, Antiochiam conceſſit, duce Barnaba (c). Paulò pòſt cum ipſe Jeroſolymam veniſſet cum eodem Barnaba (d), eò deferens pecunias a Fidelibus Antiochenis collatas (e), per Prophetas imperavit Deus, ut Paulus & Barnabas in opus, ad quod illos ipſe deſtinaverat, ſegregarentur. Præmiſſis igitur jejuniis precibusque (f), manuum impoſitione uterque in Epiſcopos initiati fuere. Hoc igitur in itinere Jeroſolymitano, anno Chriſti XLIII, vel ſtatim poſt initiationem, anno XLIV, raptus eſt in Cœlum Apoſtolus. Tam inſigne beneficium hactenus ſiluerat Paulus; ſolaque defenſionis neceſſitas illud extorſit, ait S. Chryſoſtomus

Raptus eſt, inquit, *atque ad tertium Cœlum & in Paradiſum*; ſive unam eamdemque ſedem duplici hoc nomine ſignificet, quod probabiliſſimè credimus, ſive ad tertium Cœlum primò, deinde in Paradiſum (g), Beatorum ſedem, raptus fuerit. Ut hanc Apoſtoli locutionem probè aſſequaris, animadverte, Cœlum apud Hebræos in varios orbes non diſtingui, uti apud Græcos Aſtronomos. Tres illi Cœlos dumtaxat agnoſcunt (h); I, Cœlum aëreum, ubi nubes & aves innatant, imbresque coagmentantur; II, Cœlum aſtriferum; III, Cœlum in quo Angeli & Deus ipſe verſantur. Primum in Scripturis abſolutè *Cœlum* dicitur; alterum, *Firmamentum*; tertium, *Cœli Cœlorum*.

SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO. Num ne animus a corpore reverâ diſceſſerit, temporariæ quodam mortis genere; an extra ſenſus reſque ſenſibus obnoxias (i); an denique cum corpore ſimul abreptus fuerit, ignoro. Hoc porrò definiri nequit. Illud compertum eſt, neque corporis oculis vidiſſe, neque auribus carnis Paulum audiviſſe myſteria, quæ deinde innuit: at ea certè intelligere potuit per ecſtaſim raptumque, qualis contingit Prophetis. Hac autem in ecſtaſi, quæcumque demum illa fuerit, rationis uſum, corporis præſentiam, & judicii libertatem in Paulo ſervatam, eumque ita ſpoliatum non fuiſſe cognoſcendi libertate ac poteſtate, ut merè Divinam vim pateretur, quemadmodum Manichæi ajebant uſuvenire Prophetis, cùm Divino Spiritu afflarentur (k).

℣. 3. RAPTUS EST IN PARADISUM. Græci Patres (l), & Latini nonnulli (m) Paradiſum a tertio Cœlo diſtinguunt; atque animadvertit Grotius, conſueviſſe Hebræos Paradiſum a ſede Beatorum diſtinguere. Paradiſus, horum ſententiâ, locus quietis erat, in quo Juſtorum animæ Reſurrectionem præſtolabantur: Cœlum locus erat ſublimior, in quo Juſti in vitam revocati gloriâ fruebantur. At S. Auguſtinus (n), S. Thomas (o), & Recentiorum plerique (p) vulgò exiſtimant, unum idemque eſſe tertium Cœlum & Paradiſum. S. Epiphanius (q) terreſtrem Paradiſum cenſuit; at Interpretes frequentiùs Paradiſum, vulgò Empyreum, qui Juſtorum ac Beatorum ſedes eſt, accipiunt. Paradiſi nomen in tribus dumtaxat No-

(a) Καυχᾶσθαι δὴ οὐ συμφέρει μοι. Ἐλεύσομαι γὰρ εἰς ὀπτασίας, *&c. Alii plures:* Καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. *Alii:* Εἰ καυχᾶσθαι δεῖ, οὐ συμφέρει μοι. *Ita Vulg. & editiones Latinæ. Vide Mill. hic.* (b) *Vat. Eſt. Men. Tirin. Grot. alii.* (c) *Act.* XI, 25.
(d) *Act.* XI, 30. (e) *Act.* XII, 25. (f) *Act.* XIII, 1, 2, 3, 4.
(g) *Vide Auguſt. de Geneſi ad Liter. lib.* 12, *cap.* 34; *& Ep. olim* 112, *nunc* 147, *cap.* 13, *n.* 31.
(h) Vide noſtram Diſſertationem de ſyſtemate Mundi ex priſcis Hebræis, art. 5; *Grot. Eſt. Druſ. hic.*
(i) *Auguſt. lib.* 12, *cap.* 27 *de Geneſ. ad Liter. & Chryſoſt. hic,* Τί οὖν ὁ νοῦς ἡρπάγη καὶ ἡ ψυχὴ, τὸ δὲ σῶμα νεκρὸν ἔμεινεν; ἀλλὰ τὸ σῶμα ἡρπάγη; ἀλλ᾽ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν. Εἰ γὰρ ὁ Παῦλος ἀγνοεῖ ὁ ἁρπαγείς, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς.
(k) *Vide Athan. in Origen. orat.* 4; *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 5, *cap.* 17; *Hieronym. in Epiſt. ad Epheſ. lib.* 5. (l) *Vide Chryſoſt. Oecumen. Theophyl.* (m) *Ambroſiaſter hic; Gregor. Magn. lib.* 19 *Moral. cap.* 5; *Primaſ. hic; Haymo, Anſelm. ſeu Hervæus hic. Vide Grot. Eſt. Druſ. alios.*
(n) *Auguſt. de Geneſ. ad Liter.* 12, *cap.* 34. (o) *D. Thom. in hunc loc.*
(p) *Eſt. From. Hamm. Camer. alii plerique.*
(q) *Epiphan. Epiſt. ad Joan. Jeroſolym. inter opera Hieronym.*

℣. 4. Quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

℣. 5. Pro hujuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor niſi in infirmitatibus meis.

℣. 6. Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me.

℣. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet.

COMMENTARIUS.

vi Teſtamenti locis legitur; hic ſcilicet, in Apocalypſi, ubi allegoricè uſurpatur (r), & in Evangelio Lucæ (s), ubi Chriſtus bonum Latronem alloquens, ait: *Hodie mecum eris in Paradiſo;* quæ verba ſedem Beatorum ſignificant.

℣. 4. Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui. *Verba* pro *rebus* uſurpantur. Iſta non omnino ineffabilia eſſe ait, ſed nefas eſſe ea recitare. Minimè permittit Deus, ut iſta narrem: nulli fortaſſe vobis uſui forent, mihique ambitionis diſcrimini apud homines. Fortè illi detexerat Deus, quæ illum gloria maneret, aut alia, quæ non utilitati ac ſaluti Fidelium ſervirent, ſed Pauli ipſius ſolatio, atque inter labores confirmationi: ſive nondum adeò provecti erant divinis in rebus Corinthii, ut perſpectas revelationes intelligere poſſent.

Plures tamen Patres (t) atque Interpretes cenſent, res a Paulo ſpectatas auditasque ſe ipſis reverà fuiſſe ineffabiles, hominisque ſermone ſatis exprimi non potuiſſe. Profectò ſi ipſam Dei naturam vidit Apoſtolus (u), ac maximè arcana Chriſtianæ Religionis Myſteria Deus illi detexit, quod veriſimillimum eſt, nemo negaverit, iſthæc eſſe nedum vulgari hominum intelligentiâ & ſermone ſublimiora, verùm etiam iis mentibus, quæ cæteras perſpicuitate antecellunt. Divinitus edocere opus eſt, ut ea aſſequaris.

℣. 5. Pro hujuſmodi (x) gloriabor, ac præſtantiſſimam illius virtutem commendabo: quod ad me attinet, meâ dumtaxat infirmitate gloriabor, meis laboribus. Hæc porrò infirmitatis nomine hoc loco intelliguntur (y); iſta quippe ambitionem intra me ciere non facilè poſſunt: humilia potiùs ſentire me cogunt, ſimulque mei exiſtimationem apud vos promovebunt, ubi mala a me exantlata contuleritis cum iis, quæ pſeudo-Apoſtoli pertulerunt.

℣. 6. Et si voluero gloriari, non ero insipiens. Si rebus hujuſmodi divinitus acceptis gloriari voluero, atque aliquid ex iis recitavero, nemo me vanæ ambitionis accuſaverit, cùm vera ſim locuturus. Neque etiam inſaniæ arguar, cùm de veritatis, juſtitiæ, exiſtimationis meæ iniquiſſimè impetitæ, veſtræque religionis a criminatoribus quaſſæ defenſione agatur. *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me.* Sublimius aliquid, quàm reverà ſum, divinæ particeps naturæ, ac ſupra hominum conditionem evectus fortaſſe exiſtimer. Si Lycaonibus viſus eſt eſſe Deus ob prodigia, quæ inter illos patravit (z); ſi Melitenſes Deum putavere, ubi illum a viperâ minimè læſum conſpexere (a); quid exiſtimatori de illo fuiſſent cæteri, ſi myſteria & cætera in tertio Cœlo viſa edisſerentem audiviſſent (b)? Græcum (c) ita vertit Grotius: *Nolo quiſquam me aliunde æſtimet quàm ex ipſis, quæ ipſe vidit me facientem, aut docentem audit.* Quæ palam ago, ea ediſſero: cætera prætereo.

℣. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, atque in ſuperbiam agat; homo enim erat Paulus, & quamquam in gratiâ confirmatus, inani ambitione rapi poterat, divinisque donis ſuperbire. Ut humanos hoſce motus, qui ſuboriri poterant, coërceret (d), *dedit illi* Deus *ſtimulum carnis, angelum Satanæ, qui eum colaphizaret.* Græca vox (e) *ſcolops* ſonat ſpinam, aculeum, ſtimulum, ac propriè minutiores illas ſpinas, quæ carni inſeruntur, atque acrem dolorem cient. Nonnulli flagrum intelligunt, alii paxillum, vel ſudem (f). At recitata priore loco ſignificatio ſervari poteſt. *Angelus Satanæ*, Dæmonis emiſſarius, miniſter. Diabolus, tenebrarum princeps in Scripturis nuncupatur, velut cæteris dæmonibus ſubditis, ſive Angelis ſuis imperans. *Qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus* (g). Angelus igitur Satanæ eſt diabolus, a Lucifero ſeu Beelſebubo miſſus. *Colaphizat*, Apoſtolum indigniſſimè tractat.

Quæritur hic I, utrùm *ſtimulus*, quem in carne ſentiebat Apoſtolus, & *Angelus Satanæ* una eademque res ſint; II, quid propriè uterque ſit; omnino enim Apoſtoli locutiones tropicæ hoc loco ſunt. Plerique Veterum (h) ac Recentiorum (i) putant, duabus hiſce vocibus ab Apoſtolo ſignificari morbum aliquem corporis, a dæmone inductum; at non convenit, quod morbi genus fuerit, capitis dolor (k), aurium, viſcerum (l), an podagra (m), an genericè acutus morbus, an merus languor, & aſſidua imbecillitas. Hujus mali author ac miniſter erat diabolus, quemadmodum pleraque corporis incommoda authori diabolo

(r) *Apoc.* II, 7: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi.* (s) *Luc.* XXIII, 43.
(t) *Clem. Strom. l.* 5: Οὐκ ἐξὸν προστίθησι, Δυνάμει δὲ ἀγίᾳ ἄφθεγκτον εἶναι μηνύει. *Ita Theophyl. Oecumen. Auguſt. D. Thom. alii paſſim.* (u) *Auguſt. lib.* 12 *de Geneſi ad Litt.* & *Ep.* 147; *D. Thom. hic, Beda, Herv.* (x) Ὑπὲρ τοῦ τοιούτου καυχήσομαι.
(y) *Vide ſup. cap.* 11, 30. *Eſt. Men. Tir. Vatab. Grot. Sclater. &c. Afflictio, humiliatio.* עני *infirmitas*, Ἀσθένεια, θλῖψις, διωγμός. *Theophylact.* (z) *Act.* XIV. (a) *Act.* XXVI.
(b) *Ita Chryſoſt. & alii Græci. Eſt.* (c) Μή τις εἰς ἐμὲ λογίσηται ὑπὲρ ὃ βλέπει με, ἢ ἀκούει τι ἐξ ἐμοῦ. (d) *Theophyl. Eſt.* (e) Ἐδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, Ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ.
(f) *Tertull. lib. de Fugâ in perſecut. cap.* 2. (g) *Matth.* XXV, 41. *Vide* & 2 *Reg.* XXIV, 5; & 2 *Par.* XXI, 1.
(h) *Baſil. Regul. Faſ. cap.* 55. *Aug. in Pſal.* CXXX; *Quid. apud Chryſoſt. & Theophyl. Hieronym. in Galat.* IV, 13; *Beda, Sedul. Herv. hic, D. Thom.* (i) *Eraſm. Grot. alii.*
(k) *Quid. apud Chryſoſt. hic*: Κεφαλαλγίαν. *Hieronym. loco cit.*
(l) *Quid. apud D. Thom. hic.* (m) *Nicetas in orationem* 30 *Nazianzeni.*

℣. 8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me.

℣. 9. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.

COMMENTARIUS.

bolo in Scripturis tribuuntur; veluti morbus Jobi, primorum natu Ægyptiorum nex, copiarum Sennacheribi excidium, atque alia innumera ejusmodi mala, in Veteri Novoque Teſtamento deſcripta, quæ ferè ceu ſupplicia a Deo inflicta, & vindictæ a diabolo exercitæ exhibentur.

Cenſent alii (n), ſignificari ab Apoſtolo adverſarios, quos ipſi repugnare ſinebat Deus, ipſiusque molitionibus ac profectui Evangelii reſiſtere: quales fuere pſeudo-Apoſtoli hoc loco exagitati, Judæi increduli, Alexander ærarius, Hymenæus & Philetus, de quibus idem Paulus (o), & Demetrius argentarius, qui ſeditionem Epheſi concitavit in Paulum (p).

Plures denique (q) probabiliter exiſtimant, ſtimulum carnis, & Angelum Satanæ eſſe turpes concupiſcentiæ motus, quos Paulus in carne ſuâ experiebatur invitus. Hoc ipſum ille innuit in priore ad Corinthios (r): *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Et ad Romanos (s): *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Stimulus autem iſte aptiſſimus eſt coërcendæ ſuperbiæ; homini enim ſpiritalia ſectanti, turpius nihil ac probroſius eſt, quàm fœdi motus, vi libidinis in ejus corpore excitati, quibus aſſiduè vigilare ac pugnare cogitur. Meritò autem appellantur *Angelus Satanæ*, ſive illos ut a Dæmone partos ſpectaveris, ſive ut inſtrumenta, quibus utitur Diabolus, ut ſuum in homines imperium proroget atque confirmet. Id autem Deo permittente fiebat (t), ut hic & in conſequentibus ipſe Apoſtolus animadvertit; ut dedecus, quod invitus in carne ab his motibus patiebatur, ipſius virtutem defenderet, tutamque redderet a ſuperbiâ, univerſum illius meritum ablaturâ (u). *Paulo datus eſt ad premendam ſuperbiam, uti in curru triumphali triumphanti datur monitor ſuggerens: Hominem te eſſe memento.*

At poſtremæ huic explicationi duplex objicitur difficultas; I, turpes hoſce motus indignos eſſe ſanctitate Pauli, ejusque ſenectuti & corpori, vigiliis, itineribus, aſſiduisque laboribus extenuato, non convenire; II, Apoſtolum minimè patefacturum fuiſſe Corinthiis hanc animi corporisque moleſtiam, ubi de ipſius exiſtimatione adversùs pſeudo-Apoſtolos defendendâ, confirmandâque apud Diſcipulos, quos adverſarii peſſimè animare in illum ſtudebant, agebatur; id quippe nedum Pauli rebus, verùm etiam potiſſimo ipſius propoſito nocuiſſet.

Reſpondeo I, nihil certum haberi de Pauli ætate. Si illum vixiſſe ponas ad annum usque octavum & ſexageſimum, uti legitur in Sermone inter opera S. Chryſoſtomi (x), atque obiiſſe anno Jeſu Chriſti LXVI, uti videtur Chronologorum accuratiſſimis, annum agebat ille ſextum & quinquageſimum, cùm alteram ad Corinthios Epiſtolam daret: porrò ea ætas immunis non eſt ab his diaboli inſultibus. II, Corporis afflictatione & laboribus minuuntur quidem concupiſcentiæ vires, non extinguuntur. III, Morum Sanctitas hominem iis non liberat: hos interdum viri ſanctiſſimi & validiſſimos experiuntur, ſed repugnant: atque in eo poſitum eſt illorum meritum. IV, Paulus ſeſe ex eo commendare non vult apud Corinthios, quòd ſeſe infirmitatibus probroſisque concupiſcentiæ motibus angi fateatur: at nemo bonæ mentis, aut pietatis alicujus & religionis fuerit, qui plurimi non faciat hominem, qui poſtquam ad tertium usque cœlum evectus eſt, & magnis adeò beneficiis a Deo cumulatus, demiſsè fatetur, ſeſe a Deo deprimi, ſuamque imbecillitatem doceri tentationibus, quibus ab eo objicitur, & inter quas divinæ gratiæ viribus ſuſtinetur. Hæc animi demiſſio multò glorioſior eſt, multoque pluris æſtimanda, quàm nobiliſſima quælibet geſta, ac beneficia ſublimiſſima.

Non defuere (y) qui dicerent, hoc ab Apoſtolo ſignificari, Apoſtolum ipſum ab Angelo Satanæ male vexatum fuiſſe verberibus, moleſtiis, colaphis, tentationibus, ærumnis: quæ explicatio ſimplex maximè videtur. Profectò compertum eſt, Jobum variis malorum generibus a Diabolo fuiſſe cruciatum: narrat S. Athanaſius pugnas, quibus Antonius Eremitarum pater ab humani generis hoſte impetebatur. Stimuli, quibus ille Apoſtolum inquietabat, fuere fortaſſe corporis afflictationes, cruciatus, ærumnæ, atque omnia tentationum genera. Sunt denique (z) qui ſtimulum interpretentur conſcientiæ timores, quibus, inquiunt, inquietabatur Paulus, cùm actum a ſe ante converſionem genus vitæ animo volveret. Nobis arridet ſententia, quæ de turpibus concupiſcentiæ motibus uſurpat: quam ſententiam vulgò Interpretes probant.

℣. 8. TER DOMINUM ROGAVI, UT DISCEDERET A ME Angelus Satanæ; ſcilicet, ſæpe, inquiunt Patres & Interpretes (a). Ter pro ſæpe uſurpatur; certus numerus pro incerto. Videtur aliis (b), ter rogaſſe inſtantius; at reſpondente Deo, ſufficere illi gratiam Dei, virtutemque inter ærumnas perfici, ſiluiſſe, ac Providentiæ conſiliis demiſſo animo ſeſe ſubjeciſſe.

℣. 9. SUFFICIT TIBI GRATIA MEA; NAM VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR, ſive inter ærumnas, uſurpato infirmitatis nomine pro labore, tentatione, malis, uti ſæpe vidimus. *Virtus* Latinè ambigua vox eſt; interdum enim moralis integritas, & virtutis habitus ſive actus eſt, ut humilitas, caſtitas, patientia; interdum vires corporis atque animi. Hoc loco intelligendum eſt de viribus, uti Græcus docet (c): at ſatis perſpicuum non eſt, intelligenda ſit virtus & vis Dei, an Jeſu Chriſti, an ipſiusmet Pauli. Ait Deus: *Sufficit tibi gratia mea*: ſatis tibi eſto, quòd perpetuam erga te benevolentiam meam

(n) *Chryſoſt. hic, Theodoret. Theophyl. Oecumen. Ambroſiaſt. Primaſ.*
(o) *1 Timoth.* I, 20. *Vide & 2 Timoth.* IV, 14. (p) *Act.* XIX, 24.
(q) *Auguſt. Conc. 2 in Pſal.* 58; *& lib.* 3, *cap.* 7, *contra 2 Epiſtol. Pelag. Hieronym. ad Euſtoch. de cuſtodiâ Virginit. Salvian. ſerm. de Circumciſ. Haymo, Beda, Lir. Herva. D. Thom. Bellarm. Eſt. Cornel. Hugo Card. Men. Tirin. Cornel. alii paſſim.* (r) 1 *Cor.* IX, 27. (s) *Rom.* VII, 23.
(t) *Vide Auguſt. de Nat. & Grat. cap.* 27; *Bedam, & Eſt. hic.*
(u) *Hieronym. Ep.* 25 *ad Paulam.* (x) *Chryſoſt. tom.* 6, *homil.* 30, *p.* 267.
(y) *Vide Calvin. Bez. Hamm. Camerar. Le Clerc.* (z) *Sclater. Quid. in Strigell.*
(a) *Chryſoſt. alii Græci. Tirin. Eſt. Camer. Bez. alii.* (b) *D. Thom. hic.*
(c) Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου, ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται.

℣. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto: Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.

℣. 11. Factus ſum inſipiens, vos me coëgiſtis. Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli: tametſi nihil ſum.

℣. 12. Signa tamen Apoſtolatûs mei facta ſunt ſuper vos, in omni patientiâ, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.

℣. 13. Quid eſt enim, quòd minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quòd ego ipſe non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam.

COMMENTARIUS.

tibi pollicear: ſanctior in dies efficieris, novasque vires acquires auxilio, quo tibi ego inter ærumnas adero. Sive: *Sufficit tibi gratia mea*, ut carnis ſtimulum ſuperes, & Satanæ Angelum vincas; mea enim vis, meæque gratiæ robur maximè inter ærumnas micat. Hos inter labores, hæc inter diſcrimina, has inter moleſtias, motusque concupiſcentiæ, virtutis meæ ſpecimen edam, quippe qui te victorem efficiam (d). His nimirum in rebus gratiæ meæ vires, meæque omnipotentia perſpicuæ redduntur.

Qui Græcum non conſuluere, locum hunc paſſim interpretati ſunt de morali virtute (e), quæ inter adverſa & diſcrimina perficitur; atque hoc ſenſu locus fit nobiliſſimis animadverſionibus, apud Profanos etiam probatis, quibus illud ſolemne eſt (f): *Optimi ſumus, dum infirmi ſumus*; & ut ait Seneca: *Calamitas virtutis occaſio eſt, & virtus agitata creſcit.*

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Raptus meos, revelationes, divinasque cognitiones prætereo; ex quibus ambitionis dumtaxat occaſio oriri poteſt: gloriam meam ex infirmitate & laboribus ducam, quippe cùm ex his dejectionis argumentum ſolummodo mihi paretur, totaque ſucceſsûs ac victoriæ gloria in Deum convertatur. Multa quidem Jeſu Chriſti causâ pertuli; unique Dei virtuti hoc debeo, quòd inſectationibus inimicorum non ceſſi: unus ipſe me ſuſtinuit, unus ipſe tutatus eſt; ejusque virtus in me reſidet: *Ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Hoc non ſemel expertus ſum, eaque frequenter in me claruit; ac futurum ſpero, ut in me ad finem usque perſeveret.

℣. 10. Placeo mihi in infirmitatibus meis; inter ærumnas meas, measque moleſtias. Cur verò? quia *cùm infirmor, tunc potens ſum*. Quò plura ob Chriſtum patior, eò validiores experior vires gratiæ illius, qua regor, illuſtror, confirmor: eò magis perſpicua in me fit Dei gloria.

℣. 11. Factus ſum inſipiens, vos me coegiſtis. Me ipſe laudavi: id mihi vitio a vobis dandum non eſt. Facere poteratis, ut in hanc inſaniam non deſcenderem, modò rejiceretis pſeudo Apoſtolos, eorumque in me obtrectationibus aures non præberetis (g); cùm enim hoſtes mei fucum fecerint mentibus veſtris, animosque falſis ſui ipſorum laudibus deceperint, meum eſſe duxi, veras laudes meas commemorare, ut vos ab errore ſeducerem, veſtramque ſalutem diutiùs in diſcrimine non relinquerem (h).

Nihil minus fui ab iis, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli. Iſta intelliguntur de veris Apoſtolis, Petro, Jacobo, Joanne, qui Chriſtum viderant, ac tamquam Eccleſiæ columnæ habebantur. Studebant hoſtes in vulgus ſpargere, Paulum illis omnino inferiorem eſſe, utpote neque Chriſti auditorem, neque ab illo miſſum. At Paulus omiſsâ quæſtione de dignitate, quæ quæſtio invidiæ plena erat, atque offenſionem parere poterat, ait, *ſe nihil minus fuiſſe ab iis*, quod attinet ad Apoſtolici muneris labores, & gratiam Jeſu Chriſti, ac favorem, quo ipſius prædicationem proſequutus eſt Chriſtus.

Nonnulli (i) hunc locum ſenſu ſtomachantis interpretantur: Tametſi nihilo inferior fui magnis hiſce Apoſtolis, qui primas ſedes occupant, *ſupra modum Apoſtolis*, qui labores ſuos, virtutem, animi præſtantiam venditavere, ſeseque cæteris Evangelium prædicantibus anteponunt, me tamen illis non anteferam; at nihilo illis inferiorem me eſſe exiſtimo.

℣. 12. Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia; ſive, patientiâ omnibus modis tentatâ. *Omnis patientia* eſt magna miraque patientia (k): *Omnimoda patientia*. Apoſtolatûs mei ſigna vobis dubia non ſunt: ipſi vidiſtis prodigia, quibus me inter vos clarum reddidit Deus, & fructum, quem prædicatio mea Deo favente tulit; patientiam, quam Deus mihi largitus eſt inter inimicorum pugnas, & victoriam, quam per eam reportavi. Vide ℣. 10.

℣. 13. Quid enim minus habuistis præ cæteris Ecclesiis? An minoribus beneficiis, inſtitutionibus, diviniſque muneribus donati fuiſtis, quàm cæteræ Eccleſiæ, ab aliis Apoſtolis, aut a nobis inſtitutæ? Siquid eſt diſcriminis, illud profectò eſt, quòd leniùs cæteris tractati fuiſtis. Mihi ipſe ceu lege propoſui, nequid ex vobis victûs nomine acciperem: id curavere cæteræ Eccleſiæ, meoque ipſe labore ſupplevi: iſtud verò ſi injuria eſt, injuriam feci: at parcatis rogo. ℣. 14. *Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*. Ego largiri vobis debeo, non vos mihi. Neque tamen illud vult Apoſtolus, filios nihil debere parentibus, aut præceptoribus diſcipulos: at plerumque iſti neque de parentibus neque de magiſtris cogitant, dum illi nullius rei egent, nihil optant, nihilque accipiunt; qui omnino erat Corinthiorum mos erga Apoſtolum.

℣. 14 Ter-

(d) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. Theophyl. alios paſſim.*

(e) *Vide Auguſt. lib. 2 contra duas Epiſt. Pelagg. cap. 7. D. Thom. alii ex Latinis. Bernard. ſæpè.*

(f) *Plin. lib. 7, Ep. 26.*

(g) *Theodoret.* Ὑμᾶς μὴ ἠναγκάσατε, ταῖς κατ' ἐμοῦ πιστεύσαντες διαβολαῖς.

(h) *Theophyl.* Κηδόμενος τῆς ὑμῶν σωτηρίας ταῦτα λέγω, ἐπειδὴ ἑώρων ὅτι οἱ ψευδαπόστολοι ἐκ τοῦ καυχᾶσθαι διαφθείρουσιν ὑμᾶς προσέχοντας αὐτοῖς, διὰ τοῦτο ἠναγκάσθην καὶ αὐτὸς εἰπεῖν τι ὑπὲρ ἐμαυτοῦ δι' ὑμᾶς. (i) *Eſt. Eraſm. Sclater.* (k) *Vide 2 Cor. 1, 5; 2 Timoth. IV, 2.*

℣. 14. Ecce, tertiò hoc paratus ſum venire ad vos: & non ero gravis vobis Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos· Nec enim debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis·

℣. 15. Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris: licèt plus vos diligens, minus diligar·

℣. 16. Sed eſto: ego vos non gravavi: ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi·

℣. 17. Numquid per aliquem eorum, quos miſi ad vos, circumvêni vos?

℣. 18. Rogavi Titum, & miſi cum illo fratrem· Numquid Titus vos circumvênit? nonne eodem Spiritu ambulavimus? nonne iiſdem veſtigiis?

℣. 19. Olim putatis, quòd excuſemus nos apud vos? Coram Deo in Chriſto loquimur: omnia autem chariſſimi propter ædificationem veſtram·

℣. 20. Timeo enim, ne fortè cùm venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar a vobis, qualem non vultis: ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos:

℣. 21. Ne iterum cùm venero, humiliet me Deus apud vos; & lugeam multos ex iis, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditiâ, & fornicatione, & impudicitiâ, quam geſſerunt·

COMMENTARIUS.

℣. 14. TERTIO HOC (jam) PARATUS SUM VENIRE AD VOS. Paulus Corinthum vênit, primùm anno Chriſti LII, ibique menſes XVIII egit *(l)*; iterum anno LV, at brevis fuit mora, cùm ſtatim Epheſum redierit *(m)*; ex quo fit, ut eam rem Lucas in Actis ſileat: denique tertiò venturus erat, uti reverà vênit ſub finem anni LVII, quo anno data eſt hæc Epiſtola. De hoc itinere Corinthiaco, quod Acta prætereunt, perſpicuè agit Paulus Capite conſequenti *(n)*.

℣. 15. EGO AUTEM LIBENTISSIME IMPENDAM *(o)*. Omnia mea, meque ipse dabo, ſalutis veſtræ gratiâ. Adeo nihil ex vobis exigam, ut me ipse libentiſſimè veſtri causâ, fortunas, vitam, ſanguinem daturus ſim; tametſi parem gratiam apud vos non inveniam. *Licèt plus vos diligens, minùs diligar.* Satis oſtendiſtis, quàm parum me ametis, cùm pseudo-Apoſtolos audiveritis.

℣. 16. SED ESTO: EGO VOS NON ONERAVI *(p)*. Occupat id quod objici potuit de pecuniis ob Judææ pauperes collectis. Fruſtra jactas, te vacuum eſſe cupiditate: novimus enim, hoc ipſum eſſe aſtutiæ tuæ: nihil per te poſtulaſti, at per alios: miſiſti Titum, unàque alium Diſcipulum, ut alio ſub obtentu exigeres *(q)*. At facilis reſponſio eſt: Veſtras ipsorum conſcientias teſtor. An Titus, ſeu Timotheus, aliusve hic frater, meo aut ſuo ipsorum nomine aliquid quæſiverit? (17) *Numquid per aliquem eorum quos miſi, circumvêni vos?* Græcum verbum *(r)*, quod hîc & conſequente membro vertitur, *circumvêni*, ſignificat, ex aliquo pecuniam arte extorquere, turpe lucrum exercere. Siquid aut ipse per me, aut per alios poſtulavi in pauperum ſolatium, an mihi poſtulavi?

℣. 18. NONNE EODEM SPIRITU AMBULAVIMUS ego & Titus? An illum æquè ab avaritiâ alienum non inveniſtis? Apud vos ille fuit, nemini veſtrûm gravis.

℣. 19. OLIM PUTATIS *(s)*, QUOD EXCUSEMUS NOS? Optimè novi, orationem meam ita a vobis accipi, uti defenſionem diuturno ſtudio paratam, ut avaritiæ ſuſpicionem a me avertam, refellamque criminationes, quas pseudo-Apoſtoli mihi impegerunt. Minimè omnium, teſte Deo, *coram Deo, in Chriſto.* Chriſtiani hominis religione ac ſinceritate loquor *(t)*: veſtræ dumtaxat inſtitutionis gratiâ loquor: *Omnia propter ædificationem veſtram.* Quidquid diximus utilitatis veſtræ causâ, vel cum probro, vel cum exprobratione, vel cum laude, idcirco diximus, ut efficeremini ſanctiores, atque ad Deum traheremini.

℣. 20. TIMEO ENIM CUM VENERO, NON QUALES VOLO, INVENIAM VOS; ne ſcilicet multa in vobis occurrant, quæ arguam & corrigam: *& ego inveniar a vobis, qualem non vultis.* Vereor, ne uti cogar authoritate, qua puniam, arguam, dividam, ſcindam *(u)*: id quod omninò futurum eſt, ſi *ſint inter vos contentiones, æmulationes, animoſitates*, &c.

℣. 21. NE ITERUM HUMILIET ME DEUS APUD VOS; ne animo crucier & affligar, atque omnino

(l) *Act.* XVIII, 1, *& ſeq.* (m) Vide 1 *Cor.* XVI, 7. Et Tillemont ſur S. Paul, art. 19, & Note 41. (n) Cap. XIII, 2: *Prædico ut præſens, & nunc abſens.* *Græc.* Προλέγω ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν. (o) *Ambroſiaſt. & S. Germ. & Clarom. Lat. Libentiſſimè impendam & ſuper impendam, & ipse impendar.* (p) *Græc.* Οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς. *Quidam*: Οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς. *Chryſoſt. in Laud.* 2, *Borner. Mſ. Bibl. Bodl.* (q) *Vide Chryſoſt.* Τῷ δοκεῖν εἰληφέναι ἐμαυτὸν, ἔξω τιθεὶς δι' ἑτέρων λαμβάνων. (r) Ἐπλεονέκτησα. *Vide* 1 *Corinth.* VII, 2; 1 *Theſſal.* IV, 6. (s) Πάλιν δοκεῖτε. *Vulg. legit*, πάλαι. *Et ita Alexand. Borner. Clarom. & S. Germ. Olim, ut Vulg.* (t) *Theodoret.* Τὸ γὰρ ἐν Χριστῷ, ἀντὶ τοῦ κατὰ τοὺς Χριστοῦ νόμους. *Eſt. Menoch. Tirin. Le Clerc.* (u) *Confer* 1 *Cor.* IV, 21; 2 *Cor.* X, 6. *Oecumen.* Τιμωρήσεσθαι τοὺς ἄνιατα νοσοῦντας.

no deprimar, ubi me coactum videro animadvertere in flagitia, quæ jamdiu expiata & deleta oportuit (x). Vide optimum Paſtorem ac patrem, qui in gemitus lacrymasque effunditur, dolet, cruciatur, ubi peccata punire, atque anathema pronunciare cogitur. Cùm iſta contingunt, non dum Paſtori dolendum eſt, verùm etiam Fidelibus univerſis, ceu fratris morte (y).

Qui non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia (z). Ex his collige, magna flagitia vel tunc, vel olim inter Corinthios fuiſſe, veritumque Apoſtolum, ne adhuc illa vigerent, vel nondum expiata ſatis fuiſſe per pœnitentiam, novoque vitæ inſtituto reparata. Neque dixeris, inceſti hominis crimen ab Apoſtolo ſignificari; ſupra enim vidimus (*), illum egiſſe pœnitentiam, & Corinthios Paulo planiſſimè ſatisfeciſſe. Flagitioſiſſima erat Corinthus; atque hujuſmodi criminum genus ægerrimè emendatur, ubi diuturna habitudo acceſſerit.

CAPUT XIII.

Severam animadverſionem minitatur Apoſtolus in eos, qui de peccatis pœnitentiam non egerint. Hortatur ut pacem cuſtodiant, iiſque ſalutem dicit.

℣. 1. Ecce tertiò hoc venio ad vos: In ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omnem verbum.

℣. 2. Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis, qui antè peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam.

℣. 3. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis?

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ecce tertio hoc venio ad vos. Vide ſuperius Caput, ℣. 14. Bis Corinthum venerat Apoſtolus, uti diximus. Ad duo iſthæc itinera, & ad tertium deinde futurum alludit, ubi ait: *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, judicium. Verba ſunt Deuteronomii (a), cavenris, ne judicium feratur ex unius teſtimonio, ſed duos treſve teſtes poſtulantis. Superiora duo itinera eon teſtes ſunt adverſùs eos, qui ab officio deſciverunt. Tertium hoc iter tertius teſtis futurum eſt (b). Poſt illud, ſententiam feram, puniamque graviſſimè eos, qui pœnitentiam non egerint. Innuere etiam videtur duplicem triplicemve monitionem, quæ in Canonicis atque Eccleſiaſticis judiciis ſervari ſolet, antequam cenſuræ, præſertim verò anathema, pronuncientur. Jubet in Evangelio (c) Chriſtus, clam admoneri peccantem, deinde duobus tribusve teſtibus adhibitis, poſtremò apud Eccleſiæ cœtum; quòd ſi ille non corrigatur, uti Ethnicum habendum eſſe ac Publicanum.

Sunt (d) quibus innuere videtur Apoſtolus, ſeſe ex juris regulis laturum eſſe ſententiam in reos, eosque nonniſi poſt duorum triumve hominum teſtimonia damnaturum. Melior tamen explicatio, quam priore loco propoſuimus.

℣. 2. Prædixi et prædico, ut præsens, et nunc absens, quoniam si venero iterum, non parcam. Græcus fert (e): *Prædixi, & prædico, ut prædixi* cùm *ſecundò apud vos fui* (vel, *ut prædico præſens futurus vobis brevi*), *& abſens nunc ſcribo*, fore ut nulli parcam. Sive: *Prædixi, & prædico ſecundò, tamquam præſens (f), & nunc abſens ſcribo*. Triplex hæc verſio defendi poteſt, & Græco Texto nititur. Tria innuere hìc vult Apoſtolus; I, ſeſe in ſecundo itinere prædixiſſe, animadverſurum ſe in eos, quos crimine implicitos inveniret; II, eaſdem minas a ſe, quamquam abſente, iterari; III, has ipſas ſcribere, nequis ignoraret.

Non parcam. Alii (g) de cenſuris & anathemate interpretantur; alii de ſupplicio corporis (h). At eo tempore altera animadverſio plerumque ab alterâ non ſejungebatur. Solebat Deus eorum corpora affligere, quorum crimina offenſioni fuerant Eccleſiæ, quique Paſtorem eò adegerant, ut gladio ſpirituali uteretur.

℣. 3. An experimentum quæritis, &c. An de meâ poteſtate dubitatis, ejusque periculum fieri a me vultis, morbo mulctatis, traditisque Satanæ, iis qui id promeriti fuerint? De Apoſtoli poteſtate dubitare non poterant Corinthii; at illos iterum monet his verbis, ne obliviſcantur. Verba ſunt quodammodo minitantis.

Qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis. Specimine poteſtatis Chriſti inter vos ipſi vidiſtis: uſi ſumus poteſtate, quæ nos ille inſtruxit, vosque meminiſſe debetis. Innuit fortaſſe pœnam, in hominem inceſti reum inflictam (i).

℣. 4. Nam

(x) *Chryſoſt.* Ταπείνωσιν τῦτο μάλιςα ἡγεῖται, τὸ εἰς τοιαύτην ἐμπεσεῖν ἀνάγκην τῦ κολάζειν, τῦ τιμωρεῖσθαι. In Novo Teſtamento, *humiliare*, ταπεινῦν, & *humiliatio*; & ταπείνωσις, uſurpatur pro affligere, Vide 2 *Cor.* VII, 6, et, 7; *Luc.* I, 48; *Act.* VIII, 33.
(y) *Vide* 1 *Cor.* V, 2. (z) *Græc.* Τῇ ἀκαθαρσίᾳ, καὶ πορνείᾳ, καὶ ἀσελγείᾳ.
(*) 2 *Cor.* VII, 10, 11, 12, & *ſeq.*
(a) *Deut.* XVII, 6; XIX, 15. (b) *Ambroſ. Grot. Eſt. Grot.* (c) *Matt.* XVIII, 15, 16, 17.
(d) *Men. Tirin.* (e) Προείρηκα, καὶ προλέγω ὡς παρὼν τὸ δεύτερον, καὶ ἀπὼν νῦν γράφω. *Secundò*, τὸ δεύτερον, deeſt in Vulgatâ; at in Græco & Priſcis legitur. S. Thomas aliique habent; *Ut præſens bis*. Vide Eſtium. Alii: *Præſens vobis*, *Ita edit. Sixt. V.* (f) *Eſt. Men. Bez.*
(g) *Eſt. Men. Camer.* (h) *Theodoret, alii.*
(i) 2 *Cor.* V, 2. & *ſeq.*

℣. 4. Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate: ſed vivit ex virtute Dei. Nam & nos infirmi ſumus in illo: ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis.

℣. 5. Voſmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis.

℣. 6. Spero autem quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus reprobi.

℣. 7. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, ſed ut vos, quod bonum eſt, faciatis: nos autem ut reprobi ſimus.

℣. 8. Non enim poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate.

℣. 9. Gaudemus enim, quoniam nos infirmi ſumus, vos autem potentes eſtis. Hoc & oramus veſtram conſummationem.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, &c. Jeſus Chriſtus, a quo miſſi ſumus, ejusque authoritate inſtructi, moriens nihil amiſit. Omnipotentiam exercet poſt reſurrectionem, uti vivens exercuit: in reos nunc animadvertit æquè ac olim: nunc quidem per nos, ut olim per ſe. *Et nos infirmi ſumus in illo* (k) ob ærumnas, mala, inſectationes, mortem, quam illius causâ toleramus; *ſed vivemus* (ſive (l) *vivimus*) *cum eo ex virtute Dei in vobis*; ejus nomine exercemus poteſtatem (m), qua exiſtimamur homines in vitam revocati, vitamque penitus cœleſtem ac divinam agentes.

℣. 5. Vosmetipsos tentate, si estis in fide, an Fidem ſervetis. Vos ipſi probè expendite, Fidem excitate, & quid olim fecerim cogitate. *An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt*, & per nos exercet poteſtatem feriendi & ſanandi (n), vitam largiendi aut necandi, quam poteſtatem accepit a Patre: *niſi fortè reprobi eſtis*, niſi abjeciſtis illius timorem, aut obliti eſtis illius vires, fidemque verbis illius ac minis debitam. Id ſi verum eſt, vos jam non exiſtimo Chriſtianos, neque inter Chriſtianos & Electos numero, ſed inter externos, infideles, reprobos (o): *Niſi fortè reprobi eſtis*. Sunt (p) qui poſtrema hæc verba ita reddant: *Niſi eſtis ſine experimento*: niſi obliti eſtis experimenta, quæ de Apoſtolicâ meâ dignitate & authoritate olim edidi. Vide ℣. 3. At, ℣. 6, *Spero quòd cognoſcetis, quia nos non ſumus abſque experimento*. Et ℣. 7: Vos ita vivere volo, *non ut probati appareamus*, ut non cogamur ſpecimina edere noſtræ poteſtatis: *Nos autem ut reprobi ſimus*.

℣. 6. Spero quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi; nos e ſtatu non excidiſſe, imò & in fide & in Dei amore perſeveraſſe, ejusque miniſterium exercere, atque uti poteſtate, qua nos ille inſtruxit. Apoſtolicæ meæ poteſtatis, meique miniſterii ſpecimina edam, modò in Fide perſeveretis (q).

℣. 7. Non ut probati appareamus, quales ſumus, agnoſcamur. Opto ea in vobis crimina non invenire, quibus cogar uti erga vos poteſtate meâ, & gladium ſcindendo exercere. Opto, nullà inſtrui adversùs vos poteſtate, vel ſaltem eâ non uti; ſed vota Deo facio, ut vitam ita ſanctè inſtituatis, ut a Deo ejusque Miniſtris probetur. Utinam nunquam experiamini poteſtatem, qua nos adversùs impios inſtruxit Deus: *Nos autem ut reprobi ſimus* (r). *Reprobus* in poſtremis hiſce verſiculis ita non uſurpatur, ut ab æternâ ſalute atque a gloriâ excluſionem ſignificet.

℣. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. *Non poſſumus* hoc loco idem eſt ac *non debemus*. Caveat Deus, ne authoritate utamur in perniciem *veritatis*, juſtitiæ, ſanctitatis morum, innocentiæ. Ea ſcilicet nobis tradita eſt, ut *veritatem* tueamur, ſuſtineamus, confirmemus. Aliter eâ abuteremur, atque a Dei illam largientis conſilio recederemus: prævaricationis rei apud illum efficeremus (s).

℣. 9. Gaudemus autem, quoniam infirmi sumus, vos autem potentes estis. Græcus fert (t): *Gaudemus enim cùm infirmi fuerimus, vos autem validi fueritis*. Scilicet, ait S. Chryſoſtomus (u), cùm nos tales viſi fuerimus impiis hoſtibusque, non exhibita illis virium noſtrarum ſpe-

(k) *Chryſoſt.* Ἀσθενοῦμεν ἐν αὐτῷ, διωκόμεθα, ἐλαυνόμεθα, τὰ ἔσχατα πάσχομεν διὰ τὸ κήρυγμα, καὶ τὴν πίστιν τὴν εἰς αὐτόν. *Eſt. Vat.* (l) *Vivimus. Ita Syr. & Codd. Lat. multi & Sixti V. Velez.* ζῶμεν. (m) *Eſt. Menoc. Tirin. Vide & Theodoret. verſib. ſequ.*
(n) *Confer Exod.* XVII, 7: *Eſt ne Dominus in nobis, an non? Vide Hamm. hic, Eſt. Men.*
(o) *Grot. Men. Hamm.* (p) *Vatab. Cnatchbull. Vide Theodoret. ad verſus ſequentes.*
(q) *Chryſoſt. hic. Theodoret.* Ἀπειλητικῶς τοῦτο τέθεικεν ὡς μέλλων αὐτοῖς τῆς πνευματικῆς δυνάμεως παρέξειν ἀπόδειξιν. *Vide & Grot. Eſt. Men. alios.* (r) *Chryſoſt. hic:* Οὐχ ἵνα ἡμεῖς δόκιμοι φανῶμεν, τουτέστι τὴν δοκιμὴν ἐπιδειξώμεθα τῆς δυνάμεως τῆς ἐν ἡμῖν, διὰ τοῦ κολάζειν ὑμᾶς, καὶ τιμωρεῖσθαι ἁμαρτάνοντας καὶ ἀνιάτως. Ἡμεῖς δὲ ὡς ἀδόκιμοι ὦμεν, οὐκ ἐπιδεικνύμενοι ἡμῶν τὴν τιμωρητικὴν δύναμιν. *Vide & Theodoret. & alios.*
(s) *Chryſoſt. hic:* Ἀλλὰ κἂν ἐπιχειρήσωμεν πολλάκις, οὐ συγχωρήσει ὁ Θεός, εἰς τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἔδωκε τὴν δύναμιν, ὥστε πληθὺν φέρειν τὴν ψῆφον καὶ δικαίαν καὶ οὐχ ὑπεναντίαν τῇ ἀληθείᾳ. *Ita & Theodoret. Eſt. Grot. Men. Tir. alii.* (t) Χαίρομεν γὰρ ὅταν ἡμεῖς ἀσθενῶμεν, ὑμεῖς δὲ δυνατοὶ ἦτε. *Alii:* Χαίρομεν ὅτι, *&c. Ita Barber. Velez. Vulg.*
(u) Ὅταν ἀσθενῶμεν, νομιζώμεθα ἀσθενεῖς. Τοιοῦτοι γὰρ ἐνομίζοντο παρὰ τοῖς ἐχθροῖς οὐκ ἔτι δεικνύμενοι τὴν τιμωρητικὴν αὐτῶν δύναμιν ... ὑμεῖς δὲ δυνατοί. Δόκιμοι, ἐνάρετοι, ὥστε μὴ παρασχῶν ὑμῖν πρόφασιν τοῦ τιμωρεῖσθαι ὑμᾶς. *Grot. Eſt. Men. Tirin.*

Digitized by Google

℣. 10. Ideò hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem.

℣. 11. De cætero, fratres, gaudete, perfecti eſtote, exhortamini, idem ſapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.

℣. 12. Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti.

℣. 13. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

ſpecimine, neque inflictâ illis pœnâ; gaudemus autem, cùm ita vivitis, ut nullam objurgationis occaſionem, neque locum exercendi in vos vindictæ poteſtatem præbetis.

Hoc et oramus veſtram conſummationem. Deum oramus, ut perfecti ſitis. Reddi poteſt Græcus (x): *Rogamus, ut vos ſitis valentes ac vegeti*. Pergit in allegoriâ hominis bene valentis, & infirmi. Gaudemus, quòd infirmi videmur, voſque valentes & incolumes eſtis; ac Deum oramus, ut vos planè incolumes ſervet; ſive, ut incolumitatem vobis reſtituat; ut patrata crimina pœnitentiâ eluatis, noſque uti in vos ſeveritate ne debeamus.

℣. 10. Ideo hæc abſens ſcribo. Hortor vos, ut pœnitentiam agatis, & corrigatis peccata, dum abſum; ut cùm venero, *non præſens duriùs agam, ſecundùm poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in deſtructionem*. Hoc ipſum eſt quod dixit ℣. 8: *Non poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate*. Et Capite x, 8, ait, poteſtatem ſibi eſſe *in ædificationem, non in deſtructionem*; non ut violentum & iniquum in bonos imperium exerceat, ſed ut Juſtos ac Fideles regat, ſoletur, confirmet, remotis iis, qui peſſimo vitæ inſtituto offenſioni ſunt, aut ſeditiones cient; adeout ædificetur Eccleſia & augeatur ipsâ poteſtate, qua nos inſtruxit Deus, non infirmetur & minuatur. Si diſciplinæ ſeveritas interdum poſtulat, ut putridum membrum abſcindatur, id potiùs utile eſt Eccleſiæ, quàm nocet (y). Si membrum hoc ad incolumitatem & officium redit, lucro eſt: ſi diſciplinam reſpuit, dici de eo poteſt id, quod de perverſis Chriſtianis ſcripſit Joannes (z): *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum*.

℣. 11. De cætero, fratres, gaudete. Reddi poteſt (α): *Quod reſtat, bene valete, incolumes eſte*. Ita epiſtolas claudebant Græci: *Gaudete*; cùm Latini dicerent: *Valete*. Græci Patres ita interpretantur, quaſi Paulus ſolatium adhibeat Corinthiis, poſt ſuperiores objurgationes.

Perfecti estote; vel, incolumes vos reddat Deus (β): in bono confirmamini; ſinceràque pœnitentiâ, & conſtanti virtutis exercitatione priſtinam innocentiam reſtaurate.

Exhortamini. Vel (γ): *Solemini voſmet*, atque invicem inter ærumnas recreemini; ſeu denique, ſolatium accipite, neque vos mœrore opprimi patiamini.

℣. 12. Salutate invicem. Vide nos in Rom. xvi, 16. *Salutant vos omnes Sancti*, Chriſtiani ſcilicet Eccleſiæ, in qua ſumus, nempe Macedonum.

℣. 13. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis detur; vos illuſtret Deus, eâque luce cumulet, qua virtutem agnoſcimus, amamus, colimus. *Charitas Dei*, ſcilicet amor, quo vos ille proſequutus eſt ante ſæcula in Chriſto Jeſu, atque inter filios adoptavit: *Communicatio Sancti Spiritûs*, qua ſua ille dona nobis largitur, *ſit cum omnibus vobis. Amen*.

Græca Exemplaria hìc legunt: *Ad Corinthios ſecunda data eſt Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam*. Nonnulla ſerunt: *Per Titum & Timotheum*. Alia: *Per Titum, Barnabam, & Lucam*. Alia omittunt Lucam; nullaque inſcriptio in multis legitur (δ). Vide Præfationem. Scripta omnino videtur in Macedoniâ, & fortaſſe Philippis.

IN

(x) Τοῦτο δὲ εὐχόμεθα, τὴν ὑμῶν κατάρτισιν. (y) *Theodoret.* Ἔδειξε καὶ τὴν τιμωρίαν οἰκοδομίαν οὖσαν. Ἑνὸς γὰρ ἢ δύο κολαζομένων, ἅπας ὁ σύλλογος τὴν ὠφέλειαν καρποῦται.
(z) 1 *Joan.* 11, 19. (α) *Eraſm. Pagn. Grot. Bez. alii.* (β) Καταρτίζεσθε, *Redintegramini, inſtauramini, roboramini.* (γ) Παρακαλεῖσθε. (δ) *Alex. Colb. 7, S. Germ. Clarom. Boerner. G. L.*

Finis ſecundæ Epiſtolæ B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS

PROLEGOMENON.

EX Galliâ originem Galatæ trahunt. Gallorum manus in Græciam, deinde, Brenno duce, in Aſiam Minorem effuſa, Cappadociam inter & Phrygiam, in Provinciâ, quam de ſuo nomine Galatiam appellarunt, ſedes ſtatuêre [*a*]. Ad eos non ſemel de Evangelio dixit Apoſtolus (*b*), florentiſſimâ Eccleſiâ ibidem conſtitutâ. Cùm primùm in Galatiam vênit, quamvis vel corporis morbo [*c*], vel ærumnis admodum extenuatus [*d*], veluti Dei Angelus, aut ipſemet Chriſtus exceptus eſt. Facilè omnium primus ibi Fidem Ethnicis nunciavit (*e*): quamquam antea Petrus Judæos edocuiſſe videtur, uti ex ipſius Epiſtolâ *ad Judæos diſperſionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*, colligimus [*f*]; quibus Fidem nonniſi Eccleſiâ Antiochiæ jam conſtitutâ, antequam is primùm Romam proficiſceretur, a Petro nunciatam non ambigimus (*g*).

Hos fortaſſe Judæos, a Petro edoctos, authores expertus eſt Apoſtolus ſeditionis, in ſe inter Fideles ex Gentibus excitatæ, cujus occaſione hanc ad eos epiſtolam dedit. Hi ſanè novi Doctores non aliunde veniſſe videntur; iique cæremonias legales enixè tuentes, & Paulum quàm maximè Petro poſthabendum dictitantes, ejusdem Petri authoritate abutebantur, ut repugnarent Paulo, quem Apoſtolatu decoratum negabant: præterea Circumciſioni & Moyſis Legi neceſſariò ita obtemperandum docebant, uti Petrus ipſe, & Apoſtolorum cæteri obtemperabant. Erat inter eos (*h*), qui cæterorum audaciſſimus, dogmata a Deo prorſus aliena tradebat. Galatarum plurimi, utpote ſimplices ac rudes, hujus oratione decepti, partim circumciſi ſunt, partim circumcidi decreverant. Complures verò novo huic dogmati repugnantes, Paulum Epheſi tunc fortè commorantem admonuere. Quare Galatis ſimul diſcrepantibus, hi ab illis omninò diſceſſerant; de qua Eccleſiæ ſeditione ſub Epiſtolæ finem Paulus queritur (*i*).

His malis ut viam Apoſtolus intercluderet, ad Galatas, nuper ab Idololatriâ ad Fidem traductos, Epiſtolam dedit tanti ponderis, quanti res expoſcebat, qua Apoſtolatum ſuum, ab ipſomet Chriſto ſibi commiſſum, validiſſimè ſtatuit: miram ſui converſionem narrat; ſuamque miſſionem a cæterorum Apoſtolorum poteſtate immunem oſtendit: præterea Petrum non modò ſuæ prædicationi non eſſe adverſatum, neque in ſuâ doctrinâ quidquam a recto abſonum reperiſſe; verùm etiam eamdem laudibus extuliſſe, in Jeroſolymitano Concilio unâ cum Apoſtolis probaſſe, eâdemque ipſum Petrum, promiſcuè cum Ethnicis veſcentem, uſum eſſe. Quam quidem cum Ethnicis conſuetudinem cautè & clam, ne Judæis admirationem crearet, a Petro adhibitam ultrò fatetur. Cùm verò die quadam Antiochiæ Petrus nonnihil diſſimulaſſet, ſe eidem nimiam infirmitatem exprobraſſe teſtatur. Hæc omnia collegit, ut ora obſtrueret peſſimis falſiſque Petri Diſcipulis, qui Principis Apoſtolorum nomine & dignitate, ut Paulo detraherent, abutebantur.

Ad quæſtionem deinde accedens, an Circumciſio & Legalia neceſſaria ad ſalutem ſint, pluribus e Scripturâ argumentis oſtendit, & Circumciſionem & Legem Moyſis inanes eſſe; benedictiones Abrahamo promiſſas, ad eos, qui Chriſto crediderint, pertinere. Servatorem, ejusque Diſcipulos, veros Abrahami filios, & benedictionum hæredes eſſe; Judæos carnales in Agar & Iſmaële, Chriſtifideles verò in Sarâ & Iſaaco exprimi; in libertatem Filiorum Dei per Fidem nos aſſeri; Hebræos ſemper ſervos extitiſſe: datam illis Legem, ut a peccatis continerentur: eorum ſingulos, qui ſub Lege vivebant, maledicto fuiſſe obnoxios, a quo Chriſtus per Crucis ſupplicium nos vindicavit. Monet denique, non per Legem, ſed per Fidem Spiritûs Sancti donis Galatas fuiſſe cumulatos; quo quidem argumento, apud illos validiſſimo, nullam eſſe Legis neceſſitatem ad juſtificationem demonſtrat.

Poſtquam Apſtolus ita ſuam ipſius apologiam texuit, multa ad mores rectè in-

(a) *Vid. Liv. lib. 38; Juſtin. lib. 25; Uſſer. ad an. M.3728, & 4430 Period. Julian.*

(b) Primùm An. Chr. 51, *Act.* xvi, 6; deinde An. 54, *Act.* xvii, 23.

(c) *Ad Galat.* iv, 13, 14.

(d) *Vide Hieronym. & Theodoret. in eum loc.*

(e) *Theod. hic, Proleg.*

(f) *1 Petr. i, 1.*

(g) *Vide Euſeb. l. 3, c. 1; &* Tillemont, t.1, art. 28, de S. Pierre, & note 26.

(h) *Galat.* v, 7, 10.

(i) *Galat.* v, & vi.

ſtituendos congerit, monetque ne Evangelii libertate ad concupiſcentiæ deſideria abutantur. Spiritum & carnem, concupiſcentiam & rationem gratiæ lumine perſuſam operum noſtrorum fontes eſſe docet: quæ a Spiritu, quæ a carne manant, fuſius enumerat. Monitos deinde, ut mutuam charitatem ſervent, utque erga peccantes miſericordiâ utantur, ad impenſas pro Magiſtris & Doctoribus munificè conferendas hortatur. Denique tradit, neque Circumciſionem neque Incircumciſionem, ſed novum in Chriſto hominem, novamque creaturam, ſaluti & ſanctitati acquirendæ conducere.

Interdum ita Galatas alloquitur, ut quondam Judæi fuiſſe videantur (k): *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?* Alibi etiam (l): *State, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* Cætera verò ejusdem Epiſtolæ illos ab Idololatriâ ad Fidem traductos ſatis demonſtrant. Paulus enim eodem loco, *Tunc*, ait (m), *ignorantes Deum, iis, qui naturâ non ſunt Dii, ſerviebatis.* Alibi verò (n), ſi Circumciſioni ſubdantur, univerſæ Legi iis obtemperandum eſſe pronunciat. Quæ quidem verba neque tunc, neque olim illos Circumciſioni obnoxios fuiſſe oſtendunt.

(k) *Galat.* IV, 8, *&c.*
(l) *Gal.* V, 1.
(m) *Gal.* IV, 8.
(n) *Gal.* V, 2.

Pseudo-Apoſtolos, quos Paulus hîc validiſſimè arguit, non Judæos, ſed exteros fuiſſe, quorum Princeps Cerinthus, in Judæâ degentes, Grotius cenſuit (o): additque, eos, non ut Religioni ſervirent, docuiſſe ſervandam eſſe Legem, ſed ut ab Judæis honores & lucrum extorquerent; utque iis, quibus Chriſtiani, utpote novam ſectam Judæis & Ethnicis æquè adverſam conſtituentes, oppugnari incipiebant, exterorum odiis ipſi vacarent. Quam quidem ſententiam, cui Interpretes cæteri refragantur, ipſo Apoſtoli Textu ſatis rejici arbitramur.

Maximum de tempore, quo ſcripta, & de loco, unde hæc Epiſtola miſſa fuerit, diſcrimen. Magnus (p) Gregorius, Lodovicus Cappellus (q), Uſſerius [r], Pearſonius (s), aliique plures, Epheſi exaratam ferunt [t]. Quorum ſententiæ, quam probabiliorem ducimus, Latinæ inſcriptiones, Eſtio teſte, favent. Ex capite primo, ℣. 6, paulò pòſt, tertio nempe ſeu quarto poſt Galatarum converſionem anno, exarata fuiſſe colligitur. Ait enim Apoſtolus: *Miror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium.* Itaque poſt annos ampliùs decem Apoſtolus eam dediſſet, ſi ab eo Romæ in cuſtodiâ detento datam velimus. Chryſoſtomus Epiſtolam ad Romanos hac poſteriorem putat [u]; quare hanc Romæ minimè exaratam cenſet, cùm Paulus poſt aliquot tantùm annos, quàm ad Romanos ſcripſerat, eò perrexerit.

Græcorum exemplarium ſubſcriptiones Romæ datam exhibent (x). S. Hieronymus a Paulo in vinculis ſcriptam refert [y]; Theodoretus datam primam omnium, quas Apoſtolus Romæ ſcripſerit, tuetur (z). Inde factum eſt, ut Paulus inter vincula eam dediſſe credatur, quòd dixerit [α]: *Nemo mihi moleſtus ſit; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.* Sed ille Chriſti Crucem in ſemetipſo nonne ſemper exhibuit [β]? nonne verbera, vexationes, vulnera ſæpè tulit, & pericula exhauſit? Præſtantiſſimi Interpretes ſubſcriptiones hujus Epiſtolæ Græcas authenticas non eſſe conveniunt, quæ neque in S. Germani, Claromontano, & aliis vetuſtiſſimis Mſs. reperiuntur. Eam denique anno a Chriſti adventu LV, Epheſo ad Galatas miſſam & nos arbitramur, quòd validioribus argumentis hæc opinio innitatur.

(o) *Grot. Prolog. in Epiſt. ad Galat. Ita & Hamm.*
(p) *Gregor. Magn. Moral. in Job, l.* 30, *c.* 8.
(q) *Ludovic. Capell. Hiſt. Apoſtol.*
(r) *Uſſer, ad an.* 58.
(s) *Pearſon, Annal. Paul. p.* 15.
(t) Tillemont, ſur S. Paul, art. 9; *Mill. not. in ſubſcript. hujus Epiſt. Alii.*
(u) *Chryſoſt. in Rom. Prolog.*
(x) Πρὸς Γαλάτας ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης.
(y) *Hieronym in Gal.* V, 11.
(z) *Theodoret. in Paul. Prolog. pag.* 5.
(α) *Galat.* V, 17.
(β) 2 *Cor.* IV, 10.

DISSERTATIO

An Cephas, quem Paulus Antiochiæ arguit, alius fuerit a Petro Apoſtolo. *Gal.* II, 11.

VEtuſtiſſimam difficultatem aggredimur, quæ vel priorum ætatum ſpectatiſſimos Authores, alterutram ſententiam tuentes, in contraria diſtraxit. Hæc ſanè quæſtio Petri & Pauli, totiusque Catholicæ Eccleſiæ vehementer intereſt; hinc enim noſtræ Fidei hoſtes Petrum prævaricatorem, Paulum autem invidum & audacem, noſtram verò Religionem ambiguam atque incertam eſſe collegerunt. Quæſtionem facti priùs hic ſtatuere oportet, videlicet, an is, quem Paulus Antiochiæ arguit, Petrus fuerit nec ne. Quæſtionem deinde juris, & cæteras ejus conſecutiones perpendemus.

In Epiſtolâ, quam Paulus ad Galatas dedit, iſta leguntur [a]: *Poſt annos quatuordecim*, ex quo ille Jeroſolymam ſe contulerat, tertium a ſui converſione (b), ſeu tantummodò in itinere, quod *quatuordecim poſt annos* a ſui converſione inſtituit (c), *iterum*

(a) *Gal.* II, 10, 14.
(b) *Gal.* I, 18; *Act.* IX, 25, *&c.*
(c) *D. Th. Cajet. Perer. in Epiſt. ad Rom. Baron. Ann. Chriſt.* 51; *Harduin. Diſſert. in hunc locum; Eſtius, &c.*

iterum aſcendit Jeroſolymam. Aſcendi autem, inquit Apoſtolus, *ſecundùm revelatione m, & contuli cum Apoſtolis Evangelium, quod prædico in Gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Qui cùm vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro Circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) & cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſione... Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.... Dixi Cephæ coram omnibus, &c.*

Mentio, qua brevibus his verborum finibus bis nomen *Petri*, verſu nempe 7 & 8, ter nomen *Cephæ*, verſu 9, 11, 14, invehitur, Interpretibus ambiguitatem creavit. Quidam enim utrumque nomen Petro commune fuiſſe ſibi ſuadentes, Petrum a Paulo reprehenſum aſſerunt. Quidam contra, Cepham, quem Paulus arguit, alium a Petro eſſe ajunt. Hæc autem ſententia raros nacta eſt aſſeclas; priori omnes propè non modò veteres, ſed & recentiores Patres & Interpretes adhæſerunt.

Sunt, ait S. Hieronymus (*d*), qui Cepham, cui Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ne *locus detur Porphyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum Principem confutaſſe credatur*. Porphyrius reverâ Apoſtolorum Principes de iis, quæ docebant, inter ſe non conveniſſe hinc colligens, Petrum erroris, ambitionis Paulum, utrumque mendacii, & totam Eccleſiam inanis credulitatis inſimulat (*e*). *Volens & illi (Petro) maculam erroris inurere, & huic (Paulo) procacitatis, & in commune ficti dogmatis accuſare mendacium, dum inter ſe Eccleſiarum Principes diſcrepent*. Hic Catholicorum infenſiſſimus hoſtis Paulo, veluti homini procaci, & Petri dignitatem ægrè ferenti, detrahit; & eam quæſtionem veluti puerorum diſceptationem habendam pronunciat (*f*): minimè videns, quanti tunc id intereſſet Religionis, ut tam Judæi, quàm Ethnici, qui nuper Fidei nomen dederant, Legalia inania eſſe, nihilque ſaluti conducentia, omnino intelligerent.

Hinc Origenes, & veteres Interpretes Græci, teſte Hieronymo [*g*], ut Porphyrii calumnias everterent, Paulum de Petri conſilio ipſi Petro reſtitiſſe aſſerunt; cùm enim eadem uterque ſentirent, eadem gererent, & de omnibus & ſingulis convenirent; Petrum tamen Paulo ſuaſiſſe, ut ſibi coram omnibus exprobraret; quò Judæi intelligerent, opus omnino eſſe, ut Legis obſervationes inanes, liberosque ab iis Chriſtianos tum ex Judæis cùm ex Gentilibus crederet, cùm æquo animo ſe, veluti Legalium neceſſitatem exemplo probantem, argui ab Apoſtolo pateretur.

S. Hieronymus nedum Græcis Patribus ſubſcripſit (*h*), ſed addidit præterea, totam diſceptationis ſeriem piâ ſimulatione, ſanctâque arte de utriusque Apoſtoli conſilio inſtitutam fuiſſe, ut a ſuis, quibus pertinaciùs inhærebant, obſervationibus Judæos removerent. Quam Hieronymi explicationem perlectam (*i*) S. Auguſtinus damnavit; eumque literis monuit, per illam aditum Ethnicis pateſieri, ut de Scripturarum ſimulatione, & Sacrorum Authorum mendacio ſuſpicentur; quo quidem Catholica Religio penitus evertitur. Si enim Paulus ſictè Petrum arguit, Petrus profectò dignus non erat, cur objurgaretur; ſi verò dignus objurgatione non fuit, mendax Paulus, qui illum meritò arguendum aſſeruit. Auguſtinus utique & Hieronymus Petrum eumdem eſſe ac Cepham, cujus mentio in Epiſtolâ ad Galatas, perſuaſum habebant; quare convenientes in facto, de quæſtione juris tantummodo diſceptabant.

Ad os Porphyrio, ait Auguſtinus, cæterisque obſtruendum ſatius eſt, id, quod Paulus geſſerat, commendandum oſtendere, quàm infirmis excuſationibus, quas adverſarii in noſtram perniciem torquerent, defendere [*k*]: *Magis fuerat adversùs Porphyrium defendenda, quàm ut ei daretur obtrectandi major occaſio*. Re enim ſatis expensâ, uterque potiùs laudandus eſt, quàm excuſandus: etenim Paulus charitati ſerviens, dignam Apoſtolo libertatem prætulit; Petrus verò, objurgationem non rejiciens, maximum humilitatis ſpecimen exhibuit: *Eſt itaque laus juſtæ libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro*.

Authores Latini, qui de hac quæſtione poſt Auguſtinum egêre, eidem ſententiæ ſubſcribunt. Ipſe etiam S. Hieronymus, cùm aliquanto pòſt adversùs Pelagianos ſcriberet, Petrum tunc erraſſe, Paulum meritò ei exprobraſſe fatetur (*l*), & addit, nemini ſuccenſendum, ſi peccati penitus expers non ſit, cùm & Apoſtolorum Princeps erroribus ſe obnoxium duxerit: *Quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?*

S. Auguſtinus de hac eâdem ſententiâ S. Cyprianum in ſuâ ad Quintum Epiſtolâ ſecum convenire teſtatur (*m*). Cui favent Tertullianus (*n*) & Hilarius Diaconus [*o*]. Poſt ea tempora Gregorius Magnus (*p*), D. Thomas (*q*), & clariſſimi nominis recentiores Interpretes eidem ſubſcribunt: quare, cùm Veterum, quos Hieronymus ſequutus eſt, opinionem nemo in præſenti tueatur, diſceptationem hanc prorsùs

(d) *Hieron. in Galat.* 11, 10.

(e) *Porphyr. apud Hieronym. Prolog. in Ep. ad Galat.*

(f) *Chryſoſt. t. 5. hom. 04. p. 706, c.*

(g) S. Hieronymus pro hac ſententiâ citat Origenem, Didymum, Apollinarem, Euſebium Edeſſenum, Theodorum Heraclæotam, Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque Græcos. Caſſianus, *collat.* 7, Græcis Patribus ſubſcribit. *Vide Hieron. Ep. ad Auguſt. p.* 75, *nov. Edit. Oper. S. Auguſt.*

(h) *Hier. Comm. in Epiſt. ad Galat.*

(i) *Aug. Epiſt.* 28, 40, & 71. *nov. Edit.*

(k) *Aug. Epiſt.* 82, *num* 22, *nov. edit.*

(l) *Hier. Dialog. contr. Pelag. lib.* 1, *c.* 8. *Vide & Aug. Epiſt.* 260 *ad Oceanum.*

(m) *Cyprian. Epiſt.* 71 *ad Quint.*

(n) *Tertull. l* 5 *contr. Marcion. c.* 3.

(o) *Ambroſiaſt. ſeu Hilar. Diacon. in Gal.* 11.

(p) *Greg. Magn. l.* 28 *Moral. c.* 12; & *l.* 18 *in Ezech.*

(q) *D. Thom. in Galat.* 11, & *in Summâ*, 1, 2, *q.* 103, *a.* 4, *ad* 2; & 2. 2, *q.* 33, *a.* 4, *ad* 2.

deſiiſſe cenſendum ducimus. De facti verò quæſtione, an Petrus a Cephâ ſecerni debeat, quod eſt præcipuum Diſſertationis argumentum, aliter judicandum. Vir doctiſſimus [r] ſententiam hanc jam propè extinctam nuper excitavit, Petrum prorſus alium a Cepha eſſe contendens. Præſtantiſſimus aliter (s) hac de re opere inſtituto, oppoſitum tuetur. Nos utriusque argumenta hic exhibemus.

S. Clemens Alexandrinus (t) in quinto Hypotypoſeôn libro, omnium primus, ut putamus, Cepham a Paulo Antiochiæ redargutum, alium a Petro eſſe defendit, Euſebius non repugnat. Sæculo quarto Dorotheus Tyrius Cepham, quem Paulus arguit, inter ſeptuaginta Diſcipulos recenſet [u]. Chryſoſtomus (x), Hieronymus (y), & Gregorius Magnus (z), ſuâ ſinguli ætate aliquos extitiſſe ajunt, qui Cepham a Petro ſecernerent; quam quidem ſententiam eorum nemo probat, ſed tum, dum viverent, neque incognitam, neque ſautoribus prorſus deſtituram oſtendunt.

Chronici Alexandrini Author (a) ſæculo ſeptimo, ad A. J. C. 30, duos & ſeptuaginta Diſcipulos enumerans, *Cepham, quem propter Judaiſmum Paulus increpuit*, tertium recenſet. Quibus verbis innuit diſceptationem ab utroque Apoſtolo Antiochiæ habitam. Oecumenius, qui decimo & undecimo ſæculo floruit, ſententiam, quæ Petrum a Cepha ſecernit, probabilem vocat. Author denique Commentarii in Pauli Epiſtolas, S. Anſelmi nomine, ad duodecimum circiter ſeu decimumtertium ſæculum pertinens, quorumdam meminit, qui an Cephas Antiochiæ a Paulo objurgatus idem cum Petro fuerit, adhuc ambigebant. Hæ præcipuæ, quibus hæc ſententia fulcitur, authoritates. Ad alia argumenta pergamus.

Paulus, ait P. Harduinus [b], anno a Chriſti adventu XXXV Fidei ſe dedit; & anno XXXVIII Æræ, tertio poſt ſui converſionem anno, primùm Jeroſolymam profectus eſt. Undecim poſt annos a primo hoc itinere, & quatuordecim a ſui converſione [c], ut ea, quæ hactenus in Evangelii prædicatione geſſerat [d], cum Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Principibus conferret, iterum eò reverſus, ab Jacobo, Cepha, & Joanne, qui Diſcipuli erant, a tribus Apoſtolis ejusdem nominis longè alii, dextras accepit (e); a quibus etiam uti gentium Apoſtolus agnitus, Barnaba & Joanne ſociis unâ aſſumptis, Antiochiam remigravit.

Petro tunc temporis Jeroſolymis commorante, Cephas, de quo mox, aliquandiu pòſt, nempe poſt Paſcha, Antiochiam profectus, Paulo & Barnabæ adhæſit, cum quibus unâ & cum Gentilibus Fidei Catholicæ adjectis, quos Legi minimè ſubjectum iri spoponderant, conſueſcebat. Interea Judæi quidam, Fidem amplexi, qui Ethnicos ad Catholicam Religionem traductos Circumciſioni cæteriſque Legalibus obſtringi volebant, Antiochiam, quò Diſcipulus Jacobus, ab Apoſtolo alter, eos miſerat, pervenere. Quare Cephas ſe iis ingratum fore ſentiens, a Paulo cæteriſque, quibuscum antea cibum capiebat, Gentium Fidelibus diſceſſit; cujus exemplum Barnabas ſecutus, eorumdem conſuetudine abſtinuit. Paulus itaque ut iis, quæ ab eâ ſimulatione facilè eruptura erant, malis occurreret, Cepham, quòd arguendus eſſet, coram omnibus reprehendit.

Eam ob diſceptationem Paulus & Barnabas deſignati ſunt, ut eâ de re Petrum conſulturi Jeroſolymam ſe conferrent. Julio ſeu Auguſto menſe eò profecti, quæ Antiochiæ contigerant, renunciarunt. Ad litem prorsus dirimendam, Jeroſolymitanum Concilium coactum fuit (f). Paulum, quæ Deus per ſe ipsum in Gentibus Fidei adjiciendis egiſſet, narrantem, Petrus totusque cœtus commendarunt, & decrevere, ne in poſterum Gentibus ad Eccleſiam accedentibus Legis jugum imponeretur. Quo quidem Cepham, qui Antiochiâ non diſceſſerat, meritò a Paulo redargutum comprobarunt.

Paulus & Barnabas, unâ cum Juda, Joanne, & Sila, Epiſtolas Apoſtolorum hac de re Antiochiam detulerunt [g]. Quare Fideles Gentium in eâ, quam Paulus eisdem spoponderat, libertate acquievere.

Aliquandiu pòſt Paulo in Syriam & Ciliciam profecto, *Cephas* in Galatiam & Corinthum contendit; Harduinus enim Cepham, propter quem Corinthii in partes diverſas diſtracti conclamarunt, *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ* (h), eſſe eumdem, cum quo Paulus Antiochiæ diſceptaverat, a Petro quidem omnino alium, arbitratur. Hoc ordine rem totam Harduinus componit: quo utique ſtatim fit, ut Paulus Antiochiæ Petrum non redargueit, cùm Petrus tunc temporis Jeroſolymis moraretur.

Neque itineris Jeroſolymitani, quod propter diſceptationem cum Cephâ inſtituit, neque ipſius Jeroſolymitani Concilii, quod ad dirimendam litem coactum fuit, in Epiſtolâ ad Galatas Paulus unquam meminit; quod utique hac in quæſtione animadvertere operæ pretium ducimus; ii enim, qui Petrum a Cepha minimè ſecernunt, Jeroſolymitani Concilii tunc meminiſſe Paulum tuentur, cùm ſcribit ad Galatas (i), ſe cum Jacobo, Cepha, & Joanne, qui Eccleſiæ Columnæ habebantur, ea

quæ

(r) *Harduin. Diſſert. in hunc loc. Epiſt. ad Galat.* II, 10.

(s) *Boileau Canonicus S. Capellæ, Disquiſit. Theolog. in Gal.* II, 10, *Pariſ.* 1713.

(t) *Clem. Alex. apud Euſeb. l.* I, *c.* 12: Κηφᾶν, ἵνα, φησι, γεγονέναι τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ὁμώνυμον τυγχάνοντα τῷ Ἀποστόλῳ.

(u) *In Chronico Paſchali, Edit. Cang.* Κηφᾶν, ὃν ὁ Ἀπόστολος Παῦλος ἐν Ἀντιοχείᾳ ἤλεγξε.

(x) *Chryſoſt. tom.* 5, *hom.* 64, *p.* 719.

(y) *Hier. ad Galat.* II.

(z) *Gregor. Magn. in Ezechiel. hom.* 18.

(a) *Chronic. Alex. p.* 213: Κηφᾶς ὁμώνυμος Πέτρῳ ᾧ καὶ ἐμαχέσατο Παῦλος κατὰ Ἰουδαϊσμοῦ.

(b) *Harduin. Diſſert. in Galat.* II, 10, *Edit. Amſtelod. ann.* 1709, *p.* 920.

(c) *Ann. Chr.* 49.

(d) *Galat.* II, 1, *&c.*

(e) *Galat.* II, 9.

(f) *Act.* XV, 1, *&c.*

(g) *Act.* XV, 22.

(h) I *Cor.* I, 12.

(i) *Galat.* II, 9. *Confer Act.* IX, 1, *&c.*

quæ geſſerat, contuliſſe, & ab iisdem, qui ſimul conſenſerant, ut Fideles Gentium ad Circumciſionem non adigeret, dexteras accepiſſe teſtatur. Tertium verò Pauli iter (k), quod ſtatuit Harduinus, ii qui ejus ſententiam oppugnant, defendi non poſſe aſſeverant. Nos tamen utri adhæreamus, adhuc non ſtatuimus.

Joannes, ita Harduinus rei ſeriem proſequitur, Joannes, Judas & Silas, qui Apoſtolorum Epiſtolas Antiochiam detulerant, paulò pòſt Jeroſolymam ad eos, a quibus miſſi fuerant, reverſi ſunt [l]. *Dimiſſi ſunt cum pace ad eos, qui miſerant ad illos*, adeoque & ad Petrum, qui Jeroſolymis adhuc morabatur. Totam profectò difficultatem locus iſte conſtituit; qui enim Petrum a Cepha ſecernunt, eo potiſſimùm nituntur, quòd tunc Petrus Antiochiæ non degeret. Quod inſta perpendemus.

(k) Nulla fit mentio itineris Pauli & Barnabæ usque Jeroſolymam, de quo *Act.* xi, 29, quòd ad hanc rem nihil pertineat.

(l) *Act.* xv, 30.

Ut Petrum a Cepha ſecernant, aliud argumentum inde hauriunt, quòd aliter Petrus in hæreſim incidiſſet: exemplo enim ſuo Circumciſionem & Legalia ad ſalutem neceſſariò adhibenda & docuiſſet & comprobaſſet; quod utique hæreſim prorsùs olebat, præſertim poſt Jeroſolymitani Concilii, cui Petrus ipſe præfuerat, definitionem: quo etiam fiebat, ut Gentium Fideles ad Legalia per vim adigerentur, uti Paulus Cephæ exprobravit (m): *Quomodo Gentes cogis judaizare?* Cùm verò Petrum hæreſi obnoxium aſſerere, a pietate prorſus abhorreat, ſtatuendum eſt, eum a Petro alium fuiſſe, quem Paulus, utpote objurgatione dignum, increpuit.

(m) *Galat.* ii, 14.

Prætereà hæreſeos nota nedum injurioſa Petro eſt, ſed & ab omni probabilitate, ut eâ labe Petrus inficeretur, longiſſimè abeſt. Poſtquam enim ille de totius Concilii Jeroſolymitani ſententiâ Gentium Fideles ad Circumciſionem minimè adigendos eſſe protulit; poſtquam Cornelium diu antea baptiſmate abluit, & minimè ad Circumciſionem compulſo, cum eodem cibum ſumpſit, poſtquam denique Jeroſolymæ Fidelibus, qui, quòd Ethnici hominis conſuetudine non abſtinuiſſet, offenſi fuerant, reſpondit (n): *Si eamdem gratiam dedit Gentibus Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum; ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* quomodo Antiochiæ pavidus adeò & infirmus fuit, ut, ne Judæis ingratus evaderet, a Gentium Fidelibus diſcederet?

(n) *Act.* xi, 17.

Si Petrus in hæreſim verè incidit, quid de ejus vitâ, doctrinâ, & conſiliis nobis cogitandum? Si ſemel a fide aberravit, cur bis, cur ter, cur centies etiam non defecit? Si autem Apoſtolorum Princeps ita corruit, nonne & nutat noſtra Fides, ejus prædicatione & teſtimonio quàm maximè nixa? Paulus etiam anne Petro pluris habendus? anne ab erroribus magis immunis? Quæ igitur eorum verbis adhibenda fides? Ecce, inquiunt, ad quas anguſtias redigimur, ſi Petrum, quòd a veritate defecerit, meritò a Paulo objurgandum fuiſſe tuemur.

Paulus in ſuâ ad Galatas Epiſtolâ Petrum & cum obſequio, & conſueto nomine appellat (o): *Qui videbantur eſſe aliquid, mihi nihil contulerunt; ſed cùm vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) & cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, &c.* Credibile ne fuerit, poſtquam bis Petrum ſuo nomine vocaverat, *Cepham* ſtatim ſequenti verſu appellare; neque eum cæteris, quos recenſet, præponere, ſed poſt Jacobum conſtituere, cùm primam ei dignitatem nunquam ademerit? Hæc nominis mutatio, hæc ordinis inverſio nonne Paulum Petri contemptorem indicat? Adeone indignè majorem natu Apoſtolum, & Senatûs Apoſtolici Principem Paulus ſpreverit? in Græcis Exemplaribus hic locus variè legitur: quam varietatem infra perpendendam ſuſcipiemus.

(o) *Galat.* ii, 7, &c.

Cepham, quem Paulus redarguit, Barnabâ, imò & Legatis, qui Jeroſolymis Antiochiam venerant, inferiorem ab ipſo Paulo habitum eſſe, ex ipſius Epiſtolæ (q) Textu inſinuari videtur; dicitur enim Cephas, poſt illorum adventum, a Gentium Fidelibus diſceſſiſſe; quare Judæorum cæteri, qui hactenus cum iisdem diſcubuerant, in eamdem ſimulationem devenere; ipſe verò Barnabas, cæterorum exemplum ſequutus, ab iisdem Fidelibus abſtinuit. *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.* Ab eis, nempe Jeroſolymorum Legatis, non a Cephâ, quòd tantæ non eſſet authoritatis, adductus refertur. Anne hìc vel Barnabam ſe Petro majorem reputaſſe, vel Apoſtolorum Principi a Paulo præpoſitum fuiſſe autumemus?

(q) *Galat.* ii.

Ex ipsâ objurgatione, qua Paulus Cepham corripuit, argumentum, quo Cepham alium a Petro conſtituat, Harduinus deducit. Illum, inquit, imperio & authoritate arguit, quin documentis de monitione fraternâ in Evangelio a Chriſto traditis (r) uteretur: cùm enim Chriſtus peccantem, antequam palam arguatur, clam primùm corripi juſſerit, Paulus coram omnibus Cephæ, veluti Præceptor diſcipulo, imperioſè exprobravit. Paulum verò eam in Petrum ſibi authoritatem tribuiſſe, ut illum palàm arguere ſui muneris eſſe duceret, ſeque eodem Petro ſuperiorem reputaſſe, nemo unquam crediderit.

(r) *Matth.* xviii, 15.

Ex

Ex duobus Diſclpulis, quibus ad Emmaus vicum pergentibus ſe itineris comitem Chriſtus exhibuit, unum fuiſſe Cepham, eumdemque, quòd circumciſionis neceſſitatem illis ſuadere conaretur, Galatis turbationem creaſſe, Harduinus conjecturâ comprehendit [s]; contra quem, addit, Apoſtolns loquutus eſt, cùm Epiſtolæ ad Galatas initio ſuam authoritatem toborat, ſuumque his verbis Apoſtolatum confirmat: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*. Qua in re Paulus utique Petro præſtantior non erat; at longè præſtantior Cephâ, quem Chriſtus per ſemetipſum neque miſerat, neque erudierat.

(s) *Diſſert. in hunc loc.* § 9, 10, *p.* 917.

Seditionis propter Cepham & Apollo, qui ad Corinthios poſt Paulum conciones habuerant, exortæ, cùm ipſe Apoſtolus meminit, poſt ipſum Apollo Cepham collocat [t]: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ*. Si igitur de Petro egiſſet, illum ne ſibi & Apollo poſtpoſuiſſet? Se quidem optimo jure primi nominis Apoſtolum, & Cephâ & Apollo, quorum ille Diſcipulus, hic tantùm Evangelii præco, longè majorem fatetur.

(t) 1 *Cor.* I, 12; & III, 22.

Alibi etiam Cephæ, quaſi primos inter Apoſtolos non recenſeatur, Paulus meminit (u): *Numquid*, ait, *non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Nonne hic perſpicuè Apoſtolis, & Domini Fratribus, qui ex Apoſtolis non erant, inferiorem Cepham conſtituit?

(u) 1 *Cor.* IX, 5.

Cephas, cui Chriſtus videndum ſe obtulit, ut in primâ ad Corinthios (x), juxta Harduinum, alius fortè a Petro fuit. Narrat Lucas, Dominum *Simoni apparuiſſe* [y], non verò antequam ab undecim Apoſtolis ſpectaretur. Paulus autem Chriſtum primò Cephæ, deinde undecim Apoſtolis ſe obtuliſſe teſtatur: *Quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc undecim*. Cephæ igitur in Emmaus pergenti, eâdemque die ad veſperum undecim Apoſtolis Jeroſolymæ congregatis ſe Chriſtus exhibuit. Cephas itaque alius omnino eſt a Petro.

(x) 1 *Cor.* XV, 5.
(y) *Luc.* XXIV, 34.

Ut primùm Simonem Andreæ fratrem Dominus vidit, eum ſic eſt alloquutus [z]: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*. *Cepham* igitur Petrum ab iis Chriſtus appellari voluit, qui Syriacè vel ſcriberent vel loquerentur; a Romanis verò *Petrum*, *Petron* denique a Græcis. Cùm itaque Novi Teſtamenti Authores Græcè ſcripſerint, Petrum ſemper ſuo nomine appellarunt, nunquam *Cepham*. Cephas igitur hic alienus eſt a Petro.

(z) *Joan.* I, 42.

Harduinus validius adhuc, ut putat, argumentum exhibens, Patres, inquit, & Authores, qui Cephæ nomine hic Petrum accepere, Catholica Eccleſia rejecit; quod ſtatim ita probat: Qui Petrum hic accepere, eò ſunt ducti, quòd pro *Cepha* ibi *Petrum* legerint: quam lectionem Eccleſia rejecit, cùm in Tridentino Concilio probaverit Vulgatam, quæ utroque loco *Cepham* præfert, minimè *Petrum*, quæ vox in Græcis Exemplaribus excuſis reperitur. Si igitur Eccleſia, Vulgatam probans, primam lectionem rejecit, rejecit etiam eorum ſententiam, qui Cephæ nomine Petrum accepere; hoc enim ex illo neceſſariò conſequitur.

Si denique Cephas idem cum Petro fuit, eâ explanatione abutentur hæretici, ut ſummi Pontificis authoritatem infirment, ut Eccleſiæ Principem in rebus dirimendis falli poſſe oſtendant, utque Epiſcopum Præſuli ſuo, cùm eo major nemo ſit, obſiſtere interdum poſſe tueantur.

Hæc argumenta præcipua, quibus Harduinus Paulum Antiochiæ non Petro exprobraſſe oſtendit, ſed Cephæ, uni ex Diſcipulis, qui circumciſionis & Legalium neceſſitatem pertinaciùs defendebat. Nunc ad contraria.

I, Veteres, qui Harduini ſententiæ favent, eò rem non duxerunt, quò ab Harduino detorquetur: ii enim, & eorum plerique, Cepham a Paulo redargutum ſanè alium eſſe ab Apoſtolorum Principe aſſerunt; at eò non ſunt progreſſi, ut cenſuerint, Petrum nullibi, niſi ſemel apud Joannem [a], *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, Cepham appellari, & cæteris in locis, in quibus Cephæ mentio, de ejuſdem nominis Diſcipulo, qui alius a Petro ſit, ſermonem inſtitui.

(a) *Joan.* I, 42.

Hypotypoſeon Liber, quem citat Euſebius [b], ubi Cephas unus ex ſeptuaginta Diſcipulis aſſeritur, omnino periit. Ejuſdem neque in Codice gennino S. Clementis, neque apud Authores Euſebio coætaneos ulla mentio. Illum præterea ipſe Euſebius Clementem tantummodò, non Clementem Alexandrinum appellat. Photium quidem hujus in ſuâ Bibliothecâ meminiſſe, & ea propter ſæculo nono adhuc illum extitiſſe fateor; at ne verbo quidem hanc peculiarem S. Clementis de Cephâ ſententiam Photius attingit; ſe tantummodò Hypotypoſes evolviſſe (c), eaſque craſſis erroribus, inanibus fabulis, & ſententiis impiis refertas reperiſſe teſtatur; quorum exemplum aliquod referens, ſuum a veritate teſtimonium non diſcedere, ſatis oſtendit. Cl. Boileau, qui ſyſtema relatum ſtrenuè refellit, an S. Clementis Alexandrini opus Hypotypoſes fuerint, opinione ſibi peculiari, videtur ambigere (d). Certò ſaltem conſtat,

(b) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. l.* 1, *c.* 12.
(c) *Phot. Bibliot. Cod.* 109.
(d) *Boileau Diſq. Theol. in hunc loc. Pariſ.* 1713, *n.* 30, *pag.* 57, *&c.*

ejus

ejus generis, quod Photius refert, Opus nullo modo accommodum fuiſſe, ut in eo tanti ponderis factum conſtituatur; cui peſſima quidem baſis ſupponitur, ſi ipſum imbecillæ nimis & nutanti Hypotypoſeôn authoritati commendetur.

Miror equidem tam ab aſſeclis ſententiæ, Petrum a Cepha ſecernentis, quàm ab ejusdem oppugnatoribus, productum non fuiſſe Chryſoſtomum, qui perſpicuè improbat eos, qui an Petrus Cephas fuerit, ambigebant. Æquè enim allegari poterat ac Hieronymus, qui eam opinionem nonniſi oppugnaturus adducit; poteratque etiam veluti affirmantis ſententiæ aſſecla proferri, ſi authoritati authoritatem libuiſſet opponere. Ait igitur Chryſoſtomus [c], quosdam ità difficultatem explicare: *Non erat hic Petrus*, (ſic enim legit ipſe pro Cepha) *inquiunt, ille Apoſtolorum princeps, cui Dominus ovium ſuarum curam tradiderat, ſed alius e vulgo, & ſine nomine homunculus.* Quæ verò ſequuntur, ſubjicit, hanc opinionem confirmant: *Ita ut Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem:* quæ quidem verba innuere videntur, majori dignum eſſe admiratione, quòd Barnabas ipſe erraverit, quàm vir ille, qui Petrus appellatur. At Barnabas Petro inferior profectò eſt.

Hanc difficultatem ſolvens Chryſoſtomus, non inde aſſerit majorem creatam eſſe admirationem ex Barnabæ ſimulatione, quòd ipſe Barnabas Petro præferretur, verùm quòd cùm eſſet Pauli comes, ad Ethnicos erudiendos Præco conſtitutus, nihilque cum Judæis ei eſſet agendum; nihilominus Petri, & cæterorum ſimulationem fuerit ſequutus, qui Judæorum aſſiduâ conſuetudine utebantur, & Judæis Evangelio imbuendis potiſſimùm fuerant mancipati. Illud verò, addit Chryſoſtomus, eo loco Petrum verè affici oſtendit, quòd omnia ſeu quæ præcedunt, ſeu quæ conſequuntur, ad Petrum perſpicuè pertineant.

(c) *Chryſ. hom. 61, t. 5, pag. 719, 720:* Οὐκ ἦν οὗτος Πέτρος, φησίν, ἐκεῖνος ὁ τῶν Ἀποστόλων πρῶτος, ὁ παρὰ τοῦ Κυρίου τὰ πρόβατα πιστευθείς, ἀλλ' ἕτερός τις εὐτελής, καὶ ἀπερριμμένος, καὶ τῶν πολλῶν εἷς.

Sententiæ Cepham a Petro ſecernenti Hieronymum minimè favere, omnibus eſt compertum; apertè enim mentem ſuam exhibet (f): *Sunt qui Cepham, cui hic in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ſed alium de ſeptuaginta Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum.* Quibus ſtatim ſubdit, ſibi de alio Cephâ prorſus non conſtare, præterquàm de illo, qui in Evangelio & in Pauli Epiſtolis modò *Petrus* modò *Cephas* appellatur. *Quibus primùm reſpondendum, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Evangelio & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipsâ, modò Cephas, modò Petrus ſcribitur.* Cæterùm, addit Hieronymus, ſi ad os Porphyrii convicianctis obſtruendum Cephas alter produci deberet, ne Petrum hic erraſſe nos fateri cogeremur, plurima etiam Scripturæ loca, quæ hic Eccleſiæ hoſtis idcirco tantùm oppugnat, quòd non intelligat, delenda eſſent.

(f) *Hier. in Gal. 11, p. 244, nov. Edit.*

S. Auguſtini mentem hic afferre ſupervacaneum ducimus, cùm ipſum ſibi de Cephâ a Petro non ſecernendo quàm maxime ſuaſiſſe, omnibus ſit perſpicuum; noſque ſupra de quæſtione juris, & de causâ, cur Paulus ei exprobraverit, ejus ſententiam attulerimus.

Dorothei Tyrii teſtimonium iidem ipſi, a quibus affertur, quanti ſit faciendum, judicent. Propter nugatorias fabulas, quibus ſcatet, nullius fidei Author reputatur; eumque viri docti vel nunquam allegant, niſi ut oppugnent, vel ut quasdam opiniones falſas & commentitias quarto jam ſæculo fuiſſe demonſtrent. Idem Dorotheus Cepham, quem ſeptuaginta inter Diſcipulos enùmerat, *Conæ*, fortè Iconii, ſeu alterius urbis, Dorotheo ipſi incognitæ, Epiſcopum ſtatuit. Ejus Opus ambiguorum & apocryphorum congeries eſt.

Gregorius (g) Magnus, in Petri virtutibus defendendis nemini planè ſecundus, eumdem in ſimulationem [*Non ſolùm culpam, ſed quod eſt majus, hypocryſim*] incidiſſe, & meritò a Paulo redargutum ultrò fatetur. Eos præterea reſpuit, qui Petro obſequuturi, non Apoſtolorum Principem, ſed ejusdem nominis alium quemdam exprobratione dignum a Paulo increpitum tuentur. *Sunt nonnulli, qui non Petrum Apoſtolorum Principem, ſed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo ſit reprehenſus, accipiunt. Qui ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent.* Modeſtum ac mitem Petri animum laudibus tollit, quòd Pauli Epiſtolas, in quibus ipſe objurgatione dignus dicitur, vehementer commendat. Eas ſanè, ſubdit Gregorius, Epiſtolas Petrus legerat, quòd easdem alleget atque extollat: ſuis itaque, quod de eo ſcripſerat Paulus, oculis ipſe perceperat: *Amicus ergo veritatis laudavit etiam, quòd reprehenſus eſt: quatenus qui primus erat in Apoſtolatûs culmine, eſſet primus & in humilitate.*

Inter Authores, qui Cepham a Petro ſecernunt, allatus eſt Oecumenius (h), qui ſæculo undecimo floruit, quique Cepham ab Euſebio unum ex Diſcipulis ſeptuaginta habitum refert, & *hanc ſententiam probabilem* appellat. Quod quidem teſtimonium Hypotypoſeôn authoritati nihil addit. Cæterùm Oecumenius eam probabilem appellaſſe contentus, minimi a ſe fieri ſatis oſtendit.

Commentarium, qui ſub S. Anſelmi nomine diu latuit, Hervæo Dolenſi Britanno, qui, teſte Bellarmino (i), anno 1325 florebat, nonnulli tribuunt [k]; Gerberonius

(g) *Gregor. Magn. l. 18 Moral. in Job, n. 10, 11.*

(h) *Oecum. in Galat. 11.* Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ Ἱστορίᾳ ἀποδεικνύει μὴ εἶναι τὸν Κηφᾶν τοῦτον τὸν Πέτρον, ἀλλ' ὁμώνυμον αὐτῷ ἕνα τῶν ἑβδομήκοντα, καὶ πιθανὸς ὁ λόγος.

(i) *Bellar. l. de Script. Eccleſiaſtic.*

(k) *Harduin. & Boileau locis citatis.*

betonius verò Hervæum Monachum Bugldolenſem cjuſdcm Authorem aſſerit. Omnes ſanè S. Anſelmo recentiorem eſſe conveniunt. Hujnsmodi autem Scriptor novi nihil producit, & more præclarornm Interpretum, quoſdam extitiſſe refert, qui Apoſtolornm Princlpem a Cephâ ſecernercut: quam tamcn ſcntentiam neque aſſumit, neque tuetur.

Contra paueiſſimos, qui ſententiam, qua Petrus a Cephâ diſtinguitur, vel probant, vel tantùm proponunt, omnium hucusque ab Eccleſiæ initio ætatum, omnium hujus loci Interpretum, & vetuſtiſſimorum Græcorum Exemplarium, quæ (adeò Petrum eumdem cum Cepha eſſe conſtabat) pro *Cephâ* hîc *Petrum* legebanr, unam vocem & conſenſum producimns. Hinc factum eſt, ut Tertullianus [*l*], Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius Diaconus, Gregorius Magnns pto Cephâ Petrum invexerint. Ita etiam legunt Veteris Vulgatæ Exemplaria, Claramontanum & S. Germani Pratenſis Ms. celeberrima, & Mſ. Bornetii, quod in Novi Teſtamenti recentiori editione Millii, a Kuſtero vulgatâ, allegatur.

(l) *Tertull. l. 5 contr. Marcion, c. 3.*

Præterca hæc Mſs. Tertullianus, Ambroſiaſter, ſeu Hilarius Diaconus, & Theodoretus, ubi Vulgata, & Græcum impreſſum exhibent, *Jacobus*, *Cephas*, *& Joannes* (*m*), legunt; *Petrus*, *Jacobus*, *& Joannes*. Et ℣. 11 eum Græco impreſſo conveniunt, & *Petrum* habent, ubi Vulgata, & plurima præclatiſſima Græca Excmplaria [*n*] Mſs. præſertim Alexandrinum, quod ad decem & tria ſæcnla vetuſtatem ſuam prottahere dicitut, plura deniquc Latina Exemplaria *Cepham* præferunt. Quam quidem lectionem veram eſſe atque vetuſtam, & a plurimis præſtantiſſimisque Mſs. Græcis, ab Alexandrino potiſſimùm, quo Cyrillus Lucar Magnæ Britanniæ Regem donavit, a pluribus etiam Mſs. Latinis allatam fateor. Ea denique lectio, Clementis Alexandrini, Euthalii, & Euſebii Cæſarienſis adhuc ætate, utl citatum Hypotypoſeôn teſtimonium præſert, invaluerat. Et quidem ſi alia fuiſſet genuina lectio, nunquam de Cepha cum Petro confundendo dubitatum fuiſſet.

(m) *Galat. 11, 9.*

(n) *Steph. ib. Cod. Alex. Barb. 2, Petit. 5, Colb. 7. Cor. 2, Copht. Veltz.*

Earum variarum lectionnm ptimos Authores, quicumque il fuerint, hæreticos S. Sedi inſenſos, vel callidos Scripturarum corruptores, vel ſaltem indoctos Scriptores, qui imprudentes hæreticis faverint, ſi quis fuiſſe aſſeveret; Sanctos Patres, & clariſſimos Interpretes complures graviſſimè quidem, immeritò, & injurioſiùs criminabitur. Eo loco de Petro ſermonem inſtitui, & Petrum eumdem eſſe ac Cepham, Veteres omnes credidere. Ut ambiguis aditus omnino intercluderetur, Ms. Alexandrinum *Kephan* appoſuit, ubi Græcnm & Latinum exhibebant *Petrum*: alii verò *Petrum* intulere, ubi in vetuſtis Latinis & Græcis Textibus *Cephas* præferebatur. Quæ ſanè omnia idcirco tantummodo inſtituta ſunt, ut lectorum error occuparetur; & fortè ut eorum ſententia intercideretur, qui, veluti Hypotypoſeôn Author, Cepham quemdam alium a S. Petro, Vetuſtis omnibus prorsùs ignotum, cujus neminima quidem in Scripturis mentio, inferre ſtudebant.

Argumentum ex Chronologiâ petitum nunc evertamus. Ejus utique ſi ſtet veritas, cætera, quæ ad eamdem ſententiam improbandam afferuntur, infirma corruunt. Si enim cùm Paulus Cepham arguit, Antiochiæ Petrus non erat, Cepham alium eſſe a Petro, exploratum utique habemus.

De tempore, quo Jeroſolymis coactum eſt Concillum, mlnimè conveniunt; ab his enim anno Chriſti XLIX, ab illis verò anno LI conſtituitur. Ejus quidem epocham omnes repetunt ex illo Epiſtolæ ad Galatas, ubi Paulus (*o*) *quatuordecim poſt annos* Jeroſolymam profectus enunciatur. Inde fit, ut quidam quatuordecim poſt annos a ſui converſione illum eò ſe contuliſſe putent, & anno XLIX Concilium ſtatuant; quidam verò quatuordecim poſt annos a primo itinere, quo Jeroſolymam profectus eſt, a ſui converſione anno tertio [*p*], illuc perrexiſſe tueantur, & anno LI Concilium conſtituant.

(o) *Galat. 11, 1.*

(p) *Galat. 1, 18.*

Utrùm prærerca Concilium ante, an poſt Pauli & Cephæ diſſidium Jeroſolymis coactum fuerit, adhuc diſputatur. S. Auguſtinus [*q*] & alii (*r*) pôſt, alii verò ante eam diſceptationem congregatum defendunt. Qua de re certi nihil neque allatum eſt, neque adhuc compertum: quod tamen hîc maximi intereſt; etenim ſi argumentum, quo ſententia Petrum a Cepha ſecernens nititur, ſolâ conjecturâ fulciatur, contraria opinio utique de eâ triumphum jam ſatis agit, cùm maximè ſuſtineatur a Patribus, Interpretibus, & iiſdem Scripturæ Textibus adeò ipſi faventibus, ut ſola eorum evidentia omnes propè ad eamdem adduxerit.

(q) *Auguſtin. Epiſt. 82 nov. Edit. p. 193.*

(r) *Pelag. II Papa, t. 5 Concil, pag. 662. Ita Harduin. Vorſt. Piſcat. Grot.*

Quoniam verò de Chronologiâ digerendâ, te ipsâ e Scriprutis petitâ, arbitratiâ verò quoad ſui circumſtantias, agitur, noſtram ab Apoſtoli converſione annorum ſupputationem ducemus. Paulns igitur anno pôſt Chriſti Reſurrectionem primo, nempe J. C. XXXIV, Fidem amplexus, & tertio (*s*) pôſt anno, nempe Chriſti XXXVII, Jeroſolymam profectus, eò iterum reverſus eſt anno XLIV, Chriſtianorum eleemoſynas Antiochiæ collectas delaturus (*t*). Antiochiam regreſſus, ibique Gentium Apoſtolus ite-

(s) *Galat. 1, 18.*

(t) *Act. XI, 29, 30.*

Digitized by Google

iterum conſtitutus, iis Fidem allaturus, Cyprum, Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam, Galatiam, aliasque Provincias peragravit, uſque ad annum LI, quo Jeroſolymam reverſus eſt, collocuturus cum Apoſtolis de Evangelio, quod Ethnicis nunciaverat, quin illos ad Circumciſionem adigeret (u). Concilium tunc Jeroſolymis idcirco coactum eſt, quòd Judæorum quidam Fidem nuper amplexi, & adhuc de Lege ſolliciti, eam ſaluti prorsùs neceſſariam enixè defenderent (x). A Concilio itaque diremptâ lite, probatâque Pauli doctrinâ, hic Antiochiam rediit unà cum ſociis, quos Apoſtoli miſerunt, ut de iis, quæ decreta fuerant, per Epiſtolam, quam deferebant, Eccleſiam Antiochenam admonerent. Poſt Pentecoſten, vel, ſi lubet, circa Septembrem, ſeu Octobrem, Concilium hoc coactum arbitramur.

(u) *Act.* xv, 1, *&c.*

(x) *Act.* xv, 1, *&c.*

Aliquanto pòſt Cephas ipse, ſeu Apoſtolorum Princeps Petrus, Antiochiam migravit: ſed ante, an poſt eorum, qui miſſi fuerant, reditum, non decernimus, licèt probabiliùs poſt reditum arbitremur; cùm legatur in Actis [y]: *Facto ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a Fratribus ad eos, qui miſerant illos.* Cùm igitur res probè geſtas, & Concilii ſententiam Antiochiæ optimè exceptam Petrus ab iisdem, qui redierant, accepiſſet, eò & ipse ſe contulit: cum Fidelibus Gentium & incircumciſis aliquandiù convixit, & eorum conſuetudine ac menſâ minimè abſtinuit. Quibusdam interea fratribus a Jacobo Apoſtolo Antiochiam profectis (z), Cephas circumciſos Judæos, Moyſis Legem unà cum Evangelio adhuc profitentes, veritus, a Gentibus diſceſſit.

(y) *Act.* xv, 33.

(z) *Galat.* II, 12. *Priùs enim quàm venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat (Petrus); cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui in circumciſione erant.*

Hinc factum eſt, ut Jeroſolymis Concilium poſtea coactum fuiſſe, nonnulli ſibi ſuaſerint: ſi enim, inquiunt, eâ de re ſolemniter ſtaturum fuerat, an Petrus iis, quæ in Concilio cum Jacobo & Joanne ipsemet decreverat, ſtare erubuiſſet, & Jeroſolymæ Fratres de re permiſſâ, & quibusdam ante menſibus authenticè ſancitâ offenſionem accepiſſent?

Quibus eodem ferè argumento respondemus. Si ambigua & ſub judice adhuc res erat, an Petrus promiſcuè cum Gentium Fidelibus comedens, Judæorum Fidelibus, qui Antiochiæ degebant, offenſionem creare ſe paſſus eſſet? Paulus verò, qui humilitare præſtabat, primamque Petri Dignitatem optime ſciebat, an coram omnibus Apoſtolorum Principi exprobrare auſus fuiſſet?

Utut fuerit, hoc enim ambiguum & problematicum ultro fatemur, Paulus ea, quæ hactenus docuerat, Petri exemplo everti perpendens (ejus enim ſimulatio circumciſis Fidelibus Legalium neceſſitatem obtrudebat), ſui muneris eſſe duxit Petrum arguere, quòd ſibi exprobratione dignus videretur.

Jeroſolymâ verò Antiochiam iter res certè tanta non erat, ut diuturnum tempus expoſceret. Hanc & illam Gallicæ leucæ CXXV interjacent, quæ quidem diebus minus quindecim abſolvuntur. Petro itaque tempus ſupererat, quo poſt illorum, quos Antiochiam dimiſerat, reditum, eò & ipſe contenderet ante Paſcha anni LII, circa quod tempus, ſeu paulò ante, Paulus & Barnabas Antiochiâ diſcedentes, ad Gentes Evangelium docendas perrexere [a]. Hæc urique rerum, quæ in Actis & in Epiſtolâ ad Galatas recenſentur, conſtitutio, neque a temporum ordine, neque ab hiſtoricâ veritate diſcedit. Quare argumentum ex eo ductum, quòd Petrus Antiochiâ tunc abfuerit, per ſe ipſum infirmatur, & prorſus cadit.

(a) *Act.* xv, 36.

Abſurda, quæ ſententiæ Petrum a Paulo redargutum defendenti tribuuntur, nihili profectò facienda. Petrum tunc peccare non potuiſſe, nemo unquam dixerit: Pontifices autem ejus ſucceſſores peccandi potentiâ carere ſe, nulli dixere. Petrus imbecillitate peccavit; optimè verò de iis, quæ cum Apoſtolis in Concilio Jeroſolymitano decreverat, ſemper ſenſit: legalia tum quoque animo improbans, nulli errori pertinaciter adhæſit, & a Pauli mente ne in minimis quidem diſcrepavit.

Nulla igitur in Petro hæreſis, nihil prorſus, quod Apoſtolorum Principem, ſucceſſoresque Pontifices injuriâ afficiat. Tum Petrus de iis, quæ ſimulatione induci poterant, non cogitavit: Paulus mentis aciem ulteriùs defixit, & futura veritus, ad Petro exprobrandum animos ſibi adjecit. *Paulus ſanè reprehendit Petrum*, inquit Tertullianus (b), *non ob aliud tamen, quàm ob inconſtantiam victûs, quem pro perſonarum qualitate variabat, non ob aliquam Divinitatis perverſitatem.* Petrus eâ indulgentiâ uſus eſt, quæ vel ab honeſtis aliquando abſtinendum ſuadet, ne debilibus offenſiones ſtruantur. Paulus verò ea proſpexit, quæ Fideles ad Legalium neceſſitatem comprobandam ex Petri exemplo fortè exhauſiſſent.

(b) *Tertull. l.* 5 *contr. Marcion. c.* 3.

Quòd verò Petrum peccare potuiſſe fateamur, non idcircò dogmata, vel quæ docuerit, vel quæ ſcripſerit, certiſſima non eſſe, & veluti ipſius Dei verba non accipienda, merito colligitur. Chriſtus enim, qui Apoſtolos miſit, Spiritu ſuo perfudit, eorumque doctrinam plurimis miraculis comprobavit, per eosdem, ubi ſuo nomine verba facerent, ſe loquuturum [c] pollicitus ſuit; non verò ab omnibus prorſus peccatis, præſertim a minimis, ſe eos vindicaturum ſpopondit.

(c) *Matth.* x, 19.

Argumentum inde depromptum, quòd intra paucas lineas in Epiſtolâ ad Galatas bis *Petrus* (*d*), deinde ſtatim (*e*) *Cephas* appellatus fuerit, omnium profectò infirmiſſimum arbitramur. Duobus nominibus præditus, cur eâdem paginâ decies hoc, decies illo nequeat appellari? Petrus ſanè tribus nominibus, Simone, Petro, & Cepha, vocabatur. Licèt autem Paulus Cepham ibi non poſtponat Jacobo, ſed Cepham conſtituat Jacobum inter & Joannem, non idcircò obſequio defuit, aut Apoſtolorum Principis dignitatem diminuit. Eo enim loco de ejus Principatu nulla quæſtio. Sacri præterea Authores, uti & vulgares Scriptores, eorum, quorum meminere, dignitati non ita adhærent, ut interdum non proponant præferendos, & poſtponendos non præferant, præſertim ſi nullâ id lege cautum fuerit. Apoſtoli interdum Chriſtum ante Deum Patrem memorant (*g*). Paulus Priſcam ſæpè ante (*h*), ſæpè poſt virum Aquilam locat (*i*). In Geneſi Sem Noëmi filius ſemper præponitur, tametſi eorum ſecundus probabiliùs fuerit. Moyſes Aaroni, licèt natu minor, præfertur. Veterum Conciliorum extant Acta, in quibus plures juniores Epiſcopi ante ſeniores ſubſcribunt. Hæc ſatis, ut iis locis omnibus, quibus hoc ipſum objicitur, occurramus.

S. Chryſoſtomus in eâdem, quam ſupra attulimus, authoritate [*k*] ſatis objectionem occupavit, quæ ab eo Actorum loco ducitur, ubi hæc leguntur: *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem;* quaſi Petro, ſeu Cepha, cæteriſque Judæis, qui Petri imitatores a Gentium conſuetudine diſceſſerant, ipſe Barnabas major extiterit. Lucas inter Petri & Barnabæ dignitatem minimè ſecernit, ſed præcipuum Barnabæ munus perpendit, cujus, quòd Pauli ſocius eſſet, intererat defendere, Gentes Legalibus minimè ſubjici debere, cùm eorum uterque Gentium Apoſtolatu potiſſimùm fuerint occupati.

Quòd Paulus authoritate quadam Petrum acriter arguerit, illud neque ſuperbiæ neque procacitati tribuendum, imo verò ejus maximo veritatis amori, & metui certè graviſſimo, ne Principis Apoſtolorum exemplo Antiocheni Fideles Circumciſionis Legaliumque neceſſitatem tenerent. Quod quidem & Auguſtinus (*l*), & Magnus Gregorius [*m*] dilucidè exhibuere, uti nos ſupra attulimus.

Qui apparitionem, qua Chriſtus ſe videndum exhibuit Cephæ, aliam putant ab eâ, qua ſe obtulit Simoni, ſeu Petro, Evangeliſtarum Textui adverſari videntur. Refert Lucas (*n*), duos Diſcipulos ab Emmaus Jeroſolymam regreſſos, undecim Diſcipulis, quæ ſibi in itinere evenerant, nunciaſſe; quibus Apoſtoli de Domini, qui apparuerat, reſurrectione ſe conſcios eſſe aſſeruere. Cùm verò duo illi Apoſtolos adhuc alloquerentur, Chriſtus Dominus omnibus ſe ſpectandum præbuit. Hoc ſanè innuit Paulus, aſſerens, Chriſtum *viſum eſſe Cephæ, & poſt hoc undecim* (*o*). Quare hunc Apoſtoli locum veram hic Lucæ interpretationem habendum arbitramur. Quâ horâ Chriſtus, Petro apparuerit, incertum; ei verò appáruiſſe, antequam undecim Apoſtolorum cœtui ſe exhiberet, exploratum. Lucæ Evangelium a Paulo plerumque laudari, hîc animadvertendum ducimus.

Quòd Tridentinum Concilium Vulgatam probaverit, non tamen reprobaſſe cenſendum eſt Textum Græcum, & Authores Veteres, qui hunc adhibuere; nec inde ſuſpicabimur conſecratos ab eo errores, qui in Latinâ Verſione cum Græcis libris collatâ inveniri queunt; ſicuti nec viciſſim Vulgatam ipſam ad Græcorum, qui extant, normam ſemper componi voluiſſe. Ea omnia cognitionem & prudentiam quàm maximam expoſtulant. Illud ſanè conſtat, quòd Eccleſia priorum Textuum authoritatem aut infirmare aut evertere nunquam voluerit; aliter ſe ipſa oppugnaret, & Verſionum omnium, quæ ab iis hauſtæ ſunt, fidem infirmaret. Authentica & Canonica quæcumque fuerit Verſio, Verſio ſemper reputabitur; Archetypum verò archetypum haberi nunquam deſinet [*p*]. Nunquam eò adducemur, ut Patres, qui *Petrum* pro *Cepha* legerunt, & veteres recentioreſque Interpretes, qui *Cepham* pro *Petro* accepere, ab Eccleſiâ damnatos eſſe cenſeamus. Ita enim fieret, ut eadem Eccleſia olim reſpuiſſet, & nunc etiam reſpueret eam Doctorum ſuique fautorum partem, quæ cæteris & pietate & ſcientiâ præſtat, omnibuſque Eccleſiæ ſæculis ab eâ, quam diximus, interpretatione non diſceſſit.

Si Religionis Catholicæ hoſtes, veluti Porphyrius; ſi veteres & recentiores Hæretici; ſi ii, qui S. Sedis authoritatem infirmare conantur, hoc Epiſtolæ ad Galatas loco abuſi ſunt, ne miremur: ubi enim Scripturæ textum invenias, quem impii & hæretici improbè & perversè non corruperint, & uſu iniquo non adhibuerint [*q*]? Donec eam, quam nos, hujus loci interpretationem renuerint, eo nunquam abuſuros polliceamur. Catholica & Romana Eccleſia nunquam ſibi ſuadet, Pontifices ſibi a Deo conſtitutos iis quotidianis erroribus omnino vacare, in quos, infirmitate humanâ impellente, vel maximo lumine & ſanctitate donatos ſæpè prolabi conſpicimus.

In exordio Epiſtolæ ad Galatas noſtram dedimus conjecturam de iis, adverſùs quos

(d) *Galat.* II, 7, 8.
(e) *Galat.* II, 9, 11, 14.
(g) *Galat.* I, 1: *Sed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* 1 *Jo.* II, 24: *In Filio & Patre manebitis.*
(h) *Rom.* XVI, 3: *Salutate Priſcam, & Aquilam. Ita* 2 *Timoth.* IV, 19. *Vide & Act.* XVIII, 18, 26.
(i) 1 *Cor.* XVI, 19; *Act.* XVIII, 2.
(k) *Chryſoſt. tom.* 5, *pag.* 719, 720.
(l) *Auguſ. Epiſt. olim* 8, *nunc* 28. *Item Epiſt.* 40, & 71, & 93.
(m) *Greg. Mag. l.* 28 *Moral. c.* 12; *hom.* 18 *in Ezechiel.*
(n) *Luc.* XXIV, 34.
(o) 1 *Cor.* XV, 5.
(p) *Vide Auguſt. l.* 2, *c.* 15, *de Doctr. Chriſt.*
(q) *Hieronym. in Galat.* II: *Si propter Porphyrii blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe, infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur.*

quos Paulus Apoſtolatum ſuum defendens, Apoſtoli dignitatem, nullius miniſterio interpoſito, ab ipſomet Chriſto ſibi collatam extollit (*r*). Petrum, non eum Cepham, quem ex ſeptuaginta Diſcipulis unum volunt, in Galatiâ concionatum arbitramur: quod utique per ſuam Epiſtolam ad diſperſionem Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, &c. ſatis ſuperque ipſe ſignificat. Paulus, ſeu ante ſeu poſt Petrum, ad Galatas conciones habuit; cùm verò, poſtquam & Petrus & Paulus inde diſceſſerant, quidam Petri Diſcipuli eò perveniſſent, Paulo obloquentes, ipsum hominem authoritate & miſſione deſtitutum, Legis everſorem, & Doctrinæ, quæ a cæteris Apoſtolis longè aberat, Præconem appellabant. Quare hîc Apoſtolus, ut os illis obſtrueret, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*, verum Apoſtolum ſe oſtendit.

(r) *Galat.* 1, 1.

Apoſtolus præterea, quin Cephæ ſeu Petri, cujus dignitatem & authoritatem iidem Judæorum Præcones evehere ſatagebant, Principatum nulli utique diſcrimini obnoxium tangat, nihil ab eo ſe accepiſſe, ſuamque Doctrinam & Apoſtolatum ab ipſo Cephâ, & a præclariſſimo Jeroſolymæ cœtu comprobatum docet. Idcircò igitur Petri Principatum in Epiſtolâ ad Galatas Paulus non extollit, non quidem quòd Apoſtolorum Principem minimi faceret, vel contemptui haberet, ſed quòd dumtaxat ejusdem prima Dignitas a nemine in dubium incertumque revocaretur.

Hic Diſſertationem abſolvimus, qua ſatis oſtendimus, Cepham Antiochiæ a Paulo redargutum, a Petro alium nequaquam fuiſſe; nullum argumentum proferri, quo Cephas ex ſeptuaginta Diſcipulis unus, & ab Apoſtolorum Principe alius conſtituatur; Petri ſimulationem ejus Principatui minimè officere; Pauli exprobrationem Porphyrio aliisque Catholicæ Religionis hoſtibus minimè favere, ſed in Petro quidem mirum humilitatis, in Paulo ſervoris & conſtantiæ Apoſtolicæ, quæ in veritatis diſcrimine exercenda eſt, exemplum exhiberi; ex ratione, quam componendæ huic controverſiæ Græci Patres veteres excogitavere, plurima poſſe abſurda induci; ſententiam denique, cui Auguſtinus favet, omnium optimam & accommodam eſſe, ut Apoſtolum utrumque excuſemus, & Catholicam Religionem ab hoſtium ſuorum criminationibus vindicemus.

DISSERTATIO
DE ANTI-CHRISTO.

ARTICULUS PRIMUS.

Variæ de Anti-Chriſto Sententiæ.

Quicumque Veritati, Pietati, Juſtitiæ adverſatur, Anti-Chriſtus dicitur, quòd Jeſu Chriſto, qui naturâ ſuâ eſt Juſtitia & Veritas, reſiſtat; quòd etiam *Anti-Chriſti* nomen ex etymo *Jeſu Chriſti inimicum* ſignificet. Anti-Chriſti hoc ſenſu accepti, ſæculis omnibus & ante & poſt Domini adventum extitere, & ſemper usque ad Mundi finem, & ad illum usque, qui omnium Jeſu Chriſti hoſtium impietatem & malitiam vincet (*a*), exiſtent. Hoc ſenſu Eccleſiæ perſecutores, Pseudo-Prophetæ, Hæretici, & nefarii Chriſtifideles totidem Anti-Chriſti appellantur; quorum plurimis orbem refertum ſuâ ætate Evangeliſta Joannes ingemuit: *Et nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt* [*b*]. Eccleſiæ Patres in Simone Mago, Nerone, Cajo Caligulâ, Apollonio Thyanæo, Barchocheba, Domitiano, Diocletiano, Juliano Apoſtatâ, & in pluribus aliis Jeſu Chriſti hoſtibus, & eorum Diſcipulis quasdam hujus perditiſſimi hominis, & perditionis filii notas agnovere. In Veteri etiam Teſtamento nonne Nabuchodonoſor, Cambyſes, Antiochus Epiphanes, Herodes occurrunt, qui veluti Præcurſores, effigies, & emiſſarii Anti-Chriſtum prætulere? Deus in irâ ſuâ eos excitaſſe videbatur, ut is, qui cæteros crudelitate, impietate, & malitiâ antecellet, qualis quantusque futurus ſit, intelligeretur.

(a) *Auguſ. in Pſalm.* IX, 6, *n.* 24: *Ille ſervus peccati totam nequitiam & iniquitatem, quam omnes Pſeudo-Propheta incohaverunt, impleturus eſt.*

(b) 1 *Jo.* II, 18.

Judæi & Chriſtifideles Antichriſtum, Mahometani autem Anti-Mahometum expectant. Judæi verò ea, quæ de Meſſiâ Servatore in primo ipſius adventu prolata fuere, cum iis confundunt, quæ de Meſſiâ ultore ſub mundi exitum adventuro nunciata ſunt. Ajunt præterea [*c*], Eliam, ſeu alterum e Prophetis Meſſiæ præiturum, ut parentes cum filiis conciliet (*d*), & Meſſiæ ſemitas paret. Poſt quem ipſe, ut ſubdunt, Meſſias adveniet, Israëlitisque omnibus in promiſſam regionem coactis, urbe Jeroſolymâ & Templo reſtauratis, populos ſuos pace & rerum copiâ cumulabit. Gog deinde & Magog, validæ gentes, Anti-Chriſto duce præeunte, eam pacem turbaturæ erumpent; quas Meſſias primò devictas, plurimis tandem maris & terræ

(c) *Vide Maimonid. de Rege Meſſiah,* c. 2.

(d) *Iſai.* XL, 3.

prodigiis prorsùs delebit. Quibus in bellis multum ſanguinis a Fidelibus effundetur, & tunc fortè implebuntur *Dolores Meſſiæ*, quorum meminere Rabbini, qui tot tantique futuri ſunt, ut omnes ingemant [c]: *Ab veniat; ſed ego eum non videam! quid faciemus ut a Meſſiæ doloribus liberemur?*

Ex Rabbinis quidam (*f*) Anti-Chriſtum, quem *Armillum* vocant, ex fœdiſſimâ gentium conjunctione cum virginis cujusdam ſimulacro Romæ erecto proditurum ferunt. Armillus admirandâ ſtaturâ ſublimis, ſe Meſſiam & Deum, cui ſit cultus exhibendus, oſtentabit. Omnis Edom progenies, (ita Romanos appellant) ei adhæreſcet, ultroque obtemperabit. Nehemias verò, Joſephi filius, e progenie Ephraim, primos ex duobus Meſſiis, quos Judæi expectant, triginta Judæorum millibus inſtructus, cum Armillo congredietur, & bis centum hoſtium millibus cæſis, eum conjiciet in fugam; qui exercitu iterum coacto, ſecundum cum Nehemia certamen committet; quo, innumeris gladio peremptis, tandem imprudens ipſum Nehemiam fortuitò interficiet; quare Judæi fugæ ſe dantes, perſecutionibus undique vexabuntur.

Archangelus Michael tubâ canet, primoque ſtatim clangore ſecundus ex progenie Davidis Meſſias veniet, quem Elias Propheta comitabitur. Tunc Judæi huc illuc effuſi, animis iterum collectis, ad eum undique confugient. Quare territus Armillus in eos irrumpet, pugnam committet, & cæſus occumbet. Tum felix Meſſiæ Regnum, quod quammaximè Prophetæ oſtentarunt; totusque terrarum orbis, morbis bellisque prorſus inde exturbatis, hortus Eden Judæorum ſolatio evadet. Hæc Judæi de Anti-Chriſto, de quo vel inter ipſos variæ ſententiæ. Singulas recenſere non lubet.

Horum bellorum inter initium & exitum, ſeu, ut ajunt Hebræi, præſens inter & futurum ſæculum, alii quadraginta, alii ſeptuaginta, alii annorum quadringentorum, alii denique longè minus intervallum conſtituunt. Omnes tamen mortuorum reſurrectionem, & perfectum Meſſiæ ac beatorum regnum nonniſi poſt Anti-Chriſti interitum, futura defendunt. Qua in re & nobiſcum conveniunt. Noſtrorum verò Scriptorum plerique imperium, bella, & Anti-Chriſti perſecutiones tribus tantummodò annis & ſex menſibus (*g*) definiunt.

Mahometani etiam (*h*) ſuum Anti-Mahometum expectant, quem *Dejal*, nempe *Impoſtorem*, appellant, quemque gigantem monſtro ſimilem, uno oculo & ſupercilio in fronte mediâ horridum, fingunt. Præterea Mahamedem Mehdy, ex Imanis duodecimum, a Deo, ut ajunt, viventem adhuc e terris ſublatum, & in voluptatum loco hominibus invio conſtitutum, ſub mundi exitum iterum adventurum putant, ut cum *Dejal* congrediatur, & id adversùs illum perficiat, quod nos ab Eliâ adversùs Anti-Chriſtum agendum credimus. Ad hæc, Jeſum Chriſtum Ducem ſupremum copiarum Imani fore, iterumque in orbem, ut in Anti-Mahometum pugnet, reverſurum arbitrantur. Eo ſuperato, eâdemque clade Gog & Magog affectis, uxorem ducet, & triginta ſeu quadraginta annis, non ut dominus, ſed ut Imani Mahamedis Mehdy Procurator, totius terrarum orbis imperium geret: quibus elapſis, occumbet, & unà cum Juſtis omnibus, vitæ iterum in ſæculorum exitu reſtituendus, propè Mahometi ſepulchrum tumulabitur. Judicium denique de omnibus pronunciabit, cùm ad Chriſtum hoc Judicium univerſale pertineat. Quantùm de Anti-Chriſti ſub mundi exitum adventu fides in plerisque terrarum nationibus inoleverit, per has fabulas comperimus.

Aliqui Judæorum Authores, quos inter Manaſſe Ben-Israël (*i*), aliqui etiam e Proteſtantibus [*k*] Anti-Chriſtum, quomodo a Chriſti fidelibus expectatur, nunquam adventurum aſſeruere. Dogma hujuſmodi inter fabulas recenſent, quibus, ut ajunt, creduli Romanæ Communionis Chriſtiani enutriuntur. Aſſerit Grotius [*l*], vel ipsum Paulum paulò poſt Jeroſolymæ everſionem putaſſe, mundum ad exitum mox perventurum; Caligulam Anti-Chriſti Præcurſorem, & Simonem Magum ipsum eſſe Anti-Chriſtum. Pontificem denique, Eccleſiæ Catholicæ conſpicuum caput, Anti-Chriſtum eſſe; Communionem Romanam eſſe Babylonem; authoritatem, quam Petri Succeſſores in Fideles obtinent, Regnum eſſe & imperium Anti-Chriſti, Authorum Proteſtantium plerique defenderunt (*m*). Quæ quidem ita a veritate abhorrent, ut vel ab eorum ſapientiſſimis improbentur, & in iis, a quibus probantur, non aliam quàm cæcæ ſimultatis ſpeciem præſeferant.

(c) *Gemar. Sanhedrin*, § 35.

(f) *Hulſius de Theolog. Jud. lib.* 2, *par.* 1, *p.* 52.

(g) *Vid. Daniel.* vii, 25; xii, 11; *Apoc.* xi, 2, 3.

(h) Chardin, Voyage de Perſe, t. 3, p. 192. *Vide & Keſſaum, & Ibn Abaſſ.*

(i) *Menaſſe Ben-Iſraël, de reſurrect. l.* 3, *c.* 5, *p.* 190.

(k) *Centuriatores Magdeburg. Ita & Beza in* 2 *Theſſal.* 11; *& Grot. in Apocal.* xiii, 18.

(l) *Grot. in* 2 *Theſſal. præfat. & in* 2 *Theſſal.* 11.

(m) *Vide Malvend. l.* 2, *c.* 1, *de Antichriſto.*

AR-

ARTICULUS II.

De Anti-Chriſti Notis.

AIT S. Hieronymus [n], *hunc eſſe morem Scripturæ ſanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis. Sicut igitur Salvator habet & Salomonem & cæteros Sanctos in typum adventûs ſui; ſic & Antichriſtum peſſimum Regem Antiochum,* [adde Neronem, Domitianum, & id genus cæteros] *qui Sanctos perſecutus eſt*. Ut igitur hujus perditiſſimi effingamus imaginem; meritò ad notas illorum confugimus, qui veluti hujus Deo infenſiſſimi hoſtis exemplaria a Sacrâ Scripturâ exhibentur [o]. *Hæc autem ſub Antiocho Epiphane in imagine præceſſerunt, ut Rex ſceleratiſſimus, qui perſecutus eſt populum Dei, præfiguraret Anti-Chriſtum . . . . unde & multi noſtrorum putant ob ſævitiæ & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Anti-Chriſtum fore.*

(n) *Hier. in Dan.* XI, 24.
(o) *Idem in Daniel.* XI.

Patres & Interpretes tam Judæi quàm Catholici de Anti-Chriſti perſecutionibus adverſùs Sanctos explicarunt ea omnia, quæ de Gog & Magog adverſùs Iſraëlitas bellis Ezechiel enunciat (p). Quò etiam ſpectat Joannes in Apocalypſi (q), cùm narrat, poſt mille annorum Regnum, Satanam e carcere egreſſum decepturum plurimos, eoſque adducturum, ut bello Sanctos inſectentur, & Urbem dilectam obſideant; ex populis ſubinde Gog & Magog, a quatuor mundi finibus coactis, innumeras inſtar arenæ maris copias inſtructurum. Quas tamen Deus flammis e cælo lapſis prorſus abſumet, & Dæmonem, qui eas coëgerit, & Pſeudo-prophetas, qui eas deceperint; in ſulphuris & ignis ſtagnum detrudet, ubi unà cum beſtiâ ſupplicio perenni torquebuntur.

(p) *Ezech.* XXXVIII, XXXIX.
(q) *Apoc.* XX, 7.

Eſto, Gog & Magog bellum adverſùs Iſraëlitas ab Ezechiele prænunciatum, per Cambyſis, ſeu Holophernis, vel Antiochi Epiphanis in Hebræos perſecutiones ad literam impletum fuerit; certò conſtat, hoc Apocalypſeos bellum potiſſimùm ad ea mala referri, quibus Anti-Chriſtus ante mundi exitum Catholicam Eccleſiam vexabit.

Ab Antiochi Epiphanis exemplari, quod a Daniele (r) accepimus, perditionis filius, cujus meminit Paulus (s), perſpicuè nobis exhibetur. *De cornu illo*, ait Propheta (t), *quod habebat oculos, & os loquens grandia. Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adverſùs Sanctos, & prævalebat eis; donec venit Antiquus dierum, & Judicium dedit Sanctis Excelſi, & tempus advênit, & regnum obtinuerunt Sancti.* Vir autem ille, qui per cornu repræſentabatur, Deum conviciis impetet, Sanctos proculcabit, ſuoque arbitrio tempora & leges mutatum iri gloriabitur, ut Propheta per viſionem intellexit. Sed tandem a ſupremo Judice ipſius potentia deſtruetur, & in æternum exterminabitur.

(r) *Daniel.* VII, 10, *&c.*
(s) 2 *Theſſal.* II.
(t) *Daniel, loco citato.*

Idem Propheta Antiochum Epiphanem ſibi rurſùs repræſentari [u] percepit per ſpeciem modici cornu, quod maximis incrementis auctum, in ipſum cœlum inſurgere, ſtellas dejicere, & conculcare vidit: *Uſque ad Principem fortitudinis* (ad Deum ipſum) *magnificatum eſt, & ab eo tulit juge Sacrificium, & dejecit locum ſanctificationis ejus. Robur autem datum eſt ei contra juge ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas, & faciet, & proſperabitur . . . . uſque ad veſperam & mane dies duo millia trecenti.* Quomodo, Antiocho Epiphane imperante, hoc vaticinium impletum fuerit, ſcimus; adhuc tamen, Eccleſiam inſectante Anti-Chriſto, iterum impletum iri non ambigimus, ut ipſe Daniel præferre videtur, cùm, poſt tot tantaque mala ab eo cornu ad populi Dei perniciem invecta, mortuos reſurrectione & fideles æternâ felicitate donandos ſcribat [x]: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Quæ quidem verba de ſolâ ad feliciorem fortunam migratione, niſi per vim torqueantur, ad literam nequeunt intelligi.

(u) *Daniel.* VIII, 9, 10, 24, 25.
(x) *Daniel.* XII, 1, 2, *&c.*

Zacharias Meſſiæ adverſarium (y) deſcribens, *Ecce*, ait, *ego ſuſcitabo Paſtorem in terrâ, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. O Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem! gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.* Is erit Anti-Chriſtus, id regnum ipſius: Regnum non modò in exteros, ſed etiam in ſuos barbarum & injuſtum.

(y) *Zach.* XI, 16, 17.

Perſpicuas Anti-Chriſti deſcriptiones & a Novo Teſtamento accepimus. Jeſus Chriſtus Impoſtores (z), qui ſe Meſſiam jactitantes in fraudem plurimos inducent, & peſtem, famem, ſeditiones, terræmotus, bella, nonniſi initium imminentium dolorum, ultimæ diei præceſſura prænunciavit. Tunc impii Juſtis dominabuntur, eoſque crudeli morte afficient; boni plures ſcandalo afficientur; in Loco Sancto abominatio deſolationis erit; tantaque ingruent mala, ut niſi dies illi propter electos minuantur, nemo

(z) *Matth.* XXIV, 4, 5, 21, 12.

nemo ſalutem ſit conſecututus. Falſi occurrent Chriſti, falſique Prophetæ, qui, ſi fieri poterit, electos etiam falſis ſignis in errorem adducent. Poſt ea omnia, Filius Hominis in ſuâ Majeſtate adveniet. Hæc Regni Anti-Chriſti tempora.

Paulus ad Theſſalonicenſes ait (*a*). *Niſi primùm revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; itaut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Nunc, addit, *quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Nam myſterium jam operatur iniquitatis. Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui eum, cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt.*

His notis deſignabitur Anti-Chriſtus, in cujus imagine ab Apoſtolo expreſsâ plures ex Antiquis (*b*) Neronem deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, ut crediderint Neronem eſſe vel Anti-Chriſtum, vel ipſius Præcurſorem; de quo etiam illud Apoſtoli (*c*) explicabant: *Jam myſterium operatur iniquitatis;* & brevì, poſt ipſum, Anti-Chriſtum adventurum arbitrabantur (*d*). *Jam enim*, ait D. Hieronymus, *myſterium operatur iniquitatis, hunc habet ſenſum: multis malis atque peccatis, quibus Nero mundum premit, Anti-Chriſti parturitur adventus, & quod ille operaturus eſt poſtea, in iſto ex parte completur.* Autumarunt alii, Neronem aliquando e mortuis reſurrecturum, & eum futurum Anti-Chriſtum, cujus ſæpiſſimè Scripturæ meminerunt [*e*].

Aſſerebant alii apud Auguſtinum [*f*], Neronem, adhuc viventem ignoto in loco, barbarjem immanitatemque ſuam in Dei famulos certâ die exercendam reſervare. Victorinus Petavienſis, Apocalypſeos Interpres celeberrimus (*g*), qui ſæculo tertio floruit, illud ejuſdem Apocalypſeos, *Vidi unum de capitibus beſtiæ quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt*, explicat de Nerone; quem eumdem eſſe putat, de quo Paulus ad Theſſalonicenſes [*h*]: *Ut qui tenet imperium, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus .... cujus eſt adventus ſecundùm operationem Satanæ.*

S. Martinus ita loquens inducitur a Severo Sulpitio, Neronem ſcilicet & Anti-Chriſtum ante mundi exitum adventuros; illum in Occidentem, ubi Idolorum cultum inſtaurabit; hunc verò in Orientem, ubi Templum & Jeroſolymam iterum excitabit, ut ibi imperii ſui ſedem conſtituat (*i*). Anti-Chriſtum prætereà enixè acturum, ut tamquam vero Meſſiæ populi ſeſe ſibi ſubmittant; & bello tandem in Neronem illato, eumdem interfecturum prænunciat. Idem Sulpitius alibi de Neronis adventu ambigens (*k*), *Dignus*, ait, *extitit, qui perſecutionem in Chriſtianos primus inciperet: neſcio an & poſtremus explebit, ſiquidem opinione multorum receptum ſit, ipſum eſſe Anti-Chriſtum venturum.*

Ipſi Ethnici, Suetonio & Tacito teſtibus, Neronem minimè occubuiſſe vulgarunt; cujus etiam nomine dicta ſæpè proferebant, quaſi certò adhuc viveret, & in maximam hoſtium perniciem eſſet reverſurus. *Modò edicta*, inquit Suetonius (*l*), *proferrent quaſi viventis, & brevì magno inimicorum malo reverſuri.* Aliquot poſt annos quidam nequiſſimus Nero ſurrexit (*m*), qui plurimis deceptis, plurimos etiam ſeditioſos ſibi adjunxit. At Calphurnius Asprenas, quem Galba Galatiæ & Pamphyliæ, ubi ſeditioſus ille plurimum profecerat, Præſidem conſtituerat, eumdem interfecit: cujus etiam caput, ut populis errorem adimeret, Romam & in Provincias juſſit deferri.

Verùm ad notas, quas de Anti-Chriſto Scriptura nobis exhibet, revertamur. Joannes in primâ ſuâ Epiſtolâ [*n*], *Qui*, ait, *negat Patrem & Filium, hic eſt Anti-Chriſtus.* Alibi etiam (*o*): *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum*, (qui nempe Jeſum, vel Meſſiam, vel Deum ſimul & hominem negat) *ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Idem Evangeliſta hæc habet (*p*) de hoc nequiſſimo viro; quem deſignat nomine *beſtiæ, quæ aſcendit de abyſſò, quæ occidit duos teſtes*, (Henoch nempe & Eliam) *quæ faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos: & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Deſcribit ſubinde hanc beſtiam [*q*], *habentem cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ. Draco* (ſeu Diabolus) *dedit illi virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, quòd omnes adoraverunt Draconem, & beſtiam, cui datum eſt os loquens magna, & blaſphemias, & poteſtas facere* (ideſt pugnare) *menſes* XLII *cum Sanctis, & vincere eos, & quòd adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram.*

Omnes hoſce locos ad literam præcisè de Anti-Chriſto intelligendos eſſe, aſſerere non audemus; plures enim dicendi modos allegoricos eſſe ſcimus. Cùm verò Anti-Chriſtus adhuc non venerit, perfectè de eodem prophetias explanare non poſſumus; quod tunc demum fiet, cùm vitam ille peregerit: ſicut de Jeſu Chriſto Prophetiarum

(a) 2 *Theſſal.* II, 3, &c.
(b) *Victorin. in Apoc. Ambroſiaſt. in 2 Theſſal.* II; *Chryſoſt. hom.* 4 *in* 2 *Theſſal. Hieron. ad Algaſ. q.* 11; *Auguſt. de Civit. l.* 20, *c.* 19.
(c) 2 *Theſſal.* II.
(d) *Vide Malvend. de Antichriſto, l.* 2, *c.* 3, *p.* 65.
(e) *Hieron. in Dan.* XI: *Multi noſtrorum putant, ob ſævitiæ & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Antichriſtum fore.*
(f) *Auguſt. de Civit. l.* 20, *c.* 19.
(g) *Vict. Petav. in Apocalyp.* XIII, 3.
(h) 2 *Theſſal.* II, 6.
(i) *Sever. Sulpi. Dialog.* 2, *de vitâ S. Martini.*
(k) *Sever. Sulpit. l.* 2 *hiſtor.*
(l) *Sueton. in Nerone, c.* 57.
(m) *Tacit. l.* 17 *&* 18 *Annal. Vide & Sueton. in Neron.*
(n) *Joan.* II, 22.
(o) 1 *Joan.* IV, 3; *&* 2 *Joan. V.* 7.
(p) *Apoc.* XI, 7.
(q) *Apoc.* XIII.

rum ſenſus nonniſi poſt ejus adventum, mortem, & reſurrectionem omnino patuit. At freti eo exemplari, quod nobis a Scripturâ exhibetur, aſſerere non ambigimus, Anti-Chriſtum fore monſtrum omni flagitiorum genere inquinatum, & ita ad ſævitiem atque impietatem educatum, ut Caligulæ, Nerones, Domitiani, & perditiſſimi cæteri, ſi cum eo conferantur, inter innoxios ſint recenſendi. illud verò majorem ingeret admirationem, quòd vir nequiſſimus ita ſanctitatem ſimulabit, ut plures Meſſiam reputaturi, alii veluti Deum adoraturi ſint. Idcirco Patres (r) hypocritam, & deceptorem omnium maximum futurum eſſe tuentur. Quare etiam illud Jobi de eo uſurpant (s): *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.*

Ut tot ac tanta, quæ Scriptura memorat, ſigna gerat, utique nonniſi Dæmonis ope præſtanda, peritiſſimus veneficus ſit oportebit (t). Patres & Interpretes de eo quoque uſurpant, quod de nimiis Antiochi Epiphanis divitiis Daniel ſcribit (u); imò illum ab Anti-Chriſto opibus ſuperandum addunt, quòd in regiones remotiſſimas ſuum protrahet imperium, ac bellis feliciſſimè geſtis, Templa & loca ſacra diripere non abſtinebit. Ope Dæmonis plurimos theſauros abditos ſcrutabitur & conſequetur, omnique tandem flagitiorum & libidinum fœce inquinabitur. Hæc omnia quibusdam Danielis nituntur verbis, quæ ad literam de Antiocho Epiphane explicantur, & Anti-Chriſto etiam accommodari poſſunt. Nil tamen certò exploratum aſſerere audemus; nimiùm enim quis periclitatur, cùm de rebus futuris, quin peculiari revelatione didicerit, ſermonem inſtituit.

(r) *Vide Hyppolit. Mart. lib. de Antichriſto; Cyril. Jeroſol. Catech. 15, Gregor. Magn. l. 31 in Job, c. 17; Damaſcen. l. 4 de Fide orthodoxâ, c. 27.*

(s) *Job*, XXXIV, 30.

(t) 2 *Theſſal.* II. *Vide Iren. l. 5, c. 28. Vide & Interpretes ad Apocal.* XI; & *Malvend. l. 6 de Antichriſto, c. 4.*

(u) *Daniel.* XI, 2.

ARTICULUS III.

De Nomine ſeu Charactere Anti-Chriſti.

JOannes in Apocalypſi hæc habet (x): *Beſtia faciet omnes puſillos & magnos, & divites*, & *pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis, & nequis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Multi hic multa. Vulgò tamen creditur hic numerus ſexcentorum ſexaginta ſex juxta valorem numeri, literas nominis Anti-Chriſti deſignare; etenim apud Hebræos, Græcos & Latinos, elementa ad numeri valorem uſurpantur. E. g. I Latinè valet 1; V, 5; X, 10, C, 100; IↃ, 500; CIↃ, 1000.

(x) *Apoc.* XIII, 17.

Primò hic quærendum, an nomen Anti-Chriſti Hebraicè, Syriacè, Græcè, Latinè, an alio ſermone ſcribendum ſit; quâ enim linguâ Anti-Chriſtus loquuturus ſit, ignoramus: præterea, nomen illud Perſonæ ſit, an Dignitatis; quod illi ab Aſſeclis ſeu ab amicis delatum erit, an quod pro criminum & cædium merito ſibi adſciſcet: denique locus iſte de ipſo Anti-Chriſto explicandus ſit, an verò in iis implendus, qui inſenſiſſimo huic Dei inimico velut exemplaria & præcurſores præivere. Hærent nonnulli, ipſum Anti-Chriſti nomen numerus iſte DCLXVI deſignet, an characterem, a Viri perditiſſimi aſſeclis in fronte præferendum. Nonnulli demum hujusmodi Anti-Chriſti characterem in ſigno quodam ſeu monogrammate, vel in quibusdam literis, aut ſententiis conſtitutum iri putant, ut apud Veteres ſervorum profugorum frontes interdum Heri obſignabant.

Tot inter varias ſententias, quidnam hac in re ſtatuamus, ambigimus: nihilominus vetuſtioribus & plerisque Scriptoribus adhærentes, vel in Anti-Chriſti, vel in alicujus ex crudeliſſimis Eccleſiæ perſecutoribus, Diocletiani videlicet, ſeu Juliani Apoſtatæ, nomine hunc numerum ſeſe nobis oblaturum arbitramur: quem quidam in aliquibus nominibus Hebraicè, Græcè, & Latinè translatis invenere. Hebraicè v. g. [y] *Elion Adonai Jehova Hakkadoſch*, nempe *Altiſſimus Dominus Deus Sanctus*; ſeu [z] *Abinu Hakkadoſch Apipi*, noſter S. Pater Papa; ſeu [a]: *Romiit*, Romana. In Hæretici Lutheri Hebraicè ſcripto nomine alii indagarunt [b]. Plurima id genus nomina ſanè poſſent inveniri. Ope-

(y) ע ל י ו ן א ד נ י י ה ו ה ה ק ד ש Elion, Adonaï, Jehova Akadoſch.
300. 4. 100. 5. 5. 6. 5. 10. 10. 50. 4. 1. 50. 6. 10. 30. 70. *Altiſſimus, Dominus, Deus Sanctus.*
Summa 666.

(z) א ב י נ ו ה ק ד ו ש א א פ י פ י Abinu Hakkedoſcha Apipi.
10. 80. 10. 80. 1. 1. 300. 6. 4. 100. 5. 6. 50. 10. 2. 1. *Pater noſter ſanctus Papa.*
Summa 666.

(a) ר ו מ י י ת Romiit.
400. 10. 10. 40. 6. 200. *Romana.*
Summa 666.

(b) ל ו ל ת ר Luter
200. 400. 30. 6. 30. *Lutherus.*
Summa 666.

Operam omninò perdimus, ſi neceſſariò incertum, quod vel per ſolam revelationem, vel per ejus eventum tantummodò ſciri poteſt, divinare velimus. Præterquàm quòd Hebraici ſermonis Periti, Hebraicis elementis numericum valorem ætate Joannis Evangeliſtæ nondum accommodatum fuiſſe putant *(c)*: quem morem tunc addunt invaluiſſe, cùm myſteria literis invicem collaris Cabaliſtæ quærere cœperunt. Cujus quidem inventionis apud veterem Bibliorum textum nulla mentio, ubi numeri nunquam per numericas literas, ſed per ipſa numeros exprimentia verba ſemper referebantur.

Plura quidem, ſed ejuſdem ambiguitatis, quæ Anti-Chriſto tribuunt, nomina a Græcis exhibentur. Tria ab Irenæo recenſentur [*d*]: *Evanthas*, Floridus; *Lateinos*, Latinus; & *Teitan*, Titan, Gigas; quorum nominum literæ, ſi numericum earumdem valorem ſuppuremus, ſummam DCLXVI implent. Primaſius & falſus Hippolytus afferunt *Arnoume* (*e*), recuſo. Alius exhibet [*f*], *Lampetis*, fulgens; ſeu (*g*) *Niketes*, Victor; ſeu *Kakos odegos* (*h*), malus Dux; ſeu *Aletbes blaberos*, vere noxius; ſeu *Palæ baſcanos*, olim invidus; ſeu *Amnos adikos*, Agnus injuſtus. Tichonius, ac deinde Primaſius, proferunt *Antemnos*, quæ vox propriè nihil ſignificat. Alii, puta Clictovæus, Genebrardus, Hentenius, in nomine *Mahomedis*, Græcè ſcripto, numerum DCLXVI invenere; alii in Genſerico, *Genſericos*, Vandalorum in Africâ Rege. Grotius demum in *Oulpios*, quo nomine Trajanus appellatus eſt (*i*). Studium utique inane, & inutiles notæ, quas hîc tantùm recenſuiſſe nos fortè pœniteat.

Numerus DCLXVI apud Latinos in variis nominibus occurrit. Haimo, Anſelmus Laudunenſis, Rupertus, & alii legunt: *Dic*, *Lux*: quaſi Anti-Chriſtus de ſe ſit dicturus: *Ego ſum lux*. Boſſuetus Meldenſis Epiſcopus, hiſtoricè Apocalypſim explicans, Diocletiano accommodat, quod nos Anti-Chriſto, legitque: *Diocles Auguſtus* [*k*]. Diocletianum, antequam imperaret, *Dioclem* vocatum conſtat. Legit De la Chetardie (*l*): **C. F. *Julianus Cæſar Atheus***, ſeu Anti-Chriſtus. Breviùs etiam [*m*] **C. F. *Julianus Cæſar Aug.*** ut hujus Imperatoris nomen in nummis & inſcriptionibus legebatur. Hæc omnia nomina juxta valorem, quem Latinis literis tribuunt, ſummam DCLXVI adimplent. At Joannem, qui Græcè ſcripſit, Latinis elementis alluſiſſe, noſque eâ de re monitos non voluiſſe, credemus?

Qui Beſtiæ, ſeu Anti-Chriſti Characterem ejus nomen non fore putant (*n*), ſed ſymbolum ſeu notam quamdam, qua ejus aſſeclæ obſignabuntur, adhuc inter ſe ipſi non conveniunt; alii enim in verbo quodam, v. g. Creatori renuncio, recuſo baptiſma; vel in ſigno, Cruci a Chriſtifidelibus ab Eccleſiæ exordio hucuſque adhibitæ oppoſito, illud conſtituunt. Alii verò Anti-Chriſtum inſignia gentilitia, ſeu ſpecioſum aliquod ſignum inventurum putant, quibus ſuum cælabit annulum, vexilla ornabit, milites diſtinguet, vel ſuorum omnium frontes obſignabit, veluti Chriſtiani Imperatores ſuum *Labarum* monogrammate *Chriſti* decoraturi, XP initiales nempe nominis Chriſti Græcè ſcripti literas, intexebant.

Quæ

(c) *Mercer. & Bertram. theſaur. radic. Malvenda, l. 8, c. 37, p. 433, de Anti-Chriſto.*
(d) *Iren. lib. 5, c. 3:* Ε Υ Α Ν Θ Α Σ Evanthas.
5. 400. 1. 50. 9. 1. 200. *Floridus*,
Summa 666.
Λ Α Τ Ε Ι Ν Ο Σ. *Latinus*.
30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200.
Summa 666.
Τ Ε Ι Τ Α Ν. *Titan*.
300. 5. 10. 300. 1. 50. Gigas.
Summa 666.
(e) Α Ρ Ν Ο Υ Μ Ε. *Arnoume*.
1. 100. 50. 70. 400. 40. 5. Recuſo.
Summa 666.
(f) Λ Α Μ Π Ε Τ Ι Σ. *Lampetis*.
30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200. Fulgens.
Summa 666.
(g) Ο Ν Ι Κ Η Τ Η Σ. Ο *Niketes*.
70. 50. 10. 20. 8. 300. 8. 200. Victor.
Summa 666.
(h) Κ Α Κ Ο Σ Ο Δ Η Γ Ο Σ. *Kakos Odegos*.
20. 1. 20. 70. 200. 70. 4. 8. 3. 70. 200. Malus Dux.
Summa 666.
(i) Ο Υ Λ Π Ι Ο Σ. *Ulpius*.
70. 400. 30. 80. 10. 70. 6.
Summa 666.
(k) *DIOCLES AUGUSTUS. DCLXVI.*
(l) C. F. *JULIANUS CÆSAR ATHEUS. DCLXVI.*
(m) C. F. JULIANUS CÆS. *AUG.* IƆCLVVVI.
(n) *Vide, ſi lubet, Malvend. l. 8, c. 18, de Anti-Chriſto, pag. 438, & ſeq.*

Quæ omnia planè ſatis incerta: quomodo enim numerus DCLXVI, quo præcipua loci hujus difficultas nititur, ibi futurus ſit, minimè Authores oſtendunt. Cum Irenæo (*o*) igitur concludamus, ſatius eſſe tot prædictionum exitum opperiri, quàm in ambiguis nominum, de quibus niſi poſt eventum nunquam conſtabit, conjecturis tempus inſumere; licèt enim ſeliciter divinaremus, minimè tamen illud aſſequeremur, ut conjecturam noſtram pro certâ, præter revelationem, venditaremus. Quælibet autem notitia, quæ neque nos neque cæteros certos conſtituat, vera utique cognitio non eſt reputanda. Eâ ſcientiâ potior ſæpe inſcitia eſt; hæc enim arrogantiam removet, illam verò, licèt ambiguam atque incertam, ſæpe ſuperbia comitatur.

ARTICULUS IV.

Tempus venturi Anti-Chriſti.

IPſâ Pauli ætate impoſtores erant, qui ad Fidelium terrorem diem Domini jamjam adventurum prædicabant (*p*). *Rogamus vos, Fratres*, ait Apoſtolus ad Theſſalonicenſes, *per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, ut non citò moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nequis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, &c.* Joannes ad Diſcipulos ita ſcribit (*q*): *Filioli, noviſſima hora eſt, &, ſicut audiſtis, quia Anti-Chriſtus venit, & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt; unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Alibi etiam [*r*]: *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Hinc videre eſt, quo pacto priores Eccleſiæ Fideles & Chriſti & Anti-Chriſti adventum proximè opperirentur.

Viennenſis & Lugdunenſis in Galliis Eccleſiæ ſævitiam, qua Marcus Aurelius ſæculo ſecundo Eccleſiam inſectabatur, ingementes, ad Aſiæ Fideles dederunt [*s*] Epiſtolas, quibus Dæmonem in Sanctos perſecutionem jam inſtituiſſe, & ſuas vires & malitiam, quibus quamprimùm in Fideles omnes irrupturus erat, quodammodo experiri, ferebant. Nos belli, quod citiſſimè nobis eſt illaturus, jam veluti præludia conſpicimus.

Judas Syrus [*t*], qui ſub Severo Imperatore florens ſcripſit in Danielem, hujus Principis adversùs Fideles tyrannidem videns, Anti-Chriſtum jam prope venturum aſſeruit; quem & Tertullianus ejuſdem ſæculi Author jam proximum teſtabatur (*u*): *Anti-Chriſto jam inſtante, & in ſanguinem, non in pecunias hiante.* S. Cyprianus, qui Gallo & Voluſiano imperantibus degebat in vivis, Fideles ad perſecutiones conſtanti animo perferendas hortatus eſt, eoſque monuit, ut, quoniam Mundi exitus & Anti-Chriſtus imminebant, de ſolâ æternitate cogitarent [*x*]: *Scire debetis, & pro certo tenere, occaſum ſæculi, atque Anti-Chriſti tempus appropinquaſſe, ut parati omnes ad prælium ſtemus, nec quidquam niſi gloriam vitæ æternæ, & coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus.*

Arianiſmo latè graſſante, *Neceſſe eſt*, inquit Hilarius, *in ipſam nos ætatem Anti-Chriſti incidiſſe* (*y*). Eidem ferè opinioni Baſilius Magnus (*z*) & Ambroſius (*a*) ſubſcripſere, quamvis ſuam ſententiam ambiguè proferant. S. Hieronymus (*b*), tam multis, quibus Romanum Imperium ſuâ ætate affectum erat, calamitatibus commotus, Anti-Chriſtum, virum illum perditiſſimum, ab Jeſu Chriſto ſpiritu oris interficiendum, citò venturum ſcripſit. S. Martinus apud Sulpitium Severum (*c*), Anti-Chriſtum tunc temporis jam natum aſſeruit, qui ſtatim ac adoleviſſet, ſeſe noſcendum exhiberet, & imperium occuparet. S. Chryſoſtomus bella, calamitates, terræmotus, charitatis remiſſionem, Mundi quàm primùm deſituri præludia credebat (*d*); & orbem veluti morientem doloribus obrutum, ac terrore, morte imminente, confectum appellabat.

S. Gregorius Magnus non longè eſſe mundi interitum pluribus in locis aſſeruit. Omnia nobis, ajebat, peſtes, bella, terræmotus, gentium ſeditiones, populorum calamitates extremam diem jam propè venturam portendunt. Quamvis verò mundus a nobis diſcedat, diſcedentem pro viribus ſequimur, quaſi vel ille vel nos perpetuò maneamus [*e*]. Bernardus [*f*], inter Eccleſiæ Patres recentiſſimus, ex tot, quæ ingruebant, flagitiis mundi exitum in limine eſſe colligebat. Veterum traditio de mundi fine poſt mille annos a Chriſti nativitate futuro, circa decimum ſæculum ad

(o) *Iren. l. 5, c. 30:* Ἀσφαλέστερον οὖν, καὶ ἀκινδυνότερον τὸ περιμένειν τὴν ἔκβασιν τῆς προφητείας ἢ τὸ καταστοχάζεσθαι, καὶ καταμαντεύεσθαι τοῦ ὀνόματος.

(p) *2 Theſſal. II, 1.*

(q) *1 Joan. II, 18.*

(r) *1 Joan. IV, 3.*

(s) *Apud Euſeb. l. 5 Hiſtor. Eccleſ. c. 1:* Παντὶ γὰρ σθένει ἐνέσκηψεν ὁ ἀντικείμενος, προοιμιαζόμενος ἤδη τὴν ἀδεῶς μέλλουσαν ἔσεσθαι παρουσίαν αὐτοῦ.

(t) *Judas Syrus apud Euſeb. l. 6 Eccleſ. Hiſtor. c. 6.*

(u) *Tertul. de fugâ in perſecutione, c. 2.*

(x) *Cyprian. Epiſt. 66 ad Tibaritanos. Vide & ad Fortunatum, Ep. 53: Et in fine, atque conſummatione Mundi Anti-chriſti tempus infeſtum appropinquare nunc cœpit, &c.*

(y) *Hilar. contr. Auxentium, n. 5, p. 1265.*

(z) *Baſil. Epiſt. 71.*

(a) *Ambroſ. l. 10 in Luc. c. 3, & Orat. de obitu Fratris ſui Satyri: Raptus eſt, ne totius orbis excidia, mundi finem videret.*

(b) *Hieronym. ad Ageruchiam.*

(c) *Sulpit. Dialog. 1: Non eſſe autem dubium, quin Antichriſtus malo Spiritu conceptus eſſet, etiam in annis puerilibus conſtitutus, ætate legitimâ ſumpturus imperium.*

(d) *Chryſoſt. hom. 33 in Jo. circa finem.*

(e) *Gregor. Magn. l. 4, ep. 34; & ep. 38; & hom. 1 in Evangel.*

(f) *Bernard. in Pſal. XC, ſerm. 6.*

loca ſancta & Monaſteria erigenda plurimos compulit, ut facultatibus ante diem ultimum dimiſſis, rebus hiſce ſoluti coram ſupremo Judice ſiſterentur.

Paſchalis II [g] anno MCV Concilium Florentinum coëgit ex quadraginta ſupra trecentos Epiſcopis, ubi Fluentium Florentiæ Epiſcopum damnavit, quòd Anti-Chriſtum jam natum protuliſſet. Abbas Joachim duodecimo ſæculo Anti-Chriſtum poſt annos LX venturum credidit. Arnaldus de Villanovâ venturum ſtatuit anno 1326; Petrus Alliacenſis Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis, ex ſuis Aſtronomicis meditationibus anno 1789 proditurum definivit; Cardinalis Cuſanus, 1700, ſeu 1734; Joannes Picus Mirandulanus, 1994; Franciſcus Meletius, 1530, ſeu 1540; Joannes Pariſienſis, 1560; Hieronymus Cardanus, 1800; nonnulli denique Germaniæ Fanatici, anno 1533 Anti-Chriſtum adventurum ſcripſere. S. Vincentius Ferrerius ſæculo decimoquinto ſcripſit ad Benedictum XIII, quem genuinum Pontificem [h] cenſebat, Anti-Chriſtum in limine eſſe, cujus ortum jam inde a novem annis ipſe a pio quodam Heremitâ didiciſſet; idque plurimorum, qui idem per auditum acceperant, & complurium Dæmonum, qui inter energumenorum adjurationes id fateri coacti fuerant, teſtimonio confirmat.

(g) *Vide Hieronym. Vielm. lectione 6 de ſex diebus conditi orbis; & Malvend. de Anti-Chriſto, l. 1, c. 37, & 38.*

(h) *Dies 27 Julii Epiſtola appoſitus eſt, ann. 1412.*

Has ferè omnes prædictiones falſas ex eventu deprehendimus; cæteras verò non ſolidiori nixas fundamento, meritò judicamus. Hinc eſt, quòd Concilium Lateranenſe ultimum Concionatoribus omnibus etiam futuris, ne Anti-Chriſti adventum, ſeu Mundi exitum in poſterum ſtatuerent, interdixit [i]: quod utique præſtari ab iisdem non poſſet, quin & in temeritatis notam inciderent, & Scripturæ adverſarentur, ex qua hæc accepimus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate* (k).

Iniquitatis myſterium ſuâ ætate jam cœpiſſe perfici, Paulus aſſeruit (l); noſque ibi Neronem, quòd ſuum imperium ſceleribus cumularit, ab Apoſtolo deſignari, ex Veterum plurimis [m] jam ſatis intelligimus. Theſſalonicenſibus addit Apoſtolus, Anti-Chriſtum tunc temporis nondum veniſſe, quòd *diſceſſionem* ſeu *apoſtaſiam primùm venire* oporteret. Per quæ verba populorum adversùs Romanum Imperium ſeditionem, & Imperii ejusdem everſionem præferri quidam ferunt; quidam verò, Fidelium ſchiſma, hæreſes, & ab Eccleſiâ Matre defectionem indicari aſſerunt. Teſte demum ipſo Chriſto, Evangelium in omnes omnino regiones inferri priùs oportet [n]: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus; & tunc veniet conſummatio.*

(i) *Concil. Lateran. c. 11: Superna Majeſtatis, &c.*
(k) *Act. 1, 7.*
(l) *2 Theſſal. II, 3, &c.*
(m) *Hieronym. in Dan. XI; Aug. l. 20 de Civit. c. 19; Viſtorin. in Apoc. XIII; alii.*
(n) *Matth. XXIV, 14.*

Tres hi loci, *Myſterium jam operatur iniquitatis*; *Diſceſſio* ſeu Apoſtaſia *primùm venerit, oportet*: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe .... & tunc veniet conſummatio*, quid ſignificent, Patres atque Interpretes non conveniunt. Plures enim primum de Neronis Imperio; ſecundum de Judæorum in Romanos defectione; denique de Templo, & Urbe Jeroſolymitanâ a Romanis everſâ ultimum explicant. Omnes tamen his verbis ea, quæ Anti-Chriſti adventui præitura ſunt alio ſenſu deſignari poſſe conſentiunt; cui quidem ſententiæ plerique Veterum & Recentiorum ſubſcribunt.

Antequam igitur homo peccati ſe exhibeat, per hæreſes & morum corruptionem iniquitatis myſterium perficiatur, & penitus impleatur, oportet: hinc Servator ajebat (o): *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terrâ?* Præterea Romanum Imperium per Regnorum & Provinciarum ſeceſſionem, & populorum ſibi obtemperantium ſeditiones, neceſſe eſt evertatur; & in regionibus omnibus Evangelium prædicetur, ut omnes veritatis lumine perfundi poſſint, & nemo, quòd Fidei non adhæſerit, excuſationem ferat.

(o) *Luc. XVIII, 8.*

Plura ex his, quæ attulimus, exitu jam probata perſpicimus: Charitatem videlicet infirmatam, & in Fidelium plerisque jam prope extinctam; Fidem & Veritatem ab innumeris hæreſibus oppugnatam; concordiam per ſchiſmata ſciſſam; Regna & Provincias ab Eccleſiâ Catholicâ penitus ſejunctas; dogmata enervata; pietatem interitui proximam; errores, flagitia, morum denique omnium ferè ubique graſſantem corruptionem. Quæ omnia myſterium iniquitatis in Eccleſiâ impleri utique oſtendunt. An verò illud eò perveniſſe, quò Chriſtus denunciat, & quò Paulus perventurum prædixit, temerè aſſeramus? Apoſtoli ætate impleri quidem cœperat; at quando implendum omninò ſit, quis nobis aperuit? Chriſti adhuc Eccleſia plurimos numerat, qui conſtanti Fide & fervidâ Charitate inſtructi, ad ſæculi flagitia non defluxere, plurimos adhuc Homines Dei recenſet, qui coram Baal minime procubuere. Si hæreſis, ſchiſma, & Mahomedis nequitia Fideles innumeros ab Eccleſiâ extorſerunt, divinitus actum eſt, ut, Americâ detectâ, innumeri pariter earum regionum incolæ ad Fidem accederent. Hæreſes præterea ad ſcientiam Eccleſiaſticam inſtaurandam, ad Paſtorum fervorem excitandum, & Fidelium pietatem augendam contulerunt. Hinc de proximo Anti-Chriſti adventu nil jure concluditur.

Licèt

Licèt autem Romanum Imperium, quòd Provinciæ, Regna, & populi innumeri ab eo deficientes, ejus quoque jugum excuſſerint, valdè infirmatum videatur; nihilominus everſum penitùs non eſt. Exiſtit adhuc in Germanico Imperio, cujus Imperatores veterum Cæſarum legitimi ſucceſſores ſunt. An hujusmodi Imperium omninò ante Anti Chriſtum delendum ſit, quodve temporis intervallum inter hujus adventum & illius everſionem neceſſe eſt intercedat, nobis Deus non aperuit. Si non omninò evertendum, ſed tantùm ſit infirmandum, quò perventura eſt ea infirmitas, ut inde proximum Anti-Chriſtum eruamus? De his omnibus neque revelatione, neque traditione quidquam accepimus, quod certam notitiam afferat, & noſtram ambiguitatem tollat.

Quamvis denique in omnes, quarum apud nos cognitio, regiones Evangelium fortè delatum ſit, nullum prorſus populum adbuc nos latere, quis aſſerat? Sunt qui ultra meridionalem Oceanum regionem adhuc latè detegendam aſſerant. Eſto tamen, nulla regio notitiam noſtram effugerit, quis Fidei Præcones in omnes penitus Aſiæ & Africæ oras ſe contuliſſe affirmet? Plurima eſſe remotiſſima loca, quò peregrini nunquam pervenere, & a noſtris Geographis ignorantur, omnes conveniunt. His ne igitur Evangelii Præcones Fidem nunciaverint? Scimus ne præterea, ad quem usque modum Deus populis nunciari, cognoſci, & Evangelium exerceri decreverit? An ſufficiet, plurimos audire, quin excipiant, vel a multis rejectum ab aliis excipi ac ſervari certo quodam tempore, itaut ſinguli, quos Deus beatitudini deſtinavit, æternam conſequantur felicitatem? Quamvis igitur Scriptura Anti-Chriſti præſagia nos doceat, quo tamen tempore venturus ſit, penitus ignoramus: quare non modò ejus adventûs annum, ſed neque ſæculum ſtatuere audemus.

ARTICULUS V.

De origine, Ortu, & Educatione Anti-Chriſti.

EX Judæorum genere Anti-Chriſtum egreſſurum, Patres omnes & Interpretes conveniunt. Author ſub S. Hippolyti nomine vulgatus, ſicut, inquit (*p*), Chriſtus ab Judæis, ita ab iiſdem Anti-Chriſtus prodibit. Hilario Diacono teſte (*q*), circumcidetur, & inter Judæos orietur, ut populus iſte illum ſequatur, eique ſe ſuasque res omnino committat. S. Hieronymus illud Danielis explicans, *Aſcendet in modico populo*, Anti-Chriſtum ab Judæis oriturum fert (*r*): *Conſurgere debet Anti-Chriſtus de modicâ gente, ideſt de populo Judæorum.* Quamvis autem, ſubdit, Judæorum nemo toti unquam orbi imperaverit, Anti-Chriſtus omnibus regionibus imperabit: *Nullus Judæorum, absque Anti-Chriſto, in toto unquam orbe regnavit* (*s*).

Uno conſenſu & Patres & cæteri, Anti-Chriſti parentes ex Tribu Dan futuros arbitrantur; quo ſenſu accipiunt illud Jeremiæ (*t*): *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus; a voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra; & venerunt, & devoraverunt terram & plenitudinem ejus, Urbem & habitatores ejus.* Illud Jacobi pariter explicant (*u*): *Dan judicabit populum ſuum, ſicut & alia Tribus in Iſraël. Fiat Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemitâ, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* Putant denique, Joannem Evangeliſtam (*x*), cùm Tribus Iſraël recenſeret, Tribum Dan idcirco omiſiſſe, quòd ex illâ Anti-Chriſtum egreſſurum agnoſceret.

Hi equidem Textus, hæc argumenta neque perſpicua ſunt, neque convincunt; & ſine Patrum conſenſu, ad Anti-Chriſtum credi nequeunt pertinere. Licèt autem ea ſententia tot aſſeclas numeret; nihilominus Bellarminus (*y*) nonniſi probabilem, & eorum Textuum allegoricam explanationem habendam cenſet. S. Irenæus (*z*), Pſeudo-Hippolytus (*a*), S. Ambroſius (*b*), S. Auguſtinus (*c*), Theodoretus (*d*), S. Gregorius Magnus [*e*], Author Tractatûs de Anti-Chriſto, qui inter Auguſtini opera occurrit, & S. Proſper [*f*], Anti-Chriſtum ex Tribu Dan oriturum defendunt. Cretas verò, Beda, Primaſius, Rupertus, Haimo, aliique non pauci Apocalypſeos Interpretes, Joannem Tribum Dan præteriiſſe ferunt, quòd ex eâ Tribu Anti-Chriſtus ſit egreſſurus [*g*].

Ad hujus opinionis confirmationem ajunt, Tribum Dan trans Euphratem vel Babylone, vel in Babyloniâ adhuc exiſtere, ibique Anti-Chriſtum oriturum, & Imperium auſpicaturum. Cui ſententiæ, addit Hieronymus, [*b*] unanimis Patrum & Interpretum Catholicorum conſenſus favet: *Noſtri interpretantur hæc omnia de Anti-Chriſto, qui naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus.* Quare qui poſt Hieronymum ſcripſere, eidem opinioni ſubſcribunt. Cretas etiam, cujus eſt apud nos Commentarium Græcum in Apocalypſim (*i*), Anti-Chriſtum a regione trans Eu-

(p) *Pſeudo-Hippolyt. de conſummat. mundi.*

(q) *Ambroſiaſt. in 2 Theſſal. ii.*

(r) *Hieron. in Daniel. xi.*

(s) *Hieronym. ibidem.*

(t) *Jerem. viii, 16.*

(u) *Geneſ. xlix, 16.*

(x) *Apoc. vii, 5. &c.*

(y) *Bellarm. l. 3, c. 12, de Summo Pontifice. Vide & Suarez, tom. 2, diſput. 54. ſect. 2.*

(z) *Iren. l. 5 adverſ. hæreſ. c. 38: Hieremias Tribum, ex qua veniet, manifeſtavit, dicens: De Dan audivimus vocem velocitatis equorum ejus, &c.*

(a) *Pſeudo Hippol. orat. de conſumm mundi: Ille certè (Antichriſtus) naſciturus eſt ex Tribu Dan.*

(b) *Ambroſ. l. de Benedict. Patriarch. c. 7; & in Pſal. xl.*

(c) *Auguſt. q. 22 in Joſue: Talia dixit de iſto Dan, ut de ipsâ Tribu exiſtimetur exſurrecturus Anti-Chriſtus.*

(d) *Theodoret. qu. 109 in Geneſ.*

(e) *Gregor. Magn. l. 31 in Job, c. 18. Nonnulli enim de Tribu Dan venire Anti-Chriſtum ferunt, &c.*

(f) *Proſper, de promiſſion. p. 4.*

(g) *Vide Malvend. l. 2, c. 11, & ſeq. de Antichriſto, ubi citat Eucher. in Geneſ. xlix; Alcuin. qu. in Geneſ. Raban. Opuſcul. de Anti Chriſto; alias plurimos.*

(b) *Hieronym. in Dan. xi.*

(i) *Aretas in Apoc. ix.*

phratem venturum aſſerit. Cùm verò Babylon ad nihilum fermè redacta ſit, & mille ampliùs ab hinc annis adeò ſuis ipſius obruta ruinis, ut, ubi quondam condita fuerit, ne veſtigium quidem exhibeat, qui Babylone Anti-Chriſtum oriturum volunt, vel eam urbem rurſus ædificandam arbitrentur, vel myſtico & allegorico ſenſu Babylonem accipiant, oportet. Lactantius Anti-Chriſtum e Syriâ ducit: *Orietur ex Syriâ, malo Spiritu genitus, everſor ac perditor generis humani.*

De Anti-Chriſti patre inter Scriptores non convenit. Dæmonem ex perditiſſimâ fœminâ (k) Anti-Chriſti parentem fore quidam ſcripſere. Neque ea opinio nobis admirationem ingerat; Veterum enim plurimi (l) a Dæmone poſſe fœminas gravidari, imò & plures gravidatas ſentiebant, De Angelis filiarum hominum amore captis, & de Gigantibus ante diluvium ex eorumdem concubitu genitis, nonnulli Patres quid ſcripſerint, ſcimus. Authores ex veteribus & ex recentioribus innumeri, incuborum & ſuccuborum, maribus & fœminis noctu illudentium, Dæmonum meminere. Neque præſtantiſſimi deſunt Scriptores, qui fœminas implendi virtutem Dæmoni tribuant, non quòd per ſe ipſum id præſtet, ſed per ſemen ab aliquo homine ereptum, & in fœminam callidè infuſum.

Philoſophorum argumentis hanc opinionem facilè refelleremus, ſi hæc id expoſceret Diſſertatio. Quin verò ad Phyſicen confugiamus, hæc utique ſententia Servatoris noſtri ex Matre Virgine orti prodigium evertit, & vehementer infirmat. Si enim Dæmonis ope, præter miraculum, quin viro hæreat, mulier gravida fieri poteſt, cur & Angeli induſtriâ id præſtari non valeat? Si verò Angelus & Dæmon eâ in re virtutem ſuam exerceant, ruit protinus argumentum, quo Jeſum Chriſtum, quòd ex Virgine ortum duxerit, Meſſiam & Deum probamus. Hoc autem miraculum ita omnium vires exhaurit, ut, Auguſtino teſte (m), neque a Dæmone, neque a cæterorum quolibet præſtari valeat. Conſtat itaque, a Dæmone arte eâ, quæ præfertur, nullum hominem procreari poſſe, ac propterea neque Anti-Chriſtum ex matre, quæ viri conſuetudine uſa non fuerit, proditurum.

Putant alii, Anti-Chriſtum non hominem fore, ſed Dæmonem humanâ carne indutum: *Unus de hominibus, in quo Satanas habitaturus ſit corporaliter* (n); alii verò & Dæmonem ſimul & hominem fore; verè humanâ naturâ ex animâ & corpore præditum, & verè etiam Dæmonem, quòd Satanas, veluti anima corpus, eum quodammodo animaturus ſit. Porrò, ait Hilarius Diaconus (o), ſicut Jeſus Chriſtus in aſſumptâ humanitate Divinitatis ſuæ majeſtatem editis prodigiis oſtendit; ita Dæmon in Anti-Chriſto falſis ſignis Deum eſſe illum demonſtrare conabitur. Quin & virgine matre, non ſecus ac Chriſtus, juxta falſi Hippolyti opinionem, ſe natum Diabolus oſtentabit, quamquam Chriſtus veram, ille verò phantaſticam carnem ſit ſuſcepturus (p).

Opiniones has Philonis (q), Origenis (r), Tertulliani (s), Rabbinorum (t), aliorumque, Dæmones videlicet & Angelos naturam poſſe humanam aſſumere, ſi refellere velimus, plus nimio Diſſertatio erit producenda. His itaque prætermiſſis, ea præferenda eſt ſententia, quam probat Eccleſia, & Chryſoſtomus (u), Theodoretus, Theophylactus, Rabanus Maurus (x), & vulgò omnes docent, Anti-Chriſtum nempe verum fore hominem, qui Dæmoni, ut in Fideles omne crudelitatis ac malitiæ genus exerceat, omninò obſecundabit. Porrò ſicut Jeſus Chriſtus nobis ſalutem allaturus, naturam humanam noſtraſque infirmitates aſſumpſit; ita Satanas eum inter homines ſecernet, quem, ut homines decipiat, ſibique Meſſiæ nomen vindicet, ſuæ malitiæ maximè accommodum judicabit.

Qui docent, Anti-Chriſti matrem omnium fœminarum libidinoſiſſimam fore (y), ſeu illum oriturum ex inceſtu patris cum filiâ, vel filii cum matre, vel fratris cum ſorore, vel demum ex matre voto ac ſacramento virginitati obſtrictâ, ipſi ſibi conſtare non poſſunt. Si ex matre perditiſſimâ & famæ jam deploratæ ortum ducturus eſt Anti-Chriſtus, quomodo ſeſe Virgine ſatum jactabit, ut Meſſias valeat reputari? Quomodo etiam ex Judæis Parentibus generandus, ſi matrem religioſâ profeſſione Deo mancipatam eſt habiturus, cùm Judæi virginitatem profiteri minimè ſoleant?

Sunt qui affirment (z), illam ſub ementitâ ſolitudine, pietatis ac puritatis ſpecie corruptiſſimos mores ita Dæmonis ope occultaturam, ut ipſi ejus cognati & familiares nil tale de eâ cogitent. Addunt præterea, ex iis incognitis viris, qui ſecretò ad eam accedent, quibus ſui copiam faciet, hominem peccati, quin ejus patrem agnoſcat, concepturam; & filium illum maledictionis fructum formandum, poſſidendum, & a Dæmone gubernandum, divino miraculo de ſe adhuc virgine genitum promulgaturam. At quibus fraudibus & mendaciis ſuo teſtimonio fidem acquiret?

Si

(k) *Lactant. l. 16, c. 17: Alter Rex orietur ex Syriâ, malo ſpiritu genitus. Sulpit. Dialogo 2 de S. Martino. Hieronym. in Iſa. xvi: Conſummato Anti-Chriſto, & parente ejus Diabolo. Beda in Apoc. xiii; Author lib. de Antichriſto, inter opera S. Auguſtini.*

(l) *Vide Bellarm. l. 3 de Romano Pontif. c. 12; Malvend. de Anti-Chriſto, l. 2, c. 8; Valleſ. de Sacrâ Philoſoph. c. 8.*

(m) *Auguſt. Ep. olim 3, nunc 137, c. 4, n. 13.*

(n) *Hieronym. in Daniel. vii. Ita & Beda in Apoc. xiii.*

(o) *Ambroſiaſt. in 2 Theſſal. ii.*

(p) *Hippolyt. de Conſummat. mundi.*

(q) *Philo, de Gigantib. p. 286, &c.*

(r) *Origen. tom. 2 in Joan. Vide & Hier. in Agg. i.*

(s) *Tertull. l. 3 cont. Marcion. c. 9: & de carne Chriſti, c. 3.*

(t) *Vide Lyran. in Joſue, ii, 4, &c.*

(u) *Chryſoſt. in 2 Theſſal. ii; Theophyl. ibid. Theodoret.* Ἄνθρωπον δὲ αὐτὸν ἁμαρτίας προσηγόρευσεν, ἐπειδὴ ἄνθρωπός ἐστι, τὴν φύσιν, πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ τοῦ Διαβόλου δεξάμενος τὴν ἐνέργειαν . . . Καὶ ὥσπερ ὁ Χριστὸς ἀνθρωπείαν φύσιν ἀναλαβὼν τὴν ἡμετέραν ἐπραγματεύσατο σωτηρίαν, οὕτως ἐκεῖνος ἄνθρωπον ἐκλεξάμενος πᾶσαν αὐτοῦ δέξασθαι δυνάμενον τὴν ἐνέργειαν, δι᾽ αὐτοῦ πάντας ἐξαπατῆσαι τοὺς ἀνθρώπους πειράσεται.

(x) *Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto.*

(y) *Vide Pſeudo-Hippol. Orat. de conſumm. mundi; Ephrem Syr. ſerm. de Anti-Chriſto; Damaſcen. l. 4 de Fide, c. 27.*

(z) *S. Hildegardis, ex Chriſti revelatione.*

Si Matris Jeſu Chriſti virginitas infirmis adeò argumentis innixa fuiſſet, eorum, qui Servatori crediderunt, Judæorum fidem ſibi ne comparaſſet?

Rabanus Maurus (*a*) ex parentibus conſuetis Anti-Chriſtum oriturum, in peccato & per peccatum concipiendum, & veluti ex peccatis compingendum putat; in peccatis præterea verſaturum, ut ejus horoſcopus, quo peccari homo prædicitur, impleatur. Dæmoni permittet Deus, ut a conceptione Anti-Chriſto potitus, illum ad extremum usque ſpiritum non relinquat. Ut enim Spiritus Sanctus in Virginem puriſſimam infuſus, donis ſuis eam cumulavit, & in ipſius utero vitæ & ſanctitatis germen effinxit, ut fructus, quem peperit, Sanctitas ipſa & eſſet & diceretur; ita, ſimilitudine ſervatâ, nequiſſimus Spiritus Anti-Chriſti parentem implebit, ut filius, quem paritura eſt, maledictionis fructus, & filius perditionis habeatur.

(a) *Opuſc. de Anti-Chriſt.*

E variis hiſce de origine & ortu Anti-Chriſti conjecturis certi nihil hauriri poſſe fatemur. Neque certius quidquam de ejus educatione invenimus. Quid tamen de hominis in peccato concepti, per Dæmonem, ut ſibi in flagitiis omnibus peragendis obſecundet, formati, & peſſimâ tam corporis quàm animi habitudine affecti, educatione cogitemus? Satanas, a quo potiſſimùm ad prava quælibet inſtituendus eſt, nihil ſanè præteribit, ut alumnum ſe dignum, & ad ſua perditiſſima conſilia compoſitum conſtituat; is verò diſcipulus nequiſſimæ diſciplinæ maximè capax, nil intentatum omittet, ut tanti præceptoris documenta omnia exequatur. Peſſimas animi habitudines, & propenſiones nequiſſimas vel a teneris annis ita exhibiturum cenſent, ut, qui ſit in poſterum evaſurus, eumque præcipuum eſſe Dæmonis alumnum & filium, nullo negotio percipi queat (*b*).

(b) *Vide Malvend. l. 2. c. 19. & ſeq. de Anti-Chriſto.*

Verumtamen ſi Anti-Chriſtum vel a puerilibus annis ita perditum conſtituamus, quomodo id conſtabit, quod alibi diximus, & Patres aſſerunt, hominem nempe peccati maximum hypocritam evaſurum, ac ſpecie pietatis, & ſimulato ſcelerum & idololatriæ odio Fideles potiſſimùm decepturum? Illud ſanè hypocriſi faciliùs conſequetur, ut & veluti Meſſias habeatur, & veluti Deus adoretur. Dæmonis per hunc iniquitatis filium tot malis mundum obruere cogitantis intereſt, ut is Lucis filium, & Sanctitatis germen hominibus ſeſe exhibeat: quare id illi maximè curandum credimus, ut omnem ſanctitatem exteriùs præferat, intus verò ab omni virtute longiſſimè diſcedat.

Prætereà præſtantiſſimâ omnium artium ſcientiâ decoretur, quas per ſe ipſum facillimè, docente nemine, ſibi comparare videatur; ut identidem majorem conſuetâ mentis aciem præferat, ſeque hominem ingenti admiratione dignum oſtendat; ut omnia magices arcana perdiſcat, iisque identidem utens ex induſtriâ, de ſe nomen humano majus hominibus ingerat. Quæ omnia Satanæ, per Anti-Chriſtum homines in fraudem impellere parantis, conſiliis maximè ſervient. Porrò Scripturas Sacras, argumenta ſuis fraudibus faventia inde hauſturus, optimè teneat; Theologorum ſententias, Philoſophorum ſyſtemata, varia Religionum, Chriſtianorum præſertim, Judæorum, & Mahometanorum dogmata præſtantiſſimè calleat; nunquam verò immaturè nimis malitiam, ſævitiam, & impietatem proferat. Hinc enim fieret, ut omnia Satanæ conſilia ruerent, & ab ipſo quisque animum averteret.

Cæterùm cùm Anti-Chriſtum a Dæmone formandum, inſtituendum, poſſidendum dicimus, Energumenorum inſtar, mentis uſu, ratione, & libertate deſtitutum non conſtituimus; mente enim & libertatis arbitrio omnino pollebit, neque eodem, niſi quia collibitum fuerit, abutetur. Satanæ conatus nullam perditionis filio vim inferent; qui tamen a Deo perditiſſimæ ſuæ voluntati derelinquetur: quare Dæmon neque ex gratiâ, neque ex Cœli lumine, neque ex ipsâ nequiſſimi viri voluntate ullum ſuæ malitiæ obſtaculum offendet. D. Thomas (*c*), cui nonnulli Theologi ſubſcripſere, Cuſtodem Angelum ei adfuturum putat, qui, ne per eum quæcumque volet mala ingerat, Dæmonem cohibebit. Alii verò, cùm inemendabili pravitate affectum, Meſſiæ nomen & honores divinos præſtari ſibi illum velle intelliget, ab Angelo ſtatim derelictum iri arbitrantur.

(c) *D. Thom. 1 p. qu. 113, a. 4, ad 3.*

ARTICULUS VI.

De Imperio, Bellis, & Morte Anti-Chriſti.

DE loco, ubi Anti-Chriſtus Imperium ſuum exordietur, Scriptores diſputant (*d*). Sicuti Babylone oriturus, ita in eâ Urbe Regnum creditur auſpicaturus. Omnem induſtriam, artem, magicen, præſtigia, falſaque prodigia exeret, ut authoritatem neque origini neque virtuti ſuæ debitam conſequatur (*e*). Ad illum primi accedent Judæi, quibus proinde ſumma Regni munera committet. Plurima iis videntibus prodigia efficiet; & per ſanctitatis, manſuetudinis, pietatis, clementiæ, juſtitiæ ſpeciem,

(d) *Vide Hieronym. in Dan. xi; Lactant. l. 7, c. 17; Aretam in Apoc. ix, 14; Alios.*

(e) *Cyrill. Jeroſol. Catech. 15; Hieronym. Theodoret. Strab. Alii in Dan. xi.*

ciem, per Idololatriæ ſcelerumque ſimulatum odium, eorum animos ita capiet (f); ut tamquam vero Meſſiæ ſeſe illi ſubmittentes, Regnum Iſraëlis in promiſſionis terrâ ab eo inſtaurandum ſibi ſpondeant.

Novus illicò Rex de toto ſibi Orbe ſubigendo cogitabit; quare quammaximo inſtructo exercitu, per pulcherrimam vindicandæ populis a Tyrannorum jugo libertatis, veræque Religionis reſtituendæ ſpeciem, omnia terrarum Imperia, Romanum præſertim tunc temporis in decem Regna diviſum, omnino evertere aggredietur [g]: primùmque Ægypti, Libyæ, & Æthiopiæ Reges cæteris præſtantiores invadens, eorum Regna occupabit. *Mittet manum ſuam*, ait Daniel (h), *in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti, & per Libyam quoque & Æthiopiam tranſibit*. Horum Regnorum caſus aliorum ſeptem ruinam ſecum trahet; Principes enim & populi turmatim confluentes, ſeſe Victori ſubmittere properabunt.

Anti-Chriſtum in Palæſtinâ educandum; ab eo in urbibus Bethſaidâ & Corozaim imperium erigendum; demùm, ut victorias ſuas in orbem univerſum effundat, inde egreſſurum, Veterum nonnulli idcircò ſenſerunt [i], quòd Servator in eas Urbes maledictum pronunciaverit (k): *Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethſaida! quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent*. Verumtamen hac conjecturâ nihil infirmius; neque hinc Anti-Chriſtum in iis urbibus moraturum conſtat. Veterum prætereà plerique eum, nonniſi poſtquam omnes omnino regiones ſubegerit, in Palæſtinam adventurum ſcripſere.

Undique confluentes Judæi, Anti-Chriſti militiæ nomen dabunt, quem tot ſæculis expectatum Meſſiam eſſe ſibi certò ſuadebunt: quorum exercitu Dux nequiſſimus Palæſtinam invadet; eâque nullo negotio ſubactâ, imperii ſui ſedem Jeroſolymis collocabit. Antequam verò hæc agat, Judæam ingreſſus, Gog & Magog Reges, in ipſum fortiſſimis copiis irrumpentes, bello excipiet; iiſque cæſis (l), Judæam omnem cæſorum ſpoliis locupletabit. His geſtis, Anti-Chriſtus totius Univerſi Princeps habebitur, ſeque verum Meſſiam jactitans, in Chriſti Regnum furorem ſuum convertet, & *extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur* (m). Templum Jeroſolymæ iterum excitabit, Latriæ cultum ſibi arrogans (n). Sunt, qui ſcribant, illum in Chriſtianorum Templis ſeſſurum, ut a Fidei perduellibus adorationes excipiat [o].

Tunc ad Anti-Chriſti progreſſus cohibendos, & ad Juſtos in maximo, quo eorum conſtantia tentata unquam fuerit, diſcrimine juvandos, Enochum & Eliam Dominus proferet. Sive hi duo Chriſti Præcones, antequam Anti-Chriſtus prodeat, ut nonnulli Veteres ſentiunt, ſive, ut Patrum plerique putant (p), poſtquam Vir ille nequiſſimus imperare cœperit, venturi ſint; illud ſanè conſtat, quòd vera prodigia falſis Anti-Chriſti ſignis objicient, ejuſque conatibus & præſtigiis enixè repugnabunt. Qua de re hæc Joannes in ſuâ Apocalypſi [q]: *Et dabo* (ſpiritum meum) *duobus teſtibus meis*, Henocho & Eliæ (r), *& prophetabunt diebus mille ducentis* (s), *amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum .... Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo* (Satanas nempe, poſſidens & animans Anti-Chriſtum) *faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateâ civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt* (nempe Jeruſalem) .... *Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos: & audierunt vocem magnam de cœlo, dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cœlum in nube.*

Religio, quam Anti-Chriſtus ſtatuet, alia erit ab Idololatriâ (t), quæ, authoritate penitus ſpoliata, ejus Fidem prorsùs infirmaret. Veteres & recentiores ſuperſtitiones oppugnabit. Judaiſmo æquè ac Chriſtianiſmo & Mahometiſmo adverſatus, peculiarem Religionem inſtituet, cujus Author & argumentum aliud ab ipſo non erit. Vetuſtum denique quodammodo inſeret recentiori cuidam Judaiſmo, cujus cultus in eo ſitus erit, ut ipſum eſſe Meſſiam homines fateantur, & veluti Deum venerentur.

Quæ hactenus diximus de initio & progreſſu imperii Anti-Chriſti, de victoriis, quibus Ægyptum, Libyam & Æthiopiam ſubjiciet, de bello adversùs Gog, & clade qua hoſtes penitus everter, certis argumentis non inniti ultrò fatemur. Ad ea probanda, mos inolevit, ut Danielis & Ezechielis loci allegentur; qui tametſi hiſtoricè & ad verbum vel Epiphanem Antiochum, vel alium Principem deſignant, a Patribus nihilominus aptantur Anti-Chriſto. Eâ igitur in re Patrum authoritate potiſſimùm ducimur, quæ ſanè plurimi habenda eſt, cùm vetuſtam Eccleſiarum de his perſuaſio-

(f) *Hippol. orat. de Conſumm. mundi; Ephrem, ſerm. de Anti-Chriſto.*

(g) *Vide Hieronym. in Dan. vii; & Theodoret. in Dan. vii & xi.*

(h) *Dan.* xi, 42.

(i) *Vide Method. Martyr. ſeu alium ſub ejus nomine; Anſelm. in Elucidar. Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto.*

(k) *Matth.* xi, 21.

(l) *Vide Ezechiel.* xxxviii, xxxix.

(m) 2 *Theſſ.* ii.

(n) *Vide Iren. l.* 5, *c.* 25; *Hilar. in Matth.* xxiv; *Cyrill. Catech.* 15; *Pſeudo-Hippol. &c.*

(o) *Hieronym. Epiſt. ad Algaſiam, qu.* 11; *Oecum. in* 2 *Theſſal.* ii, *&c.*

(p) *Victorin. in Apocal. Raban. Opuſc. de Anti-Chriſto; Pſeudo-Hippol. Beda, Primaſius, &c.*

(q) *Apoc.* xi, 3, *&c.*

(r) *Ita PP. & Interpp. paſſim.*

(s) *Nempe tribus annis cum dimidio, & tota perſecutionis Anti-Chriſti tempore.*

(t) *Chryſoſt. in* 2 *Theſſal.* ii, 4; *& alii in eumdem locum. Pſeudo-Hippol. Iren. Cyrill. Jeroſolym.*

ſuaſionem ex eâ diſcamus. Quamvis autem vel aliquâ circumſtantiâ, vel alicujus facti ordine falleremur, Anti-Chriſtum ſaltem Regem opulentiſſimum, & Impoſtorem omnium nequiſſimum fore, ambigi non poteſt. Nec Anti-Chriſti inimicorum numerum, neque victoriarum copiam, nec Imperii amplitudinem certò ſcimus: at omnes Satanæ vires ei adfuturas, eumque calliditatem, præſtigias, ſigna, & vim ad Imperium ſibi conſtituendum enixè adbibiturum, non ignoramus.

Signa ab Anti-Chriſto gerenda, Scriptura ſatis memorat (*u*): *Cujus eſt adventus.... in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.* Tria Anti-Chriſti prodigia in Apocalypſi Joannes recenſet. I: *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere in terram* [*x*], uti olim Elias (*y*). II, *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ* [*z*]. Oracula nempe ſibi faventia vulgabit, ſeu quædam ſimulacra magicis artibus ita conſtruet, ut ad ignaros fallendos verba proferant. III, Imaginem beſtiæ, gladio interfectæ, in vitam reſtituet: *Beſtia, quæ habet plagam gladii, vixit* (*a*); quò etiam illud ſpectat: *Vidi unum de capitibus ſuis* (beſtiæ) *quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt* [*b*]. Quod de Anti-Chriſti morte, & commentitiâ reſurrectione, Patrum & Interpretum plerique explicant (*c*). Lethali vulnere fauciabitur, mortuusque cenſebitur, & aliquandiu pòſt ceu vitæ reſtitutus prodibit, eâque re captos innumeros ſibi aſſeclas vindicabit.

Jeſu Chriſti reſurrectionis prodigium majus eſt, quàm ut ab æmulo ſimulari queat. Chriſtus verè mortuus eſt; ejus latus perfoſſum; quare vel poſt mortem lethali vulnere affectus fuit. Anti-Chriſtus verò vulnere, quod lethale videatur, fauciandus dicitur. Veluti mortuus reputabitur; ſed incolumitati reſtitutus, reſurrectionis ſpeciem exhibebit; quare ejus reſurrectio nonniſi ludus erit atque præſtigiæ.

Signa cætera, quæ Eccleſiaſtici Authores recenſent, incerta ſunt. Elephanticos, ut ajunt [*d*], deterget; paralyticis greſſum reſtituet; Dæmonas fugabit; prædicet futura; mortuos revocabit, montes transferet; per mare ſicco pede gradietur; ignem e cœlo detrahet; diem tenebris, noctem luce perfundet; Soli denique & elementis omnibus imperabit. Hæc omnia conjecturis nituntur. Nos, præter ea, quæ a Scripturis accepimus, maxima prodigia ab Anti-Chriſto gerenda non ambigimus, quare, qui ea videbunt, a Deo quidem geri credent, &, ſi fieri poterit, ipſi Electi in errorem devenient [*e*].

Prodigia hujusmodi vera futura ſint, an falſa; res ſupra naturam geſtæ, an tantùm præſtigiæ, prodigiorum ſpeciem præferentes, non definimus. Ea Paulus mendacia ſigna nuncupat (*f*): *Signis & prodigiis mendacibus.* Quod quidem, de Interpretum plurimorum ſententiâ [*g*], ad prodigia fallacia referri poteſt, vel ad vera ideò geſta, ut homines per ea in fraudem impellantur (*h*). Ab impiis etiam vera ſigna interdum geri poſſe, Patres non negant [*i*]; quare a veritate non recedemus, ſi Anti-Chriſtum plurima vera ſigna exhibiturum exiſtimemus; quæ tamen nequiſſimo propoſito perditiſſimus ille præſtabit.

Quo temporis ſpatio Imperium penès Anti-Chriſtum futurum ſit, Scriptura palam nusquam edicit: ipſius tantùm perſecutionibus trium annorum cum dimidio ſpatium aſſignat (*k*). Patrum tamen plurimi ejus imperii tempus cum perſecutionum tempore componunt (*l*). Tres ſanè anni cum dimidio ſatis ſuperque ſunt, ut eâ, qua Anti-Chriſtus, felicitate omnium terrarum orbis ſubigatur, utque innumeris Dei famuli calamitatibus obruantur. Hujus crudeliſſimi Principis dies, ut Servator ſpopondiſſe videtur, Electorum gratiâ contrahentur (*m*); aliter quis ejus impetus declinare, vel dolis valeret obſiſtere? Ipſa Eccleſia, quam ſub mulieris ſpecie Joannes exhibet [*n*], Anti-Chriſti furorem vitita, fugiet in *ſolitudinem, ubi habebit locum paratum a Deo, ut ibi paſcat eam diebus mille ducentis ſexaginta.... Et draco perſequetur mulierem... & mittet ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tamquam flumen, ut eam faciat trahi a flumine.... & aperiet terra os ſuum, & abſorbebit flumen, quod mittet draco de ore ſuo. Et iraſcetur Draco in mulierem, & abibit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti.*

Nemo ex Dei famulis diſcrimine illius miſerrimi temporis vacabit: illos enim Anti-Chriſtus vel per ſe vel per ſuos inſequutus, nihil non movebit, ſupplicia, promiſſa, blanditias, minas, prodigia, ut eos decipiat, & ad interitum trahat. Ammon tantummodo, Moab, & Edom, juxtà Danielem (*o*), ejus furorem idcircò vitabunt, quòd ejus voluntati obtemperantes, illum ceu Meſſiam & Dei Filium libenter excepturi, eique cultum impenſuri ſint. Edomi, Moabi, & Ammonis nomine neſarii omnes deſignantur, Anti-Chriſto obtemperaturi.

Inter Chriſti aſſeclas & Anti-Chriſti alumnos mille annorum diſſidium (tot namque annis Juſti vivent in terrâ) veteres quidam Millenarii conſtituentes, adversùs

Sanctos

(u) 2 *Theſſal.* II, 9, *&c.*

(x) *Apoc.* XIII, 13, 14.

(y) 4 *Reg.* I, 10, *&c.*

(z) *Apoc.* XIII, 15.

(a) *Apoc.* XIII, 14.

(b) *Apoc.* XIII, 3.

(c) *Vide Greg. Magn. l.* 11, *Ep.* 3; *Primaſ. Bed. in Apoc. Item Haimon. Ausbert. Richard. Rupert. Anſelm. Strab. Thom. &c.*

(d) *Hippol. de Anti-Chriſto.*

(e) *Matth.* XXIV, 24.

(f) 2 *Theſſal.* II, 9.

(g) *Cyrill. Jeroſolym. Catech.* 15; *Theodoret. in* 2 *Theſſal.* II.

(h) *Ambroſiaſt. in* 2 *Theſſal.* II; *& Chryſoſt. ibidem. Vide Auguſt. de Civit. l.* 20, *c.* 19, *n.* 4.

(i) *Vide Auguſt. de diverſ. quæſt.* 83, *qu.* 79, *n.* 4, 5.

(k) *Apoc.* XI, 2, 3, *Daniel.* VII, 25; *&* XII, 11.

(l) *Iren. Cyrill. Jeroſolym. Theodoret. Hieronym. Aug. de Civit. l.* 20, *c.* 13.

(m) *Matth.* XXIV, 22.

(n) *Apoc.* XII, 6, 14.

(o) *Daniel.* XI, 41.

Digitized by Google

Sanctos bellum ad annos mille protrahendum putavere. Vulgò tamen Juſtos maximâ eo temporis intervallo pace fruituros, & Satanam ſub annorum mille exitum vinculis ſolutum, ut bellum ſanctis inferat (*p*), ex abyſſo egreſſurum ſentiunt (*q*). *Tunc exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog, congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris* (r). *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra Sanctorum, & civitatem dilectam. Et deſcendit ignis a Deo de cœlo, & devoravit eos; & Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi & beſtia & Pſeudo-Prophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.*

De hoc eventu iſta ſcribit Daniel (*s*): *In tempore illo conſurget Michaël Princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui; & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt; alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Ad illud idem tempus certamen, de quo Joannes in Apocalypſi (*t*), plures referunt (*u*): *Et factum eſt prælium magnum in Cœlo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone; & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo. Et projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem; & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in Cœlo, dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.*

Hæc omnia allegoricè ſcripta ſunt, & Dæmonis potiùs, quàm Anti-Chriſtiani imperii everſionem referunt, quamquam alterum ab altero indiſcretum eſt. Ut verò aliquid de Anti-Chriſti exitio afferamus, ex Patribus & Interpretibus conſtat (*x*), perditiſſimum hunc Dei hoſtem ad montis Oliveti faſtigium ſe collaturum, ubi in ſuo tentorio ac ſolio ſedens, nemine opem ferente, occidetur, juxta illud Danielis (*y*): *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter duo maria ſuper montem inclytum & Sanctum, & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.* Qui locus de Antiocho Epiphane in urbe Tabes trans Euphratem vitâ functo ad verbum explicatur; verùm Anti-Chriſti neci vulgò aptatur. Lactantius teterrimum Anti-Chriſti exitium ita deſcribit (z). In Juſtos in Montem Oliveti ſeſe receptos, omnes copias Anti-Chriſtus movebit, ut eos obſidione primùm urgens, vel igne vel ferro penitus tandem deleat. Quare Juſti iis anguſtiis preſſi, ad Dominum clamabunt; tum patente cœlo, nocte mediâ enſis, veluti Divini Judicis prænuncius, e cœlo labetur: Jeſus Chriſtus prælio occurret, comitantibus Angelis, atque flammâ inextinguibili præeunte: Angelis verò Juſtos adjuvantibus, tantâ clade a tertiâ horâ diei uſque ad veſperam impii afficientur, ut ipſorum ſanguis inſtar torrentis in vallem defluat.

Anti-Chriſtus eâ clade animis non deſpondens, iterum atque iterum Sanctos invadet; donec quarto certamine penitùs enervatus, in Victorum manus incidet, & unâ cum Principibus & Tyrannis, qui eo imperante orbem vexaverint, coram Jeſu Chriſto ſtatuetur; a quo de impietate & flagitiis omnibus redargutus, unâ cum ſuis in ignem æternum detrudetur. Unde Lactantius iſta hauſerit, ignoramus. Ejus fortè ætate de genere & adjunctis mortis Anti-Chriſti non conveniebat; uti adhuc nos inter non convenit.

Illud ſanè conſtat, quod Paulo teſtante didicimus (*a*), Anti-Chriſtum *a Domino Jeſu ſpiritu oris ſui interfectum iri*: ſive vero Jeſu ſpiritu, ſive ejus verbo aut imperio, ſive terrore, quo vir nequiſſimus coram Domino conſtitutus obruetur. Eo e vivis ſublato, iterum paci ſuæ reſtituetur Eccleſia, & nefarii omnes, qui perditiſſimum deceptorem ſecuti fuerint, probro quammaximo afficientur. Judæi porrò ſeſe deceptos tandem intelligentes, & de Meſſiâ tamdiu expectato deſperantes, ad Chriſtum ejusque Fidem, juxta Scripturas (*b*), adducentur.

Prolixam Diſſertationem abſolvamus; quamvis ſatis contracta videri etiam poſſit, ſi rei gravitas & amplitudo ſpectetur. Sæpe de hoc argumento agendi occaſio oblata eſt in Commentario; & variæ adeò eâ de re ſunt opiniones, ut integrâ Diſſertatione ſeriò illam tractare operæ pretium cenſuerim. Malvenda Dominicanus Hiſpanus ſpiſſum de Anti-Chriſto volumen edidit: illum conſulat, qui plura petit. Brevem eorum, quæ & ille & cæteri de Anti-Chriſto referunt, epilogum ſatis nobis ſuperque ſit exhibuiſſe. De Anti-Chriſto certa vix pauca, incerta & problematica fermè innumera vidimus; quare ſtatutum ejus adventùs tempus, regio, origo, parentes, pueritia, nomen, imperii ſpatium, mortis genus, dubia omnia.

At certo ſcimus, venturum illum ſub mundi exitum; potiturum Regno; decepturum quamplurimos; Sanctos bello petiturum; uſurpaturum Meſſiæ nomen ac Dei cultum,

(p) *Apoc.* xx, 7, &c.
(q) *Vide Aug. de Civ.* l. 20, c. 13.
(r) *Apoc.* xx, 7, &c.
(s) *Daniel.* xii, 1.
(t) *Apoc.* xii, 7, 8.
(u) *Gregor. hom.* 14 *in Evang. Victoria. Aretas, Haym. Ribera, alii in Apoc.* xii.
(x) *Hier. in Dan.* xi; *Theodoret. in Dan.* xi; *Haym. Strab. ibid. S. Thom. & Anſelm. in* 2 *Theſſal.* ii; *alii paſſim.*
(y) *Daniel.* xi, 45.
(z) *Lact.* l. 7 *de divino præmio*, c. 17, 19; *& in Epitome*.
(a) 2 *Theſſ.* ii, 8.
(b) *Oſee*, iii, 4; *Rom.* xi, 25.

cultum; ac poſt breve regnum, Dei ſpiritu vel juſſu interfectum iri. Anti-Chriſtos prætereà, hujus nequiſſimi figuras & præcurſores, qui ſanctos peroſi, Veritatem & Eccleſiæ communionem oppugnarunt, omnibus ætatibus extitiſſe fatemur. Quamvis denique teterrimo Anti-Chriſti tempore nos minimè nunc vivamus, vigilandum nihilominus, ac vi & conſtantiâ enitendum eſt, ne Dæmonum & nefariorum hominum, qui a veritate, pietate, & juſtitiâ nos avertere ſtudent, præſtigiis dolisque capiamur.

DISSERTATIO

De Fine Mundi & Statu poſt Judicium.

DE corruptione & diuturnitate mundi inter ſe Philoſophi non convenere. Quidam enim æternum, incorruptibilem [a], animatum (b), & ipſum Deum eſſe [c]; quidam verò creatum, novum, corruptibilem, & tranſeuntem [d] putaverunt. Rabbini (e) etiam eâ de re diſſident. Cabaliſtæ periturum, & in nihilum reverſurum; cæteri nunquam deſiturum opinati ſunt; verùm ita deſitutum plerique putavere, ut ad ſtatum perfectiorem ſit redigendus.

Fides & Catholica Religio diſcrimen dirimunt, quibus mundum, nempe terram, & ea, quibus ambitur, aërem, elementa igne abſumenda eſſe docemur. Terribilis hæc mutatio Diſſertationis argumentum eſt. Primò igitur hîc modum, II, tempus perituri mundi; III, utrùm tantùm permutandus, an prorsus in nihilum ſit redigendus; IV denique, permutandum tantummodo conſtituentes, ejus ſtatum poſt Judicium expendemus.

Ut plurimum de mundo Scriptura ita loquitur, non uti eſt reapſe, ſed uti nobis apparet. Terra, quam incolimus, veluti præcipua univerſi pars, cætera veluti terræ & homini accedentia, nobis exhibentur. Hinc ſanè fit, ut, cùm mundum flammis abſumendum, cœlos novos, novamque terram creandam audimus, quin Scripturæ veritati obſiſtamus, ea omnia de ſolâ, quam incolimus, terrâ explicare pronum ſit. Hanc enim & Scriptura, & ipſi profani Scriptores mundum ſæpiſſimè appellant, quamvis reverâ minima ſit pars univerſi. Vide Auguſtinum, lib. XX de Civitate Dei, cap. 24.

ARTICULUS I.

De Mundi per ignem interitu.

LOci, quibus Mundus per ignem abſumendus præfertur, & plures ſunt & perſpicui. *Cœli*, inquit Iſaias [f], *ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.* Alibi etiam [g]: *Tabeſcet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli, & omnis militia eorum* (nempe ſidera) *defluent, ſicut defluit folium de vineâ, & de ficu. Domine*, ait Pſalmiſta (h), *Cœli peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.... tu autem idem ipſe es.* Petrus etiam [i]: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſolventur; terra autem, & quæ in ipſâ ſunt opera exurentur.*

Cœlos novos novamque terram non ſemel memorat Iſaias (k): *Ecce ego creo Cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoriâ priora.* Cui loco alludit Joannes in Apocalypſi [l]: *Vidi cœlum novum & terram novam; primum enim Cœlum & prima terra abiit, & mare jam non eſt.* Chriſtus Dominus in Evangelio (m) de ſæculorum interitu, & de ſecundo ſuo adventu ſæpiſſimè loquitur, cujus plurimas circumſtantias in Epiſtolâ ad Theſſalonicenſes Paulus congeſſit (n).

Qua de re, quam Judæi & Chriſtiani Fide norunt, utrorumque teſtimonia recitare ſupervacaneum ducimus. Ipſi etiam Philoſophi huic veritati ſubſcripſere. Mundum flammis priùs abſumptum, ex mediis deinde flammis in formam pulcriorem reſtitutum iri, Heraclitus eſt arbitratus [o]: Stoici ab eâ ſententiâ non diſceſſere. Cicero hoc ipſum in ſecundo libro de naturâ Deorum diſertè aperiens, *Ex quo*, ait, *eventurum, ut ad extremum omnis mundus igneſceret, cùm humore conſumpto, neque terra ali poſſet, neque remearet aër, cujus ortus, aquâ omni exhauſtâ, eſſe non poſſet: ita relinqui nihil præter ignem, a quo rurſum animante, ac Deo, reno-*

(a) *Vide Philoſ. lib. Utrùm mundus ſit incorruptibilis. Laërt. l. 7:* Παναίτιος δὲ ἄφθαρτον ἀπεφήνατο τὸν κόσμον, καὶ Κλεάνθης, καὶ Ἀντίπατρος.

(b) *Zeno apud Laërt. l. 7:* Ὅτι δὲ καὶ ζῶον ὁ κόσμος, καὶ λογικὸν, καὶ ἔμψυχον, καὶ νοερὸν, καὶ Χρύσιππός φησι, καὶ Ἀπολλόδωρος καὶ Ποσειδώνιος.

(c) *Laërt. l. 7. in Zenone:* Λέγουσι δὲ κόσμον τριχῶς, αὐτόν τε τὸν Θεόν. *Senec. Epiſt. 97: Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus eſt. Manil. l. 1.*

Quâ patent mundum divino numine verti,

Atque ipſum eſſe Deum.

(d) *Stoici apud Laërt. l. 7. p. 454:* Ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς, καὶ φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον, ἅτε γέννητον τῷ λόγῳ τῶν δι᾽ αἰσθήσεως νοουμένων. Οὗ τε τὰ μέρη φθαρτά ἐστι, καὶ τὸ ὅλον, *&c.*

(e) *Vide Mennaſſe Ben Iſraël, de reſurrectione mort. l. 3, c. 4.*

(f) *Iſai.* LI, 6.

(g) *Iſai.* XXXIV, 4.

(h) *Pſal.* CI, 27.

(i) 2 *Petr.* III, 10, *&c.*

(k) *Iſai.* LXV, 17; LXVI, 21.

(l) *Apoc.* XXI, 1.

(m) *Matth.* XIII, 39; XXIV, 3; XXVIII, 20.

(n) 1 *Theſſal.* V, 1, *&c.* 2 *Theſſal.* II, 1, *&c.*

(o) *Simplicius Comment. in Ariſt. de Cœlo, l. 1, c. 9:* Ἡράκλειτος δὲ ποτὲ μὲν ἐξάπτεσθαί φησι τὸν κόσμον, ποτὲ δὲ ἐκ πυρὸς αὖθις συνίστασθαι. Ταύτης δὲ τῆς δόξης ὕστερον ἐγένοντο οἱ Στοϊκοί.

vatio mundi fieret, &c. Lucanus (*p*), Julium Cæſarem alloquens, ſupervacaneum eſſe dicit hæc corpora flammis abſumere, quæ unà cum cæteris terris aliquando ſint conſumenda:

Hos, Cæſar, populos ſi nunc non uſſerit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo ſupereſt rogus.

Lucretius mundum aliquando ſolutum iri, Memmio oſtendit, cùm ex elementis adeò contrariis, aquâ nempe, terrâ, & cœlo conſtituatur [*q*].

. . . . Tria talia texta
Una dies dabit exitio; multoſque per annos
Suſtentata ruet moles & machina mundi.

Ovidius veterem populorum traditionem memorat, qui cœlos, terram, mare comburenda, & mundum in nihilum reverſurum tenent (*r*).

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia Cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Phyſici etiam & Aſtronomi [*s*] ex ipsâ naturâ de Univerſo diſſolvendo argumenta ducunt; plures enim terrarum mutationes animadvertunt, quæ mundi infirmitatem & ſenectutem oſtendunt. *Scire debes*, inquit Cyprianus ad Demetrianum, *ſenuiſſe jam mundum, non illis viribus ſtare, quibus ſteterat, nec vigore & robore eo valere, quo ante prævalebat. Hoc mundus ipſe jam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur.*

Copernicus, Joachimus Rhætius, Gemma Friſius (*t*), Solem terræ nimis accedere, compertum habent. Si terra, ſicut immoderato frigore quandoque vexatur, ut anno MDCCIX contigit, ita etiam immodico & aſſiduo calore torqueretur, ita ut ſubterraneus ignis, frigore & humiditate in terræ viſceribus veluti carcere clauſus, erumperet, quemadmodum per Ætnam & Veſuvium ſolet; & ignibus rebuſque combuſtioni aptiſſimis, quibus intrinſecus tellus exteriùſque abundat, adjungeretur, ſtatim utique fieret, ut flammæ undique per orbem dilatatæ, quodcumque pabulum nactæ, prorſus abſumerent. *Omni flagrante materiâ, uno igne quidquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit* [*u*].

At Mundi interitus, quem nos ſcimus, naturæ opus futurus non eſt, ſed Potentiæ Dei prodigium, qui tempore a Providentiâ conſtituto, ut Electorum numerus, & ipſius de humano genere decreta impleantur, elementis, quæ inter ſe cohærentia mundum conſtituunt & ſervant, permittet, ut bello ſibi indicto, invicem decertent, & ſua ipſius opera evertant. *Expectatio* (*x*) *creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe; quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Quoniam igitur, ex Petro (*y*), *Cœli, qui nunc ſunt, & terra igni reſervati ſunt in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*; utrùm ignis ille Judicio præiturus ſit, an conſequuturus, inquirimus. Qua de re inter Doctores non convenit; alii enim ante, alii poſt judicium ſtatuunt; alii denique, mediâ viâ incedentes, ignem ante Judicium aggreſſurum, eo Judicii intervallo proſequuturum, poſt Judicium mundi conſumptionem impleturum arbitrantur. Hæc fuſiùs explicanda ſunt.

Ignem Judicio præiturum, illud Pſalmorum probat [*z*]: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt coruſcationes ejus orbi terræ: vidit, & commota eſt terra. Montes, ſicut cera, fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annunciaverunt Cœli juſtitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.* Præterea ex Apoſtolo accipimus [*a*]: *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Quibus ſatis innuitur ignis Judicio præiturus, cùm omnium opera, antequam coram Judice ſtatuantur, igne probanda ſint.

S. Thomas (*b*) ex Epiſtolâ ad Romanos hæc etiam allegat (*c*): *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens; ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quibus planè oſtenduntur creaturæ, inſtar Beatorum corporum, ante Judicium renovandæ. Alter denique Apoſtoli locus affertur (*d*): *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Noſtra igitur opera, priuſquam coram Jeſu Chriſto judicandi ſtatuamur, probari, & igne purgari neceſſe eſt. *Cœli*, inquit Petrus (*e*), *qui nunc ſunt, & terra igni reſervati ſunt in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.* Paulus etiam (*f*): *Revelabitur Dominus Jeſus de Cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flammâ ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.*

Ex

(p) *Lucan. l. 7, propè finem.*
(q) *Lucret. l. 4.*
(r) *Ovid. Metamorph. 1.*
(s) *Columel. l. 1. c. 1, de re ruſticâ; Multos jam memorabiles Authores comperi perſuaſum habere, longo ævi ſitu qualitatem Cœli ſtatumque mutari; eorumque conſultiſſimum Aſtrologiæ profeſſorem Hipparcum prodidiſſe, tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur; idque etiam non ſpernendus Author rei ruſticæ Saſerna videtur adcredidiſſe.*
(t) *Vide apud Grot. Not. in l. 1 de Verit. Relig. Chriſt. art. 22, p. 120.*
(u) *Senec. ad Marciam, verſùs finem.*
(x) *Rom. VIII, 19, &c.*
(y) *2 Petr. III, 7.*
(z) *Pſal. XCVI, 3, &c.*
(a) *1 Cor. III, 13.*
(b) *D. Thom. in 4, diſt. 47, qu. 2, art. 3.*
(c) *Rom. VIII, 19, &c.*
(d) *1 Cor. III, 15.*
(e) *2 Petr. III, 7.*
(f) *2 Theſſ. 1, 7, 8.*

Ex his colligitur, ignem Judicio præiturum; id quod ab unanimi S. Thomæ [g], Magiſtri Sententiarum, Paludani, Durandi, Majoris, Richardi, Gabrielis, Soti, & aliorum conſenſu probatur [h]. Nihilominus Auguſtinus, poſt Judicium & mortuorum reſurrectionem, ignem arſurum putat. Primùm, inquit, Eliæ adventus; deinde Judæorum converſio; Anti-Chriſti perſecutio; Jeſu Chriſti Judicium; mortuorum reſurrectio; Juſtorum ab improbis diſcretio; incendium denique & totius mundi renovatio (i). Alibi etiam Cœlum hoc, & hanc terram peracto Judicio deſituram aſſerit, & Cœlum novum, novamque terram futuram ait (k), juxta illud Apocalypſeos (l): *Vidi Thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cujus conſpectu fugit terra & Cœlum.*

Accipe ipſa Auguſtini verba, quibus poſt Judicium orbis renovationem futuram dilucidè oſtendit: *Peracto quippe Judicio, tunc eſſe deſinet hoc Cœlum, & hæc terra, quando eſſe incipiet Cœlum novum, & terra nova.* Eodem Libro de Civitate Dei ſibi objicit [m]. Si poſt Judicium orbis eſt conflagraturus, & ignis Cæli ac terræ renovationi præibit, ubi Sanctorum corpora, vitæ jam reſtitura, eo univerſalis conflagrationis intervallo morabuntur? Reſpondet, Sanctos ſe in ſuperiores aëris regiones recepturos, quò flamma non aſcendet, quemadmodum & quindecim tantummodo cubitis montes altiſſimos diluvii unda ſuperavit. *Talia quippe*, ſubdit, *illis inerunt corpora, ut illic ſint, ubi eſſe voluerint; ſed nec ignem conflagrationis illius pertimeſcent, immortales & incorruptibiles facti.*

Ludovicus Tena (n), & Cornelius a Lapide [o], ut ſententiam utramque componant, ajunt, ignem, qui orbem abſumet, primò excitatum iri a Deo; ſive Deus ignem illum, juxta nonnullos, ab inferis educturus ſit; ſive e cœlo, juxta alios, demiſſurus, ut olim in Sodomam, aliaſque flagitioſas Urbes demiſit; ſive denique res ipſas terreſtres combuſtioni aptas per Angelos incenſurus, ut Scholaſtici vulgo arbitrantur [p]. Prior iſte ignis, qui ſtatim omnem terræ ſuperficiem comburet, atque homines omnes & animalia interficiet (q), in univerſum orbem effuſus, omnia vorabit, præter eam telluris partem, quæ, Domino Judicium exercente, veluti Divinæ Juſtitiæ theatrum conſtituetur. Judicio peracto, partes ignis ſubtiliſſimæ in locum ſibi naturalem, nempe, ut ajunt, in ignis regionem ſupra aërem, revertentur; partes verò craſſiores unà cum improbis in inferos detrudentur. Verumtamen hunc rerum ordinem potiùs Contemplantium & Scholaſticorum commentum eſſe cenſemus; ſatiuſque ducimus ea ſilentio prætetire, de quibus nonniſi temerè loqui poſſumus.

Veterum Patrum plurimi ignem, quo mundus comburetur, in homines ſingulos Divinæ Juſtitiæ inſtrumentum fore docuerunt. Omnes per ignem tranſibunt, & uniuſcujuſque opus ignis probabit. Juſti ſordibus, quibus fortè abſtergendi erunt, purgabuntur; quare & poſt ultimam diem Purgatorium deſinet. Qui verò, quibus purgentur, caruerint, puriores ab igne egredientur, quemadmodum pretioſiſſima metalla, neque læſa, neque diminuta, ab igne educuntur.

Ego puto, inquit Origenes (r), *quòd & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante; nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit.* Quo autem in alterâ vitâ baptiſmate abluemur, niſi igne, per quem tranſibimus? Cui opinioni, poſt Origenem, Ambroſius ſubſcribit [s]: *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad Paradiſum redire deſiderant.... Omnes oportet tranſire per flammas, &c.* [t]. Putat præterea, ignem illum deſignatum fuiſſe per Angelum, qui flammeo gladio Paradiſi terreſtris aditum tuebatur. Duo Sermones, olim Auguſtino adſcripti (u), omnes homines poſt Judicium per ignem tranſituros ferunt, flammas verò, aliquo modo intelligentes, eâ tantùm pœnâ nos affecturas, quam peccata noſtra popoſcerint. *Quanta fuerit peccati materia, & pertranſeundi mora; quantum exegerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flamma rationalis diſciplina.* Author idem [x] Jacobum Patriarcham omnibus maculis in hac vitâ a Deo purgatum aſſerit, ut in alterâ nihil urendum ignis reperiret. *Ab illo omnes maculas peccatorum abſterſit, ut in eo ignis ille arbiter, quod exureret, invenire non poſſet.*

S. Hilarius [y] perſæpe hujus ignis meminit, quo homines etiam Juſti poſt hanc vitam comburentur. Quis diem illam teterrimam concupiſcat, qua vel inanium verborum ratio nobis erit reddenda, ac terribili igne, peccatis nos abſtergente, vexabimur? *An cùm ex omni otioſo verbo rationem ſimus præſtituri, diem Judicii concupiſcemus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis ſubeundus? &c.* Hunc ignem baptiſmi nomine appellat (z).

Hujus ignei baptiſmi, qui nos Judicii die a ſordibus abſterget, fit etiam apud

(g) *D. Thom. in 4. diſt. 47.*
(h) *Vide Tenam in Epiſt. ad Hebr. c. 1, diffic. 13, ſect. 6; & Cornel. a Lapid. in 2 Petr. III, 7.*
(i) *Aug. de Civit. Dei, l. 20, c. 30, n. 5.*
(k) *Idem, de Civit. l. 20, c. 14.*
(l) *Apoc. XX, 11.*
(m) *Aug. de Civit. l. 20, c. 18.*
(n) *Tena in Ep. ad Hebr. c. 1, difficul. 13, ſect. 7.*
(o) *Cornel. in 2 Petr. II, 7.*
(p) *Acoſta, & Scholaſtici, apud Tenam, loco citato.*
(q) *D. Thom. in 4, diſt. 47; & Bonav. ibid. & Leſſ. de Divin. Attrib. l. 13, c. 20.*
(r) *Origen. in Luc. hom. 14. Vide & hom. 3 in Pſal. XXXVI.*
(s) *Ambroſ. in Pſal. XXXVI, n. 26: Væ mihi, ſi opus meum arſerit, & laboris hujus patiar detrimentum! & ſi ſalvos faciet Dominus ſervos ſuos, ſalvi erimus per fidem, ſic tamen ſalvi quaſi per ignem; & ſi non exurimur, tamen uremur &c. Vide & in Pſal. CXVIII, ſerm. 3, n. 14: Eſt etiam Baptiſmum in Paradiſi veſtibulo, quod antea non erat; ſed poſtquam peccator excluſus eſt, cœpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus, &c.*
(t) *Ambroſ. in Pſal. CXVIII, ſer. 20, n. 12.*
(u) *Aug. ſerm. olim 26, ex hom. 50, nunc 252, in append. n. 3.*
(x) *Serm. olim 82 de tempore, nunc 15, in append. tom. 5, nov. edit. n. 4.*
(y) *Hilar. in Pſal. CXVIII, lit. 3, n. 12.* (z) *In Pſalm. CXVIII, lit. 3, n. 4.*

Baſilium mentio [*a*]: probos improbosque per ignem tranſituros Lactantius (*b*) aſſerit, hoc tamen diſcrimine, quod probi nullo cruciatu a flammis afficientur: *Tanta enim virtus eſt innocentiæ, ut ab eâ ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc poteſtatem, ut impios urat, Juſtis obtemperet.* Improbi contra combutentur, quin abſumantur: *Nam divinus ignis unâ eâdemque vi atque potentiâ & cremabit impios & recreabit. Et quantum e corporibus abſumet, tantum reponet; ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit, quod Poëtæ in vulturem Tityi tranſtulerunt.*

S. Thomas (*c*), S. Bonaventura (*d*), Leſſius (*e*), & alii plures ab igne, qui Judicio præibit, omnes homines & bonos & improbos interimendos, & pœnâ peccatis, quibus quisque invenietur obnoxius, reſpondente, torquendos eſſe arbitrantur; Juſtos, ab omni ſorde immunes, nullo dolore cruciandos; cæteros eas, quas culpæ exegerint, pœnas daturos. Nil ſanè prohibet, quominus ignem hoc ſenſu explicatum Judicio præiturum admittamus, qui & ſingulos, & ſingulorum, qui tunc temporis vel in vivis vel in Purgarorio fuerint, opera probabit. Verumtamen & Beatos jam diu Deo perfruentes, & Juſtos omni labe immunes eodem igne purgandos non eſſe, Catholicâ Fide docemur.

(a) *Baſil. in Isai. iv, p. 124:* Τρεῖς εἰσὶν αἱ ἐπίνοιαι τοῦ βαπτίσματος, ὥστε τοῦ ῥύπου καθαρισμὸς, καὶ ἡ διὰ τοῦ πνεύματος ἀναγέννησις, καὶ ἡ ἐν τῷ πυρὶ τῆς κρίσεως βασανος, *&c.*
(b) *Lactan. l. 7 de verâ Sap. c. 21.*
(c) *S. Thom. in 4, diſt. 47.*
(d) *Bonavent. in 4, diſt. 47.*
(e) *Leſſ. l. 13, de Divin. Attrib. c. 20. Vide & Cornel. in 2 Petr. iii, 10; & Tirinum loco citato.*

ARTICULUS II.

Quandonam Mundus exitum habiturus ſit.

QUæſtio eſt ſæpè agitata, nunquam ſoluta. Ægyptii [*f*], qui poſt evolutos 36525 annos aſtra omnia ad eumdem locum reductum iri commenti ſunt, hunc ipſum mundo terminum præſcripſere; cenſueruntque veterem mundum deinde diſſolutum iri diluvio, quod hiemi noſtræ, ſive incendio, quod æſtati noſtræ quodammodo reſpondebit, ut novus mundus emergat (*g*). Quam quidem mundi renovationem ſæpiùs antea contigiſſe, & iterum eventuram addunt.

Stoici [*h*], ante quos & Heraclitus Epheſius, Ægyptiis per omnia adſtipulantur. Ariſtarchus, apud Cenſorinum, annorum evolvendorum numerum ſtatuit 2484; Aretas Dyrrachinus, 5552; Heraclitus & Linus, 1800, ſeu 18000; Dio, 10884; Orpheus, 100020; Caſſander, 603000. Alii denique hunc regreſſum Cœli & aſtrorum ad idem ſignum impoſſibilem cenſent. Joſephus hanc converſionum inventionem (*i*) Adamo tribuere videtur. Cùm enim, inquit, univerſalem mundi interitum per diluvium primò, deinde per incendium oraculo prænunciaſſet, filii Seth ſua aſtronomica inventa duabus columnis inſcripſerunt, quarum alteram lateritiam, ut igni, alteram lapideam, ut aquis ſuperſtes eſſet, erexerunt. Ipſe autem Joſephus totam magni anni ſummam intra annos ſexcentos concludit.

Plato, ejusque aſſeclæ, & Origenes ſuturum eſſe putarunt, ut plures mundi ſibi invicem ſuccederent. Hanc opinionem refert ac refellit Auguſtinus (*k*); oſtendit enim fieri non poſſe, ut ex mundo, & ex hominibus atque animalibus omnibus, vel diluvio vel igne conſumptis, alia viventia naſcantur, niſi id præſtiterit nova creatio, quam Philoſophi nunquam in naturâ admittent. Revera nonne inane eſſet, omnium hominum ſpeciem, paulò poſt reſtituendam, prorſus delere? Nonne tot mundi pereuntis, & redeuntis vices quamdam præferunt inconſtantiam, a qua Divinitas omnino abhorret? Origenes [*l*], ut mundos plures eſſe, ſibique ſucceſſuros probet, illud Eccleſiaſtæ (*m*) affert: *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præceſſit in ſæculis, qui fuerunt ante nos.*

Rabbi *Barbybia* (*n*) docet, Philoſophos de mundo reſolvendo vel renovando inter ſe ſatis convenire; at de ætate, quâ mundus abſolvetur, diſſidere. Alii enim annis 4320000, alii 36000 illam abſolvendam cenſent: quo annorum ſpatio evoluto aſtra omnia ad idem ſuæ creationis punctum ſunt regreſſura. Alii denique annis 360000, alii 49000, alii 7000 mundum permanſurum putant: quo tempore elapſo, mundum ad ſuum chaos reverſurum, deinde ad ſtatum priori ſimillimum reſtituendum ferunt. Hi Philoſophi, ſubdit Rabbinus, ex Patribus traditionem de mundo abſolvendo forte acceperant; ſed malè in planetas & aſtra, quorum motus & aſpectus nihil ad rerum ſublunarium vel diuturnitatem vel naturam conducunt, mundi interitum referebant.

Re-

(f) *Vide, ſi placet, Marsham. Canon. Ægypti, Προκαταςκευή, p. 10, 11.*
(g) *Ariſtot. Meteor. l. 1, c. 14; Cenſorin. de Die Natali, c. 18: Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potiùs quàm magnum appellat, quem Solis & Lunæ, vagarumque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum, ubi quondam ſimul fuerunt, unà referuntur, cujus anni hyems ſumma eſt κατακλυσμὸς, quam noſtri diluvium vocant; æſtas autem ἐκπύρωσις, quod eſt mundi incendium.*
(h) *Origen. contr. Celſ. l. 5:* Φασὶ δὲ οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς, κατὰ περίοδον ἐκπύρωσιν τοῦ παντὸς γίνεσθαι. Καὶ ἑξῆς αὐτοῦ διακόσμησιν πάντ' ἀπαράλλακτ' ἔχουσαν.
(i) *Joſeph. Antiq. l. 1, c. 3:* Προειρηκότος Α'δάμου ἀφανισμὸν τῶν ὅλων ἔσεσθαι. Τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν, καὶ πλῆθος ὕδατος.
(k) *Aug. l. 12 de Civit. c. 11 & 13.*
(l) *Origen. l. 3, c. 5,* Περὶ Α'ρχῶν.
(m) *Eccleſ. 1, 9.*
(n) *Rab. Abrab. Barbybia in lib. Megilat, Hamegilla, apud Menaſſe Ben-Iſraël loc. cit. l. 2, c. 1.*

Reverâ, ex Philoſophorum ſententiâ, per cauſas tantùm naturales mundus renovandus eſſet: quemadmodum anni communis vices, hiems, æſtas, nox, dies ſibi mutuâ ſuccedunt. At de mundi interitu alia prorſus tradunt Scripturæ, a quibus dies ille deſcribitur, ceu dies Divinæ ultionis, quem omnia iracundiæ Dei ſigna antecedent & conſequentur; dies præterea, qui nedum homines, Angelos etiam latet (*o*), qui ceu fur noctu ſuperveniet (*p*). Diſcipulis de ſupremâ mundi die rogantibus Jeſus Chriſtus reſpondit, id ex iis eſſe, quorum ſcientiam æternus Pater ſibi ſervavit; ab ipſis etiam Angelis ignorari, neque inter ea recenſeri, quæ Pater per Filium hominibus aperiri decreverat [*q*]: *De die autem illo vel horâ nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater.*

Quæ omnia quamvis extremam mundi diem incertiſſimam ſignificent, nihilominus Veterum quamplures ætati mundi ſex annorum millia præſcribunt, quorum bis mille in ſtatu naturæ ſine Lege, & bis mille ſub Lege tranſactis, bis mille ſub Meſſia tranſigendos ſtatuunt. Quare, juxta Chronologiam vulgò probatam, quæ Jeſu Chriſti Nativitatem poſt annos quater mille a creatione mundi conſtituit, ab hoc anno 1737 usque ad mundi exitum anni ducenti & ſexaginta tres ſuperſunt.

Hæc verò ſententia non aliunde ortum duxit, quam ex veteri Traditione (*r*) cujusdam Eliæ (alterius a Prophetâ) qui poſt Babylonicam captivitatem, annis CLIV poſt reſtitutum ſecundum Templum floruit. In Talmud (*s*) *ſex millibus annorum permanſurus dicitur mundus, deſiturus in uno*: id quod Rabbini plures [*t*] de ſeptimo quodam millenario explicant; cujus intervallo in vetus chaos mundus reſolvetur; poſt reſolutionem novus iterum emerget, qui peractis ſex annorum millibus, & ipſe in ſuum chaos redigetur; quibus vicibus iterum iterumque evolutis, plures mundi evertentur, plures conſtituentur, usque dum XLIX. M. annorum numerus abſolvatur. His tandem abſumptis, Cœlum & terra in nihilum redibunt. Quam quidem ſententiam Scripturis fulcire conantur; mos enim apud Rabbinos invaluit, ut nihil aſſerant, quin Scripturis probent, ſive aptè ſive ineptè illas allegent.

Sicut igitur, inquiunt, ſex diebus mundus eſt conſtitutus, ita ſex annorum millibus conſiſtet; anni enim mille veluti dies una coram Deo reputantur (*u*). Porrò litera *Aleph*, quæ mille ſignificat, ſexies primo Geneſis verſiculo interſeritur. Dominus denique in Lege jubet (*x*), ut tellus ſex annis exculta, unius anni otio concedarur, utque ſeptem annorum tranſactis hebdomadibus, nempe anno quoque quinquageſimo, Jubilæum celebretur. Per ſex annos, anni ſexies mille durationis mundi; per annum verò Jubilæi, ultima reſolutio, & univerſi totius everſio deſignantur.

Cùm verò, ut ex majoribus acceperunt, & ſupputatione inveſtigavere, Meſſias adventurus ſit duobus ultimis vel ineuntibus vel decurrentibus millenariis, cùmque ſextum jam valdè defluxerit, quin eorum ſtatus in meliorem vertatur, ſeu fortunæ in meliùs vertendæ ſpes ulla appareat, opinionem de mundo poſt ſex annorum millia perituro penitùs rejecerunt (*y*).

Vetumtamen eadem de mundi ætate poſt annos VI. M. abſolvendâ ſententia apud Patres invaluit, & a quibusdam ultimi ſæculi Doctoribus defenditur. Eandem amplexi ſunt Cyprianus (*z*), Lactantius (*a*), Ambroſius (*b*), Hieronymus (*c*), Auguſtinus (*d*), Irenæus (*e*), Hilarius (*f*), Gaudentius Brixienſis (*g*), Author Quæſtionum ad Orthodoxos, ſub nomine Juſtini Martyris (*b*), Victorinus in Apocalypſim (*i*), Rabanus Maurus in Deuteronomium [*k*], Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, Julius Hilarion, Iſidorus, & alii plurimi, quos Cornelius a Lapide in Apocalypſim allegat (*l*), qui & hanc ſententiam vero ſimillimam vocat: fatetur tamen, ſex millium annorum terminum non eſſe arctè accipiendum, ſed latè & moraliter, itaut Mundus ſeptimum millenarium non excedat, imò & ſextum paulò prætergrediatur. Bellarminus (*m*), Genebrardus (*n*), Feuardentius [*o*], aliique huic opinioni ſavere videntur; vel eam ſaltem apertè non oppugnant.

Auguſtinus verò, quem inter ſententiæ hujus fautores numeravimus, alibi acriùs invehitur (*p*) in illos, qui ſex annorum millia Mundi ætati definiunt, cùm certum ſupremæ diei tempus & horam unius Patris cognitioni ſervatam eſſe Jeſus Chriſtus in Evangelio pronunciaverit [*q*]. Aretas Cretenſis [*r*] Millenariorum opinionem recenſet, qui actis ſex annorum millibus Juſtos dumtaxat reſurrecturos; aliis deinde mille peractis, quibus Juſti in terris regnabunt, omnes omnino homines in vitam reverſuros arbitrabantur. Quam tamen ſententiam, ab Eccleſiâ non probatam, prorſus & ina-

(o) *Marc.* XIII, 32.
(p) 2 *Petr.* III, 10.
(q) *Marc.* XIII, 32.
(r) *Gemar. Abod Zara, c.* 1. תנה רבי אליהו ששת אלפי שנה הוי עלמא שני אלפים תהו שני אלפים תורה ושני אלפים ימות המשיח *Vide, ſi placet, Malvend. l.* 1, *c.* 28, & 29, & 30, *de Antichriſto.*
(s) *Talmud.* שיתא אלפי שנה הוי עלמא וחד חריב
(t) *Vide Menaſſa Ben Iſraël, l.* 3 *de Reſurrect. mortuor. c.* 4, *p.* 271.
(u) *Pſalm.* LXXIX, 4.
(x) *Exod.* XXIII, 11.
(y) *Vide R. Moſ. de Leon in Sephre Hammiſchal. & de aliis apud Menaſſe Ben-Iſraël, l.* 3 *de Reſurrect. mortuor. c.* 4.
(z) *Cyprian. ad Fortunat. de exhortat. ad Martyrium.*
(a) *Lactant. l.* 7, *c.* 14.
(b) *Ambroſ. in Luc. l.* 7, *c.* 2.
(c) *Hier. Ep. ad Cyprian.*
(d) *Aug. de Civit. l.* 20, *c.* 7.
(e) *Iren. l.* 5, *c. ult.*
(f) *Hilar. can.* 17 *in Matth. ſeu cap.* 17. *p.* 693, *nov. Edit. Vide notas Conſtantii ibidem.*
(g) *Gaudent. Brixienſ. tract.* 10.
(h) *Juſtin. quæſt.* 71.
(i) *Victorin. in Apoc.* XX, 5.

(k) *Raban. in Deut. l.* 2, *c.* 21. (l) *Cornel. a Lap. in Apoc. cap.* XX, 5.
(m) *Bellarm. l.* 3 *de Roman. Pontific. c.* 3. (n) *Genebr. l.* 1 *Chronographia, p.* 2.
(o) *Feuardent. notis in S. Irenæum.* (p) *Auguſt. in Pſal.* LXXXIX.
(q) *Act.* 1, 6; *Matth.* XXIV, 36.
(r) *Andreas, & Aretas in Apocalypſ.* XX.

rejecit. Beda etiam improbat; & inanem ac nugatoriam appellat; cujus exemplum plurimi recentiores ſequuti, eorum alii veluti omnino falſam ſpernunt (s), alii veluti argumentis deſtitutam derelinquunt (t), alii demum ſuſpendentes ſententiam, quæſtionem ab eventu dirimendam remittunt (u).

Apollinarius Laodicenus, quem citat Hieronymus (x), ajebat, poſt annos CDXXXIV ab imperantis Claudii anno octavo Prophetam Eliam reverſurum, ab eoque Templum & Jeroſolymam trium annorum & dimidii intervallo reſtitutum iri; Anti Chriſtum denique adventurum. Alii, quorum meminit Philaſtrius (y), a Chriſti adventu annis CCCLXV Mundi ætatem definiebant. Nonnulli fuere, quos allegat Auguſtinus [z], qui ab Jeſu Chriſti Aſcenſione usque ad mundi interitum CCCC ſeu D, nonnulli etiam, qui mille annos numerarent. Alii denique Chriſti Religionem nonniſi annis CCCLXV conſtituram arbitrabantur.

S. Vincentius Ferretius (a) quorumdam meminit, qui a Chriſti Nativitate usque ad Mundi exitum tot annos conſtituebant, quot in Pſalterio ſunt verſiculi (2537 circiter.) Alii [b] tot annis a Chriſti adventu mundum permanſurum ferebant, quot a mundi initio ad diluvium usque interceſſere [nempe 1656]; alii verò, quot ab orbis exordio usque ad ipſius Chriſti nativitatem evoluti fuerant (4000 ſaltem): quam opinionem hauriebant ex illo (c): *Domine, opus tuum in medio annorum notum facies.* Chriſtianus Drutmarus (d), Corbejenſis Monachus, qui ſæculo nono florebat, ſcriptam Veterum Traditionem profert, qua octavo Kalendas Aprilis, die nempe XXV Martii, Mundus creatus; eâdem die Dominus carnem aſſumpſiſſe; eâdemque occubuiſſe; eâdem denique mundus periturus dicebatur. Quæ ita levia ducimus, ut in iis refellendis nil immoremur.

Veterum plures Mundum noctu deſiturum ſtatuunt, venturumque Jeſum Chriſtum ut vivos & mortuos judicet, quo tempore ejus adventus minimè expectabitur, ceu furem, qui parietes noctu perfodit. Ducuntur autem iis Petri verbis [e]: *Adveniet Dies Domini, ut fur in nocte:* illis etiam Evangelii [f]: *Mediâ nocte clamor factus eſt: Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.* S. Hieronymus Dominum noctu adventurum, Apoſtolicâ traditione conſtare aſſerit. Quapropter Paſchatis nox in Templo tranſigi conſueverat; & Epiſcopus domum, nonniſi poſt actum noctis dimidium, populum dimittebat; quòd eo ipſo tempore, quo aliàs Ægypti Primogenitos percuſſit, Dominus adventurus crederetur. Lactantius [g], Cœlo ſub noctem mediam patefacto, maximo præeunte lumine, Jeſum Chriſtum, ut Anti-Chriſtum oppugnet, deſcenſurum arbitratur: *Tum cœlum intempeſtâ nocte pateſiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magnâ, & antecedet eum claritas ignea.* Eamdem traditionem Chryſoſtomus [h], Theophylactus, & Euthymius referunt; ejusque etiam fit mentio in Carminibus quibusdam, quæ uni ex Sybillis tribuuntur (i).

Alii Dominum mane adventurum ajunt, ut his Prudentii carminibus [k], quæ ſuis precibus Eccleſia interſerit.

Et mane illud ultimum
Quod præſtolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canore concrepat.

S. Thomas (l), Toſtatus [m], Suarez [n] Judicium meridie eventurum putant; quod utique in incertum revocari non poteſt, cùm lux, ignis, Majeſtas, quæ Divinum Judicium comitabuntur, eo lumine noctem ipſam perfuſura ſint, ut hæc a meridie ſecerni non poſſit.

Mundum totum illico non evertendum nonnulli autumant, ſed paulatim totius millenarii intervallo: quod, ut vidimus, a Talmude inſinuatur [o]. Verumtamen quidam Judæorum [p] Doctores unâ die, vel etiam uno momento diſſolvendum ferunt; & ita explicant illud ex Talmude allatum: *In uno.* Hæc ſanè hac de re certo ſcimus: Mundum nempe igne abſumptum iri [q]; Dominum, cùm minimè de ejus Judicio cogitabitur, adventurum [r]; momento & ictu oculi mortuos reſurrecturos (s); diem & horam, qua mundus evertetur & Dominus adveniet, ab hominibus prorſus ignorari [t]; fruſtra denique ac temerè Judicii tempus & modum quæri, cùm id nemini voluerit Dominus patefacere. *Et tamen auſi ſunt homines præſumere ſcientiam temporum, quod ſcire cupientibus Diſcipulis Dominus ait: Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate* (u).

AR-

(s) *Malvend. l. 2 de Anti-Chriſt. c. 30: Procul dubio aſſertio eſt falſiſſima, & intolerabilis, graviorem cenſuram, ut par eſt, ſacro Eccleſiæ Tribunali reſervantes.*
(t) *Suarez, tom. 2, diſp. 53, ſect. 4; Soto 4, diſt. 43, q. 2, art. 2.*
(u) *Galatin. l. 4, c. 20; Finus, l. 5, c. 11; Sixt. Senenſ. Bibliotb. l. 5, annot. 190.*
(x) *Apollin. Laodicen. apud Hieronym. in Dan. IX.*
(y) *Philaſtr. de hæreſ.*
(z) *Auguſt. de Civit. l. 18, c. 53.*
(a) *Vincent. Ferr. Ep. ad Benedict. XIII.*
(b) *Apud Perer. in Geneſ. l. 1, ad finem.*
(c) *Habac. III, 2.*
(d) *Chriſtian. Drutm. in Matth. XVI.*
(e) *2 Petr. III, 10.*
(f) *Matth. XXV, 6.*
(g) *Lactant. Inſtit. Epitom. & l. 7 de Divin. præm. c. 19.*
(h) *Chryſoſt. in Matth. XXV.*
(i) *Sybill. apud Lactant. l. 7, c. 19: ... Ὁππότ' ἂν ἔλθῃ Πῦρ, ἔσται σκότος ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.*
(k) *Prudent. hym. Cathemer.*
(l) *D. Thom. 3 p. in ſupplem. q. 77, a. 3.*
(m) *Toſtat. in Matth. XXV.*
(n) *Suarez, 3 p. tom. 2, diſp. 57. Vide Cornel. a Lapid. in 2 Petr. III, 10.*
(o) *Talmud, tract. 4 Sanhedrin.*
(p) *Rab. Isaac Loria Cabaliſta inſignis, apud Menaſſe Ben-Iſraël, loco citato.*
(q) *Pſal. XCVI, 3; & 1 Cor. III, 13; & 2 Petr. III, 7, 12.*
(r) *Matth. XXIV, 36, 42, 45; & 2 Petr. III, 10.*
(s) *1 Cor. XV, 52.*
(t) *Marc. XIII, 32.*
(u) *Vide S. Aug. in Pſal. LXXXIV, 4.*

ARTICULUS III.

Utrùm in ſæculorum exitu Mundus ipſe mutandus ſit; an quædam ejus tantùm pars, ipſo intacto: in nihilum redigendus, an tantùm mutandus.

De hac quæſtione adhuc diſcrimen; Scripturæ enim locutiones, & Patrum Theologorumque ſententiæ eâ de re non conveniunt. Authores Sacri quandoque evertendi mundi meminerunt, veluti ſi in nihilum prorſus eſſet redigendus, v. g. (x): *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur.* Joannes etiam in Apocalypſi (y): *Angelus juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit Cœlum & terram, quia tempus non erit amplius.* Rerum creatarum menſuram tempus eſſe quis neſciat? Ubi igitur tempus eſſe deſierit, res etiam ſenſibus obnoxiæ, ſucceſſiones, & motus locales eſſe deſiſtent. Idem Joannes alibi (z): *Vidi Cœlum novum & terram novam; primum enim Cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.* Jeſus Chriſtus apud Matthæum (a): *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quæ locutio ſæpe legitur in Novo Teſtamento.

Apertè in Pſalmis Cœli perituri dicuntur (b): *Ipſi peribunt, & mutabuntur.* Dicuntur etiam ibidem ſicut veſtimentum atterendi, Dominus autem in æternum permanſurus. Cùm igitur æternus Domini ſtatus Cœlis perituris ibi opponatur, in nihilum prorſus hi redigendi eſſe videntur. Petrus apertè ſcribit (c): *Elementa calore ſolventur; terra autem, & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur.* Dominus adhuc per Iſaiam (d): *Ecce ego creo Cœlos novos, & terram novam*; veluti utraque prioribus Cœlis, & terris omnino in nihilum redactis ſint ſufficienda.

Cabaliſtæ inter Hebræos Mundum in nihilum reverſurum cenſent (e). *Porphyrius* (f) *Chriſtianos ob hoc arguit maximæ ſtultitiæ, quòd iſtum mundum dicunt eſſe periturum.* Chriſtiani igitur mundum in nihilum penitus diſſolutum iri ſentiebant; ſi enim novam ei tantummodò formam acceſſuram putaſſent, id ſanè docuiſſent, quod & Philoſophi publicè fatebantur. Hæc profectò plurimorum Veterum Patrum ſententia.

Recognitionum Author Petrum dicentem inducit (g), duo eſſe Cœlorum genera; alios inconſpicuos, æternos, atque immutabiles, Beatorum ſedem; alios conſpicuos ſyderibus ſparſos, & corruptioni adeò obnoxios, ut verè ſint evertendi, cùm homines, quorum beneficio creati fuere, terram incolere deſiverint. Alibi etiam, proximo nempe Libro, eumdem Petrum ita diſſerentem exhibet. Quemadmodum ovi teſta, licet pulcherrima, nihilominus, ut pullus inde egrediatur, frangitur; ita mundus iſte deſiturus eſt, ut Regni cœleſtis beatitudo prodatur.

S. Baſilius evertit eorum ſententiam (h), qui ex figurâ Mundi ſphæricâ ejus æternitatem colligunt; & idcircò mundum ad exitum perventurum, quòd principium habuerit, optimè oſtendit, Scripturæ verba allegans: *Præterit figura hujus mundi: Cœlum & terra tranſibunt.* S. Ambroſius [i] cum Baſilio conſentit: *Quæ autem initium habent, & finem habent: & quibus finis datus, initium datum conſtat*; & addit, totum mundi globum corruptioni neceſſariò obnoxium eſſe, quòd ejus partes corruptionis non ſint expertes: *Cujus partes corruptioni & mutabilitati ſubjacent, hujus neceſſe eſt univerſitatem iiſdem paſſionibus ſubjacere.* De mundo penitus diſſolvendo S. Gregorius Nyſſenus (k) idem fratris ſui Baſilii argumentum urget.

Juſtinus Martyr, vel ſub ejus nomine alius (l), in Quæſtionibus ad Orthodoxos aſſerit, Cœlum & terram, quæ poſt reſurrectionem reſtituentur, ab his omnino alia fore, alia etiam elementa; quibus proinde quantò Philoſophi, qui Cœlos increatos & incorruptibiles exiſtimant, errore laboraverint, oſtendetur. Hanc ſententiam & Catholici plures (m), & plures Hæretici tuentur, v. g. Lutherus, Melancton, Brentius, Bucerus, Beroaldus, Vorſtius, Gerhardus, &c.

Plurimi tamen, imò Patrum & Theologorum plerique, Mundum non eſſe prorſus in nihilum redigendum, ſed in melius mutandum, defendunt. Cui opinioni etiam Scriptura ſatis favet. Tam in Veteri quàm in Novo Teſtamento legimus, v. g. *Novos Cœlos novamque terram* a Domino creanda [n]. Et quidem non Cœlos alios, aliamque terram, ſed novum utrumque, ut utrinſque renovatio inſinuetur. *Non dixit alios Cœlos*, ait Hieronymus (o), *ſed veteres & antiquos in melius commutatos.* Cùm quis de puero adoleſcens, de adoleſcente vir, de viro tandem fit ſenex, toties periiſſe non dicitur, ſed ſtatum mutaſſe, & in maturiorem ætatem migraviſſe.

Idem etiam uſuvenit, cùm Architectus vetuſtam domum reſtaurans, novam excitat; & colonus incultum agrum excolens, feracem reddit. Pſalmiſta (p), Cœlorum ever-

(x) *Iſai.* LI, 6.
(y) *Apoc.* X, 6.
(z) *Apoc.* XXI, 1.
(a) *Matth.* XXIV, 35.
(b) *Pſal.* CI, 27.
(c) 2 *Petr.* III, 10.
(d) *Iſai.* LXV, 17.
(e) *Apud Menaſſe Ben Iſraël, de reſurrect. Mortuorum*, l. 3, c. 4.
(f) *Apud Aug.* l. 7, l. 20, c. 24, *de Civit.*
(g) *Recognitionum* l. 2.
(h) *Baſil. hom.* 1 *in Hexaëmeron*: Τὰ ἀπὸ χρόνου ἠρξάμενα πᾶσα ἀνάγκη καὶ ἐν χρόνῳ συντελεσθῆναι. Εἰ γὰρ ἀρχὴν ἔχει χρονικὴν, μὴ ἀμφιβάλλῃς περὶ τοῦ τέλους.
(i) *Ambroſ. in Hexaëmeron*, l. 1, c. 3.
(k) *Gregor. Nyſſen. de creatione hominis*, c. 14.
(l) *Juſtin. ſeu alius, quæſt. ad Orthodox. quæ.* 93, 94, 95: Ἐν δὲ τῇ συντελείᾳ, οὐκ ἐν τῷ νῦν οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ νῦν γῇ κομίζονται τῶν πράξεων τὰς ἀμοιβὰς οἱ ἄνθρωποι, ἀλλὰ ἐν τῷ καινῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν τῇ καινῇ γῇ. *Et quæſt.* 94: Ἀνάγκη γὰρ τῇ μεταγωγῇ τῆς κρείττονος τάξεως τῶν καινῶν γενομένων, ἀναιρεῖσθαι τὸ σχῆμα, ὡς ἀρχαῖον ὄν, &c.
(m) *Catharin. Salmeron, Serarius, Hieron. Magius, Franciſc. Valleſius, Lud. Molina, & alii apud Cornel. a Lapide in Iſai.* XXXIV, 4; & 2 *Petr.* III, 10.

(n) *Iſai.* LXV, 17; LXVI, 22; *Apoc.* XXI, 1. (o) *Hier. in Iſai.* LI & LXV.
(p) *Pſal.* CI, 27, 28.

everſionem memorans, veſtis, quæ uſu atteritur, nomine eam inducit: uſu autem atteri longe aliud eſt, quàm totum deſtrui. *Ipſi peribunt, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos.* Isaias (q) mundi ſtatum poſt reſurrectionem referens, Solem & Lunam radios velut antea, ſed multò fulgidiores, emiſſura teſtatur: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.*

Creatæ res omnes, teſte Paulo (r), ſe vanitati obnoxias ingementes, a corruptionis ſervitute eripi, & in libertatem gloriæ Filiorum Dei aſſeri cupiunt. Illæ igitur renovari, & in meliora converti, non verò in nihilum prorſus redigi volunt. *Cœlum*, ait Dominus (s), *& terra tranſibunt;* Paulus etiam: *Præterit figura hujus mundi* (t). Non igitur mundus & Cœli in nihilum reverſuri, ſed ad formam perfectiorem tantummodò migraturi dicuntur. Petrus in loco hac de re omnium apertiſſimo hæc habet (u): *Adveniet dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur.* Ex his, quæ huc usque attulimus, Mundi in nihilum converſio minimè probatur.

Deo docente novimus, univerſum ex nihilo creatum; at in nihilum iterum reverſurum, nullibi adhuc accepimus. Omnia in nihilum a Deo redigi poſſe fatemur; an verò redigenda ſint, per Scripturas minimè patet. Quid ſit redigi in nihilum, nos utique non percipimus.

Omnia Dei opera æternum permanſura, Salomon aſſeverat (x): *Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum.* Quod explicans S. Gregorius Magnus (y), Scripturam cum Scripturâ conciliat, qua modò in æternum terra permanere dicitur, modò Cœli tranſituri aſſeruntur. *Cœli*, inquit, *per eam, quam nunc habent, imaginem tranſeunt; ſed tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt.* Cùm verò novos Cœlos novamque terram Scriptura memorat, non alia creanda dicit, ſed renovanda: *Non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renovantur.* Hanc denique renovationem cum eâ confert, quam qualibet anni tempeſtate videmus, cùm hiems æſtati, hiemi ver ſuccedit; terra enim, licèt imaginem tunc mutet, naturam utique nunquam renovat.

Author Epiſtolæ S. Barnabæ (z) Solem, lunam & aſtra non deſtruenda, ſed a Deo mutanda teſtatur. Philo, ſeu ejus nomine alius, in Libro, *An mundus corruptibilis ſit*, mundum corrumpi ſeu deſtrui non poſſe, ſed tantùm aliquâ ex parte renovari, fusè oſtendit.

S. Irenæus & Veteres omnes, qui Millenariorum opinionem defenderunt, poſt primam reſurrectionem, mundum & terram eamdem conſtituram, feraciorem verò, & iis, quas nunc patitur, mutationibus vicibusque minimè obnoxiam, putabant. S. Juſtino Martyri (a), quem ſententiæ de omnimodâ mundi everſione fautorem ſupra allegavimus, ea tantummodò mens fuit, ut Philoſophos illos refelleret, qui mundum incorruptibilem æternumque pronunciabant. Cæterùm ipse novi Cœli novæque terræ meminit, ubi pii & impii geſtorum vel pœnam vel præmium conſequentur. Tandem Scripturæ conſentiens, terram & Cœlos tranſituros, non verò penitus everſum iri affirmat. Ipſe Baſilius mundum ad exitum quidem perventurum, non in nihilum reverſurum probat; additque, ea Scripturæ verba, *Præterit figura hujus mundi, Cœlum & terra tranſibunt*, ad utrumque, mundi nempe conſumptionem, atque ejuſdem in melius renovationem, poſſe referri [b].

Nemo tamen ſuam luculenter adeò ſententiam aperuit, quemadmodum Auguſtinus (c), quo teſte, igne illo, quo ſupremâ die mundus flagrabit, corruptibiles elementorum qualitates, quæ corruptibilibus noſtris corporibus congruebant, abſumentur, & in qualitates, quæ corporibus immortalibus conveniant, mutabuntur: *Ut ſcilicet mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis.* Alibi etiam terram & Cœlos innovandos, non evertendos affirmat [d]: *Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, tranſibit hic mundus.... Figura ergo præterit, non natura.* Ignem etiam, quo mundus in ſæculorum exitu flagrabit, cum diluvii aquis confert (e); & phraſes, quas utrobique Scriptura adhibet, invicem confert; utrobique enim mundus dicitur *periturus* (f). Ut igitur per eam vocem *perire* mutationem conſueto majorem a diluvio terris inferendam Scriptura ſignificavit; ita cùm in ſæculorum exitu mundum *periturum* aſſerit, ejuſdem renovandas eſſe qualitates, non ſubſtantiam abſumendam ſignificat.

Proclus, & Methodius apud Epiphanium (g) nonnulla tantùm in mundo mutan-

da

(q) *Isai.* XXX, 26.
(r) *Rom.* VIII, 19, 20.
(s) *Matth.* XXIV, 35, & V, 18; *Luc.* XXI, 33.
(t) 1 *Cor.* VII, 31.
(u) 2 *Petr.* III, 10.
(x) *Eccle.* III, 14.
(y) *Gregor. Magni l.* 17 *Moral. in Job*, c. 5.
(z) *Epiſt. Barnabæ*, p. 55: Ἀλλάξω τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας.
(a) *Juſtin. ſeu alius, quæſt.* 95 *ad Orthodox.* Εἰ κατὰ τὸν Ἀπόστολον Παῦλον, παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου ὁ Θεός, δῆλον ὅτι ἐξ ἀνάγκης καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ τοῦ σχήματος ἕνεκεν τοῦ κόσμου γεγονότα συμπαραχθήσεται τῷ τοῦ κόσμου σχήματι. Εἰσαχθήσεται δὲ καινὸς οὐρανὸς, καὶ γῆ ἐν οἷς μέλλουσι δίδοσθαι δικαίοις τε, καὶ ἀδίκοις τῶν πρακτέων αἱ ἀμοιβαί.
(b) *Baſil. hom.* I *in Hexaëmeron*, p. 4: Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου. Καὶ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται προαναφωνήσεις τῶν περὶ συντελείας δογμάτων, καὶ περὶ τῆς τοῦ κόσμου μεταποιήσεως, &c.
(c) *Auguſt. l.* 20 *de Civit.* c. 16.
(d) *Aug. l.* 20 *de Civit.* c. 14.
(e) *Idem, ibid.* c. 18.

(f) 2 *Petr.* III, 6: *Cœli erant priùs & terra de aquâ, & per aquam conſiſtens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aquâ inundatus periit.*
(g) *Epiph. hæreſ.* 64.

da eſſe arbitrantur; quam opinionem fuſiùs probans Oecumenius [h], Terra, inquit, & elementa penitùs non diſſolventur, ſed quemadmodum nos metalla flammis committimus, ut puriora fiant & pretioſiora; ita Deus, cùm per ignem mundum abſumptum iri minitatur, de eodem in nihilum redigendo minimè cogitat. Ea tantummodo evertet, quæ huic mortali & perituræ vitæ inſerviunt, animalia nempe, arbores, & id omne, quod ad immortalitatis & incorruptionis ſtatum, quo corpora poſt reſurrectionem donabuntur, non pertinet. Cætera verò in melius perfectiuſque redacta, ad novi Cœli ac terræ novæ ſeu renovatæ venuſtatem, & ad Juſtorum, qui tunc vivent, voluptatem conſervabit. Quemadmodum, addit, qui novam domum ædificat, ex nihilo eamdem non excitat; ita Deus e Cœlis terriſque nunc exiſtentibus novos Cœlos novaſque terras poſt Judicium componet, & perfectiori ſtatu donabit. Vide & Cyrillum in Isaiam [i].

An hæc elementa, quibus corpora omnia conſtant, poſt reſurrectionem permanſura ſint, diſputatur. Apoſtolus Petrus [k] per calorem ſolvenda aſſerit. Joannes mare deſiturum nunciat: *Mare jam non eſt* [l]. Reverâ cui tunc inſerviat mare, cùm deſinent piſces, & pluvia ac navigatio ceſſabit? Beda in hunc Apocalypſeos locum, & in ſecundam Petri, III, mare poſt Judicium ampliùs non extiturum liquidò aſſeverat; cui ſubſcribere videntur Andreas Cretenſis, Aretas, Haymo, Rupertus, & D. Anſelmus, ſeu ſub ejus nomine Apocalypſeos Interpres. S. Auguſtinus, quid decernat, incertus [m], *Utrùm*, ait, *illo maximo ardore ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facilè dixerim*.

S. Thomas hac de re [n] geminam ſententiam refert; alteram eorum, qui quatuor elementa reipsâ permanſura, qualitates verò naturales deſituras putant; alteram eorum, qui ignem & aquam ceſſatura, aërem verò & terram in melius redacta permanſura arbitrantur. Utramque tamen S. Doctor rejicit; primam, quòd neque argumentis neque Scripturâ oſtendi poſſit, cur quæ Deus initio creavit, inſitis ſuis qualitatibus ſpolianda ſint; alteram verò, quòd probari nequeat, cur ignis potiùs & aqua deſtruenda ſint, quàm aër & tellus; cùm ſingula quatuor elementa ad univerſi perfectionem & complementum conſerant. Addit prætereà, ignem, quo omnia exurentur, ad ignis regionem, quæ aëri imminet, non perventurum; quare ignis elementaris obnoxius minimè fiet incendio, quo mundus conflagrabit.

S. Auguſtinus (o), cui Theologorum præſtantiſſimi conſentiunt [p], ea Petri verba, *Cœli magno impetu tranſient* (q), ad Cœlos tantummodo aëreos, qui ſæpiſſimè cœli vocantur, v. g. *aves Cœli*, referenda eſſe ait. Argumenta verò, quæ Scriptorum plerique exhibent, rem omnino non probant. Ajunt I: Quemadmodum aquæ diluvii nonniſi cubitis quindecim montes altiſſimos ſuperavere, ita & ignis mundi everſor eos fines non præteribit. II, Cœli ſuperiores, Firmamentum Aſtrorum ſedes, cùm ex Ariſtotele [r] incorruptibiles conditi fuerint, nullo detrimento per ignem afficientur. III, Cùm iidem Cœli nil ad flagitia, ad quæ patranda homines creatis rebus abuſi ſunt, contulerint, neque per ignem tunc erunt expiandi.

Quæ omnia utique refelli poſſunt. I, Ignem altiſſimos montes nonniſi cubitis quindecim prætergreſſurum, nullibi conſtat; aliàs neque atmoſphæram purgabit: quod iis repugnat, qui per ignem Cœlos aëreos expiandos ſtatuunt. II, An Cœli ſuperiores incorruptibiles verè ſint, adhuc eſt diſcrimen. Philoſophi recentiores argumentis ſole clarioribus, ut ſibi ſuadent, eoſdem potiùs corruptioni obnoxios oſtendunt. III, Si, quòd homines creatis rebus, elementis, metallis, &c. abuſi ſint, idcircò ea omnia per ignem ſunt expianda; utique & expiandi ſunt Cœli, Aſtra, Sol, Luna, quibus homines eo uſque abuſi ſunt, ut in ea divinos etiam honores contulerint.

Eorum quidem argumenta, qui Cœlos & Aſtra flammis expianda tuentur, his, quæ modò rejecimus, validiora minimè eſſe fatemur. Quapropter neque in eam ſententiam omnino deſcendimus, neque veluti certam tuemur. Philoſophorum, eam defendentium, authoritatem nihili facimus; cùm id, de quo hîc diſcrimen eſt, eorum ſuffragiis non ſit dirimendum. Patrum fidem pluris faciendam ducimus; ex iis autem pauciſſimi eidem ſententiæ adhæſerunt. Nihil ab Eccleſiâ eâ de re conſtitutum eſt. Porrò ipſum ſententiarum diſcrimen id expoſcit, ut nullam temerè amplectamur. Poſtremæ hujus de Cœlis per ignem expiandis aſſeclæ ſolis conjecturis nituntur; cæterùm mundi ſyſtema, cui ſubſcribunt, a Philoſophorum plerisque in præſenti rejicitur; neque cœli ſolidi, & ab igne tuti velut ænea fornix jam habentur.

Ut igitur Scripturæ locutiones explanemus, & difficultates eâ de re ſolvamus, hæc ſtatuimus; terram nempe, & cæteras ejus partes, igne comburendas, & in melius perfectiuſque renovandas; Cœlos, aërem videlicet ſeu atmoſphæram, concremandos; terram denique & aërem poſt reſurrectionem nullis ejuſmodi mutationibus, quæ noſtro corruptionis & mortalitatis ſtatui modò congruunt, obnoxia fore (s):

(h) *Oecumen. in 2 Petr. III.*

(i) *Cyrill. l. 4 in Isai. cap. 51.*

(k) *2 Petr. III, 10.*

(l) *Apoc. XXI, 1.*

(m) *Aug. l. 20 de Civit. c. 16.*

(n) *D. Thom. in 4. diſt. 47, qu. 2, a. 2.*

(o) *Aug. de Civit. l. 20, c. 14, 16, 18, 24.*

(p) *Vide Gregor. Magn. l. 17 Moral. c. 5; Damaſcen. l. 2 de Fide, c. 6; Scholaſtici in 4 Sentent. diſt. 47, 48; Tena, in c. 1 ad Hebr. Interpr. ad 2 Petr. III, 10.*

(q) *2 Petr. III, 10.*

(r) *Ariſtot. l. 1 de Generation.*

(s) *Aug. de Civ. l. 20, c. 16.*

Ut mundus in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus etiam carne innovatis.

ARTICULUS IV.

De terræ poſt Reſurrectionem ſtatu.

(t) *S. Thom. in 4. diſt. 48, qu. 2, art. 4.*

(u) *Paludan. in 4, diſtinct. 28.*

(x) *Suarez t. 2, part. 3, diſp. 36, ſect. 2.*

QUæſtio hæc ad eos tantùm pertinet, qui terræ qualitates poſt reſurrectionem renovandas, non ipſam in nihilum redigendam cenſent. S. Thomas [*t*] aquam inſtar chryſtalli nitidam; aërem inſtar cœli limpidum; ignem velut ſolem & aſtra rutilantem; terræ denique ſuperficiem ceu vitrum pellucidam fore arbitratur. Quid Interioribus terræ partibus eventurum ſit, non meminit; alii tamen Scholaſtici totam omninò pellucidam fore ajunt, præter inferos, qui ad ſuppliciorum incrementum caligine & tenebris obvolventur. Hæc terræ perſpicuitas, juxta Paludanum [*x*], usque ad Infantium Limbum pertinget; plus enim nimio miſeri eſſent, ſi æternis tenebris offunderentur.

(y) *Iſai. LX, 19.*

(z) *Apoc. XXI, 23.*

(a) *Apoc. XXII, 5.*

(b) *Iſai. XXX, 26.*

(c) *Hieronym. in Abac. III.*

Cœli etiam, ex iisdem Authoribus, deinceps non movebuntur, neque diei & noctis vicibus ſubjicientur, ſed & ipſi & elementa immutabilia conſiſtent. *Non erit*, ait Iſaias, *tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam* [*y*]. Joannes etiam in Apocalypſi (*z*): *Civitas non eget Sole, neque lunâ, ut luceant in eâ; nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Et alibi (*a*): *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Iſaias nihilominus alibi ait [*b*]: *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Terra itaque eâdem ſemper luce fulgebit, neque ullâ mutatione afficietur. Aſtra & elementa & ſibi & nobis ſemper eadem, ab iis vicibus, quibus nunc ſubjacent, prorſus immunia conſpicientur. S. Hieronymus tunc Solem eclypſi, aut aliâ quacumque defectione nunquam laboraturum (*c*) cenſet.

Qui Solem poſt reſurrectionem deinceps occaſurum, terrasque circuiturum negant, iis fortè arrideant, qui Antipodas negant, aut iis, qui Solem verè circa terram orbem non conficere putabant: quæ tamen ſententia noſtrâ ætate defendi non poteſt; Antipodes enim, qui & ipſi reſurgent, nunquam ſolis lumine fruerentur, & ampliſſimæ illæ regiones æternis tenebris damnarentur.

Denſitatem & raritatem, gravitatem & levitatem inter elementorum vitia non recenſemus; neceſſe enim erit, ut aliquo ordine in Univerſi regimine disponantur: ſuas etiam efficaces ſervabunt qualitates, calorem nempe & frigus, humiditatem & ſiccitatem; his enim deſtituta, elementa eſſe deſinerent. Quæ tamen qualitates corpora, ut ante, ſuis effectibus non afficient; tunc enim, cùm generationes & corruptiones deſierint, Deus quodam prodigio, quod, utpote futuro mundi ſtatui congruens, naturale fiet, easdem qualitates in corpora agere non patietur. Sic ſol & luna, orante Joſue, immobiles quondam conſtitere; ſic Babylonicæ fornacis flamma, trium Hebræorum adoleſcentum beneficio, ſuâ efficacitate aliquot horis caruit.

(d) *2 Petr. III.*

Quamvis autem tellus arboribus, animalibus, & cæteris miſtis corporibus, quæ ad ejus ornatum conferunt, omninò ſit deſtituenda, ex Apoſtolo Petro (*d*), *Terra, & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur*; imperfecta nihilominus aut inornata reputari non poterit, tunc enim iis omnibus inſtruetur, quæ ſtabilitatis & incorruptionis ſtatum perficient, licèt quibusdam caritura ſit, quæ ejus imperfectioni modò conveniunt. Ornamenta, quæ privata domus expoſcit, ei congruere deſinunt, ſi in ampliſſimi Principis Aulam convertatur. Sancti nullam tunc ex cibo & potu voluptatem percipient; quam utique voluptatem indigentia & infirmitas noſtra modò expoſcit; deliciis verò longè nobilioribus fruentur.

(e) *Iren. l. 5, c. 33.*

(f) *Tertull. l. 3, c. 24, contr. Marcion.*

Putabant Millenarii, Juſtos ante Judicium in vitam revocatum iri; unà cum piis tunc ſuperſtitibus, & cum Jeſu Chriſto jam in terras reverſo, in novâ Jeroſolymâ mille annis imperaturos; & ingenuas omnes voluptates ex potu, de cibo, nuptiis hauſturos. Novam Jeroſolymam gratiſſimum domicilium futuram; terram omnia fructuum genera uberrimè edituram; animalia denique omnia in mutuam plenamque concordiam adducta, ſeſe hominibus penitùs ſubmiſſura, S. Irenæus ex Joannis Diſcipulis ſe didiciſſe teſtatur (*e*), eam tunc frugum copiam fore, ut vix digna ſit, quæ fidem inveniat. Tertullianus [*f*] novam Jeroſolymam jam conſtructam a que ornatam e cœlis deſcenſuram arbitratur; ſuâque ætate ejus exemplar quadraginta diebus in aëre pendulum ſeſe omnibus exhibuiſſe narrat.

Hinc ſatis comperimus, quantum diſtet a Scholaſticis noſtris Veterum Patrum de terrâ ſententia; qui præterea eamdem terram tunc temporis in tanto ubertatis

ſtatu

ſtatu conſtitutam, igne nondum expiatam fore ſentiebant. Lactantius nihilominus (g), licèt mortuorum reſurrectionem, Judicium ſupremum, & mundi incendium mille annorum regno præitura ſtatuat, ſimilem ſuperioribus terræ deſcriptionem exhibet. In medio, inquit, terræ urbs a Sanctis frequentanda conſtruetur, ubi Deus dominabitur unâ cum famulis ſuis, qui ab juſtitiâ & innocentiâ minimè deflectent, ingenuatum omnium voluptatum copiâ perfruentur, atque ex uxoribus natos etiam ſuſcipient. Ignis verò prodigioſus, qui Univerſum invadet, plantis minimè nocebit (h): *Sine ullo vireſcentium corporum detrimento aduret tantùm, ac ſenſu doloris afficiet.* Tunc mundus, nocte etiam ac tenebris amotis, nullis calamitatibus obruetur; Luna ab omni defectione immunis, Solis inſtar, fulgebit; Sol ſeptuplo clariores radios emittet. Omnes omninò fruges tellus feret, ſaxa mel fundent, vino rivi, lacte flumina manabunt. Feræ cicurabuntur; leo & vitulus in eodem veſcentur præſepi; pueri cum anguibus ludent; ea denique omnia tunc temporis futura ſunt, quæ de aureâ Saturni imperantis ætate Poëtæ cecinerunt. Cùm Prophetæ noſtri de futuris veluti de elapſis ſermonem facere conſueverint, Poëtæ hujus moris ignari, eorum locutiones, ac ſi ad tranſacta referrentur, uſurpavere.

(g) *Lactant. de divin. præm. l. 7. c. 24, colat. cum Epitome, c. 11.*

(h) *Lactant. de Divin. præm. l. 7, c. 21.*

Hæc omnia, ſubdit Lactantius, poſt annos VI. M. a creatione contingent, & jucundiſſimum hoc Regnum ad annos mille protrahetur; quibus peractis, Dæmonum Princeps vinculis ſolutus, bellum Sanctis inferet. Sancti in terræ ſinu triduo deliteſcent; Deus prodigiis innumeris in hoſtes nominis ſui animadvertet; terra deinde dehiſcet, findentur montes; corpora in amplam vallem coacta, vitæ a Deo reſtituentur, a quo etiam renovabitur mundus; Cœli inſtar voluminis complicabuntur; tellus mutabitur; homines denique in Angelos convertentur; iidemque nive candidiores fulgebunt, coram Domino perpetuo verſabuntur, eique ſacrificia & obſequium in æternum deferent. Tunc altera mortuorum reſurrectio: qua & improbi ad vitam revocati, æternis apud inferos pœnis mancipabuntur. Hæc Lactantius veluti Catholicâ fide certa exponit.

His tamen omnibus & ſingulis fidem a Catholicis univerſis habitam fuiſſe ne putemus. Mundi exitus, Jeſu Chriſti adventus, Judicium ſupremum, mortuorum reſurrectio, præmium ſeu Regnum Juſtorum, impiorum ſupplicium, mundi renovatio vulgo credebantur. Modus verò, tempus, & rerum plerarumque adjuncta & nobis & illis incerta. Ita de his, quæ in hac Diſſertatione hucuſque diximus, ſtatuendum.

Quamvis Hebræorum Doctores de tempore, & de cæteris reſurrectionis, Juſtorum Regni, & terræ poſt reſurrectionem ſtatûs circumſtantiis inter ſe non conveniant, plura tamen apud eoſdem occurrunt, ad ea, de quibus hîc agimus, referenda. Quarti Libri Eſdræ Author, qui vel ſub primi Eccleſiæ ſæculi exitum, vel ſub ſecundi initium floruit, homines vitæ reſtitutos, & Juſtos, qui terras tunc incolent, terrenis voluptatibus fruituros affirmat [i]. Saducæi, dum Chriſtum interrogavere, vulgò a Judæis credi putabant [k], in alterâ vitâ homines terram incolentes, omnes ſenſûs voluptates eſſe percepturos. Celebris Menaſſe Ben-Iſraël [l] ea, quæ in mundi renovatione eventura ſunt, ita nobis exhibet, ut iis, quæ in univerſi creatione evenerunt, reſpondeant.

(i) *4 Eſdr. iv, vi.*

(k) *Matth. xxii, 34, &c.*

(l) *Menaſſe Ben-Iſraël, l. 3 de reſurrect. mort. c. 4.*

Primâ die lucem Deus creavit, minimè verò lucem Solis, quam die quartâ condidit, ſed lucem divinam, quam Sanctorum beneficio futuris ſæculis reſervavit, ut Solis vices tunc ſuppleat.

Die ſecundâ Deus Firmamentum condidit, aërem ſcilicet, ut ajunt Interpretes eruditiſſimi. Aër futuri ſæculi purior, quàm nunc, mitior erit, atque ſalubrior; quem Scriptura, juxta Abenezram & Menaſſe-Ben-Iſraël, Cœlum novum appellat. Eâdem die, juxta Veterum Hebræorum plurimos, unâ cum Inferis Dæmones conditi fuere. Hi, veluti Idololatriæ argumenta, ſæculo futuro exterminabuntur.

Die tertiâ terram & plantas Dominus protulit, quas deinde propter Adami flagitium maledictione devinxit. In mundi renovatione eam telluri plantiſque benedictionem impertietur, ut, ſicut Adami tempore, die quâlibet juxta aliquos, juxta alios quolibet menſe, fructus producant. Arborum quolibet menſe fructus ferentium meminit Ezechiel (m): *Super torrentem orietur in ripis ejus ex utrâque parte omne lignum pomiferum.... per ſingulos menſes afferet primitiva.*

(m) *Ezechiel. XLVII, 12.*

Quartâ die ſolem & lunam & aſtra cætera Deus condidit. Eadem futuro ſæculo ita perficiet, & tanto lumine decorabit, ut Sol quadragies novies, quàm nunc, clariores radios emiſſurus ſit (n). Eâdem proportione & aſtra cætera rutilabunt.

(n) *Iſai. xxx, 26.*

Die quintâ aves & piſces creati; in mundi renovatione ad ſtatum longè perfectiorem reducentur. Tunc homines cum animalibus, & animalia cum cæteris, eam, de qua Prophetæ, pacem inibunt, ut alterum alteri minimè noceat; & feræ ipſæ ita cicurandæ ſunt, ut hominibus ſeſe prorſùs ſubmittant. Tunc etiam Deus celeberrimo illo convivio electos excipiet, quod trium magnitudinis prodigioſæ animalium car-

nibus inſtruet; piſcis nempe Leviathan, bovis Behemoth, & avis, cujus pedes terram, caput verò cœlos tangunt. Deus ut epulum Electis inſtituat, hæc tria animalia interficiet, quorum carnes, quæcumque convivarum copia fuerit, omnium ſatietati ſupererunt.

Sextâ die Deus Adamum creavit; cujus corpus pellucidum, & procero majus, propter peccatum utrâque hac dote fuit deſtitutum; utrâque verò optimis incrementis auctâ poſt reſurrectionem rurſum donabitur, nunquam deinde iis ſpoliandum, utpote peccati expers omnino futurum.

Hanc rerum ſimilitudinem inter mundi creationem & renovationem Hebræorum Doctores inſtituerunt. At creatio a renovatione in eo differet, quòd, I, mundus prior e nihilo eductus fuit, alter ex olim condito excitabitur. II, prior diebus ſeptem conditus, alter ictu oculi reſtaurabitur. III denique vetus orbis nocte creari cœpit, novus interdiu renovari incipiet, juxta illud Zachariæ: *In tempore veſper erit lux* [o].

(o) *Zach.* XIV, 7.

Tillemontius Lucubratiunculam hac de re ſcripſit, vulgatam ad calcem vitæ ipſius, *pag.* 197; ſed quæſtionem, ſcilicet mundus perſeveraturus ſit necne, problematicè tractans, in utramque partem agitat.

Antequam Diſſertationem abſolvamus, tria ſunt hic animadvertenda. I, Quamplures loci, quos veluti agentes de rebus ſub mundi exitum eventuris attulimus, Judæorum ſtatum poſt captivitatem, & Eccleſiæ poſt Chriſti Adventum figuratè deſcribunt: quare literali eorum ſenſui non eſt maximè inhærendum. Ubi v. g. lux lunæ ſicut lux ſolis futura; lux ſolis quadragies novies conſueto clarior; & ferocia atque venenoſa animalia ferocitatem & virus poſitura dicuntur; Gentes ad Deum Fidemque traductæ deſignantur. II, Tempus, ratio, & cætera mundi exitûs adjuncta nonniſi temerè ſtatui poſſunt, præter ea, quæ ambiguitate non obvolvuntur, & allegoricè a Scripturâ non referuntur: hæc autem vix occurrunt; pleraque ſanè hyperbolicis interſeruntur locutionibus, quarum vim, ſenſum, & amplitudinem ignoramus. III, Hac de re tria nobis credenda Fides proponit; 1, Mundum eſſe ad exitum perventurum; 2, per flammas abſumptum iri; 3, non eſſe in nihilum, ſed in perfectiorem ſtatum redigendum. Quare ea omnia, quæ de mundi diuturnitate, de ignis, quo mundus conflagrabit, qualitatibus & naturâ; Judicio præiturus ſit, an conſequuturus; quæ de terræ figurâ, de elementorum ſtatu poſt Judicium hactenus attulimus, problematica eſſe dicimus. Dubitare qui novit opportunè, ille ſanè inter doctos laudem non infimam meretur.

DISSERTATIO

De Mortuorum Reſurrectione.

(a) *Aug. Ser.* 150, *nov. Edit. n.* 2.
(b) *Idem, in Ps.* CI, *ſerm.* 2, *n.* 7.
(c) *Aug. in Ps.* LXXXVIII, *ſer.* 2, *n.* 7: *In nullâ re ſic contradicitur Fidei Chriſtianæ, ſicut de Carnis reſurrectione.*
(d) 1 *Cor.* XV, 14.
(e) *Act.* XVII, 32.

REſurrectio mortuorum, inquit S. Auguſtinus [a], *præcipua Fides Chriſtianorum.* Hæc ſanè poriſſimum eſt inter hujus vitæ caſus ſpei & ſolatii noſtri argumentum [b]. Reſurrectionem aufer, illicò Chriſtianiſmum evertis. Hæreſum nulla Chriſti Religioni magis adverſatur, quàm quæ adimit Reſurrectionem [c]. Si Chriſtus non reſurrexit, Apoſtolorum prædicatio fallax, Fides noſtra inanis eſt, ſpes fundamento caret (d). Si verò reſurrexit, reſurrectio fieri poteſt, imò homines certò reſurgent; cùm eorum reſurrectio Chriſti promiſſis innitatur, qui reſurrectionem ſuam veluti noſtræ reſurrectionis pignus & argumentum nobis exhibuit. Judæi in hoc dogmate reipsâ nobis aſſentiuntur; nonnulli etiam Philoſophi quamdam reſurrectionem fatentur: Catholicorum verò hac de re fidem a Philoſophorum opinionibus, & ab Hebræorum fide longè aliam agnoſcimus.

Mortuorum reſurrectionem vulgò Ethnici anile commentum reputabant. Cùm Paulus in Areopago Chriſtum reſurrexiſſe pronunciaſſet (e), plerique irriſerunt. Chriſtianam Religionem vix e cunabulis egreſſam Hæreticorum, reſurrectioni adverſantium, frequentia invaſit, cujuſmodi fuere Simonis Magi Diſcipuli, Cerinthiani, Gnoſtici, Nicolaitæ, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, Seleuciani, aliique plures. Apoſtoli ætate (f) ex Corinthiis erant, qui eam oppugnarent. Idem Apoſtolus ad Timotheum ſcribens (g), Hymenæi & Phileti præſertim meminit, qui reſurrectionem jam peractam defendebant, quòd naturalem reſurrectionem, quæ in generatione & hominum propagatione ſita eſt, ſeu reſurrectionem moralem, juſtificationem videlicet, cum verâ noſtrorum corporum, quam ſupremâ die futuram opperimur, reſurrectione confunderent.

(f) *Cor.* XV, 12.
(g) 2 *Timoth.* II, 18.

Veteres quidam Philoſophi reſurrectionem quamdam admittebant; v. g. Pythagorici

gorici metempſychoſin, ſeu de uno in aliud corpus animæ tranſmigrationem. Ariſtoteles Thaletem per tranſitum arguit (h), quòd corporum reſurrectionem fieri poſſe aſſeruerit; quo tamen fuerit iſthæc Thaletis reſurrectio, non innuit. Chaldæi etiam, juxta Theopompum (i), reſurrectionem tuebantur. Ex his fortè Democritus, qui eorum doctrinam didicit (k), ſententiam illam hauſerat (l): *Similis & de aſſervandis hominum corporibus, ac reviviſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non revixit ipſe.*

Plato (m) reſurrectionem alicubi docet; Platonici, teſte Auguſtino (n), animas e corporibus, quæ animavere, in libertatis ſtatum reſtitutas, rurſus in nova corpora perpetuò migrare putabant. *Alternantibus vicibus indeſinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri.* Hos juxta Philoſophos, a vulgo Sapiens eo tantùm differt, quòd poſt mortem aſtro ſibi convenienti anima nectitur; donec aliud corpus animandi cupidine, inde revertitur, & alicujus infantis corpori jam ſatis formato rurſus adhæreſcit. Impiorum verò animæ, vix a ſuo corpore egreſſæ, aliud corpus quærunt, vitâ quam antea egerunt dignum, ſcilicet vel belluam, vel corpus humanum male conſtitutum.

Porphyrius, qui poſt ortam Chriſtianam Religionem floruit, cùm, teſte Auguſtino, Præceptoris ſui Platonis ſententiis inhæſiſſet, easdem hac de re prorſus rejecit; hominumque animas nunquam in belluas migrare; Sapientum verò mentes, a corpore ſemel ſejunctas, nunquam in aliud regredi, ſed in Deo æternis voluptatibus abſorberi, defendit. Hinc, ut de Juſtorum beatitudine cum Chriſtianis conveniret, & ab illis etiam valdè recederet, piorum animas ſuis corporibus nunquam reſtituendas, & corpora beatis animorum voluptatibus nunquam fruitura, docuit.

Platonica animarum tranſmigratio vel apud Judæos, qui reſurrectionem credebant, fidem invênit. Joſephus qui Phariſæorum ſectam, & Philo qui Platonis Philoſophiam profitebantur, Juſtorum animas e corpore egreſſas, in aërem, vel in orbem, ex quo diſceſſerunt, regredi, ac deinde revertentes in alia corpora migrare ſentiebant (o). De verâ mortuorum ſub mundi exitum reſurrectione perſpicuè non egerunt; eam tamen in Veteris Teſtamenti Libris (p), & in Macchabæorum ſecundo (q) ſatis invenimus. Phariſæos etiam & vulgò Judæos adversùs Saducæos reſurrectionem defendiſſe, ex Evangelio & ex Apoſtolorum Actis (r) conſtat. Verumtamen hoc reſurrectionis dogma præcipuus eorum Religionis articulus non erat; non enim a ſuâ communione, neque a conventibus, neque a ſummis Reipublicæ Magiſtratibus Saducæos arcebant; imò ex his aliquos vel Summum Sacerdotium geſſiſſe, Joſephus teſtatur (s). Modò Religionis ſtudioſiores ſunt; Saducæos Hæreticorum & Epicuræorum nomine damnant, ajuntque nullâ eos futuri ſæculi voluptate fruituros (t).

Judæorum nonnulli non omnes omnino homines, ſed Iſraëlitas tantummodò, præter flagitioſiſſimos, ad vitam revocandos eſſe docent. Alii verò omnes prorsùs homines vitæ reſtituendos aſſerunt. Sunt, qui ſemel redivivos iterum mori obnoxios fore negant: ſunt etiam, qui (u) eam opinionem damnantes, ſolas animas æternâ beatitudine donandas defendant. Eorum itaque dogma hac de re adhuc in diverſa diſtrahitur.

Et apud Catholicos hujus dogmatis nonnulla olim varietas. Plures enim e vetuſtis Patribus (x) geminam reſurrectionem memorabant; alteram, quæ Meſſiæ per annos mille in terris regnaturo præibit; alteram, quæ ipsum hoc regnum conſequuta, Sanctorum in Cœlis æternam exordietur felicitatem: quam quidem ſententiam ex Judæis repetierant; eam enim in Eſdræ quarto (y), in duodecim Patriarcharum Teſtamento (z), apud Rabbinos plurimos legimus; eamdemque ſemi-Judæus Cerinthus ſæculo primo defendebat. Stephanus Gobarrus, cujus excerpta a Photio accepimus (a), de reſurrectionis dogmate problematicè diſſeruit; v. g. an hominum corpora poſt reſurrectionem præſenti huic corruptioni obnoxia futura ſint, partem utramque defendit: omnes eâdem ſtaturâ & ætate, qua quisque deceſſerit, reſurrecturos ait; mox negat, docens, pueros ætate jam maturâ in vitam reſtituendos: non eodem omnes, ſed diverſo tempore e mortuis revocandos; corpora noſtra ſubtilia & ſpiritualia fore; tum contra fore compacta & terreſtria, & his, quibus modò conſtamus, ſimillima: primos omnium Juſtos reſurrecturos, deinde animalia cætera; poſt reſurrectionem, cibo potuque utentes, & filios procreantes, in terris moraturos; peracto demum ejus pacis & voluptatis millenario, omnium omninò reſurrectionem futuram teſtatur: tum contra, Juſtos reſurgendo cæteris non præituros, & mille annorum Regnum poſt reſurrectionem minimè adventurum affirmat. Eâdem ratione de Paradiſo differens, Juſtos poſt reſurrectionem ibidem commoraturos, & non commoraturos defendit; eamque deliciarum ſedem neque in terris, neque in cœlis, ſed medio quodam in loco conſtituit. Ex

(h) *Ariſtot. l. 3 de Animâ, c. 6.*

(i) *Theopomp. Philippic. 8, apud Laërtium in proœmio:* Ἀναβιώσεσθαι κατὰ τοὺς μάγους τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἔσεσθαι ἀθανάτους, καὶ τὰ ὄντα αὐτῶν ἐπικλήσει διαμενεῖν.

(k) *Laërt. in Democrit.*

(l) *Plin. l. 7, c. 55.*

(m) *Plato in Politico:* Ἐκ τῶν τετελευτηκότων ἀνακμάζειν δὲ ἐκ τῆς γῆς, πάλιν ἐκεῖ ξυνισταμένους, καὶ ἀναβιωσκομένους.

(n) *Auguſt. de Civit. l. 13, c. 19, & l. 22, c. 12, n. 2.*

(o) *Vide Philon. de Gigantib. 222, 223; & de Confuſione linguarum, p. 270; Joſeph. l. 3 de Bello Jud. c. 14, in Lat. p. 852; & alibi non ſemel.*

(p) *Vide Job. XIV, 12, XIX, 25, Ezech. XXXVII, 1, &c. Sap. III, 13; VI, 4.*

(q) *2 Macc. VII, 9, 14. 23.*

(r) *Act. XXIII, 6.*

(s) *Joſeph. Antiq. l. 18, c. 2. Vide & Act. Apoſt. V, 17.*

(t) *Vide Menaſſe Ben-Iſraël, de reſurrectione mortuor. l. 1, c. 1.*

(u) *Abrabanel, & Moſ. Ægypt. Apud Menaſſe Ben Iſraël, l. 3, c. 11.*

(x) *Papias, apud Euſeb. l. 3 hiſtor. c. 39, Juſtin. Dialog. cum Tryphone; Iren. l. 5, c. 33; Tertull. l. 3 contr. Marcion. &c.*

(y) *4 Eſdr. IV, 35, VI, 18, &c.*

(z) *Teſtament. XII Patriarch. Teſtam. Jud. n. 25; & Zabulon, n. 10; Dan, n. 10; & Levi, n. 18.*

(a) *Phot. Cod. 232.*

Ex Moyſis Libris ſatis perſpicua futuræ omnium reſurrectionis argumenta minimè deducimus. Cùm (*b*) Chriſtus ea Exodi verba allegaſſet (*c*): *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*; ſtatim intulit: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Qua quidem collectione anima tantùm immortalis, & Patriarchæ vel poſt mortem ſuperſtites eſſe ex directo probantur. Inde verò corporum reſurrectio facilè ducitur; ſi enim veterum Juſtorum animæ adhuc ſuperſtites ſunt, neque bonorum operum, quibus operam dedêre, præmium in hac vitâ retulerunt, ad Dei Juſtitiam pertinet, ut in alterâ illud referant nedum animæ, verùm etiam corpora, per quæ Animæ ipſæ virtutem & opera ingenua exuercuerunt. Secùs nec integra eſſet illorum merces, nec perfecta. Sola anima Abrahæ non eſt totus Abraham.

R. Schammai (*d*) ex illo Exodi (*e*), *Apparui Abraham, Iſaac, & Jacob .... pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan*, reſurrectionem probat. Cùm enim, ſubdit, eâ regione, dum viverent, potiri non fuerint, eò revertentur ut potiantur. Eò Rabbinus hic ducebatur, quòd, ex Hebræorum ſententiâ, Juſtorum & Patriarcharum Regnum poſt reſurrectionem in omnes terras futurum arbitraretur. Nos verò & Abrahamum & Iſaacum reſurrecturos ſcimus, non ut Chanaanitide potiantur, quam profectò neque optabunt, neqne ſibi neceſſariam ducent, ſed ut in viventium regione, quam Chanaanitis allegoricè ſignificabat, æternâ voluptate fruantur. Menaſſe Ben-Iſraël ex Libris Moyſis veriſimilia tantùm futuræ reſurrectionis argumenta ab Hebræis hauriri, ultrò fatetur (*f*).

Reſurrectionem apertè præfert Iſaias [*g*]: *Interfecti mei reſurgent; expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, & terra mortuos projiciet.* Judæorum Doctores (*h*) huic rori vim creantem tribuunt, qua tellus, fœcunditate donata, mortuos omnes ad vitam producet. Quam etiam reſurrectionem cum hominum productione conferentes, rorem veluti patrem, terram ceu matrem, mortuos redivivos ceu filios generatos eſſe ajunt.

Æquè perſpicuum teſtimonium Ezechielis (*i*), qui in agrum mortuorum oſſibus refertum animo raptus, Deo vitæ ſpiritum eiſdem impertiente, primùm ea commoveri vidit, deinde ſimul copulari, nervis inſtrui, pelle veſtiri, in viros denique redivivos ſurgere. Sammai & Hillel olim acerrimè diſceptavere, utrùm reſurrectio, ordine per Ezechielem allato, inchoanda ſit ab oſſibus & nervis, per carnem deinde & pellem abſolvenda; an verò fieri debeat, quemadmodum in utero matris inſtituitur fœtus, juxta illud Jobi (*k*): *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me.* Hanc Hillel, illam Sammai ſententiam tuebantur. Diſceptatio utique inanis; reſurrectio enim, Apoſtolo teſte, illico & ictu oculi fiet.

Rabbini quidam (*l*) ea oſſa, de quibus paulò ante Ezechiel, verè in vitam rediiſſe, eoſque homines, reverſos Jeroſolymam, filios procreaſſe narrant. Ex his oſſibus Rabbi Juda originem ſuam oſtentans, quædam etiam *Tephilim*, ſeu frontalia inter preces a Judæis adhiberi ſolita, quæ ab his Ezechielis redivivis ad ſuum usque patrem pervenerant, ab eodem patre ſuo ſe accepiſſe prædicabat. Noſtri verò Interpretes hiſce viſis Ezechielis, ejusque vaticinio, & altero Iſaiæ paulò ante allato, duo ſpectata fuiſſe docent, Hebræorum nempe a captivitate regreſſum in Chanaanitidem, & mortuorum reſurrectionem. Regreſſus ille reſurrectionem hanc deſignabat.

Reſurrectionis Evangeliſtam jure merito Jobum appellamus. In toto ejus Libro locutiones undique occurruut, quibus quàm enixè is reſurrectionem opperiretur, oſtenditur. Ipſa ejus valetudinis & fortunæ mutatio futuram ſatis reſurrectionem portendit. *Scio*, inquit (*m*), *quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terrâ ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Pſalmiſta etiam perſpicuè reſurrectionem indicat (*n*): *Deus redimet animam meam de manu Inferi*, [de ſepulcro] *cùm acceperit me.* Et alibi (*o*): *Avertente autem te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur* (iterum), *& renovabis faciem terræ.* Oſee futuram reſurrectionem non obſcurè prænunciat [*p*]: *Dominus cœpit & curabit nos: vivificabit nos poſt duos dies; in die tertiâ ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus.*

Luculentiùs adhuc in libris poſt Babylonicam captivitatem ſcriptis reſurrectio futura exhibetur. Libri Sapientiæ Author *viſitationis* nomine, ut plurimùm, reſurrectionem indicat (*q*): *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt... ſpes illorum immortalitate plena eſt ..... Et in tempore viſitationis ipſorum refulgebunt, & judicabunt nationes.* Eccleſiaſticus de Iſraëlis Judicibus agens Deum orat (*r*), *ut ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo* (de ſepulcro). Quæ dicendi phraſis ad illam Iſaiæ refertur (*s*): *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Ad illam quoque Pſalmiſtæ [*t*]: *Oſſa veſtra germinabunt ſicut fœnum terræ.* Daniel ea, quæ Antiochi Epi-

phanis

(b) *Matt.* XXII, 23, 29, 30.
(c) *Exod.* III, 15.
(d) *R. Schammai, Perek Helec.*
(e) *Exod.* VI, 3.
(f) *Menaſſe Ben-Iſraël, l.* 1, *c.* 1, *ad finem, de reſurrect. mortuor.*
(g) *Iſai.* XXVI, 19.
(h) *Joſeph Albo, & Viri Synagog. magna.*
(i) *Ezechiel.* XXXVII, 1, *&c.*
(k) *Job*, X, 11.
(l) *Rab. Juda, & alii apud Menaſſe Ben-Iſraël, l.* 2, *c.* 11, *de Reſurrect.*
(m) *Job*, XIX, 25.
(n) *Pſalm.* XLVIII, 16.
(o) *Pſalm.* CIII, 29.
(p) *Oſee*, VI, 2.
(q) *Sapient.* III, 1, *&c. Vide &* IV, V.
(r) *Eccli.* XLVI, 14.
(s) *Iſai.* LXVI, 14.
(t) *Pſal.* LXXI, 16.

phanis perſecutionem conſecutura eſſent, præcinens [u], *Multi*, ait, *de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt* (reſurgent), *alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper.*

Macchabæorum Scriptor, æquè ac Evangeliſtæ, & ipſe Apoſtolus, de reſurrectione perſpicuè. Quidam ex Macchabæis Fratribus Antiochum compellans [x], *Tu quidem*, inquit, *ſceleſtiſſime, in præſenti vitâ nos perdis; ſed Rex Mundi defunctos nos pro ſuis Legibus, in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Ex iiſdem Fratribus quartus ſic etiam Regem eſt alloquutus (y): *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos; tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Eorum quoque Mater, ut filiis ad pœnas ſubeundas animos adderet [z], *Mundi creator*, ait, *qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invênit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordiâ reddet & vitam, ſicut nunc vosmetipſos deſpicitis propter Leges ejus.* Ejuſdem Libri Author, poſtquam Judam Macchabæum plurimas ad Templum pecunias miſiſſe meminit, ut pro interfectis in prælio ſacrificia Deo offerrentur (a), *Niſi enim*, ſubdit, *eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Author quarti Macchabæorum, quem Librum plures Joſepho Hiſtorico tribuêre, inſcriptum, *De rationis imperio*, qui ejus Operibus interſeritur, hæc eadem de mortuis ad vitam revocandis reputabat.

Plura hic de reſurrectionis veritate argumenra congerere ſupervacaneum; hac enim diſſertatione non reſurrectionis dogma probandum, ſed ejus modum, tempus, & cætera, quæ a nobis attingi poſſunt, adjuncta perpendenda aſſumpſimus. Jeſu Chriſti ætate, Judæi omnes, præter Saducæos, reſurrectionem fide credebant. Ipſemet Chriſtus pluribus Evangelii locis eamdem comprobavit. Paulus & Apoſtoli cæteri mortuos reſurrecturos, non modò adversùs Saducæos, & ſuæ ætatis hæreticos, ſed & contra Philoſophos, defenderunt. Eccleſia Catholica inter præcipua Fidei capita Reſurrectionem nunquam non habuit. Hæc certo ſcire ſatis, quæ ſanè eâ de re omnem omnino adimunt ambiguitatem.

Paulò ante recitavimus eorum Judæorum (b) ſententiam, qui non omnes homines, ſed Juſtos & pios Iſraëlitas tantummodo vitæ reſtituendos aſſerebant. Huic opinioni favere videtur illud Pſalmi (c): *Ideo non reſurgent impii in judicio.* Quidam etiam ex Macchabæis Fratribus Tyrannum increpans, *Nos*, inquit, *iterum vitæ reſtituendos ſperamus* (d): *tibi reſurrectio ad vitam non erit.* Veteres (e), qui reſurrectionem geminam, & Regnum Juſtorum in terris ad annos mille protrahendum conſtituerant, ab eâ felicitate & primæ reſurrectionis gloriâ impios excludebant. Hæc verò prior reſurrectio, & mille annorum regnum ab Eccleſiâ minimè probantur: Chriſtus prætereà & pios & impios ad vitam revocandos (f), & coram ſe Judice conſtituendos aſſerit; illos, ut æternâ voluptate donentur, hos autem, ut æternis mancipentur ſuppliciis. Hæc ſanè & Paulus, & cæteri Apoſtoli docuerunt.

Superſtitioſus honor, quo Chanaaniticam regionem Judæi proſequuntur, illud egit, ut mortuorum reſurrectionem in eâ eventuram putent. Hinc orta eorum vota de ultimis vitæ diebus ibidem tranſigendis, & de ſepulcro ſibi in eâ regione comparando. Inde eorum opinio de mortuis, qui aliis in locis ſepulti, per occultos terræ meatus in eam regionem devolventur, ut ibi ſupremâ reſurrectionis die in vitam reſtituantur (g). Huc referunt omnes laudes, quibus Chanaanitidem Scriptura commendat; & promiſſa, quibus illam Deus ipſis eorumque poſteris perpetuò ſe traditurum ſpopondit. Hinc denique fit, ut mille annos ſub jucundo Meſſiæ Regno ibi ſe traducturos ſperent, antequam ſecunda fiat reſurrectio, & univerſale Judicium in valle Joſaphat, Jeroſolymam inter & Oliveti montem, a Domino Judice exerceatur. At neque deſunt ex Judæis [h], qui & undique, & eodem tempore mortuos vitæ reſtituendos nobiſcum credant; qui etiam (i) reſurrectionem in Terrâ Sanctâ inchoandam, ac deinde in cæteris regionibus quàm maximâ celeritate perficiendam cogitent.

Certum reſurrectionis tempus ignoramus, quod & Angelis ignotum Chriſtus aſſeruit (k), & Apoſtolis de eo flagitantibus pandere detrectavit. In ſæculorum exitu, Dei Filio iterum veniente, omnes reſurrecturos tantummodò ſcimus. Qui ſexies mille annorum ſpatio totam mundi ætatem definiunt, nunc prorſus fermè rejiciuntur. Hanc notitiam ſibi Deus reſervavit (l), tantùmque nos monuit, eum diem furis more adfuturum; & homines minimè expectantes deprehenſurum (m).

Paulus Apoſtolus hominum plurimos, tunc adhuc ſuperſtites, ſtatim morituros, eâque celeritate iterum reſurrecturos aſſerit, ut eorum mors non mortis, ſed mutationis & tranſitûs nomine appellari debeat (n): *Fratres*, inquit, *myſterium dico vobis: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur:* ſeu juxta Græcum [o] & optima Exemplaria, *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſimâ tubâ: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale*

boc

(u) *Daniel.* XII, 2.

(x) 2 *Macch.* VII, 9.

(y) 2 *Macch.* VII, 14.

(z) 2 *Macch.* VII, 23.

(a) 2 *Macch.* XII, 44.

(b) *Kimchi in Pſal.* 1; *Maimon. Abarbanel, Joſeph. Albo. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c.* 1, *& Muiſ. in Pſal.* 1, *&c.*

(c) *Pſalm.* 1, 6.

(d) 2 *Macch.* VII, 14.

(e) *Iren. l.* 5, *c.* 32. *Quid. apud Auguſt. l.* 20, *c.* 7, *de Civit. Vide & Hieron. in Iſai.* XVIII.

(f) *Joan.* V, 29.

(g) *Vide Talmud Babyl. Cetuboth, c.* 13; *& Jeroſolym. Chilai, c.* 9, *&c.*

(h) *Menaſſe Ben-Iſraël, de Reſurrect. l.* 2, *c.* 2.

(i) *Vide Bereſchit Rabba, Paraſch* 27 *&* 96; *& Semoth Rabba, Paraſch* 32.

(k) *Marc.* XIII, 32.

(l) *Act.* 1, 7.

(m) *Matth.* XXIV, 43; *&* 1 *Theſſal.* V, 2, *&c.*

(n) 1 *Cor.* XV, 51, *&c.*

(o) Παντες μὲν ὀ κοιμηθησόμεθα, παντες δὲ ἀλλαγησόμεθα.

hoc induere immortalitatem. Nos igitur eodem, quo decedemus, momento ad vitam revocabimur, morsque noſtra leviſſimus potiùs ſomnus appellanda erit, qui noſtri mortalis corporis in incorruptibile & immortale mutatione abſolvetur.

Plurimi ſunt Interpretes, ex Græcis præſertim [*p*], qui eos, qui tunc temporis vivent, mortem omnino non ſubituros, ſed in eam, de qua Paulus, mutationem tantùm migraturos putent. Quâ de re, æquè ac Interpretes noſtri, etiam Hebræorum Doctores ambigunt [*q*]. Alii enim eos, qui incipiente reſurrectione non obierint, minimè obituros, ſed ſtatim e vitâ ad incorruptionem & immortalitatem tranſituros putant. Negant alii, nullam in futuro ſæculo partem neminem conſequuturum contendentes, quin priùs e vivis migraverit. Decretum de omnium omnino Adæ poſterorum morte ſanè implebitur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem, Judicium* (*r*). Alibi verò Paulus ad Corinthios alteram potiùs ſententiam ſtatuere videtur: ait enim juxta emendatiſſima Exemplaria: *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*.

Nonnulla etiam difficultas eſt, ut Paulus de reſurrectionis momento a ſe ipſo non diſcrepare oſtendatur. Modò enim momento eodem, *in ictu oculi*, ad tubæ clangorem omnes reſurrecturos aſſerit (*s*); modò *unumquemque in ſuo ordine*, nempe vel juxta meritum, vel ætatem, ad vitam revocatum iri prænunciat [*t*]: quare Sancti v. g. ante reprobos, veteres Patriarchæ ante noviſſimos, Catholici ante cæteros reſurgent: *Primitiæ Chriſtus; deinde ii qui ſunt Chriſti*. Utrumque tamen optimè conciliatur, ſi Apoſtolum non de temporis, ſed ordinis anteceſſione loqui animadverterimus [*u*]. Electi & Chriſti Diſcipuli primi reſurgent, cæteris nempe & fulgore & aliis reſurrectionis glorioſis dotibus antecellent. Vel *primi reſurgent* (*x*); *priùs* videlicet, quàm Chriſto Judici in nubibus adventuro occurrant; cùm reprobi contra, qui eodem momento reſurgent, æterno opprobrio perfuſi, Domino, a quo judicandi & inferorum pœnis mancipandi erunt, cum metu obviam venturi ſint.

Judæorum traditio, teſte Hieronymo [*y*], reſurrectionem noctu, aut ſummo mane, qua nempe horâ Jeſus Chriſtus egreſſus eſt ſepulcro, implendam ferebat: quam etiam traditionem a Synagogâ accepit Eccleſia, ut alibi oſtendimus. In reſurrectionis articulo, ait Paulus (*z*), tubæ clangor, & vox Archangeli perſonabunt, quibus ii, qui in ſepulcris dormient, excitabuntur. Chriſtus etiam in Evangelio [*a*]: *Venit hora*, inquit, *in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt*. Et alibi [*b*]: *Et mittet Filius hominis Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ*. Cùm de hac ultimâ die Scriptura loquitur, ubique tubæ ſonitum memorat; quare Interpretes vel tubam verè clangentem, vel ſonitum tubæ ſimilem exauditum iri aſſerunt: ſonitum, inquam, tubæ Dei, *in tubâ Dei*, nempe conſueto majorem magisque acutum, illi perſimilem, quo mons Sinai perſonuit, cùm Dominus Moyſi legem daturus deſcendit [*c*], quoque Judæi adeò fuere perterriti, ut oraverint, Moyſes, non Dominus, ſeſe alloqueretur, ne interirent.

Putant alii, hanc tubam fore Archangeli vocem, ſeu vocem Dei, vel tonitru, vel imperium, denique Dei voluntatem, quæ mortuos e pulvere eductos vitâ & immortalitate donabit: eodem enim *fiat*, quo olim omnia e nihilo, tunc e ſepulcris excitati reſtituentur. Tubam pluries ſonitum edituram Paulus prænunciat, cùm mortuos *in noviſſimâ tubâ* reſurrecturos affirmat [*d*]. Chryſoſtomus & Theophylactus Apoſtolum ad verbum explicant, Divinum Judicem, nonniſi poſt ultimum tubæ ſonitum, adventurum autumantes.

Hebræi etiam ad literam explicantes verba Iſaiæ (*e*): *Expergiſcimini, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, &c.* eumdem rorem ſtatuunt vivificâ præditum virtute, quæ vel imâ tellure conditos revocabit ad vitam. Alii docent (*f*), mortuos a Deo reſtituendos per minutum os quoddam in dorſi ſpinâ conſtitutum, incorruptibile, quod *luz* appellant. Eò autem ducuntur, quòd cecinerit Pſalmiſta (*g*): *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum* (Juſtorum): *unum ex his non conteretur*. Hoc itaque os minimum, nunquam vel corrumpendum vel conterendum, illud eſt, cujus modò meminimus. Adrianus Imperator aliquando & reſurrectionis fidem, & Judæum hujus oſſis virtutem oſtentantem irridens, verum ne aſſereret, experimento tentari voluit. Os igitur molæ ſuppoſitum, deinde in flammas projectum, denique in incude percuſſum, incolume inde ſemper evaſit. Circa os iſtud, addunt, cæteræ corporis partes in reſurrectione coibunt, quare veluti novæ earum copulationis centrum ſe præſtabit, ſive, ut quidam fert Rabbinus, veluti fermentum, quod cætera corporis membra in pulverem ſoluta iterum reſtituet; denique ceu tritici ſemen, quod terræ mandatum, frumentum gignit. Hoc Hebræorum commentum, quod eorum levitatem ſatis præfert, ſeriò refellere ſupervacaneum. Os iſtud exiſtere, nemo unquam probavit.

Authores iidem de tempore, quo anima corpori iterum copulabitur, quæſtionem inſti-

(p) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. in* 1 *Cor.* xv, 51, 52; *Tertull. de reſurrect. c.* 41, 42; *Hieronym. ad Marcellam.*
(q) *Manaſſe Ben Iſraël, l.* 2. *c.* 13, *de reſurrect.*
(r) *Hebr.* IX, 27.
(s) 1 *Cor.* xv, 52.
(t) 1 *Cor.* xv, 23.
(u) *Vide Tertull. de reſurrect. carn.*
(x) Ἀναστήσονται πρῶτοι. *Vide Chryſoſt. Theophylact. in* 1 *Theſſ.* IV, 15. *Ita & Græc. Eſt. Pagn. Vat. Eraſ. Men. Licin. &c.*
(y) *Hieronym. in Matth.* xxv, 6.
(z) 1 *Theſſal.* IV, 15, 16.
(a) *Joan.* v, 28.
(b) *Matth.* xxiv, 31.
(c) *Exod.* xx, 28.
(d) *Vide* 1 *Cor.* xv, 52; *& Chryſoſt. & Theophylact. in* 1 *Theſſal.* IV, 16.
(e) *Iſai.* xxvi, 19.
(f) *Bereſchit Rabba, Paraſch* 28; *& Zoar.*
(g) *Pſalm.* xxxiii, 21.

inſtituunt, nempe an corpore adhuc in ſepulcro jacente, an inde egreſſo, & in priorem ſtatum reſtituto. Animam pleique [h] corpori nonniſi perfecte jam formato ſeſe iterum adjunctum defendunt. Quod ſatis apud Ezechielem innuitur (i): *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris .... cùm aperuero ſepulcra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris, & dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis.* Si verò tota ſimul & uno momento reſurrectio fiet, ut jam prætulimus, quæſtio hæc prorſus inanis eſt.

(h) *Vide Menaſſe Ben-Iſraël, l. 2 de reſurrect. c. 7.*
(i) *Ezechiel.* XXXVII, 12.

Reginam Cleopatram ferunt quondam a Meir Rabbino quæſiviſſe, mortui nudine an veſtibus amicti ſurrecturi ſint [k]. Cui ille, ſicut granum tritici nudum terræ mandatum, pluribus integumentis indutum reſurgit, ita mortuos veſtibus inſtructos e ſepulcro prodituros, reſpondit. Has veſtes eaſdem putabat, quibuſcum cadavera ſepulcro inferuntur (l); quod & per veſtes probabat, quibus amictum ſeſe Samuel Pythoniſſæ exhibuit [m]. Inde factum eſt, ut Rabbini potiores pulcherrimis veſtibus indutos ſe tumulari juſſerint. Ut plurimum indumentis albis ornantur, quæ lætitiam & ſolemnitatem deſignant. Deus itaque vel eas veſtes, quibus mortui in ſepulcrum illati fuere, vel ſtatim creatas eiſdem impertiet. At quorſum veſtes? An ut a frigore, vel calore vindicent; vel ut nuditatem operiant; vel ut corpora ita venuſta & pellucida exornent? Minimè profecto. Nudi igitur omnes reſurgent. Cùm verò Judæi mille annorum in terris regnum, deliciis omnibus & voluptatibus cumulatum, poſt reſurrectionem opperiantur, mirum non fuerit, ſi homines redivivos veſtibus inſtructos inducant.

(k) *Vide Tract. Sanhedr. Rabbi Jonathan, in Cohel Rabba.*
(l) *Talmud. Jeroſol. Chilai, c. 9.*
(m) 1 *Reg.* XXVIII, 14.

Ex his difficultatibus ad aliam magis implexam deducuntur, quo nempe in loco tot homines redivivi, quibus naturalis eo in Regno beatitudo competet, conſtituendi ſint. Hoc ii potiſſimùm urgentur, qui Juſtos omnes, plurimos etiam ex integerrimis Ethnicis, reſurrecturos ſentiunt, ut millenariâ felicitate fruantur [n]. Terram nihilominus inquiunt ab eâ, quæ modò eſt, longè aliam futuram; nil tunc in eâ incultum, ſed omnia plena, omnia feracia, omnia incolis accommoda. Quare ſat erit orbis, ut domicilium iis omnibus præſtet, qui eâ fruituri felicitate in vitam reſtituentur. Paria vel ſimilia reſpondiſſe etiam Millenarios, credere par eſt.

(n) *Vide Rab. Moſen, & Rab. Moſen Gabay, Talmud, apud Menaſſe Ben-Iſraël, l. 1, c. 9, de Reſurrect.*

Metempſychoſis, cui Judæorum plurimi favent, omnium & ſingulorum reſurrectioni repugnat. Cùm enim anima una in plura juſtorum corpora ſucceſſerit, quomodo omnia iterum animabit? an uni tantùm adhæreſcet, & cætera prætermittet? An primum animabit, an ſecundum, an denique illud, quod præ cæteris reſurrectione dignum fuerit? Quidam primum [o], quidam ultimum [p] ex ſuis corporibus aſſumpturam putant; quare cætera corpora, quæ antea animavit, velut arbores infructuoſæ in agro deſertæ habebuntur. Quamlibet Animam in tria ſaltem corpora migrare iidem cenſent, ut quæ primò vitiatum corpus nacta fuerat, perfectius aliud nanciſcatur: quæque in priore in Deum peccavit, per alterum ſibi veniam conciliet. Hæc verò de metempſychoſi ſententia vulgò & ab Hebræis & a Catholicis rejicitur; quare in abſurdis, quæ hinc oriuntur, refellendis non immoramur.

(o) *Abarbanel apud Menaſſe Ben Iſraël, l. 1, c. 8, de reſurrect.*
(p) *R. b. Hiſkiah, in Zohar.*

Plurima adhuc de hominum ſtatu poſt reſurrectionem inquiruntur; quæ nempe futura ſit eorum natura, ætas, ſtatura, ſexus: an naturalibus ſuis vitiis obnoxii; an integrâ, an decrepitâ, an eâ reſurrecturi ſint ætate, qua quiſque fuerat, cùm deceſſit; an denique monſtra & infantes iiſdem affecti incommodis ad vitam revocandi ſint. Ad pleraſque harum difficultatum ſolvendas nec ſatis in Scripturâ legimus, nec etiam quibuſdam ſolvendis ſatis eſt rationem conſuluiſſe. Verumtamen, quæ apud Authores meliora, hîc recenſebimus. Ipſo Chriſto teſte (q), Juſtorum corpora erunt ſicut Angeli Dei, Paulus [r] immortalia & incorruptibilia; & Patres vulgò gloriâ undique coruſcantia, agilia, pellucida fore aſſeverant. Præter hæc, certi ferè nihil.

(q) *Matth.* XXII, 30.
(r) 1 *Cor.* XV, 53.

Quorumdam errorem, qui, ut Deum poſt reſurrectionem corporeis oculis ſpectandum probarent, carnem in Dei ſubſtantiam converſum iri, ab eâque quodammodo ſic divinitate donatâ Deum ſenſibili modo ſpectandum, defendebant, aſpernatur & optimè refellit Auguſtinus [s]; qui etiam alibi (t) aliorum opinionem refert, qui, ut nimium extollerent, videbantur reſurrectionis veritatem evertere, corpora in ſpiritum convertenda, & ab iis Deum corporeis oculis videndum aſſerentes. Corpus quidem ſpiritale nobis pollicetur Scriptura (u); non verò corporis ſubſtantiæ in ſubſtantiam ſpiritûs converſionem. Noſtra utique reſurrectio Chriſti reſurrectioni non præſtabit; Chriſtus verò corpus verum, palpandum, carne & oſſibus compactum Apoſtolis poſt reſurrectionem ſpectandum ac tangendum exhibuit (x).

(s) *Aug. Epiſt. olim* 6, *nunc* 92, *n.* 5.
(t) *Idem Epiſt.* 147, *c.* 22; & *Ep.* 205, *n.* 10.
(u) 1 *Cor.* XV, 44.
(x) *Luc.* XXIV, 39.

Beatorum corpora, inquit Chriſtus [y], *fulgebunt ut ſol*, & tanto nitore donabuntur, ut ad Dei lucem proximè accedant. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, ait Apoſtolus (z). Et alibi (a): *Nos omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.* S. Auguſtinus [b] corporum beatorum ala-

(y) *Matth.* XIII, 43.
(z) *Philipp.* III, 21.
(a) 2 *Cor.* III, 18.
(b) *Aug. ſerm.* 277, *n.* 12.

critatem levitatemque cum radiorum viſualium pernicitate confert, qui, juxta veteres Philoſophos, res viſas ad oculos deferunt, vel ab oculis ad res viſas ſummâ celeritate rapiuntur. Eâdem penetrandi virtute & agilitate beatorum corpora donabuntur; atque utì Jeſu Chriſti Corpus poſt reſurrectionem clauſis foribus Apoſtolorum cœnaculum ingreſſus eſt; ita glorioſa corpora, nullâ re eorum virtuti obſiſtente, ſecretiora & prorſus impervia loca pervadent.

Docent Hebræi (*c*), Animam, beatitudine jam donatam & a corpore ſejunctam, ſuperno, a quo maximè decoratur, & penitus pervaditur, lumine nitere; cùm verò in reſurrectione corpori rurſus copulabitur, lumine, quo ipſa fulgebit, corpus omne ita illuſtratum iri, ut membra omnia, cœli inſtar, effulgeant: *Fulgebunt* (*d*) *quaſi ſplendor firmamenti ..... & quaſi ſtellæ ad perpetuas æternitates*.

Quidam, Auguſtini ætate (*e*), ſentiebant, homines vitiis corporis ſui obnoxios reſurrecturos; quemadmodum Chriſtus cum ſuis manuum, pedum, & lateris cicatricibus reſurrexit. Qui tamen ſanctiſſimus Doctor a quolibet corporis incommodo prorſus immunes ad vitam revocandos ſtatuit: ſi enim Chriſtus ſervavit cicatrices, *hoc*, addit, *poteſtatis fuit, non neceſſitatis*; eas quippe deleri noluit, ut Diſcipulorum incredulitatem convincerent, & ad gloriæ ſuæ incrementum conſerrent. Alibi [*f*] Juſtos ſine corporis vitiis, gravitate, infirmitate, & cujuslibet indigentiæ expertes reſurrecturos teſtatur.

Hebræorum Doctores vetuſtiſſimi (*g*) eâdem ſtaturâ, temperamento, qualitatibus, & corporis vitiis mortuos in vitam reſtituendos eſſe ſentiebant. Quare, de eorum ſententiâ, ii qui antea cæcitate, triſtitiâ, gradiendi debilitate laboraverint, cæci, triſtes, claudi reſurgent: Deus verò deinde eos incolumitati reſtituet, & ſtatu longè feliciori donabit. Hanc opinionem fulciunt illo Eccleſiaſtæ (*h*): *Generatio præterit, & generatio advenit*: & exhibito Pythoniſſæ ſpectro, cùm Samuël ſenex figurâ eâdem, & iiſdem veſtibus, quibus antea vivens utebatur, ſe illi exhibuerit (*i*).

Iſaias reſurrectionem memorans, corporis vitia tunc a Deo abolenda inſinuat [*k*]: *Dicam Aquiloni, Da; & Auſtro, Noli prohibere: affer filios meos & filias meas .... Educam foras populum cæcum, & ecce videt; ſurdum, & aures ei ſunt*. Deus igitur eorum cæcitatem vel ſurditatem auferet. Quod tamen donum Juſtis tantummodò conferetur; impii verò ſuâ deformitate æternum laborabunt. Ita quidem illi ex principiis ſuis loquuntur; putant enim, ſe iterum vitam in terris traducturos, ubi ſuæ quiſque Tribui adjunctus potu, cibo, uxore utetur: neceſſe eſt igitur eo ſtatu donentur, quo commoda omnia & pergrata ipſis contingant. Cùm verò nos principiis longè aliis nitamur, eorum quoque ſententiis ſubſcribere, atque explicationibus de corporum ſtatu poſt reſurrectionem aſſentiri minimè cogimur.

Increduli & Ethnici, S. Auguſtini ætate [*l*], implexas de puerorum reſurrectione quæſtiones inſtituebant. Quærentes a Chriſtianis, quo habitu ſurrecturi eſſent pueri, urgebant: Si integrâ ætate reſurgent, ii ſunt futuri, qui nunquam fuerunt; adeoque non erit idem homo qui deceſſerat, ac ille qui reſurget. Si puſilli, infirmi, informes, ac iidem, qui in matris utero vel primo nativitatis momento fuerant, reviviſcent; quam voluptatem, quam gloriam, quam felicitatem percipient? Nonne nunquam in lucem prodiiſſe, quàm humili adeò ac demiſſo in ſtatu eſſe, illis expediret?

An pueri, ad vitam revocati, ſuam corporis exilitatem ſervaturi ſint, quòd certi nil Scriptura afferat, neque Auguſtinus definit: at de eorum reſurrectione minimè dubitat. Veroſimilius tamen ducit, & integrâ ætate & corpore integræ ætati accommodo reſurrecturos: *Credibilius plenas ætates reſurrecturas, ut reddatur munere, quod acceſſurum erat tempore*. Eſto etiam, ſubdit, in pueritiæ ſtatu reviviſcant: annon proinde infirmitate, & turpi corporis vitio laborabunt? Deeſt ne venuſtas, quæ pueritiam deceat? Deus maximam in corpus exile gloriæ lucem conferre non valet? *Poſtremò*, concludit, *corruptionem tolle, & quod vis adjice*. Alibi etiam [*m*] de pueris agens, qui antequam egrediantur in lucem, decedunt, neminem ait aſſerturum, per reſurrectionem redivivis corporibus non eſſe tribuendum quidquid perfectionis per ætatis incrementum iiſdem acceſſurum fuiſſet; ſicut etiam per eamdem eſſe adimendum, quidquid vitii corpori fuiſſet obventurum. *Ut non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore*.

Iis, qui parvulos in matris utero animâ tantùm ſentiente & vegetante, non verò rationali animatos eſſe putant (*n*), de eorum ſtatu poſt reſurrectionem nihil eſt penitus inveſtigandum, cum enim nunquam fuerint animâ inſtructi, neque inter homines ſunt recenſendi, neque propterea in vitam reſtituendi. Cùm verò, poſtquam corpus ſaltem ſuis partibus inſtructum fuerit, animâ rationali animari vulgò credantur; neceſſe eſt & hi pueri cum cæteris reviviſcant: quibus vel Deus, qui ne capillum quidem capitis noſtri periturum ſpopondit, ſtatim divinitus eam, ad quam vivendo perventuri erant, ſtaturam impertietur; vel quod in iis jam adumbratum eſt,

(c) *Rab. Levi, Migdal Hanchelam.*

(d) *Daniel.* XII, 3.

(e) *Aug. ſerm. olim* 147, *nunc* 242, *n.* 3, 4; & *ſerm.* 240, *c.* 3.

(f) *Aug. Enchirid. de Fide, Spe, & Charitate, c.* 91.

(g) *Bereſchit Rabba, Paraſch* 95; *Gemar. Sanhedrin*; & *Jalkut Rabbati*.

(h) *Eccle.* I, 4.

(i) 1 *Reg.* XXVIII, 14.

(k) *Iſai.* XLIII, 6, &c.

(l) *Vide Aug. ſerm.* 147, *nunc* 242, *c.* 3, *n.* 4; & *Ep.* 167, *edit. nov.* & *lib.* 22 *de Civit. c.* 14.

(m) *Aug. Enchirid. de fide, ſpe, & charitate, c.* 85; & *l.* 24 *de Civit. c.* 23.

(n) *Bereſchit Rab. Paraſch* 34; *Talmud. Paraſch Pinide* & *Nida, c.* 3.

eſt, perficiet; vel quod in eisdem contractum latet, explicabit; vel denique anguſtam, quam exhibent, effigiem in extenſum producet. *Creatori, qui creavit cuncta de nihilo, quomodo deeſſe poſſet, unde adderet, quod addendum eſſe mirus artifex noſſet?* ait Auguſtinus (*o*).

Veteres plures & Recentiores (*p*), iis Pauli verbis freti, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, homines eâ ætate reſurrecturos aſſeruere, qua Dominus, nempe XXXIII ſeu XXXVII circiter annos natus, obiit; quare pueri creſcent, decreſcent ſenes, ut omnes *in menſurâ ætatis plenitudinis Chriſti* conſtituantur. Apoſtolus, ait Auguſtinus, nos ad ætatem quidem, non ad Chriſti ſtaturam perventuros teſtatus eſt: qui enim Chriſtum ſtaturâ ſuperarent, iis aliquid eſſet detrahendum: id quod Domini promiſſioni repugnare videtur, qui Diſcipulis ſpopondit, ne capillum quidem ex ipſis periturum; at minimè aſſeruit, ſe nec ætatis aliquid nec ſtaturæ cuiquam addirurum.

Hæc interpretatio, vulgò licèt obtinens, nihilominus difficultate non caret. Græci (*q*), & Latini plures (*r*) eumdem Pauli locum aliter explicant. Ipſe Auguſtinus (*s*), S. Hieronymus (*t*), & D. Thomas alibi in Græcorum ſententiam deſcendunt; nempe de Fidelibus interpretantur, qui Evangelii Præconum ope in Fide & virtute ita proficiunt, ut ad perfectam ætatem, nempe ad virium, roboris, ac perfectionis ſpiritalis ſtatum perveniant.

Et monſtra quidem reſurrectura certò ſcimus; quibus tamen Deus corporis vitia auferet: *Nec reſurrectura negabuntur; nec ita reſurrectura ſunt, ac non potius correctâ emendatâque naturâ* (*u*). Quidquid morti obnoxium eſt, quidquid homo eſt, vitæ eſt reſtituendum. Si monſtrum geminum fuerit, & animabus geminis inſtructum, duo homines, & quidem ſejuncti, reſurgent; ſi animâ unâ ſolummodò, unus tantùm homo reviviſcet. Hermaphroditi eum, qui potior fuerit, ſexum aſſument. Monſtra vel proceritatis, vel exilitatis ad perfectam menſuram redigentur. Si vas inſtitui cœptum vel frangitur, vel aliter perit, figulus eamdem argillam iterum miſcens, novum inde vas perfectum & formoſum fingit. Quod in primo vaſe excedebat ſeu deerat, in ſecundo utrinque æquâ proportione diſtribuitur; quare quod ad ejus deformitatem antea, poſteà confert ad venuſtatem. Ita, proportione ſervatâ, in corporum reſurrectione fiet. Ex partibus ſingulis velut in maſſam unicam confuſis, id, quod uni lateri ſupereſt, alteri deficienti Deus ita impertiet, ut in quolibet corpore perfectus ordo eluceat. *Nulla*, inquit Auguſtinus, *ibi erit difformitas, ubi & quæ parva ſunt corrigentur, & quod minus eſt quàm decet, unde Creator novit, inde ſupplebitur. Et quod plus eſt quàm decet, materiæ ſervatâ integritate detrahetur* (*x*).

Beatorum inter & damnatorum corpora plurimum ſanè intererit; utrùm autem reprobi ſuorum corporum pravitate affecti reſurrecturi ſint, non inquirimus (*y*): *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo aut pulcritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio*. Fruſtra etiam nobis objicimus, eorum corpus fore corruptibile, ſi doloribus ſit obnoxium; vel fore corruptionis expers, ſi ſit mortis immune. Quæ enim ea incorruptio, quæ aſſiduis ſemperque renovatis doloribus afficitur? quæ ea fuerit vita, quæ omnibus calamitatibus ſemper obruetur? *Non eſt enim vera vita, niſi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, niſi ubi ſalus nullo dolore corrumpitur*. Incorruptio, robur, & corporum integritas ad pœnarum incrementum conferent: incorrupti & immortales vivent, ut perpetuò moriantur. *Reſurgent incorrupti integritate membrorum, ſed tamen corrumpendi dolore pœnarum* (*z*).

S. Fulgentius [*a*] cenſuit, impiorum corpora non eſſe immutanda, & eam immutationem, de qua Paulus [*b*], *Et nos immutabimur*, ad Juſtos tantummodò pertinere. Impii quidem, addit, ut Juſti, reſurgent; at in eâ feliciſſimâ renovatione nullam partem obtinebunt. Eâdem, quam ab ortu duxerunt, infirmitate & corruptione opprimentur; ideò nihilominus tormentorum vi non interficientur, ut eorum pœnis diutiùs obruantur. Vermis, quo vorabuntur, non occumbet; ignis, quo adurentur, non extinguetur; quo etiam igne velut ſale perfundentur, ut aliquâ ratione incorruptibiles fiant [*c*]: *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*.

In eam ſententiam venêre S. Auguſtinus & S. Fulgentius, quòd uterque incorruptibilitatem & dolorem invicem pugnare arbitrarentur. Nos verò duo iſta ſibi mutuò prorsùs adverſari nolumus, cùm dolor ſoli animæ inſideat. Animam, dolori licèt obnoxiam, naturâ immortalem ſcimus. Quis verò prohibeat, quin, corpori incorruptibili juncta, ex iis, quæ corpus affecerint, dolorem ſentiat, quamvis inde corpus mortem non ſit laturum? Sunt mala quædam, v. g. podagra, dentium dolor, quibus anima vehementer torquetur, quamvis ab iis corpus minimè interemptum iri compertum habeat.

Diù apud Catholicos diſceptatum, an fœminæ in reſurrectione proprium ſint ſexum mutaturæ. Veterum (*d*) plures affirmarunt, eo potiſſimùm ducti, quòd dixe-

(o) *Aug. l. 22 de Civit. c. 14.*
(p) *Vide Auguſt. l. 22 de Civitate, c. 15, & ſeq. Anſelm. D. Thom. hic; & Hieronym. in Epitaph. Paulæ, c. 12; Eſt. alii.*
(q) *Chryſoſt. Theophyl. Oecumen.*
(r) *Ambroſiaſt. Hayme, Sarbeld. alii plures.*
(s) *Aug. l. 22 de Civit. c. 18.*
(t) *Hieronym. in Epheſ. iv, 13.*
(u) *Auguſt. Enchirid. de fide ſpe, & charit. c. 85. Vide & lib 22 de Civit. c. 19.*
(x) *Aug. l. 22, c. 19, de Civit.*
(y) *Aug. Enchirid. c. 92.*
(z) *Aug. Ep. 116, n. 15. nov. Edit. & ſer. 302.*
(a) *Fulgent. l. de Fide, ad Petrum, c. 3, n. 37.*
(b) 1 *Cor.* xv, 52.
(c) *Matth.* ix, 48.
(d) *Origen. in Matth.* xxii, 30; *Hilar. & Hieronym. in eumdem locum; Baſil. ſeu alius in Pſal.* cxiv; *Athanaſ ſer. 3 contr. Arian. alii apud Auguſt. lib. 22, c. 17, de Civit.*

23.
(f) Rom. viii, 29.
(g) Matth. xxiii, 30.

rit Paulus (e) : *Donec occurramus omnes in virum perfectum , in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* ; alibi [f]: *Quos Deus prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui* ; quod etiam aſſeruerit Chriſtus (g): *In reſurrectione neque nubent , neque nubentur , ſed erunt ſicut Angeli Dei* . Huic ſententiæ favent præterea quædam Theologorum, & Philoſophorum argumenta ; v. g. virum dumtaxat ex humo fuiſſe eductum , fœminam autem ex viro. Addit celeberrimus Scotus, fœminam eſſe viri accidens, & nonniſi viri occaſione progenitam. Naturam ſemper ad virum procreandum intendere; aliquando tamen vel generantis, vel concipientis vitio invitam fœminas producere . Hæc majoris momenti argumenta.

(h) *Tertull. de Reſurrect. carn. c. 60, 61.*
(i) *Hier. Epitaph. Paulæ ; & Epiſt. ad Pammachium contr. errores Joann. Jeroſol.*
(k) *Auguſt. l. 22 de Civit. c. 17.*

Tertullianus [h] verò, Hieronymus (i), Auguſtinus (k) & Theologorum plerique fœminam putant æquè ac virum perfectam ; in primo Conditoris propoſito, uti virum, fuiſſe ; creaturam Dei eſſe ad generis humani propagationem neceſſariò conſtitutam; denique a naturæ ſeu vitio ſeu monſtro longiſſimè abeſſe. *Non eſt enim* , ait Auguſtinus, *vitium ſexus fœmineus, ſed natura* . Porrò ſi fœminæ originem animadvertamus, ipſo viro aliquanto perfectiorem inveniemus; vir enim ex humo tantùm eductus, fœmina verò ex ipſius viri corpore . Inane eſt objiciendo inquirere , quorſum ſexûs varietas poſt reſurrectionem? neceſſe enim foret , ut & viri ſexum mutandum diceremus: id quod ſanè ipſius objicientis menti adverſaretur.

Procul tunc erunt nuptiæ, generatio, & viri in uxorem poteſtas. Sicut Angeli Dei erimus, morborum, indigentiæ, pudoris, & concupiſcentiæ expertes . Primos Parentes in horto Eden nuditatis non pudebat , quòd integerrimâ innocentiâ decorarentur. Ita & Beatis in Cœlo continget, qui mentis acie in Dei Magnitudinem , Sapientiam, Bonitatem prorſus intenta, puritate & innocentiâ longiſſimè perfectiſſimâ ditabuntur.

(l) *Hier. loc. cit.*

Ex ipſis Jeſu Chriſti verbis , *In reſurrectione neque nubent , neque nubentur* , S. Hieronymus (l) argumentum ducit, quo ſexûs diverſitatem tunc futuram concludat: *Non enim* , inquit, *de lapide & ligno dicitur, Non nubent, neque nubentur , quæ naturam nubendi non habent ; ſed de iis qui poſſunt nubere* . Tertullianus, quòd Chriſtus omnibus hominibus reſurrectionem promiſerit, eamdem probat ſententiam: Cùm enim, ait, integer homo reſurrecturus dicitur, revocandus promittitur omnibus omninò membris inſtructus, quæ, quamvis ei, cui nunc deſerviunt, uſui inutilia, ad corporis nihilominus venuſtatem & integritatem neceſſariò exigentur . Eadem ferè occurrunt in Quæſtionibus ad Orthodoxos, Juſtini Martyris nomine inſcriptis [m], & apud Gennadium (n) inter Opera S. Auguſtini. S. Irenæus ſuum ſingulos in reſurrectione ſexum ſervaturos, ſatis perſpicuè innuit [o].

(m) *Reſponſ. ad qu. 53, ad Orthodox.*
(n) *Gennad. de Eccleſ. Dogm. c. 43.*
(o) *Irenæus, l. 2, c. 23; & l. 5, 13.*

Ingenioſi quidam reſurrectionis dogmati perplurima objiciunt. Ajunt enim: Qui fieri poterit , ut beatorum animæ corpus, quod ad ipſarum cruciatum tantummodò contulit, ament? quo pacto corpus a vermibus voratum, flammis abſumptum , in pulverem redactum, a feris, vulturibus, piſcibus diſcerptum, ad vitam revocabitur? quomodo eæ corporis particulæ, quæ per occultam transpirationem aſſiduè evaneſcunt, in idem corpus iterum coaleſcent? quomodo demum populi, qui hominum carnibus veſcuntur, ſuam iterum carnem reſurgendo aſſument , cùm inter ipſos ſæpiſſimè alterius caro in carnem alterius migret?

(p) *Vide Athenagor. de reſurect. mort. p. 43.*
(q) *Aug. ſer. 287, n. 13.*
(r) *Matth. xxvii, 52.*

Iſta ſatis evertimus, modò ſtatuatur, reſurrectionem inter ea , quæ a naturalium cauſarum ordine pendent, minimè eſſe recenſendam . Ea planè ſolius Divinæ poteſtatis eſt opus (p), cujus cauſas & rationem fruſtra ac temerè ſcrutamur . Illud tantùm hic volumus, ut rei veritatem confirmemus. Ne igitur, inquit Auguſtinus (q), de redivivorum corporum naturâ humana infirmitas definire audeat, ne ob inanem inquiſitionem, Fidei & felicis reſurrectionis meritum amittat. Novi & Veteris Teſtamenti Libri certa futuræ reſurrectionis argumenta præferunt ; cujus pignus eſt Domini, & Lazari, & Sanctorum, qui unà cum Chriſto ſurrexerunt (r), reſurrectio. Fruſtra igitur iis, quæ Dei Filius ſpopondit, & certò conſtant, difficultates objiciuntur.

Quamvis autem corporis noſtri materia ſive in pulverem, ſive in cineres redacta fuerit, ſive per transpirationem erogata , ſive in feræ, ſive in barbari hominis carnem migraverit; Deus eam diſcernet, & corpori, cujus erit, impertietur. Quod ſanè ut præſtet, neque hominis ope, neque conſilio indiget ; eaſque difficultates , quæ nullo labore nobis ſuperari poſſe videntur, nullo negotio abſorbet. An qui ex materiâ alienâ hominem verbo ſtatim condidit, ex propriâ materiâ compactum reſtituere non valeat? Particulæ omnes, quæ ab ortu ad mortem uſque corpus noſtrum compegerunt, nobiſcum utique non reſurgent; tunc enim magnitudinis monſtra fieremus. Id tantummodo nobis reſtituetur, quo, vel quanti anno ætatis trigeſimo , vel ante mortem fueramus, aptè conſtituamur. S. Auguſtinus mortuorum reſurrectionem cum æreo ſimulacro comparat [s], quod contritum & fuſum veterem ſui ſpeciem omnino amittit, ab artifice iterum conflatur, partibuſque unà miſtis in formam prio-

(r) *Auguſt. Enchirid. de fide, ſpe. & charit. c. 89; & l. 22 de Civit. c. 19.*

ri imagini ſimilem injicitur, earumque miſtione ſimulacrum fracto ſimillimum conſtituitur.

Sive igitur Deus vel quanti ante mortem fueramus, nos revocare, vel ſtaturam triginta annurum ætati congruentem nobis impertiri, vel æquè omnes ejusdem menſuræ nos reſtituere decrevir; quis prohibere poteſt, ne, quod ſupereſt, uni detractum, in alium, cui deerit, conferat, & quidquid velit, perficiat (*t*)? *Ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex eâ pereat, & quod alicui defuerit, ille ſuppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit, operari.* Huc etiam pertinet fuſoris exemplum, qui ex pluribus ſimulactis, ſpecie & ſtaturâ inæqualibus, contritis, miſtis, & ſimul fuſis, toridem ejusdem ſpeciei & ſtaturæ ſimulacra conflat.

Quamliber hac de re ſententiam amplectamur, nihil difficile videarur, cùm reſurrectio, & omnes, quæ ad eam pertinent, mutationes, Divinæ ſint opus poteſtatis. Cæterùm unumquemque figuram, ſexum, & ſtatutam ſibi propriam ſervaturum, nos probabilius ducimus: neceſſe enim putamus, ut quiſque eo ipſo, quo vivens, ſtatu iterum donetur; aliter reſurrectio, nova potiùs foret appellanda creatio, ſi alius ab eo, qui fuerat, unuſquiſque reſurget.

De hominibus, quos barbari homines voraverint, difficilior quæſtio: iis enim, quos feræ abſumpſerint, cùm hæ non ſint ad vitam revocandæ, iterum reſtituetur id quod in earum materiem migraverat. Rabbini [*u*] putant in ſæculorum exitu, ac terreno Meſſiæ Regno florenre, animalia perfectiora, quàm nunc, extitura, & in eumdem, quo ante Adæ lapſum fruebantur, ſtatum reſtituenda. Licèt verò minimè reſurrectura velint ea quæ obierint, nihilominus ſtat difficultas de iis ſaltem feris, quæ, cùm ante primam reſurrectionem Juſtorum carnes comederint, poſt eamdem reſurrectionem vitâ nondum exceſſerint. Quid enim de Juſtorum carnibus, quæ in earum ſubſtantiam migraverint? Qui huic ſavent opinioni, difficultatem ſolvant.

Nos illi occurramus, quod de *Antropophagis*, ſeu hominum voratoribus objicitur. Corpus, quod comeſum fuerit, illi ne qui comederit, & in ſuam ſubſtantiam converterit, an ipſi vorato reſtituetur? S. Auguſtinus vorato reſtituendum non ambigit (*x*): *Reddetur caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit.* Tam comeſus quàm comeſor ſuæ uterque ſubſtantiæ reſtituetur.

Athenagoras idem ſibi objiciens, ſibi etiam respondet (*y*), humanam carnem, cùm congruus non ſit homini cibus, non poſſe idcirco in hominis nutrimentum conferre, nec in ejus ſubſtantiam converti; adeòque, licèt corpori humano per comeſtionem copuletur, vel per transpirationem diſſipari, vel projici per excrementa. Paululùm, addit, in corpore humano detinetur, neque in carnem convertitur; quare ejus, qui reſurget, corpus propriè conſtituere non poteſt. Nos verò, ne noſtris Philoſophis reſponſum hoc non arrideat, ſatis veremur. Caro utique humana ad ordinarium & naturale hominis nutrimentum non pertinet, quòd Deus eâ hominibus interdixerit. At qui eâ in cibum utuntur, concoquunt, & veluti cibos cæteros ſuum in ſuccum convertunt: quam tempore, & modo, quo Deus voluerit, comeſis reſtituent, ut ait Auguſtinus. Sapientiæ Dei erit noſtrorum corporum materiam ita ſingulis impertiri, ut & promiſſionis veritas, & operum illius venuſtas undique fulgeat.

Jam verò diſſertationem abſolvamus. Veritatem ex præcipuis, quas Catholica Religio profitetur, perspicuis Veteris & Novi Teſtamenti locis, & Jeſu Chriſti promiſſionibus innixam, Domini etiam, & cæterorum, quos ipſe excitavit, reſurrectione comprobatam perpendimus. Quot nihilominus tenebris myſterium iſtud obvolvitur? Quando, quomodo, qua ſtaturâ, qua ætate reſurgemus? Hæc ab humanâ curioſitate nequicquam fanè quæruntur. In ſæculorum exitu nos reſurrecturos certò ſcimus; ſemel tantùm reſurrectionem futuram, & momento, ſeu oculi ictu abſolvendam; corpora demum Juſtorum incorruptibilitate & immortalitate donanda. At qualia reproborum corpora ſint evaſura? Quomodo immortalitas & incorruptibilitas cum pœnis innumeris aſſiduiſque ſuppliciis cohærebunt? Quomodo infantes, quo ſtatu, qua ſtaturâ reſurgent? Quomodo monſtra, & qui in matris utero deceſſerunt, reviviſcent? Hæc uni ſibi Dominus reſervavit, nobiſque ea tantùm aperuit, quæ ſcire maximè expedit; omnes nempe & ſingulos homines reſurrecturos, & ante Divini Judicis Tribunal conſtitutum iri, ut pii donentur præmio, ut impii ſupplicio mancipentur.

(t) *Auguſt. Enchirid. c. 90.*

(u) *Vide, ſi placet, Philonem, de præm. & pœn. p. 924, & Semoth Rabba, & Menaſſ. Ben-Iſraël, l. 3, c. 6, p. 303.*

(x) *Aug. l. 22 de Civit. c. 19.*

(y) *Athenagor. l. de reſurrect. mort.*

COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN
EPISTOLAM
B. PAULI APOSTOLI
AD
GALATAS.

CAPUT PRIMUM.

Paulus Galatas arguit, quòd doctrinam ſuam temerè deſeruerint. Miſſionem ſuam commendat, partaque ab illâ commoda recenſet. Jeroſolymam profectus, Petrum & Jacobum ibi nanciſcitur.

℣. 1. PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum a mortuis:

℣. 2. Et qui mecum ſunt omnes Fratres, Eccleſiis Galatiæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAulus Apoſtolus non ab hominibus, &c. In ipſo ſermonis exordio Apoſtolus laudes recenſet Apoſtolatûs ſui, quem Pſeudo-Apoſtoli deprimere conabantur, dictitantes: Iſte a primis Apoſtolis munus ſuum minimè accepit; Jeſum Chriſtum nunquam ſeu vidit ſeu agnovit. Horum obtrectationes refellit Apoſtolus, teſtatus, Apoſtolum ſe quidem eſſe non hominum deſtinatione, ſed ipſo per ſe Jeſu Chriſto, & Deo ejus Patre eligente. Qua in re Jeſum Chriſtum Patri exæquat, uti Veteres animadvertunt (a), ejusque Divinam naturam ſtatuit, aſſerens, Apoſtoli munus ſe ab homine non accepiſſe, Porrò ab ipſo Jeſu Chriſto deſtinatus fuit, cùm ipſo converſionis ſuæ tempore juſſus eſt Ananiam adire, a quo quid faciendum ſibi eſſet, moneretur (b): quo etiam tempore Ananias per viſum a Domino audivit: *Vas electionis eſt mihi iſte*, inſtrumentum ſcilicet idcirco electum, *ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis Iſraël*; addiditque Dominus: *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Hujus deſtinationis gratiâ, quin ab alio mitteretur, Evangelium nunciare Damaſci & in Arabiâ aggreſſus eſt. Cùm autem deinceps Spiritûs Sancti juſſu (c) Paulus & Barnabas ſegregati ſunt, ac miſſi ad opus, ad quod deſtinati fuerant, hæc utique nova miſſio appellanda non eſt, ſed determinatio quædam ſeu executio eorum, quæ Deus de illo ſtatuerat.

Qui suscitavit eum a mortuis. Docet interdum Scriptura, Jeſum Chriſtum e mortuis a Patre excitatum; interdum verò Jeſum Chriſtum ſuâ ipſius virtute revixiſſe (d). Alterum cum altero non pugnat; nam Jeſus Chriſtus, ut homo erat, Patris ope indiguit; uti Deus verò, ſe ipſe in vitam revocavit (e). Apoſtolus selectos, miſſus, edoctusque fuit a Jeſu Chriſto, non inter mortales quidem ſuperſtite, ſed jam e mortuis reverſo: cùm verò Chriſtus unum atque idem cum Patre ſit, ideò Paulus miſſum ſe a Filio & Patre jure meritoque aſſerit.

℣. 2. Et qui mecum sunt Fratres. Cùm incertum ſit, quo ex loco Epiſtolam hanc dederit

(a) *Vide Hieronym. hic, Chryſoſt. Theodoret. alios.* (b) *Act.* 12, 7, 15, 16. (c) *Act.* XIII, 2, 3.
(d) *Joan.* 11, 19: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Joan.* 21, 25: *Ego ſum reſurrectio, & vita. Et* X, 17, 18: *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a meipſo; & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* (e) *Chryſoſt. Hieronym. Theod. Alii.* Marcion deleverat *Deo Patre*, nequis inde colligeret, Jeſum ſuâ ipſius virtute non reſurrexiſſe, ait S. Hieronymus; & pro αὐτὸν, legebat ἑαυτὸν, *ſe ipſum: Qui ſuſcitavit ſeipſum.*

Digitized by Google

℣. 3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre, & Domino noſtro Jeſu Chriſto,

℣. 4. Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei, & patris noſtri,

℣. 5. Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. 6. Miror, quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium:

℣. 7. Quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.

COMMENTARIUS.

derit Apoſtolus, quosnam fratres hîc deſignet, non convenit. Sunt qui Fideles Epheſios ſignificari velint; alii Corinthios; alii diſcipulos itineris comites, puta Titum, Timotheum, Lucam, Soſthenem, Silam, Barnabam. Idcirco autem nomine fratrum omnium epiſtolam ſcribit Apoſtolus, ut oſtendat, nihil ſe literis tradere, quod non ab omnibus Fidelibus probetur, ait S. Hieronymus; *Plurimum quippe facit ad populum corrigendum multorum in unâ eo ſententia atque conſenſus*, Scribit autem non ad privatam aliquam Eccleſiam, nec ad unius urbis Fideles, ſed ad *Eccleſias Galatia*; nam inductum a Pſeudo Apoſtolis malum per univerſam latè Provinciam ſeſe diffuderat (f).

℣. 3. GRATIA VOBIS, ET PAX. Deus Pater, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus donis ſuis & beneficiis vos cumulent, ut pace bonisque omnibus fruamini. Sive: *Gratiam* vobis largiantur juſtitiæ, *& pacem* reconciliationis; denique gratiam & pacem unde excidiſtis, vel quibus privari meruiſtis veſtrâ erga Deum inconſtantiâ, inquit S. Hieronymus (g).

℣. 4. UT ERIPERET NOS DE PRÆSENTI SÆCULO NEQUAM. Ut nos revocaret ab ejus erroribus, ejusque ſive illecebris ſive tyrannide nos liberaret. Nos ille ex errore reduxit, affundens lucem, & ad rectam Fidei viam invitans. Sed & multo perfectiùs in viam reſtituet, cùm poſt obitum ad felicitatem immortalem pervenerimus, quam nobis Jeſus Chriſtus morte ſuâ promeruit, & ad quam nobis iter reſurgendo aperuit, Porrò ſæculum hoc *nequam* appellavit Apoſtolus, non quòd ipſum per ſe malum ſit, ut Hæretici perperam opinantur, ſed quòd peſſimos habeat homines (h).

℣. 6. MIROR, QUOD SIC TAM CITO (i) TRANSFERIMINI AB EO, QUI VOS VOCAVIT IN GRATIAM CHRISTI (k). Hîc propriè exorditur Epiſtolam, cujus veluti præfationem hactenus proſecutus eſt. Porrò Apoſtolus, qui probè dicta ſua attemperare norat ingenio animoque auditorum, hac in Epiſtolâ idcirco nunquam non ſeverus eſt & aſper, quòd Galatæ homines eſſent rudes inſtabilesque, atque in hac re negligentiores ſe exhibuerint prioris Doctoris ſui, ejusque inſtitutionum. Arguit, quòd deſciverint a Deo (l), a quo ad Jeſu Chriſti gratiam vocati fuere (m); quaſi dicat; Deus miſericordiæ ſuæ beneficio vos a profanorum erroribus ad veritatem Evangelii appellavit; vos autem indignâ prævaricatione Evangelium deſerentes, ad Legem acceſſiſtis. Profectò ſi Deus vos ad Legem appellare voluiſſet, nullo negotio id agere poterat; vos autem, invito ejus conſilio, Evangelium Legemque ſimul conciliare nitimini. Suſpicatur S. Hieronymus, transpoſitionem aliquam hîc irrepſiſſe, ut legendum ſit (n): *Miror quòd ſic tam citò transferimini a Jeſu Chriſto, qui vos vocavit in gratiam* Evangelii. Alii ſic accipiunt: *Miror quòd ſit tam citò transferimini a me*, inſtitutionibus meis, Evangelio quod vobis nunciavi, &c. (o). Sed prior explicatio melior & communior eſt. *Tam citò*. Tertium vel quartum ante annum Galatæ ad Evangelium tranſierant (p). Fortaſſe ſpectabat Paulus facilitatem, qua illi ſermonibus Pſeudoapoſtolorum pronas aures exhibuerant.

IN ALIUD EVANGELIUM (℣. 7.) QUOD NON EST ALIUD, &c. cùm aliud non ſit (q), ſaltem genuinum; quis enim neſciat, ſuppoſita eſſe alia Evangelia? At pravi illi Doctores, quos hîc Apoſtolus carpit, non aliud utique Evangelium, quàm quod ipſe prædicaverat, tradebant; ſed illud corrumpere mixtis præceptis Legalibus conabantur. Qua in re Galatæ errabant magis; quippe qui cùm ex Apoſtolo quicquid credendum erat didiciſſent, ab eo quærere debebant, ſi quid addi dictis vel detrahi oporteret. Marcionitæ, qui ex quatuor Evangeliis unum duntaxat Lucæ admittebant, legebant hîc (r): *In aliud Evangelium, cùm aliud non ſit juxta meum Evangelium*. Evangelii ſui alibi quidem Paulus meminit (s); ſed non eâ mente, ut illud ab aliis genuinis Evangeliis diſtingui voluerit; ſi tamen alia tunc temporis mandata ſcriptis Evangelia jam prodierant. Quatuor illa, quæ apud Eccleſiam Catholicam admittuntur, unum propriè ſunt Evangelium, cùm una ſit in omnibus & conſtans veritas. Unica eſt hiſtoria, a quatuor Scriptoribus ſincerè & accuratè tradita.

Sunt qui Græcum ita reddant (t): *Transferimini in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, niſi quòd aliqui volunt vos conturbare, ad evertendum Evangelium Chriſti*. Huc tandem omnes illorum conatus recidunt, ut tradito vobis novo Evan-

(f) *Chryſoſt.* Οὐ γὰρ μίαν πόλιν, οὐδὲ δύο, καὶ τρεῖς, ἀλλ' ὁλόκληρον τῶν γαλατῶν τὸ ἔθνος αὕτη τῆς πλάνης ἐπενέμετο ἡ νόσος. (g) *Hieronym. Vat, Men.* (h) *Vide Theodoret, Hieronym. alios.*
(i) *Græc.* Ὅτι οὕτω ταχέως. *In quibusdam deeſt* οὕτω. (k) *Gr.* Ἐν χάριτι Χριςοῦ, *In multis deeſt* Χριςοῦ. *Alii legunt* Θεοῦ. (l) *Ita Chryſoſt. Theodoret. alii Græci. Eſt,*
(m) *Galat.* v, 8; *&* 1 *Theſſ.* v, 24; 2 *Theſſal.* II, 14; 1 *Petri*, I, 15; 2 *Petri*, II, 3.
(n) *Ita Grot. Eraſm. Tig. Tremel. Syr.* (o) *Caſtal. Piſcat.* (p) Scriptam arbitramur hanc Epiſtolam anno Chr. 55; Galatas verò ad Chriſtum converſos anno 55.
(q) *Hieronym. Quod non eſt Evangelium. Syr. Quod non eſt. Vide Chryſoſt. Hieron. Theodoret.*
(r) Ὃ οὐκ ἔςιν ἄλλο κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου. *Ita legebat Chryſoſt. hîc. Megeth. Dialog. contra Marcion. ſect.* 5, *p.* 9. (s) *Rom.* II, 16: *Cùm judicabit Dominus occulta hominum, ſecundùm Evangelium meum.* (t) *Grot. Eraſm.*

℣. 8. Sed licèt nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizamus vobis, anathema ſit.

℣. 9. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

℣. 10. Modò enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.

COMMENTARIUS.

Evangelio, Jeſu Chriſti Evangelium a vobis removeant. Sed prior interpretatio proclivior.

℣. 8. SED LICET NOS, AUT ANGELUS DE COELO EVANGELIZET VOBIS, PRÆTERQUAM QUOD EVANGELIZAMUS VOBIS, ANATHEMA SIT. Si fieri poteſt, ut ego ſive Angelus cœleſtis aliquis Evangelium vobis aliud tradamus, anathemati ſtatim nos devovete (*u*), atque uti ſegregatos a corpore Jeſu Chriſti, ceu veritatis ejus oſores, dignos excidio, & extremis ſuppliciis deſtinatos, nos abjicite. Fieri utique non poteſt, ut bonus quilibet Angelus fictum aliquod Evangelium nunciet; atque ipſe Apoſtolus profitetur (*x*), neque vitam, neque mortem, neque Angelos, neque Principatus, &c. impetraturos a ſe unquam, ut abjiciat a ſe Jeſu Chriſti charitatem. Quæ igitur hìc ſcribit, hyperbolicè accipienda ſunt. Veteres quidam (*y*) in eâ fuerunt perſuaſione, Angelos adhuc in prævaricationem declinare, e ſtatu excidere, & falſum aliquod Evangelium nunciare poſſe. Huic opinioni non repugnantes Judæi cenſent, bonos Angelos jam inde ab exordio ſæpè in peccatum incidiſſe, & malos e bonis evaſiſſe: nec ipſe pariter Grotius eam ſententiam hìc rejicit (*z*). Sed Patribus & Interpretibus planè aliud viſum eſt; & Eccleſiæ ſententia tenet, poſt Luciferum e Cœlo lapſum, Angelos certo & immutabili ſtatu conſiſtere.

Anathema Græcè res eſt ex profano & communi in ſacrum uſum deſtinata & ſegregata. Itaque vox iſta per ſe nedum pro rebus ſacris, quæ Deo offeruntur ſive dicantur in obſequium poteſtatis & miſericordiæ illius, uſurpatur, ſed & pro iis pariter, quæ vindici Numini immolandæ, abolendæque deſtinantur, odio eorum, qui eas poſſident, Divinamque indignationem incurrerunt. Poſtremâ hac ſignificatione in Libris Veteris Teſtamenti frequenter accipitur. Ita anathemati devoti ſunt Chananæi, qui Hebræorum jugum ſpontè ſubire recuſarunt (*a*), & urbes quædam vitiis infames, ut Hiericho (*b*), & quæ Regi Arad Chananæo parebant (*c*). Denique accipitur etiam pro ſegregatione a cœtu & communione Fidelium, cùm ſcilicet quis vel criminum ſuorum immanitate, vel ſcelere animadverſione digno damnationis ſententiam ab Eccleſiæ Principibus in ſe provocat, ac veluti membrum inutile atque corruptum a reliquo ſano corpore abſcinditur (*d*). Optat hìc Apoſtolus, ſi, quod fieri nequit, Angelus aliquis, vel ipſe Paulus adeò perverteretur, ut Evangelium ab eo quod promulgabat diverſum prædicaret, anathemati ſtatim devoveri, & a Fidelium cœtu, bonorumque operum, quæ ab illis præſtantur, communione excludi.

℣. 9. SI QUIS VOBIS EVANGELIZAVERIT PRÆTER ID QUOD ACCEPISTIS. Dubitans quodammodo Apoſtolus, ne ea, quæ ſuperiore membro imprecatus eſt, ita accipiantur, ac ſi in ipſo orationis fervore loquenti exciderint, hìc eadem repetit, planè demonſtrans, conſultò ſe iſta pronunciaſſe (*e*). Cenſent Patres (*f*), Paulum obſequio quodam abſtinuiſſe ab exprimendo Petri cæterorumque Apoſtolorum nomine; ſed loco illorum ſubſtituiſſe, *Licèt nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis*, &c. ut doceret, Galatas, ne ipſis quidem Apoſtolorum Principibus, vel cæteris Evangelii præconibus, quos ipſi miſerint, parcendum eſſe, ſi pernicioſam hanc libertatem ſibi fortè uſurpaverint; ſed pronunciandum in illos anathema & excommunicationis ſententiam, quandoquidem ipſe & in Angelos ipſos, ſi fortè eò prævaricationis devenirent, eâ judicii ſeveritate animadverſurus eſſet.

Verba illa, *Præter id quod accepiſtis*, dupliciter juxta Græcum exponuntur (*g*). Primò; Si quis vobis tradiderit contraria iis, quæ a me accepiſtis: ſi Evangelium aliud ab eo, quod vobis commiſi, nunciaverit (*h*); vel, juxta S. Chryſoſtomum (*i*): Si quis aliquid nunciaverit vobis præter id quod a me nunciatum eſt, &c. *Non dixit, ſi contraria nunciaverit, vel everterit omnia; ſed, ſi minimum quid evangelizaverit præter id quod evangelizavimus, & ſi quid fortè commoverit*, anathema eſto. Sed prior explicatio communior eſt, Græcaque præpoſitio quæ *præter*, eadem ſæpè *contra* redditur (*k*).

℣. 10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO? Hominibus ne an Deo probare me ipſe contendo? an gratiam hominum aucupor (*l*)? Quorſum mihi eorum gratia? ſi Deo uni placeo, ſatis eſt. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Ne igitur putetis, fratres, me ad nunciandum vobis Evangelium ſive lucri cupiditate ſive ambitionis gratiâ deductum fuiſſe. Id unum quæro, ut Deo placeam. Meum hoc inſtitutum, cujus vos teſtes adhibeo, cum illo confer, quod cæteri poſt me venientes tenuerunt.

Græcus aliter accipitur (*m*), ut: Si ego prædicationi inſiſto, ſi vobis inſtituendis laboro, iſtud ipſum ago ut hominum, an potiùs ut Dei gratiam ineam? Quid in hac re conſilii me cœpiſſe arbitramini? Deo ne parère, an hominibus vo-

(u) *Hieronym.* (x) *Rom.* VIII. (y) *Vide Hieronym. hic.*
(z) *Vide Grotium in hunc locum.* (a) *Deut.* VII, 2, *&c.* (b) *Joſue*, VI, 17.
(c) *Num.* XXI, 1, 2, *& ſeq.* (d) *Rom.* IX, 3; *&* 1 *Cor.* XII, 3; XVI, 22. (e) *Theodoret. Chryſoſt.*
(f) *Hieronym. Ita & Theodoret. & Chryſoſt.* (g) Παρ' ὃ παρελάβετε. (h) *Theodoret. Ambroſiaſt. Hieronym. Grot. Eſt. Alii plerique. Vide Aug. tract.* 98 *in Joan. l.* 17 *contra Fauſt. c.* 3; *l.* 23, *c.* 7.
(i) *Chryſoſt. hic*: Οὐκ εἶπεν, ἐὰν ἐναντία καταγγέλλωσιν, ἢ ἀνατρέψωσι τὸ πᾶν. Ἀλλὰ, κἂν μικρόν τι εὐαγγελίζωνται παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα, κἂν τὸ τυχὸν παρακινήσωσι, *&c. Ita Theophyl. Bez. Para. Gemar.* (k) *Vide Act.* XVIII, 13; *Rom*, I, 26; IV, 18; XI, 24.
(l) *Ita Syr. Heinſ. Grot. Hamm.*
(m) Ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν;

℣. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum eſt a me, quia non eſt ſecundùm hominem:

℣. 12. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.

℣. 13. Audiſtis enim converſationem meam aliquando in Judaiſmo: quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam.

℣. 14. Et proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum.

℣. 15. Cùm autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam,

COMMENTARIUS.

volui (*n*)? Aliter (*o*): Cauſam ne meam apud homines an apud Deum ago? Vos mihi Judices futuri eſtis, an Deus? Unus certè Deus me aut probaturus eſt aut damnaturus. Hæc explicatio cæterarum optima.

Alii (*p*) vertunt: *Hominum ne an Dei doctrinam trado?* Num hominem prædico, non Deum? *Homo & Deus* ſonant hîc res humanas ac divinas; quemadmodum non rarò *prædicare Jeſum Chriſtum* perinde eſt ac doctrinam ejus & Evangelium nunciare; *prædicare regnum Dei* eſt tradere Chriſti doctrinam, qua illius regni adventum, & viam eò ducentem diſcimus.

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Si eodem, quo ante converſionem, ſtudio tenerer, aucupandi nempe Judæorum gratiam, Apoſtolus Jeſu Chriſti non eſſem (*q*). Vel: Quorſum tot Judæorum inſectationes in me provocarem, ſi imitari vellem eos Evangelii præcones, qui Legalium profeſſionem cum Chriſtianis inſtitutionibus jungendam contendunt? At eſſem a Chriſti ſervitute alienus, nec miniſterii mei officia integrâ fide implerem.

℣. 11. Quia non est secundum hominem. Non eſt humanæ rationis inventum; nec voluntatis meæ conſilio hanc ego prædicandi provinciam aſſumpſi, ſed jubente & inſpirante Numine illam ſuſcepi. Evangelium prædico, non ab homine edoctus, ſed ab uno Jeſu Chriſto. (℣. 12) *Neque enim ab homine accepi illud... ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Falſi Doctores, a quibus Galatæ docebantur, oggerebant nomina Petri, Jacobi, Joannis, cæterorumque Principum Apoſtolorum, quorum diſcipulos ſe eſſe venditabant (*r*). Apoſtolus hîc palam profitetur, nullum ſibi fuiſſe Doctorem; ſcientiam ab uno Jeſu Chriſto ſe accepiſſe. Cùm autem reponi potuiſſet, nunquam ab eo viſum Jeſum Chriſtum, addit, muneris ſui deſtinationem & Evangelii ſcientiam ipſo Deo revelante ſe obtinuiſſe, tunc ſcilicet cùm voce e Cœlo datâ dejectus in terram in itinere Damaſceno, deinde ſurgens, triduo cæcitatem contraxit (*s*); vel cùm poſt annos aliquot ad tertium uſque Cœlum raptus, audivit arcana verba, quæ nefas eſt homini loqui (*t*). Ex hoc teſtimonio collige, Jeſum Chriſtum verum eſſe Deum, cùm Apoſtolus aſſerat, ſe non ab homine, ſed ab ipſo Jeſu Chriſto Evangelium accepiſſe (*u*).

℣. 13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo. Ut probet, ab ipſo Jeſu Chriſto Evangelium ſibi traditum fuiſſe, addit: Qualis olim fuerim, noſtis. Noſſe id poterant Galatæ, ſive ipſo de ſe Paulo, ſive Judæis aut pſeudo-Apoſtolis de illo narrantibus. Certiores facti eſtis, quanto furore Eccleſiam inſectatus fuerim: ſtatim autem ex adverſario in Apoſtolum tranſivi; ex Judæo acerrimo ſtatim Chriſtianus & præco Evangelii. An iſthæc mutatio naturalis eſt? Num abſque novo & inuſitato prodigio ad extrema adeò inter ſe oppoſita tranſitus datur (*x*)? Aliter (*y*): Demonſtraturus veritatem Evangelii quod prædicabat, vitæ ſuæ ante converſionem actæ inſtitutum profert. Si homo in Judaiſmo educatus, qui traditiones moreſque omnes norat, patriam religionem ritusque Evangelio poſtpoſuit, nequidquam in contrarium molientibus Judæis; qualenam ſtudium & amorem erga hanc Religionem vobis nunciatam, Galatæ, vos habere par eſt, qui ex profanis ad Chriſtiana ſacra tranſiſtis? Libentiùs quis credat homini, qui ſectam ſuam, in qua illuſtris clarusque habebatur, qui omnia ejus dogmata probè noverat, defeſuit, cùm præſertim eò non aliter venerit, quàm prodigio coactus; libentiùs, inquam, ille auditur, quàm qui temerè & inconſulto, ſive impetu quodam in eam ſententiam deſcendit.

℣. 14. Æmulator paternarum mearum traditionum. Innuit hîc Apoſtolus quæ alibi (*z*) planiùs expreſſit, ſe ſcilicet Phariſæum eſſe ex Phariſæorum ſtirpe ſatum: *Phariſæus, filius Phariſæorum.* Phariſæos enim a cæteris diſtinguebat ſedula paternarum traditionum cuſtodia.

℣. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ. Ab ipſâ æternitate Deus ad Apoſtolicum munus Paulum deſtinaverat (*a*) mero miſericordiæ beneficio, nullo viri merito inductus (*b*): *Vocavit per gratiam ſuam.* Vel planiùs: Ab ipſo ortu, vel antequam in lucem ederetur, illum elegerat in Apoſtolum; non rarò enim Scriptura prædeſtinationis exordium in

(n) *Menoch. Theodoret.* Μηδεὶς με τοίνυν ἡγείσθω τὴν παρ' ἀνθρώπων δόξαν θηρᾶσθαι.
(o) *Chryſoſt. hic*: Μὴ πρὸς ὑμᾶς μοι ὁ λόγος ἐστι, μὴ γὰρ ἄνθρωποί μοι δικάζειν μέλλουσι, πρὸς τὸν Θεὸν ἡμῖν ὁ λόγος ἐστί. Quid ſit πείθω, vide 1 *Reg.* xxiv, 9; *Matth.* xxviii, 14; & 2 *Cor.* v, 11, ubi ſonat placare, gratiam inire, purgare ſe apud aliquem. *Eſt. Grot. Hamm. Tir.* Vide & S. Hieronymum. (p) *Vatab. Eraſm. Gomar. Vorſt. Martianay.*
(q) *Hieronym. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Grot. Eſt. Men. Tir. Alii.*
(r) *Hieronym. Theophyl. Theodoret.* (s) *Act.* ix, 6, & *ſeq.* xxii, 14, 15; xxvi, 17, 18.
(t) 2 *Cor.* xii, 2, 2, 3. (u) *Hieronym. hic.* (x) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Para.* (y) *Hieronym. Eſt.*
(z) *Act.* xxiii, 6. (a) *Hieronym. Chryſoſt. alii Græc.* (b) *Confer Rom.* i, 1; 1 *Cor.* vii, 15; 2 *Cor.* iv, 1; 1 *Timoth.* i, 13, 16; & *Chryſoſt. hic.*

Digitized by Google

℣. 16. Ut revelaret Filium ſuum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni, & ſanguini;

℣. 17. Neque veni Jeroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abii in Arabiam: & iterum reverſus ſum Damaſcum:

℣. 18. Deinde poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim:

℣. 19. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.

℣. 20. Quæ autem ſcribo vobis; ecce coram Deo, quia non mentior.

℣. 21. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ.

COMMENTARIUS.

in ipsâ æternitate, frequenter etiam in ortu, vel in ipſo conceptionis tempore conſtituit. Neque iſta inter ſe pugnant; non enim plura prædeſtinationis decreta Deus facit, ſed quæ ſemel decrevit, hæc variis ſubinde temporibus ac per varias occaſiones exequitur & manifeſtat (c).

℣. 16. Ut evangelizarem illum in gentibus. Apoſtolum vocavit Deus eo potiſſimùm conſilio, ut gentibus Evangelium nunciaret (d): *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus.* Nomine Apoſtoli gentium gloriatur Paulus (e): *Ego ſum gentium Apoſtolus.* Addit (f), eumdem illum, a quo Petrus Apoſtolus circumciſionis conſtitutus fuit, auctorem fuiſſe, ut ipſe Paulus gentium Apoſtolatu fungeretur; profectum verò ſe Jeroſolymam Apoſtolorum Principes nactum eſſe, qui manuum impoſitione ſibi pariter & Barnabæ provinciam prædicandi gentibus ac Judæis Evangelii commiſerunt.

Continuo non acquiavi carni et sanguini; ſpretis carnis ſanguiniſque ſuaſionibus, me totum ad prædicandum Jeſum Chriſtum contuli; res meas, me, neceſſarios, amicos, fratres, Apoſtolos, aut hominum quemlibet non conſului (g); ſonantem intus in animo, exteriùſque auribus corporis ſequutus ſum vocem Chriſti, me de cœlo vocantis, ejuſque miniſtri, ad quem ille me miſit, ut arcana ejus conſilia diſcerem. Nullius conſilio indigere me eâ in re arbitratus ſum, cùm Deus non obſcurè mentem voluntatemque ſuam explicaret. Græcos (h): *Statim non contuli cum carne & ſanguine*, nempe, conſilium non cæpi; ſive, *conſilium meum non communicavi*, non conſului. Omnia hæc in unum recidunt.

℣. 17. Neque veni Jerosolymam, ad conſulendos eos, qui ante me ad hoc munus vocati fuere. Vix baptiſmo initiatus Damaſci, ſtatim Evangelium ibi prædicavit, deinde in partem Arabiæ Damaſco proximam excurrit; tum Damaſcum rediens, priſtino operi inſtitit. Sed Judæis Damaſcenis in ejus necem conſpirantibus, proripere ſe fugâ coactus, ſe per mœnia Urbis clam dimiſſus in ſportâ, vênit Jeroſolymam (i). Ibi verò, obſervantiæ potiùs (k) ac religionis quàm neceſſitatis gratiâ, Petrum & Jacobum conſuluit (l).

Profectionem Pauli in Arabiam idcirco præterit Lucas, quòd nihil in eâ magni momenti, brevemque ibi moram egerit. Notat tantummodò, Apoſtolum, Damaſco Jeroſolymam cùm veniſſet, nihil habuiſſe antiquius, quàm ut ſe Diſcipulis Jeſu Chriſti conjungeret; a quibus ſedulò vitabatur, quippe qui felicem illius mutationem ignorantes, timebant. Illum igitur Barnabas deduxit ad Apoſtolos, certiores illos de converſione ejus ad fidem reddens (m).

℣. 18. Diebus quindecim. Toto eo tempore, obſervantiæ gratiâ, apud illos manſit, inquiunt Patres (n); minimè verò ut Religionis dogmata, quæ jam inde a triennio prædicabat, ediſceret.

℣. 19. Jacobum fratrem Domini. Jacobum, cui pater *Alphæus*, vel *Cleophas*, mater ſoror Virginis Mariæ; propinquum & conſobrinum Jeſu Chriſti ex carne, cognomento Minorem, primumque Jeroſolymæ Epiſcopum (o). Carus adeò & venerabilis hic fuit populo, ut ad tangendas ejus veſtes certatim undique concurſus fieret. Pro fide Jeſu Chriſti e ſummo Templi faſtigio dejectus interiit.

℣. 21. In partes Syriæ et Ciliciæ. Cùm prædicationis munus Jeroſolymæ exorſus fuiſſet Apoſtolus, & cum Helleniſtis potiſſimùm diſputare cœpiſſet, illorum odia in ſe adeò acuit, ut hi, initâ conſpiratione, necem illius molirentur. Fratres id agi ſentientes, Cæſaream illum deduxere (p), unde tetendit in Syriam, deinde in patriam Tharſum, ubi munus Apoſtolicum proſecutus eſt (q).

℣. 22. Eram

(c) *Vide Eſt. hic.* (d) *Act.* IX, 15.

(e) *Rom.* XI, 13; *&* XV, 16: *Miniſter Chriſti in Gentibus.*

(f) *Galat.* II, 8, 9.

(g) *Ita plerique. Grot. Eſt. Men. Voſſ. J. Capell.*

(h) Εὐθέως οὐ προσανεθέμην σαρκὶ, καὶ αἵματι. *Hieron. Non contuli cum carne & ſanguine. Tertull. Non retuli ad carnem & ſanguinem. De Reſur. c.* 50.

(i) *Act.* IX, 25, 26.

(k) *Chryſoſt.* Μηδὲν Πέτρου δεόμενος, ἀλλ' ἰσότιμος ὢν αὐτῷ, ἀνέρχεται ὡς πρὸς μείζονα, καὶ Πρεσβύτερον. *Vide & Theodoret. Hieronym. Non diſcendi ſtudio, ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.*

(l) ℣. 18: Ἱστορῆσαι Πέτρον. *Alex. in totâ hac Epiſtolâ*, Κηφᾶν, *pro* Πέτρον. *Sic Barber.* 1, *Æth. Copt.* Ἱστορῆσαι *ſignificat, videre percontandi gratiâ. Eraſm. Heinſ.*

(m) *Act.* IX, 26, 27, *& ſeq.*

(n) *Hieronym. Severian. in Caten. Mſſ. apud Mill. Eſt.*

(o) *Theodoret. Hieronym. hic. Alii.*

(p) *Act.* IX, 29, 30. (q) *Hieronym. hic. Chryſ. in Acta, homil.* 55.

℣. 22. Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judææ, quæ erant in Chriſto.

℣. 23 Tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat,

℣. 24. Et in me clarificabant Deum.

COMMENTARIUS.

℣. 22. ERAM IGNOTUS FACIE ECCLESIIS JUDÆÆ, ſed famâ notus. Nequaquam igitur accepi ex Judæâ doctrinam, quam vobis tradidi (r): neque etiam legalibus præceptis obſequendum eſſe docui, quod mihi crimini vertunt adverſarii (s), cùm nonniſi per tranſitum ibi fuerim.

CAPUT II.

Apoſtolus poſt quartum decimum ab acceptâ fide annum de rebus Evangelii Apoſtolos conſulit. Legalia ſervare nullo præcepto jubetur. Petri diſſimulationem arguit. Lex juſtum hominem nequaquam efficit; alioquin fruſtra Jeſus Chriſtus mortem oppetiiſſet.

℣. 1. DEinde poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito.

℣. 2. Aſcendi autem ſecundùm revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe; ne fortè in vacuum currerem, aut cucurriſſem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST ANNOS QUATUORDECIM ITERUM ASCENDI JEROSOLYMAM. De initio & exitu periodi hujus annorum non ſatis convenit. Sunt qui ducendam ab Aſcenſione Jeſu Chriſti cenſeant (a); alii a converſione Apoſtoli malunt (b); alii a poſtremo itinere, quod tertio poſt converſionem anno idem Apoſtolus obivit; id quod & nobis cum S. Hieronymo aliiſque nonnullis doctiſſimis Chronologis probatur (c), id contigiſſe ratis anno ab Apoſtoli converſione ſeptimo & decimo, & Jeſu Chriſti anno LI. Hæc porrò itineris cauſa fuit. Poſt varias peregrinationes redierat tandem Apoſtolus cum Barnaba Antiochiam; illiſque ibi verſantibus, fratres quidam eò fortè ex Judæâ venientes, docuere, neminem poſſe ſalutem conſequi, niſi admiſſo unâ cum circumciſione legalium omnium exercitio (d). Philaſtrius (e) & S. Epiphanius (f) a Cerintho ejuſque aſſeclis has turbas invectas cenſent, rati, ſeditioſos illos, inconſultis Apoſtolis, ad neophytorum tranquillitatem turbandam veniſſe. Evangelii libertatem adversùs illos vindicandam Paulus & Barnabas ſuſceperunt. Incaleſcentibus animis e re viſum fuit, mitti Paulum & Barnabam Jeroſolymam, ut Apoſtolos & Seniores conſulerent. Igitur profecti ſunt anno quartodecimo a priore illo itinere, quod Apoſtolus, Petrum inviſurus, obivit.

℣. 2. ASCENDI AUTEM SECUNDUM REVELATIONEM, quæ mihi iter illud ſuaſit. Antequam fratrum precibus aſſentiretur, Deum conſuluit.

CONTULI CUM ILLIS EVANGELIUM, QUOD PRÆDICO IN GENTIBUS. Græcum (g), quod hîc redditur *contuli*, ſuperiori Capite, ℣. 16, reſpondet verbo *non acquievi*. Significat propriè amicum conſulere, & animum illi reſerare. Jeroſolymam veniens Apoſtolus, nactus eſt eam Eccleſiam agitatam eodem diſſidio, cujus cauſâ iter illud ipſe ſuſcepit. Chriſtianorum quidam, utpote ex Phariſæis ad Evangelium converſi, contendebant, imponendam eſſe Gentibus ad fidem converſis circumciſionem & legalium omnium obſervationem (h). Ut igitur eò vênit Apoſtolus, pro concione expoſuit doctrinam, quam prædicabat, & profectionis ſuæ cauſam; deinde *ſeorſum* contulit cum Apoſtolis (i) cæteriſque *qui videbantur aliquid eſſe*, de rebus majoris momenti, arduis & occultis (k). Viſum eſt, Concilium ad rem maturiùs expendendam cogere.

(r) *Hieronym. hic.*
(s) *Chryſoſt. Theoph. Geot.*
(a) *Vide Capell. Hiſt. Apoſtolorum.* Legi vult τεσσάρων, pro δεκατεσσάρων; quatuor pro quatuordecim. Grotius aſſentitor; at exemplarium authoritate carent.
(b) *D. Thom. Cajet. Perer. in Ep. ad Rom. Baron. an. 51; Eſt. Harduin. Alii,*
(c) *Uſſer.* Tillemont, Note 17 ſur S. Paul. (d) *Act.* XX, 1, 2, *& ſeq.* XV, 2.
(e) *Philaſtr. c.* 36. (f) *Epiphan. hæreſ.* 28. (g) Ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ Εὐαγγέλιον. *Berner. Gr.* Ἀνεβαλόμην. *Lat. Expoſui. Ita & Aug. Oecumen.* Τυτέςι, ἐκοινωσάμην. (h) *Act.* XV, 5.
(i) Κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς δοκοῦσι. *Quidam addunt*, εἶναί τι, *aliquid eſſe*. Τοῖς κορυφαίοις. *Phot. apud Oecumen.* Δοκέω non rarò ſonat magni fieri, cæteris præſtare. *Zeger. Eraſm. Grot. alii.*
(k) *Aug. hic, n.* 10.

℣. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, compulsus eſt circumcidi:

℣. 4. Sed propter ſubintroductos falsos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent;

℣. 5. Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.

℣. 6 Ab iis autem, qui videbantur eſſe aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea intereſt. Deus perſonam hominis non accipit); mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.

COMMENTARIUS.

Ne forte in vacuum currerem, quemadmodum ii, qui in ludia publicis metam non aſſequuntur, aliis præcurrentibus. Verebar, ne tot laborum ac prædicationum fructu carerem. At fieri ne poterat, ut Apoſtolos totia ſeptem ac decem a converſione annis perſeveraret nunciando undique Evangelio fluctuans ſemper incertusque, rectè ne an fruſtra curreret vel cucurriſſet? Igitur de veritate eorum, quæ nuntiabat, ipſe quidem non dubitabat; ea enim Jeſu Chriſto docente noverat, ac probè intelligebat, Deum uberi prodigiorum benedictione prædicationem ſuam & labores proſequutum; ſed de cæterorum dubitationibus tollendis res erat *(l)*, demonſtrandumque palam, nihil a ſe doceri, niſi reliquorum Apoſtolorum doctrinæ conſentaneum. Verebatur, ne, ſi doctrinam prædicationemque ſuam principibus inter Apoſtolos non approbaſſet, Diſcipuli ſui, aures pseudo Doctoribus præbentes, quam ex ſe acceperant fidem abjicerent. Nihil igitur prædicationi ejus deerat, niſi exterior Apoſtolorum approbatio *(m)*; ut obſtruerentur illorum ora, qui omnem dabant operam, ut malam de illo famam ſpargerent, ejusque opus ſubverterent.

℣. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi. Ex profano patre natus Titus, ad Chriſtiana ſacra tranſierat, nec circumciſionem admittere coactos fuerat, ſive antequam baptiſmate tingeretur, ſive cùm degeret Antiochiæ, vel Jeroſolymis, cum Apoſtolis cæteriſque Fidelibus verſans. Ad cæterorum conſuetudinem, non ſecus ac reliqui fratres, admittebatur, neglectâ religione eorum, qui neminem non circumciſum admitti ad fidem poſſe contendebant. Circumciſio igitur neceſſaria non putabatur. Argumentum eſt ineluctabile. Si enim is ad hanc adactus non fuit, cur vobis ea imperanda eſt?

℣. 4. Sed propter subintroductos falsos fratres. Neque eorum clamoribus neque precibus tunc ceſſimus, neque ab Apoſtolis, ut cederemus, juſſio facta eſt. Particula *ſed*, quæ in Vulgatâ & Græco *(n)* legitur, otioſa eſt, & in Codicibus planè multis abeſt, rejiciturque a S. Hieronymo, & Theodoreto, qui hæc cum verſiculo ſuperiore continuant in hanc ſententiam: *Neque Titus..... compulſus eſt circumcidi propter ſubintroductos falſos fratres*: inſtantibus illis licèt atque obnitentibus, nihil tamen eorum clamores valuerunt.

Falſi fratres ſubintroducti, qui ſubintroierant clam inter Apoſtoli ſocios; *ut explorarent libertatem quam habebant in Chriſto*, erant, ex S. Epiphanio *(o)*, Cerinthiani, qui cùm ſtudio legalium arderent, ægrè ferebant probari ab Apoſtolo exemplo ſuo Evangelii libertatem, quæ legalium ſervitutem negligebat. Igitur in cœtum ſociorum ejus clam irrepentes, quam vitæ rationem ſinguli eorum tenerent, explorabant. *Falſos fratres* appellat, quòd prava conſilia agitarent, id unum quærentes, ut criminationes in illos ſtruerent, illiaque invidiam apud Fideles crearent. De larvatis hiſce fratribus queritur in alterâ quoque ad Corinthios Epiſtolâ *(p)*, poſt aliquot ab hac annos ſcriptâ.

℣. 5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione. Eorum gratiâ nihil egimus, camdem vitæ rationem retinendam nobis eſſe ducentes *(q)*. Græci Latinique Codices longè aliter ab iis, qui modò ſuppetunt, olim legebant. Vetuſtiſſimi Patres, puta S. Hieronymus *(r)* & Tertullianus *(s)*, cum Interpretibus vetuſtiſſimis, Ambroſiaſtro, & Hieronymiaſtro, Sedulio, Primaſio, Claudio Antiſiodorenſi, illud, *quibus neque*, minimè legunt; eaque verba in multis quoque Latinis Codicibus ætatis ſuæ deſiderari, S. Hieronymus teſtatur; quemadmodum & deſunt in Codicibus S. Germani & Claromontano. Putat Millius, S. Auguſtinum, Florum Diaconum, & Haymonem Alberſtadenſem omnium primos poſt S. Hieronymum legiſſe, quemadmodum Vulgata & Græci recentiores Codices ferunt *(t)*; quæ quidem lectio æquior & proclivior videtur.

Ita verò ſententiam hanc interpretantur ii, qui hæc verba, *quibus neque*, rejiciunt. Titus quidem circumciſionem admittere juſſus non fuit; ſed propter ſubdolos fratres, qui clam inter noſtros ſeſe inſinuarunt, libertatem noſtram exploraturi, *ad horam ceſſimus ſubjectione* (ſubjicientes nos legalibus) *ut veritas Evangelii permaneat apud vos*. Cedendum duximus, ac brevi diſſimulandum, ne charitatis vinculum romperetur, & incommodis planè multis Evangelium objiceretur.

℣. 6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid *(u)*, qui primas tenere videbantur, edoctus

(l) *Chryſoſtom. hic.* (m) *Vide Hieronym. Eſt. Aug. l. 28 contra Fauſt. c. 4: Si non inveniret Apoſtolos in carne, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omninò non crederet.* (n) Διὰ δὲ τοὺς παρεισάκτους ψευδαδέλφους. *Quidam non legunt. Vide Mill. Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 3.* (o) *Epiphan. hæreſ.* 28. (p) 2 *Cor.* 11, 26.
(q) *Hieronym. Chryſ. Theodoret. Alii paſſim inter recentiores.* (r) *Irenæ. l.* 3, *c.* 13.
(s) *Tertull. l.* 5 *contra Marcion. c.* 3. (t) *Græc. impreſſ.* Οἷς οὐδὲ, *Quibus neque. Quidam Latini: Quibus ad horam. Alii: Ad horam ceſſimus. Sixti V: Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectioni, alii, ſubjectione.* (u) Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι. *Plures Latt. omittunt, eſſe aliquid. Hieron. Eſt.*

℣. 7. Sed e contrà cùm vidiſſent, quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis.

℣. 8. [Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes].

℣. 9. Et cùm cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis; ut nos in Gentes, ipſi autem in circumciſionem;

℣. 10. Tantùm ut pauperum memores eſſemus; quod etiam ſollicitus fui hoc ipſum facere.

℣. 11. Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.

COMMENTARIUS.

ctus ſum nihil; vel ex Græco (x): *Ii, qui videbantur eſſe aliquid, nihil mecum communicavere* conſultantes. Eadem hîc vox recurrit, quæ ſupra reddita eſt *acquievi*, & *contuli*; valetque conſulere aliquem, de re aliquâ conferre. De meo inſtituto quod monerent, Apoſtolis nihil occurrit, nihilque reprehenſione dignum inventum eſt; nihil novi me docuerunt (y).

QUALES ALIQUANDO FUERINT, nihil moror. Significat hîc Paulus, Apoſtolos, quorum virtutem ac dignitatem adeo amplificabant vaniloqui illi Doctores, nihil habuiſſe ſummum atque eximium, antequam a Jeſu Chriſto comites adſciſcerentur (z). Nihil moror eorum originem, acumen, præſtantiam: perſonarum acceptor Deus non eſt. Summus donorum ſuorum arbiter Deus, pro imperio illa diſtribuit. Satis mihi eſt commemoraſſe hîc, nihil novi edoctum me ab illis fuiſſe. Aliter: An ii, quos tunc conveni, Apoſtoli deinde ſententiam inſtitutumque mutaverint, ſive an jam tunc, ad Legalia quod attinet, aliter illis videri cœperit, non quæro: ſatis mihi eſt affirmaſſe, nihil in me reprehenſione dignum ab illis eſſe deprehenſum (a).

℣. 7. CREDITUM MIHI EST EVANGELIUM PRÆPUTII, SICUT ET PETRO CIRCUMCISIONIS. Cave putes, Petrum Judæis tantummodò, Paulum Gentibus dumtaxat prædicaſſe: uterque potiſſimùm inſudabat redigendæ ad fidem Genti illi, quam Spiritûs Sancti vocatione ſibi deſtinatam norat, quamvis & cæterorum ſalutem non negligerent. Scitum eſt enim, Petrum ad fidem convertiſſe, & luſtralibus aquis tinxiſſe plures ex gentibus, & quàm multos ex Judæis Pauli operâ profeciſſe (b): ſcitum etiam, Deum gratiâ ſuâ proſequutum utriuſque prædicationem, ſive fidem circumciſis ſive incircumciſis nunciarent. Id unicè curabant, ut omnium terrarum populos ad Fidem invitarent. *In commune hoc habebant propoſiti, ut Chriſto ex cunctis Gentibus Eccleſiam congregarent*, ait S. Hieronymus.

℣. 9. DEXTRAS DEDERUNT MIHI SOCIETATIS. Genuinum Jeſu Chriſti Apoſtolum me agnoverunt, mores doctrinamque meam probantes. Dare dextram amicitiæ & ſocietatis eſt (c): in Sacrum Apoſtolorum cœtum nos evocarunt.

℣. 10. TANTUM UT PAUPERUM MEMORES ESSEMUS; & colligendis piis Fidelium largitionibus per ea loca, quæ nos eſſemus prædicando peragraturi, operam noſtram impenderemus. Inter ſummas miniſterii ſui curas Paulum & Barnabam hanc poſuiſſe, ex epiſtolis, ſive quas hactenus, ſive quas deinceps exponemus, diſcere licet. Qui Jeroſolymis agebant Fideles, rerum ſuarum, quas in communi poſſidebant, jacturam fortaſſe fecerant in eo tumultu, quo interfectus eſt Stephanus (d); de quâ calamitate explicatur illud Apoſtoli ad Hebræos (e): *Opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti, ſocii taliter converſantium effecti. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.*

℣. 11. CUM AUTEM VENISSET CEPHAS ANTIOCHIAM, IN FACIEM EI RESTITI, QUIA REPREHENSIBILIS ERAT (f). Simulatio ejus palàm omnibus comperta erat. Vel potiùs: Rationem ejus agendi nemo non improbabat; errabat enim non occultè, ſed in propatulo. Compertum eſt, quàm acriter olim diſputatum ſit inter S. Auguſtinum & S. Hieronymum de hac Pauli objurgatione. Contendebat S. Hieronymus, id a Paulo præſtitum tantummodò in ſpeciem fuiſſe, & communicato cum Petro conſilio, ut eâ ratione rem maximè arduam & graviſſimam docerent, uſum nempe carnium, quas immundas haberi Lex decreverat, & abſque Judæorum, qui a Gentilibus vehementer abhorrebant, offenſione, utriuſque ejus gentis concordiam inſinuarent. Opinionis ſuæ aſſertores Græcos Patres S. Hieronymus laudabat (g), ex quorum fide aſſerendum ſibi duxerat, utrumque Apoſtolum piâ ſimulatione eâ in re uſum fuiſſe. Sed in ſententiam planè oppoſitam conceſſit S. Auguſtinus, eâ potiſſimùm ratione, quòd hujuſmodi ſimulationes veritati repugnantes admittere in Scripturis periculoſum eſt; cenſetque præſtare, ut Petrus in errorem aliquem lapſus, quàm Paulus aliquid non verum literis mandaſſe credatur.

S. Auguſtini opinionem amplexi ſunt ferè omnes, qui poſt illum ſcripſere, præſertim e Scholâ Theologi, uti S. Thomas (h), S. Bonaventura, Scotus, Paludanus, Major, Durandus, Gabriel, aliique permulti; ſed peccatum Petri, quòd dolo malo vacaret, veniale tantùm fuiſſe admittunt; rati, non ſatis animadvertiſſe illum

quæ

(x) Οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προσανέθεντο. (y) *Chryſ.* Οὐκ ἐδίδαξαν, οὐ διώρθωσαν, οὐ πλεῖόν τι προσέθηκαν ὧν ᾔδειν. *Vide & Hieronym. Ille cum illis contulit, & multa ad eos retulit; illi nihil contulerunt ei, ſed tantummodò quæ dicta ſunt ab eo comprobantes, dexteras dederunt conſortii.*
(z) *Vide Hieronym.* (a) *Chryſoſt. Hieronym. Eſt.* (b) *Hieronym. Grot. Alii.*
(c) *Levit.* VI, 2; *Jerem.* L, 15. (d) *Act.* VIII, 1. (e) *Hebr.* X, 33. 34.
(f) Ὅτι κατεγνωσμένος ἦν. (g) *Hieronym. Ep. inter Auguſtin. a. 75, nov. Edit. n. 4, ubi laudat Origenem, Didym. Laodicen. Alexandrum, Euſeb. Emiſenum, Theodorum Heracl. Joan. Chryſoſt.*
(h) *D. Tom.* 1. 2. *qu.* 103, *art.* 4.

℣. 12. Prius enim quàm venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cùm autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant.

℣. 13. Et ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Judæi; itaut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem.

℣. 14. Sed cùm vidiſſem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Judæus ſis, gentiliter vivis, & non Judaicè: quomodo Gentes cogis Judaizare?

℣. 15. Nos naturâ Judæi, & non ex Gentibus peccatores.

COMMENTARIUS.

quæ inde mala provenire poſſent; ſatagens enim, ne Judæorum animos offenderet, ſuo erga Gentiles muneri deerat. Peccavit igitur Apoſtolus, ſed imprudens ignoransque peccavit, veniâ proinde & excuſatione dignus. Non adeò tamen leve peccatum cenſuit S. Auguſtinus *(i)*, gravitatem criminis illius ex eo colligens, quòd id agere Antiochiæ nequaquam Apoſtolus poſſet, niſi aut neceſſariam eſſe Legalium mandatorum obſervationem reputaret; id autem exiſtimaſſe Apoſtolum, nemo prudens ſuſpicabitur: aut prudens ſciensque aliquid ageret contrarium iis, quæ facienda eſſe norat; quod quidem usque adeò leve & minimum judicari, Religio non ſinit.

Utrùm Cephas, de quo hîc, ipſe ſit Apoſtolus Petrus, disputatur. Veteres quidam negavere, quorum opinionem peculiari diſſertatione expendimus. Pro *Cephas*, Græcus & S. Hieronymus legunt *Petrus*. Liquidò tamen conſtat, veteres Scriptores hîc legiſſe Cephas; alioqui nulla incidiſſet quæſtio, utrùm Cephas unus idemque cum Petro fuerit.

℣. 12. Priusquam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat. Judæi Neophyti erant, a Jacobo Minore Jeroſolymorum Epiſcopo miſſi. Porrò Judæi iſti Legi obtemperabant; eumdemque morem tota Jeroſolymorum Eccleſia tenebat; nondum enim Apoſtoli Legalia vetuerant, quamvis ea a Gentilibus ad Fidem converſis ſervari non præciperent. Lex quidem jam mortua erat, nondum mortifera: non peccabant, qui illam negligerent; at neque illius obſervatio crimini dabatur. Cùm igitur veniſſe Judæos animadverteret Petrus, timebat, ne illos offenderet, ſi convivas habere neophytos ex Gentilibus, qui nec legalia nec ciborum delectum ſervabant, perſeveraret. Intelligens tamen Paulus, Barnabam cæterosque Judæos neophytos in hanc Petri diſſimulationem concedere, de re aliter judicavit; metuensque ne a Gentilibus id ita uſurparetur, quaſi Petrus definiret, legalium neceſſitatem adhuc perſeverare, quod planè oppoſitum erat Concilii Jeroſolymitani decreto, palam omnibus Petrum redarguit. Reverâ Petri factum nihil criminis continebat, agendique cauſam habebat laudabilem; ſed ſucceſſus Religioni maximè pernicioſus eſſe poterat *(k)*.

℣. 14. Dixi Cephæ coram omnibus. Quemadmodum Petri diſſimulatio nocere omnibus poterat, ita illum coram omnibus arguendum Paulus cenſuit *(l)*. Cæteris in rebus charitatis & prudentiæ leges id præſtari ſeorſum juſſiſſent: at tunc palam argui debuit. Adeò miti & pacato animo id tulit Petrus, uti dignum erat viro, quem Jeſus Chriſtus eo elogio donaverat *(m)*: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Si tu, Judæus cum sis, gentiliter vivis, et non Judaice, &c. En argumentum ineluctabile, ait S. Hieronymus *(n)*: Tu ex Judæis natus, Legis obſequio a pueris aſſuetus, vivis nihilominus cum Gentilibus, omnique amotâ animi religione, Legalia negligis, dum privatum te contines, ſolumque conſcientiæ tuæ dictamen ſequeris: cur nunc diſſimulatione & exemplo trahis Fideles ex Gentilibus ad Legis jugum ſubeundum, cui Legi nunquam illi paruerunt, ſeque ſubmittere nunquam juſſi ſunt? Perſuadere quodammodo aliis niteris id, quod tu nunquam in animum induxiſti, Legalium ſcilicet neceſſitatem.

℣. 15. Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores; ex Gentibus ſcilicet quæ peccato obnoxiæ ſunt. Non ſatis conſtat, utrùm verba hæc cum ſequentibus ad Petrum, an ad Galatas *(o)* Paulus direxerit. Sunt qui verba Pauli ad Petrum hic deſinere putent; alii verò producunt usque ad ℣. 17, alii ad 18, alii denique ad finem usque Capitis protogant *(p)*. Nos ad utramque ſententiam explicabimus. Statuentes igitur, verba hæc ad Petrum dirigi, ita interpretamur: Si tu pariter & ego, Judæi cùm ſimus origine, genus ſanctum ſortiti, & vocatione juſti, nihilo tamen minùs tenere nos veram juſtitiam in operibus Legis non poſſe, ſed in fide Jeſu Chriſti cenſuimus; quo pacto cogis Gentiles, idololatriâ & peccato merſus, ſubdere cervices Legalibus, quaſi ſcilicet eorum merito dari illis queat vitæ Sanctitas illa, quam nos in illis nanciſci nequivimus? Si verò hæc ad Galatas dicta reputentur, ita explicamus: Si nos Judæi, Legalium exercitationi aſſueti, atque exteriorem munditiem Lege imperatam colentes, adhuc tamen ut aſſequamur veram juſtitiam, neceſſe eſſe putavimus, Jeſu Chriſti Fidem amplecti, cur vos, o Galatæ, cogimus Legem admittere, quam imparem juſtitiæ coram Deo procurandæ planè agnovimus?

Judæos peccatoribus opponit, familiari Hebræorum locutione, qui inſitâ quadam vetuſtâque ſuperbiâ *peccatorum* nomine omnes a ſuâ religione alienos traducebant; quaſi uni ipſi juſtitiam colerent: feſtucam in oculo fratris conſiderantes, trabem in ſuo negligebant *(q)*. Fateor equidem, Gentiles nequiores fuiſſe Judæis; at

(i) *Aug. Ep. olim* xix, *nunc* 82; *& de Agone Chriſtiano*, c. 30: *Cùm in ſimulationem ſuperſtitioſam lapſus eſſet. Vide & de Baptiſmo*, l. 2, c. 1.

(k) *Grot. Eſt. Grmar.* (l) *Aug. hic*: *Quòd autem coram omnibus, neceſſitas coëgit, ut omnes illius objurgatione ſanarentur.* (m) *Matth.* xvi, 18. (n) *Vide Hieronym. Aug. Chryſ. alios hic.*

(o) *Grot. Beza.* (p) *Ita Chryſoſt. & Hieronym. Eſt.* (q) *Aug. hic*: *Peccatorum nomen Gentibus impoſuerant Judæi jam vetuſtâ quâdam ſuperbiâ, tamquam ipſi juſti eſſent, &c.*

℣. 16. Scientes autem quòd non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti; & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis; propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.

℣. 17. Quòd ſi quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores, numquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit.

℣. 18. Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo.

℣. 19. Ego enim per legem, legi mortuus ſum, ut Deo vivam: Chriſto confixus ſum cruci.

COMMENTARIUS.

at ne iſti quidem juſtitiam ſatis tenebant; nec rarò aceldebat, ut ſe multo juſtiſſimos arbitrarentur, quamquam ſæpe ambitione, ſuperbiâ, ingratique animi vitio majorum quàm Gentiles criminum reos ſe conſtituerent.

℣. 16. SCIENTES QUOD HOMO NON JUSTIFICATUR EX OPERIBUS LEGIS, deſtitutis gratiâ, fide, charitate (r); ſed *per fidem Jeſu Chriſti* (s); quam tamen charitas animat, & bona opera comitantur. *Nos in Chriſto Jeſu credimus*, compertum habentes, ineptam eſſe Legem, ut plenam juſtitiam pariat. Potiore igitur jure vobis, o Galatæ, qui nunqoam ſub Lege meruiſtis, ſatis habendum eſt, ſi teneatis fidem Jeſu Chriſti, neglectis Legalibus, quibus nihilo meliores efficeremini. Vel potiùs, converſâ ad Petrum oratione: Si nos juſtos fore Legis exercitatione deſperavimus, cur eidem Legi parêre cogis Gentiles, qui nunquam illam agnovere?

℣. 17. QUOD SI QUÆRENTES JUSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SUMUS ET IPSI PECCATORES, NUMQUID CHRISTUS PECCATI MINISTER EST? Si Jeſus Chriſtus per Fidem & mandatorum ſuorum obſervationem ad juſtitiam nos perducere nequaquam valet, adeò ut opus adhuc ſit pariter Legem Evangelio jungere; fiet inde, ut ipſe pariter Jeſus Chriſtus nos in peccatum impulerit, cùm jugo Legis nos liberavit; laqueos ipſe nobis ſtruxerit, docens, adeſſe tandem tempus, quo veri adoratores Patrem ubique ſpiritu & veritate venerentur (t); addensque futurum, ut qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalutem aſſequatur (u). Uterque noſtrûm, qui novum Fœdus annunciamus, nec Religioni ducimus a Legis ſanctionibus legaliumque profeſſione recedere, quique alios vinculo illorum abſolvimus, nos, inquam, prævaricatores ſumus? Eſt ne Jeſus Chriſtus, ideſt, doctrina Evangelii, nobis peccandi offendiculum, ex eo ſcilicet, quòd ab avitis Legibus recedere nos cogit (x)?

Vel potiùs ad Galatas: Si Jeſu Chriſti fides, & Evangelii obſervatio juſtitiam nobis procurare non valent abſque Legis auxilio; nos igitur adhuc in peccato perſeveramus, & ipſe pariter Jeſus Chriſtus peccati potiùs quàm juſtitiæ & vitæ miniſter eſt, quippe qui a Legalibus nos removens, pernicioſam fucatamque libertatem nobis contulit. *Numquid Chriſtus peccato miniſter eſt?* Majorem obſequii ſignificationem habet hic dicendi modus, quàm ſi aſſerentis more concluderet, ut oratio ipſa expoſcere videbatur: *Igitur Chriſtus peccati miniſter eſt* (y).

℣. 18. SI ENIM QUÆ DESTRUXI, ITERUM HÆC ÆDIFICO, PRÆVARICATOREM ME CONSTITUO. Si ambo Legis authoritatem, quam evertimus, neceſſitatem ejus jam ſublatam eſſe aſſerentes, iterum reſtituimus, nonne prævaricatores & fallaces merito nuncupabimur? Vel ad Galatas: Docui, ſi ad ſalutem obtinendam Legis obſervatio retinenda eſt, Jeſum Chriſtum nedum vobis inutilem, verùm etiam offenſioni potiùs & peccandi occaſioni fore. Addo, me pariter cæterosque Apoſtolos, qui docuimus, Jeſu Chriſti fidem ad ſalutem ſufficere, neglectis Legalibus, prævaricatores eſſe & doctores fallaces. Arbitror autem, neutrum aſſerturos eſſe novos hoſce Doctores; nec, ſi illi aſſeruerint, vos fidem præbituros.

℣. 19. EGO PER LEGEM LEGI MORTUUS SUM, UT DEO VIVAM. Chriſtianam Religionem profeſſus, vitæ Legis nuncium remiſi, ut uni Deo per Fidem Jeſu Chriſti vivam. Olim in Moſaicæ Legis obſequio fiduciam collocaveram; nunc me perinde erga illam habeo ac frigidum cadaver, guſtu, ſenſu, cupiditate carens. Oblitus ſum Legis, eâque rejectâ totum me converti ad Fidem Jeſu Chriſti, quam charitas animat, quæque per virtutes morales agit. Vide *Rom.* VII, 1. Talis ſum ego Legi, qualis uxor viro defuncto; eo enim ſublato, ipſa libera efficitur. Vide 1 *Cor.* VII, 39.

Lex ipſa libertatem hanc mihi procuravit; *Per Legem Legi mortuus ſum*; neceſſitatem enim Mediatoris ipſa me docuit; ac Prophetis nunciantibus, novum Fœdus & libertatis aſſertorem didici; illiſque Doctoribus intellexi, vana eſſe ſacrificia legaleſque ritus, fide, ſpe, & charitate deſtitutos (z). Sive ex Hieronymo: Per Evangelii Legem, Moſaicis inſtitutionibus; per Legem ſpiritalem Legi carnis & literæ mortuus ſum. Ab ipſo Jeſu Chriſto edoctus Legalium rituum inanitatem, literâ abjectâ, ſpiritum tenui.

CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI (a). Aliis verbis repetit priorem ſententiam: *Legi mortuus ſum, ut Deo vivam*. A Lege divulſus, unà cum Chriſto Cruci adhæſi. Viro meo priore defuncto, alterum adſcivi. Olim Judæus, factus ſum Chri-

(r) Vide *Rom.* III, 28, 30, *&c.*

(s) *Niſi per fidem Jeſu Chriſti*. *Gr.* Ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, non ſignificat, *Nemo juſtus fit ex operibus Legis, niſi habeat fidem Jeſu Chriſti*; id quod innueret, hominum juſtificationem fieri per Fidem ſimul & Legis opera; contra quàm ubique docet Paulus; ſed ἐὰν μὴ uſurpatur pro ἀλλὰ, *ſed tantùm*. Vide *Matt.* XII, 4; *Marc.* XIII, 32; 1 *Cor.* VII, 17; *Galat.* I, 7; *Apoc.* IX, 4, *&c. Grot. Glaſſ. Eraſm. Druſ. Gomar. Bez. Jac. Capell. &c.* (t) *Joan.* IV, 23.

(u) *Marc.* XVI, 16. (x) *Oecumen.* Ἁμαρτωλοί, τῷ τὸν νόμον καταλιπεῖν. *Vide Eſt. Vat.*

(y) *Chryſoſt. hic*: Ἂν τοίνυν φιλονεικήσωμεν στῆσαι νόμον αὐτοῦ τούτου, παραβάται γινόμεθα τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ λυθέντα φιλονεικοῦντες τηρεῖν. *Ita alii plures.* (z) *Vide Grot. & Gomar. hic; & Aug. in Gal.* II, *n.* 17; *& Theodoret. hic.* (a) Χριστῷ συνεσταύρωμαι.

Google

℣. 20. Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

℣. 21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.

COMMENTARIUS.

Chriſtianos. Per baptiſmum conſors fio mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Jeſu Chriſti (β), adeoque *vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus*. Vetere homine defuncto ſepultoque, homo novus in me vivit. Haud abſimiles locutiones in Epiſtolâ ad Romanos occurrunt (γ): *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem..... Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato, &c.*

Hæc omnia perinde benè explicantur, ſive ad Petrum, ſive potiùs ad Galatas dicta cenſeantur. Hæc ſunt quæ fides Chriſti in nobis præſtitit. An opus eſt, ut cùm Legi interierim, Legi iterum vivam? novum Fœdus abjiciam, poſtquam Chriſti Crucem amplexus, juſtitiam mihi ab eâ tantummodo obventuram agnovi? Iſtane omnia abjicienda mihi erunt, ut Legis jugum iterum aſſumam?

Poſtrema hæc verba cum ſuperioribus Græci Patres continuant in hanc ſententiam: *Ut Deo vivam, Chriſto confixus ſum Cruci*. Hæc mihi gratiam, hæc mihi juſtitiam parit, conjunctio cum Chriſto, per quam mortis ejus in baptiſmo particeps efficior. Sed Interpretes Patreſque Latini explicationem priore loco datam amplectuntur.

℣. 20. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. Si vitam ago puram & innoxiam, ſi a Deo inſtitutum hoc meum probatum iri confido, fiduciæ hujus ratio non a Lege, quam abjeci, ſed a Chriſti Fide, quam admiſi, petitur. Si a peccato exemptus ſum, id beneficium uni Jeſu Chriſto acceptum refero. Denique ſi in mortali & corruptibili carne adhuc vivo, vitam tamen non carnalem ſed ſpiritalem ago, &c.

℣. 21. Non abjicio gratiam Dei. Faxit Deus, ut poſt guſtatam Dei mei gratiam, ad Legem non revertar. Libertatis, redemptionis, vocationis ad fidem beneficium pluris æſtimo, quàm ut iterum ſervituti Legis me ſubmittam. Arguit hiſce ſive ſimulationem Petri, qui ſuſpicionem moverat Gentilibus ad Fidem converſis, neceſſariam eſſe Legis obſervationem; vel potiùs inconſtantiam Galatarum, qui Legalibus ſe ſubmittere volebant. Hoc eſt utique, Fidei beneficium minoris quàm pro merito æſtimare. Etenim ſi Lex juſtos nos reddit, Jeſu Chriſti mors inanis efficitur: *Si per Legem juſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt*. Inutile eſt nobis Evangelium, inutile novum Fœdus, inutilis Fides Jeſu Chriſti, ſi ſalutem hominibus procurare ſola per ſe Moyſis Lex valet (δ).

CAPUT III.

Abraham Spiritum Sanctum non ex operibus, ſed ex fide obtinuit. Qui Legi ſubmittuntur, maledicto ſerviunt. Juſtus ex fide vivit. Chriſtus maledicto ſe ſubdidit, ut nos ab eo liberaret. Exhibitas olim Abrahamo promiſſiones Fides implevit. Jeſus Chriſtus omnia eſt in omnibus.

℣. 1. O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus?

COMMENTARIUS.

℣. 1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? Poſtrema hæc verba, *non obedire veritati*, in pluribus optimis Codicibus (a) Græcis Latiniſque deſunt, nec leguntur in Syro, Copthico, Ambroſiaſtro, S. Hieronymo, S. Auguſtino, Sedulio, Primaſio, Pſeudo-Hieronymo hic, S. Chryſoſtomo, Theophylacto & Oecumenio. Ex Capite v, 7, hujus Epiſtolæ huc irrepſerunt.

Ita cum Galatis hic agit Apoſtolus, ut hebes craſſumque eorum ingenium poſcere videbatur, ait S. Hieronymus (b). Levitatem eorum atque inſaniam arguit, quòd facilè adeò decipi ſe paſſi fuerint a pſeudo-Apoſtolis, novum jugum & intolerabile imponere conantibus: *Quis vos faſcinavit?* In Græco (c) vox legitur ſonans præ-

(β) *Theodoret. Eſt. Grot. Alii.* (γ) *Rom. vi, 2, 3. & ſeq.* (δ) *Chryſoſt.* Εἰ γὰρ ἀπέθανεν ὁ Χριστὸς, εὔδηλον ὅτι διὰ τὸ μὴ ἰσχύειν τὸν νόμον ἡμᾶς δικαιοῦν, εἰ δὲ ὁ νόμος δικαιοῖ, περιττὸς ὁ τοῦ Χριστοῦ θάνατος. *Ita Hieron. Theodoret. alii.*

(a) *Alexand. Clarom. G. L. S. Germ. L. Boerner. G. L. Adamantii Exemplaria, teſte Hieronymo. Codex Conſtantienſ. & Bibl. Paulina, teſte Eraſmo.*

(b) *Hieronym. hic: Arbitror & Apoſtolum Galatas regionis ſuæ proprietate pulſaſſe. Et proœm. in 2 Lib. Comment. Ep. ad Gal. Non mirum eſt ſtultos, & ad intelligentiam tardiores Galatas nuncupatos.*

(c) Τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε;

℣. 2. Hoc ſolum a vobis volo diſcere: ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?

℣. 3. Sic ſtulti eſtis, ut cùm ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?

℣. 4. Tanta paſſi eſtis ſine causâ? ſi tamen ſine causâ.

℣. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis; ex operibus legis, an ex auditu fidei?

℣. 6. Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.

℣. 7. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt filii Abrahæ.

COMMENTARIUS.

præſtigias, quibus alicujus oculis ludibrium fit, ne videat id quod coram geritur, & videre ſibi aliter quàm res ipsa poſcit, videatur. Decepti eſtis, quaſi Lex a Moyſe lata planè neceſſaria ſit ad ſalutem, tametſi adeò edocti fueritis fidem Jeſu Chriſti, ut Divinus iſte ſalutis veſtræ Author quodammodo ante oculos veſtros crucifixus videretur: *Ante quorum oculos Chriſtus præſcriptus eſt (d) in vobis crucifixus*. Morti ejus veluti adſuiſtis; tam altè menti veſtræ Chriſtus crucem paſſus inſedit. Nos illum coram vobis ferè pinximus, dedimusque imitationi veſtræ exemplar & ſpecimen. Quonam igitur pacto tam citò ejus memoria e veſtris mentibus evanuit, ut inania ſpectra ſequeremini? Quàm multa vos pro illo toleraſtis, ut meritò putaremus illum ſupplicium crucis in vobis & vobiſcum tuliſſe? *In vobis crucifixus*. Statim autem fiduciam veſtram ab illo ſubductam, in operibus Legis collocaſtis. Immanem prævaricationem!

℣. 2. EX OPERIBUS LEGIS SPIRITUM ACCEPISTIS, AN EX AUDITU FIDEI? Ex eâ, quam audiſtis, Fide, ſive quam, nunciantibus nobis, accepiſtis. An, ſi Lex ad ſalutem neceſſaria eſſet, ſi prædicatio noſtra ad ſalutem non ſufficeret, Deus ſpiritum ſuum, Divinaque dona contuliſſet (e), cùm vos baptiſmate abluti fuiſtis, & nobis tradentibus fidem admiſiſtis? Quæ dona tunc largè adeò accepiſtis, nonne veluti ſigillum & approbatio ejus, quam nunciabamus, fidei habenda fuerunt? An qui nos exceperunt Apoſtoli, novis beneficiis vos obſtrinxerunt? nova ne prodigia patravere? novis S. Spiritûs largitionibus bene de vobis meriti ſunt? ſive jam acceptis alia iterum & alia addiderunt? Horum igitur prædicatio inanis, & doctrina perniciosa eſt.

℣. 3. CUM SPIRITU COEPERITIS, NUNC CARNE CONSUMMEMINI? (f) *Spiritus* eſt hîc Evangelium; *caro* Lex (g). In viâ Dei primi veluti greſſus per carnem figuntur, per ſpiritum iter abſolvitur. Incipientium ſtatos ſtatui proficientium plurimum concedit. Primò quidem Deus Legem, deinde Evangelium tradidit. Ab humilioribus incipiens, in ſuperioribus deſiit. Contraria omnia apud vos; primò enim fidem ingenti ſtudio excepiſtis; nunc verò gradum convertitis ad Legalia, quæ Evangelium ſive abrogavit ſive perfecit. Quæ iſthæc ordinis perverſio? Id

perinde eſt, ait S. Chryſoſtomus, ac ſi Imperator aliquis ſive miles, poſt relatam victoriam & debita virtuti ſuæ præmia, deſerto ſegniter ordine, turpem faceret hoſtibus ſuis deditionem.

℣. 4. TANTA PASSI ESTIS SINE CAUSA? SI TAMEN SINE CAUSA. Tanta ne vobis pro fide toleranda fuerunt, ſi Fides iſta, tamquam per ſe infirma, Legis Moſaicæ auxilio indiget (h)? At futurum ſpero, ut Deus tantos labores irritos cadere non ſinat; oculos tandem vobis aperiat, errorem veſtrum, pravaque adverſariorum veſtrorum ac Doctorum fallacium conſilia detegat (i). Id committet Deus, ut priorum operum veſtrorum meritum in novam veluti vitam tunc reſtituatur, cùm gratiæ ejus auxilio ad priſtina officia redieritis (k).

℣. 5. QUI OPERATUR VIRTUTES IN VOBIS, EX OPERIBUS LEGIS, AN EX AUDITU FIDEI? Chriſtus, qui adhuc prodigia inter vos patrare non ceſſat; nam S. Hieronymus (l), S. Auguſtinus & Ambroſiaſter, ſicut & Græcus, verbum hoc in præſenti legunt, rati dona illa miraculorum apud Galatas, quamquam prævaricationis hujus reos, adhuc perſeveraſſe. Verùm S. Chryſoſtomus aliique plures (m) de re præteritâ explicant. Jeſus Chriſtus, qui per Spiritum ſuum nuper tot tantaque prodigia inter vos geſſit, illa ne edere tunc cœpit, cùm vos ad legalia tranſtuliſtis, an verò cùm Evangelium admiſiſtis? Idem repetit, quod ſupra, ℣. 2.

℣. 6. SICUT SCRIPTUM EST (n): ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. Deſumpta ſunt hæc ex Geneſi, XV, 6; laudanturque pariter in Epiſtolâ ad Romanos (o), ut probent, juſtos nos Fide, non operibus Legis effici: quamvis enim Abraham nunquam ſub Lege vixerit, juſtitiæ tamen gratiam impetravit merito fidei, ipsâ quoque circumciſione nondum admiſſâ. Igitur ſi juſtitia obtineri poteſt ſine Lege, quis Legis obſervationem neceſſariam eſſe ad ſalutem aſſeruerit?

℣. 7. COGNOSCITE ERGO, QUIA QUI EX FIDE SUNT, fideles, fide viventes, II SUNT FILII ABRAHÆ. Ne Galatæ reponerent, ad obtinendam fidem & juſtitiam Abrahami, neceſſe eſſe genus ex illo referre, Legemque profiteri, quam Deus filiis ejus tradidit; occupans Apoſtolus, ait genuinos Abrahami filios non eos quidem eſſe, qui ex

 Abra-

(d) *Græc.* Προεγράφη, *præſcriptus. In antiquis Editis, etiam Sixti V. & apud plurimos Expoſitores legitur, proſcriptus, vitiosè.* (e) *Chryſoſt. Hieronym. Theodoret. Alii.*

(f) *Plures legunt:* Conſummamini. *Ita Ambroſiaſt. Primaſ. Edit. Sixti V. Græc.* Σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε.

(g) *Theodoret.* Πνεῦμα τὴν χάριν ἐκάλεσε, σάρκα δὲ τὴν κατὰ νόμον πολιτείαν. *Ita Chryſ. Hieron. alii paſſim.* (h) *Hieronym. Theodoret. Chryſ. alii.* (i) *Chryſ.* Εἴγε καὶ εἰκῆ. Εἰ γὰρ βουληθείητε, φησὶν, ἀνανῆψαι, καὶ ἀνακαλέσασθαι ἑαυτοὺς ἔτι καιρός. (k) *Chryſoſt. ibidem. Eſt. hic.*

(l) *Hieronym. Aug. Ambroſiaſt. hic. Eraſm.* (m) *Theodoret. Theophyl. Eſt. alii.*

(n) *Græc.* Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσε. *Non legit:* Scriptum eſt, *nec Hieron. nec Aug. nec mſſ. Lat. plurimi.*

(o) *Rom.* IV, 3; & *Jacobi*, II, 23.

℣. 8. Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes.

℣. 9. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.

℣. 10. Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt: Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis, ut faciat ea.

℣. 11. Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt, quia juſtus ex fide vivit.

℣. 12. Lex autem non eſt ex fide; ſed: Qui fecerit ea, vivet in illis.

COMMENTARIUS.

Abrahamo naturali procreatione geniti ſunt; ſed eos, qui fidem illius, pietatem, obedientiam, fidelitatem imitantur.

℣. 8. PROVIDENS SCRIPTURA, &c. Ut doceret Scriptura, per Fidem juſtas effici a Deo gentes, neque hoc eſſe peculiare beneficium ſoboli Abrahami datum, de Abrahamo ait (p): *Benedicentur in te omnes gentes.* Peculiare igitur unis Judæis non eſt, ſed gentes omnes complectitur, Abrahami fidem imitantes, adeoque & vos Jeſu Chriſto credentes: quin & ipſimet Hebræi ab eo excluduntur, niſi Abrahami fidem imitentur. Hæc locutio, *Benedicentur in te omnes gentes*, illud ſolummodo ad verbum ſonat: Omnes terrarum populi viciſſim ſibi optabunt ea beneficia, quibus Deus proſequutus eſt Abrahamum. Vulgaris futura eſt inter gentes parœmia: Ita tibi benedicat Deus, uti Abrahamo. De ſpiritalibus beneficiis, juſtitiâ, gratiâ hic interpretatur Apoſtolos. Ut his potiare, ſatis eſt, ſi Abrahami filius ſis animo & fidei imitatione.

℣. 10. QUICUMQUE ENIM EX OPERIBUS LEGIS SUNT, SUB MALEDICTO SUNT; SCRIPTUM EST ENIM: MALEDICTUS OMNIS QUI NON PERMANSERIT IN OMNIBUS, QUÆ SCRIPTA SUNT IN LIBRO LEGIS. Hebræus Deuteronomii locus (q), unde hæc verba derivata ſunt, non legit illud, *omnis*, nec *in omnibus*, ſed tantùm: *Maledictus qui non permanet in ſermonibus Legis hujus.* S. Hieronymus putat, Hebræorum fraude e Codicibus ſuis duas haſce voces *omnis* & *omnibus* eraſas fuiſſe; nam lectionem Pauli ſervant Samaritanus, qui vetus eſt Textus Hebraicus, qui ante captivitatem obtinuit; & Septuaginta, qui vetuſtiſſimi omnium ſunt Hebræorum Codicum Interpretes. Anathemate hoc ferit Moyſes non eos, qui ſive imbecillitate ſive aliâ quacumque de causâ Legem violaturi fuerint; ſed eos dumtaxat, qui penitus illam abjecerint, ſeu potiſſime ejus dogmata & mandata rejecerint, nec facti illos pœnituerit; illos enim pronunciat Dei maledicto fore obnoxios, & e medio populi delendos. Jam verò ad Pauli collectionem redeamus.

Demonſtranda a contrariis ſuſcipit ea, quæ ſuperioribus verſiculis aſſeruit. Quemadmodum beneficia illa, quorum ſpes Abrahamo facta eſt, ad eos tantummodo pertinent, qui fidem ex illo & obedientiam potiùs quàm ſanguinem traxerint; ita & ea, quæ in Moyſe pronunciantur adversùs Legis prævaricatores maledicta, in caput eorum recidunt, qui per prævaricationem dignos ſe pœnâ conſtituunt. Igitur ex Hebræis illi, qui ſolâ ſanguinis cognatione ad Abrahamum pertinent, filii Abrahami per fidei imitationem non ſunt; adeoque & indigni, qui promiſſa Abrahamo præmia conſequantur; digni verò qui maledictis in Lege prolatis ſubdantur.

Facilè autem probari poteſt, Hebræos, qui ſolâ ſanguinis cognatione Abrahamo junguntur, per prævaricationem Legis maledicta in ſe provocare. Primò enim reos ſeſe violatione graviſſimorum præceptorum conſtituunt. Secundò rei ſunt pariter ex eo, quòd mandatis aliis levioribus obediunt. Graviſſima profectò Legis præcepta cenſenda ſunt mandatum de dilectione Dei ac proximi, & de cultu ſpiritali Deo impendendo; his autem præceptis uti opus eſt non obtemperant ii, quibus Abrahami fides, charitas & obedientia deſunt; graviſſima igitur Legis præcepta violant. Reliqua Legis præcepta, quæcumque illa ſint, ritualia, judicialia, moralia, absque prædictis virtutibus ritè impleri nequeunt. Qui ergo ex Abrahamo originem trahunt, non virtutes, omnium Legis præceptorum reos ſe produnt. Meritò proinde maledicto, quod Moyſes imprecatus eſt, ſubduntur. Quamobrem vos, o Galatæ, id molimini, ut Legis præceptis obtemperetis; nam illis etiam abjectis, beneficiorum Abrahamo promiſſorum compotes eſſe poteſtis; illis verò admiſſis, adhuc tamen diſcrimen ſubeundi Legis maledicta non effugitis.

℣. 11. QUONIAM AUTEM IN LEGE NEMO JUSTIFICATUR APUD DEUM.... QUIA JUSTUS EX FIDE VIVIT. Si Lex ſola juſtitiam parit, inutilis eſt ad juſtitiam obtinendam fides. Scriptura autem pronunciat, fidem eſſe neceſſariam, ut homo juſtus fiat: Lex igitur ſola juſtum non efficit. Ut collectionis hujus vis tota eruatur, ita argumentum conficiendum eſt: Fide amotâ, nemo juſtus redditur; non ergo Lex ſola juſtum facit. Teſtimonium quidem Habacuc (r) non ſatis perſpicuè declarat, neminem absque fide juſtum fieri; ſed aliter acceptum nunquam rectè exponetur. Si enim juſtitiæ comparandæ alia quàm Fidei via teneatur, fallax eſt aſſertum illud: *Juſtus ex fide vivit*; vivere enim aliter quàm per fidem, puta per Legis obſervationem, poteſt. Manifeſtum eſt autem id voluiſſe Apoſtolum, ut aſſumpta e Prophetâ ſententia ſecundùm latiſſimam ſignificationem accipiatur, perinde ac ſonaret: Absque fide vivere nemo poteſt. Commodè etiam Hebræus redditur: *Juſtus per fidem, vivet*: id quod omnino probat, principium juſtitiæ hominis eſſe Fidem.

℣. 12. LEX AUTEM NON EX FIDE; ait enim Fi-

(p) *Geneſ.* XII, 3.

(q) *Deut.* XXVII, 27. ארור אשר לא יקים את דברי התורה הזאת לעשות אותם 70. Ἐπικατάρατος πᾶς ἄνθρωπος, ὃς οὐκ ἐμμένει ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τοῦ νόμου τούτου. Samaritanus fert: *Maledictus qui manſerit in omnibus verbis Legis hujus.* (r) *Habacuc*, II, 4. וצדיק באמונתו יחיה *Vulg. Juſtus in fide ſuâ vivet.* 70: Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. *Alii* Ὁ δὲ δίκαιός μου ἐκ πίστεως ζήσεται. *Hieronym. hic, ex Aquilâ; & Theod. Juſtus autem ex fide ejus vivet; ſupple, Dei.*

℣. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno;

℣. 14. Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Jeſu; ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

℣. 15. Fratres [ſecundùm hominem dico]: tamen hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat.

℣. 16 Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

COMMENTARIUS.

Fides: *Qui fecerit* præcepta mea, *vivet in illis*. Habes hîc ſententiam, alteri ſententiæ ex Habacue aſſumptæ ſpecie tenus oppoſitam. Propheta enim aſſeruit, illum, quicumque tandem fuerit, qui Fidem tenuerit, victurum; Moyſes verò (s) vitam ſpondet ei, qui Legi obtemperaverit. Priorem ſententiam adducit Apoſtolus, ut Legis inutilitatem demonſtret. Alterâ utebantur Pſeudo-Doctores, ut Legis neceſſitatem adſtruerent. Hoc tamen inter utroſque diſcrimine, quòd judaizantes Doctores Legis neceſſitatem ita tuebantur, ut Fidem non excluderent. Paulus ſententiam planè oppoſitam defendebat. Tota quæſtio eò redigebatur, ſola ne Fides ad juſtitiam obtinendam valeret. Porrò cùm Habacuc nullam Legis mentionem induxerit, ac vim juſtitiæ conferendæ ſoli Fidei tribuerit, meritò inde Apoſtolus colligit, Fidem per ſe ſolam ad juſtitiam valere; Moyſem verò, qui doceat, illum qui Legi paruerit victurum, ejus obſervationem a fide non ſejunctam conſtituere. Fide enim amotâ, inania ſunt omnia.

Cenſent quidam (t), vitam, quam Moyſes pollicetur, nonniſi temporalem vitam eſſe & felicitatem; æternam alii, & nos cum illis, præferimus. Id probat comparatio, quam Apoſtolus ſententiæ Moyſis cum alterâ ex Prophetâ inſtituit; & Jeſus Chriſtus in Evangelio ait (u): *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; quo loco vitam æternam apertè deſignat. Idem argumentum excuſſum habes apud Apoſtolum, *Rom.* 2, 5, &c.

℣. 13. CHRISTUS NOS REDEMIT DE MALEDICTO LEGIS, FACTUS PRO NOBIS MALEDICTUM; ſeu potiùs ſpontè ſe unum ex nequiſſimis conſtituens; cui conſentaneum eſt quod alibi idem Apoſtolus expreſſit (x): *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*; ideſt ſeu peccati victimam fecit, ſeu perinde habuit ac ſontium nequiſſimum. ℣. 10 docuit, eum qui univerſæ Legi minimè obtemperaverit, maledicti reum ſeſe conſtituere. Hoc maledicto liberos pronunciavit Chriſtus omnes qui ſibi credituri ſunt: non eſt igitur, cur ablatum Legis jugum iterum illis imponatur. Quanam autem ratione ex hoc maledicto Jeſus Chriſtus nos eripuit? Spontè nimirum ſe illi ſubmittens, ſeque Crucis ſupplicio permittens; ſcriptum eſt enim (y): *Maledictus qui pendet in ligno*. Igitur debitum nobis maledictum in ſe ſuſcipiens, ab ejus jugo nos morte ſuâ eripuit. Ut in libertatis hujus ab eo partæ jus adſciſcamur, credendum eſt illi atque in fide vivendum. Ergo per fidem a maledicto eripimur. Re ipſâ quidem affirmari nequaquam poteſt, Jeſum Chriſtum Legis maledicto liberaſſe illos, qui, perinde ac Galatæ, alieni a Judaicâ origine, Legi nunquam obtemperaverunt: ſatis eſt tamen, liberos pronunciatos fuiſſe illos a maledicto peccati; cùm enim, ut infra, ℣. 22, docet, mortales univerſi tyrannidi peccati ſubjecti fuerint, omnes redemptione Jeſu Chriſti indigent: *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato*. Et alibi (z): *Concluſit Deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur*.

℣. 14. UT IN GENTIBUS BENEDICTIO ABRAHÆ FIERET IN CHRISTO JESU; ut collata Abrahæ benedictio cum Gentilibus in Chriſto Jeſu communicaretur. Homines indiſcriminatim omnes, Judæi ac Gentiles, ſub peccati maledicto gementes, dum eo pondere premebantur, exhibitarum Abrahamo promiſſionum participes eſſe nequaquam poterant. Ut in eam ſpem nos adduceret Jeſus Chriſtus, debito ſontibus ſupplicio ſeſe ſubmittere non dubitavit; cujus rei gratiâ factum eſt, ut Gentiles æquè & Judæi ad fidem Servatoris converterentur, per quam compotes fieri potuerunt earum promiſſionum ac donorum, quæ S. Spiritus largitur.

℣. 15. SECUNDUM HOMINEM DICO. Adductis argumentis ac petitis e Scripturâ teſtimoniis, quæ forte ſupra intelligentiam quorumdam ex vobis ſunt, juvat nunc humano more loqui, e rebus humanis & familiaribus exempla ducendo (a). *Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat*. Deus autem teſtamentum ſeu fœdus cum Abrahamo compoſuit; voces enim tum Græca tum Hebræa (b) familiari Scripturæ oratione utrumque ſignificant, fœdus & teſtamentum. Fœdus iſtud ritè peractum eſt, ratum confirmatumque; nullâ igitur re ſcindi valet. Lex, cùm nonniſi poſt annos amplius quadringentos ſupervenerit, hoc mutare nequit. Iſtud autem teſtamentum bona omnia Abrahamo ejuſque poſteris ſpondet; adeoque fides ejus ut impleatur, a Lege non pendet. Illud tantummodo ſupereſt inquirendum, an qui carnalem originem ex Abrahamo non repetunt, ſed tantummodo ſpiritales ejus filii cenſentur, fœdere illo contineantur. Id autem in conſequentibus Apoſtolus demonſtrat probans, illum, quem verba fœderis deſignant nomine *ſeminis Abrahæ*, ipſum Jeſum Chriſtum eſſe.

℣. 16. ABRAHÆ DICTÆ SUNT PROMISSIONES, ET SEMINI EJUS. Exhibitæ Abrahamo promiſſiones ſenſum continebant duplicem; unam ad Abrahamum tum quoad hanc vitam mortalem, tum quoad

(s) *Levit.* xviii, 5; & *Ezech.* xx, 11. (t) *Grot. Men. Tirin.* (u) *Matt.* xix, 17.
(x) 2 *Cor.* v, 21. (y) *Deut.* xxi, 23. Hebræus habet: *Maledictus Deo qui pendet in ligno*. Omiſit Apoſtolus τὸ *Deo*, ut inutile argumento. Suſpicatur S. Hieronymus, Dei nomen a Judæis additum in libris ſuis, odio Chriſtianorum: vero ſimile non eſt. (z) *Rom.* 11, 32.
(a) *Chryſoſt.* Ἐξ ἀνθρωπίνων παραδειγμάτων. *Theod.* Ἀνθρωπίνοις πράγμασι κέχρημαι. *Vat. Eraſm. Grot. Eſt. Men.* (b) *Heb.* ברית, & *Græc.* διαθήκη, *fœdus, vel teſtamentum*.

Digitized by Google

℣. 17. Hoc autem dico: teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.

℣. 18. Nam ſi ex lege hæreditas, jam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donavit Deus.

℣. 19. Quid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris.

COMMENTARIUS.

ad immortalem pertinebant. Datam fidem exſolvit Deus, quod ad præſentem vitam, cumulans illum largâ bonorum temporalium copiâ, & florenti poſteritate, quam per Iſaacum & reliquos filios largitus eſt. Sed præmium fidei, juſtitiæ, & obedientiæ nonniſi in Cœlo Abrahamus obtinuit; id enim deſignavit Deus iis verbis (c): *Ego ero merces tua.* Ad poſteritatem Abrahami quod attinet, ea duplici ratione ſpectanda eſt. Aliud eſt ejus genus ex carne, aliud ex ſpiritu. Iſaac Abrahami filius ſecundùm carnem; Chriſtus, ſecundùm ſpiritum. Nati ex Iſaaco filii promiſſiones Abrahamo exhibitas in eo obtinuerunt, quòd Deus illos nonquam non deſenderit, temporalium rerum copiâ ditaverit, ac poſſeſſæ regionis ubertate gaviſi fuerint. Nata ex eo parente per ſpiritum poſteritas, fidei pietatiſque illius imitatrix, alterius generis beneficia per Jeſum Chriſtum obtinuit; juſtitiam, innocentiam, & Sancti Spiritûs dona. Atque ita benedictiones Abrahamo collatæ omnino expletæ ſunt; cùm contra, ſi intra carnalem dumtaxat Abrahami poſteritatem coërceantur, fines habeant anguſtiores quàm Dei magnitudinem deceat, aut præſcripſerit Deus iis verbis, quibus benedictionem ſuam expreſſit Abrahamo.

Accuratiorem enumerationem benedictionum in poſteritate carnali expletarum Apoſtolus hîc negligit, ſermonem continens intra fines poſteritatis ſpiritalis, quæ Chriſtus eſt (d), quatenus in ſe uno exprimit Eccleſiam univerſam Fidelium omnium ſæculorum, gentium, & regionum. Si Patriarchæ, Prophetæ, cæterique Veteris Teſtamenti viri ſanctiſſimi benedictionibus ſobolis ſpiritalis potiti ſunt, illas quidem obtinuerunt non jure filiorum Abrahami ſecundùm carnem, ſed potiùs ut imitatores fidei Abrahami, & jam tum ad fœdus Jeſu Chriſti pertinentes (e). Duplicis hujus poſteritatis Abrahami myſterium ex ipſâ promiſſionum formâ Apoſtolus elicit: *Non dicit* (f): *Et ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Non negat Paulus, propriè quidem atque ad verbum promiſſiones haſce ad Hebræos, carnalem originem ex Abrahamo referentes, pertinere; contendit ſolummodo, ſubli‐miori ſenſu potiſſimùm ad imitatores fidei Abrahami ſpectare. Promiſſiones illæ hiſtoricæ ſunt ſimul & typicæ; hiſtoricæ in Iſaaco ejuſque poſteris, typicæ in Jeſu Chriſto & Fidelibus. Porrò tanta inerat Apoſtolo authoritas, quantâ opus erat, ut Scripturæ locis typicum certumque ſenſum aptum Fidei noſtræ firmandæ tribueret (g).

℣. 17. HOC AUTEM DICO: TESTAMENTUM CONFIRMATUM A DEO (h). Ex propoſitis a me principiis iſta colligo: Cùm Deus fœdus cum Abrahamo junxerit ratum confirmatumque, quo ſpiritali ejus ſoboli bona omnia promiſit, Lex, quæ poſt quadringentos ac triginta ampliùs annos ſucceſſit, irritas promiſſiones illas efficere non potuit. Irritaret autem quodammodo, ſi ſola per ſe abſque Fide vitam juſtitiamque largiretur. Quid enim alioquin ſoboli ſpiritali ſupereſſet, aut quò redigerentur promiſſiones illi exhibitæ? Statuendum eſt igitur, ſolam per ſe Legem imparem eſſe conferendæ juſtitiæ, idque ſolius Fidei Jeſu Chriſti opus eſſe; vel, ſi mavis, non Iſaacum ac poſteros Abrahæ ſecundùm carnem ſpiritalium benedictionum hæredes eſſe, ſed Jeſum Chriſtum vel ejus ſecundùm ſpiritum filios, nempe Eccleſiam.

Quod hîc conſtituit Apoſtolus inter promiſſiones Abrahamo factas traditamque Moyſi Legem annorum interſtitium, negotium aliquod faceſſit. In Exodo enim (i) captivitati Hebræorum in Ægypto triginta ſupra quadringentos anni aſſignantur. Samaritanus & Septuaginta ibidem addunt, hanc annorum quater centum ac triginta periodum accipiendam eſſe de tempore, quod Hebræi eorumque patres egerunt *in Ægypto & in Terrâ Chanaan.* Ut congruat numerus annorum, ſupputatio ducenda eſt ab anno Mundi 2082, quo ſcilicet Abraham vocatus, ab Ur Chaldæorum urbe egreſſus eſt; eorumque exitus componendus eſt cum anno 2513, quo Hebræi ex Ægypto pedem reduxerunt, & Lex in Sinai lata eſt.

℣. 18. NAM SI EX LEGE HÆREDITAS, JAM NON EX PROMISSIONE. Si ea quæ ſpiritu conſtat hæreditas, juſtitia nempe & innocentia, & quæ has conſequitur cœleſtis felicitas, ex Legis obedientiâ, non ex Fide Jeſu Chriſti habentur, non erit profectò, cur accepto referantur promiſſionibus, Abrahamo ejuſque ſoboli exhibitis. Quis autem in animum induxerit, ſolemne adeò fœdus, tantæque authoritatis promiſſionem, quam Deus Abrahamo exhibuit, poſſe irritam caſſamque jacere? Fieri igitur nequit, ut hæc hæreditas Legis beneficio mortalibus procuretur. Hoc unum dandum eſt Legi, ut temporalem Chananitidis hæreditatem pariat. At enim (reponent Galatæ) non id agimus, ut has promiſſiones respuamus, ſed Fidem Legi, Evangelium Moyſi conjungendam cenſemus. Reſpondet Apoſtolus; Duo hæc ſimul jungi vel non poſſunt, vel fruſtra junguntur. Quorſum enim Lex cum promiſſionibus componatur, ſi ſolæ illæ, Lege neglectâ, ſufficiunt (k)?

℣. 19. QUID (quorſum) IGITUR LEX? PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST. Ex iis quæ ſuperiore membro ſtatuit, hæc ſibi Apoſtolus objicit. Si Lege ſemotâ juſtitiam quis adipiſcitur,

(c) *Geneſ.* xv, 1. (d) *Vide Aug. hic.*

(e) *Vide Theodoret. hic.* (f) *Confer Geneſ.* xii, 3; xiii, 15; *&* xxii, 18.

(g) *D. Thom. Cajet. Eſt.* (h) *Gr.* Διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τῦ Θεῦ εἰς Χριστόν. *Alii ſimpliciter*, κεκυρωμένην. *Alii omittunt*, εἰς Χριστόν. *Ita Alex. Colb.* 7, *Barb.* 2, *Copht. Hieronym.*

(i) *Exod.* xii. 40, 41. (k) *Theodoret. ad* ℣. 18: Εἶτα λύει τὴν ὑφορμήν. Ὑφορμὴ δὲ τῦτο, ὅτι περιττῶς ὁ νόμος ἐδόθη, τῆς ἐπαγγελίας τὴν εὐλογίαν ἐχέσης.

Digitized by Google

℣. 20. Mediator autem unius non eſt; Deus autem unus eſt.
℣. 21. Lex ergo adverſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia.

COMMENTARIUS.

tur, virtute benedictionum, quas Deus ſemini Abrahami ſecundùm ſpiritum promiſit, quorſum igitur Lex? Nonne præſtabat, Legem non dare, cùm inutilis ſit, & abſque Lege obtineri queat beatitudo? Lex, ait Apoſtolus, *poſita eſt propter tranſgreſſiones*; id eſt, ex S. Auguſtino (l), ut Hebræi Legem accipientes, & ab eâ edocti diſcant, ſe ferè ſemper errare, atque inde intelligant, quàm parum de viribus ſuis fidendum ſibi ſit, & quàm multum indigeant auxilio & gratiâ Omnipotentis, id eſt, Mediatoris.

S. Chryſoſtomus Græcique (m) id aliter explicant: *Lex poſita eſt propter tranſgreſſiones*, ut eæ coërceantur quantum fieri poteſt. Frænum quippe Judæis Lex imponebat, retrahens illos, & a nimiâ licentiâ cohibens: dirigebat pariter & reprimebat peſſimam eorum in peccatum propenſionem. Quorum crimina omnia niſi impediret, minuebat tamen & cohibebat. Utramque explicationem proponunt Interpretes; ſua eſt utrique laus, ſui aſſeclæ ſunt; ſed Græcorum ſententia literæ magis congruere videtur (n).

Donec veniret semen, cui promiserat. Id pro temporis opportunitate conſtitutum erat, usque ad Jeſu Chriſti adventum. Abrogatum jam eſt, vel ipſis Judæis, nedum vobis o Galatæ. Exhibitæ Abrahamo ejusque filiis ſecundùm ſpiritum promiſſiones in ſuspenſo, ut ita dicam, usque ad Jeſum Chriſtum manſere: ſed quæ ad carnalem ejus ſobolem ſpectabant, per multas ſucceſſiones executioni mandatæ ſunt; nec ceſſavere, niſi iis incipientibus, quæ ad filios ejus ſecundùm ſpiritum pertinebant. Exitus Legis initium eſt Evangelii.

Ordinata per Angelum in manu Mediatoris. Mediator hic eſt Moyſes, Veteris Teſtamenti miniſter, uti Chriſtus Novi (o). Turba Patrum & Scriptorum Mediatorem hunc de Jeſu Chriſto interpretantur (p). Sed priorem ſententiam æquiorem demonſtrat comparatio, quam Apoſtolus ubique inter Chriſtum & Moyſem, Legem Veterem Novamque inſtituit. Nihilo tamen minùs ambæ ſententiæ inter ſe conciliantur, ſi ſtatuas, Moyſem fuiſſe miniſtrum Jeſu Chriſti, cujus imaginem in eo, quod gerebat, munere exprimebat. Certum eſt enim, Deum nullam hominibus Legem dediſſe, niſi per Filium; quo proinde ſenſu Jeſus Chriſtus Veteris æquè ac Novi Teſtamenti Mediator jure cenſetur, quamquam peculiari ratione Novi magis quàm Veteris; Veteri quippe Fœdere via ad ſecundum ſternebatur.

Addit Apoſtolus, Legem traditam fuiſſe per Angelos. Veteres quidam (q) opinati ſunt, viſiones veteris Teſtamenti, eas præſertim, quas Moyſes in rubo & in monte Sinai ſpectavit, ipſum Dei Filium exhibuiſſe. At Stephanus Martyr (r), & ex Patribus poſt S. Auguſtinum plerique (s) id totum miniſterio Angelorum peractum cenſuerunt; quorum opinio vulgatior eſt. Reverâ Moyſes Dominum loqui, per viſum apparere, jubere ſcribit; ſed communis opinio fert, Angelum a Deo miſſum ejus nomine verba feciſſe.

℣. 20. Mediator autem unius non est; Deus autem unus est. En aliud diſcrimen Veteris Legis ab Evangelio. Legem Judæis dederunt Angeli, miniſterio Moyſis Mediatoris. Promiſſiones verò ipſe Deus per ſe, nullo interprete, Abrahamo exhibuit; & abſque hominis ope Chriſtus Evangelium Fidelibus propoſuit. Miniſtro opus erat inter Deum & Hebræos, quibuſcum veluti pactio quædam intercedebat; & mutua obligatio Hebræorum erga Deum, & Dei erga illos. Spondebat Deus vitam & patrocinium; Judæi obedientiam & fidem. Sed exhibitæ a Deo Abrahamo ejusque ſecundùm ſpiritum filiis promiſſiones nullo interprete conſtitutæ ſunt; nam omnino gratuitæ ſponſiones erant: dona, quæ per Jeſum Chriſtum in Fideles manant, quodammodo nullius miniſterio obtinentur, cùm Jeſus Chriſtus æquè ac Pater ſit Deus.

Aliter: *Lex poſita eſt* Hebræis *propter tranſgreſſiones* cohibendas, & licentiam eorum coërcendam. Si enim illi in fide manſiſſent, nullis Legibus fuiſſent obnoxii, cùm *Lex juſto non ſit poſita ſed injuſtis* (t). Deus Legem dedit *per Angelos & in manu Mediatoris*, Moyſis ſcilicet; id quod ſatis indicat aliquam Deum inter & Hebræos ſimultatem. Nam *Mediator unius non eſt*. Ubi conciliator eſt, ibi ſimultatem eſſe oportet. *Deus autem unus eſt*, non mutatur (u). Nunquam ille priſtinum agendi cum Judæis inſtitutum mutaſſet, niſi illorum flagitia coëgiſſent. Ne igitur Legem perinde habeatis ac appendicem benedictionum, quas Deus Abrahamo impertitus eſt, cùm potiùs indignationis ejus indicium & argumentum haberi poſſit. Hæc explicatio optima omnium videtur. Porrò hic Pauli locus adeò obſcurus eſt, ut nihil eo obſcuriùs in Pauli Epiſtolis legatur; nullamque explicationem mihi penitus probari fateor.

℣. 21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si Lex idcirco data eſt, ut Hebræorum ſcelera coërceantur, ac Moyſes conciliator eſt Dei adversùs Iſraëlitas iræ, videntur omnino per

(l) *Aug. hic, & lib. de Grat. Chriſti, c. 8; & l. de Spirit. & litt. c. 6; & l. 3 contra duas Epiſt. Pelagg. c. 14; & alibi ſæpius. Vide & D. Thom. & Eſt. hic*; *& Rom.* IV, 14. 15, *&c.*

(m) *Chryſoſt. hic*: Παραβάσεων χάριν, ἵνα μὴ ἐξῇ Ἰουδαίοις ἀδεῶς ζῆν, καὶ εἰς ἔσχατον ἐξολισθαίνειν κακίας, ἀλλ' ἀντὶ χαλινοῦ ὁ νόμος αὐτοῖς ἐπικείμενος ᾖ παιδεύων, ῥυθμίζων, κωλύων παραβαίνειν. *Theophyl.* Ἵνα ἀντὶ χαλινοῦ ᾖ τοῖς Ἰουδαίοις κωλύων παραβαίνειν τινὰς τῶν ἐντολῶν, εἰ μὴ, καὶ πάσας. *Ita Hieronym.*

(n) Confer 1 Timoth. I, 9: *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis*. Et Heb. VII, 18: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit Lex*. Et Galat. V, 23: *Adverſus hujuſmodi*, qui Spiritu vivunt, *non eſt Lex*. Vide & 1 Cor. VII, 2: *Propter fornicationem autem unusquisque ſuam uxorem habeat*; ſcilicet, *ad vitandam fornicationem*. Ita hoc loco: *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt*, nempe, *ad vitandas tranſgreſſiones*. (o) *Hebr.* VIII, 6; XII, 24. *Vide & IX, & IX; & Joan.* I, 17; 2 *Cor.* II, 7. *Theodoret. Cyrill. Nazianz. Epiphan. Nyſſen. Eſt. Grot. Bez. Cornel. alii.*

(p) *Ita Hieronym. Aug. Ambroſiaſt. Chryſ.* (q) Vide nos in Exodum, III, 2. (r) *Act.* VII, 30.

(s) *Aug. l. 3 de Trinit. c. 11; Gregor. l. 28 Moral. c. 1; Hieronym. hic; alii.*

(t) 1 *Timot.* I, 9.

(u) *Salmer. Men. Grot.*

℣. 22. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide Jeſu Chriſti daretur credentibus.

℣. 23. Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quæ revelanda erat.

℣. 24. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur.

℣. 25. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub pædagogo.

℣. 26. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℣. 27. Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

℣. 28. Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber: non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.

℣. 29. Si autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes.

COMMENTARIUS.

per Legem abolita eſſe promiſſa, quæ Deus exhiboit Abrahamo; ipſaque Lex habenda non utì Divinæ benedictionis effectus, sed iræ illius indicium. Id autem Apoſtolus non usquequaque verum admittit: ait enim, Legem argumentum eſſe patrocinii, quo Deus Hebræis favit; perinde enim erat ac propugnaculum, quo illi cuſtodiebantor, seu pædagogus, quo ad Jeſum Chriſtum ejusqoe fidem deducendi erant. Vide ℣℣. 23 & 24. At ſimul nullam ſeu vitæ seu juſtitiæ conferendæ vim Legi ttibuit Apoſtolus; neque enim per ſe qnidqoam tale Lex conferebat; pollicebatur tantummodo iis qui fidem adoptaturi eſſent, ac ſanctè cuſtodirent.

℣. 22. Sao conclusit Scriptura omnia sub peccato (x). Omnes homines peccato ſervire, Lex oſtendit; per eam quippe detecta ſuni peccata, quæ antea homines igoorabant (y). Homines, qui ante Legem vixere, arguit multiplicis adversùs rectam morum disciplinam erroris, Judæos verò ſub Lege agenies, prævaricationis reos demonſtravit; quorum tamen morbo remedium efficax illa promiſit, non attulit. Neque obtioeri illud, niſi per fidem in Jesum Chriſtum, potuit (z). Imbecillitatem ſuam hominibus detexit, nt sese magnopere indigere Liberatore ſentirent. Qui rectum vitæ inſtitutum ante Jeſum Chriſtum servavere, id ejus gratiæ adminiculo debent.

℣. 23. Prius aotem quam vsniret Fioas, sub Lega custooiraamur conclusi. Cuſtos inexorabilis erat Lex, omnes bominum impetus coërcens, ac peccata vel leviſſima puniens. Ita cum illis agebat, utì cum perduellibus filiis ſervisque ſugacibus ac refractariis, quos claudimus, cuſtodimus, plectimus. Lex nihil niſi terrorem ac ſeveritatem præſeferebat (a).

℣. 24. Lex pædagogus nostar fuit in Christo. Pædagogus is eſt, qui puero dux, cuſtos, caſtigator datur; aliusque a Præceptore, qui puerum docet, bonisque artibus vel nobilioribus diſciplinis imbuit. Lex Judæis ceu pædagogus ſuit, illos ducens, corrigens, caſtigans, cohibens, ut ageret ad Meſſiam, ad Chriſtum Jeſum, a quo docendi eſſent, ac ſublimiſſimis divinisque cogitationibus inſtruendi. Niſi præſto fuiſſet Lex, ſuperſtitionem illi extremaque flagitia ſecuti eſſent; ac Meſſia veniente, Dei veri notitia apud Abrahami ſobolem non ſecus atque apud cæteros penitus obſoleviſſet. Opus erat, ut Lex Meſſiam procul indicaret, deſignarent Prophetæ, ejusque imaginem & ſigna repræſentarent.

℣. 25. At ubi venit Fides, jam non sumus sua pædagogo. Pædagogo non egemus; neque jam ſumus pueri, metu coërcendi. Nos erudit Chriſtus, ejusque Spiritu & charitate animamur. Quàm inſanum igitur eſt, colla ſubdere Legi, quæ ſervos dumtaxat puerosve pædagogo egentes tulit; quaſi conditio veſtra multò nobiliſſima ac beatiſſima non ſit? ℣. 26, *Omnes enim filii Dei eſtis per Fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

℣. 27. Quicumque enim in Christo baptizati astis, Christum indoistis. Exuti veteri bomine in Baptismi aquis, novum induiſtis. Qui olim filii iræ, filii Adami eratis, spiritu ſervitutis acti, ſive etiam penitus veri Dei cognitione spoliati, ſuperſtitione ac flagitiis merſi; per Chriſti Fidem & Baptismi aquas induti eſtis Chriſto, illios spiritu perfuſi, inſtitutionibus edocti, ejusque donis, juſtitiâ, charitate cumulati: in Patris æterni adoptionem veniſtis, ab eoque vehementer amamini. Quem igitur io uſum futura eſt vobis Lex, quam vultis amplecti?

℣. 28. Non est Judæus naque Græcus; nullum jam diſcrimen eſt Judæum inter & Gentilem; unum omnes ſumus in Chriſto. Judæus, qui generis ſui nobilitate, exhibitisque Abrahamo promiſſionibus gloriabatur, nihilo præſtantior vobis eſt: ſi Chriſtum ſequitur, & vos ſequimini: ſi alienus a Chriſto eſt, ab Abrahami promiſſis excluditur: vos igitur multo præſtantiſſimi. ℣. 29, *Si autem vos Chriſti, ergo* verum *ſemen Abrahæ eſtis*, legitimi *ſecundùm promiſſionem hæredes*. Itaque nedum, otiosè verùm etiam ineptè circumciſionem & Legis jugum quæritis. Perinde eſt ac ſi puer ingenuus in ſervitutem dari velit.

CA-

(x) Confer *Rom.* III, 9: *Cauſati ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.*

(y) *Chryſoſt.* Συνέκλεισε, ἤλεγξεν, καὶ ἐλέγξας κατεῖχεν ἐν φόβῳ.

(z) *Theodoret.* Διήλεγξε γὰρ ἡ θεία γραφὴ, καὶ τοὺς πρὸ νόμου, καὶ τοὺς ἐν νόμῳ. Τοὺς μὲν τὴν τῆς φύσεως, τοὺς δὲ τὸν μωσαϊκὸν παραβεβηκότας νόμον. Ἀλεξιφάρμακον δὲ καὶ τούτοις, κἀκείνοις τὴν ἐπηγγελμένην διὰ τῆς πίστεως προσενήνοχε σωτήριον. *Ita Eſt. Men. Grot. alii.*

(a) *Rom.* VIII, 15: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterùm in timore, &c.*

CAPUT IV.

Judæi ſub Lege, ceu ſub tutore pueri. Illos ſervitute liberat Chriſtus, ſuoque Spiritu donat. Pauli charitas in Galatas. Galatarum pietas in Paulum. Peſſimum pſeudo-Apoſtolorum ſtudium. Sara & Agar duplicis Teſtamenti figura.

℣. 1. DIco autem: Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt a ſervo, cùm ſit dominus omnium;

℣. 2. Sed ſub tutoribus, & actoribus eſt, uſque ad præfinitum tempus a patre.

℣. 3. Ita & nos cùm eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervientes.

℣. 4. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege;

℣. 5. Ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

℣. 6. Quoniam autem eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUANTO TEMPORE HÆRES PARVULUS EST, NIHIL DIFFERT A SERVO; neque ſui ipſius neque rerum ſuarum arbiter: tutoribus, curatoribus, pædagogis paret. Pupillus iſte genus humanum eſt a mundi exordio ad Chriſtum usque; tutores Angeli, authore S. Hieronymo. Sive: Pupillus Judæi ſunt, tutores Lex & Prophetæ. His paruit ea gens usque ad Chriſtum, a quo emancipata eſt, atque in libertatem aſſerta. Galatæ nunquam ſub Lege fuerant, quippe Gentiles ante converſionem. Quamobrem non dicit Apoſtolus, ℣. 3, *Vos cùm eſſetis parvuli, ſub elementis mundi eratis ſervientes*, ſed, *eramus*; ſic ipſe & Judæos innuens. Propoſitum Apoſtoli omnino illud eſt, ut Galatas a Legis ritibus, quibus pſeudo-Apoſtoli illos implicare conabantur, removeat. Ipſimet Judæi liberi ſunt a Legalium rituum ſervitute: cur vos ſerviatis?

℣. 2. SED SUB TUTORIBUS ET ACTORIBUS (a) curatoribus EST USQUE AD PRÆFINITUM TEMPUS A PATRE. Innuere videtur, morem fuiſſe apud Judæos, ut patriæ poteſtatis eſſet decernere teſtamento tempus, quo filius ſub tutoribus eſſe deberet. Apud cæteros minorennitas legibus moribusque definiebatur, neque apud omnes æquè diuturna erat. Cœleſtis Pater, qui patrem ſe ac defenſorem Hebræorum ubique præbuerat, æternis decretis definierat tempus, quo gens ſua emancipanda eſſet, Legumque Moſaicarum ſervitute liberanda. Exoleto eo tempore, vênit Chriſtus, illamque liberavit.

℣. 3. ITA ET NOS CUM ESSEMUS PARVULI (Judæos innuit, quorum unus erat ipſe) obnoxii eramus primis rudimentis, quibus mundum erudiit Deus; ad verbum (b): *Sub elementis mundi*; quæ nonnullis ſunt corporea iſthæc elementa, terra, aër, aqua, &c. a plerisque Gentilibus pro Diis habita; aliis aſtra, ſol, luna, aër, quæ a Gentilibus pariter divino cultu obſervabantur; aliis Angeli, quatuor mundi elementis præfecti; aliis denique Lex & Prophetæ, qui prima veluti Chriſtianæ Religionis elementa fuere. Varias haſce explicationes recitat S. Hieronymus, quarum poſtremam ipſe cum plerisque Interpretibus ſequitur (c); atque hanc genuinam eſſe, tota orationis ſeries, præſertim verò ℣℣. 9 & 10, demonſtrant. *Elementa mundi* noncupat Paulus, quòd exteriores ſacrificiorum ac Feſtorum ritus ſimillimi eſſent iis, quibus utebantur profani, diverſo tamen Deo, cui litabatur, & colentium animo. Templa, aræ, ſacrificia, ritus erant apud Gentiles non ſecus ac apud Judæos. Sive, *elementa mundi* ſunt ritus religionesque ſenſibus obnoxiæ, rudibusque ingeniis accommodatæ.

℣. 4. AT UBI VENIT PLENITUDO TEMPORIS, majorennitatis Judaicæ, atque adventûs Meſſiæ, a quo in libertatem aſſerendi erant Judæi, *miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub Lege*, obnoxium Legi, ſive, *natum ex muliere*; varia enim eſt Exemplarium lectio (d), aliis *factum ex muliere*, ſcilicet intra Mariæ Virginis viſcera formatum, ex unâ ipſius ſubſtantiâ, agente Spiritu Sancto, non homine quopiam; aliis *natum* ferentibus; quæ vox interpretatione non eget.

℣. 5. UT EOS QUI SUB LEGE ERANT, REDIMERET. Cave putes, Chriſtum idcirco tantùm veniſſe, ut eos qui ſuberant Legi, redimeret: is certè in hominum univerſorum ſalutem vênit; at cùm Paulus hoc loco de unis Judæis agat, præterit Gentiles, ac libertatem illis a Chriſto Jeſu comparatam. Omnes ſibi credentes verâ libertate ac filiorum adoptione ille donavit; adeò ut neque jam Judæus Legi, neque Gentilis peccato ſerviat: uterque effecti ſunt Cœleſtis Patris filii, cumulatique *Spiritu Filii ſui, in corda ipſorum clamante: Abba, Pater*. Hujusmodi poteſtatem niſi Spiritus ipſe faceret, vocemque hanc ineffabilem

(a) Ἀ'λλὰ ὑπὸ ἐπιτρόπους ἐςὶ, καὶ οἰκονόμους.

(b) Ὑ'πὸ τὰ ςοιχεῖα τοῦ κόσμου δεδουλωμένοι.

(c) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecum. Eraſm. Eſt. Grot. Zeger. Men. Para. alii.*

(d) Γενόμενον ἐκ γυναικός. *Alii*; Γεννώμενον, *Natum. Ita Steph.* δ, ζ, ια, ιε. *Et alii Compl. Arab. Æth. Aug.* Iren. *l.* 3, *c.* 58, *Cypri. l.* 2 *ad Quirin.*

℣. 7. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius. Quòd ſi filius, & hæres per Deum.

℣. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui naturâ non ſunt Dii, ſerviebatis.

℣. 9. Nunc autem cùm cognoveritis Deum, immò cogniti ſitis a Deo: Quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?

℣. 10. Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.

℣. 11. Timeo vos, ne fortè ſine causâ laboraverim in vobis.

℣. 12. Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos. Fratres, obſecro vos: Nihil me læſiſtis.

℣. 13. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem, & tentationem veſtram in carne meâ.

COMMENTARIUS.

bilem intra hominum animos ipſe formaret, quis Deum dicere Patrem auderet (e), *Abba, Pater*? Duabus hiſce vocibus res eadem ſignificatur, Syriacè alterâ, & alterâ Græcè: altera alteram explicat (f). Hoc adoptionis Spiritu jam potiebantur veteres ante Chriſtum Patriarchæ ac Prophetæ; at vi Fidei in Chriſtum, ejusque mortis merito, cujus virtus tum in antecedens tempus, tum in conſequens porrigebatur.

℣. 7. Itaque jam non est servus, sed filius. Nedum Judæi, qui credidere Chriſto, verùm etiam Gentiles, abjectâ ſuperſtitione, ſervi eſſe deſierunt, ac filii Dei ſunt. Sub Lege ſerviebant Judæi, Gentiles ſub peccato, ſuperſtitione, errore: utrosque in libertatem vindicavit Chriſtus, illisque & Patris adoptionem & cœleſtem hæreditatem promeruit. Inſanum eſt igitur, ſpretâ libertate in ſervitutem redire.

℣. 8. Ignorantes Deum, iis qui natura non sunt Dii, serviebatis. Servitus veſtra multo turpiſſima quàm Hebræorum fuit: hi quippe Deo ſub Lege ſerviebant; vos idolis.

℣. 9. Cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo. Nulla unquam Dei notitia vobis fuiſſet, niſi prior ipſe, gratiâ præveniens, ad vos converſus, ad ſe traxiſſet (g). Novit vos præſcientiâ Deus, ac prædeſtinavit ad Fidem, vocationem, gloriam, antequam ipſi ad eum accedere meditaremini. *Cognoſcere* in Deo frequenter eſt probare; ignorare, oblivisci eſt non amare. *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*, ait Scriptura (h). *Cognoſco oves meas*, inquit Chriſtus (i), *& cognoſcunt me meæ*; ſcilicet, amo, defendo. At impiis dicturus eſt ſupremâ die (k): *Neſcio vos unde ſitis: diſcedite a me omnes operarii iniquitatis.*

Convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quæ dixit ſupra, ℣. 3, nosque de Legis ritibus ac religionibus explicavimus. *Quibus denuo ſervire vultis.* Id porrò quàm verè ſcribit, cùm Galatæ iis nunquam ſervierint, utpote olim Gentiles, non Judæi? Respondeo (l), non ſatis accuratè hîc loqui Apoſtolum; cùm enim hactenus de ſervitute Judæorum ſub Lege disputaverit, oſtenderitque Galatas liberos eſſe illius jugo, agere cum iis pergit, quaſi olim reverâ obnoxiis Legi, hortaturque, ne iterum ſe illi ſubjiciant; vel, ut veriùs dicam, ne ſub Lege eſſe incipiant, cùm nunquam illi ſervierint, quamquam ſervitutem multo turpiſſimam ſub errore ac Diabolo ſubierint. Putant S. Chryſoſtomus & Theophylactus, iſta ab Apoſtolo appellari *infirma & egena elementa*; eumque metuere, ne in ſuperſtitionem idolorum relaberentur.

℣. 10. Dies observatis et menses, &c. Sabbata, neomenias, annos Sabbaticos, feſtos dies variis anni temporibus ſacros, veluti Paſcha ſub exordium meſſis hordaceæ, ſcenopegiam poſt meſſem, &c. ſervare incipitis, more Judæorum.

℣. 11. Timeo vos (m), ne forte sine causa laboraverim. Si enim Judaicam Religionem amplectimini, Legisque ritus cum Evangelio componitis, vereor, ne quàm primùm a Chriſtianâ Religione diſcedatis (n).

℣. 12. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos. Libertatem filiorum Dei colite, ut ipſe colo; Legis jugum excutite, mei exemplo (o): fugite hanc ſervitutem, quam ipſimet Judæi nunquam ferre potuerunt (p). Ita etiam accipi poteſt (q): Eſtote alter ego, ut ego ſum tamquam vos ipſi: me amate, ut ego vos. Similis huic locutio in Libris Regum occurrit (r), qua arcta neceſſitudo ſignificatur. Hæc explicatio cum conſequentibus congruit.

Obsecro vos: mutuam ſinceramque charitatem colamus. *Nihil me læſiſtis*; nihil moleſtiæ mihi attuliſtis. Neque verò illud vobis obrepat, me iſthæc aut ſimultatis aut iræ causâ dixiſſe. Charitas qua erga vos teneor, Divini cultûs ſtudium, veſtræ ſalutis deſiderium ita me loqui jubent. Una Dei Lex hîc læditur: quæ fortaſſe in me peccatis, minimi facio.

℣. 13. Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis. Præteriti temporis, quo ipſe

(e) Οὐ γὰρ ἂν ἐτολμήσαμεν πατέρα προσαγορεῦσαι τὸν Θεὸν προσευχόμενοι, μὴ τοῦ τῆς υἱοθεσίας ἀξιωθέντες χαρίσματος. *Theodoret.* (f) *Hieronym. hic.*

(g) *Chryſoſtom. hic:* Οὐδὲ γὰρ ὑμεῖς κάμνοντες εὕρετε τὸν Θεόν, ἀλλ' ὑμεῖς μὲν ἐν τῇ πλάνῃ διετρίβετε, αὐτὸς δὲ ὑμᾶς ἐπεσπάσατο. *Theophyl.* Οὐχ ὑμεῖς τὸν Θεὸν ἰδίῳ πόνῳ εὕρετε, καὶ ἐπέγνωτε, (οὐδὲ γὰρ οὐδὲ ἐζητήσατε αὐτόν) ἀλλ' αὐτὸς ὑμᾶς ἐν σκότῳ βαθεῖ διάγοντας ἐζήτησε, καὶ προσελάβετο. *Vide & Eſt. hic; & 1 Joan.* IV, 10: *Non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Vide & 1 Cor.* VIII, 3. (h) *2 Timoth.* II, 19. (i) *Joan.* X, 14.

(k) *Luc.* XIII, 27. (l) *Vide Eſt. Grot. Gloſſ. Verſt. Men. Tir. alios.*

(m) *Timeo vos; ideſt, timeo de vobis, vel timeo vobis. Hieron. Græc.* Φοβοῦμαι ὑμᾶς; *pro*, δι' ὑμᾶς.

(n) *Vide Eſt. Grot.* (o) *Chryſ. Theophyl. Theodoret. Hieronym. Eſt. Men. alii.* (p) *Act.* XV, 10.

(q) *Bez. Grot.* (r) *3 Reg.* XXII, 4: *Dixit Joſaphat ad Regem Iſraël: Sicut ego ſum, ita & tu: & Populus meus, & populus tuus, &c. Vide & 2 Par.* XIII, 18.

℣. 14. Non ſpreviſtis, neque reſpuiſtis; ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.

℣. 15. Ubi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimonium enim perhibeo vobis, quia, ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.

℣. 16. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?

℣. 17. Æmulantur vos non benè: ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini.

℣. 18. Bonum autem æmulamini in bono ſemper: & non tantùm cùm præſens ſum apud vos.

℣. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

COMMENTARIUS.

ipſe Galatiam cœpit inſtituere, memoriam revocat. Efficax certè oratio, iiſque ad officium reducendis aptiſſima. Noſtis ipſi, quàm multas inter ærumnas, mala, cruciatus ad vos venerim (s); ſive tunc Apoſtolus morbo afflictaretur, ut viſum eſt nonnullis (t); ſive a Gentilibus exagitaretur; ſeu denique Galatarum ingenio ſeſe opportunè accommodaverit, nihilque ſublime illis tradiderit, Chriſtum ſolummodo crucifixum docens (u).

℣. 14. Et tentationem veſtram in carne mea non ſpreviſtis. Me aſpernati non eſtis ob mala, quibus caro mea affligebatur. *Tentationem veſtram* vulgo putant hic uſurpari (x), quaſi dicat: Mala quæ veſtri causâ ſubeo. Codices multi (y) legunt: *Tentationem meam*; alii abſolutè *tentationem*. At plerique Vulgatæ aſſentiuntur (z): *Tentationem veſtram in carne meâ*; Veteresque ac Recentiores Interpretes in recitatam interpretationem conveniunt. Spretum me, rejectum, odiis agitatum vidiſtis; non ſpreviſtis ipſi: *Sed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Jeſum.*

℣. 15. Ubi igitur eſt beatitudo veſtra? Ubi tempus, quo beati eratis? Græcus (a): *Quæ igitur erat beatitudo veſtra?* quò abiit? Eccleſiæ paſſim omnes agebant Deo gratias, quòd tot tantiſque donis Deus vos cumularet: veſtram ipſe fidem veſtramque charitatem ubique prædicabam. Ipſi aſſiduas Deo grates agebatis ob felicitatem, qua vos ille compleverat: perierunt omnia ob inconſtantiam ac facilitatem, qua pravos Doctores auditis ac ſequimini. Omnino opus eſt, animi veſtri alacritatem pietatemque erga me commendem: *Oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Quò pietas iſta periit? ℣. 16. *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* Cùm vos tam ſedulò docui, ac ſanctiſſimis Religionis inſtitutis imbui, iſta ne merui? An falſi Doctores, quorum artibus decepti fuiſtis, majorem quàm ego erga vos charitatem exhibuere? An illi erant, quos, me relicto, ſequeremini?

℣. 17. Æmulantur vos non bene. Ingentem certè erga vos charitatem falſi Doctores præſeferunt, videnturque veſtram ſalutem veſtraque commoda ſtudioſiſſimè quærere: at ſi fucata non eſſet illorum charitas, an tantopere ſtuderent vos a me ſejungere (*excludere vos volunt*) ut vos ſibi devincirent (*ut illos æmulemini*)? An quæ ſtruximus, ipſi everterent, ut noſtris in ruinis novum ædificium ponerent? Chriſti Evangelium inter vos prædicent, doceant, ament vos & amentur: ægrè non fero, modò id inſtitutioni ſerviat, non exitio. At omnino evici, fieri non poſſe, ut ad Legis obſervationem vos trahant, quin ſimul in prævaricationem rapiant, veſtramque Fidem inutilem reddant.

Sunt qui Græcum (b) ita reddant: *Concludere vos volunt*, quodammodo in tutelam dare, *ut illos æmulemini*, vehementer ametis. Vos in Legis obſervationem rapere conantur, ut toti ipſorum ſitis; me oderunt, quippe quem loco rivalis habent. Poſt ea verba, *Ut illos æmulemini*, veteres quidam Codices addunt (c): *Æmulamini autem charisſmata*, Spiritûs Sancti dona, *meliora*; quæ derivata ſunt ex primâ ad Corinthios, XII, 31.

℣. 18. Bonum autem æmulamini in bono ſemper. Ægrè non fero, quòd bonos ametis, imò & hortor; at in bono amate, ut id inſtitutioni veſtræ ſerviat, & in bono, quod inter vos eſt, confirmemini. Græcus (d): *Bonum eſt amare vehementer bonum ſemper*, modò id quod amas, bonum certè ſit, non ſolam boni ſpeciem præferat.

℣. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Verti poteſt Græcus meliore ſententiâ (e): *Filioli mei, quos utero geſto*, &c. Non parturit fœmina, niſi formato

(s) *Confer 1 Cor. II, 3: Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos.*

(t) *Hieronym. Aut certè ſuſpicari poſſumus, Apoſtolum eo tempore, quo primùm venit ad Galatas, ægrotaſſe, & aliquâ corpuſculi infirmitate detentum; non ceſſaſſe tamen . . . Nam tradunt eum graviſſimum capitis dolorem ſæpè perpeſſum, & hunc eſſe Angelum Satanæ, qui appoſitus ei ſit, ut eum colaphizaret in carne.*

(u) *Vide Hieronym. ibid. Eſt. Confer 1 Cor. II, 1: Et ego cùm veniſſem ad vos, veni non in ſublimitate ſermonis; . . . non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum.*

(x) *Eſt. & Latini omnes.* (y) Καὶ τὸν πειρασμόν μου ἐν ... ἐξουθενήσατε. *Ita impreſſi paſſim. Quidam omittunt μου, ut Steph.* δ, θ, ια; *Petit.* 2; *Theophyl. Syr.*

(z) *Ita Latini paſſim; Alex. Lin. Barb.* 1, *Colb.* 7, *Clarom. & S. Germ. Lat. Borner. G. L. Hieronym. Ambroſiaſt. Cyrill. Alex.* (a) Τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν; *Alii plures:* Ποῦ ἦν ὁ μακαρισμός;

(b) Ἀλλὰ ἐκκλεῖσαι ὑμᾶς θέλουσιν, ἵνα αὐτοὺς ζηλοῦτε. *Alii;* Ἐγκλεῖσαι, *eodem ſenſu.*

(c) Ζηλοῦτε δὲ τὰ κρείττονα χαρίσματα. *Ex 1 Cor. XII, 31. Ita S. Germ. G. L. Borner. G. L. Clarom. G. L. Ambroſiaſt.* (d) Καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε.

(e) Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν. Verbum ὠδίνω apud Helleniſtas uſurpatur interdum pro, ἐν γαστρὶ ἔχω, *utero geſto. Vide Grot. hic. Iſai.* XXVI, 27.

℣. 20. Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis.

℣. 21. Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non legiſtis?

℣. 22. Scriptum eſt enim: Quoniam Abraham duos filios habuit; unum de ancillâ, & unum de liberâ.

℣. 23. Sed qui de ancillâ, ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de liberâ, per repromiſſionem:

℣. 24. Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta: Unum quidem in monte Sina, in ſervitutem generans, quæ eſt Agar:

℣. 25. Sina enim mons eſt in Arabiâ, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.

COMMENTARIUS.

mato filio; illumque utero geſtat, dum formetur. Seſe Paulus ceu matrem Galatis præbuit, illos animo gerens, atque in pietate formare laborans. Hos verò ex imis illius viſceribus quodammodo eruere conabantur falſi Doctores, ut immaturos producerent; & Jeſu Chriſto eripere, ut Legi ſubjicerent. Alii (*f*) τὸ *iterum parturio* explicant de cruciatu, quo Pauli animus afficiebatur, donec illos ad Deum reverſos per pœnitentiam cerneret, avulſosque a Legis ritibus, quos a falſis Doctoribus docebantur. Hæc porrò nova illis erat in lucem editio, ac veluti nova converſio.

℣. 20. Vellem mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Utì ſolet tenera mater, uti vellem blandâ dulcique oratione, & charitatis plenâ, qua oſtenderem quantopere doleam, dum vos deceptos video: veſtri enim causâ obrutus ſum probro (*g*). Vel ex Græco (*h*): *Vellem mutare*, variare *vocem meam*, *quoniam crucior*, inops conſilii, perplexus ſum, *veſtri causâ*. Quid conſilii capiam, ignoro, acri ne an leni oratione utar: cernere vellem, quæ ſit animorum veſtrorum affectio, ut & verba & vocem illi accommodarem.

℣. 21. Legem non legiſtis (*i*)? Aliam hic ratiocinationem inſtituit, ut illos Legi ſubjici non debere doceat. Hoc porrò & inutile eſt, & Jeſu Chriſto injurioſum.

℣. 22. Abraham duos filios habuit, ex Sarâ Iſaacum, Iſmaëlem ex Agare; hunc *ſecundùm carnem*, illum *per repromiſſionem*, ℣. 23. Iſmaël nullâ dignitate diſtinguitur. Abrahami filius eſt naturæ ordine, ceu alius quilibet ex viro & fœminâ fatus. At Iſaacum promiſerat Abrahamo Deus, in quo explendæ erant promiſſiones exhibitæ Abrahamo: *Per repromiſſionem*. Iſta ſublimiorem ſenſum continent: *Quæ ſunt per allegoriam dicta*, ℣. 24. In utriusque filii rebus geſtis allegoria latet (*k*), myſticus tropicusque ſenſus, quem ſtatim explico. Ipſi etiam Judæi allegoriam in Iſmaële & Iſaaco, Sarâ & Agare invenerant. Lege Philonem (*l*),

℣. 24. Hæc ſunt duo teſtamenta. Sara & Agar duplicis Teſtamenti figuræ ſunt, Veteris ac Novi. Agare ſignificatur vetus, in Sinai monte firmatum: ancilla erat Agar, ſervosque ſolummodo pariebat. Ejusdem naturæ eſt Fœdus, quod illa præſeferebat: filios nimirum parit, qui ſervorum more Moſaicis Legibus parent. Hujusmodi ſunt Judæi, qui legalium rituum jugo premuntur.

℣. 25. Sina mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt Jeruſalem, et ſervit cum filiis ſuis. Nemo ignorat, Sinai montem eſſe Arabiæ Petrææ, inter Elaniticum Sinum & Erythræum. Sinai, utì & Agar, Arabum ſive Iſmaëlitarum mater, figura carnalium Judæorum eſt, qui Legi obtemperant. Dicere videtur Paulus, Sinai montem conjunctum eſſe Jeroſolymæ, *qui conjunctus eſt Jeruſalem*; qui tamen, ſi loci diſcrimen ſpectes, ab eâ quàm longiſſimè abeſt; at ſi Agarem, quæ ancilla erat, cum Judæis per Jeroſolymam ſignificatis conferas, plurima eſt utriusque connexio & ſimilitudo: Judæi enim ita ſerviunt obſervationibus ſuis ac Religioni, utì Agar & Iſmaël Abrahamo.

Græcus habet (*m*): *Agar eſt mons Sina*, ſignificat montem Sina *in Arabiâ*, ac pari jure eſt cum *eâ quæ nunc eſt Jeruſalem*, quæque opponitur Chriſtianæ ſeu Cœleſti Jeroſolymæ. *Quæ nunc eſt Jeruſalem* hoc loco Judæos ac vetus Teſtamentum ſignificat. Eadem gens eſt, quæ ſub Lege in Sinai monte latâ vixit, eamdem ſervitutis notam præfert, idem obſequium ſervo dignum erga Legis ritus ſervat. Hæc verba, pari jure eſt, confinis eſt, reſpondet *ei quæ nunc eſt Jeruſalem*, ad Agarem, non ad Sina, referenda ſunt, ut innuere videtur Vulgata. Mons Sina per Agarem deſignatur; ipſaque mater eſt præſentium Judæorum. Cenſuere nonnulli (*n*), montem Sina Arabicè appellatum Agar: at huic ſententiæ nemo ex doctis Geographis favet; quamquam reverâ, utì animadvertit Theodoretus, poſteri Agaris potiti ſunt eâ regione, in qua Sina mons jacet. Cæterùm docui, hæc verba, *Agar eſt mons Sina*, ex literarum ſono uſurpanda non eſſe. Agar figura eſt

(*f*) *Theodoret. Eſt. Men. Para.*

(*g*) *Grot. Eſt. Men. Tir. Vide Aug. hic.*

(*h*) Καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, ὅτι ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν.

(*i*) *Græc.* Τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε, *Legem non auditis. Alii:* Οὐκ ἀναγινώσκετε, *Non legitis. Ita Steph.* ια, *S. Germ. Clar. Boraer. G. L. Alii Legiſtis. Hieron. qu. 8 ad Algas. Hieronymiaſt. Ambroſiaſt.*

(*k*) *Theodoret.* Ἀλληγορούμενα, ἀντὶ τοῦ, καὶ ἑτέρως νοούμενα. Οὐ γὰρ τὴν ἱστορίαν ἀνεῖλεν, ἀλλὰ τὰ ἐν τῇ ἱστορίᾳ προτυπωθέντα διδάσκει.

(*l*) *Philo, lib. allegor. & lib. de Cherubim, & lib. de congreſſu eruditionis causâ.*

(*m*) Τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλήμ. *Ita & S. Germ. & Clarom. Lat. Agar enim. Græc.* Τὸ δὲ Ἄγαρ. *Ita & Alex.*

(*n*) *Chryſoſt. Theophyl. Oecum. Eraſm. Zeger. Para.*

℣. 26. Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra.

℣. 27. Scriptum eſt enim: Lætare, ſterilis, quæ non paris; erumpe, & clama, quæ non parturis; quia multi filii deſertæ, magis quàm ejus, quæ habet virum.

℣. 28. Nos autem, fratres, ſecundùm Iſaac promiſſionis filii ſumus.

℣. 29. Sed quomodo tunc is, qui ſecundùm carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundùm Spiritum; ita & nunc.

℣. 30. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.

℣. 31. Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ; qua libertate Chriſtus nos liberavit.

COMMENTARIUS.

eſt Judæorum, Legis Jeroſolymæ, Sinai. Omnia hæc unum ſonant.

℣. 26. ILLA AUTEM, QUÆ SURSUM EST, JERUSALEM, LIBERA EST. Cave hæc accipias de cœleſti Jeroſolymâ, uti vulgo uſurpare ſolemus, nimirum de cœleſti Beatorum ſede. *Quæ ſurſum eſt Jeruſalem*, opponitur hic corporeæ Jeroſolymæ, ab Judæis Pauli ætate frequentatæ, ac paulò pòſt everſæ. Ea orbs terreſtris erat, ſerva, caduca. At Jeſu Chriſti Eccleſia, per ſacram novamque Jeroſolymam a Prophetis deſcriptam ſignificata (o), libera eſt, cœleſtis, æterna. Cœleſtis eſt ab origine, a donis ac dignitatibus, ab Authore, a culto, a Spiritu aſſtante, a beatitudine futurâ, a Principe denique ducente ac defendente. Iſta *Jeruſalem eſt mater noſtra* (p), parens Fidelium & Chriſtianorum, modò illi pariter in filiorum Dei libertate permaneant.

℣. 27. SCRIPTUM EST ENIM: LÆTARE, STERILIS, &c. Hæc Iſaiæ (q) verba, quod ad res hiſtoricas pertinet, innuere videntur tempus, quod Babylonicam captivitatem conſequutum eſt; at ſenſu longè ſublimiſſimo certiſſimoque Chriſtianam Eccleſiam, cujus ſoboles multo frequentior, locuplerior, glorioſior eſt, quàm Synagogæ, quæ vetuſtior eſt Eccleſiâ, & fœcunditate ingentique filiorum numero gloriabatur, quippe cui Deus ſeſe virum præbuit tam multis antea ſæculis, quo tempore Chriſtiana Eccleſia nondum ſtabat, viro & liberis carens. Sara ſterilis, Eccleſiam Jeſu Chriſti; Agar fœcunda Synagogam ſignificabant. At Saræ ſoboles multo frequentior validiorque quàm Agaris evaſit.

℣. 28. SECUNDUM ISAAC PROMISSIONIS FILII SUMUS. Nobiliſſimam itaque hanc dignitatem ne abjeceritis, ut, adoptatis ritibus Legis, Iſmaëlis filii ſponte efficiamini.

℣. 29. QUOMODO TUNC IS, QUI SECUNDUM CARNEM, Iſmaël Iſaacum adoleſcentem inſectabatur, ita nunc Judæi carnales & increduli Chriſtianos. Satis diſertè non ait Scriptura, vexatum ab Iſmaële Iſaacum, ſed *Iſmaëlem luſiſſe cum Iſaaco*, ſive ludibrio illum habuiſſe, ſeu ludendo moleſtiam illi exhibuiſſe (r). Vide nos in Geneſim, XXI, 9. Majus aliquid ludo fuiſſe opus eſt, ut Sara Agarem atque Iſmaëlem ejicere cogeretur. Quod ad Judæorum odia publicaſque vexationes, dum poterant, in Chriſtianos, res multo compertior eſt, quàm ut ignorari queat. Iniquam illorum vim odiumque non ſemel expertus eſt Paulus; falſique Doctores, Galatarum Eccleſiam turbantes, graviorem illi moleſtiam pariebant, quàm ſi ipſum aperto bello peterent.

℣. 31. NON SUMUS ANCILLÆ FILII, SED LIBERÆ. Genus ab Iſaaco ducimus, non ab Iſmaële, qui pulſus Abrahami domo, non adiit hæreditatem. Hujus inter poſteros ne recenſeamini, eorum ſervitutem imitando, ritibusque Legis ſubdendo cervices. Libertatem filiorum Iſaaci tuemini, *qua libertate Chriſtus vos liberavit* (s): iſtos Iſmaëli ſimiles, vobis moleſtiam inferentes, fallaceſque Apoſtolos ejicite.

(o) *Iſai.* LII, 1, 2, *& ſeq.* LX, 1, *& ſeq.* LXVI, 10, 13, *& ſeq. Zach.* VIII, 3, 4, *& ſeq.* XII, 2, *& ſeq. Apoc.* III, 12.

(p) Græcus legit: Mater eſt omnium noſtrûm: Ἥ τις ἐςὶ μήτηρ πάντων ἡμῶν. At plerique omittunt *omnium*, πάντων. *Vide Var. Lect. Mill.*

(q) *Iſai.* LIV, 1.

(r) *Geneſ.* XXI, 9: *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus.*

(s) *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit.* Verba hæc in Græco vulgato deſiderantur, leguntur verò apud Codices Vetereſque quamplures. Aliquid ſimile jungunt Græci initio proximi Capitis.

CAPUT V.

Chriſtianorum libertas. Qui circumciſione initiantur, rei ſunt Legis univerſæ. Fides ſalutem parit. Falsa libertas. Lex in charitate ſita eſt. Carnis vitia. Fructus Spiritûs.

℣. 1. STate, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri.

℣. 2. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.

℣. 3. Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.

℣. 4. Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini; a gratiâ excidiſtis.

℣. 5. Nos enim ſpiritu ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. STATE, ET NOLITE ITERUM JUGO SERVITUTIS CONTINERI. Vel ex Græco (a): *Libertate igitur, qua Chriſtus nos liberavit, ſtate, & ne iterum jugo ſervitutis detineamini.* Prima hujus membri pars in calce ſuperioris Capitis legitur hoc modo: *Non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberavit.* Cap. V, 1: *State.* Varietas hæc ſententiam non mutat. Libertas, de qua hic Paulus, ea eſt, quæ Moſaicæ Legis obſervatione liberos nos reddit (b). Huic nunquam ſubditi fuerant Galatæ; cùmque moneat Apoſtolus, ne *iterum* ſe illi ſubjiciant, id eo modo intelligendum eſt, quem diximus Cap. IV, 9. Novum jugum ne ſubeatis, ne amplectamini Legem, cui nondum paruiſtis.

℣. 2. ECCE EGO PAULUS DICO VOBIS, QUONIAM SI CIRCUMCIDAMINI, CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT. Carnis circumciſio Religionis Judaicæ profeſſio eſt. Hac admiſsâ, a Chriſto deſciſcitis: inutilis futurus eſt vobis Chriſtus. Neque illud cenſemini, velle vos Judaicam cum Chriſtianâ profeſſione conjungere; prædico enim, lethalem eſſe hujusmodi conjunctionem. Judæis quidem datur, ut ex Lege vivant, modò Evangelium ſervent: at vobis interdicitur, ne Legem amplectamini, futuris alioquin deſertoribus. Nemo certè hominem circumcidi vetuerit (c), modò is circumciſionem ſaluti neceſſariam, aut ritum ſaluti ſervientem eſſe non putet. Profectò Paulus ipſe (d) Timotheum circumcidit, multoſque Legis ritus poſt converſionem exercuit: at id ceu connivens præſtitit, ne Judæis offenſioni eſſet, utque ſupremum Synagogæ funus aliquo cum honore duceret. Aliter cum Galatis ſeſe res habebat; his enim ſuadere conabantur pſeudo-Apoſtoli, inutilem eſſe Chriſtianæ Religionis profeſſionem, niſi Legis obſervatio conjungeretur. Contra docebat Paulus, Judaicam profeſſionem Gentilibus ad Fidem converſis nedum inutilem eſſe, verùm etiam perniciosam.

℣. 3. TESTIFICOR RURSUS (e) OMNI HOMINI CIRCUMCIDENTI SE, quod prædixi, iterum dico, QUONIAM DEBITOR EST UNIVERSÆ LEGIS. Fortaſſe pſeudo-Apoſtoli ſuadere conabantur, admiſsâ circumciſione Legalium omnium obſervationem non imperari, non ſacrificia, non luſtrationes, non leviores cæteras Legis religiones; exigi autem ſolummodo circumciſionem, obſervationem ſabbati, delectum ciborum; cætera relaxari, ac permitti, ut ſimul Chriſtiana profeſſio ſervaretur. Porrò ipſimet hi Doctores Legem ſatis ſtudiosè non obſervabant (f).

Monet Apoſtolus, cùm circumciſio ſit publica Judaicæ Religionis profeſſio, nemini fas eſſe, partim ſervare, partim reſpuere. Iſthæc diſcrimina Lex minimè patitur, atque unius etiam e ſanctionibus ſuis violatorem maledicto ferit (g). Si neceſſaria eſt, ut ſalutem aſſequare, tota omnino ſervanda eſt. Putat Grotius, falſis hiſce Apoſtolis ſatis fuiſſe circumciſionem, atque exteriores aliquas obſervationes, ut cum cæteris Judæis confuſi, ceu novarum Religionum authores non vexarentur; Judaica enim profeſſio Legibus permittebatur. Hanc conjecturam, omnino probabilem, ſuppeditat S. Hieronymus in Caput VI, 13, hujus Epiſtolæ.

℣. 4. EVACUATI ESTIS A CHRISTO, QUI IN LEGE JUSTIFICAMINI. Qui juſtitiam veſtram in Lege conſtituitis, Chriſti participes non eſtis. Si per Legem vos fieri juſtos poſſe creditis, inutilis vobis eſt Chriſtus; Chriſti amicitiam reſpuitis; nihil vobis ex Chriſto expectandum eſt: vos ille reſpuit, ac veluti perfidam uxorem ejicit. Reddi poteſt Græcus (h): *Chriſtus vobis factus eſt otioſus* (i); Chriſti Religionem otioſam exiſtimatis, atque imparem pariendæ juſtitiæ.

℣. 5 NOS ENIM SPIRITU EX FIDE, SPEM JUSTITIÆ EXPECTAMUS. Nos Chriſtiani juſtitiam neque ex Lege neque ex operibus expectamus, ſed ex Fide & Spiritu Sancto. Sanctus ipſe Spiritus nobis indidit eam fiduciam, qua clamamus, *Abba, Pater*, cœlumque ceu paratam nobis hæreditatem ſuſpicimus: modò tamen hoc Spiritu vivamus, vivam Fidem agentemque per Chriſtianas

(a) Τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε. *Alii ex cap. præcedenti:* Ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε οὖν. *Ita Steph.* δ, ε, ιϛ, *Alex. Clar. Germ. Born. alii. Vide Mill.* (b) *Theodoret.* Ἐλευθερίαν τὴν ἔξω τοῦ νόμου πολιτείαν καλεῖ, ζυγὸν δὲ δουλείας, τὴν κατὰ νόμον ζωήν. (c) *Vide Hieronym. Eſt. Grot. Vide 1 Cor.* VII, 19, 20.

(d) *Act.* XVI, 3: *Circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis.*

(e) *Teſtificor rurſus.* Gr. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν. *Sed illud* πάλιν *deeſt in Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Arab. Chryſoſt. Hieron. Ambroſiaſt.* (f) *Galat.* VI, 13: *Neque enim qui circumciduntur, Legem cuſtodiunt, ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtrâ glorientur.*

(g) *Deut.* XXVII, 26; *Galat.* III, 13. (h) Κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ.

(i) *Hieronym. hic, Eraſm. Vatab. Pagn. Eſt. Tig. &c.*

℣. 6. Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.
℣. 7. Currebatis benè; quis vos impedivit veritati non obedire?
℣. 8. Perſuaſio hæc non eſt ex eo qui vocat vos.
℣. 9. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.
℣. 10. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud ſapietis: qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque eſt ille.
℣. 11. Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis.

COMMENTARIUS.

nas virtutes teneamur, *Fide ſpem juſtitiæ expectamus*, idem ſonat ac, *Expectamus mercedem juſtitiæ ſperatam* (k).

℣. 6. NAM IN CHRISTO JESU NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM; iſta quippe otioſa ſunt atque indifferentia in Chriſtianâ profeſſione, *in Chriſto*. Circumciſio & cæteræ Legis obſervationes juſtitiam non afferunt; neque a juſtitiâ eſt alienus, qui circumciſione caret. Juſtos facit una *Fides quæ per charitatem operatur*. Explicat hîc Paulus ea quæ paſſim dixit, Juſtum ex Fide vivere, hominem fieri juſtum per Fidem: Fidem nimirum intellige, quam animat ſeu perficit charitas; Fidem quæ per charitatem agit; utrumque enim Græcus ſignificat (l), & utrumque in eamdem ſententiam recidit. *Fides hîc ſpem etiam comprehendit*, ait Grotius (m); *quibus ſi accedat dilectio operans, nihil deſideratur amplius ad obtinendam ſalutem æternam*. *Fides quæ operatur per charitatem* hoc loco idem eſt ac *nova creatura* proximi Capitis, ℣. 15, novus ſcilicet homo, quem Deus intra nos condidit; & id quod ad Corinthios ſcribens dicit (n): *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei*, Legis nimirum Evangelicæ. En totam Chriſtianæ profeſſionis ſummam; Fides, Charitas, Opera.

℣. 7. CURREBATIS BENE: QUIS VOS IMPEDIVIT (o) VERITATI NON OBEDIRE? Altera hujus membri pars non legitur apud S. Chryſoſtomum, Tertullianum, S. Hieronymum, Ambroſiaſtrum. At eam in Græcis Codicibus legi, notat S. Hieronymus. Græci quidam Latinique Libri addunt: *Nemini conſenſeritis* (p). Ne cui credulas aures præbueritis; externos falſoſque Doctores ne audiatis.

℣. 8. PERSUASIO HÆC (q) NON EST EX EO QUI VOCAT VOS. Neque Deus, neque Dei Spiritus ſuaſere, ut Moyſis Legem amplectamini: nos iſta non docuimus. Quis igitur horum author, niſi inimicus ejusque emiſſarii, qui vos a veritate removere conantur? Vetuſta quædam Exemplaria particulam negantem non habent (r): *Perſuaſio hæc eſt ex eo qui vocat vos?* Eadem eſt ſententia, additâ interrogationis notâ.

℣. 9. MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT. Proverbii loco apud Hebræos erat, modico fermento impuram effici totam conſperſionem per Paſchatis dies, quibus diebus jubebatur populus azymo tantùm pane uti. Eadem ſententia in Epiſtolâ ad Corinthios (s) legitur. Græcus vulgatus fert (t): *Modicum fermentum totam conſperſionem fermentat*; atque ita legendum ajunt Interpretes quamplurimi (u). Cætera tamen Exemplaria Vulgatæ favent, leguntque (x): *Modicum fermentum totam conſperſionem corrumpit*, ſeu vitiat; quæ quidem lectio melior nobis videtur, præſertim ex interpretatione, quam initio dedimus.

℣. 10. CONFIDO IN VOBIS IN DOMINO, QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS, præter ea quæ ipſe docui, & quæ cum veritate conſentiunt. Utrùm allegoriam de fermento urgere ulteriùs debeam, ambigo. Futurum ſpero, ut vetus fermentum deinceps non ſapiatis, curetisque fermentum omne, vel minimum, quo inquinari poſſitis, ejicere. Confer 1 Cor. v, 6, 7. *Qui autem conturbat vos, portabit judicium*, pœnas dabit, *quicumque eſt ille*. S. Hieronymus meminit nonnullorum, qui ab Apoſtolo hîc innui cenſent Petrum, ceu tumultûs inter Galatas orti authorem ſive occaſionem. At citra probabilitatem ſunt. Tametſi enim pſeudo Apoſtoli per calumniam abuſi fuerint authoritate Petri, ſociantis obſervationem Legis cum Evangelio, hinc tamen minimè ſequitur, Petrum malitiæ illorum, vel turbis, quas illi in Gentilium converſorum Eccleſiis ciebant, conſenſiſſe. Probabilius eſt, argui ab Apoſtolo factioſiſſimum ex pſeudo-Apoſtolis, vel aliquem inter Galatas ſeditioſiſſimum, cujus nomen cautè ſilet.

℣. 11. SI CIRCUMCISIONEM ADHUC PRÆDICO, QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR? Vel: Si circumciſionis Legisque Moſaicæ neceſſitatem prædicare vellem, his ne Judæorum odiis obnoxius fierem? *Ergo evacuatum eſt*, deletum eſt, *ſcandalum crucis*. Chriſti crucem Judæi ceu ſcandalum exiſtimabant (y). Chriſtianam Religionem ob id maximè averſabantur, quòd Meſſiam cruci affixum, probro & ærumnis obrutum, non Liberatorem invictum, magnificum, validum intelligerent. Si Judaicam cum Chriſtianâ profeſſione componi poſſe docerem, furorem hunc odiumque

io

(k) *Eſt. Grot. Gomar. Men. Alii.*
(l) Ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη. (m) *Grot. hic.* (n) 1 Cor. VII, 19.
(o) *Græc.* Τίς ὑμᾶς ἀνέκοψε. *Alii*: Ἐνέκοψε. (p) Μηδενὶ πείθεσθε. *Borner. Ita Hieron. Clarit. Ambroſiaſt. Hieronymiaſter. Vide Mill. hic.*
(q) *Quidam*: *Perſuaſio veſtra. Syr. Calarit. Aug. Ambr. Codd. quidam, teſte Hieronymo.*
(r) *Clarom. G. L. S. Germ. Lat. Cor.* 3, *Virmu. Calarit. quid. codd. apud Hieron. hic.*
(s) 1 Cor. v, 6. (t) Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ. (u) *Hieronym. alii plures.*
(x) Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα δολοῖ. *Ita Germ. Clarom. Calarit. Conſtit. Apoſt. l.* 2, *c.* 17; *Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Vide ad* 2 *Cor.* v, 6. (y) 1 Cor. 1, 18, 23: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*.

℣. 12. Utinam & abſcindantur qui vos conturbant.

℣. 13. Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres. Tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis; ſed per charitatem ſpiritûs ſervite invicem.

℣. 14. Omnis enim Lex in uno ſermone impletur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.

℣. 15. Quòd ſi invicem mordetis, & comeditis, videte ne ab invicem conſumamini.

℣. 16. Dico autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.

℣. 17. Caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum; ſpiritus autem adversùs carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur; ut non quæcumque vultis, illa faciatis.

COMMENTARIUS.

in nos & Chriſtum Judæi exuerent. Invictum illorum converſioni obſtaculum crux non eſſet, ipſique Jeſum Chriſtum excipere non dubitarent, modò Legis obſervationes non relinquerentur (z).

℣. 12. UTINAM ET ABSCINDANTUR QUI VOS CONTURBANT.] Sunt (a) qui de abſciſſione per anathematis ſententiam explicent. Hujusmodi homines indigni ſunt, qui Chriſtianum nomen gerant, aut in Eccleſiâ numerentur. Qui tales ſunt, opus eſſet, inter anathemate perculſos haberentur, atque inter eos, de quibus in Veteri Teſtamento ſancitur (b): *Delebitur de populo ſuo*, vel anathemate, vel nece. Alii (c) de exſectione interpretantur. Falſi iſti Doctores, quibus tantoperè curæ eſt circumciſio, nedum circumcidantur, verùm etiam abſcindantur. Imprecantis eſt, ſeu minitantis prædicentiſque id quod hiſce pſeudo-Apoſtolis eſt eventurum (d). Poſtremam hanc explicationem vulgo probant Scriptores.

℣. 13. VOS ENIM IN LIBERTATEM VOCATI ESTIS. Chriſtiana profeſſio ſtatus eſt libertatis ſeu manumiſſionis reſpectu jugi Legalium obſervationum. At neque Chriſtus pernicioſam ſaluti libertatem, licentiæ ſimilem, nobis comparare voluit, neque licita nobis efficere carnis opera, quæ deinceps enumerat. *Tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis*. Soluti non eſtis officiis charitatis erga cæteros, aut moralium virtutum exercitatione immunes; quin & Chriſtus ipſe ad perfectionem multo ſublimiorem, quàm Moſaicâ Lege præſcriberetur, hortatus eſt; atque illud poſtulat, ut iſta liberè & ſponte, non ſervorum more, uti ſolent Judæi, ſervetis.

SED PER CHARITATEM SPIRITUS SERVITE INVICEM. Malis animi affectionibus liberos vos ſervate, peccati ſervitutem exuite, Legiſque ritibus ne ſubjiciamini; at Deo fratribusque per charitatem ſervire ne pudeat (e); iſta enim ſervitus quavis libertate præſtantior eſt, nihilque hac libertate glorioſius.

℣. 14. OMNIS LEX IN UNO SERMONE IMPLETUR, &c. Omnes naturæ, morum, humanæque Leges, ad mutua hominum officia pertinentes, uno mutuæ charitatis præcepto continentur. *Qui diligit proximum, Legem implevit*, ait Apoſtolus (f). Legem univerſam Chriſtus in duplici Dei & proximorum amore conſtituit (g). Alibi docet (h), Legem ac Prophetas in eo conſiſtere, ut quæ tibi fieri vis, alteri facias.

℣. 15. QUOD SI INVICEM MORDETIS ET COMEDITIS (i). Diſce hinc, aliquam fuiſſe inter Galatas ſimultatem. Invicem carpebant criminando & obloquendo, laniabantque alterutrum odiis, jurgiis, litibus, ſævitiâ. *Videte ne ab invicem conſumamini*. Plerumque enim odia, criminationes, lites in charitatis ac pietatis abolitionem, familiarum exitium, ſalutis perniciem deſinunt. Novorum fortaſſe Doctorum adventus hæc diſſidia inter Galatas ſeverat.

℣. 16. SPIRITU AMBULATE, ET DESIDERIA CARNIS NON PERFICIETIS. Spiritu ambulare, vitam inſtituere ex Evangelii normâ, Evangelicam libertatem ſervare, ex Fide vivere, una eademque res eſt. *Perficere deſideria carnis*, ſecundùm carnem ambulare, ſubjici ſervituti Legis, vetere homine indui, concupiſcentiæ impulſum ſectari; harum omnium locutionum, aliarumque complurium, quas Scripturæ ac Patrum uſus conſecravit, una atque eadem eſt ſententia. Uberiùs explicantur infra, ℣℣. 19, 20, 21, ubi Paulus opera carnis recenſet, & 22, 23, ubi ſpiritûs opera enumerat.

℣. 17. CARO CONCUPISCIT ADVERSUS SPIRITUM. Hoc loco & conſequentibus, caro & Spiritus duo indicant moralium hominis actionum principia (k). Caro ſeu concupiſcentia malarum actionum eſt radix; Spiritus, ſive arcanus gratiæ impulſus, bonarum. Ambo hæc principia nunquam

(z) *Vide Eſt. Men. Grot. Theodoret. alios.* (a) *Eraſm. Eſt. Hamm. Gomar. Para. Piſc. Men. Martinon, Bez.* (b) *Geneſ.* xvii, 14; *Exod.* xii, 15; xxx, 33, *& paſſim.*
(c) *Ambroſiaſt. Aug. Chryſoſt. hic:* Εἰ βούλονται, μὴ περιτεμνέσθωσαν μόνον, ἀλλὰ καὶ περικοπτέσθωσαν. *Theophyl. Oecumen. Theodoret.* Εἴθε, ἦ τέλεον ἐξέτεμον ἑαυτοὺς, οἱ τὴν περιτομὴν ὑμῖν ἐξαπάτην προσφέροντες. *Cajet. Grot. Quandoquidem illi in pelliculâ abſciſſâ ita gloriantur, utinam illis abſcindatur inſuper totum ſeminale membrum, quo magis triumpheat. Hieronym. Si putant ſibi hoc prodeſſe, non ſolùm circumcidantur, ſed etiam abſcindantur; ſi enim expoliatio membri proficit, multò magis abolitio.* (d) *Vide Hieronym. Eſt. Cajet.*
(e) *Chryſoſt.* Οὐκ εἶπεν, ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, ἁπλῶς, ἀλλὰ δουλεύετε, τὴν ἐπιτεταμένην δηλῶν φιλίαν.
(f) *Rom.* xiii, 8, 9, 10. (g) *Matth.* xxii, 39, 40. (h) *Matth.* vii, 12.
(i) *Alii: Invicem mordetis, & accuſatis. Clar. & Germ. L. vel, incuſatis. Cyprian. non ſemel. Criminatis. Ambroſiaſt. Conſumini inimicitiam. Geſt. Purgat. Caeciliani, & Felicis, t. 1 Concil. p. 1446.*
(k) *Theodoret.* Σάρκα λέγει τὴν ἐπὶ τὰ χείρω τῆς γνώμης ῥοπὴν, Πνεῦμα δὲ τὴν ἐνοικοῦσαν χάριν... Τότε γὰρ ὁ νόμος οὐκ ἐχορήγει, *&c.*

℣. 18. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.
℣. 19. Manifeſta ſunt autem opera carnis; quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria,
℣. 20. Idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ,
℣. 21. Invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia; quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.
℣. 22. Fructus autem Spiritûs eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas,
℣. 23. Manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſùs hujuſmodi non eſt Lex.
℣. 24. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.
℣. 25. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.

COMMENTARIUS.

nunquam non pugnant; *ut non quæcumque vultis, illa faciatis, ac ſentiatis*, ut idem alibi ſcribit (l), *aliam legem in membris veſtris repugnantem legi mentis veſtræ*, & clamare cogentem: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hominum ſanctiſſimi, dum in terris degunt, has pugnas, hos tumultus experiuntur (m). Repugnant pii motibus concupiſcentiæ; ac meriti fons eſt victoria. Cedunt impii & vincuntur; atque hinc eorum infelicitas oritur. Duplicis hujus affectionis impulſus nullam homini vim afferunt, nullumque illius libertati vitium; Deo enim opem ferente, nunquam non reſiſtere poteſt concupiſcentiæ, & gratiæ illecebras liberâ prorſus ſuæ voluntatis electione ſequitur, quæ voluntas ſponte cum judicio in alterutram partem inclinatur.

℣. 18. QUOD SI SPIRITU DUCIMINI, NON ESTIS SUB LEGE. Moſaica Lex neque Spiritum Sanctum, neque gratiam bene agendo neceſſariam largiebatur (n): quamobrem ſiqui veteres Patriarchæ aut Prophetæ, qui ſub Lege vixerunt, Spiritûs Sancti gratiâ donati ſunt, ii perpauci fuere, ſi conferantur cum Fidelibus, qui eo per Baptiſmum prorſus omnes cumulantur; ipſique illi Veteres Spiritum idcirco accepere, quòd ceu membra haberentur Novi Fœderis, ad quod Fide jam pertinebant. Si igitur Galatæ Spiritu Sancto agebantur, eumque in Baptiſmo acceperant; ſi divinis donis ditati fuerant, id porrò erat indicio, eos non ſubeſſe Legi, ipſos pertinere ad Evangelium, Legem illis inutilem eſſe, adeoque illos perperam Legis jugum ſubituros.

℣. 19. OPERA CARNIS, QUÆ SUNT FORNICATIO (o), &c. Caro eo ſenſu quem diximus, in omne flagitiorum ſcelerumque genus impellit. Longam horum ſeriem recitat Paolus, quæ nullo negotio augeri poteſt; nullum enim vitii genus eſt, quod ex concupiſcentiâ non oriatur.

℣. 21. PRÆDICO, SICUT PRÆDIXI, &c. Hac certè in Epiſtolâ iſta non prædixit Apoſtolus; at fortaſſe prædixit, cùm apud illos prædicationem exerceret (p). Qui mala animi deſideria ſectantur, & concupiſcentiæ motibus obtemperant, ab æternâ beatitudine excludentur, tametſi deſideria opere non expleverint, niſi ſalubri pœnitentiâ Deum placaverint.

℣. 22. FRUCTUS SPIRITUS Sancti, ſeu gratiæ; actiones, ad quas præſtandas a Dei Spiritu impellimur, ſunt charitas, &c. *Benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo*. Pro quatuor hiſce virtutibus tres ſolummodò recenſet Græcus (q): *Longanimitas, benignitas, bonitas*; & cùm habeat Vulgata, *Modeſtia, continentia, caſtitas*, Græcus fert (r), *Manſuetudo, continentia*. At complures e Patribus, veteresque libri non pauci addunt *caſtitas*. (s).

℣. 23. ADVERSUS HUJUSMODI NON EST LEX. Cùm Lex data fuerit ob prævaricationes, uti ſupra dixit (t), & injuſtis, non juſtis lata, ut idem alibi ſcribit (u), ſtatim intelliges, nullam eſſe Legis poteſtatem in eos, qui Sancti Spiritûs impulſum ſectantur, quæque ipſe monuerit faciunt; quamobrem Galatas male ſubjici velle obſervationibus Legis, quæ nihil aut pro ipſis aut in ipſos valent, neque punire, aut minitari, aut opem ferre, aut præmium largiri queunt.

℣. 24. QUI AUTEM SUNT CHRISTI, CARNEM SUAM CRUCIFIXERUNT (x). Qui ſeſe veros Jeſu Chri-

(l) *Rom.* VII, 23.
(m) *Vide Concil. Trident. ſeſſ.* 5, *&* 6; *& Aug. paſſim*; *D. Thom. Cajet. Eſt. hic.*
(n) *Aug. ſerm.* 152, *n.* 5: *Lex minari novit, non ſubvenire; jubere novit, non juvare. Et ſerm.* 251, *n.* 6, *& paſſim.* (o) Addit Græcus μοιχεία, *adulterium*: hæc tamen vox apud Veteres quamplures deeſt. Et ℣. 21 φθόνοι, *invidia*, apud S. Epiphanium ac Theodoretum deeſt; tum φόνοι, *homicidia*, apud alios multos deſideratur. Vide Mill.
(p) Hoc ipſum ferè dixit in 1 *Cor.* VI, 9, 10; putatque Theodoretus, Paulum eò ſpectare his verbis. Nobis tamen hæc Epiſtola ante primam ad Corinthios ſcripta creditur.
(q) Μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη. (r) Πρᾳότης, ἐγκράτεια.
(s) Ἁγνεία. *Addunt Clarom. & Germ. & Berner. GG. LL. Iren. l.* 5, *c.* 11; *Ambroſiaſt. Cyprian. l.* 3 *ad Quirin.* § 63; *Hieronymiaſt.* (t) *Galat.* III, 19.
(u) 1 *Timot.* I, 9. *Vide Theodoret. hic. Vat. Eſt. Grot.*
(x) Origenes, teſte S. Hieronymo hic, iſta jungebat cum ſuperioribus: *Adverſùs hujuſmodi non eſt Lex, qui tranſfixerunt carnem, &c.* Ambroſiaſter τὸ *Chriſti* uſurpat plurali genere, pro, Chriſtiani.

℣. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

COMMENTARIUS.

Chriſti Diſcipulos præſtant, nedum concupiſcentiæ motus non ſequuntur, neque faciunt opera carnis, quæ mox dixit, ſed illam unà cum deſideriis crucifigunt, coërcent, aſſiduo bello exagitant. Mortui ac ſepulti per Baptiſmum cum Chriſto, huic uni vivunt, ipſius dumtaxat Spiritu animantur, ejusque amore & gratiâ implentur. Legem, quæ nonniſi ſervos ſuis ipſa viribus peperit, non curant. Quamobrem, ℣. 25, o Galatæ, *ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.* Evangelium ſectemur, non legem (y), ab originis noſtræ gloriâ ne deſciſcamus. Spiritum Sanctum, qui nobis ineſt, peccando ne contriſtemus (z).

℣. 26. NON EFFICIAMUR INANIS GLORIÆ CUPIDI, INVICEM PROVOCANTES. Carpere hîc Apoſtolus creditur & pſeudo-Apoſtolos, qui ambitione diſtenti, ſuam ipſorum exiſtimationem, obſcurato Pauli nomine, amplificare conabantur (u); & ex Galatia nonnullos, qui jurgia, ſimultatem, invidiam in fratres colebant. Plura dicere non poſſumus, cùm ejus Eccleſiæ ſtatum ignoremus.

CAPUT VI.

Moralia precepta. Monendi qui peccant. Mutua patientia. Alendi Doctores. Falſi Doctores vitandi. Horum ingenium. Circumciſio & præputium nihil valent.

℣. 1. FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis; conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.

℣. 2. Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis Legem Chriſti.

℣. 3. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipse ſe ſeducit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ET SI PRÆOCCUPATUS FUERIT HOMO IN ALIQUO DELICTO. Hoc capite pergit Paulus Galatas hortari, ut concordiam ſervent, ac remedium afferant malis, quæ inter ipſos ex pſeudo-Apoſtolorum prædicatione manarunt. Horum pernicioſiſſimum erat diſcordia, cùm aliqui illos audirent, alii repugnarent. Hortatur itaque, ut mutuam patientiam cum charitate exerceant. Siquis in peccatum aliquod lapſus fuerit, ſive ob nimiam credulitatem pſeudo-Apoſtolis præſtitam, ſive ob temerarium erga illos obſequium (a), ſive alias ob cauſas; *qui ſpirituales ſunt*, ſcilicet vel Presbyteri & Eccleſiæ Principes, qui cæteris doctrinâ & pietate præſtant, ſive etiam Fideles e vulgo, quibus major quàm cæteris eſt ſapientia & agendi via, *hujuſmodi inſtruant* (b), ad officium reducant, *in ſpiritu lenitatis* & charitatis, præter aſperitatem ac ſuperbiam (c), *conſiderantes ſe ipſos*, ac metuentes, *ne & ipſi tententur*. Qui enim ſtabilis eſſe videtur, ruere poteſt (d): *Qui ſtat, videat ne cadat*; ac nunquam non metuenda homini eſt infirmitas ſua & labendi facilitas. *Homo ſum; humani nihil a me alienum puto* (e). Quippe (f) *nullum eſt peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit rector, a quo factus eſt homo*. Pro, *Conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*, vetuſti quidam Codices legunt (g): *Conſiderans unusquisque ſeipſum, ne & ipſi tententur.*

℣. 2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE, ET SIC ADIMPLEBITIS (h), &c. Sua unicuique infirmitas eſt, ſuis morbis quisque laborat, indigetque, ut fratres in rebus ſuis conniveant (i). Igitur (k)

. . . . Æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

℣. 3. SI QUIS SE EXISTIMAT ALIQUID ESSE, CUM NIHIL SIT, IPSE SE SEDUCIT. Se ipſe fallit, quippe qui nihil eſt; vel, cùm ſit nihil, ſe ipſe fallit. Duplicem hunc ſenſum offerunt Græcus & Latinus. Nihil ſuum homini eſt, præter peccatum, imbecillitatem, mendacium (l). Cur adversùs fratrem,

(y) *Theodoret.* Μὴ κατὰ νόμον πολιτευόμενοι, ἀλλὰ τῇ χάριτι ἑπόμενοι.
(z) *Epheſ.* IV, 30: *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis.*
(u) *Theophylact. Confer Galat.* VI, 13.
(a) *Hieronym. Alii.* (b) Καταρτίζετε τὸν τοιοῦτον, *Inſtaurate, reficite, reſtituite. Ambroſiaſter: Humiliate. Theodoret.* Διορθοῦσθε, ςηρίζετε, τὸ ἐλλεῖπον ἀναπληροῦτε.
(c) *Hieron. Ubi peccator intelligens vulnus ſuum, tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis.* (d) 1 *Cor.* X, 12. (e) *Terent. Heautentimorumen. Act.* 1, *Scen.* 1.
(f) *Aug. ſer.* 93, *nov. Edit. c.* 6, *n.* 6; *Theodoret.* Ἄνθρωπος εἶ τρεπτὴν ἔχων τὴν φύσιν συναλγησον τῷ κακῶς διακειμένῳ. (g) *Claram. S. Germ. Borner. Latt. Cyprian. In contemplatione habentes unusquisque, ne etiam vos tentemini.* (h) *Græc.* Καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε, *Et ſic adimplete. Alii:* Ἀναπληρώσετε, *Adimplebitis. Ita plerique Antiqui. Vide Mill.*
(i) *Theodoret.* Τόδε ἔχεις τὸ ἐλάττωμά σε, τόδε ἐκ ἔχεις. Ἐκεῖνος ἐναντίον, ὃ μὲν ἔχεις, ἐκ ἔχει, ἕτερον δὲ. Σὺ φέρε τὸ ἐκείνου, κἀκεῖνος τὸ σόν. (k) *Horat. l.* 1, *ſat.* 3.
(l) *Aug. de Doctr. Chriſt. prolog. n.* 8; *& ſerm.* 32, *nov. Edit. n.* 10; *& ſerm.* 177, *c.* 6, *&c.*

℣. 4. Opus autem ſuum probet unuſquiſque; & ſic in ſemetipſo tantùm gloriam habebit, & non in altero.
℣. 5. Unuſquiſque enim onus ſuum portabit.
℣. 6. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis.
℣. 7. Nolite errare; Deus non irridetur.
℣. 8. Quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.
℣. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes.

COMMENTARIUS.

trem, quo ipſe eſt nihilo fortior, extollitur? Quis cæcus cæcum æquat, & de æri oculorum acie collatus cum illo inſoleſcat? Quo arrogantior, eò magis egenus es & contemptu dignus (m).

℣. 4. Opus suum probet unusquisque, &c. Si optimum gloriandi argumentum quæris, ipſe te expende, cogita quod vitæ inſtitutum ſequare, geſta tua ad æquiſſimam coram Deo lancem revoca, eaque cum Evangelii legibus confer: tum gloriare, ſi audes & potes. Quòd ſi Dei beneficio illud vitæ inſtitutum ſequeris, quo tibi plaudere queas, ob conſcientiæ bonæ teſtimonium (n): *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*; tum gloriam omnem in Deum converte, neque ſupra cæteros extollere, cum aliis aut minùs felicibus aut minùs bonis te conferens. Fratris imbecillitas tibi vires non addit; quicquid habes, ex Deo habes: tibi igitur ipſe ne plaudas (o): *Quid enim habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

℣. 5. Unusquisque enim onus suum portabit, ac Dei judicium ex bene vel male geſtis eſt ſubiturus (p): quæ quiſque ſeminaverit, ea metet (q). Quid egerit frater, ex te non quæretur, ſed qualis ipſe fueris. Tute tecum comparaberis, non cum cæteris. Aliorum flagitia te juſtum non facient.

℣. 6. Communicet autem qui cathechizatur verbo (r), qui docetur Evangelii dogmata, ei qui cathechizat, in omnibus bonis, bona ſua cum illo communicet. Alterum inſtitutionis caput. Fortaſſe verebatur Paulus, ne ob ea, quæ hactenus in falſos Doctores ſcripſit, Galatæ aſpernarentur aut deſererent eos, qui fide integrâ utilem illorum ſaluti operam navabant; quamobrem præcipit, ut opum ſuarum partem cum iis communicent, a quibus ipſi ſalutis ſcientiam accipiebant (s): id autem largè faciant, *in omnibus bonis*. Qui divinas res, donaque Fidei & inſtitutionis tanti facit, quanti debet, nunquam ſatis ſe gratiam rependere putat iis, quorum operâ Deus iſta largitur.

Sunt (t) qui ita explicent: Qui Fidem docetur, quidquid boni Magiſter agit, ſequatur; bonis inſtitutionibus aures præbeat, iiſque proficiat; at ea reſpuat, quæ perverſa ab eo tradi intellexerit. Si Judæus ille eſt, hæreticus, falſus Doctor, illius erroribus ne aſſentiatur. At prior explicatio hic una tenenda eſt.

℣. 7. Nolite errare: Deus non irridetur. Avaros alloquitur, qui quæſitis cauſationibus a ſuppeditandâ Præceptoribus annonâ ſeſe ſubducebant. *Excuſatio veriſimilis hominem poteſt utcumque placare, Deum non poteſt fallere*, inquit S. Hieronymus (u).

℣. 8. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quæ Fidei Doctoribus largimini, ea ne amiſſa cenſeatis: ſemen ſunt uberi ſolo creditum: fructum centuplum feret. Ita colliges, uti ſeminaveris (x): *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Nam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Vides hîc, uti & Capite v, ſpiritum & carnem, gemina humanarum actionum principia. Caro corruptelam, peccatum, mortem parit: Spiritus vitam æternamque felicitatem. Si carnis opera præſtatis, ſupra, v, 19, 20, 21, futura vobis ſunt ſemen mortis & corruptelæ. Si opera Spiritûs ſectamini, ℣. 22, 23, ea vitam æternam parient.

℣. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus: nunquam deſinamus bene agere, atque opera Spiritûs in lucem edere: *tempore enim ſuo metemus, non deficientes* (y); ſi enim non defecerimus, & ad finem uſque perſeveraverimus, fructum ſuo tempore carpemus. Conſtantiâ opus eſt & alacritate, ut in bono perſeveres: at promiſſa merces nonne ſatis eſt, ut acerrimam animi alacritatem excitet? Aliter accipit S. Chryſoſtomus (z): Bene agere ne deſinamus; ſuo enim tempore metemus præter fatigationem. Laborat agricola nedum ſeminans, verùm etiam metens: at hic meſſis labore ac moleſtiâ vacat.

(m) *Theod.* Εἰ δὲ καὶ σεμνύνεσθαι θέλεις, τὸν ἑαυτοῦ περισκόπησον βίον, κἂν ἀξιάγαστον εὕρῃς, κατὰ σαυτὸν σεμνύνου, εἴπερ ἄρα τοῦτο σε δεῖ ποιεῖν. *Vide Eſt. Grot. Men.*
(n) 2 *Cor.* I, 12.
(o) 1 *Cor.* IV, 7.
(p) *Pſalm.* LXI, 12; *Jerem.* XVII, 10; *Matt.* XVI, 27.
(q) *Infrà*, ℣. 7. (r) *Græc.* Ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον, *Qui catechizatur verbum.*
(s) *Chryſoſt.* Πᾶσαν ἐνδείκνυσθαι περὶ αὐτὸν δαψίλειαν. Τοῦτο γὰρ αἰνιττόμενος ἔλεγεν ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. (t) *Ambroſiaſt. Hieronym. ult. loco; D. Th. Liran.* (u) *Hieronym. Eſt. Para. Gomar.*
(x) 2 *Cor.* IX, 6. *Vide & Theodoret.* Γινώσκετε ὡς ἀμητὸς ἔσται τῷ σπόρῳ κατάλληλος, καὶ ὅπερ ἂν σπείρῃς, τοῦτο καὶ θερίσεις. (y) Οὐκ ἐκλυόμενοι. *Theod.* Πάντως δίχα θερίσομεν τὰ σπειρόμενα. Τοῦτο γὰρ ἔφη, μὴ ἐκλυόμενοι. *Aug. & Ambroſiaſter: Infatigabiles.*
(z) *Chryſoſt.* Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν γηπόνων οὐχ ὁ σπείρων μόνον, ἀλλὰ καὶ ὁ θερίζων πολὺν ὑπομένει τὸν πόνον αὐχμῷ καὶ ἀσνορτῷ, καὶ πολλῇ μαχόμενος ταλαιπωρίᾳ. Τότε δὲ οὐδὲν τούτων ἔνι. *Ita Theod. & Theophyl.*

℣. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes; maximè autem ad domeſticos fidei.

℣. 11. Videte, qualibus litteris ſcripſi vobis meâ manu.

℣. 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Dum tempus habemus, operemur (a) bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos Fidei. Dum ſupereſt vita, tempuſque meſſis non tranſit; non enim ſemper pauperes præſto erunt, ait Chriſtus (b); bene omnibus faciamus, iis præſertim, qui Fidelium familiam componunt, membraque Eccleſiæ pariter ſunt, Patriſque Cœleſtis filii adoptivi. Hi profectò piis in largitionibus præferendi ſunt, minimè neglectis extraneis. Cœleſtis Patris miſericordiam imitemur (c), *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Perfecta liberalitas fide, cauſâ, loco, tempore commendatur, ut primùm opereris circa domeſticos fidei*, ait S. Ambroſius (d).

℣. 11. Videte, quibus literis scripsi vobis mea manu. Multæ ſunt hujus loci explicationes. S. Chryſoſtomus (e): *Hic nihil aliud innuit, niſi quòd ipſe totam ſcripſerit Epiſtolam: quod affectûs mirè ſinceri erat argumentum. In cæteris enim Epiſtolis ſubſcribebat ipſe quidem, cæterùm alius ſcribebat... Quod autem dixit*, Qualibus, *mihi videtur non magnitudinem ſed deformitatem literarum ſignificans hoc dicere. Nam propemodum illud dixit, quòd quum non noſſet optimè ſcribere, tamen compulſus ſit per ſeipſum ſcribere, ut calumniatoribus os obturaret*. Theophylactus ſuo more Chryſoſtomi verba preſſiùs exſcripſit. Putat Theodoretus (f), totam ab Apoſtolo conſcriptam fuiſſe hanc Epiſtolam. *Illud autem*, ſubdit, *Qualibus, nonnulli quidem magnis, aliqui verò, malis, interpretati ſunt*. Nihil ipſe definit.

S. Hieronymus non totam Epiſtolam a Paulo deſcriptam cenſet, ſed *ab hoc loco uſque ad finem*; cùm enim, ſubdit, optimè noſſet, ſub ſuo nomine Epiſtolas a falſis doctoribus mitti, ut idem Theſſalonicenſes monet (g): *Ne terreamini neque per ſermonem neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, &c.* ut totam Epiſtolam ſuſpicione falſitatis liberaret, manu ſuâ ſubſcribebat, nequis aliquid falsò ipſi adſcriberet. Servatum id cernitur in Epiſtolis ad Corinthios primâ (h), ad Theſſalonicenſes alterâ (i), ad Coloſſenſes (k), atque ad Galatas. Cùm igitur ait, *Videte qualibus literis*, non grandes literas ſignificat, ſed; Videte nota vobis meæ manûs veſtigia.

Pergit Hieronymus: *In hoc loco vir apprimè noſtris temporibus eruditus, miror quomodo rem ridiculam locutus ſit. Paulus, inquit, Hebræus erat, & Græcas literas neſciebat. Et quia neceſſitas expetebat, ut manu ſuâ epiſtolam ſubſcriberet, contra conſuetudinem curvos tramites literarum vix magnis apicibus exprimebat; etiam in hoc ſua ad Galatas indicia charitatis oſtendens, quòd propter illos id quoque, quod non poterat, facere conaretur.* Sunt qui Chryſoſtomum ſuppreſſo nomine ab Hieronymo notari cenſeant. Viderit Lector, cui præſto ſunt verba Chryſoſtomi, ſupra a nobis recitata.

Recentiores quidam (l) hunc locum non de literarum magnitudine, ſed de Epiſtolæ prolixitate interpretantur; tametſi hæc multo brevior ſit, quàm ad Romanos & ad Corinthios. Poſtremas haſce hoc tempore nondum ſcriptas fuiſſe, vel ſaltem Galatis ignotas, opinamur. Denique prolixior eſt, quàm intra conſuetos Epiſtolæ fines contineatur, ſcribente præſertim homine, Epiſtolas manu ſuâ deſcribere non ſatis aſſueto. Alii (m) poſt Hieronymum ajunt, poſtremos octo hujus Epiſtolæ verſus deſcriptos fuiſſe ipſius Pauli manu; quamobrem decere, ut grandioribus typis, quàm reliqua Epiſtola, excudantur, idque cum cæteris autographis ſervetur.

℣. 12. Quicumque volunt placere in carne (n), hi cogunt vos circumcidi. Pſeudo-Apoſtoli, quibus nihil eſt antiquius quàm ut gloriam inter ſuos aucupentur, quòd legalium obſervationum religionem in quamplurimis prorogaverint, idcirco vobis ſuadere circumciſionem enixè ſtudent, ut odia inimicorum declinent, & Judæos ne offendant, quibus nihil moleſtius accidere poteſt, quàm rituum ſuorum abrogatio. Ne putetis, illos aut veſtræ ſalutis ſtudio, aut amore veritatis, aut gloriæ Jeſu Chriſti deſiderio impelli; ambitione aguntur, ſuarumque rerum ſtudio. *In carne veſtrâ gloriari* volunt, ℣. 13; ſcilicet in illud incumbunt, ut ex vobis ad Circumciſionem traductis gloriam ſibi parent; turpi autem metu prohibentur, ne eâdem, qua nos, conſtantiâ Crucem Chriſti & Fidei efficaciam prædicent; nempe, *ut crucis Chriſti perſecutionem* ex Judæis *non patiantur*.

Chriſtiani odiis Judæorum ac Gentilium erant obnoxii; Judæorum quidem, quòd Legis ritus abrogarent, hominemque cruce damnatum ceu Meſſiam colerent; Gentilium verò, quòd leges novas novamque Religionem inducerent. Falſi Galatarum Doctores reverâ neque Judæi erant, neque Chriſtiani, neque Gentiles. Neceſſarias eſſe ajebant Legis obſervationes; atque hoc nomine Judæorum odium vitabant, quippe quorum Legem ſervarent; tum etiam Gentilium, cùm Judæorum Religionem, in Romano Orbe probatam

(a) Ἐργαζώμεθα, *Operemur*. *Alii*: Ἐργασόμεθα, *Operabimur*. *Alex*, *Oecum*. *Alii*.
(b) *Joan*. XII, 8. (c) *Matt*. V. (d) *Ambr*. *l*. 1 *Offic*. *c*. 3.
(e) *Chryſoſt*. Ἴδετε πηλίκοις ὑμῖν γράμμασιν ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. Ἐνταῦθα οὐδὲν ἄλλο αἰνίττεται, ἀλλ' ὅτι αὐτὸς ἔγραψε τὴν ἐπιστολὴν ἅπασαν, καὶ ὃ πολλῆς γνησιότητος σημεῖον ἦν .... Τὸ δὲ πηλίκοις ἐμοὶ δοκεῖ οὐ τὸ μέγεθος, ἀλλὰ τὴν ἀμορφίαν τῶν γραμμάτων ἐμφαίνων λέγειν, μόνον οὐχὶ λέγων, ὅτι ὅτε ἄριστα γράφειν εἰδὼς, ὅμως ἠναγκάσθην δι' ἐμαυτοῦ γράψαι, ὥστε τῶν συκοφαντῶν ἐμφράξαι τὸ στόμα. (f) *Theodoret*. Τὸ δὲ πηλίκοις γράμμασι, τινὲς μὲν μεγάλοις, τινὲς δὲ φαύλοις ἡρμήνευσαν. Ἐγὼ γὰρ, φησιν, ἔγραψα τὴν ἐπιστολὴν, καίτοι μὴ γράφων εἰς κάλλος.
(g) 2 *Theſſal*. II, 1, & *ſeq*. (h) 1 *Cor*. XVI, 21. (i) 2 *Theſſal*. III, 17. (k) *Coloſſ*. IV, 18.
(l) *Vat*. *Camer*. *Eraſm*. *Cajet*. *Eſt*. *Men*. *Bez*. *Le Clerc*. (m) *Grotius hic*. Céne, Projet de Traduct. p. 617, 618. (n) Εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί, *Chryſoſt*. Εὐδοκιμεῖν παρ' ἀνθρώποις.

℣. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtrâ glorientur.

℣. 14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

℣. 15. In Chriſto enim Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.

℣. 16. Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſraël Dei.

COMMENTARIUS.

tam (o), profiterentur. Ut Judæorum gratiam iniren, Circumciſionem neceſſariam eſſe docebant, ferebantque turbas in converſorum Gentilium Eccleſiis, novas haſce res, ſanis Apoſtolorum dogmatibus contrarias, prædicantes.

℣. 13. NEQUE QUI CIRCUMCIDUNTUR, LEGEM CUSTODIUNT. Ipſimet veſtri pseudo-Apoſtoli Moſaicæ Legi non obtemperant; remoti quippe a Templo & ab Iſraëlitide, ſeſe Templo ſiſtere, ſacra facere, luſtrationes exercere ex Lege nequeunt (p). Religio igitur, quam jactant, Moſaicas ſanctiones ſervandi, vana eſt & inanis. Obedientiâ veſtrâ in rem ſuam uti volunt, ut perſecutionem vitent. Hoc unum eſt illorum propoſitum.

At iſta de Fidelibus Circumciſionem admittentibus intelligi debere mihi videntur; nam pseudo-Apoſtolis, quos fuiſſe Judæos origine, & poſt ſeptimum ab ortu diem circumciſione initiatos credimus, iſta aptari nequeunt: *Neque enim qui circumciduntur, Legem cuſtodiunt*. Hæc igitur eſt Pauli collectio. Falſos iſtos Doctores Moſaicæ Legis ſtudium non agit: ſecus enim, proſelytos ad integram ſanctionum obſervationem adigerent. Omnino autem conſtat, illos neque illarum obſervationem exigere, neque ipſos poſſe ſervare; quin & nulla iis mens eſt ut ſerventur; Doctores enim circumciſionem docere, Proſelyti admittere, ſatis habent; non ut Legem profiteantur, ſed ut perſecutionem vitent.

℣. 14. MIHI AUTEM ABSIT GLORIARI, NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Ingentem proſelytorum numerum jactent pseudo-Apoſtoli, eoque glorientur, quòd vos ad circumciſionem induxerint; una mihi ſit gloria, Chriſtum Jeſum, & quidem crucifixum prædicare, *Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, at veris Fidelibus *Dei virtutem & Dei ſapientiam* (q). Neque Gentilium perſecutionem, neque Judæorum odia & objurgationes vereor: unâ Chriſti cruce glorior, & laboribus, quos illius causâ ab hoſtibus patior (r). *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto*. Si gloriandum eſt, eo dumtaxat gloriabor, quod ob Chriſti crucem, ac Fidei & Evangelii obſequium tuli (s).

PER QUAM MIHI MUNDUS CRUCIFIXUS EST, ET EGO MUNDO. Is, cui comperta eſt mundi vanitas, mundum facillimè ſpernit: mortuus, nullis mundi illecebris movetur: at crucifixus mundum averſatur, odit, execratur. Ita affectus erat Pauli animus erga vitæ commoda, hominum exiſtimationem, ſæculi gloriam; iſta enim ſpernebat & execrabatur. Contra mundus Paulum oderat utì a ſe alienum, atque aſpernabatur. Cùm Paulus mundum nihili haberet, damnaret, impugnaret, pretioſiſſimis rebus exueret; contra mundus Paulum contemptui habebat ceu mortuum, crucifixum, atque hominum fæcem. Hanc ſui imaginem Paulus ipſe deſcribit (t).

℣. 15. NAM IN CHRISTO JESU NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM, SED NOVA CREATURA, novus homo (u); vitæ genus ſanctum (x), & Spiritu Sancto renovatum; morum mutatio, vita ex normâ ſpiritûs acta, geſtorum virtutumque Jeſu Chriſti imitatio. Id poſtrò eſt *nova creatura*. Eadem hæc ſententia legitur ſupra, v, 6: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides*. Legit hîc Paulus, *Nova creatura*, eâdem planè ſententiâ, cùm per Fidem veteri homine exuamur, novoque induamur. Chriſtus ipſe novum hunc in nobis hominem per gratiam creat; idem ipſe ex vaſe fracto novum reſtituit, per creantem omnipotentiam, ut ait S. Proſper (y):

Sed mutans intus mentem atque reformans,
Vaſque novum e fracto fingens virtute creandi.

Syncellus (z), aliique nonnulli veteres Græcorum libri (α) ferunt, hunc Pauli locum hauſtum eſſe ex apocrypho libro, *Moyſi Apocalypſi* inſcripto. At mihi probabilius eſt, libri iſtius apocryphi authorem verba hæc ex Paulo deſumpſiſſe; ea quippe Moyſis Apocalypſis veteres latuit.

℣. 16. QUICUMQUE HANC REGULAM SECUTI FUERINT, PAX SUPER ILLOS: ſcilicet, qui, ſpretis Circumciſione Legiſque ritibus, novum in ſe ipſi hominem novamque creaturam, de qua ſupra, formare ſtuduerint. Sive, regulam intellige dogmata omnia in hac Epiſtolâ tradita, & quæ in Evangelio docentur: atque iſta profectò veluti in compendium redacta inveniuntur in novæ vitæ inſtituendæ, hominiſque per Spiritum Sanctum renovandi obligatione.

(o) *Hieronym. hic: Cajus Cæſar, Auguſtus, & Tiberius Leges promulgaverant, ut Judæi qui erant in toto Imperii Romani orbe diſperſi, proprio ritu viverent, & patriis cæremoniis deſervirent. Quicumque igitur circumciſus erat, licèt in Chriſtum crederet, quaſi Judæus habebatur a Gentibus. Qui verò abſque circumciſione ſe non eſſe Judæum præputio præferebat, perſecutionibus tam Gentilium quàm Judæorum fiebat obnoxius. Has igitur perſecutiones hi qui Galatas depravaverant, declinare cupientes, circumciſionem pro defenſione Diſcipulis perſuadebant. Nam nec Judæi perſequi eos poterant, nec Gentiles, quos videbant & proſelytos circumcidere, & ipſos Legis præcepta ſervare. Vide & Aug. in Gal. n. 62.* (p) *Hieronym. Theodoret. alii.* (q) 1 *Cor.* I, 23. (r) 2 *Cor.* XII, 10. (s) 2 *Cor.* XI, 30; XII, 5, 6. (t) Confer *Matt.* X, 38: *Qui non accipit crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Galat.* V, 24: *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Vide Bern. ſer.* 7 *in Quadrageſ.* (u) *Epheſ.* II, 15; IV, 24. (x) *Rom.* VI, 4. (y) *Proſper, carm. de Ingratis, c.* 14. (z) *Syncell. Chronogr. p.* 27. (α) *Mſſ. duo ex Bibl. Reg. apud Coteler. & Hunt.* 2, *in margine, & Cod.* XI *ſæculi Baſilian. apud D. Bern. Montfauc. Diario Ital. c.* 55.

℣. 17. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.

℣. 18. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 17. De cætero nemo mihi molestus sit. Obſecro, ne eadem bis ſcribere a vobis cogar: arceantur falſi Doctores, præſcriptaque a me regula ſervetur. Satis multa dixi; quòd ſiquem argumenta noſtra non vincunt, cum pervicacibus non litigo. *Siquis videtur contentioſus eſſe*, alibi ſcribit (β), *nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. Docilitate opus eſt & obedientiâ. Interdum Paulus authoritatem atque imperioſitatem mirum in modum uſurpat (γ).

Aliter: Obſecro, ne curas curis cumuletis; ſatis curarum fero (δ): mutuam pacem ſervate, & quæ docui, tenete. *Ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. Satis multa hactenus pertuli: parcere jam debetis homini, cui corpus eſt vulneribus & cicatricibus Jeſu Chriſti causâ conſcriptum. Paria oſtendant pseudo-Apoſtoli, ii nimirum, qui graviſſimo jugo vos opprimere moliuntur. Si prædicant illi circumciſionem, eâque ſuæ carnis notâ gloriantur, ego cicatricibus ob Evangelium relatis glorior. His ego notis ſignifico, cujus ſim, ſub quo meream. Veteres militum (ε) & ſervorum (ζ) corpora quibusdam notis inurebant, ex quibus illi dignoſcerentur.

Sive ex Theodoreto (η). Hac de re ultra ſcribere jam nolo. Pro Epiſtolâ & argumentis, vulnera & cicatrices exhibeo. Teſtantur iſta rerum a me traditarum veritatem; atque omnia pati paratus ſum, ut tradita defendam. S. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius ita interpretantur; Habeo quo me purgem adversùs eos, qui me ſimulationis arguunt, aſſeruntque, me modò circumciſionem jubere, modò interdicere. Vibices plagarum, & pericula, quibus me objeci, pro me loquuntur, atque hoſtes refellunt. Dici non poterit miles aut ſegnis eſſe aut deſertor, qui vulneribus atque hoſtium cruore madens e prælio revertitur.

℣. 18. Gratia Domini... cum spiritu vestro, cum vobis, cum animo veſtro. Mortalia illis bona & commoda non optat, ſed ſpiritalia. Hæc locutio, *Gratia Domini cum ſpiritu veſtro*, vel, *cum ſpiritu veſtro Dominus*, in vetuſtâ Græcorum Latinorumque Liturgiâ legitur. Eadem eſt Barnabæ atque hujus Epiſtolæ concluſio.

IN

(β) 1 *Cor.* XI, 16. (γ) *Hieronym. Eſt. Para.*
(δ) *Grot. Eſt. Vat.* (ε) *Veget. l.* 1, *c.* 8; *Grot. ad Apoc.* XIII, 16. (ζ) *Vide Plutarch. in Nicia in fine. Philo de Monarch. Heſych. & Grot. loco cit. & ad Apoc.* VII, 3; *& alii.*
(η) *Theodoret.* Οὐκέτι, φησὶ, γράψαι τι πάλιν ἀνέξομαι. Ἀντὶ δὲ γραμμάτων τοὺς μώλωπας δείκνυμι, καὶ τῶν αἰκισμῶν τὰ σημεῖα, *&c.*

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Galatas.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

PROLEGOMENON.

EPheſus, Aſiæ Minoris Metropolis, Idololatriæ maximè dedita, cultui præſertim Dianæ, cui etiam celeberrimum Templum erexerat, Epheſios ſuperſtitioſos etiam fuiſſe, & Magicis artibus addictiſſimos, inde conſtat, quòd Paulus unâ die tot libros magicos flammis tradidiſſe dicatur [a], quot L millium denariorum pretio conſtarent [b]. Impudicitia & effrænis licentia totam Aſiam, Epheſum præſertim, pervaſerant.

S. Paulus anno Chriſti LIV primùm Epheſum vênit (c); qui poſtquam Judæorum Synagogæ de Evangelio dixit, rogatus ut apud ipſos aliquandiu moraretur, ſpopondit ſe regreſſurum, ſi Deo collibitum foret. Aquilam & Priſcillam, a quibus domi primùm Corinthi exceptus fuit, quique Epheſum usque ipſum comitati fuerant, Epheſi reliquit. Paulò pòſt quàm Paulus inde diſceſſit, Judæus Alexandrinus, Apollo nomine (d), vir diſertus, Scripturarum peritus, &, quamquam ſolo Joannis baptiſmate initiatus, acer Fidei Catholicæ propugnator, Epheſum vênit, & prædicationi operam dedit. Optimè ibidem ab Aquilâ & Priſcillâ inſtitutus, Corinthum contendit, ubi quod Paulus plantaverat, irrigavit (e).

Sub anni LIV exitum Paulus Epheſum reverſus, triennio ibi fuit (f). Diſcrimen eſt, an Joannes Evangeliſta Fidem illuc, antequam Paulus, intulerit. S. Joannes Chryſoſtomus (g), & alii affirmant; S. Irenæus (h) verò, ac Theodoretus [i], & quidem meliùs, negant; adduntque, Paulum & hic illud ſervaſſe, quod ſibi ipſe propoſuerat, ne jactis ab alio fundamentis ſuperſtrueret, neque de Chriſto diceret, niſi ubi Chriſtus penitus ignoraretur [k]. Ab Judæis & ab Ethnicis Paulus ibi plurima pertulit, ſibique tandem fugâ conſulere coactus eſt, ut ſeſe ſubduceret ſeditioni, quam artifex Demetrius, qui conficiendis Dianæ ædiculis vitam tranſigebat, Epheſi excitavit [l].

In Græciam inde profectus, Corinthi aliquandiu ſtetit, donec eleemoſynas in Græciâ & Aſiâ congeſtas deferens, Jeroſolymam navigavit. In Templo ab Judæis interceptum, Romanorum militum Præfectus Cæſaream miſit: unde Romam traductus, biennio (m) in carcere detentus eſt, ubi hanc ad Epheſios Epiſtolam, anno circiter Chriſti 62, ſcripſiſſe putamus. Præter quamquòd Paulus ſuorum vinculorum in eâ meminit [n], ejusdem etiam in Græcis Exemplaribus ſubſcriptiones Romæ exaratam præferunt.

Cùm verò bis in vincula conjectus fuerit, primùm Jeroſolymis comprehenſus a Judæis, Neronis imperantis anno ſeptimo; ſecundò cùm Romam profectus, eodem Imperatore jubente, regni ipſius anno XII, & anno ſtatim conſequente Martyrio interemptus: diſſentiunt idcircò Interpretes, utrius carceris mentio in hac Epiſtolâ fiat. De prioribus vinculis Paulum loqui, nonnulli putant [o]: in quam ſententiam & nos idcircò concurrimus, quòd Apoſtolus proximæ mortis ſuæ non meminerit, imò Epheſios oret, vulgandi conſtanter Evangelii virtutem ſibi a Deo impetrent (p); ex quo colligitur, ſperaſſe illum, ſolutum iri vincula ſua, ſeque ut antea Evangelium Gentibus nunciaturum: quòd præterea hanc, uti & Epiſtolam ad Coloſſenſes, per Diaconum Tychicum miſerit, & eadem fere verba, ut cum Epheſiis & Coloſſenſibus commendaret, Epiſtolæ utrique inſeruerit (q). Epiſtolam verò ad Coloſſenſes a Paulo exaratam, poſtquam primùm Romam venerat, certò ſcimus; ergo & hanc, quam dedit ad Epheſios.

Baronius, Eſtius, Tillemontius, & alii vix uno ante mortem anno, poſtquam iterum Romam rediit, ad Epheſios miſſam ſtatuunt (r). Hieronymum etiam in ſuam ſententiam pertrahere ſtudent, quòd, an Paulus, priusquam Epiſtolam hanc ſcriberet, in Hiſpanias ſe jam contuliſſet, ambigere ſe fateatur. Addunt præterea, in hac, ſicut in Epiſtolâ ad Coloſſenſes, Tichyco Oneſimum non jungi, neque Timotheum in ejus titulo unà cum Paulo memorari, ut fit in eâdem ad Coloſſenſes, & in cæte-

tis,

(a) *Act.* xix, 19.
(b) *L millia denariorum ſunt* xxv *millia librarum, decem ſolidis Gallicis, qui communis eſt denarii Romani valor, in ſingulos denarios ſupputatis.*
(c) *Act.* xviii, 19, 22.
(d) *Act.* xviii, 24, 25.
(e) 1 *Cor.* iii, 5.
(f) *Act.* xix, 1; xx.
(g) *Chryſoſt. Prolog. in Ep. ad Epheſ.*
(h) *Iren. l.* 3, *c.* 3.
(i) *Theodoret. ad Epheſ. prolog.*
(k) *Rom.* xv, 20, 21.
(l) *Act.* xix, 24.
(m) *Ab anno* 61, *usque ad Chriſti* 63.
(n) *Epheſ.* iii, 1; iv, 1; vi, 20.
(o) *Theodoret. Grot. Prolog.*
(p) *Epheſ.* vi, 19.
(q) *Confer Epheſ.* vi, 21, *&c. cum Coloſſ.* iv, 7, *&c.*
(r) *Hier. in Epheſ.* iii. *Vide not.* 48 *Tillemontii in S. Paulum.* At idem Hieronymus *in cap.* iii, 1, diſerte aſſerit, hanc Epiſtolam Romæ ſcriptam eo ipſo tempore, quo Paulus ſcripſit ad Philemonem, ad Coloſſenſes, & ad Philippenſes: ad quos utique ſcripſit, cùm primùm Romam vênit.

ris, quas, poſtquam primò Romam contenderat, Paulus dedit. Hæc eorum argumenta.

Veterum nonnulli [s] Paulum adhuc Epheſum non peragraſſe, cùm hanc ad Epheſios Epiſtolam dedit, idque omne, quod de prædicatione, & de ejus ad eam urbem itineribus Acta recenſent, nonniſi aliquandiu poſtquam eamdem ſcripſerat, eveniſſe putarunt. Vincula verò Pauli vel de vinculis, aliis ab iis, quibus Romæ devinctus fuit, vel ſpiritali ſenſu de corporis ſui carcere explicarunt (t), juxta illa ejuſdem Apoſtoli verba (u): *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quæ quidem ſententia ab omnibus nunc vulgò rejicitur, quamvis aliqui hujus Epiſtolæ loci ei ſavere videantur, v. g. [x]: *Propterea & ego audiens Fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis*; quod utique quammaximè ad illud accedit, quod ad Romanos ſcripſit (y), cùm eos ſolo nomine noverat. Et alibi [z]: *Hujus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis Gentibus, ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis*. Sed objectionem hanc diluimus in Commentario.

Marcion (a) hanc Epiſtolam non ad Epheſios ſed ad Laodicenos a Paulo datam aſſeruit; illam enim vocem primi verſûs, *Epheſi*, ademit [b]; quod vitium ex Marcionitarum Exemplaribus etiam in Catholica translatum eſt: quare Baſilius Magnus [c] vetuſtiſſimos Libros allegat, in quibus ſic: *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei omnibus Sanctis, qui ſunt, & fidelibus in Chriſto Jeſu*, pro *omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi*. Hieronymus etiam [d] hanc varietatem tangit, & Baſilii opinionem culpans, ab aliquibus jocosè potiùs quàm graviter explicari aſſerit ea verba: *Omnibus ſanctis qui ſunt*: quaſi ea mens eſſet Apoſtoli, ut Epheſios aliquo modo naturâ Sanctos eſſe teſtaretur, ſicuti Sanctus eſt Deus, qui idcircò appellatur: *Ego ſum qui ſum* [e]. Marcion, Epiphanio teſte [f], geminas Epiſtolas, ad Epheſios alteram, alteram ad Laodicenos, noviſſe dicitur; locus verò, qui veluti per Marcionitas ex Epiſtolâ ad Laodicenos laudatus affertur, in Epiſtolâ ad Epheſios occurrit, capite IV, ℣. 5, 6.

Grotius [g] huic ſimillimam ad Laodicenos Epiſtolam a Paulo datam putat, eamque a Marcione, fortè Laodicenæ Eccleſiæ authoritate freto, Epiſtolæ ad Laodicenos nomine allegatam cenſet: nihil enim cauſæ erat Marcioni, cur hîc mentiretur. Hanc præterea eamdem ſibi videri addit, quam Paulus, veluti ad Laodicenos miſſam, memorat, *Coloſſ.* IV, 16. Grotio accedit Uſſerius (h), qui hanc Epiſtolam ad omnes Aſiæ Eccleſias communem exiſtimat: quare Paulus Eccleſiæ, ad quam Epiſtola mittebatur, nomine prætermiſſo, illud tantummodo appoſuit [i]: *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, Fidelibus.....* Quòd verò Epheſus Provinciæ Metropolis eſſet, in Exemplaribus pleriſque hæc Epiſtola Epheſi nomen ſervavit; quare mirum non fuerit, ſi Baſilii ætate ex iiſdem Exemplaribus quædam nullius Eccleſiæ nomine inſcripta legeretur, & Laodiceni ſibi miſſam oſtentarent. Hinc fortè Marcion ad Laodicenos datam defendit, & veluti ad eoſdem miſſam allegavit.

Hæ ſanè conjecturæ & Interpretum ingenium, & quamdam veri ſpeciem præferunt; quædam verò in eâdem Epiſtolâ occurrunt, quæ ad Epheſios maximè pertinere videntur. Eos v. g. quamplurimum Magices ſtudioſos ſcimus; ea propter, *Vos*, ait Paulus, *cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritûs, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* [k]. S. Ignatius Martyr Epheſi Fideles (l) totâ hac Epiſtolâ a Paulo commendatos aſſerit. Apoſtolum igitur Epheſios præcipuè eâdem alloquutum ſentit. Præterea ibi Paulus in effrænem licentiam, quæ Epheſum pervaſerat, invehitur (m); turpes & ſcurriles ſermones damnat; monet [n] denique, ut a quorumdam Philoſophorum ſententiis caveant, a quibus turpium operum pleraque veluti indifferentia vulgabantur. Epheſus, maximæ voluptatis Urbs, Philoſophos plurimi faciebat.

Ante hanc, ad Epheſios alteram a Paulo datam Epiſtolam olim nonnulli putarunt [o], quòd capite III, 3, hæc legantur: *Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in brevi*. Interpretes verò id Apoſtolum innuiſſe cenſent, quod præcedenti capite de eorum ad Fidem vocatione, & de eorum ſine Legis operibus juſtificatione præmiſerat.

Patrum & Interpretum teſtimonio [p] hæc Epiſtola intellectu difficilior, & fortè

(s) *Vide Theodoret. Proleg. ad Epheſ.* I, 15; *& Oecumen. Proleg.*
(t) *Hieronym. in Epheſ.* III, *initio.*
(u) *Rom.* VII, 24.
(x) *Epheſ.* I, 15.
(y) *Rom.* I, 8, 9, 10.
(z) *Epheſ.* III, 1, 2.
(a) *Tertull. l.* 5 *contr. Marcion. c.* 11: *Prætereà & de aliâ Epiſtolâ, quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, Hæretici verò ad Laodicenos.*
(b) *Tertull. l.* 5 *contr. Marcion. c.* 17: *Eccleſiæ quidem veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos; ſed Marcion ei titulum aliquando interpolare geſtiit, quaſi & in iſto diligentiſſimus explorator.*
(c) *Baſil. l.* 2 *adversùs Eunom.* Τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων... Εἶπεν, τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Οὕτω γὰρ, καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι, καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν.
(d) *Hieron. in Epheſ.* I.
(e) *Exod.* III, 14.
(f) *Epiphan. hæreſ.* 42, *c.* 9, *p.* 310, *&* 371. 374.
(g) *Grot. Proleg. in Ep. ad Epheſ.*
(h) *Uſſer. ad ann.* 64.

(i) *Epheſ.* I, 1. (k) *Epheſ.* II, 1. *Vide etiam* I, 21; *&* V, 16; *&* VI, 12; *& Præfat. Hieronymi in* 1 *lib. Commentarii in hanc Epiſtolam.* (l) *Ignat. ad Epheſ. p.* 14; Παῦλος δὲ ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν. *Vide Coteler. not. ibid.* (m) *Epheſ.* IV, 19, 22; *&* V, 3, 4, 5. (n) *Epheſ.* V, 5, 6, 7. (o) *Quidam apud Theodoret. ad Eph.* III, 3. (p) *Chryſoſt. prolog. in Ep. ad Epheſ.* Λέγεται δὲ καὶ τὰ βαθύτερα τῶν νοημάτων αὐτοῖς ἐμπιστεῦσαι, ἅτε ἤδη κατηχημένοις. Ἔστι δὲ νοημάτων μεστὴ ἡ ἐπιστολὴ ὑψηλῶν, καὶ δογμάτων. *Hier. Prolog. in l.* 1, *& in l.* 3, *c.* 4: *Non vobis moleſtum ſit, ſi diù in obſcurioribus immoremur; cauſati enim in principio ſumus, inter omnes Pauli Epiſtolas hanc vel maximè & verbis & ſenſibus involutam.*

tè omnium Pauli obſcuriſſima eſt. Præter magnitudinem, & rerum, de quibus in eâ agitur, ſublimitatem, ſtylus confuſus, phraſis dura, & periodi nimiùm protractæ. Præcipua noſtræ Fidei myſteria, Redemptio, per mortem Jeſu Chriſti Juſtificatio, Prædeſtinatio, Gentium ad Fidem vocatio, & Gentium ab Abrahæ fœdere alienarum cum Judæis primis Divinarum promiſſionum hæredibus conjunctio, prioribus tribus Epiſtolæ capitibus fuſiùs ab Apoſtolo recenſentur.

Eò Paulum ſpectaſſe credimus, ut non modò Fideles Judaizantes, ſed etiam Ethnicos nuper ad Fidem traductos, a ſuâ in Idololatriam, Magicen, curioſas artes, & licentiæ flagitia proclivitate nondum penitus amotos, increparet. Gnoſtici, illius ætatis hæretici, & Philoſophi quidam turpia, adulterio minora, inter indifferentia opera recenſentes, impudicitiæ flagitiis authoritatem adjungebant. Tribus ultimis Epiſtolæ Capitibus ad eorum mores componendos regulas Epheſiis Paulus præſcribit; ad concordiam, pacem, & flagitiorum fugam hortatur; viris & uxoribus, genitoribus & filiis, ſervis & dominis, ad vitam optimè inſtituendam, plurima impertit; preces denique ab eis poſtulat, ut vel inter perſecutiones robur & Evangelii enunciandi virtutem a Deo conſequatur.

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS LITERALIS IN *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* EPHESIOS.

CAPUT PRIMUM.

Deum laudat Apoſtolus, quòd per Chriſtum Jeſum nos bonis cumulaverit, atque ante mundi creationem prædeſtinaverit. Deum orat pro Epheſiis, ut ea, quæ Deus ipſorum cauſâ geſſit, agnoſcant.

℣. 1. PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Jeſu.

℣. 2. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

℣. 3. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS JASU CHRISTI PAR VOLUNTATEM DAI. Hac io Epiſtolâ, ut in cæteris pleriſque, Paulus ſeſe Apoſtolum prædicat, ut hoſtibus oſoribusque, id negantibus, cumque neque a Chriſto Jeſu neque a primis Apoſtolis miſſum dictitaotibus, ora obſtruat. Docet, ſe Apoſtolum eſſe, Jeſu Chriſti vocatione, ac Dei Patris voluotate. *Omnibus Sanctis qui ſunt Epheſi, & Fidelibus.* Græca oonnulla Exemplaria (a) ferebant: *Omnibus Sanctis qui ſunt, & Fidelibus in Chriſto Jeſu*; non, *Omnibus Sanctis qui ſunt Epheſi:* id quod ex eo oriebatur, vel quòd hæc Epiſtola, utpote ad omnes circum Aſiæ urbes miſſa, nomine urbis caruerit, ſubinde addeodo, ut ad ſingulas geotes mittebatur; ſive ex eo, quòd ſimili Epiſtolâ ad Laodicenos miſsâ, Epheſi nomen aliquis ex iſtâ deleverit. Hanc Marcion nuncupabat Epiſtolam ad Laodicenos. Hæc verba, *Omnibus Sanctis qui ſunt, & Fidelibus*, S. Baſilius ita explieabat (b), quaſi diceret Apoſtolus, Epheſios abſolutiſſimâ nobiliſſimarum veritatum cogoitione, Deo eſſe conjunctos.

℣. 2. GRATIA VOBIS AT PAX, &c. Animi donis, Diviniſque atque exterioribus muneribus vos cumulet Deus; tranquillitate mentis, ac fortunarum proſperitate compleat, quantum gloriæ ipſius veſtræque ſanctificationi condueit. Pacis nomine bona exteriora, ae frequeoter etiam meotis & conſcieotiæ traoquillitatem Judæi intelligunt.

℣. 3. BENAOICTUS DAUS ET PATAR (c), qui Pater

(a) Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, pro Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ. *Ita Patres & Exemplaria correcta apud Baſil. l. 2 contra Eunom. & quidd. apud Hieron. hic.* (b) *Baſil. loco citato:* Τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων, ὡς γνησίως ἡνωμένοις τῷ ὄντι δι' ἐπιγνώσεως, ὄντας αὐτοὺς ἰδιαζόντως ὠνόμασεν, εἰπών· Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι, καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν. (c) Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς, καὶ Πατὴρ τοῦ Κυρίου, *&c. Plures omittunt* καὶ.

℣. 4. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.

℣. 5. Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ,

℣. 6. In laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio ſuo.

℣. 7. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundùm divitias gratiæ ejus,

℣. 8. Quæ ſuperabundavit in nobis, in omni ſapientiâ & prudentiâ; .

COMMENTARIUS.

Pater eſt, Domini nostri Jesu Christi. Sive ſpectatâ Jeſu Chriſti humanitate: *Benedictus Deus, ac Pater*, &c. Deus enim Chriſto, qua homini, Deus eſt; qua Deo, Pater. Deus *in Chriſto*, ob Chriſti merita, Chriſti gratiâ, atque ob fidem, quam illi profitemur, *benedixit nos in omni benedictione ſpirituali*, interioribus donis, muneribusque divinis atque exterioribus; idque *in cœleſtibus (d)*, ob vitam æternam. Huc feruntur bona omnia, quæ a Deo accipimus: referenda nobis ſunt, ex primo Dei propoſito, ad Cœlum, æternamque beatitudinem. Beneficia, quæ nobis in Chriſto Jeſo contulit Deus, diſtinguit a beneficiis, quæ largitus eſt Judæis, terrena nimirum, & in terrenis rebus definentia (e).

℣. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. Nos *in Chriſto*, ſive *per Chriſtum*, elegit Deus. In Chriſto ſcilicet, quòd per Chriſtum adoptati ſuimus in Dei filios. Per Chriſtum elegit, per illius inſtitutiones, per Apoſtolos, dogmata, fidem, quam illi profitemur. Gratuito prorſus miſericordiæ beneficio decrevit Deus, nos e communi perditionis maſsâ, in quam per primi hominis peccatum incurreramus, ſubducere; decretum executioni mandat per Jeſu Chriſti gratiam, quam nobis abundè largitur. Per hanc vocamur, donamur Fide, juſti efficimur: poſtremò per hanc aſſequimur beatitudinem, noſtræ prædeſtinationis finem. Elegit nos Deus, *ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus*: non quòd ſancti eſſemus, ſed ut fieremus, elegit; eaque electio, nedum ad fidem & gratiam, verùm etiam ad gloriam, eſt omnino gratuita.

℣. 5. Qui prædestinavit nos, secundum propositum, ſeu beneplacitum (f) voluntatis suæ, nullo ex nobis merito. S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, S. Hieronymus ea verba verſûs ſuperioris, *in charitate*, jungunt cum hoc verſu ita: *In charitate prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum*, &c. nullâ mutatione ſententiæ. Dei prædeſtinatio circa Fideles, ut illos vocet, filiosque adoptivos faciat, ex uno illius amore, benevolentiâ, placito proficiſcitur, non ex ipſorum meritis (g). *Per Jeſum Chriſtum in ipſum.* Per Chriſtum, Chriſti gratiâ, in Chriſto prædeſtinati ſumus, uti diximus. Idem vocationis & electionis noſtræ finis, exemplar, & cauſa efficiens eſt, variâ ratione ſpectatus. *In ipſum*, ſcilicet, ipſius causâ, per ipſum, in ipſo, per ipſius merita & gratiam, ut ſimiles illi efficiamur; ſive, *in ipſum*, uſurpatur pro *ſibi (h)*, vel *in ſe*. Una ipſius gloria, & miſericordia prorſus gratuita Deo cauſæ fuit, ut nos eligeret *ſibi*, nimirum ut gratiæ & gloriæ ſuæ opes in nobis oſtentaret. Poſtrema hæc explicatio cæterarum optima videtur.

℣. 6. In laudem gloriæ gratiæ suæ. Ut univerſi homines Deo gloriam idcirco rependant, meramque ipſius miſericordiam in collati beneficii magnitudine agnoſcant. *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, periode eſt ac ſi diceret: *In laudem glorioſam gratiæ ſuæ*: ut ipſe ob eximium adeò beneficium ſummis laudibus celebretur. Hanc unam poſſumus tot beneficiorum gratiam illi reddere: Deus enim noſtris opibus laudibusque non indiget. Igitur particula *Ut* non Dei propoſitum ſignificat, ſed id quod officii noſtri eſt, & omnino fieri a nobis debet, poſtquam Deus tam multa in noſtri commodum præſtitit, *gratificans*, gratos ſibi reddens, *nos in dilecto Filio ſuo (i)*, ſive per Filium, vel Filii ſui Jeſu Chriſti gratiâ. Amat nos Deus in Chriſto, per Chriſtum, ob Chriſtum. Chriſtus Jeſus Patris benevolentiam, illius adoptionem, gratiam qua juſti & Dei amici efficimur, nobis promeretur.

℣. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus. Per Jeſu Chriſti ſanguinem mortemque peccatorum veniam ex Deo retulimus, *ſecundùm divitias gloriæ ejus*. Dei cruor leve pretium non eſt: omnes, ut ita dicam, magnificentiæ & gratiæ ſuæ theſauros exhauſit Deus, ut hoc munere nos cumularet. Sordium expiatio Judæis vitulorum, hircorum, taurorumque cruor erat (k); qua tamen expiatione animus non luſtrabatur: nobis præſto eſt Agni immaculati ſanguis, mundi peccata tollentis (l), quo ipſi purgamur culpis, æternâque beatitudine digni efficimur.

℣. 8. Superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia. Scientiâ & Philoſophiâ gloriabantur Epheſii; Judæi ſcientiam Legis jactabant. Animadvertit Paulus, Chriſtianos per Fidem, ad quam vocati ſunt, abundè donatos fuiſſe verâ ſapientiâ, ſolidâ ſcientiâ, prudentiâ Filiorum Dei; non ſæculi & carnis, ſed Evangelii prudentiâ, qua quicquid eſt tanti facimus, quanti reſpectu æternitatis faciendum eſt (m). Sapientiam hanc & prudentiam alii (n) explicant de ſupremâ Dei Sapientiâ, qua Deus ſublimes adeo ſuâque majeſtate dignos ſervandi humani ge-

(d) Ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Χριστῷ, *In ſupercœleſtibus Chriſto*. *Alii*: Ἐν Χριστῷ.
(e) *Chryſoſt. hic*. (f) Κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. *Theodoret*. Εὐδοκίαν γὰρ τὴν ἐπ' εὐεργεσίᾳ βούλησιν, ἔθος τῇ θείᾳ καλεῖν γραφῇ.
(g) *D. Th. hic, Aug. paſſim, Eſt.* (h) *Eſt. Grot. Men. Syr. alii Theodoret*. Τὸ δὲ, εἰς αὐτὸν, τὸν πατέρα λέγει, ἀντὶ τοῦ ἵνα αὐτοῦ χρηματίζωμεν υἱοί. (i) Ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. *Chryſ.* Ἐπέραστους, ἐπιχαρίτας, ἑαυτῷ ποθεινοὺς ἐποίησε. Libri complures poſt ἠγαπημένῳ, addunt, υἱῷ αὐτοῦ, uti Vulgata. (k) *Hebr.* IX, 12, 13, *& ſeq.* X, 5, 2, *& ſeq.* (l) *Joan.* I, 29.
(m) *Vide Ambroſiaſt. Chryſ. alios Græc. Eſt. Men. &c.* (n) *Grot. alii quidam*.

℣. 9. Ut notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm beneplacitum ejus, quod propoſuit in eo,

℣. 10. In diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terrâ ſunt, in ipſo.

℣. 11. In quo etiam & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ:

COMMENTARIUS.

generis atque ad æternam beatitudinem ducendi modus invênit. Prior tamen explicatio multo communiùs probatur.

℣. 9. SACRAMENTUM VOLUNTATIS SUÆ. *Sacramentum* Latinè idem eſt ac Græcè *Myſterium*, arcanum (o). *Myſterium voluntatis* apud Hebræos eſt arcana voluntas, incognitum arcanumque decretum. Poſt Filii ſui adventum Deus myſterium Incarnationis ac Divinitatis Filii ſui, & cætera Chriſtianæ Religionis myſteria pateſecit (p). *Confiteor tibi, Pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus* mundi, *& revelaſti ea parvulis.* Denique vocatis ad Fidem Gentibus, nobiliſſimum aperuit myſterium Eccleſiæ ſuæ, quæ ex veris adoratoribus ſpiritu & veritate conſtanda erat, qui adoratores colligendi eſſent ex omnibus indiſcriminatim gentibus, nullo Judæum inter & Gentilem diſcrimine (q). Hæc porrò ſunt myſteria voluntatis Dei, uno ipſius placito, non noſtris meritis freta, quæ per Chriſtum Jeſum pateſecit (r).

℣. 10. IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEMPORUM, INSTAURARE (colligere) OMNIA IN CHRISTO. Sive, *reſtituere omnia per Chriſtum.* Exhibetur hîc Deus ceu ſapiens pater-familias, annonam ſervis opportuno tempore debitâque menſurâ diſtribuens (s). Hæc autem annona eſt myſteriorum ſuorum diſpenſatio & patefactio, dogmatum, æternorumque conſiliorum, præſtitutis ſtatisque temporibus peracta. Porrò hoc tempus illud eſt, quo Filius in terras vênit, Novumque Fœdus eſt inſtitutum. Myſteriorum ſuorum partem Patriarchis aperuit, partem Judæis, traditis Lege & Prophetis; at iſta umbris adhuc & ambagibus obvolvebantur. In Chriſtianâ Religione, ubi vênit Chriſtus, reductum eſt velum, umbræ evanuerunt, in iis ſaltem quæ ad Meſſiæ Incarnationem, ortum, res geſtas, ad Gentium vocationem, ad Chriſtianæ Eccleſiæ inſtitutionem pertinent: multa enim adhuc reſtant aperienda de reſurrectione, futurâ vitâ, Juſtorum beatitudine, impiorum ſuppliciis, quæ nobis præſentia non ſunt, ſed futura.

Decreverat Cœleſtis Pater *inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terrâ ſunt, in ipſo.* Græca vox (t), quæ redditur *inſtaurare*, propriè ſonat *recapitulare*, colligere, plura in unum congerere, compendio complecti fuſiùs dicta. Colliguntur omnia, vel compendio conſtricta cernuntur in Chriſto Jeſu & Evangelio. Quicquid aut Patriarchis ſub Lege naturæ, aut Prophetis ſub Lege ſcriptâ pateſactum eſt, ſigniſve & figuris Legis cohibitum, multo ſublimiùs nobiliùſque in Chriſto Jeſu & Evangelio invenitur. Prætereà *omnia quæ in cœlis & quæ in terrâ ſunt*, quaſi conſtricta in Chriſto Jeſu conſpiciuntur. Cœlum ille cum terris conciliavit junxitque; cum hominibus Angelos; homines cum Deo Patre; militantem Eccleſiam cum triumphante. Idem quippe Servator, qui Patriarcharum ſpes fuit & expectatio, eſt etiam argumentum fiduciæ ac fidei Chriſtianorum; & idem Chriſtus Jeſus, cujus ſanguine homines redempti ſunt, jacturas quoque reparavit, quas prævaricator Angelus Cœleſtes inter Virtutes pepererat (u); ipſo enim agente, Fideles multi occupaturi ſunt ſedes, quas mali Angeli ante ſeditionem occupabant. Sancti denique Angeli, in Eccleſiæ Chriſtianæ, ex Judæis Gentibuſque converſis compoſitæ, defenſionem ac tutelam collecti, unum, ut ita dicam, cum illâ agmen conficient, ſub communi duce ac principe Chriſto Jeſu, qui præſes in Cœlis datus eſt Angelis, quemadmodum in terris præeſt Eccleſiæ (x).

℣. 11. IN IPSO, IN QUO ETIAM NOS SORTE VOCATI SUMUS. *In ipſo*, & per ipſum ejuſque merita. Ubi ſors eſt, nullum eſt meritum. Neque majus meritum intercesſit, cùm nos elegit Deus, ut nos donaret gratiâ, & ad Fidem vocaret (y). Ne tamen crederes, liberum arbitrium ab ipſo deſtrui, atque omnia ſorte agi, ſubdit: *Prædeſtinati ſecundùm propoſitum voluntatis ejus, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Infinitâ pollens ſapientiâ & ſcientiâ Deus, ſublimiſſimis & nunquam non juſtis conſiliis omnia moderatur: ſorte nos & in Chriſto Jeſu elegit; cauſa noſtræ electionis eſt Chriſtus. Per Chriſtum ad æternam beatitudinem ducimur; per Chriſti merita vocati ſumus ad Fidem; per Chriſti gratiam Cœlum aſſequimur.

Sunt (z) qui Græcum ita vertant: *Per quem nos etiam in ſortem* (in partem hæreditatis) *adſciti ſumus.* Moriens Chriſtus, non Chananæidis, ſed Cœli hæreditatem nobis promeruit & comparavit: vel, ſuam nos hæreditatem, ſervos ſuos, populum ſuum effecit, in filios adoptavit (a). Vetuſti complures libri (b) pro, *ſorte vocati ſu-*

(o) Γνωρίσας ἡμῖν τὸ μυστήριον. (p) *Matt.* XI, 25. (q) *Rom.* X, 12; *&* XI, 25, 26, 27, *&c.*
(r) *Vide Grot. Eraſm. Eſt. &c.* (s) Εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *Vide Grot. &c. Infrà*, III; 1 *Cor*, IX, 17; *Coloſſ.* I, 25; 1 *Timot.* I, 4.
(t) Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, *&c. Chriſtus omnia.* Τὰ διὰ μακροῦ χρόνου οἰκονομούμενα ἀνεκεφαλαιώσατο ἐν ἑαυτῷ, τουτέστι συνέτεμε..., μίαν κεφαλὴν ἅπασι ἐπέθηκε τὸν κατὰ σάρκα Χριστόν, *Hieron. & Tertull. l.* 5 *contra Marcion. c.* 17; *& Irenæi Interp. l.* 5, *c.* 2, Ἀνακεφαλαιῶσαι, *vertunt per, recapitulare.* (u) *Aug. Enchirid. de fide, ſpe & charit. c.* 29, *&c. lib.* XXII *de Civit. c.* 1. (x) *Theophyl. ex Chryſ.* Προέθετο οὖν ὁ Πατὴρ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ ὁράσια, καὶ τὰ ἐπίγεια, τουτέστι μίαν κεφαλὴν ἐπιθεῖναι ἅπασι τὸν Χριστὸν τοῖς μὲν ἀγγέλοις κατὰ τὴν ἀσώματον φύσιν. Τοῖς δ' ἀνθρώποις κατὰ τὴν σάρκα, *Eſt. alii non pauci.* (y) *Chryſoſt.* Ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν..., Ὁ γὰρ κλῆρος οὐκ ἀρετῆς ἐστι, ἀλλά, ὡς ἄν τις εἴποι, συντυχίας. Ὡς ἄν εἰ ἔλεγε, κλήρῳ γινομένων ἡμᾶς ἐξελέξατο. *Vide Eſt. Men.* (z) Ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν, *In quo hæreditatem, ſeu jus hæreditatis adepti ſumus. Eraſm. Vat. Grot. alii plures.* (a) *Vide Grot. Hamm.*
(b) Ἐκλήθημεν, pro Ἐκληρώθημεν, *Ita Germ. Claram. Borner, GÙ. LL. & Mſ. Alex.*

℣. 12. Ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè ſperavimus in Chriſto.

℣. 13. In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ,) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto,

℣. 14. Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.

℣. 15. Propterea & ego audiens fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes ſanctos,

℣. 16. Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis:

COMMENTARIUS.

ſumus, abſolutè legunt, *vocati ſumus*. Dei decreto prædeſtinati, vocati ſumus: optima ſententia.

℣. 12. Ut simus in laudem gloriæ ejus, nos qui ante speravimus in Christo. Supra, ℣. 6, animadvertit Paulus, nos a Deo eſſe prædeſtinatos, ut ejus rei laus & gloria in ipſius gratiam convertatur: eamdem ſententiam hîc repetit. Nihil agere poteſt Deus, niſi ſui unius causâ. Conditus eſt & exiſtit mundus ob ſolam Conditoris gloriam (c); neque aliò ſpectant generis humani reparatio, totusque ordo prædeſtinationis Juſtorum, & impiorum reprobationis. Æquum eſt, Deo in omnibus laus, gloria, honor reddatur; in Electis præſertim ac Sanctis, quorum causâ potiſſimùm bona largitur Deus, & reliqua omnia condita ſunt exiſtuntque, ut illorum commodis ſerviant (d).

Addit: *Qui antè* (primi) *ſperavimus in Chriſto*; id quod Interpretes (e) explicant de Judæis, qui in Meſſiam futurumque Liberatorem, pluribus antequam is veniret ſæculis, ſperavere; multi etiam poſtquam is vênit ac reſurrexit, antequam Ethnici verbum ſalutis acciperent. Credentium enim primi e Synagogâ prodiere.

℣. 13. In quo, per quem Jeſum Chriſtum, et vos cum audissetis, &c. ad fidem converſi, signati estis Spiritu promissionis sancto, promiſſi Spiritûs Sancti ſigno notati fuiſtis. Recuſantibus Judæis, nunciatum vobis eſt Evangelium, vos eo inſtituti eſtis, Chriſto crediſtis. Baptiſmo regenerati, cumulati eſtis Spiritu Sancto, divinisque muneribus, quæ Spiritus attulit; quo Spiritu quodammodo notati eſtis veſtræ ſanctificationis ſigno, ac ſalutis notâ. Neque ſignum ejusmodi eſt, quali Princeps militis corpus inurit, aut herus ſervum, aut myſteriis initiarum Diisque devotum Sacerdos; neque qualis eſt circumciſio, qua Dei populus diſtinguitur: nota eſt intra vos impreſſa per gratiam, qua completi eſtis, extra prodeuntem prodigiis divinisque muneribus, quæ vobis largitus eſt Deus (f). Familiaris Apoſtolo eſt comparatio ſigni, quo Fideles quodammodo notantur (g).

℣. 14. Qui est pignus hæreditatis nostræ (h). Spiritus Sanctus, quem accepimus, qui gemitus inenarrabiles, acerrimasque & efficaces preces in cordibus noſtris efficit, qui nos juſtos facit, ac ſuavitate cumulat; poſtremò, qui exteriora nobis dona largitur, ſcientiam, cognitionem, facultatem prodigiorum, linguarum, &c. hic, inquam, Spiritus pignus eſt æternæ beatitudinis, qua ſumus in Cœlis aliquando fruituri. Promiſſa felicitas eo quodammodò prægustatur. S. Hieronymus (i) diſtinguit pignus ab arrhabone. Arrhabo pars pretii eſt data in anteceſſum, qua de toto pretio ſecuturo fides fiat: pignus eſt id, quod creditor accipit a debitore. Arrhabo rei emendæ pretium non æquat, ſed ex pretio arrhabonis cenſetur, quæ ſit ipſa res, quodve ejus pretium. Quantavis ſit hominis ſanctitas, quantumvis ingentibus cœli donis, aut uberi gratiarum & ſuavitatis imbre homo cumuletur, iſta porrò nonniſi merus arrhabo ſunt promiſſæ felicitatis. *Si autem arrhabo tantus, quanta erit ipſa poſſeſſio?*

In redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius (k), vel, usque ad liberationem populi, quem Chriſtus in gloriæ ſuæ laudem ſibi comparavit. Populi per Chriſti Sanguinem acquiſiti triplicem redemptionem ſeu liberationem agnoſcit Scriptura. Prima libertas eſt a ſervitute peccati: altera eſt ab hac vitâ mortali, calamitatibus & periculis obſitâ; tertia eſt abſolutiſſima & ſuprema corporis exemptio a poteſtate corruptionis & mortis per univerſalem reſurrectionem, per quam immutabili æternoque ſtatu donabimur. Spiritus Sanctus, quo per Baptiſmum cumulamur, arrha eſt & pignus triplicis hujus libertatis, ac potiſſimùm tertiæ: certo enim futurum ſperamus, ut corpora, quæ Spiritûs Sancti templa fuere, & inſtrumenta, quibus idem Spiritus innumera Deo gratiſſima præſtitit, in vitam revocentur. *Redemptio acquiſitionis* idem eſt ac *plebs redempta & acquiſita*. Petro Apoſtolo dicitur (l) *Gens ſancta, populus acquiſitionis*. Illa verò, *In laudem gloriæ ipſius*, ſonant, *in laudem & gloriam ſuam*, vel *eximiam laudem ſuam*. Hebraicæ ſunt locutiones.

℣. 15. Et ego audiens fidem vestram, Ex hoc loco Priſci quamplures (m) collegerunt, Paulum hanc Epiſtolam ad Epheſios dediſſe, uti & ad Romanos, antequam vel Epheſum vel Romam peteret, cùm neutram gentem niſi ex nomine nos-

(c) Prov. xvi, 4: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque ad diem malum.* (d) Rom. viii, 28: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.* (e) Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 17: *Qui ante ſperavimus in Deum, quàm veniſſet: Judæi, quibus Chriſtus prænuntiabatur ab initio.* Ita Grot. Eſt. Men. Tir. alii plerique. (f) *Vide Theodoret. Chryſ. Theophyl. Grot. Eſt. Men. alios. Tertull. loco citato, lib. 5, c. 17 contra Marcion.* (g) 1 Cor. i, 6, 7; 2 Cor. i, 21, 22; Epheſ. iv, 30. (h) Ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. Alii: Ὅ ἐστιν ἀῤῥαβὼν, relatum ad πνεῦμα neutro genere. (i) Hieronym. hic, D. Th. Eſt. (k) Εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, *In redemptionem acquiſitionis*. Alii legunt: *In redemptionem adoptionis*. Clarom. S. Ger. Latin. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. antiqua Verſio ante Hieronym. Vide Hieron. hic. (l) 1 Petri, ii, 9. (m) Vide Oecum. & Theodoret. hic, & in prolog.

℣. 17. Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus;

℣. 18. Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis.

℣. 19. Et quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis ejus,

℣. 20. Quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum a mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus,

℣. 21. Supra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

℣. 22. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus: & ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam,

COMMENTARIUS.

noſſet. At multo firmior eſt contraria ſententia. Eo tempore Apoſtolus Romæ in vinculis erat; ibique auditâ Epheſiorum conſtantiâ in Fide quam acceperant, grates Deo agit, eoſque ad perſeverantiam hortatur.

℣. 17. Ut Deus Domini noſtri Jesu Christi. Chriſti Deus ex humanâ naturâ; Pater ex Divinâ. *Pater gloriæ*, ſive Deus gloriæ, vel ſummoperè glorioſus. *Gloria* frequenter pro Divinâ Majeſtate uſurpatur *(n)*. Ita Chriſtus dicitur *ſplendor paternæ gloriæ*; Pater, *Rex gloriæ (o)*. Deus omnipotens & glorioſiſſimus *det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis*, cognitionis, *in agnitione ejus*, ut ipſum agnoſcatis: ſive, det Spiritûs ſui ſuæque gratiæ incrementum, ut mens veſtra illuſtretur, voſque in illius agnitione, cultu, amore perſeveretis. Cùm prædixerit, ſe intellexiſſe quæ eſſet Epheſiorum fides; hæc procul dubio vacua non erat Spiritu Sancto, cùm illam commendet, pro eâque gratias Deo agat. *Spiritus ſapientiæ & revelationis*, quem Epheſiis imprecatur, ampliſſima eſt, abſolutiſſima, luculentiſſima cognitio myſteriorum Religionis, rerumque ad ſalutem pertinentium *(p)*.

℣. 18. Illuminatos oculos cordis vestri *(q)*, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus. Acerrimâ & arcanâ luce videatis, quàm ingens ſit gloria & felicitas vobis promiſſa, ad quam deſtinati fuiſtis, cùm ad Chriſtianam Religionem vocaremini: vias eò perveniendi agnoſcatis, eâque cognitione ad tanti boni ſtudium ac deſiderium excitemini.

℣. 19. Quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus *(r)*. Maximum divinæ potentiæ miraculum eſt impii converſio, uti notant Patres *(s)*. Eam S. Chryſoſtomus ac Theodoretus cum mortui in vitam reſtitutione comparant. Ajunt, eâdem potentiâ, qua Chriſtus revocatus eſt e ſepulcro, nos peccato liberari. Alterum divinæ potentiæ prodigium eſt Chriſti reſurrectio, de qua proximè, futuraque omnium illius membrorum reſurrectio *(t)*: ea porrò luculentiſſima eſt ſignificatio poteſtatis, quam exercuit Deus, & aliquando in nobis eſt exerciturus. Oportuit, ut eadem potentia, quæ Chriſtum revocavit in vitam, circa nos ad Deum per Fidem ducendos exereretur; eademque aliquando exeratur, ut vitæ reſtituamur, & gloriâ in Cœlo cumulemur.

℣. 20. Constituens ad dexteram suam in coelestibus *(u)*. Hæc de Chriſto ex naturâ humanâ ſpectato intelligenda ſunt; nam ex divinâ, ſuâ ipſe vi revixit, totâque æternitate nunquam non dexteræ Patris aſſedit, abſolutiſſimâ poteſtatis æqualitate, ejuſdemque cum illo unitate naturæ. Quemadmodum autem Chriſti Jeſu Reſurrectio argumentum eſt noſtræ; ita illius Regnum, gloria, & ſeſſio in Cœlis ad Patris dexteram, confirmatio eſt promiſſionum nobis exhibitarum, fore ut eò nos recipiat, gloriâ cumulet, ac ſedem tribuat, fidei geſtiſque noſtris convenientem *(x)*.

℣. 21. Supra omnem Principatum, &c. Putat S. Hieronymus *(y)*, ex arcanâ Hebræorum traditione hauſiſſe Paulum hæc nomina, *Principatus*, *Poteſtates*, *Virtutes*, *Dominationes*, quæ in ſacris Libris non leguntur; ſive ut audientium ingenio ſeſe accommodaret, exhibuiſſe Regnum Beatorum ſub Regni terreſtris imagine, in quo varii ſunt Magiſtratus, variæ dignitates, aliæ aliis inferiores. At ægrè intellexeris hujuſmodi ordines ac dignitates, qui exiſtere non poſſe videntur, niſi adſint ſubditi, homineſque aliis hominibus obtemperantes. Putat Grotius *(z)*, deſumpta hæc nomina ex Imperii Perſici dignitatibus; atque omnino Scriptura non ſemel in veteri Teſtamento hanc Hebræorum conſuetudinem ſequitur *(a)*, recitatque ſeptem Angelos Deo ſemper præſentes, quemadmodum ſeptem Regum Perſarum Miniſtris fas erat Regem ſpectare, ac libere ad illum accedere. Vide noſtram Diſſertationem de bonis & malis Angelis.

℣. 22. Omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Chri-

(n) *Hebr.* I, 3. (o) *Psal.* XXIII, 7, 9.

(p) *Vide* 1 *Cor.* XIV, 6, 26. (q) *Græc. impreſſ.* Τὺς ὀφθαλμὺς τῆς διανοίας. *Alii plerique, & antiquiſſimi*: Ὀφθαλμὺς τῆς καρδίας. (r) *Græc. impreſſ.* Εἰς ἡμᾶς τὺς πιστεύοντας. *Alii*: Εἰς ὑμᾶς τὺς πιστεύοντας, *In vos qui creditis*, ſeu, *qui credidiſtis*. *Ita Clarom. & S. Germ. G. L. & alii quidam.* (s) *Chryſoſt. hic*: Ἀπὸ γὰρ τῆς αὐτῆς δυνάμεως, ἀφ' ἧς τὸν Χριστὸν ἤγειρεν, καὶ ἡμᾶς εἵλκυσε πρὸς ἑαυτόν, *Ita & Theophyl.* Μεγάλης δυνάμεως τὸ ψυχὴν μεταπεῖσαι, καὶ μεταστῆσαι τῆς πλάνης, καὶ τηλικαύτης ἐλικῆς, οὐδὲ τὸ ἀναστῆσαι νεκρὸν, *&c. Vide & homil.* 3 *in Epheſ.* 55; *& homil.* 20 *in* 2 *Cor.* VIII, *p.* 207. (t) *Ambroſiaſt. Oecumen. D. Th. Eſt. Grot. alii.*

(u) Ἐν ἐπουρανίοις, *In ſupercæleſtibus*; ſcilicet in Cœlo, ſive in Cœlo Cœlorum, Cœlorum ſublimiſſimo; ſupra omnia, quæ ſub hominum oculos cadunt. (x) *Matt.* XIX, 28; *Joan.* XIV, 2.

(y) *Hieronym. hic.* (z) *Grot. in Rom.* VIII, 38; *& in hunc loc.* (a) *Tobiæ*, XII, 15; *Dan.* X, 13; *Apoc.* I, 4. *Confer Eſth.* I, 10, 14; 1 *Eſdr.* VII, 24, *&c.* 3 *Eſdr.* VIII, 12.

℣. 23. Quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

COMMENTARIUS.

Chriſtus Jeſus ad Patris dexteram ſedens, & pari poteſtate gaudens, ſuper omnia conſtitutus eſt, omnia videt, nedum quæ in terris, verùm etiam quicquid ſublimiſſimum in Cœlis eſt, Angelos, Archangelos, Dominationes, Thronos, &c. Eccleſiæ caput eſt, cùm militantis, tum triumphantis; ac nedum exercet abſolutum in illam imperium, verùm etiam in ipſam agit, vitam illi tribuit, illius gloria & felicitas eſt, illique ſe præbet ceu caput corpori, quod eo animatur, ducitur, illuſtratur (b). Eccleſia Chriſto conjuncta eſt, ceu corpus capiti; ab eo pendet, omnia ex eo accipit, uti a ſuo capite corpus. Unusquisque noſtrûm eſt Chriſti membrum, cùm ſit membrum Eccleſiæ, quæ corpus eſt Chriſti. Similem hoc non ſemel uſurpat Paulus (c).

℣. 23. PLENITUDO EJUS, QUI OMNIA IN OMNIBUS ADIMPLETUR. Pergit Paulus in allegoriâ de corpore & capite, Chriſtus eſt Caput; Corpus, Eccleſia. Caput corpori eximiam gloriam ac perfectionem largitur; at Corpus quoque aliquo modo gloriæ ac perfectioni Capitis ſervit, cùm ita aptum ac perfectum eſt, utì tam eximio Capiti convenit. Alterius gloria in alterum manat (d). Si ea corporis gloria eſt, quòd caput divinum habeat; gloriatur quoque caput elegantiâ & perfectione corporis, utì artifex operis perfectione gloriatur. Eodem ſenſu ſcribit alibi Paulus (e), gloriari ſe inter ærumnas, quòd in corpore ſuo compleret ea, quæ Chriſtus in ipſo, veluti in membro, erat paſſurus. Alibi etiam ait (f), Galatas a ſe ceu ventre geri, donec Chriſtus in ipſis abſolutè formetur: deinque opus eſſe, ut ipſi in nobis effingamus Chriſtum, donec illi ſimiles omnino reddamur (g).

CAPUT II.

Homo per peccatum mortuus, in Chriſto Jeſu ad vitam revocatur. Salutem aſſequitur per Fidem. Gentiles a promiſſionibus alieni, hæredes fiunt. Hi unum ſunt cum Judæis in ædificio Eccleſiæ, cujus fundamenta ſunt Prophetæ & Apoſtoli, lapis anguli Chriſtus.

℣. 1. Et vos, cùm eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris,
℣. 2. In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm ſæculum mundi hujus, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritûs, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ET VOS CUM ESSETIS MORTUI (a) PECCATIS. Pergit deſcribere Apoſtolus, quàm multa debeamus Chriſto. Nobis per flagitia & peccata mortuis, atque in umbrâ mortis, erroris, infidelitatis, rerum Divinarum oblivionis ferè ſepultis, vitam ille reſtituit. Peccatum aptiſſimè morti ſimile dicitur, quippe quo homo Deo inviſus, æternisque ſuppliciis, quæ in Scripturis *mors ſecunda* dicuntur (b), dignus efficitur.

℣. 2. IN QUIBUS ALIQUANDO AMBULASTIS, SECUNDUM SÆCULUM MUNDI HUJUS (c), præſens ſæculum. In quibus vitam egiſtis ad mundi hujus morem. Mortui eratis Deo, mundo vivebatis; at quo pacto? ex mundi inſtitutis, in idolorum cultu, in vitiis, in morum corruptelâ. *Corrumpi & corrumpere, ſæculum vocatur*, ait Tacitus.

SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUJUS; ex peſſimis inſtitutionibus ſpiritûs tenebrarum, inimici omnis juſtitiæ, qui aëria rerumque ſublunarium imperio gloriatur; in quibus, inquiunt, procellas excitat, varias converſiones efficit, quibus corpora hominum & valetudo afficiuntur. Heinſius (d) vertendum putat: *Poteſtatis tenebrarum*, non, *poteſtatis aëris*. Apud Græcos, *aër* non rarò pro tenebris uſurpatur. Apoſtoli Petrus & Judas (e) tradunt, Dæmones in tenebris exulare. Ait Theodoretus (f), rerum initio imperium aëris a Deo traditum eſſe Angelis, antequam ſeceſſionem facerent; eos verò poſt ſeceſſionem imperio ſpoliatos, eòque redactos, ut hominibus mala ſuadeant, ſuamque nequitiam ac tyrannidem in eos, qui ſponte ſe illis dediderunt, exerceant. Alii tamen cenſent, Dæmonem reverâ eâ poteſtate exutum ſtatim poſt lapſum; at Adamo peccante, rurſus permiſiſſe Deum, ut Satanas imperium in aërem & ſublunaria corpora exerceat. Exiſtimant nonnulli, Dæmones poſt Chriſti obitum omnes in ima tartara detruſos. Contendunt alii, complures ex iis adhuc in aëre & in mundo verſari. Chryſoſtomus verò (g), & veterum Patrum plerique docent, aërem a Dæmonibus occupari, eosque reverâ ſæculi hujus principes eſſe, vel tyrannos & uſurpatores, quòd imperium exerceant in plerosque homi-

(b) *Vide Theodoret. D. Thom. Eſt. Juſtinian. alios.* (c) *Epheſ.* IV, 12, 15, 16; V, 23; *Coloſſ.* II, 19; I, 18. (d) *Vide Eſt. Grot. Tir. Men. &c.* (e) *Coloſſ.* I, 24. (f) *Galat.* IV, 16. (g) *Rom.* XIII, 14; *Galat.* 14, 29; *Epheſ.* IV, 24; *Coloſſ.* III, 10, 12. (a) Quædam Exemplaria legunt: *Et vos convivificavit, cùm eſſetis mortui. Ita Edit. Sixti V, Pelagius, alia quæd. Editiones. Brug.*

(b) *Apoc.* II, 11: *Non lædetur a morte ſecundâ. Ita &* XX, 6, 14; XXI, 8.

(c) Κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου. (d) *Heinſius, Exercit. ſacr. p.* 433, 445.

(e) *2 Petri*, II, 4; *Jud.* ℣. 6. (f) *Theodoret.* Σαφῶς ἐδίδαξεν ὡς πάλαι μὲν ὁ διάβολος τὴν τοῦ ἀέρος ἐπιστεύθη ἐξουσίαν, ἐκπεσὼν δὲ ταύτης διὰ τὴν πονηρίαν, διδάσκαλος δυσσεβείας, καὶ πονηρίας ἐγένετο, &c. (g) *Chryſ.* Οὐ ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, καὶ πλείους ὑπὸ ἔχει τοῦ Θεοῦ, καὶ μᾶλλον αὐτῷ πείθοντας ἢ τῷ Θεῷ... Κατὰ τὴν ἐξουσίαν, φησὶ, τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος, τοῦτο πάλιν φησὶν, ὅτι τὸν ὑπουράνιον ἔχει τόπον. *Ita ferè & Theophyl.*

℣. 3. In quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus in deſideriis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.

COMMENTARIUS.

homines, qui Diaboli tyrannidem juſto Dei imperio anteponunt. Porrò ille propriè non eſt aëria princeps, ſed in aëre verſatur, atque in homines vitiis corruptos malitiam exercet. *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt*, ait S. Hieronymus (h), *quòd aër iſte, qui cœlum & terram medius dividens inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus.*

Eadem quæ Patres, hac de re ſentiunt Philo, Joſephus, ac Judæorum Doctores (i); quibus perſuaſum eſt, aërem univerſum bonis maliſve ſpiritibus occupari. Hi porrò triplicem in ſeriem dividi poſſunt. Alii enim appellantur (k) *mundi rectores tenebrarum harum;* atque hi Dæmones inferni ſunt: alii, maligni ſpiritus in aëre verſantes, *Spiritualia nequitiæ, in cœleſtibus* (l); alii denique terræ faciem diſcurrunt, ſuo unuſquiſque modo mala hominibus ſuadentes. Potiſſima infernorum Dæmonum occupatio eſt, impios in inferis torquere; Dæmones aëris peccata ſuadent ſpiritalia magis ac ſubtiliora, ambitionem, ſuperbiam, arrogantiam, ultionem; poſtremò Dæmones, quos jure terreſtres dixeris, craſſiora ſuadent & carnalia, in quibus potiſſimas partes agit corpus (m).

Malorum Dæmonum genera ſex diſtinguit Pſellus (n), ex Chaldæorum ſententiâ. Prioribus ignea eſt natura; ſedes, ſublimiſſima aëris regio, ſed infra lunam; Dæmones enim a ſpatio, quod circa lunam eſt, excluduntur, utpote impuriſſimi ſpiritus. Alteri occupant aërem, circa nos offuſum; qui propriè Dæmones aëris nuncupantur. Tertium genus in terris dominatur, quartum in aquis, ſub terrâ quintum, ſextum denique in denſiſſimis tenebris. Poſtrema hæc tria genera perniciofiſſima ſunt, & homini inimiciſſima; neque tantùm peccata ſuadent ſollicitantque, ſed apertâ vi aggrediuntur. Operæ pretium eſt noſſe, quid de Dæmonibus veteres Orientis populi exiſtimarent, cùm ad eorum perſuaſionem non rarò alludat Scriptura. Magicas artes amabant Epheſii, teſte Actorum Libro (o). Peſſimum hunc amorem illis in mentem revocat Apoſtolus, multaque tradit, quibus Fidem ſervent, ſeſeque a Dæmonibus, ob ipſorum defectionem iratis, tueantur.

Qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in infidelibus, incredulis. Cave putes, Juſtos a Dæmone non tentari, ſed juſti repugnant: invadit ille, at vincitur. Poteſt Dæmon, Deo permittente, Juſtos afficere moleſtiâ vel in fortunis vel in corpore, ut in utroque Jobum vexavit: morbos, calamitates, ipſamque mortem inferre. Evangelio ipſoque Paulo docemur, hominum peccata frequenter obſeſſionibus Dæmonum, aliiſque corporum afflictationibus puniri. At in peccatum trahere niſi ſuaſione non poteſt Dæmon: vincere nolentes nequit. Formidandæ profectò ſunt illius malitia, rabies, artes; quamobrem Deum quotidie oramus, ne nos in tentationem inducat, ſed liberet a malo: at nos, ferente opem Deo, nunquam non reſiſtere poſſumus. Igitur *in filios diffidentiæ* (p) potiſſimùm exercet imperium Diabolus, in Judæos incredulos (q), in Gentiles, veritatis verbum rejicientes. Suâ ipſi ſuperbiâ, arrogantiâ, officii deſertione ſeſe magis obnoxios Dæmoni faciunt: magis a Deo relinquuntur ſuis ipſi cupiditatibus, ac digni fiunt, qui Divinâ ope, qua ſine reſiſtere hoſtibus nequeunt, ſpoliati deſtituantur.

℣. 3. In quibus et nos omnes aliquando converſati ſumus; ſcilicet, in quibus vitiis; vel, in quibus filiis diffidentiæ; utroque enim ſenſu uſurpari poteſt (r); at meliùs primo. Vulgari orationis figurâ id agit Apoſtolus, ut odioſis rebus, quæ de auditoribus ſuis dicturus eſt, ſe ipſe miſceat. Ita loquitur, quaſi profanam Religionem, idolorum cultum, magicas artes, flagitia ſit ipſe ſectatus; vel quaſi inter Judæos fuerit ita ut Judæorum plerique, turpibus vitiis implicitus, tametſi alibi (s) ſcribit, patriam Religionem integerrimo ac ſanctiſſimo vitæ inſtituto ſeſe coluiſſe. Omnes olim criminibus odioque Dei eramus obnoxii: Judæi non aliter ac Gentiles carnis deſideria ſectabantur, *& erant naturâ filii iræ, ſicut & cæteri;* odio a Deo habiti, ejuſque furori obnoxii; adeoque & perditionis filii, æterniſque ſuppliciis digni. *Si filii iræ, ergo filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ* (t). S. Auguſtinus (u) & Latini Patres illum ſequuti, explicant de peccato originis, quo apud Deum omnes rei conſtituimur. Id Apoſtolus iis verbis ſignificat: *Naturâ filii iræ.* Non quòd homo conditus a Deo fuerit vitioſus, & peccato æterniſque ſuppliciis addictus; ſed quòd in iſta incurrerit per primi hominis defectionem, cujus pœna in omnes poſteros manavit.

Alii (x) τὸ *naturâ* interpretantur *verè, prorſus, omnino.* Nos reverâ iræ filii eramus. Animadvertit S. Hieronymus, veteres quoſdam hoc ſenſu uſurpaſſe: at ſimul docet, ita eſſe intelligendum, uti priore loco explicavimus. Ita Interpretes fermè omnes accipiunt. Neque tamen altera hæc explicatio priori repugnat, cùm per peccatum originis omnes *verè*, omnino, & *naturâ* filii iræ ſimus. Naturalem peccati ſtatum opponit Apoſtolus ſtatui gratiæ, ad quem per Jeſu Chriſti miſericordiam vocati ſuimus. Vide ℣. 5 & 8: *Gratiâ eſtis ſalvati.*

℣. 4. Deus

(h) *In Epheſ.* VI, 12.
(i) *Vide Grot. & Druſ. hic.*
(k) *Epheſ.* VI, 12.
(l) *Ibidem.*
(m) Vide Grot. hic, & noſtram Diſſert. de bonis maliſque Angelis.
(n) *Pſell. p.* 63, *Edit. Colonienſ. in* 12. (o) *Act.* XIX, 19. (p) Ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας.
(q) *Vide Coloſſ.* III, 6. *Grot. hic.* (r) Ἐν οἷς, *vel* παραπτώμασι. ℣. 1, *vel* υἱοῖς ἀπειθείας, ℣. 2.
(s) *Philipp.* III, 6. (t) *Aug. tract.* 34 *in Joan.* (u) *Aug. l.* 5 *contra.* c. 10, n. 3; *&* c. 15, n. 6; *& ſerm. olim* 14 *de verbis Apoſtoli, nunc* 294, *n.* 14: *Non accuſamus naturam: naturæ author Deus eſt; a Deo bona eſt inſtituta natura, ſed per malam voluntatem a ſerpente vitiata eſt. Ideò quod fuit in Adam culpa, non natura, nobis propagatis factum eſt jam natura. Vide & contra Pelagg. paſſim. Beda hic; Proſper, l.* 1 *de vocat. gent. c.* 18; *Fulgent. de fide, c.* 26. *Vide & Hieron. Eſt, Tir. Men. alios paſſim.* (x) Τέκνα φύσει ὀργῆς, *id eſt*, ἀληθῶς, καὶ γνησίως. *Cyrill. Theophylact. hic. Grot. Confer Sap.* XIII, 1: Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει.

℣. 4. Deus autem, qui dives eſt in miſericordiâ, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos,

℣. 5. Et cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto (cujus gratiâ eſtis ſalvati)

℣. 6. Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu:

℣. 7. Ut oſtenderet in ſæculis ſupervenientibus abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu.

℣. 8. Gratiâ enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt;

℣. 9. Non ex operibus, ut ne quis glorietur.

℣. 10. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.

℣. 11. Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab eâ, quæ dicitur circumciſio in carne manu facta.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Deus autem, qui dives est in misericordia ... ℣. 5, convivificavit nos in Christo. Nos eduxit e peccati morte, ſepulcro, ignorantiâ, Dei oblivione. ℣. 6, *Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Fides, Baptiſmus, gratia, quibus donati ſuimus, adeò certa ſunt futuræ noſtræ reſurrectionis atque in Cœlo glorificationis pignora, ut quodammodo dici queat, nos hiſce beneficiis jam gaudere. Iſta jam tenemus in Principe noſtro (y), nunquam paſſuro, ut a ſe in æternitate divellamur. Converſio noſtra quædam eſt reſurrectio, quemadmodum innuit Chriſtus apud Joannem, v, 25: *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent*. Vide Aug. tract. 22 in Joan. n. 7.

℣. 7. Ut ostenderet in sæculis, &c. Non ſemel notavit Apoſtolus (z), vocationem noſtram atque Electionem omnino gratuitas ex Deo eſſe; atque unicum Dei propoſitum in eo fuiſſe, ut ſuam ipſius gloriam tum in æternitate, cùm in futuris ſæculis, apud homines univerſos proenraret; *In ſæculis ſupervenientibus*.

℣. 8. Gratia enim estis salvati per fidem (a). Ea naturâ veſtrâ vitiis corruptâ iræ filii eratis; per Jeſu Chriſti gratiam ac vocationem ad fidem, filii Dei facti eſtis. Ut Adami filii, impliciti eſtis debito, quo morti & peccato obnoxii efficimini; per gratiam & Dei miſericordiam utroque liberamini. Per fidem ad ſalutem pervenitis, ipſaque fides *Dei donum eſt* (b). Quamobrem, ℣. 9, *non ex operibus, ut nequis glorietur*, quaſi meritis polleat, quibus vocationem, fidem, gratiam meruerit. Vult Deus, ut quicquid boni nobis ineſt, ad ſeſe ceu primum boni fontem referatur. Quicquid nobis ipſi tribuimus, ceu ſacrilegium punit.

℣. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis. Converſionem noſtram creationi comparat, ut doceat, nullis nos meritis vocatos eſſe & juſtificatos. Quemadmodum creatis rebus, quas Deus e nihilo eduxit, nullus eſt de ſorte ſuâ gloriandi locus, quaſi eam aliquâ ratione meruerint; ita juſtificationi aut vocationi noſtræ nullâ ipſi ex parte conſuluimus (c). Unus nos occupavit Deus, atque e nihilo peccati, ut ita dicam, eduxit. Neque idcirco putes, nos abſolutiſſimâ libertate non conſenſiſſe, noſtramque Fidem ac bona opera liberas non eſſe actiones ac ſponte præſtitas: at Paulus Dei vocantis & gratiam largientis actionem potiſſimùm ſpectat. Quæ ipſi conferimus, ea vocationem & Dei miſericordiam non antevertunt. Dei donum eſt aſſenſio noſtra & bona voluntas. *Fingimur ergo, id eſt, formamur & creamur in operibus bonis, quæ non præparavimus nos, ſed præparavit Deus, ut in illis ambulemus (d).*

℣. 11. Memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne. Epheſi Fideles ex ethnicâ fermè omnes ad Chriſtianam Religionem converſi fuerant. Perpauci illorum ex Judaicâ venerant. Hos ut luculentiùs doceat Apoſtolus, gratuitam fuiſſe ipſorum vocationem, in mentem revocat, ipſos, generis ſui conditione non circumciſos, atque a Dei fœdere cum Abrahamo alienos, participes promiſſionum Hebræis exhibitarum eſſe non potuiſſe: habitos fuiſſe loco derelictæ gentis, & obnoxiæ maledicto; at miſericordiâ prorſus gratuitâ voluiſſe Chriſtum eadem illis, quæ ſelectæ genti, beneficia impertiri, eoſque inter domeſticos cariſſimoſque filios recenſere.

Sine Deo in hoc mundo, Deo vero veràque Religione carentes: quamplura enim falſa Numina Gentiles venerabantur. Fortè etiam ex Epheſiis plures athei erant. Græcus (e): *Athei in mundo*.

℣. 12. Nunc

(y) *Theodoret.* Αὐτῷ γὰρ ἀναστάντι ἡμεῖς τῇ ἐλπίδι ἀνέστημεν. Καὶ αὐτῷ τῷ πατρὶ συνεδρεύοντι, μετέχομεν καὶ ἡμεῖς τῆς τιμῆς. Κεφαλὴ γὰρ ἡμῶν ὁ συνεδρεύων. Ἀπαρχὴ ἡμῶν ὁ συμβασιλεύων. *Vide & Greg. Mag. l. 22 in Job, c. 25.*

(z) *Sup. c. 1, ℣. 4, 5, 6, 9, 10, 12.* (a) Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι. *Alii* Τῇ γὰρ χάριτι αὐτοῦ σεσωσμένοι ἐσμέν. *Clarom. & S. Germ. G. L. Syr.*

(b) *Theodoret.* Οὐ γὰρ αὐτόματοι πεπιστεύκαμεν, ἀλλὰ κληθέντες προσήλθομεν.

(c) *Hieronym. hic: Creatur ille qui non erat antequam fieret, aut certè de eo quod erat, transfertur in aliud; ſicut & nos creati dicimur in Chriſto Jeſu. Creati utique, non quia non fuimus, ſed creati in operibus bonis. Chryſoſt. hic:* Τὴν ἀναγέννησιν ἐνταῦθα αἰνίττεται. Οὕτως κτίσις ἑτέρα ἐστίν. Ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήχθημεν. Ὅπερ ἦμεν πρότερον, ἀπεθάνομεν, τουτέστι, ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος. Ὅπερ οὐκ ἦμεν πρότερον, ἐγενόμεθα. Εἶτα κτίσις, τὸ πρᾶγμα ἐστι.

(d) *Aug. de grat. & lib. arbitr. c. 8, n. 20.* (e) Ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.

℣. 12. Quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati a converſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.

℣. 13. Nunc autem in Chriſto Jeſu, vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.

℣. 14. Ipse enim eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſuâ:

℣. 15. Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem, faciens pacem,

℣. 16. Et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.

℣. 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longè fuiſtis: & pacem iis, qui propè.

℣. 18. Quoniam per ipsum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem.

COMMENTARIUS.

℣. 13. NUNC AUTEM IN CHRISTO JESU, VOS QUI ALIQUANDO ERATIS LONGE, per errorem, idolorum cultum, flagitia, quibus implicabamini, *facti eſtis prope* per Fidem Chriſti, & Redemptionem, Chriſti Sanguine comparatam.

℣. 14. IPSE ENIM EST PAX NOSTRA, QUI FECIT UTRAQUE UNUM. Ipſe nos cum cœleſti Patre conciliat (f), & gratiam adoptionis acquirit: ipſe ex duplici gente, Judaicâ & Gentili (g), unam facit, unâ ſcilicet fide in Eccleſiâ utramque conjungit: ipſe in carne ſuâ diſcriminis parietem ſolvit, nempe inimicitiam, qua utraque gens ſejungebatur. Ex duplici domo unam conficit, dejecto pariete diſcrimen faciente. Porrò hic paries aut odium erat ac mutua utriusque gentis execratio, aut Legis ritus (h). Eruditi quidam (i) cenſent, ſpectari hîc ab Apoſtolo parietem, quo atrium Gentium ab atrio Iſraëlitarum in Templo Jeroſolymitano ſecernebatur; quem parietem transgredi, capitale erat gentilibus (k). Dejectus eſt paries, ablata diviſio: uterque populus in unam Eccleſiam collectus, unam dumtaxat familiam conficit.

At quo pacto Chriſtus eum parietem evertit? nimirum *in carne ſuâ*, per carnem ſuam, paſſionem, mortem, per ſui ipſius ſacrificium, quod æterno Patri obtulit. Vulgo cùm fœdera ſanciebantur, victimarum cruor fundebatur: Chriſtus, ut populi utriusque conjunctionem confirmet, ſuum ipſe ſanguinem offert; ſuâque ipſe carne, *in carne ſuâ*, utrumque populum alit, quo perfectior ſit inter utrumque charitas.

℣. 15. LEGEM MANDATORUM DECRETIS EVACUANS, ſive doctrinâ Evangelii (l), quam tradidit Diſcipulis, ritibusque Legis ſubſtituit. Cùm audis, Chriſtum *evacuaſſe*, abrogaſſe, *Legem mandatorum*, cave id de morum præceptis intelligas: ſatis enim conſtat, dixiſſe Chriſtum, ſe veniſſe ut Legem compleret abſolveretque, non aboleret (m). Ritualia igitur dumtaxat præcepta intelligenda ſunt, quorum graviſſimo jugo nos ſubduxit Chriſtus, ut leve & jucundum charitatis imponeret (n): *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

UT DUOS CONDAT IN SEMETIPSO. Judæus & Gentilis ad Fidem converſi, atque in Chriſto Jeſu conjuncti, unum novum hominem in ipſo, in Eccleſiâ, in charitate conficiunt; quemadmodum ſurculus ſylveſtri arbori inſitus unum corpus cum illâ componit. Chriſtus centrum eſt, in quo omnes conjungimur: caput eſt, membra omnia conſervans, vitamque & motum & lumen impertiens.

℣. 16. RECONCILIET AMBOS PER CRUCEM, INTERFICIENS INIMICITIAS IN SEMETIPSO. Sanguinis ſui pretio & crucis ſupplicio nos cum Deo Patre conciliavit, mutuasque Judæum inter & Gentilem inimicitias abſtulit *in ſemetipſo*, ſive per ſe ipſum, per mortem ſuam, utrumque in ſe uno conjungens. Sive ex Græco (o): *Auferens inimicitias in ipſâ cruce.*

℣. 17. EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS Gentilibus, QUI LONGE FUISTIS; ET PACEM IIS, Judæis, QUI PROPE erant per Divinæ voluntatis cognitionem; per fœdus, quod Deus cum illorum majoribus feriit; per promiſſionem, cujus hæredes legitimi erant. Pacem nunciavit inter Deum hominesque, inter homines ipſos, Judæos inter & Gentiles. Purgavit omnia, conjunxit, collegit in Eccleſiam. Chriſto naſcente, Angeli Deo gloriam, pacem hominibus nunciavere (p). Ait Chriſtus (q), ſe non ad pacem afferendam veniſſe, ſed bellum. His tamen verbis prædicere voluit id, quod ex hominum malitiâ, quamquam ſe non probante, eventurum in Evangelii prædicatione prævidebat. Nunciavit Gentilibus *qui longè fuerant*, non per ſe, ſed per Apoſtolos, quos ad gentes omnes inſtituendas miſit (r): *Euntes docete omnes gentes.*

℣. 18. PER IPSUM HABEMUS ACCESSUM AMBO IN UNO SPIRITU AD PATREM. Judæis Gentilibusque converſis æquè patet ad Patrem Cœleſtem acces-

(f) *Confer 2 Cor. v, 19; Mich. v, 5.* (g) *Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 17; alii paſſim.*
(h) *Theodoret. Chryſoſt. Eſt. Verſt. alii.* (i) *Med. l. 1, Diſſert. 3; Hamm. & Lud. Capell. hic.*
(k) *1 Macc.* IX, 54; *& Joſeph. antiq. l.* XII, *c.* 3; *& l.* XV, *c. ult.*
(l) *Ita Patres & Interpp. paſſim. Theodoret.* Δόγματα δὲ τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσε.
(m) *Matt.* v, 17. (n) *Matt.* XI, 30. (o) Ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν ἐν αὐτῷ, ſcilicet, σταυρῷ, de qua ſtatim antea. *Hieron. Syr. Goth. Pag. Piſc. Bez. &c. Alii:* Ἐν αὐτῷ, *In ſemetipſo. Ita Claromont. S. Germ. L. Ambroſiaſt. Fulgent. l. 2 ad Monim. Hieronymiaſt. Sed Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 17: In eo, ſupple, corpore Chriſti.* (p) *Luc.* II, 14. (q) *Matt.* X, 34; *Luc.* XII, 51.
(r) *Matt.* XXVIII, 19.

Digitized by Google

℣. 19. Ergo jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei:

℣. 20. Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu:

℣. 21. In quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino.

℣. 22. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

COMMENTARIUS.

acceſſus per Filium, qui ſequeſter noſter eſt, noſtræque reconciliationis & pacis author. Per ipſum omnes eodem Spiritu Sancto donati ſuimus, acerrimas preces intra nos fingente, ac largiente fiduciam, qua ad Deum clamemos: Abba, Pater (s).

℣. 19. JAM NON ESTIS HOSPITES ET ADVENÆ Deo ſanctoque Fœderi; peregrini non eſtis palantesque, quibus nulla ſit ſedes, uti ante converſionem, ignari cujus ipſi eſſetis, nullamque in profanâ Religione firmitatem, veritatem, atque alterius vitæ ſpem, aut præſentis ſolatium invenientes: at nunc *eſtis cives ſanctorum*, Eccleſiæ Jeſu Chriſti, quæ civitas Sanctorum eſt, *& domeſtici Dei*. Domeſticorum vel familiæ appellatio non modò ſervos, verùm etiam filios complectitur (t). Propria Chriſtianorum dignitas eſt, Dei filios eſſe. Hæc verba, *hoſpites ſanctorum & domeſtici Dei*, ita uſurpari poſſunt, quaſi diceret: Cœli cives eſtis (u), ac Dei familiares: Cœlum quodammodo jam incolitis; cœlorum cives eſtis, ac deſignati hæredes per vocationem Chriſtianamque Religionem.

℣. 20. SUPERÆDIFICATI SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM ET PROPHETARUM. Veteris Teſtamenti Prophetis & Novi Apoſtolis uſus eſt ceu ædificatoribus Deus in Eccleſiæ ædificium. Antiquum fœdus illi confirmavere, hi novum. Utrique autem ſerviere ædificio Eccleſiæ, compoſitæ ex Judæis & Gentilibus collectis in Chriſto Jeſu, quo ceu anguli lapide uterque ædificii paries occtitur jungiturque. Impletam in Chriſto veterùm vaticiniorum fidem oſtenderunt Apoſtoli: Prophetæ, diuturnâ tot ſæculorum ſucceſſione, conſtantiſſimam efficere traditionem, qua veræ Eccleſiæ cognitio ſervata eſt: argumenta pro noſtræ Religionis veritate exhibuerunt, cùm notas deſignaverint, ex quibus Meſſias agnoſcendus erat. Ita fundamenta nobis ſunt Apoſtoli & Prophetæ. Atque hi quidem Eccleſiæ fundamenta ſunt, ſed Chriſto minora, cùm ille primum ac neceſſarium ſit fundamentum (x), quo illa ſuſtinetur. Utrique illi ſuperſtruxere Chriſto, qui eodem ſimul tempore ac procul dubio eſt fundamentum, templum (y), janua (z), lapis anguli (α), architectus (β).

℣. 21. IN QUO OMNIS ÆDIFICATIO CONSTRUCTA CRESCIT. Quicquid Chriſto Jeſu ac Fidei ſuperſtructum non eſt, ſimile eſt ſtipulæ ac ligno, quod fundamento imponitur. Utrumque igne vorabitur (γ). Quodlibet ædificium lapidi non incumbens, procellâ & alluvione incurrente dejicietur (δ). Ut pars eſſe queas ædificii in Dei Templo, ſis oportet lapis vivus (ε), Chriſti ipſius manu ſectus & paratus. Niſi ipſe domum ædificaverit, fruſtra laborant qui ædificant. Unus ſibi domum ſe dignam intra nos condere poteſt Deus: at minimè condet, niſi operam, ſtudium, laborem ipſi, illius auxilio roborati, cooferamus.

CAPUT III.

Paulus in vinculis ob Evangelium. Myſterium vocationis gentium detectum, cujus executio Paulo credita. Hujus rei causâ ipſe vinculis coercetur. Deum orat, ut Epheſios in fide & charitate, & cœleſtium rerum ſcientiâ confirmet.

℣. 1. HUjus rei gratiâ, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis Gentibus:

COMMENTARIUS.

℣. 1. HUJUS REI GRATIA EGO PAULUS VINCTUS CHRISTI. Hians eſt ſententia; cùmque Paulus verbum non ſubjecerit, locum fecit Interpretibus, ut quisque pro libito ſuppleret. S. Hieronymus: *Hujus rei gratiâ cognovi myſterium* vocationis veſtræ ad fidem, *ut vobis quoque illud traderem*. Codices quidam Græci manu exarati (a): *Hujus rei gratiâ ego Paulus . . . legatione Jeſu Chriſti apud vos fungor*. Latini nonnulli (b) *Hujus rei gratiâ . . . pro vobis gentibus* a Deo *poſtulo*. Quibus verbis ſpectari videntur ℣℣. 13 & 14 hujus Capitis: *Propter quod peto ne deficiatis*. Et: *Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem*, &c. Alii (c): *Hujus rei gratiâ hortor vos*, ex Capite IV, 1. Alii (d): *Hujus rei gratiâ de vobis glorior*. Seu denique: *Hujus rei gratiâ ad vos*

(s) *Rom.* VIII, 15, 28. (t) *Grot. hic.*

(u) *Sancta* non rarò uſurpantur pro Cœlo. *Psal.* LXVII, 6, 36; *Heb.* IX, 12, *&c.*

(x) 1 *Cor.* III, 11. (y) *Joan.* II, 19. (z) *Joan.* X, 7, 9. (α) *Psalm.* CXVII, 22; *Matt.* XXI, 42; *Luc.* XX, 17; *Act.* IV, 11; *Rom.* IX, 33. (β) *Matt.* XVI, 18. (γ) 1 *Cor.* III, 11, 12.

(δ) *Matt.* VII, 25, 27. (ε) 1 *Petri*, II, 5. *Vide Hieronym. hic.*

(a) Τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος πρεσβεύω ὑπὲρ ὑμῶν. *Ita Steph.* IX, *Clarom. S. Germ. Grae. Ambroſiaſt. ex Epheſ.* VI, 20. *Ita & Caſtal. Vat.* (b) *Clarom. & S. Germ. Lat. Vide* ℣. 13, 14. *Ita Zanch. Piſc.*

(c) *Eſt. Hamm. ex Epheſ.* IV, 1. (d) *Ita Mſ. apud Steph.* Καυχῶμαι, *Beza ex Philipp.* II, 16.

℣. 2. Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis:

℣. 3. Quoniam ſecundùm revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in brevi:

℣. 4. Prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti:

℣. 5. Quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus, & Prophetis in Spiritu;

℣. 6. Gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium,

℣. 7. Cujus factus ſum miniſter, ſecundùm donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundùm operationem virtutis ejus.

℣. 8. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti,

COMMENTARIUS.

vos literas do. Sive: *Hujus rei gratiâ*, ob harum veritatum defenſionem, ac libertatis Evangelicæ propugnationem, *nunc vinculis coërceor*. Singulis hiſce additionibus ſui ſunt patroni, ſuaque probabilitas.

℣. 2. SI TAMEN AUDISTIS DISPENSATIONEM GRATIÆ DEI. Si tamen intellexiſtis, quid muneris mihi creditum a Deo ſit, ut illud erga vos exerceam. Videtur hic Paulus dubitare, norint ne Epheſii, ſeſe ab Eccleſiis ipſoque Jeſu Chriſto electum fuiſſe gentium Apoſtolum: id quod iis favet, qui Epiſtolam hanc ab Apoſtolo ſcriptam putant, antequam is Epheſum pergeret. At Græcus reddi poteſt (e): *Cùm omnino audiveritis creditam mihi provinciam Evangelii gentilibus potiſſimùm nunciandi*.

℣. 3. SECUNDUM REVELATIONEM NOTUM MIHI FACTUM EST SACRAMENTUM, myſterium vocationis Gentium ad fidem, & conjunctionis Judæorum cum Gentilibus in unam Eccleſiam, *ſicut ſupra*, capitibus ſuperioribus (f), *ſcripſi in brevi*. Hoc ego commentus non ſum pro libito, neque ultro id muneris aggreſſus ſum; ex ipſomet Chriſto didici myſterium, quod vobis prædico: ipſe me elegit ad munus, quod tam multis ab hinc annis exerceo, & cujus cauſâ nunc hiſce vinculis teneor. Vocatus eſt Paulus, atque hæc arcana didicit nedum Damaſci poſt converſionem (g), verùm etiam poſt annos aliquot (h), cùm ad tertium Cœlum raptus eſt, ubi ea didicit, quæ non licet homini loqui. Ex his verbis colligere nonnulli, priorem aliam ad Epheſios Epiſtolam datam eſſe ab Apoſtolo.

℣. 4. POTESTIS LEGENTES INTELLIGERE PRUDENTIAM MEAM IN MYSTERIO CHRISTI, quàm peritus ſim myſterii Chriſti, Paulus in vinculis conſtitutus, jamque ſenior, mortem ſibi imminere ſentiens, eâ conſtantiâ loquitur, quæ ipſius modeſtiam, ubique aliàs exhibitam, parum decere videatur. At rerum ſtatus, ad quem redactus fuerat, ſatis ipſum ab arrogantiâ purgat: ſanctiſſimus graviſſimusque vir, vinculis detentus, necemque ſibi imminentem expectans, ab arrogantiæ diſcrimine quàm longiſſimè abeſt. Modeſtia, qua de ſe ipſe paulo infra loquitur, argumento eſt, ipſum inani hominum exiſtimatione magnoperè non moveri.

Obiter Diſcipulos admonet, ſiquid ſublime de myſterio vocationis gentium ipſe dixerit, id ſtudio & meditatione ſe non comparaſſe, ſed ex Dei dono, qui id ſibi dederit, ℣. 5, *quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc revelatum eſt ſanctis Apoſtolis ejus & Prophetis* Novi Teſtamenti (i) *in Spiritu*, per Spiritum Sanctum. Uni Deo hujuſce revelationis gloria tribuenda eſt. Non ait abſolutè, myſterium vocationis veteres Patriarchas ac Prophetas latuiſſe (k): at his aliâ prorſus ratione, quàm Apoſtolis ac Fidelibus ſignificatum eſt. Vaticinia nunquam non aliquâ nube obvolvuntur: at Apoſtoli fidem promiſſionum priſcis exhibitarum impletam intuebantur. Eodem tempore Spiritus Sanctus figuras ac promiſſa in veteri Teſtamento, eademque in Novo expleta oſtendebat. In Chriſto Jeſu variiſque converſionis gentium caſibus explicari intelligebant innumeros Scripturarum locos, quorum difficultas antea ſolvi non poſſe videbatur.

℣. 6. GENTES ESSE COHÆREDES, &c. En myſterium. Legebant Judæi, Meſſiam in univerſis gentibus dominaturum; illum agnitum cultumque iri ab omnibus terrarum populis: at illud ſibi ſuadere non poterant, externas haſce gentes fore Dei Eccleſiam electumque populum, participes hæreditatis ac promiſſionum Abrahamo exhibitarum, pares denique natu majoribus, iiſque in Regno Dei præitoras. Si Gentiles Moſaicam Legem, circumciſionem, cæteroſque ritus amplecterentur priùs quàm Chriſto crederent, id quidem faciliùs: at quòd ab his religionibus alieni, promiſſionum hæredes agnoſcantur, illud porrò Judæi nunquam intellexere, & adhuc in eo laborantes errant (l). Myſterium hoc percepit Paulus, ac diſertiùs, luculentiùs, fuſiùs quàm cæteri explicavit. Potiſſimum id erat Apoſtolatûs illius argumentum, ℣. 7.

℣. 8. MIHI OMNIUM SANCTORUM MINIMO DATA EST GRATIA HÆC, ut immenſas miſericordiæ Jeſu Chriſti opes gentilibus nunciem. Hæc mihi credita eſt provincia. Cur verò ſe Sanctorum ſeu Fide-

(e) Εἴγε ἠκούσατε, *Siquidem audiviſtis*.

(f) *Theodoret. Eſt. Grot. Zanch. Tir.*

(g) *Act.* IX, 15; XXII, 21.

(h) 2 *Cor.* XII, 2, 4, 7. (i) *Eſt. Grot. Men. Tir. Vorſt. alii*. (k) *Hieron. Chryſoſt. Theodoret. Eſt. alii*.

(l) *Vide Ambroſiaſt. Primaſ. alios ad* ℣. 5.

Digitized by Google

℣. 9. Et illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi a ſæculis in Deo, qui omnia creavit;

℣. 10. Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei,

℣. 11. Secundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Jeſu Domino noſtro,

COMMENTARIUS.

Fidelium minimum nuncupat? Quî dicere id verè potuit? Quin & animadverte, non ut alibi (m) dicere, *Ego ſum minimus Apoſtolorum*, ſed *Sanctorum* (o), quaſi ætate progrediens piâ mentis humilitate creverit, aut ſanctitate decreverit. Se Paulus cum cæteris comparat, qualis olim fuit, perſecutor nimirum Chriſti in membris ipſius, flagransque pravo Legis ſtudio, quo agebatur. Hac ex parte ſeſe Fidelium omnium minimum exiſtimabat. Profundiſſimæ hujus humilitatis ſenſu proficere, nunquam non laudabile eſt. *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor* (p); *& qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*.

℣. 9. QUÆ SIT DISPENSATIO SACRAMENTI ABSCONDITI A SÆCULIS IN DEO. Hoc myſterium eſt illud ipſum, de quo hactenus dixit; Gentilium vocatio ad Fidem; eorum aditio in hæreditatem promiſſionum Patriarchis exhibitarum; ipſorum collectio in Jeſu Chriſti Eccleſiam unà cum Judæis ad Fidem converſis, ut una gens cum illis fiant. Porrò *myſterium* iſtud *abſconditum* fuit *a ſeculis in Deo*, in præſcientiæ ac prædeſtinationis illius decreto; & quod ad ſui executionem vagâ admodum obſcurâque ratione Sanctis ac Prophetis ſignificatum eſt. Vide ℣. 5.

℣. 10. UT INNOTESCAT PRINCIPATIBUS ET POTESTATIBUS IN COELESTIBUS. Ut Principes qui in Cœlis ſunt, agnoſcant in Eccleſiâ, vel in ratione a Deo Eccleſiam inſtituente ſervatâ, quàm ſublimis ſit Dei ſapientia in variis providentiæ ipſius ordinibus. Non homines dumtaxat Dei ſapientiam in Eccleſiæ regimine commendant & admirantur, verùm etiam Angeli Cœlorumque Virtutes, qui antes ſaltem perſpicuè non noverant (q) myſterium conjunctionis Judæorum & Gentilium in unam Fidem & Eccleſiam; at ex ſapientiſſimâ magni hujus conſilii executione illud planè intellexerunt (r). Ita hunc locum vulgo Patres & Interpretes explicant.

Recentiores nonnulli (s) aliter interpretantur, ajuntque, *Principatus & Poteſtates*, de quibus hic, eſſe mundi hujus Principes (t), Herodem, Felicem, Feſtum, Agrippam, & Magiſtratus urbium, quas Paulus prædicando peragravit: hi Dei ſapientiam agnovere in Eccleſiæ inſtitutione ac regimine: quamobrem vertendum eſt: *Principatus & Poteſtates nunc per Eccleſiam novere vehementer, variam Dei ſapientiam in rebus ad cœleſtia ſpectantibus*. Tria tamen ſunt, quibus ab hac explicatione admittendâ removemur. I, quòd longiùs quàm par eſt, a communi Patrum & Interpretum ſententiâ diſcedat; II, quòd τὸ *in cœleſtibus* ſejungat a *Principatibus & Poteſtatibus*, tametſi Paulus ea conjungens ſatis ſignificet, ambiguam Principatuum ac Poteſtatum appellationem ſeſe ita uſurpare, ut altiſſimos Angelorum ordines, non hujus mundi Principes deſignet. III, denique, quòd ſi τὸ *in cœleſtibus* explices *res ad cœleſtia ſpectantes*, repugnare videaris Apoſtolo, qui non ſemel hac in Epiſtolâ (u), ſedem ac domicilium Angelorum in Cœlis hoc nomine ſignificat.

MULTIFORMIS SAPIENTIA DEI (x), tam vehementer varia, in variâ providentiæ ratione admirabilis. Hæc effectibus varia eſt (y), prudentiâ ſcilicet, ſcientiâ, vaticinio, cæteriſque Spiritûs Sancti muneribus, quibus ornat Eccleſiam; multis etiam procurandæ ſalutis hominum modis; ſervatâ a rerum initio circa Electos providentiâ, variiſque gradibus, quibus Eccleſiam ſuam inſtituit, duxitque ad eum ſtatum, quem ſæculis Chriſtum conſecutis tenuit; variis poſtremò fœderibus Deum inter hominesque ſancitis, antequam ad Fœdus Chriſti cum hominum naturâ & Eccleſiâ perveniretur. Fœdus iniit Deus primùm cum Adamo, deinde cum Noë, mox cum Abrahamo, poſtremò cum Moyſe. Hoc porrò non ſemel inſtauratum eſt per quindecim ſæcula, quibus Lex viguit: atque hæc quidem nonniſi figura erant, & pro temporis opportunitate inſtituta, dum maximum fœdus, a Chriſto nobiſcum initum, & ad ſæculorum exitum uſque perſeveraturum, induceretur. Vide proximum ℣.

℣. 11. SECUNDUM PRÆFINITIONEM (z) SÆCULORUM, QUAM FECIT IN CHRISTO. Decreverat a totâ æternitate Deus abſolutiſſimam ſibi Eccleſiam inſtituere, quæ ex hominibus in ſpiritu ac veritate adorantibus componeretur. Decretum executioni mandavit per Evangelii prædicationem, Gentiumque vocationem ad Fidem. Myſterium hoc mirantur Angeli hominesque, atque omnibus deinde ſæculis mirabuntur. Profectò ſi ſeduló inſpicias Dei diſpenſationem erga homines, omnibus retro ſæculis, quæ adventum Jeſu Chriſti præceſſere, perſpicua occurrent veſtigia altiſſimæ ſapientiæ ac providentiæ, qua Deus omnia diſpoſuit, ut homines ſenſim ad infirmitatem ſuam ac Liberatoris neceſſitatem agnoſcendam induceret.

Peccat Adam in horto Eden, omnibuſque donis exuitur: pœnitentiam agit, & cum ſpe venturi Meſſiæ mortem obit. Univerſa illius ſoboles in flagitia ruens, communi exitio per dilu-

(m) 1 Cor. XV, 9. *Chryſoſt.* Οὐκ εἶπε, τῶν Ἀποστόλων. Ὥστε ἀφῆκεν τοῦτο ἔλαττον.
(n) *Eraſm. Grot. Eſt. Men. &c.* (o) Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ.
(p) *Luc.* XXII, 26. *Vide Hieronym. hic.* (q) *Theodoret. hic*: Οὐδὲ γὰρ αἱ ἀόρατοι δυνάμεις ᾔδεσαν τὸ μυστήριον, ἀλλὰ διὰ τῆς περὶ τὴν ἐκκλησίαν οἰκονομίας νῦν ἄῤῥητον τοῦ Θεοῦ σοφίαν κατέμαθον. *Ita & Chryſoſt. Theophyl. Aug. Hieronym. D. Thom. Eſt. Grot. alii.* (r) *Vide* 1 *Timot.* III, 16: *Magnum pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus. Vide &* 1 *Petri*, I, 12: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.*
(s) *Vide Knatchbull. Heinſ. Caſtal. Zaneb. Piſc. Vorſt. Zeger.* (t) Lucas, XII, 2, & Paulus, Tit. III, 1, deſignant Principes terrenos nomine *principatûs & poteſtatis*.
(u) *Epheſ.* I, 3, 20; II, 6; VI, 12. *Vide & Philipp.* II, 10. *&c.* (x) Ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ.
(y) *Clem. Alex. l.* 1 *Strom.* Πολυμερῶς, καὶ πολυτρόπως διὰ τέχνης, διὰ ἐπιστήμης, διὰ πίστεως, διὰ προφητείας, τὴν ἑαυτῆς ἐνδεικνυμένης δύναμιν εἰς τὴν ἡμετέραν εὐεργεσίαν.
(z) Κατὰ πρόθεσιν, *Secundùm propoſitum*, ſeu *decretum*.

℣. 12. In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentiâ per fidem ejus.

℣. 13. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra.

℣. 14. Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti,

℣. 15. Ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terrâ nominatur;

COMMENTARIUS.

vii aquas obvolvitur. Carus Deo eſt Noë, novæque ſobolis pater efficitur. Obortâ Dei oblivione inter gentes, Abrahamum ejusque poſteros eligit Deus, ut peculiarem ſibi populum faciat. Corrumpitur ea gens, Deosque in Ægypto ſectatur: illam ex Ægypto reducit Deus, fœdus cum eâ ferit, traditâ per Moyſem Lege. Peſſimus idolorum amor ex Iſraële per Legem non evellitur; quamobrem poſt varios lapsus, iratus ob ejus populi inconſtantiam Deus, illos trans Euphratem agi captivos facit, ubi flagitioſiſſimus ac ſeditioſiſſimus quisque in diuturnâ ſeptuaginta annorum captivitate interiit. Populi partem idololatriâ purgatum in Palæſtinam reducit, ubi is idololatriâ quidem abſtinuit, at vitiis nihilo levioribus corruptus eſt. Superbia, hypocriſis, morum depravatio, corruptio Legum, inanis obſervationum prorſus exteriorum fiducia inter Judæos debacchabantur, quo tempore vênit Chriſtus. Gentiles quoque idolorum ſuperſtitione, craſſis erroribus, flagitiisque inauditis tenebantur. Ex duabus hiſce gentibus, quarum neutra ferè melior, Eccleſiam ſanctam, caſtam, perfectam Chriſtus inſtituit. Id porrò divinæ potentiæ ac ſapientiæ miraculum eſt, cui par intelligi nequeat.

℣. 12. IN QUO HABEMUS FIDUCIAM accedendi ad Deum, nuncupandi Patrem, porrigendi ad illum preces, pro comperto habentes, quicquid Filii nomine poſtulaverimus, ejusdem merito impetraturos; freti promiſſis ipſius Chriſti, in Evangelio deſcriptis (a), & Eccleſiæ ſanctione, quæ preces noſtras hac formulâ claudi jubet: *Per Dominum Jeſum Chriſtum, Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.*

℣. 13. PROPTER QUOD PETO, NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS PRO VOBIS, QUÆ EST GLORIA VESTRA. Mala, quæ ipſi toleramus, gloriæ veſtræ ſerviunt; gloriari enim poteſtis, nihil vos ab Apoſtolo veſtro accepiſſe, quod ipſe cum vitæ diſcrimine confirmare recuſet. Animi mei robur & conſtantia argumentum ſunt veritatis, quam defendo. Græcus ita explicari poteſt (b): Deum *oro, ne* animo *deficiam inter mala, quæ veſtri causâ perfero; ea enim gloria veſtra eſt.* Ærumnæ meæ, ſeu mea patientia gloriam vobis pariunt. S. Hieronymus, Theodoretus, Syrus poſtremam hanc explicationem probant: *Peto ne deficiam in tribulationibus meis.* At plerique Patres & Interpretes priore ſenſu uſurpant (c): *Peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis.*

℣. 14. HUJUS REI GRATIA FLECTO GENUA MEA AD PATREM; nempe ut robur & conſtantiam, viſis ærumnis meis, vobis impetrem; ut has ipſas ne cenſeatis mala mea eſſe, ſed fortunas, divinæque erga me benevolentiæ ſignificationem. *Quæ enim preſſura apud incredulos pœna ſunt, apud fideles gloria atque victoria (d).* Status corporis, quo ſeſe exhibet Paulus, flexo ſcilicet genu, precum illius fervorem indicat: Eccleſia de genu orat per tempora pœnitentiæ conſecrata. Paulus non rarò de genu oravit (e). Stephanus flexo genu preces fudit pro iis, a quibus obruebatur lapidibus (f); & Petrus, cùm Tabitam vitæ reſtituit (g).

℣. 15. EX QUO OMNIS PATERNITAS IN CŒLIS ET IN TERRA. Simile eſt, quod Chriſtus in Evangelio tradidit (h): *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt.* Qui patris nomen in terris gerunt, is fluxus eſt authoritatis, qua gaudet cœleſtis Pater, ac pars eminentis illius paternitatis. Græcus aliter redditur (i): *Ex quo univerſa familia quæ in cœlis eſt, & quæ in terrâ, nomen deſumit.* Diſputatur, ad Patrem ne referenda ſint iſta, an ad Chriſtum Jeſum, cùm uterque ſtatim antea nominati fuerint. Vetuſti quidam libri omittunt nomen *Domini noſtri Jeſu Chriſti*, ſuperiore ℣. (k); quamobrem ea verba, *ex quo omnis paternitas*, veteres plerique ac recentiores Interpretes (l) ad Patrem Cœleſtem referunt, qui totius cœleſtis ac terreſtris familiæ fons eſt, Princeps, & Pater: omnes illum homines atque Angeli Patrem ac Dominum venerantur.

At æquè apta eſt relatio ad *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, qui ſtatim antea ponitur in Vulgatâ, omnibus fermè Græcis Exemplaribus, omnibusque Latinis (m): is enim reverâ Princeps ac Pater eſt univerſæ familiæ cœleſtis atque terreſtris, militantis Eccleſiæ ac triumphantis, Angelorum atque hominum; id quod voluit Paulus Capite 1, 10, ubi ait, omnia in eo colligi atque ad eum referri (n); ipſum verò conſtitutum eſſe (o) *ſupra omnem principatum & poteſtatem non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: Deum omnia ſubjeciſſe ſub pedibus ejus, & ipſum dediſſe caput ſupra omnem Eccleſiam.*

℣. 16. Ut

(a) *Joan.* XIV, 13: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Et XV, 16: *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Et XVI, 23: *Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

(b) Διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν, ἥτις ἐστὶ δόξα ὑμῶν. *Theodoret.* Δέομαι τοίνυν τῆς θείας ἀπολαῦσαι ῥοπῆς, ἵνα γενναίως φέρω τὰ παραπίπτοντα σκυθρωπὰ διὰ τὴν ὑμετέραν σωτηρίαν. Ὑμετέρα γὰρ δόξα, ἡ ἐν τούτοις μου καρτερία.

(c) *Chryſoſt.* Πῶς δὲ ἐξεκάκουν, ἄλλου θλιβομένου; τουτέστιν, ἐθορύβοντο, ταράττοντο.

(d) *Hieronym. ad* ℣. 13. (e) *Act.* XX, 36; XXI, 5. (f) *Act.* VII, 59. (g) *Act.* IX, 40.

(h) *Matt.* XXIII, 9. (i) Ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς, καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται.

(k) *Græc.* Πρὸς τὸν Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Omittunt* τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Alex. Colb.* 7, *Æth. Copht. Hieronym. Codd. Græci tempore Hieronymi.*

(l) *Ita Patres & Interpp. paſſim.*

(m) *Vide var. Lect. Mill.*

(n) *Epheſ.* 1, 10: Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ. (o) *Epheſ.* 1, 21, 22.

℣. 16. Ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem;

℣. 17. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris: in charitate radicati & fundati,

℣. 18. Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum;

℣. 19. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

℣. 20. Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis,

COMMENTARIUS.

℣. 16. Virtute corroborari (p) per Spiritum ejus, in interiorem hominem (q). Spiritum Sanctum benignè vobis largiatur cœleſtis Pater, voſque virtute compleat, ut inter mala quæ fertis ipſi, & nos quoque toleramus, confirmemini; doceat vos ærumnarum utilitatem, voſque adverſùs ſceleſtorum injurias incurſuſque conſtantes efficiat. *Homo interior* eſt animus, mens. Si corpus exterioribus malis vexatur, animus in gaudio ac tranquillitate verſetur.

℣. 17. Christum habitare per Fidem in cordibus vestris. In animis noſtris habitat per Fidem Deus, cùm certâ Fide tenemus omnia, quæ ipſe docuit, atque ita vitam inſtituimus, ut illius Templa fieri per charitatem vitæque innocentiam mereamur. Syrus, pluresque Græci Patres iſta cum ſententiâ ſuperiore conjungunt (r): *In interiori homine Chriſtum habitare in cordibus veſtris*. Non obiter ac tranſeuntis more ſit, ſed ſemper & intimè.

℣. 18. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum. Cujus rei, non exprimit Textus. Nos ſupplemus, *myſterii vocationis gentium*, de quo hactenus egit Apoſtolus (s). Hujus *longitudinem* intelligis, cum animadvertis, illud à Deo totâ æternitate fuiſſe decretum; *latitudinem*, dum illud ad omnes gentes porrigitur, quarum nulla à Fœdere excluditur. *Profundum* ſignificat vel myſterii obſcuritatem, vel ejus uſque ad Reſurrectionem Jeſu Chriſti ignorationem (t); ſive ipſam reſurrectionem Jeſu Chriſti, deſcenſum ad inferos, mortuorum revocationem in vitam, ipſius virtute præſtandam. *Sublimitas* eſt vel myſterii præſtantia, hominum cognitionem ſuperantis, antequam illud aperiretur; ſive Chriſti Jeſu ad Cœlos Aſcenſio.

Eâdem ferè ſententiâ Jobus ait (u): *Omnipotens excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terrâ menſura ejus, & latior mari*. Hunc fortaſſe Jobi locum ſpectavit Apoſtolus.

Alii (x) ita interpretantur: *Ut poſſitis intelligere, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum* charitatis & miſericordiæ, qua vos complexus eſt Deus. Hæc explicatio re ipſâ cum priore convenit, cùm Dei vocatio merum ſit Divinæ miſericordiæ beneficium; neque excogitari queat magnitudo myſterii vocationis Gentium ad Fidem, quin ſimul intelligas, beneficium eſſe ex Cœleſti Patre omnino gratuitum.

SS. Auguſtinus (y), Gregorius Nyſſenus (z), Hieronymus, Bernardus (a), Anſelmus, Beda, aliique plures hunc locum explicavere de Chriſti Cruce, quæ quatuor capitibus quatuor exhibet dimenſiones ab Apoſtolo enumeratas. Hilarius Diaconus, Gregorius Magnus (b), idem Bernardus (c), aliique Divinitatem interpretati ſunt, in qua longitudo, latitudo, ſublimitas, profundum inveniuntur, æternitas nempe, charitas, majeſtas, ſapientia; ſive charitas, patientia, incomprehenſibilitas, juſtitia: hujuſmodi tamen explicationes ex arbitrio ſunt, myſticæ potiùs quàm literales.

℣. 19. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. Ut intelligatis charitatem Jeſu Chriſti erga nos, quæ cognitionem omnem ſuperat (d): ſive, ut intelligatis ſummam illam dilectionem, quæ ea cognitione Chriſti oritur (e). Prior tamen explicatio communiùs probatur (f). Vos abſolutiſſimè doceat Deus, quantâ vos charitate proſecutus eſt Chriſtus, quæ charitas omnem hominum intelligentiam, cogitationem, atque orationem ſuperat. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei*: ut cognitione plenâ Dei quoque ipſius (g), & donorum, quæ amicis largitur Deus (h), fruitione cumulemini; ſeu denique, abſolutâ Dei cognitione (i), itaut uſurpari de vobis queat (k): *In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & omni ſcientiâ; itaut nihil vobis deſit in ullâ gratiâ*.

℣. 20. Ei

(p) *Alii: Virtutem corroborari. Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Sixti V. Sed Græc.* Δυνάμει κραταιωθῆναι, *Virtute corroborari.*
(q) *Alii: In interiori homine. Ita Sixti V, Eſt. Sed Græc.* Εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον.
(r) *Theophyl.* Κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον ὑμῶν, τουτέστιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν οὐκ ἐπιπολαίως, ἀλλ' ἐν βάθει. (s) *Photius. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl.* Ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι τὸ μυστήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν οἰκοδομηθὲν, ὅτι μέγα ὂν ὅτι πανταχοῦ ἐκτέταται, *Ita Eſt. Zanch.* (t) Vide ſupra ℣. 5, 9, 10. (u) *Job, xi, 8, 9.* (x) *Chryſoſt. Vat. Grot. Camerar. Men. alii plures.* (y) *Aug. de Doctrinâ Chriſt. l. 2, c. 41; in Joan. tract. 118; ſerm. 7 de verbis Apoſtoli; & Ep. olim 12, nunc 147.* (z) *Gregor. Nyſſen. orat. 1.* (a) *Bernard. tract. de amore Dei, c. 11.*
(b) *Greg. Mag. l. 21 moral. c. 10, 11.* (c) *Bernard. l. 5 de Conſiderat.*
(d) Γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ. *Alex.* Ἀγάπην τῆς γνώσεως. *Syr. omittit* γνώσεως. *Aug. Ambroſiaſt. Æth. Scientiam charitatis.*
(e) *Grot. Hieronym. hic: Nec iſte ſit terminus, habere notitiam ſupereminentis charitatis Chriſti, niſi addamus & aliud, ut ſupereminentem charitatem ſcientiæ conſequamur.*
(f) *Vat. Eſt. Men. Tir. Bez. Piſc. alii.* (g) *Theodoret.* Ἵνα τελείως αὐτὸν ἔνοικον δέξησθε.
(h) *Eſt. Grot. Men.* (i) *Vat. D. Th. Zanch. Tir. &c.* (k) 1 *Cor. 1, 5.*

℣. 21. Ipſi gloria in Eccleſiâ, & in Chriſto Jeſu, in omnes generation es ſæculi ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 20. EI AUTEM QUI POTENS EST OMNIA FACERE.... SECUNDUM VIRTUTEM QUÆ OPERATUR IN NOBIS, (21) IPSI GLORIA. Commendandus nobis eſt Deus, qui majora poteſt ac largitur, quàm ipſi poſtulamus (l). *Virtus quæ operatur in nobis*, eſt Dei Spiritus & gratia, quibus illuſtramur, agimur, regimurque, per quæ præſtamus quicquid boni facimus & quicquid ſumus.

CAPUT IV.

De charitate ſervandâ. Varia Spiritus Sancti dona ob Eccleſiæ inſtitutionem data. Idololatriæ vanitas. Novus homo induendus. Fuge mendacium, iram, ultionem.

℣. 1. OBſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis,

℣. 2. Cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientiâ, ſupportantes invicem in charitate,

℣. 3. Soliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis.

℣. 4. Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in unâ ſpe vocationis veſtræ.

℣. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.

℣. 6. Unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OBSECRO VOS EGO VINCTUS IN DOMINO, Domini causâ, ut vitæ inſtitutum ſequamini dignum vocatione & conditione veſtrâ, & Jeſu Chriſto, a quo in Eccleſiam vocati eſtis, *ut ſitis ſancti & immaculati in conſpectu ejus* (a). *Vinctum in Domino* ſeſe hic nuncupat, uti ſupra (b) *vinctum Jeſu Chriſti*, ſuis vinculis gloriatur, eaque in memoriam Epheſiis revocat, ut illos ad virtutem excitet, ſuâque in vocatione ac fide confirmet. Sunt qui τὸ *in Domino* referant ad *obſecro vos*: Ego vinctus vos obteſtor in Domino, Hæc tamen explicatio paucis probatur.

℣. 2. CUM OMNI HUMILITATE ET MANSUETUDINE. Principem inter virtutes, quas commendat Epheſiis, humilitatem numerat; ea enim veluti parens & prima virtutum eſt, ſpiritalis ædificii, & perfectionis Chriſtianæ fundamentum (c). Hæc penitus ignota Philoſophis (d), Judæis parum nota, a mundi amatoribus contemptui habita, tam neceſſaria ſaluti comparandæ eſt, ut virtutes ipſæ, ſi eâ careant, vitia efficiantur. Putat Theodoretus, humilitatem ab Apoſtolo ſtatim commendari, ne Epheſii ob divina Spiritûs Sancti dona, quibus cumulati fuerant, animo ſibi plauderent; aut qui majora obtinuiſſent, ne cæteros minoribus donatos aſpernarentur, Imperat, perfectam invicem concordiam colant, *ſupportantes invicem in charitate*.

℣. 3. SOLICITI SERVARE UNITATEM SPIRITUS IN VINCULO PACIS. Ita vivite, veluti una ſit vobis mens, unum corpus; quaſi uno Spiritu omnes animemini. Nihil vehementius dici poterat, ut mutua Chriſtianorum concordia ſignificaretur. Sive: Spiritus idem Sanctus, quo donati eſtis in Baptiſmo, vos agat, & concordiam inter vos tueatur (e).

℣. 4. UNUM CORPUS, ET UNUS SPIRITUS, SICUT VOCATI ESTIS IN UNA SPE. Triplex argumentum concordiæ inter Chriſtianos. Unum corpus omnes ſumus, cujus corporis caput eſt Chriſtus: eodem Spiritu, quo mentes noſtras perſudit Deus, animamur omnes, docemur, illuſtramur: eamdem omnes æternæ vitæ ſpem habemus. Qui fieri poteſt, ut arctiſſimam concordiam non colamus? Quid hiſce vinculis fortius, ſanctius, inviolabilius?

℣. 5. UNUS DOMINUS, UNA FIDES, UNUM BAPTISMA. Alia colendæ concordiæ argumenta. Dei unius filii ſumus omnes ac ſervi: eamdem omnes Fidem ac Religionem profitemur: abluti ſumus eodem baptiſmo, qui nobis materni uteri loco eſt; baptiſmo enim omnes in Chriſto Jeſu renaſcimur. An quidquam his nexibus religioſius inveniri poterat?

℣. 6. UNUS DEUS ET PATER OMNIUM, pari providentiâ omnes ſervans, paternâ charitate complectens, atque in omnibus filiis reſidens. Familia, parens, conditio, fortuna eadem, iſta porrò homines arctiſſimè inter ſe nectunt. Hoc invicem ſumus, hoc nobis eſt Deus. Si iniquus, ſævus, impius, violentus pater foret Deus, non ſemper æquali charitate filios proſequens, jure quereremur de illius ſævitiâ vel iniquitate, ſive invidiâ in fratres jure flagraremus. At Deus parem in omnes, æquiſſimam, ſuaviſſimam miſericordiam exercet. *Super omnes* eſt dominatu (f), *per omnia* providentiæ extenſione, *in omnibus* (g) gratiâ & charitate. ℣. 7. Uni-

(l) *Theodoret.* Τιμῶ δὲ αὐτὸν, ὃς καὶ δύναται, καὶ βούλεται καὶ πλείονα ὧν αἰτοῦμεν δωρεῖται.

(a) *Epheſ.* I, 4. (b) *Epheſ.* III, 1. (c) *Aug. tract.* 40 *in Joan.* & *ſer.* 69 *nov. Edit. n.* 2. *Vide & Chryſ. & Theoph. hic.* (d) *Aug. in Pſalm.* XXXI, *enarr.* 2, *n.* 18.

(e) *Zanch. Beza. Vide Theod. ad* ℣. *ſeq.* (f) *Theodoret.* Τὸ μέντοι ἐπὶ πάντων, τὴν δεσποτείαν σημαίνει. Τὸ δὲ διὰ πάντων, τὴν φρόνοιαν. Τὸ δέ γε ἐν πᾶσι, τὴν ἐνοίκησιν.

(g) Ἐν πᾶσιν ὑμῖν. At veteres multi omittunt ὑμῖν, Vide Mill.

℣. 7. Unicuique autem noſtrûm data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.

℣. 8. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.

℣. 9. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?

℣. 10. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.

℣. 11. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores.

COMMENTARIUS.

℣. 7. UNICUIQUE NOSTRUM DATA EST GRATIA SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI. Ne querare, ſiquid minos fratre accepiſti: ne invideas alteri, quòd illum divinis muneribus affluere videas. Tantum habet unuſquiſque, quantum Deo viſum eſt largiri. Neque iſta ſunt meritorum præmia, ſed mera Divinæ liberalitatis dona, quæ nemini debentur. Qui majora habet, ne ſuperbiat; qui minora, ne doleat. Eamdem ſententiam habes *Rom.* XII, 3. 4... 6; & 1 *Cor.* XII, 11, 12; ubi uſurpat Apoſtolus comparationem ex humano corpore ductam, in quo ſingula membra ſuum munus exercent, nullâ cæterorum invidiâ.

℣. 8. PROPTER QUOD DICIT: ASCENDENS IN ALTUM, &c. Ut omnia iſthæc dona eſſe Dei beneficia oſtendat, gratis & pro arbitratu e Jeſu Chriſto diſtributa, quadam utitur e Pſalmis ſententiâ (*h*), qua dicitur Meſſias, in Cœlum delatus, hominibus dona largitus: id quod convenit cum verbis ipſius Chriſti (*i*), teſtantis, opus eſſe, ſeſe ad Patrem reverti, ut Spiritum Sanctum mitteret; negantiſque venturum Spiritum, niſi ipſe diſcederet. Promiſſe penitus implevit: in cœlum aſcendit, ac decimum poſt diem Spiritus Sanctus in Apoſtolos illapſus eſt, atque in Fideles ad Chriſtum accedentes effundi nunquam deinceps deſtitit. Divinam hac in re liberalitatem Epheſii, non ſecus ac cæteri, experti ſunt.

At ingens loci hujus difficultas in eo ſita eſt, quòd cùm Pſalmiſta ferat, *Accepit dona*, Paulus dicit, *Dedit dona*. Ut hæc pugna concilietur, dici ſolet, Hebraicum verbum (*k*), quod accipere ſignificat, interdum etiam uſurpari pro dare, offerre, largiri. Si Principis atque Imperatoris dignitati ſervit, quòd ipſe munera & tributa ex gentibus devictis accipiat; munificentiæ eſt, dona largitionesque exercitui ac ſervis diſtribuere. Légit fortaſſe Apoſtolus in exemplaribus ſuis, *dedit*, non, *accepit*; ſive, Hebraicè ſciens, verbum, quod dare & accipere ſignificat, in ſuam ſententiam reddidit. Chaldæus quoque, Syrus, Abenezra, Arabs, S. Juſtinus Martyr (*l*), S. Hilarius (*m*), vetuſta quædam Pſalteria (*n*) legunt, *Dediſti*, non, *Accepiſti*, in recitato Pſalmorum loco.

℣. 9. QUOD AUTEM ASCENDIT, QUID EST NISI QUIA ET DESCENDIT? in ſepulcrum ſcilicet (*o*), ſive ad inferos, ubi pios Patriarcharum manes inviſit, ſive in Virginis uterum (*p*), ſeu denique in terram in qua vivimus (*q*), carne indutus, ſimiliſque nobis factus. Objici poterat Paulo, recitatâ Pſalmi ſententiâ non Chriſtum ſpectari, ſed Patrem, qui Legem Hebræis dedit, eoſque in terram promiſſionis induxit incredibili conatu prodigiorum, quæ eo carmine deſcribuntur. At objectum occupat Apoſtolus, docens, hoc Pſalmo Chriſtum quoque ſpectari, cùm illius adventus in terram, quemadmodum Aſcenſio in Cœlum, ibi luculentiſſimè exprimatur. Pugnantia non dixeris, ſi primo & hiſtorico ſenſu Patrem, altero ſublimiori, at pariter literali, Filium reſpici putes. Quæ contingebant Judæis, figura erant eorum, quæ in Eccleſiâ uſuveniunt.

℣. 10. QUI DESCENDIT, IPSE EST ET QUI ASCENDIT SUPER OMNES COELOS. Dei Verbum in Virginis uterum, Cœlo minimè relicto, deſcendit: aſcendit in Cœlum, terris non derelictis (*r*). Divinitate ubique eſt & immenſum; humanitate circumſcribitur loco (*s*). *Super omnes cœlos* eſt, nempe in ſublimiſſimo cœlorum loco, ubi corporis ſui gloriam oſtentat: divinæ tamen naturæ immenſitate omnia complet.

℣. 11. DEDIT QUOSDAM QUIDEM APOSTOLOS, &c. Redit ad id, quod ℣. 7 incepit, Deum dona

---

(h) *Pſalm.* LXVII, 19: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, dediſti dona hominibus.* (i) *Joan.* XVI, 7 (k) לקח *dare, offerre, adducere. Geneſ.* XXXIV, 4: קח לי את הילדה *Accipe, da mihi hanc puellam. Et Geneſ.* XLVIII, 9, קחם נא אלי *Adduc eos ad me. Et 1 Reg.* XX, 31, שלח וקח אתו אלי *Quaſitum mitte, & adduc eum ad me.* Vide & *Jerem.* XLIII, 10, 52; *Num.* XXIII, 11, 14, 20, 21; 2 *Reg.* XIII, 19, הקח אפר על ראשה *dedit cinerem ſuper caput ſuum. Judic.* XIV, 11. ויקחו שלושים מרעים *Dederunt ei triginta ſodales, Num.* XI, 16. לקחת אתם אל אהל *Duces eos ad oſtium. Exod.* XVIII, 12, יקח יתרו *obtulit Jethro. Exod.* XXV, 2, יקחו לי תרומה *Dabunt mihi primitias. Et* XXVII, 20, אליך יקחו *Afferent tibi* oleum eximium. *Et* 3 *Reg.* XVII, 10, קחה נא לי מעט מים *Da mihi paululum aquæ.*

Fateor omnino, ſyntaxim Pſalmi LXVII, 19, nonnihil differre, לקחת מתנות באדם *Accepiſti dona inter homines.* At facilè cum recitatis conciliatur, ſi explices: *Accepiſti dona* ſpargenda *inter homines*; ſive, *diſtribuiſti dona inter homines.* Quæ explicatio cum Paulo convenit.

(l) *Juſtin. Dialog. cum Tryph. p.* 258: Μετὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ εἰς οὐρανὸν ἀνέλευσιν προεφητεύθη αἰχμαλωτεῦσαι αὐτὸν ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πλάνης, καὶ δοῦναι ἡμῖν δόματα ... Ἀνέβη εἰς ὕψος ... ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. (m) *Hilar. in Pſalm.* LXVII. (n) Vide nos in Pſalmos. (o) *Theodoret. Druſ. Zanch. alii.* (p) *Grot. Zanch. Camerar.* (q) *Cajet. Cathar. Eſt. Vorſt.* (r) *Theodoret.* Ἡ δὲ κατάβασις οὐ τοπικήν τινα σημαίνει μετάβασιν, ἀλλὰ τῆς οἰκονομίας δείκνυσι τὸ μέγεθος, ὅτι ὁ ὕψιστος τοσαύτης ἠνέσχετο ταπεινώσεως. (s) *Aug. Epiſt. olim* 57, *ad Dardan. nunc* 187, *ad finem: Chriſtum Dominum ubique totum præſentem eſſe non dubites, tamquam Deum; & in eodem Templo Dei eſſe tamquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo Cœli propter veri corporis modum.*

℣. 12. Ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti:

℣. 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:

℣. 14. Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in aſtutiâ ad circumventionem erroris.

COMMENTARIUS.

na ſua pro arbitrio diſtribuere. Nonnullos quidem ſtatuit, ut *Apoſtoli* Eccleſiæ ſuæ ſint, aliis *prophetiæ* donum largitur; ſive prophetiæ nomine facultatem docendi, & interpretandi Scripturas, ſive futura prædicendi intelligas. Multi utriusque generis erant ſub Eccleſiæ exordia (*t*). Cæteri *Evangeliſtæ* dicuntur, ſive Prædicatores, ordinis Apoſtolico inferioris; ii erant Philippus Diaconus, Joannes Marcus, Apollo, Silas, Titus, Timotheus, aliique complures. Hi *Paſtores*, illi *Doctores*; quæ munera conveniunt Epiſcopis, Sacerdotibus, Chriſtianorumque cœtuum Principibus, quorum eſt populum docere, ducere, moderari. Cenſeri inter hos poſſunt magnarum Eccleſiarum Catechiſtæ, veluti Pantænus, Origenes, Clemens Alexandrinus. Eamdem collectionem vide in 1 *Cor*, XII, 28, 29.

℣. 12. Consummationem Sanctorum, ut Sanctorum perfectioni conſulant. Omnium Eccleſiæ dignitatum ac munerum unum propoſitum eſt, Fidelium perfectio, inſtitutio, ſanctificatio. Hunc unum in uſum convertenda ſunt talenta, quæ Deus ſingulis credidit. Omnia myſtici corporis Jeſu Chriſti membra conari debent, ut Corporis, cujus ipſa ſunt, conſervationi, elegantiæ, conſtructioni ſerviant: variis tamen unumquodque muneribus, & ordine diſtributa.

℣. 13. Donec occurramus omnes in unitatem Fidei et agnitionis Filii Dei. Mutuam ſinguli operam & inſtitutionem conferre debemus in uno Spiritu abſolutâque concordiâ, ut tandem aliquando una omnibus fides ſit, unus ſermo de iisdem Fidei noſtræ rebus, & ex ſuo ſinguli ingenio perfectâ vitæ, geſtorum, ac dogmatum Jeſu Chriſti, Magiſtri, Servatoris, atque Exemplaris noſtri, cognitione cumulemur.

In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nullo negotio intelligimus, opus eſſe, ut Chriſtianus quisque in ſuam ipſius perfectionem incumbat, ſingendoque in ſe, atque in cæteris, quantum poteſt, homine novo, perfecto, ad Chriſti ipſius exemplar facto, laboret. At non ita facilè percipimus, quid ſibi velit Apoſtolus, cùm hortatur, ut *menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* aſſequamur. Sunt (*u*) qui cenſeant, illud innui ab Apoſtolo, omnes in alterâ vitâ reſurrecturos eâ ætate, qua ſurrexit Chriſtus, pleniſſimâ ſcilicet atque abſolutiſſimâ, puta annorum XXXIII vel XXXVI. Quamobrem tum qui infra pueritiam, tum qui ſupra decrepitam ætatem obiere, in eâdem perfecti hominis ætate reſurgent. Hanc eſſe Eccleſiarum traditionem, teſtatur S. Hieronymus. Non deſunt (*x*), qui fœminas mutato in virilem ſexu reſurrecturas putent: quos tamen Patres atque Interpretes doctiſſimi rejiciunt. Vide noſtram Diſſertationem de Reſurrectione.

Alii (*y*) de myſtico Jeſu Chriſti corpore, ex Paſtoribus & Evangelii Præconibus in hac vitâ compoſito, interpretantur. His aſſiduè laborandum eſt, donec myſtici hujus Corporis membra aptè formata ſint ac perducta ad perfectam, quoad ejus rei fieri poteſt, cum Chriſto Jeſu ſimilitudinem. Satis non eſt, Fideles Baptiſmo eſſe regeneratos, in Eccleſiâ vivere, verbo ſalutis nutriri: non ſufficit, tales eſſe, quales ſunt pueri adhuc lactis egentes, atque infirmos in Fide: ſolidus illis cibus quærendus eſt, perfecta & virilis ætas expetenda. Intra nos Chriſtus per quosdam veluti gradus formatur; puer eſt & infirmus, creſcit perficiturque, ut plus minuſve ipſi in perfectione proficimus. Galatæ matris utero adhuc quodammodò claudebantur, cùm Paulus illis diceret (*z*): *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*. Corinthii inter pueros adhuc recenſebantur, & lactis egebant, ſolido cibo nondum pares (*a*): *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed... tamquam parvulis in Chriſto. Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis*. Queritur Apoſtolus, quòd Hebræi, quos opus erat perfectos eſſe in Chriſto, *facti ſint quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo* (*b*). Poſtrema hæc explicatio graviſſima omnium, ac menti Apoſtoli proxima videtur. Familiaris illi eſt locutio, Fideles Chriſto Jeſu indui, & Chriſtum Jeſum in Fidelibus formari.

℣. 14. Ut jam non simus parvuli. Jubet Chriſtus Jeſus, Diſcipulos ſuos ſimplices eſſe, mites, ac doli neſcios, ceu pueros (*c*). Hortatur Fideles Apoſtolus, ut malitiâ pueri ſint, non intelligentiâ (*d*). Gemina hîc aperit vitia pueritiæ ſpiritûs, quæ vitare nos jubet. Primum levitas eſt & inconſtantia: *Ne ſitis parvuli fluctuantes, & circumferamini omni vento doctrinæ* humanæ. Alterum eſt ignorantia, quæ facilè fallitur nequitiâ & fraudibus hominum (*e*), præſertim pſeudo-Apoſtolorum deceptorumque, adversùs quorum artes Diſcipulos omnibus in Epiſtolis munit. Vox, qua Paulus iſtorum fraudes atque artes exprimit, ex teſſerarum ludo deſumpta eſt, & ſignificat, authore Oecumenio (*f*), eos, qui mo-

(t) 1 *Cor*. XII, 28; *Act*. XI, 27; XXI, 10.

(u) *Vide Aug. l.* 2 *de civit. c.* 15, *& ſeq. Hieronym. in Epitaph. Paulæ; Anſelm. D. Thom. hîc, priore loco*. (x) *Quid. apud Aug. l.* 22 *de Civit. c.* 17; *Hilar. in Matt.* XXIII; *Athan. ſerm.* 3 *contra Arianos; Scotus in* 2 *ſent. diſt.* 20. (y) *Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. Ambroſiaſt. Hieronym. hîc, Haimo, Eſt. Cagna. Vat. Voſt. Cornel.* (z) *Galat.* IV, 19. (a) 1 *Cor.* III, 1, 2, 3.

(b) *Hebr.* V, 12, 13. (c) *Matt.* XVIII, 2, 4, 5. (d) 1 *Cor.* XIV, 20.

(e) Ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης. *Theodoret.* Κυβείαν δὲ τὴν πανουργίαν καλεῖ. Πεποίηται δὲ ἀπὸ κυβευόντων τὸ ὄνομα ... Μεθοδείαν δὲ πλάνης, τὴν μηχανὴν ἐκάλεσεν. (f) *Oecum.* Κυβευταὶ λέγονται, οἱ ποτὲ μὲν τῦτο, ποτὲ δὲ ἐκεῖνο διδάσκοντες, καὶ μεταβαίνοντες ἀεὶ ἀπὸ τύτου εἰς τῦτο πανούργως.

℣. 15. Veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus:

℣. 16. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.

℣. 17. Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſensûs ſui.

℣. 18. Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vitâ Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum;

℣. 19. Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.

℣. 20. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum:

COMMENTARIUS.

modò hoc modò illud docent, ac malitioſè ex hoc in illud orationem convertunt, ut incautos auditores in errores pertrahant.

℣. 15. VERITATEM AUTEM FACIENTES IN CHARITATE, CRESCAMUS IN ILLO, in Chriſto Jeſu. Narrat hîc, quid nobis agendum ſit, ut aſſequamur *ætatem plenitudinis Chriſti*, perfectam ſcilicet Chriſtianæ profeſſionis ætatem. Opus eſt *veritatem facere in charitate*; ex Fide & charitate vivamus, puriſſimum ſervemus Fidei depoſitum, vitam ad Evangelii dogmata componamus, Deum ac proximum tenero ſinceroque amore complectamur. Hæc porrò Chriſtianæ profeſſionis ſumma eſt. Hiſce rebus ſimiles Jeſu Chriſto Principi noſtro efficimur, ipſumque, quoad fieri poteſt, in nobis pingimus, non puerum, ſed virum ætate perfectum.

℣. 16. EX QUO TOTUM CORPUS COMPACTUM. Ex eo totum corpus, cujus membra tam aptè nexa ſunt, incrementum capit. Pergit Apoſtolus in allegoriâ capitis & membrorum. Quemadmodum caput per cerebrum nervoſque, originem e cerebro trahentes, motum ac vitam in animal univerſum effundit, ſuâque virtute partes inter ſe nexas earumque functiones tuetur (g); ita Chriſtus Jeſus membris ſuis ac Fidelibus, ſibi per Fidem charitatemque conjunctis, utì ſupra animadvertit, vitam, motum, actionem, Spiritu ſuo gratiâque infuſis, elargitur; idque *in menſuram uniuſcujuſque membri* (h), ut corpus totum in pace & charitate ſervetur, membris inter ſe juſto aptoque ordine ſubditis ac diſtributis.

℣. 17. UT JAM NON AMBULETIS, SICUT ET GENTES (i), quale vitæ genus vos ante converſionem ſequuti eſtis, & adhuc ſequuntur ii, qui in tenebris ethnicæ ſuperſtitionis manſere, quibus una lex agendi eſt, voluntas ſua, & *vanitas ſensûs ſui*. Inani mundi ſpecie capti, in hoc unum incumbunt, ut vacuam animi ſui capacitatem blandis fallacibuſque ſpeciebus impleant.

℣. 18. TENEBRIS OBSCURATUM HABENTES INTELLECTUM. Triplicem obſcuritatis gradum in Gentilium mentibus notat Apoſtolus. Primò omnes laborant, tenebris nempe intellectûs, cùm veri Dei cognitione careant, illum ſaltem, utì opus eſt, non venerentur. II, *alienati ſunt a vitâ Dei* (k), *per ignorantiam quæ eſt in illis*; ignorant illi, quæ ſint veræ morum Leges, vitæque ex Deo inſtituendæ. III, *cæcitate* ſive obduratione *cordis* tenentur. Summa divinarum rerum negligentia, in qua verſantur, metum illis ac ſpem adimit; nullo veritatis ac virtutis amore moventur.

℣. 19. QUI DESPERANTES, SEMETIPSOS TRADIDERUNT IMPUDICITIÆ, .. IN AVARITIAM, avaritiæ ſtudent. Ita fert Vulgata (l). At Græca vox (m), quæ redditur *avaritia*, & reverâ avaritiam ſignificat, pro quolibet intemperantis animi vitio uſurpatur, ſive illud mundi honores, ſive carnis voluptatem ſpectet. Quamobrem verti poteſt: *Semetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis immodicam*.

Deſperantes ſunt, qui in peccato obdurati ſunt & pertinaces, deplorati, quos nec metus nec conſcientia continent. At Græcus (n) propriè ſignificat hominem ita frigore torpentem, ut nihil ſentiat ac moveri nequeat; ſuum ipſe frigus non ſentit. Porrò hic hominis ſtatus aptiſſimè exprimit peccatorem in malo obduratum. At vetus Interpres aliter in Græco legiſſe videtur (o), probatamque ab eo lectionem vetuſta complura Exemplaria ferunt.

℣. 20. VOS AUTEM NON ITA DIDICISTIS CHRISTUM, (21) SI TAMEN ILLUM AUDISTIS, ET IN IPSO

(g) *Theodoret.* Καθάπερ ἡ κεφαλὴ πᾶσι τοῖς μορίοις τοῦ σώματος χορηγεῖ τῆς αἰσθήσεως τὴν ἐνέργειαν, πηγὴ γὰρ τῶν αἰσθητικῶν δυνάμεων ὁ ἐγκέφαλος. Οὕτως ὁ δεσπότης Χριστὸς κεφαλῆς τάξιν ἐπέχων τὰ τοῦ πνεύματος διανέμει χαρίσματα, *&c.* (h) Ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους, *Secundùm menſuram cujuſque partis; alii:* ἑνὸς ἑκάστου μέλους, *cujuſque membri. Ita Vulg. Alex. Syr. Arab. Chryſ. Baſil. Hieron. alii.* (i) *Græc.* Καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη. *Sed in multis deeſt* λοιπά. *Ita Alex. Germ. Clar. G. L. Æth. Zam. Alex. Calarit. Amb. Aug. alii.* (k) *Vita Dei; ideſt, vita quæ ſecundùm Deum eſt. Theodoret.* Ζωὴν δὲ τοῦ Θεοῦ, τὴν ἐν ἀρετῇ ζωὴν προσηγόρευσε.

(l) Διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. *Theod.* Πώρωσιν δὲ καρδίας τὴν ἐσχάτην ἀναλγησίαν ἐκάλεσε.

(m) Εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. *Theodoret.* Πλεονεξίαν δὲ τὴν ἀμετρίαν ἐκάλεσε. *Vide & Hieronym. hic, & in c. v, ℣. 3. Alii:* Ἐν πλεονεξίᾳ, *In aviditate, Eraſm. Zanch. Vat. Tigur. Certatim, Pagn. Bez. Piſc. Avidè, Voſt. Caſt. Eſt.*

(n) *Græc.* Ἀπηλγηκότες. *Atqui* ἀπαλγεῖν *apud Phavorin. eſt* παύσασθαι ἀλγεῖν. *Apud Polyb. l. 1.* ἀπαλγεῖν, *deſperationem ſignificat.* (o) Ἀπηλπικότες, *Deſperantes. Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Boern. G. L. Syr. Arab. Iren. l. 5, c. 4; Epiphan. l. 1, c. 4; Aug. Amb. Hieronym.*

℣. 21. Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Jeſu,

℣. 22. Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris.

℣. 23. Renovamini autem ſpiritu mentis veſtræ,

℣. 24. Et induite novum hominem qui, ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ, & ſanctitate veritatis.

℣. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo, ſuo quoniam ſumus invicem membra.

℣. 26. Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.

℣. 27. Nolite locum dare diabolo.

COMMENTARIUS.

IPSO EDOCTI ESTIS, SICUT EST VERITAS IN JESU. Vos nunc a gentilium ſententiis quàm longiſſimè abeſtis, ipſorumque errorem neceſſe eſt execremini, cùm in Jeſu Chriſti diſciplinâ inſtituti fueritis, ejusque dogmata & veritates teneatis. Hæc verba, *ſi tamen*, hîc Apoſtolum dubitare non ſignificant, cùm is Epheſiorum fidem & virtutem optimè noſſet. Reddi poſſunt: *Nam omnino*, vel *rectè audiſtis*, &c. (p). Vide 2 *Cor.* v, 3; & 1 *Coloſſ.* I, 23; *Rom.* VIII, 9. Aliis tamen videtur Apoſtolus cum quadam dubitatione loqui, ut virtutem Epheſiorum excitet, cùm inter illos pſeudo-Apoſtoli quidam exiſterent, a quibus profanam quamdam libertatem edocebantur, ait Grotius.

℣. 22. DEPONERE VOS (q) SECUNDUM PRISTINAM CONVERSATIONEM VETEREM HOMINEM: ut exuamini veteri homine, ſecundùm quem vitam olim inſtituiſtis. Poſtquam fuſè docuit, quo pacto vivendum nobis ſit utì membris Jeſu Chriſti, exuendum eſſe ait veterem hominem, ponendas ſcilicet veteres conſuetudines, abjiciendum peccatum, idque omne, quo olim Deo inviſi reddebamur. Per baptiſmum rurſus, ut ita dicam, naſcimur, novique homines efficimur. Olim Adamo induti eramus (r): nunc eo exuimur, ut Jeſu Chriſto induamur.

℣. 23. RENOVAMINI SPIRITU MENTIS VESTRÆ; vel, Spiritu Sancto in vobis commorante. Spiritalem ac interiorem animi renovationem exigit Paulus, quæ in actiones atque in exteriorem vitæ diſciplinam effluat; quemadmodum bona valetudo atque optima humorum conſtitutio ipſum os hominis ornat.

℣. 24. INDUITE NOVUM HOMINEM: induimini Jeſu Chriſto (s), in quem neceſſe eſt transformemur, quem in nobis ipſi fingamus interioribus animi ſententiis, & exteriori vitæ diſciplinâ: itaut qui nos olim viderint, iis nunc alii homines videamur, felici annorum noſtrorum mutatione ſpectatâ. Novus homo, de quo Apoſtolus, alius eſt ab Adamo. Hic nempe peccator eſt, atque hominum vitiis implicitorum pater: ille *ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ & ſanctitate veritatis*, verâ; ortusque eſt ex ipſo Jeſu Chriſto, qui fons eſt & exemplar juſtitiæ omnis & ſanctitatis. Deus ſupremis hiſce temporibus *novam creationem* nobis inſtituit, inquit Barnabas (t), utì per Ezechielem promiſit (u): *Ecce faciam noviſſima tamquam priora*.

℣. 25. DEPONENTES MENDACIUM. Hoc vetuſti hominis fructus eſt, utì veritas novi. Ex veſtrâ ſinceritate omnes intelligant, vos membra Chriſti reverâ eſſe.

℣. 26. IRASCIMINI, ET NOLITE PECCARE (x). Non permittit ut iraſcaris; ſed, ſi iratus fueris, monet iram cohibeas, ne in peccatum feraris. Nefas non eſt, iræ motus experiri, cùm hi frequenter in nobis vel invitis excitentur; at cohibendi ſunt, ne in verbis geſtiſque proferantur. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Animum ſtatim conciliate cum eo, in quem aut odio aut irâ exarſiſtis; idque ante veſperam efficite, quàm primùm, illicò. Ne patiamini, ut fortior in vobis ira efficiatur: naſcentem opprimite. *Ira ſit brevis, nec in diem craſtinam differatur*. Pythagorici, ſi in contumeliam prolaberentur per iram, ante ſolis occaſum amicitias inſtaurabant (y). Ajunt, morem eſſe Judæis, ante veſpertinas preces cum inimicis conciliari, ac præſentes adigere, ut pacem ſolemni publicoque ritu faciant, ſi inimicitiæ notæ omnibus fuerint. Quòd ſiquis amicitias inſtaurare cupiens inimicum in Synagogâ non invenit, aut ille tametſi præſens repugnat, hic pacis cupidus medium in cœtum progreſſus, clauſumque precum volumen manu percutiens, clamat: Interdico; ſtatimque publicæ preces ceſſant. Porrò id anathemati & interdicto ſimile eſt, in cœtum univerſum pronunciato: opus eſt autem, ut interpellatus in gratiam redeat, ſi adſit; niſi adſit iſte, publicæ preces tam diu ceſſant, dum ſeſe ille ſiſtat, abſolutæque pacis argumenta exhibeat. Nonnunquam interdictum iſtud ad dies multos producitur, neque aufertur, niſi publicè cognitâ reconciliatione.

℣. 27. NOLITE LOCUM DARE DIABOLO. Hic peſſimis ſuaſionibus inſtat: ne aſſentiamini. Ceſſet ſtatim ira, ne diabolus opportunitatem impellendi vos in deteriora peccata, puta ultionem, injurias, cædem, arripiat (z). Aliter: *Nolite locum dare calumniatori*. Ita omnia facite, ut nullus

---

(p) *Chryſoſt.* Το, εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε, ὀυκ ἀμφιβάλλοντος ἐστὶ, ἀλλὰ καὶ σφόδρα διαβεβαιουμένου. *Vide & Theophyl. Eſt. Camer. Eraſm.* (q) *Sixtì V: Deponite vos.* *Ita Aug. in Speculo, & alii quidam.* (r) *Vide Rom.* VI, 6; *Coloſſ.* III, 9.
(s) *Rom.* XIII, 14. (t) *Barnab. Epiſt. n.* 6: Δευτέραν πλάσιν. (u) *Ezech.* XXXVI, 11.
(x) *Pſal.* IV, 5. LXX: Ὀργίζεσθε, καὶ μὴ ἁμαρτάνετε. Hebræus רגזו ואל תחטאו reddi poteſt: *Contremiſcite, & ne peccetis*. Formidate coram Deo, & a peccato cavete.
(y) *Plutarch.* Περὶ φιλαδελφίας: Πυθαγορικοὶ γένει μηδὲν προσήκοντες, ἀλλὰ κοινοῦ λόγου μετέχοντες, εἴποτε προσαχθεῖεν εἰς λοιδορίαν ὑπ' ὀργῆς, πρὶν ἢ τὸν ἥλιον δῦναι, τὰς δεξιὰς ἐμβάλλοντες ἀλλήλοις, καὶ ἀσπασάμενοι διελύοντο. (z) *Vide Eſt. Grot. Men. alios. Vide Chryſ. Theophyl.*

℣. 28. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti.

℣. 29. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

℣. 30. Et nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.

℣. 31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur a vobis, cum omni malitiâ.

℣. 32. Eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis.

COMMENTARIUS.

los ſit Gentilibus locus criminandi vos ut impios, hypocritas, flagitioſos (a). Theodoretus jungit cum conſequentibus: *Nolite locum dare diabolo*: (28) *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem* (ſed potiùs) *laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt* atque utile. Quæ per furtum peccaſtis, labore manuum, pœnitentiâ, eleemoſynis reparate. *Furtum nominat omne quod alterius damno quæritur*, ait S. Hieronymus; laborem verò manuum quodlibet pœnitentiæ opus, quo reparamus quicquid Deo debemus & proximo. Neque laborem quemvis exigit, ſed bonum, laudabilem, utilem. Quædam enim artes & exercitationes ſunt, furto & otio deteriores.

℣. 29. OMNIS SERMO MALUS EX ORE VESTRO NON PROCEDAT. Græcè (b) eſt ſermo male olens, corruptus, turpis, flagitioſus. *Sed ſiquis bonus ad ædificationem fidei*. Græcè (c): *Sed nonniſi bonus ad ædificationem utilitatis*. Inverti poteſt ordo verborum: *Utilis ædificationi*. At priſci Patres & Libri vetuſtiſſimi cum Vulgatâ conſentiunt (d): *Ad ædificationem fidei*. Scilicet, ſermones veſtri ſapientiæ ſale condiantur, & confirmandæ, alendæ, inſtituendæ fratrum fidei ſerviant; ſive iis, qui adhuc in infidelitate verſantur, ad fidem & veritatis cognitionem vocandis.

℣. 30. NOLITE CONTRISTARE SPIRITUM SANCTUM DEI. Qua ratione Spiritum Sanctum contriſtes? Pravis nimirum verbis geſtiſque (e), præſertim verò turpibus flagitioſiſque ſermonibus (f). Spiritum Sanctum a vobis diſcedere ne cogatis, ne extinguatis, ex fratrum mentibus ne expellatis. Credibile eſt, primis illis Eccleſiæ temporibus, quibus plerique Fideles peculiaribus & ſupernis Spiritûs Sancti donis inſtruebantur, ſiquis in peccatum laberetur, hunc, pro peccati modo, perſpicuè ſenſiſſe vel minui in ſe vel penitus ceſſare effecta, quæ ex Spiritûs Sancti præſentiâ oriebantur. Idem hoc ſignificat ad Theſſalonicenſes (g): *Spiritum nolite extinguere*. Quemadmodum turpibus impuriſque ſermonibus diabolus gaudet; ita iis dolet, eoſque execratur Deus. Mœror, perturbatio, ira, immoderatæ animi affectiones pacem ac ſerenitatem animi, præſentiæ Sancti Spiritûs indicium, auferunt (h). Dici etiam poteſt, contriſtari Spiritum Dei, cùm ſervi Dei, Divino Spiritu pleni, vexantur. Ita Iſraëlitæ, partâ Moyſi moleſtiâ (i), contriſtavere Spiritum Domini, atque in ſeſe irritavere. In vetuſto Nazaræorum Evangelio inter graviſſima flagitia recenſebatur, fratris animum contriſtare (k).

Addit Apoſtolus: *In quo* Spiritu *ſignati eſtis*, ceu annulo; facti oves e Chriſti grege. Notâ ſuâ nos Divinus Paſtor diſtinxit (l). Dei ſervi, milites, & hæreditas facti ſumus Baptiſmo: gratiam, ſuperna dona, Spiritum ſuum nobis largitus eſt, ut nos ab alienis diſtingueret. Confer 2 Cor. I, 22: *Signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in cordibus noſtris*.

℣. 31. OMNIS AMARITUDO ET IRA, &c. His verbis innuit, iſthæc veteris hominis veſtigia ab Epheſiorum Eccleſiâ penitus non exulaſſe: adhuc laboraſſe illos invidiâ, odio, litibus, &c. *Blaſphemia*, βλασφημία, hoc loco ſignificat convicia & maledicentiam in fratres.

℣. 32. DONANTES INVICEM, SICUT ET DEUS IN CHRISTO, per Chriſtum, per meritum mortis & Sanguinis Chriſti, DONAVIT VOBIS; ſive *in Chriſto* (m), in Chriſtianâ Religione, per Baptiſmum, per Fidem quam amplexi eſtis, per Religionem cui nomina dediſtis.

(a) *Eraſm. Schm. Tigur.* (b) Πᾶς λόγος σαπρός. (c) Ἀλλ' εἴ τις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας. *Oecum.* Τουτέστιν, ὅπερ οἰκοδομεῖ τὸν πλήσιον, ἀναγκαῖον ὂν τῇ προσκειμένῃ χρείᾳ· ἐκεῖνο φθεγγώμεθα, καὶ μὴ ἀκαίρως, καὶ ἀχρήστως. (d) *Ad ædificationem fidei*, Πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως. *Ita Codd. omnes ante Hieronymum qui emendavit, opportunitatis. Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Tertull. Baſil. Cyprian. Ambroſiaſt. Aug. Hieronym. Primaſ.*
(e) *Theodoret.* Λυπεῖ δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τῶν εἰρημένων τὰ ἐναντία, ὁ πράττων βίος.
(f) *Eſt. Zanch. Men. alii.* (g) 1 *Theſſal.* V, 19. (h) *Tertull. de ſpectaculis, c. 15: Deus præcepit Spiritum Sanctum, utpote pro natura ſua bono, tenerum & delicatum, tranquillitate, & lenitate, & quiete, & pace tractare; non furore, non bile, non irâ, non dolore inquietare.*
(i) *Iſai.* LXIII, 10; *& D. Th. hic.* (k) *Hieronym. in Ezech.* XVIII, 7.
(l) *Theodoret.* Διὰ δὲ τοῦ παναγίου τοῦ πνεύματος θεῖον ἀπέφανθημεν ποίμνιον.
(m) Græci quidam Libri legunt: *Sicut & Chriſtus donavit vobis*. Alii abſolutè; *Sicut & Deus donavit vobis*; omiſſo, *in Chriſto*. Vide Millium.

CAPUT V.

Deum & Chriſtum Jeſum imitare. Avaritiam, impudicitiam, opera tenebrarum, immodicum vinum fuge. Tempus redime. Viri erga uxorem, & uxoris erga virum officia.

℣. 1. ESTote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi:

℣. 2. Et ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.

℣. 3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos:

℣. 4. Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio.

℣. 5. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ESTOTE IMITATORES DEI, SICUT FILII CHARISSIMI. Adoptionis gratiâ donati eſtis, Patremque a vobis appellari ſe patitur Deus; amorem igitur, fiduciam, gratiam, quam Deo debetis, reddite; ejus lenitatem & clementiam imitamini, atque ita fratribus parcite, ut ipſe vobis parcit (a).

℣. 2. SICUT ET CHRISTUS DILEXIT NOS. Uti nos Chriſtus, ita vos Chriſtum amate; ſive diligite fratres, ut ille & ipſos & nos dilexit. Si aliæ deſint amandi fratres cauſæ, illud abſolutiſſimam ex nobis erga fratres charitatem exigere debet, quòd illos amavit Chriſtus, eorumque & noſtri causâ mortem ſubiit. Nihil non amabile amat Deus; imò cùm amat, illud ipſum amore dignum facit (b). Modus amoris, quo res creatas proſequitur Deus, menſura eſt meriti, quo ille rem amatam cumulat.

℣. 3. FORNICATIO AUTEM, ET OMNIS IMMUNDITIA, ET AVARITIA. Eruditi quidam (c), poſt S. Hieronymum, cenſent, avaritiæ nomine quaslibet turpes impuraſque cupiditates hoc loco ſignificari. Hanc vocem eo ſenſu uſurpatam vidimus jam Capite IV, 19. Jubet, Fideles ita ab hiſce vitiis abhorrere, ut vel nomen ignorent.

℣. 4. AUT TURPITUDO, AUT STULTILOQUIUM, AUT SCURRILITAS. Hujuſmodi gravitatem a Diſcipulis exigit Apoſtolus. Procul ſunto procacia verba, pudori inimica; procul ſcurriles joci aut mimici, vel ſcommata, quæ Religionem lædunt, aut piorum ge[illegible]io riſum [illegible]unt. Græca vox (d), quæ *ſcurrilitas* redditur, apud Profanos (e) ſignificat virtutem, quæ honeſtis facetiis utitur. Non omnes facetias jocoſque damnat Chriſtiana Religio; at cùm intra honeſti joci fines homo perrarò contineatur, atque ægrè ab irridendis cæterorum geſtis abſtineat, rarò etiam facetiæ permittuntur; præſtatque iis omnino abſtinere, quàm aut lædendæ charitatis, aut amittendæ gravitatis, Chriſtiano dignæ, diſcrimen incurrere (f).

At fortaſſe Paulus hoc loco ſpectavit obſcena verba, procaces ſermones, ambiguas ſententias, jocos, dicacitatem, quæ ad recitata crimina, ad impudicitiam & craſſiora peccata referuntur. Hujuſmodi ſunt veterum mimorum facetiæ, & quæ in quibuſdam recentiorum libris leguntur, multo quidem ſale & ingenio aſperſæ, at a Chriſtianis moribus penitus alienæ. Conſequentibus verbis, *Quæ ad rem non pertinent*, hæc Apoſtoli ſanctio circumſcribitur; eſt enim quoddam jocorum genus honeſtum urbanumque, quo charitas, amicitia, pietas foventur, a Sacris Scriptoribus (g), ac Patribus graviſſimis ſapientiſſimiſque aliquando uſurpatum.

SED MAGIS GRATIARUM ACTIO. Pios ſermones miſcete; ac Dei beneficia, præſertim verò ad Fidem vocatio, nunquam e veſtris mentibus deleantur. Græca vox (h), quæ in Vulgatâ redditur, *gratiarum actio*, ex doctiſſimorum Interpretum ſententiâ (i) hoc loco ſonat verba jucunda, pudica, urbana, honeſta, ſuavia, quibus auditor & bene doceatur & exhilaretur. Ea porrò opponuntur turpibus, ridiculis, ſcurrilibus, procacibus, quibus plerumque charitas læditur. *Fortaſſe gratiarum actio in hoc loco non iſta nominata, juxta quam gratias agimus Deo, ſed juxta quam grati ſive gratioſi & ſalſi apud homines appellamur*, ait S. Hieronymus.

℣. 5. AUT IMMUNDUS, AUT AVARUS, QUOD EST IDOLORUM SERVITUS, &c. Si *avaritiam* membro ſuperiore impudicum amorem explicaſti, opus eſt,

(a) *Vide Hieronym. hic.* (b) *Aug. in Joan. tract.* 110: *Novit Deus in unoquoque noſtrûm & odiſſe quod fecimus, & amare quod fecit ... Amat ſuum etiam in vitioſis vel ſanatione beneficium, vel damnatione judicium.* (c) *Eſt. Ham. Heinſius, Eraſm. Zanchius*: Πλεονεξία. (d) Εὐτραπελία, τὰ οὐκ ἀνήκοντα. (e) *Ariſtoteles, l. 4 Ethic. c.* 14: Οἱ δὲ ἐμμελῶς παίζοντες εὐτράπελοι προσαγορεύονται, οἷον εὔτροποι. His opponit τοὺς ἀγροίκους, σκληρούς, βωμολόχους, feros, duros, ſcurras. (f) *Hieronym. hic: Scurrilitas conſultò appetit quædam vel urbana verba, vel ruſtica, vel turpia, vel faceta, quam nos jocularitatem alio verbo poſſumus appellare, ut riſum moveat audientibus; verùm & hæc a ſanctis viris penitus propellenda, quibus magis convenit flere, atque lugere. Vide & Chryſoſt. hic in morali.* (g) 3 *Reg.* XVIII, 27: *Illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore, &c. Et* XXII, 15; *Iſai.* XIV, 9, 10, 11, 12; *& Galat.* V, 12. (h) Ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία. (i) *Hieronym. ex Prov.* 21, 16. *Zanch. Eſt. Heinſ. Hamm.*

℣. 6. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

℣. 7. Nolite ergo effici participes eorum.

℣. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate:

℣. 9. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitiâ, & veritate:

℣. 10. Probantes, quid ſit beneplacitum Deo:

℣. 11. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redarguite.

℣. 12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere.

℣. 13. Omnia autem, quæ arguuntur, a lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.

℣. 14. Propter quod dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

COMMENTARIUS.

eſt, hoc pariter loco *avarum* eodem ſenſu uſurpes (k). His enim verbis Apoſtolus apertiſſimè alludit ad ea, quæ ſupra dixit. Ut idololatria in Scripturis *fornicationis* nomine deſignatur (l); ita & *fornicationi* addi poteſt idololatriæ appellatio. Qui utroque loco *avaritiam* & *avarum* ex verborum ſono interpretantur, nullo negotio oſtendunt, divitiarum amorem veram eſſe idololatriam, cùm pecunia Deus avarorum ſit, & Chriſtus in Evangelio (m) ſanxerit, neminem & Deo ſimul & mammonæ, ſive divitiis, poſſe ſervire. Legunt nonnulli (n): *Aut impudicus, aut avarus, aut idolorum cultor*. Græcæ Editiones ferunt (o): *Aut avarus, qui eſt idolorum cultor*. At Exemplaria vetuſtiſſima manu deſcripta, Patreſque Latini Vulgatæ aſſentiuntur.

℣. 6. NEMO VOS SEDUCAT INANIBUS VERBIS. Ne decipiamini a pſeudo-Apoſtolis, Philoſophis, Gnoſticis, iſthæc & facta & dicta, pudicitiæ & charitati inimica, mala eſſe negantibus. Inanibus illorum argumentis aures ne præbeatis: iſthæc eſſe Deo execrabilia, eoſque æterno igne a Deo damnatum iri intelligite. Nemo ignorat, quid ſenſerint Cynici de turpi libidine, & Philoſophi de ἀρσενοκοιτίᾳ. Libidini addictiſſima erat Epheſus; ac rerum Chriſtianarum initio Gnoſtici & Nicolaitæ Evangelicâ libertate peſſimè abutebantur, ut turpia innumera, quæ vel Deo grata eſſe gloriabantur (p), admitterent.

PROPTER HÆC ENIM VENIT (imminet (q), mox ventura eſt) IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ, in incredulos, falſos Doctores, nequiſſima capita, quibus ſatis non eſt, veritati non credere, niſi pro viribus illam deſtruant atque corrumpant.

℣. 8. ERATIS ENIM ALIQUANDO TENEBRÆ; NUNC AUTEM LUX IN DOMINO. Olim inter idololatriæ & ignorantiæ tenebras verſabamini; at nunc Fidei luce perfuſi eſtis. Lux veſtra, Chriſtus: ut lucis filios, veroſque Chriſti Diſcipulos, vos gerite. ℣. 9. Porrò *fructus lucis eſt in omni bonitate, & juſtitiâ, & veritate*. Hiſce notis filii lucis diſtinguuntur. Græcus legit (r): *Fructus enim ſpiritûs*, non, *fructus lucis*. At poſtrema hæc lectio in libris vetuſtiſſimis, Græciſque & Latinis Patribus quampluribus fertur.

℣. 10. PROBANTES QUID SIT BENEPLACITUM DEO: diſcrimen facite bonum inter & malum; inanibus pſeudo-Apoſtolorum aut Philoſophorum rationibus ne rapiamini, ℣. 6. Omnia periclitamini; & quæ Deo grata ſunt, eligite (s). Trapezitam imitamini, ait S. Hieronymus (t), qui numiſma ex pondere, oculo, ſono, lydio lapide æſtimat.

℣. 11. NOLITE COMMUNICARE OPERIBUS INFRUCTUOSIS TENEBRARUM. Opera tenebrarum ea ſunt, quæ ℣℣. 3 & 4 recitavit, oppoſita operibus lucis, ℣. 9, bonitati, ſuavitati morum, juſtitiæ, veritati, ſinceritati. Hoc nomine turpia præſertim & pudori inimica ſignificat, uti ex conſequentibus liquet. ℣. 12: *Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere*. Libidines, flagitia, ganeæ noctem ac tenebras quærunt. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt*, inquit ad Theſſalonicenſes (u). Fortaſſe etiam his innuit magicas veneficaſque artes, Epheſiis probatiſſimas, Vide *Act.* XIX, 19.

℣. 13. OMNIA AUTEM QUÆ ARGUUNTUR, A LUMINE MANIFESTANTUR. Cùm filii lucis ſitis, opera tenebrarum nullo negotio agnoſcetis, veſtrumque erit, Deo juvante, vitare.

℣. 14. PROPTER QUOD DICIT: SURGE QUI DORMIS, &c. Loquendi modus, quo utitur Apoſtolus, omnino indicat, voluiſſe illum ſententiam e Seri-

(k) *Hieron. Eſt. Men. &c.* (l) *Exod.* XXXIV, 15, 16; *Levit.* XVII, 7; *Deut.* XXXI, 16; *Judic.* II, 17; *& paſſim.* (m) *Matt.* VI, 24. (n) *Syr. Æthiop.* (o) *Græc. impreſſ.* Ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης. *Bonarr. G. L. Vol*; Ὅ ἐστιν εἰδωλολατρεία, *Quæ eſt idolorum ſervitus*. *Germ. Clarom. S. Cypr. Ambroſ. Aug. alii*. (p) *Vide Epiphan. hæreſ.* 26; *Hieronym. hic, ad* ℣. 3, 4, *Eſt. Snebed. & Grot.* (q) Διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται ἡ ὀργὴ Θεοῦ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. *Theod.* Ὡς τῆς τοῦ Θεοῦ δίκης ἐπιφερομένης τοῖς πονηροῖς ἐργάταις. (r) Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ πνεύματος. *Alii*: Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ φωτός. *Ita Steph.* I, III; *Alex. Clarom. S. Germ. Boern. GG. LL. Barber.* I, *Copht. Syr. Æth. Thaumaturg. Theophylact. Calarit. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Hieronym. Aug. Author tract. de ſingul. Cleric. alii.* (s) Δοκιμάζοντες. Verbum Δοκιμάζω uſurpatur frequenter pro periclitari. Vide *Rom.* XII, 2; XIV, 22; I *Cor.* XI, 28. *Theodoret.* Καὶ λέγω μετέχετε, καὶ τοῦ πανάγιου πνεύματος τὴν χάριν ἐδέξασθε. Ῥᾳδίως τοίνυν τὰ ἀρέσκοντα τῷ Θεῷ διαγνῶναι δυνάσεσθε. (t) *Hieronym. hic: Omnia facienda cum conſilio, . . . in morem prudentiſſimi trapezitæ, qui ſculptam numiſma non ſolùm oculo, ſed & pondere & tinnitu probat.* (u) I *Theſſal.* V, 7.

℣. 15. Videte itaque, fratres, quomodo cautè ambuletis; non quaſi inſipientes;

℣. 16. Sed ut ſapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.

℣. 17. Propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei.

COMMENTARIUS.

e Scripturis recitare. Cùm verò hic locos in nullo Veteris Teſtmenti libro legatur, Priſci nonnulli cenſuere, ex apocrypho libro fuiſſe deſumptum (x). S. Epiphanius (y) hauſtum putat ex vetuſto vaticiniorum Eliæ volumine, multis ab hinc ſæculis amiſſo. Alii ex apocrypho Jeremiæ ſcripto. Sunt qui cenſeant, ſpectatum hic ab Apoſtolo vulgarem inter Judæos conſuetudinem, qui primâ anni civilis die inter buccinarum clangores clamaſſe narrantur: *Surge qui dormis*; quo ſignificarent, recedendum eſſe a flagitiis, agendamque pœnitentiam. Nonnullis apud Theodoretum deſumptus videtur ex hymno aliquo, Prophetæ alicujus Chriſtiani fœtu. Fatetur S. Hieronymus, locum hunc in nullo Veteris Teſtamenti Libro a ſe deprehenſum: at eos damnat, qui ubi ſententiam aliquam in Canonicis voluminibus totidem verbis expreſſam non legerint, ad apocryphos & nullius authoritatis libros ſtatim confugiunt; additque (z): *Sciamus, ſcripta quidem ea eſſe in Veteri Teſtamento; ſed non ita ab Apoſtolis edita, & ſenſum magis uſurpatum, nec facilè niſi a ſtudioſis poſſe ubi ſcripta ſint inveniri.*

Docebant nonnulli (a), iſthæc a Chriſto Jeſo in cruce ſuſpenſo fuiſſe pronunciata: *Surge qui dormis, &c.* & ad Adamum, in Calvariæ monte ſepultum, dicta; ita ut primus hic homo, cruore Chriſti rigatus, in vitam redierit. At nihil eâ re incertius. Tametſi Veterum quamplures crediderint, Adamum in Calvariæ monte fuiſſe ſepultum, nemo tamen hæc verba Chriſto tribuit. S. Thomas, plurimique poſt illum Interpretes (b), ſpectata cenſent ab Apoſtolo illa Iſaiæ verba (c): *Surge, illuminare, Jeruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.* Alii (d) ex eodem Prophetâ deſumunt (e): *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent.... quia ros lucis ros tuus.* Alii denique ex illis Iſaiæ (f): *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Unum pluresve ex his locis fortaſſe ſpectavit Apoſtolus, eosque propoſito accommodavit, nonnullis additis aut ablatis: qua in re uſus eſt authoritate, cùm ipſe Divino afflatu, non ſecus atque Iſaias, gauderet; atque hac ſententiâ potius ad orationis ornatum, quàm ad dogmatis confirmationem uteretur. Porrò dogmatis confirmatio majorem in recitante fidem exegiſſet.

Ut ad loci ſenſum revertamur, eo innuitur, Fideles ita in terris debere verſari, ut homines e mortuis revocatos, atque e ſepulcri tenebris eductos. Eam agendi rationem inſtituite, quæ vitam ex Jeſu Chriſto acceptam deceat. Pro, *Illuminabit te Chriſtus* (g), nonnulli Veteres legunt (h): *Continget te Chriſtus*, palpabit quaſi manu: ſive, *Continges Chriſtum*. Tangens te Chriſtus in vitam revocabit. At Vulgatæ lectio præſtantior.

℣. 16. Redimentes tempus (i), quoniam dies mali sunt (k). Tempus redimis, cùm quietem, commoda, bona, voluptates negligis, ut ſaluti æternæ, quæ porrò una neceſſaria eſt, vaces. Translatio ducta eſt ex mercatoribus, quibus nulla bonæ venditionis aut emptionis opportunitas prætermittitur. Solicitudines, laborem, vigilias, itinera nihili faciunt, dum commodè vendant emantque. Idem ſervandum eſt iis, quibus perſuaſum eſt quanti facienda ſit ſalus, & quàm neceſſe ſit brevibus adeò maliſque hujus vitæ diebus in illam incumbere: *Quoniam dies mali ſunt.* Ut pretioſum tempus amittamus, conſpirant omnia, amici, inimici, corporis ac fortunarum curæ, officia, negotia. Innumeris periculis, diſcriminibus, ſcandalis obnoxii ſumus. Summum igitur nobis negotium eſſe oportet, ut pretioſum adeò fluxumque tempus redimamus. Vitæ hujus tempora in poteſtate non habetis: peregrini hîc eſtis; quamobrem ſapienter tempore utimini, illud ne male teratis, atque omnium rerum diſpendio redimite (l).

Ita vulgo hic locus explicatur. At ſi Apoſtoli mentem propiùs inſpicias, in illud nempe incumbentis, ut pacem ac prudentiam, quibus & Gentilium & Judæorum injurias, odia, atque contumelias vitent, Fidelibus ſuadeat, illud dicere videtur: Tempus ducite, pacem emite, leve aliquid potiùs tolerate, quàm apertam ſimultatem inconſultè provocetis (m). Ita apud Danielem (n) arguuntur Magi, quòd tempus ducant ſeu rediment: *Certè novi, quòd tempus redimitis.* Rem producitis, ut vel ſomnii reminiſcar, vel illud noſſe negligam: at ſtatim reſponſum volo. Ait S. Gregorius Nazianzenus (o), Julianum Apoſtatam diu *redemiſſe tempus*, cælatâ ingenii nequitiâ ſub fictâ lenitatis ſpecie. Scribit Euripides (p), opus eſſe, ut qui flagitium admiſit, tempus redimat; diù enim pœnam peccati laturus eſt.

Jubet igitur hoc loco Paulus, Epheſios cautè

(x) *Epiphan. hæreſ.* 42; & LXVII, *n.* 3. (y) *Ita Syncell. p.* 27; *& Mſſ. duo Bibliot. Regiæ, teſte Coteleriо; & nota marginal. Cod. Huntani; & Codex XI ſæculi Baſilianorum apud D. Bern. de Montf. Diar. Italic. c.* 15. (z) *Hieronym. hic.* (a) *Apud Hieronym. hic. Vide & ad Matt.* XXVII. (b) *Bez. Cajet. Grot. Eſt. Bodin. Mill. alii.* (c) *Iſai.* LX, 1, 2. (d) *Bez. Grot. Bod. Marcianay.* (e) *Iſai.* XXVI, 19. (f) *Iſai.* IX, 2. (g) Ἐπιφαύσει σοι ὁ χριστός.

(h) *Alii:* Ἐπιψαύσει σε Χριστός, *Continget te Chriſtus. Ita Germ. & Claromon. GG. LL. Ambroſiaſt. Aug. in Pſal.* 3; *Nolan. Ep. ad Sever. Ep.* 25; *Theodoret. Quid. apud. Hieronym.*

(i) Ἐξαγοραζόντες τὸν καιρόν. Reddi poteſt, *Ementes opportunitatem*, tempus opportunum bene agendi. Confer *Dan.* II, 8: *Scio quòd tempus redimitis.*

(k) *Dies mali ſunt*, ex verbis Jacobi ad Pharaonem, *Geneſ.* XLVII, 9: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, pauci & mali.* Vide & *Pſal.* XLVII, 6.

(l) *Theophyl. Theodoret.* (m) *Vide Grot. Eſt. Hamm. Le Clerc. Vide & Epiphan.* (n) *Dan.* II, 8.

(o) *Greg. Nazianz. Orat.* 3 *in Julian.* Ὁ μὲν ἐξωνούμενος τὸν καιρὸν, καὶ κρύπτων ἐν ἐπιεικείας πλάσματι τὸ κακοήθες. (p) *Eurip. apud Juſtin. de Monarchiâ Dei:*

Εἰ δέ τις πράσσει κακῶς,
Κακὸς πεφυκὼς, τὸν χρόνον κερδαινέτω·
Χρόνῳ γὰρ οὗτος ὕστερον δώσει δίκην.

℣. 18. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria; ſed implemini Spiritu Sancto,

℣. 19. Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino;

℣. 20. Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri;

℣. 21. Subjecti invicem in timore Chriſti.

℣. 22. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino:

℣. 23. Quoniam vir caput eſt mulieris; ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe, ſalvator corporis ejus.

℣. 24. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.

COMMENTARIUS.

tè ſe erga omnes gerere; vetatque Religionis dogmata incautè vulgare, aut vitia Gentilium & ſæculi corruptelam importunè arguere; denique animum prodere, niſi neceſſitas cogat; ſed vult eos tempus ducere, & quietos agere, *quoniam dies mali ſunt*, parentque flagitioſo & ſævo Principi, modum neſcienti, magnoque detrimento Religioni futuro, ſi rem ad extrema odia ultimasque iojurias egerit. Deſumpta videtur locutio ex obæratorum conſuetudine, tempus ſolutionis producentium, moramque impetrantium novis cum creditore tranſactionibus. Eâdem mente Chriſtus monet Apoſtolos, ne margaritas porcis projiciant (q).

℣. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ebrietas opus eſt tenebrarum, atque io omne ſcelerum ac flagitiorum genus impellit. Ebrius neque ratione, neque pudore, neque metu, neque Religione continetur. Ebrietati ex vino opponit Apoſtolus ebrietatem ex Spiritu Sancto (r), qoo piè ebrii efficimur, ac ſapientes, cauti, & modeſti reddimur.

℣. 19. Loquentes vobismetipsis in Psalmis, &c. Cùm vino lites, profanæ cantiones relaxationesque excitentur; ebrietas e Spiritu Sancto illud efficit, ut qui eo pleni ſunt, Pſalmos & Carmina in Dei laudem canant. Hilaritatem & voluptates non vetat Religio Chriſtiana, ſed mutat. Pro turpibus & corporeis voluptatibus ſpiritales præbet atque utiles, multoque ſuaviores ſolidioresque, quàm quibus mundi amatores affluunt. Edocta eo Spiritu Eccleſia, carmina Fidelibus nunquam non præbuit, quibus illorum pietas & animi hilaritas foveretur. Filios illa ſacris in cœtibus cantu detinet, hortaturque, ut quisque domi ſacras res canat.

℣. 20. Gratias agentes semper pro omnibus ... Deo. Ubi tibi perſuaſeris, nihil niſi ex Providentiæ conſilio contingere, ſtatim intelligis, grates eſſe Deo agendas, quicqoid evenerit, commodum incommodumve; cùm omnia & Dei gloriæ & Electorum ſaluti ſerviant. *Chriſtianorum propria virtus eſt, etiam in his quæ adverſa putantur, reddere gratias Creatori* (s). Ob ipſamet ſupplicia, quibus impii torqueotur in inferis, ait S. Chryſoſtomus (t), agendæ ſunt Deo gratiæ; ea quippe magno uſui ſunt coërceodis impiis, qui illis ceu fræno continentur.

℣. 21. Subjecti invicem in timore Christi, ſeu *Dei*, utì habet Græcus vulgatus, repugnantibus libris eximiis compluribus, qui Vulgatæ favent. Suo quisque io ordine, quem ſua illi dedit conditio, permaneat, ſive in Eccleſiâ, ſive in politicis rebus (u) aut naturalibus. Hoc deinceps Capite, & conſequenti, mutua virorum uxorumque, parentum ac liberorum, ſervorum & dominorum officia perſequitur. Iis qui præſunt, lenitatis, modeſtiæ & piæ humilitatis argumenta proponit Apoſtolus; ſubjectionis verò, obedientiæ ac patientiæ, iis qui ſubſunt imperio: ita ut, ſi Pauli monitis obtemperent, ſervare queat unusquisque id quod monentur, ut ſcilicet alter alteri in Dei timore pareant.

℣. 22. Mulieres viris suis subditæ sint (x), sicut Domino. Neque major ſubjectio exigi poterat, neque nobilior afferri ſubjectionis ratio. Ita virum vereatur uxor, utì Dei loco poſitum, ejusque authoritate utentem: addit proximo commate, id eſſe uxorem viro, quod eſt Chriſto Eccleſia; atque utì Eccleſia Chriſto Jeſu Capiti ſuo ſubdita eſt cum obſequio, amore, & obedientiâ; its opus eſt, ut uxor virum amet colatque, & illi obſequatur, ex Dei amore ac timore. Hujusmodi rationes non ſuppeditat Chriſtiana Religio: nihil tale docent Philoſophia, hominumque ratio & inſtitutio. Poteſt uxor virum amare & colere rectæ rationis humanæque propenſionis cauſâ: at ſanctis divinisque rationibus moveri, uxorum eſt dumtaxat Chriſtianarum.

℣. 23. Ipse, salvator corporis ejus, Eccleſiæ, quemadmodum eſt ejusdem Caput. Ita vulgò Latini Patres interpretantur. Græci ad virum referunt, qui vir uxoris Caput eſt, & quodam modo ſervator. Chriſtum hic imitari debet, nedum utì Principem, verùm etiam ut Servatorem. Utì caput, authoritate in uxorem utitur; utì Servator, nulla negligere debet auxilia ob illius ſalutem & ſanctificationem. Opus eſt uxorem amet, utì Chriſtus Eccleſiam, cujus cauſâ hic ſanguinem vitamque profudit. Prior explicatio

(q) *Matt. VII, 6.* (r) *Hieronym. Non poſſumus spiritu impleri pariter & vino. Qui enim spiritu impletur, habet prudentiam & manſuetudinem, verecundiam, caſtitatem. Qui vino, habet inſipientiam, furorem, procacitatem, libidinem.* (s) *Hieronym. hic.* (t) *Chryſoſt. hic*: Ὑπὲρ τῆς γεέννης αὐτῆς εὐχαριστεῖν δεῖ τῷ Θεῷ, ὑπὲρ τῶν κολάσεων τῶν ἐκεῖ, ὑπὲρ τῶν τιμωριῶν, πάνυ γὰρ τὸ πρᾶγμα ἡμᾶς ὠφελεῖ τοὺς προσέχοντας, καὶ ἀντὶ χαλινοῦ τὸ τῆς γεέννης φόβος ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐπιθέμενος. (u) *Theodoret.* Καὶ ἐπειδὴ κοινὴν τὴν περὶ τῆς ὑποταγῆς νομοθεσίαν προσήνεγκε, κατ' εἶδος λοιπὸν πυρσεύει τὰ κατάλληλα. (x) *Græc.* Ὑποτάσσεσθε, *Subditæ eſtote. Sed plures Mſſ. & PP.* Ὑποτασσέσθωσαν, *Subditæ ſint. Quod Hieron. notat in quibusdam Græcis non haberi.*

℣. 25. Viri, diligite uxoras veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ;

℣. 26. Ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ;

℣. 27. Ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, ut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.

℣. 28. Ita & viri debent diligere uxores ſuas ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit.

℣. 29. Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam;

℣. 30. Quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus.

℣. 31. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne unâ.

COMMENTARIUS.

tio melior; de officio quippe viri erga uxorem agit Apoſtolus ℣℣. 25, &c.

℣. 25. Viri, diligite uxores veſtras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam; tenero ſcilicet, caſto, conſtanti, ſincero amore, qui rectâ ratione ducatur: eo denique amore, quo Chriſtus Eccleſiam proſequutus eſt, cujus causâ is vitam inter cruciatus prodegit, Eccleſiam redemit Chriſtus vitæ ſuæ pretio; mundavit baptiſmo; divinis muneribus ornavit; ſpiritalibus divitiis cumulavit. Hoc porrò eſt Chriſtianorum virorum exemplar. Iſta fuſiùs interpretari, ſupervacaneum eſt, cùm tota illorum majeſtas ſatis per ſe ipſa ſentiatur.

℣. 26. Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; per verba ſcilicet, quæ pronunciantur, dum Chriſtianus homo ſacro flumine mergitur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti* (y). Explicant nonnulli (z) de verbo Evangelii, quo cum fide accepto, in aquæ baptiſmo abluimur.

℣. 27. Gloriosam Ecclesiam, nobiliſſimis ac ſplendidiſſimis ornamentis indutam, interiore ſcilicet gratiâ, doniſque ſupernis & exterioribus, quibus Chriſtiani per Spiritum Sanctum cumulati ſunt. *Gloria* non rarò pro magnificentiâ, ornatu, veſtium ſplendore uſurpatur, velutì cùm Chriſtus ait, Salomonem *in omni gloriâ ſuâ* non ita fulſiſſe, ut agri lilia fulgent (a). Et Pſalmus (b), quo Sponſæ Salomonis ornatus deſcribitur, ait: *Omnis gloria ejus ab intus*. Quicquid vides, minimum eſt, ſi cum opibus minimè conſpicuis conferatur. Virorum unuſquiſque ſperare non poteſt, ut talis uxor ſibi contingat, qualem hic Paulus deſcribit Eccleſiam; at neque Chriſtus talem invênit; ornavit ipſe, rugis maculiſque purgavit. In interiorem uxorum venuſtatem ac ſanctificationem incumbere potiſſimùm debent viri, utì venuſtati Eccleſiæ ſtuduit Chriſtus. Perfecta iſthæc Eccleſiæ ſanctificatio, quam deſcribit Apoſtolus, in hac vitâ incipitur in Fidelibus, ex quibus ipſa conſtat: abſolvenda eſt in Cœlo, ubi ea verè & in ſe & in membris ſingolis futura eſt ſancta & elegantiſſima, maculis, rugis, cæteriſque vitiis carens (c).

℣. 28. Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua; ut ipſi ſe ſuamque vitam, ſuorumque corporum membra. Profectò vir & uxor unum quodammodo corpus ſunt (d): *Erunt duo in carne unâ*. Primæ mulieris corpus ex primi hominis corpore effictum eſt.

℣. 29. Nemo carnem suam odio habuit. Suum unuſquiſque corpus naturâ ſuâ diligit. Siquis carnem ſuam odit, ſibique necem infert, ut in hominibus longo, pertinaci, turpi, lento, moleſto morbo laborantibus cernitur, qui ſibi ipſi graves ſunt, & mortem optant; ſi quos videas furentes aut deſperatione actos in præceps ferri, ſibique vitam miſero mortis genere adimere: ii non odêre vitam aut ſortem ſuam, ſed mala & cruciatus, quibus torquentur (e).

Sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus (f) Ecclesiam, quam corpore ſuo alit, Sanguinem potum præbet, verbo inſtituit (g): quamobrem hæc unum cum illo corpus, unus ſanguis efficitur, nihilque eâ conjunctione arctius poteſt excogitari. Tanta præſtare nequit maritus: at hoc ſaltem exemplo docetur, quantopere uxorem amare debeat, & quàm arctè cum illâ conjungi.

℣. 30. Quia membra sumus corporis ejus, Eccleſiæ, quæ corpus Chriſti eſt. Quemadmodum Eva ex Adami corpore conflata eſt, ita nos ex Jeſu Chriſti corpore. Veſcimur Jeſu Chriſti Corpore & Sanguine; cum illo ſepelimur in Baptiſmo; cum illo per Fidem crucifigimur; cum illo reſurgimus per novum vitæ genus, quod nobis in Chriſtianâ profeſſione agendum eſt.

℣. 32. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia (h). Conjunctio viri & uxoris, quos arctiſſima conjugii vincula nectunt, itaut una veluti caro ex duobus efficiantur, ſacramentum eſt ſive myſterium ingens in eo, quòd Jeſu Chriſti cum Eccleſiâ conjunctionem, ſacrumque & ſpiritale connubium ſignificat. Et quemadmodum vir patrem mu-

(y) *Theodoret.* Τὸ δὲ καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι, ἀντὶ τοῦ εἰς ὄνομα Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος. *Ita Chryſoſt. alii Græci, & Latini plures.*
(z) *Aug. tract.* 80 *in Joan. Grot. alii. Vide Eſt.* (a) *Matth.* VI, 29. (b) *Pſal.* XLIV, 14.
(c) *Aug. l.* 1 *Retract. c.* 7; *lib.* 2 *de nuptiis & concup. c.* 34; *l.* 4 *contra duas Epiſt. Pelagg. c.* 7, *&c. Vide & Hieron. l.* 3 *Dialogi contra Pelag. Primaſ. D. Th. Eſt. hic.*
(d) *Geneſ.* II, 24. (e) *Vide Hieron. & Eſt. hic.* (f) *Græc.* Καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν Ἐκκλησίαν. *Alii plures:* Καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς, *&c.* (g) *Hieronym. Theod.*
(h) *Græc.* Εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν. *Ita Tertull. Aug. Bed. apud Eſt. alii: In Chriſto, & in Eccleſiâ. Ita Clarom. S. Germ. Lat. Iren. l.* 5, *c.* 5; *Hieronym. Amb. Aug. Tertull. contra Mill.*

℣. 32. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſiâ.

℣. 33. Verumtamen & vos ſinguli, unusquisque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem timeat virum ſuum.

COMMENTARIUS.

matremque deſerit, ut uxori hæreat, illique diuturno totius vitæ nexo conjungitur; ita Chriſtus Jesus per Incarnationem quodammodo a ſino Patris diſceſſit, junctusque eſt Eccleſiæ, quacum in hac vitâ verſatur usque ad ſæculorum exitum, ab eâque nec in æternitate ſejungitur *(i)*. Adami & Evæ conjugium figura eſt conjunctionis Jeſu Chriſti & Eccleſiæ; hæc verò exemplar & forma eſt Chriſtiani connubii. Iſtud Chriſtus ad Sacramenti dignitatem evexit, ſuâque gratiâ inſtruxit, vel cùm ipſe nuptiis Canæ adfuit, vel cùm ipſe per ſe vel per Apoſtolos docuit, Chriſtiano matrimonio ſuam ipſius cum Eccleſiâ conjunctionem ſignificari.

℣. 33. Unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat, &c. His claudit ea, quæ de mutuis virum inter & uxorem officiis docuit. Vir uxorem uti corpus ſuum amet; uxor virum uti caput ſuum, cui a Deo ſubjecta eſt, amet ac revereatur *(k)*. Capite conſequenti de parentum ac liberorum, tum de ſervorum dominorumque officiis diſputat.

CAPUT VI.

Liberorum erga parentes officia; & parentum erga liberos. Mutua ſervorum ac dominorum munia. Chriſtiani hominis adversùs Dæmonem arma. Preces ab Epheſiis poſtulat Paulus; ad eosque Tychicum mittit.

℣. 1. Filii, obedite parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt.

℣. 2. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione:

℣. 3. Ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.

℣. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplinâ, & correptione Domini.

℣. 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Filii, obedite parentibus in Domino *(a)*, vel, *ſecundùm Dominum (b)*; Domini ejusque Legis causâ & obſequio, non metûs aut utilitatis; veluti ne parens puniat, aut exhæredes faciat. Obediendi ratio ſupra naturam ſit, freta Religione & juſtitiâ. *Hoc enim juſtum eſt*, ex jure divino, gentium, & naturæ, ac diſertè Divinâ Lege imperatur. ℣. 2: *Honora patrem tuum, &c.*

℣. 2. Honora patrem tuum et matrem tuam, non interiori ſolùm & exteriori obſequio, verùm etiam omnibus & animi & corporis ſubſidiis, quibus ipſi poteſtis. Nam honoris nomine apud Scripturam non mera obſequii ſignificatio, ſed re ipsâ ſubſidium ſignificatur *(c)*. Ait Apoſtolus, *primum hoc eſſe mandatum in promiſſione*, cui Deus præmii promiſſionem adjecerit. Profectò ex omnibus Decalogi ſanctionibus hæc prima eſt, cui merces addatur. Diuturnitas vitæ, quam Judæis parentes colentibus pollicetur Deus, figura eſt æternæ vitæ, ad quam omnis ſpes Chriſtianorum fertur *(d)*.

℣. 4. Patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros. Sævitiam ac ſuperbiam in filios ne exerceatis, *ut non*, ut idem alibi ait *(e)*, *puſillo animo fiant*, & in deſperationem ruant *(f)*. Siquid illi peccaverint, arguite & *corripite in Domino*, cum Dei timore & charitate, ſapienter & cum modo.

℣. 5. Servi, obedite dominis carnalibus. Ne illud objiciatis, unum vobis dominum in terris eſſe, Chriſtum Jeſum. Alii vobis domini ſunt ex carne, quibus parêre vos *in timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto*, ſupremus idem Dominus jubet. Si quid illi mandaverint, quod ſupremi Moderatoris legibus repugnet, ne obtemperatote: indigni enim ſunt quibus obediatis, ſtatim ac debita erga ſuum ve-

(i) *Vide Theodoret. Eſt.* (k) *Timorem pro reverentiâ dictum puto... Poteſt enim uxor reverentia convenire, ut reverenter timeat virum. Hieronym. ad Epheſ.* VI, 5.

(a) *In Domino*, Ἐν Κυρίῳ, non legitur in Manuſcripto Clarom. S. Germ. S. Cypriano, *teſtim.* l. 3. § 70, & Ambroſiaſtro. (b) *Chryſoſt.* Κυρίῳ, τουτέστι κατὰ κύριον, ἐν οἷς ἂν μὴ προσκρούῃς Θεῷ. (c) *Num.* XXII, 17; XXIV, 11; *Tob.* I, 16; *Prov.* III, 9; 1 *Timot.* V, 17.

(d) *Vide Hieronym. D. Thom. Eſt.*

(e) *Coloſſ.* III, 21. (f) *Chryſoſt.* Μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν, ὅπερ οἱ πολλοὶ ποιοῦσιν ἀποκληρονόμους ἐργαζόμενοι, καὶ ἀποκηρύκτους ποιοῦντες.

Digitized by Google

℣. 6. Non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo,

℣. 7. Cum bonâ voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus.

℣. 8. Scientes, quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber.

℣. 9. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cœlis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum.

℣. 10. De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentiâ virtutis ejus.

℣. 11. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli.

℣. 12. Quoniam non eſt nobis colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed adversùs principes & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus.

COMMENTARIUS.

ſtrumque Deum officia neglexere *(g)*. Cæteris in rebus obtemperate cum timore, obſequio, reverentiâ, & animi ſimplicitate, uti Diſcipulos Præceptoris patientiæ & lenitatis decet. Verſuti plerumque, mendaces ac doloſi ſunt ſervi. Omnia iſthæc vitia excludit Paulus, ubi docet, parendum eſſe animo ſimplici *(h)*, cum reverentiâ, & Dei timore. Addit: *Sicut Chriſto*; illud pro certo habentes, certam vos manere mercedem, veſtramque ſervitutem ſaluti veſtræ inutilem non fore, ſi eam Dei gratiâ exhibueritis, ut ordini a Providentiâ conſtituto ſerviatis.

℣. 6. Non ad oculum servientes; non ita ſervientes, fidemque colentes, dum heri oculus imminet, verùm etiam eo abſente *(i)*: vobis tantummodo curæ ne ſit, ab iis probari, eorumque indignationem effugere; de eo ſatagite, ut a Deo probemini, & *faciatis voluntatem Dei ex animo, ut ſervi Chriſti*. Hæ porrò rationes ſunt Chriſtianâ Religione, & Spiritu Sancto Apoſtolum afflante dignæ.

℣. 8. Unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet, Non ſemper ſervitutem ſervietis. Tempus erit, cùm ſummus dominorum Dominus parem in heros ſervosque ex meritis juſtitiam nullo diſcrimine exercebit.

℣. 9. Eadem facite illis. Si ſervorum eſt vobis inſervire Dei unius causâ, atque ita uti ſi Chriſto ſervirent, vos igitur imperium authoritatemque ita in illos exercete, uti in Chriſti ſervos, atque eidem, cui vos, Domino & Judici obnoxios; clementer imperate, præter ſævitiam, verborum acerbitatem, minas. Tales denique vos iis exhibete, qualem vobis Deum eſſe cupitis, aut herum optaretis ipſi, ſi ſerviretis. *Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum ſuperiorem velles vivere (k)*. Neſcit Deus heri & ſervi diſcrimen *(l)*: utrumque ipſe condidit; fratres ſunt homines univerſi, communisque Patris filii: ac multo potiùs Chriſtiani, quorum officia majora ſunt, quàm cæterorum.

℣. 10. Confortamini in Domino. Poſtquam ſingulas hominum conditiones peculiaribus inſtitutis admonuit, omnes in univerſum Epheſi Fideles alloquitur; hortaturque ut patientiam exerceant, atque adversùs interiores exterioresque hoſtes animo confirmentur. Neque vinculis meis, neque perſecutionibus, quibus agitor ipſe, vosque vexaturus eſt Diabolus, terreamini. Fiduciam omnem in Deo collocate.

℣. 11. Induite vos armaturam Dei: arma ſpiritalia, quæ Deus ope ſuâ & veritate ſuppeditat. Familiaris Apoſtolo eſt translatio, ex bello armisque deſumpta *(m)*. Jubet Diſcipulos ita in hac vitâ ſe gerere, uti aſſiduo in bello, quo adversùs mundum, carnem, Dæmonemque pugnatur. In bellis quæ inter homines fiunt, iis dumtaxat arma dantur, quibus vires ad bellicos labores ſuppetunt. Hîc Paulus præcipit, ut Fideles quique, viri, mulieres, pueri, ſenes, armentur, hoſtem aggreſſuri, ſeſeque in ſpiritalibus hiſce caſtris defenſuri *(n)*. Hominem diabolus dolis potiùs artibusque, quàm apertâ vi aggreditur *(o)*; nobisque vigilantiâ, ſolertiâ, acri animi ſtudio & fervore potiùs opus eſt, quàm robore. Nobis arma ſunt fides, charitas, veritas, ipſe demum Chriſtus.

℣. 12. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem. Caro & Sanguis hîc non, ut alibi, hominis cupiditates, hominesve perverſos, carni ſenſibusque ſervientes, ſignificat; hi enim ipſi hoſtes ſunt, adversùs quos aſſidua nobis eſt pugna: ſed homines genericeè acceptos, hoſtes infirmos, oſſibus & carne conſtantes.

(g) *Hieronym. hic: Servus neceſſitatem in voluntatem vertat, & facit de ſervitute mercedem; maximè cùm dominus carnis a Domino ſpiritûs diverſa non imperet .... Adjecit, quaſi Chriſto, ut ſcilicet non audiat ſervus carnalem dominum, ſi contraria Dei præcepta voluerit imperare.*
(h) *Theodoret.* Ἀπλῶς, καλοήθως ἀπηλλάχθαι, τοῦτο γὰρ εἶπεν ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν.
(i) *Theodoret.* Ὀφθαλμοδουλείαν δὲ καλεῖ τὴν οὐκ ἐξ εἰλικρινοῦς καρδίας προσφερομένην θεραπείαν, ἀλλὰ τῷ σχήματι κεχρωσμένην. (k) *Senec. Ep.* 47. (l) *Theodoret.* Οἷον βούλει περὶ σε τὸν δεσπότην γενέσθαι, τοιοῦτος γενοῦ περὶ τὸν οἰκέτην. Οὐ γὰρ οἶδεν ὁ Θεὸς δούλου καὶ δεσπότου διαφοράν.
(m) 2 *Cor.* x, 4; 1 *Theſſal.* v, 8. (n) *Theodoret. hic.* (o) *Hieronym. Volens Apoſtolus multimoda Diaboli ingenia oſtendere, quibus nos capere nititur, methodias ejus, id eſt, adinventiones, vel verſutias nominavit. Theodor.* Μεθοδείας γὰρ τὰς μηχανὰς ἐκάλεσε.

℣. 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.
℣. 14. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ,
℣. 15. Et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis:
℣. 16. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.

COMMENTARIUS.

tes. Cum his bellum nobis non eſt, ſed cum Dæmonibus, Mundi Principibus ſeu Tyrannis, uſurpato imperio abutentibus; malis denique Spiritibus in aëre diffuſis. Jam ſupra vidimus (p), Dæmones ab Apoſtolo tenebrarum Principes appellari; vetuſtisque Patribus, Joſepho, Philoni, Rabbinis, ipſisque Chaldæis fuiſſe perſuaſum, aërem totum bonis malisque Geniis occupari, ex quibus malos aſſiduo in nos bello ſævire, innumerisque artibus inſidiari (q).

Ait Paulus, Dæmones eſſe Principes mundi, tenebroſi nimirum hujus ſæculi. *Adverſùs mundi rectores tenebrarum harum*, ſcilicet, ex nonnullorum ſententiâ, mundi principes, tenebroſos, angelos tenebrarum. Sive: Principes mundi hujus, tenebrarum harum, tenebroſi hujus aëris, vel mundi hujus obſcuriſſimi, ſi cum alterâ vitâ, quæ mundus lucis eſt, conferatur. Alibi animadvertimus, aërem frequenter pro tenebris uſurpari. Denique morali ſenſu, mundus ſæculum eſt tenebrarum, quòd filiis incredulitatis ac tenebrarum, uti filiis lucis oppoſitis, plerumque refertum ſit. Addit: *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus* (r), nempe contra Spiritus nequiſſimos in aëre diffuſos; ſive, contra ſpiritalem nequitiam, cœleſtia loca, cœlum, aërem, occupantem. Vel ex Græcis Patribus (s): Pugnandum nobis eſt adverſùs nequitiæ ſpiritus, a quibus impetimur *ob cœleſtia*, ob Regnum Cœlorum. Leve quid non agitur, ſed cœli acquiſitio.

Alii (t) aliter interpretantur: Pugnandum nobis eſt non adverſùs homines infirmos, carne & ſanguine conflatos, ſed adverſùs Principes ac Poteſtates, adverſùs mundi Dominos, in malignos Spiritus, *cœleſtium rerum causâ*. Pugnandum eſt pro veritate Evangelii, doctrinâque cœleſti, quam tradimus, nedum cum vulgaribus notisque adverſariis, verùm etiam cum Principibus, Poteſtatibus, Dæmonibusque. Si Dæmones, elementa, mundi hujus Principes bellum nobis inferunt, inſtrumenta ſunt furoris Diaboli, potiſſimi ac validiſſimi noſtrûm omnium hoſtis. *Non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ideſt, adverſùs homines, quos videtis ſævire in vos. Vaſa ſunt; alius utitur: organa ſunt; alius tangit* (u).

℣. 13. ACCIPITE ARMATURAM DEI, abſolutam, cataphractorum more, UT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO, ET IN OMNIBUS PERFECTI STARE, probè muniti, & armis inſtructi. His verbis, *perfecti ſtare*, innuitur agmen, cui nihil ad defenſionem deeſt (x); ſive miles, qui munia ſua ſatis explevit, nihilque non agit, ut ſeſe vehementer acriterque tueatur (y). *Dies malus* eſt pugnæ dies (z), tentationis, diſcriminis. Ait S. Hieronymus (a), pugnandum nobis eſſe non modò dum vivimus, verùm etiam morte obitâ, *cùm omnia perfecerimus*; is enim Græcum reddit, *omnia operati ſtare*, non, *in omnibus perfecti ſtare*. Majori conatu Dæmones tunc pugnaturi ſunt, noſque cum hoſte non occulto, ſed conſpicuo, ac veluti coram decertabimus.

℣. 14. STATE SUCCINCTI LUMBOS VESTROS IN VERITATE. Veritas, ſinceritas, fides, æquitas, balteus ſunt, quo Jeſu Chriſti miles ſuccingitur. Alludit Apoſtolus ad eum Iſaiæ locum (b): *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*. Veritatis nomine accipi etiam poteſt Fides, bona doctrina, Dei verbum.

LORICAM JUSTITIÆ. Juſtitia virtus eſt, reddens unicuique quod ſuum eſt: uſurpatur etiam pro virtutum omnium collectione, omniumque bonorum operum exercitatione. Poſtremo hoc ſenſu latiſſimè patet, atque optimè comparatur loricæ, majorem hominis partem protegenti.

℣. 15. CALCEATI PEDES, IN PRÆPARATIONE EVANGELII PACIS, veluti parati Evangelium nunciare. Qui longum iter ſuſcepturi ſunt, pedes calceis muniunt adverſùs lapidum & veprium injurias. Opus eſt, Chriſtianus quisque paratus ſit teſtimonium reddere veritati, fidemque infidelibus nunciare, ex ſuo quisque ingenio (c). Dici etiam poteſt, munitis pedibus eſſe oportere adverſùs ea quæ in itinere occurrerint, in Evangelii obſervatione, atque in curſu inſtituto (d). Hoc ſenſu, non vulgaris calceus intelligendus eſt, ſed ocreæ illæ, quibus olim crura in bello protegebantur (e).

℣. 16. SCUTUM FIDEI, IN QUO POSSITIS OMNIA TELA NEQUISSIMI IGNEA EXTINGUERE. Ignita olim tela in bello jaciebantur, ut alibi diximus (f), Ignea Dæmonis tela ſunt pravæ cogitationes, malaque deſideria (g), quibus hominum libidines excitantur. Hæc extinguuntur & retunduntur Fide, quæ Divinarum promiſſionum minarumque veritatem ſuadet. Hæ ſatis ſuper-

(p) *Epheſ.* II, 2. (q) *Prudent. Hamartigenia*:
Sed cum ſpiritibus tenebroſis nocte dieque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iſte,
Et pigris denſus nebulis obtemperat aër, &c.
(r) Πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.
(s) *Chryſoſt.* Οὐ περὶ χρημάτων, ἢ περὶ δόξης, . . . τὸ γὰρ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ἀντὶ τοῦ, ὑπὲρ τῶν ἐπουρανίων, ἐστίν. *Ita Theodoret. Theophyl. &c.* (t) *Vide Caſtal. Zanch. Knatchbull. hic, & in Epheſ.* II, 2, *&c.* (u) *Aug. ſerm. olim 8 de verbis Domini, nunc* 67, n. 4.
(x) *Eſt. Men. Tir. Syr. Tremel.* (y) Καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. *Vide Chryſoſt. Eraſm. &c.*
(z) *Theodoret.* Ἡμέραν πονηρὰν τὴν τῆς ἐκπαρατάσεως ἡμέραν καλεῖ, ἀπὸ τοῦ ἐνηχέντος ἀνῇ Διαβόλῳ τὸ ὄνομα τεθεικώς. (a) *Hieronym. hic.* (b) *Iſai.* XI, 5. *Vide Eſt. & Grot. hic.*
(c) *Chryſoſt. Eſt. Vat. Men. Zanch. Tir.* (d) *Theodoret.* Μὴ εἰς ἀτόπους πράξεις τοὺς πόδας κινεῖτε, ἀλλὰ τὸν εὐαγγελίου δρόμον πληροῦτε. *Men. Bod. alii.* (e) Vide animadverſa in 1 *Reg.* XVII, 6.
(f) Vide nos in *Pſalm.* VII, 14; LXXV, 3; CXIX, 4. (g) *Vide Hieronym. Theodoret. alios.*

℣. 17. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritûs (quod eſt verbum Dei)

℣. 18. Per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ, & obſecratione pro omnibus ſanctis,

℣. 19. Et pro me; ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere myſterium Evangelii,

℣. 20. Pro quo legatione fungor in catenâ; ita ut in ipſo audeam, prout oportet me loqui.

℣. 21. Ut autem & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino:

℣. 22. Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcatis, quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra.

℣. 23. Pax fratribus, & charitas cum fide, a Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.

COMMENTARIUS.

que ſunt, ut hominem a mundi hujus voluptatibus illecebriſque removeant, illique ſuavem bonorum honorumque a Diabolo exhibitorum privationem efficiant.

℣. 17. GALEAM SALUTIS, ſive ſalubrem (h), qua omnes hoſtium ictus retunduntur. Chriſtus Jeſus non rarò *ſalus* ſive *Salvator* nuncupatur. Ipſe nobis galea eſt, cùm cumulamur illius Spiritu, charitate animamur, veritate implemur, munimur patrocinio.

GLADIUM SPIRITUS (QUOD EST VERBUM DEI). Gladium ſpiritalem, ſive gladium, quo nos inſtruit Spiritus Sanctus, ut Dæmonem repellamus; nempe verbum Dei, quo docetur mens noſtra, & illuſtratur, noſque Diabolo formidabiles efficimur. Uno Dei verbo uſus eſt Chriſtus, ut Dæmonem mala ſuadentem repelleret (i). Illud ipſum anceps eſt gladius, de quo alibi Scriptura (k), mentis ima pervadens.

℣. 18. ORANTES OMNI TEMPORE IN SPIRITU. Minimè ſufficit, te armis inſtructum eſſe, aut diſcrimen agnoſcere, niſi acriter pugnes, & aſſiduè vigiles. Oratione vigilandum eſt: cum illâ certamus vincimuſque: eâ deficiente, vires noſtræ deficiunt. Solos inermeſque nos non timet Dæmon; fugit verò, cùm Omnipotentis opem oratione quærimus.

℣. 19. PRO OMNIBUS SANCTIS, ET PRO ME. Piam Pauli humilitatem & avaritiam animadverte (l). Se ipſe nunquam præterit, ubi de Fidelium orationibus agitur. Orate *pro omnibus Sanctis, & pro me*. Quid autem tibi poſtulaverimus? *Ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere myſterium Evangelii*; ut os meum aperiat Deus, aptaque verba ſuppeditet, quibus Evangelium conſtantiſſimè prædicem; robur, fiduciam, conſtantiam loquendi, & neceſſariam ſuadendo movendoque facundiam largiatur. *Ita ut* vel vinculis onuſtus *in ipſo audeam*, conſtanter de Chriſto diſputem, *prout oportet me loqui*, nullo Principum metu, quin crucis meorumque vinculorum me pudeat.

Legatis inter homines mos eſt, ſuperbo veſtium comitumque apparatu gloriam captare. Nobiliſſimum legationis ornamentum Paulo ſunt ſua vincula. *Legatione fungor in catenâ.* Hæc ille, Epheſiis oſtendit, ceu ſuæ & illorum gloriæ argumenta (m). Cùm ſacri atque inviolabiles eſſent communi gentium omnium jure Legati, animadvertit S. Chryſoſtomus (n), illud hic ab Apoſtolo ſignificari, commune gentium jus in ſe eſſe violatum, cùm Jeſu Chriſti Legatus in vincula datus fuerit. Rogat Epheſios Paulus, id ſibi a Deo impetrent, ne vinculis impediatur, quin Legati munus abſolutiſſimè expleat. Is profectò, tametſi vinculis onuſtus, Evangelium prædicare non deſtitit; ac Dei verbum, ut idem ſcribit (o), vinctum non erat, cùm corpus in vinculis gemeret. Nimirum ſequenti ſe ubique militi catenâ alligatus erat (p); minimè verò in carcere clauſus.

℣. 21. OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICUS. Hic fortaſſe ex Aſiâ provinciâ erat, ac Paulum proſequutus fuerat, cùm is Corintho Jeroſolymam profectus eſt anno LVIII (q); utilemque exhibuit operam Apoſtolo, toto prædicationis tempore, ac miſſus ab eo eſt, ut Epiſtolas ad Coloſſenſes & ad Epheſios deferret. Sunt qui primam ad Timotheum Epiſtolam a Tychico delatam exiſtiment. Ipſum commendat Apoſtolus, fratremque chariſſimum, ac fidelem Domini Miniſtrum nuncupat.

℣. 22. UT COGNOSCATIS QUÆ CIRCA NOS SUNT. Mandavi ut doceat, quo loco ego & res Evangelii hac in urbe ſimus. Sunt qui legunt (r): *Ut cognoſcat quæ circa vos ſunt*, & res Eccleſiæ veſtræ integrâ fide mihi renunciet. Confer ℣℣ 21 & 22 hujus Epiſtolæ, & finem Epiſtolæ ad Coloſſenſes: eadem enim ferè verba in utrâque leguntur. Eodem fermè tempore utraque ſcripta eſt.

℣. 23. PAX, CHARITAS, CUM FIDE. Majus nihil tribus hiſce donis largiri homini poteſt Deus; animi & corporis tranquillitate, ac fide cum charitate conjunctâ. Iſta non ſejungit Apoſtolus,

(h) Confer *Iſai.* LIX, 17: Περικεφαλαίαν σωτηρίου. (i) *Matt.* IV.
(k) *Hebr.* IV, 12; *Apoc.* I, 16; II, 12. (l) *Theodoret.* Δείκνυσι δὲ, καὶ τὴν οἰκείαν ταπεινοφροσύνην ὁμοῦ, καὶ ἀγάπην. Κατὰ τοῦτον γὰρ, καὶ ταπεινοφρονεῖ, καὶ ἀπλήστως εὔχεται. (m) *Vide Theodoret.*
(n) *Vide Chryſ. Theophyl. Eſt. hic.* (o) 2 *Timot.* II, 9. (p) *Act.* XXVIII, 16, 30, 31.
(q) *Act.* XX, 4. (r) *Ald. Mſſ. Theophylact. Ambroſiaſt.* Ἵνα γνῶ τι τὰ περὶ ὑμῶν. *Græc. impreſſ.* Ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν.

℣. 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in incorruptione. Amen.

COMMENTARIUS.

lus, quæ imperfecta forent, ſi Spiritus Sanctus ſejuncta largiretur.

℣. 24. QUI DILIGUNT DOMINUM NOSTRUM … IN INCORRUPTIONE (s), conſtantiſſimâ & inviolabili charitate, purâ mente, ſanctis moribus, animo ſincero (t). Qui Chriſtum amant, ſeque in mundi hujus corruptelâ puros ſervant: mundi enim amor cum Chriſti amore componi non poteſt. *Amicitia hujus mundi, inimica eſt Dei* (u).

Græca Exemplaria in fine Epiſtolæ ferunt: *Scripta eſt Româ per Tychicum*; qua de re diſſident Interpretes, ut in Præfatione diximus.

IN

(s) Ἐν ἀφθαρσίᾳ.

(t) *Hieron. Eſt. Vat, Eraſm. Men. Tir. alii. Vide Chryſoſt. Theophyl.*

(u) *Jacobi*, IV, 4.

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Epheſios.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD PHILIPPENSES

PROLEGOMENON.

Paulus a Deo in Macedoniam vocatus, anno Chriſti LII, Troade in Samothraciam navigavit; die proximâ Neapolim Macedoniæ urbem maritimam appulit; & hinc Philippos, Romanorum Coloniam, hujus Macedoniæ partis Metropolim, profectus, primùm Lydiam purpurariam Deo per Fidem peperit [a]. Aliquot poſt dies cùm a puellâ quadam, per familiarem Cacodæmonis conſuetudinem abdita manifeſtante, quæ dominorum quæſtui plurimum ſerviebat, Pythonem ejeciſſet, ab his apud Magiſtratus, tamquam novæ Religionis author delatus, poſt virgarum animadverſionem, unà cum Sila in carcerem conjectus eſt. Per noctem concuſſâ repentino impetu terrâ, atque ædificii fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultrò recluſæ, & captivorum vincula ſponte confracta ſunt. Carceris cuſtos vinctos effugiſſe ratus, ſtricto in ſe gladio, mortem ſibi inferebat, ni ſtatim Paulo ſeſe prodente, interciperetur: qui illicò ab eodem Apoſtolo fidei myſteriis inſtitutus, unà cum totâ familiâ baptiſmo eſt initiatus. Mane alterius diei Magiſtratus imperavere, ut Paulus & Silas dimitterentur. Paulus verò civem Romanum adeò indignè excipi clamitans, nonniſi ab ipſis Magiſtratibus palam dimiſſum, carcere ſe egreſſurum aſſeruit; quibus ad Magiſtratus delatis, ipſi per ſe injuriam illatam deprecaturi venerunt; atque e carcere eductum, ex Urbe ſecederet, rogarunt: quare Philippis Apoſtolus Theſſalonicam contendit.

Paulus Philippenſes maximo ſemper amore proſequutus, in ſuis precibus (b) illorum aſſiduè meminerat. Præ omnibus, quos Apoſtolus ad Fidem traduxit, beneficii memores Philippenſes fuere. Soli enim inter omnes, quocumque ad Fidem nunciandam pergeret, eleemoſynas ad illum tranſmittebant (c): quibus proinde ei præſto fuere bis Theſſalonicæ (d), & fortè etiam Corinthi (e). Diù poſt, anno ſcilicet circiter LXII, cùm eum Romæ vinculis detentum audiſſent, Epaphroditum ſuæ Eccleſiæ ſeu Epiſcopum, ſeu Miniſtrum [f], & pecuniis & miniſteriis ejus ſolatio delegarunt (g).

Epaphroditus, ubi Romam pervênit, Pauli obſequiis ſe totum impendit (h): quare neque vitæ ſuæ parcens, in morbum incidit, & diu Romæ morari coactus eſt. Paulus verò, ut Philippenſes a ſollicitudine pro illo liberaret, vix convaleſcentem remiſit, adjectâ Epiſtolâ, quam modò explanamus. Hæc igitur *ad Epiſcopos & Diaconos Philippenſes* inſcripta eſt. Epiſcoporum nomine vel hujus Eccleſiæ Preſbyteros, vel Philipporum & proximarum Eccleſiarum Epiſcopos (i) a Paulo deſignatos eredimus. Epiſtolæ initio ſibi Timotheum jungit [k], quem ad Philippenſes ſe facilè miſſurum, poſtquam ſuis rebus aliquantulùm conſuluerit, pollicetur. Et ipſe ſe ad eoſdem aliquandò perrecturum ſpectat [l]; etenim per totam Epiſtolam a Deo vinculis ſe eripiendum, & iterum libertate donandum confidit. Seu vitæ ſeu mortis optionem a Deo datam Apoſtolo, Chryſoſtomus opinatur (m).

Faciliori oratione, atque animo tranquilliori hanc inter cæteras Epiſtolam Apoſtolus exaravit. Sui amantiſſimi cordis documenta exhibet eximia, neque gravioribus verbis eos unquam arguit; quo quidem, ait Chryſoſtomus [n], Philippenſes, qui non modò Fidei ſe dederant, ſed etiam pro Chriſto plura pertulerant (o), præſtantiſſimâ virtute præditi indicantur. Suorum, Pauli nempe, vinculorum communem ſecum ut habeant gaudium, hortatur: præclarè verò ſecum agi putaturum, ſi ſuo ipſe ſanguine veluti libationem addere poſſit ſacrificio, quod Philippenſes fide ſuâ Deo offerunt (p). Sua denique vincula ad Divinæ Gloriæ, & Evangelii incrementum contuliſſe teſtatur (q). Pſeudo-Apoſtoli Philippos, ſicuti & urbes cæteras, peragrantes, Legem & circumciſionem neceſſariò ad ſalutem poſtulari nunciabant; quare Paulus magno ſermonis impetu in eos inſurgens, graviſſimè increpat; eoſdemque, quòd ſolius quæſtûs ſpe, & ambitionis pabulo prædicent, ſibique ventrem pro Deo conſtituant, canes, & nequiſſimos operarios appellat.

(a) *Act.* XVI, 11, 12, *&c.*
(b) *Philipp.* I, 4.
(c) *Philipp.* IV, 15.
(d) *Ibid.* IV, 16.
(e) 2 *Cor.* XI, 9.
(f) *Vide Comment. ad Philipp.* II, 25.
(g) *Philipp.* II, 26.
(h) *Philipp.* II, 27, *&c.*
(i) *Vide Hammond. ad Philipp.* I, *p.* 210, 211.
(k) *Philipp.* II, 19, *&c.*
(l) Reverâ poſt biennium Philippos vênit, Ann. Chriſt. 64. *Vid. Philipp.* II, 24.
(m) *Chryſoſt. hom.* 3. *p.* 30: Τί λέγεις, εἰπέ μοι, ὦ Παῦλε; οὐ γνωρίζεις, τί αἱρήσῃ; ἐνταῦθα μέγα ἀπεκάλυψε μυστήριον, ὅτι κύριος ἦν τοῦ ἀπελθεῖν.
(n) *Chryſoſt. in Philipp. prolog.* Φαίνεται δὲ καὶ μετὰ πολλῆς αὐτοῖς μάλιστα γράφων τιμῆς, καὶ οὐδὲν προστίθησιν ἐπιπληκτικὸν οὐδαμοῦ, ὅπερ ἦν τεκμήριον τῆς ἀρετῆς αὐτῶν, τὸ μηδεμίαν δοῦναι τῷ διδασκάλῳ λαβήν.
(o) *Philipp.* I, 29.
(p) *Philipp.* II, 17.
(q) *Philipp.* I, 12.

Philippenſes, ut animorum concordiam colant, hortatus, Evodiam & Syntychen, fœminas illuſtres, quæ nunciandæ Fidei maximo ſibi fuerant adminiculo, rogat, ut reconcilientur. Eleemoſynarum, quibus ſibi Philippenſes conſuluerant, ita meminit, ut & vacuum cupiditate animum, & charitate redundantem oſtendat [r]: quos plenâ gratiarum actione exceptos, ſtatim admonet, pluris quàm munus, a ſe æſtimari meritum, quod ſibi apud Dominum illi vindicaverant. Cæterùm nihil ſibi deeſſe, copiâ æquè ac egeſtate contento, per Deum opem ſibi præſtantem, omnia ſe poſſe teſtatus. Satis tamen eos commendat, quòd veterem liberalitatem erga ſe exercentes, ad ſui ſolatium quamplurimum contulerint. Eos denique Romanorum Fidelium, Aulicorum potiſſimùm [s], nomine ſalutat: ex quo ipſe vel in Imperatoris Domum Evangelium intuliſſe [t], ibique Diſcipulos ſibi peperiſſe, ſatis oſtenditur.

(r) *Philipp.* IV, 10, *&c.*

(s) *Ibidem*, v. 22.

(t) *Philipp.* I, 13.

S. Polycarpus ad Philippenſes ſcribens, plures ad eos Epiſtolas Paulum dediſſe, aſſerere videtur [u]: *Neque enim*, loquit, *ego, neque alius mei ſimilis, aſſequi poteſt beati & glorioſi Pauli ſapientiam, qui cùm eſſet apud vos in conſpectu hominum, qui tunc vivebant, perfectè ac firmiter docuit verbum veritatis, qui & abſens vobis ſcripſit Epiſtolas, in quas ſi intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ data eſt vobis, quæ eſt mater omnium noſtrùm.* Polycarpo illud favere videtur, quod ejuſdem Epiſtolæ capite III ſubdit Apoſtolus: *De cætero, fratres mei, gaudete in Domino*, ſeu vos in Domino ſalvere jubeo. *Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Quo quidem iis, quæ iterat, ſimile aliquid ad eos ſcripſiſſe innuitur; nihilominus de unicâ tantum ad Philippenſes Epiſtola & apud Veteres, & apud Recentiores Interpretes conſtat. Polycarpi verò textus neceſſariò Epiſtolas non ingeminat; Græcè enim & Latinè & Gallicè etiam uni epiſtolæ pluralis literarum numerus ſæpè tribuitur. Objectum ex capite III, diluimus in Commentario.

(u) *Polycarp. Ep. ad Philip.* § 3. Ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν. *Hammondus, in c. 4 ad Coloſſ.* putat duas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes pro Philippenſibus etiam fuiſſe; hinc S. Polycarpum numero plurali ad Philippenſes Epiſtolas memorare.

Tertium & quartum caput Epiſtolæ ad Philippenſes, ab Apoſtolo ſubtexta Grotius putat; cùm enim, aît, de iis tantùm, quæ duobus prioribus Capitibus recenſuit, ad eos ſcribere priùs ſtatuiſſet, cætera deinde ſubdere optimum duxit. Addit præterea Grotius, Pſeudo-Apoſtolos, quos Paulus atris coloribus depictos aſperiùs agit, non ex Judæis ad Fidem traductis, neque ex Fidelibus Judaizantibus, ſed ex Ethnicis fuiſſe, qui humanâ penitus prudentiâ Gentibus Fidem amplexis ſuadere ſtudebant, ut perſecutionibus, quibus Catholica angebatur Religio, ſe ſubducturi, circumciſioni parêrent, & Judaiſmum profiterentur. Quam utique ſententiam, ſcribentes in Epiſtolam ad Galatas, jam refutavimus. A Judæis quamplurimum tunc cavendum fuiſſe, ex iis perſpicuè conſtat, quæ Paulus adjecit [x]: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem; nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo . . . . ſi quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumciſus octavo die, ex genere Iſraël, ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.*

(x) *Ad Philipp.* III, 2, *&c.*

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* PHILIPPENSES.

CAPUT PRIMUM.

Pauli charitas erga Philippenſes. Vincula Pauli alios confirmavere, ut Chriſtum prædicent: quorum alii fide bonâ, alii ob Pauli invidiam id muneris obeunt. Hac ipſâ tamen re gaudet Paulus; ſperatque, ſolutum iri ſe vinculis ſuis ob Philippenſium utilitatem.

℣. 1. PAulus & Timotheus, ſervi Jeſu Chriſti, omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus.

℣. 2. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAulus et Timotheus. Hic unâ cum Apoſtolo tunc temporis in urbe morabatur; notiſſimus chariſſimusque Philippenſibus, quippe qui non ſemel apud illos fuerat. Illum Paulus hac in Epiſtolâ ſibi conjungit, non uti Epiſtolæ authorem, ſed fortè uti ſcribam, ſive uti communem amicum, Philippenſium benevolentiam ac liberalitatem pariter expertum, eorumque charitate & perſeverantiâ in fide gaudentem. Utrumque nominat *Servos Jeſu Chriſti*, ſive Miniſtros in Apoſtolico munere; qua in re ſpectanda eſt Pauli modeſtia, qui Timotheum ſibi æqualem facere videtur, cùm Timotheus vix Pauli Diſcipulus, ipſoque prorſus inferior foret.

Omnibus Sanctis in Christo Jesu, cum Episcopis et Diaconibus. Sancti erant veteres illi Chriſtiani, non ſolum vocatione, & propoſito Dei, illos ad ſanctitatem vocantis, verùm etiam vitæ morumque innocentiâ. *Sancti in Chriſto Jeſu* Chriſtiani ſunt, Jeſu Chriſti Fidem profeſſi. *Epiſcopi & Diaconi* Epiſcopum & Presbyteros Eccleſiæ Philippenſium ſignificant; olim quippe promiſcua erat Epiſcopi & Presbyteri appellatio; & Epiſcopis Presbyterorum, Presbyteris verò Epiſcoporum nomen tribuebatur (a). Uno plures eſſe non poterant Philipenſium Epiſcopi; iſque tunc Romæ verſabatur, ſi tamen Epaphroditus fuit, uti vulgo creditur (b), per quem Paulus hanc ad Philippenſes Epiſtolam miſit. Quicquid ſit, illud certè nullo negotio oſtenditur, Epiſcopos non rarò ſub Presbyterorum nomine fuiſſe comprehenſos, cùm ipſimet Apoſtoli Presbyterorum appellationem uſurparent. Petrus Apoſtolus, & Joannes Evangeliſta in Epiſtolarum fronte ſeſe *Presbyteros* vel Seniores nuncupavere. Paulus, arceſſitis Epheſo *Presbyteris*, vel Senioribus ejus Eccleſiæ, & fortaſſe etiam finitimarum, illos in oratione, quam habuit (c), Epiſcopos appellavit. Et ad Titum ſcribens (d), imperavit, ut *Presbyteros* in urbibus inſtitueret, quos deinde *Epiſco-*

(a) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Oecumen. alios.* (b) *Theodoret. hic.* Confer *Philipp.* II, 25, ubi Paulus Epaphroditum nuncupat Philippenſium Apoſtolum. Is autem Apoſtolus eſſe non poterat, niſi ut illorum Epiſcopus; niſi *Apoſtolus* hoc loco pro mero Legato uſurpetur. Vide Commentarium. Vide & *Eſt. Grot. Cornel. Men.* (c) *Act.* XX, 17, 28: *Vocavit majores natu Eccleſiæ . . . Dixit eis: Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c.* (d) *Tit.* I, 5, 7.

℣. 3. Gratias ago Deo meo in omni memoriâ veſtri,

℣. 4. Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio deprecationem faciens.

℣. 5. Super communicatione veſtrâ in Evangelio Chriſti, a primâ die usque nunc.

℣. 6. Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Chriſti Jeſu:

℣. 7. Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis: eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Evangelii, ſocios gaudii mei omnes vos eſſe.

COMMENTARIUS.

Epiſcopos nominat, ubi optimi Epiſcopi laudes enumerat; *Oportet ergo, Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c.*

Sunt (e) qui cenſeant, Philippos urbem eo tempore veluti metropolim fuiſſe Macedoniæ; atque hanc Epiſtolam non ad ſolos Philippenſes datam, ſed ad omnes ejus provinciæ urbes atque finitimas; ſive hæc urbs aliquâ inter cæteras auctoritate gauderet, ſive aliter ſeſe res haberet; de hoc enim non diſputo. Quamobrem Presbyteri, de quibus hîc, & ad quos Epiſtolam mittit, non unos Philippenſis Eccleſiæ Principes, verùm etiam finitimarum Epiſcopos ſignificant; quemadmodum in recitato Actorum loco, ubi Paulus Epheſi Epiſcopos ſeu Presbyteros, multitudinis numero, alloquitur (f), Epheſi & finitimarum civitatum Epiſcopos deſignat.

Græca quædam Exemplaria hîc legunt (g): *Omnibus ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, Coëpiſcopis & Diaconis*; Philippenſibus nempe Fidelibus, & Epiſcopis, quibus communis eſt noſtra iſthæc Paſtorum, Cuſtodum, & Principum Eccleſiæ Jeſu Chriſti provincia. At pleraque Græca Exemplaria cum editis & Vulgatâ conveniunt. Alteri lectioni cauſam præbuiſſe videtur librariorum oſcitantia, qui unam e duabus vocibus conflavere.

Quod ad Diaconos, de his actum eſt in Actis, VI, 3, 4. Simillimi erant hi *τοῖς Chaſanim* Synagogæ Judæorum, Miniſtris nempe Principum Synagogæ, qui miniſteriis quibuslibet, ad quæ deſtinabantur, operam dabant. Hi locum tenebant infra Sapientes ac Doctores. Apud Chriſtianos, Diaconi nedum communibus menſis in agapis inſerviebant, diſtribuebantque eleemoſynas, verùm etiam ſacrâ in menſâ & in Euchariſtiæ diſtributione obſequium præſtabant; interdum etiam verba faciebant, uti Stephanus (h), & Philippus Diaconus, qui Candacis Reginæ Eunuchum inſtituit, & baptiſmo tinxit (i), ac Fidem Samaritanis perſuaſit (k); denique ad manum Epiſcopis erant, & ad illorum juſſa comparati. In ſacrorum hominum ordine nunquam non ſub Presbyteris ſtatim locum tenuere. Auctâ demum Eccleſiâ, additi ſunt Miniſtri alii, Diaconis minores, veluti Subdiaconi, aliique deinde, quorum nomina in Scripturis non leguntur, ſed in vetuſtis dumtaxat Eccleſiæ Scriptoribus.

℣. 3. IN OMNI MEMORIA VESTRI; quoties veſtiûm recordor. Sive (l): *Gratias ago Deo meo, veſtri reminiſcens ſemper*, & omni modo; ſeu denique (m): *Gratias ago Deo meo, quòd vos mei memineritis.*

℣. 4. SUPER COMMUNICATIONE VESTRA IN EVANGELIO CHRISTI, Deo grates ago ob veſtram fidem, quòdque in accepto per nos Evangelio, a primâ ad hanc usque diem, permaneatis. Aliter (n): Deo gratias ago, quòd propagationi Evangelii collatâ operâ ſervieritis, ope mihi a primâ deinceps die ſuppeditatâ (o). Subſidia ad Apoſtolos, ſive ad egenos Fideles miſſa, bonorum communicatio ſive communio ab Apoſtolo nuncupatur (p). Proclivis maximè eſt hæc explicatio: at prior magis conſentanea videtur cum conſequentibus.

℣. 6. QUI COEPIT IN VOBIS OPUS BONUM, PERFICIET USQUE IN DIEM CHRISTI. Deus ipſe, qui mentem aureſque veſtras aperuit, ut exciperetis Evangelium, illique crederetis, qui & Fidem & Spiritum Sanctum vobis largitus eſt, ſuis vos beneficiis cumulare non deſinet, donec ad ultimam curriculi veſtri metam, ad mortem, & peculiare judicium, a Deo exercendum circa beatum uniuscujusque in æternitate ſtatum, perveniatis (q). Suum ipſe opus in vobis abſolvet; vocatos, juſtitiâ imbuit; ac poſt juſtitiam, gloriam largietur (r). *Deus enim (s), niſi ipſi homines illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.*

℣. 7. SICUT EST MIHI JUSTUM HOC SENTIRE PRO OMNIBUS VOBIS. Philippenſes omnes Apoſtolus loco prædeſtinatorum habet. Alacritas ab his ſub initium converſionis exhibita, & fides, qua illi hactenus in fide & charitate permanſerant, hujuſmodi fiduciam in Apoſtolo pepererant. Aliam ejus rei cauſam affert Paulus: *Eò quòd*, inquit, *habeam vos in corde.* Id verò ſatis ne erat, ut Apoſtolus jure diceret, æquum eſſe ut illud de illis ſentiret, Deum ſcilicet gratiâ ſuâ abſoluturum in illis opus quod inceperat? Quòd ames aliquem, ejusque ſalutem deſideres, id porrò ſatis non eſt, ut illum aſſequuturum ſalutem exiſtimes. At ſubdit Apoſtolus, eos *ſocios fuiſſe gaudii ſui, in vinculis ſuis, in defenſione & con-*

(e) *Vide Hamm. & Clerici not. in eumdem, hic, & Eſt. Zaneb.*
(f) *Act.* XX, 27, 28. (g) Συνεπισκόποις, καὶ Διακόνοις. *Ita Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. in Commentar. S. Germ. Gr. alii apud Eraſm. & Mill.* (h) *Act.* VII, 8. (i) *Act.* VIII, 29, 30.
(k) *Act.* VIII, 5, 6. (l) Ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν. *Vide Bez. Zaneb.* (m) *Arab. Men.*
(n) *Theodoret.* Κοινωνίαν δὲ τοῦ εὐαγγελίου, τὴν πίστιν ἐκάλεσε. *Vide Eraſm. Men. Tir. Eſt.*
(o) *Chryſoſt. Theophyl.* Πῶς δὲ κοινωνεῖτε; πέμποντές μοι τὰ πρὸς χρείαν, καὶ κηδόμενοί μου. *Eſt.*
(p) *Rom.* XII, 13; 2 *Cor.* VIII, & IX; *Galat.* VI, 6; *Philipp.* IV, 14, 15; *Heb.* XIII, 16.
(q) *Eſt. Men. alii.* (r) *Rom.* VIII, 30. (s) *Concil. Trid. ſeſſ.* 6, *c.* 13. *Vide & Aug. l. de corrept. & grat. c.* 6; *& l.* 2 *contra duas epiſt. Pelag. c.* 8; *& Chryſ. hic.*

Digitized by Google

℣. 8. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Jeſu Chriſti.

℣. 9. Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientiâ, & in omni ſenſu:

℣. 10. Ut probetis potiora; ut ſitis ſinceri, & ſine offenſâ in diem Chriſti.

℣. 11. Repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam, & laudem Dei.

℣. 12. Scire autem vos volo, fratres, quià quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii:

COMMENTARIUS.

firmatione Evangelii. His porrò ſimplex amor in amicitiam virtute, charitate, fide, bonis operibus fretam mutatur. His poſitis, æquum eſt credere, Deum minimè deſiturum gratiâ cumulare eos, quorum animos tam bene comparavit, iiſque perſeverantiam ad ultimum vitæ ſpiritum, usque largiturum. Magnæ virtutis argumentum eſt, a Paulo magnoperè amari (t).

Græcus ita reddi poteſt (u): *Par eſt, ut curam veſtri geram*, Deo preces veſtri causâ aſſiduas offeram, & grates agam; *eo quòd habeam vos in corde*, & veſtri meminerim ſemper, *in vinculis meis, in defenſione meâ, utrâque Evangelii teſtificatione* (x), *ut participes gratiæ meæ*, ſeu beneficii, quod mihi Deus impertitur, mearum ſcilicet perpeſſionum (y). Compertum eſt, Philippenſes doluiſſe vinculis Pauli, atque Epaphroditum miſiſſe, ut Romam ex Macedoniâ ad illum deferret pecunias, & cætera, quibus illi opus eſſe poſſet. Illum etiam apud Neronem defenderunt, vel adversùs Judæos, nunquam non adverſarios; denique gaviſi ſunt animi robore, & conſtantiâ, quibus ille veritatem defendit, & Evangelium prædicavit, tametſi innumera inimicorum odia in illum ſævirent. S. Chryſoſtomus ita interpretatur: Veſtri oblitus non ſum, vel in carcere & in vinculis, & quo tempore cauſam apud Cæſarem dixi, ac veritati Evangelii teſtimonium exhibui; illud certo ſciens, vos omnes meis ærumnis permoveri.

℣. 8. TESTIS ENIM MIHI EST DEUS, QUOMODO CUPIAM VOS. Deo teſte aſſerit, ſeſe illos vehementer ſpirituali charitate complecti. Neque hoc inane eſt jusjurandum. Illud ne reputetis, vos a me idcircò ſolùm amari, quòd meos labores ipſi levetis; meamque amicitiam carne tantùm & ſanguine inniti. Vos ego in ſpiritu amo, & in Jeſu Chriſti viſceribus, uti veros illius Diſcipulos amicosque, quos Chriſtus amat, & qui Chriſtum amatis.

℣. 9. UT CHARITAS VESTRA MAGIS ABUNDET (creſcat) IN SCIENTIA, ET IN OMNI SENSU, abſolutâque intelligentiâ. Vitæ hujus bona & commoda vobis a Deo poſtulare me ne arbitremini: indignam ſcilicet teneræ ac liberali charitati veſtræ gratiam redderem; Deum rogo, ut prudentem, ſapientemque ac plenam intelligentiæ charitatem in vobis augeat; (℣. 10) *Ut probetis potiora* (z), ut quæ optima ſunt, & ſanctificationi veſtræ, fratrum ſaluti, ac Dei gloriæ utiliſſima intelligatis. Charitas prudentiâ carens, nulliſque legibus conſtricta, pernicioſa interdum Eccleſiæ eſt. Jubet nonnunquam charitas, ut neceſſariam etiam opem quibusdam deneges. Pſeudo-Apoſtolos hîc innuit Paulus (a); ac vult, ut munificam erga illos charitatem non exerceant Philippenſes. Coërcendi ſunt illi, detegendi, omnibusque ex locis ejiciendi. Sinceriſſimæ charitatis eſt, ſalubri probro illos obruere.

℣. 10. UT SITIS SINCERI, ET SINE OFFENSA (innoxii) IN DIEM CHRISTI. Græcus ad verbum (b): *Ut ſitis ſinceri*, ſine labe, miſtione, corruptelâ in geſtis, fide, moribus; *& ſine offendiculo*, aut cæteris a vobis, aut vobis a cæteris exhibito. Ita vos gerite, ut nemini ſitis offenſioni (c), nullâque re in itinere offendamini (d), usque *in diem Chriſti*, ad ſupremum usque vitæ veſtræ ſpiritum, atque ad diem, quo coram Chriſto judice adfuturi eſtis.

℣. 11. REPLETI FRUCTU JUSTITIÆ PER JESUM CHRISTUM. Chriſtus Jeſus feraces vos faciat fructum juſtitiæ, bonorum operum genericè, ſive præcipuè eleemoſynarum; ut commendetur Deus ab omnibus, qui bene a vobis geſta viderint. Opera noſtra fructus noſtri ſunt; nos rami ſumus fructum ferentes; Chriſtus Jeſus, arbor; dominus omnium, Deus. Ut fructum utilem ac merito ſalutis dignum feras, opus eſt Chriſto adhæreas per fidem & charitatem (e).

℣. 12. QUÆ CIRCA ME SUNT, MAGIS AD PROFECTUM VENERUNT EVANGELII, Evangelii progreſſui ſervierunt. Vincula mea, atque hoſtium inſectationes Evangelii progreſſum magnoperè promoverunt. Paulo Jeroſolymis capto, & Romanis tradito, doluere pii, quòd fidei propagationi id obfuturum crederent: at ſuam ex eo gloriam Deus comparavit. Conſtantiam in prædicando Jeſu Chriſti nomine non minuit Paulus; ipſæque illius ærumnæ Diſcipulorum virtutem auxere, ejusque verbis & inſtitutionibus authoritatem addidere. Ullusne deceptor aut mendaciorum artifex vitam ac libertatem diſcrimini objiciat, mendacia ſua defen-

(t) *Chryſoſt. hic:* Ὥστε τὸ ἀγαπᾶσθαι παρὰ Παύλου οὕτω σφοδρῶς, τεκμήριόν ἐστί τινα εἶναι μέγαν, καὶ θαυμαστόν. *Vide & Theodoret. & Theophyl. & Grot. Eſt. Men. Tir.*

(u) Καθώς ἐστι δίκαιον ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς ἔν τε τοῖς δεσμοῖς μου ... Συγκοινωνούς μου τῆς χάριτος. *Alii:* χαρᾶς, *Gaudii. Ita Vulg. Claròm. & Ger. & Borner. Latin. non Græc. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Primaſ. Sedul.*

(x) *Theodoret.* Βεβαίωσιν τοῦ εὐαγγελίου τὰ παθήματα προσηγόρευσεν.

(y) *Theodoret.* Χάριν δὲ ἐκάλεσε τὰ παθήματα. *Ita & Chryſoſt.*

(z) Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα, *diverſa. Alii:* Συμφέροντα, *utilia. Vat. J. Capel. Eraſm. Piſc. Verſ. Heinſ. Syr. Ambroſiaſt. Chryſ. Theoph. Oecum. alii.* (a) *Theodoret. Eſt. Zeger.*

(b) Ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ.

(c) *Eraſm. Illyric. Men. Eſt. Tig. Zanch. ex Chryſoſt.* (d) *Pagni. Zanch. Eſt. Men.*

(e) *Joan.* xv, 1, 2, 3, 4.

℣. 13. Ita ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in cæteris omnibus:

℣. 14. Et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantiùs auderent ſine timore verbum Dei loqui.

℣. 15. Quidam quidem & propter invidiam, & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant.

℣. 16. Quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionem Evangelii poſitus ſum.

℣. 17. Quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.

℣. 18. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus annuntietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.

COMMENTARIUS.

defenſorus? ajebant primi illi Chriſtiani.

℣. 13. MANIFESTA FIERENT IN CHRISTO, ad Chriſti gloriam, IN OMNI PRÆTORIO; ſive, vincula mea in toto Prætorio commendavit Chriſtus: ſeu, vincula, quibus ob Chriſti nomen, atque uti Chriſti Apoſtolus oneror, reddita ſunt clara, &c. Quæritur, quid hîc Paulus *Prætorii* nomine ſignificet. Græci Patres, & Interpretes plerique (f) cenſent, Cæſaris familiam deſignare. Imperium tunc temporis gerebat Nero; apud quem cauſam dixit Paulus, cujus cauſæ novitas multorum ſtudia acuit, qui deinde quæſivere, quæ iſta eſſet Religio, quam is tanto animi robore prædicabat. Nonnullos e Cæſaris familiâ ad Chriſtum acceſſiſſe Pauli operâ, infra legimus (g). *Prætorii* appellatio domui Cæſaris propriè non conveniebat: cùm verò Præſidum Provinciarum ædes, quas Cæſar ipſe incolebat, cùm eſſet in Provinciâ, eo nomine nuncuparentur, eodem ſignificari cœpit Romana Cæſaris domus.

Viſum eſt aliis (h) Prætorium locus eſſe, in quo Prætor jus dicebat Romæ; atque hoc ſenſu *Prætorium* apud Ciceronem (i) legitur. Fortaſſe Paulus cauſam dixit apud Prætorem, priusquàm ad Cæſarem provocaret. Alii (k) denique arbitrati ſunt, cùm de Romano Prætorio agitur, intelligendam eſſe militum Prætorianorum ſtationem; eòque fortaſſe ductum fuiſſe Paulum a milite, cui alligatus erat, ibique Chriſtum prædicandi opportunitatem cepiſſe. Hæc porrò lis eſt, ex qua non multum negotii nobis hoc loco creari debet.

℣. 14. ET PLURES E FRATRIBUS, Chriſtianis Romæ verſantibus, Pauli vinculis & conſtantiâ animo confirmati, verba facere apud Gentiles, iiſque Evangelium nunciare auſi ſunt.

℣. 15. QUIDAM QUIDEM ET PROPTER INVIDIAM... (℣. 16.) QUIDAM EX CHARITATE.... (℣. 17.) QUIDAM AUTEM EX CONTENTIONE, ſimultate. Græcus verſiculorum ordinem ita diſtribuit. ℣. 16: *Quidam ex contentione Chriſtum annunciant...* ℣. 17: *Alii ex charitate, &c.* At Syriaca, Cophtica, Æthiopica, S. Baſilius, Tertullianus, Ambroſiaſter, vetuſtiſſima Exemplaria Græca & Latina, magno ſanè numero (l), Vulgatæ ordinem ſervant.

Nonnulli e Chriſtianis, gloriæ Pauli invidentes (m), famam ſibi ex conſtantiæ illius imitatione ſibi comparare ſtudebant. Sincerè alii & ex bonâ fide prædicabant (n); alii *ex charitate*, ob Chriſti gloriam & Pauli amorem, præclarum ſibi fore cenſentes, ſi operam conferrent huic negotio, cujus provinciam Paulo, utpote Gentium Apoſtolo, demandatam eſſe noverant: *Scientes, quoniam in defenſionem Evangelii poſitus ſum*; eumque unius Evangelii & veritatis causâ vinculis coërceri. Denique alii erant, qui ob ſimultatem atque æmulationem Chriſtum nunciabant, moleſtiam Paulo vinculis detento ſeſe paituros rati, ſive hoſtium furore magis magiſque in illum irritato (o), ſive illud conati, ut ejus animum ad invidiam excitarent, eumque ſpoliarent gloriâ traductæ ad Evangelii cognitionem Romæ. At ignorabant illi, quàm nobilis ac liberalis unàque modeſtus eſſet Apoſtoli animus. (℣. 18.) *Quid enim* mihi hæc curæ ſunt? *dum omni modo... Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.*

℣. 18. SIVE PER OCCASIONEM, SIVE PER VERITATEM; ſive caſu nullâque meditatione, ſive bonæ voluntatis ſtudio certoque conſilio. *Occaſio* hîc opponitur rei maturo conſilio geſtæ. Nihil ſibi propoſuerant Pauli adverſarii, niſi ut moleſtiam Paulo crearent: hoc unum ſcilicet prædicatione moliebantur; quamobrem nonniſi ex occaſione Chriſtum nunciabant. Reddi etiam poteſt Græcus (p): *Seu quæſitâ causâ, ſeu veritate.* Sive ex animo, ſive moleſtiæ mihi pariendæ causâ

 id

(f) Ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ. *Theodoret.* Τὰ βασίλεια γὰρ πραιτώριον προσηγόρευσε. *Ita & Chryſ. Theophyl. Eſt. Eraſm. Men. Tir. alii. Huber. Defect. ſingul. in hunc locum.*

(g) *Philipp.* IV, 22: *Salutant vos maximè qui de Cæſaris domo ſunt.*

(h) *Vide Hamm. & Favorin. hic.* (i) *Cicero, Orat.* V *in Verrem, c. ult. Vos omnium rerum forenſium, Legum.... arbitri & teſtes celeberrimo in loco Prætorii locati, Caſtor & Pollux, &c.*

(k) *Perizon. Diſſert. de Prætorio; Cleric. hic, not. ad Hamm.*

(l) *Borner. G. L. Germ. & Clarom. Lat. Hieronymiaſt. alii apud Mill.*

(m) *Chryſoſt.* Διὰ φθόνον, τουτέστι φθονοῦντες τῇ δόξῃ τῇ ἐμῇ, καὶ τῇ ἰσχύϊ, καὶ βουλόμενοί με ἀπολέσθαι, καὶ ἐρεθίζοντές μοι, συμπράττουσιν ἐμοί. (n) Δι' εὐδοκίαν, *Bono animo, libenter; ſeu quòd Chriſtianum dogma probatum haberent. Grot. Chryſ.* Δι' εὐδοκίαν, τουτέστι χωρὶς ὑποκρίσεως, ἀπὸ προθυμίας ἁπάσης. (o) *Chryſ. hic. Eſt. Grot.* (p) Εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ. *Tertull. l.* 5 *contra Marcion. c.* 20: *Sive cauſatione, &c.*

℣. 19. Scio enim, quia hoc mihi proveniet ad ſalutem, per veſtram orationem, & ſubminiſtrationem Spiritûs Jeſu Chriſti,

℣. 20. Secundùm expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar: ſed in omni fiduciâ ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſive per vitam, ſive per mortem.

℣. 21. Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.

℣. 22. Quòd ſi vivere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam, ignoro.

℣. 23. Coarctor autem e duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis meliùs.

℣. 24. Permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.

℣. 25. Et hoc confidens ſcio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum veſtrum, & gaudium fidei:

℣. 26. Ut gratulatio veſtra abundet in Chriſto Jeſu in me, per meum adventum iterum ad vos.

COMMENTARIUS.

Id præſtent, qoid mihi curæ eſt, modò Chriſtus prædicetur? Hoc ipſum ſibi propoſoerint, an peſſimam mentem eâ ſpecie eelent, non quæro; re ipsâ gaudeo.

℣. 19. Scio enim quia hoc mihi proveniet ad salutem, per vestram orationem. Inimicorum ſimultas & invidia pondus non addent vinculis meis, ſed comparandæ mihi libertati ſervient (q). Sive: Hoc ipſo gloria mea, quam illi infirmare conantur, augebitur, meaque prædicando conſtantia confirmabitur. Id eventurum ſpero per orationes veſtras, præſentemque Spiritûs Sancti opem, cujus gratiâ & regar & illuſtrabor.

℣. 20. Secundum expectationem et spem meam (r). Junge cum ſuperioribus: Multum in precibus veſtris pono, ac prorſus futurum confido, ut me inſtruat Deus conſtantiâ prædicandi, & gloriæ Jeſu Chriſto per vincula mea comparandæ, ut hactenus feci, *ſive per vitam, ſive per mortem*; ſive hoſtium iniquitate me opprimi patiatur, ſive in libertatem aſſeri velit, ut ſervitutem ſibi exhibere pergam. Si ſuperſtes fuero, meos illi labores meamque ſervitutem offeram. Sive ex Theodoreto (s): Si ab hoc diſcrimine incolumis evaſero, mirabontur omnes liberatoris potentiam: ſi ſublatus fuero, ſtupebont prædicationis virtutem, quæ prædicatores vel mortis contemptores facit.

℣. 21. Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Vita & mors mihi peræquè lucro ſunt. Si vivo, Chriſto Jeſu inſervio, & debito erga illum fungor officio; ſi morior, ad illum pergo, meique ſanguinis ſacrificium illi offero (t). Aliter: Mortem non timeo, cùm uni Chriſto vivam. Si me ſuperſtitem ipſe voluerit, Evangelii prædicationem obibo: ſi mori permiſerit, ſtatim cœli compos ſiam, omnibusque mundi hujos ærumnis liberabor; ſive, moriens etiam aliquos ad Chriſtum traham. Vertunt alii (u): Mihi Chriſtus eſt lucro: moriar, vivam, unus ipſe me beatum in vitâ ſeu morte poteſt efficere. Prior tamen explicatio & literæ & Græco (x) magis conſentanea eſt.

℣. 22. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est (y). Si ex eo quòd ſuperſtes ſim, illud impetravero, ut miniſterio meo fungar, & gloriæ Dei atque Eccleſiæ commodis ſerviam, *quid eligam ignoro*. Mortem ne an vitam eligam, anceps ſum. Morte quidem malis omnibus liber fio, ac Deo meo gloriam paro: at vitâ inutilis non ſum Dei ſervitiis & gloriæ. Putat S. Chryſoſtomus, Deum in Pauli poteſtate reliquiſſe, vitam ne an mortem eligeret.

℣. 23. Coarctor autem e duobus. Hinc immortalitatis ac beatitudinis deſiderio; hinc veſtræ utilitatis ſollicitudine premor.

Dissolvi, et esse cum Christo. Quid ſignificet Græca vox (z), quæ redditur diſſolvi, carcere corporis liberari, diſputatur. Sunt quibus ſignificare creditur reſolutionem quæ in morte fit, cùm anima ſejungitur a corpore, & corpus exanime in ſaniem ſolvitur. Certant alii, eam vocem ſignificare, *reverti*, redire domum, diſcedere ab hoſpitio, in quo nox acta eſt. Atque hæc mihi quidem vera eſt Textûs ſignificatio (a). Mors, ut ita dicam, diſceſſio viatoris eſt, ex diverſorio domum redeuntis.

℣. 25. Hoc confidens scio quia manebo. Primum hoc diſcrimen reverâ Paulus evaſit, dimiſſusque eſt poſtquam biennio Romæ in vinculis fuit. Proximam libertatem, veluti certâ fiduciâ, animo præſentiebat.

℣. 26 Ut gratulatio vestra abundet in Christo Jesu. Ut ex libertate meâ humillimas

Deo

(q) *Vide Chryſoſt. Eſt. Tir. Men.*

(r) Κατὰ τὴν ἀποκαραδοκίαν καὶ ἐλπίδα μου. *Oecumen.* Ἀποκαραδοκίαν, σφοδρὰν καὶ ἐπιτεταμένην ἐλπίδα, ἥν τις καὶ αὐτὴν ἐπαινῶν τὴν κεφαλὴν δοκεῖ καὶ περισκοπεῖ.

(s) *Theodoret.* Ἐὰν μὲν γὰρ κρείττων γένωμαι τῶν κινδύνων, θαυμάσουσιν ἅπαντες τὸν ἐκ τοιούτων με καὶ τηλικούτων ὀρκύων ἁρπάσαντα· εἰ δὲ καὶ ἀναιρεθείην, ἐκπλαγήσονται τοῦ κηρύγματος τὴν ἰσχὺν, ὅτι καὶ θανάτου καταφρονεῖν παρασκευάζει τοὺς κήρυκας. (t) *Theodoret. Vat. Zanch. Grot.*

(u) *Pagn. Bez. Calv. Gomar.* (x) Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν, Χριστὸς· καὶ τὸ ἀποθανεῖν, κέρδος. *Theodoret.* Ὀνήσιμα μοι ἀμφότερα, καὶ ἡ ζωὴ, καὶ ὁ θάνατος. Καὶ τὴν ζωὴν γὰρ τοῖς τοῦ Χριστοῦ νόμοις διακοσμῶ, καὶ τὸν θάνατον δι' αὐτὸν αἱροῦμαι μεθ' ἡδονῆς.

(y) Τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου, *Id mihi opera pretium eſt. Res admodùm utilis & mihi & Eccleſiæ.*

(z) Τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι. *Tertull. Recipi jam, ſeu, recipi ad Dominum. De patient.* 9; *& l. de ſpectacul. c.* 28. (a) Ἀναλύειν, pro *diſcedere*, *migrare*. Vide *Luc.* xii, 36; *Sap.* i, 1; 2 *Macc.* xii, 7; *Judit*, xiii. *Vide Chryſoſt. Eraſm. Gatak. Vorſt. Zanch. Caſtal. Hamm. Piſc.*

℣. 27. Tantùm dignè Evangelio Chriſti converſamini; ut ſive cùm venero, & videro vos, ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii:

℣. 28. Et in nullo terreamini ab adverſariis; quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc a Deo:

℣. 29. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini;

℣. 30. Idem certamen habentes, quale & vidiſtis in me, & nunc audiſtis de me.

COMMENTARIUS.

Deo grates agatis, ejusque potentiam, quæ me diſcrimini tam manifeſto eripuit, commendetis. Græci Patres (b) aliter accipiunt: Ut ad vos reverſus, inveniam quibus in Chriſto Jeſu glorier, profectu veſtro in Chriſtianâ perfectione ſpectato.

℣. 27. Tantum digna Evangelio Chuisti convarsamini. Vivam, moriar, id vobis curæ non ſit. Unum molimini, ut dignum Evangelio vitæ genus inſtituatis. Chriſtiani dignitatem ne violetis: ita vos gerite, ut laudi ſitis Evangelio. Complures enim videas, qui profeſſioni ſuæ probro ſunt, inimici Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, qui rebus omnino probroſis glorian tur (c).

℣. 28. Et in nullo terreamini ab adversariis, infidelium inſectationibus, calumniis Judæorum, falſorum fratrum criminationibus, hæreticorum pertinaciâ, Pſeudo-Doctorum dolis. Illis quidem exitio futurum eſt, vobis ſaluti; *Et hoc a Deo;* ejusque beneficio veſtræ ſaluti omnia ſerviunt; *quia*, addit ℣. 29, *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* De hujus vitæ perpeſſionibus hoc docet Chriſtiana Religio, ſi tamen illas quaſi ex Deo acceperis, iisque ad æternam ſalutem uſus fueris. Iſtud ex Deo eſt. Boni nihil absque Deo poſſumus; at nihil ille absque nobis facit, inquit Theodoretus (d).

CAPUT II.

Chriſtus Jeſus altiſſimæ humilitatis exemplum. Ejus nomen cæteris præſtantius. Cum timore laborandum eſt ob ſalutem. Timotheus & Epaphroditus commendantur. Epaphroditus Philippos dimittitur.

℣. 1. Si qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritûs, ſi qua viſcera miſerationis,

℣. 2. Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes;

℣. 3. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes;

COMMENTARIUS.

℣. 1. Si qua ergo consolatio in Christo. Si quid benevolentiæ aut miſericordiæ vobis ſuggerit Chriſtus erga amicos ac bene de vobis meritos, utramque erga me exhibete, atque illud efficite, ut abſolutiſſimam inter vos concordiam videam. *Si qua ſocietas ſpiritûs:* ſi quis inter nos ſpiritalis eſt nexus, ex eodem Spiritu ortus, quo omnes afflamur, vel ex charitate qua jungimur, ſive ex ſententiis quas colimus, vel ex uno eodemque Capite cujus membra ſumus. ℣. 2: *Implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes.* Acriùs hortari ad abſolutiſſimam charitatem Philippenſes non potuit Apoſtolus. Quicquid ſanctiſſimum in Religione eſt, quicquid ſuaviſſimum in amicitiâ, quicquid in mutuis officiis æquiſſimum, eo utitur. Noverat ille, quæ ſint in Fidelium ſocietate charitatis & ſpiritalis concordiæ vires.

℣. 3. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Certiſſimos docet ſervandæ concordiæ, vitandarumque ſimultatum ac diſſenſionum modos. Hæ nimirum ex arrogantiâ, litibus, privatis cupiditatibus, ambitione, gloriæ amore proficiſcuntur. Iſthæc vitate, ſtatimque pax ſumma inter vos futura eſt.

In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Singulos unusquisque ſe meliores, perfectiores, obſequio atque æſtimatione digniores arbitretur. Qui verò id fieri præter errorem po-

(b) *Chryſoſt, homil.* 4: Ἵνα τὸ καύχημα ὑμῶν περισσεύῃ. Τουτέστι, ἵνα ἔχω καυχᾶσθαι ἐν ὑμῖν μειζόνως . . . μειζόνως γὰρ ἔχω καυχᾶσθαι, ὑμῶν ἐπιδιδόντων. (c) *Philipp.* III, 19.

(d) *Theodoret*, Διδάσκων ὡς αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν γνώμη, γεγυμνωμένη τῆς χάριτος, οὐδὲν δύναται κατορθῶσαι τῶν ἀγαθῶν. Ἀμφοτέρων γὰρ χρεία καὶ τῆς ἡμετέρας προθυμίας, καὶ τῆς θείας ἐπικουρίας.

℣. 4. Non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum.
℣. 5. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu,
℣. 6. Qui cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:
℣. 7. Sed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

COMMENTARIUS.

poteſt? An ſapiens quiſquam, virtutem colens, ſeſe minùs ſanctum ex animo cenſeat, quàm qui flagitia, ignorantiam, vitia ſectatur? I, Potes quidem aliquâ in re cæteris præſtare: at ſuadere debet humilitas, te aliis vitiis implicari, quibus inferior ſis iis, quos in reliquis ſuperas. II, Non agitur hîc de exteriori hominum præſtantiâ, quæ minimi a Deo æſtimatur, puta de generis nobilitate, muneribus, ſcientiâ, eloquentiâ; ſed de interioribus ac ſpiritalibus ornamentis, quorum æquus judex unus eſt Deus, Si verè humilis es, ac latentibus animi vitiis dignoſcendis ſtudes, fieri non poteſt, quin te ipſum minimi facias, teque omnium viliſſimum exiſtimes *(a)*. III, Judicium, quo cæteros te præſtantiores putas, certum abſolutumque non eſt, ſed dubium incertumque *(b)*. Hic vitiis quibusdam implicatur, quibus ego Dei beneficio vaco; at quàm multis ego detineor, quibus ille caret? Video ego illius vitia: meorum oblivíſci non debeo, IV, ſi te ipſe inſpexeris, a ſupernâ Dei ope ſejunctum, diffiteri non potes, nihil tibi eſſe præter corruptelam, peccatum, mendacium; quamobrem cui unquam te præferas? Quidquam ne eſt, peccatum, aut vitium, quod ipſe patrare nequeas *(c)*? V denique unusquisque dicere veriſſimè poteſt, ſingulos fratrum in ſalutis negotio ſe eſſe præſtantiores, itaut ſeſe illis ſubjiciat, illis obſequium præſtet, ſibique præponat, quantum Dei gloria eorumque ſalus poſtulant.

℣. 4. Non quæ sua sunt singuli considerantes. Rerum noſtrarum amor & ſtudium plerumque origo ſunt litium & ſimultatum. Unum porrò neceſſarium negotium agnoſcit Chriſtiana Religio, Dei gloriam, noſtramque ſalutem. Huic uni omnia concedere par eſt, Sunt qui hanc ſententiam ita interpretentur: Suas unusquisque laudes ne intueatur, ſed cæterorum, ut humilitas abſoluta ſervetur *(d)*.

℣. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Duplex eſt loci hujus explicatio: I, Eam erga fratres charitatem imitamini, quam Chriſtus Jeſus erga vos exercuit, cùm humanam carnem veſtræ ſalutis causâ induit *(e)*; qui relicto, ut ita dicam, Patris ſinu, & gloriâ qua fulgebat, naturam humanam & ſervi formam aſſumpſit. II, Humilitatem colite & patientiam, qualem toto mortalis vitæ curriculo Chriſtus exercuit *(f)*, qui dum vixit, omnium viliſſimus apparuit, ſervi formam & naturam gerens, & usque ad mortem in cruce obitam obediens,

℣. 6. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, Qui cùm Dei imago foret, nihil a ſe iniquè uſurpari cenſuit, quòd ſeſe Deo æqualem faceret. Cùm ait Paulus, Chriſtum Jeſum eſſe Dei formam & imaginem, minimè intelligit imaginem re vacuam, cui una eſſet ſpecies & ſimilitudo, præter ſubſtantiam & naturam, Verus eſt Deus Chriſtus Jeſus, Patri conſubſtantialis & coæternus *(g)*. Neque deſiit eſſe Deus, cùm in Virginis uterum deſcendit; neque ſuam ipſe naturam, gloriam, infinitam poteſtatem exuit, aut Patris dexteram ſinumque deſeruit. Hominis naturam formamque aſſumpſit, minimè relictâ divinâ. Verbi Divinitatem tam ſæpe aſſeruit Apoſtolus, ut illam hîc infirmare cenſendus non ſit. Alibi Filium nominat *imaginem & ſplendorem gloriæ Patris (h)*. Porrò his locutionibus aptiſſimè ſignificatur Filii gloria, cum Patre ſimilitudo, æqualitas, conſubſtantialitas. Eadem radio natura eſt ac lucido corpori. Eſſentialis & ſubſtantialis rei imago, res ipſa eſt. Chriſtus Jeſus Patris imago & ſimilitudo eſt, a Patre nec aliena, nec ſejuncta.

Cùm igitur talis eſſet Chriſtus, qualem diximus, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo (i)*, Suâ ipſe naturâ ſe Deo æqualem agnovit; neque eam æqualitatem cenſuit alienæ rei uſurpationem: poterat ille a cœleſti ſede non diſcedere, aut ſub ſervi formâ ſeſe hominibus non exhibere; ſe ipſe demiſit, ut hominum naturam aſſumeret: neque ea fuit uſurpationis & arrogantiæ pœna: ſponte deſcendit, ſponte ſe ipſe demiſit, Luciferi & primi hominis lapſum hoc loco ſpectat Apoſtolus *(k)*: uterque ſcilicet in ſtatum longè deteriorem ruit; idque ſuperbiæ pœnâ, quòd indebitam ſibi Dei gloriam uſurpare conati fuerint. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero Altiſſimo*, ajebat Lucifer *(l)*, Et Diabolus Adamum atque Evam alloquens *(m)*; *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.*

Interrogante Pilato, ipſe ne Rex eſſet, Chriſtus conſtantiſſimè reſpondit *(n)*: *Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Quaſi diceret: Jure meo utor, cùm Regem me nomino; neque quidquam uſurpo aut ſurripio. Et in Actis *(o)* cùm quidam Romanorum Tribunus Paulo dixiſſet, magno emptam a ſe Romanam civitatem, reſpondit Paulus: *Ego autem & natus ſum* civis: non pecuniâ, ſed ortu & genere, Eodem modo hîc Chriſtus dignitatem Filii Dei & Patri æqualis non rapuit neque uſurpavit, ſed ſuâ ipſe naturâ obtinet *(p)*: minimè ſimilis falſis iis Numinibus, quibus Divinitas naturâ non eſt *(q)*, ſed uſurpatione & hominum errore.

℣. 7. Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, Chriſtus Jeſus, humanâ ſe carne in-

(a) *Vide Aug. lib. 83 QQ. quæſt. 71; & de ſanctâ virgin. c. 43; Greg. Mag. homil. 10 in Ezech.* (b) *Eſt. hic, Zanch.* (c) *Aug. ſerm. 254 nov. Edit. n. 7; & ſerm. 257, n. 2, &c.* (d) *Zanchius hic*, (e) *Vide Theodoret. hic; & ad ℣. 6. Vide & Chryſ. & Theophyl. alios.* (f) *Ambroſiaſt. Eraſm. &c.* (g) *Ita Patres omnes, & Interpretes plerique.* (h) *Coloſſ. 1, 15: Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Heb. 1, 3: Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* (i) Οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. *Chryſ.* Οὐχ ἥρπασε τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, (k) *Eſt. Zanch. Gemar.* (l) *Iſai. xiv, 14.* (m) *Geneſ. iii, 5.* (n) *Joan. xviii, 37.* (o) *Act. xxii, 28.* (p) *Theophyl.* Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐφοβήθη καταβῆναι τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, διὰ ὃ οὐκ εἶχεν ἐξ ἁρπαγῆς, ἀλλὰ φυσικὸν αὐτοῦ ἀξίωμα τοῦτο ἐγίνωσκε, (q) *Galat. iv, 8:* Τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς.

℣. 8. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℣. 9. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen:

℣. 10. Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum:

℣. 11. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.

COMMENTARIUS.

induens, ad nihilum quodammodo ſeſe redegit, in conditionem ſcilicet humillimam, obſcuriſſimam, deſpectiſſimam, luctuoſiſſimam, præſertim cum gloriâ, majeſtate, dignitate, quibus in Cœlo fruebatur, comparatam. Primam ille quidem conditionem nunquam deſeruit; humanam quippe carnem aſſumens, Deus eſſe non deſiit; ſed ita ſe nobis exhibuit, quaſi in nihilum redactus fuerit; ſive ex Græcæ vocis vi (r), *ſemetipſum exinanivit*, exhauſit, pauperem reddidit, ſpoliavit, *formam ſervi accipiens*.

Poſtremis hiſce vocibus male abuti quis poſſet, atque ita uſurpare, quaſi hominis formam, non naturam Chriſtus acceperit: at ille ipſam reverâ ſervi naturam, infirmitatem, notas aſſumpſit. *Forma* hic, uti ſuperiore membro, rei non opponitur: res ipſa eſt cum formâ & adjunctis ex naturâ profectis. Jeſus Chriſtus naturæ humanæ per hypoſtaſim conjunctus eſt, ut ſimul nexis divinitate & humanitate unam perſonam efficeret. Potuit ille ex locuplete familiâ ortum eligere: at *formam ſervi* prætulit, maluitque in obſcurâ, inope, deſpectâque hominibus familiâ cenſeri. Homo inter homines apparuit, *habitu inventus ut homo*: divinam naturam quodammodò exinanivit, dum ſub hominis naturâ occuluit: & quamvis homo eſſet & Deus, quidquid foris prodebatur, hominem indicabat: *Habitu inventus ut homo*.

℣. 8. HUMILIAVIT SEMETIPSUM, FACTUS OBEDIENS USQUE AD MORTEM. Dum Chriſti demiſſionem, perpeſſiones, dejectionem in hominum æſtimatione perſequitur Apoſtolus, nunquam negligit animadvertere, has illum ſponte ſubiiſſe. Obtemperavit ille non Patri modò, verùm etiam hominibus, Joſepho & Mariæ: *Et erat ſubditus illis* (s); ſæculi Principibus, quibus capitis cenſum exhibuit (t), Judicibus, carnificibusque, & ad mortem usque, mortem quidem cruciatûs & probri plenam, ſupplicium ſervis decretum. Viliſſimorum mancipiorum ſupplicium fuiſſe crucem, nemo ignorat (u).

℣. 9. PROPTER QUOD ET DEUS EXALTAVIT ILLUM, ET DONAVIT ILLI NOMEN, QUOD EST SUPER OMNE NOMEN. In præmium demiſſionis, atque obedientiæ Patri præſtitæ, atque ad reparationem injuriæ, qua ſe ipſe, in ſervi formam & naturam tranſiens, quodammodò ſponte affecit, illum Deus Pater ſuper omnia evexit, donavitque *nomine*, gloriâ ſcilicet (x), æſtimatione, dignitate, rebus quibuslibet nobiliſſimis, ampliſſimis, glorioſiſſimis, ſuperiore: ſive, Dei nomen (y) illi dedit, Servatoris, atque Judicis vivorum & mortuorum; quæ quidem dignitas longè præſtantior eſt quolibet ornamento, quo fulgere potuiſſet, ſi inter homines gloriæ & majeſtatis plenus apparuiſſet.

Cùm legis, iſtum ſplendorem præmium fuiſſe demiſſionis Chriſti, illud ne ſubeat, eum antea illo caruiſſe, aut indignum fuiſſe. Qua Deus, nomen profectò obtinebat quovis nomine illuſtrius. At iſtud nimis illi, ſi dicere fas eſt, debebatur: promereri voluit, novumque amplitudini ſuæ titulum eo nomine adjicere: eùmque augeri ejus amplitudo non poſſet, ſe ipſe ſponte demiſit, ut novum gloriæ incrementum, ſi fieri poſſet, ſibi compararet. Præterea, ſi ex eo creſcit gloria & dignitas, quòd quis gloriam ac dignitatem cum multis communicet; profectò Dei Filius infinitum gloriæ incrementum promeruit, quòd hominum naturam cum Divinâ conjunctam ſuper omnia evexerit, & gloriam omnium ampliſſimam ſingulis hominibus comparaverit. Quamobrem ſapientiſſima illius humilitas modum invênit, quo aliquid, ſi dicere fas eſt, infinitæ gloriæ ſuæ adjiceret, atque Hominem-Deum ſupra Verbum-Deum collocaret.

℣. 10. UT IN NOMINE JESU OMNE GENU FLECTATUR, COELESTIUM, Angelorum Beatorumque, TERRESTRIUM, viventium hominum, ET INFERNORUM, mortuorum (z), ipſorumque Dæmonum ac damnatorum (a): omnes denique creatæ res, ubicumque aut quæcumque illæ fuerint, ſupremam Jeſu Chriſti Dei Hominisque majeſtatem revereantur; ſive ſpontaneo liberoque cultu, ut Angeli & Beati Cœlo fruentes, ii quoque qui in purgatorio igne beatitudinem præſtolantur, homines denique in terris ſuperſtites qui Deum & novere & amant; ſive coacto obſequio, uti Dæmones in aëre, in terris, in inferis verſantes; damnati & impii ſuperſtites, qui ejus nomen nunc quidem convitiis proſcindunt, ſed supremâ Judicii die illum uti Deum Judicemque agnoſcere atque adorare cogentur.

℣. 11. ET OMNIS LINGUA CONFITEATUR, &c. Omnes terrarum populi (b), cujuslibet linguæ & gentis, ſupremâ Judicii die fatebuntur, Chriſtum Jeſum Cœleſtis Patris dexteræ aſſidere, ipſumque æquiſſimum eſſe viventium ac mortuorum Judicem, piorumque & impiorum. Vel, *omnis lingua*, creatæ res omnes in Cœlo, terrâque, & in inferis (c), fatebuntur, Chriſtum Jeſum, Deum Hominemque, reverâ in Cœlis eſſe, rebus omnibus ſuperiorem, fruentemque gloriâ tum quæ illi uti Deo debetur, tum quam ſibi ipſe demiſſione perpeſſionibusque promeruit.

℣. 12. ITA-

(r) Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε. (s) *Luc.* II, 51. (t) *Matt.* XVII, 24. (u) *Vide Grot. hic. Appian.* Ἐκρεμάσθησαν ὅσοι θεράποντες ἦσαν. *Et ſervus apud Plaut. Scio ego crucem fore mihi ſepulcrum.*

(x) *Vide Deut.* XXVI, 19; *Sophon.* III, 19, 20; *Ezec.* XXXIV, 19; *Jerem.* XIII, 11; XXXII, 20; XXXIII, 9, *&c. Vide & Epheſ.* I, 21. (y) *Chryſ. Theophyl. Theod. Aug. Eſt. Zanch. Men. Vide Heb.* I, 4: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditavit.*

(z) *Theodoret. Gemar. Zanch. Menoch.* (a) *Chryſoſt. Eſt. Men. Tir. Gemar. alii.*

(b) *Theod.* Πᾶσα γλῶσσα, ἀντὶ τοῦ, πάντα τὰ ἔθνη. *Ita Zanch.*

(c) *Eſt. Grot. Men. Tir. Gem. Zanch.*

℣. 12. Itaque, chariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis) non ut in præſentiâ mei tantùm, ſed multo magis nunc in abſentiâ meâ, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.

℣. 13. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate.

℣. 14. Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus:

℣. 15. Ut ſitis ſine querelâ, & ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo,

℣. 16. Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

COMMENTARIUS.

℣. 12. Itaque (sicut semper obedistis)... cum metu et tremore vestram salutem operamini. Cùm mihi tum abſenti cùm præſenti abſolutiſſimè obtemperaveritis, obteſtor vos, ut Jeſu Chriſti exemplo mihi abſenti, magis etiam quàm olim præſenti, obediatis, cùm gravius nunc diſcrimen ſit, infirmiusque auxilium. Magis obnoxii nunc eſtis hoſtibus, deceptoribus, falſis fratribus. Quamobrem *cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Timete, ſed præter animi imbecillitatem ac deſperationem: formidate, at ne dejiciamini. Deum veremini, in eoque ſpem collocate. Dei juſtitiam metuite, & miſericordiam implorate: vobis ipſi ne fidite, imbecillitatem veſtram agnoſcite; ſed omnia ex Dei ope & auxilio præſtolamini. Ita laborate, quaſi omnia ex labore veſtro ſitis accepturi; ita orate, quaſi omnia ex Dei gratiâ pendeant. Cautos æquè adversùs arrogantiam & diffidentiam vos exhibete.

℣. 13. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere. Si animo ſatis impreſſum geritis, vos Divinâ ope nunquam non indigere, ſaluti veſtræ cum metu ac formidine conſuletis; Deus enim efficaci gratiæ ſuæ virtute in nobis efficit voluntatem præſtandi ea, quæ ſaluti ſerviunt; eademque gratia bonum ipſum in nobis efficit. *Nos ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle: nos ergo operamur, ſed Deus in nobis operatur & operari (d)*. Quo autem pacto hæc in nobis efficit Deus? Nimirum (e) *per adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ, per inſpirationem flagrantiſſimæ & luminoſiſſimæ charitatis*. Cùm igitur auxilium ad volendum a Deo poſtulamus, *quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat (f)*?

Liberum voluntatis arbitrium in nobis non deſtruit Deus, cùm per gratiam agit, ſed ſanat ac perficit (g): *Hæc autem voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior; tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior*. Quamobrem cùm, duce Apoſtolo, dicimus, Deum *operari in vobis velle*, illud non ſignificamus, nullam eſſe in bono opere voluntatis actionem. Voluntatis motum erga bonum prævenit gratia; voluntas gratiam ſequitur, & in bonum cooperatur (h). Bonum opus & ſimul Dei donum eſt, & actio meriti capax, ab homine præſtita, præveniente gratiâ & auxiliante. Poteſt homo vocanti atque invitanti reſiſtere. Ut velis non facit Deus, ſi ipſe nolis, ait S. Chryſoſtomus (i); at ſi velis, bonam voluntatem ipſe largitur & auget; atque ex S. Auguſtino, Deus gratiæ ſuæ viribus bonam homini voluntatem largitur, *ex nolentibus facit volentes, ex repugnantibus conſentientes*.

℣. 14. Omnia autem facite sine murmurationibus. Abſolutiſſimam erga Præfectus ſubjectionem, erga fratres charitatem colite. Ita omnem de Deo ſtatutiſque a Deo Præſidibus queſtum, omnia in fratres jurgia vitabitis. Hæc autem peccata ex ſuperbiâ & charitatis defectu proficiſcuntur.

℣. 15. Ut sitis sine querela et simplices. Græcus ad verbum (k): *Ut ſitis ii de quibus nemo queri poſſit, ſimplices, inculpati*; vitæ genus ducentes nullâ reprehenſione dignum, labe carens, integrum, ſimplicitatis & æquitatis plenum: ſimplices ut columbæ, inculpati ceu Filii Dei; *ceu ſidera* fulgidi inter Gentiles; ſive *ut faces (l)* in tenebris.

℣. 16. Verbum vitæ continentes, præferentes. Pergit in allegoriâ luminarium: Dei verbum præferte, in mundo micans, ſeſeque in rebus per vos geſtis prodens, ut in atrâ nocte fax nitet (m). Vertit Theodoretus (n): *Animum advertentes ad verbum vitæ*. Studium omne convertite ad verbum vitæ ac prædicationem, ex quibus animæ vita oritura eſt, meaque gloria, qua die adfuturus ſum coram Deo, ceu dignorum Chriſto Diſcipulorum, hominumque ejus præceptia

(d) *Aug. de dono perſever. c. 33.*
(e) *Aug. de gratiâ Chriſti, contra Pelag. & Celeſt. c. 35, n. 38.*
(f) *Aug. l. 2 de peccatorum meritis, c. 19.*
(g) *Aug. Ep. 557. n. 8.*
(h) *Vide Theophyl. hic*: Ἂν γὰρ προσέχῃς, ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐργάζεται. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ καὶ προθυμίαν διδοὺς ἡμῖν, ὥστε θέλειν τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὴν ἐργασίαν αὐτοῦ εἰς τέλος ἄγων. Ἐνεργεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν τὸ θέλειν. Τουτέστι συνεργεῖ ἡμῖν πρὸς τὸ θέλειν τὰ ἀγαθὰ, καὶ αὔξει τὸ ἀγαθὸν θέλημα ἡμῶν, καὶ ἐκκαίει ὥστε θερμότερον γενέσθαι.
(i) *Chryſoſt. hic*: Ἂν θελήσῃς, τότε ἐνεργήσει τὸ θέλειν. Μὴ φοβηθῇς, καὶ οὐδὲν κάμνῃς, καὶ προθυμίαν ἂν δὲ ἡμῖν δίδωσι καὶ ἐργασίαν. Ὅταν γὰρ θελήσωμεν, αὔξει τὸ θέλειν ἡμῶν λοιπόν.
(k) Ἄμεμπτοι, καὶ ἀκέραιοι, ... ἀμώμητοι.
(l) Ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες.
(m) Λόγον ζωῆς ἐπέχοντες. *Vide Grot. Eſt. Zanch. Gomar. Eraſm. alios. Vide & Theophyl. hic.*
(n) *Theodoret.* Τὸ δὲ λόγον ἐπέχοντες, ἀντὶ τοῦ, τῷ λόγῳ προσέχοντες, οὕτω γὰρ καὶ Τιμοθέῳ γράφων ἔφη. Ἔπεχε σεαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, ἀντὶ τοῦ, πρόσεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ.

℣. 17. Sed & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

℣. 18. Idipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.

℣. 19. Spero autem in Domino Jeſu, Timotheum me citò mittere ad vos; ut & ego bono animo ſim, cognitis quæ circa vos ſunt.

℣. 20. Neminem enim habeo tam unanimem, qui ſincerâ affectione pro vobis ſolicitus ſit.

℣. 21. Omnes enim, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Jeſu Chriſti.

℣. 22. Experimentum autem ejus cognoſcite, quia ſicut patri filius, mecum ſervivit in Evangelio.

℣. 23. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos mox ut videro quæ circa me ſunt.

℣. 24. Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.

COMMENTARIUS.

ptis morigerorum Magiſter.

℣. 17. Sed et si immolor super sacrificium, &c. Græcus (o): *Tametſi futurus eſſem ceu victima jam vino conſperſa ut mactetur*, & mactandus eſſem *ob fidei veſtræ ſacrificium, gaudeo*. Aliter: *Tametſi eſſem libatio, inſpergenda ſacrificio & victimæ fidei veſtræ, beatum me prædicarem*. Σπένδεσθαι Græcè eſt vinum ſeu maſſam ſale mixtam infundere victimæ mox mactandæ, ſive jam mactatæ, atque altari impoſitæ. Putat Grotius, primum libationis genus ſpectari ab Apoſtolo ad Timotheum (p) iis verbis, *Ego jam delibor*; hîc verò ſecundam vini effuſionem, quæ ſola in uſu erat apud Hebræos. Necem ſuam ceu ſacrificium ſpectat, fidemque Philippenſium ut victimam ſuo cruore aſpergendam, ut nihil oblationi deſit (q).

℣. 18. Id ipsum et vos gaudete. Necem Jeſu Chriſti cauſâ non ſubiit Paulus in priore hoc Romano itinere; at ex uſurpatâ locutione colligere eſt, quantoperè illam optaret. Ait nedum dolendum non eſſe Philippenſibus, quòd ipſum odiis mortiſque periculis obnoxium cernerent, verùm etiam gaudendum, cùm ipſius cruor futurus quodammodo eſſet ſuprema ſacrificii ipſorum perfectio.

℣. 19. Spero Timotheum me cito mittere. Epaphroditum eo tempore Philippos remittebat cum Epiſtolâ, quamprimùm miſſurus Timotheum, ut ſibi res Eccleſiæ Philippenſium renunciaret. Utrùm id egerit, ignoratur: carere non poterat Timotheo, dum in vinculis erat. At hunc reverâ miſſum eſſe Philippos, eumdemque in eâ urbe in vincolis fuiſſe, ex eo colligitur, quòd anno conſequente, Chriſti LXIII, quo anno Paulus Epiſtolam ad Hebræos dedit (r), cum Apoſtolo non eſſet.

℣. 20. Neminem habeo tam unanimem, &c. En nobiliſſimam Timothei laudem: una illi erat cum Apoſtolo mens, animus, conſilium (s): *Unanimem*. Addit, neminem eſſe, cui res Philippenſium magis cordi eſſent, quàm Timotheo. Eam Eccleſiam optimè norat Timotheus, cùm ibi non ſemel fuerit, ſummo obſequio exceptus. Græcus (t): Mittam Timotheum (neminem enim habeo tam unanimem) *qui ex animo & ſincerè quæ veſtra ſunt curabit*. Is magnoperè vos amat, veſtraſque res, negotia ſcilicet ſaluti veſtræ conducentia, procurat.

℣. 21. Omnes enim quæ sua sunt quærunt. Talis non eſt Timotheus, quales plerique, qui ſuis tantùm commodis ſtudent in Evangelii prædicatione: minimè ſimilis pſeudo-Apoſtolis, temporalis dumtaxat lucri cauſâ prædicationem exercentibus: veſtram ille inſtitutionem, ſanctificationem, ſalutem cupit.

℣. 22. Experimentum ejus cognoscite. Quis ille ſit, ab experimentis diſcite: neque verbis meis, ſed rebus credite. Me ſcilicet in Evangelicis laboribus uti patrem filius ſecutus eſt, cum obſequio, obedientiâ, charitate, amicitiâ.

℣. 23. Mox ut videro quæ circa me sunt: mox ut rebus meis conſuluero: ubi aliquod meæ libertatis initium, & aliquem rerum mearum exitum videro (u). Timotheo carere non poterat Paulus, dum vitæ neciſque incertus erat: dum in vinculis fuit Paulus, rerum illius curam geſſit Timotheus.

℣. 24. Confido in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. Reverâ poſt biennium, anno Chriſti LXIV, Paulus ad Philippenſes profectus eſt, ſed peragratis priùs Cretâ Inſulâ, Judæâ, Epheſo, & fortaſſe Hiſpaniâ. In Macedoniâ fuiſſe creditur (x), quo tempore primam dedit ad Timotheum Epiſtolam.

(o) Ἀλλ' εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν.

(p) 2 *Timot.* iv, 6: Ἤδη σπένδομαι. Vide nos in hunc locum. De veritate animadverſionis Grotii dubito.

(q) *Vide Ambroſiaſt. Theophyl. Oecumen. Eſt. Grot. Eraſm. Zanch. alios.*

(r) Tillemont, S. Timot. n. 4, S. Paul, note 67.

(s) Ἰσόψυχον, *pari animo præditum*.

(t) Ὅστις γνησίως τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει.

(u) Ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ, ἐξαυτῆς. *Chryſ.* Ἐν τίνι ἕστηκα, καὶ ποῖον ἔχει τέλος τὰ κατ' ἐμέ. *Theodoret.* Ἐὰν τέλεον λάβῃ λύσιν τὰ δυσχερῆ. (x) *Athanaſ. in Synopſi; Theodoret. prolog. in Rom. p.* 4; Tillemont, S. Paul, art. 47.

℣. 25. Neceſſarium autem exiſtimavi, Epaphroditum fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ, mittere ad vos:

℣. 26. Quoniam quidem omnes vos deſiderabat; & mœſtus erat propterea quòd audieratis illum infirmatum.

℣. 27. Nam & infirmatus eſt usque ad mortem: ſed Deus miſertus eſt ejus; non ſolùm autem ejus, verùm etiam & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem.

℣. 28. Feſtinantiùs ergo miſi illum, ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitiâ ſim.

℣. 29. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote.

℣. 30. Quoniam propter opus Chriſti usque ad mortem acceſſit, tradens animam ſuam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

COMMENTARIUS.

℣. 25. NECESSARIUM AUTEM EXISTIMAVI EPAPHRODITUM ... MITTERE AD VOS. Omnino viſum eſt, Epaphroditum ad vos mittere ſolatii veſtri causâ, ut rerum mearum ſtatum vobis renunciet; cùm præſertim Timotheus penès me ſit, & ego Epaphrodito carere queam. Hunc jam vidimus a Philippenſibus miſſum ad Apoſtolum, ut pecunias ad illum deferret (y), illique in vinculis detento operam navaret (z); quo munere tam ſtudioſè functus eſt, ut gravem morbum retulerit (a), ob quem Romæ diu morari coactus eſt. Audito Epaphroditi morbo, vehementer doluere Philippenſes; quamobrem, vix ille convaluit, ſtatim eum in Macedoniam remiſit, ut Philippenſium ſollicitudinem tum de ſe tum de Epaphrodito ſedaret.

Ex Pauli verbis collegere nonnulli (b), Epaphroditum fuiſſe Philippenſium Epiſcopum: *Epaphroditum, fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ.* Apoſtoli appellatio Epaphrodito ex eo non convenit, quòd Evangelium Philippenſibus primus attulerit; igitur ut Epiſcopo. Illum Græci inter duos & ſeptuaginta Diſcipulos numerant, & Adriaci, ſeu Andraci Epiſcopum faciunt. In quadam oratione, Metaphraſtæ adſcriptâ, inſtitutus dicitur a Petro Apoſtolo Epiſcopus Anxuris in Campaniâ Romanâ (c). Si Epiſcopus fuit Epaphroditus, omnino Philippenſium potiùs, quàm Anxuris: at utrumque incertum eſt, cùm Græca vox *Apoſtolos* (d) legatum ſignificet, eum præſertim, qui collectas pecunias vel munera deferret ad Eccleſias; atque ita hoc loco ab optimis Interpretibus uſurpatur. Eumdem putat Grotius atque *Epaphram*, de quo ad Coloſſenſes (e). At Epaphras Romæ ſocius erat vinculorum Pauli (f); id quod de Epaphrodito dici non poſſe exiſtimo.

℣. 26. ET MOESTUS ERAT PROPTER QUOD AUDIERATIS ILLUM INFIRMATUM. Ex minimis hiſce rebus, quarum Paulus in Epiſtolis meminit, mirum quantopere eluceat, quæ olim fuerit primorum Fidelium concordia. Vix intelligunt Philippenſes, Apoſtolum Romæ in vinculis eſſe, ſtatim a remotiſſimis Macedoniæ partibus hominem delegant, ut operam illi navet, & pecunias deferat. Hic in morbum incidit: ſtatim univerſæ Philippenſium Eccleſiæ ſollicitudo. Hanc audit Epaphroditus, animoque angitur, dum illos reviſat, confirmet, conſoletur. Paulus, quamvis utilis ſibi eſſet opera Epaphroditi, illum ad Philippenſes mittit, ut amborum animis tranquillitatem reſtituat.

℣. 27. INFIRMATUS EST USQUE AD MORTEM. Tam gravis erat Epaphroditi morbus, ut deploratus haberetur; at illum Deus incolumem reſtituit, *ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem*; mœrensque illius morbo, novo mœrore opprimerer, ſi is apud me decederet (g). Sive, ne mœror quo in vinculis crucior, chariſſimi capitis amiſſione cumularetur (h). Quamvis enim mira eſſet Apoſtoli conſtantia, divinitus confirmata, facere non poterat, quin & carceris & mortis amicorum dolorem experiretur. Sunt qui cenſeant, Epaphroditi incolumitatem precibus Apoſtoli fuiſſe impetratam, quamvis id modeſtè diſſimulet Apoſtolus.

℣. 28. UT ET VOS GAUDEATIS, ET EGO SINE TRISTITIA SIM. Græcus (i): *Et ego magis vacem dolore*, vel ſollicitudine. Mœrore veſtro magis afficior, quàm diſceſſu Epaphroditi.

℣. 29. EJUSMODI CUM HONORE HABETOTE. Hujusmodi vir, qualis Epaphroditus, honore dignus eſt & obſequio: tametſi enim Philippenſium Epiſcopus non fuerit, illum charitas, fervor animi, labores magnoperè commendabant. *Honor* hoc loco præmium ſignificare poteſt (k). Dignus eſt, cujus laborum atque itineris periculorum rationem habeatis.

℣. 30. QUONIAM PROPTER OPUS CHRISTI, USQUE AD MORTEM ACCESSIT, ob longum & laborioſum iter, operamque mihi navatam eo ſtudio eâque ſollicitudine, quæ mortem illi penè attulerunt: idque præſtitit, ut Jeſu Chriſto & Evangelii progreſſibus ſerviret; cùm putaverit, me prædicationi Evangelicæ adhuc utilem fore, meique

(y) *Philipp.* IV, 18. (z) *Philipp.* II, 30. *Chryſoſt.* p. 87.
(a) *Philipp.* II, 26. (b) *Theodoret. hic, & prolog. in Philipp. Bacon. Hamm. Tir. Eſt. alii.*
(c) *Vide Bolland.* 22 *Martii*; Tillemont, not. 65 ſur S. Paul. (d) Ἀπόστολος, שלוח *Grot. ex Ignatio*: θεόδρομον, ἱεροπομπόν. *Vide Zanch. Eſt. Bez. Pagn. Piſc. Vorſt. alios.*
(e) *Coloſſ.* I, 7; IV, 12. (f) *Philemon.* ℣. 23: *Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu.*
(g) *Chryſ.* Ἵνα μὴ λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ. Τὴν ἀπὸ τῆς τελευτῆς, ἐπὶ τῇ διὰ τὴν ἀῤῥωστίαν γινομένῃ. (h) *Vide Eſt. Zanch.* (i) Κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ. (k) *Confer* 1 *Timot.* V, 17. *Vide Eſt. Grot.*

que curam geſſerit ceu Miniſtri Domini; neque tam ipſum me, quàm operum meam Eccleſiæ utilem ſpectaverit.

TRADENS ANIMAM SUAM, vitam diſcrimini objiciens, ut obſequium, quod ipſi ob locorum diſtantiam non poteratis, ipſe præſtaret. Major Græcæ locutioni vis (l). *Spretâ animâ ſuâ*, nullâ vitæ ratione habitâ. Sive: *Vitam objectans periculo*, nullo metu. Vetus Interpres Latinus reddiderat: *Parabolatus eſt de animâ ſuâ*. Nam & Latinè *parabolani* dicuntur, qui cum vitæ periculo ægrotis adſunt. Et apud Ariſtophanem (m) *parabolos* appellatur is, qui cæco impetu in diſcrimen ruit (n). Cenſet Theodoretus (o), Paulo in carcere arctiùs clauſo, Epaphroditum nullo ſeu cuſtodum ſeu Cæſaris metu extremum ſubiiſſe diſcrimen, ipſumque in carcere viſitaſſe. Apoſtolus fortè dies aliquot in carcere detentus fuit, antequam ad Neronem produceretur: at omnino præter dubium eſt, ipſo ſtatim initio factam illi fuiſſe poteſtatem, ut in conductâ domo moraretur, alligatus tamen militi ſe ubique comitanti & cuſtodienti. Vide *Act.* xxviii, 16, 30.

C A P U T III.

Pſeudo-Apoſtoli. Vera Chriſtianæ Religionis præſtantia ſupra Legem. Paulus Philippenſes ad ſui imitationem hortatur; acriterque in pſeudo-Apoſtolos invehitur.

℣. 1. DE cætero, fratres mei, gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.

℣. 2. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. GAUDETE IN DOMINO. Pauli vinculis & inſectationibus, morboque Epaphroditi doluerant Philippenſes: illos igitur ſolatus quod ad iſta Apoſtolus, teſtatuſque ſibi quidem præclarum fore, ſi vitam Evangelii causâ amitteret, ac ſperare ſe a Deo aliquandiu ſervatum iri, vincula ſua Evangelio non nocuiſſe, Epaphroditum nedum convaluiſſe, verùm etiam penitus eſſe incolumem, ſubdit: *Gaudete in Domino*, gratias de beneficiis Deo agite, omnem in illo fiduciam collocate deque noſtris ærumnis minimè ſolliciti, gaudete magis, atque in Domino iis gloriamini.

EADEM SCRIBERE VOBIS, MIHI QUIDEM NON PIGRUM (non grave), VOBIS AUTEM NECESSARIUM. Græcus (a): *Eadem ſcribere vobis me quidem non piget, vobis autem tutum eſt*: omnino id facere debui, ut vos confirmem, atque adversùs pſeudo-Apoſtolos muniam. *Etiam aperta monſtrare plurimùm prodeſt; interdum enim ſcimus, nec attendimus*, ait Seneca (b). Cave tamen colligas, Paulum iſta vel ſuperiore aliâ, vel hac ipsâ Epiſtolâ ſcripſiſſe: illud enim ſolummodo vult, ſibi grave non eſſe eadem repetere, quæ præſens docuit (c); ſive, minimè vereri ſe eadem iterum dicere, ubi de ipſorum inſtitutione agitur. Videtur hîc Apoſtolus, inquit Grotius, finire Epiſtolam voluiſſe; ſed poſtea cùm temporis aliquid accepiſſet, addidiſſe ea quæ ſequuntur.

℣. 2. VIDETE CANES. Cavete canes. Pſeudo-Apoſtolos innuit, Judæos genere, qui nomina Chriſto dederant, at res Chriſtianæ Religionis non ſatis edocti, ajebant, Gentiles ad Chriſti ſacra tranſeuntes, ſubjici debere Circumciſioni cæteriſque Legis obſervationibus. Hos nuncupat *canes*, ob impudentiam & aſſidua in Legalium deſertores convicia; ſive ob pertinacem in veros Chriſti Apoſtolos, præſertim verò Paulum, acerrimum omnium Evangelicæ libertatis defenſorem, maledicentiam. *Canes* appellaverat Chriſtus Gentiles (d): *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; hic Paulus Judæos pertinaces, & Evangelio adverſantes. Rabidi canes & clam mordentes Ignatio Martyri (e) ſunt ii, qui nomen Chriſtianorum præferentes, a Chriſti Diſcipulorum moribus ſunt alieniſſimi. Hos magnopere vereamini.

VIDETE MALOS OPERARIOS, VIDETE CONCISIONEM. In ſecundâ ad Corinthios (f) nominat *operarios ſubdolos*, bonorum dogmatum vitiatores, malæ fidei operarios, qui deſtruunt, non inſtituunt, eversâque Chriſtianâ Judaicam Religionem ſtatuere moliuntur; qui Divinæ gloriæ ſtudium ſimulant, at ſuia dumtaxat commodia conſulunt. Cavete *conciſionem* (g), conciſos, eos qui falsò circumciſi ſunt; qui circumciſione, jam demum inutili, quæ nihil eſt niſi cuticulæ abſciſſio, merito & virtute vacua, gloriantur; dum cordis circumciſione, quæ una vera eſt & apud Deum utilis, carent. *Circumciſio cordis in ſpiritu, non literâ; cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt* (h). *Circumcidimini Domino*, ait Jeremias (i), *& auferte præputia cordium veſtrorum*. Aliter:

(l) Παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, *Parabolatur de animâ ſuâ*. *Clarom. & Berner. & S. Ger. Lat. Græc.* Παραβολευσάμενος, *optimè*. *Vide Mill. Grot. Salmaſ. Caſaubon.*
(m) *Ariſtophan.* Παράβολος, *id eſt*, φιλοκίνδυνος. (n) *Chryſ.* Ἐξέδωκεν ἑαυτὸν ὡς πᾶν ὁτιοῦν δεῖν παθεῖν. *Theodoret.* Τοῦ κινδύνου καταφρονήσας. *Ita & Theophyl.* (o) *Ita Græci, Mon. Eſt. Tir. alii.*
(a) Τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. *Vulg.* Α'σφαλὲς. *Vulg. Neceſſarium. Germ. & Clarom. Lat. Manifeſtatum eſt*; quaſi legerint, ἐμφανὲς.
(b) *Senec. Ep.* 95. (c) Vide infra, ℣. 18. (d) *Matt.* xv, 26.
(e) *Ignat. Ep. ad Epheſ.* Εἰώθασί τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν, ἀλλά τινα πράσσοντες ἀνάξια Θεοῦ, οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν. Εἰσὶ γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδῆκται, οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι.
(f) 2 *Cor.* xi, 13.
(g) Βλέπετε τὴν κατατομήν.
(h) *Rom.* ii, 29.
(i) *Jerem.* iv, 4.

℣. 3. Nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes:

℣. 4. Quamquam ego habeam confidentiam & in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis,

℣. 5. Circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus,

℣. 6. Secundùm æmulationem, perſequens Eccleſiam Dei, ſecundùm juſtitiam, quæ in lege eſt, converſatus ſine querelâ.

℣. 7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.

℣. 8. Verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam,

COMMENTARIUS.

ter: Cavete ſciſſionem, ſive ſciſſores, qui in illud dumtaxat incumbunt, ut in Eccleſiâ diviſiones ferant (k).

℣. 3. Nos enim sumus circumcisio. Si gloriandum eſt circumciſione, eaque honori eſt, nos omnino eâ gaudemus, qui verè circumciſi ſumus, *qui ſpiritu ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Jeſu*. Profectò ſi corporis circumciſio ſignum eſt fœderis Deum inter & Abrahamum, & nota, qua Fidelis ab Infideli ſecernitur, nobis dicere licet, per Jeſu Chriſti Fidem & cordis circumciſionem nos in eo fœdere cenſeri, omnibuſque illius commodis gaudere; nos enim nedum a profanâ & alienâ promiſſionibus fideli Abrahamo exhibitis gente diſcernimur, verùm etiam a spuriis, Judæis pertinacibus, qui a patris fide & virtute degeneres, a fœdere Iſraëlis Dei excluduntur (l).

Pro iis, *Qui ſpiritu ſervimus Deo*, Græci Libri quamplures legunt (m): *Qui Spiritui Dei latriam exhibemus*. Hanc eſſe genuinam hujus loci lectionem, qua divinitas Sancti Spiritûs comprobatur, aſſerit S. Ambroſius (n); additque, diſſidium eſſe inter Latina Exemplaria, ferentibus aliis, *Spiritui Dei*, aliis, *Spiritui Deo*; at poſtrema mendo laborare. Eodem loco utitur S. Auguſtinus (o), ut Sancti Spiritûs divinitatem confirmet; teſtaturque, pleroſque Latinos libros, omneſque vel fermè omnes Græcos legere: *Qui Spiritui Dei ſervimus*; nonnullos verò Latinos habere: *Spiritu Deo ſervimus*. Noſtrâ ætate pleraque Græca Exemplaria, & Latina omnia ferunt: *Spiritu Deo ſervimus*, ſive, *Spiritu ſervimus Deo*. Et Græci Patres (p), ut & Latini Interpretes, explicant de modo, quo nos Deo ſervimus; ſcilicet de ſpiritali cultu, non de cultûs noſtri argumento; quaſi ſignificet hic locus, Spiritum Sanctum a nobis adorari. Spiritum Sanctum nos omnino Deum eſſe credimus & adoramus; at non ex hujus loci authoritate.

℣. 4. Siquis videtur confidere in carne, ego magis. Si Judaica origo & circumciſio aliquam ſupra cæteros præſtantiam pariunt, hac ego æquè vel etiam magis quàm cæteri glorior. At id tam parum laudis eſt, ut indignum ſit quo ipſe glorier. Hebræo genere ortus ſum, ex Tribu Benjamin, & familiâ ab initio Judæâ ℣. 5. *Hebræus ex Hebræis*. Octavâ die circumciſus ſum, non ut pseudo-Apoſtoli, qui firmâ jam ætate circumciſione obſignati ſunt, & Judaicæ Religioni quodammodò inſerti. *Circumciſus octavo die*. Patrum Legem calleo, omneſque illius religiones & ritus ſcio, quippe in hæreſi Phariſæorum, omnium Judaicarum religioſiſſimâ, enutritus (q): *Secundùm Legem Phariſæus*. Neque aut lucri, aut ambitionis, aut præjudicatæ opinionis cauſâ Chriſtianam Religionem amplexus ſum (r); ab eâ quippe olim ita abhorrebam, ut illam apertâ vi inſectarer: ℣. 6, *Secundùm æmulationem perſequens Eccleſiam Dei*. Nemo denique me arguat, quòd vitæ liberioris gratiâ ad Evangelii profeſſionem & Apoſtolicum munus tranſiverim. Compertum eſt, quàm ſeverum vitæ genus ſub Lege coluerim: *Secundùm juſtitiam quæ in Lege eſt, converſatus ſine querelâ*. Illi ego religioſiſſimè obtemperavi; quòd ſi nunc ejus ritus antiquatos prædico, idcirco eſt, quòd inutiles eſſe cognoverim.

℣. 7. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum detrimenta. Originem meam, Legis ſtudium, circumciſionem, & cætera, quæ, cùm inter Judæos eſſem, magni faciebam, ſaluti meæ perniciosa putavi, poſtquam Chriſto nomen dedi, ejuſque lumen accepi: omnia Dei cauſâ ſperno, ut Evangelii cognitionem mihi comparem. Libentiſſimè abjeci Legis juſtitiam (s), fovendæ ambitioni meæ, quàm fidei atque animi demiſſioni augendæ aptiorem, ut fiduciam omnem in Chriſto Jeſu collocarem.

℣. 8. Existimo omnia detrimentum, &c.

Cum

(k) *Geot. hic*. (l) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* Ἰσραηλιτικὸν τὸ ἀληθινὸν πνευματικὸν, καὶ Ἰούδα γένος, καὶ Ἰακὼβ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἀβραὰμ τοῦ ἐν ἀκροβυστίᾳ, ἐπὶ τῇ πίστει μαρτυρηθέντος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ . . . ἡμεῖς ἐσμεν οἱ διὰ τοῦ σταυρωθέντος Χριστοῦ τῷ Θεῷ προσαχθέντες.

(m) *Græc. impreſſ.* Οἱ Πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες. *Alii*: Οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες, *Ita Steph.* α, δ, ιε, ιι. *Alex. Laud. Lin. Baroc.* &c. *Bornr. G. L. Theodoret. alii*.

(n) *Ambroſ. l. 2 de Spiritu Sancto, c. 6.* (o) *Aug. l. 1 de Trinit. c. 6; & ſerm. 169, nov. Edit. t. 3, n. 4; olim, ſerm. 15, de verbis Apoſtoli*.

(p) *Chryſoſt.* Οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, τουτέστι οἱ πνευματικῶς λατρεύοντες, *Theophyl.* Παρ' ἡμῖν τοῖς πνευματικῶς, τουτέστι τοῖς διὰ ψυχῆς, καὶ νοὸς λατρεύουσιν.

(q) *Joſeph. l. 1, c. 4, de Bello*: Φαρισαῖοι, σύνταγμά τι Ἰουδαίων δοκοῦν ἀκριβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων. *Act.* XXVI, 5: *Secundùm certiſſimam ſectam noſtræ Religionis vixi Phariſæus*.

(r) *Theodoret.* Οὐ διὰ τὴν φιλοτιμίαν, οὐδὲ διὰ δόξαν κενὴν, οὐδὲ φθόνῳ βαλλόμενος, ἀλλὰ τῷ ὑπὲρ τοῦ νόμου φλεγόμενος ζήλῳ. (s) Vide infra, ℣. 9.

℣. 9. Et inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu; quæ ex Deo eſt juſtitia in fide,

℣. 10. Ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti ejus:

℣. 11. Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.

℣. 12. Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu.

℣. 13. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Unum autem, quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum,

COMMENTARIUS.

Com detrimento me laboraſſe arbitror, dum Jeſum Chriſtum, ejusque dogmatum cognitionem non comparavi. Chriſtus in Evangelio (t) Regnum Cœlorum cum theſauro abſcondito in agro comparat; quem qui invênit, divenditis rebus ſuis omnibus, agrum êmit. Paulus ipſe theſaurum invênit; quamobrem cætera aſpernatus, libenter abjicit, ut agrum ac theſaurum in eo latentem ſibi vendicet: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Omnia vitæ hujus ac fortunæ commoda, omnia & generis & animi ornamenta loco ſordium fœcisque habeo; denique quicquid viliſſimum eſt & ingratiſſimum (id enim ſonat Græca vox (u) *ſcybalon*) id ego exiſtimo eſſe omnia, cum Jeſu Chriſto, ejusque veritate, fide, gratiâ comparata.

℣. 9. UT INVENIAR IN ILLO NON HABENS MEAM JUSTITIAM, &c. Cenſebant Judæi, ſe poſſe ſuis viribus, unâque Legis obſervatione perfectam ſibi juſtitiam comparare; unâque Lege Deo effici charos poſſe. Quamobrem ſuam ipſi juſtitiam ſtatuere conati, ſubjecti non ſunt juſtitiæ quæ ex Deo eſt. Hoc ipſum animadvertit Apoſtolus alibi (x): *Ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Vitium hoc ſe vitaſſe ſtudioſiſſimè, poſtquam Evangelii cognitionem adeptus eſt, teſtatur Apoſtolus. Fiduciam omnem, quam in Legis rituum obſervatione ſtatuere poteram, abjeci, ut juſtitiam meam in unâ Jeſu Chriſti Fide, quam charitas animat, fulcit humilitas, conſtituerem.

℣. 10. AD COGNOSCENDUM ILLUM. In hoc ſita eſt præſtantiſſima cognitio Jeſu Chriſti, quam mihi comparavi, abjectis omnibus, quæ mihi erant chariſſima; nimirum ut noverim Chriſtum, ejus Divinitatem cum Humanitate conjunctam, infinitæ poteſtatis amplitudinem, jura dignitatis qua ipſe Mediator eſt & Servator, *virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum ejus, configuratus morti ejus*, fide ſcilicet ac baptiſmo cruci ſimiliter quodammodò affixus, in ſepulcrum illatus, pariterque reſtitutus in vitam. Myſterium hoc non ſemel in Epiſtolis explicat (y), illudque fortaſſe ex ipſomet Jeſu Chriſto didicerat. Hæc porrò multo pluris facit, quàm veterem in Synagogâ dignitatem.

℣. 11. SI QUO MODO OCCURRAM AD RESURRECTIONEM. Chriſtianus homo, qui *virtutem reſurrectionis Jeſu Chriſti* ſatis intellexit, ℣. 10, novitque, futuræ hominum reſurrectionis pignora & certa argumenta a Jeſu Chriſto in vitam reverſo exhibita fuiſſe, hanc unam felicitatem, laborum ſuorum finem, exoptat. Hac locutione, *ſi quo modo occurram*, non diffidentia ſignificatur, ſed rei magnitudo & difficultas, incertusque exitus (z), fervensque Apoſtoli deſiderium (a), omnia moventis, ut eam felicitatem vel martyrio, vel laboribus aſſequatur.

℣. 12. NON QUOD JAM ACCEPERIM, AUT JAM PERFECTUS SIM (b). Vel, non quòd jam iſtud ſim aſſequutus. Iſtam ego felicitatem ita non habeo, veluti certò mihi obventuram, aut jam acquiſitam. Moriens Chriſtus reſurgensque certum jus ad immortalitatem ac reſurrectionem mihi comparavit; at eâ conditione, ut ipſum ſequar, & conſtantiſſimè expleam opus mihi creditum, exhibitisque mihi auxiliis ſanctiſſimè utar: quamobrem ſimilis athletæ ſum: ad finem mihi a Jeſu Chriſto decretum (c), & ad quem juſſit me Chriſtus properare, feſtino (d): *Sequor autem, ſi comprehendam in quo & comprehenſus ſum.* Quaſi dicat: Alio olim in ſtadio currebam: at poſtquam me Chriſtus a multitudine ſecrevit, novumque in ſtadium induxit, curro, ut monſtratum mihi finem aſſequar, propoſitamque coronam acquiram (e). Sive ex Theodoreto (f): Ipſe me primus capiens irretivit: fugiebam enim ipſum, & vehementer averſabar: ipſe me fugientem apprehendit. Perſequor igitur ipſum apprehendere cupiens, ne aberrem a ſalute.

℣. 13. UNUM AUTEM, QUÆ QUIDEM RETRO SUNT OBLIVISCENS, &c. Vanam ſecuritatem non ſector, quaſi, mortuo mei causâ Jeſu Chriſto, nihil jam mihi agendum reſtaret. Ita me gero uti athletam in ſtadio. Hactenus geſtorum oblitus, ſtadii finem dumtaxat, promiſſumque præmium ſpecto: confectum iter nihili æſtimo, dum aliquid conficiendum reſtat. Veluti in curuli certamine, auriga præeuntes tantùm ſpectat, eosque ſuperare conatur (g).

Ut

(t) *Matt.* XIII, 44. (u) Καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι. Vox σκύβαλον redditur *ſtercus*, *excrementum*, *fæces*, *quisquiliæ*, *rejectamenta*, *purgamenta*, *ſcoria*, &c. *Theodoret.* Σκύβαλον γὰρ τὸ παχύτερον, καὶ σκληρότερον ἄχυρον ὀνομάζεται. (x) *Rom.* X, 3. (y) *Rom.* VI, 3, 4, 5, 6, & *ſeq. Galat.* III, 17; *Coloſſ.* II, 12; *Epheſ.* IV, 23. (z) *Chryſoſt. Oecumen. Theophylact.*
(a) *Eſt. Grot. Zacch. alii.* (b) *Græc.* Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι. *Quidam addunt:* Ἢ ἤδη δεδικαίωμαι. *Ita S. Germ. & Clar. G. L. Iren. l.* 4, *c.* 22; *Bornec. G. L. Ambroſiaſt. Auth. tract. de ſingularit. Cleric.* (c) *Eſt. Men. Tir.* (d) Διώκω δὲ εἰ καταλάβω, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην.
(e) *Vide Grot. Eraſm. Vatab.* (f) *Theodoret.* Αὐτός με πρότερος καταλαβὼν ἐσαγήνευσε· ἔφευγον γὰρ αὐτὸν, καὶ λίαν ἀπεστρεφόμην, αὐτὸς δὲ κατέλαβε φεύγοντα. Διώκω τοίνυν καταλαβεῖν αὐτὸν ἐφιέμενος, ἵνα μὴ διαμαρτῶ τῆς σωτηρίας. (g) *Horat. ſerm.* 1, *ſat.* 1.

℣. 14. Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu.

℣. 15. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.

℣. 16. Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regulâ.

℣. 17. Imitatores mei eſtote, fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.

℣. 18. Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti;

℣. 19. Quorum finis interitus; quorum deus venter eſt; & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.

COMMENTARIUS.

Ut cùm carceribus miſſos rapit ungula currus,
Inſtat equis auriga ſuos vincentibus, illum
Præteritum temnens, extremos inter euntem.

In ſalutis ac perfectionis curriculo aſſiduis opus eſt conatibus, ut progrediare. Ubi non proceſſeris, retroceſſiſti. Gloriam Deus perſeverantibus pollicetur: at utrùm adfutura nobis ſit perſeverantia, ignoramus.

℣. 15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Negavit mox, ſe eſſe perfectum; quî igitur contrarium aſſerit? His verbis fortaſſe notat pſeudo-Apoſtolos, qui juſtos ſe ac perfectionis Magiſtros exiſtimabant; quemquam poſſe perfectum eſſe negantes, niſi Legis ſanctiones ſervaret. Arrogantibus hiſce objicit Apoſtolus verum certamque Chriſtiani hominis perfectionem, in eo ſitam, non quòd metam te aſſequutum putes, ſed eò ſtudioſiſſimè properes, Evangelicorum dogmatum cognitionem ſummo cum deſiderio quæras, ſummâque fide ac perſeverantiâ profitearis. Id nobis agendum eſt, dum Chriſtiani ſumus, ad perfectionem tendentes (h), *Quicumque perfecti ſumus*; ſive qui perfectionem attigimus, in Dei inſtitutionibus probè exercitati. Magna perfectionis pars eſt, ſi multom tibi deeſſe putes, & aſſiduè tibi nitendum eſſe, ut ſanctior perfectiorque in dies efficiatis.

Et si quid aliter sapitis, &c. Siquis ſeſe jam perfectum putat, negatque ſibi laborandum, ut perfectior in dies evadat; ſive, quod multo deterius foret, ſi a pſeudo-Apoſtolis deceptus exiſtimaret, perfectionem aſſequi neminem poſſe abſque Legis operibus; certiſſimè confido futurum, ut non patiatur Deus, illum diu in errore verſari, *illique revelet* quid credendum ſit, veritate divinitus ſignificatâ, ſive illuſtratâ illius mente circa ea, quæ hactenus docui.

℣. 16. Verumtamen ad quod pervenimus... in eadem permaneamus regula. Præcepta & conſuetudines, quas accepimus, conſtantiſſimè teneamus, ab iiſque nullâ authoritate deterreamur. Aures ne præbeamus aut Judæis ad Chriſtum converſis, aut remiſſioribus Chriſtianis; atque ab illis in Legalium obſervationem (i), ab his in languorem animi ac remiſſionem ne pertrahamur. Traditam initio regulam ſectemur, abſolutamque animorum ac ſententiarum concordiam teneamus.

℣. 17. Imitatores mei estote, & mei ſimilium. De Legis ritibus eadem mecum ſentite, vobiſque exemplo ſint ii, qui meis inſtitutionibus & exemplis inſiſtunt; ſuis ipſorum meritis nunquam non diffiſi, majoris in dies perfectionis comparandæ ſtudioſi, paciſque & charitatis erga omnes pleniſſimi.

℣. 18. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis inimicos Crucis Christi. Pſeudo-Apoſtoli ſcilicet, ex Judaicâ Religione converſi, qui Gentilium injurias & odia Judæorum declinaturi, Chriſtianam cum Judaicâ Profeſſione miſcere ſtudebant, gentemque Chriſtianam ceu Judaicam hæreſim ſanctioribus inſtitutis imbutam venditare conabantur (k). Cùm autem Judæus eſſe nequeas, quin Circumciſionem, Sabbathum, cæteraſque Legis religiones admittas, hæc a Fidelibus Evangelio adjici volebant. Publicæ Religionis ſuæ Profeſſores minimè inſectabantur Judæi, ac Religionem in Imperio toleratam, confirmatamque Imperatorum legibus non damnabant Gentiles. Ita ſcandalum Crucis auferebatur apud Judæos, & inſania Crucis Chriſti apud Ethnicos ceſſabat. Vide quæ diximus in Epiſtolam ad Galatas (l). Qui dogmata iſta tradebant, hos Paulus meritò nuncupat *inimicos Crucis Chriſti*; quippe qui illius virtutem & gloriam reverâ deſtruerent (m).

℣. 19. Quorum finis interitus. Inimicos Crucis Chriſti atrociſſima manent alterius vitæ ſupplicia, ſi hoc in inſtituto permanſerint. Novorum dogmatum inventores & Apoſtolos ſeſe venditant, atque in Angelos lucis transformant (n), cùm unius lucri gratiâ prædicationem exercent. *Quorum Deus venter eſt*: percurrunt Eccleſias, terrentque imbecilles, ut ipſi ſuaviùs vivant. Vide ſupra ad Romanos (o), & Petri Epiſtolam (p). *Et gloria in confuſione ipſorum*; qui epulis & conviviis gloriantur, ſive etiam circumciſione, quam Gentilibus ad Chriſtum traductis compluribus ſuadent (q): *Ut in carne veſtrâ glorientur*, ait idem alibi (r). Id autem probro illis eſſe debet: *Gloria in confuſione ipſorum*. S. Augu-

(h) *Mon. Tirin.*

(i) *Theodoret.* Τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν. κανόνα δὲ τὸ εὐαγγελικὸν ἐκάλεσε κήρυγμα. Ὁ δὲ κανὼν εὐθύτητος ὅρος ἐστὶν οὐδὲν προσδεόμενος. Παρεγγυᾷ τοίνυν αὐτοῖς μὴ ἀνέχεσθαι τῶν τὰ νομικὰ τῷ εὐαγγελίῳ παραμιγνύντων. (k) 1 *Cor.* I, 23. (l) *Galat.* VI, 12.

(m) *Theodoret.* Ἐχθροὺς τοῦ σταυροῦ προσηγόρευσεν αὐτούς, ὡς διδάσκοντας ὅτι δίχα τῆς νομικῆς πολιτείας ἀδύνατον σωτηρίας τυχεῖν. (n) 2 *Cor.* XI, 15. & 2 *Petri*, II, 3, 4.

(o) *Rom.* XVI, 18: *Hujuſmodi enim Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri.*

(p) 2 *Petri*, II, 13: *Coinquinationes, & maculæ, deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum, &c.* (q) *Quid. apud Chryſ. Theophyl. Oecum.*

(r) *Galat.* VI, 13.

℣. 20. Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

℣. 21. Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundùm operationem, quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.

COMMENTARIUS.

Auguſtinus (s) & Ambroſiaſter (t) legunt: *In pudendis ipſorum*. Illos denique ex eo deſcribit, quòd ii ſint, *qui terrena ſapiunt*, animalem vitam, vitæque hujus bona, ſuavitatem, commoda. Hæc pſeudo-Apoſtolorum imago eſt, quos nunquam non exagitat Apoſtolus.

℣. 20. NOSTRA AUTEM CONVERSATIO IN COELIS EST. Cives, ut ita dicam, cœlorum ſumus; cœlum patria nobis eſt (u): in cœlo mente verſamur. Ibi ſpes noſtra eſt, theſaurus, animus. Idem quod alibi ſcribit (x): *Fratres, jam non eſtis hoſpites & advenæ* cœlo, *ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei*. Et (y): *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens, non quæ ſuper terram.*

UNDE ET SALVATOREM EXPECTAMUS, ℣. 21, QUI REFORMABIT CORPUS HUMILITATIS NOSTRÆ, &c. Annon meritò Cœlum optamus, cùm ibi Salvator noſter ſit, inde deſcenſurus, ut nos in vitam revocet, reddatque mercedem, ibi denique cum eo ſimus æterno Regno fruituri? *Reformabit corpus humilitatis noſtræ*, viliſſimum deſpectiſſimumque, *configuratum corpori claritatis ſuæ*, ut corpori ſuo clariſſimo & glorioſo ſimile efficiat. Corpus hoc mortale ſubiturum eſt mortem, atque in ſaniem abiturum: at illud Deus infinitis poteſtatis ſuæ viribus revocabit in vitam, ac ſimile efficiet gloriæ, qua ipſius Chriſti corpus poſt reſurrectionem micat; non æquali quidem gloriâ, ſed ſimili (z). Corpus noſtrum futurum eſt glorioſum, morti & perpeſſionibus minimè obnoxium, liberumque iis malis, quæ in præſenti vitâ toleramus. Idem corpus futurum eſt, ſed transformatum mutatumque & conditione & qualitate.

CAPUT IV.

Paulus Philippenſes ad gaudium, modeſtiam, precum aſſiduitatem, gratiarum actionem, atque ad laudabile & ſanctum quidlibet hortatur. Illos a liberalitate commendat. Epiſtolam claudit Dei laudibus & ſalutationibus.

℣. 1. Itaque, fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſtate in Domino, chariſſimi.

℣. 2. Evodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipſum ſapere in Domino.

COMMENTARIUS.

℣. 1. GAUDIUM MEUM, ET CORONA MEA, SIC STATE IN DOMINO. Nobiliſſima Philippenſium laus, qua nihil elegantius dici poterat. Hortatur, ut *ſic ſtent in Domino* (a), uti ſtant. In Fide, quam a Deo habuiſtis, ejusque in timore & amore permanete.

℣. 2. EVODIAM ROGO (b), ET SYNTYCHEN DEPRECOR, duas, ut ajunt, Philippenſis Eccleſiæ mulieres, quæ mutuis litibus inter ſe vel cum reliquis Fidelibus diſſidebant, vel ob domeſtica negotia, vel ob aliquod fidei ſuæ caput, vel denique ob aliquam religionis obſervationem; cauſam quippe diſſidii ſilet Apoſtolus. Has hortatur, ut pacem & concordiam colant. S. Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique plures (c) cenſent, illas virtute ac bene geſtis præſtitiſſe, ac veluti principes fuiſſe Eccleſiæ Philippenſium. Ex conſequente membro videntur hæ participes fuiſſe laborum Pauli, & certaminum Evangelii causâ obitorum; de iis enim vulgo explicantur hæc verba: *Adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio*. Syntyche inter Sanctas fœminas legitur XI Kal. Auguſti, ejusque corpus Philippis quieſcere dicitur in Martyrologiis.

Animadvertendum hic eſt, in iis regionibus, in quibus fœminæ rarò prodibant in publicum, ut in Græciâ totoque fermè Oriente, non multum fuiſſe laborandum Apoſtolis, ut illas ad Chriſtum ducerent; idque præſtari conſueviſſe per ipsarum viros, piasque & graves alias fœminas jam antea Chriſtianis ſacris imbutas; ac fortaſſe hanc præcipuè ob cauſam fœminas ſecum ducebant Apoſtoli, ſive, ut ait Paulus, 1 Cor. IX, 5, *mulieres ſorores*, quæ fœminas, a reliquorum conſuetudine remotas, inſtituerent; atque idcirco fortaſſe Apoſtolus ait, Evodiam & Syntychen uti-

(s) *Aug. ſer. olim 15 de verbis Apoſtoli, nunc 169, nov. Edit. c. 3.* (t) *Ambroſiaſt. hic.*

(u) *Grot. Zanch. Eſt. Vat. Hamm. Tertull. Noſter municipatus. Græc.* Ἡμῶν τὸ πολίτευμα.

(x) *Epheſ.* II, 19. (y) *Coloſſ.* III, 1, 2.

(z) *Theodoret.* Τὸ δὲ μετασχηματίσει, ὐκ ἐπὶ τῆς μεταποιήσεως τῦ σχήματος τέθεικεν, ἀλλ' ἐπὶ τῆς ἀπαλλαγῆς τῆς φθορᾶς. Σύμμορφον δὲ τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτῦ τὸ ἡμέτερον ἔφη γεγενῆσθαι σῶμα, ὐ κατὰ τὴν ποσότητα τῆς δόξης, ἀλλὰ κατὰ τὴν ποιότητα.

(a) Οὕτω στήκετε. *Oecumen.* πῶς; ἀκλινεῖς, καὶ ἑδραῖοι ἐν τῇ πίστει Χριςῦ.

(b) Εὐοδίαν παρακαλῶ. *Quidam:* Εὔοδον. *Alii:* Εὐωδίαν. *Doroth. in Mſſ. Evodium. Notker. apud Caniſ.* (c) *Eſt. Zanch. Men.*

℣. 3. Etiam rogo & te, germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.

℣. 4. Gaudete in Domino ſemper: iterùm dite, gaudete.

℣. 5. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus propè eſt.

℣. 6. Nihil ſoliciti ſitis: ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

COMMENTARIUS.

utilem propagationi Evangelii operam unà contuliſſe. Has juvari jubet, omnia vitæ neceſſaria iis ſuppeditari, inſtaurare amicitiam, ut junctis animis & ſententiis in promovendo Dei opere laborent.

Eruditis quibusdam (d) *Syntyches* virile nomen videtur, non muliebre. Profectò apud Græcos viro magis convenit quàm fœminæ, quemadmodum & *Eutyches*. Diſſidium igitur erat virum inter & mulierem, Evodiam & Syntychen, fortè conjuges; videturque *Syntyches* idem eſſe, quem Paulus proximo ℣. *germanum comparem*, ſeu *verum fidelemque maritum*, nuncupat.

℣. 3. Etiam rogo et te, germane compar, laborum meorum comes. Sunt (e) qui putent, quem hîc alloquitur Paulus, maritum fuiſſe vel fratrem alterius ex duabus, quas nominavit. Ajunt alii (f), Pauli orationem ad carceris cuſtodem, quem Paulus ipse Philippis Chriſto peperit (g), pertinere. Veteres nonnulli & Recentiores (h) aſſeruere, Paulum, utpote matrimonio implicatum, uxorem alloqui; redduntque: *Etiam rogo & te, conjux chariſſima*. Hanc opinionem expendimus alibi (i) & refutavimus. Inficias non iverim, Græcam ſententiam fœmineo genere verti poſſe (k), ac fortaſſe Apoſtolum deprecatum eſſe illuſtrem aliquam Philippenſem fœminam, ut pacem inter Evodiam & Syntychen inſtaurare laboraret.

At Patres & Interpretum præſtantiſſimi virum exiſtimant, *Syzygen*, ex nonnullorum ſententiâ (l), nuncupatum: quamobrem vertendum erit: *Etiam rogo te, Syzyge chariſſime*. Latini quidam (m) putavere, huic nomen fuiſſe *Germano*; at hi Græcum non legerant. Aliis (n) eſt ipſemet Epaphroditus; aliis (o) Silas, Barnabas, Timotheus. Denique unusquisque ariolatur, ſuoque arbitrio conjecturas producit. Probabilius eſt, Paulum alloqui Philippenſium Epiſcopum, quem maximè omnium decebat, auxilium duabus hiſce præſtare, turbatamque inter illas amicitiam reſtituere. At ſi Evodia uxor erat Syntyches, uti diximus, nihil prohibet, quin Paulus hîc Syntychen alloquatur.

Cum Clemente. Clemens hic S. Hieronymo (p), Primaſio (q), Eſtio (r), aliisque idem creditur, qui Petrum in Romanâ Cathedrâ poſt Linum & Cletum excepit. Hoc ipſum innuere videtur Eccleſia, cùm hanc Epiſtolæ ad Philippenſes partem legendam præbeat in Miſsâ S. Clementis. Id præter dubitationem aſſerunt Origenes (s), Euſebius (t), S. Epiphanius (u), Rufinus (x). Fateor, nihil hic aſſerere S. Chryſoſtomum ac Theodoretum; at in primam ad Timotheum S. Chryſoſtomus (y) ſcribit, Clementem e Pauli ſociis unum fuiſſe, itinerum comitem, uti Lucam ac Timotheum. Hoc poſito, prorſus veriſimile eſt, in urbe Philippis fuiſſe Clementem, cùm hanc Epiſtolam ſcriberet Apoſtolus. Grotio eſt Presbyter Eccleſiæ Philippenſis, quemadmodum cæteri hîc ab Apoſtolo recenſiti, ac fortè Romanus aliquis in Macedoniâ negotians, qui maturè ſatis Chriſti Fidem amplexus, eam Gentiles docere ſtuduit.

Addit Apoſtolus, Clementis ejusque ſimilium nomina *ſcripta eſſe in Libro vitæ*. Locutio Scripturæ familiaris (z), ut ſit, inter prædeſtinatos ac Dei amicos recenſeri: deſumpta ex uſu Principum, qui deſcriptos in albo familiares & amicos habent. Pauli charitas erga illos, & obſequia Eccleſiæ ab illis præſtita ſuadebant, ut ipſos in numero prædeſtinatorum crederet: hæc tamen una perſuaſio, quamquam probabiliſſima, ſatis argumenti non erat, ut id evinceretur, niſi Paulus illud Deo docente didiceſſet (a).

De *illis quæ laboraverunt cum Apoſtolo in Evangelio*, ita diſſerendum eſt, uti tulerit opinio, quam quisque in ſuperioribus probavit. Si putes, Syntychen virum eſſe, Evodiam fœminam, dicendum tibi erit, eas, de quibus hîc, aut viduas fuiſſe, aut fœminas eximiâ gravitate ac virtute, ab Apoſtolo deſtinatas, a quibus fœminæ docerentur, uti animadvertimus. Sin Evodiam & Syntychen Philippenſes fœminas fuiſſe malueris, exiſtimare poteris, eas commendari ab Apoſtolo, ac laudibus ornari.

℣. 4. Gaudete in Domino semper. Valedicendi modus; quod enim Latini dicebant, *Valete*, Græci, *Gaudete* (b).

℣. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Græcus (c): *Humanitas veſtra*, æquitas, patientia inter mala irrogataſque injurias, inter objectas criminationes, *nota ſit omnibus hominibus*. Mementote, *Dominum prope eſſe*, opem vobis mox allaturum, veſtrarumque ærumnarum

pœnas

(d) *Grot. Hamm. & Martianay hic.*

(e) *Quidam apud Theophyl. Vide & Eraſm. &c.* (f) *Alii apud Theophyl.*

(g) *Act.* xvi, 27, 28 *& ſequ.* (h) *Clem. Alex. l.* 3 *Strom. Quidam apud Chryſ. & Theophyl. & Theodoret. Eraſm. Zanch. Cajet. &c.* (i) Vide nos in 1 *Cor.* ix, 5.

(k) Καὶ (*aliàs* Ναὶ) ἐρωτῶ καί σε Σύζυγε γνήσιε. Fortaſſe dixit γνήσιε, pro γνησία, Atticorum more, uti ἀληθὴς pro ἀληθὴ, σωτήριος pro σωτηρία. *Eraſm.* (l) *Vide Grotius hic.*

(m) *Primaſ. Hieronymiaſt. Lyr. Carthuſian.* (n) *Grotius.* (o) *Vide Ligfoot. & Eſt.*

(p) *Hieronym. lib. de Script. Eccleſ.* (q) *Primaſ. in Comment. hic.* (r) *Eſt. Cornel. alii hic.*

(s) *Origen. in Joan. Edit. Huet. p.* 143. (t) *Euſeb. l.* 3, *c.* 15, *Hiſt. Eccleſ.* (u) *Epiphan. hæreſ.* 27.

(x) *Rufin. de adulter. Origenis.* (y) *Chryſoſt. in* 1 *Timot. prolog. p.* 403.

(z) *Vide Exod.* xxxii, 32; *Pſalm.* lxviii, 29; *Dan.* xii, 10; *Luc.* x, 20; *Apoc.* xiii, 8.

(a) *Vide Eſt. Zanch. Grot. Hamm.* (b) Χαίρετε ἐν Κυρίῳ πάντοτε, *&c.*

(c) Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν. *Theod.* Φέρετε γενναίως τῶν ἐναντίων τὰς προσβολὰς, μὴ ἀμύνεσθε κακῷ τὸ κακόν.

℣. 7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu.

℣. 8. De cætero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.

℣. 9. Quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite; & Deus pacis erit vobiſcum.

℣. 10. Gaviſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis.

℣. 11. Non quaſi propter penuriam dico; ego enim didici, in quibus ſum ſufficiens eſſe

℣. 12. Scio & humiliari; ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum), & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati.

COMMENTARIUS.

pœnas ex inimicis exacturum: quamobrem *nihil ſolliciti ſitis*. Omnem in Deo fiduciam collocate, de illius juſtitiâ & providentiâ prorſus confidite: nihil aut ab inimicis aut a Diabolo formidate: opportunam opem feret Deus. Sive: Vitæ hujus negotia nullam vobis ſollicitudinem pariant: illa dumtaxat narrate Deo, animo humilitatis ac fiduciæ pleno, cum actione gratiarum orantes; iiſque omnino conſulet Deus.

℣. 7. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat (d) corda vestra. Pax Dei, quæ pretium omne ſuperat, quidquid dici aut cogitari poteſt. Futura vobis eſt arcis loco, in qua conſtantiſſimi intrepidique inter hujus vitæ tumultus permaneatis; modò, uti ſupra dictum eſt, omnem in Dei miſericordiâ fiduciam collocetis, animoque bene fidenti rerum veſtrarum difficultates in oratione illi exhibeatis. Hæc portò piorum ſors eſt, & felicitas impiis ignota (e): *Non eſt pax impiis*.

℣. 8. De cætero, quæcumque sunt vera... hæc cogitate. Omnia Chriſtiani hominis officia, omniumque virtutum exercitationem complectitur Apoſtolus hac ſententiâ. Veritatem, ſinceritatem, ſimplicitatem, *quæcumque vera*; pudicitiam, honeſtatem morum, gravitatem, caſtitatem, *quæcumque pudica (f)*; juſtitiam, æquitatem, *quæcumque juſta*; ſanctitatem, munditiem, cujusvis flagitii execrationem, *quæcumque ſancta*, ſeu *pura*, ex Græco (g): ut id præſtes, quo cæteris in bono amabilis & charus fias, ut bene de omnibus merearis, omnium amicitiâ gaudeas, *quæcumque amabilia (h)*; quicquid bono nomini ſervit (i), *quæcumque bonæ famæ*; quicquid virtutis eſt & laude dignum ſequare, *ſiqua virtus*; quicquid laudabile eſt in morum vitæque inſtituto, *ſiqua laus diſciplinæ*. Græcus legit tantùm (k), *ſiqua laus*; & conſentiunt Primaſius, Sedulius, aliique nonnulli. At Syrus & Æthiops, vetuſta quædam Græca Exemplaria, & Latina fermè omnia cum Vulgatâ conveniunt.

℣. 9. Quæ et didicistis, hæc agite, quæ vidiſtis ipſi, quæ de meis moribus audiſtis. Doctor & Paſtor opus eſt ſeſe labe carentem ſentiat, ut cum Paulo dicat: Meas inſtitutiones meaque exempla ſectamini. Pſeudo Apoſtoli, quorum Deus venter erat, ſupra, III, 19, iſta dicere non poterant. Se ipſe morum exemplar Philippenſibus jam antea propoſuit, III, 17. Et alibi (l): *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Hæc Paulo ob veritatis defenſionem vincto optime conveniebant.

℣. 10. Tandam aliquando refloruistis pro me sentire (m); veterem de me opinionem iterum excitaviſtis. Philippenſes non arguit, quòd veteri erga ſe benevolentiæ defuerint, aut ſui obliti ſint in rebus difficillimis: illud ſolummodò innuit (n), veterem ipſorum benevolentiam hactenus ſeſe non exeruiſſe, cùm nulla illius oſtendendæ occaſio præberetur; at vix ipſum in vinculis eſſe intellexerunt, optimam illorum voluntatem quodammodò refloruiſſe; prodiiſſe totam, quanta intus latebat; inſtar arborum, quæ per hiemem mortuæ videntur, at vix tepeſcit aër, frondes, flores, fructus pariunt.

℣. 11. Non quasi propter penuriam dico. Iſta non loquor inopiæ meæ causâ. Minùs quippe moveor rerum mearum difficultate, aut præſtito mihi a vobis ſubſidio, quàm charitate veſtrâ, & voluptate, qua perfundor, dum vos Apoſtoli veſtri & in Chriſto patris amantiſſimos video. Me non movent commoda mea aut penuria. Carere potui rebus, quas ipſi miſiſtis: diù aſſuevi omnia pati, atque omnium indigere: quolibet in rerum ſtatu contentus eſſe ſcio. Veſtra tamen benevolentia & charitas magnoperè me delectârunt.

℣. 12. Scio et humiliari, scio et abunda-

DA-

(d) *Græc.* Φρουρήσει, *cuſtodiet. Sed Theodor. Comment.* Φρουρήσαι, *cuſtodiat. Ita Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Clarom. Germ. Lat.* (e) *Iſai.* XLVIII, 22. (f) Ὅσα σεμνὰ, *gravia, veneranda, magnifica. Ambroſiaſt.* (g) Ἁγνὰ, *pura. Vulg.* ἅγια, *ſancta. Ita Clar. S. Germ. & Ambroſ.* (h) Ὅσα προσφιλῆ, *grata, accommoda, benigna, gratioſa.* (i) Εὔφημα, *fauſta, boni ominis, bonæ famæ, laudabilia.* (k) *Græc.* Εἴ τις ἔπαινος. *Clarom.* Εἴ τις ἔπαινος ἐπιστήμης. *Ita & Berner. Gr. Velez.* Εἴ τις ἔπαινος παιδείας, *diſciplinæ. Vulg. Clarom. S. Germ. Bern. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Syr. Æth.* (l) 1 *Cor.* XI, 1; IV, 16. (m) Ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν.
(n) *Theodoret.* Πάλαι γὰρ ἐβούλεσθε τῆς ἡμετέρας θεραπείας φροντίσαι, ἀλλὰ καιρὸν οὐκ ἐσχήκατε. *Vide Theophyl. Eſt. &c.*

℣. 13. Omnia poſſum in eo qui me confortat.
℣. 14. Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ.
℣. 15. Scitis autem & vos, Philippenſes, quòd in principio Evangelii, quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli:
℣. 16. Quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.
℣. 17. Non quia quæro datum; ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtrâ.
℣. 18. Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo.
℣. 19. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum, ſecundùm divitias ſuas, in gloriâ in Chriſto Jeſu.
℣. 20. Deo autem & Patri noſtro gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.
℣. 21. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Jeſu.
℣. 22. Salutant vos qui mecum ſunt, fratres: Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt.

COMMENTARIUS.

DARE. Inopiam & copiam æquè ferre ſcio. *Humiliari* hoc loco eſt, inopem eſſe, indigere (o). Hebræa vox (p), quæ humilitatem ſonat, pro inopiâ etiam & humili deſpectoque pauperum ſtatu uſurpatur. Accipi etiam poteſt pro ipsâ hominis dejectione. In humili ſtatu eſſe ſcio, ubi me Deus eò redegerit; & parvo contentus eſſe, ubi abundavero. Iſta diu expertus ſcio.

℣. 13. OMNIA POSSUM IN EO QUI ME CONFORTAT. Omnia pati poſſum atque aggredi omnia, ferente opem Deo, qui virtus mea eſt. Hæc agens, omnem illorum gloriam in Deum unum refero; nihil tribuo mihi (q).

℣. 14. VERUMTAMEN BENE FECISTIS, COMMUNICANTES TRIBULATIONI MEÆ. Multum vobis debeo ob ſubſidium, quod mihi in vinculis conſtituto exhibuiſtis. Illud ne exiſtimetis, me iſta dixiſſe, ut veſtrum erga me obſequium verbis minuam, aut parum a me probari ſignificem. Eo, quo debui, animi favore accepi.

℣. 15. QUANDO PROFECTUS SUM A MACEDONIA, NULLA MIHI ECCLESIA COMMUNICAVIT, opum ſuarum partem mihi exhibuit. Vetera Philippenſium in ſe beneficia commemorat. Quo tempore in vincula Philippis datus, Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam vêni, ac deinde ex Macedoniâ præcipiti fugâ me recipere coactus ſui (r), alia nulla, præter vos, opem contulit. Athenas quidem vêni cum nonnullorum e Theſſalonicâ fratrum comitatu; at nihil niſi ex vobis accepi. ℣. 16: *Theſſalonicam ſemel & bis in uſum mihi miſiſtis.* Leviora iſta, ad hiſtoriam non pertinentia, præterit Lucas. Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribens (s) ait, ſeſe apud illos exemplo fuiſſe comparandi labore manuum vitæ neceſſaria; quibus verbis confirmantur ea, quæ de ſubſidio ibi ex Philippenſibus accepto narrat.

℣. 17. NON QUIA QUÆRO DATUM, SED REQUIRO FRUCTUM ABUNDANTEM IN RATIONE VESTRA. Non quòd munera veſtra cupiam, ſed quòd ea magno vobis emolumento eſſe deſiderem. Tametſi magnoperè indigerem, iis tamen carere poteram; at id vobis maximo futurum erat detrimento. Perjucundum mihi accidit, quòd mea erga vos debita vehementer exaggeraverim; pro vade ſtaturus eſt Deus, ipſe repenſabit (t).

℣. 18. HABEO AUTEM OMNIA, ET ABUNDO. Græcus legit (u): *Rectè accepi omnia.* Quaſi Epaphroditi, a Philippenſibus ad Apoſtolum miſſi, fidem liberet (x).

ODOREM SUAVITATIS, &c. Quæ mihi largiti eſtis, jucundiſſimum Deo fuere ſacrificium, odorque ſuaviſſimus. Ea porrò eſt piorum eleemoſyna.

℣. 19. DEUS AUTEM MEUS IMPLEAT OMNE DESIDERIUM VESTRUM. Precum veſtrarum, juſtarumque petitionum exitum tribuat. Græcus (y): *Omne id quo vobis eſt opus.* Munificentiæ veſtræ præmium det vobis Deus quicquid vobis neceſſe fuerit, ac denique *gloriam* æternamque beatitudinem. Confer 2 *Cor.* IX, 6, 7, 8, 10.

℣. 20. DEO AUTEM GLORIA. Laudes Deo rependantur ob omnia bona, quibus me cumulaſtis, & beneficia quibus eſtis me proſequuti, cùm tam grandia vobis inſpiraverit.

℣. 21. SALUTATE OMNEM SANCTUM, Fideles ſingulos Philippenſes; ſalutem illis dicite in Chriſto Jeſu, amplexamini cum oſculo pacis, uti ſolet in cæteris Epiſtolis (z).

℣. 22. SALUTANT VOS OMNES SANCTI, Chriſtiani omnes ex urbe Româ, MAXIME AUTEM QUI DE CÆSARIS DOMO SUNT, Neronis ſcilicet per ea tempora imperantis. Non paucos converterat Paulus ex Neronis familiâ (a). Græci recentiores (b) ajunt, *Cæſarem* hunc non eſſe Imperatorem, ſed hujus nominis Chriſtianum, cujus feſtum diem agunt, unumque e ſeptuaginta Diſcipulis, ac denique Coroneæ Epiſcopum faciunt. Hanc tamen ſententiam rejicit unanimis Græcorum Latinorumque Patrum conſenſus, omniumque Interpretum, a quibus de Nerone hic locus uſurpatur. Sunt qui-

(o) *Eſt. Men. Bez. Zanch. alii.* (p) עני *humiliatus, afflictus, pauper.*
(q) *Theophyl.* Οὐκ ἐμὸν τὸ κατόρθωμα, ἀλλὰ τοῦ τὴν ἰσχὺν δεδωκότος Χριστοῦ.
(r) *Vide Act.* XVI, XVII, XVIII. (s) 1 *Theſſal.* II, 7, 9; & IV, 11; & 2 *Theſſ.* III, 7, 8.
(t) *Theodoret. Grot. alii.* (u) Ἀπέχω δὲ πάντα. (x) *Grot. Zanch. Strigel.*
(y) Πᾶσαν χρείαν ὑμῶν. (z) *Rom.* XVI, 16; 1 *Cor.* XVI, 20; 2 *Cor.* XIII, 12; 1 *Theſſal.* V, 26.
(a) *Hieron. in Philem.* 2: *A Cæſare miſſus in carcerem, notior familiæ ejus factus, perſecutoris domum Chriſti fecit Eccleſiam.* (b) *Vide Doroth. in Synopſi; Bolland.* 22 *Mart. Eſt. hic, Baron. &c.*

℣. 23. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro: Amen.

COMMENTARIUS.

quibus Fideles iſti *de Cæſaris domo* videantur Seneca & Lucanus. Nonnullæ etiam Epiſtolæ circumferuntur Senecæ ad Paulum; at ſpurias eſſe, quemadmodum & Pauli ad Senecam, Eruditi omnes fatentur. Novos hoſce Chriſtianos exiſtimat Grotius nonnullos fuiſſe Neronis libertos. Inter hos numerat Eſtius Evellium ac Torpetem, Neronis familiares, martyrio coronatos eo imperante (c).

℣. 23. GRATIA DOMINI CUM SPIRITU VESTRO. Luce ſuâ vos perfundat Deus, ſuæque gratiæ virtute vos cumulet, ut quod bonum eſt cognoſcatis, ametis, ſectemini.

Græcus & Syrus ferunt (d): *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis.* At Libri vetuſtiores Græci & Latini, Cophtica & Æthiopica cum Vulgatâ conveniunt.

Ad Calcem hujus Epiſtolæ in Græcis Exemplaribus legitur: *Epiſtola ad Philippenſes miſſa eſt Româ per Epaphroditum.* Cophtica: *Per Timotheum & Epaphroditum.* In Præfatione, totoque Epiſtolæ contextu vidimus, hanc reverâ miſſam fuiſſe Româ, Paulo in vinculis Fidei cauſâ primum detento, ac delatam ad Philippenſes ab Epaphrodito.

(c) *Martyrolog. Rom.* & XVII *Maji.* (d) *Græc. impreſſ.* Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν. *Alii:* Μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν. *Ita Steph.* 1, *Clarom. Alex. S. Germ. Colb.* 7, *Barb.* 1, *Copt. Æth. alii. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt.*

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Philippenſes.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES

PROLEGOMENON.

COloſſæ, e præcipuis Phrygiæ Urbibus, non procul a Laodiceâ totius provinciæ Metropoli. *Coloſſæ* ne, an *Colaſſæ* appellarentur, diſputatur. Ab Allatio (*a*) & aliis (*b*) *Colaſſæ* legendum defenditur, cujuſmodi & in optimis & vetuſtiſſimis Mſs. eſt reperire [*c*]. Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, & Græca Exemplaria quamplurima *Colaſſas* habent (*d*). Strabo verò [*e*], Herodotus (*f*), Xenophon (*g*), Plinius (*h*), *Coloſſas* præferunt. Ita etiam optima & plurima Mſs. (*i*). Ita quoque Theophylactus, qui ſuâ ætate eam urbem *Chonas* appellatam adjecit. Geopraphicum Cellarii (*k*) monumentum, nempe Imperii Orientalis Notitia, ex quodam Vaticani Codice vulgata, quam Hierocli tribuunt, *Colaſam* præfert. Latini *Coloſſenſes* conſtanter legunt; cujus proinde nominis conjecturâ ducti, Græci & Latini non defuerunt, qui crederent, hanc Epiſtolam datam fuiſſe ad Fideles degentes Rhodi, urbe Solis Coloſſo celeberrimâ (*l*). Verùm ex totius Epiſtolæ ſerie eam ad Phrygiæ Coloſſenſes datam ſatis compertum eſt.

Omnes fermè Interpretes (*m*), quamvis Paulus in Phrigiâ prædicaverit, eum Coloſſas nunquam adiiſſe conſentiunt. Ipſe etiam Paulus nunquam ſe ad Coloſſenſes perrexiſſe ſatis innuit, ubi ait [*n*] *Volo vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne*. Theodoretus, & Baronius, quos perpauci ſequuntur, contrarium ſtatuunt. Coloſſenſes ab Epaphrâ Fidem accepiſſe creduntur, ex quibus eum Evangelii fructum Eccleſia tulit, ut iidem maximâ erga Sanctos charitate flagrantes, ferventi ſpiritûs ardore complexi fuerint veritatem (*o*).

Pſeudo-Apoſtoli ab Judaiſmo ad Fidem traducti, omnes Gentium Eccleſias pervagantes, ut ſibi undique proſelytos crearent, Coloſſas venere; & circumciſionem, & Legalia ad ſalutem neceſſaria enunciantes, & Platonicæ Philoſophiæ Judaiſmum immiſcentes, Fideles adhuc ſimplices, recenterque Fidei myſteriis initiatos, ſuperſtitioſo Angelorum cultu, & fallacibus demiſſionis ſenſibus imbuerunt; Deum enim nobis infinito intervallo majorem eſſe ajentes, non ipſi Deo, neque Jeſu Chriſto preces offerendas ſuadebant, ſed Angelis, per quos olim Deus Moyſi Legem dedit, & per quos etiam in Evangelii Lege preces noſtras, excipiens, ſuam nobis miſericordiam indulget.

Cùm hæc Paulus, ſive narrante Epaphrâ, tunc Romæ ſecum in vinculis detento, ſeu per Laodicenſium Epiſtolam, quam & apud Coloſſenſes legi deinde juſſit (*p*), reſciviſſet; ſuum, utpote Gentium Apoſtoli, eſſe duxit, Coloſſenſium Fidem defendere, & Pſeudo-Apoſtolorum iſta diſſeminantium audaciam cohibere. Commendat primò Jeſu Chriſti amplitudinem, quem Patris imaginem appellat, Dei & hominum Mediatorem, & Eccleſiæ Caput, quod membris cæteris actionem, motum, ſpiritum, & vitam impertit, Pſeudo-Apoſtolos ſuis coloribus exprimit, & ſubindeoſtendit, Chriſtum ſolum eſſe ſalutis authorem: naturâ Deum eſſe; poteſtatibus & cœleſtibus omnibus virtutibus eumdem præſtare: per Jeſum etiam veram cordis circumciſionem ipſos eſſe aſſequutos, cruci affixos, ſepulchro conditos, ac tandem cum Domino per Baptiſmum in vitam eſſe reſtituros. Ex quibus colligit, Legalia velut inania reſpuenda, & vitam ita inſtituendam, uti homines cum Chriſto redivivos decet; quorum caput in cœlis jam conſtitutum, eos ibi coronis donandos expectat. Hortatur prætereà, ut veterem hominem exuentes, novo induantur; optimis denique moralis doctrinæ præceptis conſtitutis, Epiſtolam abſolvit.

Cùm hæc ſcriberet Apoſtolus, Romæ in vinculis detinebatur (*q*), anno Chriſti LXII,

(a) *Allat. obſerv. in Geograph. Caroli a S. Paulo*, p. 142.
(b) *Ita Bodinæ de abditis rerum ſublimium arcanis. Thom. de Pinedo*.
(c) *Codex Vatican. admiranda vetuſtatis, & alius minor apud Allat. Clarom. & S. Germ. & alii paſſim*.
(d) *Ita editio Roberti Steph. in fol.* 1550; *& alia in* 8, 1549; *Editio Millii, & alia quamplurima*.
(e) *Strabo*, *l.* 12, *ſub finem*.
(f) *Herodot. l.* 7, *c.* 30.
(g) *Xenophon*, *l.* 1 *Expedit. Cyri Junioris*.
(h) *Plin. l.* 5, *c. alt.*
(i) *Borner. G. L. Stephan. α, ζ, 17; & alii apud Mill.*
(k) *Cellar. l.* 3, *c.* 4 *Geograph. antiq.* p. 63.
(l) *Suidas, Zonar. Glycas, Euſtat. Calep. Munſt.*
(m) *Hier. in Ep. ad Philem.* ℣. 22; *Chryſoſt. Theophyl. Athanaſ. in Synopſi; Eſt. Zanch. Cornel. hic*; Tillemont, note 68; *alii*.
(n) *Coloſſ.* II, 1.
(o) *Coloſſ.* I, 6, *&c.*
(p) *Coloſſ.* IV, 16.
(q) Gregor. l. 29, c. 8, Moral. in Job, Paulum Epheſi, ubi in carcere detinebatur, ſcripſiſſe putat. Cophti ea Athenis ſcripſiſſe ferr. Hæ verò opiniones defendi non poſſunt.

LXII, poſtquam primùm Romam venerat, & paulò antequam vinculis ſolveretur, Epaphram unà captivum, Timotheum, cujus meminit initio Epiſtolæ, Ariſtarchum, Joannem Marcum Barnabæ conſobrinum, Lucam, Demam, & Jeſum cognomento Juſtum, vinculorum ſolatia apud ſe habebat. Tychicus verò, fidelis illius miniſter, Oneſimus, quem Philemon miſerat, ut eo uteretur, hanc Epiſtolam detulere. De Epiſtolâ, quam ferunt hoc eodem tempore ad Laodicenſes ſcriptam, egimus in Commentario.

Meritò animadvertit Chryſoſtomus (*r*), omnium pulcherrimas, & quæ magis afficiunt, Pauli Epiſtolas eas fuiſſe, quas vinculis detentus dedit, videlicet ad Epheſios, ad Philppenſes, ad Philemonem, ad Timotheum, & hanc potiſſimùm ad Coloſſenſes, quam ſententiis, & nobilibus ſublimibusque phraſibus, & Moralis Divinæ præceptis undique refertam admiramur. Chryſoſtomus (*s*) Paulum in vinculis ſcribentem comparat *Viro forti, qui ſcriberet, a cædibus interim deſiſtens & trophæis.*

(r) *Chryſoſt. Proleg. in Ep. ad Coloſſ.*

(s) Ὡς ἂν εἰ ἀριστεὺς σφαγὰς μεταξὺ καὶ τρόπαια ἱστὰς ἐπιστέλλων. Οὕτω δὲ ἐστὶ καὶ αὐτός.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* COLOSSENSES.

CAPUT PRIMUM.

Chriſtus Jeſus imago Dei, conditor omnium, Caput Eccleſiæ, pacis author Deum inter & homines. Paulus Chriſti miniſter, ut ignotum hactenus illius myſterium nunciet.

℣. 1. PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater:
℣. 2. Eis, qui ſunt Coloſſis, Sanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu.
℣. 3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto, Gratias agimus Deo & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes:
℣. 4. Audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes,
℣. 5. Propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in Cœlis; quam audiſtis in verbo veritatis Evangelii,
℣. 6. Quod pervenit ad vos, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit, ſicut in vobis, ex eâ die, qua audiſtis, & cognoviſtis gratiam Dei in veritate.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS JESU CHRISTI, ET TIMOTHEUS FRATER. Suam Apoſtoli dignitatem, miramque vocationem commendat Paulus, quòd, cùm Coloſſenſes inſtituiſſet, opus erat, ut ſuam ipſius authoritatem in illorum animis confirmaret, Timotheum quoque nominat in fronte Epiſtolæ, ipſis fortaſſe notum, ſaltem ex famâ, ut novum doctrinæ ſuæ pondus adjiciat.

℣. 2. EIS QUI SUNT COLOSSIS, SANCTIS. Optimæ Editiones Græcæ (a) ferunt, *Colaſſis*, non *Coloſſis*; & in inſcriptione, ad *Colaſſenſes*. Utra melior lectio, in Præfatione diſputavimus.

℣. 3. GRATIAS AGIMUS DEO... SEMPER PRO VOBIS ORANTES. Coloſſenſium animos ſuaviter captat, illorumque benevolentiam excitat, teſtatus, ipſos & ſpiritalem illorum progreſſum ſibi curæ eſſe. Vobis gratulor, & grates Deo ago, ℣. 4. *audiens fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in Sanctos omnes*, ſive erga Fideles omnes, toto terrarum orbe diſperſos, ℣. 5, *propter ſpem, quæ repoſita eſt vobis in Cœlis*, quorum bonorum pignora & ſpecimina jam accepiſtis *in verbo veritatis Evangelii*, cognitione Evangelii, quod vobis nuntiari voluit Deus, illudque conſtantiſſimè ſectandi gratiam vobis indulſit.

℣. 6. QUOD PERVENIT AD VOS, SICUT IN UNI-

(a) Τοῖς ἐν Κολασσαῖς ἁγίοις. At legunt multi Κολοσσαῖς. *Steph.* α, ζ, ιγ, *Sin. Hant.* 1, *Cod.* 3 *Velez. Cant. Lud.*

℣. 7. Sicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſervo noſtro, qui
eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Jeſu,
℣. 8. Qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.
℣. 9. Ideò & nos ex qua die audivimus, non ceſſamus pro vo-
bis orantes, & poſtulantes ut impleamini agnitione volunta-
tis ejus, in omni ſapientiâ, & intellectu ſpiritali:
℣. 10. Ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni ope-
re bono fructificantes, & creſcentes in ſcientiâ Dei;
℣. 11. In omni virtute confortati, ſecundùm potentiam claritatis
ejus, in omni patientiâ, & longanimitate cum gaudio,
℣. 12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem
ſortis Sanctorum in lumine;
℣. 13. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in
regnum Filii dilectionis ſuæ,

COMMENTARIUS.

UNIVERSO MUNDO EST. Cùm hanc Epiſtolam Apoſtolus ſcriberet, ſub annum ſcilicet Jeſu Chriſti LXII, Evangelium toto orbe diſſeminabatur, nedum Apoſtolorum operâ, verùm etiam Diſcipulorum, & celeberrimâ novæ illius Religionis cauſâ, & ſanctiſſimis primorum Chriſtianorum exemplis. Vitæ verbum, ceu ſemen eximium optimo ſolo creditum, ſalutis fructus ſerebat: inter cæteros eminebant Coloſſenſes facilitate excipiendæ nunciatæ ſibi veritatis, ejusque ſervandæ conſtantiâ.

℣. 7. SICUT DIDICISTIS AB EPAPHRA CHARISSIMO. Coloſſenſis fortaſſe erat Epaphras. Quo tempore quave occaſione nomen Chriſto dederit, ignoratur; at fortaſſe operâ Pauli, cùm hic inſtitueret Phrygiam, cujus provinciæ nobiliſſima orba erant Coloſſæ. Acceptam Evangelii cognitionem cum civibus communicavit Epaphras, eorumque quamplures ad Chriſtum duxit. Is Romam vênit, ibique in vinculis, quemadmodum & Paulus, detinebatur, cùm Apoſtolus hanc Epiſtolam ſcriberet. Eo hortante, ſcripſit Paulus; cùm enim lolium optimo frumento in Eccleſiâ ſuâ, ſe abſente, ſuperſeminatum a pſeudo-Apoſtolis intelligeret, Apoſtolum, cujus nomen & authoritas ampliſſima in Phrygiâ, & in urbe Coloſſis erant, monuit, ut literas ad Coloſſenſes daret, illos ab erroribus revocaturus. Epaphræ præſtantiam vel hinc cogita, quòd tam multis illum laudibus Apoſtolus cumulet. Feſtum Epaphræ diem Græci agunt XIV Kal. Auguſti, ajuntque martyrio coronatum Coloſſis, cujus orbis erat Epiſcopus. Ut ſanctiſſimi viri authoritatem confirmet Apoſtolus, ejusque ſermonibus pondus adjiciat, *chariſſimum* nuncupat, *conſervum*, *fidelem miniſtrum Chriſti Jeſu*. In Epiſtolâ ad Philemonem (b) *concaptivum ſuum* appellat.

℣. 8. DILECTIONEM VESTRAM IN SPIRITU; Dei amore ſatam, ac ſecretâ Sancti Spiritûs inſpiratione partam. Spiritalem hanc charitatem ex oppoſito objicit carnali profanorum amori: S. Chryſoſtomus (c) de Coloſſenſium benevolentiâ erga Apoſtolum interpretatur.

℣. 9. UT IMPLEAMINI AGNITIONE VOLUNTATIS EJUS. Innuit, deeſſe adhuc aliquam illis cognitionem, prudentiam (d), judicium, quibus opus erat, ut pſeudo-Apoſtolorum malitiam agnoſcerent, inſidiasque devitarent. Nimiâ illi ſimplicitate peccabant, nimioque erga Chriſtum Jeſum obſequio. Terrebantur nempe, docebanturque, homines peccatis obnoxios non decere ad Chriſtum ipſum confugere, utpote moliò ſublimiſſimum, quàm ut ab hominibus adiretur, ſed utendum eſſe Angelorum operâ: denique incautos pſeudo-Apoſtoli jugo Legis ſubjicere conabantur.

℣. 10. UT AMBULETIS DIGNE DEO, dignum Evangelio (e), dignum Chriſto, veſtrâque vocatione (f) vitæ genus inſtituatis; uti pios Chriſtianos decet, bona opera exercentes, ac virtute, cognitione, morum ſanctitate creſcentes.

℣. 11. IN OMNI VIRTUTE CONFORTATI (g), SECUNDUM POTENTIAM CLARITATIS EJUS, per gloriæ ipſius potentiam, ſive per glorioſam illuſtrem ejus potentiam. Qua verò in re ſita eſt virtus iſta, quam Paulus Coloſſenſibus exoptat? Ut ſcilicet omnia ferant *in omni patientiâ & longanimitate cum gaudio*; ut nedum humili ac patienti animo, verùm etiam cum gaudio ferant quicquid triſte & moleſtum eventurum eſt.

℣. 12. QUI DIGNOS NOS FECIT IN PARTEM SANCTORUM IN LUMINE. Qui lumine ſuo nos illuſtrans, ad Evangelium Fidemque vocatos (h), dignos effecit, qui participes eſſemus ſortis Sanctorum, Patriarcharum, verorumque Iſraëlitarum. Peregrini olim eramus, remoti, odio habiti. Gratiam adoptionis, cœli hæreditatem, gloriam immortalitatemque Dei Filius nobis comparavit. Judæi, naturâ filii & legitimi hæredes, ſuâ ipſorum culpâ & incredulitate exciderunt a ſorte, ad quam mero Divinæ miſericordiæ beneficio ipſi appellati ſumus.

℣. 13. QUI ERIPUIT NOS DE POTESTATE TENEBRARUM, Dæmonis tenebrarum principis (i), ethnicæ ſuperſtitionis nocte, errore, peccato, ET TRANSTULIT IN REGNUM FILII DILECTIONIS SUÆ, chariſſimi, vel unici. Apud Græcos enim & Scripturam *Filius chariſſimus* pro *Filio unico* uſurpatur (k). Græcus (l): *Filii dilectionis ſuæ*.

℣. 14. In

(b) *Philemon.* ℣. 23. (c) Ἀγάπην ἐν πνεύματι. Τουτέστι, πνευματικήν οὖν εἰς ἡμᾶς.
(d) *Theodoret.* Ἐνταῦθα δὲ ᾐνίξατο ὡς ἀτελῆ ταύτην ἔχουσι (ἐπίγνωσιν) τοῖς νομικοῖς ἀκολουθοῦντες παρατηρήσεσι. (e) *Philipp.* I, 27. (f) *Epheſ.* IV, 1.
(g) Ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι: *Omni robore roborati*.
(h) I *Petri* II, 9. *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum*.
(i) *Chryſoſt.* Τουτέστι τὴν πλάνης τοῦ διαβόλου τὴν τυραννίδος. *Ita Theodoret. alii*.
(k) *Vide Heinſ. Exercit. ſacr. p.* 94 95; *Euſtat. ad Homer. Iliad.* 2 *de Andromacha*; 70 *in Geneſ.* XXII, 12, 16; *Jerem.* VI, 26; *Amos*, VIII, 10; *Prov.* IV, 3; *Zach.* XII, 10, vel ἀγαπητός ponitur pro unico filio. (l) Τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.

℣. 14. In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum:

℣. 15. Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ:

℣. 16. Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terrâ, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.

℣. 17. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.

COMMENTARIUS.

℣. 14. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM PER SANGUINEM EJUS. Nos morte liberavit Chriſtus, non Lex Moſaica. Si ſalutem hæc afferre potuiſſet, fruſtra in terras veniſſet Chriſtus. Videte igitur, deceat ne infirmæ adeò Legi vos ſubjici: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.*

℣. 15. QUI EST IMAGO DEI INVISIBILIS. In eandem ſententiam ſuperius dixerat (n): *Qui cum in formâ Dei eſſet*; & in ſecundâ ad Corinthios (o): *Qui eſt imago Dei*; & ad Hebræos (p): *Splendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus*, Chriſtus in Evangelio (q): *Qui videt me, videt & Patrem meum. Quomodo tu dicis: Oſtende nobis Patrem? Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Chriſtus ſincera Patris imago eſt, viva adeò ut nihil ſupra; cùm Patrem referat naturâ, potentiâ, mente, æternitate, conſubſtantialitate, ac denique totum.

PRIMOGENITUS OMNIS CREATURÆ; ante omnes creaturas natus. Textus (r) iſte exprimere videtur Chriſtum omnium creaturarum primogenitum eſſe, quod duplici ſenſu exponeretur; altero ſcilicet heretico, ac ſi Chriſtus una eſſet aliqua ex creaturis, cæteras præeminentiâ quadam naturæ ſive ordinis ſive temporis tantummodo ſuperans. Alio verò catholico ſenſu ita acciperetur, ac ſi omnium quotquot creata ſunt, primogenitus eſſet, jam inde ab æternitate & ante reliqua omnia natus. Vel denique *Primogenitus* ideo dicitur, quòd omnibus creaturis principetur. Primogenitus enim ſæpe ille dicitur, qui cæteris ſupereſt. Ut illud (s): *Primogenitum præ Regibus terræ*; ideſt Regum omnium Summum: *Primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ.* Et in Job (t) *Primogenitus mortis.* (Vulg. *Primogenita mors*); qui morti præeſt, ſive imperat. In Apocalipſi (u): *Primogenitus mortuorum*; inter omnes, qui e mortuis ſurrexerunt, clariſſimus; primus & unicus, qui propriâ virtute ſeſe e mortuis in vitam immortalem ſuſcitaverit.

In præſenti autem Primogenitus omnium creaturarum eſt, qui dispotico imperio res omnes creatas ſibi ſubdit; quemadmodum Sapientia (x) de ſe loquitur: *Primogenitus ante omnem creaturam*; ſe ſcilicet jam inde ab æternitate Deum eſſe, proferendisque e nihilo creaturis omnibus præſediſſe. *Primogenitus omnis creaturæ*, perinde valet, ac *genitus ante omnem creaturam*; quemadmodum apud S. Lucam (y) ponitur: *Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrino.* Vide noſtrum Commentarium.

℣. 16. QUONIAM IN IPSO CONDITA SUNT. Deus omnia per Verbum ſuum, Sapientiam, Filium creavit, *Omnia per ipſum facta ſunt* (z), viſibilia ſcilicet & inviſibilia, cæleſtia pariter & terreſtria. Creatoris elogium cum Patre ſuo Chriſtus ex æquo communicat. Res omnes creavit, conſervat, & qua eſt Sapientiâ, gubernat (a). *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*; in ejus gloriam & obſequium, & in exercitium imperii. Græcus non habet: *Per ipſum & in ipſo*; ſed potiùs: *Omnia per ipſum, & ad ipſum creata ſunt.*

SIVE THRONI, SIVE DOMINATIONES, SIVE PRINCIPATUS, SIVE POTESTATES. Quatuor hiſce nominibus deſignari totum quidquid eſt temporalis Poteſtatis quidam opinantur (b); ut *Throni* ſint Reges; *Dominationes*, Reguli, Ethnarchæ, Tetrarchæ, aliique id generis; *Principatus*, provinciarum & urbium Præfecti; *Poteſtates*, Magiſtratus & reliquæ perſimiles minores Præfecturæ.

Sed Veteres Recentioresque (c) vulgò de Principatibus Cœleſtibus, variisque Angelorum claſſibus explicant. *Thronos* de Cherubim Theodoretus accipit; nec enim inſuetum eſt Scripturæ, Cherubim Dei Throno aſſiſtentes conſtituere. *Poteſtates* ſunt Angeli Provinciarum tutelares, ut S. Michael, S. Gabriel, &c. Sed cum res eſt de nominibus hiſce variis Angelorum claſſibus accommodandis, Interpretes diſſidentes in varias abeunt conjecturas. Nec magis convenit inter illos de genuino Hierarchiæ Cœleſtis ordine ſtabiliendo. S. Gregorius (d) tenet, ordinem hìc deſignatum genuinum eſſe, & qualem Apoſtolus in ſuo ad tertium Cœlum raptum ſpectavit (e). Pseudo-Dionyſius Areopagita (f) ordinem, qui in Epiſtolâ ad Epheſios legitur (g), præfert. Conſtat utique hæc exhiberi ad eorum imitationem, quæ in Regnis & Imperiis terreſtribus ſpectantur; ad noſtrum enim captum ſeſe accommodat Spiritus Sanctus in iis, quæ ad Angelorum Hierarchiam pertinent.

℣. 17. IPSE EST ANTE OMNES, ET OMNIA IN IPSO CONSTANT. Chriſtus anterior eſt omnibus, utpote jam inde ab æternitate genitus, ſicut modò animadverſum eſt. Per ipſum, & in ipſo omnia creata ſunt. Nam quòd ſunt res creatæ, quòd ſubſiſtunt, quòd ſervantur, illi debent, ex quo, velut fonte, perennis influxus rebus ſervandis dimanat.

℣. 18. Ipſe

(m) *Heb.* VII, 18. (n) *Philipp.* II, 6.
(o) 2 *Cor.* IV, 4. (p) *Hebr.* I, 3. (q) *Joan.* XIV, 9.
(r) Πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *Theodoret.* Πρωτότοκος τοίνυν ἐςὶ πάσης κτίσεως, οὐχ ὡς ἀδελφὴν ἔχων τὴν κτίσιν, ἀλλ᾽ ὡς πρὸ πάσης κτίσεως γεννηθείς. (s) *Psal.* LXXXVIII, 28. (t) *Job.* XVIII, 13.
(u) *Apoc.* I, 5. (x) *Eccli.* XXIV, 5. *Primogenitus ante omnem creaturam.* (y) *Luc.* II, 2.
(z) *Joan.* I, 3. (a) *Chryſoſt.* Ἐπ᾽ αὐτὸν ἀρτᾶται ἡ πάντων ὑπόςασις. Οὐ μόνον αὐτὸς αὐτὰ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς αὐτὰ συγκροτεῖ νῦν.
(b) *Hamm. Quid. in Zanch. Gemar.* Vide *Epheſ.* III, 10; VI, 12.
(c) *Ita Patres & Interpretes paſſim.* (d) *Gregor. Magn. Homil.* 34 *in Evang.*
(e) *Idem Homil.* 8 *in Ezechiel.* (f) *Dionyſ. de cœleſti Hierarch.* (g) *Epheſ.* I, 21.

℣. 18. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.
℣. 19. Quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare:
℣. 20. Et per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt.
℣. 21. Et vos cùm eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis:
℣. 22. Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo:
℣. 23. Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles a ſpe Evangelii, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in universâ creaturâ, quæ ſub cœlo eſt, cujus factus ſum ego Paulus miniſter.

COMMENTARIUS.

℣. 18. IPSE EST CAPUT CORPORIS ECCLESIÆ; ſive, ut loquitur in Epiſtolâ ad Epheſios (h): *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Chriſtus, qua Deus, imperium ſupra mortales omnes explicat; qua verò Caput Eccleſiæ eſt, peculiari ratione Eccleſiam ſuam, Corpus ſuum myſticum, ac Fideles membra ſua regit & gubernat. Ut enim ex capite vita corporis & motus; ita per Chriſtum in nos vitæ & charitatis ſpiritus transfunditur. Ipſe exordium, ſive *principium* omnium creaturarum, & præſertim Eccleſiæ ſuæ eſt; ipſe *primogenitus ex mortuis*; primus inter illos dignitate & potentiâ; reſurrectionis omnium hominum, ne iis quidem exceptis qui ante ipſum reſurrexerant, fons & origo; unusque pariter qui in vitam nunquam deinceps deponendam redierit (i); unus denique qui vitam pro arbitrio prorogare atque abſolvere potuerit (k). Græcus (l) reddi poteſt: *Primitia*, & *primogenitus ex mortuis*; quod convenit cum illo ad Corinthios (m): *Reſurrexit a mortuis, primitia dormientium*. Reſurrectionem ceu novam nativitatem reſpiciens Apoſtolus, Chriſtum primogenitum ſtatuit, quem cæteri a mortuis reſurgentes, veluti minores natu fratres, ſequuntur.

℣. 19. IN IPSO COMPLACUIT OMNEM PLENITUDINEM INHABITARE; viſum eſt Patri (n) plenitudinem omnem in illo conſtituere. Tota plenitudo divinitatis (o), ſapientiæ, potentiæ & gratiarum in Chriſto inhabitat; ex quo Sancti omnes quidquid gratiarum & donorum poſſident, acceperunt (p): *De plenitudine ejus omnes accepimus*.

℣. 20. PER IPSUM RECONCILIARE OMNIA IN IPSUM; per ipſum & in ipſo reconciliare omnia; ſive potiùs, per ipſum erga Patrem reconciliare omnia (q). Chriſtus omnia Deo Patri per Sanguinem mortemque ſuam, reconciliavit. Sed prior interpretatio melior: Reconciliavit per ſemetipſum *ſive quæ in terris ſive quæ in cœlis ſunt*; homines ſcilicet & Angelos. Sed quomodo Angelos? cùm probi, utpote qui nunquam peccaverint, reconciliatione nullâ indigeant; improbos verò nulla correctionis & reconciliationis ac veniæ ſpes maneat? S. Auguſtinus (r), & Theodoretus (s) reponunt, Chriſtum per Sanguinem ſuum ſimultatem inter Angelos & homines ſuſtuliſſe. Reconciliavit omnia per ſe ipſum & in ſe ipſo, ſibimet, & in gloriam ſuam, &c. Hammondus ita interpretatur verba illa, *Sive quæ in terris ſive quæ in cœlis ſunt*, homines quoscumque Judæos Paganosque. Sed hæc expoſitio coacta, & minimè prona. Confer *Epheſ.* I, 10: Deus *inſtauravit omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terrâ ſunt in ipſo*. Inſiſtit Apoſtolus, urgens reconciliationem redemptionemque nobis a Chriſto partam, ut Coloſſenſes paret ad abjiciendam malam Theologiam pravorum Doctorum, qui pertrahere illos ad rituales Judæorum leges cultumque Angelorum nitebantur.

℣. 23. SI TAMEN PERMANETIS IN FIDE. Tacitè illos ſuggillat, quòd in fide ac præſcriptis ſibi ab Epaphrâ morum regulis nutarent. Illis verò confirmandis addit, Evangelium apud ipſos promulgatum *prædicatum eſſe in universâ creaturâ quæ ſub cœlo eſt*; unde facile erat colligere, illos, ſi ab eo ſecederent, ſegregaturos ſeſe ab univerſis mundi Eccleſiis; larvatosque illos Apoſtolos, qui novum Evangelium venditaverant, opifices eſſe iniquitatis, nullâ miſſione ſive a Jeſu Chriſto ſive ab Apoſtolis ejus pollentes. Denique, conciliaturus ſibi neceſſariam ad ea quæ dicturus eſt authoritatem, monet ſe *miniſtrum factum eſſe Evangelii*, ac deſtinatum ut verba illis faciat, doceat, ſeque adverſarium opponat iis, qui incautos a veritatis tramite avertebant. Reconciliatio veſtra, Chriſti redemptio, ejusque Sanguis fruſtra vobis cedent, niſi ſtabiles ad exitum usque perſeveraveritis in fide, quam Epaphras vobis prædicavit, & ego quantâ valui authoritate confirmavi.

(h) *Epheſ.* I, 22. (i) *Auth. Reſponſ. ad Orthodox. Reſp.* 85: Εἰς γὰρ ἀθάνατόν τε καὶ ἄφθαρτον ζωὴν οὔπω γέγονέ τινος, ἡ ἀνάστασις πλὴν τοῦ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. (k) *Joan.* X, 18.
(l) Ὅς ἐστιν ἀρχή, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. *Theophyl.* Ἀρχή, φησιν, ἐστὶ τῆς ἀναστάσεως, πρὸ πάντων ἀναστάς. (m) I *Cor.* XV, 20.
(n) *Ita Ambroſiaſt. Eraſm. Eſt. Grot. alii.*
(o) *Vide Coloſſ.* II, 9; *Chryſ.* Τὸ πλήρωμα περὶ θεότητος εἴρηκεν. (p) *Joan.* I, 16. *Vide Eſt. Zanch. Grot. &c. Quid. Codd. Latini addunt, Divinitatis. Ita Hieronymiaſt. Theophyl.* Τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. *Comment.* (q) *In ipſum, ideſt, in Patrem. Eſt. Vide Rom.* V, 10; 2 *Cor.* V, 18, 19.
(r) *Aug. Enchirid. c.* 61, 62, 63.
(s) *Theodoret. hic*: Ἀπεστρέφοντο γὰρ ἡμᾶς καὶ τοὺς ἀγγέλους οἱ δῆμοι διὰ τὴν πολλὴν πονηρίαν. *Vide & Chryſ. & alios.*

℣. 24. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne meâ, pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia:

℣. 25. Cujus factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, ut impleam verbum Dei:

℣. 26. Myſterium, quod abſconditum fuit a ſæculis, & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis ejus,

℣. 27. Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriæ ſacramenti hujus in Gentibus, quod eſt Chriſtus, in vobis ſpes gloriæ,

℣. 28. Quem nos annuntiamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem, in omni ſapientiâ, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu,

℣. 29. In quo & laboro, certando ſecundùm operationem ejus, quam operatur in me in virtute.

COMMENTARIUS.

℣. 24. ADIMPLEO QUÆ DESUNT PASSIONUM CHRISTI IN CARNE MEA PRO CORPORE EJUS, QUOD EST ECCLESIA; mala ſcilicet tolerans pro corpore ejus, &c. Nihil utique non perfectum paſſio Chriſti referebat, nihil ſupplendum reliquerat. Commiſſum ſibi a Patre opus plenè Chriſtus abſolvit (t); nec ſpiritum e cruce emiſit, niſi poſtquam teſtatus fuit (u): *Conſummatum eſt*. Paſſionis & ſanguinis ejus meritum infinitum eſt, quod proinde nullis incrementis ex hominum virtutibus & perpeſſionibus augeri poteſt; cùm præſertim ex eodem Sanguine totum quod ineſt operibus ſuis probis meritum homines referant. Quid eſt igitur quod in carne ſuâ adimplet Apoſtolus? Chriſti perpeſſionibus quid patiendo addit?

Reponitur, Chriſtum mala pro nobis tolerando, non idcirco nos a perpeſſionibus, a cruce, a virtutum exercitatione, a pœnitentiâ in expiationem noſtrorum criminum exemiſſe. Monet S. Petrus (x), Chriſtum ardua toleraſſe, ut exemplo ſuo nos invitaret ad veſtigia ſua relegenda. Atque ita meritò aſſeri poteſt, ſupereſſe Chriſto aliquid agendum, & aliquid, non quidem in ſe, ſed in membris ſuis (y) tolerandum.

Paſſio Domini, ait S. Leo (z), *uſque ad finem perducitur mundi .... in omnibus qui pro juſtitiâ adverſa tolerant, ipſe compatitur.*

S. Chryſoſtomus, & Theophylactus notant hîc, Chriſtum effusè adeo nos amaſſe, ut tolerare mortem pro ſalute noſtrâ non contentus, pati adhuc in membris ſuis voluerit; ceu Rex, qui glorioſis vulneribus relatis, aciem tamen deſerere non ſuſtinet, niſi vicario ſui muneris relicto, qui pro ſe reliqua omnia diſcrimina adeat (a). Alii (b) ſententiam Apoſtoli ſic explicant; Ego qui olim, Eccleſia Chriſti mala plurima ut toleraret, effeci; nunc viciſſim pro illâ tolero ea quæ deſunt perpeſſionibus, ad quas Chriſtus me invitavit. *Paſſiones Chriſti* hîc non deſignant quæ Chriſtus in ſe toleravit, ſed quæ pro nomine ſuo ab Apoſtolo toleranda fore prædixerat. *Act.* IX, 16.

℣. 25. CUJUS FACTUS SUM EGO MINISTER. Hæc urget, ut jam animadvertimus, ne reponant Coloſſenſes, fruſtra illum docendos ſeſe ſuſcepiſſe, cum Apoſtolus ipſorum non ſit.

℣. 26. MYSTERIUM QUOD ABSCONDITUM FUIT A SÆCULIS. Æterna verbi Generatio, Incarnatio, Ortus, Vita, Mors, Reſurrectio Chriſti, Evangelii prædicatio, Gentium vocatio cum reprobatione Judæorum, myſteria ſunt Hebræis non uſquequaque ignota; ſed confusè adeo menti eorum obverſabantur, ut meritò aſſerere potuerit Apoſtolus, illa, quantum ad rationem qua mandari executioni debuerant, ignota a ſæculo fuiſſe; nec viris ſanctis, niſi a tempore prædicationis Apoſtolorum patuiſſe. Igitur Chriſti Evangelium æternum eſt (c); in arcanis Providentiæ latuit uſque ad tempus ab æterno ejus conſilio definitum.

℣. 27. DIVITIAS GLORIÆ SACRAMENTI HUJUS; quantæ ſint divitiæ gloriæ myſterii hujus; ſive quæ ſit majeſtas, gloria, magnitudo hujus myſterii, Evangelii ſcilicet Gentibus nuntiati, cujus beneficio filii Dei, cohæredes Chriſti, corporis ejus membra, ſpiritûs ejus, gratiæ & gloriæ conſortes efficiuntur (d): *Gentes eſſe cohæredes & concorporales & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Jeſu per Evangelium.* In eo igitur myſterium hoc totum conſtituitur, quòd credatur Chriſtus, & in eo ſpes collocetur: *Quod eſt Chriſtus in vobis, ſpes gloriæ.*

℣. 28. QUEM NOS ANNUNTIAMUS, CORRIPIENTES OMNEM HOMINEM. Miniſtrum agens Evangelii, totâque Apoſtoli authoritate pollens, corripiendos, arguendos, erudiendos ſuſcipio, quotquot indigere meis admonitionibus arbitror, ſive illi ex meis diſcipulis ſive ex alienis fuerint. Cùm veritatis ſanæque doctrinæ oſores lolium inter triticum ſerere ſtudeant, cur nobis audendum non erit illis reſiſtere, & liberiùs arguere eos, qui credulis auribus eorum dicta perbiberint?

℣. 29. IN QUO ET LABORO CERTANDO. Id mihi conſtitui, ut omnes homines perfectos reddam, quantum valeo fretus Dei ope, qui potenter in me agit, quique tantam mihi largitur ſtrenui animi virtutem, ut adverſarios omnes veritatis debellem.

CA-

(t) *Joan.* XVII, 4.

(u) *Joan.* XIX, 30. (x) I *Petri*, II, 21. (y) *Vide Aug. in Pſalm.* LXI, *&* LXXXVI; *Greg. Magn. l.* 3 *Moral. c.* 11; *Anſelm. Cajet. Eſt. alii paſſim.* (z) *Leo Magn. ſer. ult. de paſſione Domini.*

(a) *Chryſ. Theophyl.* Ὥσπερ ἂν εἴ τις στρατηγὸς ἀπελθόντος, ὁ ὕπαρχος πρὸς τῆς φάλαγγος ὑπερμαχῶν, εἰς τὴν ἐκείνου τόπον στὰς, τὰ ἐκείνου τραύματα αὐτὸς ἀναδέχοιτο.

(b) *Clericus in hunc locum, & Artis critic. parte* 3, *ſect.* 2, *c.* 22.

(c) *Apoc.* XIV, 6: *Habentem Evangelium æternum, &c.* (d) *Ephes.* III, 6.

CAPUT II

Pseudo-Doctores. Jeſu Chriſti amplitudo. Vera circumciſio. Dæmones cruce ſuperati. Angelorum cultus, & Legis ritus inutiles.

℣. 1. VOlo enim vos ſcire, qualem ſolicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne:

℣. 2. Ut conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectûs, in agnitionem myſterii Dei Patris, & Chriſti Jeſu:

℣. 3. In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

℣. 4. Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum.

℣. 5. Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.

℣. 6. Sicut ergo accepiſtis Jeſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate,

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUALEM SOLLICITUDINEM HABEAM PRO VOBIS. Authoritate ſuâ in Coloſſenſium animis confirmatâ, amoris & æſtimationis erga illos ſuæ ſpecimina exhibet. Græcus ita reddi poteſt (a): *Gaudeo, quòd noveritis quam pugnam gero veſtri causâ, & Laodicenſium.* Domeſticis externiſque præliis, ob illorum ſalutem & emendationem, exagitabatur: pſeudo-Doctorum, quorum dogmata damnabat, furori & nequitiæ ſe ipſe objiciebat; arduam rem aggrediebatur, conatus corrigere homines non ſatis ſibi exploratos, quorum in animis non ita dominabatur, ut in cæteris, quibus prima Religionis elementa ipſe tradiderat: charitas denique, fervor, ſollicitudo quærendæ Fidelium omnium ſalutis, domeſticas intra ipſum pugnas curaſque pariebant.

Laodicenſes jungit Coloſſenſibus, quòd eſſent finitimi, & utraque gens peſſimas pſeudo-Doctorum inſtitutiones fortè hauſiſſent. Codices nonnulli (b) addunt *Hierapolim*, deſumptam ex Capite IV, ℣. 13, ubi Epaphras legitur ſtudioſiſſimus rerum Laodiceæ & Hierapoleos, quemadmodum & Coloſſarum; idemque tres haſce urbes inſtituiſſe videtur. Eccleſias iſtas non fundaverat Paulus, eaſque complectitur iis verbis: *Quicumque non viderunt faciem meam in carne.*

℣. 2. UT CONSOLENTUR CORDA IPSORUM (c). Fieri non poterat, quin his benevolentiæ & amoris argumentis, quæ tantæ dignitatis ac virtutis Apoſtolus exhibebat, vincerentur; eoque omnino confirmari debebant adversùs inanes pſeudo-Doctorum terrores ac tumultus, quòd tradita ſibi ab Epaphra Apoſtolo ſuo dogmata, Pauli authoritate confirmarentur. Illos igitur docere aggreditur, ut impleantur *omnibus divitiis plenitudinis intellectûs, in agnitionem myſterii Dei Patris, & Chriſti Jeſu*, & diſcant, ipſorum perfectionem & ſalutem non ex Lege, non ex Angelorum cultu operâque, ſed ex fide Jeſu Chriſti profectu-ram (d).

℣. 3. IN QUO SUNT OMNES THESAURI SAPIENTIÆ. Lux & ſapientia eſt Chriſtus, veritas & vita: erras, ſi ab eo deflectis; at illum ſequens audienſque, falli non potes. Aures igitur ne præbeatis philoſophiæ, ſcientiæ Legis, inanibuſque myſteriis illorum, qui novas a ſe doceri vias gloriantur: una eſt via, Chriſtus Jeſus.

℣. 4. NEMO VOS SEDUCAT IN SUBLIMITATE SERMONUM. Pſeudo-Doctores, ſpretâ Evangelii doctrinâ, quam & ſimplicem nimis & vulgarem exiſtimabant, myſteria ſectabantur ſtudio exquiſita & ſublimia, miſcebantque eloquentiæ lepôres philoſophicis argutationibus, commendatâ Legis præſtantiâ, & ſupremâ Dei majeſtate, veluti humanis cognitionibus precibuſque inacceſſâ. Græcus (e): *Nemo vos decipiat probabilitate ſermonis*, oratione ſpecioſâ & probabili. Fugite ſophiſtas, veriſimilia nonnulla tradentes, minimè tamen vera, quibus in errorem rapiamini.

℣. 5. NAM ETSI CORPORE ABSENS SUM, &c. Romæ tunc in vinculis detinebatur Apoſtolus, & nunquam Coloſſenſes præſens viderat: at ſuam erga illos benevolentiam, & ſollicitudinem perfectionis illorum conatur oſtendere: ait, ſeſe animo intueri optimum *ordinem* (f) *ipſorum, & firmamentum fidei, quam habent in Chriſto Jeſu*: diſciplinam, ordinem, concordiam, morum ſanctitatem, &c. acceptæque fidei firmam ſinceramque defenſionem. Veteres nonnulli pro, *firmamentum ejus, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ*, legunt: *Id quod deeſt utilitati fidei veſtræ.* Quæ lectio profecta eſt ex Codice Græco vitiato & perperam reddito (g).

℣. 6. SICUT ACCEPISTIS .... IN IPSO AMBULATE. Conſtanter tenete fidem, quam docuit Epaphras, novaſque res quaſcumque, aut quocum-

(a) Ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν. (b) Καὶ τῶν ἐν Ἱεραπόλει, *addunt Steph. 10, Cov. 2.*

(c) Ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν. (d) *Theodoret. hic.*

(e) Μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται ἐν πιθανολογίᾳ. *Clarom. S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. In ſubtilitate ſermonum, vel, verborum. Vulg. Æth. Calarit. Hieronymiaſt. In ſublimitate. Theodoret.* Ἀπατηλοῖς μὴ ὑπάγεσθαι λόγοις. (f) Τὴν τάξιν, *id eſt*, εὐταξίαν. *Chryſ.*

(g) *Græc. impreſſ. & Mſſ.* Καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν. *S. Germ. & Clarom. Lat. Et id quod deeſt utilitatis (vel utilitati) fidei veſtræ. Ita & Facund. l. 12, c. 1; Et Ambroſiaſt. Supplens id quod deeſt utilitati fidei veſtræ. Quaſi legiſſent:* Καὶ τὸ ὑστέρημα τῆς χρείας πίστεως ὑμῶν.

℣. 7. Radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati fide, ſicut & didiciſtis abundantes in illo in gratiarum actione.

℣. 8 Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum ſecundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum:

℣. 9. Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:

COMMENTARIUS.

que colore indutas, rejicite.

℣. 7. Abundantes in illo in gratiarum actione. Vel ex Græco (h): *Magis magiſque creſcentes*, inſtar fluminis aggeres ſuperantis, *in ipſâ* fide, *in gratiarum actione*. Augeatur indies fides veſtra, & aſſiduas Deo gratias agite, quòd vos ad fidem vocaverit. Nequid ex illâ mutetis, aut vel minimum turbetis.

℣. 8. Per philosophiam, aut inanem fallaciam. Pseudo-Apoſtoli, adversùs quorum artes Paulus Coloſſenſes munit, philoſophicis argumentationibus utebantur, ac præſertim Platonicis principiis, quæ eo tempore plurimi æſtimabantur, ut illorum fidem infirmarent. Tradunt Hebræorum Libri, ſub Aſmonæis Principibus, ſcilicet Macchabæis, qui Judæam poſt Antiochum Epiphanem moderabantur, latam fuiſſe hanc legem: *Maledictus, qui Græcorum philoſophiam filium docet*. At iſtam Legem vel falsò commenti ſunt, vel minimè ſervavere: Judæi quippe ſupremis Reipublicæ temporibus Græcorum ſtudia amaverunt; teſtibus Philone, Joſepho, Scriptore Libri Sapientiæ, Jeſu Sirachide, Authore Libri De Imperio Rationis. Nihil ſcire tunc putabatur, qui Philoſophiam ignoraret. Id plurimi omnium a Græcis æſtimabatur. Mirum igitur non eſt, Pseudo Doctores, quos damnat Apoſtolus, cùm Græcos homines alloquerentur, profanam Philoſophiam oſtentaſſe.

Inanem fallaciam (i), vanas argutias. Philoſophorum collectiones, vel excogitatas oratorum actiones intellige. Maximo in pretio erat apud Græcos eloquentia; a veris Apoſtolis negligebatur. At pseudo-Doctores, quicquid blandius eſt ad captandam auditorum attentionem & curioſitatem, eo utebantur.

Secundum traditionem hominum. His verbis perſpicuè ſignificantur traditiones, quas Phariſæi Moſaicæ Legi ſubtexuerant, & Chriſtus in Evangelio tam aliè damnavit. Conabantur illi, ad Legis omniumque rituum, veteri traditione fultorum, obſervationem Coloſſenſes pertrahere.

Secundum elementa mundi (k); elementa ſcilicet profanæ ſcientiæ, philoſophiæ, politices, curioſarum artium, aſtronomiæ; ſive etiam celeberrimorum Philoſophorum inſtituta, veluti Stoicorum, Platonicorum, Pythagoreorum, quibus peculiares erant vivendi inſtitutiones religioneſque, abſtinentiæ leges, luſtrationes, ritusque profani; ſeu denique Judæorum ſive Judaizantium dogmata, qui Legis ritibus innumeras hominum obſervationes, traditionibus ſuis fretas, admiſcebant. Hæc fortaſſe Apoſtolus nuncupavit *elementa mundi*, utì oppoſita Religionis Chriſtianæ principiis, ſimplicibus maximè, ſuperſtitione vacuis, & mundi hujus ac ſæculi cognitione ſuperioribus.

Græci Patres (l) *elementa mundi* interpretantur ſolem, lunam, aſtra, quorum ex motu religioſa Judæorum tempora & feſta legem modumque accipiebant: his addi poteſt vis aſtrorum; quæ omnia inania ſunt, & nonnulla, veluti aſtrorum vis in res humanas agens, a Chriſtianâ Religione damnantur; alia, ceu Judæorum feſta, & rituales Legis obſervationes, poſt Evangelii prædicationem reddita ſunt inutilia.

℣. 9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (m). Fruſtra & philoſophis & Judaizantium inſtitutionibus aures præbetis, cùm nomina dederitis fidei Jeſu Chriſti, in quo theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ, & univerſa Divinitas habitant: reverâ ipſe pleniſſimè, ſuâque naturâ Deus eſt: Divinitas in eo reſidet *corporaliter*; adeò ut ex divinâ humanâque naturis per hypoſtaſim conjunctis una perſona conficiatur (n). Verbi Divinitas non modò Chriſti animæ, verùm etiam corpori ſeſe adjunxit. Ita ex humanitate, quæ conſtat ex animâ & corpore, & Jeſu Chriſti Divinitate, unus conficitur Deus-Homo, & Homo-Deus (o). Apud Scripturam *corpus* pro eo uſurpatur, quod opponitur nudæ rerum ſpeciei & ſimilitudini. Utì umbra opponitur corpori, figura veritati, ſolidum corpus phantaſtico, ita τὸ *corporaliter* opponitur meræ ſpeciei, figuræ, imagini, &c.

Corporaliter ab aliis (p) ita explicatur, quaſi Apoſtolus ſignificaverit Jeſu Chriſti conjunctionem ut Eccleſiæ Capitis cum Eccleſiâ, myſtico ipſius corpore, ac Fidelibus, ejus corporis membris. Hiſce conjungitur utì Homo-Deus, totam Divinitatem in ſe ipſe complectens. S. Cyrillus apud Theophylactum (q): Divinitas in Chriſto habitat *corporaliter*, ita ſcilicet utì anima corpori conjungitur, ſuapte naturâ, præter diviſionem ac mixtionem; hoc tamen diſcrimine, quòd anima ſejungi poteſt a corpore; Divinitas verò Corpus Jeſu Chriſti, ad quod ſemel acceſſit, nunquam vel in ipsâ morte ac ſepulcro deſeruit. Similis eſt S. Auguſtini interpretatio (r): *Corporaliter dictum eſt, quia in Chriſti corpore, quod aſſumpſit ex Virgine, tamquam in templo habitat Deus.*

Optima tamen omnium videtur explicatio, quæ

(h) Περισσεύοντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριστίᾳ. (i) Κενῆς ἀπάτης. (k) Κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν. (l) *Chryſoſt. Theodoret. Confer Galat.* IV, 3, 9.

(m) Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. *Non legunt* σωματικῶς *Iren. l.* 5, *c.* 5; *Cyprian. de bono patientiæ.* (n) *Vide Davenant. Zanch. Piſcat. Theophyl.* Σωματικῶς, τουτέστιν, οὐκ ἔστιν ἐνέργεια τις, ἀλλ' οὐσία, καὶ ὡς σωματωδῶς, καὶ μία ὑπόστασις ὤν μετὰ τοῦ προσλήμματος. (o) *Eſt. Men. Camer.*

(p) *Chryſ.* Σωματικῶς, ὡς ἐν κεφαλῇ σῶμα. *Theodoret.* Ἡγοῦμαι τοίνυν ἐπειδὴ κεφαλὴν τῆς ἐκκλησίας ὀνόματι τὸν Χριστὸν, δῆλον δὲ ὅτι κατὰ τὸν ἄνθρωπον ἡμῶν ἐστὶ κεφαλή, ὡς καὶ περὶ ἀνθρώπου καὶ ταῦτα εἰρῆσθαι, πᾶσαν ἐν αὐτῷ εἰρηκότος τὴν θεότητα.

(q) *Cyrill. apud Theophyl.* Σωματικῶς. Ὡς ἂν ἐν σώματι ἐνοικήσῃ ψυχή. Ἐνοικεῖ δὲ αὐτῇ σώματι οὐσιωδῶς, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀφύρτως. (r) *Aug. Ep. olim* 57, *nunc* 187, *n.* 39.

Digitized by Google

℣. 10. Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatûs, & poteſtatis:

℣. 11. In quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu factâ in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti:

℣. 12. Conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitavit illum a mortuis.

℣. 13. Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta:

℣. 14. Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci:

COMMENTARIUS.

quæ τὸ *corporaliter* uſurpat pro *per eſſentiam*. Rei corpus apud Hebræos eſt res ipſa uti verè eſt. *Corpus diei* (s), *corpus munditiei* (t), *corpus peccati* (u), *corpus mortis* (x), *corpus Eccleſiæ* (y) pro die, munditie ſive morum innocentiâ, peccato, morte, Eccleſiâ, ex eſſentiâ ſumptis, uſurpantur. Ita plenitudo, perfectio, univerſitas *Divinitatis inhabitat in Chriſto Jeſu corporaliter*, reipsâ, per eſſentiam, alio planè modo quàm quo in nobis habitat Deus. *Verè Deus in nobis eſt*, ait Apoſtolus (z), & *implemur in omnem plenitudinem Dei* (a); *templum Dei* ſumus; corpora noſtra *templum ſunt Spiritûs Sancti* (b): at in uno Chriſto Jeſu verè dicitur ineſſe *omnis plenitudo Divinitatis*, ſeu Deitatis, *corporaliter*.

℣. 10. Et estis in illo repleti, qui est caput (Christus). Per Chriſtum Jeſum abſolutiſſimâ ſcientiæ, gratiarum, omniſque juſtitiæ univerſitate donamini; adeo ut præter illum neque philoſophiæ inſtitutis, neque Legis obſervationibus, neque humanis cognitionibus ad ſanctitatem conſequendam indigeatis. Omnia in Chriſto Jeſu, Evangelio, Eccleſiâ accipitis. Nemini igitur aures præbeatis, Magiſtro & Capite veſtro, Jeſu Chriſto, contenti. Ipſe *eſt caput omnis principatûs & poteſtatis*, infinitoque intervallo ſuperat cœleſtes quaslibet Virtutes, quarum cultum vobis ſuadent pſeudo-Apoſtoli, hortanturque, ut, cùm Patrem exoratis, earum operâ utamini. Angelorum Princeps eſt Chriſtus, quemadmodum eſt Caput Eccleſiæ; ipſiſque Angelis aditus ad ſolium majeſtatis per Chriſtum datur (c).

℣. 11. In quo circumcisi estis circumcisione non manufacta. Sunt qui circumciſionem, ac Legis rituum obſervationem vobis ſuadeant; ne aſſentiamini. Carnis circumciſio Judæis eſt, vobis circumciſio mentis; illa quidem manu hominum peracta, veſtra per Jeſu Chriſti & Spiritûs Sancti virtutem. Illa ſupervacaneam corporis partem aufert; hæc peccato vos exuit. Hæc igitur vera, utilis, bona circumciſio eſt; Judaica inutilis.

In expoliatione corporis carnis. Judæorum circumciſio manu hominum perficitur, atque in minimæ partis humani corporis abciſſione conſiſtit. At vera circumciſio ea eſt, quam docuit Chriſtus, noſque ſpirituali modo in baptiſmo accepimus. Sequuntur hanc explicationem Latini complures (d); at quam priore loco recitavimus, quæ *exſpoliationem corporis carnis* interpretatur de exſpoliatione carnis, veteriſque hominis, juxta illa Apoſtoli (e), *Vetus homo noſter ſimul cum Chriſto crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati*, hanc Patres & Interpretes præſtantiſſimi amplectuntur (f). Græcus (g) pro *exſpoliatione corporis carnis*, legit: *In exſpoliatione corporis peccatorum carnis*. At Syrus, & Codices optimi ac vetuſtiſſimi, cùm Græci tum Latini, omittunt *peccatorum*, & Vulgatæ aſſentiuntur (h).

℣. 12. Consepulti ei in baptismo. Exuiſtis veterem hominem, vobis ipſi mortui eſtis, quodammodo cum Chriſto Jeſu crucifixi, unâque in baptiſmo ſepulti; denique ſimul in vitam rediiſtis, e ſalubri hoc balneo egreſſi, ut is qui novo vitæ genere donatus, novus homo efficitur. Eadem ita jam vidimus in Epiſtolâ ad Romanos (i). Quanti igitur probri res fuerit, o Coloſſenſes, ſi laudibus hiſce neglectis, Legis jugum inaneſque religiones nullius meriti virtutiſque ſubieritis?

℣. 13. Et vos cum mortui essetis in delictis et præputio carnis vestræ, vos Chriſtus ad vitam revocavit. Quid igitur ex circumciſione, cæteriſque commendatis religionibus præſtolamini? Alteram ne vitam iſtæ largientur, aut veſtris vos criminibus expiabunt? Nihil hac argumentatione validius, ut Legis & Circumciſionis inutilitas oſtendatur. Per baptiſmum & Chriſti fidem purgati eſtis peccatorum labe, quo tempore neque Circumciſionem neque cætera Legis onera ſubieratis. Illa igitur minimè ſunt ſaluti neceſſaria.

℣. 14. Delens quod adversus nos erat chirographum decreti (k), quod erat contrarium nobis. Creditor debitoris chirographum delens, tabulaſque & nomina diſcindens, ſatis innuit, ſeſe illi debitum remittere. Univerſi homines ob-

(s) *Geneſ.* VII, 13; XVII, 23. *Exod.* XII, 17; *Levit.* XXIII, 4. (t) *Job*, XXII, 30. (u) *Rom.* VI, 6.
(x) *Rom.* VII, 24. (y) *Coloſſ.* I, 18. (z) 1 *Cor.* XIV, 25: Θεὸς ὄντως ἐν ὑμῖν ἐστιν.
(a) *Epheſ.* III, 19: Ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ.
(b) 1 *Cor.* III, 17; VI, 19; 2 *Cor.* VI, 16.
(c) *Epheſ.* I: *Conſtituens Chriſtum ad dexteram ſuam, in cœleſtibus, ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, &c. Vide Eſt. Grot. Zanch. Chryſoſt. Theodoret. &c.*
(d) *Ita Latini plures. Cornel. hic. Vide Aug. l. 14 de Trinit.* (e) *Rom.* VI, 6.
(f) *Ita PP. Græci, Eſt. alii.* (g) Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός.
(h) Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῆς σαρκός. *Ita Germ. Clarom. Borner. G. L. Alex. Barb. 1, Æthiop. Copht. Clem. Alex. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt.* (i) *Rom.* VI, 3, 4.
(k) *Quidam: In decretis. Ita Ambroſiaſt. & Aug. Ep.* 59, *qu.* 7. *Alii: Decretis. Græc.* Τοῖς δόγμασι. *Col.* 7: Σὺν τοῖς δόγμασι. *Valez.* Δόγματος. Reddi poteſt Græcus: *Delens quod adverſùs nos erat chirographum decretis ſuis.*

℣. 15. Et expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.

℣. 16. Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum:

℣. 17. Quæ ſunt umbra futurorum: corpus autem Chriſti.

COMMENTARIUS.

obſtricti eramus Deo, nec ſolvendo pares: debita noſtra ultro ſubiit Chriſtus, tabulas fregit, Patrem placavit, ſuâ ipſius vitâ ob noſtram ſalutem exhibitâ. Quod verò chirographum, quæ tabulæ, quibus Deo obſtricti eſſe evincebamur? Qua ratione debito nos Chriſtus exſolvit? Cave dixeris, nos per Chriſtum ſolutos lege amoris ac ſervitutis, quæ Deo ita ab unoquoque debentur, ut nullo unquam tempore eâ lege liber quis eſſe poſſit. Noſtris itaque criminibus nos ſolvit Chriſtus, modò ea execremur, utamurque adminiculis in eam rem ab ipſo inſtitutis; amplectamur ſcilicet Baptiſmum ac Pœnitentiam, & per ea participes efficiamur bonorum, quæ moriens Chriſtus nobis promeruit.

Quod adversùs nos erat chirographum, vel fœdus erat, a Deo initum cum Adamo, quo violato, cùm primus homo, tum poſteri mortis pœnam ſubierant (l); vel fœdus cum Moyſe populoque Iſraëlis in Sinai monte percuſſum (m); cujus conditionibus ferebatur futurum, ut, ſi populus in fide & obſequio permaneret, bonis omnibus a Deo cumularetur; refractarium Deus rejiceret, aliamque gentem ſeligeret Deus dociliorem ac fideliorem. Damnationis tabulæ ipſa Lex erat: latâ Evangelicâ Lege, eas tabulas nobis inimicas delevit Chriſtus. Græcus hanc explicationem poſtulat: *Delens quod adversùs nos erat chirographum decretis*, inſtitutionibus ſuis. Confer hunc locum cum Epiſtolâ ad Epheſios, II, 15: *Legem mandatorum decretis evacuans*; eadem quippe eſt ſententia. Evangelium Legi ſubſtituit; ſua decreta Moſaicis.

Affigens illud Cruci, quaſi ipſum deleri ſignificaret. Mos eſt quibusdam in locis, ait Grotius, clavis tranſfigendi edicta antiquata. Is tunc etiam in Aſiâ videtur fuiſſe, & ad eum alludere Paulus. At plerique (n) probabiliùs cenſent, Paulus ad Chriſti mortem ſpectare. Affixus eſt Cruci Chriſtus, in eâque ſuſpendit quodammodo Moyſis Legem, hominum debiti tabulas, ut oſtenderet, ſeſe huic debito ſatisfacere, illudque delere, novo fœdere ſubſtituto. Reorum patibulis nomina damnationis plerumque imponebantur. Vide animadverſa in *Matth.* XXVII, 37.

℣. 15. Expolians (o) principatus et potestates, traduxit confidenter (p) palam triumphans illos. Nedum Deo eramus obnoxii, verùm etiam Dæmonis mancipia. Chriſtus non modò Patrem placavit, ſed & Dæmones, quorum tyrannide opprimebamur, vicit, proſtravit, armis exuit, in triumpho duxit, ita ut orbis univerſus inſpiceret. Confer Chriſti parabolam de forti armato, quem fortior ſuperat, *Luc.* XI, 21. Similitudinem deſumit Apoſtolus a Romanis triumphantibus, qui ſolebant

. . . . . *Captos oſtendere civibus hoſtes.*

Triumphans illos in semetipso. Græcus (q): *Devictis iis in ipsâ* cruce. Ita veteres multi interpretantur (r). Alii complures Vulgatæ aſſentiuntur. Diſcrimen oritur ex uno apice, cujusmodi olim in Græcis libris minimè notabantur.

℣. 16. Nemo ergo vos judicet (damnet) in cibo aut in potu. Spernite inanes Judaizantium metus: Vetitum eſt hoc cibi genus; vel potiùs: illud purum eſt, iſtud impurum. Per ſe impurum eſt nihil: omnia munda mundis (s). Cibi complures vetiti Judæis erant; totoque Nazaræatûs tempore nefas erat vino uti.

Aut in parte diei festi, aut neomeniæ. *In parte*, ſcilicet *in negotio*, *in causâ* (t). Nemo vos terreat in iis, quæ ad feſtos Judæorum dies pertinent, neque vos illorum religione obſtringi ſuadeat. Cenſent alii (u), *in parte diei feſti* ſignificare quoſdam feſtos dies, non univerſos; ſatis enim intelligebatur, Coloſſenſes non poſſe omnia Iſraëlitarum feſta ſervare, quàm latè illa patebant & religione & modo a Moyſe imperatis. Satis erat rerum Judaicarum ſtudioſis, inquiunt, ut ea vel partim a Coloſſenſibus ſervarentur. At ſiqua erat ſervandorum religio, cur non omnia? Si autem erant inutilia, cur vel ex parte? Aliam explicationem, meâ ſententiâ coactam, producit Hammondus (x): Nemo vos damnet ſuper ſectione de Feſtis agente; ſuper Librorum Hebræorum articulo, ad Religioſa illorum feſta ſpectante. Clericus (y): Nemo vos damnet, quòd in ſacrorum dierum cenſu Judaica feſta, Neomenias, Sabbatha, non poſueritis. Prior explicatio maximè omnium proclivis & ſimplex.

℣. 17. Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Iſta quidem rerum futurarum umbra ſunt: at earum rerum veritas & corpus eſt Chriſtus. Feſti Judæorum dies, cæterique Legis ritus figuræ & umbræ ſunt, in Chriſto Jeſu & Eccleſiâ implendæ. Juge feſtum eſt Chriſtiana Religio, ajebat Origenes (z). *Corpus autem*

(l) *Theodoret. & Chryſoſt. Theophyl. Cornel. Men. Tirin.*

(m) *Vat. Grot. Zeger. Vorſt. Hamm. Zanch. Davenant. Gemar. Vide & Eſt.*

(n) *Theodoret. alii paſſim.*

(o) *Berner. G. L.* Ἀπεκδυσάμενος τὴν σάρκα, τὰς ἐξουσίας, *&c. Latin. Exutus carnem, principatus, & poteſtates. Ita Syr. Novatian. de Trinit. c. 26; Aug. Hilar. Pacian. Amb. l. 3 de fide, c. 2: Exuens ſe carne.* (p) Ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ. *Auguſt. l. 4 de Trinit. c. 13; l. de agone Chriſtiano, c. 2: Exemplavit, &c.* (q) Θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ, *ſuppl.* σταυρῷ: *In ipſâ cruce. Alii:* Ἐν αὐτῷ: *In ſeipſo.* (r) *Origen. lib. 2 contra Celſ. & in Commentariis ſæpiùs:* Ἐν σταυρῷ, *vel,* ἐν ξύλῳ. *Ita & Athanaſ. de incarnat. Verbi; Chryſoſt. Macar. homil. 2; Epiph. Rufin. homil. 8; Origenes in Jeſue. Vide Theodoret. Theophyl. Oecum. Arab. Æth.*

(s) *Tit.* I, 15; *Rom.* XIV, 20. (t) *Confer 2 Petri*, IV, 16: Ἐν τῷ μέρει τούτῳ. *Act.* XIX, 27; *2 Cor.* III, 10: Ἐν τούτῳ τῷ μέρει. IX, 3: Ἐν τῷ μέρει τούτῳ. *Vide Grot. Vat. Zeger.*

(u) *Theodoret. Chryſoſt. Theophyl. Eſt. Men. Zanch.* (x) *Hamm. ex Joſeph. Scalig. & Iſaac. Caſaub. ep. 24, quaſi* μέρος *idem ſit ac* פרק *ſeu* חלק (y) *Cleric. not. in Hamm.* Κρινέτω ἐν μέρει ἑορτῆς, *id eſt,* ὅτι οὐ τίθετε ἐν μέρει ἁγίων ἡμερῶν ἑορτὰς ἰουδαϊκάς, *&c.*

(z) *Origen. contra Celſ. l. 6, 8, p. 404.*

℣. 18. Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.

COMMENTARIUS.

autem Chriſti, Hujosmodi feſtorum res ipſa, veritas, corpus, Chriſti eſt; omnia in Chriſto Jeſu, ejusque Eccleſiâ & aſſeclis explentur (a), Veteres quidam (b) hæc verba cum conſequentibus jungunt: *Corpus autem Chriſti, nemo vos ſeducat*. Qui Myſticum eſtis Chriſti corpus, ne a quoquam decipiamini; vel ex Græco: *Nemo vos fraudet*, debitoque vobis præmio ſpoliet. Deſumpta eſt ex publicis ludis ſimilitudo; in quibus Judices erant, quorum ſententiâ præmia & coronæ diſtribuebantur. Hi quandoque vel gratiâ vel ſimultate donabant immeritos, meritosque præmio arcebant (c). Fideles monet Apoſtolus, ne palmam ſibi iniquè eripi patiantur; id quod, aurem falſis Doctoribus præbentes, omnino faciebant.

℣. 18. VOLENS IN HUMILITATE ET RELIGIONE ANGELORUM, QUÆ NON VIDIT AMBULANS; Græcus (d): *Ingrediens*. Humili corporis habitu gaudens, ſuperſtitioſo Angelorum cultu, de iis quæ ignorat disputans. Damnat Apoſtolus ſuperbiam, audaciam, ſuperſtitionem illorum, qui, cùm arrogantiâ tumeant, humilem corporis habitum affectant, ſuperſtitioſum Angelis cultum exhibent, & de rebus ignotis diſſerunt. Angelorum opem invocandam aſſerunt eo nomine, quòd Dei majeſtas ſit inacceſſa mortalibus. Moyſis Legem commendant, ajuntque, eam eſſe ſaluti neceſſariam, quippe a Deo per Angelus hominibus latam (e).

Angelorum cultus neque in Lege, neque in Prophetis, neque in moribus ſanctiſſimorum Veteris Teſtamenti hominum cernitur. Neque tamen inficias iverim, Angelos, cùm ſeſe ſpectandos hominibus præbuere, aut Dei nomine & loco loquuti ſunt, ſupremi cultûs ſignificationes ex hominibus accepiſſe: hæ tamen ad Deum, cujus Miniſtri & legati erant, referebantur (f). Solutâ captivitate Judæi curioſiùs indagavere Angelorum naturam, eosque ex muneribus nominibusque diſtinxere, ac paulatim cultu aliquo proſecuti ſunt. Vide noſtram Diſſertationem de bonis malisque Angelis, & argumenta, quibus ibi evicimus, Angelos a Judæis noſtrorum temporum coli, quamquam illi id a ſe fieri negent. Gaulminus (g) in Notis ad Moſis vitam demonſtrat, Sanctorum Angelorumque interceſſionem a Judæis teneri, & utrosque precibus invocari; ac potiſſimùm ex libro R. Abrahami Salomonia recitat orationem, qua Michaël Archangelus exoratur.

Disputat Philo de Angelorum naturâ, muneribus, bonorumque & malorum diſcrimine: & quodam in loco ait, ſi Angelorum naturam probè noverimus, graviſſimo nos onere, ſcilicet ſuperſtitione, levari (h). Joſephus (i), ac deinde Porphyrius (k), tradunt, Eſſenos, cùm ſectam ſuam profiterentur, ſolitos jurare, ſeſe omnes hæreſeos ſuæ libros religioſiſſimè ſervaturos, fortaſſe ſacra volumina, & Angelorum nomina; ex quo colligas, illos cultu aliquo proſequutos. Scriptor Libri vetuſtiſſimi de Petri Prædicatione, apud Clementem Alexandrinum (l), ait, Angelos, Archangelos, Menſem quoque & Lunam religioſo cultu a Judæis donari. Celsus accuſabat Judæos (m), quòd nedum Angelos, verùm etiam Cœlum venerarentur. Aſſerit Tertullianus (n), Simonem & Cerinthum pluris feciſſe Angelorum, quàm Chriſti Jeſu interceſſionem; docetque S. Hieronymus (o), illos non modò per Cœlum, ſed & per Angelos jurare conſueviſſe. Judæi recentiores Angelorum cultum, quem tenere dicuntur, a ſe amoliri pro viribus ſtudent. Vide noſtram Diſſertationem de bonis malisque Angelis.

Animadvertit hîc Theodoretus (p), cultum Angelorum, quem pseudo Apoſtoli in Phrygiâ & Piſidiâ docuerant, altas adeò in iis regionibus radices egiſſe, ut Laodicenâ Synodo, anno 357 ſeu 367 habitâ, cautum fuerit, nequis Angelos precibus invocaret; atque adhuc ætate ſuâ apud eas gentes finitimasque ſacella fuiſſe Michaëli Archangelo dicata, teſtatur Theodoretus. At Concilii a Theodoreto recitati verba non adeò acria ſunt, ut ille ait, feruntque ſolummodo (q): *Quoniam non decet, Chriſtianos deſerere Eccleſiam Dei, abire, Angelos invocare, & privatos cœtus agere.*

Pro iis, *Quæ non vidit ambulans*, de iis quæ nunquam novit disputans, Græcus fert: *Occupans*, uſurpans *quæ non vidit*. Græci Latinique Codices quidam negante particulâ omiſsâ legunt: *Faſtuosè inſedens in iis quæ videt* (r), aſtrorum ſcilicet, eorumque virtutis & influxûs cognitione. At inutilis labor eſt, ſententiæ certò corruptæ interpretationem quærere. Illud vult Apoſtolus, eorum, quos ipse hîc damnat, ſtudium eſſe, ut nomina dent Angelis, eosque in claſſes diſtribuant, quaſi Angelorum agmina in Cœlis ipſi ſpectarint.

FRUSTRA INFLATUS SENSU CARNIS SUÆ, inanibus rationis humanæ ſigmentis. Neglectis rebus, quæ

(a) Τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. *Phot.* Τουτέστι ἡ ἀλήθεια. *Ita Chryſ.* Ἡ δὲ ἀλήθεια ἐπὶ Χριστοῦ γέγονε.

(b) Τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω. *Ita Cod. Alex. & alii quid, libri, ut teſtantur Chryſ. Theophyl. hic. Heſych. in Levit. xv, 12. Aug. Ep. ad Paulinum.*

(c) Καταβραβεύειν δέ ἐστι τὸ ἀδίκως βραβεύειν. *Theodoret.* Καταβραβεύειν δέ ἐστιν, ὅταν ἕτερος μὲν νικᾷ, ἕτερος δὲ λαμβάνῃ τὸ βραβεῖον. *Ita Theophyl. Chryſoſt. Eraſm. Eſt. Vat. Zeger. Men. alii.*

(d) Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων.

(e) *Vide Theodoret. hic, Theophyl. Grot. Men. Eſt. alios.*

(f) *Exod. III, 4, 5; Joſue, V, 15; Geneſ. XVIII, 2, &c.* (g) *Gaulmin. not. in Petirath Moſe, c. 4, p. 301.* (h) *Philo de Gigantib. p. 286:* Ψυχὰς οὖν δαίμονας, καὶ ἀγγέλους ὀνόματα μὲν διαφέροντα, ἓν δὲ καὶ ταὐτὸν ὑποκείμενον διανοηθεὶς ἄχθος βαρύτατον ἀποθήσῃ δεισιδαιμονίαν.

(i) *Joſeph. l. 2 de Bello, c. 12.* (k) *Porphyr. lib. 4 de abſtin. p. 381.*

(l) *Clem. Alex. l. 6 Strom. p. 635, 636;* Μηδὲ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους σέβεσθε, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνοι οἰόμενοι τὸν Θεὸν γινώσκειν, οὐκ ἐπίστανται λατρεύοντες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σελήνῃ, &c.

(m) *Origen. contra Celſ. l. 5.* (n) *Tertull. lib. de præſcript. c. 43.*

(o) *Hieron. in Matt. v; & qu. 10 ad Algaſiam.* (p) *Theodoret. hic;* Οὗ δὲ χάριν καὶ συνελθοῦσα σύνοδος ἐν Λαοδικείᾳ τῆς Φρυγίας νόμῳ κεκώλυκε τὸ τοῖς ἀγγέλοις προσεύχεσθαι.

(q) *Concil. Laodicen. can. 35:* Ὅτι οὐ δεῖ Χριστιανοὺς ἐγκαταλείπειν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, καὶ ἀπιέναι, ἀγγέλους ὀνομάζειν, καὶ συνάξεις ποιεῖν. (r) Ἃ ἑώρακεν ἐμβατεύων. *Ita Cod. Alex. Claromont. S. Germ. G. L. Baroc. Cant. 3; Origen. l. 5 contra Celſ. Ambroſiaſt. Calarit. Quidam Codd. teſte Aug. Ep. ad Paulinum.*

℣. 19. Et non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei.

℣. 20. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi; quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?

℣. 21. Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis:

℣. 22. Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta, & doctrinas hominum:

℣. 23. Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.

COMMENTARIUS.

quæ Spiritus Sanctus per Scripturas docuit, mentis ſuæ deliria ſectantur; glorianturque, ſe eanoſſe, quæ a carne & ſanguine, quibus ipſi conſtant, tradi nequeunt.

℣. 19. Et non tenens caput, ex quo totum corpus. Inter animi ſui ludibria inſaniunt & paſcuntur, ſpreto Jesu Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ, omnibusque myſtici hujus Corporis membris motum vitamque largitur, ſive ipse per ſe, ſive per Apoſtolos, Concionatores, Miniſtros. Hi ceu varia corporis vaſa & nervi ſunt, quibus cibus, calor, & vita in totum corpus deſertur: *Quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratur.* Chriſtum Jeſum, Eccleſiæ Caput, Angelis cœleſtibusque Virtutibus, qui voluntatis Chriſti miniſtros agunt, opponit. Confer cum Epheſ. IV, 15, 16. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit.*

℣. 20 Si ergo mortui eſtis cum Christo in elementis hujus mundi, de quibus actum eſt ℣. 8; ſive humanas artes intelligat, philoſophiam nempe, aſtronomiam, cæterasque; ſive Judaizantium traditiones & conſuetudines. Hiſce omnibus mortui ſunt Chriſtiani in Chriſto Jeſu: abdicavere curioſas artes, quas miratur mundus, & inanes Judæorum ritus. Cur igitur, o Coloſſenſes, quaſi adhuc in mundo vitatis, de iſtis ſententiam fertis? *Quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis* (s)? Cur dicitis: ℣. 21, *Ne tetigeritis* hoc, *neque guſtaveritis* illud, *neque* iſtud *contrectaveritis*? Iſtane diſcrimina decent Chriſtianos, quos Chriſtus Legis jugo liberavit, docuitque, nullam eſſe utilem ſcientiam præterquàm Crucis, unâ fide purum effici hominem aut impurum, ciborum diſcrimina eſſe antiquata? Cur more puerorum ad elementa mundi, primaque inanis ſcientiæ principia diſcenda revertimini, qui ad ſublimem fidei philoſophiam & Jeſu Chriſti cognitionem tranſitis?

Patres, & Interpretes complures Græcum paſſivè uſurpant (t): *Quid doceri vos ſinitis?* ſive, *Quid decretis oneramini*, vel *tenemini*? quaſi adhuc ſub elementis mundi ſitis. Cur novorum Doctorum dogmata amplectimini, quaſi non ſatis edocti vias Dei, & Chriſtianæ Religionis principia? Mihi verò neceſſe non videtur, traditam a Vulgato Interprete, vetuſtisque Latinis Patribus explicationem mutare.

℣. 21. Ne tetigeritis .... 22, Quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu (u). Verba ſunt Coloſſenſium, mutuò monentium, ex recentiorum Doctorum inſtitutionibus, quid purum ſit, quid impurum, quo veſci fas ſit aut nefas; ſive Doctorum Judaizantium, qui Coloſſenſes inſtituebant. At quorſum iſta, inquit Apoſtolus, cùm omnia, quibus alitur homo, corrumpantur, ipsoque uſu percant? *Quæ ſunt omnia in interitum.* Igitur *non quod intrat in os, coinquinat hominem*, ait Chriſtus (x), *ſed quod procedit ex ore, coinquinat hominem; cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c.*

Purorum impurorumque ciborum diſcrimina ſunt, addit Apoſtolus, *ſecundùm præcepta & doctrinas hominum.* Non quòd ea, quæ apud Moyſem de quorumdam ciborum abſtinentiâ uſuque leguntur (y), ex Deo, uti & cætera Legis præcepta, non deſcenderint; ſed quòd vel ejusmodi inſtitutiones mera fuerint veterum conſuetudinum inter Judæos ante Legem receptarum confirmatio: atque ita ex ipſo ſui initio humanæ dumtaxat ſunt inſtitutiones. In mentem revoca, purorumque impurorumque animalium diſcrimen Noëmi tempore audiri conſueviſſe (z). Sive quòd ea dogmata, quæ Coloſſenſibus ſervanda tradebantur, humana tantùm ab ipſis inventa haberentur, cùm & ab Judaico genere abeſſent ipſi, & ii, a quibus docebantur, neque Dei miſſione, neque ullâ in eos poteſtate gauderent. Denique ait Tertullianus (a), ita pseudo-Doctorum dogmata non Moſaicâ Lege freta fuiſſe, ſed Angelorum authoritate, quos divinitus exhibitos cibis quibusdam ſibi interdixiſſe mentiebantur.

℣. 23. Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, &c. Quæ quidem ſapientiæ ſpeciem ſuperſtitione atque affectatâ modeſtiâ præſeferunt; durâ corporis afflictatione, & carnis neglectu. Abſtinentia, jejunium, carnis afflictatio nedum apud Judæos Chriſtianosque, ſed apud Ethnicos etiam, ceu nobiliſſimæ Religionis exercitationes, plurimi ſemper habita fuere; quique majorem vulgari ſanctitatem quærere conati ſunt, aliquid deſideriis commodisque corporis ſubtrahere nunquam non ſtuduerunt. Quamobrem optimè ait Paulus, abſtinentiam ciborumque delectum, Coloſſenſibus ſuaſum, aliquam ſapientiæ ſeu Religionis ſpeciem præſeferre. Iſta igitur non damnat Apoſtolus, quippe quæ per ſe & optima & utiliſſima eſſe queunt: at malum illorum uſum arguit, in eo poſitum, quòd Doctores ii rerum

Ju-

(s) Τί ὡς ζῶντες ἐν κόσμῳ δογματίζεσθε; (t) Τί δογματίζεσθε; Cyprian. ad Quirin. l. 3, § 11: *Quid vanam ſectamini?* (u) Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει: *Quæ ſunt omnia in corruptionem ex abuſu, alii, ἐν ἀποκρίσει, in egreſſione.* Theodoret. Oecumen. Theophyl. Φθειρόμενα γὰρ ἐν τῇ γαστρί, διὰ τοῦ ἀφεδρῶνος ὑπαῤῥεῖ. (x) Matt. XV, 11, 18. (y) Levit. XI.

(z) Geneſ. VII, 2, & ſeqq. Vide Grot. Eſt. (a) Tertull. l. 5 contra Marcion. c. 19, aliquos taxat, qui ex viſionibus angelicis, dicebant ſibi abſtinendum. Vide & Eraſm. hic.

Judaicarum ſtudioſi neceſſaria ſaluti eſſe contenderent.

Græcus ita reddi poteſt (b): *Quæ ſpeciem habent ſapientiæ, ſi ſponte exerceantur* (c), *& modeſtè humiliterque*, minimè damnatis iis, qui aliter ſentiunt; *ſi piâ afflictationis curâ* id fiat, *ut ſubtrahantur corpori commoda, quibus hoc abuti poteſt*. Sin verò aliam ob cauſam exerceantur, puta, ſi ceu impuram rejicias rem a Deo creatam, vel a moribus tuis alienos aſpernere, ſive iſta exiſtimes ſaluti neceſſaria: tunc planè non inutilia modò futura ſunt, verùm etiam noxia & perniciosa (d).

Alii ita explicant (e): Iſta quidem ſapientiæ ac Religionis ſpeciem præſeferunt, dum ad corporis afflictationem atque abſtinentiam ducunt; at ſuperſtitione ſucatâque humilitate corrumpuntur. Illud pariter ea vitiat, quòd neceſſariam muneribus ſuis exercendis alimoniam corpori ſubtrahunt. Prior explicatio maximè omnium probabilis, ac menti Apoſtoli proxima mihi videtur. Subtractam corpori alimoniam, qua illud abuti poteſt, *Non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, recenſet Apoſtolus inter ea, quæ ſapientiæ ſimilia videntur; cùm juxta poſtremam explicationem hac ipsâ ſubtractione cætera omnia ſuperſtitionis & hypocriſis arguantur. Cæterùm *honor corporis* hoc loco pro corporis alimoniâ uſurpatur (f). Vide 1 *Cor.* XII, 23; 1 *Timoth.* V, 17; *Matth.* XV, 3; *Marc.* VII, 12.

CAPUT III.

Quære cœleſtia. Mortui ſumus in Chriſto. Corpus doma: novum hominem indue: pacem & charitatem ama. Mutua viri, uxoris, parentis, filii, domini, ac ſervi officia.

℣. 1. IGitur, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens:

℣. 2. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

℣. 3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.

℣. 4. Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ.

℣. 5. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus:

COMMENTARIUS.

℣. 1. SI CONSURREXISTIS CUM CHRISTO, QUÆ SURSUM SUNT QUÆRITE. Superiori Capite, ℣℣. 12. 13, 14, 15, 20, docuit, Chriſtianos in Chriſto Jeſu mortuos, eſſe atque in vitam rediiſſe per baptiſmum ipſius Chriſti nomine acceptum: atque ex his viam ſibi ſtruxit refutandis pseudo-Apoſtolis, illud molientibus, ut Coloſſenſes ad Legis obſervationem cultumque Angelorum pertraherent. Redit hîc ad inſtitutum, commendandi ſcilicet Jeſu Chriſti amplitudinem, ac docendi, omnia ex uno eo nobis eſſe expectanda, non ex obſervatione Legis, aut Angelorum interceſſione. Si mortui eſtis, ac reſurrexiſtis in Chriſto, novum ac penè cœleſte vitæ genus ducite, utpote membra Capitis in Cœlo regnantis, voſque aliquando excepturi in Cœlum, regnoque donaturi.

℣. 3. MORTUI ENIM ESTIS, ET VITA VESTRA ABSCONDITA EST CUM CHRISTO IN DEO. Mortui eſtis mundo & peccato, atque uni Chriſto vivitis. Vulgari vitâ utentes vos aſpicit mundus: hanc ego minimi facio: ſpiritalem vitam volo, ignotam hominibus, atque uni Deo cognitam: vitam nempe juſtitiæ, fidei, charitatis, qua quicquid geritis agitatur, Deoque gratum efficitur. Cùm Chriſtus Nicodemum alloquens (a) diceret, opus eſſe, ut aſſeclæ ſui novam vitam viverent, ceu homines redivivi, ac renati, inclytus ille in Iſraële Doctor rem non intellexit. Ita Paulus ad Coloſſenſes ſcribens, vivendum illis eſſe uti redivivis, ignotâ cæteris oratione utebatur, vitamque ſignificabat uni Deo & Sanctis exploratam. Explicari etiam hic locus poteſt de ſpe reſurrectionis (b), qua illud efficitur, ut in Cœlis quodammodo adhuc in carne vivamus: hæc tamen vita abſcondita in Deo eſt, in ſæculorum exitu manifeſtanda. ℣. 4: *Cùm Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriâ.*

℣. 5. MORTIFICATE ERGO MEMBRA VESTRA. Ut vitam in Deo abſconditam agatis, atque hic cum Chriſto moriamini, cum eo deinde reverſuri in vitam, atque in Cœlo regnaturi, hinc initium facite, ut mactetis quicquid carneum in vobis eſt, terreſtre, corruptum; incontinentiam, flagitium, pravas cupiditates, avaritiam, malaque cætera, quibus homo vetus ceu membris conſtat. Iſta quippe in Cœlum non excipientur: nihil carneum, vitiatum, immundum reverſurum eſt in vitam, & cum Chriſto Jeſu regnaturum. Corporis afflictatio interiorem iſtam & abſconditam vitam vobis pariet nutrietque. Ubi peccato mortui fueritis,

(b) Ἅτινά ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός. (c) Ἐθελοθρησκεία non ſemper malam in partem ſumitur; ac propriè aliud non ſonat, præter cultum ſpontaneum, non imperatum.
(d) *Vide Grot.* (e) *Eraſm. Eſt. Men. alii. Theodoret.* Τοῦτο δὲ προφανῶς δουλεία, καὶ τῆς τιμῆς τῆς διδομένης ἀφαίρεσις. Γνώμῃ γὰρ ἀπέχεσθαι δεῖ, οὐχ ὡς βδελυκτῶν, ἀλλ' ὡς ἡδίστων.
(f) *Eraſm. Vat. Grot. Eſt. Men. Tir. Zanch. J. Capell. Voſt. alii.* (a) *Joan.* III, 2, 5.
(b) *Chryſ. Theodoret. Theophyl. Grot.*

℣. 6. Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis:

℣. 7. In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cùm viveretis in illis.

℣. 8. Nunc autem deponite & vos omnia; iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro

℣. 9. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis,

℣. 10. Et induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum.

℣. 11. Ubi non eſt Gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scyta, ſervus & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.

℣. 12. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam;

COMMENTARIUS.

ritia, ita reſurgetis cum Chriſto, vitâque juſtitiæ vivetis.

LIBIDINEM. Græcum (c) complures explicant maſculam libidinem. Alii genericè pravam voluptatis cupiditatem.

AVARITIAM, QUÆ EST IDOLORUM SERVITUS (d). Avaritia genus adorationis eſt, pecuniarum Deo exhibitæ, uti Chriſtus in Evangelio innuit (e): *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Quemadmodum nullum peccati genus in Deum eſt Idololatriâ gravius, quòd illa in ipſius Divinitatem recto impetu feratur; ita nobiliſſimâ ex parte Divinitas avaritiâ læditur, quippe qua mens animusque hominum Deo ablatus ad pecuniam convertitur. Optimi quidam Interpretes (f) *avaritiam* hic explicant immodicam turpis voluptatis cupiditatem, uti vidimus ſupra, *Epheſ.* v, 5. Apud Scripturam frequenter idolorum cultus *fornicatio* nuncupatur; atque Hebræorum in fide inconſtantia paſſim adulterii nomine arguitur: ita viciſſim vitia pudicitiæ contraria dici queunt idololatria; membra enim Chriſti numini voluptatis proſtituunt, Divinoque iſti Capiti flagitioſiſſimè illudunt.

℣. 6. PROPTER QUÆ VENIT IRA DEI SUPER FILIOS INCREDULITATIS, veritati repugnantes. Significat vel homines diluvio vetuſtiores, quos Petrus in priori Epiſtolâ (g) *incredulos* nominat; vel Chananæos a Joſue cæſos fugatosque, qui pariter *increduli* in Epiſtolâ ad Hebræos (h) nuncupantur. Horum flagitia erant impudicitia & maſcula libido.

℣. 7. IN QUIBUS ET VOS AMBULASTIS, antequam nomina Chriſto daretis. Flagitia vel turpiſſima in ipſis etiam Religionis rebus profana ſuperſtitio vel probabat, vel diſſimulabat.

℣. 8. NUNC AUTEM DEPONITE ET VOS OMNIA flagitia, IRAM, INDIGNATIONEM, &c. quibus veteris hominis membra conſtantur. ℣. 9. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Hoc olim fuiſtis. Nulla deinceps harum ſordium veſtigia in vobis ſunto. Novum hominem, Chriſtum Jeſum, moribus imitamini (i). Ita vos exhibete ut in eo renatos. ℣. 10. *Induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem.* Ad conditoris veſtri imaginem vos fingite: *Secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Communis omnium Conditor eſt Chriſtus, nedum naturâ, qua homines ſumus, verùm etiam qua Chriſtiani, adoptivi Patris filii, & membra Servatoris, qui caput eſt Eccleſiæ.

℣. 11. UBI NON EST GENTILIS ET JUDÆUS. Codices Græci Latinique complures (k) legunt: *Ubi non eſt mas & fœmina, Gentilis & Judæus.* In Chriſto Jeſu, in Eccleſiâ, Chriſtianâque Religione nulla potior eſt cujusque apud Deum ratio: pares apud illum omnes ſumus: omnes ille vocat, omnes excipit, ſeseque communem omnibus facit. Accedite, credite, amate, Chriſto induimini per Baptiſmum: omnes in cenſu filiorum habet Deus. Ne igitur decipiamini ſuaſionibus Judæorum in id incumbentium, ut credatis, neminem, niſi per circumciſionem ac Legis obſervationem, ſacri fœderis fieri poſſe participem. Novas Chriſtus vias aperuit, disjecit diſcriminis parietem (l), hominum omnium causâ mortem oppetiit, omnibusque poteſtatem fecit, ut meritis ſuis gaudeant, modò ne miſericordiæ ſuæ ſint contumaces.

Græcus plerumque opponitur *Judæo* (m), & genericè pro Gentili uſurpatur; Apoſtolorum enim ætate finitimi Judæis populi, ac poſt Magnum Alexandrum Græco ſermone utentes, gentiles erant. *Barbarus* opponitur Græco, ſermonis causâ. *Scythæ* barbarorum incultiſſimi habebantur (n). Barbarum Scythæ opponit, ut incultiori minùs incultum.

OMNIA IN OMNIBUS CHRISTUS. Quicquid ad ſalutem quæri poteſt, in Chriſto naneiſcimur: vitam ſcilicet, ſanctitatem, gratiam, virtutum omnium exemplar, meritorum fontem, Advocatum, Interceſſorem, Servatorem, Magiſtrum, Principem, patrem, fratrem; cibum, ſolatium, vires, ſalutem. Quamobrem fruſtra præter illum quæſiveris interceſſores Angelos, & in Legis obſervatione fontem juſtitiæ. Iſta omnia in Chriſto habes.

℣. 12. INDUITE VOS, SICUT ELECTI DEI, novo homine. Hac unâ ratione gratiam Patris ineas, ac

(c) Πάθος, *libido prepoſtera, cùm maſculè turpia patiuntur.* Ita *Syr. Grot. Vat. Eſt. Men. Gemar. Vorſt.*

(d) Καὶ πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία.

(e) *Matt.* vi, 24. (f) *Hieronym. in Epheſ.* v, 5. *Eſt. Ham.* (g) 1 *Petri*, iii, 20.

(h) *Heb.* xi, 31. (i) *Vide Epheſ.* iv, 23. 24; *Rom.* vi, 4.

(k) Οὐκ ἔνι ἄρσεν, καὶ θῆλυ. *Ita Clar. S. Germ. Boraer. G. L. Hieronymiaſt. & Ambroſiaſt. Sedul. Edit. Sixti V, Codd. Latt. multi; Maſculus & fœmina, ex Gal.* iii, 28.

(l) *Epheſ.* ii, 14. *Confer Epheſ.* vi, 8, *Rom.* x, 12; 1 *Cor.* xii, 13; *Galat.* iii, 28.

(m) *Act.* xiv, 1, xviii, 4; xix, 10, xx, 21; *Rom.* i, 14, 16; ii, 9, 10; iii, 9, *&c.*

(n) *Vide ad* 2 *Macc.* iv, 47.

℣. 13. Supportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam: ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.

℣. 14. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis:

℣. 15. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore; & grati eſtote.

℣. 16. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientiâ, docentes, & commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratiâ cantantes in cordibus veſtris Deo.

℣. 17. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

℣. 18. Mulieres, ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino.

℣. 19. Viri, diligite uxores veſtras, & nolite amari eſſe ad illas.

℣. 20. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino.

COMMENTARIUS.

ac dignus fias, qui inter filios & Electos in Cœlo ab ipſo recenſeare.

℣. 14. SUPER OMNIA CHARITATEM HABETE. Ea quippe virtutum omnium princeps & nobiliſſima eſt. Eadem *eſt vinculum perfectionis*. Hæc ſi abſit, nulla eſt apud Deum virtus (o): ea Fideles cum Eccleſiâ, eoſdemque invicem, & cum Chriſto Jeſu Principe ſuo conjungit. Quamobrem vinculum eſt perfectiſſimum (p), *vinculum perfectionis*. Veteres quidam (q) legunt, *vinculum unitatis*, non, *vinculum perfectionis*.

℣. 15. PAX CHRISTI EXULTET. Græcus ad verbum (r): *Pax Dei*, vel ex aliis, *Pax Chriſti palmam ferat*, vel tribuat palmam *in cordibus veſtris*. Tranquilliſſimam inter odia & inimicos concordiam ſervate. Pacem habetote uti victoriæ veſtræ palmam, ut curriculi præmium. Satis ampla merces vobis futura eſt, ſi pacem & concordiam cum omnibus ſervaveritis. Primum hoc eſt vocationis veſtræ propoſitum. *In pace vocavit nos Deus*, ait idem alio loco (s).

ET GRATI ESTOTE (t). Aſſiduas ob vocationem gratias Deo agite. Manſuetudinem erga omnes colite, ita ut omnium amicitiâ & benevolentiâ gaudeatis (u). Redit ad id quod ſupra monuit, ut pacem cum omnibus ſervent.

℣. 16. VERBUM CHRISTI HABITET IN VOBIS ABUNDANTER. Aſſiduum vobis ſtudium eſto Dei verbum (x): legite, meditamini, animo verſate (y): hymnos, & pia carmina recitate. Evolvite Chriſti verba & inſtitutiones, quas ex Epaphra Apoſtolo veſtro didiciſtis, atque aures claudite novis rebus profaniſſimis, quas pſeudo Doctores porrigunt. Falsò Eccleſiam accuſant hoſtes (z), quòd filios a ſacrorum voluminum lectione arceat. Nunquam enim id voluit Eccleſia: ſed metuens, ne pro Chriſti calice, Babylonis calicem bibant, ſapientiſſimè præſcripſit, præſertim turbatis Eccleſiæ temporibus, ut ex Paſtorum manibus acciperentur Textus ac Verſiones, quas illi moribus inſtituendis aptiſſimas exiſtimarent, eaque removerentur, quibus Fideles in errorem ac perniciem trahi poſſent.

℣. 17. OMNE QUODCUMQUE FACITIS IN VERBO, AUT IN OPERE, OMNIA IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI (a). Eamdem ſententiam habet in primâ ad Corinthios (b): *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Hic veſtrarum actionum finis eſto & propoſitum. Quærenda vobis non ſunt fortunæ bona, honor, exiſtimatio, cupiditatum expletio, ſed una Dei gloria & voluntas in omnibus. Si fieri nequeat, ut propoſitum Deo placendi actu ipſo vobis inſit, illud omnino neceſſe eſt, ut habitu ſaltem intra vos maneat (c), ſiquidem gerere digna præmio & vocationis veſtræ ſanctitate cupitis.

GRATIAS AGENTES DEO PER IPSUM; ſive ut idem ad Ephesios (d): *Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deo & Patri*, uti Mediatoris, ſine quo noſtræ gratiarum actiones nullius meriti apud Deum eſſe poſſunt: quamobrem alios, præter Chriſtum, Mediatores quæritis. Unus vobis ſufficit Chriſtus, & præter illum nemo (e).

℣. 18. MULIERES, SUBDITÆ ESTOTE VIRIS, SICUT OPORTET, uti æquum eſt, IN DOMINO, uti Chriſtianas uxores decet, ac præcipit Dominus; minimè verò in iis, quæ Dei voluntati Legibuſque repugnant. Quæ ad hunc & proximum ℣. pertineat, vide nos in *Epheſ.* v, 22, 24, 25.

℣. 20. FILII, OBEDITE PARENTIBUS, &c. Vide *Epheſ.* vi, 1, 2, 3. Tò *per omnia* definiri debet ex ſuperioribus verbis, ℣. 18, *In Domino*.

(o) 2 *Cor.* xiii, 1; *Rom.* xiii, 8; *Galat.* v, 14.
(p) *Vat. Grot. Men. Le Clerc.* (q) *Græc.* Σύνδεσμος τῆς τελειότητος. *Alii*, τῆς ἑνότητος. *S. Germ. Clarom. Boerner. G. L. Ambroſiaſt. fortè ex Epheſ.* iv, 3. (r) Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ βραβευέτω. *Alii plures*, τοῦ Χριστοῦ. (s) 1 *Cor.* vii, 15. (t) Καὶ εὐχάριστοι. (u) *Eraſm. Vat. Pag. Men. Zanch. Grot.* (x) Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ. *Alii*, τοῦ Θεοῦ. *Ita Cod. Alex. Arab. Theod. Colb.* 7, *alii quidam*. *Alii*, Κυρίου. *Copt. Clem. Alex.* (y) *Vide Chryſ. Theophyl. Theod. alios.* (z) *Zanchius*, & *Davenant. hic.*
(a) Latini Libri complures ferunt: *In nomine Domini Jeſu Chriſti facite*: at neque Græcus, neque optimæ Editiones legunt τὸ *facite*. (b) 1 *Cor.* x, 31. (c) *D. Thom. Eſt.* (d) *Epheſ.* v, 4, 20.
(e) *Theodoret.* Δι' αὐτοῦ, μὴ δὶ ἀγγέλων.

℣. 21. Patres, nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant.

℣. 22. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum.

℣. 23. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus;

℣. 24. Scientes quòd a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſervite.

℣. 25. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit: & non eſt perſonarum acceptio apud Deum.

COMMENTARIUS.

Quicquid Divinis legibus & voluntati non adverſatur. Idem de ſervis dicito, ℣. 22.

℣. 21. PATRES, NOLITE AD IRACUNDIAM PROVOCARE FILIOS. Vide *Epheſ.* VI, 4.

℣. 22. SERVI, OBEDITE. Vide *Epheſ.* VI, 5, 6, 7, 8.

℣. 23. QUODCUMQUE FACITIS, EX ANIMO OPERAMINI. Servos alloquitur, monetque ut in ſervitute maneant, obeantque ſuæ conditionis munera piâ animi demiſſione, atque hilariter obtemperent Providentiæ conſiliis, cujus decreto in eam conditionem redacti fuere; certò ſpectantes, futurum ſibi a Domino laborum ſuorum præmium, ſi ex animo dominis temporalibus ſervierint. ℣. 24: *Scientes, quòd a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Servo quidem ex hominum Lege nulla eſt hæreditas; at *in Chriſto Jeſu non eſt ſervus & liber* (f): omnes quippe filii ſumus Altiſſimi, & communis eſt Cœli hæreditas, uti cujusque merita & labores tulerint.

DOMINO CHRISTO SERVITE (g). In heris Chriſtum ipſum obſervate. Græcus (h): *Domino enim Chriſto ſervitis.* Vel ut habent alii (i): *Hæreditatis Jeſu Chriſti Domini noſtri, cui ſervitis.*

℣. 25. QUI ENIM INJURIAM FACIT, RECIPIET ID QUOD INIQUE GESSIT; ſive dominus erga ſervum (k), ſive erga dominum ſervus (l). Æquiſſimus iniquitatis judex eſt Deus, nullâ cujusquam ratione habitâ. Si ſervus domino debet obſequium, dominus ſervo æquum imperium. Vide Caput IV, ℣. 1, ubi iſta ad dominos potiſſimùm ſpectare videntur.

CAPUT IV.

In oratione vigilandum. Sapienter agendum cum externis. Quæ ad Paulum pertinent, docebit Tychicus. Salutationes variæ. Hæc Epiſtola Laodicenſibus perlegenda. Archippus munus ſuum expleat.

℣. 1. DOmini, quod juſtum eſt & æquum, ſervis præſtate; ſcientes quòd & vos Dominum habetis in cœlo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DOMINI, QUOD JUSTUM EST ET ÆQUUM, SERVIS PRÆSTATE. Membrum hoc cum Capite ſuperiori conjunge; iſta quippe fluunt ex dictis Capite III, ℣. 25: *Qui injuriam facit, recipiet id quod iniquè geſſit.* Quamobrem, o domini, juſtum in ſervos imperium exercete; veſter enim Dominus in Cœlo eſt, eam erga vos æquitatem ſervaturus, qua vos erga cæteros uſi fueritis: neque tamen iniquam ſententiam laturus eſt, ſi vos iniquè judicaveritis; ſed duriſſimè in vos aget, ſi ſævitiam in ſervos exercueritis. Servorum judicium olim penès heros totum erat, licebatque ex legibus pœnam pro arbitrio in illos decernere, nullâ in dominos actione ſervis relictâ (a). Legislatorum modeſtiſſimi monebant ſolummodò, ut mite ac lene in ſervos imperium exerceretur (b); & ſiquem morte damnari opus eſſet, aliquam judicii formam circa illos ſervari jubebant; cæterùm abſolutus ſervorum judex herus habebatur. Monet hic Paulus, heris in Cœlo eſſe Dominum, ulturum ſervorum injurias, quamvis hæ humanis legibus negligantur. Confer Job, XXXI, 13, 14: *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo & ancillâ meâ, cùm diſceptarent adverſùm me. Quid enim faciam, cùm ſurrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?*

(f) *Coloſſ.* III, 11. (g) *Ita Alex. Clarom. S. Germ. Græc. Æth. Hieronymiaſt.*

(h) Τῷ γὰρ Κυρίῳ Χριστῷ δουλεύετε.

(i) . . . . Κληρονομίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ δουλεύετε. *Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſ. Bornæ. G. L.* (k) *Anſel. Cajet. D. Thom. Eſt. Groт. Davenaut.* (l) *Græci, Ambroſiaſt.*

(a) *Seneca pater, l. 5 controverſ. c. 5: In ſervum domino nihil non licere. Cajus L. 1, D. De his qui ſunt juris: Apud omnes peræquè gentes animadvertere poſſumus, Dominis in ſervos vitæ necisque poteſtatem fuiſſe.* (b) *Senec. l. 1 de Clementiâ, c. 18. Cùm in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetet.* Idem ibidem; *In mancipio cogitandum non quantum illud impunè pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui boniquo natura.*

℣. 2. Orationi inſtate, vigilantes in eâ in gratiarum actione;

℣. 3. Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti (propter quod etiam vinctus ſum);

℣. 4. Ut manifeſtem illud ita ut oportet me loqui.

℣. 5. In ſapientiâ ambulate ad eos qui foris ſunt, tempus redimentes.

℣. 6. Sermo veſter ſemper in gratiâ ſale ſit conditus, ut ſciatis quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.

℣. 7. Qua circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſervus in Domino.

COMMENTARIUS.

illi? Vide & *Epheſ.* vi, 9.

℣. 2. ORATIONI INSTATE, Græcæ dictiones (c) conſtantiam, aſſiduitatem, ſolicitudinem, perſeverantiam orandi ſignificant; vigilantiam quoque, mentis attentionem ac fervorem, orationis comites: quæ prorſus neceſſaria ſunt, ut poſtulata impetres. Addit *gratiarum actionem*. Ex eâ quippe ducendum orandi initium, ut dignus fias, quem Deus beneficiis cumulare non deſinat (d).

℣. 3. ORANTES SIMUL ET PRO NOBIS. Demiſſum Pauli animum, ſuiſque de meritis metuentem admirare, *Ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis*, prædicationis. Hominum res mentesque ita comparet, ut Dei verbum cum favore excipiatur, Populorum animos aperiat (e), Principum ac Magiſtratuum ingenia molliat, ut myſteria Regni Dei ſine pugnâ nunciare nobis liceat. Hoc ſenſu idem ad Corinthios ſcribit (f), ingens oſtium nunciandi in Aſiâ Evangelii ſibi a Deo eſſe patefactum. Et alibi (g) ait, ſibi in Troadem profecto ampliſſimum docendi res Divinas oſtium patuiſſe. Et in Actis (h), Paulus Antiochiam veniens narrat, quo pacto Deus oſtium Gentilibus aperuerit.

Alii (i) *oſtium ſermonis* interpretantur facilem loquendi facultatem, eloquentiam, fiduciam, conſtantiam. Orate, ut mihi os aperiat Deus, & ſuadendi gratiam mihi largiatur. Moyſen mittens ad Pharaonem Deus, ait (k): *Quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo*. Chriſtus etiam Diſcipulos legans (l), pollicetur, illos inſtructum iri a ſeſe eâ eloquentiâ & ſapientiâ, cui reſiſtere ac repugnare nequeant inimici. Jubet Sapiens (m), vectem ac ſeram oris oſtio apponi. Michæas (n): *Cuſtodi clauſtra oris tui*. Preces igitur a Coloſſenſibus flagitat Paulus, ut ſeſe doceat Deus, ℣. 4, qua ratione nuncianda ſint ſalutis inſtituta, ut cum amore & obſequio excipiantur. Sunt qui ℣℣. 3 & 4 in hunc modum jungant: *Propter quod vinctus ſum*, ℣. 4, *Ut manifeſtem illud*. Chryſoſt. Theodoret.

℣. 5. IN SAPIENTIA AMBULATE AD EOS QUI FORIS SUNT, erga Judæos & Infideles. Hos nominat *qui foris ſunt* (o), quòd opponantur Fidelibus, qui ſunt *domeſtici Fidei* (p). Ita erga illos agite, ut exemplo veſtro juventur, atque ad Evangelii agnitionem pertrahantur. Ne illos unquam provocaveritis, eorumque animos, pravo aliquo exemplo ipſis exhibito, ne averteritis.

REDIMENTES TEMPUS. Hanc locutionem in Epiſtolam ad Epheſios (q) jam explicavimus. Præſens tempus noſtrâ in poteſtate non eſt (r). Utendum nobis dedit Deus, in ipſius gloriam noſtramque ſalutem. Noſtrum facere ipſi poſſumus, dum illud bene geſtis redemerimus. Perdimus, ſi male abutimur; ejuſque neglectus futurus eſt graviſſimum nobis apud Deum accuſationis caput. Locus, in quo eam ſententiam recitat Apoſtolus hîc & ad Epheſios, ſuadet, illud ab Apoſtolo potiſſimùm ſignificari, qua ſolertiâ & ſapientiâ ſtudendum eſſet Fidelibus, ut Gentilium odia & injurias vitarent. Profanos temerè ne provocaveritis, ſapienter agite, *tempus redimite*, pacem emite (s), ducite tempus, in ſilentio manete, *quoniam dies mali ſunt*. Sub finem imperii Neronis, ſæviſſimi omnium Imperatoris, in vivis erant.

℣. 6. SERMO VESTER SEMPER IN GRATIA SIT SALE CONDITUS; ſcilicet vel ſale ſapientiæ (t), vel modeſtæ urbanitatis. Mandat Apoſtolis Chriſtus (u): *Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos*. Sapientia & prudentia ſale ſignificantur. Vetuerat Deus, nequid niſi ſale condîtum ſibi offerretur (x); & Chriſtus Diſcipulos monuit, ipſos eſſe ſal terræ (y). His verbis innuitur circumſpectio, qua uti debent verbi Dei Præcones, & meri etiam Fideles, cùm de divinis rebus verba faciunt. Bonum eſt ſal, cibique vel exquiſitiſſimi abſque ſale non ſapiunt: at ſi nimium ſit & importunum, eximias etiam res corrumpit. Ita nihil utilius accidere hominibus poteſt, quàm prædicatio: at ſi abſit ſapientia, nedum amorem & obſequium ab hominibus non exigit, verùm etiam illorum furorem excitat, extremamque in perniciem & præcones & auditores trahit. Utendum igitur eſt ſale prudentiæ, ut auditoribus opportuna tradantur; aliter enim cum Fideli agendum eſt, aliter cum Infideli, aliter cum imperfecto & imbecilli, aliter cum forti & perfecto (z).

℣. 7. QUÆ CIRCA ME SUNT, OMNIA VOBIS NO-

(c) Τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε, γρηγοροῦντες ἐν αὐτῇ. (d) *Theodoret.* Δεῖ γὰρ ὑπὲρ τῶν διδομένων εὐχαριστεῖν πρότερον, καὶ τηνικαῦτα τὴν ἱκετείαν προσφέρειν.

(e) *Act.* xvi, 14: *Cujus Dominus aperuit cor.* Et 1 *Reg.* x, 26. (f) 1 *Cor.* xvi, 9. (g) 2 *Cor.* ii, 12. (h) *Act.* xiv, 26. (i) *Vat. Davenant. Vorſt. Martianay, alii quid.* (k) *Exod.* iv, 11, 12. (l) *Luc.* xxi, 15. (m) *Eccli.* xxviii, 28. (n) *Mich.* vii, 5. (o) 1 *Cor.* v, 12, 13. (p) *Galat.* vi, 10. (q) *Epheſ.* v, 16. (r) *Theodoret.* Οὐκ ἔστιν ὑμέτερος ὁ παρὼν αἰών, χρήσασθε τοίνυν αὐτῷ ὡς δεῖ, καὶ ὑμέτερον ποιήσασθε, διὰ τῶν ἀγαθῶν αὐτὸν ὠνούμενοι πράξεων. (s) *Grot. Eſt. Daven. Clerc. Hamm. Vide ad Epheſ.* v, 16. *Chryſoſt. hic:* Φυλακτικοὶ γίνεσθε, μηδεμίαν αὐτοῖς λαβὴν διδόντες καθ' ἡμῶν. (t) Ὁ λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος. (u) *Marc.* ix, 49.

(x) *Levit.* ii, 13: *Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies.* (y) *Matt.* v, 13.

(z) *Theodoret. hic:* Ἄλλως γὰρ τῷ ἀπίστῳ, καὶ ἄλλως τῷ πιστῷ, ἄλλως τῷ τελείῳ, καὶ ἄλλως τῷ ἀτελεῖ, καὶ ἑτέρως τῷ ἀσθενεῖ, ἢ ἄλλως τῷ ὑγιαίνοντι προσφέρειν τὴν διδασκαλίαν προσήκει.

Digitized by Google

℣. 8 Quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra,

℣. 9 Cum Oneſimo chariſſimo, & fideli fratre, qui ex vobis eſt. Omnia quæ hìc aguntur, nota facient vobis.

℣. 10. Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata: ſi venerit ad vos, excipite illum:

℣. 11. Et Jeſus, qui dicitur Juſtus: qui ſunt ex circumciſione. Hi ſoli ſunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt ſolatio.

℣. 12. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis eſt, ſervus Chriſti Jeſu, ſemper ſollicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni in omni voluntate Dei.

℣. 13 Teſtimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiciæ, & qui Hierapoli.

℣. 14. Salutat vos Lucas medicus chariſſimus, & Demas.

COMMENTARIUS.

NOTA FACIET TYCHICUS. Vidimus (a), Tychicum fuiſſe Pauli amiciſſimum, cui Paulus Epiſtolas deferendas dabat. Vide quæ de eo diximus in *Epheſ.* VI, 21, & *Act.* XX, 4. Videtur hìc Romà ſtatim Epheſum ſe contuliſſe, ac deinde Coloſſas in Phrygiâ.

℣. 8. UT COGNOSCAT QUÆ CIRCA VOS SUNT, Græci Codices multi legunt (b): *Ut cognoſcatis quæ ad nos attinent.* At fortaſſe lapſus eſt librarii, cum hoc ipſum membro ſuperiori dixerit. *Quæ circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus.*

℣. 9. CUM ONESIMO. Philemonis ſervus erat Oneſimus, qui ad Paulum Romæ vinctum profectus, nomen Chriſto dedit, famâque inter Fideles claruit. De eo fuſius in Epiſtolâ ad Philemonem. Cùm Philemon herus aliquandiu poſt reditum miſiſſet Oneſimum ad Paulum Romanum in carcere detentum, huic & Tychico credidit Paulus hanc Epiſtolam aliaſque ad Aſiaticos ſcriptas. Ex munere, quod illi Paulus dedit, collige, quàm multum ejus fidei crederet. Phryx erat Oneſimus, & fortè Coloſſenſis: *Qui ex vobis eſt.*

℣. 10. SALUTAT VOS ARISTARCUS CONCAPTIVUS MEUS, Judæus gente, & patriâ Macedo Pauli verbis ad Chriſtum perductus in primo ipſius itinere Theſſalonicam (c). Hic Paulo comes fuit Epheſi, eâdemque Demetrii argentarii ſeditione obvolutus. Ipſum deinde in Judæam proſecutus eſt, unàque Romam perductus, adhuc ibi in vinculis erat, cùm Apoſtolus hanc & ad Philemonem Epiſtolas daret (d). Vide quæ de eo in Actis diximus, Capite XIX, 29.

MARCUS CONSOBRINUS BARNABÆ; Joannes Marcus, de quo in Actis (e); cujus causâ Paulus ſeceſſit à Barnaba, quique deinceps ad officium reverſus, utilem Paulo operam in Apoſtolico labore navavit. De eo ſermo etiam eſt in ſecundâ ad Timotheum his verbis (f): *Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim utilis in miniſterium.*

DE QUO ACCEPISTIS MANDATA. Quis pro Marco ſcripſerit, ignoratur. Fortaſſe Paulus ipſe, vel Epaphras, qui ſuperiore aliquâ Epiſtolâ illum ipſis commendaverit; ſive etiam Romani Fideles in Marci commendationem ſcripſere. Sunt (g) qui cenſeant, hìc ſignificari literas commendatitias, quibus olim Eccleſiæ homines in alias urbes dimiſſos proſequebantur. Hæ tamen literæ miſſæ fuiſſe videntur ante Marci diſceſſionem; commendatitiæ autem Epiſtolæ ipſiſmet commendatis hominibus deferendæ dabantur.

℣. 11. ET JESUS, QUI DICITUR JUSTUS, Judæus homo, hoc uno Pauli elogio notus, quem ipſe unà ſecum Evangelii causâ laborare, ſibique in vinculis ſolatio eſſe teſtatur.

℣. 12. EPAPHRAS, QUI EX VOBIS EST; Apoſtolus & Epiſcopus Coloſſenſium, ut vidimus (h) à Coloſſenſis patriâ, & civium ſalutis ſtudioſiſſimus. Hic Paulum impulit, ut hanc ad Coloſſenſes Epiſtolam daret. *Semper ſollicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti.* Porrò ſollicitudinis causa ea erat, ne cives nova pſeudo-Apoſtolorum dogmata amplecterentur, ac poſt acceptum Evangelium, nullâ Judaicæ Religionis miſtione inquinatum, ab inſtituto ne recederent. *Ut ſtetis perfecti, & pleni in voluntate Dei* (i).

℣. 13. QUOD HABET MULTUM LABOREM PRO VOBIS, &c. Græcus typis editus (k): *Habet multum zelum pro vobis.* At Codices quamplurimi ferunt: *Habet multum laborem.* Alii: *Habet multum deſiderium vos videndi.* Coloſſæ, Laodicea, Hierapolis, hoc loco memoratæ, urbes erant finitimæ, & intra Phrygiam. Fortaſſe Epaphras, Phrygio genere, tres iſtas prædicatione luſtravit (l).

℣. 14. LUCAS MEDICUS. Hic vulgo creditur Evangelii Scriptor (m), & comes Itinerum Pauli. Cum Dema jungitur nedum hìc, ſed & in Epiſtolâ

(a) *Epheſ.* VI, 21. (b) *Græc.* Ἵνα γνῷ τὰ περὶ ὑμῶν. *Alii:* Ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν, *Steph.* 10, *Alex. Pet.* 1, *Roe.* 2, *Colb.* 7, *Cov.* 4, *Genev. Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Æth.* Simile quid vide *Epheſ.* VI, 22. (c) *Act.* XIX, 29; XX, 4. (d) *Philem.* ℣. 24. (e) *Act.* XV, 37, 38, 39. (f) 2. *Timot.* IV, 11. (g) *Eſt. Men. Tirin. Grot.* (h) *Coloſſ.* I, 7.
(i) Ἵνα στῆτε τέλειοι, καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ Θεοῦ. *Alii:* Τέλειοι καὶ πεπληροφορημένοι. *Ita Steph.* 10, *Alex. Clarom. Borb.* 1, *Colb.* 7, *Borner. L. Pirni*, πεπληροφορημένοι, propriè ſignificat, abſolutè edoctos, planè perſuaſos.
(k) *Græcus.* Ὅτι ἔχει ζῆλον πολύν. Alii, πόθον πολὺν, ingens deſiderium. Alii, ἀγῶνα πολὺν, magnum certamen. Alii, πόνον πολὺν, magnum laborem. *Alex. Copht.* Alii, πολὺν κόπον. *Clar. Germ. Borner. G. L. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Vulg. Multum laborem.* (l) *Eſtius hìc.*
(m) *Hieronym. de Scriptorib. Eccleſ. Paulin. Epigram. Theodoret. Ambroſ. alii paſſim. Grot. Eſt. Dawen. Mald. Men. &c.*

℣. 15. Salutate fratres, qui ſunt Laodiciæ, & Nympham, &, quæ in domo ejus eſt, Eccleſiam.

℣. 16. Et cùm lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite ut & in Laodicenſium Eccleſiâ legatur: & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.

COMMENTARIUS.

ſtolâ ad Philemonem & ad Timotheum. Compertum eſt, Lucam profectum eſſe Romam cum Paulo in priore itinere; ejusque itineris narrationem in Actis recitatam Lucæ deberi. Dubitavere nonnulli, Lucas ne Evangeliſta his Pauli verbis ſignificetur, quòd illum Apoſtolus medicum nuncupet, quo nomine aliàs nunquam donavit. At hoc argumentum omnino eſt infirmiſſimum. Fortaſſe Lucas medicam artem Romæ exercuit, cùm Paulus ibi in vinculis eſſet; ac fortè etiam ex eâ arte notus erat Coloſſenſibus; quamobrem medici appellatio ab Apoſtolo additur.

Demas initio quidem ſtudioſiſſimus Pauli Diſcipulus fuit, utilemque illi operam Romæ navavit; at poſt annos aliquot (n), eo deſerto, ad ſæculum transfugit (o), atque in patriam Theſſalonicam rediit. Nonnullis (p) creditur Demas, deſerto priùs Paulo, ut idem in alterâ ad Timotheum ſcribit, ad illum rediiſſe, atque in vinculis detento miniſterium exhibuiſſe. At procul dubio altera ad Timotheum Epiſtola, in qua de ſeceſſione Demæ, poſterior eſt hac ad Coloſſenſes Epiſtolâ; quare ea opinio defendi prorſus nequit.

℣. 15. Et Nympham, et quæ in domo ejus est, Ecclesiam, Putavere Latini quidam (q), *Nympham* nomen eſſe mulieris; at Græcus (r) viri nomen eſſe demonſtrat. Hic ædes ſuas in cœtuum Chriſtianorum locum conſecraverat; ſive familiam tam ſanctè moderabatur, ut ob pietatem Eccleſia videretur (s). Nympham Græci inter Sanctos colunt pridie Kal. Martii, eumque Apoſtolum nominant. Addunt, illum in pace deceſſiſſe. Grotio videtur Nymphas alicubi in agro habitaſſe, quòd hic domeſtica illius familia memoretur: veriſimile quippe non eſt, privatum civem in urbe Coloſſis privatam Eccleſiam vel cœtum ſuis in ædibus compoſuiſſe. Similem huic locutionem vide *Rom.* xvi, 5; 1 *Cor.* xvi, 19. Arbitratur Theophylactus (t), unam Nymphæ familiam, ſatis frequentem, Chriſtianis factis imbutam, pro Eccleſiâ peculiari habitam fuiſſe.

℣. 16 Et cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur. Laodicea urbs erat Coloſſis proxima; atque omnino veriſimile eſt, pſeudo-Doctores, qui Coloſſenſium Eccleſiam peſſimo novorum dogmatum fermento corrumpere tentaverant, eadem Laodicenſibus tradidiſſe. Apoſtolus, ne plures ſcriberet, quàm neceſſe erat, Epiſtolas, præcepit, ut hæc ipſa ad Laodicenſes, eodem in diſcrimine poſitos, mitteretur.

Et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis, Græcus (u): *Et eam quæ ſcripta eſt Laodiceâ, ipſi legatis.* Vulgatæ ſententia quampluri-mis perſuaſit (x), datam fuiſſe ab Apoſtolo Epiſtolam ad Laodicenſes, S. Epiphanius, *hæreſ.* 42, ait, agnitam fuiſſe a Marcione Epiſtolam ad Laodicenſes, aliam ab Epiſtolâ ad Epheſios. Locus tamen, quem Epiphanius a Marcionitis recitatum tradit, tamquam ex Epiſtolâ ad Laodicenſes, in Epiſtolâ ad Epheſios legitur: ac reverâ Marcion Epiſtolam ad Laodicenſes ab Epiſtolâ ad Epheſios non ſecernebat, teſte Tertulliano, adverſùs Marcionem, *lib.* 5. *Cap.* 41: *Quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, hæretici verò ad Laodicenos.* Et *Cap.* 17: *Eccleſiæ quidem veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus miſſam, non ad Laodicenos.*

Hinc collige, Marcionis ætate nondum confictam fuiſſe Epiſtolam, quæ deinde ad Laodicenſes pervulgata eſt. Theodoreti quidem (y) & S. Hieronymi (z) temporibus quædam ad Laodicenſes Epiſtola, ipſis teſtibus, circumferebatur; quæ tamen utrique commentitia eſt. Patres (a) ſeptimæ Synodi fatentur, cognitam fuiſſe priſcis Epiſtolam ad Laodicenſes, ſed rejici a ſe uti confictam. Noſtris etiam temporibus quædam in vetuſtis libris nonnullis legitur, vulgata in Commentariis ad Pauli Epiſtolas, ſub nomine S. Anſelmi, apud Stapletonium, Stapolenſem, Sixtum Senenſem, Prætorium, Cornelium a Lapide, &c. Habetur etiam in Bibliis quibusdam impreſſis in Germaniâ, Auguſtæ Vindelicorum, Vormatiæ, Amſtelædami. S. Gregorius Magnus & Philaſtrius inter veteres, pluresque recentiores ſcriptam reverâ a Paulo Epiſtolam ad Laodicenſes credidere.

Nequid curioſi deſiderent, hanc ad Laodicenſes Epiſtolam damus, quamquam certò credimus omnino eſſe commentitiam. Epiſtola a Prætorio vulgata ab hac plurimùm diſſidet.

Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum, fratribus qui eſtis (b) Laodiceæ. gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto. Gratias ago Chriſto per omnem orationem meam, quod permanentes eſtis, & perſeverantes in operibus bonis, promiſſionem expectantes in die judicii. Neque deſtituent (c) vos quorumdam vaniloquia, inſimulantium veritatem (d), ut vos avertant a veritate Evangelii quod a me prædicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui ſunt ex me, ad perfectionem veritatis Evangelii ſint deſervientes, & benignitatem operum facientes, quæ ſunt ſalutis vitæ æternæ. Et nunc palam

(n) Hæc Epiſtola data eſt anno 61, vel 62. Epiſtola ad Timotheum, ubi de ſeceſſione Demæ, ad annum Chriſti 65 pertinet. (o) 2 *Timot.* iv, 10.

(p) *Eſt. ex Baronio, ad an.* 59. (q) *Ambroſiaſt. Anſelm. Liran. alii Latini paſſim.*

(r) Καὶ Νυμφᾶν, καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ Ἐκκλησίαν. Vetuſti quidam Codices: Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν Ἐκκλησίαν, Eccleſiam quæ apud eos eſt. *Cod. Alex. Copt. Steph.* ι, δ, *Lin. Sin.*

(s) *Theodoret. Zaarb. Eſt. Grot.* (t) Μέγας οὗτος ὁ ἀνὴρ, ὅτι καὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ πάντα πιστὸν εἶχεν, ὥστε καὶ Ἐκκλησίαν καλεῖσθαι. (u) Καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε.

(x) *Greg. Mag. l.* 35. *c.* 15 *Moral. in Job; Philaſtr. de hæreſ. c.* 88; *Haymo, Herva. Sixt. Sen. l.* 2 *Bibliot. Stapulenſ. Staplet. Camer. Stunica, Prætorius, Mald. in not. Mſ. apud Cornel. a Lapide.*

(y) *Theodoret.* Τινὲς ὑπέλαβον καὶ πρὸς Λαοδικεῖς αὐτὸν γεγραφέναι, αὐτίκα τοίνυν καὶ προσφέρουσι πεπλασμένην ἐπιστολήν. (z) *Hieronym. in Catalog. Legunt quidam & ad Laodicenſes Epiſtolam, ſed ab omnibus exploditur.* (a) *Septima Synod. Oecum. an.* 787, *ſeu Nicæn.* 2, *Act.* 6, *&c.*

(b) *Mſ. ſancti Albini Andegav. Qui ſunt. Ita Prætorius.* (c) *Mſ. Neque deſtituunt vos,*

(d) *Mſ. Inſanientium.*

Digitized by Google

℣. 17. Et dicite Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas.

COMMENTARIUS.

ſam ſunt vincula mea, quæ patior in Chriſto, in quibus lætor, & gaudeo. Et hoc mihi eſt ad ſalutem perpetuam, quod factum eſt in orationibus veſtris (e), & adminiſtrante Spiritu ſancto, ſive per vitam, ſive per mortem. Eſt enim mihi vivere vita in Chriſto, & mori gaudium (f); & ipſe in vobis faciet miſericordiam ſuam, ut eamdem dilectionem habeatis, & ſitis unanimes.

Ergo, dilectiſſimi, ut audiſtis præſentiam Domini, ita ſentite (g), & facite in timore (h): & erit vobis vita in æternum; eſt enim Deus qui operatur in vobis: & facite ſine peccato quæcumque facitis (i), & quod eſt optimum. Dilectiſſimi, gaudete in Domino Jeſu Chriſto, & cavete omnes ſordes (k) in omni lucro. Omnes petitiones veſtræ ſint palam apud Deum. Eſtote firmi in ſenſu Chriſti, & quæ integra, vera, & pudica, & caſta, & juſta, & amabilia ſunt, facite: & quæ audiſtis, & accepiſtis, in corde retinete, & erit vobis pax. Salutant vos omnes Sancti (l). Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen (m). Et hanc facite legi Coloſſenſibus, & eam quæ eſt Coloſſenſium vobis.

En quam dicunt Pauli Epiſtolam ad Laodicenſes. Ipſum ſermonis diſcrimen, ſterilis, jejuna, & turbata oratio ſatis clamant, ipſam tanto Scriptore eſſe indigniſſimam. Nullibi videas acre, ſublime, fervidum Pauli ingenium. Locus etiam dubitandi eſt, eadem ne ſit Priſcis cognita. Ait Philaſtrius, aliquid illi ab Hæreticis additum: porrò nihil hic hæreticum. Neque etiam Græcè unquam ſcripta fuiſſe videtur. Suam nihilominus Græci apocrypham ad Theſſalonicenſes Epiſtolam agnovere. Timotheus Presbyter Conſtantinopolitanus (n) ait, illam fuiſſe a Manichæis confictam. At ea quæ Latinè legitur, nihil Manichæum ſapit. Eam Hutterus Græcè volgavit, cum aliis vernaculis verſionibus: at ipſe ex Latino in Græcum tranſtulit.

Quam igitur Epiſtolam jubet Paulus Coloſſenſibus legi? Illam ad Epheſios, ajebat Marcion (o); cui Grotius aſſentitur, addens: *Erat autem illa Pauli Epiſtola ad Laodicenſes ſcripta eodem tempore quo illa ad Epheſios; ſed quia propior Coloſſenſibus erat Laodicea, inde maluit exemplum peti.* Optabat enim Paulus, ut Epiſtola ad Epheſios quodammodo cyclica eſſet, atque ex Epheſiis & Laodicenſibus in cæteras Aſiæ Provinciæ Eccleſias manaret.

Grotio ſubſcribunt Hammondus & Clericus (p), qui Græcum reddunt: *Facite ut vobis legatur Epiſtola, quæ ad vos Laodiceâ deferetur;* ſive, *Epiſtola Laodicea;* quam ſcilicet ad Laodicenos dedi. Idem Hammondus magnâ probabilitatis ſpecie cenſet, pleraſque Pauli Epiſtolas ad majores Eccleſias, ac principes Provinciarum civitates, cyclicas fuiſſe, atque ad univerſam Provinciam ſcriptas. Ita quæ ad Corinthios ſunt, ad totam Achajam ſpectaſſe; quæ ad Theſſalonicenſes, ad totam Macedoniam, quæ denique ad Epheſios, ad Aſiam minorem in univerſum datas fuiſſe.

Theophylacto eſt prima ad Timotheum. Is verò eo argumento ducitur, quòd in Græcis primæ ad Timotheum Exemplaribus in calce legatur ſubſcriptio, quæ eam Epiſtolam Laodiceæ ſcriptam aſſerit. At generatim compertum eſt, nullam hiſce ſubſcriptionibus fidem haberi poſſe; ac de primâ ad Timotheum Epiſtolâ videbimus, Græcos codices in eo non conſentire, ac negari omnino poſſe, Apoſtolum, qui fortaſſe nunquam Laodiceæ fuit, literas ex eâ urbe ad Timotheum dediſſe.

Complures cùm veteres tum recentiores (q) ajunt, Epiſtolam eſſe, quam Laodicenſes ad Paulum dederint, & optarit Paulus Coloſſenſibus legi, quòd fortè aliquid ferret quod ad Coloſſenſes pertineret, aut illis eſſet profuturum; vel abſolutè quòd Laodicenſium Epiſtola plena fidei & charitatis foret, ex qua Coloſſenſes pietatem diſcere poſſent.

Arbitrantur alii (r), Paulum dediſſe ad Laodicenſes Epiſtolam eodem tempore, quo ad Coloſſenſes dabat, quæ Epiſtola perierit. Siquod ex Antiquitate argumentum huic opinioni favet, ea tamquam maximè omnium probabilis proponi poſſet, quippe quæ omnes contrariæ opinionis difficultates removet. Cùm verò nulli veterum cognita fuerit hæc ad Laodicenſes Epiſtola, eamque intercidiſſe probabile non ſit, præſertim ſi Laodicenſibus & Coloſſenſibus communis fuit, uti hæc ad Coloſſenſes communicanda erat cum Laodicenſibus; colligendum eſt, nihil hac de re ſatis compertum teneri. Quòd autem Paulus nullam ad Laodicenſes Epiſtolam dederit, illud argumento eſt, quòd Paulus ad Coloſſenſes ſcribens ſalvere jubeat fratres ex *Laodiceâ*. Nobis maximè omnium probatur, cum pleriſque veteribus recentioribuſque, ex Græci textûs ſententiâ, ab Apoſtolo hîc innui Epiſtolam, ad ſe a Laodicenſibus datam, quam jubeat Coloſſenſibus legi, tamquam iis optimè inſtituendis opportunam. Hæc porrò intercidit: neque id æquè mirum eſſe debet, ac ſi Chriſtianæ alicujus Eccleſiæ Fideles amiſiſſent Epiſtolam, quam ad ipſos Paulus dederit.

℣. 17. Dicite Archippo. Sunt (s) qui Archippum Coloſſenſium Epiſcopum faciant. Ajunt alii (t), Coloſſenſium Epiſcopum tunc temporis fuiſſe Epaphram, de quo ſupra, Romæ unâ cum Paulo detentum; Archippum verò Presbyteri dumtaxat aut Diaconi munus exercuiſſe. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum (u) tradit, Archippum

(e) *Mſ. Quod ipſum factum eſt orationibus veſtris.* (f) *Mſ. Gaudium, & lucrum.*
(g) *Mſ. Ita retinete.* (h) *Mſ. In timore Domini.* (i) *Mſ. Sine retra.* (k) *Mſ. Sordidoe.*
(l) *Mſ. addit: Salutate omnes fratres in oſculo ſancto.* (m) *Mſ. omittit: Amen.*
(n) *Timoth. Presbyt. Cpolit. libel. de his qui ad Eccleſ. accedunt, apud Meurſ. var. Divin. p.* 117.
(o) *Tertull. l.* 5, *c.* 11: *Prætereo hic & de aliâ Epiſtolâ, quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, hæretici verò ad Laodicenos. Et ibid. c.* 17: *Eccleſiæ quidem veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos. Sed Marcion aliquando ei titulum interpolare geſtiit.*
(p) Vide & Uſſer. ad an. 64, & Diſſertationem illius poſthumam, vulgatam in calce Hiſtoriæ ipſius Dogmaticæ, *De Scripturis & ſacris vernaculis.* (q) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Phot. Oecumen. Eſt. Men. Tillemont. Baron. Cornel. Bez. Daven. Vorſt. Ligf. alii.*
(r) *S. Anſelm. ſeu alius, D. Thom. Cajet. Bellarm. l.* 4, *c.* 4. *de verbo Dei.*
(s) *S. Hieronym. in Epiſt. ad Philemon. Ambroſiaſt. in Coloſſ. p.* 550, *d.*
(t) *Uſuard. Ado,* 19 *Jul. Vide Coloſſ.* 1, 7; IV, 12; *Philem.* 23. *Vide Primaſ. Eſt.*
(u) *Conſtitut. Apoſt. lib.* 7, *c.* 46.

℣. 18. Salutatio meâ manu Pauli. Memores eſtote vinculorum meorum. Gratia vobiſcum. Amen.

COMMENTARIUS.

pum fuiſſe Epiſcopum Laodiceæ in Phrygiâ. Ipſa Pauli verba innuunt, Archippum eo tempore non ſatis fuiſſe muneris ſui ſtudioſum. Illum Græci inter Sanctos colunt I Kal. Decembris (x), & Coloſſis martyrio ſub Nerone coronatum aſſerunt. Latini XIII Kal. Aprilis illum venerantur (y).

℣. 18. SALUTATIO MEA MANU. Reliqua exaraverat Amanuenſis. Poſtrema hæc verba ſuâ ipſe manu deſcripſit Apoſtolus, ne quid ſe inconſulto ſcriptum arbitrarentur Coloſſenſes, aut de ſcriptarum rerum veritate dubitarent. Vide I *Cor.* XVI, 21; 2 *Theſſal.* III, 17.

GRATIA VOBISCUM. AMEN. Latini quidam Libri manu exarati ac typis editi ferunt (z): *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen.*

Græca Exemplaria in calce Epiſtolæ addunt (*): *Ad Coloſſenſes Epiſtola data eſt Româ per Tychicum & Oneſimum.* Verſio Cophtica datam aſſerit Athenis, per Tychicum, Achaicum, Oneſimum, & Marcum. Ms. Alexandrinum Romæ dumtaxat ſcriptam dicit. Syrus Oneſimum omittit. In Mſs. Græco-Latinis Claromontano & S. Germani Pratenſis hæc ante Epiſtolam ad Philippenſes legitur; eumdemque ordinem a Marcione in Exemplaribus ſuis ſervatum, colligit Millius ex Tertulliano, *Adv. Marcion. lib.* 5, *cap.* 20.

(x) *Menæa*, *p.* 355. (y) *Bolland.* XX *Mart.*

(z) *Codd. aliqui*, *teſte Brug. Hieronymiaſt. Edit. Sixti V.*

(*) Πρὸς Κολασσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ, καὶ Ὀνησίμου.

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Coloſſenſes.

IN PRIMAM EPISTOLAM
B. PAULI APOSTOLI
AD
THESSALONICENSES
PROLEGOMENON.

EPiſtolam, quam expendendam aggredimur, primam omnium Pauli ad Eccleſias ſcriptarum ſcimus (*a*). Anno LII ſeu LIII datam vulgò conveniunt; de loco, ex quo miſſa ſit, diſſentiunt. In vetuſtis Exemplaribus Græcis, Latinis, Syriacis, Arabicis, Cophticis, & apud Theodoretum, & Synopſeos ſub Athanaſii nomine Authorem, & in Latinis Inſcriptionibus hujus Epiſtolæ initio appoſitis, Athenis exaratam legimus. Ea fortè Pauli verba [*b*], *Propter quod non ſuſtinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis*, huic opinioni aditum recluſerunt.

Doctiores tamen Critici (*c*), & Actorum ſeries, & denique ejuſdem Epiſtolæ Textus, nonniſi Corintho miſſam demonſtrant. Poſtquam Paulus aliquandiù, non ſine Fidei progreſſu, Evangelium Theſſalonicæ nunciavit (*d*), Judæis inſimulantibus, quòd perduellis in Cæſarem, alterum Regem Jeſum inveheret, illinc abire coactus, aſſumpto comite Silâ, Berœam iter inſtituit; quò cùm perveniſſet, & plurimos Fidei myſteriis initiaſſet, Judæi Theſſalonicæ, re cognitâ, Berœam venêre, ut eadem adversùs Paulum dictitantes, ab eâ etiam Urbe illum expellerent: quare is ad mare Fratribus comitantibus, Silâ ibi ac Timotheo ad Eccleſiam nuper erectam confirmandam relictis, navigavit Athenas.

Quò ubi pervenit, Silam & Timotheum ſtatim per literas accivit; & Athenis egreſſus, eorum adventum expectavit Corinthi. Interea de Fidelibus, nuper in Macedoniâ baptiſmo initiatis, ſed temporis inopiâ non ſatis confirmatis, ſollicitus, plurimis præterea Corinthi calamitatibus obrutus, quammaximè angebatur [*e*]. Silæ tandem & Timothei adventu gaviſus (*f*), maximâ animi voluptate ab iiſdem accepit res Eccleſiæ Theſſalonicenſis ſe optimè habere, & Macedoniæ Fideles Fidei & Charitatis præceptis adeò inhæſiſſe [*g*], ut iiſdem vexationibus, quibus Judææ Fideles a Judæis, a ſuis civibus affecti, nihil dimoverentur.

Accepit præterea, ex Fidelibus illis nonnullos domeſticorum morte præter modum dolere, nec ſatis noſſe ea, quæ ad Domini Adventum, & ſupremum Judicium pertinerent (*h*); nonnullos pariter otio & curioſitati [*i*] vacare, & ingenio eſſe inſtabili. Illos itaque hac Epiſtolâ Paulus ſuaviter increpat, objurgationibus laudes interſerens: ut plurimi caſtitatem ſaciant, & ab omni prorſus turpitudine abſtineant, hortatur; ſupremum Judicium, & lugendi in domeſticorum funeribus modum docet; eximiam denique benevolentiam & charitatem, ſtudiumque eos adeundi ſummum præſefert.

Marcionitæ, Epiphanio teſte [*k*], utramque ad Theſſalonicenſes Epiſtolam vitiaverant: quem tamen locum corruperint, Epiphanius non deſignat. Priorem ad Theſſalonicenſes falsò primam nuncupatam, & reverâ primam ſecundò, ſecundam primò exaratam Grotius contendit (*l*); cujus argumenta initio ſecundæ ad Theſſalonicenſes & perpendemus & refutabimus.

(a) *Chryſoſt. Theodoret. alii.*

(b) *1 Theſſ.* III, 1.

(c) *Oecumen. Eſt. Baron. Tillemont. alii plures.*

(d) *Act.* XVII, 1, *&c.*

(e) *1 Theſſ.* III, 7; *1 Cor.* II, 3.

(f) *Act.* XVIII, 5.

(g) *1 Theſſal.* I, 6; II, 14.

(h) *1 Theſſ.* IV, 12, *&c.* V, 1.

(i) *1 Theſſ.* IV, 11.

(k) *Epiphan. hæreſ.* 42.

(l) *Grot. Prolog. in 1 Theſſal.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS LITERALIS IN PRIMAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Theſſalonicenſium laus. Dominum ejusque Apoſtolum patientiâ imitantur. Eorum exemplum cæteris profuit. Argumento ſunt, quàm felix ſit prædicationum Pauli exitus.

℣. 1. PAulus, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto.

℣. 2. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione,

℣. 3. Memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum:

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS ET SILVANUS, ET TIMOTHEUS. *Silvanus* idem eſt ac Silas, de quo ſæpe actum eſt (a). Is Corinthi cùm Timotheo verſabatur, cùm hanc Epiſtolam Paulus daret. Horum nomina poſt ſuum ſubdit Apoſtolus in fronte hujus Epiſtolæ, quòd notiſſimi eſſent Theſſalonicæ (b), unâque cum Paulo fuiſſent, cùm is primùm anno ſuperiore apud ipſos verba faceret. Silam ac Timotheum in Macedoniâ reliquit Paulus, cùm ab Judæorum inſectationibus elabi cogeretur (c). Quamobrem gemini hi Diſcipuli ceu alteri ejus regionis Apoſtoli erant. Sunt (d) qui Timotheum amanuenſis munere functum putent, dictante hanc Epiſtolam Paulo.

ECCLESIÆ THESSALONICENSIUM, IN DEO PATRE, ET DOMINO JESU CHRISTO; a Chriſto Jeſu per Dei Patris gratiam inſtitutæ: ſive, in Dei Patris, & Chriſti Jeſu fide conſtitutæ.

GRATIA VOBIS ET PAX. Græcus addit (e): *A Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. At iſta omittunt Syrus, Æthiops, aliique complures.

℣. 3. MEMORES OPERIS VESTRI; veſtræ ſcilicet inter odia injuriasque conſtantiæ (f). Hiſce in diſcriminibus tota elucet Fidei vis, utilitas, uſus. Addit: *Laboris & charitatis*; vel ex Græco (g): *Laboris charitatis veſtræ*. Non enim unum eſt charitatis propoſitum, proximum diligere & juvare; neceſſe eſt infirmitatem illius ferat, vitia diſſimulet, peccata dimittat, ſiquis quid ſuperbiâ, invidiâ, ingrato animo, aut vi illatâ peccaverit. Hi reverâ ſunt labores charitatis (h), quæ, teſte Apoſtolo (i), *omnia ſuffert*. Interpretantur nonnulli de injuriis, quibus obnoxii fuerant

(a) S. Hieronymus *Ep.* 144. ait male ſcriptum eſſe *Silvanus*, legendumque *Silas*. At poſtremum hoc nomen in nullo Codice manu exarato legitur. (b) *Act.* XVII, 4. (c) *Act.* XVII, 14. (d) *Zanchius hic*. (e) Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. (f) *Theodoret.* Ἔργου τῆς πίστεως, τοῦ ἐν κινδύνοις βεβαίου. Οὐ γὰρ μόνον ἐν εἰρήνῃ καὶ γαλήνῃ δυναστεύειν προσήκει τὴν πίστιν, ἀλλὰ καὶ ἐν κλύδωνι, καὶ ζάλῃ ταύτης ἔχεσθαι δεῖ. (g) Καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης. *Velez.* Τοῦ κόπου, καὶ τῆς ἀγάπης. *Ita Vulg. & Hieronymiaſt.* (h) *Theodoret. Zanch. Eſt.* (i) 1 *Cor.* XIII, 4.

℣. 4. Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem veſtram:

℣. 5. Quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm, ſed & in virtute, & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multâ, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.

℣. 6. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multâ, cum gaudio Spiritûs Sancti:

℣. 7. Ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedoniâ, & in Achajâ.

℣. 8. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolùm in Macedoniâ, & in Achajâ, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.

℣. 9. Ipſi enim de nobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo converſi eſtis ad Deum a ſimulacris, ſervire Deo vivo & vero,

COMMENTARIUS.

rant Theſſalonicenſes ob Paulum, ſervandæ Fidei gratiâ, educendique Apoſtoli ex periculis, quæ is Theſſalonicæ ſubierat (k).

Et sustinentiæ spei Domini nostri, ſive firmæ ſpei, quam in Domino Chriſto habetis (l); ſive conſtantiæ, qua iſta omnia Jeſu Chriſti gratiâ paſſi eſtis, reſpectu bonorum, quæ vobis in alterâ vitâ pollicetur; id enim ſpem Chriſtianorum fovet, omneſque illis vires inter vitæ hujus mala, & ſolatium omne ſuppeditat.

Ante Deum et Patrem nostrum. Jungi hæc poſſunt ad ea, *Memores operis veſtri*, vel ad illa ſtatim proxima, *ſuſtinentia*, conſtantiæ *ſpei* veſtræ *in Dominum noſtrum*, *ante Deum*, &c. Vera hæc virtus nec fucata eſt, cujus teſtis eſt Deus. Charitas & patientia veſtra nullâ hypocriſi aut ſimulatione vitiantur.

℣. 4. Scientes electionem vestram. Aſſiduas Deo gratias agimus, quòd vos in tam multis elegerit, ad Fidem ſuique nominis agnitionem vocandos.

℣. 5. Non in sermone tantum, sed et in virtute, prodigiis, uberrimâque donorum Spiritûs Sancti copiâ: *In Spiritu Sancto*, *& in plenitudine multâ*. Vel ex Græco (m): Prædicationi noſtræ comes adfuit Spiritûs Sancti virtus, & quicquid illam probabilem efficere poterat; nihil illi defuit, quo ipſius veritas certaque fides vobis ſuaderetur. Actorum hiſtoria peculiare nihil hac de re habet, tametſi Theſſalonicenſes Paulo prædicante converſos narret. Cùm verò per eam ætatem vulgò haberentur prodigia & Spiritûs Sancti dona, peculiaris eorum mentio nonniſi rarò fit in Sacris Scriptoribus; eaque præteriturus erat hoc loco Paulus, niſi res eſſet præclaro aliquo eventu commendabilis, ac ſuſtinendæ Theſſalonicenſium Fidei, atque excitandæ charitati opportuna.

Quales fuerimus in vobis propter vos. Ipſi teſtes eſtis, quo ſtudio, ſollicitudine, labore, animi liberalitate, & lucri contemptu inter vos fuerim, neccui ex vobis oneri eſſem, docerémque, nihil me præter ſalutem veſtram quærere (n). Aliter: Noſtis, quo animi robore, conſtantiâ, fervore, famâ vos docuerimus; quàm multis prodigiis ſermones meos Deus confirmaverit. Sive: Compertum vobis eſt, quàm multa in Evangelii prædicatione pertulerimus (o). Proximum membrum huic explicationi favet.

℣. 6. Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini. Magnum ex eo ſolatium percepimus, quòd labores noſtri noſtraque ſtudia vobis inutilia non fuerint. Vobis illud propoſuiſtis, ut nos ſeu potiùs Chriſtum Dominum imitaremini, *excipientes verbum* illius *in tribulatione multâ*, *cum gaudio Spiritûs Sancti*. Ita paſſus eſt veſtri causâ Chriſtus; ita nos & ipſius & veſtri gratiâ patimur mala, cum gaudio, animi robore, & conſtantiâ. Per crucem Chriſtus in ſuam ipſius gloriam invectus eſt; per labores Evangelium prædicavere Apoſtoli; per ærumnas perfecti efficiuntur Chriſtiani, ac paratam ſibi beatitudinem aſſequuntur. Scribit Apoſtolus infra, II, 14: *Vos imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæâ in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis.*

℣. 7. Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, cujus metropolis Theſſalonica, et in Achaja, ubi tunc verſabatur Paulus, Corinthum, urbem Achajæ principem, inſtituens, finitimaſque urbes identidem luſtrans.

℣. 8. A vobis diffamatus est (p) sermo Domini. Veſtræ virtutis fama, ac feliciſſimæ converſionis veſtræ rumor nedum Macedoniam, verùm etiam Achajam pervaſit; in omnium ore Theſſalonicenſium Eccleſia perſonat; omneſque inceſſit cupido noſcendi illius Evangelii, quod eximios adeò virtutis fructus in vobis peperit. Nihil ita felicem Evangelii progreſſum juvit, ut ſanctiſſima primorum Fidelium vita.

℣. 9. Ipsi enim de nobis annuntiant, &c. Ex converſionis veſtræ rumore in universâ regione innotuimus. Illud de nobis dicitur: En præcones, qui res adeò mirificas Theſſalonicæ agunt,

(k) *Act.* XVII, 5, 6, 7.
(l) Καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος τοῦ Κυρίου, *&c.*
(m) Ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ.
(n) *Eſt. Zanch. alii.*
(o) *Chryſ. Theodoret. Vat. &c.*
(p) Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, *Innotuit*, *perſonuit*, *divulgatus eſt*.

℣. 10. Et expectare Filium ejus de cœlis (quem ſuſcitavit ex mortuis) Jeſum, qui eripuit nos ab irâ venturâ.

COMMENTARIUS.

agunt, quique ſanctam adeò ac perfectam Eccleſiam inſtituerunt.

℣. 10. Et expectare Filium ejus de Coelis. Quæ ſit Fides veſtra, quæritur; omnesque viciſſim narrant, vos ab idolorum, vitâ & re carentium, cultu diſceſſiſſe, ut *ſerviatis Deo vivo & vero*; vivatisque in ſpe vitæ immortalis, & glorioſæ reſurrectionis, quam in glorioſo adventu ſuo vobis comparaturus eſt Chriſtus, *quem Deus ſuſcitavit ex mortuis, quique eripuit nos ab irâ venturâ*. Mortis ſuæ pretio nos ab æternâ morte, paratâque impiis & infidelibus damnatione vindicavit. Iſta palam ubique prædicantur, occaſione veſtræ converſionis ad Chriſtum. Hic veſtræ in Chriſtum Fidei fructus.

CAPUT II.

Qua ratione Paulus Evangelium Theſſalonicenſibus nunciaverit. Quo ſtudio hi traditum cuſtodierint. Ærumnæ ab his toleratæ. Pauli charitas erga Theſſalonicenſes.

℣. 1. Nam ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit:

℣. 2. Sed ante paſſi, & contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Evangelium Dei in multâ ſolicitudine.

℣. 3. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditiâ, neque in dolo,

℣. 4. Sed ſicut probati ſumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.

℣. 5. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt:

℣. 6. Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Scitis introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit. Commendatâ Theſſalonicenſium fide & virtute, narrare cogitur, quod vitæ inſtitutum inter illos ipſe ſervaverit, ad inſtitutiones mox tradendas deſcenſurus. Non fruſtra Theſſalonicam vèni. Deo gratias ago ob veſtram fidem, atque inter ærumnas conſtantiam. At neque vos latet, quàm multa ipſi mala pertulerimus: Et, ℣. 2, *ante paſſi, & contumeliis affecti in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Evangelium Dei* Theſſalonicæ, certò intelligentes, minimè nobis defuturas in hac urbe, ut in alterâ, ærumnas. Quid Paulus in utrâque urbe pertulerit, legi poteſt in Actis (a). Ærumnæ & perpeſſiones non ſemper certæ ſunt veritatis notæ: at veriſſimum certè eſt, nullum ab Jeſu Chriſti Apoſtolo certius veritatis rerum a ſe traditarum argumentum exhiberi poſſe, quàm mala, quibus illius tuendæ causâ ſe ipſe objicit (b). Mendaciorum artifex dogmatum ſuorum causâ mortem conſtanter ſubire non ſolet; præſenti enim diſcrimine perſona detrahitur.

℣. 3. Exhortatio enim noſtra non de errore, &c. Ea non docuimus, quæ Poëtæ ac Theologi Ethnicorum ſolent, quibus illud ſolemne eſt, licentiam docere & flagitium (c): neque errores tradidimus, uti Doctores Judæorum, qui Judaicam Religionem & Philoſophiam cum Chriſtianâ profeſſione jungere conati, miras ſuperſtitiones, errores, ac turbas miſcent. Denique *neque in dolo*: neminem fallere voluimus inani ſimulatione, non utilitatem ac felicitatem veſtram, ſed noſtra ipſi commoda & lucra quærentes.

℣. 4. Sed sicut probati sumus a Deo; vel, ut electi fuimus, ac digni redditi a Deo, quibus nunciatio Evangelii crederetur, ita conamur ejus miſericordiæ & conſiliis reſpondere, nullâ lucri aut hominum benevolentiæ cupiditate prædicantes: *Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo*. A Deo tantùm electis, uni Deo rerum geſtatum ratio nobis reddenda eſt, atque ipſi uni placere cupimus.

℣. 5. Neque in sermone adulationis, neque in occasione avaritiæ. An Evangelicam veritatem diſſimulavimus, ut ſeverum illius inſtitutum celaremus? An blandis lenibusque ſermonibus vos fallere ſtuduimus? Noſtis ipſi, ac teſtari poteſtis. Noſtram ne lucri cupiditatem ſpecie

(a) *Act.* xvi, & xvii. (b) *Theodoret.* Ἱκανὴ γὰρ τῶν παθημάτων ἡ μαρτυρία δεῖξαι τοῦ κηρύγματος τὴν ἀλήθειαν. Οἱ γὰρ ἐξαπατᾷν ἐπιχειροῦντες, μέχρι τῶν κινδύνων τὸ προσωπεῖον περιάπτονται.
(c) *Vide Theodoret. hic.*

℣. 7. Cùm poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.

℣. 8. Ita deſiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.

℣. 9. Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei.

℣. 10. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſanctè, & juſtè, & ſine querelâ vobis, qui credidiſtis, fuimus:

℣. 11. Sicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrûm (ſicut pater filios ſuos)

℣. 12. Deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambularetis dignè Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.

℣. 13. Ideò & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cùm accepiſſetis a nobis verbum auditûs Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.

COMMENTARIUS.

tiæ pietatis abſcondimus? Mentium noſtrarum arcana ſcrutator Deus, noſtrorum teſtis eſt conſiliorum. His verbis pſeudo-Apoſtoli, alterius omnino ingenii homines, ex obliquo tanguntur. Reddi poteſt Græcus (d): *Nemo nos aut aſſentationis aut avaritiæ inſimulavit* (e). Hæc explicatio cæteris præſtat.

℣. 7. Cum possamus vobis oneri esse, ut Apostoli Christi, ac neceſſariam ex vobis alimoniam exigere, quippe quibus id licere dixit Chriſtus, cùm nos mitteret, inquiens (f): *Dignus eſt operarius mercede ſuâ*; jure noſtro uti noluimus, ac multo magis eo abuti, converſo in avaritiæ mercimonium miniſterio. Spectatur his verbis ℣. 5: *Neque in occaſione avaritiæ.*

Sunt (g) qui Græcum (h) ita explicent: Tametſi ſupercilio & auctoritate in vos uti poſſemus, tamquam magiſtri & Apoſtoli; attamen *facti ſumus parvuli*, puerorum lenitatem adhibuimus. Hæc interpretatio cum ſuperioribus & conſequentibus optimè congruit: at collato hoc loco cum cæteris, ubi eâdem de re agitur (i), Pauluſque ſimilibus huic ſententiis utitur, certo colligimus, hîc Paulum monere, ſeſe Theſſalonicenſibus oneri eſſe noluiſſe, quæſitis rebus ad alimoniam neceſſariis.

Facti sumus parvuli (k); puerorum lenitatem adhibuimus. At Græcus vulgatus, & Codices eximii complores (l) legunt: *Facti ſumus benigni*, mites, *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Apoſtolus ſeſe cum nutrice, non cum pueris, comparat. Hac comparatione Theſſalonicenſes ſumuntur ut pueri, quos nutrix leniſſimè fovet. Ita hæc lectio omnium aptiſſima videtur. Nihilominus alteram, *Facti ſumus parvuli*, libri plures præſtantiſſimi probant.

℣. 8. Ita desiderantes vos cupide, nedum Evangelium, ſed vitam quoque noſtram vobis impertiri optabamus. Ita nolebamus vobis oneri eſſe, & incommodo afficere, exactâ ex vobis alimoniâ, ut vitam ipſam, qua vivimus, vobis tradere cuperemus. Comparatio nutricis, lacte paſcentis alumnum, optimè in hanc ſententiam convenit.

℣. 9. Nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Hoc dicit Paulus, non quaſi Theſſalonicenſibus exprobrans, ſed quo meliùs ſentiant Theſſalonicenſes, quàm lato diſcrimine ipſe a pſeudo-Apoſtolis, lucri gratiâ docentibus, ſuoſque Evangelicos alumnos ſupercilio opprimentibus, abſit.

℣. 10. Quam sancte et juste et sine querela, &c. Cùm iſta de ſe prædicet Paulus, neceſſe omnino eſt, pſeudo-Apoſtoli nedum ipſius dogmata, verùm etiam vivendi inſtitutum vituperaverint; atque ipſe integerrimus moribus fuerit, eùm veritatis dictorum teſtes & Theſſalonicenſes & Deum ipſum aſſumere non vereatur.

℣. 11. Sicut pater filios... (℣. 12) Deprecantes... ut ambularetis digne Deo. Hoc ipſum monuit Coloſſenſes (m). Ambulare, gerere ſe dignè Deo, ſeu Divinâ vocatione, eſt omnia Chriſtiani hominis officia explere, quicquid Deo, cæteris hominibus, nobis denique ipſi debemus.

℣. 13. Non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei, qui operatur in vobis.

Dei

(d) Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν. (e) *Heinſ. Hamm.*
(f) *Luc. x, 7.* (g) *Grot. Hamm. Eraſm. Zauch. Piſc.*
(h) Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι. *Oecumen.* Ἐν βάρει εἶναι, ἢ ἐν τιμῇ, καὶ δόξῃ. Ἢ ἐν βάρει, τουτέστι, λαμβάνειν, καὶ τρέφεσθαι. *Gildas: In honore. Ita Rom. Edit. Ambroſ. Et Mſ. apud Bneg. vet. Edit. Honori eſſe.* Hebræum כבד *glorioſus, honorabilis*, redditur etiam, *gravis, oneroſus.*
(i) *1 Timot. v, 16:* Καὶ μὴ βαρείσθω ἡ Ἐκκλησία. *2 Cor. xi, 9:* Ἐν παντὶ ἀβαρῆ ὑμῖν ἐμαυτὸν ἐτήρησα. (k) Ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν. (l) Ἐγενήθημεν νήπιοι. *Ita Steph. δ, 9; Clarom. S. Germ. Berner. G. L. Æth. Theodoret. Oecum. Amb. Aug. Gildas, alii plures.*
(m) *Coloſſ. 1, 10.*

℣. 14. Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæâ in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis:

℣. 15. Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur;

℣. 16. Prohibentes nos Gentibus loqui, ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervênit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.

COMMENTARIUS.

Dei verbom, Deus ipſe (n) per verbum ſuum in Fidelium mentibus agit, per lumen & gratiam Spiritûs Sancti, illuſtrantis inſtammantiſque, ac veritatem amare & virtotem colere ſuadentis. Hanc Dei actionem ſtatuit Theodoretus in prodigiis, quæ a primis Fidelibus patiabantur, atque in Spiritûs Sancti donis, quibus iidem inſtruebantur. S. Chryſoſtomus ac Theophylactus explicant de ærumnis atque inſectationibus, quibus illi tam ſtrenuè repugnabant. Favent huic explicationi ea quæ conſequuntur.

℣. 14. Imitatores facti estis Ecclesiarum, quæ sunt in Judæa. Eccleſiæ in Judaâ inſtitutæ multa ab incredulis Judæis paſſæ fuerant. Statim poſt Pentecoſten Apoſtoli, vix prodire ac docere cœperunt, in vincula dati ſunt, & iniquiſſimis inſectationibus exagitati (o). Mortem in illos decreverant Sanhedrini Patres, Gamalielis oratione deinde a propoſito deterriti (p). Prima ſævitiæ illorum victima Stephanus fuit (q). Ejus necis occaſione, ingens in Eccleſiam Jeroſolymitanam perſecutio exarſit (r); adeò ut fugere Fideles, atque in variis regionis partibus, in Samaritide Damaſci, in Phœniciâ, Syriâ, Cypro latère cogerentur. Profugorom bona invaſere Hebræi (s); quamobrem Apoſtoli in Concilium Jeroſolymis coacti, Paulo provinciam demandavere, ut collectas hinc inde pecunias ad Jeroſolymitanos pauperes mitteret (t). Eadem fermè Theſſalonicenſes Chriſtiani ex civibus paſſi ſunt, quæ Judæi ex Judæis.

℣. 15. Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur. Judæi, Deo exoſi & hominibus; Deo quidem ob contumaciam, infidelitatem, odium Chriſtianorum; hominibus ob perfidiam, ferum ac ſeditioſum ingenium, ſuperbiam qua cæteras gentes aſpernabantur, odium denique quo in cæteros homines flagrabant: *Adversùs omnes alios hoſtile odium* (u). Lege apud Joſephum, quàm ſæva omnium ubique gentium odia in Judæos exarſerint, paulò ante bellum cum Romanis, quo penitus oppreſſi fuere.

℣. 16. Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant. Judæi, ſubmiſſis in omnes partes ſuæ gentis hominibus, Chriſtum Jeſum ejuſque aſſeclas accuſare non ceſſabant (x); arguebantque Chriſtianos, quòd nullius religionis homines eſſent, Legeſque deſtruerent; falſa eſſe quæ de Chriſto ii venditabant; nihilque docere illos, niſi impium, execrabile, ſacrilegum. Ex his Judæorum emiſſariis ortum habuerunt criminationes illæ, quibus per tot ſæcula & Chriſtiani & Chriſtianorum cœtus proſciſſi fuere; eaſque ætate ſuâ nondum ex hominum mentibus abolitas, teſtatur Origenes. Judæis tribuit Tertullianus (y) iniqua illa dicteria, quibus primorum Chriſtianorum fides moreſque damnabantur; eoſque potiſſimum in cauſâ fuiſſe ait, cur Ethnici tam male de noſtrâ Religione ſentirent (z). Quamobrem nedum Evangelica dogmata damnabant ac pervicaciſſimè respuebant, verùm etiam pro viribus laborabant, ne illa Gentiles amplecterentur, ut ait Apoſtolus.

Atque ita ſenſim *implebant menſuram criminum ſuorum;* ac Dei furor in illorum capita ruiturus parabatur, in finem uſque perſeveraturus (a). *Pervênit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.* Illos Deus cum furore mox occupaturus erat, atque inter gentes diſſipaturus, ac plerisque deletis, miſerrimas illorum reliquias luculentiſſimis iræ ſuæ notis inuſturus. Id geſtum eſt anno XVII, poſtquàm hanc Epiſtolam dedit Apoſtolus, Chriſti LXX.

Pro, *Pervênit ira Dei*, Græcus (b) reddi jubet: *Prævênit ira Dei.* Divinus furor antevertit tempus, quo in illos erat flagraturus; cogentibus quodammodo illorum flagitiis, pœnamque in caput ſuum laceſſentibus. Profectò Jeroſolymæ excidium formidandum eſt Divini furoris exemplum, ac luculentiſſima ſupremi Judicii imago. Quamobrem in Scripturâ paſſim (c) illud prædicitur uti Domini, Divinæque ultionis dies. Addit Apoſtolus, iram Dei illos oppreſſuram *uſque in finem* (d): non ut olim temporariis animadverſionibus puniens, ſed eo ſupplicio, quod ad mundi exitum uſque ſit ſæviturum. At denique exeunte ſæculorum curriculo, mentis illorum oculos aperiet Deus (e): gement illi, viſoque eo, quem

---

(n) Ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν. Relativum ὃς referri poteſt vel ad λόγος, *verbum*, vel ad Θεός. Ἐνεργεῖται ſonat vim & efficaciam actionis Dei in nos, in nobis, cum nobis per charitatem, qua fides noſtra animatur. *Galat.* v, 6.
(o) *Act.* v, 17, 28.
(p) *Act.* v, 33, 34. (q) *Act.* VII.
(r) *Act.* VIII, 1, *& ſeq.* (s) *Heb.* x, 34.
(t) *Act.* xv; *Galat.* II, 10. (u) *Tacit. hiſt. l.* 5. *Vide Joſeph. l.* 2 *contra Appion.*
(x) *Juſtin. Dialog. p.* 335, *& ſequ. Origen. l.* 6 *contra Celſum; Tertull.*
(y) *Tertull. ad nationes, l.* 1, *c.* 14. (z) *Idem, l.* 3 *contra Marcion. c.* 23.
(a) *Eſt. Men. Iſr.* (b) Ἔφθασε γὰρ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. Quamplura Vulgatæ Latinæ Exemplaria, Ambroſiaſter, S. Anſelmus, Haymo, Eſtius, aliique plures legunt *prævênit*, non *pervênit*. (c) *Matt.* XXIV; *Marc.* XIII; *Luc.* XXI, *&c.*
(d) *Theodoret.* Οὐκέτι, ὥσπερ πρότερον, ἐπανόδος ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας, ἢ κατάσχεσις τῆς γῆς, ἀλλ' εἰς τέλος ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐπ' αὐτοὺς, τουτέστι μένει ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ.
(e) *Rom.* XI, 26.

Digitized by Google

℣. 17. Nos autem, fratres, deſolati a vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantiùs feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio.

℣. 18. Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impedivit nos ſatanas.

℣. 19. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?

℣. 20. Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium.

COMMENTARIUS.

quem ipſi confixere, plorabunt *(f)*.

℣. 17. Nos autem desolati (remoti) a vobis, aspectu, non corde, veſtri non obliviſcimur, ſed vos intueri multo acriùs deſideravimus. Nihil addi poteſt benevolentiæ, quam Paulus erga Theſſalonicenſes exhibuit. Supra *(g)* ſimilem ſeſe nutrici & patri præbuit; hîc ait, ſeſe ab iis abſentem ita animo excruciari, eoque illos videndi deſiderio agi, quo genitor filios *(h)*, quos mœſtos, atque hoſtium odiis inſidiiſque obnoxios reliquit: atque hæc porrò erat Theſſalonicenſium conditio Judæos inter civeſque idololatras.

℣. 18. Voluimus venire ad vos, sed impedivit nos Satanas. *Quod dicit Satana impedimentum? tentationes nimirum aliquas improviſas magnaſque*, ait S. Chryſoſtomus *(i)*. Sive, Dæmon Theſſalonicenſes idololatras Judæoſque ita in Apoſtolum concitaverat, ut ad illum accedere amici minimè auderent.

℣. 19. Quæ est enim nostra spes aut gaudium...? nonne vos ante Dominum? Cùm memet Chriſto Judici in glorioſo ipſius adventu præſens exhibuero, quod mihi gaudium futurum eſt, quæ fiducia, quod æternæ mercedis argumentum, niſi hoc ipſum, quòd vos docuerim Chriſtum, ejuſque Evangelium vobis nunciaverim? Deo hilaris me ſiſtam, voſque inducens dicam: Ecce me, meoſque filios, laboris mei fructus, meæque fidei & operæ pignora.

CAPUT III.

Timotheus ab Apoſtolo ad Theſſalonicenſes miſſus, ipſorum fidem & charitatem apud illum commendat. Magno videndi illos deſiderio agitur Paulus. Illos in dies magis in bono confirmari cupit.

℣. 1. PRopter quod non ſuſtinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis, ſolis,

℣. 2. Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtrâ:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis. Narrat Theſſalonicenſibus Paulus, quid ipſum facere coëgerit ſua erga illos charitas & ſollicitudo. Poſtquam Theſſalonicenſes inſtituit, ſtatim ex ipſis fugere coactus eſt, ſeditionis causâ, quam Judæi increduli concitavere *(a)*. Hinc Berœam profectus *(b)*, confeſtim inde Athenas elabi debuit. Non multo pòſt Timotheus, quem Apoſtolus Athenis cum Sila reliquerat, ad illum veniens, fortaſſe renunciavit, quibus in diſcriminibus Theſſalonicenſes ac Berœenſes Neophyti verſarentur: quamobrem narratis ſuperiori Capite ſollicitudinibus Pauli animus agitatus eſt. Cùm ipſe Macedoniam petere non poſſet, ſtatim eò Timotheum miſit, ut hîc legimus; maluitque illius operâ & auxilio carere, quàm eas Eccleſias diutiùs ſolatio deſtitutas pati. Ita ſolus manſit Athenis, ibi præſtolans, ut aliquid de novis iis Diſcipulis ſibi renunciaretur. Per id tempus, Athenis Corinthum profectus eſt, ubi illum paulò poſt Timotheus & Silas convenere. Vide ℣. 6. Auditis quæ Timotheus & Silas renunciaverant, hanc Epiſtolam, præfixis ſuo & Silæ ac Timothei nominibus, dedit.

℣. 2. Misimus Timotheum... ministrum Dei in Evangelio Christi. Timotheum commendat, ut addat pondus verbis atque inſtitutionibus, quibus ille docuerat Theſſalonicenſes, cæteraſque Macedoniæ Eccleſias, quarum Apoſtolus alter poſt Paulum erat Timotheus. Iiſdem fermè laudibus illum proſequitur in Epiſtolâ ad Romanos *(c)*, & in primâ ad Corinthios *(d)*. Græcus loci hujus legit *(e)*; *Timotheum fratrem no-*

(f) *Zach.* xii, 10. (g) ℣. 7, & 11. (h) Ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν πρὸς καιρὸν ὥρας.
(i) *Chryſ.* Τίνα λέγει ἐγκοπὴν τοῦ Σατανᾶ; πειρασμοὺς τινὰς ἀπροσδοκήτους, καὶ σφοδρούς.
(a) *Act.* xvii, 9, 10. (b) *Act.* xvii, 13, 14, 15. (c) *Rom.* xvi, 21. (d) 1 *Cor.* iv, 17.
(e) Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ, καὶ συνεργὸν ἡμῶν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ Χριστοῦ·

℣. 3. Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus.

℣. 4. Nam & cùm apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.

℣. 5. Propterea & ego ampliùs non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram; ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.

℣. 6. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem, & charitatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos:

℣. 7. Ideò conſolati ſumus, fratres, in vobis, in omni neceſſitate, & tribulatione noſtrâ, per fidem veſtram.

℣. 8. Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.

℣. 9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum;

℣. 10. Nocte, ac die abundantiùs orantes, ut videamus faciem veſtram, & compleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ?

COMMENTARIUS.

noſtrum, & Miniſtrum Dei, & Coadjutorem noſtrum in Evangelio Chriſti. Alii (f) cum Vulgatâ omittant: *Coadjutorem noſtrum*.

℣. 3. NEMO MOVEATUR IN TRIBULATIONIBUS ISTIS. Græca dictio (g) motum propriè atque agitationem ſignificat, qualem canis, hero blandientis. Nemo turbetur, moveatur, agitetur ob ærumnas, quas patimur. Syrus: *Nemo animo cadat: ipſi enim ſcitis, quòd in hoc poſiti ſumus*, ad hoc ipſum deſtinati. Mala dumtaxat, ærumnas, odia nobis prædixit Chriſtus. *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tamquam malum, propter Filium hominis*, &c. (h). Opus eſt, ut Chriſtianus homo per ærumnas cœlo potiatur, ajebat ad Neophytos Paulus (i). Et alibi ad Timotheum (k): *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*.

℣. 4. PRÆDICEBAMUS VOBIS, PASSUROS NOS TRIBULATIONES. Nunquam excidit Paulo id, quod prædictum de ipſo fuit, qua die nomen Chriſto dedit (m): *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*. Hac cogitatione occupatus, nihil verebatur, putabatque, nihil felicius in terris eſſe, quàm aliquid ob Chriſtum pati. Revocat hîc in memoriam Theſſalonicenſibus, quid ipſe tum Theſſalonicæ, tum Berœæ pertulerit. Vide *Act.* XVII.

℣. 5. EGO AMPLIUS NON SUSTINENS, quippe de rebus veſtris ſollicitus, metuenſque, ne inimicorum odia veſtram in fide conſtantiam labefactarent, & *tentaret vos is qui tentat, & inanis fieret labor noſter*. Hæ ſollicitudinis cauſæ. Minimè dubitabat Paulus, quin ipſi tentationibus eſſent obnoxii; at verebatur, ne iis vincerentur (n): id quod iis verbis ſignificat: *Ne fortè tentaverit vos is qui tentat*.

℣. 6. VENIENTE TIMOTHEO AD NOS A VOBIS. Paulum Athenis minimè nactus, Corinthum vênit Timotheus, retulitque, res Eccleſiarum Macedoniæ ac Theſſalonicæ optimè ſe habere. Tria præſertim in Theſſalonicenſium laude commendat; conſtantiſſimam fidem, abſolutiſſimam charitatem, ac memorem ſui ipſius benevolentiam.

℣. 7. CONSOLATI SUMUS IN VOBIS: ſolatium ex vobis percepimus. Inter Apoſtolici muneris labores, & ærumnas quibus angimur, gaudium omne ſolatiumque nanciſcimur, cùm didicerimus, vos in receptâ ex nobis fide conſtantes perſeverare. Unum hoc animi mei anguſtias levat. ℣. 8: *Nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino*. Hæc mihi vita, gaudium, felicitas, vitam mihi vel in morte verſanti redditura. Ingentem inſperatamque felicitatem, felix nuncium Hæbræi Græcique & Romani ſolent *vivendi* vocabulo ſignificare.

℣. 9. QUAM ENIM GRATIARUM ACTIONEM, &c. Summa erat Pauli lætitia; at hæc in Deum deſinit, atque ad agendas illi gratias, quærendamque Diſcipulorum ſanctitatem & Dei gloriam fertur.

℣. 10. UT COMPLEAMUS EA QUÆ DESUNT FIDEI VESTRÆ (o). Humanum opus non eſt, alterius fidem perficere aut augere, ſed unius eſt Dei, ac Sancti Spiritûs, qui & author fidei noſtræ eſt, eamque mentibus noſtris inſpirat. Hoc dumtaxat vult Paulus, cupere nimium ſe Theſſalonicam proficiſci, ut eos altiùs perfectiùſque edoceat, quid ipſis credendum ſit. Cùm breviſſimam inter illos moram duxiſſet, non potuit tam aptè docere, quàm vellet: fortaſſe etiam pares non erant illi diſcendis iis quæ erat ipſe traditurus. Nuper audiverat Paulus, nonnullis eos difficultatibus agi-

(f) Καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ ἐν εὐαγγελίῳ. *Ita Clarom. Et S. Germ. G. L. Ambroſiaſt. Colb. 6, alii*: Διάκονον, καὶ συνεργὸν τοῦ Θεοῦ. *Borner. G. L. alii omittunt*: Διάκονον τοῦ Θεοῦ.
(g) *Alex. Vel. Copht. Æthiop.* (h) Τῷ μηδένα σαίνεσθαι. *Oecum.* Σαίνεσθαι, θορυβεῖσθαι, ταράσσεσθαι. (i) *Luc.* VI, 22. (k) *Act.* XIV, 21. (l) 2 *Timot.* III, 12. (m) *Act.* IX.
(n) *Theodoret.* Μή τις ὑμῖν ἐκ τῶν πειρασμῶν προσεγίνετο βλάβη.
(o) Καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν. *Theodor.* Τουτέστι τὰ ἐλλείποντα πληρῶσαι.

℣. 11. Ipſe autem Deus, & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos.

℣. 12. Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis:

℣. 13. Ad confirmanda corda veſtra ſine querelâ in ſanctitate, ante Deum & Patrem noſtrum in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus Sanctis ejus. Amen.

COMMENTARIUS.

tari de mortuorum reſurrectione: quamobrem aliquid illorum fidei adjicere optabat *(p)*, vel traditis iis quæ ipſi ignorabant, vel confirmatis illorum animis exhortatione ac lenitate verborum *(q)*.

℣. 11. DIRIGAT VIAM NOSTRAM AD VOS; removeat impedimenta, quibus prohibemur; Dæmonem coërceat, moras propoſito noſtro injicientem *(r)*; Macedonum animos convertat, atque ad nos amicè excipiendos comparet.

℣. 12. VOS MULTIPLICET; numerum veſtrum, aliis Gentilibus adjectis, augeat *(s)*, ET ABUNDARE FACIAT CHARITATEM VESTRAM, quam habetis INVICEM ET IN OMNES, externos etiam & inimicos. Hoc porrò eſt abſolutum Legis faſtigium. *Plenitudo Legis, dilectio (t)*.

℣. 13. AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA in fide & charitate, SINE QUERELA IN SANCTITATE, integrâ corporis animique munditie & ſanctitate; ut immaculati prodeatis ANTE DEUM ET PATREM NOSTRUM IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS SANCTIS, supremâ Judicii die, quo ipſe, Angelis omnibus Sanctiſque ſtipantibus, gloriâ & majeſtate fulgens redibit. Sancti, qui Chriſto crediderint, vitamque ad ipſius præcepta & conſilia inſtitutam duxerint, unà cum ipſo ſeſſuri ſunt, ut judicium in vivos ac mortuos exerceant: prolatam ab eo ſententiam executioni mandabunt Angeli, ipſumque ceu honorarii milites proſequentur. Deum deſcribit in Deuteronomio Moyſes Leges ferentem inter decies centena Angelorum millia *(u)*: *Et cum eo Sanctorum millia*. Eodem modo alterum Jeſu Chriſti adventum narrant Evangeliſtæ *(x)*: *Filius hominis venturus eſt in gloriâ Patris ſui cum Angelis ſuis*; ſive, ex Marco *(y)*: *Cum Angelis Sanctis*. In Græco vulgato deeſt *Amen*; ſed in libris eximiis legitur *(z)*.

CAPUT IV.

Morum præcepta. Fuge fornicationem: caſtum connubium ſerva: mutuam charitatem cole: manibus labora: de neceſſariorum morte ſolatium accipe. Quo ordine peragenda ſit reſurrectio.

℣. 1. DE cætero ergo, fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis.

℣. 2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dñm Jeſum.

℣. 3. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos a fornicatione;

COMMENTARIUS.

℣. 1. ROGAMUS VOS..., UT QUEMADMODUM, &c. Pergit Paulus morum præcepta Theſſalonicenſibus tradere, eoſque hortari, ut pietatem, ut) cœpere, colant. Græcus non habet ea verba: *Sic & ambuletis*. Vetuſti quidem libri ferunt *(a)*: *Sicut & ambulatis*. At Græcos in editis legit ſolummodo *(b)*: *Hortamur in Chriſto Jeſu, ut, quemadmodum accepiſtis ex nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ita abundetis magis*.

℣. 2. QUÆ PRÆCEPTA DEDERIM *(c)* VOBIS PER DOMINUM JESUM, nomine Domini Jeſu, ſive in Domino Jeſu, ex ipſius mente, propoſito, authoritate. Meminiſtis, nec eſt cur repetam.

℣. 3. HÆC EST VOLUNTAS DEI, SANCTIFICATIO VESTRA. Hoc unum vult Deus, vos ille ad ſanctitatem vocat: hoc ſibi propoſuit, cùm vos ad ſui obſequium appellaret. Hinc fit, ut tam ſæpe Diſcipulos hortetur, ut dignam Deo, dignam vocatione ſuâ vitam inſtituant; ſummâ cum

cur-

(p) *Vide Theophyl.* (q) *Eſt. Zanch.* (r) *Sup.* II, 18. *Hieronym. hic, Zanch. Eſt.*

(s) *Theodoret.* Εὔχεται τοίνυν αὐτοὺς καὶ τῷ ἀριθμῷ πλεονάσαι, καὶ τῇ ἀγάπῃ περισσεῦσαι.

(t) *Rom.* XIII, 10. (u) *Deut.* XXXIII, 2. (x) *Matt.* XVI, 27. Vide & *Matt.* XXV, 31.

(y) *Marc.* VIII, 38. (z) *Cod. Alex. Clarom. Germ. G. L. Copb. Arab. Æth. alii.*

(a) Καθὼς καὶ περιπατεῖτε. *Ita Steph.* 9, *Alex Clarom.* & 2. *Germ. G. L. Boerner. G. L. Euthal. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Copbt. Æth. alii.* (b) Παρακαλοῦμεν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν, τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν Θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον.

(c) Τίνας παραγγελίας ἐδώκαμεν ὑμῖν: *Dederimus vobis. Alii:* Ἔδωκα μὲν ὑμῖν: *Dedi quidem vobis.*

℣. 4. Ut ſciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore;

℣. 5. Non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum.

℣. 6. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus.

℣. 7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.

℣. 8. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.

℣. 9. De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis; ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem.

COMMENTARIUS.

corporis & animi munditie & ſanctitate: jubet, abhorrere *a fornicatione (d)*; ſive ex Græcis libris compluribus *(e)*, *ab omni fornicatione*; innumera enim flagitia comprehenduntur uno hoc vocabulo, quæ Græci non ſatis execrabantur *(f)*.

℣. 4. UT SCIAT UNUSQUISQUE VAS SUUM POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE. Chriſtianus homo ſuum ipſe corpus obſervare debet, & quodammodo vereri; quippe quod Chriſti membrum eſt, Dei templum *(g)*, ac Spiritûs Sancti ſedes eſt aut eſſe debet, & aliquando poſt reſurrectionem in Cœlis futurum eſt glorioſum. Noſtra ipſorum corpora in noſtrâ poteſtate non ſunt, ſed Chriſti, poſtquam Chriſto induti fuimus *(h)*. Flagitium ſupplicio dignum facis, cùm illud libidine polluis. Græcus dumtaxat legit *(i)*: *Sciat unusquisque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore*. Sunt *(k)* qui *vas* interpretentur *uxorem*. Caſtè ſancteque viri utuntor conjugio. Viris præcipit Petrus *(l)*, ut *quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertiantur honorem*. At plerique uſurpant de viri corpore, aut pudendis illius membris. Abſolutam membrorum munditiem colite, membriſque veſtris honeſtè utimini, uti ſuſceptam Religionem decet. Docet Paulus *(m)*, eos qui vitia pudicitiæ inimica ſectantur, ſua ipſorum corpora dedecore afficere; in corpus ſuum peccare *(n)*, injuriam illi inferre, ejusque ſanctitatem profanare. Vide Chryſoſtomum, Theodoretum, Theophylactum, cæteroſque in hunc locum Interpretes.

℣. 5. NON IN PASSIONE DESIDERII, SICUT ET GENTES, quibus nulla præter libidinem lex, quæque flagitia vel turpiſſima minimè verentur, uti Paulus in Epiſtolâ ad Romanos, Capite primo, docuit. Fortaſſe hoc loco damnat turpia deſideria, impudicas cogitationes, fervidum libidinis æſtum, quæ ab Ethnicis inter vetita non recenſebantur *(o)*, quemadmodum & a Judæorum compluribus, dum in externam actionem non prodirent. Fornicationem, & quæ ad illam pertinent, jam damnavit Apoſtolus, ℣. 3. Creditur aliis *(p)* ſignificare flagitia turpiſſima, naturæ legibus contraria.

℣. 6. NEQUIS SUPERGREDIATUR, NEQUE CIRCUMVENIAT IN NEGOTIO FRATREM SUUM. Juſtitiam, æquitatem, bonam fidem, quas Chriſtus magnoperè commendavit, inter vos colite. Nullus dolus, fraus nulla, iniquitas, criminatio, mala denique ars in promiſſionibus, verbis, tranſactionibus, mercimoniis, negotiis. Ita ferè Latini Patres *(q)*. At Græci Patres *(r)*, S. Hieronymus *(s)*, Latinique nonnulli ita explicant, quaſi ad ea, quæ de impudicitiâ affinibuſque peccatis dixit, pertineant. Nemo injuriâ fratrem afficiat, ejus uxore ad ſtuprum ſollicitatâ; nemo fratris honorem lædat, ejus uxore conſtupratâ. Non uno loco vidimus, libidinem turpemque voluptatem ab Apoſtolo *avaritiæ* nomine ſignificatam *(t)*.

℣. 8. QUI HÆC SPERNIT, NON HOMINEM SPERNIT; non me, ſed Deum, a quo miſſus ſum, iſtaque tradenda accepi. Item Chriſtus Jeſus Apoſtolis dixit *(u)*: *Qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me*. Qui Prophetas & Apoſtolos rejiciunt atque infectantur, injuriâ afficiunt illum, cujus nomine ipſi loquuntur. Qui impudicitiam & adulterium admittunt, gravius aliquid faciunt, quippe qui corpori ſuo injuriam inferunt; Dei Spiritum in ſe manentem extinguunt, Divinorumque munerum contemptu Deum provocant. Ea verba, *Qui dedit Spiritum Sanctum ſuum in nobis*, referri poſſunt vel ad Apoſtolum, Spiritûs Sancti afflatu loquentem *(x)*; vel ad Fideles, qui Spiritu Sancto imbuti, illum flagitiis contriſtant. Poſteriorem hanc interpretationem probant Græci complures, cùm legant: *Qui dedit Spiritum ſuum Sanctum in vos (y)*.

℣. 9. DE CHARITATE FRATERNITATIS fruſtra vos docuero, cùm Deus ipſe *(z)* per Spiritum Sanctum veſtris in mentibus verſantem, perque di-

(d) *Græc. impreſſ.* Ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας.
(e) Ἀπὸ πάσης πορνείας. *Ita Syr. Chryſ. Theodoret. Theophyl.* (f) *Vide Eſt. Grot. & dicta ad Act.* xv, 20. (g) 1 *Cor.* III, 16, 17; VI, 19. (h) 1 *Cor.* VI, 15, 10.
(i) Τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. (k) *Aug. l.* 1 *de nupt. & concup. c.* 8; *& l. contra Julian. c.* 10; *D. Thom. hic; Quidd. apud Oecum. & Theodoret. Zeger. Eſt.*
(l) 1 *Petri*, III, 7. (m) *Rom.* I, 24. (n) 1 *Cor.* VI, 18; XII, 23. (o) *Vide Epheſ.* IV, 19.
(p) *Hamm. hic. Vide & Eſtium.* (q) *Ita Latini plerique, Grot. Zaneb. Verſl. Bez. Piſc.*
(r) *Chryſ.* Ἐνταῦθα περὶ μοιχείας λέγει. *Theodoret.* Πλεονεξίαν ἐνταῦθα τὴν μοιχείαν ἐκάλεσε.
(s) *Hieronym. in Epheſ.* IV; *Eraſm. hic; Cajet. Eſt. Vat. Men. Lud. de Dieu, Zeger.*
(t) *Epheſ.* IV, 19; V, 3; *Coloſſ.* III, 5. (u) *Luc.* X, 16. (x) *Eſt. Men. Zaneb.*
(y) *Græc. impreſſ.* Τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς. *Alii:* Εἰς ὑμᾶς, *Ita Steph. quatuor, Clarom. S. Germ. Borner. G. L. Ald. Froben. Syr. Arab. Ambr. Mſſ. plures in Mill. Ita Chryſ. Theophyl.* (z) Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε.

℣. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſâ Macedoniâ. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis,

℣. 11. Et operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & ut honeſtè ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis.

℣. 12. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus; ut non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent.

COMMENTARIUS.

divinum lumen quo illuſtramini, nedum docuerit, amandos vobis eſſe fratres tamquam vosmet ipſos, id quod ſecundo Legis præcepto ſancitur (a), verùm etiam qua ratione, quo tempore, quem usque ad finem porrigenda ſit charitas, quæve officia ex vobis a charitate exigantur. Satis eſt, ſi ipſi vosmet conſulatis, arcanamque loquentis intus Spiritûs Sancti vocem audiatis. Animadvertit Theodoretus, mutuam charitatem ab Apoſtolo in eo maximè conſtitui, ut locupletes pauperibus largiantur, ac mutua officia in rebus arduis Fideles exhibeant. Ipſa orationis ſeries hunc ſenſum poſtulat.

℣. 11. Operam detis, ut quieti sitis; pacem cum omnibus colatis, necui moleſtiam inferatis, neve quæratis ea, quæ ad vos minimè pertinent. *Ut veſtrum negotium agatis.* Duo vitia damnat, quæ ferè conjuncta ſunt; curioſitatem & otium. Vide infra 2 *Theſſal.* III, 11: *Audivimus, inter vos quosdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curiosè agentes.*

Et operemini manibus: ne ſub orationis, inſtitutionis, ſtudiorum obtentu, inertiæ vacetis, fratribus ac reipublicæ inutiles graveſque. Manuum labore vitam tolerate, ut ipſe inter vos commorans & verbis & exemplo docui. Primi olim Chriſtiani inopes erant, & artium profeſſores. Ex alterâ ad Theſſalonicenſes Epiſtolâ liquebit, neceſſaria illis fuiſſe iſthæc monita, cùm inter illos eſſent, qui inertiæ & curioſitati indulgerent.

Ut honeste ambuletis ad (erga) eos, qui foris sunt, extra Eccleſiam, nempe Infideles; necui offenſioni ſitis, cauſamque præbeatis, ut vos aut Eccleſiam aſpernentur. Plena probri res eſt rebus neceſſariis indigere, eosque a cæteris poſtulare, cùm quis in eam conditionem ſuâ ipſius culpâ inertiâque devenerit. Publica honeſtas flagitat, ut ſuam quisque artem exerceat, & necui ſit gravis (b). Spontaneam dumtaxat paupertatem, in animo & electione poſitam, Chriſtus commendat (c); damnat inertiam.

Nullius aliquid desideretis; ſtudete, ne cujus ope indigeatis. Neceſſaria paupertas maximus eſt ſaluti laqueus, & tentatio pernicioſiſſima; quippe quæ ad turpiſſima quæque hominem trahit, impellitque in fraudem, furtum, mendacium, impudentiam, animi obdurationem, oblivionem Dei. Beati pauperes ſpiritu: at miſerrimi qui neceſſariam paupertatem patiuntur, nedum ob mærorem, depreſſionem, anguſtias, incommoda, ſed præſertim ob diſcrimina ſalutis, quibus obvolvuntur, ob morum depravationem, & peſſimum vitæ inſtitutum. Domine, *mendicitatem & divitias ne dederis mihi*, ajebat Sapiens (d); *tribue tantùm victui meo neceſſaria; ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.*

℣. 12. Nolumus (e) vos ignorare de dormientibus (f), de mortuis; Hebræi quippe mortem ferè ſomni appellatione ſignificabant, vel ut odioſum mortis vocabulum vitarent, vel ut innuerent, mortem nihil eſſe aliud præter ſomnum, quem ſtatim reſurrectio eſt conſequutura. Hanc locutionem vulgò adoptavere Chriſtiani; adeo ut *cœmeteria*, quaſi dixeris *dormitoria*, nuncupent loca, in quibus Fidelium cadavera quieſcunt. Negat Apoſtolus, dolendum ita eſſe Chriſtianis, utì ſolent Ethnici, ob mortem neceſſariorum, qui Juſtorum morte, cum reſurrectionis ſpe, in Chriſto dormierunt. Neque tamen omnino dolere vetat (g); ſed negat dolendum eſſe more Gentilium, quibus poſt hanc nulla melioris vitæ ſpes ſupereſt (h). Arduum foret, ac fermè impoſſibile, parentum amicorumque morte non cruciari: at opus eſt eſſe dolori modum, cùm credendum ſit, illos non penitus nobis periiſſe, vitam meliorem incepiſſe, ac rurſus aliquando nobiſcum futuros, ut nunquam avellantur, omneſque unà redituros in vitam ſupremâ Domini die, nunquam deinceps morituros.

Reſurrectionis ſpes Judæis, utì nobis, erat; Phariſæis ſaltem, & vulgo: immodici tamen doloris argumenta in obitu neceſſariorum exhibere non deſinebant. Ex his Saducæi animorum immortalitatem & reſurrectionem rejiciebant (i): neque tamen a cæterorum Judæorum ſacris & communione excludebantur. Inter Ethnicos nemo reſurrectionem credebat, quamvis complures de animorum immortalitate ac veritate alterius vitæ non dubitarent. At quàm multa Philoſophorum hac de re diſſidia? Epicuræi animum unà cum corpore extingui cenſebant. Platoni (k) nunquam ſatis perſuaſum eſt de animi immortalitate, alterâque vitâ. Seneca (l), Cicero (m), cæterique nonniſi dubium illi aſſenſum præbuere. Quamobrem ſplendida potiùs ac probabilis opinio, quàm certa fides erat (n).

℣. 13. Si

(a) *Matt.* XXII, 39.
(b) *Eſt, Zaneb.* (c) *Matt.* V, 3. (d) *Prov.* XXX, 8.
(e) *Græc. impreſſ.* Οὐ θέλω, *Nolo. Alii:* Οὐ θέλομεν, *Nolumus. Ita Cod. Alex. S. Germ. Clarom. Æth. Hyppolyt. Chryſ. Origen. Theod. Theoph. Cyprian. Ambroſiaſt. &c.*
(f) Περὶ τῶν κοιμωμένων. *Ita Steph.* ιγ, *Alex. Barb.* 2, *alii plures. Sed impreſſ.* Περὶ τῶν κεκοιμημένων, *De his qui dormierunt.* (g) *Theodoret.* Οὐ παντελῶς κωλύει τὴν λύπην, ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν ἐκβάλλει, καὶ τῇ ἀναστάσεως ἐλπίδι ψυχαγωγεῖ. (h) *Epheſ.* II, 12.
(i) *Matt.* XXII, 23; *Act.* XXIII, 8. *Joſeph. de Sadducæis, Antiq. l.* 18, *c.* 2. (k) *Plato in Phædone.*
(l) *Seneca, Ep.* 64. (m) *Tull. Tuſcul.* 1.
(n) *Vide Grot. l.* 2 *de veritate Relig. Chriſt. not. in c.* 8.

℣. 13. Si enim credimus, quòd Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.

℣. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.

℣. 15. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tubâ Dei deſcendet de cœlo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.

COMMENTARIUS.

℣. 13. Si enim credimus, quod Jesus mortuus est et resurrexit, noſtra quoque reſurrectio nobis pro certo habenda eſt. Chriſti reſurrectio eſt noſtræ exemplum, pignus, argumentum, pretium, ſponſio. Si Chriſtus in vitam rediit, fieri omnino poteſt, ut & ipſi reſurgamus. Qui illum revocare ex mortuis potuit Deus, & nos poterit. Beneficium hoc nobis pollicitus & promeritus eſt Chriſtus: de futurâ igitur noſtrâ reſurrectione dubitare non poſſumus. *Dormientes per Jeſum* (o) ii ſunt, qui in Chriſto Jeſu dormiunt, *qui in Domino moriuntur*, ut habet Apocalypſis (p): qui ad finem usque in fide, ſpe, charitate, & Chriſtianæ virtutis exercitatione perſeverant (q). Hi cum Chriſto Jeſu reſurgent, æternâque gloriâ cum eo perfruentur. Cæteri quoque in vitam reſtituentur: at illos *Deus non adducet* in Cœlum *cum Jeſu*, ſed in æternum ignem, Diabolo ejusque Angelis paratum, detrudet.

℣. 14. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini (r), a Domino edocti. Quæ doceo, non meo ipſius conſilio aut nomine trado, ſed ex iis quæ divinitus didici: Dei ipſius juſſu & nomine nuncio, quemadmodum ipſe intellexi, cùm tertium in Cœlum raptus fuiſſem (s). Dico igitur: *Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus* (reſervamur) *in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt*. Ita ſcribit Paulus, quaſi ipſe & ii, quos alloquitur, generalem reſurrectionem, veluti ſuâ ætate eventuram, viventes ac ſuperſtites eſſent ſpectaturi. Hinc veterum complures ſibi perſuaſerant, ſupremam Judicii diem proximè imminere. At Interpretes præſtantiſſimi optimè exiſtimavere, ita loqui Apoſtolum, quaſi ſe ipſe proponat ceu exemplum earum rerum, quas ſuperſtites tunc homines ſunt ſpectaturi (t). Si hoc noſtrâ ætate contingat, neque ego neque vos antevertemus eos qui diu antea obierunt: univerſi ſimul homines reſurgent, momento uno, ictu oculi, in primo tubæ clangore; cùm vetuſtiſſimi ex mortuis, cùm noviſſimi; nos denique qui ſuperſtites ſumus, nosque ſervari credimus in formidandum eum diem, momento uno mutabimur (u), efficiemurque iis ſimiles, qui pluribus antea ſæculis obierunt, & mox ſurrexere.

Videtur nonnullis (x), omnino putaſſe Paulus fieri poſſe, ut ipſe viveret Judicii generalis tempore, illudque ipſe cerneret ante obitum, ſive ante mutationem corporis, hominibus eo tempore ſuperſtitibus eventuram (y): *Omnes immutabimur*. Idque liquere ii cenſent ex illis ad Corinthios verbis (z): *Mortui reſurgent, & nos immutabimur*. Et: *In hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de Cœlo eſt, ſuperindui cupientes*. At Paulus ipſe hanc opinionem evertit in ſecundâ ad Theſſalonicenſes (a), ubi docet, non ita eam diem imminere, multaque illi præitura. Præterea qui fieri potuit, ut falleretur in eâ re, quam divinitus didicit, atque *in verbo Domini* nunciavit?

℣. 15. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei. Tubæ mentio fit ubique fermè, cùm de Domini adventu supremoque Judicio agitur. Ait Chriſtus futurum, ut (b), cùm Filius hominis in nubibus ſuâ majeſtate velatus advenerit, *mittat Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ*. Et in primâ ad Corinthios (c) tradit Paulus, auditum iri tubæ clangorem, antequam mortui reviviſcant; idque futurum ceu reſurrectionis juſſum indiciumque; veluti cùm Imperator copias colligit, ac diſceſſionem imperat, vel ad concionem vocat. *In juſſu, & in voce Archangeli, & in tubâ Dei* (d). His verbis innui poteſt Angeli vox, Dei nomine imperantis, ut mortui e pulvere ſurgant; formidandæ vocis fragor, tonitru & clangori tubæ ſimilis; ſive Dei juſſio, & Angelicæ tubæ clangor, cui accedent verba, & juſſio Dei nomine facta. Chriſtus ipſe (e) ait: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent*. Igitur Chriſti vox unâ cum voce Angeli perſonabit.

Tuba Dei eſt tuba miro clangore perſtrepens, omniumque hominum auribus inſonans; quemadmodum vox Dei, procella Dei uſurpantur pro mitis inſolitisque rebus, & humano more majoribus. S. Chryſoſtomus (f) ac Theophylactus hic legunt: *In ſupremâ tubâ*; quemadmodum & in 1 *Cor.* xv, 52: putantque iteratum iri tubæ clangorem, eâque demum poſtremò clangente, Judicem deſcenſurum. Cùm Deus in montem Sinai deſcendit, legem Moyſi daturus, voces ibi, tonitrua, clangoreſque tubæ perſtrepuere (g). Chriſtus (h) in parabolâ de Virginibus decem, ait, ex improviſo, illis minimè omnium opinantibus,

(o) Κοιμηθέντες διὰ τῦ Ἰησῦ. *Oecumen.* Ἐν τῇ πίςει τῦ Ἰησῦ.

(p) *Apoc.* xiv, 13. (q) *Joan.* v, 29.

(r) *Theodoret.* Οὐ γὰρ οἰκείοις χρώμεθα λογισμοῖς, ἀλλ' ἐκ θείας ἡμῖν ἀποκαλύψεως, *&c.*

(s) 2 *Cor.* xii, 2, 4. *Theophyl.* Τῦτο ῥητῶς ἤκυσε παρὰ τῦ διδασκάλυ, τὰ δ' ἄλλα πνεύματι ἐφθέγγετο.

(t) *Vide Aug. l.* xx *de civit. c.* 20; & *Theodoret. hic:* Οὐκ ἐπὶ τῦ ἑαυτῦ προσώπυ τέθεικεν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν περιόντων ἀνθρώπων. *Ita Eſt. Men. Tir. Zaneb. Voeſt. Piſc.*

(u) Vide 1 *Cor.* xv, 51, 52, *&c.* (x) *Vide Grot. hic.* (y) 1 *Cor.* xv, 51.

(z) 1 *Cor.* xv, 51, 52; & 2 *Cor.* v, 1, 2. (a) 2 *Theſſal.* ii. (b) *Matt.* xxiv, 31.

(c) 1 *Cor.* xv, 52. (d) Ἐν κελεύσματι, καὶ ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλυ, καὶ ἐν σάλπιγγι Θεῦ. *Theodoret.* Κελεύσει μὲν ἀρχάγγελον βοῆσαι, *&c.* (e) *Joan.* v, 28.

(f) *Chryſoſt.* Ἐν τῇ ἐσχάτῃ σάλπιγγι, δείκνυσι ἐνταῦθα πολλὰς τὰς σάλπιγγας γενομένας, καὶ πρὸς τῇ ἐσχάτῃ καταβαίνοντα τὸν κριτήν. (g) *Exod.* xix, 18. (h) *Matt.* xxv, 1, & *ſeq.*

℣. 16. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra; & ſic ſemper cum Domino erimus.

℣. 17. Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.

COMMENTARIUS.

tibus, auditum vocis fragorem: *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.* Quibus verbis ſignificatus vox Angeli, mortuos ſurgere jubentis: hi ſtatim ſurgent, ac tam citò quidem, ut vel ipſos ſuperſtites ſint præventuri (i). Fruſtra quæſieris hujus tubæ materiam; neque enim neceſſe eſt vera ſit tuba, modò ſonus quaſi tubæ audiatur (k).

Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Fideles, Chriſtiani, qui cum Fide & ſpe reſurrectionis a Chriſto promiſſæ obierunt; ſive ii, qui ob Chriſti nomen ac defenſionem Religionis mortem oppetiere (l), *reſurgent primi*. Qui verò iſtud, cùm uno omnes momento atque ictu oculi ſint ſurrecturi (m)? Cenſent nonnulli (n), Fideles Electoſque omnium primos in vitam revocatum iri, non temporis ordine, cùm univerſi ſimul homines ſurrecturi ſint, ſed dignitatis. Cæteris anteponentur ordine & loco. S. Chryſoſtomus ac Theophylactus (o) ajunt, Electis fore ante impios reſurrectionem, ut occurrere queant Chriſto; impios verò, cùm obviam Chriſto ituri non ſint, ſurrecturos dumtaxat ut judicium ſubeant. At Interpretes plerique (p) Græcum reddont (q): *Qui mortui ſunt in Chriſto, reſurgent priùs*, antequam obviam Chriſto in nubibus venienti progrediantur. Univerſi quidem homines reſurgent; at Electi dumtaxat obviam ibunt Chriſto, honoris causâ. Humi manebunt impii, Judicis adventum cum formidine præſtolantes. Quæ interpretatio fermè cum Chryſoſtomo congruit.

℣. 16. Deinde nos qui vivimus, qui ad illud usque tempus ſuperſtites fuerimus, unà cum illis rapiemur in aëra, ut occurramus Chriſto, deſcendenti ad judicium viventium ac mortuorum, cùm illorum ſcilicet, qui ex mortuis ſurrexerint, cùm eorum qui adhuc ſuperſtites fuerint, uno ſtatim momento mutationem paſſi, uti Paulus ait in primâ ad Corinthios (r). Deſcendet igitur Chriſtus comitantibus Angelis, ſuâ in nubibus majeſtate velatus, ut ipſe in Evangelio teſtatur (s): occurrent Electi, obſequium exhibituri, illumque proſequuturi honoris causâ in judicio, in homines univerſos inſtituendo. Sublimis fortaſſe fulgidâ in nube, tamquam in ſolio, ſeſſurus eſt Chriſtus, illumque ſtipabunt Angeli & Sancti, judicium in impios exercentem; Apoſtolis enim, & iis qui omnia ſuî causâ reliquerint, pollicitus ipſe eſt futurum, ut cum ipſo in ſoliis ſedeant, ſententiam de Tribubus Iſraëlis laturi (t).

Qui ad illud usque tempus vixerint, vel ſtatim a vitâ migrabunt, ac mox in vitam revocabuntur, ut lata in primum hominem mortis ſententia (u) in univerſis omnino illius poſteris impleatur (x); vel mutabuntur, minimè guſtatâ morte, atque ex mortali ad immortalem vitam illico transferentur; eorumque corpora, per ſe corruptioni ac morti obnoxia, illius expertia futura ſunt, atque immortalitate induta in glorioſum ſtatum tranſibunt. Poſteriorem hanc explicationem probant Patres Græci complures (y), priorem vulgo Latini: neutra verò cum Fide pugnat.

Et sic semper (z) cum Domino erimus. Semel illum aſſequuti, nunquam amittemus. In cœlum feremur poſt Judicium, ibique cum eo in gloriâ æternùm regnabimus. Quamobrem decet, nos in neceſſariorum obitu ſolatium accipere, noſtramque mortem optare potiùs quàm vereri, cùm nos in æternum ſemperque felicem ſtatum ſit immiſſura, ſi in Fide, Spe, & Charitate ad exitum usque Dei beneficio perſeveraverimus.

CA-

(i) *Theodoret.* Ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου. Τοῦτο σημαίνει, ὅτι κελευόμενός τις τῶν ἀρχαγγέλων κατακελεύεται τοῖς νεκροῖς ἀναστῆναι. Οἱ δὲ παραυτίκα ἀνίστανται, καὶ μετὰ τοσαύτης ὀξύτητος, ὡς προφθάσαι τοὺς ἔτι περιόντας. (k) *Gregor. Concordiâ, &c. qu.* 27. (l) *Medus, l.* 3, *p.* 647.
(m) 1 Cor. xv, 52. (n) *Sedulius hic.*
(o) *Chryſoſt. Theophyl.* Οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ, τουτέστιν, οἱ πιστοὶ, ἀναστήσονται πρῶτον. Ἅτε γὰρ μέλλοντες αἴρεσθαι ἐν νεφέλαις, καὶ πρῶτοι ἀναστήσονται. Οἱ δὲ λοιποὶ ἔσχατοι, ὡς μήτε ἁρπάζεσθαι, μήτε ἀπαντᾷν μέλλοντες. (p) *Pagn. Eraſm. Vat. Men. Tir. Eſt. Grot. alii.*
(q) Οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ ἀναστήσονται πρῶτον. (r) 1 Cor. xv, 51, 52. (s) *Matt.* xxiv, 30; xxv, 31.
(t) *Matt.* xix, 28. (u) *Geneſ.* iii, 19. (x) *Aug. l.* 20 *de civit. c.* 20, *Ambroſiaſt. Anſelm. D. Thom. &c.*
(y) *Origen. l.* 2 *contra Celſ. Epiphan. hæreſ.* 64. *Vide Chryſ. Theodor. Theophyl. hic; & Aug. ad Dulcit. qu.* 3; *& lib.* 2 *de peccatorum meritis, c.* 31. *Juſtin. ſeu alius, qu.* 109; *Hieronymiaſt. Cajet.*
(z) Καὶ οὕτω πάντοτε, *&c. Et ſic ſemper, &c. Alii: Et ſic omnes cum Domino erimus. Ita Claróm. & S. Germ. Lat.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Incerta Judicii hora. Vigilantiâ opus eſt, ne ex improviſo occupemur. Paſtoribus obtemperandum. Aliqua pietatis præcepta.

℣. 1. DE temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis ut ſcribamus vobis;

℣. 2. Ipſi enim diligenter ſcitis quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet.

℣. 3. Cùm enim dixerint: Pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.

℣. 4. Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tamquàm fur comprehendat:

℣. 5. Omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum.

℣. 6. Igitur non dormiamus ſicut & cæteri; ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.

℣. 7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE TEMPORIBUS AUTEM ET MOMENTIS, NON INDIGETIS UT SCRIBAMUS VOBIS, poſt ea, quæ præſentes docuimus (a). Meminiſſe debetis: ſatis multa dixi; fruſtra ulteriora quæritis. Aliter: Noſtis, dixiſſe Chriſtum, latere etiam Angelos certum adventûs ipſius & Judicii tempus (b); eumdemque cenſuiſſe, ne Apoſtolis quidem flagitantibus eſſe aperiendum (c). Probabile omnino eſt, illud Paulo in tertium Cœlum rapto fuiſſe ſignificatum (d), unumque fuiſſe ex myſteriis, quæ hominibus aperire non deceret. Quamobrem ait, opus non eſſe de eo loqui; ac ſufficere, quòd noverint (℣. 2.), *quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet*. Plura vobis non aperio, quàm quæ tradidit Deus (e). Vigilare jubeo, uti paterfamiliâs, qui furem ad effodiendam domum ſuam noctu venturum admonetur. Nunquam ille non vigilat, cùm neſciat, qua horâ fur ſit venturus. Ita & vos, cùm Filium hominis ex improviſo venturum noveritis: *Et vos eſtote parati, quia qua horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Et alibi (f): *Sicut in diebus Noë erant ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium & tulit omnes: ita erit & adventus Filii Hominis.* Fruſtra igitur hac de re plura ſcripſero. Si opus fuiſſet plura vos docere, docuiſſet Chriſtus.

Animadvertit optimè S. Chryſoſtomus (g), nulli prorſus uſui nobis eſſe, tempus deſituri mundi noſſe. Si mundi exitum poſt annos mille vel centum fore ſciveris, quorſum iſtud tibi, cui mundi exitus eſt vitæ tuæ finis, quam vitam breviſſimam eſſe noſti? Neque etiam utile hominum univerſitati fuerit, mortis diem ſcire: quàm multi enim eſſent, qui flagitiis quibuslibet implicarentur, & baptiſmum ad ſupremum diem uſque differrent? Impii nullo metu continerentur, & bonos impune opprimerent. Qui immodico vitæ amore tenentur, accedente annorum fine, mœrore conficerentur. Minora denique forent Juſtorum merita, cùm minor futura eſſet ſpei & charitatis exercitatio.

℣. 3. CUM ENIM DIXERINT; PAX ET SECURITAS, &c. Mulier uterum gerens omnino ſcit, partûs dolores ſibi eſſe ſubeundos; at quo tempore, ignorat. Aliæ poſt ſeptimum, aliæ poſt decimum menſem pariunt; hæ in itinere, illæ in agro; cæteræ cùm minimè expectant. Ita impii ſupremo Judicio occupabuntur, cùm ſeſe tutiſſimos ac tranquilliſſimos putaverint: certiſſimam ejus diei neceſſitatem ſibi ipſi abſcondant diſſimulentque: *non* tamen *effugient*.

℣. 4. VOS AUTEM NON ESTIS IN TENEBRIS; ex iis non eſtis, qui ſomno oppreſſi, improviſo ejus diei adventu, ceu a fure, facilè occupabuntur. *Vos filii lucis eſtis*, fide, cœleſtium rerum contemplatione, interiori Spiritûs Sancti, in cordibus veſtris manentis, lumine illuſtrati. Vigiles ſollicitique Domini adventum præſtolamini, uti prudentes apud Evangelium (h) Virgines, quæ accenſis ſemper ac probè curatis lampadibus cœleſtem Sponſum expectavere.

℣. 6. NON DORMIAMUS SICUT ET CÆTERI, Ethnici & Infideles, ignorantiæ tenebris, ac ſopore vitiorum merſi; tam ſecuram ac tranquillam vitam agentes, quaſi nulla eſſet in hoſtes pugna, nullum diſcrimen, nullumque judicium.

℣. 7. QUI ENIM DORMIUNT, NOCTE DORMIUNT. Obſcurior eſt comparatio. Quemadmodum qui dormiunt & ebrii fiunt, opportunum his rebus noctis tempus eligunt; ita qui inſanam hanc ſecuritatem miſerrimumque ſoporem amant, inter ignorantiæ atque obdurationis tenebras verſantur. Opus eſt Judicium aut non noveris, aut eſſe neges, ut eo non terreare. Qui tam ſonoro tonitru non excitatur, mortuus eſt, non dormit.

℣. 8. Nos

(a) Vide Caput II, ℣. 5. (b) *Matt.* XXIV, 36; *Marc.* XIII, 32.
(c) *Act.* I, 7; *Matt.* XXIV, 3. (d) 2 *Cor.* XII, 1, 2, 3, 4, 5. (e) *Luc.* XII, 39.
(f) *Matt.* XXIV, 37; *Luc.* XVII, 26. (g) *Chryſoſt. hic, homil.* 9; *& Theophyl.*
(h) *Matt.* XXV, 1, *& ſeq.*

℣. 8. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis:

℣. 9. Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

℣. 10. Qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.

℣. 11. Propter quod conſolamini in invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.

℣. 12. Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos,

℣. 13. Ut habeatis illos abundantiùs in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis.

℣. 14. Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.

COMMENTARIUS.

℣. 8. Nos autem qui diei sumus (i): qui Deum novimus, & Fidei lumine illuſtramur, *ſobrii ſimus*, caveamus a ſopore atque ebrietate, quibus filii tenebrarum, infideles, filii ſæculi opprimuntur, *induti loricam fidei & charitatis* adversùs Diabolum & inertiam. Familiaris eſt Paulo metaphora, utì ſupra animadvertimus (k). Legitur & apud Isaiam, LIX, 17.

℣. 9. Non posuit nos Deus in iram: non deſtinavit nos Deus, ut filii iræ illius ſimus, ut in nos ſæviat: cùm nos ad fidem vocavit Deus, primum illius propoſitum fuit, ut ad æternam beatitudinem nos perduceret; nosque illius menti peſſimè responderemus, ſi vitam ageremus qualem filii tenebrarum, quos Deus in libidinum ſuarum poteſtate deſtituit. *Sed in acquiſitionem ſalutis, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Nullum quippe aliud nomen ſub cœlo eſt, quàm Jeſu Chriſti, quo nobis ſalus acquiri queat. *Act.* IV, 12.

℣. 10. Ut sive vigilamus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Idcirco mortem ſubiit Chriſtus, ut ſalutem nobis acquireret; atque illud vult, ut, ſive vigilemus, ſive dormiamus, quocumque demum tempore, uni ſibi vivamus & ſimus. Vel potiùs (l): Sive ex iis ſimus, quos Chriſtus, ad judicium veniens, ſuperſtites inveniet, ſive ex iis qui dormierint, atque in pulverem reſoluti fuerint, vult omnino ſuos eſſe, paratâque nobis gloriâ frui.

℣. 11. Consolamini (m) invicem, et ædificate alterutrum. Hujusmodi dogmata mutuo vobis ſolatio ſint & inſtitutioni. His meditationibus unusquisque veſtrùm ſoletur fratres animo conſternatos ob neceſſariorum mortem. Bono exemplo invicem eſtote, vigilantiam vitæque munditiem ſuadentes, dum formidandum Filii Dei adventum præſtolamini.

℣. 12. Ut noveritis eos qui laborant inter vos. Hos magnoperè obſervate, eum ſummo erga illos obſequio, obedientiâ, ſubjectione; gratum illis animum exhibete, sesque illis neceſſarias ſuppeditate. His verbis, *ut noveritis eos*, omnia complectitur Paulus Fidelium officia erga Paſtores, cujuſcumque dignitatis ac muneris illi ſint in Eccleſiâ. Parem illis gratiam reddere debent Fideles, ſuumque erga illos obſequium reipsâ teſtari. Confer *Rom.* XV, 27; 1 *Cor.* IX, 11; *Galat.* VI, 6; *Philipp.* II, 29; 1 *Timoth.* V, 17; *Heb.* XIII, 7.

℣. 13. Pacem habete cum eis, cum Paſtoribus. Mutuam cum illis concordiam nihil turbet: ſecùs enim omnis illorum labor, veſtri causâ ſuſceptus, inutilis efficeretur. Siquod eſſet Paſtores inter gregemque diſſidium, ſtatim Deus ab utrisque recederet: Dei enim Spiritus ibi non eſt, unde pax exulat. Aliter ex Græco (n): *Pacem habete in vobis*, cum fratribus, cum Fidelibus. Melior videtur hæc explicatio: at Vulgatæ lectionem eximii plures libri (o) Patresque ſectantur.

℣. 14. Corripite inquietos, ſeditioſos. Sunt (p) qui otioſos interpretantur, quorum inertiâ & curioſitate omnia ſusdeque vertuntur, cùm ipſi nihil non moveant, aliena curent, negligant ſua. Hi porrò peſtes reipublicæ ſunt, omniumque ſocietatum. Ex proximâ Epiſtolâ, III, 6, 7, 8, 11, colligas, hanc genuinam eſſe hujus loci ſignificationem. *Subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt a nobis. Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, nequem veſtrûm gravaremus, &c.*

Alii (q) locum accipiunt de flagitioſis, qui pacem publicam corruptelâ & licentiâ morum turbant: hos acriter argui jubet. Græca dictio quodlibet flagitiorum genus ſignificare poteſt: at reliqua rerum connexio videtur poſtulare, ut de inertiâ, cæterisque inertiam conſequentibus uſurpetur.

Consolamini pusillanimes, animo debiles, impares magnis rebus ſuſcipiendis, ferendis tentationibus paulo vehementioribus, tolerandis ærumnis atque inſectationibus, animis denique adversùs mortis ſupremique Judicii terrores confirmandis.

(i) *Græc.* Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες. *Alii*: Ἡμέρας υἱοί. *Ita Syr. Arab. Æth. Laud.* 2, *Petit.* 2, *&c.*
(k) *Epheſ.* VI, 14, 17. (l) *Theodoret. hic*: Ἐγρηγορότας ἐκάλεσε τοὺς ἔτι κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν περιόντας. Καθεύδοντας δὲ, τοὺς τετελευτηκότας. *Vide Grot.*
(m) Παρακαλεῖτε, Invicem conſolamini, exhortamini, animos confirmate.
(n) Εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. (o) Εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς. *Ita Claram. & S. Germ. Berner. G. L. Froben. Æthiop. Chryſoſt. Theod. Theophyl. alii plures.* (p) *Theodoret.* Νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους. Τοὺς ἀργίᾳ συζῶντας οὕτως ἐκάλεσε. *Ita Eſt. Vorſt.* (q) *Pagn. Vat. Eraſm. Mont. Zanch. alii.*

℣. 15. Videre, ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper, quod bonum eſt, ſectamini in invicem, & in omnes.
℣. 16 Semper gaudete.
℣. 17. Sine intermiſſione orate.
℣. 18. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis.
℣. 19. Spiritum nolite extinguere.
℣. 20. Prophetias nolite ſpernere.

COMMENTARIUS.

dis: his ſolatium præbete, deſcriptâ Dei elementiâ, præmiorum magnitudine, ac potentiâ illius, a quo ipſi in certamine ſuſtinentur, atque ad certamen impelluntur.

Suscipite infirmos (r): ſuſtinete conſilio & exhortatione; ſeu potiùs, in fide infirmos tolerate; vos illorum miſereat; ne quam illis, importunâ libertate utentes, offenſionem præbeatis, infirmitati illorum ac metui connivete. *Infirmos* tum hic, tum ad Romanos (s) & ad Corinthios (t), eos fortaſſe intelligit, qui Evangelii libertatem non ſatis agnoſcentes, inani metu ac religione agitabantur de ciborum delectu, aliiſque minutioribus, quorum lege ſeſe teneri cenſebant.

℣. 15. Ne quis malum pro malo alicui reddat. Nulla inter vos vindicta & ſimultas eſto. Sinite injurias veſtras perſequatur Deus: malo ne vincamini, ſed mala vobis illata repenſis beneficiis ſuperate. Iſta docuit Romanos (u) iiſdem ferè verbis. *Semper quod bonum eſt ſectamini* (x): ſollicitì ſemper eſtote quod bonum eſt agere, beneficiiſque & officio omnes proſequi.

℣. 16. Semper gaudete quibusvis in rebus: inopia, ærumnæ, odia, labores vos perſequantur, in Domino gaudete (y): quicquid adverſi eſt, ferte: pacem & Spiritûs Sancti hilaritatem colite (z).

℣. 17. Sine intermissione orate. Tam ſæpe mentem ipſo actu erigite, quam poteſtis; cùmque id præſtare non licuerit, quicquid getitis habitu ſaltem feratur in Deum: omnia in Dei gloriam facite. quicquid inchoatis, in illud convertite. Aſſidua oratio paſſim in Evangelio & in Pauli Epiſtolis (a) imperatur.

℣. 18. In omnibus gratias agite, tum in adverſis, cùm in proſperis rebus: quicquid contigerit, Dei providentiam & conſilia veneramini: cùm enim ille ſapientiſſimus ſit, bona ex malis novit elicere, atque ex rebus prorſus contrariis gloriam ſibi comparare. Hoc vult Deus, ut in aſſiduâ gratiarum actione verſemur, oremusque conſtantiſſimè in Chriſto & per Chriſtum. *Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu.* Unus hic eſt Deo placendi modus per Chriſtum (b), ſive, ex Theodoreto, quicquid ſit, Deo volente fit: idem diſſipat nullo negotio iſthæc mala, ſi velit: at ſalutem nobis impertiri per ærumnas placet.

℣. 19. Spiritum nolite extinguere. Duplex eſt hujus ſententiæ explicatio, ſive de exterioribus diviniſque Spiritûs Sancti donis, ſive de illius gratiâ & interiori afflatu, ſive etiam de permanente in mentibus noſtris præſentiâ. Spiritum Sanctum extinguere potes, teque datis divinitus donis linguarum, vaticinii, ſanationis, cæteriſque privare, ſi pecces, ſi hujusmodi donis per ſuperbiam & avaritiam abutare, ſi ea negligas, & ſæculi curis impliceris (c). Quamvis enim iſthæc dona prorſus gratuita eſſent, ea tamen vel eorum incrementum nonniſi Fidelium precibus & pietati dabat Deus (d); auferebat verò vel in totum vel ex parte, ubi eorum fides & charitas minuebantur. Ita igitur unusquisque Spiritum Sanctum in ſe extinguere poterat: in cæteris quoque, ſi prohiberet, quin donis divinitus acceptis, puta vaticinio, dono linguarum & interpretationis Scripturarum in Eccleſiæ obſequium uterentur. Qui divina iſthæc dona exerceri vetat, Spiritum Sanctum in fratrum animis pro viribus extinguit (e).

Quod ad gratiam & interius Spiritûs Sancti lumen attinet, hæc duplici ratione extinguuntur, ſi nempe vel inſpirationi, Deoque per gratiam moventi reſiſtas; vel peccando te indignum efficias, in quo Spiritus Sanctus maneat, cogaſque illum a te diſcedere, poſtquam illam prior ipſe reliqueris (f). Simili fermè ſententiâ alibi dicitur (g): *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei*. Et contra (h): *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te.*

℣. 20. Prophetias nolite spernere. Hoc ad ſuperiora refertur. Spiritûs Sancti lumen in veſtris fratrumque animis ne extinguatis, neglectis vaticinio cæteriſque Spiritûs Sancti donis. Græci Patres (i) arbitrantur, falſos tunc Prophetas, ut & veros, in Theſſalonicenſium Eccleſiâ fuiſſe; quamobrem multi, nullo inter bonos maloſque habito diſcrimine, rejiciebant prorſus omnes & aſpernabantur. Vitium hoc damnat Paulus. Spiritus probate; bona a malis ſecernite: at cavete, ne, dum pſeudo Prophetas rejicitis, aſpernemini eos, qui reverâ Spiritu Sancto moventur. Hinc enim futurum eſt, ut donum vaticinii veramque inſpirationem inter vos extinguatis. Alii generiçè magis interpretantur: Divinos libros, veteriſque Teſtamenti vaticinia ſum-

(r) Ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν.
(s) *Rom.* xiv, 1, 2: *Infirmum in fide ſuſcipite.*
(t) 1 *Cor.* viii, 7, 11, 12. (u) *Rom.* xii, 17, 19, 21. (x) *Πάντοτε τὸ ἀγαθὸν διώκετε, &c.* *Theodoret.* Ἐπιτεταμένως σπουδάζετε ἀγαθοποιεῖν.
(y) *Theodoret. Eſt. Men. Tir.*
(z) Vide *Rom.* xii, 12; 2 *Cor.* vi, 10, 1 *Petri* iv, 13; *Matt.* v, 12.
(a) Vide *Luc.* xviii, 1; xxi, 36; *Rom.* xii, 12; *Epheſ.* vi, 18; *Coloſſ.* iv, 2.
(b) *Eſt. Men. Grot.* (c) *Vide Chryſ. Theophyl. Vat. Men. Tyr. Eſt. Grot. Zanch. Vorſt.*
(d) *Marc.* xvi, 17; 1 *Cor.* xiv, 1, 5. *Vide Eſt.* (e) *Vide Eſt.*
(f) *Concil. Trident. ſeſſ.* 6 *de Juſtificat. c.* 11. *Vide Aug. l.* 2, *c.* 13, *contra Parmenian. & lib. de Nat. & Grat. c.* 26. *Men. Tir. hic.*
(g) *Epheſ.* iv, 30. (h) 2 *Timot.* 1, 6.
(i) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Men. Zanch.*

Digitized by Google

℣. 21. Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete.

℣. 22. Ab omni ſpecie malâ abſtinete vos.

℣. 23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querelâ in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.

℣. 24. Fidelis eſt, qui vocavit vos: qui etiam faciet.

℣. 25. Fratres, orate pro nobis.

℣. 26. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto.

℣. 27. Adjuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus.

℣. 28. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen.

COMMENTARIUS.

ſummo obſequio proſequimini: iis enim Chriſtianæ Religionis Capita, & perſpicuæ Jeſu Chriſti notæ continentur.

℣. 21. OMNIA PROBATE: QUOD BONUM SIT, TENETE. Probate Spiritus (k), ne periculum facite, verè ne divinitus afflati ſint ii, qui Divino afflatu gloriantur: Spiritu Sancto pleni ſint, necne, an erroris & fraudis Spiritu agantur. Cùmque certiſſima veræ inſpirationis indicia tenueritis, tunc illos eum obſequio excipite. At verus falſusque Propheta qua ratione ſecernantur? ex dogmatibus nimirum, vitæ integritate, fidei convenientiâ (l). Propheta verus anathema Chriſto non dicit (m), neque cum illius inſtitutionibus pugnat (n). S. Cyrillus Alexandrinus hunc Pauli locum ita recitat: *Eſtote boni trapezitæ; omnia probate: quod bonum eſt, tenete.*

℣. 22. AB OMNI SPECIE MALA ABSTINETE VOS. Vitandum eſt Chriſtiano nedum id quod perſpicuè malum eſt, flagitium, Divinæque Legi contrarium, ſed quicquid mali ſpeciem præfefert, cæteriſque moleſtiam aut offenſionem parit. Suſpectas pernicioſaſque ſocietates fugite. Satis non eſt, te noxâ carere: opus eſt vel noxæ ſuſpicione vaces. Cautus trapezita omnia probat, cavetque ne dubiæ fidei nummum, pondere & materiâ non ſatis perſpectâ, accipiat (o).

Græcus optimè vertitur (p): *Ab omni ſpecie mali abſtinete.* Idque vel genericè uſurpari poteſt, uti diximus, vel peculiariter de veris falſiſque Prophetis, ex membrorum ſuperiorum ſententiâ. Siquis Propheta dubia tantùm miſſionis ſuæ & inſpirationis indicia præbuerit, hunc vitate, & fraudem veremini: in re dubiâ præſtat verum Prophetam rejicere, quàm falſum ſequi. Cùm verum Prophetam rejicis, aliquo te bono privas; cùm falſum excipis, malis te graviſſimis obnoxium facis.

℣. 23. UT INTEGER SPIRITUS VESTER, &c. Ut Spiritus Sanctus, ejusque gratia mentibus veſtris infuſa, abſolutiſſimè & integerrimè intra vos usque ad ſupremum Judicii diem ſervetur (q). *Spiritus* & *anima* hoc loco diſtinguuntur, ut implens & impletum; uti donorum auctor, & dona accipiens. Gratia & Spiritûs Sancti dona per fidem, charitatem, innocentiam, pietatem in animâ cuſtodiuntur.

Putant alii (r), Spiritum hic ſignificare hominis mentem; *animam* verò vitam, quam vulgo ſentientem animam nuncupant, qua animamur, cum cæteris animantibus communem. Quamobrem ut hominem totum deſignet Paulus, *ſpiritum* dixit, *animam & corpus*; mentis enim munditics conſiſtere nequit, ſi abſit puritas corporis, ejusque partis, quam cum beſtiis communem habemus. Mundi igitur ſumus ſpiritu, animâ & corpore, cùm nihil cogitamus, volumus, facimus, quo inquinari poſſimus.

℣. 24. FIDELIS EST QUI VOCAVIT VOS, QUI ETIAM FACIET. Inchoatum ſanctificationis veſtræ opus ipſe perficiet: ut enim idem ait, *Rom.* VIII, 30, *quos prædeſtinavit* Deus, *hos & vocavit; & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* *Deus* (s), *niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cæpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Confer 1 *Cor.* I, 8; X, 13; 2 *Cor.* I, 18; 2 *Theſſal.* III, 3.

℣. 25. ORATE PRO NOBIS. Solet ſe Paulus (t) Fidelium precibus commendare, tum ut piæ humilitatis exemplum præbeat, tum ut doceat, nos mutuis precibus indigere (u).

℣. 27. ADJURO VOS, UT LEGATUR EPISTOLA HÆC OMNIBUS SANCTIS FRATRIBUS. Metuebat Paulus, ne Theſſalonicenſium proceres hanc Epiſtolam apud ſe detinerent, neque cum cæteris communicarent; ſive ne Theſſalonicenſes eam cæteris Eccleſiis in agro & universâ Macedoniâ inſtitutis non traderent; ut enim animadvertimus ſupra (x), cùm Paulus ad principes provinciarum Eccleſias literas daret, ea erat illius mens, ut Epiſtolæ Exemplaria ad omnes provinciæ Eccleſias mitterentur.

Græca Exemplaria hîc ſubſcribunt (y): *Prima ad Theſſalonicenſes data eſt Athenis.* Præfationes, quæ in Latinis leguntur, ferunt quoque Syrus & Arabs. Latinæ Præfationes addunt, miſſam eſſe *per Tychicum & Oneſimum*. Syriaca & Arabica, *per Timotheum*; Cophtica, *per Silvanum & Timotheum*. At nos in Præfatione docuimus, hanc eſſe ſcriptam Corintho. Ipſamet Silæ ac Timothei nomina, in fronte præfixa, ſatis oſtendunt, neutrum eam detuliſſe. Oneſimus nonniſi multo poſt hanc Epiſtolam nomen Chriſto dedit.

CA-

(k) 1 *Cor.* XII, 10; & XIV, 29; 1 *Joan.* IV, 1.
(l) *Rom.* XII, 6. (m) 1 *Cor.* XII, 3. (n) *Vide Eſt. Zanch. Grot. Eraſm. Theodoret. alios.*
(o) *Vide Baſil. in init. Proverb. Theophyl. hic. Ham. Le Clerc, Zanch.*
(p) Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε. (q) *Vide Chryſ. & Theodoret.* Πνεῦμα τὸ χάρισμα κέκληκε. *Ita & Iren. Tatian. Clemens Strom. Tertull. in Grot.* (r) *Vide Eſt. Zanch. alios.*
(s) *Concil. Trident. ſeſſ. 6, c. 11, & 13.* (t) *Coloſſ.* IV, 3; & 2 *Theſſ.* III, 1; *Heb.* XIII, 18.
(u) *Vide Theodoret.* (x) Vide nos in *Coloſſ.* IV, 16; & Hammondum in eum locum.
(y) Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. *Ita Codd. Græci conſtantiſſimè.*

Finis Commentarii in Primam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

IN EPISTOLAM SECUNDAM B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

PROLEGOMENON.

ALtera ad Theſſalonicenſes Epiſtola data eſt Corinthi paulò poſt priorem, anno LII vel LIII J. C. Argumenti in utrâque connexio, & res quæ in priori propoſitæ, in ſecundâ exponuntur, ac tandem nomina Silvani & Timothei in fronte utriusque legenda, argumento ſunt apertiſſimo, alteram ab alterâ nec loco diſtare nec tempore. Cùm Apoſtolus XVIII menſium spatio moram Corinthi prorogarit, commodè de rebus Eccleſiæ Theſſalonicenſis certior fieri, tum & de rebus, de quibus conſulebatur a Fidelibus, respondere potuit. Cùm autem datis primò literis ſignificaſſet, maximo ſe deſiderio inviſendi illos teneri (*a*), nec pro voto res ſucceſſiſſet, pro ſe literas miſit.

Græcæ inſcriptiones ad calcem hujus Epiſtolæ datam ferunt Athenis, quemadmodum & priorem; ſed cùm de primâ id aſſeri non poſſe in ejus Prolegomeno demonſtraverimus, quippe jam diſceſſerat Athenis Paulus, cùm Timotheus rediit e Macedoniâ, poſterior iſta, ſcripta utique poſt priorem, Athenis data non fuit, cùm Apoſtolus Athenas rediiſſe non videatur. Pſeudo-Athanaſius in Synopſi, Oecumenius, & Græca quædam Exemplaria (*b*) Romæ ſcriptam docent; cujus tamen opinionis nulla ſuppetit in Epiſtolâ conjectura. Neque enim meminit Apoſtolus vinculorum ſuorum; ſicut & eâ conſtiturâ ſententiâ, altera ab alterâ Epiſtola nimis prolixo temporis tractu diſtrahitur, cùm priorem Corinthi ſcriptam certò demonſtraverimus. Laodiceæ Piſidiæ datam, & per Tychicum miſſam habet, ſed temerè omninò, Syrus. Inſcriptiones in Exemplaribus Latinis delatam ſtatuunt per Titum Diaconum, & Oneſimum. Certò tamen conſtat, Oneſimum, Philemonis mancipium, diu poſt illud tempus ad Chriſtianos tranſiiſſe.

Novam de hac Epiſtolâ ſententiam excogitavit Grotius (*c*), ſcriptam conſtituens diu ante priorem, quam appellamus, Epiſtolam ad Theſſalonicenſes. Ut autem ſecundo poſt illam loco recenſeretur, in causâ fuiſſe putat, quòd vulgata ſit primùm ſub Galbâ, poſt extinctam Claudii familiam, ad quam Cajus pertinebat, in eadem Epiſtolâ ſub invidioſo nomine *hominis peccati* deſignatus [*d*]. Hujus familiæ metus Chriſtianos homines continuit, ne Epiſtolam ſcriptam adverſus illam vulgarent. Cùm verò eam producere viſum eſt, adornatæ jam Collectioni Epiſtolarum Apoſtoli, quæ ad Eccleſias ſcriptæ erant, poſtrema omnium acceſſit. Hujus Collectionis veluti alterum volumen conficiebant Epiſtolæ ad privatos datæ.

Scriptam autem putat ad Jaſonem Judæum, Silæ & Timothei neceſſarium, tum ad alios Chriſtianos Judaizantes, qui e Syriâ & Palæſtinâ, occaſione perſecutionis in obitu Stephani (*e*) motæ, Theſſalonicam ſeſe receperant. Contendit pariter, alias longè plures Epiſtolas, quàm quæ hodie ſuperſint, dediſſe Apoſtolum, e quibus unam innuit illis (*f*): *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. Hanc autem Epiſtolam ſecundam ad Theſſalonicenſes cæteris ab Apoſtolo ad eos miſſis præceſſiſſe ex eo putat [*g*], quòd in ejus calce moneat Apoſtolus, ut ſignum ſeu adſcriptionem ſuam ſedulò obſervent, eumque ſe tenere morem in omnibus Epiſtolis (*h*): iturum fruſtra autem moneret viros, ad quos jam antea ſcripſiſſet. Addit Grotius, perſuaſum habuiſſe Apoſtolum, extremam Judicii diem in limine eſſe, & ſe ſuperſtite venturam; exiſtimaſſe, C. Caligulam eſſe Antichriſti præcurſorem, & Simonem Magum eſſe Antichriſtum, qui nomen ſuum & cultum *ſupra omne, quod dicitur Deus*, efferret. Epocham hujus Epiſtolæ ſtatuit anno ſecundo Caji.

Prolixâ nimis oratione opus eſſet ad evertendam Grotii ſententiam; quam etiam provinciam felici ſucceſſu occuparunt Scriptores quidam Proteſtantes [*i*]; & hodie, quantum ſcio, nemo in hanc Grotii ſententiam, quoad omnes partes, concedit.

(a) 1 *Theſſal.* II, 17, 18; III, 10. *Vide Chryſoſt. in* 2 *Theſſal.* 1, *hom.* 3, *pag* 361.

(b) *Vide var. lect. Mill. ad calcem hujus Epiſt.*

(c) *Prolog. in* 2 *ad Theſſalon.*

(d) Sub eo nomine Antichriſtum intelligunt Interpretes.

(e) *Act.* VIII, 4. *Confer* 2 *Theſſal.* II, 12.

(f) 2 *Theſſal.* II, 15.

(g) *Grot. Prolog. in* 2 *Theſſalon.*

(h) 2 *Theſſal.* III.

(i) *Vide Bochar. Epiſt. ad D. Sarrav. inter Opera, t.* 3, *pag.* 1044. *Edit. Leid. Vide & Henric. Morum, l.* 2, *c.* 2; *Simplicium, pag.* 7. *Uſſer.*

cedit. Conſtat ex Textu hujus ſecundæ Epiſtolæ, hanc appendicem eſſe prioris paulò anrea ſcripræ. Demonſtratum eſt autem, priorem illam datam fuiſſe Cotintbi, & ſub Claudio; idem ergo tempus alteri tribuendum eſt. Vetus Chriſtiana tradirio univerſa agnovit in hoc Apoſtoli Textu Antichriſtum, poſtremæ judicii diei prærurum; Grotius verò Caligulam dumtaxat agnoſcit & Simonem Magum, motæ in Eccleſiam perſecutionis authores, alterum vi, alrerum præſtigiis; utrumque verò Jeroſolymitanæ everſionis, quam nomine *diei Domini* (*k*) deſignatam credit, præcurſores.

Demonſtravimus in Commenrariis, Neronem & Simonem Magum typum eſſe, illum *hominis peccati*, qui *myſterium jam operatur iniquitatis* [*l*]; alterum illius, qui *adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus* (*m*). Judæorum verò in Romanos defectionem exprimere gentes adversùs Romanum Imperium conspiraruras, ſicut & Chriſtianos Jeſu Chriſti & Eccleſiæ excuſſuros jugum (*n*); ac denique Romanorum in Judæos bellum, Urbis ac Templi everſionem, ſymbolum eſſe divinæ adversùs impios in orbis exiru animadverſionis [*o*]. Porrò rypi illi & figuræ tam longè abſunt, ut veritarem ttemendi illius Judicii, quod expectamus, exrenuent, ut confirment potiùs ac magis magisque aſſerant. Nihil eſt in Religione Chriſtianâ magni alicujus momenti, cui inſigni aliquo Veteris Teſtamenti facto Deus non præluſerit. Ita duo ſunt Oraculorum genera, extremi Judicii veritatem aſſerentia, vaticinia nempe verbo prolata, & propherica facta. Verbis prolata varicinia legas in Scriptis Prophetarum, in Evangelio, & in Apoſtolo; propherica facta ſuppedirat hiſtoria Joſephi, & de Judæorum bello Commenrarii.

Porrò ſyſtema iſtud ſibi prorſus conſtat. Data eſt ſecunda hæc Epiſtola Corinthi, aliquot a primâ ad Theſſalonicenſes menſibus poſterior, anno LII vel LIII J. C. & Claudii XIII. Jeroſolymiranæ everſionis tempus magis quàm pro expectatione Theſſalonicenſium aberat; neque enim niſi poſt XVII vel XVIII annos implerum eſt. Iniquitaris myſterium operabanrur ſub Claudio Nero & Simon Magus, qui deinde impietarem ſuam exeruerunt. Nero in exordio Regni bonus inter oprimos Principes, ſub ſpecie virtutis ſcelera per aliquor annos occuluit. Prodiit tandem, & myſterium iniquiratis Orbi paruit univerſo. Patuit & in Simone Mago (*p*), *homine illo peccati, filio perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus; ita ut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. Sed hunc tandem Dominus interficiet*, ait Apoſtolus, *ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui* (*q*) *Poſt hæc Dominus in furore ſuo veniet, ut judicet eos qui non crediderunt veritati, ſed conſenſernut iniquitati* (*r*). Hæc in figurâ quidem ſpectanda erant in ipsâ Jeroſolymæ everſione; re verò imminente, ipsâ demum die poſtremi Judicii.

Hæc poriſſimùm ſpectabat Apoſtolus in ſecundâ ad Theſſalonicenſes. Animos confirmar quorumdam, quibus terrotem incuſſerant ſalſi quidam prioris Epiſtolæ Interpretes, aſſerentes in limine eſſe diem Domini, vel forrè tribuentes Paulo Epiſtolam aliquam, in qua hæc omnia impudenriſſimè obtruderentur. Cùm ore tenus hac de re illos antea docuiſſet (*s*), fuſiùs de illâ agere in priori Epiſtolâ abſtinuerat (*t*); ſed ex ſuo ſilentio incommoda plura in gentem proveniſſe intelligens, fuſiùs & apertiùs rem totam proſequitur in præſenti.

Hortatur, ut, quas a ſe audiere, doctrinas & ttaditiones teneant (*u*), ac ſtrenuè perſecutiones, quibus pro veritate obnoxii ſunt, ſuſtineant (*x*). Acrius, quàm in priori Epiſtolâ, illos arguit, qui inertiæ dediti, res alienas curarent, curioſos, inquietos, ex alienis laboribus potiùs quàm ſuo victum quærenres (*y*). Norari homines ejusmodi jubet, ex cæterorum conſortio removeri, ut ipſi ſibi ſint horrori, ac meliora ſapiant. Annulo ſuo Epiſtolam obſignat [*z*], monens diligenter figuram obſervent, ut impoſtorum, ſub ipſius nomine Epiſtolas obtrudentium, fraudes intelligant.

(k) 2 *Theſſal.* II, 2.
(l) 2 *Theſſal.* II, 7.
(m) *Ibid.* II, 4.
(n) 2 *Theſſal.* II, 3.
(o) *Ibid.* V. 2.
(p) 2 *Theſſal.* II, 3, 4.
(q) *Ibid.* II, 8.
(r) 2 *Theſſal.* II, 12.
(s) 2 *Theſſal.* II, 5.
(t) 1 *Theſſal.* V, 1, 2.
(u) 2 *Theſſal.* II, 14.
(x) 2 *Theſſal.* I, 5, 11.
(y) 2 *Theſſal.* III, 6, 15.
(z) 2 *Theſſal.* III, 17, 18.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN SECUNDAM *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* THESSALONICENSES.

CAPUT PRIMUM.

Grates Deo agit Apoſtolus, ob Theſſalonicenſium fidem, atque in malis conſtantiam. Præmium illis a Deo pollicetur; eorumque hoſtibus Divinum furorem minitatur.

v. 1. PAulus, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

v. 2. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

v. 3. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujusque veſtrûm in invicem:

v. 4. Ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro patientiâ veſtrâ, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis,

v. 5. In exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in Regno Dei, pro quo & patimini.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS ET SILVANUS ET TIMOTHEUS. Paulò poſt primam data eſt altera hæc Epiſtola, eademque illi nomina præfigit Apoſtolus. *Silas*, ſeu Silvanus, & Timotheus ſociam illi operam in Theſſalonicenſium inſtitutione præſtiterant.

℣. 3. GRATIAS AGERE... DIGNUM EST, &c. Grates Deo reddimus, quòd & virtutem colimus ipſi, & a cæteris coli videmus, cùm id miſericordiæ illius beneficium ſit, cjusque gratiæ fructus *(a)*. Fides & Charitas, quas in Theſſalonicenſibus commendat Apoſtolus, totius Chriſtianæ vitæ ſunt fundamenta.

℣. 4. ITA UT IN VOBIS GLORIEMUR IN ECCLESIIS DEI. Illud gloriæ loco uſurpamus, quòd cæteris Eccleſiis vos proponamus, ceu exempla fidei & conſtantiæ, qua ferendæ ſunt ærumnæ atque inimicorum inſectationes. Toleranda Theſſalonicenſibus initio fuere multa ex civibus, ut infra liquebit *(b)*, & ſupra vidimus *(c)*. Illos in priori Epiſtolâ eo nomine commendat Paulus, quòd ipſorum fides in Achajâ universâ ita claruerit, ut in ore omnium eſſet, omnesque felicem ſuorum in Macedoniâ laborum exitum Apoſtolo gratularentur.

℣. 5. IN EXEMPLUM JUSTI JUDICII DEI. Mala, quibus in hac vitâ obnoxii ſunt Juſti, perſpicua ſunt indicia formidabilis illius judicii, quod in impios aliquando Deus eſt prolaturus. Si enim temporariâ peccatorum pœnâ Deus ne juſtos quidem carere vult, quibus tamen & culpam & ſupplicia æterna condonat: ſi hos criminationibus, inju-

(a) *Theophyl.* Ἐφ' οἷς κατωρθώσαμεν, οὐχ ἡμῖν αὐτοῖς δεῖ χάριν ἔχειν, ἀλλὰ τῷ Θεῷ ἅπαντα τὸ πᾶν λογιζομένους μὴ ἀλαζονεύεσθαι. (b) 2 *Theſſal.* (c) 1 *Theſſal.* 1, 3, 6, 7.

℣. 6. Si tamen juſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:

℣. 7. Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu, de cœlo cum Angelis virtutis ejus,

℣. 8. In flammâ ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

injuriis, ipſiqua interdum morti obnoxios eſſe patitur, quo puriores & ſanctiores efficiantur; quid timendum in alterâ vitâ impiis fuerit, cùm ſcilicet omnem brachii ſui vim in illos eſt oſtenſurus (d)? *Siquis patitur ut Chriſtianus*, ait Petrus Apoſtolus (e), *non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. Quoniam tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primùm a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Evangelio?*

Alii (f) ita explicant: Bonos hîc vexari & affligi patitur Deus, quo magis perſpicuam aliquando in impios exerceat ſeveritatem. Sinit hos, bonos inſectando, criminum menſuram implere, ut ſupremâ tandem die bonum virtus & patientia præmio, illorum iniquitas & perfidia ſupplicio afficiantur. Si nulla præter hanc vitam ſpes piis eſſet, hi miſerrimi omnium forent (g); plerumque enim hi peſſimis impiorum ingeniis maximè omnium ſunt obnoxii. Nihil iſtâ Dei circa electos providentiâ luculentiùs evincit, futurum omnino in alterâ vitâ Dei judicium, qui cùm æquiſſimus ſit, fieri nequit, ut fidem ac patientiam præmio, crimen & iniquitatem pœnâ carere patiatur.

Addit Apoſtolus, his ærumnis pios effici Dei regno dignos, quippe qui iis purgantur ac perficiuntur, exhibitâ illis aſſiduâ ſolidæ virtutis exercendæ opportunitate. Cœleſte Regnum Dei Filius eâ nobis conditione promiſit, ſi multa perpeſſi fuerimus (h); illudque nos niſi per labores & ærumnas aſſequi non poſſumus. Reverâ ea non eſt vitæ hujus perpeſſionum vis, ut per eas beatitudine digni reddamur (i): *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* At cùm id promiſerit Deus, inter bona hominum opera & beatitudinem certa eſt pacti, niſi rerum ac meriti, æqualitas.

℣. 6. Si tamen justum est, &c. *Si tamen* hoc loco dubitationem non ſonat, ſed potiùs rem eſſe certiſſimam indicat (k). Paulus quodammodo ironicῶs ait: Niſi tamen Deus, apud quem eſſe nequit iniquitas, iſta videre negligit. Statim autem quiſque reſpondeat, fieri non poſſe, ut Deus impiorum licentiam impunem abire ſinat: ex quo illud conſequitur, ſeveriſſimè igitur in illos animadverſurum, ſuæque juſtitiæ exemplum in illos exhibiturum. Cenſent plerique (l), eas particulas Græcè ſignificare: *Siquidem juſtum eſt*; non, *ſi tamen*. Hanc ſignificationem ipſa orationis ſeries poſtulat. Deus, tametſi abſolutiſſimus rerum creatarum dominus, aut iniquus illis eſſe, aut punire illas nequit, niſi meruerint; contra verò, ſupplicium meritos impunes relinquere non poteſt, niſi peccata correxerint, provocatamque juſtitiam pœnitentiâ placaverint.

℣. 7. Et vobis, qui tribulamini, requiem. Debet quodammodo Deus, promiſſionum ſuarum fide, infinitâque juſtitiâ coactus, ſolatium vobis vel in præſenti vitâ exhibere, tum felicioris vitæ ſpe, cùm opis ſuæ fiduciâ, inditâque vobis virtute & conſtantiâ; ſeu conceſsâ de hoſtibus victoriâ, ſeu denique ſuppeditatis auxiliis tentationi paribus. Æquiſſimum verò eſt, ita illum agere; idque illius honor, juſtitia, gloria poſtulant. Cùmque nos ſummo rerum veſtrarum ſtudio teneamur, & quæ vobis moleſtiam pariant, eadem nobis ſint moleſtiſſima; ita certam animo fiduciam fovemus futurum, ut nos ſolatio & lætitiâ cumulet Deus, cùm in ſecundo adventu *de cælo revelatus fuerit, cum Angelis virtutis ſuæ*, ſcilicet, cum Angelis potentiæ ſuæ miniſtris, ſive ſociis majeſtatis.

Alibi (m) animadvertimus, Deum deſcendentem in Scripturis deſcribi inter Angelos, a quibus ceu aulicis militibusque obſidetur. *Virtus Dei* ſæpe pro Deo ipſo uſurpatur. Chriſtus in Judicio proditurus eſt ſedens (n) *a dextris virtutis*. Quamobrem *Angeli virtutis* abſolutè ſignificare queunt Dei Angelos.

℣. 8. In flamma ignis. Tum in Veteri cùm in Novo Fœdere, ubi de Deo ad ſupremum Judicium venturo agitur, ubique mentio fit de igne præeunte, vel comitante (o). Hic porrò Dei vindictam, iram, ac majeſtatem innuit. Mundus ſupremâ die igne purgandus creditur. At varias de generalis conflagrationis tempore opiniones invenio. Si hæc Judicii venturo præceſſerit, quî fieri poterit, ut, prodeunte in judicium Domino, ulli ſuperſtites ſint (p)? Si conſequetur, cur *in flammâ ignis* venturus aſſeritur? At neceſſe non eſt, ignem, quo flagrans venturus eſt Judex, eumdem fore, quo conflagraturus eſt orbis, purgandaque tellus, ita ut abſumatur. Ardens con

(d) *Aug. Expoſit. inchoatâ in Ep. ad Rom. & lib* 21 *contra Fauſt. c.* 2; *& l.* 13 *de civit. c.* 5; *& in Pſal.* CXVIII, ℣. 151. *Proſper in eumdem locum Pſalmi, & Sentent.* 148; *Beda, Anſelm. D. Thom. hic.* (e) 1 *Petri*, IV, 16, 17.

(f) *Græc.* Ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ. *Alii*: Εἰς ἔνδειγμα. *Ita Syr. Ambroſiaſt. Theophyl.* Ἀνέχεσθε τῶν θλίψεων εἰς τὸ ἀξιωθῆναι τὴν δικαίαν κρίσιν τοῦ Θεοῦ, ὅπερ ἐστὶ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας. Ὅταν γὰρ ὑμᾶς μὲν τοὺς θλιβομένους στεφανοῖ, ἐκείνους δὲ κολάζῃ τοὺς θλίβοντας, τὸ δίκαιον αὐτοῦ φαίνεται. *Vide & Oecum. & Theodoret. & Grot. Vat. Tir.* (g) 1 *Cor.* XV, 19: *Si in hac vitâ tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

(h) *Act.* XIV, 21: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* (i) *Rom.* VIII, 18.

(k) *Theodoret.* Τὸ εἴπερ, οὐκ ἐπὶ ἀμφιβολίας τέθεικε, ἀλλ' ἐπὶ βεβαιώσεως. Καὶ γὰρ ἡμεῖς εἰώθαμεν ἰσχυριζόμενοι λέγειν, εἴπερ τόδε ἀληθές, ὥσπερ ἂν ἀληθές. *Ita Theophyl. alii.*

(l) Εἴπερ, pro ἐπειδήπερ: *Si tamen*, pro *ſiquidem*. *Eraſm. Vat. Grot. Eſt. Pagnin. Theophyl. alii paſſim.* (m) *Vide* 1 *ad Theſſal.* III, 13; *& ad Matt.* XXVI, 64.

(n) Ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως. *Matt.* XXVI, 64; *Marc.* XIV, 62; *Luc.* XXII, 69. (o) *Pſalm.* XLIX, 3; XCVI, 3; *Iſai.* LXVI, 15, 16, 24, *&c. Matt.* V, 22; XVIII, 8; XXV, 4; 2 *Petri*, III, 7; *& Judæ*, ℣. 7.

(p) 1 *Theſſal.* IV, 16.

℣. 9. Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloriâ virtutis ejus:

℣. 10. Cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo.

℣. 11. In quo etiam oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos vocatione ſuâ Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute,

COMMENTARIUS.

conſpicietur aër, obtenebrabitur ſol, luna deficiet. Ita ſupremus dies apud ſacros Scriptores deſcribitur.

Dantis vindictam (q) iis qui non noverunt Deum. Comprehenduntur hac appellatione nedum athei & infideles, verùm etiam ii, qui Triadem Divinam, Deum unum tribus in perſonis ignorant; Chriſtianos etiam, quibus ſterilis ineſt Dei cognitio, repugnantibus moribus, *& qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

℣. 9. Qui pœnas dabunt in interitu (r). Infideles, increduli, peccatores, peſſimi Chriſtiani, qui ſupremum diem in animi pervicaciâ obierint, æterna ſupplicia ſubituri ſunt, ſed pari peccatis modo. Æternitas eadem omnibus & æqualis futura eſt: ſupplicii modus & natura inæqualis.

A facie Domini, et a gloria virtutis ejus. Ipſa Dei præſentia impiis ſupplicium eſt, ut Juſtis felicitas (s). Animo finge aliquem infinitè amabilem, qui unus beatitudinem, cujus pulcritudinem noveris ac magnitudinem ſentias, efficere queat. Hic ſi te noverit, præſens ſit, æternum in te odium juret; quæ conſternatio, rabies, dolor, cruciatus animum laceratura ſunt, ubi cogitaveris, nullum eſſe jacturæ & infortunii remedium? Adde, ſi lubet, iſta cogitantem acutiſſimâ mentis acie inſtrui, eâque cognoſcendi facultate, quam vivens cogitatione aſſequi non potes. Umbram habes hîc tenuiſſimam infinitæ calamitatis, qua impius ſupremâ Judicii die obruetur. Æterna ſummi boni amiſſio, & perſpicua ejus amiſſionis cognitio. Dei infinitè amabilis odium ſponte in ſe ille provocavit; novit quantopere is amari ſit dignus, & amare non poteſt; ejus quoque aſpectum, præſentiam, vindictam evadere nequit. Qui futurus eſt huic furori modus?

℣. 10. Cum venerit glorificari in sanctis ejus. Viſâ Sanctorum gloriâ, damnatorum calamitas ſummoperè augebitur: comparatâ enim Electorum felicitate cum ſuo ipſorum infortunio, infinitam rabiem ac mœrorem mente concipient. Dei gloria tum ex bonorum felicitate, cùm ex infelicitate impiorum æquè orietur: in his quippe magnitudo juſtitiæ illius & animadverſionis ſeveritas; in illis miſericordiæ, clementiæ, gratiæ amplitudo percipietur. *Cum venerit glorificari in Sanctis ejus*. Dei gloria per ſe creſcere nullo modo poteſt: at novo utcumque jubare micabit, cum Deus eò Sanctos inducerit. Eò major eſt infiniti boni oſtenſio, quo plures ipſo perfruuntur (t). Dici quodammodo poteſt majus eſſe, quo amplius noſcitur: quamobrem addit Apoſtolus: *Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Admirabilem eſſe* interdum uſurpatur pro eo quod eſt, mirâ gloriâ & felicitate inſtrui (u).

Quia creditum est testimonium nostrum in die illo (x). Quia fidem habuiſtis Evangelicæ prædicationi, ac teſtimonio, quod ipſi de die illo verbis Dei exhibuimus. Illud in primis impios cruciabit, quòd æquè ac vos non audierint atque exceperint ea quæ vobis tradidimus, vitamque ex ita non emendaverint (y). *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis* veſtræ: *dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritûs gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii*: non illi damnant opprimuntque. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus a viâ veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

Aliter: *Teſtimonium noſtrum*, verbo illius exhibitum, *creditum eſt* vobis (vos accepiſtis), expectantibus *diem illam* (z). Sive, redditâ per futurum tempus ſententiâ (a), cùm præſertim ſacri Scriptores, utpote gente Judæi, non ubique tempora verborum religiosè ſervent: *In die illo creditum erit* vobis (firmâ fide accipietis) *teſtimonium noſtrum*. Quæ vobis tradidimus, ea certiſſima eſſe tunc agnoſcetis. Græci membrum hoc intra parentheſis notam claudunt: Veniet *admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt* (*creditum eſt enim* vobis *teſtimonium noſtrum*) *in die illo*. Tunc potiſſimùm, ait poſt Chryſoſtomum Theophylactus (b), patebit, qui reverà fideles ſint: nunc enim fidem ſimulant multi, ſed non habent. Quæ de hac re præſentes ore tenus vobis tradiderimus, ipſi noſtis. Vide Caput II, ℣. 5.

℣. 11. In quo (c) etiam oramus. Quamobrem aſſiduè rogamus, ut dignos vos faciat Deus vocatione ſuâ, non vocatione ad Fidem, cùm jam Fideles eſſent, eorumque fidei atque in charitatem ac pietate conſtantiam commendet Apoſtolus; ſed ut efficiat dignos, qui perfruantur præmio veris Fidelibus parato (d); largiaturque, ut vitam vocatione ſuâ dignam inſtituant, in eâque ad ſupremum usque ſpiritum perſeverent,

(q) Hæc vox *dantis* refertur non ad *ignis*, ſed ad Chriſtum Jeſum, teſte Græco: Ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν, *&c. Quidam*: Ἐν φλογὶ πυρὸς διδόντος ἐκδίκησιν. *Ita Clarom. S. Germ. Berner. G. L.* (r) *Græc.* Οἵ τινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον. *Ambroſiaſt. In interitum. Iren. Interitûs.* (s) *Chryſ.* Ἡ παρουσία αὐτοῦ τοῖς μὲν φῶς ἐστι, τοῖς δὲ τιμωρία. *Ita & Theophyl.*
(t) *Chryſ. Theophyl.* Ἡ γὰρ αὐτῶν δόξα, αὐτοῦ ἐστι. Ὅτι τε ᾧ τοὺς ἁγίους δοξάζει, αὐτὸς δοξάζεται.
(u) 4 *Reg.* V, 1; *Iſai.* LXI, 6; *Sap.* VIII, 11; *Eccli.* XXXVIII, 3.
(x) *In die illo*, pro, *de die illo. Anſel. Men. Tir. alii.* (y) *Sap.* V, 2, 3, 4, 5. (z) *Eſtius hic.*
(a) *Ita Syr. Grot. Bez.* (b) *Theophyl. hic*: Καλῶς γὰρ εἶπεν, ἐν ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τότε γὰρ δείκνυνται τίς ὄντως ὁ ἀληθῶς πιστός. Νῦν γὰρ καὶ ὑποκρίνονται πίστιν πολλοί.
(c) Εἰς ὃ, *In quo*, *ad quod*, *quam ob rem*. (d) *Eſt. Men. Fromond. alii.*

Digitized by Google

℣. 12. Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Dñi Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

rent, fruituri promiſſâ veris Fidelibus gloriâ. Græcus legit (e): *Ut vos dignetur vocatione*, non, *vocatione ſuâ, Deus noſter*. At utrumque in traditam explicationem convenit.

Impleat omnem voluntatem bonitatis: largiatur donum perſeverantiæ, bene a vobis geſtorum coronidem (f); ſive neceſſaria vobis auxilia ſuppeditet, quibus ea, quæ de vobis ipſe decrevit, expleatis: inchoatum in vobis opus fidei compleat. *Opus fidei* Græcis (g) eſt inter perſecutiones patientia. Faxit Deus, ut eas ad finem usque toleretis. Interpretantur alii de fide vivâ, & per charitatem agente; ſive de actibus fidei, in veritatis confeſſione, & exercitatione virtutum elucentibus.

℣. 12. Ut clarificatur nomen Domini. Commendatur Chriſti nomen optimis Chriſtianorum moribus, perpeſſionibus præſertim & martyrio (h): actus enim abſolutiſſimæ charitatis eſt, ac teſtimonium, quo nihil præſtantius aut liberalius exhibere potes Deo, cùm prodigus vitæ fueris, ut ipſius veritatem & gloriam tuearis (i). Nihil admirabilius primis in Chriſtianis micuit, quàm in cruciatibus conſtantia; nihilque acriùs Ethnicos ad Chriſti fidem accipiendam permovit, quàm hilare & conſtans illorum ſtudium defendendi usque ad necem ea, quæ ex majoribus didicerunt. Neceſſe omnino eſt, ajebant illi, certiſſimam his ineſſe de Religionis ſuæ veritate perſuaſionem, cùm illius ſervandæ cauſâ nihil vereantur.

Et vos in illo. Siquam Deo gloriam moribus & perpeſſionibus comparant Chriſtiani, id ſibi tribuere non debent, ſed Dei ipſius gratiæ ac miſericordiæ (k). Deo reddunt quod a Deo acceperunt. Siquâ ratione Dei gloria apud homines per fidei noſtræ opera augetur, ille nos gloriâ apud Angelos donat; cumulatque gloriâ ſupremo in Judicio, noſtramque operam centuplo remuneratur. Denique ſi gloriæ Deo eſt, quòd fideles ſervos, omnia facere & pati ipſius cauſâ paratos, multos numeret; ſummoperè glorioſum Chriſtiania eſt, clementiſſimo Domino ſervire, amplis adeò præmiis ſervos amicosque remuneranti (l). Servi gloria eſt, domino fidelem inveniri; Domini gloria eſt, ingens ſervo præmium reddere.

CAPUT II.

Suprema dies longiùs abeſt, quàm nonnulli putant. Neceſſe eſt, priùs prodire Antichriſtum. Simulatis prodigiis hic reprobos fallet. Fides Theſſalonicenſium commendatur. Illos hortatur Paulus, ut traditas ſibi inſtitutiones ſervent.

℣. 1. Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum:

℣. 2. Ut non citò moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Rogamus (a) vos per adventum Domini. Ex priori ad Theſſalonicenſes Epiſtolâ occaſionem arripuerant nonnulli Impoſtores docendi, Judicii diem proximè imminere. Confirmat hìc Apoſtolus id quod alibi tradidit, illam omnino, ſed furis inſtar noctu, venturam. Certum illius tempus ſilet, eosque tantùm refellit, qui proximam eſſe aſſerebant.

Theſſalonicenſes rogat *per adventum Jeſu Chriſti*, per illum ipſum diem, quo is ad exercendum in homines judicium eſt adventurus, *& noſtræ congregationis in ipſum* (b), per futuram omnium collectionem obviam Chriſto in nubibus, ut ipſi Chriſto, nunquam receſſuri, conjungamur, uti pollicitus eſt Paulus in priori ad Theſſalonicenſes Epiſtolâ, IV, 16, Chriſtusque ipſe in Evangelio ſpopondit, inquiens (c), miſſurum Filium hominis Angelos ſuos, per quos Electi ex unâ mundi parte ad alteram usque colligantur.

Sunt (d) qui hunc Chriſti adventum interpretentur vindictam, qua ipſe deinceps per Romanorum arma in Judæos graſſatus eſt. Neque inficias eo, paſſim in Evangelio (e) Chriſtum de ſupremâ Judæorum calamitate ita agere, quaſi de ultionis ſuæ & alterius ſui adventûs die. At ex univerſæ hujus, & prioris ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ oratione colligitur, Apoſtolum de ſupremo Judicio diſputare. Quorſum verò Theſſalonicenſes de Jeroſolymitanorum Judæorum rebus doceret? Iſtane ſcire illorum intererat?

℣. 2. Ut non cito moveamini: ne facilè deſeratis fidem, quam vobis tradidi, & ea quæ vos

(e) Ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ Θεὸς ἡμῶν. *Alii*: Θεὸς ὑμῶν. (f) *Eſt. Men. Tir. Zaneb.*
(g) *Theodoret.* Ἔργον δὲ πίστεως ἐνταῦθα τὴν τοῖς παθήμασιν ὑπομονὴν προσηγόρευσε. *Ita Theophyl. Eſt. Men.* (h) *Theophyl. Eſt. Grot.* (i) *Joan.* XXI, 19; XII, 28; XV, 13: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Galat.* I, 24; 1 *Petri*, IV, 14.
(k) *Theophyl.* Καὶ αὐτὸ τοῦτο τοῦ Θεοῦ ἐστι, καὶ οὐχ ἡμέτερον. Ἀλλὰ χάρις αὐτοῦ, τὸ δοξάζεσθαι, καὶ αὐτὸν καὶ ἡμῖν. *Eſt. Zaneb.* (l) *Eſt. Men. Grot. alii. Vide & Theophyl.* Δόξα γὰρ δούλου τὸ πιστὸν εὑρεθῆναι τῷ δεσπότῃ.
(a) Ἐρωτῶμεν, τουτέστι παρακαλοῦμεν. Vidimus jam verbum ἐρωτάω uſurpatum pro παρακαλῶ, 1 *Theſſ.* IV, 1; V, 12; *Philipp.* IV, 3; & paſſim in Evangelio, pro *orare, poſtulare*.
(b) *Theodoret. Theophyl. ex Chryſoſt. alii paſſim.* (c) *Marc.* XIII, 27. (d) *Grot. Ham.*
(e) *Matt.* XXIV; *Marc.* XIII; *Luc.* XXI.

℣. 3. Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,

COMMENTARIUS.

vos docui ſuperiori Epiſtolâ de ſupremo Judicio. Aures ne præbeatis aut impoſtoribus decipere conantibus, aut pſeudo-Apoſtolis, eam diem in foribus adeſſe docentibus. Ne credite, ſive tamquam *vaticinio (f), ſive ſermone, ſive Epiſtolâ a nobis miſsâ* tradi dicantur. Ut animi Theſſalonicenſium turbarentur, vel ſupponebantur vaticinia, vel impoſtores, vaticinandi facultate falsò gloriantes (g), Judicium mox adfuturum venditabant. Ajebant alii, ſeſe id ex ipſomet Apoſtolo, publicè vel privatim verba faciente, accepiſſe: alii denique (h) confingebant Epiſtolas, quibus hujuſmodi commenta tradebantur.

At quorſum comminiſcebantur impoſtores, in foribus adeſſe ſupremum diem? Nempe ut Fideles, diuturnâ illius expectatione decepti, patientiâ caderent, aut cæteris de rebus dubitarent, cùm hæc non expleretur; ſeu denique ut opibus, quas Chriſtiani, proximum Judicii diem exiſtimantes, abjicerent, ipſi locupletarentur. Neque Apoſtolus, eam diem adeò proximam eſſe negans, pia illorum de Filii Dei adventu deſideria evertere voluit, aut ſecuros reddere ac negligentes: metuebat ſolummodo, ne moveretur illorum fides, minimeque expletâ hujus promiſſionis fide, cætera ſibi tradita ejuſdem naturæ eſſe, atque inanem fore ſpem ſuam exiſtimarent. *Non ergo ille diligit adventum Domini, qui eum aſſerit propinquare, aut ille qui aſſerit non propinquare,* ait S. Auguſtinus (i); *ſed ille potiùs, qui eum, ſive prope ſit ſive longe ſit, ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore charitatis expectat.* Ita comparatos eſſe Theſſalonicenſes optabat Apoſtolus; talesque decet eſſe Chriſtianos, quos Deus formidabilem eum diem ignorare voluit.

℣. 3. QUONIAM NISI VENERIT DISCESSIO (k) PRIMUM. Quæ iſthæc diſceſſio, *apoſtaſia*? Patribus quamplurimis (l) creditur conſpiratio populorum, qui tunc temporis Imperio Romano, cui par nullum unquam fuit, obtemperabant. Paulus, ne Romanos, rerum potientes, offenderet, Imperii nomen ſiluit: at illud nullo negotio intelligi poterat, cùm nulla, præter eos, gens rerum domina in Europâ, Africâ, maximâque Aſiæ parte cognoſceretur. At poſt mille amplius annos populi omnes, Romano Imperio olim ſubditi, illius jugum excuſſere; neque tamen ullum imminentis mundi exitûs certum indicium cernimus, quamquam hic procul dubio in dies magis accedit.

Græci Patres (m), Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, *apoſtaſiam* pro *apoſtatâ*, ſcilicet Antichriſto, poſitam cenſent; is enim Chriſtianos innumeros in apoſtaſiam eſt pertracturus. S. Auguſtinus & Sedulius in libris ſuis legebant *refuga*, apoſtata, non *diſceſſio*, apoſtaſia. Hæc ſententia convenit cum pleriſque Interpretibus, qui hoc loco ſignificatam vident Chriſtianorum diſceſſionem, qui relictâ fide & Chriſti Jeſu Religione, ad Antichriſtum adjungentur. Cœptajam eſt ea diſceſſio per tam multas hæreſes, quæ variis ſubinde ſæculis prodiere, & Orientalis Eccleſiæ ab Occidentali ſeceſſionem. Hæc tamen explenda eſt ſub mundi exitum, regnante Antichriſto; idque disertè notat Apoſtolus infra: *Myſterium jam operatur iniquitatis.* Cùm Jeſu Chriſti adverſarius prodierit, generalis fermè Chriſtianorum diſceſſio conſpicietur: Electi dumtaxat ſervabuntur, atque ipſi ex falſis Antichriſti prodigiis diſcrimen paſſuri ſunt (n): *Ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam Electi.*

S. Auguſtinus (o), aliique poſt ipſum Interpretes cenſent, conſpirationem ac defectionem adverſùs Imperium Romanum & Chriſti Eccleſiam eodem tempore futuram. Nemo verè dixerit, Romanum Imperium penitus deſiiſſe, cùm Germanico in Imperio, tametſi multo infirmiſſimum, vigeat: Eccleſia Catholica & Romana, quamquam numeros fidei deſertores paſſa eſt, eadem ſemper manet: eamdem ſervat fidem, eadem dogmata, eaſdem Scripturas, eoſdem Præſules: exſtitit denique, & ad mundi exitum uſque exiſtet. At perſpicuum eſt, jam nunc *myſterium iniquitatis peragi*, ut infra Paulus ait (p), atque hinc Romani Imperii diminutionem, illinc tam multarum gentium, olim Eccleſiæ Catholicæ adjunctarum, defectionem, certiſſima eſſe adventantis ejus diei indicia. Hic ſenſim accedit, & procul dubio veniet ceu fur, minimè expectatus (q).

Nihili ego hîc facio illorum inſaniam, qui Antichriſti Regnum & diſceſſionem, de qua Paulus, interpretantur Romani Pontificis authoritatem, & Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum. Veriùs dixeris, ipſam eſſe conſpirationem hæreticorum adverſùs legitimam poteſtatem, & filiorum in matrem, falsò illi objectis erroribus quibusdam, & vitiis nunquam ab illâ probatis confirmatisque. Putat Grotius, ſcriptam fuiſſe hanc Epiſtolam ante primam ad Theſſalonicenſes, ac diſceſſionem hoc loco ſignificatam, Caji Caligulæ impietatem eſſe, qui ſuum ipſius ſimulacrum in Templum Jeroſolymitanum inferre auſus eſt; hominem peccati, qui ſeſe adorandum obtrudere, atque inſurgere adverſùs omne quod dicitur Deus nititur, eſſe Simonem Magum; denique Domini diem eum eſſe, quo Jeroſolyma Templumque per Romanos everſa ſunt. Ex hac opinione, diſceſſio ab Apoſtolo deſcripta explicari poteſt de Judæorum defectione a Romanis, per id tempus nondum detectâ: *qui myſterium operatur iniquitatis*, Nero; homo *peccati*, Simon Magus dici queunt. Hæc porrò figura erant rerum, quæ in mundi exitu eventuræ ſunt; nobisque perſuaſum eſt, primum hoc eſſe & præcipuum, quod ſibi Paulus hoc loco propoſuit. Abſoluta populorum defectio a Romanorum Imperio, malorum-

(f) Μήτε διὰ πνεύματος.

(g) *Theodoret. Theophyl. Tertull. Pſeudo Prophetarum. Alii.* (h) *Chryſoſt.* Ἀπεσταλκέναι δοκεῖ περιΐναι τινὰς ἐπιστολὴν πλάσαντες ὡς ἀπὸ τοῦ Παύλου, καὶ ταύτην ἐπιδεικνυμένους λέγειν ὡς ἄρα ἐφέστηκε τοῦ Κυρίου ἡ ἡμέρα. *Ita Eraſm. Eſt. Grot.* (i) *Vide Aug. Ep. olim 80, nunc 199, n. 15. Vide Eſt. &c.* (k) *Græc.* Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον. *Aug. l. 20, c. 19, de civit. Niſi venerit refuga. Et ita habent Sedul. & quidd. Codd. apud Pelag. quaſi legiſſent:* Ἐὰν μὴ ἔλθῃ ὁ ἀποστάτης. (l) *Tertull. ad Scapul. l. 2; & de reſurrect. carnis, c. 24; Optatus Milevit. l. 2; Lactant. l. 7, c. 25; Hieronym. in Dan. VII; & in Jerem. XXV; & Ep. 151; Ambroſiaſt. Primaſ. Sedul. hic.* (m) *Chryſoſt.* Τί ἐστιν ἡ ἀποστασία; αὐτὸν καλεῖ τὸν ἀντίχριστον ἀποστασίαν, ὡς πολλοὺς μέλλοντα ἀπολλύναι, καὶ ἀφιστᾷν. *Ita Theod. Theophyl. Oecum. &c.* (n) *Matt. XXIV, 24.* (o) *Aug. l. 20 de civit. c. 19; D. Thom. Eſt. From. Cornel.* (p) *Infrà, ℣. 7.* (q) *1 Theſſal. V, 2: Sicut fur in nocte, ita veniet.*

℣. 4. Qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei ſedeat oſtendens ſe, tamquam ſit Deus.

COMMENTARIUS.

que Chriſtianorum ab Eccleſiâ, ſigna ſunt neceſſaria Antichriſto præitura.

Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, ſceleſtus ille, impius, exitio digniſſimus. *Filius perditionis* eodem modo dicitus ac *filius mortis*, *filius pacis*, *iræ filius*, &c. (r), ſcilicet morte, pace, irâ dignus. Patres & Interpretes cæterorum præſtantiſſimi uno conſenſu hîc Antichriſtum intelligunt (s), inter homines proditurum ante magnum Judicii diem, ut Religioni ac Sanctis bellum inferat. Veteres quidam (t) Dæmonem vel Satanam fore cenſuerunt; at aliis (u) verus homo futurus creditur, a Dæmone actus obſeſſusque, quo Dæmon ceu miniſtro & inſtrumento utetur. Sunt qui aſſerant, Dæmonem humanâ carne indutum fore. Ait S. Hieronymus (x), hominem fore, *in quo Satan totus habitaturus ſit corporaliter*. Quemadmodum Chriſtus humanam naturam aſſumpſit, ut ſalutem hominibus compararet, ait Theodoretus; ita Diabolus, iiſdem exitium allaturus, hominem elegit, ac prorſus talem, ut omnem in nos nequitiam odiumque nunc per eum exercere poſſet.

S. Auguſtinus (y) ait, quibuſdam ætate ſuâ Neronem creditum eſſe Antichriſtum, impletumque eo regnante myſterium iniquitatis, de quo Paulus. Addebant illi, Neronem aliquando redivivum fore, iterumque in terris futurum, ante Domini adventum. Eadem ſententia apud S. Hieronymum (z) & Sulpicium Severum (a) legitur; quorum poſtremus ſubdit, putaviſſe nonnullos, Neronem ſuo ipſius enſe manuque confoſſum, e vulnere convaluiſſe, ex fide Apocalypſeos (b): *Et plaga mortis ejus curata eſt*. Quamobrem ſub mundi exitum inter homines futurum, ut, iniquitatis myſterium expleat. Idem S. Martinum dicentem inducit, Neronem in Occidente proditurum, in Oriente Antichriſtum. Profectò, ait S. Auguſtinus, non deſunt qui Neronem non mortuum, ſed raptum e terris cenſeant, additoque in loco ſepoſitum, eodem ſemper ætatis flore, ut iterum prodeat, ſuumque Regnum reſtauret. Sulpicius Severus in ſecundo libro de virtutibus S. Martini, non ſcribit, Neronem Antichriſti loco venturum, ſed illius miniſtrum fore, ejusque ſævitiæ inſtrumentum. Suetonius de Nerone (c): *Non defuerunt qui per longum tempus vernis æſtivisque floribus tumulum ejus ornarent; ac modo imagines prætextatas in Roſtris proferrent, modò edicta quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri*. At & hoc & quæcumque de venturo ſub mundi exitum Nerone recitavimus, nullam fidem merentur. Venturum Antichriſtum credit Eccleſia; at venturi tempus, ortum, originem ignorat.

℣. 4. Qui adversatur et extollitur, &c. Daniel (d) de Antiocho Epiphane: *Magnificabitur adversùs omnem Deum*. Sese ab omnibus ubique gentibus coli ceu Deum unum cultu dignum volet. Cæteras Religiones tum bonas cùm malas abolere conabitur. Templa evertet, aras diruet, Sacerdotes ac Miniſtros, tum veri tum falſorum Numinum, neci dabit. Hæretici Interpretes hoc loco in Romanum Pontificem Romanamque Eccleſiam ea congerunt, quorum pudere exculti ſſimos ex ipſis puto. Non perſequor hîc illorum inſaniam & calumnias, cùm controverſias non ſcribam; at bonâ fide pacatoque animo legant probatos ab Eccleſiâ Scriptores, & ſententias ab eâ non confirmatas illi ne tribuant. His deberi vellent ineptias, quas nonnulli ſuarum partium Scriptores venditavere.

Itaut in Templo Dei sedeat (e). Patres & Interpretes de hoc Templo diſſident. Veteres multi (f) cenſuere, Templum Jeroſolymitanum ab Apoſtolo ſignificari, quo ſub mundi exitum reſtaurato, cultum ibi ceu Deo ſibi tribui juſſurus ſit Antichriſtus. Hanc opinionem hîc non damnat Chryſoſtomus; qui cum aliis compluribus (g) putat, Judæos ſeſe ad Antichriſtum tamquam ad Meſſiam verumque Deum adjuncturos, eumque Jeroſolymis reſtauratoque in Templo veneraturos. At plerique Veterum ajunt, Antichriſtum in Chriſtianorum Templis ſeſſurum, ibique cultum ex populis a ſe deceptis atque in defectionem pertractis exacturum. Id Jeroſolymis ſpectatum iri vulgo creditur: at cur non alibi (h)? Jeroſolymis quidem ſuum ille Imperium poſiturus eſt; at non ſemper ibi verſabitur, cùm tam multa proſperè in Chriſtianos ſit peracturus.

Ostendens se quasi sit Deus. In Templis Deo vero dicatis ſuum ipſius ſimulacrum poſiturus eſt, vel ſeſſurus ipſe, divinis honoribus colendus; quemadmodum olim Idolum abominationis, vel Jovis Olympici ſimulacrum poſitum eſt in Templo Domini Jeroſolymis (i); ſuumque Cajus Caligula locare molitus eſt (k), paulo ante Judæorum in Romanos conſpirationem. Judæi, & Chriſtianæ Religionis deſertores, præſtigiis prodigiisque illius decepti, illum ceu Meſſiam excipient, debitamque uni Deo adorationem illi exhibebunt.

Hæc tropicè explicari poſſunt de Simone Mago, ut Antichriſti figurâ. Peragratis hic variis in Oriente provinciis, innumeriſque in erro-

(r) 2. Reg. xii, 5.

(s) *Aug. l. 20 de civit. Dei, c. 19: Nulli dubium eſt, eum de Antichriſto iſta dixiſſe.*

(t) *Vide Hieronym. in Iſa. xvii* (u) *Theodoret. hîc, & Chryſ. & Theophyl.* Τίς δὲ οὗτος; ἆρα ὁ Σατανᾶς; οὐδαμῶς. Ἀλλ' ἄνθρωπός τις πᾶσαν αὐτοῦ δεχόμενος τὴν ἐνέργειαν.

(x) *Hieron. in Dan. vii: Non enim putemus, juxta quorumdam opinionem, vel Diabolum eſſe, vel Dæmonem, ſed unum ex hominibus, in quo totus Satan habitaturus ſit corporaliter.*

(y) *Aug. l. xx, c. 19. civit.* (z) *Hieronym. in Dan. xi.* (a) *Sulpit. Sever. l. 2 hiſt. ſacra.*

(b) *Apoc. xiii.* (c) *Sueton. in Nerone, ad finem c. 57; & Tacit. l. 2 Hiſtor.* (d) *Dan. 11, 36.*

(e) Ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ ὡς Θεὸν καθίσαι. Quamplures omittunt ὡς Θεὸν. S. Auguſtinus, *lib. xx, c. 19, de Civit.* multa diſputavit de iis verbis *in Templum*, pro, *in Templo*; atque ita intelligi poſſe ait: Itaut ſedeat, quaſi Templum & Eccleſia Dei ſit ipſe cum aſſeclis. Proclivius tamen eſt dicere, ut ναὸν poſitum eſſe pro, ἐν ναῷ.

(f) *Hippolyt. de conſum. mundi; Cyrill. Jeroſol. Catech. 15; Damaſcen. l. 4, c. 28.*

(g) *Chryſoſt. Theodoret. Theophil. Oecum. Ambroſiaſt. Anſelm. alii Interpretes.* (h) *Theophyl.* Οὐκ εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ναὸν μόνον, ἀλλ' εἰς τὰς ἐκκλησίας ἁπλῶς, καὶ πάντα ναὸν θεῖον.

(i) *1 Mac. 1, 57.* (k) *Joſeph. Antiq. l. 18, c. 11; Philo Legat. ad Cajum.*

℣. 5. Non retinetis, quòd cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?

℣. 6. Et nunc quid detineat ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore.

℣. 7. Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.

COMMENTARIUS.

rorem indoctis præſtigiarum & excantationum vi, Romam denique tamquam ampliſſimum in theatrum vênit (l). Ibi ſtatim claruit, ejusque fraudibus Romani, non ſecus ac cæteri, decepti ſunt. Vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres (m) aſſerunt, ſimulacrum illi tamquam Deo poſitum, cum epigraphe: *Simoni Deo Sancto*. Res quidem eſt minimè præter fidem, cùm Lyſtrenſes ſacra ceu Diis facere voluerint Paulo & Barnabæ (n), iis rebus permoti, quæ majorem quàm Simonis prodigia admirationem exigere non videbantur. Apollonius Thyanæus, celebris alter impoſtor, Simone recentior, non unâ in gente divinos honores tulit (o). Deus haberi volebat Simon Magus (p): huc ferebatur illius arrogantia. Antequam Chriſtianis ritibus imbueretur, adhuc Samariæ commorans (q), magnam Dei Virtutem ſeſe appellitabat. Hominem hujusmodi produxit Diabolus, Apoſtolis opponendum; atque hunc ſpectari paſſus eſt Deus, ut Antichriſti ſub mundi exitum prodituri figuram exhiberet.

℣. 5. NON RETINETIS, &c. In his ſiſtere vos oportuit, neque infinitis quæſtionibus implicari, neque aures præbere iis, qui me peſſimè ac temerè loquentem inducunt, measque Epiſtolas falsò comminiſcuntur. Nihil addo iis, quæ tunc ſtatim dixi. Hinc diſce, multa tradidiſſe ore tenus Apoſtolos, quæ ſcriptis mandata non fuere (r). Niſi fuiſſent falſi Doctores, turbarum authores in Theſſalonicenſium Eccleſiâ, nihil de graviſſimo hoc argumento ſcriptis tradidiſſet Apoſtolus.

℣. 6. ET NUNC QUID DETINEAT, SCITIS. Olim ore tenus docui, quid in causâ ſit, cur dies Domini non adveniat, neque prodeat Antichriſtus. Idcirco nimirum ut ſtatutis a Providentiâ temporibus manifeſtetur. At alia ne eſt moræ cauſa? Prædixit ℣. 3: *Niſi venerit diſceſſio primùm*. Neceſſe eſt præcedat ſeceſſio a Romanorum Imperio (s), atque a Chriſtianâ Religione diviſio: dum ſteterit Romanum Imperium, ſtabit Chriſtiana Religio: eo everſo, prodibit Antichriſtus, ſeceſſio fiet ab Eccleſiâ. Romani Imperii excidium ſapientiſſimè ſiluit Apoſtolus, ne inimicorum injuriis objiceret Eccleſiam, ac temerè Gentiles in Chriſtianos concitaret, ut optimè animadvertunt Chryſoſtomus & Auguſtinus (t).

Cenſuere nonnulli (u), divinis Spiritûs Sancti donis detentum Antichriſtum, ne prodiret. At acutè Chryſoſtomus notat, oportuiſſe jam olim mundum ceſſare, cùm poſt longum jam tempus inſolita Spiritûs Sancti dona in Eccleſiâ ceſſaverint. Alii apud Theodoretum verbis Apoſtoli, *Quid detineat, ſcitis*, ſubtexunt: Dei decretum: conſtituta arcanis Dei conſiliis tempora nondum impleta ſunt.

Ipſe quidem Theodoretus ita explicat: Norat Apoſtolus, prædixiſſe Chriſtum, Evangelium toto orbe omnibusque terrarum populis nunciatum iri, ac deinde futurum ſæculorum finem (x): *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe, & tunc erit conſummatio*. Cùm autem univerſum ferè orbem Idololatriâ occupatum cerneret, mundi exitum & Antichriſti Regnum longè adhuc abeſſe arbitratus eſt. Hoc ipſum fortaſſe monuit Theſſalonicenſes, cùm inter illos verſaretur: quamobrem, *Et nunc*, inquit, *quid detineat, ſcitis: ut reveletur tempore ſuo*.

Juxta ea, quæ in Præfatione ad hanc Epiſtolam poſuimus, *diſceſſio*, de qua hîc Paulus, explicari poteſt de Judæorum defectione a Romanis. Hæc prævia erat Domino in ultionem venienti, ut in Judæos animadverteret; tum ante id tempus proditurus erat *homo peccati*, *filius perditionis*, *Dei adverſarius*, ſeſe obtruſurus pro Deo, uſurpaturus Dei nomen, atque in Templo ſeſſurus. Hæc in causâ erant, cur Domini dies non adventaret, tropicè primùm in Romano adversùs Judæos bello, tum ipsâ re ſub mundi exitum.

℣. 7. NAM MYSTERIUM JAM OPERATUR INIQUITATIS (y). Veteres multi (z) cenſuere, myſterium iniquitatis eſſe Neronis Imperium, ipſumve Neronem, quem pro Antichriſto uſurpabant, Eccleſiam inſectari aggreſſum, ut deinde in terras ſub mundi exitum rediens, ſupremam odiis manum imponeret. Hæc tamen ſententia, quam innuimus ad ℣. 3, nititur flagitiis ac ſævitiâ Neronis, falſisque rumoribus, quibus vel poſt obitum vivere, atque iterum proditurus eſſe ferebatur. Antichriſtus neque ſceleſtior, neque crudelior, neque Chriſtianæ Eccleſiæ inimicior Nerone futurus exiſtimabatur.

Alii majori numero (a) ac potiori ratione hæreticos eſſe Antichriſtos cenſuere, emiſſarios ac miniſtros hominis peccati, qui jam nunc *myſterium operari iniquitatis* in Chriſti Eccleſiâ incipit, cùm errores ſerant, offenſioni ſint, multos denique in partes ſuas atque a veritate defectionem trahant. Vulgo hæretici a Patribus nuncupantur (b) *præcurſores Antichriſti*. Sub mundi exitum Antichriſtus ſupremam impoſiturus eſt manum

(l) *Juſtin. apolog.* 2; *Euſeb. l.* 2, *c.* 13, *Hiſt. Eccleſiaſt.* (m) *Juſtin. apolog.* 2; *Cyrill. Catech.* 3; *Iren. l.* 1, *c.* 20; *Tertull. apolog. c.* 13; *Euſeb. l.* 2, *c.* 14, *Hiſt. Eccleſ. &c.* (n) *Act* XIV, 10. (o) *Philoſtrat. vitâ Apollonii*, *l.* 7, *c.* 10; *l.* 8, *c.* 2. (p) *Iren. l.* 1, *c.* 20. (q) *Act.* VIII, 10. (r) *Theophyl.* Κἀντεῦθεν δῆλον ὅτι μεγάλα μυστήρια κ̀ ἀγράφως παρεδίδου. (s) *Ita Patres plerique, Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Tertull. Hieronym. Auguſtin. Ita & Bellarm. Eſt. alii paſſim.* (t) *Aug. l.* XX *de civit. c.* 19, *n.* 3. *Ita & Chryſoſt.* Ἐπειδὴ δὲ περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς ἀρχῆς τοῦτό φησιν, εἰκότως ἠνίξατο κ̀ τέως φησὶ, συνεσκιασμένως. Οὐ γὰρ ἐβούλετο περιττὰς ἔχθρας ἀναδέχεσθαι, καὶ ἀνοήτους κινδύνους. (u) *Quidd. apud Chryſ. & Theodoret. hic.* (x) *Matt.* XXIV, 14. (y) Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας. (z) *Chryſoſt. hic, & orat.* 2 *de eleemoſynâ*; *Theophyl. quid. apud Theodoret. Vide & Hieronym. in Dan.* XI; *& Aug. l.* XX, *c.* 19, *de civit. Sulpit. Sever. l.* 2 *hiſt. Victorin. in c.* 17 *Apocalypſ.* (a) *Tertull. de præſcript. c.* 4; *& contra Praxeam*, *c.* 35. *Theodoret. alii.* (b) *Iren. l.* 1, *c.* 8; *Cyrill. Jeroſol. Catecb.* 15; *Ambroſ. in Luc.* XXI; *Origen. in Matt. Hilar. libb. ad Conſtantium*; *Athanaſ. Epiſt. ad Solitar.*

℣. 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui eum.

COMMENTARIUS.

num iis, quæ miniſtri inchoaverunt. Hoc fortaſſe ſignificavit Joannes, cùm diceret (c): *Nunc Antichriſti multi ſunt.*

Videtur aliis (d) *myſterium iniquitatis* eſſe ſymbolum impietatis Antichriſti, figura & imago ſævitiæ ab eo in Sanctos exercendæ. Ita omnes Eccleſiæ Perſecutores, Nero, Domitianus, Decius, Diocles, hæretici, imagines ſunt Antichriſti; myſterium peragunt iniquitatis: agit jam nunc, & ad mundi exitum usque in Miniſtris acturus eſt Antichriſtus. Ipſum quidem Antichriſti Regnum nondum viget; jam ſtat regni ipſius myſterium & figura. Nero & Simon Magus, Pauli ætate, luculentiſſimæ fuerunt nequiſſimi illius hominis effigies.

TANTUM UT QUI TENET NUNC fidem, TENEAT (e), DONEC DE MEDIO FIAT, auferatur homo iniquitatis. Acceptam ex nobis Fidem unusquisque veſtrum teneat, neque moveatur orationibus, quæ tamquam noſtræ venditantur. Sive: Qui tunc in vivis futuri ſunt, fidem ſervent, conſtantesque maneant in Eccleſiæ Chriſti obſequio, donec Antichriſtus, homo iniquitatis, evertatur.

Græcus aliam ſententiam offert (f): *Unum reſtat, nempe is qui detinet, deſtruatur.* Cur Antichriſtus non prodeat, hoc porrò in causâ eſt: oportet Romanum Imperium deſtrui, vel Evangelium toto orbe nunciari, omnesque gentes ad Chriſtum colligi, antequam dies Domini adveniat. Congruit hoc cum dictis ℣℣. 3 & 6. Animadvertendum eſt, ℣. 6 (g) neutro genere uſurpari ab Apoſtolo, *Et nunc quid detineat, ſcitis*, id quod hìc maſculino: *Tantùm ut qui tenet, de medio fiat.* Ex quo confirmatur Veterum illorum conjectura, qui de Nerone & Simone Mago explicant, quorum poſt obitum Dei furor in Judæos exarſit. Nero vitâ functus eſt anno Chriſti LXVI; eodem anno cœpta eſt Judæorum ſeditio, & Nero exercitui præfecit Veſpaſianum. Anno LXVII Veſpaſianus bellum Galilææ intulit; & anno LXX Titus Jeroſolymam obſidione cinxit, cepit evertitque. Permiſit Deus, ut perituri orbis figura eo excidio exhiberetur, uti in Nerone & Simone Mago Antichriſtus, & in Judæorum ſeditione futura malorum Chriſtianorum ſeceſſio prædicta fuere. Quemadmodum Chriſtus ea deſcribens, quæ in ſæculorum exitu ſunt eventura, bellum Romanorum in Judæos eàdem operâ recitat (h); ita Paulus in his ad Theſſalonicenſes verbis ita orationem temperat, ut referri queat ad Simonem Magum veluti Antichriſti figuram, & ad Romanorum bellum in Judæos, tamquam figuram malorum, quibus periturus orbis obvolvetur.

℣. 8. ET TUNC REVELABITUR ILLE INIQUUS, Antichriſtus, homo iniquitatis, filius perditionis, QUEM DOMINUS JESUS INTERFICIET SPIRITU ORIS SUI. Id igitur quod obſtat, ne prodeat Antichriſtus, removendum eſt, antequam ille manifeſtus fiat. Si obſtat ſeditio in Romanum Imperium ſcienda, ſive myſterium iniquitatis, iſthæc priùs proſternantur expectandum eſt, antequam exhibeatur Antichriſtus. Tropici Antichriſti, perſecutores, hæretici, qui myſterium iniquitatis inchoavere, interituri ſunt; ſed his deficientibus, verus veniet Antichriſtus, ut imperium in terris ſub exitum ſæculorum exerceat (i).

Hæc locutio, *Quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui*, ſignificat, quàm minimo negotio illum everſurus ſit Chriſtus, miſſo dumtaxat in eum halitu (k). Ne Theſſalonicenſes, auditis iis quæ geſturus erat iſte Chriſti adverſarius, illum fore crederent hoſtem validiſſimum, paribus & quodammodo majoribus in eum viribus pugnaturum, cùm obſequia Divina ſit exacturus, ac tam multos e Chriſtianis in defectionem pertracturus; illos occupat Apoſtolus, docens, illum uno Chriſti habitu everſum iri ac deletum, eoque ſolummodò prodeunte periturum: *Quem interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventûs ſui.* Hoc diſertè prædixerat Iſaias (l) de Chriſto agens tamquam de ſurculo ex radice Jeſſe: *Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

Quæ hìc ſcribit Apoſtolus de *homine peccati, & filio perditionis*, ſeſe tamquam Deum obtrudente (m), tam aptè conveniunt Simoni Mago, ut ex iis omnino agnoſci debeat. Impius hic proditurus eſt temporibus a Deo definitis; cumque *Dominus Jeſus interfecturus eſt ſpiritu oris ſui, & deſtructurus illuſtratione vultûs ſui.* Neminem latet, voluiſſe Simonem ſeſe pro Deo venditare, & Chriſtum haberi (n). Sceleſtiſſima hæc recitat S. Hieronymus ex uno e libris Simonis (o): *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei.* Divinos honores tulit, nedum vivens, verùm etiam mortuus (p). S. Cyrillus Jeroſolymitanus (q) de illo explicat hæc verba ex primâ Joannis Epiſtolâ (r): *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*: ex quo fit, ut ad eumdem referre debuerint illa membri ſuperioris: *Nunc Antichriſti multi facti ſunt.*

Genus mortis, quo ſublatus eſt Simon, mirè confirmat Pauli prædictionem. Auſus ille eſt oſtendere, ſe uti Meſſiam ac Dei Filium aſcendere in cœlum poſſe, ut olim Chriſtus (s). Omnibus ille idcirco uſus eſt ſuæ artis arcanis; pollicitusque eſt, ſeſe, populo Romano ſpectante, raptum iri in Cœlum. Reverâ in aëra igneo curru ſublatus eſt Dæmonum operâ (t): at orantibus Petro & Paulo, qui tunc Romæ aderant, præceps ruit, fractiſque cruribus jacuit. Inde ablatus, paulo pòſt mœrore & probro agitatus, ſeſe præcipitem dedit e faſtigio domûs, in qua detinebatur (u). Ita *interfectus eſt Spiritu oris Domini Jeſu, & deſtructus illuſtratione vultûs illius.* Hæc tamen mera eſt figura ejus viciſſitudinis, quæ ſub mundi exitum ſpectanda eſt in Antichriſto.

℣. 9 Cu-

(c) 1 *Joan.* II, 18. (d) *Syr. Eſt. Gagna. Cornel. Men.* (e) In Græco non legitur *teneat*; ſed in Latinis tantum modò Bibliis. (f) Μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται.
(g) ℣. 6: Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε. (h) Vide *Matt.* XXIV; *Marc.* XIII; *Luc.* XXI.
(i) *Ita Patres paſſim, & Interpretes Catholici.* (k) *Theodoret.* Ἔδειξεν, ὡς ἴδιον, τὸ τῆς δεσποτείας αὐτοῦ μέγεθος, ἐπιφανεὶς γάρ, φησί, ὑπάρχει φθέγξεται μόνον, καὶ πανωλεθρίᾳ παραδώσει τὸν ἀλιτήριον. (l) *Iſai.* XI, 4. (m) Supra, ℣. 3, & 4. (n) *Aug. de hæreſ.* c. 1.
(o) *Hieronym. in Matt.* XXIV. (p) *Juſtin. Dialog.* p. 349; *Clem. Alex. Strom.* 2, 2.
(q) *Cyrill. Catech.* 6. (r) 1 *Joan.* II, 18. (s) *Maxim. Taurin. homil.* 54.
(t) *Arnob.* l. 2, p. 50; *Cyrill. Jeroſol. Catech.* 6, *Ambr. Hexaëmer.* l. 4.
(u) *Arnob.* l. 2; *Maxim. Taurin. homil.* 54; *Conſtit. Apoſtol.* l. 6, c. 9.

℣. 9. Cujus eſt adventus ſecundùm operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus,

℣. 10. Et in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt; eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.

COMMENTARIUS.

℣. 9. CUJUS EST ADVENTUS SECUNDUM OPERATIONEM SATANÆ, ut incautos decipiat prodigiis adeò frequentibus, ut ipſi Electi futuri ſint in erroris diſcrimine (x). Vires omnes exeret Dæmon pro Antichriſto *prodigiis mendacibus*; ſive ex Græco (y): *Prodigiis mendacii*, ſcilicet in errorem inducentibus, vel ſimulatis, quibus ſpecies ſolummodo eſt veritatis (z). Quæ futura ſint Antichriſti prodigia, diſputant Patres. Quibus perſuſſum eſt, ab uno tantùm Deo fieri poſſe vera prodigia, ajunt, Antichriſtum nonniſi fucata & falſa patraturum. Iſta S. Hieronymus (a) cum prodigiis Magorum Pharaonis comparat; atque uti virga Moyſis in anguem mutata virgam Magorum ſub anguis ſpecie apparentem voravit, ita prodigia Chriſti exitium allatura prodigiis Antichriſti. *Ita mendacium Antichriſti veritas devorabit.* Chryſoſtomus & Theophylactus falſa nuncupant, & in errorem impellentia. Negat diſertè Theodoretus (b), ea fore vera prodigia, ſed præſtigias, qualibus populum fallunt circulatores.

At S. Auguſtinus (c) non uno in loco docet, vera prodigia geri poſſe a Dæmone, ejuſque ope a veneficis. eadem cùm bonos præſtare poſſe tum malos. Nonne docet Chriſtus, futuros in ſæculorum exitu homines prodigiis claros, qui vel Electos in errorem pertrahere conabuntur (d)? Nonne idem Paulus ait, poſſe hominem prodigiis clarere, ita ut montes transferat, quin charitate inſtructus ſit, & Deo charus (e)? Neque laborat Auguſtinus refellere Donatiſtarum prodigia; tametſi enim vera eſſent, nihil ex iis adversùs veritatem colligi, cùm extra unitatem fierent (f).

Cùm autem de Antichriſti prodigiis agit occaſione verborum, quæ hîc explicamus (g), ait exiſtimare nonnullos, nuncupari *prodigia mendacii*, quòd re ipsâ caritura ſint, ſolamque prodigiorum ſpeciem habitura, ac decептura ſpectatores; alios putare, prodigia dici mendacia, *quia illa ipſa, tametſi erunt vera, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuiſſe niſi divinitus fieri: virtutem Diaboli neſcientes, maximè quando tantum, quantum nunquam habuit, accipiet poteſtatem.*

Eadem omnino ſentiebat de hac re Magnus Gregorius, qui ait (h), fieri interdum ab hæreticis prodigia, quorum inanem mercedem ipſis reddi in hac vitâ patitur Deus, laudibus illorum causâ collatis: Eccleſiam nihili facere prodigia ab hæreticis patrata, cùm noverit, miracula non eſſe ſanctitatis virtutiſque argumenta; atque ex Chriſto Jeſu didicerit, multos fore ſupremâ Judicii die reprobos (i) Judici dicturos: *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus?* At reſpondebit Chriſtus: Neſcio vos, &c. Alibi ſcribit (k), Deum regnante Antichriſto ſubductum ab Eccleſiâ prodigiorum facultatem, paſſurumque, ut Antichriſtus plurima faciat, quo conſtantior appareat Chriſtianorum fides, ubi etiam prodigiis carena non mutaverint. Nullum ille diſcrimen ſtatuit inter Electorum miracula & reproborum (l), niſi illud, quòd illa ad ſalutem, hæc ad interitum & auctores & ſpectatores trahant.

Simonis Magi prodigia Patres magicis artibus tribuunt; eumque quamplurimis claruiſſe aſſentiuntur. Conabatur ille, ſpecie ſaltem, ea omnia gerere, quæ Chriſtus re ipsâ patravit (m). Hujus exemplo quodlibet veneficiorum genus ſectabantur Diſcipuli (n), ſeque vel ex inferis manes Prophetarum evocare poſſe gloriabantur (o). Vidimus ſupra, auſum eſſe Simonem volatu in ſublime ferri, atque in Cœlum ſcandere. Ingentem fuiſſe oportet prodigiorum illius numerum, cùm tam multos ſibi Diſcipulos comparaverit, Divinoſque honores tulerit.

℣. 10. ET IN SEDUCTIONE INIQUITATIS. Conabitur Antichriſtus nedum prodigiis magiciſque artibus incautos reproboſque decipere, atque in defectionem rapere, verùm etiam adminiculis omnibus, quæ ſua illum nequitia docuerit; blanditiis, donariis, honoribus, opibus, voluptatibus, promiſſis, amicitiæ ſignificationibus; omnibus denique modis ad fallendum opportunis: *In omni ſeductione iniquitatis*, ſcelerum, impietatis, mendacii. *Iis qui pereunt* ſunt reprobi (p), increduli, apoſtatæ, qui juſtiſſimo Dei Judicio & ſuâ ipſorum culpâ in peſſimi cordis poteſtate relinquentur, & Chriſtum deſerent, ut illius adverſarium ſequantur; ſive infideles, quorum contumacia ea futura eſt, ut credituri non ſint Chriſto, tametſi veritatem audiant (q). At Antichriſti artibus, prodigiis, blanditiis non movebuntur Electi uti promiſit Chriſtus (r), ubi ait, ea fore Antichriſti prodigia, ut inductura ſint in errorem vel Electos, ſi fieri queat.

EO QUOD CHARITATEM VERITATIS NON RECEPERUNT. Ne putaveritis, miſeros hoſce Antichriſti aſſeclas illi neceſſariò adhæſuros. Quantumvis ille perſecutionibus ſæviat, luculenta patret prodigia, validis artibus utatur, nonniſi volentes perdet decipietque. Qui traditam a Chriſto Jeſu veritatem ſincerè amaverint, atque ope ſuppeditatâ bene uſi fuerint, Antichriſti laqueos vireſque vitabunt. Et qui infideles increduli que perierint, ſuâ ipſorum culpâ peribunt, cùm idcirco ruituri ſint in exitium, quia veritatem ſequi & amare detrectabunt. Hæ Antichriſti notæ, quas tradit Paulus, nihilo minùs Simoni Mago, quàm ſuperiores, conveniunt. Populos hic nedum *prodigiis mendacibus* fefellit, verùm etiam artibus omnibus, quibus ad iniquitatem trahi poſſunt ii qui pereunt. Quæ errorum monſtra non tradidit? quibus ipſe flagitiis vacavit?

(x) *Matt.* XXIV, 24. (y) Καὶ τέρασι ψεύδους. (z) *Chryſ.* Τέρασι ψεύδους. Ἤτοι διεψευσμένοις, ἢ εἰς ψεῦδος ἄγουσι. (a) *Hieron. ad Algaſiam, qu.* 11. (b) *Theodoret. hic*: Δείξαι δὲ ὡς καὶ τὰ δρώμενα οὐκ ἀληθῆ θαύματα. Τοιαῦτα δὲ ποιοῦσι, οἱ δὲ ἀπὸ τῶν ψήφων τὴν ἐργασίαν ἔχοντες.
(c) *Aug. l.* 83 *quæſt. qu.* 79, *n.* 3, 4; *& ſerm.* 90, *n.* 5, *nov. Edit.* (d) *Matt.* XXIV, 24.
(e) 1 *Cor.* XIII, 2. (f) *Aug. in Joan. tract.* XIII. (g) *Lib.* XX *de civit. c.* 19.
(h) *Greg. Magn. l.* 20, *c.* 7, *moral. in Job.* (i) *Matt.* VII, 22. (k) *Greg. Moral. l.* 34, *c.* 3.
(l) *Gregor. homil. in Evangel. l.* 2, *homil.* 29, *n.* 4. (m) *Origen. l.* 5 *contra Celſ.*
(n) *Iren. l.* 1. *c.* 20. (o) *Tertull. de animâ, c.* 57. (p) *Eſt. From. Cornel.*
(q) *Chryſ. Theophyl.* (r) *Matt.* XXIV, 24.

℣. 11. Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio:

℣. 12. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.

℣. 13. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritûs, & in fide veritatis:

℣. 14. In qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.

℣. 15. Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.

COMMENTARIUS.

vit? Primi omnium Eccleſiæ hæretici, Simonis fuere Diſcipuli. Inſaniſſima tradebant illi de Angelorum geneſi, de *Æonibus*, *pleroma* ſive plenitudinem & imaginariam divinitatem componentibus (s). Compertum eſt, quàm ineptas fabulas venditaret ille de Helenâ (t) fœminâ perditiſſimâ, quam circumducebat; quàm turpi denique libidine ipſe & aſſeclæ inquinarentur (u). Conſtantiſſimè tradunt Patres (x), Simonianos divinum cultum Angelis exhibuiſſe, & Simonem atque Helenam ſub Jovis & Minervæ imaginibus adoraſſe.

Id Paulus nuncupat *ſeductionem iniquitatis iis qui pereunt*. Hujuſmodi erant Simonis Diſcipuli, *quibus miſit Deus operationem erroris*, fraudes efficaciſſimas, *ut crederent mendacio*. Latet profectò, quos in errores, quæ in flagitia ſuiturus ſit Antichriſtus; at colligi ex dictis poteſt; ſi enim res ipſa major eſſe debet quàm figura, quantæ futuræ ſunt fraudes in ſæculorum exitu, quanta flagitia, ſi tam gravia initio Eccleſiæ fuere?

℣. 11. Ideo mittet iis Dominus operationem erroris, fraudes adeò efficaces, ut credant mendacio. Cave credas, impios a Deo in fraudem impelli, aut tentari, vel in mendacium & errorem induci. Neminem tentat Deus, aut in malum agit (y). At interdum juſto judicio ruere in mendacium ſinit eos, qui veritatem aſpernati ſunt; eoſque, qui mendacium & flagitium amavere, in errore pravoque ſenſu deſtituit. Vult Deus, omnes homines ſalutem aſſequi (z): Chriſtus ſalutis comparandæ adminicula omnibus promeruit. Siqui igitur pereunt, id illorum vitio tribuendum eſt. Hominum peccata interdum Deus aliis peccatis punit (a), in quæ illos ruere patitur; eorumque ſuperbiæ pœnam permittit eſſe tentationes, quibus vinci eos ſinit. Hîc impios punit miſſo ad eos Antichriſto, quos ab eo tentari permittit. Dæmoni poteſtatem facit, ut vires omnes, omnemque nequitiam in illos exerceat per Antichriſtum, quem ille ceu inſtrumentum agit ac movet.

Veteres plerique (b) locum hunc interpretantur de Judæis, quibus ſuaderi a Dæmone & Antichriſto errorem patietur Deus, per patrata coram ipſis prodigia; quòd nunciatam ſibi a Chriſto veritatem amplecti noluerint. Primi omnium a mendacii patre decipientur Judæi. Quamplurimi ex Judæis & Samaritanis Simonem Magum ſecuti ſunt.

℣. 13. Quod elegerit vos Deus primitias in salutem. Grates Deo ago, quòd vos ille, fratres, ad fidem vocaverit, atque ad *ſanctificationem ſpiritûs*, nempe ad juſtitiam, qua donati eſtis in baptiſmo, infuſo Spiritu Sancto, cujus lumine & gratiâ mentes veſtræ cumulatæ ſunt. Sive ex Chryſoſtomo (c), *quòd elegerit vos ſanctificatione Spiritûs & fide veritatis*. Elegit vos Deus, atque inter filios cooptavit dono fidei & gratiæ juſtificationis, quam in baptiſmo accepiſtis.

Vos elegit Deus tamquam *primitias* ſelectiſſimam ſcilicet partem, alios inter innumeros, quos in infidelitate umbrâque mortis deſtituit. Græcus legit (d): *Elegit vos Deus ab initio*, non *primitias*. Græci tamen Codices nonnulli adſtipulantur Vulgatæ (e). Plerumque *primitias* nuncupat Apoſtolus eos (f), qui aliquâ in orbe vel provinciâ primi omnium Chriſto nomina dederunt. Hujuſmodi erant in Macedoniâ Theſſalonicenſes. Cùm ait, illos Deum elegiſſe, hinc minimè colligas, omnes illos in Electorum ac Prædeſtinatorum cenſu fuiſſe. Ea quippe electio vocationis eſt, qua in Eccleſiam viamque ſalutis inducuntur. Deum illi rogare debent, ut auxilia ſibi ad dignam vocatione vitam inſtituendam, acceptoque beneficio reſpondendum neceſſaria largiatur.

℣. 15. State, et tenete traditiones. Fidem virtutemque conſtanter colite, & ſervate quæ vobis tradita fuere, tum quæ ad dogmata pertinent, veluti de generali Judicio, de advento Antichriſti, ſupra ℣. 5; tum quæ ad mores & diſciplinam: non multa enim tradidere ſcriptis Apoſtoli, ac illorum plerique ſcripta penitus nulla reliquere: ore tenus docere contenti, fidelibuſque ac ſtudioſis teſtibus tradere, quæ ipſi ex ore Chriſti ipſius, qui nihil unquam ſcripſit, acceperant. Perſpicuum ex hoc loco fit, ait S. Chryſoſtomus (g), non omnia ſcripſiſſe Apo-

(s) *Vide Nazianz. orat. 23, & 44; Euſeb. in Marcell. l. 4.*
(t) *Juſtin. apolog. 2; Iren. l. 1, c. 20; Epiphan. hæreſ. 21.*
(u) *Iren. l. 1, c. 20; Euſeb. l. 2, c. 13 Hiſt. Eccleſ.* (x) *Tertull. præſcript. c. 33; Epiphan. hæreſ. 21; Aug. de hæreſ. Iren. l. 1, c. 20.* (y) *Jacobi, 1, 13: Deus intentator malorum eſt; ipſe autem neminem tentat.* (z) *1 Timot. II, 4: Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* (a) *Vide Hieronym. ad Algaſiam, Theodoret. Theophyl. Oecum. Anſelm. hic. Vide Aug. l. 5 contra Julian. c. 3; Cornel. a Lap. & Eſt. hic.*
(b) *Ambroſiaſt. Chryſ. Theodoret. Theophyl. Oecumen. Hieronym. ad Algaſiam, qu. 11.*
(c) *Chryſoſt. Theophyl. Syr. Vat. alii:* Ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος, τουτέστιν, ἁγιάσας ὑμᾶς διὰ πνεύματος, καὶ πίστεως. (d) Εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς. (e) *Alii:* Εἵλετο ὑμᾶς ἀπαρχήν. *Vide Mill.* (f) *Rom. XVI, 5; & 1 Cor. XVI, 15.*
(g) *Chryſoſt. hic:* Ἐντεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιστολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἀγράφως, Ὁμοίως δὲ κἀκεῖνα, καὶ ταῦτά ἐστιν ἀξιόπιστα, *Vide & Theodoret. & Theophyl. Eſt. Grot.*

℣. 16. Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus, & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratiâ,

℣. 17. Exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere, & ſermone bono.

COMMENTARIUS.

Apoſtolos, ſed multa verbo tenus tradidiſſe; utraque tamen ſunt fidei noſtræ capita, ſive ſcripturis ſive traditione contineantur. Igitur Eccleſiæ traditio fidem omnem ex nobis merito exigit. Traditio eſt; ne ultra quæras. Ita Chryſoſtomus, cui aſſentiuntur Patres vetuſtiſſimi (h), quorum doctrinam inſtauravit Synodus Tridentina (i), ubi decernit, Eccleſiæ Catholicæ veritatem ac diſciplinam contineri tum ſacris Libris, tum traditionibus, quæ ex Chriſto & Apoſtolis manavere, ſervatæque ſunt, & ad nos usque jugi ſucceſſione manarunt.

℣. 16. Ipse autem Dominus Jesus, qui dilexit nos; luculentiſſima & certiſſima benevolentiæ argumenta nobis exhibuit, cùm nos ad Fidem vocaverit, atque ex eorum numero, qui in errore pereunt, ſegregavit (k). *Dedit conſolationem æternam*, criminum veniam impertitus per fidem ac baptismum, nosque complens firmâ ſpe fruendæ in Cœlo beatitudinis, Regnum pollicitus, ac promiſſorum pignora præbens per Spiritum Sanctum imis hominum mentibus inſidentem (l), perque gratiam nobis infuſam, *ſpem bonam in gratiâ*.

℣. 17. Exhortetur corda vestra, conſoletur, Græca vox (m), quæ *exhortari* ſonat, uſurpatur etiam pro *conſolari*, ac poſteriorem hanc ſignificationem hic poſtulare videtur: at Chryſoſtomus (n) & Theophylactus admittunt utramque, hortari, confirmare, conſolari. Bonorum operum exercitatione, piisque ſermonibus vos conſoletur; verorum quippe Fidelium ſolatium in bene geſtis conſiſtit. Sive, in bono & veritate vos confirmet; etenim præter peculiarem Dei opem in neutro perſeveraturi eſtis, animo cadetis, in peccatum erroremque ultro deferemini.

CAPUT III.

Theſſalonicenſium preces pro ſe poſtulat; præcepta iis tradit de manuum labore; cujus exemplum ipse præſens præbuerat. Monet ut otioſos fugiant; at ſimul loco fratrum habeant. Salutatio ipſius manu.

℣. 1. De cætero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos:

℣. 2. Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.

COMMENTARIUS.

℣. 1. De cætero, orate pro nobis. Fideles rogat Apoſtolus, ut Divinam opem ſibi impetrent; quibus verbis & abſolutiſſimam ſimul humilitatem oſtendit, & docet, quantopere alter alterius orationibus indigeamus. Interdum precibus fratrum & progreſſum & perſeverantiam in bono debemus. Optat hic, ut juvantibus Theſſalonicenſium precibus *ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud ipſos*: illum infideles tam docili animo excipiant, ac ſtudio tam acri exerceant, quàm Theſſalonicenſes.

℣. 2. Ut liberemur ab importunis et malis hominibus. Per id tempus Corinthi verſabatur Apoſtolus; pugnandumque illi erat cum Judæis incredulis, Gentilibus, falſisque fratribus. Docet ipſe, multa ſibi ferenda fuiſſe apud Corinthios (a). Judæi, ad quos aliquandiu verba fecit, flagitioſis orationibus repugnabant (b), ita ut coactus fuerit illos deſerere, excuſſo in illos veſtium pulvere, ac teſtari: *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum*; ac deinceps curam omnem ad Gentilium inſtitutionem convertit: quamobrem adverſariorum furor in illum magis exarſit. Tot inter labores invictâ animi ſui conſtantiâ illi opus fuit, illique aliquando ſpectandum noctu ſeſe præbuit Chriſtus, illum recreans (c), hortatusque ut animo confirmaretur, conſtanterque maneret Corinthi, cùm multus ſibi populus in eâ urbe ſelectus eſſet.

Non omnium est Fides. Non omnibus datum eſt, ut fideles ſint, Fidemque amplectantur. Donum Dei eſt, cui libuerit traditum (d). Ubique fidei impedimenta, veritatis hoſtes, homines Divinæ vocationi & Evangelicæ prædicationi repugnantes inveniuntur. Vos igitur ne moveant ea quæ patimur; Deoque gratias agite, qui vos ad fidem vocavit, animumque vobis docilem atque intelligentiæ plenum largitus eſt.

℣. 3. Fi-

(h) *Iren. l. 3 contra hæreſ. c. 3, 4; Tertull. de coronâ mil. c. 3; Baſil. ad Amphiloch. de Spiritu Sancto, c. 29; Epiphan. hæreſi 61; Aug. Ep. olim 118, nunc 54, ad Januar.*
(i) *Concil. Trident. ſeſſ. 4, c. 1.* (k) *Rom. v, 8, 9; viii, 37; Epheſ. ii, 4.* (l) *Epheſ. i, 13, 14.*
(m) Παρακαλέσαι τὰς καρδίας ὑμῶν. (n) *Chryſoſt. Theophyl. hic.*
(a) *1 Cor. ii, 3; & 1 Theſſal. iii, 7.*
(b) *Act. xviii, 5, 6.* (c) *Act. xviii, 9, 10.*
(d) *Epheſ. ii, 8; Philipp. i, 29; Joan. x, 26; 2 Theſſal. iii, 13. Vide Eſt. Men. Tir.*

Digitized by Google

℣. 3. Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo.

℣. 4. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.

℣. 5. Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientiâ Chriſti.

℣. 6. Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Dñi noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem, quam acceperunt a nobis.

℣. 7. Ipſi enim ſcitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Fidelis Dominus, qui confirmabit vos in fide ac virtute. Id certiſſimè ex Dei miſericordiâ præſtolor, ejusque promiſſionibus fretus futurum confido, ut inchoatum in vobis ſalutis opus ipse non relinquat infectum *(e)*. Deus nunquam eos deſerit primus, quos per gratiam juſtos effecit *(f)*.

Custodiat a malo *(g)*, a Diaboli inſidiis, conatibusque nequiſſimorum, qui Dæmonis inſtrumenta ſunt & emiſſarii.

℣. 4. Confidimus autem de vobis, vos cum Dei ope, nomine & gratiâ, facere & facturos ea quæ præcipimus. De fide veſtrâ non queror, ſed majorem in dies ac ſtudioſiorem futuram ſpero. Liquebit ex conſequentibus, vitia quædam in eam Eccleſiam irrepſiſſe, inertiam præſertim, & mala cætera illam conſequentia.

℣. 5. Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei et patientia Christi; ad amorem Dei & Chriſti patientiam impellat, Ita ſonat Græcus *(h)*. Animos veſtros charitate ſui cumulet Deus, vobisque impertiatur, ut ærumnas veſtras perferatis eâ patientiâ, qua Chriſtus ignominiam mortemque veſtri gratiâ pertulit. Sive: conſtantem vobis largiatur ſpem, cum promiſſorum præmiorumque expectatione *(i)*, Patientiam cum charitate conjungit; altera enim alteram probat. Patres Græci *(k)* hoc loco tres Divinæ Triadis Perſonas vident. *Dominus*, Spiritus ſanctus dirigat corda impellatque ad amorem *Dei* Patris, & ad patientiam *Chriſti*; cujus*que* hac ſententiâ, ut Filii Divinitatem aſſeſani.

℣. 6. Denuntiamus vobis in nomine Domini. Authoritate hîc utitur Paulus, imperatque Theſſalonicenſibus, *ut ſubtrahant ſe ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundùm traditionem quam acceperunt ab ipſo*. Vitia iſthæc, quæ tam acriter damnat, flagitia non ſunt majora, & pudicitiæ, juſtitiæ, honori Eccleſiæ contraria, aut pravum exemplum inducentia, qualia paſſim nunc apud Chriſtianos ſpectantur; ſed ea quæ minoris momenti, magisque labes imperfecti hominis quàm peccata, exiſtimantur; ut puta inertia, curioſitas, otium; aliena ſcrutari, quietem non ſervare, labore & ſilentio non occupari. Hæc nimirum vitia ſunt, quæ anathemate quodam ab Apoſtolo feriuntur: *Ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè*. Nullum certè luculentius eſt ſanctitatis primævæ argumentum, quàm iſthæc Apoſtoli ſeveritas.

Chryſoſtomo *(l)*, Auguſtino *(m)*, Theophylacto *(n)* ſeceſſio iſta loco excommunicationis uſurpatur. Eam tamen Chryſoſtomus *(o)* in eo tantùm conſtituit, ut qui talis eſſet, communi cum cæteris conſuetudine non uteretur, ſtipem ab iis in ſilentio acciperet, nullâ verborum communione, niſi redargutionis gratiâ atque ad meliorem frugem exhortationis. Animadvertit Theophylactus, iſtud ſeceſſionis genus olim pro graviſſimo ſupplicio inter Chriſtianos habitum; at, ſubdit, noſtrâ ætate exolevit.

Monaſticarum Legum Inſtitutores eam ſemper in Monaſteriis ſervavere; ac diſertè S. Benedictus duplicem diſtinguit excommunicationem; majorem, qua quis Satanæ traditur, ac fratrum auxilio precibusque privatur *(p)*; minorem, qua quis a communi menſâ vel fratrum conſuetudine removebatur *(q)*, Meminit minoris hujus excommunicationis S. Hieronymus *(r)*, ubi de S. Paulâ ſcribit: *Quam ſororem garrulam ac procacem, rixisque perſpexerat delectari, & ſæpiùs commonitam nolle converti, inter ultimas & extra conventum ſororum ad fores triclinii orare faciebat, & ſeparatim cibum ſumere*. Eadem porrò hæc vitia ſunt, quorum cauſâ præcipiebat Apoſtolus, ut fratrum male moratorum conſuetudo vitaretur.

Et non juxta traditionem quam acceperunt a nobis, Paulus & verbis & exemplo docuerat *(s)*, colendam eſſe in Fidelium ſocietate quietem, in ſilentio vacandum labori, vitandamque de rebus alienis curioſitatem. Hoc tradiderat Paulus Theſſalonicenſibus, idque nunquam non amavit Eccleſia, tametſi pœnæ in tranſgreſſores indictæ exoleverunt.

℣. 7. Quemadmodum oporteat imitari nos; quo-

(e) 1 *Cor.* I, 8, 9; 1 *Theſſ.* v, 24. *Theophyl. hic*: Πιστὸς ὤν ἐστιν, τελέσειν ἀληθῶς, καὶ πάντως ποιήσει ὃ ἐνήρξατο. (f) *Concil. Trident. ſeſſ.* 6, *cap.* 11. (g) Ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. (h) Ὁ δὲ Κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ. (i) *Theophyl.* Τὸ δὲ, εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ ἢ οὕτω νοῆσαι, ἵνα ὑπομένωμεν ὡς ἐκεῖνος ὑπέμεινεν, ἢ ἵνα μεθ' ὑπομονῆς ἀναμένωμεν τὸν Χριστὸν, &c. (k) *Theodoret. Baſil. apud Theophyl. hic*. Confer 2 *Cor.* III, 17: *Dominus autem ſpiritus eſt*. (l) *Chryſoſt. hic*. Στέλλεσθε ἀπ' αὐτοῦ, τουτέστι, μὴ μεταδίδωτε αὐτῷ παῤῥησίας, ἐνδείκνυσθε ὅτι ὀργίζεσθε. (m) *Aug. lib. contra Epiſt. Parmen.* c. 2; *& contra Donatiſtas poſt collationem*, c. 4; *& lib. de fide, & operib.* c. 2. (n) *Theophylact. hic*: Μεγάλη γὰρ κόλασις, ὁ ἀφορισμὸς ἐδόκει πάλαι, ἀλλ' οὐχὶ νῦν. Εἰ γὰρ τοῦ πλησίον ἀργοῦντος χωρίζεσθαι δεῖ, πόσῳ μᾶλλον τῶν ἄλλων;
(o) *Chryſoſt. ad* ℣. 13, *&* 14: Δείκνυσι ὅτι μεγάλην ὡρίσε κατ' αὐτοῦ τιμωρίαν, τοῦ νῦν παῤῥησίας αὐτὸν ἀποστερεῖσθαι. (p) *S. Bened. Reg.* c. 24, *&* 26. (q) *Idem, Regul.* c. 25. *Vide Haeften. Diſquiſ. monaſtic. l.* 8, *tract.* 4. *diſquiſ.* 1, *&* 2. (r) *Hieronym. in Epitaph. Paulæ*.
(s) *Theodoret. Theophyl.* Κατὰ τὴν παράδοσιν . . . . ἣ δι' ἔργων ὑμῖν παρέδωκα, τύπος γενόμενος ὑμῖν. Κυρία δὲ ἦν τοιαύτη παράδοσις.

℣. 8. Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrûm gravaremus.

℣. 9. Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

℣. 10. Nam & cùm eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet.

℣. 11. Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquietè, nihil operantes, ſed curioſè agentes.

℣. 12. Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto: ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.

℣. 13. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.

COMMENTARIUS.

QUONIAM NON INQUIETI FUIMUS, turbidi, negotioſi. Græcus (t): *Non inordinate fuimus*; eo ſcilicet ſenſu, quem ſuperiori membro diximus, otioſi, inertes, omnium curioſi, alienarum rerum ſcrutatores, &c. Juſſit Deus hominem labori operam dare; ubi is otium ſectatur, extra ordinem eſt. Humanæ inconſtantiæ ac levitatis remedium eſt labor. Qui otium ſectatur, ordinem turbat, & in peccata inde parta delabitur.

℣. 8. NEQUE GRATIS PANEM MANDUCAVIMUS. Quamquam neceſſariam alimoniæ opem ex vobis exigere jure noſtro poteramus, noſtraque negotia nos a labore manuum abſolvebant, tamen ut necui graves eſſemus, vobiſque laborandi exemplum præberemus, vitandarum causâ tentationum ac Dæmonis inſidiarum, manuum labori operam dedimus, & quidem *in labore & fatigatione*, nedum vacuis horis, verùm etiam *nocte & die*, non vitandi dumtaxat otii gratiâ, ſed tolerandæ etiam vitæ, necui moleſtiam pareremus (u). Hæc verba, tum & ſuperiora duo membra (x) innuunt, tenuem fuiſſe Theſſalonicenſium Chriſtianorum fortunam.

℣. 9. NON QUASI NON HABUERIMUS POTESTATEM exigendi alimoniam, & negotiorum causâ labore manuum vacare non liceret. Nonne Chriſtus ipſe dixit (y), *dignum eſſe operarium mercede ſuâ*, & unumquemque ex artis ſuæ commodis vivere oportere? *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam* (z)? At voluimus ipſi ſeriæ & laborioſæ vitæ a vobis gerendæ exemplum in nobis exhibere. Si igitur ego, qui hac lege non tenebar, malui operam dare labori, ut vobis exemplo eſſem, quid præſtandum eſt vobis, quibus laborem imperavit Deus & neceſſitate conditionis & Lege (a).

℣. 10. SIQUIS NON VULT OPERARI, NEC MANDUCET. Vulgare Hebræis proverbium (b); totidem ferè verbis apud profanos quoque (c). Nulla non gens inertiam odit. Neceſſaria paupertas idcirco turpis eſt, quia pauper inopiam inertiæ ſuæ debere exiſtimatur. Inter Veteres poſtulabantur ac damnabantur inertiæ, qui laborem fugerent (d). Cæterùm cùm præcipit Paulus, *Siquis non vult operari, nec manducet*; illud ſolummodo vult, eum indignum eſſe qui manducet, aut ſtipem accipiat; non prohibet quin illi opem feras (e), aut charitatem erga illum exerceas, ut ait infra, ℣. 13.

℣. 11. AUDIVIMUS INTER VOS QUOSDAM AMBULARE INQUIETE (f), inquietos eſſe, inertes, de quibus ſupra, incompoſitos, otioſos, qui ſua negligunt, quærunt aliena; curioſos, leves, rumorum amatores, litigioſos, inquietos, ſeditioſos; qui turpi aſſentatione ſtudent locupletiores ſalutare, ac panem vel pecuniam ab illis quærere.

℣. 12. DENUNTIAMUS ET OBSECRAMUS IN DOMINO. Lenitatem ſeveritati miſcet; rogat imperatque; Apoſtolum agit & patrem. Præcipit, *ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent*: manuum labore victitent; qui enim ſtipem quærunt, alieno pane veſcuntur, non ſuo (g). Oportet igitur ſtipem denegare iis, qui, cùm poſſint, laborare detrectant, ait Theophylactus (h); collatâ enim his ope, alitur illorum inertia.

℣. 13. VOS AUTEM NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES. Ne, dum malos hoſce inopes, quibuſcum communicare vos veto, fugitis, veros pauperes rejiciatis. Ne hos quidem ſubſidio indignos deſtituite: duplicem erga illos miſericordiam exercete; ac dum ſupercilio damnatis illorum inertiam, atque uti fratres arguitis (i), manum porrigite in illorum ſubſidium. Aliter evenire poteſt, ut veros pauperes, miſericordiâ dignos, ope fraudemus.

(t) Οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν. *Theophyl.* Τουτέστι, οὐκ ἠργήσαμεν. Ἀταξίαν γὰρ τὴν ἀργίαν ὀνομάζει . . . ὁ γὰρ Θεὸς ἔταξε τὸν ἄνθρωπον ἐργάζεσθαι . . . . ὥστε ὁ ἀργῶν ἐκλείποι τὴν τάξιν.
(u) Vide 1 *Theſſal* II, 7, 9; 1 Cor. IV, 12; *Act.* XX, 34.
(x) *Theophylact. hic.* (y) *Matt.* X, 10. (z) 1 Cor. IX, 6. (a) *Geneſ.* III, 17, 18, 19.
(b) *In Bereſchit Raba, & in Obel-moëd, & in lib. Zeror. Vide Grot. Cartwigt. Druſ.*
(c) *Homer. Odyſſ.* T . . . Οὐ γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι οὔκεν ἐμῆς γε
Χοίνικος ἅπτηται.
Pythagor. Ἐπὶ χοίνικος μὴ καθῆσθαι, *Super chœnice non ſedendum*, ſcilicet, Euſthathio exponente, ſectandus non eſt per inertiam cibus: Μὴ τρέφεσθαι ἀργόν. Vide Grot.
(d) *Ælian. l. 4, c. 1; & Herodot. l. 2; & Diodor. l. 1, de Ægyptiis; Diogen. Laërt. l. 2, in Solone, de Atheniensibus; Leges Romana, Cod. l. unicâ, de mendicantibus validis.*
(e) *Theodoret.* Τὸ δὲ, μὴ ἐσθιέτω, οὐ πρὸς τοὺς παρέχοντας εἴρηκεν, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀργίᾳ συζῶντας. Τοῖς γὰρ παρέχουσι παραινεῖ μετ' ὀλίγα, μὴ εἰς τὴν ἐκείνων ἀφορᾶν μοχθηρίαν, ἀλλὰ τῇ οἰκείᾳ φιλοτιμίᾳ κεχρῆσθαι. (f) *Græc.* Ἀκούομεν γάρ τινας περιπατοῦντας ἐν ὑμῖν ἀτάκτως.
(g) *Chryſoſt.* Τὸν ἑαυτῶν ἄρτον. Τουτέστιν, τὸν ἐκ δικαίων πόνων, ἀλλὰ μὴ τὸν ἀλλότριον, τὸν ἀπὸ τοῦ προσαιτεῖν ἐκπορίζόμενον. (h) *Theophyl. ad* ℣. 12: Οὐ γὰρ ἐλεεῖσθαι δεῖ τὸν δυνάμενον, καὶ ἀργοῦντα. (i) *Vide Chryſoſt. & Theophyl. hic.*

℣. 14. Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur:

℣. 15. Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.

℣. 16. Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis.

℣. 17. Salutatio, meâ manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtolâ, ita ſcribo.

℣. 18. Gratia Dñi noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

ſrandetis. Præſtat indigno largiri, quàm dignum rejicere. Frequenter accidit, ut dum curioſiùs ſeligis, bene faciendi opportunitatem amittas.

℣. 14. Siquis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notata; ſive, hunc per Epiſtolam mihi ſignificate *(k)*; ut videam, quid agendum ſit ut is corrigatur. Prior tamen diſtinctio communiùs probatur. *Hunc notate*, notâ inurite, vitate, utì ſupra dixi; a vobis anathemate quodam removete *(l)*; *ne commiſceamini cum illo*, nulla vobis eſto illius conſuetudo, *ut confundatur*, ut probrum ſentiat, eoque ad meliora revocetur: hoc enim vult Eccleſia, cùm aliquem cenſurâ pœniſque Eccleſiaſticis notat; neque enim peccatoris exitium quærit, ſed emendationem.

℣. 15. Nolite quasi inimicum existimare. Frater eſt: infirmitatis illius vos miſereat. Corporis ejuſdem membrum eſt, ſed ægrotum; languentis miſeremini *(m)*. Quo gravior eſt morbus, eo major eſſe debet ejus ſanandi ſolicitudo. Major excommunicatio, hominem ab Eccleſiæ communione removens, illum nobis ceu ethnicum & Publicanum facit *(n)*, indignumque ſalutatione *(o)*. At hîc de majori excommunicatione non agitur; atque in eâdem iſtâ fas eſt excommunicatos ad pœnitentiam & debitam Eccleſiæ obedientiam hortari *(p)*.

℣. 16. Det vobis pacem sempiternam in omni loco. Pro *in omni loco*, Græca quædam Exemplaria legunt *(q)*: *Omni modo*. Vetuſtiſſimi tamen Codices Vulgatam defendunt; atque ita legiſſe Chryſoſtomum, probabile eſt. Pacem ubique, omnibus in rebus locisque, vobis largiatur Deus.

℣. 17. Salutatio, mea manu Pauli. Hoc & conſequens membrum Paulus ipſe exaravit; cætera Silas vel Timotheus deſcripſiſſe videntur: at nequis falleretur, & nequa Epiſtola ſub Pauli nomine confingeretur, ſuum Apoſtolus ſignum appoſuit *(r)*, monetque, ita ſe in Epiſtolis omnibus ſolere, & claudere his verbis Epiſtolam: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* Animadverti potuit ſupra, II, 2, inutilem non fuiſſe Pauli cautionem, nec defuiſſe impoſtores, qui ipſius nomine abuterentur, ut incautos fallerent, Pauli orationibus falſo recitatis, oſtenſiſque Epiſtolis tamquam ab illo datis. Creditur Paulus uſus eſſe annulo, ſeu notâ, vel elementorum nominis ſui nexu, quem nemo facilè imitaretur *(s)*.

℣. 18. Gratia Domini, &c. Hanc ſententiam Paulus in calce Epiſtolarum adjiciebat *(t)*, quamquam non iiſdem ſemper verbis. *Amen* forraſſe additum eſt ab Eccleſiis ſive Librariis, ut Epiſtolæ lectionem ſive ſcriptionem clauderent.

Græca Exemplaria in fine habent, Epiſtolam hanc Athenis datam. Cophtica miſſam dicit *per Silvanum & Timotheum*; Syriaca, *Laodiceâ Piſidiæ per Tychicum*. Author Synopſeos S. Athanaſio adſcriptæ, Oecumenius, & ſcripti quidam Codices Corintho miſſam aſſerunt, utì primam ad Theſſalonicenſes. Vetuſti quidam Libri Epiſtolam ad Hebræos huic ſtatim ſubtexunt.

IN

(k) *Vide Grot. Eſt.* (l) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eraſm. Piſc. alii.*
(m) *Theodoret.* Μελῶν γὰρ νενοσηκότων ἐπιχειρεῖ τ.ξιν. Τοῖς δὲ τοιούτοις τὴν πρόσφορον θεραπείαν προσφέρειν εἰώθαμεν. (n) *Matt.* XVIII, 17. (o) *2 Joan.* ℣. 10. (p) *Cajet. Eſt.*
(q) Διὰ παντὸς ἐν παντὶ τρόπῳ. *Alii:* Ἐν παντὶ τόπῳ. *Ita Clarom. G. L. Germ. Verbel. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Borner. G. L.* (r) *Vide 1 Cor.* XVI, 21; *Coloſſ.* IV, 18. (s) *Grot. Eſt.*
(t) *Anſelm. Eſt. Menoch. Bez. Piſc.*

Finis Commentarii in ſecundam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

IN PRIMAM EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM

PROLEGOMENON.

Timotheum, Lyſtris Lycaoniæ, ut credimus, natum (a), Origenes idcircò Pauli conſanguineum fuiſſe duxit [b], quòd Apoſtolus ad Romanos ſcripſerit [c]: *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei*. Ob matrem Judæam Eunicen fortè ei fuerat propinquitate conjunctus: allatus verò Epiſtolæ ad Romanos locus utriusque cognationem perſpicuè non probat. Ut ut fuerit, Timotheus vel a teneris annis Sacrarum Literarum ſtudio addictus fuerat [d], & Eccleſiæ nomen jam dederat, priusquam Paulus Lyſtras perveniret (e). Hunc Apoſtolus, Fratrum omnium teſtimonio commendatum, ſuorum itinerum ſocium aſſumpſit, cum vero, quòd patre latus eſſet Gentili, circumciſione careret, ne Judæos offenderet, eumdem Lyſtris circumciſione initiavit [f].

Timotheum prophetiæ atque peculiari Spiritûs Sancti juſſu ad Epiſcopi munus accitum [g] ipſemet Paulus initiavit (h). Quo id tempore contigerit, ignoramus; illud verò ſcimus, eum, poſtquam Apoſtolo adhæſerat, ab eo nunquam, niſi ipſo mandante, diſceſſiſſe; & unà cum ipſo, veluti filium cum patre, in Evangelii prædicatione quamplurimùm laboraſſe (i). Unà utroque in Macedoniam profecto, Paulus Berœâ egredi coactus, Athenas contendit, & Silam ac Timotheum Fidelibus confirmandis Berœæ reliquit. Cùm verò Paulus Athenis degeret, eò ſtatim Timotheum accitum, ut Fidelibus perſecutione vexatis præſto eſſet, Theſſalonicam miſit [k]; unde is iterum paulò poſt Corinthum ad Apoſtolum regreſſus eſt (l).

Ab Apoſtolo Corintho Jeroſolymam, & Jeroſolymâ Epheſum profecto, Timotheum nunquam divulſum credimus; a quo deinde unà cum Eraſto in Macedoniam & in Achajam miſſus, ut eleemoſynas in Fideles Jeroſolymitanos erogandas congereret, aliquandiu poſt Epheſum rediit; unde iterum diſcedens, unà cum Apoſtolo in Macedoniam & Corinthum vênit; Paulus verò inde in Aſiam regreſſus, Jeroſolymam iter inſtituit.

An Timotheus hoc in itinere Apoſtolo ſemper comes hæſerit, ignoramus: ex eodem tamen Paulo Romæ tunc unà verſatum ſcimus, dum ille carcere detentus ad Philemonem, Philippenſes, & Coloſſenſes Epiſtolas dedit, quarum initia utriusque, Pauli videlicet & Timothei, nomen præſeferunt.

Timotheus in carcerem conjectus fuerat paulò antequam Paulus, ſub Nerone Romam primò profectus, vinculis ſolveretur. Anno Chriſti LXIV Hebræi Timotheum carcere dimiſſum, & ſi celeriùs regrederetur, cum eodem Apoſtolo ad ſe venturum, ex ipſo Paulo per epiſtolam acceperunt (m). Ubi tunc degeret, incertum, niſi fortè Philippis Macedoniæ verſabatur, quò Timotheum aliquanto antea ſe miſſurum Paulus ſpoponderat (n). Ubi verò Româ Epheſum reverſus eſt Apoſtolus, Timotheum ei gerendæ Eccleſiæ reliquit; ad quem hanc, de qua modò, Epiſtolam miſit, ejusque curæ plurima commendavit [o].

Epheſo in Macedoniam anno Chriſti LXIV Paulus profectus, inde, ut credimus, hanc Epiſtolam dedit, qua Timotheum monet, ut providè Pseudo Apoſtolis occurrat, qui novæ doctrinæ ſemina Epheſi & in Aſiâ jacientes, ſcientiamque & perſpicaciam oſtentantes, a Fide defecerant, & per Eccleſias errores & hæreſes vulgabant. Porrò de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis initiandis, de Viduarum curâ & delectu, de peccatoribus publicè redarguendis, de Presbyteris judicandis [p], de cœtibus dirigendis, de vitâ denique ab omnibus inſtituendâ monita impertit. Agit præterea de moribus, qui Epiſcopos, Diaconos, & Viduas fideles decent (q); & veluti coloribus exprimit ejus ætatis hæreticos (Gnoſticos putamus, & Simonis Magi Diſcipulos) qui de pietate mercimonium facientes, flagitia quælibet ſpecie Religionis obducerent (r).

(a) *Vide Act.* xvi, 1, 2. *Chryſ. in Rom. hom.* 10, & *in* 2 *Timoth. hom.* 8; & *Theodoret. in Rom.* xvi, 21; Tillemont, not. 1 ſur S. Timoth.
(b) *Origen. in Rom. p.* 632.
(c) *Rom.* xvi, 21.
(d) 2 *Timoth.* iii, 15.
(e) *Act.* xvi, 12 *ecce Diſcipulus quidam nomine Timotheus; huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant & Iconio Fratres.*
(f) *Act.* xvi, 3.
(g) 1 *Timoth.* iv, 14.
(h) 2 *Timoth.* i, 6.
(i) *Philipp.* ii, 22.
(k) 1 *Theſſal.* iii, 1, 2, 3.
(l) *Act.* xviii, 5.
(m) *Hebr.* xiii, 23.
(n) *Philipp.* ii, 19, 23.
(o) 1 *Timoth.* i, 3.
(p) 1 *Timoth.* v, 19.
(q) 1 *Timoth.* iii, & v, 9, 10.
(r) 1 *Timoth.* iv, 1, &c. & vi, 3, 4, 20, 21.

Hinc Patrum teſtimonio factum eſt, ut Marcionitæ (*s*), Encratitæ [*t*], & Gnoſtici (*u*) hanc Epiſtolam rejicerent.

Quòd Timotheus, ſolâ aquâ contentus, ſtomacho nimiùm nocuiſſet, ut modico vini hauſtu ſibi medeatur, Paulus ſuadet (*x*); eique etiam ſe Epheſum adventurum polllcetur; quod, ubi ſupremo itinere Romam contendit, per Epheſum tranſiens fortè perfecit (*y*). Hortatur denique, ut, cùm is annum XXXV ſeu XL tunc temporis ageret, gravitate & prudentlâ ſibi conſulat, ne ejus juventus contemptui habeatur [*z*]: & de Hymenæo, & Alexandro fabro ærario (*a*), quorum primus reſurrectionem mortuorum jam peractam dictitabat, (*b*), alter verò, de quo in ſecundâ ad Timotheum Epiſtolâ, a probitate defecerat, a ſe excommunicatione inuſtis, illum certiorem facit. Horum uterque Epheſi tunc immorari videntur, ſicut & hæretici pravique Doctores; a quibus ut ſibi caveat, Timotheum monens, maximè commendat, ut a profanis novitatibus & fabulis, quas veluti res ſummi momenti illi oſtentabant, penitùs abhorreat.

Inſcriptiones Græcis Exemplaribus appoſitæ hanc Epiſtolam Laodiceæ, Phrygiæ Pacatianæ Metropoli, ſcrlptam oſtendunt, (*c*): quas utique nihili faciendas ducimus, quòd & recentes nimiùm, & ab Authoribus ſine ullius conſenſu ultrò adſcriptæ fuerint. Ex iis verbis (*d*), *Rogavi te, ut remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent*, Apoſtolus tum cùm ſcriberet, in Macedoniâ conſtitiſſe, & paulò ante a Timotheo diſceſſiſſe, ſatis innui videtur. Ita etiam cenſent Critici peritiores [*e*], Athanaſius [*f*], & Theodoretus [*g*]. Extat in calce Commentarli Theodoreti eadem fermè inſcriptio ac in vulgatis; ſed vir ille doctus vel nunquam legiſſe illam, ipsaque alienâ manu ejus Operi adjecta videtur, vel ſaltem minimi illam habuiſſe, cùm in Præfatione Epiſtolæ ad Romanos hanc in Macedoniâ exaratam perſpicuè præferat; quod præterea etiam conſtat ex inſcriptionibus huic Epiſtolæ appoſitis in quibusdam Græcis Mſs. & aliis excuſis (*b*). Per Tychicum Baronius, Cophtica per Titum miſſam docent: utrumque incertum.

(s) *Tertull. l. 5 contr. Marcion. c. ult.*
(t) *Origen.*
(u) *Clemens Alex. Strom. l. 1.*
(x) 1 *Timoth.* v, 23.
(y) 1 *Timoth.* III, 14; IV, 13.
(z) 1 *Timoth.* IV, 12.
(a) 1 *Timoth.* I, 20.
(b) 2 *Timoth.* II, 17, 18.
(c) Nominis Phrygiæ Pacatianæ nulla niſi poſt Conſtantini Imperium mentio.
(d) 1 *Timoth.* I, 3.
(e) *Grot. Baron. Ligf. Ham. Capell. in appendice Criticor. p. 3919. Tillemont. Gothofred. Mill. Eſt.*
(f) *Athanaſ. in Synopſ.*
(g) *Theodoret. Præfat. in Roman.*
(h) *Edit. Complut. Froben. Mſs. Lin. Laud. 2, Rot. 2, Hunt. 1. Vide Mill. ad calcem hujus Epiſtolæ.*

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN PRIMAM *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

Timotheus Epheſi cum falſis Doctoribus pugnat. Charitas finis Legis. Lex juſtis non eſt. Pauli converſio, Dei gratiæ effectus. Ea peccatoribus ſolatio eſt.

℣. 1. PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundùm imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ:

℣. 2. Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordia, & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℣. 3. Sicut rogavi te, ut remaneres Epheſi cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent,

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS SECUNDUM IMPERIUM DEI. Suam ipſe authoritatem commendat Apoſtolus, utpote graviſſima de regendâ Epheſiorum Eccleſiâ, cui illum præfecerat, Timotheo præcepta daturus. Pauli authoritas laus Timothei eſt, cùm Diſcipulus Magiſtri monita ſequi debeat. Adde quòd, cùm hæc Epiſtola in Fidelium cœtu perlegenda eſſet, oporteoat, Paulum eâ cum dignitate ſcribere, que munos ipſius deceret: denique cùm pſeudo-Apoſtolos, nullâ authoritate & miſſione docentes, arguat, ſtatim Epiſtolæ initio opportunè monet, ſe ſacrum Miniſterium ſponte non invaſiſſe, ſed jubente & vocante Deo.

Deum nuncupat *Salvatorem*, & Chriſtum *ſpem noſtram (a)*: reverâ enim Deus Jeſu Chriſti Pater noſtra ſalus eſt noſterque Servator: nos ipſe ſervavit per Chriſtom, nobiſque ſalutem ac Servatorem largitus eſt. In Veteris Teſtamenti Libris *(b)* ſalus & Servator dicitur; in Novi quoque Fœderis voluminibus *(c)*, quamquam rariùs; quòd Servatoris appellatio in his potiſſimùm Chriſto, qui ſpei noſtræ argumentum eſt, fundamentum, & cauſa tribuatur.

℣. 2. TIMOTHEO DILECTO FILIO IN FIDE. Timotheum Paulus Chriſto genuerat, ut in Præfatione vidimus, paternâque authoritate, benevolentiâ, charitate illum ſemper eſt proſequutus, uti erga Paulum Timotheus pietatem & obedientiam filio dignam coluit. Græcus vulgatus legit *(d)*: *Timotheo germano filio*, vero, qui me ſectatur, amat, colit tamquam patrem, mei ſimilis per omnia eſt. At non deſunt Codices, Vulgatæ lectionem præferentes *(e)*: *Dilecto filio*.

℣. 3. SICUT ROGAVI TE, UT REMANERES EPHESI. Vinculis ſolutus in primo Romano itinere ſub Nerone Apoſtolus *(f)*, in Aſiam reverſus, Epheſo tranſiit, ubi ante decennium fuerat, ac frequentiſſimam Eccleſiam inſtituerat: cùm verò Epheſi pro voto manere non poſſet, ut vitia ibi ſuborta corrigeret, Timotheo manere juſſo, migravit in Macedoniam, unde hanc Epiſtolam dedit

(a) Κατ' ἐπιταγὴν Θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν. *Alii*: Θεοῦ Πατρὸς, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Alii*: Θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, &c. *Vide Mill.*

(b) *Deut.* XXXII, 15; 1 *Reg.* XI, 19; *Pſalm.* XXIII, 5; XXIV, 5; LXIV, 1; *Iſai.* XII, 2; XVII, 10, &c.

(c) *Luc.* I, 47: *In Deo ſalutari meo.* 1 *Timot.* IV, 10; *Tit.* II, 10; III, 4; *Judæ*, 25.

(d) Τιμοθέῳ γνησίῳ τέκνῳ. (e) Τιμοθέῳ ἀγαπητῷ τέκνῳ. *Ita Velez. Copht. Clarom. Lat. Chariſſimo.*

(f) Anno Chr. LXIII.

℣. 4 Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.

℣. 5. Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ.

COMMENTARIUS.

dit anno Chriſti LIV (g). Creditur Timotheus non Epheſi modò Epiſcopus fuiſſe, ſed cæterarum etiam quodammodo Eccleſiarum, quas in Aſiâ Paulus inſtituerat (h); quarum generalis cuſtodia illi credita fuerat, abſente Apoſtolo.

NE ALITER DOCERENT, &c. Peſſimi iſti Doctores e Chriſtianis erant, Judaicorum rituum ſtudioſi (i), authoritatem uſurpantes in Ethnicos ad Chriſtum converſos, majorem illis ſcientiam ſibi arrogantes, eoſque ad Legis religionem, ſaltem ex parte, conantes adigere; abuſi idcirco Veteris Teſtamenti Scripturis, ac tumultu inanique metu animos infirmorum implentes. Hos nunquam non arguit Apoſtolus, ut in omnibus Epiſtolis cernitur.

℣. 4. NEQUE INTENDERENT FABULIS ET GENEALOGIIS INTERMINATIS. *Fabulæ* Apoſtolo ſunt inanes Doctorum Judæorum traditiones, pravæ Legis interpretationes, diſtortæ allegoriæ, quicquid denique Judæi addiderant Legi, repugnante Legiſlatoris mente (k). Qui vel leviter verſavere Judæorum volumina, non ignorant, quàm multa puerilia & anilia iis contineantur. Petrus Apoſtolus (l) negat ſe ſecutum doctas fabulas, cùm Jeſu Chriſti fidem prædicaret.

Genealogias interminatas intelligit eas, quæ in Scripturis leguntur, de quibus inter ſe conciliandis innumera ſunt Interpretum diſſidia: quas quidem, tametſi negligendæ non ſunt, pernicioſum tamen eſt ab indoctis Fidelibus curioſiùs verſari, cùm ex iis fidei & pietati periculum immineat: ſive privatarum inter Judæos familiarum genealogias, quorum hi Davidicum genus, illi Leviticam, alii alterius Tribûs originem jactabant. Ante captivitatem Babylonicam & Tribuum tranſlationem, nullo negotio inveniebatur, quam ad familiam ac Tribum Hebræus quiſque pertineret. At poſt ingentes iſtas rerum converſiones, in quibus pleræque familiarum ſeries periere, ipſæque familiæ ſusdeque miſtæ ſunt, eruditorum & curioſorum ſtudia in eo verſabantur, ut familiarum ordines ſtruerent illuſtrarentque eorum civium commodo, qui illuſtrem originem oſtentabant. Jure autem optimo nominat *genealogias interminatas*; nullus enim hujuſmodi quæſtionum finis eſt, nullaque utilitas (m).

Putat Grotius, hoc nomine ſignificari ab Apoſtolo ea genealogiarum genera, quæ veteres Magi, Platonici, ac deinde Simoniani, Valentiniani, & Gnoſtici comminiſcebantur ſub *Æonum* appellatione, ex quibus *pleroma* ſuum, ſive imaginariam Divinitatem conficiebant. Æones hujuſmodi aliis plures erant, aliis minores. Simon Magus, per ea tempora clarus & famâ & Diſcipulis ubique diffuſis, octo ſaltem admittebat; aliis multo plures placebant (n). Indoctos illi ignotis nominibus attonitos reddebant, ac rude vulgus inani eruditionis pompâ fallebant; quamobrem *Gnoſticorum* ſive eruditorum nomen uſurpabant, quaſi Chriſtianorum doctiſſimi. Harum quæſtionum diſcrimen intellexerat Paulus; cùmque Epheſios eſſe rerum novarum ſtudioſiſſimos noſſet, verebatur, ne nova iſthæc doctrina illorum mentes corrumperet, atque in hæreticorum fraudes induceret.

QUÆ QUÆSTIONES PRÆSTANT MAGIS, QUAM ÆDIFICATIONEM. Quæſtiones de genealogiis, ſive ex Veteris Teſtamenti Libris, quas indocti Fideles conciliare conabantur, ſive privatarum familiarum, quibus illuſtriſſima origo pro viribus vindicatur, ſeu denique, quod veriſimillimum eſt, *ſephiroth* vel ſplendores Cabaliſtarum (o), ſive Valentinianorum & Gnoſticorum *Æones*; quæſtiones ſunt pariendo in hominum mentibus tumultui, curioſitati & errori ſolummodo opportunæ; cùm unuſquiſque pro ſuâ opinione diſputet, multaque pro arbitrio addat aut demat, quippe cùm res ſint, quæ ſolâ hominum fictione, non Dei manifeſtatione ac veritate nituntur. Jubet igitur Paulus ea teneri quæ docet fides, ac tradidit Deus, monetque ne ſua unuſquiſque figmenta ſectetur. Veteres hæretici ac Philoſophi curioſitate, & immodico ſublimium inſolitarumque rerum ſtudio laborabant. Vulgare nimis Evangelium, atque humilior videbatur illis Chriſti doctrina, omniumque ingeniis nimis accommoda: quamobrem ut ſublimem redderent, ſubtiles Philoſophiæ quæſtiones, & cabalæ arcana miſcebant.

Pro iis, *Ædificationem Dei quæ eſt in fide*, Græcus fert (p), *œconomiam*, ſive diſpenſationem *Dei, quæ eſt per fidem*, ſive in fide. Ita legunt præſtantiſſimi Codices, & Græci Patres. At Syrus, S. Irenæus, S. Hilarius, Ambroſiaſter, Hieronymiaſter, Claromontanum exemplar in Latino, Græcæ quædam Editiones Vulgatam tuentur (q). Utraque lectio ſententiam aptiſſimam refert. Hujuſmodi quæſtiones inſtituendis Fidelibus & in fide confirmandis ſunt ineptiſſimæ: evertunt *œconomiam* ſive diſpenſationem myſteriorum, quæ Deus per fidem & in Evangelio manifeſtavit; deſtruunt denique quicquid Chriſtus Jeſus & Apoſtoli tradiderunt (r).

℣. 5. FINIS AUTEM PRÆCEPTI EST CHARITAS DE CORDE PURO, ET CONSCIENTIA BONA, ET FIDE NON FICTA. Illud ſuadere Fidelibus debes; admone, curioſas inutileſque diſputationes, fidei tantùm exitio aptas, ne ſectentur: ſtudioſè cuſtodiant Fidei ex nobis acceptæ depoſitum: vitam in charitate, animi munditie, bonæque conſcientiæ æquitate & ſinceritate tranſigant. Ea porrò Chriſtiani hominis perfectio eſt, humili mente credere, vitamque in charitate & juſtitiâ inſti-

(g) *Vide Theodoret. prolog. in Epiſt. ad Rom. & Athanaſ. in Synopſi.*
(h) *Theodoret. prolog. in hanc Epiſt.* Τούτῳ τῆς Ἀσίας τὴν ἐπιμέλειαν ἐνεχείρισεν ὁ θεσπέσιος Παῦλος.
(i) *Theodoret. Chryſoſt. Theophyl. &c.* (k) *Theodoret. Eſt. Grot. Fullec. Hulſet. alii.* (l) *2 Petri, 1, 16.*
(m) *Chryſoſt.* Ἀπεράντους ἤτοι πέρας οὐδὲν ἐχούσας, ἢ οὐδὲν χρήσιμον, ἢ δυσκατάληπτον ἡμῖν.
(n) Vide *S. Iren. l. 1, c. 1; Tertull. contra Valent. c. 7. 8. 9.* Fleury Hiſt. Eccleſ. tom. 2, l. 3, c. 27.
(o) *Vide* Baſnage tom. 6, l. 9, Chap. 11; *Edit. Pariſ.*
(p) *Græc. impreſſ.* Ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει.
(q) Οἰκοδομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει. *Ita Froben. Ald. Col. Iren. in Græc. Epiphan.* Οἰκοδομὴν. *In Latino: Ædificationem. Ita Hilar. l. x de Trin. alii Latini.*
(r) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Grot. alii.*

℣. 6. A quibus quidam aberrantes, converſi ſunt in vaniloquium,
℣. 7. Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.
℣. 8. Scimus autem, quia bona eſt lex, ſi quis eâ legitimè utatur:
℣. 9. Sciens hoc quia lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis,
℣. 10. Fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur,

COMMENTARIUS.

inſtituere. Non cognitio ſublimis, non eloquentia, non acris ingenii acies quæritur, ſed virtutis exercitatio. Pro inanibus genealogiis, Divinarumque perfectionum coronâ, quam pseudo-Apoſtoli oſtentant, brevem exhibeo virtutum colendarum ſeriem, ſed neceſſariam. Sincera nimirum fides, cum charitate, animi munditie bonâque conſcientiâ conjuncta (s). Hæc tibi ſcientia eſto, hæc Theologia.

℣. 6. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium. Pſeudo-Apoſtoli, de quibus hîc Paulus, neque Fideles erant propriè neque Infideles: Deo quippe credebant, & Chriſtianam Religionem profitebantur (t); at ſimul rituum Legis neceſſitatem docentes, & Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem ſupervacaneis quæſtionibus & genealogiis infinitis miſcentes, Evangelium quodammodo ejurabant. Relictâ fide, charitate, ſinceritate, æquitate, ſimplicitate, quæ veræ ſunt Chriſtiani hominis notæ, *vaniloquium*, inutiles diſputationes quæſtioneſque ſectati ſunt.

℣. 7. Volentes esse legis doctores. Chriſtiani Judaicarum religionum ſtudioſi inter Ethnicos ad Chriſtum converſos Magiſtrorum perſonam ſibi arrogabant; ſibique perſpectiſſima eſſe Legem ac Prophetas gloriabantur; & quaſi ſatis non eſſent Veteris Teſtamenti volumina, genealogias, fabulas aniles, deliria, traditiones, quibus admirationem e vulgo elicerent, adjiciebant. At *non intelligebant neque quæ loquerentur, neque de quibus affirmarent*. Pleræque traditiones, quibus illi tantum vetuſtatis & authoritatis tribuunt, nullâ veritate nituntur; Legis verbis & menti Legiſlatoris repugnant, omnemque illius diſpenſationem evertunt. Simonianorum Genealogiæ, Æones Gnoſticorum, Cabaliſtarum Sephiroth, humanæ mentis inventa ſunt, nominum diſpoſitiones ad arbitrium confictæ, quibus unum eſt fundamentum hominum inſania, arrogantiam & curioſitatem ſequens.

℣. 8. Scimus autem quia bona est Lex, siquis ea legitimè utatur. Ne putes, me aut Legem damnare, aut eos qui ſanctè ac piè Legem ſervant: bona Lex eſt, ex Deo proficiſcitur, ad Deum ducit, hominem Deo gratum efficere poteſt, ſi intelligatur ſerveturque (u): eos arguo, qui peſſimè Legem docent, cumque Legis mentem ac ſenſum non aſſequantur, cæterorum Doctores haberi volunt. Lex ad mores pertinens æternum ſtabit, ejuſque ſervandæ obligatione nemo ullo unquam titulo abſolvetur. Ritualis Lex hactenus uſui fuit, cum Judæos a cæteris gentibus ſecerneret, ab idolorum cultu removeret, Meſſiæ cupidos faceret, ac ſupremum Liberatorem ceu figurâ ſignificaret. Nunc tamen hi ritus antiquati ſunt, eoſque colere, nec ne, in uniuſcujuſque arbitrio poſitum eſt: at nulla eſt obligatio, quidquid Doctores Judaicarum rerum ſtudioſi blaterent. Genuinum illorum uſum ignorant; qui quidem uſus ille eſt, ut homines ad Chriſti Jeſu cognitionem erigant (x).

℣. 9. Lex justo non est posita, sed injustis. Si univerſi homines juſti eſſent, ſupervacanea foret Lex, quæ impiis in officio continendis datur. Ipſe ſibi Lex eſt pius (y). Si Judæi fidem & obedientiam Abrahami ſanctè imitati fuiſſent, nec idola in Ægypto ſectati, ſcriptam Legem illis dare non debuiſſet Deus. Lex lata eſt prævaricationum causâ (z), malorum populi habitudinum coërcendarum, occupandoſumque flagitiorum, in quæ deinceps eſſet ruiturus.

Græcus reddi poteſt (a): *Lex contra juſtum non eſt lata, ſed contra injuſtos*. Juſtos non coërcet Lex, neque his minas & pœnam intentat, ſed impiis. Præter vim, conatum, metum Juſtus obtemperat; libens ſectatur Legem (b); &, ſi nulla ſit ſcripta Lex, nihilo tamen minori ſanctitate & juſtitiâ vitam inſtituat. At quid inde colligit? Fruſtra nimirum induci inter Chriſtianos Moſaicæ Legis obſervationem, cùm minimè ſit neceſſaria; Fideles, ſi Evangelium ſectantur, juſtos eſſe, officii tenaces, ſinceros, caſtos, pios, legitimæ poteſtati morigeros. His igitur ritualium præceptorum jugum imponere noluit Deus, cùm abſque iis Legem morum & Evangelii, optima quæque ac perfectiſſima Moſaicæ Legis capita complectentem, religioſiſſimè ſervent. Aures itaque præbendas non eſſe Doctoribus Judaicos mores ſuadentibus, qui in illud incumbunt, ut homines liberâ filiorum conditione donatos ad ſervorum conditionem redigant (c).

℣. 10. Plagiariis, ſervorum, ſive liberorum furibus (d). Olim quippe conſuetum erat hoc furti genus; ſolebantque furto abduci homines ſeu pueri ingenui, remotiſque in regionibus in ſervitutem venumdari. Maximum furti genus eſt hominem liberum furari, ac libertate privare.

Et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, ſcilicet Evangelio. Caſta & pia complura docebat Philoſophia; at vitia quoque plurima pro-

(s) *Vide Grot. hic.* (t) *Vide Theodoret. Chryſoſt. Eſt.*

(u) *Theodoret.* Οὐ τῷ νόμῳ μέμφομαι, ἀλλὰ τοῖς κακοῖς διδασκάλοις τοῦ νόμου. Οἶδα γὰρ τὸν νόμον ὠφέλιμον τοῖς φυλάττειν προαιρουμένοις τὸν τούτου σκοπόν . . . σκοπὸς δὲ τῷ νόμῳ προσαγαγεῖν ἡμᾶς τῷ δεσπότῃ Χριστῷ. (x) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eſt.*

(y) *Ariſtot. Politic. l. 3. Vide Xenocrat. Philon. Clem. Alex. Propert. alios apud Grot. hic.*

(z) *Galat.* III, 19: *Quid igitur Lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat.*

(a) Εἰδὼς τοῦτο, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, *&c. Contra juſtum non eſt lata. D. Thom. Eraſm. Hotspan. Bez. Eſt.* (b) *D. Aug. plurib. locis. Eſt. D. Thom. Magalian. Caſtal. Senec. alii plures.*

(c) *Galat.* V, 1: *Nolite iterum jugo ſervitutis contineri.* (d) Ἀνδραποδισταῖς.

℣. 11. Quæ eſt ſecundùm Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.

℣. 12. Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio:

℣. 13. Qui priùs blasphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

℣. 14. Superabundavit autem gratia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℣. 15. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quòd Chriſtus Jeſus vênit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.

COMMENTARIUS.

probabat. Lex a Rabbinis explicata diſſimulabat multa, quæ cum ſanctitate pugnarent: at nihil niſi ſanum caſtumque docetur Evangelio & probatur. Nihil unquam ſanctius novere homines, quàm Chriſti dogmata cum ipſius exemplis conjuncta. Pſeudo Apoſtoli, Legis neceſſitatem inaniſque doctrinæ ſubtilitatem tradentes, novo jugo Fideles Epheſios opprimere conabantur. Hos eſſe rejiciendos contendit Apoſtolus, niſi aliam ob rem, ſaltem ob Legis inutilitatem. Quicquid in Lege utile eſſe aut neceſſarium poteſt, Chriſtus complexus eſt Evangelio *(e)*.

℣. 11. Secundum Evangelium gloriæ Dei. Sana doctrina, quam mox dixi, congruit cum Evangelio Chriſti Jeſu, qua Dei gloria toto Orbe quæritur *(f)*, verique cultores ſpiritu & veritate Patri comparantur *(g)*: atque in eo ſita eſt gloria, quam Deo reddere poteſt homo.

℣. 12. Gratias ago ei qui me confortavit. Cùm Evangelii & ſanæ Doctrinæ meminerit, grates Deo agit, quòd ſeſe ille ad veritatis cognitionem munusque Apoſtolicum vocaverit, ac vim præbuerit reſiſtendi hoſtibus veritatis ſuæque gloriæ, & Evangelium inter gentes conſtantiſſimè prædicandi. Hoc ex unius Dei miſericordiâ me tenere fateor, neque abſque illius ope nihil poſſe *(h)*.

Quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio. Fidelem non invênit, antequam gratiæ viribus me occuparet: aliter enim mea in miniſterio fides ex me eſſet, neque grates de eâ reddere deberem *(i)*. Dei miſericordiæ debeo, quòd vocatus fuerim, quòd ſim fidelis, quòd ſuppetant auxilia, quibus talia eſſe perſevero. Ita me ille comparavit, ut aptus ſim explendis iis, quæ ipſe de me totâ ab æternitate conſtituit. Hæc autem animi mei comparatio donum Dei eſt, non ſecus ac cætera: quòdque ipſe me fidelem exiſtimaverit, ubi ſuum mihi miniſterium credidit, hoc illius gratiæ debeo, quæ me talem reddidit *(k)*: *Miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis.*

℣. 13. Qui prius blasphemus fui et persecutor. Convicia in Chriſtum olim vomebam, Eccleſiam inſectabar, Chriſti membris vim inferebam ejus dogmata & prodigia maledictis exagitabam. Nimirum is eram, cum Deus me eduxit e tenebris, ut in admirabile lumen ſuum induceret. Ex hoſtium nequiſſimo ac ſæviſſimo, vas electionis & Apoſtolum fecit. Quàm grato erga ipſum animo me eſſe decet? *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*, cùm tam multa flagitia patrarem. Tametſi graviſſimè peccaverim, veniâ tamen aliquâ dignus fui *(l)*, quòd ignorantiæ tenebris obvolverer. At quæ nunc eſſe poteſt pſeudo-Apoſtolis excuſatio, datâ operâ Eccleſiam turbantibus, repugnantibus progreſſui Evangelii, dum errorum & offenſionis occaſiones ſerunt?

Cenſent alii *(m)*, iſta dicere Apoſtolum, ut peccata ſua verbis non extenuet, ſed exaggeret. ℣. 15, ait, ſe maximum inter peccatores eſſe, olim in infidelitate verſatum, id quod objici in Scripturis ſolet augendæ accuſationis causâ, non minuendæ. Spontaneâ ego infidelitate & ignorantiâ opprimebar, ſanari negligebam, errorem amabam. Ex hoc nimirum barathro me Deus eduxit.

℣. 14. Superabundavit autem gratia Dei. Ea erat, quam dixi, vitæ meæ conditio, freneticis more, qui nedum morbum ſuum non agnoſcit, verùm etiam medico iraſcitur, & remedia omnia inſanus reſpuit. Omnipotenti prorſus medico egebam, ut ſanus fierem. Quamobrem eò uberior fuit in me Dei gratia, quo altiora fuere animæ mei vulnera. Hæc mentem illuſtravit, pectoriſque duritiem fregit, cumulans *fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

℣. 15. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Sententia præter omnem dubitationem veriſſima *(n)*, *fidelis ſermo*, conſtans, certus, ſecuriſſimo animo a te excipienda: *Quòd Chriſtus Jeſus vênit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus*, maximè inſignis, *ego ſum*. Porrò ex his, quæ de erroribus meis, deque præſtitâ mihi a Deo gratiâ, ad fidem & Apoſtolicum munus vocato, dixi, tibi colligendum eſt: Si homini tam impio, qualis ego fui, pepercit Deus, quis jam de ſuâ ſalute deſperet? Nonne docet in Evangelio Chriſtus *(o)*, *miſericordiam malle ſe quàm ſacrificium; ſeſe peccatores, non juſtos vocatum veniſſe (p); ægros medico egere, non bene valentes?*

Cùm Paulus ſeſe *primum inter peccatores nuncupat*, hyperbole uti videtur, quemadmodum & ubi

(e) *Theodoret.* Ἔδειξεν ὡς τὰ ἀναγκαῖα τοῦ νόμου συνῳδὰ τῷ εὐαγγελίῳ, καὶ σύμφωνα, *&c.*

(f) 2 *Cor.* IV, 4, 15; *Epheſ.* I, 6, 12, 14; *Philipp.* I, 11. (g) *Joan.* IV, 24. (h) 2 *Cor.* XV, 10.

(i) *Vide Eſt. hic.* (k) 1 *Cor.* VII, 25. *Confer* 1 *Cor.* XV, 10.

(l) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. alii plerique. Aug. in Pſal.* L; *& lib.* 4 *contra Donatiſt. c.* 52 *Cyprian. Ep. ad Jubajan. Tertull. de Pudicitiâ.* (m) *Heſſel. Magalian. ex ſerm.* 8, 9, 10 *Aug. de verbis Apoſtoli.* (n) Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος. [נאמן] Hebraicè ſonat fidelem, certum, firmum, ſtabilem, perpetuum. Vetus Latinus Interpres legebat: *Humanus ſermo, Ambroſiaſt. Auguſt, alii.* (o) *Matt.* IX, 13. (p) *Marc.* II, 17, *Luc.* V, 31.

℣. 16. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum: ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi, in vitam æternam.

℣. 17. Regi autem ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. 18. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundùm præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,

℣. 19. Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt:

℣. 20. Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.

COMMENTARIUS.

ubi ſe dixit (q) *noviſſimum Apoſtolorum, indignum qui vocetur Apoſtolus, quia perſecutus eſt Eccleſiam Dei*. Nunquam non ſpectabat Apoſtolus priſtinam infidelitatem erroremque, ac de iis ex ſeveriſſimæ juſtitiæ lege ſententiam ferebat (r). Similem unusquisque ſententiam de ſe ferat, ſi Deum ſibi mitem & clementem deſiderat.

℣. 16. UT IN ME PRIMO (s) OSTENDERET CHRISTUS JESUS OMNEM PATIENTIAM; in me ſcilicet vel ante cæteros, vel omnium ſceleſtiſſimo. Noviſſimum fieri Pauli peccatum voluit Deus, ut eò luculentior foret miſericordia erga ipſum exercenda, diſcerentque peccatores nunquam de Dei potentiâ & miſericordiâ diffidere; nec Gentiles, vel remotiſſimi a veritate & pervicaciſſimi, viam converſionis ad Deum ſibi eſſe penitus clauſam exiſtimarent. *Ad informationem eorum*, veluti exemplum factus ſum iis, *qui credituri ſunt illi*. Solatii argumentum omnes in me invenient, quo ad amplectendam pœnitentiam moveantur (t).

℣. 17. REGI SÆCULORUM IMMORTALI, &c. Spectatis Dei erga ſe beneficiis, grati animi pleniſſimus exclamat. *Rex ſæculorum* eſt Rex vel Deus æternus. Cenſuit Hammondus, alludere Apoſtolum ad *Æonas* Gnoſticorum, quorum errores in hac Epiſtolâ videtur exagitare. *Æon* Græcè *ſæculum* ſonat. Deo, ſeu Regi Æonum gloria in ſæcula ſæculorum. At hic nulla de hæreticis mentio. *Rex ſæculorum* vulgaris eſt Judæorum locutio, Deum ſignificans. Pro *immortali* Græcus (u) legit, *incorrupto*; & pro *ſoli Deo*, habet (x) *ſoli Deo ſapienti*. At τὸ *ſapienti* in optimæ notæ Codicibus, & pleriſque vetuſtis Patribus deſideratur.

℣. 18. HOC PRÆCEPTUM COMMENDO TIBI, ut implens fidem vaticiniorum, quæ olim de te lata fuere, omnia ſacræ militiæ munia exequare. Innuit hic Paulus, monente Deo, ac peculiari ratione divinitus imperante, acceptum a ſe inter Diſcipulos Timotheum, & ad Epiſcopi & ſacri Præconis provinciam deſtinatum (y). Cura ut divina de te conſilia expleas; quæ certè non ignoras, cùm ea peculiaribus vaticiniis divinitus diceris. Pugna tamquam ſtrenuus miles in ſpiritalibus caſtris, quibus te Chriſtus addixit: pseudo-Apoſtolos conſtanter aggredere, neque illorum minas aut iram vereare. Apoſtolicorum virorum vitam non rarò Paulus cum ſpiritali militiâ comparat (z).

℣. 19. HABENS FIDEM ET BONAM CONSCIENTIAM. Supra. ℣. 5, dixit, præceptorum Legis finem ac perfectionem eſſe *charitatem*, *ex puro corde* ortam, *bonâque conſcientiâ*, *& fide ſinccrâ*. Eamdem hîc ſententiam paucioribus repetit. Ut perfecta ſit *fides*, charitas accedat neceſſe eſt: *& bona conſcientia* nunquam a mentis munditie ſejungitur. Ita Paulus Timotheo armorum & defenſionis loco dat quidquid abſolutiſſimum & nobiliſſimum habet Religio, fidem, charitatem, juſtitiam, ſinceritatem, bonam conſcientiam. Hæ porrò virtutes Apoſtolorum ſunt, Martyrum, & Jeſu Chriſti militum.

QUAM (bonam conſcientiam) QUIDAM REPELLENTES, CIRCA FIDEM NAUFRAGAVERUNT. Tanti intereſt bonam vitam, juſtitiam, mentis munditiem, bonam conſcientiam a fide ſinceriſſimâ non ſejungere. Hiſce virtutibus ſi careat fides, inanis eſt & mortua (a): *Fides ſine operibus mortua eſt*. Perverſum vitæ genus malaque conſcientia iter ſunt ad hæreſim, ad ſchiſma, ad fidei abdicationem ſeceſſionemque a Chriſto Jeſu & Evangelio (b). Siquem occupat ſuperbia & amor licentiæ, ſtatim hic in errorem labitur; oblatâque opportunitate, *fidei naufragium* faciet. Fides mortua bonisque operibus vacua, ſterilis eſt & penè amiſſa. Eccleſia inſtar navis eſt, alto mari delatæ: qui per hæreſim ſeu ſchiſma e navi egreditur, ſtatim mergitur: *Circa fidem naufragaverunt*.

℣. 20. EX QUIBUS EST HYMENÆUS ET ALEXANDER. Epheſius fortaſſe civis erat Hymenæus, qui primis Pauli ſuaſionibus victas Fidei manus dedit: at deinde lapſus eſt in illorum errorem, qui reſurrectionem futuram negantes, hanc jam peractam aſſerebant (c); quamobrem inania eſſe commenta, quæ de mortuorum reſurrectione futurâque

(q) 1 Cor. xv, 9. (r) Vide Heſſel. Eſt. alios. (s) Ἵν' ἐν ἐμοὶ πρώτῳ ἐνδείξηται. Vox πρῶτος uſurpari poteſt, quaſi dicatur *præcipuus*, *inſignis*; qui primus peccatorum ſum; vel quaſi dicat πρότερον, in me priusquam in cæteris, ut ii qui ſucceſſuri ſunt, de Divinâ miſericordiâ minimè deſperent. (t) *Theophyl.* Πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν .... πρὸς ὑπόδειγμα, παράκλησιν, προτροπήν. (u) Τῷ Βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ. *Alii:* Βασιλεῖ ἀθανάτῳ. *Ita Clarom. Vulg. Æthiop. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt.* (x) Μόνῳ σοφῷ Θεῷ. *Alii omittunt* σοφῷ. *Ita Alex. Clarom. G. L. Copht. Syr. Æth. Tertull. Novatian. Ambroſ. Aug. Chryſ. Cyrill. Theodoret. &c.*

(y) *Chryſoſt.* Προφητείας ἐνταῦθα φησὶ τὰς πολλάς, ἵνα ἐκείνην μεθ' ἧς αὐτὸν ἔλαβεν, ὅτε περιέτεμε, καὶ ὅτε ἐχειροτόνει. *Theodoret.* Οὐ γὰρ ἀνθρωπίνης, φησί, τετύχηκας κλήσεως, ἀλλὰ κατὰ τὴν θείαν ἀποκάλυψιν τὴν χειροτονίαν ἐδέξω. *Ita Eſt. Grot. Men. Tir.*

(z) 1 *Cor.* 12, 7; *Philipp.* II, 25; 2 *Timot.* II, 24; *Philem.* ℣. 1, 2. (a) *Jacobi*, II, 20, 26.

(b) *Theodoret.* Ὑποβάθρα γὰρ πολλάκις ἀσεβείας ὁ διεφθαρμένος γίνεται βίος. *Vide Eſt. Grot. alios.*

(c) 2 *Timot.* II, 17.

râque vitâ dicebantur. Qui fuerit perditi hujus hominis exitus, ignoratur: illud ſolummodo compertum eſt, hunc poſt biennium, anno ſcilicet LXV, quo Paulus alteram ad Timotheum dedit, adhuc in errore verſatum, unâ cum alio Epheſio, nomine Phileto (d). Ceoſet S. Auguſtinus (e), Hymenæi errorem in eo poſitum, quòd aliam eſſe negaret reſurrectiooem præterquàm animæ ex peccato ad gratiam per Fidem & Baptiſmum revocatæ.

Alexander idem ille fuiſſe creditur faber ærarius, de quo Paulus (f) in ſecundâ ad Timotheum, qui gravem adeò illi moleſtiam peperit, cùm is ſecundò Romæ in vinculis verſaretur. Id ſi verum eſt, videtur omnino Alexander Romam profectus poſt primam hanc Pauli Epiſtolam; hac enim innuit Apoſtolus, illum Epheſi fuiſſe, vel ſaltem in Aſiâ, uti & Hymenæum. Sermo eſt in Actis (g) de Alexandro quodam, qui in ſeditione per Demetrium argentarium concitatâ theatrum adiit, populum pro concione alloquuturus. Fieri certè potuit, ut idem hic eſſet Alexander, qui *circa fidem naufragavit* (h). Vide dicta ad *Act.* XIV, 33.

QUOS TRADIDI SATANÆ, &c. Anathemate feriit, excluſi ab Eccleſiæ auxiliis precibusque, & Jeſu Chriſti patrocinio, adeoque tradidi in poteſtatem Dæmonis, ut more carnificis illos invadat, vel perſpicuè diſcruciet. Solebant enim ſub exordia Eccleſiæ ii, qui anathemate perculſi fuerant, a Dæmone perſpicuè occupari, ac morbis opprimi (i). Vide in Actis (k) exemplum Ananiæ & Saphiræ, in primâ ad Corinthios (l) quæ ſcribit Paulus de homine inceſto; quæque idem alibi de iis, qui Chriſti Corpus indignè ſumunt (m). Hymenæi & Alexandri errores Paulus *blaſphemias* nuncupat, latiore ſenſu uſurpato hoc vocabulo, quod propriè contumelioſam de Divinitate orationem tantummodo ſignificat. Quælibet hæreſis quoddam blaſphemiæ genus eſt, cùm Dei verbo & veritatis dogmati repugnet. Vide, inquiunt Chryſoſtomus & Theophylactus (n), quòd humanis ratiocinationibus divina quærere, blaſphemare eſt.

CAPUT II.

Pro omnibus orandum. Deus vult omnes homines ſalutem conſequi. Deus unus, unus Conciliator. Mulier in Eccleſiâ ne doceat. Eva ab angue decepta. Mulieres in connubio ſalutem aſſequuntur, ſi Chriſtianas virtutes colant.

℣. 1. OBſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus:

℣. 2. Pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PRIMUM OMNIUM FIERI OBSECRATIONES, ORATIONES, &c. Diſciplinæ leges Timotheo tradit, in Fidelium cœtibus ſervandas. Præcipit, ut Epiſcopi ſeu Presbyteri, qui collectorum Chriſtianorum cœtibus præſunt, primùm omnium tum communes tum privatas preces porrigant pro ſingulis Reipublicæ ordinibus (a). Imperat *obſecrationes*, quibus rogatur Deus, ut præſentia & futura mala removeat; *orationes*, quibus neceſſaria bona ex Deo impetrantur. *Poſtulationes*, ex Græco, ſignificare videntur queſtus de iis, qui bonos & inſectationibus & injuriis vexant, ſive interceſſiones in aliorum commodum; *actiones gratiarum*, ob accepta beneficia (b). Aliter aliquanto interpretatur Origenes (c). *Obſecrationes*, inquit, bonum quo caremus poſtulant; *orationes* majora bona acriùs flagitant; *poſtulationes* eæ ſunt quæ majori confidentiâ porriguntur: denique *gratiarum actiones* circa accepta beneficia verſantur. Alii tamen cenſent, omnibus hiſce vocabulis eamdem fermè rem ſignificari, eaque ſimul collegiſſe Apoſtolum, ceu ſynonyma, ut ejus rei neceſſitatem & gravitatem exprimeret (d).

PRO OMNIBUS HOMINIBUS; (℣. 2.) PRO REGIBUS. Interdum Judæi, ſiquâ calamitate opprimerentur, Deum rogabant, ut furorem ſuum in eos converteret, qui ipſum ignorarent, ejusque nomen non invocarent (e). Veteres Eccleſiæ Scriptores teſtantur (f), conſuevisse Judæos, ortâ Chriſtianorum Religione, ſingulis diebus ter Chriſtianos in Synagogâ diris devovere. Alia omnia probantur Apoſtolo: jubet quippe, tum in Epheſinâ cùm in cæteris Eccleſiis, ſemper & ante omnia in Eccleſiaſticis cœtibus preces haberi pro quolibet hominum genere, cujusvis gentis & Religionis, & a Deo id poſtulari, quo unusquisque illorum indiget, præſertim verò converſionem infidelibus, cæteris verò divina auxilia ſaluti neceſſaria. Primo loco Reges non enumerat, nequis ipſum aſſentationis causâ id agere ſuſpicetur (g).

℣. 2. UT QUIETAM ET TRANQUILLAM VITAM
AGA

(d) 2 *Timot.* II, 17. (e) *Aug. in Joan. homil.* 19. (f) 2 *Timot.* IV, 14. (g) *Act.* XIX, 33, 34. (h) *Gràt. Eſt.*
(i) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Theodoret.* Τῆς γὰρ ἐκκλησιαστικῆς σώματος χωρισθέντες, καὶ τῆς θείας χάριτος γυμνωθέντες, πικρῶς παρὰ τοῦ δυσμενοῦς ἐδέχοντο μάστιγας, καὶ νόσοις, καὶ παθήμασι χαλεποῖς περιπίπτοντες, καὶ ζημίαις, καὶ συμφοραῖς ἑτέραις. (k) *Act.* V, 4, 5.
(l) 1 *Cor.* V, 3, 5. (m) 1 *Cor.* XI, 30. (n) *Chryſoſt. Theophyl.* Ὅρα δὲ ὅτι τὸ λογισμοῖς ζητεῖν τὰ θεῖα, βλασφημεῖν ἐστι. Ὕβρις γὰρ τοῖς θείοις τὸ ὑπ' ἀνθρωπίνων λογισμῶν δοκεῖν καταλαμβάνεσθαι. (a) *Vide Chryſ. Theophyl. Ambroſiaſt. Proſper. l. 1 de vocat. Gent.*
(b) *Ita Oecumen. Theophyl. & Theodoret.* Δέησις μέν ἐστιν ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινῶν λυπηρῶν ἱκετεία προσφερομένη, προσευχὴ δὲ αἴτησις ἀγαθῶν, ἔντευξις δὲ κατηγορία τῶν ἀδικούντων.
(c) *Origen.* Περὶ εὐχῆς, § 44. (d) *Quidam apud Theophyl. Camerar. &c.*
(e) *Pſal.* LXXVIII, 6; LXXVIII, 23. (f) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* p. 234; *Origen. Græc. in Jerem. homil.* 18; *Hieronym. in Iſai. Epiphan. hæreſ.* 29. (g) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret.*

℣. 3. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo,

℣. 4. Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

℣. 5. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus:

COMMENTARIUS.

AGAMUS. Ex Principum felicitate, ac tranquillitate Reipublicæ plerumque felicitas & pax ſubditorum proficiſcitur (h). Suis in precibus Eccleſia ubique pacem poſtulat, uti bonorum hujus vitæ præſtantiſſimum, & pietati colendæ ac religioni maximè neceſſarium. Scribens Jeremias (i) ad Judæos Babylone captivos, ait: *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro eâ ad Dominum; quia in pace illius erit pax vobis.* Hebræi victimas in Templo mactabant pro Imperatorum incolumitate (k). Veteres Chriſtiani pro Regibus terræ orabant, pro inimicis quoque & perſecutoribus, & iis, quorum fides dubia erat, quive hæreticis favebant (l). *Oramus pro omnibus Imperatoribus*, ajebat Tertullianus (m), *vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt.*

Addit Paulus: *Ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate* (n), morum honeſtate, probitate, gravitate. Pax, copia, fortuna interdum licentiæ & lapsûs occaſionem præbent (o). Pax vobis poſtulanda non eſt, ut molliùs vivatis, ſed ut Religioni & pietati faciliùs vacetis.

℣. 3. HOC ENIM BONUM EST ET ACCEPTUM CORAM SALVATORE NOSTRO DEO. Vidimus ſupra (p) *Salvatoris* appellationem Deo, Patri Domini Jeſu, attributam. Oratio pro univerſis hominibus, ac præſertim pro Principibus ac Magiſtratibus habita in eum finem quem diximus, bona procul dubio & Deo jucunda eſt. Ipſa etiam æquitas poſtulat, ut ſubditi ſtudeant incolumitati Principum, qui ipſorum fortunas curant, & bella idcircò tantùm gerunt, ut populi eorumque opes externorum injuriis & furori non pateant (q).

℣. 4. QUI OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI, ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE. Prima hæc eſto nobis cauſa Deum exorandi pro omnibus, præſertim verò pro Regibus, quia nimirum Deus, qui nullum hominum diſcrimen facit, vult omnes homines ſalutem conſequi: quamobrem ita exiſtimare debemus, unà omnes ad Deum pertinere, errantesque Dominici gregis oves eſſe; ac Deum orare, ut illos quærat reducatque, ac liberam ſacris Præconibus poteſtatem faciat ubique ac securè verba faciendi; id quod ex Imperii tranquillitate, bonâque voluntate Imperatorum magnoperè pendet; tum ut docilem animum, mentemque veritati ſalutis patentem populo impertiatur. Hic finis eſt noſtrarum pro illis precum: illorum ſalutem æternamque felicitatem dumtaxat optamus.

Quæritur, qua ratione velit Deus, homines univerſos ſalutem adipiſci, cùm tam multos perire compertum ſit? Multiplex eſt reſponſio. I, Vult Deus ſalutem aſſequi eos omnes, qui re ipsâ aſſequuntur: nemo enim niſi Deo volente ſervatur; rogandusque eſt Deus, ut omnes ſervatos velit. II, Deus vult omnes ſervare voluntate antecedenti (r): at non omnes conſequenti abſolutâque voluntate; quamplurimis enim auxilia denegat efficacia, quibus certo exitu ad ſalutem ducantur; idque in pœnam peccati originalis, ſive criminum ipſo actu admiſſorum, quæ originali acceſſere. Si æquè abſoluta erga omnes Dei voluntas foret, cui voluntati reſiſtit nihil, nemo prorſus periret; hominis quippe voluntas in Dei poteſtate eſt (s); & voluntas quæque pervicaciſſima viribus Divinæ gratiæ certiſſimè vincitur (t).

S. Auguſtinus (u) inter cæteras hujus loci explicationes, quæ apud Theologos & Interpretes leguntur, hanc etiam recitat: Abſolutâ & efficaci voluntate hominum ſalutem vult Deus, ſcilicet, ut ex unaquaque hominum conditione, ætate, ſexu, loco ſint qui ſalutem aſſequantur. Neminem ille a veritatis cognitione atque aditu Eccleſiæ excludit. *Patet omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quiſquam prohibetur*, ait Arnobius. Cùmque ſalutem omnium velit, facit ut hoc ipſum a ſervis ſuis optetur, porriganturque preces pro converſione incredulorum, & credentium perſeverantiâ (x). Id porrò in causâ eſt, cur hîc imperet Paulus, ut preces pro univerſis hominibus, Regibus præſertim ac Principibus, fiant.

℣. 5. UNUS ENIM DEUS, UNUS ET MEDIATOR. Homines univerſi ad Deum ſpectant; omnium ille ſalutem vult; pro omnibus ipſe exorandus eſt nullo diſcrimine; Chriſtus Jeſus mortem oppetiit ob univerſi hominum generis ſalutem. Hic noſtra pax eſt, Conciliator, Mediator. Per hunc accedamus ad Patris ſolium, eoque conciliante preces illi offeramus, ſi eas excipi cupimus atque exaudiri. *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Unus ipſe per merita ſua homines cum Deo conciliat, donaque & auxilia ad ſalutem neceſſaria illis impetrat. Siqui conciliatores ſunt ex Angelorum vel Beatorum numero, hi minores ſunt primo omnium Conciliatore, nullumque illis per ſe jus eſt ad conciliationem gratiamque impetrandam, quippe quas poſtulare nequeunt niſi per merita unius Media-

(h) *Theod.* Ἐπείδαν γὰρ πρυτανευόντων εἰρήνην μεταλαγχάνωμεν, καὶ ἡμεῖς τῆς γαλήνης, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ εὐσεβείας ἐκπληρῶμεν τοὺς νόμους. (i) *Jerem.* XXIX, 7. *Confer Baruc*, I, 11.
(k) 2 *Eſdr.* VI, 10. *Joſeph. Antiq. l.* 7, *c.* 17; & *l.* 12, *c.* 17.
(l) *Cyrill. Catech.* 10, *Polycarp. ad Philipp.* Εὔχεσθαι τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλείας δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι. *Origen. contra Celſ. l.* 8. 427
(m) *Tertull. Apologet. c.* 30, 39. (n) Ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, καὶ σεμνότητι. (o) *Theophyl.* Τοῦτο προσέθηκε, ἐπειδὴ πολλάκις ἡ ἀπὸ τῶν πολέμων ἠρεμία, τρυφῆς καὶ ὄκνους ὑπόθεσις γίνεται.
(p) 1 *Timot.* I, 1. *Vide & infra*, IV, 10. (q) *Vide Theophyl. ad* ℣. 2 & 3.
(r) *Ita Damaſcen. l.* 2 *de fide orthodoxâ*, *c.* 29; & *D. Thom. l.* 3 *contra Gentes*; & *Summâ*, 1 *parte*, *qu.* 19 *art.* 6. *Vide Eſt. hic.* (s) *Prov.* XXI, 1.
(t) *Aug. l. de Prædeſtin. SS. c.* 8: *Hæc gratia a nullo duro corde reſpuitur; ideò quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur.* (u) *Idem, Enchirid. c.* 103; & *alibi non ſemel.*
(x) *Aug. de correptione, & gratiâ, c.* 15; & *l.* 22 *de civit. c.* 2. *Vide D. Th. & Eſt. hic.*

℣. 6. Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis:

℣. 7. In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus; (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate.

℣. 8 Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine irâ, & diſceptatione.

COMMENTARIUS.

toris neceſſarii (y) *Chriſti Jeſu hominis*; non quòd ipſe merus homo ſit, aut Mediatoris proprietas ad humanam ſolummodo naturam pertineat, ſed quòd uti Deus minimè oret poſtuletque, ſed beneficia largiatur, ac donorum author ſit & gratiæ. Mediator non eſt niſi tamquam homo-Deus, ſive Deus-homo, & Servator (z).

℣. 6. Qui dedit redemptionem semetipsum, Mortem ſponte ſubiit, ut nos redimeret; cùmque Redemptor eſſet, Conciliatoris quoque dignitatem, de qua actum eſt, ſibi comparavit. Quemadmodum unus duntaxat Servator eſt, ita nonniſi unus eſſe Conciliator poteſt; atque uti mortis ſuæ pretio nos redemit Chriſtus, ita & per ſuum ipſius ſanguinem, oblatumque Patri olim ſacrificium, Conciliatoris munus exercet (a). Græca vox (b), quæ vertitur *redemptionem*, propriè ſignificat illud quod fit, cùm unius hominis ſalus alterius exitio redimitur; cùm anima pro animâ, caput pro capite traditur.

Testimonium temporibus suis. Exhibuit Chriſtus teſtimonium juſtitiæ Patris, ac vaticiniorum veritati per ſuam ipſius mortem ac Paſſionem, tempore æternis Dei conſiliis (c), & ſacris Prophetarum voluminibus conſtituto peractam. *Teſtimonium* interpretantur alii prædicationem Evangelii, per quam Chriſtus teſtimonium exhibuit veritati, quam nunciavit ipſe, ſuoque ſanguine conſignavit. Chriſti Paſſio & prædicatio Evangelii juſtitiam & veritatem Patris publicè teſtantur.

Græca quædam Exemplaria (d) pro μαρτύριον, teſtimonium, legunt μυστήριον, myſterium, arcanum. Libri alii (e) ferunt: *Cujus teſtimonium temporibus ſuis datum eſt*, vel *confirmatum*. At Vulgatæ lectionem tuentur Græcus impreſſus, & Latini Codices optimi.

℣. 7. In quo (f) positus sum ego prædicator, &c. Ut Chriſti Jeſu veritati & Paſſioni teſtimonium exhibeam, ut Divinæ miſericordiæ conſilia de omnium hominum ſalute expleam, ut denique gratiæ illius divitias omnibus latiſſimè oſtendam, idcirco miſſus ſum & Apoſtolico munere donatus, non humanâ eruditione, facundiâ, aut induſtriâ fretus, non dolo & mendacio (g), ſed *fide & veritate*. Sive: Gentium Doctor ſum, ut fidem ac veritatem doceam (h).

℣. 8. Volo ergo viros orare in omni loco. Hebræis, ex Moyſis Lege, ac ſanctione Prophetarum, ſacra facere, ſolemnes preces habere, publicum Religionis cultum exercere non licebat niſi uno tantùm in loco, Domini nempe Tabernaculo, ab ipſius erectione uſque ad Templum Salomonicum; & in Templo, a Salomonis ætate uſque ad Templi excidium per Romanos. Chriſtiani Judaicis ritibus addicti Jeroſolymitanum Domini Templum ſummo ſemper obſequio & amore proſequebantur. Hi fortè ſuadere Gentilibus conabantur, converſo ad eum locum corpore orandum illis eſſe, eamque ſacram Ædem habendam eſſe tamquam Religionis ſedem, ex qua Doctorum reſponſa, veraque Legis ac Prophetarum cognitio peterentur.

Hanc opinionem, toti Chriſtianæ Religionis diſpenſationi exitialem, evertit Apoſtolus; ac decernit, ubique orandum eſſe Chriſtianis, exercendaque cultûs ac Religionis ſuæ officia (i), *elevantibus puras manus*, vacuas crimine, iniquitate, injuriâ, animi labe, cum purâ conſcientiâ; *ſine irâ* (k), invidiâ, ſimultate in fratres, *& diſceptatione* (l), litibus, jurgiis, ſecretis odiis (m), vel *ſine metu*, ita ut certo credant, Deum preces exauditurum. Vide *Matth.* xiv, 31; xxi, 22; *Rom.* x, 14. *Jacobi*, i, 6. Innocuâ mente, puro ſinceroque animo, cum charitate, mentis tranquillitate, firmâque de Deo fiduciâ orate. Ita comparatos decet ad preces Deo offerendas accedere. Hæc ſi adſint, nulla non tellus, regio, ſedes ſancta & munda eſt Deo, qui univerſus homines ad ſalutem ducere, & ad veritatis agnitionem cupit. Adeſt jam tempus, quo Pater non Jeroſolymis tantummodo & Samariæ colendus eſt (n), ubique adorabitur ſpiritu & veritate.

Non vetat hîc Apoſtolus Templa & loca orationis conſtrui; neque Eccleſias cœtibus ſacris dedicatas damnat; ſed ſi eas condendi tempus & commoda defuerint, ubique preces fieri & Patrem adorari poſſe docet. Ubique is eſt, ubique audit. Templa & orationis loca in hominum gratiam ſunt. Contumelioſus Deo fueris, ſi corporeo Templo illum claudi credideris. Univerſus orbis Templum eſt Deo. Dei immenſitas Cœlo ſimul terrâque comprehendi nequit (o). Verum Dei Templum eſt animus hominis (p), juſtitiam pietatemque colentis. Manus religioſè lavabant Judæi, antequam orarent; quo ritu ſignificabatur animi mundities & innocentia, quam exigit a Chriſtianis Apoſtolus. Orabant illi manibus

(y) *Vide Eſt. Men. Magalian.*

(z) *Vide Chryſ. Theodoret. Theophyl. Eſt. alios.*

(a) *Vide Hebr.* iv, 14; v, 5; vii, 25; viii, 3; ix, 24.

(b) Ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων.

(c) *Galat.* iv, 4; *Epheſ.* i, 10. *Vide Theodoret.* Μαρτύριον δὲ τὸ πάθος ἐκάλεσε. *Ita & Theophyl. & Chryſoſt. Eſt. Grot.* (d) *Steph.* iv.

(e) *Velez:* Οὗ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις ἐβεβαιώθη. *Alii:* Οὗ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις ἐδόθη. *Latini plures: Cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt. Ita Sixti V, & alii plures. Ambroſiaſt. Temporibus ſuis datum eſt.* (f) *Græc.* Εἰς ὃ ἐτέθην. (g) *Chryſ. Theophyl. Grot. Priæus.*

(h) *Eſt. Vat. Men. Tir.* (i) *Vide Joan.* iv, 21, 24; *Malac.* i, 11. *Eſt. Grot. alii.*

(k) Χωρὶς ὀργῆς. Τουτέστι μνησικακίας. *Chryſ.* (l) *Chryſoſt. Theophyl. Eſt. Eraſm. Staplet. Grot. Men.*

(m) Καὶ διαλογισμοῦ. *Theodoret.* Ἀμφιβολίας χωρὶς, πιστεύων ὅτι λήψῃ πάντως ὑπὲρ αἰτεῖς. *Ita & Chryſ. Theophyl. Vat. Grot. Eſt. Magal. alii.* (n) *Joan.* iv, 21.

(o) 3 *Reg.* viii, 27.

(p) 1 *Cor.* iii, 17; vi, 19.

Digitized by Google

℣. 9. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundiâ, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſâ:

℣. 10. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

℣. 11. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.

℣. 12. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; ſed eſſe in ſilentio.

℣. 13. Adam enim primus formatus eſt, deinde Heva:

COMMENTARIUS.

nibus in altum ſublatis, tamquam cœlum contingere, Divinamque miſericordiam flectere conarentur (q), nullisque, niſi puris, in locis orare audebant (r): verebantur etiam Dei nomen in ſordido immundoque loco pronunciare. Iſta porrò figuræ conditionem non excedebant. Rem ipſam ſolidamque veritatem Religio Chriſtiana ſectatur.

℣. 9. Similiter et mulieres in habitu ornato (s), qualem modeſtia & urbanitas poſtulant. Mulieres etiam ubique orent, præter odia & rixas, animo charitatis & tranquillitatis pleno, Veſtes modeſtiam, ſimplicitatem, ſapientiam præferant, uti decet homines Jeſu Chriſto ſacros. Quolibet corporis cultu non interdicit Apoſtolus: ſupervacaneum vetat, exquiſitiorem, modeſtiæ repugnantem. Inſanabilis eſt mulierum morbus, veſtium cultus & pompa, præſertim in cœtibus & multitudine. At ſaltem in locis precum exercitationi dicatis modeſtiam abſolutiſſimam ſervent: ornentur ita uti decorum exigit; at præcipuum illarum ornamentum eſto pudicitia, modeſtia, probitas.

Non in tortis crinibus. Id olim commune fuit impudicarum mulierum vitium, uti teſtantur Poëtæ veteres, & Philoſophi, apud quos immodicus ornamentorum, ac præcipuè calamiſtrorum uſus, & capillorum infectus damnantur. Neque enim contentæ calamiſtro mulieres, coloribus inficiebant capillos, & gemmis onerabant (t). Eadem Chriſtianis mulieribus interdicit Petrus Apoſtolus (u). Norant viri ſanctiſſimi, quàm ingens ex vano ornatu diſcrimen tum eo utentibus tum ſpectantibus immineret; eo quippe in fœminis leve, molle, arrogans ingenium alitur; in cæteris flagitioſa deſideria concitantur; offenſioni eſt imbecillibus, ſapientibus contemptui.

℣. 10. Sed quod decet mulieres, promittentes pietatem. Monſtri genus eſt, pietatem & Chriſtiana inſtituta profiteri, ſimulque inanem pompam ac ſuperfluum ornatum amare. Paupertatem duntaxat docuit Chriſtus, modeſtiam, crucis & perpeſſionum amorem: vitam ipſe obſcuram inter ærumnas & inopiam duxit: ii verò, qui ſeſe illius aſſeclas & dogmatum cultores eſſe profitentur, ad ipſas usque aras & intra ſacras ædes veſtium luxum, arrogantiam, inanem ornatum inferant?

℣. 11. Mulier in silentio discat in ſacro cœtu, non diſputet (x), docendi cauſâ verba facere non audeat. Silentio teſtetur obſequium Deo, Dei verbo, cjusque Miniſtrorum & Sanctorum cœtui. Muliebris modeſtiæ laus maxima ſilentium eſt. Alibi (y) ſcribit Apoſtolus, turpe eſſe mulieri, verba facere in Eccleſiâ; quòd ſiquid diſcere velit, domi ea viro quærat.

℣. 12. Docere autem mulieri non permitto in virorum cœtu; nam in fœminarum concilio, ſiqua eſt ſatis exculta, docere cæteras poteſt; filiis ancillisque privatim inſtituta tradere debet materfamiliâs (z). Interdum etiam mulier ſatis edocta docere virum poteſt, puta Chriſtiana uxor virum gentilem (a). Apollo inſtitutus fuit a Priſcâ ſeu Priſcillâ, quamquam in cæteris longè doctior (b), ſed qui Chriſtum ignoraret. Plerique Apoſtoli pias doctasque mulieres ſecum ducebant (c), quæ in gynecæis, quo pedem inferre nefas erat viris, Evangelium nunciarent. Paulus ipſe fatetur, utilem ſibi operam apud Philippenſes exhibitam a piis fœminis, quæ in Dei opus magnoperè laborarunt (d). Publicam igitur ſolemnemque docendi rationem Apoſtolus fœminis, non privatam, interdicit.

Ad Corinthios ſcribens (e) vetat pariter, ne fœminæ vaticinii aut interpretationis Scripturarum dono inſtructæ, aperto ore in Eccleſiâ prodeant doceantve. Id conſtantiſſimè ubique Catholica ſervavit Eccleſia (f): *Non permittitur mulieri in Eccleſiâ loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris ſortem ſibi vindicare.* At inter hæreticos res adeò rara non fuit (g). Compertum eſt, quantum authoritatis Helenæ tribuerent Simon & Simoniani, geminisque vatibus fœminis Montaniſtæ; quas neque a Presbyteri neque ab Epiſcopi dignitate excludebant, teſte S. Epiphanio (h). Nihilo minoris habebantur fœminæ apud Marcionitas (i), cùm & baptiſmo tingere permitterentur. Quid, quòd noſtrâ ætate Reginam hæreticam Eccleſiæ Anglicanæ Principem vidimus?

℣. 13. Adam enim primus formatus est. His de cauſis debent fœminæ ſubeſſe viris, & prohiberi, ne authoritatem uſurpent in viros, tametſi majori fortaſſe cognitione præditæ quàm viri, aut peculiari dono explicandarum Scripturarum inſtructæ. Extraordinariis hiſce donis turbandus non eſt naturæ ordo, quo fœmina viro ſubjicitur. Ea quippe condita eſt viri causâ, & in

(q) *Agatharcid. apud Joſeph. l. 1, p. 1050, contra Appion.* Ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότας τὰς χεῖρας εὔχεσθαι μέχρι τῆς ἑσπέρας.
(r) *Philo in Flaccum, p. 982:* Κἂν τῷ καθαρωτάτῳ πάντες ἀνεβόησαν ὁμοθυμαδόν.
(s) Ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, *In habitu modeſto. Vat. Eraſm. Eſt. Caſtal. Illyr. Tigur. Men. alii.*
(t) *Vide Clem. Alex. Pædag. l. 3, &c. Chryſoſt. hic.* (u) 1 *Petri*, III, 3, 4.
(x) *Chryſoſt. Theophyl.* Μὴ φθεγγέσθω γάρ, φησι, μηδὲ περὶ πνευματικῶν, ἀλλὰ μανθανέτω μόνον.
(y) 1 *Cor.* XIV, 34, 35. (z) *Tit.* II, 3. (a) 1 *Cor.* VII, 13, 14, 15, 16.
(b) *Act.* XVIII, 26. *Vide Theodoret. &c.* (c) 1 *Cor.* IX, 5. (d) *Philipp.* IV, 3.
(e) 1 *Cor.* XI, 5; & XIV, 34, 35. (f) *Tertull. de velandis virginibus, c. 9. Vide & l. 5 contra Marcion.*
(g) *Idem, de Præſcript. c. 41.* (h) *Epiphan. hæreſ. 49.*
(i) *Idem, hæreſi 42.*

℣. 14. Et Adam non eſt ſeductus; mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.

℣. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

COMMENTARIUS.

in viri commodum (k): illam Deus viro ſubdidit (l): *Sub viri poteſtate eris*. Præterea ab angue decepta eſt Eva, & pes Evam mors & peccatum in mundum irrupere. Tametſi igitur viro prorſus æqualis condita foret, digna tamen eſt quæ ſubſit & pareat vel ob unum illud, quòd prior peccaverit. Ac profectò ſubjectionis ſententia nonniſi poſt peccatum in illam pronunciata eſt (m), inquit Chryſoſtomus (n).

℣. 14. Adam non est seductus prior, neque ab angue, ſed deinde ab Evâ uxore (o). Quamobrem cùm ſiagilior ſit mulier imbecilliorque, fraudis capacior, ac minùs ſapiens, par eſt, eam ſubjici viro, qui conſtantior eſt & ſapientior. Cùm ſemel docuerit, omnia ſusdeque vertit: ſileat igitur (p); ſemel enim cum Adamo loquuta, illum in errorem traxit.

℣. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, &c. Ne doleat mulier, quòd in Eccleſiâ docere, virilia munera obire, ac viſiles dignitates implere ſibi non liceat; idcirco enim a beatitudine non excluditur, innumeris verò curis & ſolicitudinibus liberatur. Quòd ſi cæteros docendo obſequium Deo præſtare deſiderat, nonne præſto ſunt filii & ſamiliares, quos & docere, atque in Dei obſequio, pietate, fide, chaſitate inſtituere & poteſt & debet (q)? Græcus plurali numero legit (r): *Si permanſerint in fide*, &c. eaque Patres plerique (s) & Interpretes ad filios referunt, non ad matres.

Ii quoque, qui ad matres referunt (t), numero multitudinis legunt, uti Græcus, Syriaca, cæteræque Verſiones. Salutem aſſequentur matres, ſi fidem, chaſitatem, pietatem conſtanter coluerint; vel, ſi pro viribus ſtuduerint, ut eas colant filii (u). Multum quidem eſt, ſi parentes piè vivant, atque in fide & charitate permaneant: at ad ſalutem aſſequendam id ſatis non eſt, niſi filios & familiares aut ipſi inſtituere, aut inſtituendos curare ſolicitè ſtuduerint. Magnum habes pretioſumque depoſitum, filios, ait Chryſoſtomus: magno illos ſtudio curâque ſervato.

Hæc locutio, *per filiorum generationem*, non naturalem filiorum procreationem ſignificat, quaſi opportuna ſalutis via ſit plurium liberorum procreatio; vel peccata expiet mulier, dum filios cum cruciatu parit, uti nonnullis viſum eſt (x). Id ſi verum eſſet, magno ſalutis adminiculo carent virgines cœlibesque (y). *Generare* hoc loco eſt *educare*, ut in aliis Scripturæ locis. Ita Machir *in genibus Joſeph* genuiſſe dicitur (z); & Noëmi *ſuſcepiſſe filium* Obedum (α); quòd ſcilicet Joſephus filium Machir, & Noëmi Obedum nepotem educaverint. Eodem hoc ſenſu in ſacris voluminibus paſſim pater nuncupatur is, qui filium alienum educavit (β).

CAPUT III.

Sanctum opus eſt Epiſcopatus. Epiſcopi laudes: Quales eſſe debeant Diaconi & Diaconæ. Eccleſia domus Dei eſt, & fidei columna. Myſterium Incarnationis.

℣. 1. Fidelis ſermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Fidelis sermo (a): Siquis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Si Epiſcopatum cæteraſque Eccleſiæ dignitates divini unius obſequii & Eccleſiæ gratiâ deſideres, nullâ tui ratione habitâ, aut ſplendoris commodorumve cum eâ dignitate conjunctorum, laudabile procul dubio eſt deſiderium, quemadmodum ſi quodvis aliud bonum opus cupias. Epiſcopatus, ait S. Auguſtinus (b), *nomen eſt oneris, non honoris*. Cùmque Magiſtratus & honore & diſcrimine non vacet, idcircò *locus ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur*. Quamobrem Epiſcopi ſanctiſſimi Epiſcopatum ſugere conabantur, alii deponere optabant. *Siquis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio*, ait S. Hieronymus (c). Bonum opus erat Epiſcopatum optare (d), nobile, heroicum, quo tempore gradus ad martyrium fuit Epiſcopatus, illumque nonniſi perſecutiones, labo-

(k) *Geneſ.* II, 15, 22; I *Cor.* XI, 8, 9. (l) *Geneſ.* III, 16.
(m) *Geneſ.* III, 16. (n) *Chryſoſt. hic.*
(o) *Theodoret. Oecumen. Druſ. Tir. alii.* (p) *Chryſ. hic:* Ἐδίδαξεν ἅπαξ ἡ γυνὴ, καὶ πάντα κατέςρεψε. Διὰ τοῦτό, φησι, μὴ διδασκέτω. (q) *Vide Chryſoſt. hic.*
(r) Ἐὰν μείνωσι ἐν πίςει, καὶ ἀγάπῃ, καὶ ἁγιασμῷ. (s) *Hieron. contra Jovinian. Ambroſiaſt. Pelag. alii Latini plerique, & Græci omnes.* (t) *Theodoret. Vat. Caſtal. Verſ. Grot.*
(u) *Chryſoſt. Eſt. Men. Tir. Eraſm. alii.* (x) *Vide Caſtalion.* (y) *Vide Chryſoſt. hic, & homil.* I *de Annâ.* (z) *Geneſ.* L, 22. (α) IV, 17. (β) *Theodoret.* Οὐχ ἁπλῶς τῆς ἐπιθυμίας, ἀλλὰ τῆς φιλαρχίας κατηγορεῖ, διδάσκων μὴ τιμῆς, ἀλλ' ἀρετῆς ὀρέγεσθαι.
(a) Πιςὸς ὁ λόγος. *Alii:* Ἀνθρώπινος ὁ λόγος, *Humanus ſermo; ut ſupra, c.* I, ℣. 15. *Vide Mill. hic.*
(b) *Aug. l.* 19 *de civit. c.* 19.
(c) *Hieronym. Epiſt.* 83 *ad Oceanum.*
(d) Καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ.

℣. 2. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem,

COMMENTARIUS.

bores, cruciatus ſequebantur (e).

℣. 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse. Putat Theodoretus (f), ſub Epiſcopi appellatione hoc loco Paulum complecti quoque Presbyteros; cùm per ea tempora meri Sacerdotes indiſcriminatim & Presbyteri & Epiſcopi nominarentur; & quos nunc Epiſcopos dicimus, tunc Apoſtoli dicerentur. At labente deinde tempore Apoſtoli appellatio veris Apoſtolis manſit, Epiſcopi verò iis quos tunc Apoſtolos nuncupabant. Theodoreti ſententia non leviter diſſidet a Chryſoſtomo (g), qui ait, munus docendi ac regendi Eccleſiam aliquam & Presbyteris & Epiſcopis eſſe commune, nullumque inter illos diſcrimen eſſe, præter conſecrationem, jus nempe Miniſtros cæteros conſecrandi, Quam obrem quicquid de Epiſcopis ſcribit Apoſtolus, de Presbyteris quoque uſurpandum eſt. Nemo eſt qui neget, in Scripturis (h) vetuſtiſque Patribus interdum Presbyteri appellatione ſignificari Epiſcopos: at illud cum Theodoreto dici non arbitror, Epiſcopi nomen vulgo Presbyteris tribui conſueviſſe, aut Apoſtoli Epiſcopis. Diſcrimen erat & nominis & dignitatis Presbyteros inter, Epiſcopos, & Apoſtolos. At illud poſtremo in confeſſo eſt, quæ hîc de Epiſcopis dicuntur, ea de Presbyteris quoque cum proportione eſſe intelligenda; unde fit, ut peculiarem de Presbyteris ſermonem hîc non habeat Apoſtolus.

Epiſcopus (i) propriè ſonat Inſpectorem, cum qui alicui rei præeſt, cui provincia aliqua demandata eſt. Ita initio appellati ſunt ii, qui ab Apoſtolis conſtituti fuere Eccleſiarum Principes, Duces, Doctores, Præſides, Inſpectores. Dicuntur quoque Presbyteri, Apoſtolici, Præfecti. Præcipit Paulus, ut qui Epiſcopus inſtituitur, ſit *irreprehenſibilis*, caſtis piiſque moribus, famâ integrâ, vitâ inculpatâ. Eum eſſe non jubet, cujus mores aut inſtitutum nemo penitus damnet, quem maledicorum odia non pupugerint; illud enim exigeret, quod impetrari non poſſet. Sanctiſſimi viri, & Chriſtus ipſe criminationibus obnoxii fuere & maledictis. Eum igitur eſſe vult, quem nemo vero nomine reprehendat (k).

Unius uxoris virum (l), qui unam dumtaxat uxorem duxerit. Nulli dubium eſt, quin Paulus hoc loco bigamos polygamoſque damnet: cùm verò non una eſſe queat hujus ſententiæ ſignificatio, quæritur quid illa hîc ſonet. Bigamus dicitur qui duas eodem tempore uxores habet; ſive qui, præter uxorem, pellicem alit; vel qui, repudiatâ ob adulterium uxore, eâ ſuperſtite alteram ducit; ſeu denique is, qui, mortuâ primâ uxore, ad novas nuptias tranſit. Apud Eccleſiaſticos bigamus nuncupatur, qui obligatus voto virginitatis, connubium init, quique vel viduam vel repudiatam adſciſcit in torum. Quæritur etiam, ita ne, qui duas pluresve uxores ante baptiſmum, vel eodem omnes tempore, vel diverſo duxerit, polygamus bigamuſve cenſeatur, adeoque ab Epiſcopatu removendus; an eæ tantùm nuptiæ ſpectentur, quas poſt baptiſmum vel iniit vel ſervavit.

I, Quod ad poſtremum hoc attinet, communiori opinione exiſtimatur Eccleſia id ſolùm ſpectare, quod ab homine poſt baptiſmum geritur. (m), II, Credibile non eſt, Apoſtolum de iis agere, qui voto virginitatis obligati, conjugio implicabantur. Manifeſtior quippe erat illorum culpa & inconſtantia, quàm ut Epiſcopatu digni cenſerentur. III, Qui, repudiatâ uxore, hac ſuperſtite alteram ducunt, diſertè in Evangelio damnantur (n). IV, Patres nonnulli cenſuere (o), indignos Epiſcopatu cenſeri ab Apoſtolo eos, qui plures unâ uxores eodem ſimul tempore apud ſe habent. Vulgo tamen omnes fermè Patres (p) atque Interpretes docent, ſancire Paulum, ne in Epiſcopum eligatur is, qui duas pluresve uxores ſingulas habuerit. Secundas ille nuptias minimè damnat; at hæ indecorum quiddam, & eam incontinentiæ notam præſeferunt, quæ cum Sacerdotii & Epiſcopatûs dignitate ac ſanctitate pugnent.

Viduæ ſeu repudiatæ nuptias nunquam diſertè vetitas pronunciavit Eccleſia: at ex propoſitâ per Apoſtolum lege illud ſponte fluere viſum eſt, inter bigamos eſſe rejiciendos, qui hujuſmodi nuptiis implicarentur. Cùm autem Eccleſia tum temporis coaleſcere inciperet, atque ex converſis Judæis Gentilibuſque conflari, ardua maximè res erat virgines aut cœlibes invenire; quippe cum eas virtutes Ethnici & Judæi prorſus fermè ignorarent: quamobrem cùm virgines nulli eſſent, admittendi fuere, qui caſtè connubium cum unâ uxore tenuiſſent. In Epiſtolam ad Titum diſputabimus de continentiâ, quam Eccleſia, poſt Apoſtolum, ab Epiſcopis & Presbyteris poſtulat.

Veteres (q) quidam Interpretes locum hunc my-

(e) *Greg. Mag. primâ parte Paſtoral. c.* 8; *Anſelm. hic*; *Alvarez, de planctu Eccleſ. art.* 18; *Grot. alii*.
(f) *Theodoret. hic*: Τοὺς αὐτοὺς ἐκάλουν ποτὲ Πρεσβυτέρους, καὶ Ἐπισκόπους. Τοὺς δὲ νῦν καλουμένους Ἐπισκόπους, ἀποστόλους ὠνόμαζον. Τοῦ δὲ χρόνου προϊόντος τὸ μὲν τῆς Ἀποστολῆς ὄνομα τοῖς ἀληθῶς Ἀποστόλοις κατέλιπον, τὴν δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν.
(g) *Chryſoſt. hic, homil.* 10: Οὐ πολὺ τὸ μέσον τῶν Πρεσβυτέρων, καὶ τῶν Ἐπισκόπων. Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς Ἐκκλησίας, καὶ ἃ περὶ Ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ Πρεσβυτέροις ἁρμόττει. Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, τοῦτο μόνον πλεονεκτεῖν δοκοῦσι τοὺς Πρεσβυτέρους. (h) *Vide Act.* xx, 28; *Philipp.* 1, 1.
(i) Ἐπίσκοπος, *ab* ἐπὶ & σκοπέω, *inſpicio, invigilo, quaſi e ſpeculâ conſpicio*: Ἐπισκοπὴ γὰρ εἴρηται διὰ τὸ ἐπισκοπεῖν ἅπαντας. (k) *Theodoret.* Μηδεμίαν πρόφασιν μέμψεως παρέχειν δίκαιον. Τὸ γὰρ ἀνεπίληπτον, οὐ τὸ ἀσυκοφάντητον λέγει, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς ὁ Ἀπόστολος παντοδαπὰς συκοφαντίας ὑπέμενον. (l) Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα. (m) *Vide Hieronym. ad Oceanum.* (n) *Matt.* xix, 9.
(o) *Theodoret. hic. Vide & Hieronym. Ep.* 83, *c.* 0; & *Chryſoſt. in Timoth. homil.* x.
(p) *Tertull. l.* 2 *ad uxor. c.* 3: *Quantum fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, cùm bigamos non ſinit præſidere. Hieronym. l.* 1, *c.* 20, *contra Jovinian. Unius uxoris virum: Qui unam uxorem habuerit, non habeat. Ambroſiaſt. hic*; *Ambroſ. Ep. ad Eccleſiam Vercellenſ. Chryſoſt. homil.* 2 *in Ep. ad Tit. Epiph. hæreſ.* 59, *Hieronym. in Epiſt. ad Titum*; *Canon. Apoſtol. c.* 26, 27.
(q) *Ambroſ. de Dignit. Sacerd. c.* 4. *Quidam apud Theophyl.*

Digitized by Google

℣. 3. Non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum, ſed

℣. 4. Suæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.

℣. 5. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?

COMMENTARIUS.

myſticè explicavere, Epiſcopum ſcilicet, qui Eccleſiam unam acceperit, diſcedere ab eâ non debere, ut alteri conjungatur, ac neſas illi eſſe, ſpiritalem polygamiam admittere, pluribus ſimul Eccleſiis in ſuâ poteſtate detentis. Hujus ſententiæ diſciplinam probavit Nicæna Synodus (r); omnibuſque ſæculis ſemper oſtendit Eccleſia, hoc ipſum ſeſe hoc de negotio ſentire & velle. Hanc tamen non eſſe literalem loci hujus explicationem, nemo negaverit.

Sobrium, parcum cibi & potûs. Nullum turpius Magiſtratui vitium, quàm epularum lautitia: at indignum prorſus Epiſcopo eſt, qui gregia exemplum, terræ ſal, tuendæque Religioni & veritati nunquam non paratus ſit oporter. Græca vox (s) redditur etiam *vigilantem*, ſedulum, intentumque gregis defenſioni, ut illum a luporum furore & hoſtium inſidiis tueatur.

Prudentem. Græcus (t) propriè ſonat ſobrium, modeſtum, temperantem, moderatum, animo ſuo imperantem, ſapientiâ & prudentiâ ornatum.

Ornatum. Græca vox (u) ſignificat compoſitum, modeſtum, gravem; deinque diſciplinâ morum, vitæque ac ſermonis & oris ſanctitate laudabilem.

Pudicum. Hæc vox in Græco deeſt; legitur tamen in Hieronymiaſtro, S. Ambroſio (x), Latiniſque Exemplaribus. Altera fortaſſe eſt vocabuli ſuperioris interpretatio per duplex ſynonymum (y).

Hospitalem. Hoſpitalitatem magnoperè commendant Scriptura & Patres (z). Hæc porrò in eo non conſiſtit, ut locupletes & amici magnificè excipiantur, ſed hoſpitium præbeatur pauperibus, peregrinis, etiam ignotis, eâ benevolentiâ & modeſtiâ, quæ ad virtutem alliciat. Epiſcopi domus omnium debet eſſe hoſpitium, ait S. Hieronymus (a).

Doctorem. Diſertum & eloquentiâ præditum eſſe non jubet Apoſtolus, ſed eruditum, verſatum in rebus Religionis; illique defendendæ adversùs veritatis hoſtes, creditiſque ſibi hominibus ſuadendæ idoneum (b). Græcus ad verbum ſonat (c) docendo idoneum. Veteres quidam Latini Patres legunt *Docibilem*, populos docendi ſtudioſum, non *Doctorem*. *Summa omnium virtutum Epiſcopalium eſt ſcientia & doctrina*, inquit S. Hilarius (d). Confer 2 *Timoth.* II, 24.

℣. 3. Non vinolentum. Hoc porrò vitium eſt in Epiſcopo pernicioſiſſimum. Vino impelli poteſt homo in quodlibet ſcelerum genus; atque ubi quis proclivior in vinum eſt, intra officium permanſurus dici nequit. Convenientem dignitati gravitatem nunquam deſerere debet Epiſcopus; curandumque illi eſt, ut vulgo magni æſtimetur. Huic autem exiſtimationi nihil vino inimicius. Chryſoſtomus ac Theophylactus Græcum (e) explicant de flagitiis ex ebrietate proficiſcentibus.

Non percussorem. Fruſtra animadvertero, nihil eſſe Epiſcopo indignius iis iræ tumultibus, qui in cædes & vulnera impellunt. Quamobrem S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, S. Hieronymus quoque, Eſtius, aliique nonnulli explicant de objurgationibus præter modum acribus frequentibuſque, & de iis, qui fratrum conſcientiam importunè perturbant (f). Prior explicatio proclivior videtur. Vulnerum & injuriarum jungit cum ebrietatis interdicto, cùm illa ex iſtâ oriantur; eaque opponit manſuetudini & modeſtiæ (g): *Sed modeſtum, non litigioſum*. Poſt *non percuſſorem* addunt Græca Exemplaria (h), *non turpis lucri cupidum*, quæ verba deſumpta ſunt ex Epiſtolâ ad Titum, I, 7. Hanc additionem omittunt Syrus, Arabs, Æthiops, Græci Latinique Patres in Commentariis, & eximii Codices permulti.

Non cupidum, liberalem. Græca vox (i) ſonat virtutem contrariam avaritiæ & immodico opum deſiderio.

℣. 4. Suæ domui bene præpositum, qui familiam ſanctè moderetur, optimoque uxoris, filiorum ac familiarium regimine oſtenderit, ſeſe opportunum eſſe qui ad Magiſtratum admoveatur. Patresfamiliâs, ait S. Auguſtinus (k), id eſſe debent domi, quod in Eccleſiâ Epiſcopi. Ipſiſmet Profanis ſolemne eſt, malum maritum malumque patremfamiliâs eſſe non poſſe bonum Principem & Provinciæ Moderatorem (l).

℣. 5. Siquis autem domui suæ præesse nescit, quomodo, &c. Id Epiſcopo Eccleſia eſt, quod

(r) *Concil. Nicæn.* 1, *can.* 15, 16. (s) Νηφάλιον, *ſeu* νηφάλιον, *vigilantem*. *Pagn. Mont. Eraſm. Eſt. Men. Piſc. Verſ. Tig.* (t) Σώφρονα. (u) Κόσμιον. *Theodoret.* Καὶ φθέγματι, καὶ σχήματι, καὶ βλέμματι, καὶ βαδίσματι, ὥστε καὶ διὰ τοῦ σώματος φαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς σωφροσύνην. *Vide & Hieronym. ad Oceanum* (x) *Ambroſ. Officiorum l.* 1, *c.* 50. (y) *Vide Eſt. Zeger. Mill.*

(z) *Hieronym. Epiſt. ad Oceanum: Epiſcopus niſi omnes receperit, inhumanus eſt.* *Gregor. Mag. ad Joan. Epiſcop. Hoſpitalitatem neſciens, non fiat Epiſcopus.*

(a) *Hieronym. in Epiſtol. ad Titum: Si omnes illud Evangelii audire deſiderant: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; quanto magis Epiſcopus, cujus domus omnium debet eſſe hoſpitium?*

(b) *Theodoret. hic.* (c) Διδακτικόν, *docibilem*, *ſeu docilem*. *Ita Clarom. Ambroſ. Tertull.* *Improbat Hieronym. adverſ. Pelag. l.* 1, *c.* 8. *Confer* 2 *Timot.* II, 24. *Docibilem*, διδακτικόν.

(d) *Hilar. l.* 8 *de Trinit.* (e) Μὴ πάροινον. *Theophyl.* Οὐ τὸν μέθυσον ἐνταῦθα λέγει, ἀλλὰ τὸν ὑβριστὴν, τὸν αὐθάδη. (f) *Theophyl.* Μὴ πλήκτην· τὸν μὴ πλήττοντα τοῖς χερσί, φησι, ἀλλὰ τὸν μὴ ἀκαίρως πλήττοντα τῶν ἀδελφῶν τὴν συνείδησιν. (g) Ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον.

(h) Μὴ αἰσχροκερδῆ. (i) Ἀφιλάργυρον. *Ambroſiaſter, Non aſperum.* *Cod. Colleg. novi*: Ἀφιλόνεικον.

(k) *Auguſt. ſerm. olim* 6 *de Sanctis, nunc* 114: *Agite vicem noſtram in domibus veſtris; . . . unuſquiſque in domo ſuâ, ſi caput eſt domus ſuæ, debet ad eum pertinere Epiſcopatus officium, &c.*

(l) *Vide Petra. & Grot. hic. & Chryſ. & Theophyl.* Τοῦτο καὶ οἱ ἔξωθεν φασι, ὅτι ὁ οἰκονομικὸς καὶ πολιτικὸς ἂν γένοιτο ταχέως.

Digitized by Google

℣. 6. Non neophytum; ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.

℣. 7. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

℣. 8. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes;

℣. 9. Habentes myſterium fidei in conſcientiâ purâ.

℣. 10. Et hi autem probentur primùm: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.

COMMENTARIUS.

quod patri familias (m). Quemadmodum totum domûs regimen incumbit patrifamiliâs, ita ſubditorum Eccleſiam componentium cura in Epiſcopo conſiſtit. Hos ille inſtituere debet, docere, tueri, ſolatio recreare, arguere, uti res tempusque poſtulaverint. Siquis igitur patrisfamiliâs officia, minoris certè momenti & numeri, ignorat aut negligit, qui fieri poterit, ut Dei Eccleſiam laudabiliter moderetur?

℣. 6. Non Neophytum, nuper ad Chriſtiana ſacra converſum. Ad verbum (n): *Plantam novam*; eodem ſenſu, quo Paulus alibi ait (o): *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Syrus & Arabs: *Novum in doctrinâ Chriſti*. Qui nuper Chriſtianam Religionem amplexus eſt, myſteria ſatis noſſe non poteſt, neque probatâ ſatis virtute eſſe, neque authoritate, neque merito ſatis perſpecto, ut ſacrum ad munus evehatur, quin aliquam in ſenioribus invidiam pariat. Veriſſimam aliam rationem addit Apoſtolus, ſcilicet, *ne in ſuperbiam elatus, in judicium*, damnationem, *incidat Diaboli* (p). Homo ſubito fortunæ niſu in dignitatem evectus, difficilè modum tenet. Plerumque ſibi ipſe blanditur, majori ſe eſſe quàm reliquos virtute, ſuâque operâ Eccleſiam indigere, cùm ab eâ præter cæteros ſelectus fuerit.

Iſthæc animi deliria, quæ ex ſuperbiâ oriuntur, confirmantur in dies, ac denique hominem rapiunt *in judicium Diaboli*, ad tartara ſcilicet, ad quæ Diabolus ejusque Angeli ob ſuperbiam in totam æternitatem detruſi fuere (q). Sive, in poteſtatem Diaboli, a quo coram Deo judice accuſandus eſt; ſeu denique, ne in ſuperbiam evectus, criminatoribus & Eccleſiæ inimicis occaſionem præbeat ſeſe damnandi, accuſandique, ipſum idcirco ad Eccleſiam acceſſiſſe, ut vitam in dignitate & magiſtratu agat. *Diabolus*, nemine repugnante, generatim calumniatorem ſonat, præſertim verò Dæmonem. Prior interpretatio proclivior eſt, & vulgo magis probatur. Lex ab Apoſtolo conſtituta ſuas patitur exceptiones. Fieri quippe interdum poteſt, ut vel Eccleſiæ utilitas, vel perſpecta hominum virtus poſtulet, ut Neophyti in Epiſcopos eligantur. Perſpicuum ac celebre eſt in Ambroſio exemplum. Id tamen perrarò uſu venit, & res eſt periculi plena.

℣. 7. Testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, Ethnicis, Infidelibus. Ne vel ii, qui Chriſti fidem non habent, quidquam de eo mali dicere queant; inculpatam vel ipſis Gentilibus vitam in Eccleſiâ duxerit. Qua enim fronte illos ad Chriſtum ducere conabitur, qui non boni nominis vir apud eos fuerit? *In opprobrium incidet, & in laqueum diaboli*. Illum aſpernabuntur tum Ethnici cùm Fideles, ob præteritum vitæ inſtitutum; ipſoque contemptu ipſe odioſus fiet, ejusque inſtitutiones inutiles erunt. Idem ipſe, malam ſui exiſtimationem ſentiens, aut iraſcetur (r), aut animo cadet (s), atque in diaboli laqueos incidet.

℣. 8. Diaconos similiter pudicos. Habitâ de Epiſcopis oratione, ad Diaconos convertitur, nullâ factâ Presbyterorum mentione, vel quòd Epiſcoporum nomine complectatur etiam Presbyteros, & ea quæ de illis dixit, de his quoque ſint uſurpanda (t); vel quòd ſub Eccleſiæ exordium in ſingulis Eccleſiis ſinguli eſſent Epiſcopi & Diaconi aliquot (u), cùm modicus Fidelium numerus eam, qua deinde opus fuit, ſacrorum Miniſtrorum frequentiam non poſtularet. Ut ad Diaconos regrediamur, hos jubet Apoſtolus pudicos eſſe, ſive ex Græcæ locutionis vi (x), honeſtos, graves, compoſitos, caſtos, itaut exerceantur quicquid pudicitiæ & gravitati repugnat. Videbimus ad ℣. 12, hos quoque, non ſecus atque Epiſcopos, monogamos eſſe oportuiſſe, *unius uxoris viros*.

Non bilingues (y), doli artifices, mendaces, vanos, dictis inconſtantes; ne aliud hic, aliud illic dicant; aliud animo ſentiant, aliud verbis oſtendant, &c.

℣. 9. Habentes mysterium fidei in conscientia pura. Cùm Diaconi poſt Epiſcopos & Presbyteros primi ſint Eccleſiæ Miniſtri, ac penès eos Eccleſiaſticorum dogmatum & myſteriorum depoſitum ſervetur, præcipit Apoſtolus, ut ea ſervent intra puram conſcientiam; homines ſint moribus probis & irreprehenſis; eam vivendi rationem colant, quæ fidei illorum puritatem præſeferat, & credita ſibi myſteria ſacro ſilentio celare noverint. Id maximi momenti erat erga Gentiles, quibus Chriſtianæ Religionis arcana detegi non ſemper oportebat.

℣. 10. Et hi probentur primum, et sic ministrent. Homo nuper ad Chriſtum converſus ne ſtatim ac temerè in Diaconum conſecretur: priùs periculum fiat, ſatis ne fidei, virtu-

tis,

(m) *Chryſoſt.* Καὶ γὰρ τοῦτό ἐστιν ἡ Ἐκκλησία, ὥσπερ μικρὰ οἰκία.
(n) Μὴ νεόφυτον. (o) 1 *Cor.* III, 6. (p) Εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ τοῦ Διαβόλου. *Theod.* Τῇ τοῦ Διαβόλου τιμωρίᾳ περιπεσεῖται. Κρῖμα γὰρ ἐνταῦθα τὴν τιμωρίαν ἐκάλεσε.
(q) *Eſt. Grot. Men. Tir. Verſ. Vide* 2 *Petri*, II, 4; *& Eccli.* X, 15: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictione, &c.*
(r) *Anſelm. ubi.* (s) *Chryſoſt. Theodoret. D. Thom. Eſt. Tir.*
(t) *Chryſoſt. Theodoret. Anſelm. D. Thom. Vide & Ambroſiaſt. Eſt. Dunc. &c.*
(u) *Epiphan. hæreſ.* 75 *contra Aërium, Eſt. hic.* (x) Διακόνους ὡσαύτως σεμνούς.
(y) Μὴ διλόγους. *Chryſ.* Ὑπούλους, δολερούς, *&c.*

℣. 11. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus.

℣. 12. Diaconi ſint unius uxoris viri; qui filiis ſuis benè præſint, & ſuis domibus.

℣. 13. Qui enim benè miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℣. 14. Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire citò.

COMMENTARIUS.

tis, conſtantiæ in verâ Religione habeat (z). Veteri Eccleſiæ conſuetudine olim in ſacro cœtu proponebantur ii, qui ad ſacrum Miniſterium admittendi eſſent, ut qui aliquod accuſationis caput adversùs illos haberent, Eccleſiæ referrent. Severus Imperator (a) *ubi aliquos voluit vel rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut, ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; dicebatque grave eſſe, non fieri in provinciarum Rectoribus, cùm id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi ſunt*. S. Cyprianus (b), ſacras ordinationes facturus, populum conſulebat, poteſtatem faciens, ut quem liberet excluderet; *quia plebs ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit*. Calcedonenſis Concilii ſanctio eſt, ut ſacris initiandus publicè proponatur (c).

℣. 11. Mulieres similiter pudicas. Diaconas (d) innuit, quarum munus interdum erat fœminas Chriſtianis dogmatibus inſtituere; ut enim alibi animadvertimus, fœminæ apud Italos, Græcos, & Orientales in gynecæis, a virorum conſuetudine remotis, morabantur; quamobrem vocari ad Fidem aut doceri non poterant, niſi per fœminas pias doctasque, in id munus miſſas. His pariter demandatur provincia opem ferendi Chriſtianis mulieribus, eas inviſendi, certiſque officiis & obſequiis, quæ a viris exhiberi indecorum eſſet, juvandi. Illis etiam miniſtrabant, cùm initiarentur baptiſmo, quo verecundiùs decentiùsque omnia peragerentur.

Sunt (e) qui de mulieribus generatim ſumptis hunc locum intelligant; ſunt (f) qui de Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque uxoribus; quaſi jubeat Paulus, eas eſſe pudicas compoſitaſque; Græca enim vox ſonat graves, modeſtas, caſtas, compoſitas. Quòd ſi indignus Epiſcopatu eſt, qui filios incompoſitos habet, quantò indignior qui uxorem male moratam & mali nominis habeat? Prior tamen interpretatio magis convenit cum mente Apoſtoli, cujus propoſitum eſt, Leges tradere ad delectum virorum fœminarumque, quibus credendum eſt Eccleſiæ miniſterium. Cataphryges & Collyridiani ajebant, Diaconas non ſecus ac Diaconos eſſe ſacris initiandas (g), ſacrumque ordinem ex iis coaleſcere. At horum ſententiam nunquam non rejecit Eccleſia.

℣. 12. Diaconi sint unius uxoris viri; ſcilicet neque binas omnes habeant, uti ſolebant Hebræi, quibus vetita non erat polygamia; neque ad ſecundas nuptias, quas tamen nunquam damnavit Eccleſia, prioribus ſoluti tranſierint; quamobrem unâ uxore plures nec habeant nec habuerint. Vetuſti Canones continentiam Diaconis non ſecùs ac Presbyteris imperant: at ejus rei diſciplina non eodem ſemper modo ubique ſervata eſt. Veteres nonnulli dubitavere, utrùm Eccleſiæ Miniſtrorum polygamia ſpectanda ſit reſpectu uxorum, quas ante baptiſmum habuerint, an earum quas poſt baptiſmum; adeo ut cui poſt baptiſmum una tantùm uxor fuerit, is in Epiſcopum, Presbyterum, ſive Diaconum initiari poſſet. Poſteriorem ſententiam ſecuti ſunt Canones Apoſtolorum (h) & S. Hieronymus; priorem, quæ communis Eccleſiæ eſt, S. Auguſtinus, & Innocentius Papa I (i).

℣. 13. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent; digni fient qui ad ſublimiorem in Eccleſiâ dignitatem promoveantur. Ex Diaconis creari poterunt Presbyteri, deinde Epiſcopi: ſive, ſuam erga illos benevolentiam & exiſtimationem teſtari poterit Eccleſia, eoſque ad altiora munera evehere, ſi in credito ſibi munere fideles invenerit (k). Illud ſemper ſervavit Eccleſia, ut Miniſtros ad ſuprema munera per gradus minores duceret. Luculentiſſimi ſunt eâ de re Canones, idque nunquam ferme mutatum eſt. Cenſuere nonnulli (l), *gradum bonum* eſſe cœleſtem beatitudinem, quam fideli obſequio illi promerentur. Hæc tamen interpretatio ad mores potiùs quàm ad literam pertinet.

Et multam fiduciam in fide. Diaconus, omnibus ſpiritalis militiæ gradibus, muneribuſque Eccleſiaſticis functus, doctior conſtantiorque evadet in fide & Evangelicâ prædicatione; ſua officia altiùs intelliget, eaque conſtantiùs ac liberiùs exequetur (m).

℣. 14. Sperans me ad te venire cito. Apoſtoli, virique divino Numine afflati, non quolibet ſemper tempore divinitùs illuſtrantur (n). Humano more hîc loquitur Paulus, ignorans quæ conſiliis impedimenta oriri poſſent. Epiſtolam hanc in Macedoniâ ſcriptam ponimus anno Chriſti LXIV. Sequente anno, Apoſtolus in Aſiam reverſus, ibi Timotheum Epheſi vidit (o); inde Ro-

(z) Καὶ οὗτοι δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον. Δοκιμάζω uſurpatur pro, experior, periculum facio, ſeligo.

(a) *Lamprid. in Severo. Vide Grot. hic.* (b) *Cyprian. Ep. 68: Ordinationes Sacerdotales, nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientiâ, fieri oportere, ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio juſta & legitima, quæ omnium judicio fuerit examinata.* (c) *Concil. Calced. can. 6:* Ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο.

(d) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. alii Græci, & Latini.* (e) *Ambroſiaſt. hic.* (f) *D. Thom. Eraſm. Beza, &c.* (g) *Vide Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5, c. 14; Epiphan. Philaſtr. Aug. de hæreſib.*

(h) *Hieronym. Epiſt. ad Oceanum; Can. Apoſtol.* 16: Ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, οὐ δύναται εἶναι Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος. (i) *Aug. de Bono conjugii, c. 18; & Innoc. I, 28, c. 3; Ambroſ. Ep. ad Vercellenſ. Eccleſ.* (k) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eſt. Men. Scult. Grot. alii.* (l) *Quidam apud Theodoret.* (m) *Eſt. Grot. Men.*

(n) *Theodoret.* Οὔτε οἱ θεῖοι προφῆται, οὔτε οἱ θεσπέσιοι ἀπόστολοι πάντα προῄδεσαν.

(o) *Uſſer. ad an. 66; Pearſ. Ann. Paul. p. 23, 24;* Tillemont note 75 ſur S. Paul.

℣. 15. Si autem tardavero, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.

℣. 16 Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloriâ.

COMMENTARIUS.

Romam profectus, martyrium ſubiit. Putat Chryſoſtomus (p), Timotheum poſt primam hanc Epiſtolam nunquam deinceps Apoſtolo viſum; quamobrem datam fuiſſe ab eo ſecundam ad Timotheum Epiſtolam: at contraria opinio probabilior, ut in Præfatione in ſecundam ad Timotheum dicemus.

℣. 15. Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari. Niſi te video, inſtar mei eſto hæc Epiſtola. Hinc diſces, quo pacto tute ipſe gerere, & cæteros moderari debeas. Regulas tibi exhibeo de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis tum maribus cùm fœminis, omnibus denique hominum conditionibus. Familia eſt Eccleſia: tu paterfamiliâs. Quæ hac Epiſtolâ moneo, iis adde, quæ ex me audiſti, meorumque præceptorum nunquam obliviſcere. Parentis perſonam agit, qui abſens filium monitis inſtituit.

Columna et firmamentum veritatis. Numinum templa, cœtusque Gentilium ſynagogæ ſunt Satanæ, ſeminaria erroris, atque impiorum perfugia: Jeroſolymæ Templum, tametſi Deo vero ſacrum, mera eſt Templi ſanctioris umbra. Eumdem Dominum, quem nos, colit Synagoga: at hæc inter umbras tenebraſque verſatur; Chriſti Eccleſia, cœtusque Fidelium pleno lumine gaudet, nititurque ſe ipſâ & veritate, excluſis erroribus, umbris, figuris. Omnia ſub Lege imperfecta fuere (q) & tranſeunt (r): in Eccleſiâ, fides, dogmata, myſteria, inſtituta ſolida ſunt & permanſura; omnia denique ad perfectionem ducunt, ubi hominis, divinâ ope freti, vires patiuntur.

Chriſtus Jeſus Eccleſiam ſuper inconcuſſum lapidem condidit; illam portæ inferi non ſuperabunt (s): corrumpi, falli, quati nequit. Qui Eccleſiæ auctoritatem labefactare conantur, veritatis columnam quatere fruſtra laborant. Heterodoxi Scriptores eruditiſſimi, & melioris notæ, ultro fatentur, nihil hic Paulum, niſi Chriſti Eccleſiam innuere. Ita ſentiunt Patres & Interpretes; atque ante proximos hæreticorum tumultus adverſùs Romanam Eccleſiam nemo unquam hunc locum eſt aliter interpretatus. Si Eccleſiæ auctoritas præter erroris diſcrimen non eſt, jam nihil eſt certum in totâ Religione; cùm ſacra ipſa Volumina, quibus veritas divinitùs revelata continetur, nobis incerta futura ſint, ſi falli poteſt Eccleſia, dum uti canonicum ac divinitùs dictatum amplectitur id, quod fortaſſe non ſit. *Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*, inquit S. Auguſtinus (t).

℣. 16. Manifeste magnum est pietatis sacramentum. Commendatâ Eccleſiæ dignitate certiſſimâque veritate, proſequitur Paulus Incarnationis humanæque Redemptionis Myſterium, a Chriſto peractum, firmâ fide in Evangelio exceptum, ab Apoſtolis prædicatum. *Manifeſtè* (u), procul dubio myſterium eſt per ſe ſubmiſſimum: *Pietatis ſacramentum*, ſeu benevolentiæ, bonitatis, clementiæ Jeſu Chriſti: ſive ex Græco (x): *Magnum pietatis myſterium*, Religionis, quo ad amorem & obſequium, tam ſanctè & caſtè quàm ipſe poſtulat, Deo exhibendum impellimur: *Manifeſtatum eſt in carne* Jeſu Chriſti, hominum causâ humanis membris induti. Græcus legit (y), *Deus manifeſtatus eſt in carne, apparuit Angelis:* &c. Ita omnes fermè Græci Codices & Patres. Inter Græca Exemplaria nullum Millius invênit Vulgatæ favens, præter Claromontanum (z). Cætera conſtanter ferunt, *Deus manifeſtatus eſt*; pauca quædam maſculino genere habent, *Qui manifeſtatus eſt* (a). Lectionem Græcam vulgatam putat genuinam Millius; tametſi fatetur, favere Vulgatæ Latinos libros tum editos, cùm manu exaratos, Syrum, Æthiopem, Armenum, S. Hilarium (b), Ambroſiaſtrum, Hieronymiaſtrum in Epiſtolas, S. Fulgentium, & vulgò Latinos Patres, Græcoſque ſimul & Latinos in eo convenire, quòd de Chriſti Incarnatione interpretentur.

Justificatum in spiritu; prodigiis, quæ in terris ipſe per ſe, vel per Apoſtolos, divinâ Spiritûs Sancti virtute, patravit (c). Chriſti divinitatem, Incarnationem, juſtitiam teſtata ſunt hæc prodigia adverſùs Judæorum criminationes. Quamobrem ipſe Judæos alloquens ajebat (d): *Si in digito Dei ejicio Dæmonia profectò pervênit in vos regnum Dei.* Cùm tingeretur baptiſmo Chriſtus, ſuper ipſum viſus eſt Spiritus Sanctus, ſimulque vox Patris e cœlo ſonuit (e): *Hic eſt filius meus dilectus*, &c.

Apparuit Angelis. Dei Verbum agnovere Angeli eo ipſo tempore, quo conditi fuere. Incarnationis Myſterium jam tunc illis patuit; ac per eos geſta ſunt pleraque Veteris Teſtamenti prodigia, quæ ad nobiliſſimum hoc Myſterium referebantur. At abſoluto demum temporum curriculo, expletum ſpectavere myſterium, cujus in admirationem ſemper antea rapiebantur: ipſi illius teſtes, ipſi quodammodo diſpenſatores præco-

(p) *Chryſoſt. ad 2 Timot. homil. 1, p. 535. Ita & Theophyl.* (q) *Hebr.* vii, 19. (r) 2 *Cor.* x, 11.
(s) *Matt.* xvi, 17; xviii, 5. *Vide Vat. Eſt. Grot. Mon. Tic. Verſ. Lud. de Dieu, J. Capell. Dana. alios. Ita & Chryſ. Theophyl. Beda, Hieronymiaſt. &c. Vide Cornel. a Lap. & Eſtium hic.*
(t) *Aug. contra Epiſt. fundamenti, c. 5.* (u) Καὶ ὁμολογουμένως, *In confeſſo eſt, extra controverſiam.*
(x) Μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. (y) Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. (z) Ὃ ἐφανερώθη, &c. *Quod manifeſtatum eſt in carne.*
(a) Ὃς ἐφανερώθη. *Ita Colb. 7, Borner. Ge. Cyrill. c. 12 Scholiorum, teſte Photio. Mſ. Comment. in Epiſt. Cod. alt. Gr. a Liberato citat. Breviarii c. 19; Hincmar. Opuſcul. 33. c. 18, 25.*
(b) *Hilar. l.* xi *de Trinit.* (c) *Theodoret.* Ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι. Διὰ τοῦ θείου πνεύματος ἐνεργοῦ τὰ θαύματα . . . ἀπεδείχθη διὰ τῶν θαυμάτων, ὅτι Θεὸς ἀληθὴς, καὶ Θεοῦ Υἱός. *Ita Ambroſ. Grot. Eſt. Dana. alii.* (d) *Luc.* xi, 20. (e) *Matt.* iii, 16; *Marc.* i, 10, 11; *Luc.* iii, 22.

conesque, cùm Angelus ortum Præcurſoris Zachariæ, Mariæ Servatoris Incarnationem, virginitatem Mariæ & Incarnationem Verbi Joſepho, Paſtoribus Chriſti ortum nunciaverit. Illum Angeli in ſolitudine commorantem proſecuti ſunt, languentem conſolati ſ illum piis fœminis poſt Reſurrectionem, & poſt Aſcenſionem Apoſtolis nunciavere.

Prædicatum gentibus, quæ hactenus in libidinum poteſtate, ut ita dicam, deſtitutæ, & errore flagitiisque merſæ jacuerant. Has Deus mero miſericordiæ ſuæ beneficio ſeligit, vocat, converſiſque illarum animis intra Eccleſiam excipit; Judæis interim pleriſque, quos docuerant Prophetæ, Lex duxerat, Chriſti miracula perculerant, præſentia & dogmata illuſtraverant, in animi pervicaciâ & infidelitate perſeverantibus. Quàm ſublime myſterium! Quàm profunda Dei judicia!

Creditum est in mundo; tametſi Dæmonis livor, ac tyrannorum furor & odia repugnaverint, eaque ſit ipſius Myſterii ſublimitas, ut cum humanâ ratione, Philoſophiâ, vetuſtâque gentium Religione non componatur. Illud nimirum, quod præter fidem omnino videtur, homines nanciſcitur credulos, Apoſtolos præcones, Martyres ipsâ ſanguinis effuſione aſſertores.

Assumptum est in gloria. Aſcendit in cœlum Chriſtus, & dexteræ Patris aſſidet. Hic myſterii Incarnationis finis . . .

CAPUT IV.

Supremis temporibus hæreſes concitabuntur, conjugio licitiſque cibis interdicentes. Timotheo præcipit, ut pietati, ſtudio, inſtitutioni vacet: curet, nequis ipſum juventutis cauſâ aſpernetur: omnibus exemplo ſit: ſe ipſe renovet in Sacerdotii gratiâ.

℣. 1. Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Spiritus autem manifeste dicit. Spiritus Sanctus, in nobis cæteriſque Fidelibus vaticinii gratiâ donatis loquens, diſertè, luculenter, manifeſtè prædicit, *noviſſimis temporibus*, ante mundi finem ſcilicet atque Antichriſtum, futuros in Eccleſiâ hæreticos, ſchiſmaticos, perverſis dogmatibus Chriſtianos, quorum fraudibus decipientur imbecilliores, qui vetitum dicturi ſunt conjugium, impuroſque cibos quoſdam, alioſque errores Evangelicæ doctrinæ & libertati contrarios tradent. Hoc quod diſertè ac perſpicuè a Spiritu Sancto, in Prophetis Novi Fœderis nunc loquente, prædicitur, comparat cum iis, quæ in Capitis ſuperioris fine dixit de Myſterio Incarnationis, prædicto illo quidem, ſed per veteris Legis Prophetas, obſcuriùs, & multis antea ſæculis. Porrò hoc Spiritus diſertè aſſerit, ejuſque vaticinii Fides cœpta eſt jam expleri; myſterium iniquitatis prodire incipit, hæreſibus paſſim exorientibus, at explendum non eſt niſi *noviſſimis temporibus*, cùm venerit homo nequiſſimus, quem Chriſtus Jeſus halitu oris interficiet *(a)*; ſcilicet Antichriſtus.

Noviſſima tempora in Veteris Teſtamenti Libris plerumque Meſſiæ adventum ſignificant *(b)*, tempus præſertim, quo Deus in populum ſuum infidelem incredulumque eſt animadverſurus. In Novo Fœdere alterum Chriſti adventum ſignificare ſolent, Antichriſti perſecutiones illi præituras, tempus quod primum & alterum adventum intercedet; denique Jeroſolymæ excidium.

Noviſſima tempora apud Danielem *(c)*, per quæ decimum cornu pugnaturum eſt adverſùs Sanctos, euſque ſuperaturum, convicia quoque pronunciaturum in Deum, ſupremâque authoritate gaviſurum *uſque ad tempus & tempora & dimidium temporis*; hæc, inquam, noviſſima Danielis tempora innuunt primò ærumnas, quibus Judæi regnante Antiocho Epiphane exagitati fuere. II. Monet in Evangelio Chriſtus *(d)*, id ipſum in Jeroſolymitano per Romanos excidio eventurum. III. Denique communis fuit in Chriſtianâ Antiquitate perſuaſio, quemadmodum Antiochus Epiphanes figura Antichriſti fuit, ita mala, quæ Judæos in ſupremo Romanorum bello agitavere, imagines fuiſſe malorum, quibus Eccleſia ab Antichriſto ſupremis temporibus eſt opprimenda. Antiochi perſecutio res veriſſimè geſta eſt, qua comprobatur prædiciturque res gerenda, excidium nempe Jeroſolymæ; illam prædixit Daniel, hoc Chriſtus; utrumque verò ex verborum fide & ſuo ordine contigit; ſimulque figura eſt & promiſſio venturi Antichriſti, malorumque ab illo Eccleſiæ inferendorum, quæ & Paulus & cæteri Novi Fœderis Prophetæ prædixere.

Hoc igitur loco *noviſſima tempora (e)* ſignificare poſſunt indefinitè tempora Chriſti adventum conſecuta, & ad alterum uſque illius adventum in mundi exitu conſecutura. Hoc temporum ſpatio id explebitur, quod hic ſcribit Apoſtolus, tamquam rem perſpicuè prædictam a Chriſtianis Prophetis, magno tum numero florentibus, unoque conſenſu vaticinantibus *fore diſceſſiones a fide, errores, & doctrinas Dæmoniorum*. Quæ de *noviſſimis temporibus* diſputavimus, mirè confirmat Joannes Evangeliſta iis verbis *(f)*: *Filioli, noviſſima hora eſt . . ., nunc Antichriſti multi facti ſunt; unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Et Paulus ipſe *(g)*: *Scito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; & erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, . . . habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.* Igitur vel Timothei ætate proditurI erant, cùm illos vitare jubeat.

Defectiones a fide, errores, Diabolica dogma

(a) 2 *Theſſal.* II, 7. (b) *Ita Rabb. & Interpp. paſſim.* (c) *Dan.* VII, 21 25. (d) *Matt.* XXIV.
(e) Græcus: Ἐν ὑστέροις καιροῖς, *In poſterioribus temporibus*: id quod Eſtius diſtinguit a *noviſſimis diebus*, ἐσχάτοις καιροῖς. Hoc tamen diſcrimen leve & ſupervacaneum exiſtimo.
(f) 1 *Joan.* II, 18. (g) 2 *Timot.* III, 1, 2.

℣. 2. In hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam,

℣. 3. Prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.

COMMENTARIUS.

mata, hic ab Apoſtolo memorata, fuiſſe videntur hæreſes, ipſis Apoſtolorum temporibus, & primis Eccleſiæ ſæculis exortæ (h); puta Simonianorum, quorum magiſter Simon, Nicolaitarum, Cainitarum, Gnoſticorum, Encratitarum, aliæque complures, quæ in Eccleſiam inundaverunt. Hi omnes ex Eccleſiâ Chriſtianâ prodiere; en defectiones a fide: *Diſcedent quidam a fide*. Iidem errorem ſectati ſunt. Menander & Simon ſeſe Meſſiam ac Divinam Virtutem eſſe gloriabantur, adorationem ab aſſeclis captabant, populoſque præſtigiis ac falſis prodigiis, magicarum artium ope patratis, decipiebant; en errores: *Attendentes ſpiritibus erroris* (i). Perverſa erant illorum dogmata, non ſecus ac mores. Lege Scriptores de hæreticis Simonis & Menandri aſſeclis, Nicolaitis, Gnoſticis, Encratitis, aliiſque: dogmata profectò diabolica invenies; *Doctrinis Dæmoniorum*.

Veteres nonnulli poſt ea verba, *Diſcedent quidam a fide*, addebant (k): *Erunt qui mortuos adorent, uti & in Iſraële culti fuere*. Mortuos fortaſſe intelligebant idola; idque hauſtum eſt ex Pſalmo cv, 28: *Et comederunt ſacrificia mortuorum*; videturque gloſſema conſequentium verborum: *Doctrinis Dæmoniorum*.

℣. 2. In hypocrisi loquentium mendacium. Hæretici, quos diximus, flagitia ſua non vulgabant; celabant potiùs ſtudioſiſſimè, neque aliis aperiebant, niſi iis, quos erroribus ſuis arctiſſimè implicaverant. Simoniani in quodlibet flagitiorum genus, omni opinione majus, ruebant; ipſique fatebantur, horrere & formidare eum, qui ipſos de arcanis loquentes primum intelligeret (l). Tametſi Chriſtianorum appellationem ſervarent, idola tamen venerabantur, vel ſaltem illorum cultum ſcelere vacare exiſtimabant, tempori ſervientes & loco, altiſſimâque diſſimulatione penitiſſima pectoris ſenſa tegentes (m). Nicolaitæ, aliud hæreticorum genus primo & ſecundo ſæculo, flagitium nullum horrebant; uxorum communitatem, aliorque errores ſectabantur. Satis vides, hujuſmodi ſordes nonniſi hypocriſi & diſſimulatione tegi potuiſſe: eas enim neque profani Ethnicique Magiſtratus paſſuri fuiſſent.

Encratitæ, Carpocratiani, Marcionitæ, Saturninus, Tatianus nefas eſſe ajebant jungi conjugio: at non idcirco caſtitatem colebant. Plerique mulieribus promiſcuè utebantur, eâ cum vitiorum appendice, quæ inde manabat. Conjugium idcò execrabantur, quòd ſobolis propagationem odiſſent, ac turpem licentiam ac libidinem amarent. Ex his collige, quæ fuerit ejuſmodi hominum hypocriſis, omnibus execrationi futurorum, ſi ipſorum flagitia patuiſſent (n).

Cauteriatam habentes suam conscientiam. Cauterizare eſt cauterio ſeu candenti ferro notam corpori inurere: interdum valetudinis causâ, interdum indicii, uti cùm reorum frons vel humeri inuruntur. Cauterium reis admotum indelebilem inducit notam criminis, quod jure mulctatum eſt: at medicinæ causâ adhibitum indicat vitium in humore, ſive malam aliam corporis habitudinem, coërcendam cauterio vel ſupprimendam. *Cauteriata conſcientia* tropicè eſt animus turpi ac perverſo habitu implicitus, circumferenſque damnationis & infamiæ conſcientiam & notam; ſive is eſt, cui ægra eſt conſcientia, perverſæque ſententiæ (o).

Explicant alii (p) perverſam, pertinacem, atque impatientem diſciplinæ conſcientiam: idque deſumptum eſt ex medicorum uſu, qui corporis partes cum cruciatu curandas admoto igne ſenſu privant, veluti cùm admovent cucurbitulas; ac profectò ipſo etiam experimento intelligitur, membra igne vel cauterio inuſta hebetiora cæteris eſſe, minimo dolore cædi poſſe & abſcindi.

℣. 3. Prohibentium nubere. Vidimus ſupra, turpiſſimos omnium hæreticos fuiſſe, qui legitimas nuptias damnabant, cùm execranda flagitia promiſcuo mulierum uſu permitterent (q): homines nullius Religionis, fidei, pudoris & frontis.

Abstinere a cibis, &c. Spectantur his verbis præſertim Judæi non ſatis exuti Judaicarum religionum ſtudio (r), qui, reluctante Jeroſolymitanâ Apoſtolici Senatûs ſanctione (s), traditâque omnibus Pauli Epiſtolis doctrinâ, ajebant, Chriſtianos Moſaico ciborum delectu obligari. Ex his erant Ebionitæ, Encratitæ, Marcion, Saturninus, Montanus (t), uti docent Patres, qui hæreſum catalogos ſtruxere, eaſque refellere conati ſunt; veluti Tertullianus, S. Irenæus, S. Clemens Alexandrinus, S. Epiphanius, aliique. Matrimonium illi & aliqua ciborum genera immunda eſſe decernebant, odio Creatoris; toto cœlo diſſidentes a Patrum ſententiâ & Eccleſiæ conſuetudine, quæ Chriſti & Apoſtolorum exemplo

(h) *Chryſoſt. Theophyl.* (i) Προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις. *Ita Græc. Edit. Alii*: Πνεύμασι πλάνης. *Ita plures Mſ. antiqui Latini: Spiritibus fallacibus, vel deceptoribus. Ita Ambroſiaſt. Hilar. Novatian. Auguſt. Cod. Clarom. Lat.*
(k) *Epiphan. hæreſ. 78. Cod. vetuſtiſſ. Verbel.* Ἔσονται γὰρ νεκροῖς λατρεύοντες, ὡς καὶ ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἐσεβάσθησαν. *Ita Cod. vetuſtiſſ. Junii.* (l) *Iren. l. 1, c. 20; Euſeb. lib. 3, c. 13 Hiſt. Eccleſ.*
(m) *Aug. hæreſ. 5; Origen. l. 6 contra Celſ.*
(n) *Vide* Tillemont, t. 2, articles de Simon le Magicien, des Encratites, des Carpocratiens, & des autres Hérétiques.
(o) *Theophyl.* Συνίσασιν ἑαυτοῖς διαφθορὰν πολλήν. Διὰ τοῦτο τὸ συνειδὸς αὐτῶν ἀνεξάλειπτους ἔχουσι καυτῆρας τοῦ ῥυπαροῦ βίου. (p) Κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν. *Theodoret.* Τὴν ἐσχάτην αὐτῶν ἀναλγησίαν διδάσκων. *Ita Tir. Tarrin. Schmid. Medus.*
(q) *Clem. Alex. Strom. l. 3*: Διδασκόντων μὴ δεῖν παραδέχεσθαι γάμον, καὶ παιδοποιΐαν, μηδὲ ἀντεισάγειν τῷ κόσμῳ δυστυχήσοντας ἑτέρους, μηδὲ χορηγεῖν τῷ θανάτῳ τροφήν... πορνείαν ἄντικρυς τὸν γάμον λεγόντων, καὶ ὑπὸ διαβόλου ταύτην παραδίδοσθαι δογματιζόντων.
(r) *Chryſoſt. Theophyl. Eſt. alii plerique.* (s) *Act.* xv, 28, 29. (t) *Lege Theodoret. hæretic. fabul. l. 1, c. 20.*

℣. 4. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur:

℣. 5. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.

℣. 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.

℣. 7. Ineptas autem, & aniles fabulas devita: exerce autem te ipſum ad pietatem.

℣. 8. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt; pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

COMMENTARIUS.

plo virginitatem & continentiam nunquam non commendavit, ſiquis majoris perfectionis causâ eas amplectatur; & pœnitentiæ ac piæ afflictationis propoſito quorumdam ciborum abſtinentiam vel permittit vel imperat *(u)*.

℣. 4. OMNIS CREATURA DEI BONA EST. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, ait Moyſes *(x)*, *& erant valdè bona*. Cenſebant Marcionitæ, Creatorem in Veteri Teſtamento loquentem eſſe mali authorem, malumque principium, bono, bonorum authori, contrarium *(y)*. Quamobrem ipſius malorum principii, ac Veteris Teſtamenti authoris odio, rerum quarumdam uſum execrabantur, præſertim animalium, metuentes, teſte S. Epiphanio *(z)*, ne quam animam comederent. Nihilominus eos piſcibus uſos aſſerit Tertullianus *(a)*. Hos hæreticos eorumque imitatores, puta Encratitas, ac Saturnini & Montani Diſcipulos, hic damnat Apoſtolus; docetque, bonum eſſe per ſe & mundum quidquid condidit Deus, neque vetitum illius uſum, tametſi malum foret. Quamquam ob alias optimæ Religionis rationes, ſive valetudinis vel honeſtatis causâ, licet interdum iis abſtinere. Paulus ipſe cœlibem ſe eſſe teſtatur *(b)*, ſuumque corpus affligendo in ſervitutem redigere *(c)*, ob pœnitentiæ propoſitum; malle ſe quibusdam cibis ſemper abſtinere, ſi ex eorum uſu orituram fratri offenſionem intelligeret *(d)*.

℣. 5. SANCTIFICATUR ENIM PER VERBUM DEI ET ORATIONEM. Ciborum uſus per ſe bonus eſt & ſanctus; quidquid enim condidit Deus, labe caret: ſi qua tamen impuritas in re creatâ vel illius uſu foret *(e)*, tergeretur oratione boniſque precibus, quibuscum eâ utimur, & *per verbum Dei*, ex quo per Chriſtum didicimus, hominem non inquinari iis, quæ per os intrant *(f)*; tum per Apoſtolos ipſius nomine congregatos *(g)*, delectum carnium a Moyſe imperatum obſolevisse. Poſt primi hominis peccatum, creatæ res omnes Dæmoni obnoxiæ fuiſſe videntur, atque ita labem quamdam retuliſſe *(h)*. At cibus, quo utimur, cujuſcumque naturæ, ſanctus purusque efficitur oratione, quæ aut conjungitur aut præcedit, & gratiarum actione, quæ cœnam conſequitur. Quamobrem nedum fas eſt per ſe quibuslibet cibis indiſcriminatim uti, verùm etiam ex adjunctis ſanctum id effici & præmio dignum poteſt *(i)*.

℣. 6. HÆC PROPONENS FRATRIBUS, BONUS ERIS MINISTER CHRISTI JESU. Iſta docere debes plebem tibi creditam, ſi boni Epiſcopi partes explere deſideras. Ineffabile Incarnationis Myſterium cum adjunctis *(k)*, uti gentibus nunciatum eſt, & ab innumeris exceptum, propone; tum illorum mores occupato adversùs Pſeudo-Doctorum fraudes, hæreticorumque, & Satanæ Miniſtrorum, qui ſupremis temporibus venturi ſunt, atque a te ipſo ſpectari præſentes poterunt, docebuntque errores & dogmata diabolica; nuptiis denique & cibis a Deo conceſſis interdicent.

ENUTRITUS VERBIS FIDEI ET BONÆ DOCTRINÆ. Oportet Epiſcopum ipsâ, ut ita dicam, divini verbi & Scripturarum medullâ nutritum eſſe, fartum, & ſaginatum. Iſta verſare debet aſſiduo ſtudio & meditatione, ait S. Chryſoſtomus *(l)*. Non enim vulgaris eſt cibus, faſtidium uſu pariens. Quò avidius ſumis, eò magis eſuris. Plenus erat Sancti Spiritûs lumine doniſque Timotheus; aliquot annos Apoſtolum audierat. Illum fatetur Paulus eſſe *enutritum verbis fidei & bonæ doctrinæ quam aſſecutus eſt*: monet nihilominus, lectioni & ſtudio vacet *(m)*. Quid illi, qui ſacro in munere neque parem habent eruditionem, neque paria auxilia?

℣. 7. INEPTAS ET ANILES FABULAS DEVITA. Græcus *(n)*: *Profanas & aniles fabulas rejice*. Intelligere creditur inanes Judæorum traditiones *(o)*, novaque Hæreticorum mox deſcriptorum dogmata *(p)*. Profectò Religio a Simone, Menandro, Saturnino, Marcione, Gnoſticis, Encratitis tradita, monſtrum erat fabulis, commentis, generationum ordinibus, principiis, nullo nexu aut probabilitate conjunctis, conſarcinatum.

℣. 8. CORPORALIS EXERCITATIO AD MODICUM UTILIS EST. Athleticæ exercitationes, quas tanto-

(u) *Vide Hieronym. l. 1 contra Jovinian. Aug. l. 2 de nupt. & concupiſc. c. 5; & l. 2 contra duas Epiſt. Pelag. c. 2; & l. 30 contra Fauſt. c. 5, 6. Eſt. hic; Cornel. a Lapide.*
(x) *Geneſ.* 1, 31. (y) *Vide Tertull. l. 1, c. 2, contra Marcionem.* (z) *Epiphan. hæreſ.* 42.
(a) *Tertull. l. 1 contra Marcion. c.* 14. (b) 1 *Cor.* VII, 7, 8. *Ita PP. plerique.*
(c) 1 *Cor.* IX, 27. (d) 1 *Cor.* VIII, 13.
(e) *Theophyl.* Κατὰ συγχώρησιν ταῦτα τέθεικε. Πρῶτον μὲν γὰρ κατὰ ὑπόθεσίν φησιν, ὅτι οὐδὲν ἀκάθαρτον, ἔπειτα κατὰ συγχώρησιν δῶμεν, φησί, ὅτι γίνεταί τι ἀκαθαρσίαν, ἀλλ' ἔχεις τὴν ἰατρείαν.
(f) *Matt.* XV, 11, 17. (g) *Act.* XV, 27, 28.
(h) *Rom.* VIII, 20. *Ambroſ. l. 2 de Abel & Caïn, c. 8; Auguſt. l. 4, c. 19, de civit. Dei. Eſt. Menoch. & c. alii.* (i) *Theodoret.* Ταῦτα μέντοι τὸ φύσει καλὸν μετ' εὐχαριστίας λαμβανόμενον, τῇ τοῦ Θεοῦ μνήμῃ, καὶ ἅγιον ἀποφαίνεται. (k) 1 *Timot.* III, *ult. Vide Theophyl. Eſt. Men.*
(l) *Chryſ.* Ἐντρεφόμενος, φησί, τὸ διηνεκὲς τῆς εἰς τὰ τοιαῦτα προσοχῆς δηλῶν ... μηρυκώμενος, συνεχῶς τὰ αὐτὰ στρέφων, ἀεὶ τὰ αὐτὰ μελετῶν, τροφὴν γὰρ ἔχει οὐ τὴν τυχοῦσαν.
(m) Infra, ℣. 13. (n) Τοὺς δὲ βεβήλους, καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ. (o) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl.* (p) *Grot. Eſt. Men. Varſ. Dana.*

℣. 9. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.

℣. 10. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè Fidelium.

℣. 11. Præcipe hæc, & doce.

℣. 12. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat; ſed exemplum eſto Fidelium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.

℣. 13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

℣. 14. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.

COMMENTARIUS.

topere amant Græci, non admodum proſunt: eò quippe deſinunt, ut corpus confirment roborentque, ac denique vanos plauſus & fragilem coronam ferant. At ſpirituales pietatis exercitationes, ſtudium, lectio, preces, charitatis opera, vitæ ſanctitas, abſtinentia, jejunium, pœnitentia longè utiliſſima ſunt, fructumque ferunt, nedum præſenti in vitâ, ſed & in alterâ (q). Interpretantur nonnulli (r) de corporis exercitationibus valetudinis cauſâ, veluti deambulatione, pilâ, diſco. Modica his utilitas ineſt, fragiliſque valetudo his artibus aliquo tempore curatur: at infinitum eſt ex pietate commodum. Ajunt alii (s), comparare Paulum pietatis opera, ſanctitatem vitæ, charitatem cum exterioribus corporis afflictationibus, abſtinentiâ, jejunio, defatigatione. Optima iſta quidem ſunt; at pietas, fides, ſpes, charitas, iſtarumque virtutum exercitatio melior.

℣. 9. Fidelis sermo. Vulgo ad ſuperiora referri ſolet (t). Quæ dixi, peculiarem animadverſionem merentur; ſuntque totius vitæ Chriſtianæ fundamenta. Membrum hoc claudi intra parentheſim poteſt; conſequens enim ℣. 10 cum ſuperioribus nectitur.

℣. 10. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum. Hæc cauſa eſt, cur ærumnis & maledictis obruamur; five, cur ista æquo animo perferamus; ſemper ut promiſſa, quæ ſperamus, futuræ vitæ bona aſſequamur (℣. 8.). Si hæc ſpes deficeret, malis hiſce non occurreremus. Aliter Gentilium odia in nos illud provocat, quòd Deum vivum æternamque vitam prædicamus. Si imitari velim pſeudo Apoſtolos, qui neque Judæos neque Ethnicos arguunt, Judaicos mores ſectantur inter Judæos, vitamque Gentilibus ſimilem apud Gentiles agunt, nulla mihi perſecutio futura eſt.

Qui est Salvator omnium, maxime Fidelium. *Salvatoris* appellationem Deo Patri attributam ſupra vidimus (u). *Omnium Salvator* ipſe eſt; omnes ad ſalutem vocat; intra Eccleſiam omnes nullo diſcrimine admittit. Mors Filii, quem in omnium ſalutem tradidit, omnium redemptioni abundè ſufficit. At illius benevolentia erga Fideles maximè oſtenditur; non quòd ſalutem omnes aſſequantur; ſed omnes viam ſalutis ingreſſi ſunt, donatique lumine Fidei, Evangelii agnitione, auxiliiſque, quibus omnino ſalutem aſſequi poſſunt, niſi infideles ſint Deo, qui & vocavit & juſtos fecit (x).

℣. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat. Ita te gravem & compoſitum exhibeto, ut nemo juventutis cauſâ te ſpernat. Veneratione dignus efficere integritate morum, geſtorum ſapientiâ, dogmatum ſanctitate. Seu denique, utere dignitatis tuæ poteſtate, neque te ſperni ſinas. Quæ tunc ætas Timothei fuerit, ſatis compertum non eſt: at hoc ipſum argumento non eſt, illum fuiſſe juniorem; circiter fortaſſe quadragenarium. Quæ ætas minor eſt ſenectute, in Scripturis adoleſcentia dicitur. Primis iis temporibus nullus fermè erat Epiſcopus niſi ſenex. Annus ferè quartusdecimus erat, ex quo Paulum ſequebatur Timotheus; quippe quem aſſumpſit Paulus & circumciſione initiavit anno Chriſti LI; hæc autem Epiſtola data eſt ſub finem anni LXIV. Si viginti annos Timotheo tribuas, quo tempore ſecutus eſt Paulus, ſub hujus Epiſtolæ tempus annis XXXV natum deprehendes.

Sed exemplum esto Fidelium. Si tueri auctoritatem & dignitatem cupis, eſto Fidelium exemplum, lex viva (y): quæ doces & præcipis, ipſe præſta: geſta verbis conſentiant. Tanto ſanctior ſubditis eſſe debet Epiſcopus, quanto major grege eſt paſtor. Exemplo doce, quàm ſanctè loquantur, proximum ament, & fide vivant, charitatem, gravitatem, innocentiam colant. Græcus addit: *In ſpiritu*, acri mentis fervore, Religionis ſtudio, divinorum munerum uſu. Hanc additionem non habent Syrus, & libri complures (z); neque legit Chryſoſtomus.

℣. 13. Dum venio, attende lectioni. Animadvertimus ſupra, III, 14, Paulum fortaſſe Epheſo tranſiiſſe, cùm Romam ſupremo itinere proficiſceretur; ibique vidiſſe Timotheum. Illum hortatur Apoſtolus, ut operam det *lectioni*, *exhortationi*, & *doctrinæ*. Sacra volumina, tametſi eruditus, & Spiritu Sancto cumulatus, lectites volo (a): invenies quo eruditior fias, confirmeris animo, & recreeris. Veteres Prophetas evolve: argumenta reperies, quibus Chriſtiana Religio confirmatur. *Attende exhortationi*, ſive *conſolationi* (b) creditæ tibi plebis. Subditos hortare, ut in bono perſeverent; conſolare inter ærumnas, perſecutiones, &c.

℣. 14. Noli negligere gratiam, quæ in

(q) *Vide Eſt. Men. Tirin. Price. Scult. Piſc.*

(r) *Chryſ. Theodoret. Theophyl.* (s) *Quidam apud Chryſ. & Theophyl. Dann. Grot. Voſſ. Ita & Ambroſiaſt. Anſelm. D. Bern. Apolog. ad Guillel. D. Thom.* (t) *Chryſ. Theodoret. Theophyl. &c.*

(u) 1 *Timot.* I, 1. (x) *Vide Concil. Trid. ſeſſ.* 6. 13. (y) *Theodoret.* Θέλεις, φησὶ, μὴ καταφρονεῖσθαι κελεύων, ἔμψυχος νόμος γένου, δεῖξον ἐν σεαυτῷ τὸ τῶν νόμων κατόρθωμα. *Vide* 1 *Petri*, V, 3.

(z) *Oreſt in Alex. Claram. G. L. Borner. G. L. Ambroſ. Aug. Heſychius in Levit. &c.*

(a) *Iſidor. Peluſ. l.* 4, *Ep.* 88.

(b) Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει.

℣. 15. Hæc meditare; in his eſto; ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.

℣. 16. Attende tibi, & doctrinæ; inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.

COMMENTARIUS.

TA EST, CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII (c), ſive presbyterorum. Hinc diſce, Timotheum nonniſi jubente ac movente peculiariter Spiritu Sancto fuiſſe initiatum in Epiſcopum. Gratia, de quâ Paulus, eſt Epiſcopalis inſtitutionis gratia, ipſi collata impoſitis manibus presbyterorum, ſive Epiſcoporum, Eccleſiaſtici Senatûs; id enim ſignificant Græca vocabula (d); ac perſpicuum eſt, nunquam poteſtatem fuiſſe Presbyteris manus imponendi Epiſcopis, eoſve initiandi. Paulus in ſecundâ ad Timotheum (e) ait, ſeſe illi manus impoſuiſſe: *Ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Ipſe igitur præcipuus fuerat conſecrandi Timothei miniſter, adfuerantque cæteri Epiſcopi Provinciæ, in qua eſt conſecratus (f): vetus quippe Eccleſiæ mos ferebat, ut ad Epiſcopi cujuspiam ordinationem Epiſcopi plures convenirent; & noſtris adhuc moribus ſervatur, ut tres ſaltem adſint Epiſcopi; atque is numerus certus eſt ac definitus.

Putat Chryſoſtomus (g), Timotheum Epiſcopali dignitate initiatum ſtatim ac circumciſus fuit; adeo ut eodem ſimul tempore & Diſcipulus fuerit & Magiſter. Id ſi verum eſt, neceſſe eſt, illum Lyſtris fuiſſe ordinatum, ubi illum Paulus in Diſcipulum adoptavit & circumcidit (h), anno Chriſti 51; id quod ægrè crediderim, ob minorem Timothei ætatem. Docendi *gratia* eſt, ait Theophylactus (i), ſive inſtituendi facultas, ſeu denique authoritas & provincia cæteros erudiendi, quam accepit Timotheus, cùm Epiſcopus crearetur; hæc enim omnia Græco vocabulo ſignificari poſſunt. Sive ex aliis, divinæ ſcientiæ, linguarum, prodigiorum, interpretationis Scripturarum, omnia denique Spiritûs Sancti dona implendis muneris illius officiis opportuna. Porrò ejusmodi dona gratuita ſunt, at ſollicitè cuſtodienda ſanctitate vitæ, vigilantiâ, oratione, cautâque geſtorum omnium conſideratione. His artibus ea excitantur, ut ait Apoſtolus (k); contrariis verò contriſtatur Spiritus Sanctus & extinguitur (l).

℣. 15. HÆC MEDITARE, IN HIS ESTO. Officia & munera tua aſſiduè meditare; animo ſemper verſa quid Epiſcopum deceat, *ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus*. Te quotidie eruditione, virtute, ſanctitate, ſapientiâ proficientem omnes admirentur.

℣. 16. HOC FACIENS, TEIPSUM SALVUM FACIES, ET EOS QUI TE AUDIUNT. Tibi cavens, cæterosque docens, æternam vitam ipſe promereberis, & cæteros in viam ſalutis duces. Vigil Paſtor ſaluti ſuæ conſulit, dum alienæ laborat: quæſiturus ab eo eſt Deus nedum quid ipſe, verùm etiam quid creditus grex fecerit. Si pervicax & diſciplinæ impatiens grex fuerit, culpa in Paſtorem non cadit: at ſi non ſatis edoctus aut male cuſtoditus, id vitio Paſtori tribuitur.

CAPUT V.

Morum præcepta. Quid Timotheo agendum erga ſenes, juvenes, viduas. Quales eſſe debeant Diaconi. Presbyterorum merces. Accuſatio in Presbyterum non facilè excipienda. Publica peccata publicè arguantur. Ne facilè manus imponantur. Modico vino utatur Timotheus.

℣. 1. SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem; juvenes ut fratres;

COMMENTARIUS.

℣. 1. SENIOREM NE INCREPAVERIS. Epiſcopi gravitatem dedecet, quemlibet vehementiùs cum jurgio arguere, maximè autem omnium ſenem (a). Gravis per ſe ac moleſta objurgatio eſt: cur addis contumeliam? Senectus hominem peccati expertem non facit; at conciliat exigitque obſequium, præſertim ex adoleſcente, qualis tunc erat Timotheus. *Seniorem*, Græcè *presbyterum*, hominem ſenem intellige, non Sacerdotem. Si grave flagitium admiſerit ſenex, quod pravo cum exemplo ſit, in publico argue, ſed modeſtè (b). Si clam peccavit, clam argue, eo tamen cum obſequio, quo moniturus es patrem, ubi neceſſe foerit illum corripere: *Obſecra ut patrem*. Erga juvenes utere authoritate, at memento fratres eſſe: ſuaviter & man-

(c) Libri complures manu exarati & excuſi legunt *Presbyteri*, pro *Presbyterii*. Vide *Selden. de Synedriis*, *l.* 1, *c.* 14, *p.* 311. (d) Μετ' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. *Æthiop. Epiſcoporum*. *Chryſ.* Οὐ περὶ πρεσβυτέρων ἐνταῦθά φησι, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων. Οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. *Ita Interpp. paſſim.* (e) 2 *Timot.* 1, 6. (f) *Vide Eſt. Grot. alios.*
(g) *Chryſoſt. in* 1 *Timot. prolog. p.* 402, 403. (h) *Act.* xvi, 2.
(i) *Theophyl.* Τῆς διδασκαλίας τὸ χάρισμα ἐνταῦθά φησιν, ὃ ἐδέξατο ἐπίσκοπος γινόμενος. *Ita Theodoret. & Chryſ.* (k) 2 *Timot.* 1, 6. (l) 1 *Theſſal.* 5, 19: *Spiritum nolite extinguere*. *Epheſ.* iv, 30: *Nolite contriſtare ſpiritum*.
(a) *Theodoret.* Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς. Οὐ τὸν ἱερέα ἐνταῦθα λέγει, ἀλλὰ τὸν γεγηρακότα. *Ita Theophyl.* (b) *Vide Greg. Mag. l.* 7, *Ep.* 1, *indict.* 2; *Ubi ſenior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi diſtrictâ increpatione feriendus eſt.*

℣. 2. Anus ut matres, juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate.
℣. 3. Viduas honora, quæ verè viduæ ſunt.
℣. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primùm domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo.
℣. 5. Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die.
℣. 6. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt.
℣. 7. Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint.
℣. 8. Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.

COMMENTARIUS.

manſuetè increpa: *Juvenes ut fratres*.

℣. 2. ANUS UT MATRES. Si opus fuerit anus arguere, illarum ætatem obſerva, eaſque ceu matres mone: obſequium teſtare; at impunes ne ſinito. *Juvenculas ut ſorores*, eâ tamen circumſpectione & prudentiâ, ut ne quam tui ſuſpicionem ingeras (c): *In omni caſtitate*.

℣. 3. VIDUAS HONORA, QUÆ VERE VIDUÆ SUNT: ea ſcilicet quæ neceſſaria vitæ ſunt, illis præbe (d). Luculentius honoris & exiſtimationis argumentum exhibere non potes. Satis conſtat, *honorare* frequenter eſſe, vitæ neceſſaria ſuppeditare. Id porrò in eo conſiſtebat, ut deſcriptis in Eccleſiæ indiculo darentur partes ex largitionibus boniſque communibus, quæ Eccleſiæ cenſus erant: at cùm per ea tempora fides viva eſſet & flagrans charitas, ſatis ſuperque ſuppetebat, ut Altaris Miniſtri, viduæ, & pauperes in frugi ac moderato vitæ genere alerentur.

QUÆ VERE VIDUÆ SUNT, derelictæ, deſolatæ, humano auxilio deſtitutæ, uti ſonat ipſa appellatio (e). Quæ enim locupletes ſunt, & viduitatem loco recuperatæ libertatis habent, ſive quæ inertiam, rixas, curioſitatem ſectantur, de quibus mox, ℣. 6, 11, 12, 13, 14, eæ verè viduæ non ſunt. Quæ hîc memorantur, filiorum, ſiquos habent, curam gerere debent, fiduciam in Deo collocare, vacare precibus, charitatis opera erga peregrinos & miſeros exercere, denique in omne bonorum operum genus incumbere.

℣. 4. SI QUA VIDUA FILIOS AUT NEPOTES HABET, DISCAT PRIMUM, &c. Potiſſima viduæ veræ ſollicitudo eſſe debet filios ſanctè ac piè educare, familiam rectè moderari, debita parentibus officia exhibere. Nihil his antiquius poſt Deum illi eſto: filios ſanctiſſimè inſtituat, parentes pro viribus colat juvetque. Sive, ex Theodoreto, eamdem filiis opem exhibeat, quam ſibi parentes præſtitere, ut parem ex iis gratiam referat.

Græcus (f) aliter habet: *Si qua vidua filios aut nepotes habet, diſcant illi primùm domum ſuam piè gubernare, & mutuam vicem parentibus reddere.* Quæ lectio ſententiam mutat; non enim viduas, ſed filios inſtituit Apoſtolus, atque ex obliquo tantummodo ſpectat viduas, ex eo nimirum, quòd curare debeant viduæ, ut filii officio fungantur in familiâ, ipſæque exigant opem ſibi convenientem ex iis, quos ſanctiſſimæ Leges ad id obſequii genus impellunt. At non deſunt Codices eximii, tum Græci cùm Latini, cum Vulgatâ conſentientes (g), totumque hoc membrum ita uſurpantes, quaſi eo viduæ moneantur. In hanc ſententiam conveniunt Interpretes eruditiſſimi (h), quippe qui numerum multitudinis pro ſingulari uſurpatum exiſtimant.

℣. 5. SPERET IN DEUM, ET INSTET OBSECRATIONIBUS. Potiſſima viduæ Chriſtianæ laus. Fiduciam omnem in Deo collocet, cùm nullum illi ſolatium, ſpes nulla ex hominibus ſibi relicta fuerit; Deumque per diem noctemque flagitet, ut ſibi inſtar omnium ſit. Græcus fert (i): *Speravit, inſtat*. Conſentiunt eximia Exemplaria Latina complura: *Sperat, inſtat*. Eadem eſt ſententia. Prima viduæ Chriſtianæ officia & laus potiſſima ſunt fiducia & preces. Hujuſmodi fuit Anna illa Phanuelis filia apud Lucam, II, 37.

℣. 6. QUÆ IN DELICIIS EST, VIVENS MORTUA EST. Quæ vidua delicias, mollem vitam, epulas, luxum ſectatur, mortua eſt fidei, gratiæ, Deo. Superſtes viro eſſe videtur, at unius corporis vitâ: animo eſt mortua (k): *Vita mors eſt, & quidem turpis, inter fœda verſantibus*. Animum extinguunt deliciæ, atque in corpore ceu ſepulcro circumſcribunt (l).

℣. 7. ET HOC PRÆCIPE, UT IRREPREHENSIBILES SINT. Iſtud conſilii non eſt, ſed præcepti. Chriſtiana vidua vitam agat magis inculpatam, quàm Fideles cæteri, ipſâ hominum exiſtimatione, inter quos Chriſtiani aſtrorum more micare debent (m).

℣. 8. SIQUIS SUORUM, ET MAXIME DOMESTICORUM CURAM NON HABET, FIDEM NEGAVIT. Duplex eſt fidem abnegandi modus, verbis nimirum & geſtis. Qui aliter agit quàm credit, is oſtendit ſe ex animo non credere id quod ore confitetur. Profectò ſi Dei verbis crederet, negligeret ne gravem adeò provinciam, liberorum nempe educationem, & familiarium emendationem? Si acceptam fidem promiſſamque æternitatem tanti faceret, quanti æſtimari decet, fieri non poſſet,

 ut

(c) *Chryſ.* Μήτε ὑποψίαν παρέχων, μήτε σκιὰν προφάσεως τοῖς διαβάλλειν βουλομένοις.
(d) *Theophyl.* Τίμα, ἀντὶ τοῦ ἐλέει, καὶ τὰ ἀναγκαῖα χορήγει. *Vide infrà* ℣. 9. *Act.* VI, 1. *Ignat. Ep. ad Polycarp.* (e) Χήρα, *vidua*, ex χηροῦσθαι, *deſolari*, *deſtitui*, *privari*. Hîc, ℣. 5: *Quæ verè vidua eſt, & deſolata.*
(f) Εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. *Oecumen.* Εὐσεβεῖν, διατιθέναι καλῶς.
(g) Μανθανέτω πρῶτον τῷ ἰδίῳ οἴκῳ, *&c. Ita Græc. Velez. Clarom. Lat. Ambroſiaſter, Hieronymiaſt. Aug. &c.* (h) *Chryſoſt. Eſt. Eraſm. Caſtal. Lir. Prica. Vat. Scalt. Caſaub. Aug. Hieronym. &c.*
(i) Ἤλπικεν, καὶ προσμένει. *Velez.* Ἐλπιζέτω, προσμενέτω, *Speret, inſtet. Alii plures Mſſ. Ambroſiaſt. Sperat, inſtat.* (k) *Senec. Ep.* 72. (l) *Theodoret.* Ἡ γὰρ τῆς τρυφῆς ἀμετρία τὸ λογικὸν κατακχώννυσι, καὶ ἀνίκητον ὡς ἐν τάφῳ τινὶ τῷ σώματι κεῖσθαι παρασκευάζει. (m) *Philipp.* II, 15.

℣. 9. Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor;

℣. 10. In operibus bonis teſtimonium habens; ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi Sanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt.

℣. 11. Adoleſcentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt:

℣. 12. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

COMMENTARIUS.

ut commendatorum ſibi hominum utilitatem parum adeò curaret? Infidelia certè familiæ curam gerit: quicquid boni poteſt, illi comparat; debitâque ope non fraudat ſuos. Chriſtianus igitur, ſuorum ſalutem negligens, eſt infideli deterior (n).

℣. 9. VIDUA ELIGATUR NON MINUS SEXAGINTA ANNORUM. Plura viduarum genera in Eccleſiâ recenſebantur. Aliæ locupletes erant, ſuiſque opibus vivebant: aliæ inopes, deſcriptæ in Eccleſiarum indice, parteſque ex conſuetis largitionibus accipiebant; aliæ denique erant, certis in Eccleſiâ officiis deſtinatæ, ad Epiſcopi, Presbyterorum, Diaconorum nutum, ſive languentium ſolatio, ſive pauperum obſequio, ſeu denique aliis rebus, quæ viros dedecerent, occupatæ. De poſtremis hiſce hîc agit Apoſtolus. Præcipit primùm, ut ſexaginta ſaltem annos natæ ſint, tum vitandæ causâ ſuſpicionis, facilè orituræ, ſi eæ juniores eſſent (o); tum quòd ejus ætatis fœminæ victum labore ſibi comparare nequeant (p). II, ut univiræ fuerint; quamvis enim ſecundas nuptias nunquam damnarit Eccleſia, eæ tamen intemperantiam quamdam ſignificant, quæ homines Deo ſacros dedecet. Græci & Romani Flaminicas Diales nonniſi univiras admittebant (q).

Recentiores nonnulli (r) de iis interpretantur, quæ, nunquam facto a prioribus viris divortio, ad alios non tranſierint. Sed denique, ex Theodoreto, eæ ſunt quæ caſtam in matrimonio vitam duxere. Cur enim, ajunt, ab eo munere excludantur eæ, quæ factâ ſibi a Chriſto Jeſu ſecundarum poſt obitum prioris viri nuptiarum facultate uſæ ſunt? At reſponderi poteſt, id quidem non peccati causâ fieri, cùm ſecundæ nuptiæ peccato vacarent, ſed quòd ſecundæ nuptiæ ſanctitatem ejus muneris dedecerent (s).

℣. 10. IN OPERIBUS BONIS TESTIMONIUM HABENS. Ea ſit, quam qui noverint, a vitæ integritate commendent. His in rebus populi conſenſus Dei vox eſſe cenſetur. Porrò his potiſſimùm rebus viduitis ſpecimen ab eâ neceſſe eſt exhiberi; I, educatione filiorum; II, hoſpitalitate; III, pedes Sanctorum & Fidelium peregrinorum abluendo. Huc autem inſigne erat piæ demiſſionis argumentum (t), & officium apud Orientales conſuetum, uti liquet ex Scripturâ (u) & Profanis. IV, ope miſeris præſtitâ (x); V, denique ſedulâ bonorum quorumlibet operum exercitatione quæſitâque ſtudioſè bene agendi juvandique proximos opportunitate. Si enim aliena mala in matrimonio neglexit, quis putet viduam fore ſtudioſam operum miſericordiæ, quibus ab Eccleſiâ deſtinanda eſt, ſi inter miniſtros cooptetur?

℣. 11. ADOLESCENTIORES VIDUAS DEVITA, exclude (y): inter viduas Eccleſiæ, pauperum, languentium, peregrinorum obſequiis addictas, ne admittito. *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt*: actâ inter delicias vitâ in Chriſti obſequio, nuptias quærunt. Sive ex Græco (z): *Poſtquam inſolenter ferocierint adverſus Chriſtum*, ſive in Chriſti miniſterio ſaginatæ fuerint ſeu denique commodius vitæ genus in Eccleſiâ duxerint, Chriſtum ſponſum abdicant, atque ad matrimonium redeunt (a).

℣. 12. HABENTES DAMNATIONEM: damnandæ ſunt, quòd priſtinam fidem fregerint, ceu adulteræ, quæ conjugii fidem violant. Hinc videtur colligendum, viduas & Diaconas, quæ in Eccleſiæ miniſterium adlegebantur, voto ſeu promiſſione ſeſe adigere conſuevisſe, fore ſe in poſterum Jeſu Chriſti obſequiis addictas, totoque vitæ curriculo continentiam ſervaturas (b), violatâque ejus voti vel promiſſionis, uti Patres nuncupant (c), fide, in damnationem incurrere. *Primam fidem* id appellat Apoſtolus, ſeu novam cum Chriſto Jeſu ſponſionem; antea quippe communi-

(n) *Vide Theophyl. hic, Eſt. Men. Tir. Eraſm. Zeger.* (o) *Conſtit. Apoſtol. l. 3, c. 1; Chryſoſt. Eſt. Voeſt. alii.* (p) *Vide Theodoret. Dion.* (q) *Vide Grot. Price.* (r) *Vide Jac. Capell. Druſ. Dan. Bez. Vorſt. Druſ.* (s) *Theophyl.* Μονογαμίαν ἀπαιτεῖ ὡς σημεῖον σωφροσύνης, καὶ φιλοφροσύνης. *Eſt. Grot.*

(t) *Clem. Alex. hypotypoſ. l. 7, apud Oecumen.* Εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψε. Τουτέστιν, εἰ τὰς ἐσχάτας ὑπηρεσίας τοῖς ἁγίοις ἀνεπαισχύντως ἐξετέλεσε.

(u) *Geneſ.* XVIII, 4; XIX, 2; XXIV, 32; *Luc.* VII, 44; *Joan.* XI, 2; XIII, 5. *&c.*

(x) Εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, *Si neceſſaria vitæ ſubminiſtravit afflictis*, *Theophyl.* Εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, καὶ διὰ χρημάτων, καὶ διὰ προστασίας, καὶ μεσιτείας.

(y) Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ. *Conſtit. Apoſtol. l. 3, c. 1:* Εἰς χηρικὸν μὴ ἐντασσέσθω.

(z) Ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσι, *Cùm laſcivierint, ferocierint, inſolenter, duriè, contumaciter geſſerint, item, delicatæ fuerint, petulantes fuerint contra Chriſtum, nubere volunt.*

(a) *Theodoret.* Τῷ γὰρ Χριστῷ συνταξάμεναι σωφρόνως ζῆν ἐν χηρείᾳ, δευτέραις ὁμιλοῦσι γάμοις. *Theophylact.* Ὅταν καταστρηνιάσωσι, τουτέστιν, ὅταν σπαταλήσωσι, ὅταν θρύψωνται τοῦ Χριστοῦ, μὴ καταδεξάμεναι αὐτὸν νυμφίον, ἐκπίπτουσι λοιπὸν εἰς τὸν γάμον.

(b) *Conſtit. Apoſtol. l. 3, c. 1:* Λόγον ὑφέξει τῷ Θεῷ. Οὐχ ὅτι δευτέρῳ γάμῳ συνήφθη, ἀλλ' ὅτι τὴν ἑαυτῆς ἐπαγγελίαν οὐκ ἐφύλαξε, καταστρηνιάσασα τοῦ Χριστοῦ. Διότι μετὰ πίστεως, καὶ φόβου Θεοῦ ἵνα ἦλθε φυλάξαι τὴν ἐπαγγελίαν ... κρεῖσσον γὰρ αὐτῇ ἦν μὴ εὔξασθαι, ἢ εὔξασθαι, καὶ μὴ ἀποδοῦναι. *Vide Tertull. Chryſoſt. Grot. Sculr. Eſt. Men. Tir. alios.*

(c) *Aug. de bono vidnit. c. 8, 9, 10; de ſanctâ virginit. c. 33, 34. de adulterin. conjug. c. 24, 25; Cyprian. l. 1, Ep. XI. ad Pompon. Epiphan. hæreſ. 48, & 61; Hieronym. l. 2 contra Jovinian. Fulgent. Ep. 3, c. 6; Concil. IV Carthag. c. 14.*

Digitized by Google

℣. 13. Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos; non ſolùm otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet.

℣. 14. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare adverſariis maledicti gratiâ.

℣. 15. Jam enim quædam converſæ ſunt retrò ſatanam.

℣. 16. Si quis Fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia: ut iis, quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat.

℣. 17. Qui benè præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè, qui laborant in verbo, & doctrinâ.

℣. 18. Dicit enim ſcriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et: Dignus eſt operarius mercede ſuâ.

℣. 19. Adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.

COMMENTARIUS.

nibus omnium Chriſtianorum vinculis Chriſto conjungebantur: at poſt promiſſionem novum inibant fœdus, quod ipſis primum ejus naturæ eſſet.

℣. 13. SIMUL AUTEM OTIOSÆ DISCUNT CIRCUIRE DOMOS. Cùm noverint, Eccleſiam ſuis alimentia conſulere, per ſpeciem exercendi muneria ſui, inviſendorum ſcilicet inopum & languentium, inecti vitæ generi aſſueſcunt, domosque percurrunt curioſæ, ignavæ, inquietæ. Vide *Prov.* VII, 11; 2 *Theſſal.* III, 11.

℣. 14. VOLO ERGO JUNIORES NUBERE. Malo illas iterum nubere, quàm in viduarum ordine & munere verſari; aut, quod pernicioſius fuerit, deeſſe promiſſia quæ juraverint; ſive otium ſectaci, vanamque ſpectandi, effutiendi, audiendi omnia curioſitatem. Quæ continentiæ dono non gaudent, nubant. Secundas igitur nuptias non damnat Apoſtolus; easque tamquam libidinia remedium permittit.

℣. 15. JAM ENIM QUÆDAM CONVERSÆ SUNT RETRO SATANAM. Harum ſponſionum diſcrimen lugubri experimento didici. Hæc igitur diſciplina, de qua Paulus, in Eccleſiâ inoleverat; ac fortaſſe quo tempore ſeptem Diaconi Jeroſolymis ordinati ſunt, viduæ pariter in fœminarum miniſterium ſunt conſtitutæ. Vide *Act.* V, 1, 2.

℣. 16. SI QUIS FIDELIS (d) HABET VIDUAS cognatione propinquas, ipſas alat. Nihil antiquius Paulo eſt, quàm ut Eccleſia ſuperfluis ſumptibus ne gravetur, ac largitiones in Miniſtrorum verorumque pauperum alimentum deſtinatæ, ad inutiles perſonas, quæ privatis familiæ opibus aliquant, ne detorqueantur. Æquum non eſt, ut qui viduas ſuas alere poſſunt, eas Eccleſiæ alendas relinquant.

℣. 17. QUI BENE PRÆSUNT PRESBYTERI, DUPLICI HONORE DIGNI HABEANTUR. Honor hoc loco minùs ſignificat obſequium, hominibus Eccleſiaſticos Magiſtratus gerentibus debitum, quàm mercedem, ipſorum labori a Fidelibus exhibendam. *Honorare* non raró uſurpatur (e) pro *remunerari*. Ita paſſim explicant Patres & Interpretes (f). *Honor duplex*, ſeu merces duplex pro ingenti mercede ponitur. Par eſt mercedem illis tribui liberalem, amplam, ſplendidam, ut illorum virtus, labor, dignitas poſtulant. *Duplex* frequenter in Scripturis (g) *ingentem* ſignificat. Duplicem mercedem uſurpant alii ut comparatam cum viduarum alimentis, de quibus proximè (h).

Presbyteros hîc intellige Epiſcopos & Sacerdotes (i), *qui laborant in verbo & doctrinâ*. Non ſemel animadvertimus, Apoſtolum ſub Presbyterorum appellatione complecti Epiſcopos. Innuere videtur, nonnullos fuiſſe, qui prædicationem & inſtitutionem negligerent, cùm ait: *Maximè qui laborant*, &c. Itaque vel eos ſignificat, qui ſtudioſiùs utiliùſve quàm cæteri laborant; ſive docentes inſtituentesque comparat cum occupatis adminiſtratione Sacramentorum, & ſolatio mœrentium inopumque: neque enim credibile eſt, per id tempus, non ſecus atque noſtrâ ætate uſuvenit, Presbyteris omnibus fuiſſe docendi peritiam.

℣. 18. NON ALLIGABIS OS BOVI TRITURANTI. Locus ex Veteri Teſtamento (k); ex Novo eſt consequens (l): *Dignus eſt operarius mercede ſuâ*. Sive, poſtrema hæc ſententia proverbii loco vulgata erat apud Hebræos, eâque uſus eſt Chriſtus, ut pariter doceret, nihil levius expectare eos poſſe qui populorum inſtitutioni operam navant, quàm alimenta.

℣. 19. ADVERSUS PRESBYTERUM ACCUSATIONEM NOLI ACCIPERE, NISI SUB DUOBUS AUT TRIBUS TESTIBUS. Epheſi Epiſcopus erat Timotheus, adeoque legitimus Presbyterorum judex, ſiquid illi peccarent. Monet Apoſtolus, ne accuſationes adversùs Presbyterum facilè excipiat: ſiquando autem excipi & audiri neceſſe ſit, nonniſi ex duorum vel trium teſtium fide excipiantur (m). Neque tamen putaveris, absque hujusmodi teſtium ſuffragio, quod ubique in Scripturis exigitur (n), accuſationes excipi adversùs laicum poſſe: illud ſolummodo vult, ſi ea cautio ſervanda eſt cum laicis, multo religioſiùs ſervandam eſſe cum Presbyteris, qui ſanctiores ſunt ac magis immunes, quorum dignitas ſublimior eſt, nomen odiis magis obnoxium (o), honor ſeu de-

(d) Εἴτις πιστὸς ἢ πιστὴ ἔχει χήρας. *Ita Impreſſ.*, *& Clar. Lat. & Ambroſiaſt. Sed Cod. Alex. Colb. 7, Borner. G. L.* Εἴτις πιστὴ ἔχει χήρας. *Alii*: Εἴτις πιστὸς ἔχει χήρας. *Ita Chryſ. Æth. Vulg. Velez.*
(e) *Vide Eccli.* XXXVIII, 1; *Matt.* XV, 6, *collatum cum Marc.* VII, 10; 1 *Timot.* V, 3; *Epheſ.* VI, 12 *Act.* XXVIII, 10; *Apoc.* XXI, 26. (f) *Chryſoſtom. Eſt. Men. Theophyl.*
(g) *Isai.* XL, 2; *Jerem.* XVI, 18; XVII, 18; *Zach.* IX, 12; 4 *Reg.* II, 9.
(h) *Chryſoſt. Theophyl. Eſt. Scult.* &c. (i) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Eſt. alios.*
(k) *Deut.* XXV, 4. (l) *Matt.* X, 10. (m) *Canon. Apoſt.* 74: Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατ᾽ ἐπισκόπου αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιστῶν ἕνα μόνον. Ἐπὶ στόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων σταθήσεται πᾶν ῥῆμα. (n) *Deut.* XVII, 6. (o) *Theodoret. Eſt. Grot. Dang.*

℣. 20. Peccantes coram omnibus argue; ut & cæteri timorem habeant.

℣. 21. Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

℣. 22. Manus citò nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum caſtum cuſtodi.

℣. 23. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

COMMENTARIUS.

decus ipſam in Eccleſiam cadit, peccata graviora ſunt ob peſſimum exemplum, ex iis facilè in Fideles externosque manaturum.

Negat Grotius (p), de damnando Epiſcopo hîc agi: illum enim alioqui Apoſtolus non ſecerneret a laico, adversùs quem ſententia ferri nonniſi ex duobus tribusve teſtibus poteſt. De merâ igitur accuſatione ſermonem haberi exiſtimat. Poteſt ad unius teſtis dictum vir plebejus capi, aut contra eum inquiſitio fieri: non ita contra Epiſcopum, adversùs quem unus teſtis non admittitur.

Notat S. Hieronymus (q), in vetuſtis quibusdam Latinis Exemplaribus deſiderata ea verba: *Niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Ea non legunt Hilarius Diaconus, ſive Ambroſiaſter, Hieronymiaſter, Primaſius, Oecumenius, S. Cyprianus (r). Sunt qui perperam addita cenſeant (s): alii tamquam ſupervacanea abſtulerunt (t).

℣. 20. PECCANTES CORAM OMNIBUS ARGUE. Perſpicuum eſt, eos hîc intelligi, qui publicè pravoque cum exemplo peccant, & graviorum criminum reos, ſive in ſcelere pertinaces (u). Hi publicè coram Eccleſiâ arguebantur: ſi peccatum execrarentur, pœna ſalubris imperabatur: ſi perſiſterent, ex Fidelium cœtu removebantur.

℣. 21. TESTOR CORAM DEO ET CHRISTO JESU ET ELECTIS ANGELIS, ſanctis nimirum Angelis, ut opponuntur reprobis maliſque. Oro obteſtorque, ut ſerves ea quæ tibi præcipio de regimine Eccleſiæ, ac præſertim quæ ad Eccleſiaſtica judicia pertinent, *ſine præjudicio*, animo prorſus vacuo liberoque, nullius ratione habitâ, *nihil faciens in alteram partem inclinando*, aut temeritate, aut animi propenſione. Græcus (x) ad verbum: *Nihil propenſione faciens*, aut gratiâ. Æquam lancem habeto (y), ſpectatiſque ipſius cauſæ adjunctis, amicitias, preces, dignitatem cujuscumque rejicito.

℣. 22. MANUS CITO NEMINI IMPOSUERIS. Diu ac ſedulò periclitare, quos ad ſacros Ordines, Epiſcopatum, Presbyterium, Diaconatum promoveas. Hujusmodi ſanctiones frequenter inſtauravit Eccleſia, legesque hac de re ſanctiſſimas Synodus Tridentina conſtituit. Diu explorato ingenium, mores, vitam, doctrinam eorum, quos ad ſacrum miniſterium es admoturus. Manuum impoſitio potiſſima erat ac maximè neceſſaria inter Ordinationis ritus.

Sunt (z) qui ſignificatam hîc velint eam manuum impoſitionem, qua peccatores, expleto pœnæ ab Epiſcopo inflictæ tempore, reconciliabantur. Huic explicationi favere videntur conſequentia: *Neque communicaveris peccatis alienis*. Conſtat omnino, manus interdum imponi conſueviſſe peccatoribus, cùm reconciliarentur (a); alienorumque criminum participem fieri, qui abſolutionem facilè impertitur: at apud Eccleſiaſticos, manuum impoſitio, abſolutè uſurpata, nonniſi de ſacrâ Ordinatione intelligitur. Qui manus facilè, nullâ exploratione aut examine, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis imponit, particeps fit peccatorum, quæ deinde illorum inſcitiâ pariuntur, vitiorumque ex peſſimâ illorum adminiſtratione manantium.

TEIPSUM CASTUM CUSTODI (b), ut nullo non tempore arguere poſſis eos, qui caſtitatem religiosè non colunt; eosque a ſacrâ dignitate removere, qui vitam ſatis pudicè non egerint. Sive, conjunctis hiſce verbis cum ſuperiora ſententiâ, & *caſti* vocabulo latiùs uſurpato: Tute mundum te ſerva, alienorumque peccatorum expertem (c): juſtitiæ leges ne unquam violaveris, aut alterius gratiâ aut metu: miniſtris probè non exploratis ne facilè manus imponito.

℣. 23. NOLI ADHUC AQUAM BIBERE, SED MODICO VINO UTERE PROPTER STOMACHUM. Timotheus, quamquam affectâ infirmâque valetudine, unius aquæ potu utebatur, ut corpus affligeret, & carnem ſpiritui ſubjiceret. Monet Paulus, ut conſuetam ſenſuum cuſtodiam & corporis munditiem ſervet (d); at vetat mero deinceps uti aquæ potu, ne ſtomachum lædat, ineptosque obeundis ſactis muneribus fiat. Compertum eſt, aſſiduo aquæ potu corrumpi ſtomachum, præſertim ſi huic potui aſſuetus non fueris; modicoque vini uſu ſtomachum roborari. *Modico vino*, ſcilicet vel pau-

eu-

(p) *Vide & Hamm. Bez. Dana. Chryſ.* Οὐκ εἶπε, μὴ καταδέξῃ, ἀλλὰ μηδὲ δίκην κατηγορίας, μηδὲ ὅλως εἰς κρίσιν ἀγάγῃς. *Ita & Theophyl.*

(q) *Epiſt.* 102 *ad Marcellam.*

(r) *Cyprian. l.* 3 *teſtim. ad Quirin.*

(s) *Eraſm. Mill* (t) *Danæus hic.*

(u) *Vide Chryſ. Oecumen. Theophyl.* Τοὺς δὲ ἁμαρτάνοντας. Τουτέστι τοὺς ἐπιμένοντας τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ ὡς ἐνῆν μετ' ἐρευνῆς, ἔλεγχε σφοδρῶς, καὶ ἀπολύμαι.

(x) Μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν. Complura Exemplaria legunt: Κατὰ πρόσκλησιν, *juxta advocationem, exhortationem*; ſive, tamquam advocatus; vel, juxta poſtulatum. Millius vertit, *Ex factione*, partium ſtudio. Theodoretus legit πρόσκλισιν, atque uſurpare videtur de malitioſâ Judicum cunctatione, ſententiæ pronunciationem protrahentium.

(y) *Theophyl. Grot. Eraſm. alii plerique.* (z) *Cyprian. & Pacian. apud Hamm. hic.*

(a) *Concil. Carthag. c.* 5, *diſt.* 50; *&* 3 *Concil. Carth. c.* 32; *& Concil. Agat. c. diſt.* v, *c.* 63, *&c. Vide Hamm. hic.* (b) *Chryſoſt. Eſt. Grot. Price. Hamm.*

(c) *Aug. l.* 2 *contra Epiſt. Parmen. c.* 21; *Eſt. Men. Tir. Eraſm.*

(d) *Vide Chryſ. hic, & orat. primâ de Statuis; & Theophyl. Grot.*

℣. 24. Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium: quoſdam autem, & ſubſequuntur.

℣. 25. Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.

COMMENTARIUS.

culo, vel tenui, vel bene diluto (e). Sapientum omnium effatum eſt, vino modicè utendum tum valetudinis causâ, tum virtutis, tum caſtitatis, cum qua vinum magnoperè pugnat (f). Poterat Apoſtolus, miraculorum facultate donatus, qua quidem erga alios uſus eſt, Timotheum chariſſimum ſanare: at vividior erat illuſtriorque Timothei fides, quàm ut indigeret prodigiis, quæ propriè infidelium gratiâ ſunt adhibenda.

℣. 24. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium. Horum crimina tam perſpicua ſunt, ut nullis opus ſit teſtibus, nullâque juris formâ. Populi conſenſu damnantur. At alii ſunt, qui, tametſi perverſi & nequiſſimi, detegi tamen nequeunt niſi inquiſitione ad juris formam, acceptis teſtibus, inſtitutoque ad Legis regulas judicio. Referuntur hæc ad ſuperiorem ſententiam, qua monet, ne cui facilè manus imponat (g), jubetque ferre ſententiam animo vacuo liberoque, & ſpretâ hominum gratiâ & amicitiâ.

Veteres quidam (h) de ſupremo Dei judicio interpretantur. Nonnulla ſunt criminum genera ita perſpicua, ut damnationem quodammodo prævertant, ſeque ipſa accuſent damnentque. Alia verò latentia, relinquenda judicio Dei, qui ea orbi univerſo pateſaciet. Primi generis ſunt infidelitas & idolorum cultus. *Qui non credit, jam judicatus eſt*, inquit Chriſtus (i). Hypocritarum perverſorumque Chriſtianorum peccata Dei judicio relinquuntur. Iſta inquirere licet, ſcrutari, explorare. At ubi ſatis quæſieris, quieſcendum eſt, eorumque inquiſitio Deo mentium ſcrutatori relinquenda. Idem de rebus bene geſtis dicito: quædam perſpicua ſunt, quædam incerta, ſaltem homini; unusque illorum judex eſt Deus. ℣. 25.

CAPUT VI.

Servorum officia. Lites evita. Avaritiæ damna. Fidei depoſitum tuere. Locupletes hortare, ut pias largitiones faciant, & arrogantiam fugiant.

℣. 1. Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur; ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur.

℣. 2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt; ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt, & dilecti, qui beneficii participes ſunt. Hæc doce, & exhortare.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Quicumque sunt sub jugo servi, & fortaſſe dominis infidelibus ſerviunt (a), quodlibet obſequii genus & re & verbis exhibeant; Providentiæ conſilia, quibus ipſi dati ſunt in ſervitutem, libenter obtemperent; animi acceptæque gratiæ libertatem, quæ una veraque Dei filiorum libertas eſt (b), ſervent, ut heri ipſorum ſubmiſſione ac manſuetudine perculſi, Chriſtianam Religionem admirentur, paratique ſint illam tueri & amplecti (c). Quòd ſi effrænes ac refractarii fuerint, heri Chriſtianam Religionem conviciis petent, tamquam ea ſuperbiam & arrogantiam doceat.

℣. 2. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant. Æqualitas, quam Religio inter Chriſtianos inducit, quippe quæ & fratres & adoptivos Dei filios facit, dominorum fidelium ſervos ne arrogantiores efficiat: ſervi magis ament heros, illisque eò majori ſtudio ac fide ſerviant, quòd uti Fideles & Deo chari, obſequio digniores ſunt ac benevolentiâ, quippe gratiæ ejusdem, fidei, baptiſmi, ſpei participes. *Magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt.*

Poſtrema hæc verba alii (d) aliter interpretantur. *Beneficii participes ſunt.* Eò ſtudioſiùs alacriùsque ſerviant dominis ſervi, quòd illi exhibita officia humaniùs excipiant, eaque non tam uti ſibi a ſervis debita, quàm quodammodo beneficiorum loco exiſtiment. Ita alii explicant (e): Eò libentiùs dominis ſerviant eo nomine, quòd domini innumeris beneficiis ipſos cumulent, majori curâ ipſis conſulant, alant, veſtiant, tamquam fratres filioſve magis quàm ſervos. Servis dominorum Fidelium melior profectò erat conditio, quàm Ethnicorum.

℣. 3. Si.

(e) Οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ. *Vide Bartolin. de Morbis Biblicis, art. 25. Grot. hic.*
(f) *Gregor. in Job, l. 27, c. 21; Chryſ. t. 1, homil. 1.* (g) *Eſt. Grot. Caſt. Scult.*
(h) *Baſil. l. de verâ Virginit. Auguſt. l. 2 de ſerm. Domini in monte; Theophyl. Oecumen. hic, Eſt.*
(i) *Joan.* III, 18. (a) *Theodoret. Chryſ. alii paſſim. Vide* ℣. 2.
(b) *Rom.* VIII, 21; *Galat.* IV, 31; V, 13; *Jacobi*, I, 25. (c) *Vide Chryſoſt. Theophyl.*
(d) *Syr. Lud. de Dieu, Eſt.*
(e) *Vide Theophyl. Eraſm. Grot. Scult. Eſt. alios.*

℣. 3. Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ,

℣. 4. Superbus eſt, nihil ſciens; ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum; ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ,

℣. 5. Conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.

℣. 6. Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientiâ.

℣. 7. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus.

℣. 8. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus.

COMMENTARIUS.

℣. 3. SIQUIS ALITER DOCET .... ℣. 4, SUPERBUS EST, NIHIL SCIENS, &c. Qui aliter docuerit quàm ego & olim docui, & nunc per Epiſtolam præcipio, tametſi eruditum ſe, eloquentem, doctum exiſtimet, hunc ego ignariſſimum, ſuperbum, arrogantem eſſe ajo. Damnare videtur Simonis Magi Diſcipulos, Gnoſticos, cæteroſque primi ſæculi hæreticos, de quibus ſupra, IV, 1, 2, 3, qui Religionem Chriſtianam nacti maximè ſimplicem, & ingenio populi accommodatam, ſublimiora affectabant, atque innumera errorum monſtra de divinitate, mali naturâ, vitæ officiis induxerant; flagitia ſectati, & morum infamiam ſimulationis velamine, erroreſque obſcuris implexiſque locutionibus tegentes.

℣. 4. SED LANGUENS CIRCA QUÆSTIONES ET PUGNAS VERBORUM. Veterum Hæreticorum morbus erant curioſitas inaniſque eruditio, quæ ſublimitatem præſeferens, vanitate demum, mendacio, tenebris, ignorantiâ nitebatur. Quibus enim argumentis v. g. Simoniani, & tam multæ Gnoſticorum ſpecies e Simonianis ortæ, probabant *Æonas*, ex quibus *Pleroma* ſeu Divinitatem conſtabant? Quo fundamento nitebatur Divinæ Virtutis & Meſſiæ appellatio, quam ſibi arrogabat Simon, primæque mentis quam Helenæ tribuebat? Quas illi divinitatis & miſſionis ſuæ notas oſtendebant? Quid ſibi volebant, cùm Deum Creatorem in veteri Fœdere deſcriptum, & Propheticorum voluminum Authorem, Deo Novi Fœderis opponerent? Quàm inepta de Angelis, eorumque origine, nominibus, muneribus, ordine venditabant?

Si quieto vacuoque animo iſta expenderis, infinitum inane, tenebras meras, inſanas quæſtiones invenies, *pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ*, ℣. 5, *conflictationes (f) hominum mente corruptorum.* Hujus generis Hæretici nunquam componi potuere aut cum Eccleſiâ, ex qua diſceſſere; aut cum Scripturis, quarum partem illi rejiciebant, cætera mutilabant, aut perverſis explicationibus corrumpebant; aut ſecum ipſi, cùm pugnarent rebus & verbis, ſeque mutuis odiis deſtruerent, ut altero everſo alter ſua commenta firmaret.

℣. 5. EXISTIMANTIUM QUÆSTUM ESSE PIETATEM; Religionem, Profeſſionem Chriſtianam, Prædicationem artes eſſe quæſtuoſas, quibus ita utendum ſit, uti artifices induſtriâ utuntur; quique tempori, ac vulgi inconſtantiæ & ingenio dogmata accommodant. Nihil hiſce Apoſtolis antiquius, quàm ut humana dogmata, leniſſimas inſtitutiones, fallaces regulas tradant; quicquid ſubtiliſſimum habet philoſophia, eloquentia ſplendidiſſimum, decipiendis auditoribus opportunum, illud uſurpant; cùm unus Chriſtus Jeſus, & quidem crucifixus, prædicandus eſſet, non quæſito verborum ornatu, ſed Dei virtute ac ſapientiâ (g), uti ſolebat Paulus, vitato præſertim abolendi ſcandalum Crucis diſcrimine (h). Hæretici, quos hìc arguit Apoſtolus, libera licentiæ fræna laxabant, flagitia turpiſſima permittebant, Judaicam quoque cum Chriſtianâ Profeſſione conjungere conabantur, ut & Judæorum & Gentilium odia vitarent (i). Quamobrem ab Ethnicis, Catholicos potiſſimùm inſectantibus, minimè vexabantur (k).

℣. 6. EST AUTEM QUÆSTUS MAGNUS PIETAS CUM SUFFICIENTIA, cum iis quæ ad vitam ſufficiunt. Evangelicæ veritatis Præconibus nihil deeſt, modò contenti ſint neceſſariis. At hi, de quibus loquor, alimoniâ & veſte contenti non ſunt; locupletari volunt, & commoda quærere in Chriſtianâ Profeſſione, & Prædicatione Evangelicâ; quamobrem damnandi ſunt. Noluit quidem Chriſtus, quidquam deeſſe Diſcipulis, quod natura poſtulet; at neque locupletes fieri voluit.

℣. 7. NIHIL ENIM INTULIMUS IN HUNC MUNDUM; HAUD DUBIUM, QUOD NEC AUFERRE QUID POSSUMUS. Fruſtra igitur laboras congerendis opibus, quæ te in æternitate non conſequentur. Mendaces iſti Doctores, qui per Religionis & pietatis ſpeciem opes quærunt, ſatis oſtendunt, ſeſe alia penitus ſentire, quàm qui veram Religionem docent.

℣. 8. HABENTES ALIMENTA ... HIS CONTENTI SUMUS (l). Hæc nobis regula, & cæteris, qui pariter Evangelium nunciant. Qui vitæ hujus commoda & fortunas hoc in munere quærit, ve-

rus

(f) Παραδιατριβαὶ διεφθαρμένων ἀνθρώπων τὸν νοῦν. *Alii:* Διατριβαί. *Alii:* Διαπαρατριβαί. *Ita Steph. omnes, Alex. Clarom. alii plures. Sunt autem* διαπαρατριβαὶ, *pravæ diſputationes, ineptæ conflictationes, & pugna verborum. Theophyl.* Σχολαὶ μάταιαι. *Theodoret.* Λύμη τις διαφθείρουσα τοὺς πελάζοντας, *Contagio, quæ inficit eos qui appropinquant.* (g) 1 Cor. 1, 23.

(h) 1 Cor. 1, 17; *& Galat.* v, 11. (i) *Vide Irenæ. l.* 1, *c.* 20, *Euſeb. l.* 5, *c.* 13; *Origen. l.* 6 *contra Celſ.*

(k) *Juſtin. Apolog.* 2, *p.* 70.

(l) *Gr.* Ἀρκεσθησόμεθα, *Contenti erimus. Plures Edit. & Mſſ. Contenti ſimus. Ita Edit. Sixti V, an.* 1590; *& Edit. Latic.* 1593; *& Baſil.* 1491, 1509, 1514. *Venet.* 1494; *Noremberg.* 1522; *Pariſ.* 1534, 1541, 1555; *Compluт. Colon.* 1666, 1679; *Lugdun.* 1512, 1556, 1680.

℣. 9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.

℣. 10. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

℣. 11. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: ſectare verò juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.

℣. 12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.

℣. 13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem:

COMMENTARIUS.

nus non eſt Chriſti Diſcipulus. Natura nihil niſi veſtes & cibum poſtulat. Severior eſt Chriſtiana Religio, quæ illud ſolommodo in veſtibus & cibis quærit, quod merè eſt neceſſarium: ſupervacanea & exceſſum respuit (m).

℣. 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli (n). Opes abſolutè non damnat Apoſtolus, ſed quærendarum opum ambitionem & ſollicitudinem: fieri enim ferme nequit, ut quis opum cupidus in fraudem, mendacium, injuſtitiam non ruat, & Dæmonis avaritiæ, ambitionis, invidiæ laqueis non implicetur. Minimum diſcrimen, quod ex avaritiâ immineat, illud eſt, ne *deſideriis inutilibus & nocivis* impleamur, diſtrahatur animus, ad caduca iſthæc bona convertatur, atque ab æternæ felicitatis ac ſalutis ſollicitudine, quæ potiſſima eſſe debet hominis cura, removeatur. Aſſerit Chriſtus (o), difficilius eſſe, divitem ad Cœleſtem beatitudinem pervenire, quàm camelum per foramen acûs trajici.

℣. 10. Radix omnium malorum cupiditas. Homo divitiarum avidus nullis non flagitiis eſt obnoxius. Experimento diſcimus, hunc eſſe omnium animi motuum violentiſſimum & perniciosiſſimum. *Quam* (cupiditatem) *quidam appetentes*, ait hîc Paulus, *erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis*, & animi anguſtiis. Judas in Evangelio, Ananias & Saphira in Actis (p), Demas apud Pauli Epiſtolas (q), aliique innumeri ſacros apud Hiſtoricos ob divitiarum amorem periere. Quàm multi noſtrâ ætate Chriſtiani opum causâ fidei naufragium fecere? Quis enim verè dixerit, hominem opes iniquis artibus quærentem, imò & comparantem, eſſe Fidelem? Nonne uſurpari de eo poteſt id, quod Paulus de homine curam familiæ negligente ſcribit (r)? *Fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

℣. 11. Tu vero, homo Dei, hæc fuge. *Homo Dei* in Veteri Teſtamento is tantummodo appellabatur, qui exploratæ probitatis eſſet, præſertim Prophetæ, Moyſes, Samuel, David, Elias, Eliſæus. Hoc nomine dignus omnino erat Timotheus, cùm Epiſcopus eſſet, Dei Servus, & Chriſti Jeſu Diſcipulus. Illum hortatur Apoſtolus, ut avaritiam ac terreſtrium rerum amorem fugiat, neve pravos Doctores, quæſtum ex pietate & Religione facientes, imitetur. Hæc porrò bona te quærere ambitiosè decet: *Juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.*

℣. 12. Certa bonum certamen fidei. Familiaris Paulo eſt a rebus bellicis comparatio; eâque frequenter utitur, ut pugnam ab Apoſtolis & Jeſu Chriſti ſervis adversùs Fidei & ſalutis hoſtes gerendam ſignificet. Ubi viam juſtitiæ ingreſſus fueris, uſurpandum tibi de te eſt, quod Chriſtus de Paulo dixit (s): *Ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Hæc laboris tui merces, hoc tui curſûs præmium. Perge alacriter curriculum abſolvere, *confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.* Fidem confeſſus es in baptiſmo (t); iterum in Epiſcopali conſecratione (u); denique toto prædicationis tuæ & Apoſtolici laboris tempore Chriſtum frequenter confeſſus es, multaque odia & injurias ejus nominis causâ pertuliſti (x). Ærumnas a Timotheo toleratas ſilent Hiſtorici: at dubium non eſt, quin Paulum ſecutus, & fidei ſtudioſiſſimus, Judæorum Ethnicorumque injuriis fuerit frequenter obnoxius. Apoſtolus, datis ad Hebræos literis anno Chriſti LXIV (y), paulo ante hanc Epiſtolam, Timotheum e carcere dimiſſum eſſe ait. At nihil ulterius novimus.

℣. 13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia. Intelligens Paulus, quanti momenti ſint monita, quæ Timotheo tradidit, & quàm gravibus periculis ille in Epiſcopali munere ſit obnoxius, eorum meminerit obteſtatur nomine Dei vivi & Authoris vitæ cùm præſentis & caducæ, tum æternæ; illius, inquam, nomine, cui nihil mortuum eſt, qui revocare in vitam poteſt eos, qui in mortis umbrâ jacent, noſque revocaturus eſt in vitam, ſibi ſiſtendos supremâ Judicii die; denique nomine Jesu Chriſti, *qui teſtimonium reddidit* veritati *ſub Pontio Pilato* (z) *bonam confeſſionem*, ſuâ ipſius nece & martyrio. Tunc certè Chriſtus illuſtre exhibuit teſtimonium divinitati Patris & ſuæ, & doctrinæ, quam ipſe tradidit.

℣. 14 Ut

(m) *Philo de Præmiis*: Πλοῦτος δὲ ὁ μὲν τῆς φύσεως αὐτελὴς ἐστι τροφὴ, καὶ σκέπη. *Hieronym. Ep. 103 ad Paulin. Victus & veſtitus ſunt divitiæ Chriſtianorum.*

(n) *Græc.* Εἰς πειρασμὸν, καὶ παγίδα, *in tentationem, & in laqueum. Plures addunt* τοῦ Διαβόλου. *Ita Clarom. G. L. Borner. G. L. Chryſoſt.* (o) *Matt.* XIX, 24. (p) *Act.* V, 2, 3.

(q) 2 *Timot.* IV, 9. (r) *Sup.* 1 *Timot.* V, 9. (s) *Act.* IX, 16.

(t) *Chryſ. Theophyl. Ambroſiaſt. Grot. Primaſ. Pelag. Hammon. Heſſel. Seibold.*

(u) *D. Thom. Petr. Lombard. Cajet. Eſt.* (x) *Chryſ. Theophyl. alii quidam.* (y) *Hebr.* XIII, 23.

(z) Τὴν μαρτυρήσαντος ὁμολογίαν.

℣. 14. Ut ſerves mandatum ſine maculâ, irreprehenſibile usque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti;

℣. 15. Quem ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens, Rex regum, & Dominus dominantium:

℣. 16 Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor, & imperium ſempiternum. Amen.

℣. 17. Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum):

℣. 18. Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare;

℣. 19. Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

COMMENTARIUS.

℣. 14. UT SERVES MANDATUM SINE MACULA, immaculatus, irreprehenſibilis *(a)*; ſive ut ſanctè & inculpatè iſta cuſtodias. Satis non eſt, ſi Evangelii præcepta & Apoſtolicas ſanctiones ſervet Epiſcopus: opus eſt ita ſervet, ut argui poſſit a nemine; Gregis exemplum ſit, tutumque iter geſtis potiùs quàm verbis doceat. Addit Apoſtolus: *Usque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti;* dum præſtolaris mortis tuæ & particularis Judicii diem, qua die ſiſtendus es ſupremo Judici; quæ dies fermè præludit magnæ diei Domini, qua omnes coram formidando Judice ſumus adfuturi. Colligit hoc ex loco Grotius, putaſſe Paulum, ſupremum Judicii diem ætate ſuâ complendum iri. At nonne idem Apoſtolus diſertè ait, ad Theſſalonicenſes ſcribens *(b)*, ſupremum diem longè adhuc abeſſe? Siquando adventum Domini proximum eſſe ſcribit, hoc de vindictâ in Judæos per Veſpaſianum ac Titum exercendâ intelligit; quod bellum nonnunquam in Scripturis Domini judicium & ultio nuncupatur.

℣. 15. QUEM SUIS TEMPORIBUS OSTENDET BEATUS, ET SOLUS POTENS. Omnipotens Deus Chriſtum Jeſum gloriâ fulgentem oſtenſurus eſt, cùm ſententiam in vivos mortuosque pronunciaturus ſecundò veniet; idque *temporibus ſuis*, quæ æternis Providentiæ decretis conſtituta fuerint *(c)*; certis quidem, ſed homini ignotis, quæ ipſos quoque Angelos latère, aſſerit Chriſtus *(d)*. Ita hominis curioſitatem coërcet, dum omnes removet de Judicii veritate dubitationes.

SOLUS POTENS; vel ex Græco *(e)*, *ſolus Princeps*; qui omnia ſolus poteſt, unus naturâ Rex, cùm imperium omne, omnis authoritas ex ipſo proficiſcatur, atque ex infinito ipſius dominatu fluat. *Solus* appellatione non excluditur Chriſtus, qui Deus naturâ eſt, æquè ac Pater.

℣. 16. QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM, per ſe ipſe ſuâque naturâ *(f)*. Eam largiri poteſt unus ipſe, a quo revocandi ſumus in vitam ſupremâ die, æternâque & immortali gloriâ ac beatitudine donandi. *Lucem habitat inacceſſibilem*. Ne quæras, quæ ſit illi ſedes: lux nimirum homini inacceſſa, quæ nec verbis exprimi neque oculis ſpectari poteſt. Ea verò lux & ſedes aliquid non ſunt a Deo ipſo diſcretum: ſua ipſe ſibi ſedes eſt, ipſe fons lucis. Cùm ubique ſit Deus, ubique illum divina iſthæc lux & inacceſſa proſequitur *(g)*. *Quem nullus hominum*, mortali in corpore manens, *vidit*, *ſed nec videre poteſt*, eo pacto, quo corporeas res & ſenſibus obnoxias cernit *(h)*. At ablato poſt hanc vitam velamine, nobis immortalitate donatis, Dei aſpectus promittitur; eumque tunc non tamquam per ænigma & ſpeculum, ſed coram detectumque contemplabimur *(i)*.

℣. 17. DIVITIBUS HUJUS SÆCULI, NON SUBLIMA SAPERE, ne in arrogantiam efferantur. I, vitæ hujus divitias, inanes, caducas, perituras, diſtinguit a ſpiritalibus ac æternis, Dei donis, fide, charitate, Spiritu Sancto; quæ quidem divitiæ ſunt infinito intervallo nobiliores; opes nimirum beatæ æternitatis, ad quam omnia Chriſtiani hominis vota ferri decet. II, Præcipit, ut locupletes ne arrogantes ſint. Id plerumque ab humanis opibus efficitur, ut poſſeſſores inflent, conſentientibus quoque Profanis *(k)*. III denique, nequis fiduciam in iis collocet, nam deeſſe vel præſenti in vitâ queunt; ac tametſi ad ſupremum usque ſpiritum proſequantur, ſepulcro non inferentur, neque profuturæ ſunt in æternitatem. Divitibus supremâ die objicietur, ſuam ipſos tuliſſe mercedem; quòd ſi opibus bene uſi non fuerint, eæ futuræ ſunt damnationis argumentum *(l)*. Illos igitur hortare, ut fiduciam in Deo collocent, charitatem & beneficentiam colant, ſibique theſaurum in cœlis comparent *(m)*. Vide ℣℣. 18 & 19.

℣. 20. De-

(a) *Ita Græci*, *Vat. Eraſm. Eſt.*

(b) 2 *Theſſal.* II, 1, 2.

(c) Καιροῖς ἰδίοις. *Chryſ.* Τοῖς προσήκουσι, τοῖς ὡρισμένοις. *Vide Act.* I, 7.

(d) *Matt.* XXIV, 36.

(e) Μόνος δυνάστης.

(f) *Author Reſponſ. ad Orthodox.* Οὐκ ἐκ θελήματος ἄλλου αὐτὴν ἔχει καθάπερ οἱ λοιποὶ πάντες ἀθάνατοι, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς οἰκείας οὐσίας.

(g) *Menoch. Dan. Eſt.*

(h) *Vide Geneſ.* XXXII, 30; *Exod.* XXXIII, 20, 21, 22; *Joan.* I, 18.

(i) 1 *Cor.* XIII, 12; *Matt.* V, 8.

(k) *Senec. Ep.* 87: *Divitiæ inflant animos, ſuperbiam pariunt. Vide Ariſt. Phocilid. Caton. apud Grot. &c.*

(l) *Matt.* XXV, 34. 35, *& ſeq.* (m) *Matt.* VI, 19, 20.

℣. 20. O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ:

℣. 21. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 20. DEPOSITUM CUSTODI. Fidei & doctrinæ depoſitum, tibi a Deo per nos creditum. Apud Epiſcopos potiſſimùm manet Evangeliorum dogmatum, & ſanctionum Eccleſiæ depoſitum. Apoſtolica munera, & Paſtorale officium, ab Epiſcopis obeunda, aliud ſunt depoſiti genus, quod ab iis exiget Deus (n). Hominum animæ ipſis commendatæ, theſaurus Dei ſunt, a Deo illis traditus eâ lege, nequa ipſorum culpâ pereat; eaſque univerſas Deo exhibere debet Epiſcopus. Patrem alloquens ajebat Chriſtus (o), ſeſe perdidiſſe neminem ex iis, quem Pater ſibi tradidiſſet. Cùm Joannes Evangeliſta cuidam Aſiæ Epiſcopo adoleſcentem ſibi chariſſimum commendaſſet, depoſitum aliquando repoſcit (p). Minimè aſſequente Epiſcopo, quid ſibi vellet Joannes, ex quo aurum argentumve non acceperat, ille ſtatim docuit, animam hominis commendati a ſe ſignificari.

Intelligendum hic eſt depoſitum fidei & inſtitutionis, quod Paulus Timotheum hortatur ut ſervet, *devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones*, dogmata contraria iis quæ ipſe tradiderat, *falſi nominis ſcientiæ*. Gnoſticos, cæteroſque ejus ætatis hæreticos notat (q), qui per fallacem ſcientiæ ac ſublimiſſimarum cognitionum ſpeciem, ſolidam Evangelicæ veritatis cognitionem evertebant; quamobrem hujuſmodi Hæreticorum plerique *Gnoſticorum* ſeu Eruditorum appellationem uſurpabant, ut diſtinguerentur a Catholicis, qui Evangelii ſcientiam amplexi, aliud nihil ſcire, niſi Chriſtum Jeſum crucifixum, ſtudebant. Hoc Pauli monitum omnibus noſtrorum temporum Hæreticis ac ſeditioſis crucem figit. Hoc illorum damnationis edictum (r). Qui *profanas vocum novitates*, & dogmata aliena ab iis quæ Chriſtus & Apoſtoli ceu depoſito reliquerunt, anathema eſto. Veteres Hæretici, præſertim Gnoſtici, Encratitæ, Marcionitæ, hanc Epiſtolam ceu falſam ac ſuppoſititiam execrabantur; at genuina odii illorum cauſa erat, quòd errores ſuos in eâ luculentiſſimè damnatos, & graphicè deſcriptos cernerent.

In Græcis Exemplaribus (s) ad hujus Epiſtolæ calcem legitur, eam datam fuiſſe Laodiceâ, Phrygiæ Pacatianæ Metropoli. Libri quidam in Capite Epiſtolæ ſcriptam ferunt ex Macedoniâ; Athenis Arabs. Nos in Præfatione ſecuti ſumus eorum ſententiam, qui ſcriptam volunt ex Macedoniâ.

(n) *Vide Act.* XIX, 28; 2 *Timot.* II, 2.

(o) *Joan.* XVIII, 9. (p) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 3, *c.* 23. (q) *Ita Chryſ. Theodoret. Theophyl. Grot. Ham. Eſt. alii.* (r) *Clem. Alex. l.* 2 *Stromat. p.* 383. *Vincent. Lirin. Commonitorii*, *c.* 27, 33, 34.

(s) Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς. *Alex. Syr. non legunt*: ἥτις ἐστὶ, *&c.*

Finis Commentarii in Epiſtolam Primam ad Timotheum.

IN SECUNDAM EPISTOLAM
B. PAULI APOSTOLI
AD
TIMOTHEUM
PROLEGOMENON.

PRimam ad Timotheum Epiſtolam anno Chriſti LXIV in Macedoniâ ſcriptam demonſtravimus. Ea quæ a primâ usque ad ſecundam ad eumdem Timotheum Epiſtolam ab Apoſtolo acta ſunt, modò exhibemus. Paulus igitur in Macedoniâ degens, Nicopoli Epiri urbe (*a*) ad Ambraciæ ſinum, ſeu juxta alios, Nicopoli Thraciæ civitate, ad flumen Neſſum in finibus Macedoniæ, hyemare decrevit. Ut ut fuerit, inde ſanè Apoſtolus ad Titum, quem in Macedoniam advocat, ſcripſiſſe creditur.

Proximo Chriſti anno LXV in Aſiam progreſſus, Troadem vênit, ubi a Carpo exceptus hoſpitio, apud eumdem veſtem quamdam (*b*) & Libros reliquit. Inde, uti credimus, Epheſum regreſſus, ut ei ſuperiore anno spoponderat, Timotheum inviſit (*c*). Epheſo Miletum pergens, ibi Trophymum ægrotantem reliquit (*d*); contendit ſub hæc Corinthum, ubi ex ejus Diſcipulis Eraſtus conſtitit [*e*]; Romam denique aſſequutus, Judæis atque Ethnicis ad fidem traducendis operam dedit: cùm verò, teſte Chryſoſtomo (*f*), Neronis pellicem Deo reddidiſſet, ejusdem Imperatoris juſſu in carcerem datus eſt. Id verosimillimum eſt, tunc eveniſſe, cùm *pro primâ ſui defenſione* ante Neronem conſtitutus [*g*] ex hujus Leonis faucibus a Deo eſt liberatus.

Utrùm omnino vinculis tunc fuerit ſolutus, an tantummodò mortis diſcrimen evaſerit, ignoramus; conſtat tunc vinculis fuiſſe devinctum (*h*), cùm hanc ſecundam ad Timotheum Epiſtolam dedit. Tunc temporis Epheſinæ Eccleſiæ Timotheus præerat: Paulus verò jam martyrio proximus, veluti victimam libationibus jam perfuſam, jamque propè abſumendam, ſe ipſe intuebatur [*i*]. Quare Chryſoſtomus veluti ſupremas Pauli tabulas hanc Epiſtolam ducit (*k*). In eâ Apoſtolus Timotheum urget, ut celerrimè Romam proficiſcens, comitem itineris Marcum adhibeat, & eam veſtem & Libros, quos Troade tranſiens apud Carpum reliquerat, ſecum afferat.

An Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit, incertum; hanc enim poſt Epiſtolam neque de hujus Diſcipuli vitâ, neque de morte certi quidquam eſt. Sub Nerone obiiſſe illum ferunt (*l*). Joanne in Patmos exulante, Epheſi infideles ſolemnitatem celebraſſe die XXII Januarii dicuntur, qua per ſupplicationis ſpeciem Idola per Urbem deferentes, procaciter multa perpetrabant. Quare Timotheus, ut impiam ſolemnitatem turbaret, medius in eos irrupit; a quibus illicò fuſtibus contritus, & lapidibus obrutus, exanimis prorſus relictus eſt; ſtatimque a Diſcipulis in montem proximum delatus, paulò pòſt occubuit, ibique conditus eſt. Die XXII Januarii, juxta Græcos & Latinos, ejus Feſtum recurrit.

Ad Epiſtolam quod attinet, Paulus ad Timotheum ſcripſit, non modò ut eum arceſſeret, verùm etiam ut ei ad ſui muneris labores conſtantiſſimè obeundos, & perſecutiones, quibus angebatur, alacriter perferendas, animum adderet atque virtutem. Porrò ut Spiritûs Sancti afflatum, quem in ſui initiatione acceperat, ſpiritum nempe (*m*) virtutis & fiduciæ, non infirmitatis & timoris, iterum excitet, hortatur: de falſis Doctoribus, & ejus ætatis Hæreticis, de Simonianis, & Gnoſticis, deque poſt illos venturis, quos graphicè deſcribit, plurima enunciat [*n*]: ut ſibi ab iis caveat, monet, & pro viribus acuit, ut tot tantisque a veritate deficientibus, ipſe conſiſtat interritus, ſtrenuèque iis adverſetur, qui veritatem oppugnantes, nova & inania dictitant, ut audientium aures oblectent, & libidines mulceant.

Demæ lapſum ingemuit [*o*], & Phileti ac Hymenæi defectionem; qui præterea reſurrectionem jam peractam docentes, plurimos in fraudem adduxerant [*p*]; de malis ſibi ab Alexandro fabro ærario illatis queritur (*q*), pium Oneſiphori in ſe animum, & famulatum commendat (*r*). Aviæ Loidis, & Eunices Timothei matris (*s*), quæ a tene-

(a) *Tit.* III, 12.
(b) 2 *Timoth.* IV, 13.
(c) 1 *Timoth.* III, 14; & IV, 13.
(d) 2 *Timoth.* IV, 20.
(e) 2 *Timoth.* IV, 20.
(f) *Chryſoſt. in Act. hom.* 46.
(g) 2 *Timoth.* IV, 16.
(h) 2 *Timoth.* I, 8, 11, 9; &c.
(i) 2 *Timoth.* IV, 6.
(k) *Chryſ. hom.* 9, *p.* 615: Καὶ πᾶσαν δὲ ἐπιστολὴν παραμυθίας ἐστὶ πλήρης, καὶ ὥσπερ τὶ διαθήκη τίς ἐστι.
(l) *Vita Timoth. apud Boll.* 24 *Januar.*
(m) 2 *Timoth.* I, 6.
(n) 2 *Timoth.* III, 1, &c.
(o) 2 *Timoth.* IV, 9.
(p) 2 *Timoth.* II, 16, 17.
(q) 2 *Timoth.* IV, 14.
(r) 2 *Timot.* I, 16; & IV, 19.
(s) 2 *Timoth.* I, 5.

teneris annis pietate, & ſacris Literis Virum imbuerant, meminit (*t*); hortatur, ut, plurima muneri ſuo implendo accommoda e Scripturis percepturus, earum lectioni operam navet [*u*]: illum denique ſalutat Fidelium Romanorum nomine, Eubuli, Pudentis, Lini, & Claudiæ, quorum ſingulos Timotheus, cùm unà cum Apoſtolo Romam primò adiiſſet, anno Chriſti LXII, ibidem fortè cognoverat.

(t) 2 *Timoth.* III, 15.

(u) 2 *Timoth.* III, 16, 17.

Alexandrinus Codex hanc Epiſtolam Laodiceæ ſcriptam præfert; addit præterea Cophtica, ab Oneſimo fuiſſe delatam. Verumtamen Romæ exaratam vulgò ſentiunt: quis verò ad Timotheum detulerit, incertum. Quòd Paulus [*x*] ſe *Tychicum miſiſſe Epheſum* dixerit, Epheſo tunc Timotheum abfuiſſe nonnulli putarunt: quod utique ex hac Apoſtoli ſententià minimè probatur.

(x) 2 *Timoth.* IV, 12.

COMMENTARIUS LITERALIS IN SECUNDAM *EPISTOLAM* B. PAULI APOSTOLI *AD* TIMOTHEUM.

CAPUT PRIMUM.

Timothei fidem commendat Apoſtolus. Hortatur, ut in ſe gratiam excitet, & Evangelium conſtanter prædicet. Phileti & Hermogenis diſceſſio. Oneſiporus ejusque familia Apoſtolo vinculis detento ſervierunt.

℣. 1. PAulus, Apoſtolus Jeſu Chriſti, per voluntatem Dei, ſecundùm promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu:

℣. 2. Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℣. 3. Gratias ago Deo, cui ſervio a progenitoribus in conſcientiâ purâ, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS APOSTOLUS..., SECUNDUM PROMISSIONEM VITÆ, QUÆ EST IN CHRISTO JESU. Me ad munus Apoſtolicum vocavit Chriſtus, ut prædicem vitam æternam, quam nobis & promiſit Chriſtus, & fuſo cruore promeruit. Apoſtolus, ut ita dicam, ſum Divinarum promiſſionum, æternæque beatitudinis præco *(a)*. Meis igitur vinculis ne doleas, Timothee. Beatitudo, quam præſtolamur, ex hoc mundo non eſt *(b)*.

℣. 3. IN CONSCIENTIA PURA, nedum poſtquam Chriſto nomen dedi, verùm etiam cùm Judaicam Religionem ſequerer *(c)*; *A progenitoribus*, Quamvis enim Paulus ante converſionem ſit inſectatus Eccleſiam, id tamen imprudens fecerat *(d)*, ac præpoſtero veritatis & juſtitiæ ſtudio incitatus. Porrò ejusmodi ſtudium, tametſi præpoſterum, cum rectâ purâque conſcientiâ non pugnat. Bonâ fide rectâque mente agebat, quamquam errans & incredulus. Alibi fatetur ipſe, inculpatum vitæ genus *(e)*, rectâ eum conſcientiâ conjunctum *(f)*, ſe egiſſe, cùm Judaicam Religionem ſectaretur: *Ego omni conſcientiâ bonâ converſatus ſum ante Deum, usque in hodiernum diem.* Hæc verba, *in conſcientiâ purâ*, ſunt *(g)* qui referant ad illa: *Gratias ago Deo.* Sinceriſſimè teſtor, nunquam non Deo grates agere me, quòd tui recordatio animo meo aſſiduè obverſetur. Charitatem, qua erga te afficior, tuique memoriam, quam in precibus meis ſervo, Divini erga me beneficii loco habeo *(h)*: niſi adeò charus Deo eſſes, ego illius Spiritu non agerer, ut in precibus meis reminiſcerer tui. Procliviùs verti poteſt Græcus *(i)*: *Gratias ago Deo,*

(a) *Eſt. Grot. Men. Tir.* (b) *Chryſ. Theophyl.*

(c) *Chryſ. Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. Magalian. Scult.*

(d) 1 *Timot.* I, 13: *Ignorans feci in incredulitate.* (e) *Philipp.* III, 6: *Secundùm juſtitiam quæ ex Lege eſt, converſatus ſine querelâ.* (f) *Act.* XXIII, 1; XXIV, 16; XXVI, 4, 5.

(g) *Quidam apud Theophylactum.* (h) *Chryſoſt. Ambroſiaſt.*

(i) Ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν, &c. Quaſi dumtaxat: Μνείαν ἔχων περὶ σοῦ.

℣. 4. Deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear:

℣. 5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum in aviâ tuâ Loide, & matre tuâ Eunice, certus ſum autem, quòd & in te.

℣. 6. Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.

℣. 7. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.

℣. 8. Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus; ſed collabora Evangelio ſecundùm virtutem Dei:

℣. 9. Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia.

COMMENTARIUS.

Deo, meique in precibus aſſiduè tui reminiſcor.

℣. 4. MEMOR LACRYMARUM TUARUM. Vinculis tunc detinebatur Paulus, necem ex Nerone, cujus juſſu datus fuerat in viocula, expectans. Meminerat, quam multum Timotheus, ſeſe Epheſo diſcedente (k), fleviſſet, cum intelligeret, Romanum iter, quod ſuſcipiebat Apoſtolus, ipſius nece deſiturum. Eà Diſcipuli chariſſimi recordatione perculſus, ait Apoſtolus, ſeſe magno illius videndi deſiderio teneri, gaudium ex eà re percepturum. Obſecrat deinde (l), ut Romam ad ſeſe quamprimum veniat.

℣. 5. QUÆ HABITAVIT IN AVIA TUA LOIDE, ET MATRE TUA EUNICE. Gentili ex patre ſatus erat Timotheus (m); at illum Lois avia & mater Eunice in Dei obſequio diviniſque literis inſtituerant. Quis pias haſce fœminas ad Chriſtum perduxerit, ignoratur: at procul dubio nomina Chriſto jam tum dederant, cum primùm vênit Apoſtolus Lyſtras, ubi Timotheum & gratiâ & virtute provectum nactus eſt.

℣. 6. UT RESUSCITES GRATIAM DEI, QUÆ EST IN TE, PER IMPOSITIONEM MANUUM MEARUM. Spiritûs Sancti gratia cum igne comparatur, ob efficaciam alacritatemque, quam hominum animis inſpirat. In Apoſtolos lapſus eſt Spiritus Sanctus ſub ignis ſpecie (n): ſpopondit Apoſtolis Chriſtus futurum, ut Spiritu Sancto & igne baptizarentur (o): Theſſalonicenſes obteſtatur Paulus, ne Dei Spiritum extinguant (p). Quæ omnia eò recidunt, ut eamdem imaginem menti imprimant. Hic hortatur Timotheum, ut excitet novoque fervore augeat divinum ignem, quo jam flagrat, in baptiſmo accenſum, Confirmatione roboratum (q), Ordinatione demum abſolutiſſimè expletum. Acceptam igitur in Epiſcopali Conſecratione gratiam cuſtodiat, augeatque oil divinum ignem in ipſo accenſum (r), Apoſtolus præcipit. Quo autem pacto excitet? Precibus nimirum, meditatione, lectione, vigilantiâ, ſolitudine, conſtantiâ, faciendo id quod poteſt, poſcendo quod non poteſt, oblatiſque à Deo bene agendi modis utendo (s).

℣. 7. NON SPIRITUM TIMORIS (t), SED VIRTUTIS ET DILECTIONIS ET SOBRIETATIS. Geſtis proba, te ſacro iſto igne, quo animum tuum ipsâ tuæ Ordinationis die Spiritus Sanctus accendit, flagrare. Dignam Epiſcopo & Jeſu Chriſti Miniſtro conſtantiam, virtutem, alacritatem, charitatem, modeſtiam exhibeto. *Sobrietatem* interpretamur *modeſtiam*, *moderationem*, Græca enim vox (u) non rarò moderationem, prudentiam, munditiem animi, temperantiam, voluptatis contemptum ſignificat. His donis cumulatus eſt in Epiſcopali Ordinatione Timotheus, eaque ab eo excitari inter perſecutiones, imbecilles Chriſtianos, & Hæreticos, jubet Apoſtolus (x).

℣. 8. NOLI ERUBESCERE TESTIMONIUM DOMINI, &c. Conſtans & intrepidus eſto adverſus Evangelicæ ſimplicitatis depravatores, fidem, quam amplexus es, fortiter confitere, meaque vincula tibi pudori ne ſint aut formidini. Beatum te puta, ſi & mecum & mei exemplo Evangelii causâ diſcruciere. Aliquas hîc ſcintillas vides ejus ignis, quo flagrabat Paulus, & quo agente Martyrium optabat. Parem in animo Diſcipuli chariſſimi flammam excitare conatur. *Teſtimonium Domini* illud eſt, quod Deo & Jeſu Chriſto exhibetur; ſive illud, quod Chriſtus Patri per Crucem præſtitit; quodque a Chriſtianis vitæ & ſanguinis etiam diſpendio eſt defendendum. *Collabora Evangelio* (y). Fer opem Evangelio; tamquam veritas homo ſit inter mala verſans, & opem flagitans.

℣. 9. VOCAVIT NON SECUNDUM OPERA NOSTRA, SED SECUNDUM PROPOSITUM SUUM. Nos ad Fidem vocavit Deus mero miſericordiæ beneficio, nullis bene geſtis id promeritos (z). Nemo

(k) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Eſt. Grot. Men. alii.* (l) 2 *Timot.* IV, 10, 21.
(m) *Act.* XVI, 1, 2. (n) *Act.* II, 3. (o) *Matt.* III, 11. (p) 1 *Theſſ.* V, 19.
(q) Vide Martianæum hic. (r) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecumen. alii recentiores.*
(s) *Vide Chryſoſt. Eſt. Cornel. Grot. alios.* (t) Πνεῦμα δειλίας, *ſpiritus timiditatis. Æth. Debilitatis, ſervitutis. Clarom. Lat. S. Germ. L. timoris, ſervitutis.* (u) Σωφρονισμὸς, *ſobrietas, frugalitas, modeſtia, moderatio, animi tranquillitas, &c.* (x) *Theodoret. hic*: Τὸ πνευματικὸν τὴν χάριν δέδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς, οὐχ ἵνα δειλιῶμεν τοὺς ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας κινδύνους, ἀλλ' ἵνα θείᾳ δυνάμει ὑποβρωννύμενοι θερμῶς μὲν αὐτὸν ἀγαπήσωμεν, σωφρονίσωμεν δὲ τῶν ἐν ἡμῖν κινουμένων παθημάτων τὴν ἀταξίαν. (y) Συγκακοπάθησον τῷ Εὐαγγελίῳ. (z) *Eſt. Men. Tirin. alii.*

℣. 10. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium.

℣. 11. In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter gentium.

℣. 12. Ob quam cauſam etiam hæc patior: ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.

℣. 13. Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide, & in dilectione in Chriſto Jeſu.

℣. 14. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.

℣. 15. Scis hoc, quòd averſi ſunt a me omnes qui in Aſiâ ſunt; ex quibus eſt Phigellus & Hermogenes.

COMMENTARIUS.

mo inficiatur, homines idcirco a Deo vocatos eſſe, quòd æternis Dei conſiliis id antea prædeſtinatum eſt. Qui vocati ſunt ad Fidem, non ſtatim ideò ad gloriam prædeſtinati ſunt: ex his ramis aliqui non inhærent arbori, atque ob ſterilitatem abſcinduntur. Ait Apoſtolus, *gratiam nobis datam in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia;* decretam ſcilicet paratamque ob Jeſu Chriſti merita, ante omnia ſæcula (a), antequam ex nihilo educeremur.

℣. 10. MANIFESTATA EST AUTEM NUNC, eaque decreta executioni mandata, PER ILLUMINATIONEM (adventum) SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI. Vocationis ac prædeſtinationis noſtræ decretum in Deo ante ſæcula omnia latebat: veniente demum Chriſto Jeſu, prædicatoque Evangelio, perſpicuum nobis redditum eſt; *deſtruxit mortem*, quæ in peccatores univerſos imperium exercebat (b); *illuminavit* (detexit) *autem vitam & incorruptionem per Evangelium*, ſpe reſurrectionis æternæque vitæ nobis factâ: non quòd homines poſt Chriſti adventum morti obnoxii non ſint, cùm & animo per peccatum, & corpore per communem interitum moriantur; ſed quòd ii qui Chriſto credunt, ejuſque Evangelii inſtituta ſectantur, liberi ſint & peccati tyrannide per juſtificationem, & mortis formidine per firmam reſurrectionis æternæque in Cœlo vitæ expectationem. Patriarchæ veteres, & Juſti ex Veteri Teſtamento, in eâdem reſurrectionis & immortalitatis ſpe mortem oppetierunt: at Chriſtus Jeſus, per ſuam ipſius mortem ac Reſurrectionem, eam ſpem confirmavit, fecitque adeò perſpicuam, ut dici queat ante ipſum penitus in tenebris latuiſſe. *Illuminavit vitam & incorruptionem per Evangelium.*

℣. 11. IN QUO (c) POSITUS EGO SUM PRÆDICATOR; in eam ſcilicet rem, ut Evangelium hoc atque has Chriſti Jeſu promiſſiones prædicem. Factâ Evangelii mentione membro ſuperiore, ait, traditâ ſibi illud Gentilibus nunciandi provinciâ, quampluribus ærumnis obnoxium ſe fuiſſe. ℣. 12. *Ob quam cauſam*, inquit, *etiam hæc patior: ſed non confundor. Scio enim cui credidi* depoſitum meum; ſana nimirum dogmata, quæ Fidelium, ac præſertim Timothei, animis commendavit (d); ſive ſpem reſurrectionis, quam in ipſo Dei ſinu, ut ita dicam, depoſuit; ſeu denique Fideles ipſos, quos ceu depoſitum ſibi creditum, moriens ipſi commendat, illud pro certo habens fore ut ipſe curam illorum gerat, atque ad felicem exitum perducat; ita ut Paulus eos aliquando ſit redditurus illi, ex quo accepit. Poſtremò depoſitum ſignificare poteſt Pauli labores, animam, vitam, ſpem ſalutis, expectatum alterius vitæ præmium: omnia iſthæc Omnipotenti commendavit (e), certus omnia ſibi integra reſtitutum iri, cùm ipſe coram Deo ſupremâ die adfuerit: *In illum diem*.

℣. 13. FORMAM HABE SANORUM VERBORUM. Te ipſe exhibeto exemplar optimarum inſtitutionum, quas audiſti ex me. Hæc Epiſtola pro ſupremis Pauli tabulis eſt (f), omniumque quas ſcripſit ultima. Se igitur ipſe in exemplum proponit Timotheo, jubetque nunquam oblivisci inſtitutionum a ſe traditarum, eas meditari, mente verſare, quemadmodum pictor hominis effigiem exprimens, ſimillimam illi efficere conatur (g). Me ipſum, mea dogmata, meos labores tuis moribus exprime.

℣. 14. BONUM DEPOSITUM CUSTODI; depoſitum fidei, ſanorum dogmatum, traditionum, exemplorumque meorum; quorum rationem aliquando apud ſupremum Judicem ex te exigam. Meis in inſtitutionibus, Epiſtolis, rebus geſtis invenies, quo pacto officia tua expleas. At ne exiſtimes, iſta me ex tuis unius viribus poſtulare. Novi ego, hæc peragi non poſſe, niſi divinâ virtute (h), *per Spiritum Sanctum qui habitat in nobis*, tibique defuturus non eſt, niſi prior ipſe defeceris.

℣. 15. AVERSI SUNT A ME OMNES QUI IN ASIA SUNT; ſive, Aſiatici, qui Romæ erant, cùm ferre opem mihi deberent, me relicto in patriam redière; vel, diſſimulatâ amicitiâ me penitus deſtituerunt. *Ex quibus eſt Phigellus (i) & Her-*

(a) *Eſt. Vat. Men. Tir. Magalian.* (b) *Rom.* VI, 23.
(c) Εἰς ὅ, *Ad quod, ſupple, Evangelium prædicandum.*
(d) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Phot. in Comment. Mſ. Anglic.* Παραθήκην λέγει τὴν πίστιν, ἣν παρέθετο αὐτῷ ὁ Χριστὸς κηρύσσειν. (e) *Chryſ. Theophyl. Eſt. Men. Grot. Zeger. &c.*
(f) *Chryſoſt. homil.* 9. *p.* 605. (g) *Chryſ. Theophyl. alii. Græc.* Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων. *Chryſ.* Καθάπερ ἐπὶ τῶν ζωγράφων ἐνετυπωσάμην εἰκόνα σοι τῆς ἀρετῆς, *&c.*
(h) *Vide Chryſoſt. Theophyl. alios pleroſque. Confer* 1 *Timot.* VI, 20.
(i) Φύγελλος, *Plures Mſſ.* Φύγελος, *Quid.* Φρύγελλος. *Edit. Sixti V: Philetus.*

℣. 16 Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui; quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit:

℣. 17. Sed cùm Romam veniſſet, ſollicitè me quæſivit, & invênit.

℣. 18. Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illâ die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu meliùs noſti.

COMMENTARIUS.

Hermogenes, Epheſii fortaſſe Chriſtiani, ut & reliqui, de quibus queritur (k): cur enim illum quæri putes, ſeſe a Judæis Gentilibusque deſtitutum? Neque tamen ſui ipſius cauſâ dolet Paulus iſtorum perfidiâ, ſed illorum, quos eâ animi imbecillitate & inconſtantiâ Deo diſplicere neceſſe erat (l): eorum dico, qui aliquam illi vinculis detento ferre opem poterant: cæteri enim quid facerent (m)? Non meminit Paulus Lucæ & Diſcipulorum, qui tunc Romæ apud ipſum verſabantur; quos in ipſius obſequio conſtantiſſimos fuiſſe, aliis ex monumentis novimus.

Qui apocryphas Apoſtolorum vitas ſcripſere, tradunt, Philetum & Hermogenem veneficos fuiſſe, qui ad Chriſti fidem a Jacobo Majore traducti, & aliquandiu Paulum ſequuti, illum deinde in diſcrimine conſtitutum deſeruere. Scribit Tertullianus (n), Hermogenem fuiſſe Fidei deſertorem, aliumque ab eo Hermogene, quem ipſe ſcriptis exagitat: *Nec ipſe Apoſtolicus Hermogenes in regulâ perſeveravit.* Metaphraſtes, in Sermone de SS. Apoſtolis Petro & Paulo, ſcribit, Philetum ab Apoſtolo Epheſi Epiſcopum inſtitutum, Hebræis nuper converſis ſuaſiſſe, ut a Fide deficerent. At levior eſt Metaphraſtæ fides, quàm ut incredibilia, nullo Antiquitatis monumento freta, ſuadeat. Nulla manſit Phileti & Hermogenis memoria, niſi hoc ex loco, minimè ipſis glorioſo.

℣. 16 Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui. Oneſiphorus ex Aſiâ, ubi multum Eccleſiæ inſervierat (o), Romam profectus, ibique Paulum vinculis detineri intelligens, ſtudiosè perquiſitum reperit, ac miniſterio recreavit. Quamobrem & illi & illius familiæ bene precatur Apoſtolus. Oneſiphorum Græci (p) feſtâ die venerantur III Kal. Maji, & VI Id. Decembris. Ado aliique Latini VIII Id. Septembris. Græci ad d. III Kal. Maji Epiſcopum Colophonis in Aſiâ nuncupant; & ad d. VI Kal. Decembris, Epiſcopum Cæſareæ; cujus verò Cæſareæ, ſilent. Caniſii verſio legit Coronæam in Bœotiâ. Illum e LXX Diſcipulis unum ponunt Græci. Baronius martyrio functum aſſerit. Putat Grotius, jam tunc mortuum fuiſſe Oneſiphorum, cùm Paulus infra, IV, 19, ſalutem dicat familiæ Oneſiphori, non ipſi Oneſiphoro. Id ſi verum ſit, invictum habemus orationis pro mortuis argumentum (q). Magis etiam huic ſententiæ favet conſequens membrum, ac ſatis perſpicuè innuit, in vivis non fuiſſe Oneſiphorum: *Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illâ die* (ſupremi nempe Judicii). *Et quanta Epheſi* verſanti *miniſtravit mihi, tu meliùs noſti.*

At qui in poſtremâ illâ ſententiâ duplex hic Dominus? an alter ab altero diſtinctus? Cenſent nonnulli (r), Deum rogare Apoſtolum, ut gratiam Oneſiphoro conciliet apud Chriſtum Jeſum, vivorum Judicem & mortuorum. Majori numero alii (s) aſſerunt, his verbis illud ſolummodo ſignificari, ut gratiam Deus apud ſe Oneſiphoro largiatur; quemadmodum in Scripturis dicitur, *Dominus pluere a Domino* (t), ſcilicet a ſe ipſo. Alibi (u): *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Et (x): *Dixit Dominus ad Moyſem: Aſcende ad Dominum*, &c. Alii denique ita interpretantur (y): *Dominus Jeſus*, Conciliator Dei & hominum, *impetret illi gratiam & miſericordiam apud Deum Patrem.*

CAPUT II.

Timotheum hortatur, ut Evangelico in miniſterio laboret, & diſputationes vitet. In magnâ domo multa ſunt multos in uſus vaſa. Fugienda juvenilia deſideria. colenda juſtitia, fides, charitas, pax.

℣. 1. Tu ergo, fili mi, confortare in gratiâ, quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℣. 2. Et quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu, ſive gratiâ, quam nobis comparavit Chriſtus, & robore quod ipſe inſpirat: non tuis ipſe viribus, ſed Chriſti auxilio nitere.

℣. 2. Quæ audisti a me per multos testes, coram multis; nunquam enim clam verba feci (z), aut furtim, ut ſolent quidam, qui palam prodire non audent, quæruntque tenebras, quibus tegantur. Te in propatulo docui, non ſe-

(k) *Theodoret.* Εἰκὸς κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τῶν ἐν Ἀσίᾳ πεπιστευκότων (ἐν τῇ Ῥώμῃ) ἐπιδημῆσαί τινας, καὶ φυγεῖν τοῦ Ἀποστόλου τὴν συνουσίαν διὰ τὸ Νέρωνος δέος.
(l) *Chryſoſt. homil.* x, *p.* 612. (m) *Eſtius hic.* (n) *Tertull. contra Hermogen.* (o) *Infra*, ℣. 18.
(p) *Menæa*, *April. p.* 347: *Decemb. p.* 134: *Baron.* 6 *Septemb.* (q) *Vide Eſt. hic.*
(r) *Ambroſiaſt.* (s) *Chryſoſt. Theophyl. Eſt. Grot.* (t) *Geneſ.* XIX, 24. (u) *Pſalm.* XV, 2.
(x) *Exod.* XXIV, 12. (y) *Scultet. Capell. Camerar.* (z) *Chryſ. Theophyl. Theod. alii.*

℣. 3. Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.

℣. 4. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.

℣. 5. Nam & qui certat in agone, non coronatur, niſi legitimè certaverit.

℣. 6. Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus percipere.

℣. 7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.

COMMENTARIUS.

ſecùs ac reliquos ex Fidelibus. Non erubeſcit veritas, neque ſimulat. Epiſcopos intellige, Presbyteros, cæterosque, qui Timothei ordinationi adſuere, & quæ tunc dixit Apoſtolus, audierant. Alii (b) multos hoſce teſtes interpretantur Legem & Prophetas, quorum teſtimoniis comprobabat Paulus ea quæ Diſcipulis tradebat.

Knatchbullus aliam ex Græco ſententiam elicit (c): *Quæ audiſti ex me longis orationibus*, ſive inſtitutionibus, *ea commendato fidelibus viris, obteſtans*, ut ceu depoſitum ſolicitè cuſtodiant. *Viris fidelibus, nempe*, ait Photius (d), *Epiſcopis & Presbyteris, quos ordinaturus erat Timotheus.* Cave ut coram teſtibus multis referas illis ea quæ didiciſti ex me, præſertim in priore Epiſtolâ, quam uti regulam Epiſcoporum & Præſulum haberi volo. Alii (e) planiùs de Presbyteris Epheſiis. Hos ſedulò inſtitue, iiſque commenda depoſitum doctrinæ & fidei, quod ex me accepiſti, ut quaſi per manus traditum ad poſteros perveniat.

℣. 3. LABORA (f) SICUT BONUS MILES CHRISTI JESU. Vita hominis Chriſtiani aſſidua eſt cum peccato, Mundo, ac Diabolo pugna: Epiſcopi vita multo magis expoſita eſt, multoque pluribus adverſariis obnoxia. Primis illis temporibus nunquam non mora, perſecutiones, martyrium Epiſcopis imminebant.

℣. 4. NEMO MILITANS DEO IMPLICAT SE NEGOTIIS SÆCULARIBUS. Quemadmodum miles, Principi militans, negotiis, mercimoniorum quæſtui, forenſibus curis, venditioni mercium vacare non poteſt, debetque ad nutum Imperatoris ſemper eſſe (g), ita Miniſter Jeſu Chriſti, verbi Præco, Eccleſiæ Princeps opus eſt negotia ſæcularia, quæ cum muneris ſui dignitate, tranquillitate, officiis non componuntur, abjiciat. Hujus rei causâ Canones interdicunt Clericis mercaturâ, negotiorum procuratione, executione teſtamentorum, aliiſque hujuſmodi (h), quæ animum a gravioribus diſtrahunt, ipſiſque contemptum aliorum pariunt. At ſi neceſſitas, paupertas, pia animi demiſſio, inertiæ metus ſuadent, ut manuum labori vacent, ne illi Apoſtolum imitentur, ſanctiſſimoſque complures Epiſcopos, qui minimè neglectâ gregis curâ, temporis partem labori manuum dedêre; idque nedum non vetant Canones, verùm etiam præcipiunt, ut Clerici artem aliquam diſcant (i), at illud nunquam non caveant: *Abſque officii ſui dumtaxat detrimento.*

℣. 5. QUI CERTAT IN AGONE, NON CORONATUR, NISI LEGITIME CERTAVERIT. In celeberrimis olim Græciæ ludis leges quædam erant, a ludentibus in ſtadio ſervandæ. Vidimus in primam ad Corinthios (k), quod vitæ genus ſervandum illis eſſet, quantopere temperantiam, ſobrietatem, continentiam colerent. Videtur hic ſpectare Paulus leges in curſu, luctâ, diſco, ſaltu conſtitutas; quibus in ludis victor non pronunciabatur, niſi qui eas leges ſervaſſet (l), aut quem decerent agonothetæ, ſive præmiorum & coronarum distributores. Ita in Chriſtianæ vitæ curriculo ſatis non eſt currere aut pugnare; pugnandum & currendum eſt ex legum inſtituto. Tenenda eſt fides, concordia, charitas; quibus neglectis, ipſum vel martyrium inutile eſt. Non ſufficit, ſi labori vaces, corpus in ſervitutem redigas, & Chriſtum Jeſum prædices: ea præſtes opus eſt in Eccleſiâ, cum Eccleſiâ, Eccleſiæ juſſu, ex Chriſti Jeſu & Apoſtolorum inſtitutis. Fruſtra laboras, ſi ſecùs agis. *Qui non colligit mecum, diſpergit*, ait Chriſtus (m).

℣. 6. LABORANTEM AGRICOLAM OPORTET PRIMUM DE FRUCTIBUS PERCIPERE. Publicis Reipublicæ oneribus ſatisfacere, quodque & domino debet & Principi, reddere agricolam oportet: priùs tamen victum ex labore ſibi illum par eſt comparare. Niſi enim labore ſuo alatur agricola, nihil aut domino aut Principi reddet. Ita in Eccleſiâ Epiſcopi & ſacri Præcones, Jeſu Chriſti & fratrum ſalutis causâ laborantes, operam non perdunt. Primus laborum fructus ipſis cedit. Theſaurum in æternitate ſibi comparant, dum aliorum ſaluti ſtudent. Quamobrem, o Timothee, labora, doce, exhortare; at ita ut ne obliviſcaris tui.

Optimam quoque ſententiam ex Græco elicies, ſi reddideris ita (n): *Oportet agricolam laborare, antequam fructum percipiat.* Maximè omnium ſimplex ac proclivis eſt hæc explicatio. Quemadmodum athleta coronam non refert, niſi poſt pugnam & victoriam; ita æquum non eſt, ut ante arationem & ſementem agricola fructum expectet. Quare, o Timothee, animum confirma, teque vitæ hujus ærumnæ ne terreant.

℣. 7. INTELLIGE QUÆ DICO. Superiora tria vel

(b) *Quidam apud Theodoret. & Theophyl.* Τινὲς δὲ πολλοὺς μάρτυρας, νόμον καὶ προφήτας ἐνόησαν. *Ita Grot. Drus. Cornel.* (c) Ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν, μαρτύρων ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις. (d) *Photius apud Oecum.* Πιστοῖς ἀνθρώποις, ἤγουν ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, οὓς ἔμελλεν ὁ Τιμόθεος χειροτονεῖν. (e) *Eſt. Men. Tir.* (f) Κακοπάθησον. *Alii*: Συγκακοπάθησον, *Collabora. Ita Alex. Clarom. & S. Germ. G. L. Borner. G. L. Colb. 7, Copht. &c.*

(g) *Veget. de Re milit. l. 2. Nec privata militibus negotia mandabantur; ſiquidem incongruum videbatur, eos qui veſte & annonâ publicâ alebantur, utilitatibus vacare privatis. Vide Grot. hic.*

(h) *Cyprian. l. 1, Ep. 9; Concil. Calcedon. can. 3.* (i) *Concil. Carthag. can. 51: Clericus, quamtumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat. Et can. 52: Clericus victum ſibi & veſtimentum artificiolo, vel agriculturâ, abſque officii ſui dumtaxat detrimento, præparet.*

(k) 1 *Cor.* ix, 25. (l) *Vide Chryſoſt. Theophyl. Grot.* (m) *Luc.* 11, 23.

(n) Τὸν κοπιῶντα δεῖ πρῶτον γεωργὸν, τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν. πρῶτον pro πρότερον. Ita interpretantur Æthiops, Eſtius, Caſtalio, Grotius, Hammondus, Priceus, Scultetus, Le Clerc.

Digitized by Google

℣. 8. Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, ex ſemine David, ſecundùm Evangelium meum,

℣. 9. In quo laboro uſque ad vincula quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.

℣. 10. Ideò omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloriâ cœleſti.

℣. 11. Fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus, & convivemus.

COMMENTARIUS.

vel quatuor membra ſimilia ſunt ænigmati ſeu parabolæ; allataſque comparationes Apoſtolus non explicavit.

℣. 8. Memor esto, Dominum Jesum Christum resurrexisse. Hîc jam illum munire aggreditur adversùs illius ætatis hæreticos, quorum alii futuram negabant reſurrectionem, alii jam peractam aſſerebant. Ex poſtremis hiſce Hymenæus erant & Philetus (o), de quibus ſtatim. Simon Magus, magni eâ ætate nominis, quamquam vitâ jam functus, ut in ſecundam ad Theſſalonicenſes animadvertimus (p), plurimos reliquerat Diſcipulos, pariter docentes (q), nullam eſſe carnis ſalutem & reſurrectionem, ſed animæ dumtaxat; eamque animæ reſurrectionem non acquiri per baptiſmum, aut gratiam & merita Chriſti, ſive per opera (quidquid enim ab homine fit, indifferens eſſe ajebant, bonorum malorumque operum diſcrimine ab Angelis invecto, ut homines ſibi obnoxios facerent), ſed per Simonis amicitiam: qui ſpem in Simone & Helenâ collocarent, eos reſurgere, iiſque penitus omnia licere quæ luberet. Porrò adversùs iſtiuſmodi errores Timotheum munit Apoſtolus (r).

Secundum Evangelium meum. Veteres nonnulli (s) cenſuere, innui ab Apoſtolo Lucæ Evangelium, quod Pauli fœtum eſſe arbitrati ſunt. At Interpretes hæc verba de Evangelio, quod prædicabat Paulus, uſurpant, nempe de Chriſti Evangelio generice accepto. Confer Rom. xvi, 25, 16, 25, Galat. 1, 11. Vide Præfationem in Evangelium Lucæ.

℣. 9. In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans (t). Sui ipſius exemplum proponit Timotheo, ut inde is colligat, quid Evangelii causâ præſtandum ſibi & ferendum ſit. Gloriatur vinculis ſuis: teſtatur, *verbum Dei non eſſe alligatum*, quod ad ſe attinet, quamquam ipſe vinculis coërceatur: ſe, tametſi vinctum, conſtantiſſimè docere, & Evangelium nunciare, quin aut provocandorum hoſtium, aut accelerandæ mortis, aut augendi ſupplicii metus ab officio explendo deterreant (u). Videtur tunc temporis non carcere clauſus fuiſſe, ſed tantùm militi cuſtodi alligatus, qui liberum ultro citroque meandi uſum, amicorum ſalutationes, & auditorum alloquia non prohiberet. Si carcere clauſum exiſtimaveris, ut Interpretes multi ſentiunt, luculentior erit Apoſtoli virtus & conſtantia.

℣. 10. Ideo sustineo omnia propter Electos. An non totius Eccleſiæ cauſâ, ex Electis reprobiſque compoſitæ? Quamvis enim Reprobi Cœleſtem beatitudinem non aſſequantur, atque ita intra Eccleſiam ſint, ut palea cum frumento in areâ miſcetur, tamen extra Eccleſiam poſiti dici nequeunt. Hominibus univerſis Evangelium nunciabat Paulus; omnes vocabat ad Fidem, accedentes omnes excipiebat, certoque lumine Electos a reprobis non diſtinguebat: utrorumque igitur cauſâ omnia ſuſtinebat. Illud tamen fatendum eſt, Paulum excepturum non fuiſſe intra Eccleſiam, aut ad ſalutem vocaturum illos, quos reprobos eſſe intellexiſſet; execraturum potius, aut deploraturum. Chriſtus, qui illos noverat, pro illis non orat, ut pro Electis (x): *Non pro mundo rogo, ſed pro iis, quos dediſti mihi*. S. Auguſtinus (y): *Si Eccleſia certo noſſet, quinam prædeſtinati ſint ad æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro iis non oraret, quàm nec pro ipſo*. Poteſt Eccleſia orare, ut bona temporariis donentur, aut tentationes & labendi occaſiones ab iis removeantur, ut eò leviora iis ſint alterius vitæ ſupplicia, quò minora peccata (z).

Electorum nomine frequenter Scriptura (a) complectitur omnes ad Fidem & Chriſtianam Religionem vocatos, ut opponuntur excluſis rejectiſque; ac minimè quærit, ii ne, qui vocati ſunt, ad gloriam prædeſtinati fuerint, an ſolummodo ad vocationem. Atque hic locus aptiſſimè ita uſurpari poteſt: Vinculis coërceor ego, non Dei verbum: quamobrem nihil malorum eſt, quod alacri animo non feram, ut fidei donum & gratiam juſtificationis hominibus univerſis procurem; in eo laborans, quod ad me attinet, ut illos & inſtitutionibus & exemplis ducam ad *ſalutem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloriâ cœleſti* (b); ad Chriſtianam Profeſſionem, æternamque beatitudinem.

℣. 11. Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, et convivemus. En argumenta adversùs Simonis Diſcipulos, reſurrectionem negantes. Si cum Chriſto Jeſu mortui fuerimus in baptiſmo & Chriſtianâ profeſſione; ſi vetus homo noſter cum illo in baptiſmi aquis ſepultus fuerit, procul dubio unà cum Chriſto reſurgemus in gloriam æternamque beatitudinem (c), non animâ tantùm, ſed & corpore. Infidelibus quoque & reprobis continget corporum reſurrectio; at idcirco ſolùm, ut infeliciores in inferis fiant. Certiſſima iſthæc dogmata, noſtræque Religionis fundamenta fortiter tene.

Alii (d) ita explicant: Si per labores & ærumnas mortui fuerimus cum Chriſto, ſpei locus nobis fiet, nos aliquando cum illo in Cœlis regnaturos. Quamobrem malis & perſecutionibus, quibus agitamur, ne terrearis. Initium quippe noſtræ beatitudinis ſunt. Favent huic explicationi conſequentia.

(o) 1 Timot. 1, 20. (p) 2 Theſſal. II, 8. (q) *Epiphan. hæreſi* 21, c. 4; *Aug. hæreſ.* 1; *Iren. l.* 1, c. 20.
(r) *Theodoret. Chryſ.* (s) *Quid. apud Hieronym. Catalog. Scriptor.* (t) Ὡς κακοῦργος, *Ut maleficus*.
(u) *Theodoret.* Τῶν γὰρ δὴ χειρῶν, οὐ τῶν ποδῶν δεσμουμένων ἡ γλῶττα κηρύττει τὸ εὐαγγέλιον,
(x) *Joan.* XVII, 9. (y) *Aug. l.* 21 *de civit.* c. 24. (z) *Vide Eſtiū Fromond*
(a) *Matt.* XIII, 48; XX, 16; XXII, 14; XXIV, 22, 24, 31; 1 *Cor.* 1, 27; *Coloſſ.* III, 12.
(b) *Græc.* Μετὰ δόξης αἰωνίου, *Cum gloriâ æternâ. Latini cum Vulg. Cœleſti. Vulg.* ...
(c) *Vide Rom.* VI, 8. *Ambroſiaſt. Eſt.*
(d) *Chryſoſt. Grot. Men. alii.*

℣. 12. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. Si negaverimus, & ille negabit nos.

℣. 13. Si non credimus, ille fidelis permanet; negare ſeipſum non poteſt.

℣. 14. Hæc commone, teſtificans coram Domino. Noli contendere verbis; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.

℣. 15. Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis.

℣. 16. Profana autem, & vaniloquia devita; multùm enim proficiunt ad impietatem;

℣. 17. Et ſermo eorum ut cancer ſerpit. Ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus,

℣. 18. Qui a veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem.

COMMENTARIUS.

℣. 12. SI SUSTINEBIMUS, ET CONREGNABIMUS. Regnum promiſit Chriſtus iis, qui Crucem ferendo ſecuti ſe fuerint *(e)*; mala extrema iis minitatus, qui a ſe defecerint, aut ſe excipere noluerint *(f)*.

℣. 13. SI NON CREDIMUS, ILLE FIDELIS PERMANET. Tametſi nos aut non crediderimus Deo, aut a Fide receptâ defecerimus, an idcirco ipſe fidelis eſſe deſinet *(g)*? An noſtri eget, ut ſibi gloriam comparet? Nonne Abrahamo filios ex deſerti lapidibus procreare poteſt *(h)*? Sive: Ubi nos rejecerimus Deum, aut datæ fidei defuerimus, an infirmior futurus eſt ad expoſcendas ex nobis pœnas? ejuſque minarum veritas & efficacia minuetur *(i)*? Maximè omnium proclivia videtur hæc explicatio.

℣. 14. TESTIFICANS CORAM DEO. NOLI CONTENDERE VERBIS. Deum adhibeto teſtem dogmatum, quæ Fidelibus trades; tu verò verborum lites ne ſecteris. Græcus fert *(k)*: Hæc in memoriam illis revoca, *obteſtatus Dei nomine, ne verborum pugnas ſectentur*. At vetuſtiſſima Exemplaria cum Vulgatâ conſentiunt. Primâ ad Timotheum Epiſtolâ illum monuit, ne quæſtiones verborum, inaneſque lites, fabellas, genealogias fine & fundamento carentes ſectaretur *(l)*. Ut enim animadvertimus, is erat mos primorum hæreticorum, qui curioſitatem, inanem eruditionem, arrogantiam, verborum lites amabant.

℣. 15. OPERARIUM INCONFUSIBILEM, qui nihil agat, cujus pudere illum queat, RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS; ad verbum *(m)*, *rectè ſecantem*, diſtribuentem *verbum Veritatis*, qui rectè illud dividere, diſtribuere noverit auditoribus, ita ut commodum illis ſit & utile; ſive boni inſtar agricolæ, humum aratro ſecantis, ſulcoſque rectiſſimos ducentis; vel tamquam qui iter ſequuturis ſternit. His comparationibus mirè deſcribuntur officia, a ſacris Præconibus & Epiſcopis erga populum exercenda; eæque nullo negotio ad rem applicantur.

℣. 16. PROFANA ET VANILOQUIA *(n)* DEVITA; ſive ex aliis Exemplaribus, *profanas novitates verborum*. In Eccleſiæ doctrinâ vitandum eſt quidlibet rebus & verbis novum. Non rarò accidit, ut vocula una ad arbitrium conficta, ac temerè Fidei inſtitutionibus miſta, graviſſimas turbas inter Fideles pareret. Falſa primorum hæreticorum Theologia novis locutionibus, quas neque Chriſtus neque Apoſtoli noverant, abundabat. Undique occurrunt *Æones*, *pleroma*, *mens*, *ſpiritus*, barbara quorumdam Angelorum & ſpiritalium virtutum nomina, duplicisque principii, boni alterius, alterius mali; quibus nominibus & obcæcantur imperiti, & ambitioſi, arrogantes, curioſi decipiuntur.

℣. 17. SERMO EORUM UT CANCER SERPIT. Perniciosiſſimum morbi genus eſt cancer, ex compreſsâ glandulâ, atque ex fibrarum illius mistione ſeu fractione oriens. Means per illas ſanguis paulatim in tabum vertitur, omnemque humorum congeriem vitiat. Ea pars, ex qua tabum manat, ſenſim corrumpitur, finitimaſque partes inficit. Gangrænæ genus, cujus certa curatio nondum inventa eſt. Cancro ſimilis hæreticorum doctrina. Ex minimis initiis ſpargitur, innumeroſque novarum rerum cupidos, & jucundè falli gaudentes, ſenſim inficit. Sub Eccleſiæ initia Gnoſticorum hæreſis mirificè aucta eſt, pluresque in exitium rapuit, quàm perſecutorum furor. Perniciosiſſimum ex eâ malum eſt, quòd Chriſtianam Religionem Gentilibus odioſam reddiderit *(o)*, qui cùm hæreticos hoſce a Catholicis non diſtinguerent, omnibus a Chriſti nomine appellatis eoſdem errores eademque flagitia adſcripſere.

℣. 18. DICENTES, RESURRECTIONEM ESSE JAM FACTAM. Ex lapſu Hymenæi & Phileti, qui falſis Simonianorum collectionibus decepti, Eccleſiæ fidem deſeruerant, didicerat Paulus, quanti intereſſet, profanis hæreticorum novitatibus reſiſtere.

Quam.

(e) *Matt.* x, 38; xvi, 24; *Luc.* xiv, 27.

(f) *Matt.* x, 33. (g) *Eſt. Theodoret. alii*. (h) *Matt.* iii, 9. (i) *Grot. Men. Tir.*

(k) Ταῦτα ὑπομίμνησκε, διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου μὴ λογομαχεῖν. *Alii*: Διαμαρτυρόμενος ἐνώπιον τοῦ Κυρίου, Μὴ λογομάχει. *Ita Cod. Alex. Clar. Lat. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt.*

(l) *Vide* 1 *Timot.* i, 4, 6; vi, 4, 5, 13.

(m) Ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. *Theodoret.* Αἰνοῦμεν τῶν γεωργῶν τοὺς ἰθείας τὰς αὔλακας ἀνατέμνοντας, οὕτω καὶ διδάσκαλον ἀξιέπαινον, ὁ τῷ κανόνι τῶν θείων λογίων ἑπόμενος.

(n) *Gr.* Τὰς βεβήλους κενοφωνίας περιΐστασο. *Alii* Καινοφωνίας, *Novitates verborum. Ita Chryſ. Theophyl. Oecum. Berner. G. L. Clar. & S. Ger. Lat. Novitates vocum. Ita & Ambroſiaſt.*

(o) *Juſtin. Apolog.* 2; *Euſeb. hiſt. Eccleſ. l.* 5, *c.* 3.

℣. 19. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc:
Cognovit Dominus qui ſunt ejus; &: Diſcedat ab iniquitate
omnis qui nominat nomen Domini.
℣. 20. In magnâ autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argen-
tea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem,
quædam autem in contumeliam.
℣. 21. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem
ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.
℣. 22. Juvenilia autem deſideria fuge; ſectare verò juſtitiam, fidem,
charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de cor-
de puro.

COMMENTARIUS.

Quamobrem hoc ipſum frequentiùs urget tum hac Epiſtolâ, tum primâ ad Timotheum. Veteres diſertè tradunt *(p)*, docuiſſe Simonem, nullam eſſe carnis reſurrectionem, ſed animæ dumtaxat, ex peccato ad gratiam reſurgentis *(q)*.

℣. 19. SED FIRMUM FUNDAMENTUM DEI STAT, HABENS SIGNACULUM HOC: COGNOVIT DOMINUS QUI SUNT EJUS *(r)*. Quaſi hæc e Scripturis ſententia inſcripta fuerit lapidi, in Eccleſiæ fundamentis poſito *(s)*; ſimulque altera *(t)*: *Diſcedat ab iniquitate, qui invocat nomen Domini*, ſive ex Græco vulgato, *nomen Chriſti*. His fundamentis nititur certiſſima noſtræ fidei, & dogmatum Jeſu Chriſti veritas; verbis nimirum a Deo manifeſtatis, qui veritas eſt per eſſentiam. Cùm verò pravi homines indocileſque, Dei verbis, rebuſque divinitus traditis abutantur, ea ita torquentes, ut errori ſuo faveant, Deus Fidei ſecuritati, atque humilium Fidelium ſolatio ſapientiſſimè conſuluit, tutiſſima ſuppeditans adversùs errores & Hæreticorum nequitiam perfugia. Magiſtratum igitur in Eccleſiâ inſtituit, penès quem authoritas & veritas ſua ceu depoſitum eſſent; videlicet ipſa Eccleſiæ vox, per Paſtores loquentis. De his pronunciavit Chriſtus *(u)*: *Qui vos audit, me audit*.

At qua ratione geminæ iſtæ ſententiæ evincunt, Dei fundamentum immobile manere & inconcuſſum? & deficientibus etiam labentibuſque Chriſtianis quamplurimis, fidem Eccleſiæ Chriſti minimè perituram *(x)*? Sunt qui eam firmitatem conſtituant in prædeſtinationis decreto, ſignificato iis verbis: *Cognovit Dominus qui ſunt ejus*; atque in perſeverantiâ in bene agendo, quam innuunt illa: *Diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*, quique inter Fideles eſt, & in ſceleris execratione ad ſupremum uſque ſpiritum perſeveret. Alii, in promiſſis, quæ Deus præſtitit Eccleſiæ, ubi ait, ipſam a ſe ſuper lapidem conſtructam, nullis Diaboli viribus ſuperandam *(y)*; id quod refertur etiam ad Fidelium delectum a Deo habitum; atque ad perſeverantiæ donum, quod largitur Deus, non omnibus quidem vocatis, Eccleſiam componentibus, ſed Electis *(z)*, quos in fide conſtantes efficit, atque adversùs Diaboli conatus & hæreticorum artes tuetur. *Ex nobis prodierunt*, inquit Joannes Apoſtolus *(a)*, *ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Oves meæ vocem meam audiunt*, ait Chriſtus *(b)*, *& non rapiet eas quiſquam de manu meâ*. Ne igitur terreare multorum defectione & lapſu: periturus eſt nemo, niſi ad interitum deſtinatus. *Scit Deus quos elegerit (c), & qui verè ſint ejus*.

℣. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO vaſa cujuslibet generis ſunt, aurea, argentea, lignea, fictilia. Intra Eccleſiam ſunt *(d)* Electi & Reprobi, honoris vaſa & contumeliæ *(e)*: palea tritico admiſta *(f)*, lolium cum bono ſemine *(g)*, piſces boni cum malis *(h)*. Qui per hæreſim vel ſchiſma ab Eccleſiâ diſcedunt, qui peſſimis moribus labem illi inferunt, qui ad vomitum redeunt, fidemque operibus abdicant, ii vaſa ſunt contumeliæ; mirum eſſe non debet, ſi pereant & labantur. Adversùs iſta nos munivit Chriſtus; inter Apoſtolos Judam eſſe paſſus eſt. Bonorum a malis diſtinctio in alterâ demum vitâ fiet. Dum ſuperſtes eſt homo, de ipſius ſalute atque emendatione deſperandum eſt nemini. Gloriam ſibi comparat Deus cùm ex bonis tum ex malis. Impii Electorum ſaluti ſerviunt.

℣. 21. SI QUIS ERGO EMUNDAVERIT SE AB ISTIS, ERIT VAS IN HONOREM. Qui Fidei unitatem ac puritatem in Eccleſiâ ſervaverit, Deoque favente vitam duxerit vocatione dignam, futurus eſt vas in honorem, æternamque beatitudinem aſſecuturus. Videtur hic Paulus id homini tribuere, ut ſe ipſe purgare queat, ac immunem ſervare labibus, quæ vas contumeliæ hominem efficiunt: alibi tamen ſatis luculentè docuit, quantopere indigeat homo Chriſti gratiâ, ut quodlibet virtutis opus inchoet, proſequatur, & compleat. Poteſt homo ſuis unius viribus ferri in exitium, peſſimoque vitæ inſtituto effici vas contumeliæ: at præter Dei opem fieri nequit vas honoris, aut, ſi tale ſit, perſeverare.

℣. 22. DESIDERIA JUVENILIA FUGE; levitatem, immodicam hilaritatem, amicorum conſuetudines, lites, jocos, oris ferociam, quæ ex acquiſito honore interdum naſcitur. *Juvenilia deſideria* cave intelligas immoderata & flagitioſa. Timothei ſanctitas gravitaſque *(i)* ſatis illius temperantiam tuentur: at minima quædam vitia ſunt, quæ non prorſus virtute corriguntur in adoleſcenti-

(p) *Epiphan. hæreſi* 21; *Aug. hæreſ.* 1.
(q) *Vide Aug. in Joan. homil.* 59; *D. Thom. Eſt. Men. Tir. hic*. (r) *Num.* XVI, 5, *ex Verſione* 70.
(s) *Theophylact. Grot.* (t) *Num.* XVI, 26, *ex Verſione* LXX. (u) *Luc.* X, 16.
(x) *Vide Aug. Fremond. Eſt. Magalian. Men. Tir. alios*. (y) *Matt.* XVI, 18.
(z) *Magalian. Eſt. From. Vat. Men. Tir.* (a) 1 *Joan.* II, 19. (b) *Joan.* X, 28.
(c) *Joan.* XIII, 18: *Ego ſcio quos elegerim*. (d) *Cyprian. l.* 3, *Ep.* 3; *l.* 4, *Ep.* 2; *& Aug. l.* 3 *contra Donatiſt. c.* 18, 19; *& l.* 4, *c.* 12; *Eſt. Men. Tir. alii*. *Vide Luc.* XIV, 23; *Hebr.* X, 21; 1 *Timot.* III, 15. (e) *Rom.* IX, 21. (f) *Matth.* III, 12. (g) *Matth.* XIII, 25, *& ſeq.*
(h) *Matth.* XIII, 47. (i) 1 *Timot.* V, 23.

℣. 23. Stultas autem, & ſine diſciplinâ quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.

℣. 24 Servum autem Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem,

℣. 25. Cum modeſtiâ corripientem eos qui reſiſtunt veritati; nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem,

℣. 26. Et reſipiſcant a Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

COMMENTARIUS.

tibos, qoi ætate adhuc immaturâ cæteris præficiuntur (*k*). Authoritas qua in Timotheum utebatur Apoſtolus, & charitas qua illum proſequebatur, locum illi faciebaor ita cum illo agendi, uti cæteris non licuiſſet. *Sectare juſtitiam, fidem, charitatem.* Libri complures editi leguot (*l*): *Juſtitiam, fidem, ſpem, charitatem.*

℣. 23. Stultas et sine disciplina quæstiones davita. Hoc ipſum urget ſæpiùs (*m*), intelligens quaoti iſtud intereſſet, eo præſertim tempore, quo Simoniaootum hæreſcs adeò in Eccleſiâ graſſabantur.

℣. 24. Servum Domini non oportet litigare, præſertim ubi res ſit de inanibus ineptisque disputationibus, ratione & fundamento carentibus, quales erant quæ inter primæ ætatis hæreticos agitabantur. Spernendæ ſunt ut aniles fabulæ, quæ ſeriam refutationem haud merentur Errorea nonnulli ſunt, qui certamine confirmantur. Satis refellebatur tota Simonianorum, Nicolaiturum, Gnoſticorum Religio, ſi penitus negaretur, cùm nullum illi eſſet aut ex ratione aut ex divinâ authoritate fundamentum. Quæ hiſce hæreticia dignitas erat, ut dogmata riteuderent? Quibus argumeotis confirmabantur *Æonos*, *pleroma*, prima illorum mens, Angelorum in claſſes diſtributio, & nomina ipſis Angelis attributa? Quorſum cum oullius suthoritatis hominibus decertaveris?

At iis in rebus, quæ Evangelii veritatem invadunt, nedum licet Timotheo & Epiſcopis disputare, certare, aggredi hæreticos & repugnare, verùm etiam interdum id fieri ab illis debet; vult enim Apoſtolus, ut Evangelii Miniſter nunquam non paratus ſit Fidem ſuam argumentis demonſtrare, & aggreſſores repellere (*n*). In Apocalypſi (*o*) arguit Dominus Angelum ſeu Epiſcopum Pergami, quòd homines Balaami doctrinam ferentea toleret.

Diſcipulum eſſe vult Apoſtelua non litium & diſputationum amatorem, *ſed manſuetum ad* (erga) *omnes*, *docibilem* (docendi peritum, ſive (*p*) cupidum), *patientem*. Eccleſiæ deſertores ne jurgiis & litibus ioſectere, ſed lenem te & manſuetum illis exhibeto, patienter doce. His artibus illi faciliùs revocaotur, quàm arrogantiâ & imperio.

℣. 25. Naquando (ſi quando) det illis Dominua poenitentiam. De cujusquam converſione ne deſperes. Talem te errantibus exhibeto, qualem languentibus medicus. Illorum curationi operam navato, futurum ſperans, ut aliquando convaleſcaot. Eccleſiam nunc laceſſit hæreticus; filius eſt in matrem pugnans, ac dolore & mœrore afficiens: at quamvis refractarium quærit mater, reverti cupit & reſipiſcere; duriſſimum cor in carneum convertere Deus omoipotens valet. *Nequando* (*q*) hoc loco non metum ſignificat, ſed dubitatiooem ſpe & deſiderio miſtam.

℣. 26. A Diaboli laqueis, a quo captivi tanentur ad ipsius voluntatem. Hæretici ſimiles captivis ſunt, inter Diaboli vincula conſtitutis. Hos ille poſſidet, agitque pro arbitrio, ducit, ioſpirat, iisque ceu ferendi in cæterorum meotibus erroris & fraudis ioſtrumentis utitur. Aliter: *A quo captivi tenentur ad ipſius* (Dei) *voluntatem* (*r*). Patitur Deus, ut ſub Dæmonis poteſtate ſint, quamdiu ſibi placuerit. Eâ ſervitute illos liberare poteſt nullo non tempore, atque ad pœnitentiam impellere. Hos igitur ne exiſtimes hujuſmodi eſſe ioimicos, qui conciliari nequeant. Cura ut convertantur ceu fratres, ſed errantea, & ad aliquod fortaſſe tempus tantummodo in Satanæ poteſtatem tradiri. Dum illos docere conaris, funde pro illis preces.

CA-

(k) *Vide Grot. Eſt. Theodoret. Chryſoſt. Theophyl.*

(l) *Vide Bukentop. l. 2, p.* 300. (m) Vide ſupra 1 *Timot.* I, 4; VI, 4; IV, 7; & 2 *Timot.* II, 16.

(n) *Tit.* I, 9: *Ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos qui contradicunt arguere.*

(o) *Apoc.* II, 14, 15, 16. (p) Ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον. *Quidam* Νήπιον, pro ἤπιον. Quod attinet ad διδακτικὸν, vide 1 *Timot.* III, 2: Φιλόξενον, διδακτικόν.

(q) Μήποτε, pro εἴποτε. *Vide Grot. Lud. de Dieu, Ham. Scult. Buda. Glaſſ. Gramm.* 3, 7, 5.

(r) *Eſt. Grot. Hamm. Camer. Price. Piſcat.*

CAPUT III.

Falſi Doctores, eorumque ingenium. Timotheum hortatur, ut doctrinæ ſuæ depoſitum cuſtodiat, ſua exempla ſectetur, Chriſti causâ ærumnas ferat. Scripturarum utilitas.

℣. 1. HOC autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa:

℣. 2. Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti,

℣. 3. Sine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate,

℣. 4. Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei:

℣. 5. Habentes ſpeciem quidem pietatis; virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita:

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN NOVISSIMIS DIEBUS INSTABUNT TEMPORA PERICULOSA. Cùm Eccleſiam tot malis agitari vides, ne formidato. Nullo non tempore hæreſes, perſecutiones, deceptores, veritatis hoſtes & fuere & futuri ſunt. Nonne Jannes & Mambres in Ægypto Moyſi reſtiterunt? Futuris temporibus prodituri ſunt, prædico, perverſi homines, omnibuſque vitiis inquinati, exitiales Eccleſiæ, bonoſque malis innumeris affecturi. Ex ℣. 5 collige, *noviſſimos* hoſce *dies* non multum remotos fuiſſe a Timotheo *(a)*, cùm illum moneat Apoſtolus, ut hujuſmodi homines *devitet*. ℣. 6. *Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis*. Vide & ℣℣. 13. & 14. quos Theophylactus de Simonis & Manetis Diſcipulis explicat. Vide & nos in 1 *Timoth.* IV, 1. *In noviſſimis temporibus*, locutio eſt, tempus abſolutè futurum ſonans, ſive proximum, ſive remotum.

℣. 2. ERUNT HOMINES SEIPSOS AMANTES. Deſcribit hîc Apoſtolus hæreticos, maloſque cujuslibet ætatis homines. Nullum enim ſeu Veteris ſeu Novi Fœderis tempus hujuſmodi peſtibus vacavit. Cùm adhuc ſuperſtites eſſent Apoſtoli, hæreſes ac turbæ concitatæ ſunt in Eccleſiâ. Multò plures poſt illorum obitum prodiere. Impiam animam jam efflaverat Simon, cùm hanc Epiſtolam, paulò ante martyrium, daret Apoſtolus. At ingens aſſeclarum numerus a Simone relictus eſt, ex quibus ortæ ſunt hæreſes multæ, multis nominibus apud Antiquos notæ: Gnoſtici, Carpocratiani, Simoniani, Encratitæ, Menandriani, Docetæ, Eutychitæ, Gortheni, &c.

PARENTIBUS INOBEDIENTES. Graviſſima inter crimina hoc recenſet tum hîc, tum in Epiſtolâ ad Romanos *(b)*; ac profectò nullum peccati genus eſt, quo Dei contemptus magis ſignificetur; nihil enim, poſt Deum, parentibus venerabilius.

INGRATI. Nihil hominibus odioſius ingrati animi vitio, quod & plebejum ſævumque animum indicat: rarò tamen dignum exiſtimatur, quòd Dei furore & animadverſionibus multetur. Quemadmodum in hominum conſuetudine nihil ingrato eſt odioſius; ita in morum diſciplinâ ex eo vitiorum genere eſt, quæ cum recto ordine, charitate, juſtitiâ maximè pugnant.

℣. 3. SINE AFFECTIONE, SINE PACE *(c)*, ſævi, pacis inimici; nullâ erga cæteros charitate; *ſine pace*, amicitiæ & fœderis neſcii; fœdifragi, perfidi.

SINE BENIGNITATE *(d)*: qui bonos neque amant neque colunt, vitant potiùs, odêre, inſectantur. Impiorum omnium hæreticorumque proprietas, bonos pioſque execrari.

℣. 4. VOLUPTATUM AMATORES MAGIS QUAM DEI *(e)*. Neque ſanctioris vitæ ſtudium, neque Dei & veritatis amor, neque vitiorum in Eccleſiâ Catholicâ graſſantium execratio, neque major vulgari cognitio hæreticos ad defectionem impellunt, ſed licentiæ amor, voluptatis malæque libertatis deſiderium. Quæ olim inter primævos Hæreticos eſſent flagitia, nemo ignorat: atque utinam neſciremus, quæ cauſa fuerit, cur noſtræ ætatis hæretici ab Eccleſiâ diſcederent.

℣. 5. HABENTES QUIDEM SPECIEM PIETATIS, VIRTUTEM AUTEM EJUS ABNEGANTES, pietatem ipſam evertentes. Ne putaveris, hæreticos ingenium ſuum ſtatim iis prodere, quos trahere ſuas in partes volunt: ambitionem, ſuperbiam, peſſimæ libertatis novarumque rerum amorem, quibus agitantur, ſtudioſè tegunt; ea quippe ſi ſtatim cernerentur, homines ab iis alienarent. Diſſimulant illi, ac perſonam pietatis & Religionis aſſumunt, nihilque crepant niſi Eccleſiæ, quam deſerere ſtatuerunt, ejuſque diſciplinæ inſtaurationem: ſublimiorem doctrinam jactant; vitia labeſque relictæ Communionis exaggerant: lupi denique ſunt ovis vellere induti. Commendabantur Gnoſtici cognitione altiſſimarum inauditarumque rerum, quam oſtentabant: Encratitæ ſimulatâ abſtinentiâ & continentiâ gloriabantur: Simon præſtigiis populum fallebat. Cæterùm unum omnium propoſitum erant ambitio, avaritia, intemperantia.

ET HOS DEVITA. Ex his collige, innui ab Apoſtolo ſuorum temporum hæreſes, cæteraſque ad mundi exitum uſque orituras *(f)*.

℣. 6. PE-

(a) *Chryſoſt. Theophyl. Ita Grot. Eſt. Men. Vide & Epiphan. hæreſi* 16. (b) *Rom.* 1, 30.
(c) Ἄστοργοι, ἄσπονδοι. *Vide Rom.* 1, 31. *Hæc deſunt in Syro.*
(d) Ἀφιλάγαθοι. Confer *Tit.* 1, 8: Φιλάγαθοι.
(e) Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι.
(f) *Chryſ. Theophyl. Eſt. Grot. Men.*

℣. 6. Ex his enim ſunt qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis;

℣. 7. Semper dicentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.

℣. 8. Quemadmodum autem Jannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt veritati. Homines corrupti mente reprobi circa fidem;

COMMENTARIUS.

℣. 6. PENETRANT DOMOS, ET CAPTIVAS DUCUNT MULIERCULAS, ONERATAS PECCATIS. Simon Magus, relictâ Fidelium Samariæ, ubi baptiſmo tinctus fuerat, communione, quamplures urbis provincias peragravit, ut homines in errorem pertraheret *(g)*. Cùm Tyri, Phœniciæ urbe, verſaretur, meretricem êmit, nomine Helenam, quam ubique circumducens, flagitioſiſſimum cum eâ vitæ genus agebat *(h)*. Ajebat, Helenam primam eſſe mentem, atque omnium matrem; interdum appellabat Paracletum, interdum Minervam, vel Helenam Menelai uxorem, Trojani belli cauſam; atque his alia immunera ſubtexebat. Hæc tamen ſatis ſuperque ſunt, ut veritatem dictorum Apoſtoli confirment.

Marcoſiani fœminas decipiebant præſtigiis, easque plenas eſſe Spiritu Sancto ipſis ſuadebant, jubebantque interdum eas rem divinam facere *(i)*. Permittebant Marcionitæ, ut fœminæ baptiſmo tingerent *(k)*. Illas Marcionitæ & Preſbyteri & Epiſcopi dignitate donabant *(l)*. Notiſſima ſunt totâ Antiquitate Nicolaitarum, Gnoſticorum, cæterorumque ejus ætatis hæreticorum cum fœminis flagitia; nulloque negotio ex monumentis hiſtoricorum demonſtrari poteſt, nullam eſſe hæreſim, quæ mulieris alicujus operâ potiſſimum uſa non fuerit. S. Hieronymus *(m)*, poſtquam docuit, Simonem Magum, Marcionem, Nicolaum fœminarum ope ſectas ſuas inſtituiſſe, cæteras ad ſuam usque ætatem hæreſes percurrens, oſtendit, nullas fuiſſe, quæ per fœminas aut inſtitutæ, aut promotæ, aut fultæ non fuerint.

℣. 7. NUNQUAM AD SCIENTIAM VERITATIS PERVENIENTES. Minimè ſtudent illæ recta diſcere, aut certum aliquid verumque ſtatuere: novarum rerum cupidæ ſunt, ut curioſitatem expleant, ſuæque mentis & naturæ levitatem ſectantur. Græcus *(n)*: *Nunquam ad veritatis cognitionem venire valentes.*

℣. 8. QUEMADMODUM JANNES ET MAMBRES. Cùm horum Magorum, qui cum Moyſe pugnaverunt, nomina in Veteri Teſtamento non tradantur, viſum eſt Interpretibus, ea didiciſſe Paulum vel divinitus *(o)*, vel ex Judæorum traditione *(p)*, vel ex veterum ſcriptis, quæ ætate interciderint *(q)*, vel denique ex apocrypho Jannæ & Mambræ libro, cujus meminere Origenes *(r)* & Ambroſiaſter. Illud certò conſtat, ætate Pauli notiſſima fuiſſe horum Magorum nomina; quamobrem neceſſe non eſt, ea divinitus detecta exiſtimare. Horum meminit Numenius Pythagoricus, quem laudat Ariſtobulus Judæus, qui floruit circa Olympiadem CLI, circiter annum ante Chriſtum CLXXVI; quare & illo vetuſtior fuit Numenius. Hoc igitur poſito, Librum Ariſtobuli eâ vetuſtate eſſe, quam poſtulat ejus libri inſcriptio ad Ptolemæum Philopatorem (neque enim deſunt Eruditi, qui hoc Ariſtobuli ſcriptum fraude alicujus eſſe ſuppoſitum, nec Numenium ſecundo Eccleſiæ ſæculo eſſe vetuſtiorem putent), hæc apud illum de Janne & Mambre leguntur. *Jannes & Jambres (ita nominat), Scribæ rerum ſacrarum Ægyptii, quo tempore Ægypti finibus ejecti Judæi ſunt, claruere, viri omnium judicio rerum magicarum ſcientiâ nemini concedentes. Quippe ambo communi Ægyptiorum conſenſu delecti ſunt, qui Muſæo* (ita Moyſem appellat) *Duci Judæorum, cujus apud Deum potentiſſimæ preces erant, ſeſe opponerent, adeoque graviſſimas calamitates a Muſæo in Ægyptum invectas omnium in oculis diſſolvere ac diſſipare potuerunt* (*).

Meminit Plinius *(s)* factionis vel ſectæ Magorum, quorum principes erant Moyſes, Jannes, & Jocabel, ſive Jotape. Hos etiam memorant Paraphraſtes Jonathan *(t)*, & Thalmud Babylonicum *(u)*; aguntque Abenezra *(x)* & Hiſcuni *(y)* de libro inſcripto *Verba dierum Moyſis*, qui fortaſſe liber idem eſt, qui inſcriptus erat *Jannes & Mambres*, apud Origenem *(z)* & Ambroſiaſtrum *(a)*, a Gelaſio Papâ *(b)* inter apocrypha rejectus. Fratres fuiſſe, author eſt Ambroſiaſter, & Paraphraſtes Jonathan geminos fuiſſe aſſerit Balaami filios, unà profectos, cùm is ad Balacum Regem Moabitarum pergeret *(c)*. Scribit Artapanus, arceſſitos a Pharaone Magos ex Ægypto ſuperiori, ultra Memphim, quos Moyſi objiceret. Porrò hi procul dubio ii ſunt, quos hîc nomi-

(g) *Theodoret. Hiſt. Eccl. l. 1, c. 8.*
(h) *Juſtin. Apolog. 2; Iren. l. 1, c. 20; Epiphan. hæreſ. 21.* (i) *Iren. l. 1, c. 8, 9.*
(k) *Epiphan. hæreſ. 42.* (l) *Epiphan. hæreſ. 49.*
(m) *Hieronym. Epiſt. ad Cteſiphont. Simon Magus hæreſim condidit, adjutus auxilio Helenæ meretricis. Nicolaus Antiochenus, omnium immunditiarum conditor, choros duxit femineos. Marcion quoque Romam præmiſit mulierem ad majorem laſciviam. Apelles Philomenen comitem habuit. Montanus Priſcam & Maximillam primùm auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius ut orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit. Donatus Lucillæ opibus adjutus eſt. Elpidium cæcum Agape cæca duxit. Priſcilliano juncta fuit Galla non gente, ſed nomine.*
(n) Μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμεναι. (o) *Chryſoſt. Theophyl. Tirin.*
(p) *Theodoret. Theophyl. Grot. Eſt. Eraſm. Tir. Men. Camer.* (q) *Grot. Bez. Jac. Capell. Hamm. Druſ.*
(r) *Origen. tract. 35 in Matth.*
(*) *Apud Euſeb. præparat. l. 9, p. 241:* Ἰαννῆς, καὶ Ἰαμβρῆς αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες οὐδενὸς ἥττους μαγεῦσαι κριθέντες εἶναι, ἐπὶ Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου. Μουσαίῳ γοῦν τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γενομένῳ Θεῷ εὔξασθαι δυνατωτάτῳ, οἱ παραστῆναι ἀξιωθέντες, &c.
(s) *Plin. hiſt. nat. l. 30, c. 1.* (t) *Jonath. in Exod. VII, 11.* (u) *Talmud. Babyl. tract. Menachot, c. 9.*
(x) *Abenezra in Exod. IV, 20.* (y) *Hiſcuni in Num. XII, 1.* (z) *Origen. tract. 35 in Matt.*
(a) *Ambroſiaſt. hic.* (b) *Gelaſ. Diſt. 15.* (c) *Jonathan, in Num. XXII, 22.*

℣. 9. Sed ultrà non proficient; iuſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.

℣. 10. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam,

℣. 11. Perſecutiones, paſſiones; qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris; quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.

℣. 12. Et omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.

℣. 13. Mali autem homines, & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.

COMMENTARIUS.

nominat Apoſtolos. Palladius in hiſtoriâ Lauſiacâ (d) narrat, Macarium Ægyptium Anachoretam in ſolitudinem, aliquot dierum itinere a ſuâ diſſitam, datâ operâ profectum eſſe, ut ſepulcra Jannæ & Mambræ videret, quæ in horto arboribus conſito reperit.

Ajunt Orientales, complures fuiſſe Magos, qui cum Moyſe pugnaverint: atque inter cæteros nominant *Saboum* & *Gadoum*, ex Thebaide profectos; tum *Graath* & *Morpha*, ex aliâ regione arceſſitos. Cùm hi mutatam in anguem Moyſis virgam imitari vellent, inquiunt, projectis in terram virgis & loris hydrargyro fartis, lora, telluris a ſole ferventis æſtu calefacta, moveri cœperunt, mutuiſque nexibus implicari: at momento citiùs ea diſſipavit Moyſis virga.

Diſſidium aliquod eſt de horum Magorum nominibus. Græcus vulgatos fert, *Jannes & Jambres*. Veteres nonnulli (e), *Jannes & Mambres*. Judæis eſt *Joanne* vel *Johannu*, qui Græcis *Jannes*; & *Mambres* illis, qui his *Jambres*. Tzedak Levi nominat *Aves* & *Samres*. Hos Hebræi faciunt Balaami arioli filios, & Moyſem in Ægyptiorum literaturâ inſtituiſſe putant.

℣. 9. SED ULTRA NON PROFICIENT. Hæreticis, quos dixit Apoſtolus, res initio proſperè ceſſerunt; non tamen diù. Simoniani, quorum ſecta ab exordio maximè floruit, circa annum CCXLIX, quo Origenes libros contra Celſum ſcripſit (f), vix aſſeclas triginta numerabant. Idem quinto ejuſdem Operis Libro (g) ne unum quidem ejus ſectæ hominem ſupereſſe tradit. Rem forſaſſe non ſatis noverat Origenes, cùm de iis agat Euſebius (h), & Simonianos aliquot ſuâ ætate inter Fideles latuiſſe ſcribat, eoſque Baptiſmum in Eccleſiâ ſuſcepiſſe, quo faciliùs cæteros in errorem inducerent.

Brevior multo fuit Nicolaitarum vita, inquit Euſebius (i). Hi, Tertulliano teſte (k), mutato nomine ad Cainitas tranſiere. At Cainitæ ipſi non diu extiterunt. Gnoſtici cæteros & numero & tempore ſuperarunt. Teſtantur S. Hieronymus (l) & S. Epiphanius (m), ex his nonnullos, latentes tamen & nullius nominis, ſub quarti ſæculi exitum adhuc extitiſſe. Cerinthiani, Nazaræi, Ebionitæ, aliique, quorum error præcipuus erat ſervandorum Legis rituum neceſſitas, ultra ſupremam Judæorum ſub Adriano diſperſionem non diu ſuperfuere.

INSIPIENTIA ENIM EORUM MANIFESTA ERIT OMNIBUS. Permiſit Deus, ut hujus generis Hæretici in ea flagitia & errorum portenta laberentur, ut omnium odia incurrerent, & breviſſimo duntaxat tempore exiſterent, tenebris, aſſiduâque hypocriſi & ſimulatione protecti. Vix agniti, odio eſſe cœperunt; ablatoque velamine, quo tegebantur, ſatis ſuperque refutati ſunt.

℣. 10. TU AUTEM ASSECUTUS ES MEAM DOCTRINAM. Nihil ego abſcondi, nihil ſimulavi. Me noſti, mea dogmata, mores meos. Tu ipſe ſtatue, quantum diſcriminis ſit inter me & Doctores, quos nominavi.

℣. 11. QUALIA MIHI FACTA SUNT ANTIOCHIÆ PISIDIÆ (n), ICONII, ET LYSTRIS. Cùm Lyſtrenſis eſſet Timotheus, ut credimus, nemo luculentiùs noverat, quæ paſſus eſſet Apoſtolus in eâ urbe, proximâque Iconio (o). Non multum inde aberat Antiochia Piſidiæ. Paulus Antiochiâ Piſidiæ Iconium venerat (p). Non ſum ex iis pſeudo-Doctoribus, qui, perſecutionem declinaturi, Judæos ſe cum Judæis, Gentiles cum Gentilibus ſimulant. Veritatem prædico, quietis & vitæ diſpendio.

℣. 12. OMNES QUI PIE VOLUNT VIVERE IN CHRISTO, PERSECUTIONEM PATIENTUR. Ne credas hiſce pſeudo-Apoſtolis, quorum Deus venter eſt, quique tam cautè ſimulant, ut nullâ perſecutione agitentur. Certiſſimum illud eſt, quietum vivere non poſſe, qui Chriſtianam Religionem, pietatem, virtutem colere voluerit. Fieri non poteſt, ut aut Gentilibus odio non ſit aut Judæis. Quicumque unum Chriſtum Jeſum, & quidem crucifixum, prædicat, offenſioni Judæis eſt, Gentilibus inſaniæ: neceſſe eſt alterutros offendat, frequenter utroſque, atque adeò pugnas, labores, injurias in caput ſuum provocet. Hoc ipſum Diſcipulis prædixit Chriſtus (q). Horum mores, dogmata, vitæ inſtitutum magis inimica mundo ſunt, quàm ut adverſarios non patiantur. Germanæ Religionis ac veritatis nota eſt, impiorum perſecutio.

℣. 13. SEDUCTORES PROFICIENT IN PEJUS. Ne moveare, ubi hæreſes erroreſque confirmari videris, impoſtores verò fortunis & Diſcipulis abundare. Neque te illud terreat, quòd pii infortuniis & perſecutionibus exagitentur. Virtus & pietas nunquam non raræ ſunt, & mundo inviſæ. At memento quæ dixi ſupra, ℣. 9: *Sed ul-*

(d) *Pallad. hiſt. Lauſiac. c. 9.*
(e) *Cyprian. Calaritan. Optat. l. 7; Bern. G. L.*
(f) *Origen. contra Celſ. l. 5. p. 44.* (g) *Origen. contra Celſ. l. 5. p. 272.*
(h) *Euſeb. l. 2, c. 1.* (i) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 29.* (k) *Tertull. præſcript. c. 33.*
(l) *Hieronym. in Vigilantium.* (m) *Epiphan. hæreſ. 26.* (n) *Chryſoſt. Grot. Eſt.*
(o) Vide *Act.* XIII, 45. 50; XIV, 2. 4. 5. 19. (p) *Act.* XIII, 14.
(q) *Matt.* X, 17. 18, XXIII, 34; *Joan.* XVI, 33; XVII, 14.

Digitized by Google

℣. 14. Tu verò permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens, a quo didiceris,

℣. 15. Et quia ab infantiâ ſacras Literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu.

℣. 16. Omnis ſcriptura divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitiâ;

℣. 17. Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

COMMENTARIUS.

ultra non proficient.

℣. 14. Permane in iis quæ didiciſti (r). Novis hæreticorum dogmatibus, atque inani eruditionis & ſcientiæ illorum pompâ ne capiare. Conſtanter tene quæ ex me accepiſti. Rejice quicquid non conſtat cum fide, tibi creditâ vel ut depoſito, quam ex te quæſiturus eſt Deus. Aptiſſimè hîc animadvertunt Theodoretus & Theophylactus, hæc ſcripta eſſe adversùs Simonianos cæteroſque ejus ætatis hæreticos.

℣. 15. Ab infantia sacras literas nosti. Sortitus erat Timotheus piiſſimam matrem, aviamque ſanctiſſimam, quæ ipſum in ſacrorum voluminum lectione enutrierant, illa etiam pro ingenio & viribus interpretatæ. Veteris dumtaxat Teſtamenti Libros ſignificat, cùm Novi Fœderis volumina necdum exarata eſſent & collecta. Nunquam intempeſtiva eſt ſacrorum voluminum lectio: ea lac puerorum eſt, ſoliduſque ſenum cibus; incipientibus æquè convenit & perfectis (s).

℣. 16. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est (t) ad docendum. Omnis Scriptura Veteris Teſtamenti; Novi quippe ſcripta, uti diximus, complura nondum exarata erant eo tempore, nullaque in unum Corpus, quod Novi Teſtamenti Canonem appellamus, collecta. *Omnis*, ait, *Scriptura divinitus inspirata*, ut diſtinguatur ab apocryphis, Scriptoribus quoque Profanis, Philoſophiſque Gentilibus, quorum ſcripta, tametſi præſtantiſſima, hominis tamen inventa ſunt, humanoque ingenio & arte compoſita: at ſacra & Canonica, quæ a Chriſti Eccleſiâ probantur, divinitus dictata ſunt, non rebus modò, ſed verbis etiam & ſententiis, uti uno conſenſu docent Patres (u). Non inficior quidem, diſſidium aliquod inter Theologos eſſe, quo pacto Scriptores ſacri divinitus inſpirentur: at omnes denique conſentiunt, iis ſcribentibus adfuiſſe Spiritum Sanctum, ita ut nihil erroris, mendacii, aut ſimilium Canonicis in Scripturis inveniatur; omniſque Scriptura, ut ait Apoſtolus, *utilis ſit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitiâ.* Ut iſta convenienter explicat Epiſcopus, opus eſt ſacrarum Scripturarum ſit peritiſſimus, iiſque utatur ad coërcendos impios, regendos confirmandoſque pios, docendos imperitos, hoſtes denique veritatis convincendos. Hanc itaque in lectionem incumbe, eaque tibi inſtar omnium eſto. Alibi diſcenda ne quæras, profanaſque Hæreticorum novitates fuge. Satis multa tradidit in Scripturis Deus: iſta ſectare.

℣. 17. Ut perfectus sit homo Dei (x). Nequid tibi deeſſe putaveris, ubi humanâ eruditione & Philoſophicis ſtudiis carueris. Si Scripturas calles, cætera aſpernare. Satis perfectus eſt, atque ad omne boni genus, ſuoque munere fungendum paratus homo Dei & Chriſti Miniſter, ſi ſacrorum voluminum ſit peritus. Scripturarum ſimplicitate contenti non erant Gnoſtici, cæterique ejus ætatis Hæretici, ſeque alia myſteria noſſe gloriabantur. Timotheum monet Apoſtolus, quantopere ſpernenda ſit inanis iſthæc eruditio. Scripturas probè teneas, nihil tibi ad tui muneris perfectionem deerit.

CA-

(r) Ἐν οἷς ἔμαθες, καὶ ἐπιστώθης. *Alii quidam*: Καὶ οἷς ἐπιστώθης.

(s) *Aug. t. 3 de Geneſi ad litt. l. 5, c. 3, n. 6: Scriptura ſacra ſic loquitur, ut altitudine ſuperbos irrideat, profunditate attentos teneat, veritate magnos paſcat, affabilitate parvulos nutriat.*

(t) *Græc. impreſſ.* Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν: *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata, & utilis ad docendum, &c.* At plures omittunt &. *Barb. 1; Clem. Alex. Syr. Arab. Ambroſiaſt. Hieronymiaſter, Theodorus Mopſueſt. teſte Facundo, l. 3, c. 6; Pelag. Vulg.*

(u) *Vide Iren. l. 2, c. 47; Tertull. contra Hermogen. c. 22; Origen. Philocal. c. 20, & l. 5 contra Celſ. Cyprian. ſerm. de opere, & eleemoſyn. Clem. Alex. l. 2 Stromat. Euſeb. hiſt. Eccl. l. 5, c. ult. Epiphan. contra hæreſ. hæreſi 76; Greg. Nyſſ. Orat. 7 contra Eunom. Macar. homil. 30; Chryſoſt. homil. 26 in Geneſ. Item Orat. Quòd Scripturæ lectio utilis ſit, in cap. 1 Epiſt. ad Galat. & alios paſſim.* (x) Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος. *Claròm.* Ἵνα τέλειος ᾖ. *S. Germ.* Ἵνα τέλειος, ἢ ἄρτιος ᾖ *&c.* Et pro ἐξηρτισμένος, legunt nonnulli, Ἐξηρτημένος, *Barb. 5;* Ἐξηρτυμένος, *Complut.* Καὶ ἐξηρτισμένον, *Syr. ubi refertur ad* ἔργον.

CAPUT IV.

Epiſcopi officia: docere, corripere, arguere, coërcere impios. Deſcribuntur hæretici. Obitum ſuum prædicit Paulus. Timotheum rogat, ut ad ſe veniat. Alexander Paulo inimicus. In primâ ſui defenſione ab omnibus derelictus eſt. Paulum Deus a Leone liberavit. Epiſtolam ſalutationibus claudit.

℣. 1. TEſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus.

℣. 2. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ.

℣. 3. Erit enim tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus;

℣. 4 Et a veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. TEstificor (obteſtor te) coram Deo, et Jesu Christo... per adventum ipsius, et regnum ejus (a). Vel ex Græcis quibusdam Exemplaribus & Chryſuſtomo: *Qui judicaturus eſt vivos & mortuos in adventu ſuo, & regno ſuo.* Supremâ enim potiſſimùm die Regnum ſuum inſtituturus eſt Chriſtus, qua die ſuos illi hoſtes Deus ſubjiciet (b). Optima eſt ex utrâque lectione ſententia. Timotheum obteſtatur Apoſtolus per quicquid maximè formidandum eſt, ut muneris ſui officiis probè fungatur; per Judicium Jeſu Chriſti, qui judicaturus eſt de *vivis & mortuis*, Juſtis & injuſtis (c), bonis maliſque; ſive, de olim mortuis, & de iis qui adhuc ipſo veniente ſuperſtites fuerint (d). Vide ſupra 1 *Theſſal.* IV, 14, 15, 16; & 1 *Cor.* XV, 23, 52.

℣. 2. Prædica verbum, insta opportune, importune; rebus quietis, turbatis; in Eccleſiâ, extra Eccleſiam (e); ubi ſpes fructus fuerit, ubi non fuerit: Evangelium conſtanter nulloque metu prædica. Cùm diu multumque laboraveris, prædicaveris, hortatus fueris, id efficiet Deus, ut aliqua ibi pateat fructûs via, ubi nulla apparebat. Quod hodie in caſſum iit, cras fructum feret. *Argue, obſecra, increpa.* Sive ex Græco (f): *Argue, minitare, adhortare*, at præter ſuperbiam, iram, moleſtiam, *in omni patientiâ & doctrinâ.* Vincendum eſt argumentis & ſuadendum, antequam objurges & increpes (g). Sapientem Medicum imitare, lenire cunantem vulnera, quæ ferro & igne curanda ſunt.

℣. 3. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt. Ducere ne deſinas, tametſi non audiare. Semen jacit agricola tum oportuno tempore, tum ſudo. Fœcundum ſemen humi putreſcat opus eſt priùs quàm fructum ferat. Quod animis ad aliena diſtractis, ſive etiam cum riſu & contemptu excipientibus, committitur, excitatur interdum, & præter ſpem fructum parit. Futuri aliquando ſunt in Eccleſiâ pſeudo-Doctores, qui dogmatum novitate innumeros pertracturi ſunt auditores leviſſimos, & nullius conſtantiæ homines, actuſque malâ libidine audiendi id, quod cupiditatibus ſenſibuſque blandiatur (h). Hoc ipſum tempus en adeſt. Nempe jam tum ſuperſtite Timotheo aderat, nulliſque non ſæculis fuit. Novis nimirum curioſiſque rebus Hæretici aſſeclas ſibi comparavere, homines veritatis inimicos, atque illud quærentes, ut ornatis, facundis, compoſitiſque ſermonibus, & falſis, novis, curioſis dogmatibus ſibi aures demulceantur. Hujuſmodi fuere Gnoſtici, Simonis & Menandri Diſcipuli, & primæ ætatis hæretici. Inſipida & vulgaria illis videbantur Evangelii & Apoſtolorum inſtituta: condienda erant Philoſophicis commentis, quæſitiſque & contortis cyclorum, geneſeon, Angelorum, Intelligentiarum, revelationum, novorumque vaticiniorum imaginibus.

℣. 4. Ad fabulas autem convertentur. Hoc mirè convenit Simonianis, Gnoſticis, Carpocratianis, Marcionitis, Manichæis, Encratitis, atque omnibus fermè priorum ſæculorum hæreticis. Judæi Doctores, & Chriſtiani complures in Judaicas res propenſi, fabulas eâ ætate inaneſque traditiones ſtudioſiùs ſectabantur.

(a) *Græc.* Κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ. Omittunt plures Κατά. *Ita Cod. Alex. Clarom.* G. L. *Germ.* L. *Colb.* 7; *Ambroſiaſt. Fulgent. ad Petr. Diac.* c. 3; *Caſar. Arelat. Berner.* G. (b) Vide 1 *Cor.* XV, 23, 24, *&c.*
(c) *Quidam apud Theophyl. Eraſm.*
(d) *Chryſ. Theophyl. Grot. Eraſm. Eſt. Zeger. Druſ. Men. alii.* (e) *Vide Theophyl. Eſt. alios.*
(f) Ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον. Complures cum Volgatâ legunt: Ἔλεγξον, παρακάλεσον, ἐπιτίμησον. *Clarom. & S. Germ. Latt. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt.*
(g) *Eſt. Men. &c. Vide & Theodoret.*
(h) Κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν. *Theophyl.* Τουτέστι τερπόμενοι τὴν ἀκοήν, καὶ γαργαλιζόμενοι, καὶ ἐπιθυμοῦντες τὰ πρὸς χάριν ἀκούειν. *Theodoret.* Ἡδονήν τινα τῆς ἀκοῆς ἡ κνῆσις ἐργάζεται. *Julian. Apoſtat. Ep.* 51, *Alexandrinis* ἀκοὰς κνησιῶσας *tribuis.*

℣. 5. Tu verò vigila in omnibus, labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple; ſobrius eſto.

℣. 6. Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.

℣. 7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.

℣. 8. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus. Feſtina ad me venire citò.

COMMENTARIUS.

℣. 5. Tu vero vigila in omnibus, labora (i)... sobrius esto. Poſtrema hæc verba in Græco recentiori, vetuſtiſſimiſque Latinis Exemplaribus deſiderantur (k). *Opus fac Evangeliſtæ.* Primis iis temporibus Evangeliſtæ nuncupabantur viri prædicationis & laboris Apoſtolorum ſocii, qui ab Apoſtolis juſſi, alias alii ad Eccleſias prædicatum ſeſe conferebant. Hujuſmodi fuere Philippus in Actis (l), & Silvanus ſeu Silas, cujus nomen in Pauli Epiſtolis frequentiſſimum. Evangeliſtas Paulus ſtatim poſt Apoſtolos numerat (m). Narrat Euſebius (n), fuiſſe complures, qui relictis omnibus, Jeſu Chriſti causâ, diverſas in Provincias diſperſi ſunt; alii ſcilicet in loca ab Apoſtolis antea peragrata, alii in ea, quibus vitæ verbum nondum inſonuerat, iiſque Evangelium ſedulò nunciavere. Ex his aliquos nominat, additque alios fuiſſe complures. Itaque hi fuere primæ ætatis Evangeliſtæ. Hoc vitæ genus Timotheus exercuerat, illumque hortatur Apoſtolus, ut in eo ubique perſeveret. Addit: *Miniſterium tuum imple*, Epiſcopi ſcilicet officia; is enim, uti diximus, Epheſi Epiſcopus erat. Reddi Græcus poteſt (o): *Miniſterii tui plenam fidem facito.* Te verum Jeſu Chriſti Miniſtrum eſſe, geſtis proba.

℣. 6. Ego enim jam delibor (p): imminet mihi meæ mactationis tempus, ceu victimæ, libationibus perfuſæ & ſalſis frugibus, ſeu similâ, quibus victima ſtatim ante mactationem inſpergi ſolebat (q). Ita Grotius. Mos inſpergendi fruges libationeſque victimarum capiti ante mactationem, totâ eſt Antiquitate notiſſimus. Statius, Thebaidos libro iv:

. . . . Jamque ardua ferro
Signari capita, & frugum libamine puro
In vulnus cecidere greges.

Apud Hebræos, mactatæ jam victimæ libationibus aſpergebantur. Græci Patres (r), & vulgo Interpretes ita explicant: Victima ſum quodammodo jam cæſa, cujus cruor vel in altari, vel ad altaris baſim fuſus eſt; ſive, ſimilis ſum victimæ conſuetis aſperſionibus ac libationibus perfuſæ, cui nihil niſi ignis deeſt. Vide animadverſa in Epiſtolam ad Philippenſes, ii, 17.

℣. 7. Bonum certamen certavi, &c. Nunquam confidentiùs locutus eſt Apoſtolus, quàm hac in Epiſtolâ, quæ tamquam ſupremæ patris ad filium tabulæ, atque ultima Apoſtoli verba, haberi poteſt. Cenſent Patres (s), divinitus monitum fuiſſe Apoſtolum, ipſum Romæ obiturum, vitamque martyrio expleturum. Certa iſthæc fiducia hoc in illo gaudium atque hanc confidentiam pariebat. *Bonum*, inquit, *certamen certavi.* Victor eſt, proſtratis hoſtibus geſtiens, miles victoriæ ſecurus. Comparationes e rebus bellicis amabat Paulus. *Curſum conſummavi.* Frequenter etiam ex theatro & ſtadio comparationes ducebat: Curriculum abſolvi, metam attigi. Denique *fidem*, fidei depoſitum mihi a Deo commendatum, *ſervavi*: tranquillo animo in mortem feror, quippe qui intactâ Evangelii puritate ad Deum proficiſcor, Sacrum hoc depoſitum viris fidelibus, optimam illius rationem reddituris, commendavi. Hæc adverſùs Hæreticos maloſque Chriſtianos, fidei ſuæ puritatem ineptis fabulis, errorum portentis, indigniſque Chriſtianâ Religione moribus inquinantes; tum adverſùs eos, qui deſertâ fide, ad Chriſti inimicos indignè migrabant. Fidem, quam juratus Deo ſpopondi, integerrimè ſervavi; ſeu fidem, quam, infuſo Spiritu Sancto, mihi largitus eſt Deus.

℣. 8. Reposita est mihi corona justitiæ. Certo novi, juſtiſſimum præmiorum diſtributorem largiturum mihi coronam, quæ me manet. Pergit in allegoriâ publici certaminis, in quo *agonotheta*, ſeu præmiorum diſtributor de pugnantium virtute judicabat, debitumque victori præmium decernebat. *Corona juſtitiæ* ea eſt, quæ ceu merces juſtitiæ, cæterarumque virtutum genericâ juſtitiæ appellatione comprehenſarum, datur (t).

Festina ad me venire. Putant nonnulli (u), fuiſſe in votis Apoſtolo, multa ore tenus monere Timotheum. Ajunt alii (x), Timothei præſentiam idcirco optari ab Apoſtolo, ut ſibi ab omnibus deſtituto, vel annis, carceris ærumnis & laboribus oppreſſo, præſto eſſet, qui ſolatium aliquod

(i) Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, κακοπάθησον.

(k) *Clarom. & S. Germ. Latina, Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. alia Exemplaria Latina. Vide Eraſm. & Mill.* (l) *Act.* xxi, 8. (m) *Epheſ.* iv, 11. (n) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 3, *c.* 31, *ſeu* 37, *Edit. Valeſ.*

(o) Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. *Chryſ.* Πληροφόρησον, τελείως πλήρωσον.

(p) Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. (q) *Virgil. Æneid.* 2, *de Sinone.*

Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Vetus Epigramm. apud Grot.

Κἄν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι, τράγε, θυομένῳ.

Vide Homer. Iliad. A, *v.* 449. *& ſeq.*

(r) *Chryſoſt.* Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἤδη ἐφέστηκεν. Οὐκ εἶπε, τῆς ἐμῆς θυσίας, ἀλλ' ὃ κυριώτερόν ἐστι. Τῆς μὲν γὰρ θυσίας οὐ τὸ πᾶν ἀναφέρεται τῷ Θεῷ, τῆς δὲ σπονδῆς τὸ ὅλον. *Theodoret.* Σπονδὴν αὐτὴν τὴν σφαγὴν προσηγόρευσε, ὡς ὑπὲρ εὐσεβείας ἐκχεομένου τοῦ αἵματος. (s) *Aug. de peccator. merit. l.* 2, *c.* 16; *& ſerm.* 299, *nov. Edit. & Athanaſ. de fugâ ſuâ.* (t) *Eſt. Men. Grot. Sculr. Piſc. &c.*

(u) *Chryſoſt. Theophyl.* (x) *Eſt. alii.*

℣. 9. Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam.

℣. 10. Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.

℣. 11. Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi utilis in miniſterium.

COMMENTARIUS.

quod exhiberet. Cæterùm (y) non deerant ex Diſcipulis, qui præſentem ipſi opem ferre poſſent in Evangelico Miniſterio, quod ipſe per ſe liberè exercere vinculis prohibebatur, cæteroſque Fideles confirmarent, ac turbas poſt Pauli obitum fortaſſe orituras impedirent. Utrùm Romanum hoc iter ſuſceperit Timotheus, ignoratur. Conſequente anno mortuus eſt Paulus III Kal. Julii, Chr. LXVI; hæc autem Epiſtola data eſt Julio menſe anni LXV. Optabat Paulus, ut Timotheus ante ejus anni hyemem ad ſe accederet. Reliquæ Pauli Epiſtolæ, Romà datæ, in quibus mentio fit Timothei (z), ad primum iter Romanum Apoſtoli, anni LXII, pertinent.

℣. 9. Demas me reliquit, &c. Idem ille Demas, qui Romæ fuit cum Paulo in priore ipſius itinere, anno LXI vel LXII, de quo actum eſt in Epiſtolis ad Coloſſenſes (a) & ad Philemonem (b). Supremo hoc in itinere anni LXV defecit, & Magiſtrum in diſcrimine deſtituit. Utrùm a Religione penitus deſciverit, aut Deo favente deinde reſipuerit, an ſæculi amor, quem illi objicit Paulus, temporarius error & lapſus fuerit, ignoratur. Ait S. Epiphanius (c), illum penitus abdicaſſe fidem, ac tranſiiſſe ad Cerinthum, Ebionem, cæteroſque, qui Chriſtum eſſe merum hominem docebant. Author eſt Dorotheus in Synopſi, Demam, reverſum Theſſalonicam, Numinum Sacerdotium exercuiſſe. Recentioribus multis videtur ad Paulum rediiſſe; putatque Eſtius, eumdem eſſe Demam, de quo Ignatius Martyr ad Magneſios, quemque is *Epiſcopum dignum Deo* nuncupat. Hæ tamen opiniones eo nituntur, quòd hæc Epiſtola falsò creditur ſcripta eo tempore, quo Paulus primùm vinctus Romæ fuit, ante Epiſtolas ad Coloſſenſes & ad Philemonem (d).

℣. 10. Crescens (e) in Galatiam, Titus in Dalmatiam. Duo hi piis de cauſis ab Apoſtolo diſceſſerant, ipſo vel aſſentiente, vel etiam jubente (f). *Creſcens* Romà *in Galatiam*, vel *in Galliam*; varia enim eſt Græcorum Exemplarium lectio, aliis *Galatiam* ferentibus (g), aliis *Galliam* (h). *Galatia* Græcè, apud Profanos quoque, pro Galliis non raró uſurpatur, teſte Theodoreto (i). Conſentiunt Euſebius (k), S. Epiphanius (l), Theodoretus, S. Hieronymus (m), S. Hieronymi Interpres Sophonius. Accedunt Chronicon Alexandrinum, & Anonymus apud Oecumenium, Nicephorus, Dorotheus, Uſuardus, putantque Gallias in Chriſtianâ Religione a Creſcente inſtitutas. Hæc igitur erat Orientalium ſententia, ut ex hiſce teſtimoniis colligitur. Illum Ado Vienneſis Eccleſiæ inſtitutorem facit; idque adhuc conſtanter tenent ejus regionis incolæ.

Serarius in hiſtoriâ Moguntinâ ſcribit, Moguntinam Eccleſiam a Creſcente conditam; ſuæque ſententiæ ſuffragatores recitat recentiores aliquot, veluti Rupertum Abbatem, & aliquos Epiſcoporum ejus Eccleſiæ Catalogos. At ſimul fatetur, nullam Creſcentis mentionem in Miſſali, Breviario, aliove illius Eccleſiæ libro fieri: id quod cætera argumenta magnopere labefactat.

Launoius (n), & Tillemontius (o), expenſis argumentis pro Viennenſi & Moguntino Creſcentis Epiſcopatu, leviſſima eſſe demonſtrant. Recens eſt Viennenſis Eccleſiæ eâ de re perſuaſio; & vix ducentis ab hinc annis Creſcens in Viennenſibus Litaniis invocatur. Cùm olim Viennenſis & Arelatenſis Eccleſia de jure Metropolitano inter ſe diſceptarent, neutra Creſcentis miſſionem pro ſe in præſidium adhibuit. Laudari ſolet Epiſtola Pauli Papæ I ad Carolum Magnum, qua Creſcens Apoſtolorum collega Viennenſis Eccleſiæ Magiſter dicitur. At ſuſpectæ fidei eſt Epiſtola, poſtremis hiſce ſæculis producta. Creſcentis memoriam Latini colunt v Kal. Julii. Hunc nonnulli ſub Nerone, alii ſub Trajano Martyrem aſſerunt; ſunt qui in Galatiâ, ſunt qui in Galliis obiiſſe putent. Vide Scriptores de hoc argumento diſputantes.

Titus in Dalmatiam: minimè dubium (p), quin Evangelii cauſâ, & jubente Apoſtolo: at nihil ultra novimus: ignotum, quid illic egerit, quo loco prædicaverit, quamdiu ibi fuerit. E Dalmatiâ profectus videtur in Cretam, in quâ & Epiſcopi munus geſſit, & ſupremum diem obiit.

℣. 11. Lucas est mecum solus. Nunquam ab Apoſtolo diſceſſit Lucas; eumque ad Martyrium uſque proſequutus creditur. De Luca fusè egimus in ejus Evangelii Præfatione. Cùm audis, Lucam ſolum cum Paulo fuiſſe, ſolum intellige ex Diſcipulis; cùm credibile non ſit, Romanos Fideles, quorum Fides adeò illuſtris erat, & flagrans charitas, Apoſtolum penitus deſtituiſſe (q).

Marcum assume; Joannem Marcum, Barnabæ conſobrinum, de quo ſæpe (r). Hic poſt aliquam ab exordio inconſtantiam, Paulo deinceps fidus hæſit.

(y) *Vide Chryſoſt. hic, homil.* x, *p.* 610. (z) *Philipp.* II, 19; *Coloſſ.* I, 1; *Philem.* 1; *Heb.* XIII, 23.
(a) *Coloſſ.* IV, 14. (b) *Philemon.* ℣. 24. (c) *Epiphan. hæreſ.* 51. (d) *Vide Grot. Eſt, Men. Cornel.*
(e) Κρήσκης. *Alii:* Κρίσκης. *Ita plures Mſſ. Syr. Criſpus: Arab. Priſcus.*
(f) *Chryſ. Theod. Theoph. Eſt. Grot. Men. &c.*
(g) Εἰς Γαλατίαν. *Ita Impreſſi paſſim, & Mſſ. plerique. Iren. Chryſ. Theodoret. &c.*
(h) Εἰς Γαλλίαν. *Ita Lin. Cov.* 2 *Æth.* (i) *Theod.* Γαλατίαν, τὴν Γαλλίαν οὕτως ἐκάλεσεν. Οὕτω γὰρ ἐκαλοῦντο πάλαι. Οὕτω δὲ καὶ νῦν αὐτὰς ὀνομάζουσι οἱ τῆς ἔξω παιδείας μετειληχότες.
(k) *Euſeb. l.* 3, *c.* 4, *Hiſt. Eccl.* (l) *Epiphan. hæreſ* 51: Οὐκ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσι, ἀλλ' ἐν τῇ Γαλλίᾳ.
(m) *Hieronym. Catalog. Scriptor. Eccleſ.*
(n) *Launoy, Sulpit. Severi Sententiâ vindicatâ, &c.*
(o) Tillemont, note 81 ſur S. Paul.
(p) *Theodoret. Chryſ. Theophyl. Eſt. alii.*
(q) *Vide Chryſoſt. homil.* x, *p.* 610.
(r) *Vide Act.* XII, 12, *& ſeq.* XIII, 5, *& ſeq.* XV, 39; *Coloſſ.* IV, 10.

℣. 12. Tychicum autem miſi Epheſum.

℣. 13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.

℣. 14. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus:

COMMENTARIUS.

℣. 12. TYCHICUM MISI EPHESUM. Ex his collegere Theodoretus aliique, tunc Epheſi non fuiſſe Timotheum; dicturus enim erat Apoſtolus; Tychicum ad te miſi. Timotheo, tamquam Epheſi Epiſcopo, credita erat totius Aſiæ cura; & vereri poterat Apoſtolus, Tychico veniente, Timotheum Epheſi non futurum. Hæc tamen argumenta rem non evincunt. Hanc fortaſſe Epiſtolam Tychicus detulit; quamobrem ait Apoſtolus, miſſum a ſe Tychicum ejus rei gratiâ. Fortaſſe etiam antea Tychicum præmiſit, eâque de re idcirco Timotheum monet, quòd ob locorum diſtantiam nondum intellexerit, illum eò perveniſſe. Cùm alibi de Tychico actum ſit (s), plura de eo dicere nihil attinet.

℣. 13. PENULA, QUAM RELIQUI TROADE APUD CARPUM, VENIENS AFFER. Notiſſimus eſt in Antiquitate Carpus. Hoc tantùm loco illius meminit Apoſtolus. Alius creditur a Polycarpo Smyrnæ Epiſcopo, alteroque Carpo apud pſeudo-Dionyſii Epiſtolam ad Demophilum. Hunc e LXX Diſcipulis unum ponunt Græci, & Pauli Miniſtrum in Prædicatione Evangelicâ, Epiſtolarumque miſſione. Berœæ Epiſcopum faciunt; at cujus Berœæ, non tradunt. Innumera illi tum ſuperſtiti tum mortuo prodigia tribuunt; eumque Officio colunt ad d. VII Kal. Junii; Latini verò in Martyrologiis ad d. III Id. Octobris conſignant.

Hoſpes apud Marcum fuerat Apoſtolus, cùm e Macedoniâ Romam ad martyrium pergeret. Veſtem apud illum reliquerat, ſeu penulam, arcendis imbribus nivibusque in itinere uſitatam; id enim propriè ſonat Latina vox penula (t), unde Græca *phelone* (u). Cur verò penulam ex regione tam diſſitâ quærit? Idcirco, ajunt Chryſoſtomus ac Theophylactus, quòd nemini gravis eſſe vellet. Docent iidem Patres, *phelonem* aliis (x) eſſe *thecam*, in qua libros reliquerat Apoſtolus. Quorſum verò libri martyrium propediem expectanti? Nimirum ut eos Fidelibus commendaret, debito cum obſequio ſervandos (y), ut iis, ſeſe mortuo, loco magiſtrorum eſſent. Thecam pariter interpretantur Syrus (z), Magnus Etymologicus, Suidas, Heſychius, aliique Interpretes optimi (a). Cl. Bracmas hanc ſententiam tuetur editâ Diſſertatione, atque a Maſio typis vulgatâ ad calcem libri ſui, *De Principum utilitate circa Religionem*.

S. Hieronymus membranaceum volumen intellexiſſe videtur; eâ enim ætate vulgaris erat voluminum uſus: *Volumen Hebræum repete, quod Paulus phelonem juxta quoſdam vocat*. Conſequentibus verbis, *Affer tecum & libros, maximè autem membranas*, illud innuitur, Apoſtolum antea locutum de ſcriptis, quæ volumine aliquo continerentur. Phavorinum (b) laudat Hammondus, apud quem *phelone* eſt parvum volumen membranaceum. Idem in Magno Etymologico legitur. *Affer volumen ſcriptorum, quod reliqui Troade, & libros, præſertim verò membranas*. Quid tamen reverâ ſenſerit Hieronymus, ipſe aperit in tertio adversùs Pelagianos Dialogo, ubi *lacernam ſive penulam* nominat. Quid rei fuerit *lacerna*, nemo ignorat.

Abbas Boileau, Pariſienſis Cappellæ Canonicus, in Diſſertatione *De re veſtiariâ hominis ſacri* (c) multa congerit teſtimonia, quibus *penulam* genus Romanæ veſtis eſſe demonſtret. Probat primò, Ambroſiaſtrum, Authorem Commentarii S. Anſelmo adſcripti, Haymonem in Pauli Epiſtolas, Iſidorum Hiſpalenſem de longâ & talari veſte uſurpaſſe: *Penula cum fimbriis longis*. Tres poſtremi Interpretes illud quoque aſſeruerunt, veſtem fuiſſe Senatoriam, qua donatus Pauli pater, eâ uteretur Romæ commorans, utpote civis ex majoribus Senatoriis. Hanc ille, inquiunt, Paulo filio reliquerat, eamque Paulus penès ſe habere cupiebat. Nihil tamen iſto commento ineptius, quod nullam omnino refutationem mereatur. *Penulæ* uſum disertè deſignat Juvenalis, nempe adversùs imbres & nives (d):

. . . . . Fremeret ſævâ cùm grandine ſævus
Jupiter, & multo ſtillaret penula nimbo.

Lampridius de Severo Imperatore: *Penulâ intra urbem, frigoris causâ, ut ſenes uterentur permiſit, cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluviæ fuiſſet*. Spartianus in Hadriano ait, penulâ uſos eſſe Tribunos plebis, non Imperatores. Grammaticos S. Auguſtinus (e) nuncupat *Penulatos Magiſtros*. Quintilianus in libro de cauſis corruptæ eloquentiæ: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe penulas iſtas, quibus adſtricti & incluſi cum judicibus fabulamur?* Arguit Tertullianus (f) Chriſtianos quoſdam, *quorum eſt*, inquit, Ethnicorum more, *expoſitis penulis orationem facere*.

Quod ad penulæ formam attinet, putat Cl. Boileau, poſt Joannem Donium, & Octavium Ferratium, ſimilem fuiſſe vetuſtis caſulis, quæ in Eccleſiis quibuſdam ſervantur, clauſis undique, corpuſque ambientibus, præter caput & crura, nullis ſciſſuris aut manicis, quibus brachia inſerantur. Poſt hæc argumenta, redit Author ad ſententiam eorum, qui *phelonen* explicant thecam librariam. Cùm tamen quæſtio ſit de Latino vocabulo Græcè corrupto, ejus ſignificatio quærenda eſt apud Latinos. Vidimus autem, Latinos Scriptores uno conſenſu *penulam* interpretari veſtem fermè pallio ſimilem. Hæc ſententia cæterùm eſt probabiliſſima.

℣. 14. ALEXANDER ÆRARIUS; idem fortaſſe qui

(s) *Vide Act.* XX, 4; *Epheſ.* VI, 21; *Coloſſ.* IV, 7.
(t) *Chryſ.* Φελόνην ἐνταῦθα τὸ ἱμάτιον λέγει. *Theophyl.* Ἱμάτιόν τι λέγει ἐνταῦθα, Ζητεῖ δὲ τοῦτο, ὥστε μὴ δεηθῆναι παρ' ἑτέρου λαβεῖν. *Ita Eraſm. Men. Eſt. Vat. Grot. Piſca. Le Clerc, Fromon. Cornel. a Lap.* (u) Φαιλόνην, *alias*, φελόνην, *vel* φιλόνην. *Chryſ.*
(x) *Chryſ.* Τινὲς δέ φασι τὸ γλωσσόκομον, ἔνθα τὰ βιβλία ἔκειτο.
(y) *Chryſ.* Τί δ' αὐτῷ τῶν βιβλίων ἔδει μέλλοντι ἀποδημεῖν πρὸς τὸν Θεόν; καὶ μάλιστα ἔδει, ὥστε αὐτὰ τοῖς πιστοῖς παραθέσθαι, καὶ ἀντὶ τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας αὐτά. (z) *Syr.* בית כתבה Domus librorum. (a) *Vide Eſt. Hamm. & Baron.* Cene, Projet de traduc. c. 9.
(b) *Phavorin.* Φελόνης, εἱλητὸν τομάριον μεμβράνον.
(c) *Boileau, de Re veſtiariâ hominis ſacri*, c. 4. p. 50, *& ſeq.*
(d) *Juvenal. Sat.* V, ℣. 75. (e) *Aug. l.* 1 *Confeſſ.* (f) *Tertull. l. de Oratione*, c. 12.

℣. 15. Quem & tu devita: valdè enim reſtitit verbis noſtris.

℣. 16. In primâ meâ defenſione nemo mihi adfuit; ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

℣. 17. Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, ut audiant omnes Gentes; & liberatus ſum de ore Leonis.

℣. 18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte: Cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. 19. Saluta Priſcam, & Aquilam, & Oneſiphori domum.

℣. 20. Eraſtus manſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.

COMMENTARIUS.

qui in Actis (g), & in primâ ad Timotheum Epiſtolâ (h). *Reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus.* Ita Græcus in Codicibus multis manu exaratis (i). At Græcus typis vulgatus, & Latini libri quamplures (k): *Reddat illi Dominus, &c.* Quam lectionem qui ſequuntur, animadvertunt, his Pauli verbis vaticinium ſignificari, non imprecationem.

℣. 16. In prima mea defensione nemo mihi adfuit. Vinctus juſſu Neronis Apoſtolus, primò ad illum adductus eſt. Cùm verò ſæviſſimi Imperatoris nemo iram non vereretur, Paulum defendere, aut unà adeſſe auſus eſt nemo: quamobrem omnes Apoſtolum reliquere. Sunt (l) qui de priore Pauli itinere Romano, cùm is ad Cæſarem provocaſſet, interpretentur. At de primo eo itinere hìc non agitur. Loquitur Apoſtolus de iis, quæ nuper ſibi acciderant. Vide Homiliam IV S. Chryſoſtomi in hanc Epiſtolam, ubi is Paulum coram Nerone catenis vinctum mirè deſcribit. Cùm audis Apoſtolum ab omnibus deſtitutum, cave ad verbum intelligas, quaſi illum Diſcipuli penitus univerſi reliquerint. De iis queritur, qui amicitiâ & gratiâ opem ferre poterant: cæteri enim, puta Lucas & reliqui ex Diſcipulis, quid niſi Judicis iram magis magiſque provocarent (m)? *Quia a pluribus ſit deſertus, ab omnibus, id eſt, a maximâ parte deſertum ſe eſſe conqueritur.*

℣. 17. Dominus autem mihi astitit... et liberatus sum de ore leonis; Neronis ſcilicet, nemine repugnante (n). Sævos inhumanosque Principes Scriptura non rarò leones vocat (o). Cenſent Eſtius & Hammondus, primùm ſtetiſſe Paulum non coram Imperatore, ſed coram minori aliquo Judice. Contrarium vulgo probatur. Exiſtimare videtur Chryſoſtomus (p), Paulum poſt priorem hanc defenſionem in libertatem reſtitutum, converſo deinde ad Chriſtum Neronis Pincernâ, capite cæſum fuiſſe. Putat etiam Eſtius, ſpectandum illi ſeſe exhibuiſſe Chriſtum Jeſum, illumque recreaſſe: *Dominus mihi adſtitit.*

℣. 18. Liberavit me Dominus ab omni opere malo. Membrum hoc Græcus cum ſuperiore ita conjungit: *De ore leonis liberavit me Dominus; ℣. 18, & liberabit me ab omni opere malo.* At vetuſti complures Latini Codices, Græci quoque, cum Vulgatâ conſentiunt. Parum eſſet, me a leonis faucibus eſſe liberatum, atque a mortis diſcrimine evaſiſſe, niſi peccati quoque malique operis expers efficerer. Vitatâ hominis irâ, præda Diaboli fierem. Conſtantem in confeſſione, atque in fide firmiſſimum reddidit Deus.

℣. 19. Priscam (q) et Aquilam. Priſca Aquilæ uxor primo loco plerumque recenſetur, ob pietatis & fidei magnitudinem, ait Theodoretus.

Et Onesiphori domum, eo tempore mortuum, uti videtur, & uti diximus ſupra in Caput I, 16. Cenſent alii, Oneſiphori familiam fuiſſe Epheſi, Romæ verò cum Paulo Oneſiphorum (r).

℣. 20. Erastus remansit Corinthi. Eraſtus ante converſionem Præfectus fuiſſe creditur ærario urbis Corinthi (s); quo Magiſtratu abdicato, is Paulum ſectatus eſt. Epheſi verſabatur cum Apoſtolo anno Chriſti LVI. Illum Apoſtolus Epheſo in Macedoniam miſit; & Corintho Romam proficiſcens ad martyrium, Eraſtum Corinthi reliquit. Cur is Corinthi manſerit, aut quid illi deinde contigerit, ignoratur. Feſtum Eraſti diem agunt Græci IV Id. Novembris; Latini VII Kal. Auguſti.

Trophimum reliqui infirmum Mileti. Maritima Ioniæ urbs erat Miletus, Epheſo proxima. Homines hoſce a ſe remotos recenſet Apoſtolus, ut intelligat Timotheus, ſe non temerè poſtulare, ut ſtatim ad ſeſe Romam veniat. De Trophimo egimus alibi (t). Pro *Mileto* ſunt qui legant *Melitam* (u) Inſulam, ad quam ejectum fuiſſe naufragum Apoſtolum novimus (x). Mavult Eſtius Miletum in Cretâ Inſulâ. At totum hoc eruditiſſimorum hominum diſcrimen falsâ opinione nititur; nimirum hanc Epiſtolam Româ ſcriptam fuiſſe poſt primum iter Apoſtoli ad Urbem, cùm reverâ poſt ſecundum, aliquot deinde annis, data fuerit. Paulus e Macedoniâ profectus Corinthum, ibi reliquit Eraſtum; inde Troadem veniens, apud Carpum manſit: Troade Epheſum ſe conferens, Timotheum vidit: Epheſo Miletum progreſſus, Trophimum ibi languentem

(g) *Act.* XIX, 33. (h) I *Timot.* I, 20. (i) Ἀποδώσει αὐτῷ ὁ Κύριος. *Ita Steph.* E, *Cod. Alex. Clar. Colb.* 7, *alii quidam. Oecumen. in Textu, Chryſ. in Comment.*
(k) Ἀποδῴη αὐτῷ ὁ Κύριος. *Ita Theodoret. Theophyl.* Ἀντὶ τοῦ ἀποδώσει. Μᾶλλον γὰρ προφητεία ἐστὶ, ἢ ἀρά. *Ita & Clar. & S. Germ. Lat. Aug. Ambroſ. Hieron. Mſſ. Latini plures: Reddat illi Dominus. Vide author. Reſp. ad Orthod. Reſp.* 125. (l) *Theodoret. Men.* (m) *Hieronym. in Epheſ.* I.
(n) *Ita PP. & Interpp. paſſim.* (o) *Jerem.* II, 30; *Joël*, I, 6; *Amos*, V, 19; *Nahum*, II, 12.
(p) *Chryſ. hic, homil.* X, *p.* 611, *e.* (q) *Plures:* Πρίσκιλλαν. *Alii:* Πρίσκαν.
(r) *Chryſ.* Αὐτὸς γὰρ ἐκεῖ ἦν ἐν Ῥώμῃ. *Ita Theophyl.* (s) *Vide ad Rom.* XVI, 23.
(t) *Act.* XX, 4; XXI, 29. (u) *Arabs Erpen. Grot. Baron. Bez.*
(x) *Act.* XXVIII, 2, *& ſeq.*

℣. 21. Feſtina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.

℣. 22. Dominus Jeſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

COMMENTARIUS.

tem reliquit: Mileto Romam navigavit (y).

℣. 21. FESTINA ANTE HYEMEM VENIRE. Vide quæ diximus ad ℣. 8. Credibile eſt, nihil antiquius fuiſſe Timotheo, quàm ut morem gereret Magiſtro; quamquam certis argumentis non colligimus, ipſum profectum eſſe Romam, aut Paulum vidiſſe, poſtquam hic Epheſo diſceſſit.

EUBULUS in Hiſtoriâ ignotus: at certè inter Romanos Fideles nobiliſſimus, cùm peculiarem illius mentionem faciat Apoſtolus.

PUDENS, a Petro Apoſtolo ad Chriſtum converſus exiſtimatur; atque apud ipſum manſiſſe Petrus, celebraſſe myſteria, primamque Romæ Eccleſiam conſecraſſe, ex qua deinde Templum S. Petri ad Vincula conſtructum eſt. Pudentem Græci officio venerantur ad d. XVIII Kal. Maji. Capite multatus creditur a Nerone, poſt Petri & Pauli obitum (z).

LINUS. Sunt qui Linum fuiſſe cenſeant filium Claudiæ, eodem hoc loco nominatæ. Ex Conſtitutionum Apoſtolicarum fide (a), Linus diu ante obitum Petri initiatus a Paulo eſt Romæ Epiſcopus. Scribit S. Irenæus (b), Petrum & Paulum Apoſtolos, Romanâ Eccleſiâ inſtitutâ, ejus Eccleſiæ Cathedram Lino regendam tradidiſſe. Aſſerit Rufinus (c), Linum & Anacletum, ſuperſtitibus adhuc Apoſtolis, abſentibus tamen, Romæ Eccleſiam rexiſſe: at denique Clementem a Petro Apoſtolo, paulo ante obitum, electum fuiſſe in Romanâ Cathedrâ ſucceſſorem. Tradit S. Epiphanius (d), Clementem Romæ Epiſcopum a Petro Apoſtolo pronunciatum, manus ad regimen non admoviſſe, niſi Lino & Cleto mortuis. Denique illud procul dubio eſt, Linum a S. Irenæo, Euſebio, Optato, S. Epiphanio, S. Auguſtino, S. Hieronymo, Theodoreto, ſtatim poſt Petrum Apoſtolum inter Romanos Epiſcopos recenſeri. Pontificatum geſſit Linus annis duodecim & menſibus aliquot. Eo ſedente, Jeroſolymæ excidium contigit, anno Chr. LXX. Græci feſto die Linum colunt Nonis Novembris; Latini IX Kal. Octobris. Ado Linum recenſet ad d. VI Kal. Decembris; at in Adonis Appendice, & apud Bedam Nonis Octobris legitur.

CLAUDIA. Sunt (e) qui Pudentis uxorem putent.

℣. 22. GRATIA VOBISCUM. AMEN (f). Priſci complures legunt (g): *Gratia nobiſcum. Amen.* Quaſi Apoſtolus eamdem ſibi, quam Diſcipulis, gratiam imprecetur. Ferunt alii: *Gratia nobiſcum. Vale. Amen* (h). Syrus: *Gratia vobiſcum.* Ambroſiaſter habet ſolùm: *Vale.*

In Græcis Exemplaribus vulgatis in fine Capitis leguntur iſta: *Ad Timotheum ſecunda, qui primus Epheſiorum Epiſcopus ordinatus eſt, ſcripta eſt Româ, cùm Paulus ſecundo coram Nerone Cæſare ſtetit.* In quibuſdam Græcis Codicibus deſunt: ab aliis vetuſtiſſimis abſunt illa: *Qui primus Epheſiorum Epiſcopus ordinatus eſt.* Cophtica verſio & Alexandrinus Codex habent *Laodiceam*, non *Romam*. Vide Præfationem.

IN

(y) *Pearſon. Annal. Paul. Tillemont. Fromond.*

(z) *Vide Tillemontium, & Scriptores ab eo laudatos*, tom. 1, S. Pierre, art. 28, p. 172.

(a) *Conſtit. Apoſt. l. 7, c. 46.* (b) *Iren. l. 3, c. 3.* (c) *Rufin. Recognit. pr. p.* 398.

(d) *Epiphan. hæreſ.* 27. (e) *Iſt. hic. Boll.* 19 *Maji. Vide Menæa Eccleſ. veter. Brit. Incunabula Regia.*

(f) Ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν. Ἀμήν. (g) Ἡ χάρις μεθ' ἡμῶν. Ἀμήν. *Ita Chryſ. Theod. Theoph. Oecumen.*

(h) *Ita Clarom. & S. Germ. G. L.*

Finis Commentarii in ſecundam Epiſtolam ad Timotheum.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD TITUM

PROLEGOMENON.

TITUS, ortu Ethnicus (*a*), adhuc junior Apoſtolo adhæſit, a quo ab Idolorum cultu ad fidem genitus, Filii etiam nomine diſtinguitur (*b*). Hieronymus (*c*) illum, quòd a primis annis Fidei nomen dederit, ad extremum uſque ſpiritum, integrum Virginitatis florem ſervaſſe putat, & Pauli Interpretem, ſeu Amanuenſem fuiſſe (*d*). Huic ſanè Diſcipulo Apoſtolus plurimùm fidens, plurima implenda ultrò commiſit, eumque itinerum comitem ſæpiſſimè adhibuit.

Sunt qui Titum Corinthi ortum ſtatuant, eumque illum eſſe, qui *Titus Juſtus* in Actis appellatur [*e*]: *Intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, colentis Deum.* Chryſoſtomus (*f*) licèt & Grotius (*g*) hanc de Tito opinionem defenderint, ea tamen a cæteris tum Actorum cùm Epiſtolæ ad Titum Interpretibus prorſus rejicitur. Titus, ad quem Paulus Epiſtolam dedit, jam ipſi adhæſerat, antequam anno Chriſti LI Concilium Jeroſolymitanum cogeretur (*h*), adeoque priuſquam Apoſtolus Corinthum pergeret, quo nonniſi ſequenti anno contendit. Præterea aliquandiu poſtquam Paulus Corintho diſceſſerat, orto illic opinionum diſſidio, ad res ſedandas (*i*) eò Titum ab Apoſtolo miſſum, & a Corinthiis comiter exceptum ſcimus; qui licèt ex miniſterio Evangelico ſibi victum comparare jure poſſet, ab illis nihil accepit: maximo etiam erga Corinthios amore tunc affectus eſt, atque, ut a Paulo veniam homini inceſto impetraret, laboravit. Iter ad Corinthios tum ſecundò etiam inſtituit, cùm ſecundam ad eos Pauli Epiſtolam detulit. Hæc, quæ ex utrâque Pauli ad Corinthios Epiſtolâ collegimus, Titum Juſtum, Corinthi civem, & Apoſtoli hoſpitem, a Tito, de quo hic, Pauli Diſcipulo, alium prorſus eſſe nobis ſatis oſtendunt.

Paulus, poſtquam primùm ſe Romam contulerat, e carcere eductus, anno Chriſti LXIII in Orientem iterum perrexit, & plurimos, ut credimus, in Cretâ inſulâ ad Fidem traduxit (*k*). Cùm verò ad Eccleſias de omnibus erudiendas, & ad Epiſcopos & Sacerdotes ubique conſtituendos tempus ipſi non ſuppeteret, Titum rebus curandis reliquit, quem & Epiſcopum conſecravit. Quibus peractis, in Judæam, uti videtur, profectus, id quod ad Hebræos ſcribens ſpoponderat [*l*], inde in Aſiam [*m*], & demum in Macedoniam regreſſus eſt (*n*); ubi Nicopoli Thraciæ urbe, in Macedoniæ finibus, juxta Græcos (*o*), ſeu Nicopoli urbe Epiri, ad Sinum Ambraciæ, juxta Hieronymum & Recentiores pleroſque [*p*], hyemare conſtituit.

Teſtibus Hieronymo, & Authoribus Inſcriptionum in calce hujus Epiſtolæ (*q*), cùm ad Titum ſcripſit, Apoſtolus jam Nicopoli degebat. Locus, quo hæc opinio nititur, noſtrâ quidem ſententiâ, propoſitum ſatis apertè non probat; ait enim Apoſtolus (*r*): *Feſtina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare*: quæ verba illum in viâ ad urbem Nicopolim tum fuiſſe tantum innuunt. Hanc Epiſtolam per Zenam & Apollo ad Titum miſſam, nonnulli arbitrantur (*s*). Uterque in Cretâ inſulâ tunc certè morabantur, ſive Paulus illac tranſiens eos ibi reliquerit, ſive illuc eoſdem poſtea miſerit, ſive ipſi eò ſe ultrò contulerint. Illuc verò ab Apoſtolo miſſos idcirco credimus, quòd ipſe Tito, ut de omnibus, quæ ad iter neceſſaria ſunt inſtructi remittantur, commendet [*t*].

Ne Creta Inſula per Titi abſentiam careret Epiſcopo, Titum Paulus præmonuit, ne diſcederet, niſi cùm Tychicus, ſeu Artemas, quos mittebat, eò perveniſſent (*u*); ejus munera, dum abeſſet, ſatis impleturi. Titus primus Cretæ Epiſcopus habetur, ibique mortuus, & ſepulturæ mandatus creditur. Ejus Inſulæ Cathedralis Eccleſia Titi nomini conſecrata, ejuſdem adhuc integrum caput oſtentat. Qua verò morte Titus, & quo tempore obierit, ignoramus.

Potiſſimum hujus ad Titum Epiſtolæ argumentum in deſcribendis Epiſcopi officiis verſatur: cùm autem præcipuum Titi munus in eâ Inſulâ eſſet initiare Sacerdotes & Epiſcopos, ſummâ illi curâ ſatagendum erat, ut optimos eligeret. Eadem ferè

(a) *Galat.* II, 3: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi.*
(b) *Tit.* I, 4.
(c) *Hier. in Tit.* II, 7.
(d) *Hier. Ep.* 150, *qu.* 11.
(e) *Act.* XVIII, 7.
(f) *Chryſ. hom.* 1 *in Tit.*
(g) *Grot. in Tit. Prolog.*
(h) *Galat.* II, 1.
(i) 2 *Cor.* XII, 18.
(k) *Hier. in Tit.* III, 12; *Theodoret. in Pſal.* CXVI. *Vide Tit.* I, 5.
(l) *Hebr.* XIII, 23. *Vide Chryſ. Prolog. in Ep. ad Hebr.*
(m) 2 *Timoth.* IV, 13. *Philem.* ℣. 22.
(n) *Philipp.* II, 24. *Vide Chryſoſt. prolog. in Philipp. p.* 2.
(o) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Oecumen. alii.*
(p) *Hier. in Epiſt. ad Tit. Grot. Eſt. Eraſm. Baron. Uſſer. Tillem. Ligfoot.*
(q) *Hier. in Tit.* III, 12; *Athanaſ. in Synopſi; Subſcriptiones Græcæ ad calcem hujus Epiſt. Eſt. alii nonnulli.*
(r) *Tit.* III, 12.
(s) *Ita Syr. & Capell. p.* 66.
(t) *Tit.* III, 13.
(u) *Tit.* III, 12.

tæ omnia, quæ Timotheo eidem muneri addicto aliàs ſcripſerat, hîc Apoſtolus recenſet; & vitæ rationem, ſingulis hominum conditionibus, ſenibus nempe, viris, fœminis, junioribus utriuſque ſexûs, & mancipiis, ab Epiſcopo præſcribendam, perſequitur. Monet inſuper, ut in Cretenſes authoritatem ſuam exerat, & acrioribus verbis caſtiget, tamquam homines nempe mendaces, iniquos, pigros, voraces.

Judæorum plurimi in eâdem Cretâ Inſulâ Fidei Catholicæ nomen dederant, ſed peculiares errores, cæremonias, & traditiones in Eccleſiam invexerant; quare Apoſtolus Titum hortatur, ut his repugnet, populumque moneat, vanis illorum traditionibus, atque Judaicis fabulis adverſentur; neminem deinceps ad Legales ritus eſſe adigendum: ciborum delectum antiquatum eſſe; omnia enim munda mundis, omniaque immundis immunda: pacem ament: temporalibus Principibus obtemperent: diſputationes, lites, obloquutiones evitent: honeſtis artibus operam navent: ſedulò Hæreticos caveant, poſt primam & ſecundam monitionem pervicaces: Titum denique orat, ut ubi Artemas aut Tychicus in Cretam pervenerint, ſe inviſurus Nicopolim contendat.

Sua ſemper huic Epiſtolæ in Eccleſiâ manſit Canonica authoritas, ſolosque Hæreticos habuit refragatores, Marcionitas nempe (x), Baſilidianos, aliosque nonnullos (y). Tatianus Encratitarum author non probabat modò, ſed & cæteris præferendam contendebat (z). Quo loco & tempore ſcripta, & a quo delata fuerit Epiſtola, adhuc incertum. Veriſimile tamen ducimus, anno Chriſti LXIV, per autumnum datam fuiſſe in Græciâ, ſeu in Macedoniâ, cùm Paulus adhuc iter faciens, Nicopolim Epiri proficiſceretur.

(x) *Tertull. contr. Marcion. lib. 5, c. ult.*
(y) *Hieronym. Prolog. in Ep. ad Tit.*
(z) *Idem ibidem.*

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD TITUM.

CAPUT PRIMUM.

Quales eſſe debeant, qui eligendi ſunt in Epiſcopos. Arguendi pſeudo-Doctores, & ſpernendæ Judæorum fabulæ. Omnià munda mundis. Qui pravum vitæ genus ſectantur, operibus Fidem abdicant.

℣. 1. PAulus, ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti, ſecundùm fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt,

℣. 2. In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia:

℣. 3. Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundùm præceptum Salvatoris noſtri Dei:

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAulus servus Dei, &c. Solet Paulus ſeſe modò *Dei*, modò *Jeſu Chriſti ſervum* appellare; Apoſtolum Dei, Apoſtolum Jeſu Chriſti; vocatum a Deo, vocatum a Chriſto. Nihil eſt in hiſce diſeriminis, ubi Dei Filium Patri æqualem, atqoe uoam eamdem utrique eſſentiam eſſe confiteris.

Secundum fidem Electorum Dei, ad docendos Electos Dei, Chriſtianos, Fideles, *fidem* (a) *& agnitionem veritatis, quo ſecundùm pietatem eſt*. Non quælibet veritas argumeotum eſt Paulinæ Prædicationis: philoſophica etiam veritas eſt & geometrica, ad ſalutem inutilis. Veritas per prædicationem nuncianda, *ſecundùm pietatem eſt*; atque in eo conſiſtit, ut Deum noſcas & ames, Legem, Pròphetas, Evangelium intelligas, veritati divinitus dictatæ eredas, quæque ad mores ſpectant exequare. Hujus veritatis finis eſt immortalis felicitas æternaqoe vita. *Veritas, cujus cognitio juxta pietatem eſt, in ſpe vitæ æternæ poſita eſt*, ait hoc loco S. Hieronymus.

℣. 2. Quam promisit qui non mentitur. Non modò beatitudinem æternamque vitam pollicitus eſt Deus, verum etiam Evangelii prædicationem, & cognitionem veritatum, quæ ad ſalutem novumque Fœdus pertineot. Promiſſam a Prophetis peregit Chriſtus, ipſi vidimus, depoſito tenemus, ſumusque hæreditate aſſequuti. Vocatio noſtra & juſtificatio in tempore peraguntur; at æternis Dei conſiliis ante ſæcula omoia decretæ ſuerunt.

℣. 3. Manifestavit temporibus suis verbum suum. Ubi expleta ſunt tempora, æternis Dei conſiliis conſtituta, atque in Prophetis ſignificata, Verbum, Filium ſuom (b), miſit Deus in mundum; veritas divinitus demonſtrata tamquam per gradus ad homioes delapſa eſt. Deus voluntatem ſuam Adamo, Noëmo, Abrahamo, Moyſi, Prophetis, unicuique ad certum usque modum, manifeſtavit. At decretis denique temporibus veritatem omnem, quàm latè patet, Evangelicâ prædicatiooe aperuit (c).

Secundum præceptum salvatoris nostri. Chriſtus Jeſus Servator Evangelii prædicationem mi-

(a) *Ita Eſt. Grot. Men. Scultet. ex Hieron. & Theodoret.* (b) *Hieron. Eſt. Men.* (c) *Chryſoſt. alii Græci.*

℣. 4. Tito dilecto filio ſecundum communem fidem: gratia & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro.

℣. 5. Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

℣. 6. Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos.

COMMENTARIUS.

mihi commendavit væ mihi, niſi nunciavero (d). Reus fiam, ſi repugnavero, hominumque per me ſervandorum ac ducendorum exitium culpæ mihi vertetur. *Servatoris noſtri Dei* nomine intelligi poteſt aut Chriſtus Jeſus, uti diximus, aut Deus Pater, tam ſæpe nuncupatus in Veteri Novoque Teſtamento Servator (e).

℣. 4. Tito dilecto filio. Græcus ad verbum (f), *germano filio*, chariſſimo, dilectiſſimo, qui minimè degener eſt a Fide, quæ ipſi communis eſt cum Paulo ſpirituali patre (g). Alios quidem filios habebat Apoſtolus, quos ipſe Evangelio genuerat; *Nam in Chriſto Jeſu per Evangelium ego vos genui* (h). At non omnes iis erant, qualis Titus, fideles, veri, germani, qui nobiliſſimam Chriſtianorum dignitatem nullâ ex parte obſcurarent (i).

Gratia et pax, Græcus vulgatus (k): *Gratia, miſericordia, & pax.* Vetuſtiſſimi tamen Græci Codices (l), Patreſque Græci & Latini, omneſque Latini Libri, Syriaca, Cophtica, Æthiopica Vulgatæ aſſentiuntur.

℣. 5 Reliqui te Cretæ. Diu in Cretâ manere non potuit Paulus, ut, quàm neceſſe erat, Religionis res moderaretur: quamobrem ibi Titum reliquit, qui ſupremam rebus manum imponeret. Hoc disertè innuit Græcus (m), Patreſque & Interpretes optimè animadvertunt (n).

Constituas per civitates Presbyteros. S. Hieronymus (o), S. Chryſoſtomus (p), Theodoretus, Theophylactus, atque Interpretes plerique explicant hic *Epiſcopos. Eoſdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros, appellabant*, ait hic S. Hieronymus. Reverà primis illis temporibus ſinguli in plerisque urbibus Epiſcopi, & Diaconi aliquot ſatis erant, ut modicæ Fidelium multitudini ſatisfacerent. Minimè tamen negaverim, complecti Apoſtolum eo nomine Presbyteros ſeu Parochos, in locis Epiſcopo imparibus conſtitutos.

℣. 6. Si quis sine crimine est, inculpatus. Si Pauli verba ex ſono ipſo accipiantur, totam Pauli mentem non explicant. Non enim ſatis eſt, ſi criminibus gravioribusque flagitiis vacet Epiſcopus: oportet eum eſſe, qui gregem exemplo & inſtitutionibus moderetur. Græcus hujus loci habet (q): *Inculpatus, inaccuſabilis*, qui nullius culpæ argui queat, nullâ infamiâ notetur: ſiquo enim dedecore notatus fuerit, utilis eſſe non poterit hominibus cuſtodiæ ſuæ commendatis. Confer 1 *Timoth.* III, 2.

Unius uxoris vir. Eadem hæc ſententia explicata alibi eſt (r). Plures ſunt hujus loci explicationes. I, qui in Epiſcopum eligitur, huic una tantùm ſit uxor, non pellex, non amica, præter uxorem (s). II, Nunquam plures unâ uxores duxerit; vel ſaltem poſt baptiſmum, ſecundas nuptias non inierit (t). III, ad illud usque tempus, quo Epiſcopus creatur, unam duntaxat uxorem habuerit, eamque deinceps ſororis loco habeat (u). IV denique, commendatâ ſibi Eccleſiâ contentus ſit, neque, eâ relictâ, ad alteram tranſeat (x). Epiſcopalis ac Paſtoralis conſecratio quoddam eſt nuptiarum ſpiritalium genus. Ait S. Chryſoſtomus (y), duplex hominum genus hiſce Pauli verbis argui, Hæreticos conjugium damnantes; atque incontinentes, ſecundis nuptiis implicatos. Os illis obſtruit, docens, poſſe viros uxori conjunctos ad ſacrum Epiſcopi munus deſtinari; hos obruit probro, dum ab eâ dignitate removet.

Filios habens fideles, & irreprehenſos. Quàm inutilis ille eſt, qui familiam negligit, filioſque in flagitiis atque infidelitate verſari ſinit? *Siquis ſuorum, & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infidele deterior*, ait Apoſtolus (z). *Tam ſanctum nomen eſt Sacerdotis*, inquit S. Hieronymus, *ut nobis etiam ea quæ extra nos ſunt poſita, reputentur.* Satis non eſt, Epiſcopus ipſe culpâ vacet: oportet inculpatos eſſe & ſuos. Qui enim alienarum familiarum vitia conſtanter arguat Epiſcopus, ſi ſuam male moderetur?

℣. 7. Opor-

(d) 1 *Cor.* IX, 16: *Nam ſi evangelizavero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: væ enim mihi eſt, ſi non evangelizavero.* (e) *Vide* 1 *Timot.* I, 1. *Eſt. hic.*

(f) Τίτῳ γνησίῳ τέκνῳ. *Velez.* Ἀγαπητῷ. (g) *Hieronym. Eſt.* (h) 1 *Cor.* IV, 15.

(i) *Vide Chryſ. Hieronym. Theophyl. &c.* (k) Χάρις, ἔλεος, καὶ εἰρήνη.

(l) *Clarom. S. Germ. Borner. GG. LL. Colb.* 7, *alii.* (m) Ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ.

(n) *Vide Hieronym. Chryſ. Theophyl. Eſt. Pric. Grot. Men. alios.*

(o) *Hieronym. hic: Idem eſt ergo Presbyter, qui Epiſcopus. Et antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent ..... communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos quos baptizaverat ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* (p) *Chryſ. hic:* Τοὺς ἐπισκόπους ἐνταῦθα φησι, καθὼς ἀλλαχοῦ ἡμῖν εἴρηται.

(q) Ἀνέγκλητος. (r) 1 *Timot.* III, 2.

(s) *Theodoret. ad* 1 *Tim.* III, 2: Τινὲς δὲ καὶ νῦν, καίτοι τῶν βασιλικῶν νόμων δύο κατὰ ταὐτὸν κωλυόντων ἄγεσθαι γυναῖκας, καὶ παλλακαῖς μίγνυνται, καὶ ἑταίραις.

(t) *Theophyl.* Ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἐκκλησίας καλῶς προστήσεται ..... ὁ δὲ δίγαμος οὐκ ἀνέγκλητός ἐστι, κἂν τοῖς ἔξω νόμοις δοκῇ.

(u) *Hieronym. l.* 1 *contra Jovinian.* (x) *Ambroſ. de Dignit. Sacerdot. c.* 4.

(y) *Chryſoſt. hic:* Ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας, δεικνὺς ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγές, ἀλλ' οὕτω τίμιον, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι, καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον, ἐν αὐτῷ δὲ, καὶ τοὺς ἀσελγεῖς κολάζων, καὶ οὐκ ἀφιεὶς μετὰ δευτέρου γάμου τὴν ἀρχὴν ἐγχειρίζεσθαι ταύτην. (z) 1 *Timot.* V, 8.

℣. 7. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum:

℣. 8. Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem,

COMMENTARIUS.

℣. 7. Oportet enim Episcopum, &c. Epiſcopum hic nominat, quem ſupra, ℣. 5, Presbyterum. Jubet Epiſcopum ita in Eccleſiâ ſe gerere uti œconomum, ſeu diſpenſatorem, atque amplæ domûs Procuratorem. Conſervis præeſt Diſpenſator, eoſque moderatur. Paterfamiliâs non eſt, ſed inter ſervos primus. Illum S. Hieronymus cum iis hominibus comparat, quos Priſci *villicos* appellabant. Villicus porrò ſervus erat, locupletis domini prædio præfectus, & aliquot ſervis imperans, quibus & operas & annonam & veſtes diſtribuebat: reddere tamen rerum rationem domino tenebatur, ejusque animadverſioni & imperio, uti ſervorum viliſſimus, erat obnoxius. *Sciat Epiſcopus, ſibi populum conſervum eſſe, non ſervum* (a).

Non superbum (b), arrogantem, dignitate ferocientem, qui ſe & ſervum & rationi reddendæ obnoxium eſſe meminerit. Sæculi Principes cum imperio regunt, & ſubditos metu continent, cùm violentum dominium exerceant. Contra verò Epiſcopi præſunt liberis hominibus, qui ſponte imperium ſubeunt: quamobrem nihil cum illis niſi ſuaviter leniterque agendum eſt (c).

Non iracundum, non vinolentum. Optima quæque corrumpuntur irâ, animique motus minimi provocantur. Qui arrogantes alium arguit, admonitionis fructum, hominis ſcilicet emendationem, nunquam aſſequitur. *Ira viri juſtitiam Dei non operatur*, ait Jacobus Apoſtolus (d). Qui vinum amat, contemptui erit cæteris, & immodicam in iram, aut in flagitia prolabetur. Græci Patres interpretantur hominem contumelioſum (e), qui cæteros injuriis irritat: oportet homines ab Epiſcopo in officio contineri non minis, ſed gehennæ metu, ait S. Chryſoſtomus.

Non percussorem. Medicus animarum eſt Epiſcopus, inquit idem Chryſoſtomus (f). Animarum morbi non ſanantur plagis aut ſævitiâ. Curanda ſunt vulnera, non exaſperanda. Theodoretus de iis interpretatur, qui temerè atque importunè objurgant.

Non turpis lucri cupidum. Vacui cupiditate animi exemplum eſſe debet Epiſcopus: omne enim lucrum, tametſi juſtum ſit, turpe eſt Epiſcopo, inquit Chryſoſtomus (g). Cibo & veſte contentum eſſe decet Epiſcopum, Apoſtoli exemplo (h), ait S. Hieronymus (i). *Turpis lucri appetitio eſt*, ſubdit idem Pater, *plus quàm de præſentibus cogitare*.

℣. 8. Hospitalem. *Domus Epiſcopi omnium commune eſſe debet hoſpitium*. Laicus, ſi paucos aliquot exceperit, hoſpitalitatis officio ſatisfecit: *Epiſcopus niſi omnes receperit, inhumanus eſt*, ait S. Hieronymus.

Benignum, sobrium. Græcus ad verbum (k): *Bonarum rerum ſtudioſum*, ſeu bonos amantem: *continentem*, modeſtum, prudentem, ſive etiam pudicum, ex Hieronymo. Latini libri complures: *Benignum, prudentem, ſobrium*. Abundat τὸ *prudentem*. Græca vox *ſophrona* reddi poteſt, *ſobrium*, ſeu *prudentem*. Utraque verſio Textui inſerta eſt.

Continentem. Si Laicos quoque ad tempus abſtinere uſu conjugii jubet Apoſtolus, ut precibus vacent: quid Epiſcopus, cujus eſt incruentam victimam quotidie pro ſuis & populi peccatis offerre? ait S. Hieronymus. *Pudicitia Sacerdotalis eſt, ut non ſolùm ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam a jactu oculi & cogitationis errore mens Chriſti Corpus confectura ſit libera* (l). Latior etiam *continentiæ* ſignificatio eſt S. Chryſoſtomo (m). *Continentem*, inquit, *non abſtinentem hic ſignificare voluit, ſed qui vitium omne ſuperaverit, & linguam, & manum, impudicoſque coërcuerit oculos. Hæc quippe eſt continentia, nulli vitio ſubjici*.

Nunquam permiſit Eccleſia, ut Miniſtri principes poſt conſecrationem nuptias inirent; eaſque nuptias irritas eſſe voluit, imò ſejungi viſum a muliere, utpote vero conjugio nunquam junctos (n). Nuptias verò ante conſecrationem initas, ſatas eſſe docet vel poſt ordinationem; & quamvis Latina Eccleſia conjugii uſu poſt ordinationem interdixerit, apud Græcos tamen multis ab hinc ſæculis paſſa eſt ſervari uſum nuptiarum ante ordinationem initarum, modò aut voti religio, aut obligatio alia non interceſſerit.

At Græca Eccleſia, ipſis etiam initiis, non ita proclivis fuit in conjugii Clericorum facultatem. In Nicænâ Synodo (o) videbatur Patribus, imperandam eſſe Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis continentiam. At Paphnucius Thebaidos Epiſcopus repugnavit, & nuptias ab Apoſtolo *honorabiles* appellari ait, ipſumque conjugii uſum cum continentiâ & pudicitiâ non pugnare. Patribus ad Paphnucium accedentibus,

(a) *Hieronym. hic*. (b) *Hieron. & Ambroſiaſt. Non protervum*.
(c) *Vide Chryſoſt. Theophyl. & Hieronym.* (d) *Jacobi*, 1, 30.
(e) Μὴ πάροινον. Τουτέστιν, ὑβριστήν. Φοβεῖν δεῖ τῇ τῆς γεέννης ἀπειλῇ τοὺς ἀπειθεῖς, καὶ μὴ ὑβρίζειν. *Chryſ. Theophyl.* (f) *Chryſoſt.* Μὴ πλήκτην. Ἰατρὸς ἐστιν ὁ διδάσκαλος τῶν ψυχῶν. Ὁ δὲ ἰατρὸς οὐ πλήκτης. *Theodoret.* Τὸν πλήκτην καλεῖ τὸν μὴ κατὰ λόγον ἐπιτιμήσεσι χρώμενον.
(g) Πᾶν γὰρ κέρδος, κἂν δίκαιον ᾖ, αἰσχρόν ἐστιν ἐπισκόπῳ. *Chryſ. Theophyl.*
(h) 1 *Timot.* vi, 8. (i) *Hieronym. in hunc loc.*
(k) Φιλάγαθον, σώφρονα. *Hieronym. hic: Sit autem Epiſcopus & pudicus, quem Græci* σώφρονα *vocant, & Latinus Interpres verbi ambiguitate deceptus pro pudico prudentem tranſtulit*.
(l) *Hieronym. hic*. (m) *Chryſ.* Ἐγκρατῆ, οὐ τὸν νηστευτήν, ἀλλὰ τὸν πάθους κρατοῦντα, τὸν καὶ γλώττης, καὶ χειρῶν, καὶ ὀφθαλμῶν ἀκολάστων. Τοῦτο γάρ ἐστιν ἐγκράτεια, τὸ μηδενὶ ὑποσύρεσθαι πάθει. *Ita Theophyl.* (n) *Sexta Synod. General. Can.* 6; *& Diſt.* 32, *c. Si quis eorum; & c. Sunt*, 27, *qu.* 11; *& Concil.* 4 *Carth. & Concil. Trid. ſeſſ.* 24, *c.* 9; *Concil. Neocaſar.*
(o) *Vide Sozomen. l.* 1, *c.* 23; *Socrat. l.* 1, *c.* 11, *Hiſt. Eccleſ.* Τοῖς μὲν ἄλλοις ἐδόκει, νόμον ἐπεισάγειν, ἐπισκόπους, καὶ πρεσβυτέρους, διακόνους, καὶ ὑποδιακόνους μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς πρὶν ἱερᾶσθαι ἠγάγοντο... τίμιον γάμον ἀποκαλῶν, σωφροσύνην δὲ τὴν πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας συνουσίαν.

℣. 9. Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ, & eos, qui contradicunt, arguere.

℣. 10. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt:

COMMENTARIUS.

ejuſmodi jugum Clericorum cervicibus impoſitum non fuit. At illud ſaltem in ejus Synodi Patribus cernitur, quæ tunc fuerit Eccleſiæ mens & conſuetudo. Niſi enim Epiſcopi & Presbyteri plerique continentiam abſolutiſſimè coluiſſent, de generali lege omnibus imperandâ non cogitaſſent. Ætate S. Epiphanii (p), ipſo teſte, Presbyteri & Diaconi quamplures conjugio non utebantur.

Fatendum tamen eſt, poſt id temporis nuptiarum facultatem Græcis religioni non fuiſſe. Innuunt Chryſoſtomus (q), Theodoretus, Theophylactus, iis qui ad Epiſcopatum evecti fuerint nuptiis impliciti, licere uti conjugio. Meminit hujus ſententiæ bis Hieronymus (r), neque damnat. Syneſius, creatus Epiſcopus circa annum 410, negat ſe ab uxore diſceſſurum, aut ad illam clam acceſſurum tamquam adulterum; ſed optare ſe multos utileſque filios (s). Hieronymus tamen contra Vigilantium (t) iſta ſcriptis tradidit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos, aut continentes, aut, ſi uxores habuerint, deſinunt eſſe mariti?*

Conjugii uſum cùm ante tum poſt ordinationem Clericis disertè conceſſum non lego ante Synodum Conſtantinopolitanam VI, cujus hæc ſanctio eſt (u): *Quoniam Romana Eccleſia pro Canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum, vel Presbyteratum profiteantur ſe non ampliùs ſuis uxoribus conjungendos; nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſervantes, hominum, qui ſunt in ſacris, legitima conjugia deinceps quoque firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutuâ tempori convenienti conſuetudine privantes. Quamobrem ſiquis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitimâ uxore cohabitet.* Hæc apud Orientales diſciplina ad noſtram uſque ætatem ſervata eſt.

Apud Occidentales vetus, generalis, conſtans conſuetudo eſt, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi continentiam ſervent poſt Ordinationem; eaque in vetuſtiſſimis Occidentalis Eccleſiæ Canonibus legitur. Concilium Eliberitanum, e.g. *x. Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus ac Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere a conjugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur.* Concilium Arelatenſe (y) prohibet, nequis uxorem habens ordinetur, niſi ante ordinationem promiſerit converſionem, ſcilicet ab uxore continentiam. Siricius Papa (z), S. Ambroſius (a), Innocentius I (b), S. Auguſtinus (c), S. Leo (d), S. Hieronymus (e), Concilium Toletanum (f), Carthaginienſe (g), Turonenſe (h), Agathenſe (i), atque alia, hanc diſciplinam aut ſtatuunt, aut quaſi de conſtitutâ loquuntur.

Denique Synodus Tridentina (k) ſanxit, homines ſacris Ordinibus initiatos nuptias inire non poſſe, irritaſque eſſe, quas quis ſacro Ordine initiatus inierit. Præteriit verò quod ad conjugii prioris uſum attinet, ne Græcos cum Eccleſiâ Catholicâ conjunctos damnaret, aut ullum in iis tumultum pareret. At ubi mos viget interdicendi Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis conſuetudine uxorum, quas ante Ordinationem duxerint, eorumque uxores ad perpetuæ continentiæ votum adigendi, eum morem nunquam non conſtantiſſimè propugnavit.

℣. 9. AMPLECTENTEM EUM, QUI SECUNDUM DOCTRINAM EST, FIDELEM SERMONEM, Fidei veritatem, certiſſima dogmata, quæ amplexus eſt, ubi nomen Fidei dedit. *Ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ* imbecilles, confirmare infirmiores, mœſtos recreare, *& eos qui contradicunt* veritati ſaniſque inſtitutionibus, *arguere*. Nunquam defuere in Eccleſiâ homines novorum ac pernicioſorum dogmatum amatores, arrogantesque qui vinci ſe niſi perſpicuâ rerum evidentiâ non patiuntur; erant quoque tunc extra Eccleſiam Judæi, Hæretici, Gentiles, qui Fidei noſtræ capita ratiocinationibus impugnarent. Epiſcopum oportet ita eſſe eruditum, ut ejuſmodi homines vincere, cum iis pugnare, illorum argumenta ſolvere, ac perfidiam ſternere valeat; quamobrem opus eſt, ut non vulgari ſtudio ingenioque diſtinguatur (l).

℣. 10. SUNT ENIM MULTI INOBEDIENTES... MAXIME QUI DE CIRCUMCISIONE SUNT. Hinc collige, quàm neceſſaria Epiſcopo ſint ſtudium & eruditio. Judæi complures, tum Chriſto credentes, cùm increduli, turbas in Eccleſiâ ciebant; illi, quòd Legis obſervationem ſaluti neceſſariam eſſe, imponendumque circumciſionis jugum iis qui ex Gentilium ſuperſtitione ad Chriſtum migraſſent, additis Evangelii ſimplicitati fabulis & inanibus Doctorum ſuorum traditionibus, certarent; hi quòd Jeſum & Meſſiam & Deum & Dei Filium eſſe negarent. Multa ex Judæis pertulit Paulus tota vitæ ſuæ curriculo; eoſque omnibus in Epiſtolis arguit. Pelles hujuſmodi magno numero Cretam Inſulam occupabant (m); magnâque animi conſtantiâ & ſapientiâ nitendum erat Tito.

(p) *Epiphan. hæreſ. 59.* (q) *Chryſoſt. hic, & ad* ℣. *3, p. 464.*
(r) *Hieronym. Comment. in Ep. ad Tit. & Epiſt. ad Oceanum.*
(s) *Syneſ. Ep. 105:* Ταύτης δὲ οὔτε ἀλλοτριώσομαι οὐδαμῶς, οὔτε ὡς μοιχὸς αὐτῇ λάθρᾳ συνέσομαι, ἀλλὰ βουλήσομαί τε, καὶ εὔξομαι συχνά μοι, καὶ χρηστὰ γενέσθαι παιδία.
(t) *Hieronym. l. 1 contra Vigilantium.* (u) *Synod. C. P. VI, can. XIII.*
(x) *Concil. Eliberit. can. 33.* (y) *Arelat. 2, an. Chriſt. 527, can. 2.*
(z) *Siricius, Epiſt. ad Africanos, Vide Diſt. 84, c. 3.* (a) *Ambroſ. Ep. 82.*
(b) *Innoc. I, diſt. 82, c. Propoſuiſti,* (c) *Aug. l. 2 de adulterin. conjug. c. 20.*
(d) *Leo Mag. Ep. 84.* (e) *Hieronym. in Ep. ad Tit. & l. 1 contra Jovinian.*
(f) *Concil. Tolet. 1, & VIII, c. 5, 6.* (g) *Concil. Carth. 5, c. 3: & Concil. II, c. 2.*
(h) *Concil. Turon. 1, c. 1, 2.* (i) *Concil. Agath. c. 9. Vide, ſi placet, Tonam in Epiſt. ad Hebr. c. V, difficul. 2, ſect. 3.* (k) *Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 9.* (l) *Vide Hieron. Grot. Eſt.*
(m) *Act. II, 11. Vide Joſeph. plurib. loc. Socrat. l. 2, c. 38, Hiſt. Eccl.*

℣. 11. Quos oportet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ.

℣. 12. Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

℣. 13. Teſtimonium hoc verum eſt. Quam ob cauſam increpa illos durè, ut ſani ſint in fide,

℣. 14. Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe a veritate.

COMMENTARIUS.

Tito, ut iis reſiſteret, & Epiſcopos in hunc uſum idoneos inſtitueret.

Vaniloqui et seductores (n): qui inania frivolaque loquuntur, homines ineptis ſermonibus decipiunt, ſuasque illis opiniones perſuadent.

℣. 11. Universas domos subvertunt, turpis lucri gratia: qui neceſſaria eſſe docent Legis opera; qui Jeſum Meſſiam eſſe, futuramque reſurrectionem mortuorum negant; ſeu denique inanes Judæorum traditiones mentibus inspirant. Paſſim queritur Apoſtolus de falſis Doctoribus, docentibus *turpis lucri gratiâ*. Vide *Rom.* xvi, 18; *Philipp.* iii, 19; 2 *Timoth.* iii, 6.

℣. 12. Proprius ipsorum Propheta, qui Prophetæ loco Cretenſibus eſt; Epimenides, Poëta clariſſimus. Cretenſis, qui civibus ſuis minimè parcens, mendaces eſſe ſcripſit, nequiſſimos, pigros, ventri deditos. *Prophetam* nominat per ludum, quòd Græci & vulgò Gentiles eumdem fermè Poëtis honorem tribuerent, quem Hebræi Prophetis; eosque divino Numine afflari atque agi, & futura prædicere interdum exiſtimarent. Oraculorum reſponſa carmine reddi ſolebant. *Noſter Ennius*, ait Tullius (o), *ſanctos appellat Poëtas, quòd quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur*. Deorum amici cenſebantur, divinorumque arcanorum conſcii.

Agens de Epimenide Ariſtoteles (p), Prophetam dicere videtur, quemadmodum & Apoſtolus. Negat quidem ille, futura illum prævidiſſe; præterita verò & ignota noviſſe ait. Illum vitâ functum divinis honoribus proſecuti ſunt Cretenſes (q); multaque de futuris remotisque rebus illius vaticinia narrantur. Cùm arcem Munychiam, quæ portus Athenis eſt, inſpexiſſet, diuque contemplatus fuiſſet, dixit adſtantibus: Quàm cæci ſunt homines in prævidendis rebus futuris! ſi Athenienſes ſcirent, quanta hic locus mala eſt urbi daturus, dentibus profectò ſuis eum eroderent. Res vaticinium multos poſt annos conſequuta eſt, Antipatro Rege eam arcem copiis occupante, ut Athenienſes in officio contineret (r). Cùm metuerent Athenienſes, venturos cum exercitu propediem Perſas, aſſeruit Epimenides, poſt decennium venturos, magnâque cum clade reverſuros (s). Veritas dictis ſtetit, Perſis Marathonio & Salaminio prælio profligatis. Cretenſibus item prænuntiavit, Arcades olim fore captivos (t): id quod Euricrate apud Cretenſes, & Archidamo apud Lacedæmonas regnantibus contigit. Hæc fortaſſe ob vaticinia, vera ſeu falſa, Epimenides ab Apoſtolo Propheta, & diu antea apud Platonem (u) divinus vir & amicus Deorum eſt appellatus. Tradit quoque Tullius (x), Epimenidem divino furore actum futura prædixiſſe.

Sententiam hanc Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique tribuerunt Callimacho, apud quem iſta leguntur (y): *Cretenſes ſemper mendaces: ſepulcrum etenim tibi, o Jupiter, fabricati ſunt. Tu quidem non obiiſti; vivis enim ſemper*. Profectò Jovis ſepulcrum in Cretâ inſulâ cernebatur, ubi Jupiter & regnaverat, & ſupremum diem obierat. Epimenidis hemiſtichium ſpectans Callimachus, mendacii Cretenſes arguit, quòd Jovem in Cretâ inſulâ incunabula, regnum, vitæque exitum habuiſſe dicerent. Cretenſis erat Epimenides, nemine repugnante; Callimachus Cyrenenſis. Hic in Ægypto floruit, regnante Ptolemæo Philadelpho, ccxx circiter anno ante Chriſtum; diu antea in Cretâ Epimenides. Callimachus denique hemiſtichium ſolummodo recitat; Epimenides verſum integrum, qualem recitat Apoſtolus, ſcripſerat: quamobrem Apoſtolus procul dubio Epimenidem ſignificavit.

De vitiis, quæ Paulus, poſt Epimenidem, Cretenſibus tribuit, Veteres abſolutiſſimè conſentiunt. Cretenſis & Cretiſſans in proverbium abiit pro mendaci, ſubdolo. Cretiſſare cum Cretenſi (z) eſt, cum mendaci mentiri. Ovidius:

. . . . *Non fingunt omnia Cretes*.

Notiſſimæ apud Veteres ſunt Cretenſium nequitia, perfidia, fraus in commerciis. Apud Cretenſes ſolos, ex hominibus univerſis, ait Polybius (a), nullum lucri genus turpe exiſtimatur; nullaque gens magis perfida Cretenſibus eſt. *Ventres pigri*, gulæ dediti, inertes; ſeu *ventres, pigri* (b). Guloſus homo, *venter* dicitur. Lucilius: *Vivite, ventres*.

℣. 13. Increpa illos dura. Objurgationum modus temperandus eſt ad hominum ingenia. Homines inertiæ dedititiſſimi, quales erant Cretenſes, leni objurgatione ſanari non poterant: ſeveritate opus erat & auſteritate verborum.

℣. 14. Non intendentes Judaicis fabulis. Vi-

(n) Ματαιολόγοι, καὶ φρεναπάται. (o) *Cicero Orat. pro Archiâ Poëtâ*.

(p) *Ariſt. Rhetoric. l.* 3, *c.* 17: Τὸ γεγονὸς ἐπίδηλον ἤδη, καὶ τοῖς μάντεσιν, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ Κρής. Ἐκεῖνος γὰρ περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δέ.

(q) *Plutarch. in Solone*. (r) *Laërt. l.* 1; *& Plut. in Solone*. (s) *Plato de Legib. l.* 1.

(t) *Laërt. l.* 1. (u) *Plato de Legib. l.* 1: Ἀνὴρ θεῖος. (x) *Cicero l.* 1 *de Divinat.*

(y) *Callimach.* Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο,
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

(z) Κρητίζειν πρὸς Κρῆτα. (a) *Polyb. l.* 6: Παρὰ μόνοις Κρηταιεῦσι τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων μηδὲν αἰσχρὸν νομίζεσθαι κέρδος.... Καὶ μὴν ὅσοι κατ' ἰδίαν ἤθη δολιώτερα Κρηταιέων εὕροι τις ἄν, πλὴν τελείως ὀλίγων, οὔτε καθόλου ἐπιβολὰς ἀδικωτέρας.

(b) Græcus vulgatus: Γαστέρες ἀργαί, ventres pigri. At Phavorinus ita locum recitat: Γαστέρες, ἀργοί; ac reddi poteſt, *Ventres, pigri*. Editio Sixti V, an. 1590, Clem. VIII, an. 1592, legunt: *Ventres pigri*.

℣. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum; ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.

℣. 16. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

COMMENTARIUS.

Vide nos in 1 *Timoth.* I, 4; IV, 7; & 2 *Timoth.* IV, 4. Judæorum libri ſabulis, allegoriarum nexibus, ineptisque interpretationibus ſcatent. Iſta ſperni jubet Apoſtolus (c). Qui Rabbinorum ſcripta evolvêre, norunt, quid illi de terreno Meſſiæ Regno, de præliis adversùs Gog & Magog ab eo inferendis, de convivio Electorum, piſce Leviathan, & Behemoth bove, a Meſſia in ejus convivii uſum mactandis, comminiſcantur. Curioſi haſce fabulas cupidè perbibebant, ſanamque & ſolidam doctrinam aspernabantur. Multa etiam de Angelis, variisque Angelorum in Cœlo gradibus dictitabant; quæ quidem inani potiùs eruditionis opinione inflabant animos, quàm Gentiles Chriſtianis ſacris initiatos docebant. Vide *Coloſſ.* II, 18.

℣. 15. Omnia munda mundis. Hoc ſæpiùs urgeas volo adversùs eos, qui ciborum diſcrimen, & Legis luſtrationes in Chriſtianam Religionem invehere conantur. Quodlibet cibi genus per ſe purum eſt: non quod intra hominis corpus eſt, hominem inquinat, ſed mala deſideria, & prava conſilia, quæ ex animis hominum proficiſcuntur (d). Peſſimo vitæ inſtituto, corruptis moribus, flagitiis, perniciosis affectibus ac Divinæ Legi repugnantibus, execrabiles Deo reddimur: at ſi cibum manibus illotis ſumas, ſi leporem aut ſuem, ſive etiam idolothytum comedas, res planè indifferens eſt, quamquam interdum poteſt eſſe flagitioſa. Vide 1 *Cor.* VIII, 4, 5, 6, *&c.*

Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum. Quidquid agat homo, qui animum peccato vitiatum gerit, atque in infidelitate vivit, animi munditiem illi reddere nequit. Luſtrationes Lege imperatæ, cruenta ſacrificia, Legis ritus animi labes non auferunt, quia *inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia*; atque his exterioribus luſtrationibus aptus non redditur homo, qui particeps ſacrorum ſit. Referri etiam hæc poſſunt ad eos, qui adversùs conſcientiæ motus agunt, & rebus quibusdam indifferentibus utuntur, quamquam planè perſuaſum iis ex Fide non ſit, licitum eſſe illarum uſum (e).

℣. 16. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Falſos Doctores innuit, ſchiſma in Eccleſiâ ſerentes, ac tumultum concitantes opinionibus novis, vanisque ſermonibus; dum docent, nihil omnino prodeſſe, niſi ſerventur Legis ritus, frivolasque Rabbinorum interpretationes, extinguendæ fidei & pietati, quàm Fidelium inſtitutioni magis idoneas, inducunt. *Confitentur ſe noſſe Deum*, ejusque Legis obtemperare; *factis autem negant*, eversâ charitate, veritate, juſtitiâ, libertate denique, quam Chriſtus morte ſuâ hominibus comparavit. Deum toties factis negas, quoties ita agis, quaſi Deo non credas: Dei fœdus quodammodo abdicas, cùm potiſſima illius capita violas (f).

CAPUT II.

Quid docendi a Tito ſint ſenes atque adoleſcentes. Quod vitæ inſtitutum ipſi Tito ſervandum. Gratia hominem illuſtrat. Dei bonitas erga homines.

℣. 1. TU autem loquere quæ decent ſanam doctrinam:

℣. 2. Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientiâ:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Loquere quæ decent sanam doctrinam. Satis non eſt, ſana dogmata tradere, ait S. Hieronymus: ita tradenda ſunt, ut ipſis dogmatibus conveniat. *Tunc doctrina eſt ſanitas, cùm Doctoris doctrina pariter & vita conſentiunt.* Ne movearis aut indocili auditorum animo, aut malitiâ hoſtium, aut hominum metu, quominùs officio tuo ſatisfacias. Doce opportunè, importunè, cum ſuavitate & patientiâ.

℣. 2. Senes, ut sobrii sint. Græcis Patribus (a) *Sobrius* hoc loco eſt vigilans, ſedulus. At Latini Interpretes ex vocabuli ſono ſobrietatem intelligunt. Non rarò ſenes per imbecillitatis ſpeciem vino utuntur immodico. Lac ſenum apud Veteres vinum appellatur; abiitque in proverbium *aquila ſenectus*, ut ſenex modico quidem cibo, ſed multo potu abutens ſignificetur. Id tamen ſatis excuſationi non eſt bibacibus, quantumvis ætate decrepitâ. Sobrietas, temperantia, prudentia eam ætatem maximè omnium decet; in-

(c) *Hieronym. hic: Acquieſcamus paulisper Judæis, & eorum qui apud eos ſapientes vocantur, patienter ineptias audiamus, & tunc intelligemus quæ ſint Judaicæ fabulæ, ſine auctoritate Scripturæ, ſine allâ aſſertione rationis, &c. Theophyl. hic:* Αἱ δὲ παρεξηγήσεις, καὶ αἱ δευτερώσεις, ταῦτα μῦθοι.
(d) *Matt.* XV, 11, *& ſeq.*
(e) *Eſt. Men. Tirin.* (f) Vide *Rom.* I, 20; *&* 1 *Timot.* V, 8; *&* 2 *Timot.* III, 5.
(a) *Theodoret.* Νηφαλίους, Ἐγρηγορότας, καὶ νήφοντας. *Theophyl.* Νηφαλίους ἔφησεν, τοῦτ' ἐστι διηγρηγορημένους, ἐξῆς. *Hieronym. Senes ſobrios eſſe, ſive vigilantes; quia νηφάλιοι apud Græcos utrumque ſonat.*

Digitized by Google

℣. 3. Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, bene docentes:

℣. 4. Ut pruden. iam doceant adoleſcentulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant;

℣. 5. Prudentes, caſtas, ſobrias, domûs curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis; ut non blaſphemetur verbum Dei.

℣. 6. Juvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint.

COMMENTARIUS.

immodicumque vioum nocet magis valetudini, quàm proſit.

Sanam fidem; fidem integram, ſanam, & cujuslibet ſuſpicionis expertem colant. Dicere videtur S. Hieronymus, Fidei puritatem non modò in eo verſari ut credas, ſed ut veritates fidei & inſtitutionum Jeſu Chriſti exequare.

℣. 3. Anus similiter in habitu sancto, exteriori cultu ſanctitatem præſeferant. Sunt qui *anus* interpretentur (b) viduas, ſeu Eccleſiæ Diaconas. Vulgo tamen de fœminis grandævis uſurpatur (c). Has jubet Paulus (d) cultu eſſe compoſito & modeſto, *ut ipſe quoque coram inceſſus, motus, vultus, ſermo, ſilentium, quamdam decoris ſacri præferant dignitatem*, ait S. Hieronymus. Alii magis propriè uſurpant de veſtibus, quæ modeſtiam, gravitatem, decorem præſeferre debent (e). Confer 1 Timoth. II, 9. Græcum ita verti placet Hammondo; *Anus ita vivant, uti decet fœminas Eccleſiæ miniſteriis dedicatas*, ſive in eâ dignitate, qua ſecernuntur a vulgo, conſtitutas. Diaconas ſignificat. Hæc tamen explicatio cum reliquâ oratione non ſatis conſtare videtur.

Non criminatrices, non maledicas. Græca vox (f) propriè ſonat *calumniatrices*, quæ falſos rumores ferunt: at cùm obloquendi cacoëthes nunquam fermè a calumniâ & mendacio ſejungatur, calumnia frequenter pro obloquutione indiſcriminatim uſurpatur.

Non multo vino servientes (g). Mala habitudo ſervitus eſt. Anus vinoſæ dicuntur. *Vinoſior ætas hæc erat*, ait Ovidius. At eam ætatem eumque ſexum nihil vino & vinoſitate magis dedecet. *Quomodo poteſt docere anus adoleſcentulas caſtitatem, cùm, ſi ebrietatem vetulæ mulieris adoleſcentula fuerit imitata, pudica eſſe non poſſit* (h)?

Bene docentes. Græcum reddunt complures (i): *Honeſta docentes*, pudicitiam, religionem, modeſtiam. Ita doceant anus oportet cùm verbis, tum exemplo. Alibi vetat Paulus (k) fœminas docere; at publicis in cœtibus, ubi eas verba facere, & Evangeliſtæ munere fungi non patitur. Agitur hîc de privatis inſtitutionibus, quibus opus eſt matronæ creditas curæ ſuæ adoleſcentulas doceant (l). Ambitionem, immodeſtiam, levitatem, nugas ne doceant, ſed gravitatem, modeſtiam, pudicitiam.

℣. 4. Ut prudentiam doceant adolescentulas. Græca vox (m), quam Vulgata reddidit *prudentiam*, ſignificare poteſt *prudentiam*, *gravitatem*, *modeſtiam*, *temperantiam*, *pudicitiam*. Quamobrem verti poteſt: *Modeſtas eſſe doceant*, virtutumque ipſis convenientium amorem inſpirent.

Ut viros suos ament. Primum omnium hoc docendæ ſunt adoleſcentulæ. *Vult eas amare viros ſuos caſtè, vult inter virum & mulierem eſſe pudicam dilectionem*, ait S. Hieronymus (n).

℣. 5. Prudentes, castas, sobrias. Prior vox reddi poteſt (o) *modeſtas*, temperantes, pudicas, compoſitas; altera *caſtas*. At nihil in Græco eſt, quod τῷ *ſobrias* reſpondeat. Neque deſunt Libri complures Latini (p), qui τὸ *ſobrias* non legunt: alii (q) ſtatim poſt *prudentes* collocant; ex quo colligere eſt, *prudentes* & *ſobrias* ſynonyma eſſe vocabula, quibus latiſſima Græcæ vocis *ſophronas* ſignificatio explicatur.

Domus curam habentes. Græcus (r): *Domi manentes*. Dedecet mulierem, domo frequentiùs prodire, alieniſque negotiis implicari. Vide quæ diximus in 1 Timoth. V, 13. Modeſtam uxorem comparat Pſalmiſta (s) cum fœcundâ vite, domui mariti adhærente. Mulier fortis apud Salomonem (t) domeſticis tantum rebus occupatur.

Subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei. Nihil antiquius habent Judæi, Gentiles, Chriſtiani nominis hoſtes, quàm ut cauſas invidiæ in nos concitandæ, & undique odii, quo in nos flagrant, opportunitatem capiant. Quid illi dicturi ſunt, ubi Chriſtianas uxores incompoſitas, immodeſtas, arrogantes, inquietas, viris non morigeras viderint? Quid de maritis Gentiles & Judæi, ubi eorum uxores ita refractarias, ita iniquas, eſſe intellexerint? Quàm multa futura ſunt in Religionem ac Dei verbum maledicta? Ita ne, inquiunt, Religio illa eſt, quæ cæteras corrigere dicitur?

℣. 6. Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint, ſive modeſti, compoſiti, temperantes. Eadem recurrit vox (u), de qua in ſuperiori mem-

(b) *Quidam apud Hieronym. & Theophyl. Ham.*
(c) *Hieronym. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. alii.*
(d) Πρεσβύτιδας ὡσαύτως ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς. *Alii*: Ἱεροπρεπῆ. *Ita Clem. Alex. Vulg. Colb. 7, alii.* (e) *Chryſ. hic*: Ἐν καταστήματι, ἐν τῷ ἐσθῆτι. Τουτέστι ἀπ' αὐτοῦ τοῦ σχήματος, καὶ τῆς ἀναστολῆς δηλοῦσθαι τὴν κοσμιότητα. *Ita & Theophyl. Theodoret.* Ἱεροπρεπῆ την τῆς σεμνότητος ἐνδυμασίαν ἐκάλεσε. (f) Μὴ διαβόλους.
(g) Μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας.
(h) *Hieronym. hic.* (i) Καλοδιδασκάλους. (k) 1 *Timot.* II, 12; 1 *Cor.* XIV, 34.
(l) *Chryſoſt. Hieron. Theophyl. alii.* (m) Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας.
(n) *Hieronym. hic: Ut cum pudore & verecundiâ, & quaſi neceſſitate ſexûs, reddat potiùs debitum viro, quàm exigat ab eo; & opera liberorum ante oculos Dei & Angelorum perpetrare ſe credat.*
(o) Σώφρονας, ἁγνάς. (p) *Clarom. Lat. S. Germ. Lat. alii apud Brug.*
(q) *Codd. 8, e quibus unus Malmundar. eximius, Vulgatam exhibens, qualis erat ante Hieronymi Verſionem. Duo alii Lovanienſ. optimæ notæ apud Brug.* (r) Οἰκουρούς, *Domûs cuſtodes.*
(s) *Pſal.* CXXVII, 3.
(t) *Prov.* XXXI, 10.
(u) Τοὺς νεωτέρους σωφρονεῖν.

℣. 7. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate,

℣. 8. Verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

℣. 9. Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes,

℣. 10. Non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.

℣. 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus,

℣. 12. Erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo,

COMMENTARIUS.

membro, latiſſimæ ſignificationis.

℣. 7. In omnibus teipsum præbe exemplum. Satis non eſt, ſi doceat Epiſcopus, rectamque doctrinam tradat, Dei Legem calleat, dicendi facultate inſtruatur: opus eſt ſit gregis exemplum (x), & quidem *in omnibus*, vitæ inſtituto, moribus, modeſtiâ, pietate, temperantiâ, gravitate; ut cujuslibet ætatis, ſtatûs, conditionis homines in ejus exemplis inveniant quo in dies proficiant, & ad meliora impellantur. Niſi exempla verbis conſentiant, nullus ex auditoribus fructus feretur (y). Græcus typis vulgatus fert (z): *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum*, & habeto *in doctrinâ integritatem, gravitatem, puritatem*.

℣. 8. Verbum sanum, irreprehensibile. Fides tua & doctrina pura eſto, quæ argui erroris aut novitatis, ſperni, malam in partem flecti nequeat (a), niſi tamen inimici æquitatem omnem bonamque fidem exuerint; nihil enim eſt, quod invidia & mala fides non violent. Addit Apoſtolus: *Ut is qui ex adverſo eſt*, inimicus, *vereatur*, obruatur probro, *nihil habens malum dicere de nobis*. Sunt qui (b) *Eum qui ex adverſo eſt*, Dæmonem interpretentur. Plerique tamen explicant Eccleſiæ adverſarios, Judæos, Gentiles, qui in unum illud incumbebant, ut invenirent in moribus geſtiſque Chriſtianorum, præſertim verò Apoſtolorum & Evangeliſtarum, quid damnare poſſent, ut aliquis eſſet accuſationi, invidiæque illis apud populum creandæ locus.

℣. 9. Servos dominis suis placentes esse, obtemperare, ſe præſtare morigeros. Obſequium & obedientiam dominis debent ſervi in omnibus, ubi Legi ac voluntati Dei, qui dominus dominorum eſt, nihil repugnet (c). *Non contradicentes*. Commune ſervorum vitium eſt de dominis obloqui, eorum juſſionibus repugnare, mores & juſſa damnare. Iſta damnat Apoſtolus, jubetque Chriſtianum ſervum ab hujuſmodi vitiis abhorrere. *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, tamquam Chriſto* (d). Alibi (e): *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus.*

℣. 10. Non fraudantes (f), nihil furto auferentes. Servorum ingenium nunquam non furax & verſutum creditum eſt; ac peculiare illorum crimen, furtum. Cùm Judex quidam apud ſapientiſſimum virum laudaretur, quòd integerrimus eſſet, & nihil a quoquam acciperet, *reſpondit: Optimum ſervum faceret, ſi nec fugitivus eſſet. Intantum furti ſuſpicio ab omni libero debet eſſe aliena*, inquit S. Hieronymus.

In omnibus fidem bonam ostendentes. Græcus (g): *Fidem omnem oſtendentes bonam*. Syrus, & Theophylacti liber Vulgatæ favent. Fidem bonam, æquitatem, fidelitatem, pietatem, quibus ingenui Gentiles carent, e Chriſtianis ſervis exigit Paulus. Nihil hiſce artibus opportunius, *ut omnes doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent*, revereantur, *in omnibus*, ut hîc ſcribit Apoſtolus. Quantum enim admiratos credimus Gentiles Jeſu Chriſti inſtituta, quæ inſperatam adeò in ſervis converſionem parerent (h)?

℣. 11. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus. Græcus (i): *Apparuit gratia Dei, quæ ſalutaris eſt omnibus hominibus*. Nulla hominum conditio excluditur: beneficii participes ſunt Ingenuus, Servus, Judæus, Gentilis. Parata eſt omnibus hominibus ſalus. Prædica, doce, hortare indiſcriminatim omnes cujuſvis generis homines, & Evangelicam ſanctitatem ipſis etiam ſervis proponere ne formides. Hominum univerſorum pater & conditor eſt Deus (k). Illuſtrat Dei gratia & ſanctos efficit omnes, quibus animum aperit Deus, quique Dei bonitati ad ſalutem vocanti impedimenta non objiciunt.

℣. 12. Ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, quæ ab hujus mundi Principe inſpirantur; cùmque mundo ipſo firmiora non ſint, unâ cum mundo tranſeunt, & nebulæ inſtar

(x) *Hieron. hic: Nihil prodeſt aliquem exercitatum eſſe in loquendo, & ad loquendum trivisse linguam, niſi plus exemplo docuerit, quàm verbo.*

(y) *Theodoret.* Ὑπὸ γὰρ τῶν ἔργων μαρτυρούμενος ὁ λόγος, ἀξιόχρεως γίνεται.

(z) Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν. Eximii tamen libri complures omittunt ἀφθαρσίαν. *Chryſ. Clarom. S. Germ. G. L. Alex. Borner. Baroc. alii. Froben. Ald. Oecumen. Theophyl.*

(a) Λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον. (b) *Quidam apud Hieron. & Theophyl.* (c) *Hieronym. hic.*

(d) *Epheſ.* VI, 5, 6. (e) *Coloſſ.* III, 22, 23. (f) Μὴ νοσφιζομένους. *Hieronym. Non furantes. Alii: Nihil intervertentes, vel, ſuffurantes.* (g) Ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους ἀγαθήν.

(h) *Vide Hieron. Theophylact. Theodoret.* Ἔπαινος γὰρ τοῦ θείου κηρύγματος τὸ τοὺς οἰκέτας τοσαύτην δέξασθαι τῆς γνώμης μεταβολήν. (i) Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ, σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις. *Alii:* Τοῦ σωτῆρος. *Cyrill. Jeroſol. alii,* Τοῦ σωτῆρος ἡμῶν. *Ita Borner. G. L. Copht. Vulg. Calarit. Hieronym. Hieronymiſt. Ambroſiaſt. alii: Gratia Dei ſalutaris. Ita Clarom. & Germ. Lat.*

(k) *Vide Hieronym. hîc. alios.*

℣. 13. Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti,

℣. 14. Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.

℣. 15. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

COMMENTARIUS.

ſtat ad ſolis radios evaneſcunt (l). Horum finis ſunt gloria, opes, honores, ſæculi voluptates. Præcipit Chriſtiana Religio, ut ipſa abdicet, *ut vivamus in hoc ſæculo ſobriè (m)*, temperanter, modeſtè, compoſitè, *juſtè & piè*.

℣. 13. Expectantes beatam spem, et adventum Domini. Nullam in terris felicitatem aſſeclis ſuis promittit Chriſtiana Religio: ſpes omnis noſtra in alteram vitam fertur. Præſtolamur alterum Jeſu Chriſti adventum (n), qui ſeſe gloriâ fulgentem exhibiturus eſt, ut nos in vitam revocet, induatque immortalitate, & unicuique pro meritis reddat. Hæc verba, *magni Dei & Salvatoris noſtri*, ita explicant nonnulli (o), quaſi Patrem & Filium ad exercendum de mundo judicium venturos ſignificent. Plerique tamen interpretantur de Filio, cui paſſim Scriptura Judicis nomen & dignitatem tribuit (p): *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.*

℣. 14. Et mundaret (pararet) sibi populum acceptabilem. Dei Filius in terras veniens id ſibi propoſuit potiſſimùm, ut Eccleſiam ceu Sponſam labe carentem effingeret, pararetque ſibi ſanctam gentem, perfectoſque ſpiritu & veritate cultores. Græca vocabula (q), quæ hic redduntur *populum acceptabilem*, ſonant *populum peculiarem*, ſuum, ſuiſque obſequiis conſecratum, ſuum quodammodo familiarem, poſſeſſionem ſuam, ſuamque hæreditatem. Hujuſmodi erat ante Chriſtum Judæorum populus, quem Deus eâ benevolentiâ, quæ ſummo honori illi eſſet, ex univerſis gentibus ſelegerat, ut electum ſibi populum, ſuamque hæreditatem faceret (r): *Eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra; & vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens Sancta.* Nos per baptiſmum in veteris populi locum, ſed nobiliori quadam ratione, ſucceſſimus. *Vos genus electum*, inquit Petrus Apoſtolus (s), *regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, ſive redemptus, *ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.*

℣. 15. Hæc loquere ... cum omni imperio (t), tamquam ipſius Dei poteſtate indutus, ejus nomine loquens, ejuſque authoritate præcipiens. Cùm junior adhuc eſſet Titus, opus erat ut venerabilem ſeſe redderet hominibus ſibi commendatis; quamobrem monet illum Apoſtolus: *Nemo te contemnat*. Eam vivendi rationem inſtitue, ut tui ſpernendi occaſionem nemini præbeas. Tanta tibi ſit gravitas, ſapientia, modeſtia, ut vereantur te omnes, tibique obtemperent. Nonnulli Græcum reddunt (u): *Nemo te plus ſapere auſit*; vel nemo eâ ſit confidentiâ, ut te ſapientiorem ſeſe putet. Prior tamen interpretatio melior. Confer 1 *Timoth.* IV, 12: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Authoritatem tuam, & decora dignitati tuæ a Deo adjuncta, piè ſanctèque tuere. Qui te ſpernit, Deum, a quo conſtitutus es, aſpernatur.

CAPUT III.

Subjectio erga Principes. Ab omni malo abſtinendum. Vitanda quæſtiones. Hæreticos fuge. Titum rogat Apoſtolus, ut ad ſe veniat. Monet, ut bona opera ſedulò exerceat.

℣. 1. Admone illos, Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Principibus et potestatibus subditos esse. Cùm ſeditioſi complures eo tempore inter Judæos eſſent, ac præſertim Judæ Gaulonitæ Diſcipuli docerent, Hebræos uni Deo ſuæque gentis Principibus obtemperare debere, non alienis, externiſque, Paulus, ex Chriſti mente & inſtitutis (a), frequenter monet Fideles (b), debere illos terrenis ſubditos eſſe Principibus, quos ipſis præfecit Deus (c). Cùm autem Romani Imperatores tunc rerum potientes, & Provinciarum Præſides ab iis miſſi gentiles eſſent, ac poſſent aliqui monitis hiſce malè abuti, & colli-

lige-

(l) *Hieronym. hic: Sæcularia deſideria ſunt, quæ a mundi hujus Principe ſuggeruntur; & cùm ſint ſæculi, cum ſæculo hujus mundi pertranſeunt.*
(m) *Sobriè. Græc.* Σωφρόνως. (n) *Ita Chryſ. Hieronym. alii Græci, & Latini paſſim.*
(o) *Ambroſiaſt. Eraſm. Grot.* (p) *Joan.* V, 22; *Joan.* II, 35; XIII, 3; *Act.* XVII, 31; 1 *Petri*, IV, 5.
(q) Καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον. *Vide Hieronym. hic.*
(r) *Exod.* XIX, 5. 6. (s) 1 *Petri*, II, 9.
(t) Μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, *Cum omni injunctione.* Μετὰ ἀυθεντίας, ἀυθεντίας. *Theophyl.*
(u) Μηδείς σου περιφρονείτω. *Camera, Sculter.*
(a) *Matt.* XXII, 17 ... 21. (b) *Rom.* XIII, 1, 2, *& ſeq.* 1 *Timoth.* II, 1, 2; *&* 1 *Petri*, II, 13, 14, 16, 17. (c) *Hieronym. in hunc loc. Eſt. Men.*

℣. 2. Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.

℣. 3. Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitiâ, & invidiâ agentes, odibiles, odientes invicem.

℣. 4. Cùm autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei,

℣. 5. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti,

COMMENTARIUS.

ligere, parendum igitur eſſe Principibus, quidquid illi imperarent, adjecit quaſi explicationis loco: *Admone ad omne opus bonum paratos eſſe.* Nunquam non obtemperare parati ſint, modò imperata Legi Dei ejusque præceptis non repugnent. Si enim te juſſerint Principes idola venerari, aut Chriſtum Jeſum reſpuere, tunc reſpondendum eſt (d) Præſtat Deo parêre quàm hominibus.

℣. 2. Neminem blasphemare, neminem conviciis laceſſere. *Blaſphemare* (e) eſt maledicta in aliquem congerere, injurias & convicia pronunciare, denique calumnias & obloquutiones, præſertim famæ noxias, ſtruere. S. Hieronymus (f) de blaſphemiâ & maledicto interpretatur: Ne convicia proferant in hominem, Angelum, aliamve Dei creaturam. Author eſt Judas Apoſtolus (g), Michaëlem Archangelum, cum Diabolo pugnantem de Moyſis corpore, auſum non eſſe in illum *judicium proferre blaſphemiæ.* Eo quidem judicio digniſſimus erat Lucifer; at a Michaële pronunciandum non erat. Proclivior eſt prior interpretatio, & vulgo magis probata.

Non litigiosos (h), litium, rixarum, jurgiorumque inimicos. Concordiam cum omnibus ſervent, *non ſolùm cùm modeſtis, ſed etiam cum rixoſis; quia nulla virtus eſt ferre manſuetos* (i).

℣. 3. Eramus enim aliquando et nos insipientes. Quâ erat modeſtiâ ac demiſſione animi Apoſtolus, ſeſe peccatoribus, infidelibus, impiis admiſcet. Exemptus fuerat nedum idolorum ſuperſtitione, cæteriſque Gentilium flagitiis, verùm etiam vitiis inter Judæos graſſantibus. At nunquam non meminerat, ſeſe ante converſionem eſſe inſectatum Sanctos; ſeſeque admiſcens ingenti eorum, qui ad fidem vocati ſunt, multitudini, ait omnes olim fuiſſe peccati ſervos, ſuo quosque modo (k). *Inſipientes.* Hoc vocabulo ſignificantur ii potiſſimùm, qui in Gentilium Religione, ac Numinum cultu vivebant. *Increduli*, velut Judæi, qui acceptæ ex Deo Legi non obtemperabant. *Errantes* a veritatis tramite, umbras & figuras pro rebus ipſis ſectati; humanasque traditiones pro Dei Lege amplectentes. *Servientes deſideriis & voluptatibus variis.* Omnes in univerſum peccatores deſcribuntur.

Videtur nonnullis (l) Apoſtolus, cùm ait, *Eramus aliquando & nos inſipientes, &c.* non tam ſe intelligere, quàm eos qui ex Gentilibus vel Judæis vocati erant, quibus ſeſe admiſcet, tamquam ejusdem Eccleſiæ corporis membris. Quaſi dicat: Fideles mone, ut ſuavitate & modeſtiâ erga omnes utantur, præſertim verò erga externos, ac meminerint, quid olim ipſi ante converſionem fuerint, neque beneficio divinitus per Chriſtum accepto inſoleſcant. Olim eramus id quod illi ſunt: illi eſſe poſſunt id quod ipſi ſumus. Hoſtes ſunt, nosque inſectantur; cùm viſum fuerit Deo, amici erunt & fratres.

℣. 4. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. *Humanitas* hoc loco non ſignificat humanam Chriſti naturam in Incarnatione aſſumptam (m), ſed Dei charitatem & amorem erga homines (n), quâ ſuadente nos ille redemit, vocavit ad Fidem, divinis muneribus prævertit.

℣. 5. Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos. In univerſâ hominum naturâ, ſingulisque in hominibus nihil ſpectabat Deus, niſi mala merita, flagitia, odiique & contemptûs argumenta. At mero miſericordiæ ſuæ beneficio nos ille vocavit, & juſtos fecit. Non modò prior gratia, ſed cæteræ deinde omnes ab ipſo ceu fonte manarunt (o); ipſaque perſeverantia & beatitudo dona ſunt ipſius erga nos charitatis: at nihilominus ea eſt Divinæ erga nos miſericordiæ amplitudo, ut dum, divinâ ope & præveniente & opem ferente, gratiæ fideliter reſpondemus & cooperamur, *noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt Dei ipſius dona*, inquit Cæleſtinus Papa.

Per lavacrum regenerationis. Jeſu Chriſti Baptiſmo renaſcimur, efficimurque Dei filii, Cœli hæredes, qui olim eramus iræ ac vindictæ filii. *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei*, ait Chriſtus (p). Hoc porrò myſterium mente aſſequutus non eſt Nicodemus. Adeo merſi eramus malo, inquit Theophylactus (q), ut purgari non poſſemus, ſed regeneratione novâque formatione indigeremus. Quemadmodum domum vetuſtate collabentem non ſuſtinemus aut reſtauramus, ſed a fundamentis dirutam denuo ſtrui-

(d) *Theodoret. hic.* (e) Μηδένα βλασφημεῖν. *Theodoret.* Ἀντὶ τοῦ μηδένα ἀγορεύειν κακῶς. *Theophyl.* Μὴ λοιδορῶν. Καθαρὸν γὰρ εἶναι δεῖ τὸ στόμα ἀπὸ λοιδορίας.

(f) *Hieronym. hic: Neminem blaſphemare, non ſimpliciter accipitur. Nec enim ait: Neminem hominem blaſphemare; ſed abſolutè neminem; non Angelum, non aliquam creaturam Dei, &c.*

(g) *Juda*, ℣. 9. (h) Ἀμάχους, *Non pugnaces.* (i) *Hieronym. hic.*

(k) *Vide Theodoret. hic, & alios.* (l) *Quid. apud Hieronym. Grot.*

(m) *D. Bern. ſerm. 1 de Epiphan. D. Thom. alii quidam.* (n) Φιλανθρωπία.

(o) *Chryſ.* Ὁ γὰρ τοσαύτης ἡμᾶς πονηρίας ἀπαλλάξας, καὶ τοσούτων κακῶν ἔνδικον, ὅτι καὶ τῶν μελλόντων ἡμῖν μεταδώσει πάντων, ἐπιμένουσι τῇ χάριτι. *Theophyl.* Οὔτε ἐποιήσαμεν ἔργα δικαιοσύνης, οὔτε ἐσώθημεν ἐκ τούτων, ἀλλὰ τὸ πᾶν ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ ἐποίησεν. (p) *Joan.* III, 3, *& ſeq.*

(q) *Theophyl.* Οὕτως ἦμεν ἐν τῇ κακίᾳ βεβαπτισμένοι, ὡς μηδὲ δύνασθαι καθαρθῆναι, ἀλλὰ ἀναγεννήσεως δεηθῆναι... Ὥσπερ γὰρ οἰκίαν παμπάλαιον οὐχ ὑποστηρίζομεν, ἀλλὰ μέχρι τῶν θεμελίων καθαιροῦντες, ἐκ καινῆς κτίζομεν. Οὕτω καὶ ὁ Θεὸς οὐκ ἐπεσκεύασεν ἡμᾶς, ἀλλ' ἄνωθεν κατεσκεύασε.

℣. 6. Quem effudit in nos abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum:

℣. 7. Ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus, ſecundùm ſpem vitæ æternæ.

℣. 8. Fidelis ſermo eſt: & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona, & utilia hominibus.

℣. 9. Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; ſunt enim inutiles, & vanæ.

℣. 10. Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem, devita:

COMMENTARIUS.

ſtruimus; ita Deus non reſtauravit nos, ſed denuo condidit.

Et renovationis Spiritus Sancti (r); ſive *per renovationem Spiritûs Sancti*. Reverà homo in Baptiſmo nedum regeneratur per juſtificationis gratiam, verùm etiam effuſis in ejus animum Spiritûs Sancti donis novus efficitur. Deus verò Spiritûs Sancti dona in nos uberrimè effudit per Chriſtum Jeſum: *Quem effudit in nos abundè (s) per Jeſum Chriſtum*. Renovando homini & juſtificando Divina Trinitas tota manum admovet: Pater Spiritum ſuum infundit; Spiritus Sanctus interioribus exterioribusque donis cumulat; hæc denique munera atque hanc Spiritûs Sancti infuſionem Chriſtus Jeſus promeretur & comparat.

℣. 6. Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus, &c. Gratia, qua vocamur, illuſtramur, juſtificamur, ad bene agendum impellimur, hæredes quoque vitæ æternæ nos efficiet; Deus enim, dum meritis noſtris coronam bonisque operibus præmium largitur, ſua ipſe dona & beneficia coronat (t).

℣. 8. Fidelis sermo est, Quæ dixi (u), certiſſima ſunt præter omnem dubitandi locum; tuque nunquam ſatis laboraveris, ut hanc animi demiſſionem, gratam beneficiorum memoriam, & fiduciam Fidelibus inſpires. Videtur aliis (x) *fidelis ſermo* ad conſequentia referri. Illud eſt certiſſimum, in eoque Fideles confirmes volo, nimirum opus eſſe, ut ii, quibus fidem largitus eſt Deus, *curent bonis operibus præeſſe*, maximè ſoliciti ſint bene agere: fidem abſque bonis operibus non ſufficere; laborandum illis eſſe, ut electionem & vocationem ſuam bonorum operum exercitatione, moribusque Chriſto Jeſu & Chriſtianâ Profeſſione dignis certam efficiant.

Græcus explicari aliter poteſt (y): Hortare, ut honeſto aliquo labore occupentur, domum ſuam faciant honeſti alicujus opificii officinam (z), ne cui graves ſint. Eadem ſententia recurrit infra, ℣. 14. *Bona opera* non modò ſunt boni mores laude digni, ſed honeſtus labor, & utile opificium.

℣. 9. Stultas autem quæstiones, &c. Scatebat Creta Judæis, quorum alii Chriſto nomen dederant, alii Fidem impugnabant. Ex gentilibus ortum duxerat Titus, neque tam ſtudiosè callebat, quàm Judæi, curioſas quæſtiones de genealogiis, geneſeon temporibus, chronologiâ, variis lectionibus, aliiſque rebus ad Scripturæ criterium ſpectantibus, in quibus Judæorum ſtudia, vanitas, & curioſitas verſabantur (a). Vetat Paulus Titum ſectari quæſtiones hujuſmodi curioſas magis quàm utiles, quibus ſplendoris plus ineſt quàm veritatis. Has ille inutiles, vanas, inſulſas diſputationes nuncupat.

Profectò quæſtiones de verbis, temporibus, genealogiis, temporum notis, geographiâ, grammaticâ, vocabulorum ſignificatione, cæteriſque critices indagationibus, quanti ſunt, ſi cum moralibus inſtitutionibus Legis, vaticiniis ad Meſſiam ſpectantibus, doctrinâ Chriſti in Evangelio traditâ conferantur? Subtiles Rabbinorum explicationes, traditionum enarrationes, grammaticæ illorum artis nugæ quàm ineptæ ſunt, ſi eas cum Fidei noſtræ capitum & Jeſu Chriſti dogmatum majeſtate compares? Vide dicta in *1 Timoth.* 1, 4: *Neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis, quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei*. Et *2 Timoth.* 11, 23.

℣. 10. Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem (b) devita, Hæreticus eſt, qui ſententiam recto dogmati contrariam cum pertinaciâ tuetur, & mavult ab Eccleſiâ ſejungi, quàm illius decretis & diſciplinæ ſubjici. Siquis ad eas partes tranſierit, ac ſemel & bis ſuaviter monitus vinci renuit, & pertinax in errore perſeveret, vitanda eſt illius conſuetudo, iſque deſerendus ceu pernicioſus impatienſque diſciplinæ. Cum hujuſmodi hominibus ne quæſtionem feras; hi enim nullam rationem percipiunt: *Subverſus eſt proprio judicio condemnatus*. Ubi aliter ſenſerit ac Eccleſia & Eccleſiæ Paſtores, ſtatim ſuo ipſius ore damnatur. Te errare credit, inquit S. Hieronymus, ſpretiſque iis quæ a te dicuntur, in illud ſolummodo incumbit, ut te fallat, ſuamque in ſententiam trahat.

(r) Διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου. Reddi poteſt: *Per lavacrum regenerationis, & renovationem Spiritûs. Ita Hieronym. Chryſ. Syr.*

(s) Πλουσίως. *Hieron. Opulenter. Aug. de grat. & lib. arbit. c. 5: Ditiſſimè.*

(t) *Epiſt. Celeſtini 1; Concil. Trid. ſeſſ. 6, c. 16.* (u) *Hieronym. Chryſ. Theodoret. Eſt. Scult. alii.*

(x) *Ambroſiaſt. Theophyl. Grot.*

(y) Ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐστασθαι. (z) *Grot. Hamm. Scultet. Le Clerc.*

(a) *Hieronym. hic: Judæi ab exordio Adam, usque ad extremum Zorobabel, omnium generationes ita memoriter velociterque percurrunt, ut eos ſuum putes referre nomen. Hæc nos ſi fortè non ita novimus, putant ſe in nominibus referendis, & in ſupputationibus annorum, & in nepotibus, & abnepotibus, avis, proavis, & atavis doctiores. Vide Eſt. Grot. Men. &c.*

(b) Μετὰ μίαν, καὶ δευτέραν νουθεσίαν. *Clarm. & S. Germ.* Μετὰ μίαν, καὶ δύο, *Poſt unam correptionem & duo, devita.*

℣. 11. Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio judicio condemnatus.

℣. 12. Cùm miſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare.

℣. 13. Zenam legisperitum, & Apollo ſolicitè præmitte, ut nihil illis deſit.

℣. 14. Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi.

COMMENTARIUS.

Veteres quidam hîc legunt: *Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita*. S. Irenæus (c), Tertullianus (d), S. Cyprianus (e), S. Ambroſius (f), S. Fulgentius (g), Lucifer Calaritanus (h), nonnulla Græca Exemplaria ætate S. Hieronymi, Ambroſiaſter non legebant *& alteram*. Satis eſſe cenſebant, ſi moneretur ſemel Hæreticus aut argueretur; alterâ tertiâve admonitione ferociorem fieri & pervicaciorem. At Vulgatæ lectionem ferunt noſtrâ ætate libri omnes tum manu exarati tum typis editi Græci ac Latini, vetuſtique Patres plerique.

℣. 11. Sciens quia subversus est. Si poſt alteram monitionem te spreverit, ipſum deſtitue. Tametſi illi non perſuadeas, illumque diſertè ipſe non damnes, ſatis *proprio judicio condemnatur*. Illum accuſant errores ſui; ſatisque manifeſta eſt illius pervicacitas, cùm neque argumentis tuis neque Eccleſiæ authoritate vincatur. Ignorantiam aut imbecillitatem cauſari nequit, cùm veritati cognitæ ſciens prudensque repugnet, Eccleſiæ unitatem ſcindit, ſectamque aliam a cæterorum Fidelium ac Paſtorum cœtu inſtituit: quamobrem ſe ipſo quodam anathematis genere percellit (i), dum diſcedit a Fidelium cœtu, duriſſimamque ſententiam, qualem jure ſuo etens vix ferre poſſet Eccleſia, in ſe ipſe pronunciat. Cùmque anathema ſit damnationis æternæ præludium, quæ ſpes ſupereſt homini, quem tam terribilis pœna non terret (k)?

℣. 12. Cum misero ad te Artemam, &c. Cretâ pertranſiens Apoſtolus, Titum ibi reliquit, ac fortè etiam Zenam & Apollo, ut ejus Inſulæ Chriſtianos docerent ac moderarentur. Inde profectus in Judæam, reverſus eſt in Aſiam, inſtitutas a ſe Eccleſias inviſens. Hiemare decrevit Nicopoli Epiri urbe ad Ambraciæ Sinum (l), vel Nicopoli Thraciæ (m), in finibus Macedoniæ, ad Neſſum flumen. Putat etiam S. Hieronymus, Apoſtolum jam fuiſſe Nicopoli, cùm hanc Epiſtolam daret. Quidquid ſit, Titum monet, cupere ſe, ut is quoque Nicopolim veniat; vetat tamen a Cretâ diſcedere, antequam Artemas, in regimen ſucceſſurus, perveniat; Cretam enim Paſtore carentem relinqui non oportebat.

Videtur Chryſoſtomo (n) Apoſtolus optaſſe apud ſe Titum habere per hiemem, quo altiùs in Religionis ſcientiâ & Epiſcopi officiis illum inſtitueret. Artemam in alio Scripturæ vel Hiſtoriæ loco non legimus: at cùm Paulus ad Cretæ inſulæ regimen, Tito abſente, illum deſtinaverit, inſigni virtute præditum fuiſſe intelligimus.

℣. 13. Zenam legisperitum, et Apollo. Mittendi quoque Nicopolim ad Apoſtolum erant Zenas & Apollo: at minimè neceſſe erat, ut Artemæ ſeu Tychici adventum præſtolarentur; licebatque iis diſcedere cùm liberet. Addit Apoſtolus: Cura, *ut nihil illis deſit* ad itineria commeatum. Æquum erat, ut, cùm Evangelii cauſâ laborarent, iis ſuppeditaretur a Fidelibus quidquid opus illis erat in itinere a Cretâ Nicopolim. Notiſſimus eſt Apollo; de eoque non ſemel egimus in Acta (o), & primam ad Corinthios Epiſtolam (p). *Zenam juriſconſultum* hoc tantùm loco Scriptura nominat; nihilque de eo novimus, niſi quòd vir Apoſtolicus fuerit, & ortu fortaſſe Judæus. *Juriſconſultus* (q) hoc loco idem eſt ac *Legis Doctor* ſeu *Legisperitus* apud Evangelium; homo nimirum Judaicarum Legum ſcientiſſimus.

℣. 14. Discant autem et nostri bonis operibus præesse, præſtare. Quid ſit, *bonis operibus præeſſe* (r), vidimus ſupra, ℣. 8; ſtudioſè ſcilicet alacriterque bona opera perſequi; exercere certatim mutua officia & charitatem; ſive, bona opera publicè profiteri, quaſi totum hominis decus, officium, voluptas ſint. Sunt (s) qui aliter interpretentur: *Diſcant noſtri*, Fideles, *honeſtis opificiis operam dare*, ut victum ſibi labore comparent, vitentque otium, ac turpem Cretenſium

(c) *Iren. l. 3, c. 3.*
(d) *Tertull. præſcript. c. 6, & 16.*
(e) *Cyprian. Ep. 59; & l. 3 teſtim. § 78.*
(f) *Ambroſ. l. 2 de Abrah. c. 6; & lib. 7 in Luc. c. 3, 4.*
(g) *Fulgent. l. 2 ad Monim. c. 5.*
(h) *Calarit. p. 219.*
(i) *Hieronym. Hæretici in ſemetipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio de Eccleſiâ recedentes; quæ receſſio propria conſcientia videtur eſſe damnatio.*
(k) *Vide Eſt. Hamm. Grot.*
(l) *Hieronym. Baron. Uſſer. Tillemont. Eraſm. Eſt. Ligf.*
(m) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Capell.*
(n) *Chryſoſt. in Tit. homil. 6.*
(o) *Act. XVIII, 24; XIX, 1.*
(p) *1 Cor. I, 12; III, 4; XVI, 12.*
(q) Ζηνᾶν τὸν νομικόν. *Vide Matt.* XXII, 35: Εἷς ἐξ αὐτῶν νομικός. *Luc.* VII, 30: Οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοί. *Idem*, X, 25; XI, 45, 46, 52; XIV, 3.
(r) Καλῶν ἔργων προΐστασθαι.
(s) *Grot. Price. Hamm. Le Clerc, Sculter.*

℣. 15. Salutant te qui mecum ſunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

ſum notam, qui *ventres pigri* nuncupantur: curent necoi ſint graves, ſibique neceſſaria labore parent: *Ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi*. Optima videtur & maximè proclivis hæc explicatio. Ita interpretantur Patres (t), quaſi jubeat Paulus neceſſarias res Zenæ & Apollo abundè præberi: idque *bonum opus* dicitur, quòd opus ſit charitatis & corporalis miſericordiæ.

℣. 15. Saluta eos qui nos amant in fide; Fideles verè Fideles, & veritatis amicos; ſive *eos qui nos verè amant*, veros conſtantesque amicos (u). Denique dici poteſt, diſcrimen ponere Apoſtolum inter amicitiam quæ in fide, per fidem, juxta fidem eſt, & amicitiam quæ ex naturâ, iogenio, ſimilitudine proficiſcitur, eam denique quæ vulgo inter amicos cernitur. Amicitia, de qua Paulus, ob Dei gratiam eſt, nititurque charitate ac pietate. Chriſtianus homo propinquos, amicos, inimicos amat charitate fidei (x): in ſingulis quippe Dei imaginem, dona, opus, præceptum ſpectat.

Græca Exemplaria in calce Epiſtolæ hanc epigraphen ferunt: Epiſtola *ad Titum, Cretenſium Eccleſiæ primum Epiſcopum ordinatum, ſcripta eſt Nicopoli Macedoniæ*. Addit Syrus; Miſſa *per Zenam & Apollo*. Libri veteres multi legunt ſolummodo (y): Epiſtola *ad Titum ſcripta eſt Nicopoli*. Omittunt *Macedoniæ*, & *primum Cretenſium Eccleſiæ Epiſcopum ordinatum*. Græci tamen & Latini in eo conſentiunt, ſcriptam eſſe Nicopoli. Alii ſubſcriptionem penitus omittunt. Vide Præfationem.

IN

(t) *Hieron. Chryſ. Theodoret. Theophyl.*

(u) *Grot. Eſt. Men. Theophyl.* Ἡ τῆς φιλίας αὐτὸν πιστῶς, καὶ ἀδόλως, ἢ τῶν ἀγαπῶντας αὐτὸν πιστῶς, ἤτοι χριστιανῶς. (x) *Hieronym. Sola Sanctorum delectio in fide diligit; in tantum ut etiam ſi ille qui diligitur, infidelis ſit, tamen Sanctus in fide eum diligat, &c.*

(y) *Alex. Petit. 1. Syr. Arab. & alii quidam.*

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Titum.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI *AD* PHILEMONEM

PROLEGOMENON.

PHilemon, locuples Coloſſenſis, ab Epaphrâ Pauli Diſcipulo Fide initiatus eſt. Oneſimus Philemonis ſervus, quibusdam rebus hero ſurreptis, ab eo profugus (*a*), Romam ad Paulum primis ibi vinculis devinctum migravit, eique ſtudioſum adeò famulatum exhibuit, ut diligentiùs ipſe Philemon impendere minimè valeret. Paulus verò de fugâ & furto Oneſimum ſuaviter increpatum, myſteriis deinde Fidei imbutum, baptiſmo initiavit; paulòque pòſt unâ cum hac, quam modò explanamus, Epiſtolâ ad Philemonem remiſit.

Hac profectò in Epiſtolâ mira Apoſtoli eloquentia plurimùm elucet (*b*), qua Paulus Philemonem undique adigit, ut Oneſimo veniam indulgeat. Authoritatem precibus, preces laudibus, religionem, honeſtatem grati animi interſerens, vivida adeò & convincentia adhibet argumenta, ut ad dominum cum ſervo conciliandum nihil fieri reliquum poſſe arbitremur. Optimè res ceſſit. Philemon non modò Oneſimum humaniter excepit, verùm etiam paulò pòſt ad Paulum Romam remiſit, ut ei carcere detento ſtudioſiſſimè inſerviret: qui deinde Epiſtolis deferendis ab Apoſtolo adhibitus, unâ cum Tychico literas ad Coloſſenſes detulit; quibus etiam Romanæ Eccleſiæ res, & Apoſtoli præſertim, aperuit, cùm Apoſtolus vinculis, quibus paulò poſt ſolutus fuit, adhuc detineretur.

Cùm Appia uxor, cæterique domeſtici Fidei nomen dediſſent, Philemon ædes ſuas Eccleſiam fecerat, ſeque Fidelibus patrem & refugium præſtabat: quare Apoſtolus ejus fidem, charitatem, liberalitatemque commendat. Philemonem cum uxore Appiâ, & Ariſtarcho amico, ſub Nerone in Martyrologiis & Menologiis, ubi etiam die XXII Novembris ejus memoria colitur, martyrium conſummaſſe legimus (*c*). Theodoreti ætate (*d*), Philemonis domus Coloſſis adhuc cernebatur.

Theodoretus (*e*) ab Archippo Philemonem Fidei myſteriis initiatum putat; nos verò probabiliùs ab Epaphrâ Coloſſarum Epiſcopo; niſi tamen domicilium Epheſi ei fuerit, id quod Grotius aſſerit (*f*): ſi enim Epheſi morabatur Philemon, ab ipſomet Paulo inſtitutus fuit, idque iis Pauli verbis innui videtur (*g*): *Ut non dicam tibi quòd & te ipſum mihi debes*. Saltem verſari potuit Epheſi Philemon, cùm Paulus ibi Evangelium nunciaret, vel alibi Apoſtolum audire, præterquam Coloſſis (*h*), quò Paulus non perrexiſſe ante hoc tempus, & ubi Philemon, cùm Apoſtolus hanc ad eum Epiſtolam ſcriberet, domicilium habuiſſe videtur.

Oneſimus verò, quem Paulus veluti ſuorum vinculorum trophæum oſtentabat, & Philemon Apoſtolo reliquerat, Diaconus, ſeu Chriſti Eccleſiæ miniſter ab Apoſtolo conſtitutus, Evangelicis miniſteriis ſe prorsus addixit (*i*). Apoſtolorum Conſtitutiones tradunt, illum Berœæ in Macedoniâ Epiſcopum ab Apoſtolo initiatum (*k*). Quædam Martyrologia Oneſimum non alium ab eo eſſe ferunt, cujus tamquam Epheſiorum Epiſcopi meminit Martyr Ignatius anno Chriſti CVII: cujus tamen ſententiæ validum nullum eſt argumentum (*l*). In Martyrologiis Apoſtolus dicitur, & Martyrio conſumptus.

Hanc ad Philemonem Epiſtolam eodem, quo illam ad Coloſſenſes, tempore ab Oneſimo delatam, Hieronymus cenſet (*m*). Theodoretus verò (*n*), & Interpretes cæteri, poſtquam Oneſimus Romam ſecundò redierat, eum ab Apoſtolo datam ad Coloſſenſes tuliſſe probabiliùs exiſtimant. Cùm Marcionitæ, Tertulliano teſte (*o*), reliquas Pauli Epiſtolas vitiaverint, hanc incolumem excepere. *Soli huic Epiſtolæ brevitas ſua profuit, ut falſarias manus Marcionis evaderet.* Iisdem ferè verbis rem narrat Hieronymus (*p*): *Pauli Epiſtolam ad Philemonem, ſaltem, Marcione authore, doceantur; qui cùm cæteras Epiſtolas ejusdem vel non ſuſceperit, vel quædam in his mutave-*

(a) *Vide Philem.* ℣. 18. *Chryſoſt. Prolog. alii.*

(b) *Scultet. hic: Si quid in genere ſuo ſcite admirandum eſt, certè hæc Epiſtola eſt. In iſtâ enim brevitate ſingulis ferè verbis ſingula argumenta ſunt ſubjecta.*

(c) *Vide Caniſ. t. 2, p. 918, Martyrol. Rom. 22 Novembr.*

(d) *Theodoret. in Philem. Prolog.*

(e) *Theodoret. ad* ℣. 1.

(f) *Grot. ad Philem.* ℣. 1.

(g) *Philem.* ℣. 19.

(h) *Cajet. Eſt. ad* ℣. 18.

(i) *Hier. Ep. 62, c. 2.*

(k) *Conſtitut. l. 7, c. 46.*

(l) *Vide* Tillemont not. 70 ſur S. Paul.

(m) *Hier. ad* ℣. 2.

(n) *Theodoret. ad* ℣. 14.

(o) *Tertull. l. 5 contr. Marcion. c. ult.*

(p) *Hier. proœm. in Philem.*

taverit atque corroſerit, in hanc ſolam non eſt auſus manus mittere, quia ſua illam brevitas defendebat. Hanc nihilominus a Marcionitis penitus vitiatam, Epiphanius queritur [q].

Olim nonnulli [r] de hujus Epiſtolæ authoritate ambigebant; eamque ſine peculiari Spiritûs Sancti afflatu ab Apoſtolo exaratam exiſtimabant, utpote quæ non ad totam Eccleſiam, ſed ad privatum Apoſtoli negotium pertineret: fortaſſe etiam neque a Paulo ſcriptam: nullius eſſe momenti, cùm ſolam profugi ſervi domino ſuo commendationem ferat. At Patres, ut infirma hæc argumenta everterent, & Criticis ora obſtruerent, oſtenderunt, fidem ab Eccleſiâ huic, veluti ab Apoſtolo per Spiritûs Sancti afflatum exaratæ, ſemper habitam; ipſumque Marcionem eam ab Apoſtoli Epiſtolis nunquam rejeciſſe: non a libri magnitudine authoritatem creari, cùm Prophetarum quorumdam ſcripta nihilo prolixiora hac Epiſtolâ in Veteri Teſtamento occurrant: Spiritum Sanctum non minùs ſeſe præſto exhibuiſſe Apoſtolo, cùm ad Fideles ſcribens, comitatis & grati animi officia expleret, quàm cùm de ſublimioribus myſteriis loqueretur: pauciſſimas denique Pauli Epiſtolas tamquam canonicas accipiendas eſſe, ſi earum ſingulæ, quæ privata Apoſtoli negotia tractant, rejiciendæ ſunt: poſtremò plurima ſervis, & dominis, & Epiſcopis erga ſubditos utiliſſima, & Fidelibus omnibus ad ſolatium & inſtitutionem accommodata, eâdem hac Epiſtolâ deſcribi.

(q) *Epiphan. contr. hæreſ. l. 1, c. 42, n. 9.*

(r) *Quidam apud Hieron. Proœm. in Ep. ad Philem. item & alii apud Chryſoſt. & Theophylact.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIUS LITERALIS IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

Philemonem hortatur, ut recipiat Oneſimum ſervum fugitivum, qui Romam veniens, baptiſmum ex Apoſtolo acceperat.

℣. 1. PAulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater; Philemoni dilecto, & adjutori noſtro,

℣. 2. Et Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ, quæ in domo tuâ eſt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PAULUS VINCTUS JESU CHRISTI (a). Romæ in vinculis erat Paulus, imperante Nerone, anno Chr. LXI, cùm hanc Epiſtolam daret. Vinculorum ſuorum meminit, quo ſuaviùs Philemonem moveat ad dandam Oneſimo veniam, cujus gratiâ Epiſtolam ſcripſit. *Neceſſaria authoritas vinculorum*, ait S. Hieronymus. *Rogaturus pro Oneſimo, talis rogare debuit, qui poſſet impetrare quod poſceret.* Adjicit Timotheum tamquam alterum interceſſorem, Philemoni notum, utpote popularem, ac præterea in Eccleſiâ nobiliſſimum, individuum itinerum Pauli ſocium, ac tunc Romæ cum Paulo verſantem.

PHILEMONI DILECTO ET ADJUTORI NOSTRO. Philemonis hiſtoriam in Præfatione dedimus. *Dilectum*, amicum ſcilicet, Apoſtolus nuncupat, non quòd ipſe illum aut præſens viderit, aut ad Chriſtum traduxerit, ſed quòd de nomine cognoverit, ejusque converſioni per Epaphram Diſcipulum ſuum ſervierit. *Adjutorem* ſeu cooperatorem nominat, quòd fortaſſe is munere aliquo in Coloſſenſi Eccleſiâ fungeretur, aut, Apoſtoli exemplo, in Evangelii prædicationem & converſionem Gentilium incumberet.

℣. 2. ET APPIÆ SORORI CHARISSIMÆ; ſivè *Apphia* (b), vel *Apphindi* (c), ſeu *Amphia* (d), ex quorumdam librorum fide. Græcus vulgatus non habet *ſorori*. Optima & vetuſtiſſima Græca Exemplaria (e) ferunt abſoluiè: *Apphia ſorori*. At S. Hieronymus, Ambroſiaſter, vetus Scholiaſtes ſub nomine S. Hieronymi, Vulgatæ aſſentiuntur. Animadvertit Teodoretus (f), damnari a nonnullis adjunctum illud, *Apphia chariſſima*, quaſi Apoſtoli gravitatem dedeceat. At nemo, niſi mente perversâ fuerit, male affici eo vocabulo poteſt; quippe quod nihil niſi honeſtiſſimum graviſſimumque ſignificet. Chariſſimam dicit Appiam, quia fidelem & virtute conspicuam. Illud quoque animadvertunt Chryſoſtomus ac Theodoretus, Apoſtolum præter morem ſalutem dicere uxori Philemonis (g) in fronte Epiſtolæ, ut illam Oneſimo ſervo propitiam faciat.

ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO, Diacono, ſeu Presbytero, ſive etiam Epiſcopo Coloſſenſis Eccleſiæ, in qua Philemon (h). Conſtitutiones Apoſtolorum (i), aliique nonnulli Epiſcopum Laodiceæ in Phrygiâ fuiſſe tradunt. At multo credibilius eſt, ipſum Coloſſis eſſe verſatum, non uti Epiſcopum quidem, eâ enim digni-

(a) Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Quidam*: Ἀπόστολος Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Ita Clarom. & S. Germ. G. L. Med. alii*: Δοῦλος Χριστοῦ Ἰησοῦ. *Ita Genev. Cov. 4, apud Mill.* (b) *Græc.* Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ. (c) *Apphiadi. Clar. & S. Germ. Lat. Gr.* Ἀφφίᾳ. (d) *Borner. G. L. Reg. 2.* (e) *Alex. Clarom. S. Germ. Borner. GG. LL. Copht. Colb. 7, Cov. 2.* (f) *Theodoret. hic*: Μηδεὶς δὲ θαυμαζέτω, εἰ καὶ προσκέκλεισι νῦν τινες τῷ ὀνόματι τούτῳ. Οἱ γὰρ κακῶς κεχρημένοι τῷ πράγματι τῇ προσηγορίᾳ τὴν λοιδορίαν προσῆψαν. Πάλαι δὲ σεμνὸν τὸ ὄνομα, καὶ ἀξιέπαινον ἦν. (g) *Chryſoſt. Theodoret. hic, Gentil. alii.* (h) *Hieronym. Chryſ. Theodoret. Theophyl. alii paſſim.* (i) *Conſtitut. l. 7, c. 46.*

Digitized by Google

℣. 3. Gratia vobis, & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.

℣. 4. Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis,

℣. 5. Audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes Sanctos:

℣. 6. Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.

℣. 7. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in charitate tuâ; quia viſcera Sanctorum requieverunt per te, frater.

℣. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi, quod ad rem pertinet:

℣. 9. Propter charitatem magis obſecro, cùm ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti:

COMMENTARIUS.

gnitate tunc temporis potitum credimos Epaphram (k), ſed tamquam Presbyterum, moderantemque ejus Eccleſiæ res pro Epaphra, qui tum Romæ apud Apoſtolum morabatur (l). Proximo deinde anno Apoſtolus, datis ad Coloſſenſes literis, jubet moneri Archippum, feriò perpendat, quid muneris datum ſibi a Deo fuerit, ut omnibus illius officiis planè ſatisfaciat. Græci Archippum feſto die colunt ad d. x Kal. Decembris, & Martyrio functum ajunt Coloſſis imperante Nerone. Latina Eccleſia ad d. xiii Kal. Aprilis Archippum veneratur.

Et Ecclesiæ, quæ in domo tua est. *Eccleſiam* nuncupat Philemonis familiam (m). Compertum eſt, olim in locupletum domibus ingentem fuiſſe familiam, quæ minoris reipublicæ ſpeciem exhiberet. Quamplurimos poteſt Apoſtolus erga Oneſimum conciliat, comparatque illi vel e ſervis ac familiaribus Philemonis interceſſores (n).

℣. 3. Gratia vobis et pax. Amicitiâ & pace vos proſequatur Deus; animi tranquillitate, omnibusque fortunis & proſperis rebus cumulet. At quale beneficium ſperes, niſi pepereceris fratri? Quod pacis genus præſtolere, niſi cum fratre concilieris (o)?

℣. 5. Audiens charitatem tuam et fidem; fidem erga Dominum Jeſum, charitatem erga ſanctos. Deo grates ago, quòd illuſtrem adeò fidem flagrantemque charitatem in te accenderit Deus; quarum fiduciâ moveor, ut te placare ſtudeam Oneſimo, quem remitto. Is nunc in cenſu eſt Sanctorum atque Fidelium, quos tu tam profusâ charitate proſequeris.

℣. 6. Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat. Non ſemel vidimus, *communicationem* (p) ab Apoſtolo uſurpari pro liberalitate & largitionibus, quæ erga pauperes exercentur. Pro, *evidens fiat*, Græcus legit (q): *Sit efficax*, vel operoſa, factis conſpicua. At Vulgatæ lectio nobiliorem ſententiam reddit, magiſque ſervit propoſito Apoſtoli (r), optantis, ut Philemonis liberalitas omnibus conſpicua fiat omnium bonorum operum exercitatione: *In agnitione omnis boni*. Fides enim ſine operibus mortua eſt (s).

℣. 7. Gaudium et consolationem. Græcus fert (t): *Gratiam & conſolationem*. Eximii tamen libri, & plerique Patres favent Vulgatæ, quemadmodum & Syriaca, Arabica, Cophtica; & melior ſententia ex eâ elicitur, quàm ex Græco vulgato. Credibile erat, Apoſtolum gaudio & ſolatio perfundi, quòd charitatem erga Sanctos a Philemone exerceri intelligeret. *Quia viſcera Sanctorum requieverunt per te*; viſcera fame extenuata, animus ærumnis oppreſſus ex largitionibus tuis ſolatium accepere. Mentes Sanctorum mœrore obrutæ ſolatium malis, & in rebus anguſtis ſubſidium in te nactæ ſunt.

℣. 8. Imperandi tibi quod ad rem pertinet, id quod tui officii eſt. Uti poſſem authoritate meâ, & tamquam Jeſu Chriſti Apoſtolus tibi præcipere, ut Oneſimum & domi reciperes, & in amicitiam rurſus admitteres; nihil certè poſtularem, quod juſtum & conveniens non eſſet: *Quod ad rem pertinet*, ſive ex Græco (u), *quod decens eſt*, vel, *quod tui officii eſt* (x), nimirum ut recipias ſervum fugitivum, qui ad te meliori mente & pœnitens facti revertitur.

℣. 9. Propter charitatem magis obsecro. Charitas, qua te complector, ſuadet, ut obſecrem potiùs quàm utar authoritate, tametſi talis ſim, qualis tu, ſcilicet ego *Paulus, ſenex, & nunc vinctus Jeſu Chriſti*, ſive ob Jeſum Chriſtum (y). Tres cauſæ ſunt, ob quas exigere poſſem, ut Oneſimum reciperes; *Paulus Apoſtolus*

(k) *Vide Coloſſ.* i, 7; *&* iv, 12. (l) *Philemon.* ℣. 23.

(m) *Chryſ. Theodoret. Eſt. Grot. Confer Rom.* xvi, 5; 1 *Cor.* xvi, 19; *Coloſſ.* iv, 15.

(n) *Theodoret.* Ἵνα καὶ οἱ οἰκέται τῆς ἀποστολικῆς ἀξιωθέντες τιμῆς, συνεργοὶ τῆς παρακλήσεως γένωνται. *Vide & Chryſ. Hieron. Eſt. Tir.* (o) *Vide Chryſ. Theophyl.*

(p) Κοινωνία πίστεως. *Theophyl.* Ἐλεημοσύνην καλεῖ, ὡς ἀπὸ πίστεως πολλῆς γενομένην.

(q) Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται. *Quidam*: Ἐναργὴς, *evidens*. *Ita Velez. & Hieronym. Clarom. Lat. S. Germ. Lat. Hieronymian.* Ita *Latini plerique omnes*. *Ambroſiaſter*: *Accepta*. (r) *Mill. var. Lect. hic*, *Eſt.* (s) *Jacob.* ii, 20, 26.

(t) Χάριν γὰρ ἔχομεν πολλὴν, καὶ παράκλησιν. *Alii*: Χαρὰν . . . καὶ παράκλησιν. *Ita Alex. Clarom. Vechel. altera Edit. Laud.* 2. *Petit.* 2, *Colb.* 7, *Barb.* 1, *alii apud Mill. Syr. Arab. Cophr. Clarom. Lat. S. Germ. G. L. Borner. G. L. Copht. Ambroſ. Hieron. Chryſ. &c. Theophyl.* Χάριν, τινὲς, χαράν. (u) Ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον. *Chryſ.* Τὸ εὔλογον. *Oecum.* Τὸ πρέπον.

(x) *Eraſm. Pag. Caſtal. Illyr. Tig. Mont. Grot. Gentil. Men. Tir.*

(y) Δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ, Vinctus, qui Chriſti eſt: homo Chriſti, qui in vinculis eſt.

℣. 10. Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo,

℣. 11. Qui tibi aliquando inutilis fuit, non autem & mihi, & tibi utilis,

℣. 12. Quem remiſi tibi. Tu autem illum, ut mea viſcera, ſuſcipe:

℣. 13. Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii:

℣. 14. Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.

℣. 15. Forſitan enim ideò diſceſſit ad horam a te, ut æternùm illum reciperes:

℣. 16. Jam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, maximè mihi; quantò autem magis tibi, & in carne, & in Domino?

℣. 17. Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me:

COMMENTARIUS.

Jeſu Chriſti; Paulus ſenex (z), adeoque dignus, cujus rationem non minimam habeas; denique *Paulus vinctus Jeſu Chriſti*, ob Chriſti fidem, atque hoc potiſſimùm nomine peculiari benevolentiâ & obſequio dignus. Hæc tamen omnia prætereo, ut ad te ſupplex accedam. Non Apoſtolus rogat, non ſenex, non vinctus: Paulus ipſe flagitat, per charitatem, quam erga Sanctos omnes exerces, ut ne ſævum te præbeas Oneſimo, olim ſervo tuo, nunc fratri.

℣. 10. Pro meo filio, quem genui in vinculis. Animadverte, nondum nominatum eſſe ab Apoſtolo Oneſimum: locos priùs ille efficaciſſimos ad flectendum Philemonis animum tentat, quàm odioſum ſervi nomen proferat. Filium meum ad te mitto, & filium multo chariſſimum, quòd illum in vinculis genuerim: Oneſimum ſervum tuum, antea fugitivum, furacem, refractarium, inutilem. ℣. 11, *Qui tibi aliquando inutilis fuit*. Apud Scripturam *ſervus inutilis* eſt nequam ſervus (a). Ubi ſervus eſt domino inutilis, malus exiſtimatur; nihil enim emit dominus, niſi quod ſibi futurum ſit uſui. Alludit Paulus ad Græcam *Oneſimi* ſignificationem (b), ſcilicet utilis. Oneſimus antea inutilis fuit, repugnante nomine: at nunc utilis factus eſt, ac reverà *Oneſimus* & tibi & mihi; tibi quidem, quòd ad Chriſtum converſus fideliorem utilioremque tibi operam reliquo vitæ ſuæ tempore præſtare decreverit; mihi verò, quòd me vinctum officiis & obſequio juverit.

℣. 12. Quem remisi tibi, tametſi eo indigeam. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe; tamquam me ipſum, & rem mihi chariſſimam; ſive, *ut mea viſcera*, tamquam filium meum, quem ego quodammodo genui, atque uti aliquam mei partem amo (c).

℣. 13. Ut pro te mihi ministraret in vinculis. Si animo meo rerumque mearum anguſtiis morem gerere vellem, illum penès me detinerem, ut ea mihi præſtaret officia, quæ tu, ſi adeſſes, procul dubio exhiberes. At, ℣. 14, *ſine conſilio tuo nihil volui facere*, niſi ipſe aſſentiaria. Eam uſurpare nolui in ſervum tuum authoritatem, quam ipſe ultro non dederis; aut ea officia ex mancipio tuo exigere, quæ ex electione tuâ ſpontaneâ non proficiſcerentur: cupiens *ut ne velut ex neceſſitate* extortum *bonum tuum* opus, quod propoſui, *eſſet*, *ſed voluntarium*, a te ſponte electum. Voluntati tuæ uni hoc debere volui; neque auſus ſum voluntatem tuam prævertere, aut occupare, non perſpectâ animi tui habitudine. Nunquam non amicè de amici voluntate cenſendum eſt; ut ea nunquam in privata commoda uſurpanda eſt, eo inconſulto.

℣. 15. Forsitan ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes (e). Permiſit Deus, ut fugeret Oneſimus, majoris boni & tui & ipſius causâ. Ad breve tempus te reliquit, ut illum deinde æternum in Cœlis ſocium habeas. Ita adhortabatur Joſephus fratres, qui ipſum vendiderant mercatoribus, a quibus ductus eſt in Ægyptum (f): *Præmiſit me Deus, ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*,

℣. 16. Jam non ut servum, ſed fratrem. Cùm Chriſtianus ſit, duabus de cauſis tibi chariſſimus eſſe debet; I, quia tuus eſt *in carne* (g); Chriſtiana enim Profeſſio hominis vel ſervi vel liberi conditionem non mutat: II, quia tuus *in Domino*. Conjunctus tibi eſt Religione, communione eorumdem Sacramentorum bonorumque ſpiritalium. Qua ſervus, pars familiæ tuæ eſt, & res tua: qua Chriſtianus, membrum eſt myſtici Corporis Chriſti, non ſecus ac tu, adoptivus æterni Patris filius, & Regni Cœleſtis hæres. Reddo tamquam ſervum; tuum eſt illius corpus: at memento, illum magis Dei eſſe quàm tuum, atque aliquod obſequium ex te poſtulare Chriſtianam profeſſionem, quam ille eſt amplexus. Græcus fert (h): *Non jam ut ſervum, ſed plus quàm ſervum, fratrem chariſſimum*.

℣. 17. Si ergo habes me socium tui, ſi me amicum exiſtimas, exhibe amicitiæ ſpecimen, atque Oneſimum tamquam me ipſum accipe.

Alte

(z) Paulus annum tunc agebat circiter LXIII. Scriptam credimus hanc Epiſtolam anno Chriſti LXI.

(a) *Vide Matt.* xxv, 30; *Luc.* xvii, 10.

(b) Ὀνήσιμον, τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ εὔχρηστον.

(c) *Eſt. Gentil. Menoch. Hieronymiaſt. Filium noſtrum chariſſimum. Ita & Syr.*

(e) Ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς, Ut æternum ſive immortalem accipias. (f) *Geneſ.* xlv, 7, 8.

(g) Καὶ ἐν σαρκὶ, καὶ ἐν Κυρίῳ. *Theophyl.* Τουτέστι, καὶ ἐν ταῖς σωματικαῖς, In corporis & ſpiritûs obſequiis. (h) Οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ δοῦλον, ἀδελφὸν ἀγαπητόν. *Alii*: Ἀλλ᾽ ὑπὲρ δοῦλον, *Sed pro ſervo*, &c. *Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Ambroſiaſt. Hieronymiaſt. Vulg.*

℣. 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.
℣. 19. Ego Paulus ſcripſi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes:
℣. 20. Ita, frater, Ego te fruar in Domino. Refice viſcera mea in Domino.
℣. 21. Confidens in obedientiâ tuâ ſcripſi tibi; ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.
℣. 22. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.
℣. 23. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu,

COMMENTARIUS.

Alterum me illum habeto. Græcus (l): *Si habes me pro amico*, commilitone, earumdem promiſſionum hærede, rerum tuarum participe, ne deneges quod flagito.

℣. 18. Si aliquid nocuit, ſiqua te affecit injuriâ, hoc mihi imputa. Aliquid fortaſſe (uſſuratus erat Oneſimus, cùm fugeret; ſive reliquator erat ex rationibus hero exhibitis (k). Oneſimi culpam verbis extenuat Apoſtolus: furtum non nominat; ita loquitur quaſi dubitet Oneſimum aliquid ſorripuiſſe; denique ſubdit: Siquid debet, in me recipio: mihi imputa: ego ſpondeo.

℣. 19. Ego Paulus scripsi mea manu. Si ſatis non eſt fides verbo tenus oblata, exhibeo chirographum manu meâ exaratum ſignatumque. Omnino, ſpondeo & fidejubeo pro Oneſimo. Videtur Paulus totam hanc Epiſtolam ſuâ manu exaraſſe (l). Jure civili ſervus debitor heri non eſt, cùm totus ſit heri; at jure naturæ eſt debitor (m). Defuerat Oneſimus obſequio & fidei hero debitæ; atque hac ex parte ſpondet Apoſtolus, Oneſimum omnia redditurum Philemoni, ac præterita damna præſtiturum.

Ut non dicam tibi, quod at te ipsum mihi debes. Hoc quod poſtulo, ita rogare poſſum, ut ipſe denegare nequeas, cùm teipſum mihi debeas, quippe veritatis cognitionem per me aſſequutus ſupplex tamen accedo, meque tibi obligatum pro Oneſimo exhibeo. Sileo ſummum illud quod mihi, debes, Chriſtianam ſcilicet Profeſſionem: beneficii loco iſtud flagito, quod mihi totum adſcribi volo. Nunquam venerat Paulus Coloſſas, ubi Philemon morabatur: at eò miſerat Epaphram, a quo Philemon inſtitutus & ad Chriſtum traductus fuerat (n): fortaſſe etiam Philemon Paulum vidit audivitque Epheſi, ubi Paulus diu commoratus eſt.

℣. 20. Ita, frater, ego te fruar in Domino: hoc mihi largire (o). Cùm te ipſe totum mihi debeas, en tempus quo tui egeo: redde te mihi (p): liceat hîc mihi meo jure uti: veniam Oneſimo, quam flagito, ne deneges. Reddi poteſt Græcus (q): *Aliquem ex te fructum capiam*. Meus es: meam in te poteſtatem ſemel in re optatiſſimâ exerceam. Quarſum te filium habuero, ſi nunc me fugeris (r)?

℣. 21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi. Certiſſimè futurum ſcio, & intelligens (id quod facis) quàm multa mihi debeas, & quàm piè morem mihi gerere tenearis, non modò poſtulata non deneges, verùm etiam multo plura ſis præſtiturus. Iniquos virtuti tuæ eſſem, ſi de tuâ obedientiâ dubitarem.

℣. 22. Simul autem et para mihi hospitium. Romæ vinctus erat Apoſtolus; at minimè dubitabat, quin, favente Deo, quamprimùm futurus eſſet liber: in Aſiam proficiſci, & Coloſſis apud Philemonem manere ſtatuit. Fiducia, quam ſibi de Philemone eſſe oſtendebat, & hoſpitii apud ipſum electio, nova erant Philemoni argumenta, ut Oneſimum humaniſſimè exciperet. Qua enim fronte Paulum domi excepturus erat, qui pro mancipio rogantem rejeciſſet? Aut eus levi adeò de causâ tam magni hoſpitis honore ſe indignum faceret?

Mirantur nonnulli, cur Apoſtolus, qui ſimplex adeò & frugi vitæ genus ageret, & vitæ commoda tantopere ſperneret, tanto antea quæſiverit, ut ſibi hoſpitium pararetur. Ajunt nonnulli, id Apoſtolum idcirco feciſſe, ut Philemonem ad morem ſibi gerendum acriùs impelleret: at S. Hieronymus exiſtimaſſe videtur, amplo hoſpitio opus fuiſſe Apoſtolo in urbe aliqua commoranti, cùm non Fideles modò, ad Religionem exercendam apud ipſum convenientes, verùm etiam Infideles audiendi & diſcendi cupidos excipere deberet.

Nam spero per orationes vestras donari me vobis. Nullam ſui, ſuæque libertatis & vitæ curam gerebat Paulus, niſi ob fratrum ſalutem & inſtitutionem. Fecit Deus, ut quantociùs vinculis ſolveretur Apoſtolus; nobiſque dubium minimè eſt, quin is Coloſſas venerit circiter annum Chr. LXIV, & apud Philemonem manſerit, uti hoc loco pollicetur. Qui cenſent, hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe ab Apoſtolo quo tempore is ſecundò in vinculis fuit, negant illi, Paulum executum eſſe quod hîc Philemoni promittit: nos tamen cum Chronologis eruditiſſimis ſcriptam arbitramur quo tempore is primùm Romæ vinctus fuit.

℣. 23. Salutat te Epaphras concaptivus meus. In Epiſtolam ad Coloſſenſes vidimus, Epaphram fuiſſe Coloſſenſium Apoſtolum & Epiſcopum (s). Primus ipſe Coloſſis Evangelium nunciaverat, atque inter cæteros Philemonem ad Chriſtum duxerat. Epaphras ſeſe tamquam Pauli Diſcipulum gerebat, eumque fortaſſe Coloſſas miſerat Apoſtolus. Cùm Romæ eſſet, vinctus eſt unà cum Paulo. Hinc fit, ut Paulus Philemoni ſcri-

(l) Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνόν. (k) *Vide Grot. hic*. (l) *Vide Eſtium, Chryſoſt. Theophyl.* Πρὸς ἀξιόπιστον πλέονα, ὅτι ἀποδώσω τὸ χρέος, ἰδιόχειρά μοι τὰ γράμματα.
(m) *Vide Gentil. ad* ℣. 18; *& Grot. ad* ℣. 19. (n) *Vide Præfat. ad Coloſſ. & Eſt. Grot. alios hic*.
(o) *Theophyl.* Ἀπολαύσαιμι τῶν σῶν χαρίτων, οὐκ ἐν κοσμικοῖς πράγμασι, ἐν τοῖς κατὰ κύριον.
(p) *Vide Gentilem*. (q) Ἐγώ σου ὀναίμην. (r) *Vide Grot. hic*: Τίνοιτό σοι τέκνον Ὄνησις, ὥσπερ ἐγὼ δίκαιός εἰμί σοι. *Poëta Philemon*.
(s) *Vide ad Coloſſ.* 1, 7; *& Gentil. Eſt. Men. hic*.

℣. 24. Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.

℣. 25. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

COMMENTARIUS.

ſcribat, ipſum ſe ſibi debere: atque hîc aſſerit, unà vinctum eſſe Epaphram Jeſu Chriſti causâ: *Concaptivus meus.*

℣. 24. MARCUS, ARISTARCHUS, &c. Viri iſti ſanctiſſimi, quos hîc recenſet Apoſtolus, amicitiâ juncti erant Philemoni. Hos quoque ceu oratores ſubdit pro Oneſimo (t). Putat S. Hieronymus, Marcum hunc eſſe Evangelii Scriptorem. Aliis (u) eſt Joannes Marcus, de quo in Actis (x), Barnabæ conſobrinus. Certant alii, tertium quemdam eſſe *Marcum*, cognomine *Ariſtarchum*; adeo ut *Marcus* & *Ariſtarchus* hoc loco unum eumdemque hominem ſignificent (y). Nodus eſt non facilè ſolvendus. De *Joanne Marco* Barnabæ conſobrino ſæpenumero egimus in Acta; de *Marco Evangeliſtâ*, in Præfatione ad ejus Evangelium; de *Ariſtarcho*, in *Act.* XIX, 29; XX, 4; *Coloſſ.* IV, 10.

Demas notiſſimus eſt ex eo, quòd ſequutus eſt Paulum uſque ad tempus, quo Paulus ſupremùm Romæ vinctus eſt; at deinde ſæculi amore raptus, Apoſtolum reliquit (z).

Lucas, nobilis Evangelio, Actorum Libro, & conſtantiâ, qua ſequutus eſt Paulum, tum rebus adverſis, cùm proſperis; in itineribus, in vinculis.

℣. 25. GRATIA CUM SPIRITU VESTRO, vobiſcum (α). Vos cumulet Deus cœleſtibus Spiritûs Sancti donis; ſive, id vobis tribuat, ut gratiam coram ſe, ſecundùm interiorem hominem, nanciſcamini. Eadem locutio recurrit *Galat.* VI, 18.

Græca Exemplaria in calce Epiſtolæ ferunt: Epiſtola *ad Philemonem data eſt Româ per Oneſimum ſervum*. Habent alia (β); Epiſtola *ad Philemonem & Appiam heros Oneſimi, & ad Ariſtarchum Diaconum Eccleſiæ Coloſſenſium*, miſſa eſt *Româ per Oneſimum ſervum*.

IN

(t) *Eſt. Gentil. hic.* (u) *Grotius.* (x) *Act.* XII, 12, 25; XV, 4; XXVII, 2.
(y) Hac de re vide *Spanhem. Oper. t.* 2, *p.* 276. (z) 2 *Timot.* IV, 9. (α) *Eſt. Grot. alii.*
(β) *Cod. Bezæ, alius Regiæ Bibl. teſte Cotelerio. Lin. Cov.* 2, *apud Mill. hic.*

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Philemonem.

IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS

PROLEGOMENON.

EPiſtolam ad Hebræos inter pretioſiſſima monumenta, quibus Eccleſia Catholica gloriatur, habendum ducimus. Rerum amplitudo, & magni ponderis argumenta nobilitate verborum & orationis elegantiâ commendantur. In hac præ cæteris maximè laborarunt Interpretes, de eâque præ cæteris plurima in controverſiam adducta ſunt. Fuere primò, qui de canonicâ ejus authoritate dubitarent; alii etiam, qui Paulo ereptam, Clementi Papæ, vel Lucæ, vel Apollo, aut Barnabæ tribuerent. Quo ſermone, Græco ne an Hebraico, conſcripta fuerit, non conveniunt. Diſcrimen præterea de loco, de tempore, quo ſcripta; de iis, ad quos miſſa; & demum de ordine, quem cæteras inter Pauli Epiſtolas poſtulat. Nos hæc omnia perpendentes, utrinque argumenta afferemus, & ſententiæ, quæ veri ſpeciem magis prætulerit, de noſtro more accedemus.

ARTICULUS I.

De Authore Epiſtolæ ad Hebræos.

POſtquam Origenes ea [a], quæ de hujus Epiſtolæ Authore feruntur, diù perpendit, rem Deo ſolummodò perſpectam eſſe, tandem fatetur. Quamquam a multis Clementi Papæ Apoſtolorum coævo, ab aliis Lucæ Evangeliſtæ adſcriptam ſciat, cenſet ipſe, res & argumenta Apoſtolo; orationem, texturam & ordinem tribuenda eſſe alteri, qui Pauli ſententiis inſtructus, eas in hac Epiſtolâ congeſſerit. Loquendi genus hujus Epiſtolæ ornatius elegantiusque, quàm reliquarum Pauli Epiſtolarum, eſſe contendit: cujus rei teſtes vocat omnes, qui Pauli opera perlegerint, vel hac in re peritiores habentur. Sententiæ verò eam ſui admirationem vendicant, ut nulli earum rerum, quas majoris momenti Apoſtoli ſcripſerint, ſint poſtbabendæ.

Qui Origenis ætate hanc Epiſtolam Clementi Papæ tribuebant, eo ducebantur, quòd hac cum Clementis ad Corinthios Epiſtolâ collatâ, ſimillima utriuſque oratio appareat (b); quòd præthereà Clemens & ſententias & verba Epiſtolæ ad Hebræos, eâ minimè laudatâ, perſæpe uſurpet; id quod innuere videtur, hanc ad ipſum pertinere. *Multis*, poſt Euſebium Cæſarienſem inquit Hieronymus [c], *de Epiſtolâ, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur, non ſolùm ſenſibus, ſed juxta verborum quoque ordinem abutitur.*

Euſebius licèt ſimilem utriuſque Epiſtolæ orationem, & Epiſtolæ ad Hebræos fragmenta, quæ ſuæ Clemens ad Corinthios Epiſtolæ inſeruit, ſatis animadverterit; ei nihilominus Epiſtolam ad Hebræos tribuere non audet, & dumtaxat ab eo Pontifice ex Hebræo Græcè redditam plurimos arbitratos eſſe teſtatur (d). Cujus quidem opinionis ipſum fundamentum infra evertemus, cùm nunquam eam Epiſtolam Hebraicè fuiſſe exaratam oſtenderimus. Ex orationis ſimilitudine utramque Epiſtolam ad eumdem pertinere Authorem, certò colligi non poſſe arbitramur [e]. Fatemur quidem, a Clemente aliquem Epiſtolæ ad Hebræos locum, quin eadem Epiſtola allegetur, uſurpari: at mos iſte ſatis convaluerat, uti videre eſt & apud Polycarpum, & Ignatium, qui Apoſtolorum & ipſius Chriſti verba, tamquam propria, ſuis periodis interſeruere; ſive

(a) *Orig. hom. in Ep. ad Hebr. apud Euſeb. l. 6, c. 25, hiſt. Eccl.* Τίς δὲ ὁ γράψας τὴν ἐπιστολήν, τὸ μὲν ἀληθὲς Θεὸς οἶδεν, ἡ δὲ εἰς ἡμᾶς φθάσασα ἱστορία ὑπό τινων μὲν λεγόντων, ὅτι Κλήμης ὁ γενόμενος ἐπίσκοπος Ῥωμαίων ἔγραψε τὴν ἐπιστολήν, ὑπό τινων δέ, ὅτι Λουκᾶς ὁ γράψας τὸ εὐαγγέλιον, καὶ τὰς πράξεις. Et paulo ſuperiùs: Ἐγὼ δὲ ἀποφαινόμενος εἴποιμ' ἄν, ὅτι τὰ μὲν νοήματα τοῦ ἀποστόλου ἐστίν, ἡ δὲ φράσις, καὶ ἡ σύνθεσις, ἀπομνημονεύσαντός τινος τὰ ἀποστολικά, καὶ ὥσπερ σχολιογραφήσαντός τινος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου.

(b) *Idem lib. 3, cap. 37:* Οἱ δὲ τὸν Κλήμεντα τοῦτον αὐτὸν ἑρμηνεῦσαι λέγουσι τὴν γραφήν, ὃ καὶ μᾶλλον εἴη ἂν ἀληθές, τὸ τὸν ὅμοιον τῆς φράσεως χαρακτῆρα, τήν τε τοῦ Κλήμεντος ἐπιστολήν, καὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους ἀποσώζειν.

(c) *Hieron. in Catalogo, voce Clemens. Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. l. 3, c. 38:* Ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους τῆς πρὸς Ἑβραίους πολλὰ νοήματα παραθείς, ἤδη δὲ, καὶ αὐτολεξεὶ ῥητοῖς ἐξ αὐτῆς χρησάμενος, σαφέστατα παρίστησιν ὅτι μὴ νέον ὑπάρχει τὸ σύγγραμμα. *Vide Clemen. Epiſt.* § 17, 36, 43, 58.

(d) *Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 3, c. 38.* (e) *Spanhem. de Author. Epiſt. ad Hebr. part. 1, c. 7, n. 7, 8.*

ſivè id præſtiterint ornandi ſermonis causâ, ſive ut ſuis verbis authoritatem compararent. Cætera denique omnia, quæ in eâ Epiſtolâ animadvertuntur, Clementi minimè conveniunt; quem alioqui Eccleſia Authorem canonicum nunquam duxit: cùm hujus Epiſtolæ Authori, tamquam divinitùs afflato, a Chriſtianæ Religionis initio fidem ſemper habuerit.

Patres, qui Clementi maximè favent, eam illi non firmiſſimè, ſed ambiguè tribuunt, & Lucæ adſcriptam fatentur a pluribus; quorum alii Lucam primum & verum Authorem putant, alii verò dumtaxat Interpretem, ſive, ut ſummum, Paulo ab Epiſtolis, qui politiori atque elegantiori oratione Græcè reddiderit ea, quæ humilioribus verbis ab Apoſtolo acceperat; cujus etiam rei argumento & ſermonis ſimilitudinem, & Lucæ cum Paulo neceſſitudinem & familiaritatem afferunt.

His omnibus levioribus prætermiſſis, in orationis ſimilitudine operæ pretium eſt fuſiùs aliquanto immorari. Qua etiam in re ſatis non conveniunt Authores. Clemens Alexandrinus eosdem, quos in Lucæ ſcriptis, characteres cernere ſe, idem ingenium percipere, eoſdem in eâ Epiſtolâ intueri colores fatebatur (*f*). Plures in eâdem locutiones Lucæ familiares Grotius deprehendit (*g*); & quamvis ſublimiori, quàm Acta & Evangelium, oratione deſcriptam aſſerat, Lucam tamen ſemper non eſſe ſibi ſimilem, &, cùm poteſt ingenio indulgere, ſuæque ampliorem eloquentiæ aditum pateſacere, veluti cùm verba Jeſu Chriſti referre non cogitur, ſe ipſo elegantiorem ſe præbere oſtendit. Eraſmus hujus Epiſtolæ orationem vel eamdem cum oratione Actorum, vel ei proximam agnoſcit (*h*): *Ne Lucas quidem ipſe in Actis Apoſtolicis parum abeſt ab hujus Epiſtolæ eloquentiâ*; nihilominus Lucæ illam tribuere non auſus, Clementem potiùs ejuſdem Authorem appellat. *Admodùm probabile eſt, quod ſubindicavit D. Hieronymus, Clementem Romanum Pontificem, a Petro quartum, authorem hujus Epiſtolæ fuiſſe*. Grotius verò, non Græce a Luca redditam, neque de Apoſtoli juſſu, elegantiori oratione donatam, ſed ſuo marte contextam, & ad Hebræos ultro miſſam aſſerit.

Spanhemius Lucæ idcirco potiſſimùm minimè tribuendam ducit, quòd ab ejuſdem conſuetâ oratione longiſſimè abſit [*i*]: *Stilus Epiſtolæ a dictione & phraſi Lucæ magis Græcanicâ longiſſimè diſtat*. Jacobus Capellius Epiſtolæ ad Hebræos Authorem alium prorſus a Luca conſtituit, quòd ſtili animadvertit diverſitatem (*k*): *Cum hujus Epiſtolæ ſtilus ſtilo Lucæ ſit diſſimillimus*. His mutuò adverſantibus ſententiis, quanti nobis faciendi ſunt Critici peritiores, cùm de eloquentiæ vel ſimilitudine vel diverſitate decernunt?

Sunt qui Epiſtolam ab Hebræos Barnabæ tribuant, quorum primus Tertullianus [*l*]: *Extat*, inquit, *& Barnabæ titulus ad Hebræos*. Quodque magis mirere, ejus Epiſtolæ Authorem nullâ hæſitatione Barnabam ſtatuit, ac ſi & Africana, in qua degebat, & Romana, quam oppugnabat, Eccleſia ita vulgò ſentirent. S. Hieronymus (*m*) pluribus in locis, & S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus (*n*), eamdem, quin tamen probent, opinionem, recenſent. Ex Recentioribus, Camero enixè defendit, & mirâ confidentiâ omnium veriſimillimam ducit (*o*).

Huic ſanè ſententiæ ſtili ſimilitudo non favet; cùm Epiſtola ad Hebræos, & ea, quam Barnabæ tribuerunt, longiſſimè diſtent; ſed proſtrema hæc, cùm ſit adhuc diſcrimen, an ad Barnabam pertineat, nullum inde colligi poteſt, quod urgeat, argumentum. Neque eidem opinioni veterum Patrum opitulatur authoritas; eorum enim nemo ſive antiquior, ſive recentior, ſive Tertulliano coævus, Epiſtolæ ad Hebræos Authorem Barnabam appellavit. Nil ex eâdem Epiſtolâ, nil ex Barnabæ vitâ, nil denique ex Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ hauriri poteſt, quod hanc ſententiam fulciat; quam etiam unde Tertullianus hauſerit, penitus ignoramus. Fortaſſe hic cùm quamdam Barnabæ Epiſtolam, ſolo nomine ſibi cognitam, audiſſet, & hanc, an Pauli fuerit, in dubium revocari ſciret, eamdem eſſe Barnabæ putavit. Hac deinde conjecturâ ductus, temeritate ſibi ſatis conſuetâ, eam Epiſtolam Barnabæ facilè tribuit. quam poſtea ſententiam alii, ejus novitate ducti, amplexi ſunt. Argumenta verò, quibus Camero nititur, adeò infirma ducimus, ut in iis refellendis immorantes, inanem prorſus laborem ſuſciperemus (*p*).

Martyr Hippolytus (*q*) in Libro adversùs hæreſes, & S. Irenæus in Stephano Gobar Tritheitâ, apud Photium (*r*), Paulum Epiſtolæ ad Hebræos Authorem, alium ab Apoſtolo eſſe contendunt; cujus tamen rei argumentum nullum afferunt. Quis prætereà Paulus iſte, & unde? quando vixit? Vir adeò diſertus, & Scriptor emeritus, quicumque ille fuerit, ex omnium memoriâ delendus non erat.

Non-

(f) *Clem. Alex. lib. Hypotypoſ. apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 6, c. 14:* Τὴν πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴν, Παύλου μὲν εἶναι φησί. γεγράφθαι δὲ Ἑβραίοις Ἑβραϊκῇ φωνῇ. Λουκᾶν δὲ φιλοτίμως αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα, ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησι. Ὅθεν τὸν χρῶτα εὑρίσκεσθαι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν, ταύτης τε τῆς ἐπιστολῆς, καὶ τῶν πράξεων.

(g) *Grot. in Epiſt. ad Hebr. Præf.*

(h) *Eraſm. ſub fin. annotat. in Epiſt. ad Hebr.*

(i) *Spanhem. loc. cit. p. 2, c. 7; & p. 3. c. 9, n. 9, 10.*

(k) *Jacob. Capell. præfat. in Epiſt. ad Hebr.*

(l) *Tertull. de Pudic. c. 20.*

(m) *Hier. in Catalog. in voce Paulus. Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos, non Pauli creditur, propter ſtili ſermoniſque diſtantiam, ſed vel Barnabæ, juxtà Tertullianum; vel Lucæ Evangeliſtæ, juxta quoſdam; vel Clementis, Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi.*

(n) *Philaſt. hæreſ. 41.*

(o) *Camero quæſt. 2 in Epiſt. ad Hebr.*

(p) Refutavit Spanhemius, *Tract. de Author. Epiſt. ad Hebr. part. 2, c. 8.*

(q) *Hippolyt. l. contra hæreſ. apud Phot. Cod. 121:* Λέγει δὲ ἄλλα δέ τινα ἀκριβείας λειπόμενα, καὶ ὅτι ἡ πρὸς Ἑβραίους Ἐπιστολὴ οὐκ ἔστι τοῦ Ἀποστόλου Παύλου.

(r) *Photius, cod. 232:* Ἱππόλυτος καὶ Εἰρηναῖος τὴν πρὸς Ἑβραίους Ἐπιστολὴν Παύλου, οὐκ ἐκείνου εἶναί φασι.

Nonnulli hanc Epiſtolam [s] Apollo ad Fidem converſo adſcribunt, Viro utique diſerto, Scripturarum perito, Divini honoris tuendi ſtudioſiſſimo, & apud Eccleſias celeberrimo, quem Lucas in Actis [t], & Paulus in primâ ad Corinthios [u] quamplurimùm commendant. Si per veteres Eccleſiæ Patres hæc conjectura defendi poſſet, fortè in neminem juſtiùs, quàm in Apollo, hujus Epiſtolæ honor conferretur. Verùm hujus ſententiæ fautores, præterquamquòd recentiores ſunt, validis argumentis adeò deſtituuntur, ut neque mentem ſuam certò ſtatuant, neque eam prodentes ab animi hæſitatione prorſus abſtineant.

Qui eamdem Epiſtolam Marco Evangeliſtæ (x) adſcribunt, infirmioribus multo argumentis nituntur: qui verò ejus Authorem [y] Tertullianum ſtatuunt, ab ipſo Tertulliano, eam Barnabæ tribuente, & a Priſcis Tertulliano vetuſtioribus, eam ceu Apoſtolis coætaneam, vel uti a Paulo ipſo exaratam allegantibus, refelluntur.

Reliquum eſt, ut ſententiam perpendamus, qua Græca & Latina Eccleſiæ ad Hebræos Epiſtolam Paulo uno ore & conſenſu adſcribunt. Omnia profectò, Veterum authoritas, Epiſtolæ ipſius natura, Apoſtoli vitæ eventa, denique argumentorum, quibus alteri Authori tribuitur, infirmitas, huic ſententiæ opitulantur. Præterea ſi ad eorum quempiam, quibus adſcripta eſt, minimè pertinet, ab Apoſtolo datam fuiſſe veriſimillimum eſt.

Favet primò Apoſtoli Petri authoritas (z), qui, ex quorumdam ſententiâ (a), Epiſtolæ ad Hebræos meminit in ſecundâ ſuâ Epiſtolâ, quam ipſe paulò ante mortem dedit, & biennio pòſt quàm ab Hebræos tradita eſt (b): *Chariſſimus Frater noſter Paulus, ſecundùm datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.*

Eo loco Petrum de Epiſtolâ ad Hebræos loquutum, hi Authores ex eo colligunt, I, quòd Petrus Paulum ſcripſiſſe dixerit ad illos, ad quos & ipſe, nempe Hebræos ad Fidem converſos, uti ſatis indicant ea verba (c), *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam*, collata cum prioris Epiſtolæ Initio (d): *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, &c.*

II, Quòd Petrus in eâ Epiſtolâ illuſtre ſapientiæ ſpecimen a Paulo exhibitum teſtetur. Pauli equidem ſapientia, & præſtantiſſima arcanorum Dei & Fidei myſteriorum cognitio in nullâ magis quàm in Epiſtolâ ad Hebræos micat.

III, Quòd huic Epiſtolæ plurima intellectu difficillima interſerantur, quibus pravi ſpiritus & abuti poſſunt, imò & abuſi fuere: cujuſmodi illud eſt: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati... & prolapſi ſunt, rursùs renovari ad pœnitentiam* (e).

IV Denique, quòd Petrus dixerit, Paulum ad Hebræos de iiſdem rebus ſcripſiſſe, de quibus & ipſe: *Loquens in eis (Epiſtolis) de his.* Petrus autem in ſecundâ Epiſtolâ ad morum integritatem, ad Dei Judicium opperiendum, & ad pœnitentiam exercendam Fideles hortatur. De his omnibus & Paulus in Epiſtolâ ad Hebræos (f); in cæteris Epiſtolis horum ſimul omnium non meminit; neque cæteris, niſi huic tantummodò, hæ omnes notæ conveniunt. De hac igitur ad Hebræos Epiſtolâ loquutus eſt Petrus; quamvis enim nonnulli eam, de qua Petrus, periiſſe aſſeverent, nullo id argumento, nullâque conjecturâ pronunciant.

Hæc ſanè Epiſtola eam præfert authoritatem, ut non niſi alicui ex Apoſtolis convenire poſſit. Hanc ſcripſit nemo eorum, qui Chriſtum in terris audiere: is autem dedit, qui ab Apoſtolis inſtitutus eſt, & prodigia, quibus iidem Apoſtoli ad ſuam prædicationem comprobandam apud Judæos claruerant, vidit (g): *Ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt.* Ex his verbis collegere nonnulli [h], ſcriptam non eſſe a Paulo hanc Epiſtolam, quòd alibi enixè ſemper incumbat, ut ſe ab ipſomet Chriſto inſtitutum (i), adeoque non ab hominibus, neque ab Apoſtolis miſſum oſtendat.

Verumtamen inter ea diſtinguendum eſt, quæ Paulus ab ipſomet Chriſto divinitus didicit, & ea, quæ ab Apoſtolis & Diſcipulis, qui Dominum agnoverunt, accepit. Chriſtus per ſe ipſe præcipua Fidei myſteria, & potiſſimas Catholicæ Religionis veritates Paulo aperuit; peculiaria Domini geſta & prodigia, ejuſque mortis & reſurrectionis adjuncta Apoſtoli & Diſcipuli renunciarunt.

Epiſtolæ Author pollicetur, ſeſe, itineris comite Timotheo fratre aſſumpto (k), ad Hebræos inviſendos ſe collaturum: quibus verbis ejuſdem Author ita præfertur Apoſtolus, ut, ex quorumdam Eruditorum ſententiâ, ad diſcrimen eâ de re penitus dirimendum nihil luculentius poſtulandum ſit (l). Suorum etiam vinculorum in eâ meminit

(s) *Luther. in Geneſ.* XLVIII, 20. *Beza in Epiſt. ad Hebr.*
(t) *Act.* XVIII, 24.
(u) 1 *Cor.* I, 12.
(x) *Quidam apud Spanhem. loc. cit. part,* 2, *c.* 9.
(y) *Quid. apud Sixt. Sen. Biblioth. l.* 7, *c.* 8.
(z) 2 *Petr.* III, 15.
(a) *Baron. ann.* 66; *Pearſon. Oper. poſth. p.* 58, *Spanhem. & alii.*
(b) Nos Epiſtolam ad Hebræos anno Chriſti 63; & Epiſtolam Petri anno 65 ſtatuimus.
(c) 2 *Petr.* III, 1.
(d) 1 *Petr.* I, 1.
(e) *Hebr.* VI, 4; X, 26, 27; XII, 15, 16.
(f) *Hebr.* IX, 19, *&c.* XII, XIII; *&* X, 25, 37; *&* VI, 12.
(g) *Hebr.* II, 3.
(h) *Quidam apud Oecumen. Praef. in Epiſt. ad Hebr.* Ἡ πρὸς Ἑβραίους Ἐπιστολὴ δοκεῖ μὲν μὴ εἶναι Παύλου, διά τε τὸν χαρακτῆρα, καὶ τὸ μὴ προγράφειν, ὡς ἐν ἁπάσαις ἄλλαις ταῖς Ἐπιστολαῖς, καὶ τὸ λέγειν πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, *&c. Vide Calvin. in Hebr.* II, 3; *Grot. alios ibidem.*
(i) *Galat.* I, 11, 12: *Evangelium, quia non eſt ſecundùm hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem. Vide* & *Epheſ.* III, 3; 1 *Cor.* XV, 1, 2, 3.

(k) *Hebr.* XIII, 23. Fratrem quoque Timotheum vocat 2 *Cor.* I, 1; *Coloſſ.* I, 1; & 1 *Theſſalon.* III, 2, *&c.*
(l) *Pearſon. Dupin, Tillemont. Mill.*

minit, ut in cæteris, quas ex Italiâ dedit (m). Idem ordo, qui in cæteris, idem allegandi & Scripturas explanandi mos, alluſiones eædem, & locorum ſimillimæ appoſitiones recurrunt. In id, quod ſibi ſemper potiſſimùm ſtatuit, pro viribus incumbit, ut Legalia inania, Aaronis Sacerdotium, & cruenta ſacrificia abrogata, vetus Fœdus abolitum, novum conſtitutum, illud deſiiſſe, iſtud denique æternum eſſe, perſpicuè oſtendat. Hujus Epiſtolæ epilogus cum iis omnino convenit, quibus Epiſtola ad Romanos, & utraque ad Theſſalonicenſes abſolvuntur. Vota, ſalutationes, preces, & peculiaria plurima, quæ in Pauli ſtilo & eloquentiâ exercitatis optimè dignoſcuntur, hanc Epiſtolam Apoſtolo omninò tribuendam ſatis evincunt.

Id etiam validiſſimè probat unanimis Eccleſiarum, Patrum, & Interpretum conſenſus, quo Paulus ejus Epiſtolæ Author unâ voce ſtatuitur. Apud Græcam Eccleſiam nulla unquam hac de re ambiguitas; Eccleſia verò Latina, quamvis ab eâ inter Pauli Epiſtolas recenſendâ aliquando abſtinuerit, maturè tamen ſatis cum Græcis Patribus convênit; & a quarto ſæculo ad noſtrum usque, nullum de hoc inter utramque diſcrimen cernitur.

S. Clemens Alexandrinus Pauli nomine ſæpè allegat, quamvis a Luca Græcè redditam arbitretur (n). Origenes etiam, cujus teſtimonium jam recenſuimus, eodem Pauli nomine producit (o): quamvis autem alibi de ejus Authore nonnihil dubitaverit, Apoſtoli nihilominus ſenſa ab eâ præferri fatetur; & ſiqua Eccleſia eam ſub Pauli nomine legit, ſuam ab eâ traditionem non eſſe dimittendam ſtatuit (p): *Non enim*, inquit, *eam fruſtra Veteres Paulo tribuerunt*. Euſebius Cæſarienſis pluribus in locis huic ſententiæ ſubſcribit (q). Dionyſii Alexandrini, & Alexandri Alexandriæ Epiſcopi Epiſtolæ, Literæ Antiocheni Concilii ad Paulum Samoſatenum, S. Athanaſius, Cyrillus Jeroſolymitanus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius, Epiphanius, Concilium Laodicenum, omnes denique Græci hanc ad Hebræos Epiſtolam Paulo adſcribunt (r).

Latini Patres inter ſe non omninò cohærent. Cajus Eccleſiæ Romanæ Presbyter, tertii ſæculi Scriptor, *Epiſtolas Pauli tredecim tantùm enumerans, decimamquartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit ejus non eſſe* (s). Quibus addit Hieronymus: *Sed & apud Romanos usque hodie quaſi Pauli Apoſtoli non habetur*. Cùm verò S. Doctor eam Epiſtolam allegat, ut plurimùm animi ambiguitatem præfert: ait v. g. (t): *Si quis tamen ad Hebræos Epiſtolam ſuſcipit*; vel (u): *Licèt de eâ multi Latinorum dubitent, quæ ſcribitur ad Hebræos*; vel denique (x): *Relege ad Hebræos Epiſtolam Pauli Apoſtoli, ſive cujuſcumque alterius eam eſſe putas*. Cùm nihilominus ad Dardanum ſcribit (y), ab omnibus Orientis & Græciæ Eccleſiis eam Paulo adſcribi teſtatur; & ſi Latinorum quis adhuc ambigit, ſibi ſatiùs eſſe ducit, ut cum Veteribus eâ de re conveniat.

Quamvis Auguſtinus ſuâ etiam ætate aliquos eſſe ſciret (z), qui hanc Epiſtolam Paulo eriperent, & alios, qui inter Canonicas recenſere formidarent (a), quòd Pauli nomen in eâ non invenirent, Orientalium nihilominus Eccleſiarum, quemadmodum cæteras Pauli, ita & hanc veluti canonicam ſuſcipientium, authoritati adhærendum ſtatuit (b): quam & ipſe interdum Pauli nomine allegat, ſæpiùs tamen *Epiſtolam ad Hebræos* tantummodo appellat.

Ex Latinis Patribus nemo occurrit, tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis, qui Pauli nomine eam apertè produxerit. Quædam Scripta S. Cypriano falsò adſcripta, v. g. Liber de Operibus Cardinalibus, & Symboli expoſitio, veluti ab Apoſtolo contextam allegant; nunquam tamen ita legitur in genuinis hujus Patris Operibus. An Pauli hæc fuerit, Euſebii Cæſarienſis ætate (c) inter Eccleſiæ Romanæ Authores adhuc non convenerat. Philaſtrius a plurimis Paulo eam eripi teſtatur; at ſimul hanc opinionem hæreticam nuncupat (d). S. Iſidorus Hiſpalenſis in Libro de Eccleſiaſticis Officiis, & Rabanus Maurus de Clericis educandis, ſeu veterum, v. g. Hieronymi, teſtimonia tantùm tranſcripſerint, ſive alicujus coætanei Authoris ſententiam produxerint, plures Latinos eſſe ajunt adhuc dubitantes, an Apoſtolus hanc Epiſtolam tradiderit: *Ad Hebræos Epiſtola pleriſque Latinis ejus eſſe incerta eſt, propter diſſonantiam ſermonis*.

Hæc omnium validiſſima ſunt, quæ ad noſtram ſententiam impugnandam afferantur. Quibus tamen teſtimoniis objicienda eſt omnium Latinorum Patrum authoritas & conſenſus, qui a quarto & quinto deinde ſæculo Pauli nomine eamdem Epiſtolam allegarunt (e). Hujuſmodi ſunt Hilarius, Ambroſius, Presbyter Romanus Fauſtinus,

(m) *Hebr.* x, 34. Legit Vulgata: *Nam & vinctis compaſſi eſtis*. Græcus verò habet: *Vos meis vinculis compaſſi eſtis*: Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε.

(n) *Clemens. Alex. hypot. apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 6, c. 14; & Strom. l. 2, p. 420; & l. 4, p. 514; & alibi.*

(o) *Origen. l. 3 contr. Celſ. p. 143; Philocal. p. 17, 55. Protrep. ad Mart. & l. de orat. p. 89, 97, 99; hom. 1, 2, 3, 4 in Cant. Comment. in Joan. p. 56, 58, 416; & alibi paſſim.*

(p) *Idem apud Euſeb. lib. 6 Hiſtor. Eccl. c. 5.*

(q) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 3, c. 3 & 32, & alibi.*

(r) Videri poſſunt teſtimonia congeſta apud Spanhem. *Tract. de Authore Epiſt. ad Hebr. part. 1, c. 6*; Tillemont, note 72 ſur S. Paul; *Mill. Prolog. Ep. ad Hebr.*

(s) *Hier. Catal. de Cajo; & Euſeb. l. 6, c. 14.*

(t) *Hier. in Ezech. xxviii.*

(u) *Idem in Matth. xxvi.*

(x) *Idem in Ep. ad Tit. ii.*

(y) *Idem Epiſt. 129: Hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur Ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiæ, & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi.* (z) *Aug. l. 16 de Civit. c. 22.* (a) *In Ep. ad Rom. Expoſit. inchoatâ, p. 931, n. 11.* (b) *De peccat. merit. l. 1, c. 27.*

(c) *Euſeb. l. 3 hiſt. c. 3.* Ὅτι γεμήν τινὲς ἠθετήκασι τὴν πρὸς Ἑβραίους πρὸς τῆς Ῥωμαίων Ἐκκλησίας, ὡς μὴ Παύλου οὖσαν αὐτὴν, ἀντιλέγεσθαι φήσαντες, οὐ δίκαιον ἀγνοεῖν. (d) *Philaſt. hæreſ. 41.*

(e) *Vide apud Spanhem. Tract. de Authore Ep. ad Hebr. part. 2, c. 7.*

ſtinus, Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, Rufinus, Paulinus, Innocentius I in Sacrorum Librorom Catalogo, Idacius, Bacchiarius, Sedulius, Caſſianus, Cerealis, Fauſtus Rhegienſis, Victor Uticenſis, Gregorius Magnus, & alii ſexcenti; omnes enim fermè Patres, & Concilia ab eo tempore in hanc ſententiam convenere.

Ex Recentioribus pauciſſimi ſunt, qui peculiarem opinionem invexerint. Grotius Epiſtolam hanc Lucæ adſcribit (*f*); Clementi Papæ Eraſmus (*g*); Lutherus (*b*) & Beza (*i*) Apolio; Barnabæ Camero (*k*); aut Lucæ, aut Clementi Calvinus; Joſeph Scaliger Helleniſtæ alicui (*l*); Ludovicus Vives (*m*), Cardinalis Cajetanus [*n*], Eraſmus Schmidius, Tanaquil Fabri (*o*), Salmaſius (*p*), & fortè alii nonnulli, an verè Apoſtoli habenda ſit, ambigebant. Quanti verò pauciſſimos hos Criticos faciam, ſi cum fermè innumeris ætatum, Societarum & Communionum omnium Scriptoribus conferantur, qui unâ voce Epiſtolam ad Hebræos Paulo adſcribendam eſſe cenſuerunt?

Quæ adversùs hanc ſententiam objiciuntur, facilè etiam evertimus; quæ quidem, cùm contrarias refelleremus opiniones, aliquatenus jam refutavimus. Validiſſimum adverſarii argumentum inde ducunt, quòd hujus Epiſtolæ ſtilus a cæteris Pauli Epiſtolis longiſſimè abſit. De hac, quam perſpicuam ducimus, diſcrepantiâ non diſceptamus. An, quod & nunc ſæpè uſu venit, ſtilum Paulus mutare non potuit? An Epiſtolam, Tractatum, Diſſertationem diverſâ ratione non texuerit? Utrùm hæc Epiſtola, an Liber ſit, adhuc incertum. Epiſtolarum more plane non incipit; Author inſuper de ſcripti brevitate excuſationem poſtulat [*q*]. Si Liber, utique perbrevis; ſi Epiſtola, longior.

Paulus præterea aut Lucæ aut Clementis operâ uti non potuit, ut ſtilo politiori hanc Epiſtolam inſtrueret (*r*)? Ita vulgo amicorum operâ ſolemus exercitationes noſtras reſtaurare, ut rudiores locutiones expoliant, ut de iis ſermonis erroribus, in quos vel diligentiſſimi ſæpè incidunt, admoneant. Intactis Pauli ſententiis in cæteris ejus Epiſtolis, eæ utique & clariores reddi poſſunt & elegantiores. Quod fortè & huic Epiſtolæ contigit. Eorum ſententiam prætermus, qui Epiſtolam a Paulo Hebraicè primùm exaratam, & ab alio deinde Græce redditam arbitrantur. Quod nos utique defendi non poſſe, paulò pòſt oſtendemus.

Spanhemius, qui in hanc rem laboris plurimum impendit, hujus Epiſtolæ ſtilum a cæteris Pauli Epiſtolis non longiſsimè diſtare teſtatur, plurimaſque locutiones, quæ in cæteris occurrunt, eumdem ratiocinandi modum, eumdem ordinem, eaſdem periodos, eoſdem Pauli hebraiſmos, rariores quidem & politiores, ſatis tamen perſpicuos, etiam huic Epiſtolæ ita interſeri oſtendit, ut ejus Author, ſicut & cæterarum, Paulus apertiſsimè dignoſcatur.

ARTICULUS II.

Quâ linguâ hæc Epiſtola ſcripta fuerit.

DUplex hac de re ſententia, quarum altera Hebraicè, altera Græcè ſcriptam defendit. Clemens Alexandrinus (*s*), Euſebius (*t*), Theodoretus [*u*], Græcus Anonymus apud Oecumenium (*y*), & nonnulli Recentiores (*z*), Paulum, quòd ad Judæos ſcriberet, patriâ eorum linguâ ad eos Epiſtolam hanc dediſse, & Lucam, ſeu Clementem Græcè reddidiſse ſuſpicati ſunt. Hinc, juxta Hieronymum, factum eſt, ut cæteris elegantior ſit; etenim Paulus, inquit Hieronymus, *ſcripſit ut Hebræus Hebræis Hebraicè, ideſt ſuo eloquio diſertiſſimè, ut ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentiùs verterentur in Græcum* a Luca, qui Græcè politior erat Paulo; *& hanc cauſam eſſe, quòd a cæteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur.*

Pauli Archetypum Hebræum brevì deperditum fuiſse ferunt, cùm ex Veteribus nemo unus illud ſe vel vidiſse vel noviſse meminerit. Quod mirum non eſt, cùm Matthæi Evangelium, plurimis in locis maximo in honore habitum, & ab Origene & Hieronymo perlectum, duodecim ab hinc retro ſæculis penitùs interciderit. Nil felicius & huic Epiſtolæ fortè obtigit. Ejus autem Græca verſio, quam Lucas reddidit, facilè in causâ fuit, cur in Hebræo Archetypo ſervando ſtudium remiſsius adhi-

(f) *Grot. in Epiſt. ad Hebr.*
(g) *Eraſm. in c. XIII ad Hebr.*
(h) *Luther in Geneſ. XLVIII, 20.*
(i) *Beza in Ep. ad Hebr.*
(k) *Camero, qu. 2 in Ep. ad Hebr.*
(l) *Joſeph. Scalig. in excerpt. voce Helleniſta.*
(m) *Lud. Vives in Lib. 16, c. 22; D. Auguſt. de Civit.*
(n) *In Epiſt. ad Hebr.*
(o) *Tanaq. Fab. l. 2, Ep. 14.*
(p) *Salmaſ. de Primatu Papæ, apparat. p. 19.*
(q) *Hebr. XIII, 22: Etenim, perpaucis ſcripſi vobis.*
(r) *Origen. apud Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 6, c. 25; Eſt. in Epiſt. ad Hebr. qu. 2, Bellarm. l. 2 de Verbo Dei, c. 27; Hyperius Prolegom. in Epiſt. ad Hebr.*
(s) *Clem. Alex. Hypotyp. apud Euſeb. l. 6, c. 14 hiſt. Eccl.* Ἡ πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴ Παύλου μὲν εἶναι. Γεγράφθαι δὲ Ἑβραίοις Ἑβραϊκῇ φωνῇ. Λουκᾶν δὲ φιλοτίμως αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα, ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησι. ... δὲ διὰ τὸν Κλήμεντα τοῦτον αὐτὸν ἑρμηνεύσαντα λέγουσι τὴν γραφήν. Ὃ καὶ μᾶλλον εἴη ἂν ἀληθὲς, τὸ τὸν ὅμοιον τῆς φράσεως χαρακτῆρα, τήν τε τοῦ Κλήμεντος Ἐπιστολῆς, καὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους ἀποσώζειν.
(t) *Euſeb. hiſt. l. 3, c. 38:* Ἑβραίοις γὰρ διὰ τῆς πατρίου γλώττης ἐγγράφως ὡμιληκότος τοῦ Παύλου, οἱ μὲν τὸν εὐαγγελιστὴν Λουκᾶν, οἱ ...
(u) *Theodoret. Præf. in Ep. ad Hebr.* Γέγραφε δὲ αὐτὴν τῇ ἑβραίων φωνῇ. ἑρμηνευθῆναι δὲ αὐτήν φασιν ὑπὸ Κλήμεντος. (x) *Anonym. apud Oecum. Præf. ad Ep. ad Hebr.* Πρὸς γὰρ Ἑβραίους τῇ σφῶν διαλέκτῳ γραφεῖσα, ὕστερον μεθερμηνευθῆναι λέγεται, ὡς μέν τινες, ὑπὸ Λουκᾶ, ὡς δὲ οἱ πολλοὶ, ὑπὸ Κλήμεντος.
(y) *Hier. Catalog. in voce Paulus. Agobard. Epiſt. ad Fredegeſ.*
(z) *Ambroſiaſt. Primaſ. Haymo, Tena, prælud. 4; Riber. Baron. Albert. Vidmanſtad. Guido Fabricius, Matth. Galeaus, Cornel. a Lap. Quidam Codd. Græci apud Mill. ad calcem hujus Epiſtolæ; Toſſan. Zanchius, Salmaſ. de Helleniſticâ, parte 2: alii plures apud Spanhem.*

beretur; cùm omnes & Palæſtinæ & Provinciarum Judæi, ad Fidem converſi, Græcè vulgò loquerentur.

Eruditi nonnulli, ceu Vidmanſtadius, & Guido Fabricius, qui omnium primi Novum Teſtamentum Syriacè ediderunt, Epiſtolam ad Hebræos, quæ nunc Syriacè exſtat, Pauli Archetypum duxerunt. Paulum enim, & quidem jure, Syriaci ſermonis peritum putabant: quem ſermonem & Judææ & Syriæ Hebræi tamquam vernaculum adhibebant. Verùm ipſe Textus Syriacus hanc opinionem refellit, plura ſuppeditans argumenta, quæ verſionem, utique vetuſtiſsimam, ex Græco depromptam, eſſe ſatis oſtendunt. Extat etiam hæc Epiſtola Hebraicè edita; quam tamen recentiorem eſſe verſionem, & ex Græco deſumptam, omnes conſentiunt.

Qui primùm Græcè ſcriptam defendunt, pauciores ſunt numero, ſed validioribus præſtant argumentis. Clemens Alexandrinus, Euſebius, & Hieronymus, qui Hebraicè primò editam credidere, auctoritate ſuâ Veteres pleroſque in eamdem ſententiam impulerunt. Quæ quidem opinio ad id contulit, ut difficultatem a ſtili diverſitate ductam, & eos, qui Epiſtolam Paulo adſcribunt, graviſsimè urgentem, facilè ſolverent. Paulus enim, inquiunt, Hebraicè ſcripſit, adeoque elegantiùs, cùm patrio & naturali ſermone ſcriberet. Stili verò ſimilitudinem inter Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam Clementis Papæ, & Acta Apoſtolorum, inde ortam ſtatuunt, quòd Epiſtolam illam Lucas ſeu Clemens ex Hebræo in Græcum tranſtulerint.

Si verò hæc propiùs diſpiciamus, nihil levius, nihil infirmius. Clemens Alexandrinus Hebræum Archetypum neque ſibi ſpectatum, neque de nomine agnitum ſcribit. Suam dumtaxat de eo conjecturam profert. Apud Origenem [a], rerum earum peritiſsimum, & Hebræis Archetypis quærendis prorsùs addictum, mirum eſt de eo ſilentium: qui tamen hanc Epiſtolam Græcè exaratam memorat; ſtili verò diverſitatem in Clementem aut Lucam refert, qui de Pauli juſſu ſuâ eloquentiâ eam Epiſtolam exornaverint. Euſebius & Hieronymus neque rem inveſtigarunt diligentiùs, neque Hebræum Archetypum agnovere: quod ſanè nunquam extitiſſe colligitur ex eo, quòd eorum uterque in monumentis hujuſmodi effodiendis ſolertiſsimè laboraverint. Hebræum Matthæi Evangelium, quòd eorum adhuc ætate extaret, & producunt & allegant; nunquam verò Hebræam ad Hebræos Epiſtolam.

Si quis Syriæ & Palæſtinæ Hebræos, ad quos potiſsimùm Epiſtola miſſa dicitur, nonniſi Hebraicè loqui ſolitos arbitretur, ipſe ſe decipiat; hæ enim Provinciæ Græcum æquè ac Hebræum vulgo uſurpabant (b). Si verò cum Spanhemio (c) dicas ad omnium Provinciarum Orientalium Hebræos miſſam, ut Hebraicè ſcriberetur nil poſtulabat; in omnibus enim Orientis regionibus, in quibus Iſraëlitæ degebant, ab Alexandri Magni victoriâ, Græcus ſermo ita obtinuerat, ut Helleniſtarum plerique, qui incolebant Provincias, Syriacam ignorarent (d). Petrus, Jacobus, & Joannes, æquè ac Paulus, ad Hebræos, non Hebraicè tamen, ſed Græcè ſcripſere; cur igitur Paulus ad eos Hebraicè ſcripſerit?

Quòd Hebræus ſermo patrius Paulo fuerit, vernaculum autem, ut ajunt, perfectiùs quàm exterum callemus: duo hic falſa ſunt. I, Patrius Pauli ſermo Græcus fuit; Tharſi enim celeberrimæ urbis cives, Ciliciæ Metropoleos, quæ elegantiam & dicendi venuſtatem æquè ac Alexandria & Athenæ oſtentabat [e], Græcè loquebantur; cujus linguæ peritiſſimus Paulus vel Poëtas evolverat. Quòd vero ejus Epiſtolæ nobis obſcuræ videantur, in cauſâ eſt non Græci ſermonis ignorantio, ſed Apoſtoli ingenium acre, vividum, atque fœcundum. Neque profectò ea ſtili obſcuritas Hebraici ſermonis ingenio tribuenda eſſet; qui illius perſpicuitati potiùs erat ſerviturus, cùm ab iis inverſionibus, & tranſpoſitionibus, quibus Græcus ſæpè implicatur, prorſus abhorreat. Græcus igitur ſermo Paulo patrius; Hebræus ſtudio paratus. II, Naturali ornatiùs quàm per ſtudium acquiſito ſermone nos ſemper loqui, minimè conſtat: contrarium potiùs experimento non ratò compertum eſt. Quare licèt Syriacum Paulo naturalem, & Græcum ſtudio comparatum fateremur, tamen Apoſtolum eleganter minùs, minùſque ornatè Græco quàm Syriaco ſermone loquutum, jure non colligeres.

Græcè primùm ſcriptam fuiſſe, ipſa per ſe Epiſtola ſatis oſtendit. Alluſiones in eâ, quæ tantùm in Græco ſonant (f), locutiones, periodi, ſtilus perſpicuum, & quidem origine, non verſione, Græcum præferunt. Pauciores in hac, quàm in cæteris Pauli Epiſtolis, hebraiſmi; quos, ſi Hebraicè primùm vel Syriacè ſcripta fuiſſet, frequentiores utique reperiremus. Author non ex Hebræo, ſed ex Græcâ Verſione Scripturas allegat, & ratiocinationes a Græcarum vocum ſignificationibus, juxta Helleniſtarum ſeu Græcorum ſtilum, depromptas quandoque interſerit: quæ ſi Hebraicarum vocum valorem ſervent, vim omnem amittunt [g]. Septuaginta e. g. Hebræum ברית *Berith* plerumque vertunt διαθήκην *Diatheken*. *Berith* fœdus, *Diathеke* Teſtamentum ſonat: quare apud Helleniſtas *confirmare Teſtamentum* eſt *fœdus confirma-*

(a) *Origen. apud Euſeb. l. 6, c. 26, hiſt. Eccl.* Ὁ χαρακτὴρ τῆς λέξεως τῆς πρὸς Ἑβραίους Ἐπιστολῆς, οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγῳ ἰδιωτικὸν τοῦ Ἀποστόλου. Ἀλλ' ἐστὶν ἡ Ἐπιστολὴ συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα, ὡς πᾶς ὁ ἐπιστάμενος κρίνειν φράσεων διαφορὰς ὁμολογήσαι ἄν.

(b) *Talmud, Megilla, fol. 71, col. 2, & 3; & in Sota, fol. 21, col. 2; & in Schekalim, par. 3, halac 2.*

(c) *Spanhem. part. 1, c. 2, de Auth. Ep. ad Hebr.*

(d) *Hieronym. Proœmio in Ep. ad Galat.*

(e) *Strabo, l. 16.*

(f) *Hebr. v, 8:* Ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε. xi, 37: Ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν.

(g) *Vide Hebr. i, 7, ii, 7; iv, 12; v, 6.*

Digitized by Google

mare. Epiſtolæ Author, nullâ habitâ ratione Hebraicæ ſignificationis vocis *Berith*, *Diathekeu* uſurpat; & inde collectionem ducit, quæ ad *fœderis* ſignificationem nullâ ratione refertur. Hebræorum denique nominum, quorum meminit, v. g. *Melchiſedech*, interpretationem exhibet (*h*), unde argumenta depromit: quæ, ſi Epiſtola ſcripta fuiſſet Hebraicè, fruſtra & præter rem prorſus caderent.

Veteres, qui hanc Epiſtolam a Clemente Græcè verſam duxerunt, in quam ſententiam, poſt Euſebium Cæſarienſem, vulgò conceſſum eſt, Clementem Hebræum ortu minimè fuiſſe, ipſumque Hebraici ſermonis peritum nullo argumento oſtendi poſſe non animadvertunt, Priſci ſaltem Scriptores illum aut Græcum putarunt, aut Romanum. Nulla itaque veri ſpecies, quòd Epiſtolam ad Hebræos ex Hebræo in Græcum tranſtulerit. Qui verò eidem Clementi Epiſtolam omnino adſcribunt, meliori quidem ratiocinatione utuntur; ſed falſum prorſus enunciant, uti nos ſuperiore articulo ſatis oſtendimus. Hujus igitur Epiſtolæ Author certè Paulus, qui eamdem, uti & cæteras, Græcè exaravit. Ita Origenes, & Critici peritiores (*i*).

ARTICULUS III.

Ubi, quando, ad quos, & qua de causâ hæc Epiſtola ſcripta fuerit.

ANte Jeroſolymitani Templi everſionem ſcripta hæc Epiſtola ſatis oſtenditur ex iis, quæ de Sacerdotibus & Legis Sacrificiis Author tradit; qui etiam in Italiâ eam ſe dediſſe oſtendit, quòd Hebræos Italorum Fratrum nomine ſalutet (*k*): *Salutant vos de Italiâ Fratres*. Chryſoſtomus (*l*), Theodoretus (*m*), Codex Alexandrinus (*n*), aliique nonnulli Romæ ſcriptam aſſerunt (*o*), paulò antè, vel paulò pòſt quàm Paulus vinculis ſolveretur: alii verò in aliquâ ex Italiæ Urbibus datam malunt; ſi enim Romæ ſcripſiſſet, Apoſtolus id ſaltem vel innuiſſet, neque Hebræos Italorum, ſed Romanorum Fratrum nomine ſalutaſſet.

Quidquid ſit, eam profectò ſcripſit, quo tempore vinculis omnino ſolutus, vel proximè ſolvendus erat; de his enim veluti de re præteritâ loquitur (*p*): *Nam & vinculis meis compaſſi eſtis*; ſeque unà cum Timotheo ad eos venturum pollicetur, ſi is ſtatim venerit. Nos itaque cum veterum & recentiorum Interpretum & Cronologorum plurimis (*q*), anno Chriſti LXIII, Neronis imperantis X, hanc Epiſtolam Paulum dediſſe tum credimus, cùm poſtquam biennio Romæ carcere detentus fuerat, tandem a Nerone eſt dimiſſus; & paulò pòſt alteras ad Philippenſes (*r*) & ad Philemonem (*s*) dedit, quos etiam ſe quantociùs inviſurum ſpondet.

Cùm Judæi increduli Hebræos Fideles acriter vexarent (*t*), & eorum bona impunè invadentes, ad extremam egeſtatem eos redegiſſent (*u*); miſerorum ſolatio hanc potiſſimùm ad eoſdem Epiſtolam miſiſſe Apoſtolum arbitramur, qua ad patientiam, & ad Divini Judicii expectationem omnes hortatur: unâque fortè ſtudet, ut a mœrore, quem de Jacobi Minoris Epiſcopi ſui circiter ante annum (*x*), Anano jubente, e Templi faſtigio deturbati funere perceperant, animos erigant, & ſolatium accipiant. Huc fortè ſpectabat, cùm ſcriberet (*y*): *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem*. Gratias præterea iis agit, quòd de ſe vinculis obſtricto condoluerint (*z*).

Cùm veritatis lumen in omnes regiones effundere cuperet, & de Legalium, & Sacrificiorum, quæ in Templo offerebantur, inutilitate, quemadmodum ſibi perſuaſum erat, ita cæteros perſuaſos vellet, de Chriſti amplitudine primò ſermonem inſtituit, eumque laudibus cumulatum & Angelis & Moyſi anteponit. Ejus deinde Sacrificii & Sacerdotii virtutem confirmat; hinc Sacerdotii Aaronici & Sacrificiorum legalium abrogationem colligit; novum Fœdus, novumque Teſtamentum, quod Veteri ſucceſſurum Prophetæ promiſerunt, Chriſti eſſe Religionem oſtendit. Deſcripto denique longo Patriarcharum, Prophetarum, & Veteris Teſtamenti Sanctorum, quorum merita & Fidem commendat, catalogo, nos per Fidem Deo acceptos fieri demonſtrat.

Cùm verò non modò apud Judæos incredulos invidioſum eſſe nomen ſuum ſciret, verùm etiam apud Judæos quoſdam fideles, quòd ipſum Legis & cæremoniarum hoſtem ducerent; illud ſapienter ſilet, ſuamque Apoſtoli dignitatem neque initio præponit, neque alio totius Epiſtolæ loco interſerit (*a*). Veritates autem, quas ſta-

(h) *Hebr.* VII, 2.
(i) *Eſt. Proleg. in Ep. ad Hebr. Du Pin, Spanhem. de Auth. Epiſt. ad Hebr. p. 2, c. 2, Mill. var. lect. in Epiſt. ad Hebr. Grot. Piſc. Jac. Capell. Ligfoot. Hamm. Le Clerc, alii plures.*
(k) *Hebr.* XIII, 24.
(l) *Chryſ. in Ep. ad Rom. Proleg.*
(m) *Theodoret. Proleg. in Rom.* Μετὰ τοῦτο Ἑβραίοις ἐπέστειλε, καὶ τοῦτο δὲ γε ἀπὸ Ῥώμης.
(n) *Mſ. Alex. ad calcem hujus epiſt.* Πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης.
(o) *Capell. append. ad hiſt. Apoſt. Spanhem. part.* 2, *c.* 4, *n.* 8; *Baron. Blondel. Uſſer.*
(p) *Hebr.* X, 34.
(q) *Chryſ. Theodoret. Proleg. in Ep. ad Rom. Theophyl. Proleg. in Ep. ad Hebr. Baron. Blondel. Uſſer. Spanhem. Tillemont. alii paſſim.*
(r) *Philipp.* I, 26: *Per meum adventum iterum ad vos.*
(s) *Philem.* V. 22: *Para mihi hoſpitium; nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.*
(t) *Hebr.* X, 32, 33.
(u) *Hebr.* X, 34.
(x) Anno Chriſti LXII in Paſchalis feſto. *Vide Euſeb. l.* 2, *c.* 23, *hiſt. Eccl.*

(y) *Hebr.* XIII, 7. (z) *Hebr.* X, 34. (a) *Clem. Alex. apud Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 6, *c.* 14: Οὐ προγέγραπται δὲ τό, Παῦλος Ἀπόστολος εἰκότως. Ἑβραίοις γὰρ ἐπιστέλλων πρόληψιν εἰληφόσι κατ' αὐτοῦ, ὑποπτευόντων αὐτὸν συνετῶς πάνυ οὐκ ἐν ἀρχῇ ἀπέστρεψεν αὐτοὺς τὸ ὄνομα θεὶς. *Hieronym. catalog. voce Paulus. Quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputavit. Idem in Epiſt. ad Gal.* I; *Theodoret. Ambroſiaſt. Chryſoſt. Præf. in Ep. ad Hebr.*

ſtatuere aggreditur, ita confirmat, validis adeò argumentis fulcit, eâque animi moderatione proponit, ut vel pervicaciſſimi atque inimiciſſimi ſuavi quadam vi in ejus ſententiam pertrahantur. Præterea, quòd propriè Hebræorum non eſſet Apoſtolus [*b*], ſapienter a ſuo nomine abſtinuit, ne id quod ad ſolatium & documentum ſcripſerat, in offenſionem & perniciem verteretur. *Principium ſalutatorium*, inquit Auguſtinus (*c*), *de induſtriâ dicitur omiſiſſe, ne Judæi, qui adversùs eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus offenſi, vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum ſalutem ſcripſerat*. Illud etiam accedit, quòd propter ſtudioſiſſimam erga Chriſtum, de quo totâ Epiſtolâ diſſerere ſtatuerat, reverentiam, a ſuo nomine & dignitate abſtinuerit [*d*].

Quòd Pauli nomen Epiſtolâ non præferatur, quoſdam idcircò Pauli non eſſe opinatos ſcio (*e*). Veteres quidem, ut eam Paulo eriperent, hoc uſi ſunt argumento (*f*). Alii Epiſtolæ initium periiſſe cenſuerunt (*g*). Nos verò in adverſarios argumentum cum Primaſio optimè torquemus (*h*): Si Pauli non eſt hæc Epiſtola, quòd Pauli nomen non præferat; neque erit alterius, cùm nulllus nomine inſcribatur; vel ſummum, ſi ad aliquem, ad Authorem Incognitum & anonymum pertinebit. Atqui hanc Epiſtolam iis notis diſtingui, ut Paulo omnino tribuenda ſit, & revera a Græcis ſemper, a Latinis verò quarto ab hinc ſæculo el adſcriptam fuiſſe, ſatis ſuperque oſtendimus: igitur Paulus ejusdem Anthor cenſendus eſt, quamquam in eâ Pauli nomen non legitur.

Veterum & Recentiorum Interpretum plerique miſſam ad Jeroſolymæ & Palæſtinæ Judæos hanc Epiſtolam ſtatuunt (*i*), quibus ſanè Hebræorum nomen potiſſimùm congruebat, cùm cæterorum Provinciarum Hebræi Helleniſtarum nomine appellarentur. Cùm Apoſtolus ad eos inviſendos ſe venturum (*k*) ſpondet, nonniſi Palæſtinos, & Jeroſolymitanos præſertim, alloquitur: qui enim omnes omnino Imperii Provincias ſe peragraturum promitteret? Cæterùm eos peculiariter deſcribit, ubi eos æquo animo bonorum rapinam pertuliſſe meminit [*l*]. Judæi, qui nomen Chriſto dederant, gravioribus in Judæâ, quàm in cæteris orbis partibus, calamitatibus ab ipſis fratribus afficiebantur, quòd Hebræi Fidei hoſtes validiores ibi eſſent & ſtudioſores, ut Chriſti nomen prorſus everterent.

At ſi Paulus ad Palæſtinæ Judæos potiſſimùm ſcripſit, quî verom ſit id quod antea aſſerimus, videlicet Petrum hujus ad Hebræos Epiſtolæ in ſuâ ad eosdem per varias Aſiæ Provincias effuſos meminiſſe; cùm utrumque Apoſtolum ad eosdem homines literas dediſſe exiſtimaremus?

Hanc everſurus difficultatem Spanhemius (*m*) reſpondet, I, eam fortè Epiſtolam ad omnium Aſiæ Provinciarum Judæos fuiſſe directam; id quod utique, freti iis quæ antea diximus, penitùs rejicimus. II, Apoſtolum ad Palæſtinæ Hebræos potiſſimùm ſcripſiſſe, atque idcirco iis præſertim ſe citò ad ipſos venturum promiſiſſe: quo tamen minimè prohiberi, quin Epiſtola ad omnes, ad quos Petrus poſt annum circiter ſcripſit, perveniret; quare Petrus de rebus difficillimis antea Paulum ad eos ſcripſiſſe, meritò in eorum memoriam revocavit. Hæc maximè probabilis eſt, quæ afferatur, ſolutio; ſed multis tamen difficultatibus adhuc obvolvitur.

Illud utique in hac Epiſtolâ animadvertendum, quòd Paulus ſolos Hebræos Fideles alloquatur, neque ullo documento eorum Præſules inſtituat [*n*]. Hebræos tantummodò rogat, ut ſuis Præſulibus ſuo nomine ſalutem impertiant; ut iisdem obſequium & obedientiam præſtent; ut eorum mores & fidem imitentur; ut denique officia omnia erga ipſos æquo animo impleant. Quod quidem in Pauli ſapientiam & modeſtiam referendum ducimus; Eccleſiæ enim Jeroſolymitanæ Præpoſitis, qui vel ex Apoſtolis erant, vel ex Chriſti Diſcipulis, in quos nulla ipſi erat authoritas, ſe noluit Præceptorem exhibere.

Animadvertendum præterea, in vetuſtis plurimis libris [*o*], & iis fermè omnibus, quos S. Epiphanius evolvit (*p*), Theodoreto, Authore Synopſeos ſub Athanaſii nomine, Euthalio, Mſ. Alexandrino, & ut alios plurimos prætereamus, altero Coiſlinianæ Bibliothecæ vetuſtiſſimo (*q*), quinti nempe, ut ajunt, vel ſexti ſæculi, ſtatim poſt ſecundam ad Theſſalonicenſes hanc ad Hebræos Epiſtolam recenſeri. Qua de causâ id factum ſit, incertum. Sunt qui id factum putent, ut Epiſtolæ ad Eccleſias ſimul congeſtæ, ab iis, quas Paulus ad quoſdam privatos dedit, ſecernerentur [*r*]. Eccleſia, teſte Theodoreto (*s*), poſt Epiſtolas ad Theſſalonicenſes, hanc ſtatim con-

(b) *Clem. Alex. apud Euſeb. l. 6. c. 14, hiſt. Eccl.* Ἤδη δὲ ὡς ὁ μακάριος ἔλεγε πρεσβύτερος, ἐπεὶ ὁ Κύριος ἀπόστολος ὢν τοῦ παντοκράτορος, ἀπεστάλη πρὸς Ἑβραίους, διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος, ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος, οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων ἀπόστολον.

(c) *Aug. Expoſit. inchoatâ ad Rom. n. 11, p. 931.*

(d) *Clem. Alex. loc. citato, Theodoret. apud Oecumen.* Διὰ τὴν πρὸς τὸν Κύριον τιμὴν οὐκ ἐγγράφει ἑαυτόν. *Hier. in c. 1 ad Gal. Non fuit congruum, ut ubi Chriſtus Apoſtolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apoſtolus poneretur.*

(e) *Cajet. Calvin. Eraſm. Grot. Camero.*

(f) *Vide Athanaſ. Dialog. 1 de Trinit. & Theodoret. Prolog. in Epiſt. ad Hebr.*

(g) *Gerhard. & Hyper. in Ep. ad Hebr.*

(h) *Primaſ. Præfat. in Ep. Pauli: Si propterea Pauli non erit, quia ejus non habet nomen, nec alicujus eſt, quia nullius nomine titulatur. Quod ſi abſurdum eſt, ipſius magis credenda eſt, qua tanto doctrina ſua fulget eloquio.*

(i) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Ambroſiaſt.*

(k) *Hebr.* XIII, 23. (l) *Hebr.* X, 34. (m) *Spanhem. de Auth. Ep. ad Hebr. part. 2. c. 3, n. 8, 9.*

(n) *Hebr.* XIII, 17, *&c.* (o) *Alex. Petit.* 3, *Reg.* 2, *Colb.* 7, *Tres Miſſ. penès Bezam, & Cod.* 29 *Biblioth. Coiſlin.* (p) *Epiphan. hæreſ.* 42, *Marcionis.* (q) *Cod.* 202 *Biblioth. Coiſlin.* (r) *Beza, Mill.*

(s) *Theodoret. Præfat. in Epiſt. ad Hebr.* Θαυμαστὸν οὐδὲν δρῶσι οἱ τὴν Ἀρειανικὴν ἀσδεξάμενοι νόσον, κατὰ τῶν Ἀποστολικῶν λυττῶντες γραμμάτων, καὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴν τῶν λοιπῶν ἀποκρίνοντες, καὶ νόθον ταύτην ἀποκαλοῦντες.

conſtituit, ut inter Canonicas Epiſtolas, & inter Pauli ſcripta hanc quoque a ſe enumerari oſtenderet. Addit Theodoretus, hanc inde ab Arianis amotam, poſt Epiſtolas ad Titum & Philemonem locatam fuiſſe, ut eam Paulo eriperent, & canonicam ejus authoritatem everterent.

ARTICULUS IV.

De Canonicâ authoritate Epiſtolæ ad Hebræos.

CUm hanc Epiſtolam Paulo tribuendam ſatis apertè probaverimus, an inſpirata, ſeu canonica ſit, facile eſt pronunciare. Paulum Spiritûs Sanĉti lumine perfuſum fuiſſe, nemo unquam negavit; qui verò canonicam hujus Epiſtolæ authoritatem impugnant, eo ducuntur, vel quòd Pauli non eſſe defendant, ut Ariani [t], vel quòd vitiatam & truncam aſſerant, ut Marcionitæ (u). Clementem Papam, cui eam nonnulli tribuêre, inter Divinos & afflatos Scriptores Eccleſia nunquam recenſuit. Sententia quæ Lucæ ſeu Barnabæ eam adſcribit, nullo argumento validè probatur. Si igitur hæc ad Hebræos Epiſtola ab Apoſtolo exarata eſt, uti luce clariùs oſtendimus, divinitus diĉtata ducenda eſt, & Divinæ authoritatis habenda.

Ad hanc canonicam authoritatem, quam veluti intrinſecam appellamus, Patrum teſtimonium, & unanimis Eccleſiæ conſenſus accedunt. Græci ſemper, Latini verò a quarto & quinto ſæculo, tamquam canonicam exceperunt. Clemens Alexandrinus (x), Origenes (y), Euſebius (z), Dionyſii Alexandrini, & Concilii Antiocheni ad Paulum Samoſatenum Epiſtolæ, Alexandri Alexandrini ad Concilium Conſtantinopolitanum Epiſtola (a), S. Athanaſius [b], S. Cyrillus Jeroſolymitanus (c), Concilii Laodiceni canon ſexageſimus, S. Epiphanius [d], S. Baſilius [e], S. Gregorius Nazianzenus (f), S. Gregorius Nyſſenus (g), S. Amphilochius (h), S. Gregorius Thaumaturgus [i], Titus Boſtrenſis [k], S. Ephrem (l), & alii canonicam ac Divinam & acceperunt & allegarunt, & Hæreticorum notâ eamdem rejicientes inuſſerunt.

Theodoretus [m] veteres arguit, quòd hanc Epiſtolam rejicerent, contra Eccleſiæ, quæ illam ipſius ætate tamquam Pauli fœtum agnoverat, authoritatem, & contra ipſum Euſebii teſtimonium, qui veluti a Paulo exaratam & canonicam eamdem jam allegaverat; quamvis hunc ſuorum dogmatum Patronum appellarent. S. Hieronymus hæc habet (n): *Illud noſtris dicendum eſt, hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolùm ab Eccleſiis Orientalibus, ſed ab omnibus retrò Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi.* Et alibi etiam abſolutè ait [o]: *Epiſtolam ad Hebræos omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum.*

Diutiùs equidem Latina Eccleſia rem perpendit, & ſeriùs Paulum ejus Authorem agnovit, atque inter canonicas eam recenſuit. Euſebii Cæſarienſis, Hieronymi, Auguſtini, Philaſtrii, Iſidori Hiſpalenſis, & Rabani Mauri eâ de re ſententiam ſupra attulimus. Cajus Eccleſiæ Romanæ Presbyter, anno CCX, Pontifice Zephyrino regnante, Romæ diſceptans, omiſsâ Epiſtolâ ad Hebræos, cæteras Pauli tresdecim tantùm enumerat. Author Commentarii in Apocalypſim, ſub nomine S. Victorini, nihil habet de Epiſtolâ ad Hebræos. Hilarius Diaconus, & Pelagius, qui Apoſtoli Epiſtolas interpretati ſunt, hanc ad Hebræos prætermiſere. Neque Cyprianus, neque priorum trium ſæculorum Patres eam unquam producunt; Euſebius verò ſuâ adhuc ætate rejectam a pluribus Eccleſiis, veluti a Paulo alienam, teſtatur [p].

S. Hieronymus inter Canonicas Scripturas a Latinis Eccleſiis non recenſeri ſolitam affirmat (q): *Quòd ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, &c.* Alibi etiam [r]: *Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias: octava enim ad Hebræos a pleriſque extra numerum ponitur.* Et alibi (s): *Eam Latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipit.* Alibi demum (t): *De monte hoc* [Sion], *& de hac Civitate* (Jeruſalem) *& Apoſtolus Paulus, ſi tamen in ſuſcipiendâ Epiſtolâ* [ad Hebræos] *Græcorum authoritatem Latina lingua non reſpuit, &c.* S. Auguſtini ætate ab eâ inter Canonicas recenſendâ abſtinebant, quòd Pauli ſalutationem ei præpoſitam non invenirent (u): *Unde nonnulli eam in Canonem Scripturarum recipere timuerunt.* Eodem reſte, plerique Paulum ejus Authorem eſſe, nonnulli verò non eſſe, defendebant (x): *Quamplures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt; quidam verò negant.*

Auguſtinus nihilominus in Libris de Doctrinâ Chriſtianâ (y) quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerat; adeòque inter cæteras, de quibus nullum eſt diſcrimen, hanc etiam recenſet, eamque veluti canonicam ubique allegat; quam & Carthaginienſe Concilium (z) Librorum Sacrorum Catalogo inſertam exhibet. S. Hieronymus, qui ei

(t) *Vide Theodoret. Præfat. in Epiſt. ad Hebræos.*
(u) *Epiphan. hæreſ. 42; Hieronym. Proœm. in Epiſt. ad Titum.*
(x) *Clem. Alex. apud Euſeb l. 6, c. 14. hiſt. Eccl.*
(y) *Origen. apud Euſeb. l. 6, c. 25 hiſt. Eccl.*
(z) *Euſeb. l. 3, c. 31. hiſt. Eccl.*
(a) *Apud Theodoret. l. 1, c. 3. hiſt. Eccl.*
(b) *Athanaſ. de Nicæn. Decret. de Synod. Epiſt. ad Serapion. &c.*
(c) *Cyrill. Jeroſol. Catech. 4.*
(d) *Epiphan. hæreſ. 42, & 59.*
(e) *Baſil. Conſtit. Mon. c. 22, & alibi.*
(f) *Nazianz. carm. 34. & orat. 2.*
(g) *Nyſſen. de hypoſt. t. 3, p. 35.*
(h) *Amphiloc. apud Greg. Naz. car. 125.*
(i) *Greg. Thaumat. Expoſit. fidei alterâ.*
(k) *Tit. Boſtr. comm. in Luc. xxiii.*
(l) *Ephr. Syr. de virtut. & vit. p. 51; de torment. inferni p. 204; & alibi.*
(m) *Theodoret. Præfat. in Ep. ad Hebr.*
(n) *Hier. Epiſt. 129 ad Dardan.*
(o) *Idem Ep. 126 ad Evagrium.*
(p) *Euſeb. l. 6, c. 20, hiſt. Eccl.*
(q) *Hier. Epiſt. 129 ad Dardan.*
(r) *Idem, Ep. 103 ad Paulin.*

(s) *Hier. Comment. in Iſai. viii.* (t) *In Zachar. viii.* (u) *Aug. Expoſit. inchoatâ in Ep. ad Rom. n. 11.*
(x) *Aug. l. 16 de Civit. Dei, c. 22.* (y) *Aug. de Doctr. Chriſt. l. 2, c. 8.*
(z) *Concil. Carthag. III, c. 27.*

ei quandoque parum favere viderur, eam ſæpè tamquam Scripturam Sacram laudat & in Epiſtolâ ad Dardanum veterum potiùs, quàm Latinorum quorumdam eam reſpuentium., authoritari adhærens, ſe veluti canonicam eam excipere profiretur [a]: *Nos tamen utraque* (Apocalypſim, & Epiſtolam ad Hebræos) *ſuſcipimus; nequaquam bujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes, qui plerumque utriusque abutuntur teſtimoniis, non ut interdum de apocryphis facere ſolent, ſed quaſi Canonicis & Apoſtolicis.*

A quarto & quinto ſæculo tamquam Pauli & canonicam a Latinis Patribus ſæpiſſimè allegatam ſcimus, videlicet a S. Hilario (*b*), Lucifero Calaritano [*c*], S. Ambroſio (*d*), Rufino [*e*], Salviano (*f*), Caſſiano [*g*], Innocentio I in Epiſtolâ ad Exuperium, Hilario Diacono, ſeu Ambroſiaſtro in ſecundam Epiſtolam ad Tirum, cap. 1, Phæbadio (*h*), Victorino [*i*], denique a cæteris, quos ad Latinorum Patrum, eam tamquam Pauli excipientium, traditionem comprobandam, paulò ante recenſuimus. Concilia etiam, Mſs. & Eccleſiæ Latinæ Scriptores in Scripturarum Canonicarum Catalogis, quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerant.

Latini priorum etiam ſæculorum Authores non defuere, qui hanc veluti Divinam produxerint. Clemens Papa in ſuis ſæpè ſcripris & ſententias & locos ex eâ interſerit, quamvis ejusdem Authorem non prodat. S. Irenæus in Libris adversùs hæreſes ejus authoritatem adhibet (*k*). Tertullianus (*l*) eamdem allegat, quamvis alibi Barnabæ adſcribat. Novatianus (*m*) ejusdem teſtimonium producit. Hieronymus [*n*] a Veteribus Latinis exceptam innuit, cùm Veterum authoritatem ſequutus, quidquid dicant Recentiores, eam ſe ſuſcipere profiteatur: *Nequaquam bujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes*. Stephanus Gobar ex numero eorum (*o*), qui Epiſtolam ad Hebræos receperunt, Hippolytum & Irenæum tantummodò excipit; & inter eos, qui Apoſtolum ejus eſſe Authorem agnovere, a Clementem Papam, & Euſebium recenſet. Cæterùm ab Irenæo tamquam canonicam allegari, paulò antè meminimus. Ipſi Ariani in hæreſeos exordio eam minimè rejecerant; Marcion denique ejus Authorem Paulum non negavit, ſed ab aliis vitiatam cenſuit.

Novatianorum hæreſim, quæ ſub tertii ſæculi exitum gliſcere cœpit, in causâ fuiſſe credimus, quòd Latina Eccleſia ab hac Epiſtolâ inter Canonicas recenſendâ tamdiu abſtinuerit; cùm enim Hæretici illi quibusdam ejus locis (*p*) ad ſuos de pœnitentiâ errores comprobandos abuterentur, ſapienter Eccleſia ei Epiſtolæ authoritatem adjiciendam non eſſe cenſuit, quam neſarii in Fidei perniciem detorquebant. Ortis deinde Arianis ſub quarti ſæculi exordium, cùm hi ad ſuos adversùs Conſubſtantialitatem & æternitatem Verbi errores confirmandos aliis ejusdem Epiſtolæ (*q*) locis improbè uterentur, e re fuit, ejus authoritatem ſilentio adhuc præterire. Marcionitas, qui ſecundo Eccleſiæ ſæculo Italiam invaſerunt, eidem ſilentio ſatis contuliſſe Spanhemius arbitratur [*r*]. Quidquid fuerit, illud ſanè conſtat, quarto & quinto ſæculo de canonicâ Epiſtolæ ad Hebræos authoritate Latinam Eccleſiam cum Græcâ conſenſiſſe; tredecim ab hinc ſæculis Apoſtolus ſine diſcrimine ejus Author habetur; eam denique eidem Apoſtolo vindicavit etiam Tridentinum Concilium, a quo & inter canonicas, & inter Pauli Epiſtolas enumerata eſt.

DIS-

(a) *Hieron. Ep. 129 ad Dardan.*

(b) *Hilar. l. 4 de Trinit. p. 21.*

(c) *Lucif. Calar. de non conveniendo cum hæreticis.*

(d) *Ambroſ. de fide ad Gratian. l. 1, c. 4. &c.*

(e) *Rufin. Expoſit. Symbol. apud Cyprian.*

(f) *Salvian. l. 4 ad Eccleſ. Catholic.*

(g) *Caſſian. collat. 1, c. 14.*

(h) *Phæbad. lib. contr. Arianos.*

(i) *Victorin. Afer, adversùs Arium, l. 1, 2; & tract. de Homouſ.*

(k) *Iren. l. 2, c. 25; & l. 4, c. 21, 24.*

(l) *Tertull. contra Judæos c. 2; & contra Marcion. l. 2, c. 8, & de pudicit. c. 20.*

(m) *Novatian. lib. de Trinit. c. 15.*

(n) *Hieronym. ad Dardan. Ep. 129.*

(o) *Apud Phot. Cod. 232:* Κλήμης μὲν γὰρ, καὶ Εὐσέβιος, καὶ πολλοὶ ἄλλοι τῶν θεοφόρων πατέρων ὁμιλοῦ ταῖς ἄλλαις συναριθμοῦσι ταύτην ἐπιστολαῖς.

(p) *Vide Hebr.* VI, 4. 6; X, 26, 27; XII, 15, 16, 17.

(q) *Hebr.* I, 3, 4; & III, 2.

(r) *Spanhem. de Authore Epiſt. ad Hebr. parte* 5, c. 8, *art.* 11, 12, 13, 14.

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE MELCHISEDECHO.

PRæclaræ adeò tantæque ſunt laudes, quibus Paulus in ſuâ ad Hebræos Epiſtolâ Melchiſedechum (*a*) ornat, eæque adeò inter ſe pugnare videntur, ut ipſe Apoſtolus de iis diſſerendi difficultatem agnoſcat, quamvis Hebræos Scripturarum peritos, & metaphoricas Synagogæ Doctorum explanationes audire ſolitos, alloquatur [*b*]: *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum.* Quibus Apoſtoli verbis, ac rei magnitudine & difficultate territus Hieronymus, a verbis de hoc argumento faciendis omnino abſtinuit; ſemperque abſtinere decreverat, niſi aſſiduis Evagrii amici ſui precibus, ut aliquid diceret, tandem adductus fuiſſet (*c*). Alii verò Critici [*d*], perpenſis iis quæ de Melchiſedecho prodita ſunt, multum adhuc abeſſe ajunt, ut res e tenebris omnino emergat. Sibi denique mutuò adverſantium de Melchiſedecho opinionum varietas, nil niſi rem in dies intellectu difficiliorem fieri oſtendit.

Orientales & Græci, fabulis addictiſſimi, quamdam Melchiſedechi genealogiam effodiunt, per quam & avorum, & Parentum nomina producunt. Cùm verò mendacium ſe ipſum frequenter everiat, alii hoc, alii illo modo eamdem genealogiam intexunt. Hi Ægyptium, illi Chananæum, alii Aſſyrium Melchiſedechum ſtatuunt. Plures cum Patriarchâ Semo, plures cum Chamo, plures etiam cum Enocho confundunt. Sunt qui Angelum, qui Divinam Virtutem, qui Spiritum Sanctum, qui denique ipſum Dei Filium conſtituant. Nonnulli a Phalego Heberi filio ejus originem ducunt, nonnulli cujuſdam Præadamitarum ſtirpis Genitorem appellant; alii tandem, ut Paulum, qui abſque patre, abſque matre, abſque genealogiâ Melchiſedechum aſſeruit, interpretentur, ex humili & pudendâ progenie ortum cenſent; neque deſunt, qui nothum ſeu non legitimum aſſerant.

Varias has ſententias, & earum præcipua argumenta hic modò exhibebimus; & ubi, quæ omnino abſona ſunt, rejecerimus, ea quæ majorem veri ſpeciem præferunt, producemus.

S. Epiphanii ætate fuerunt, qui parentes Melchiſedechi certis nominibus deſignarent [*e*], *Herculem* nempe ſive *Heraclam* patrem illius, matrem verò *Aſtaroth* ſive *Aſteriam* appellantes. Catena Arabica [*f*] ejus genealogiam paternam ex Semo, maternam ex Japheto derivans, *Heraclam* ſive *Heraclim* patrem Melchiſedechi, filium *Phalegi* filii *Heberi*, ſeu verius *Phalegi* nepotem, & *Heberi* filium facit; matrem verò, quam *Salathielem* appellat, filiam ſtatuit *Gomeri* filii *Japheti*, filii *Noë*.

Joſephus (*g*) Gorionides, Hebræus Scriptor circa undecimum ſæculum (*h*), Melchiſedecho alterum nomen, *Joboram* nempe ſeu *Joram*, inducit, ſidusque ejus ortui præſidens *Sedech* [Planeta eſt Jovis] appellat; urbem verò, cui præerat, primùm *Jebus*, deinde *Sedech*, [unde nomen Melchiſedech, ſeu Regis *Sedech*] poſtea *Salem* denominatam teſtatur. Inanibus his refellendis non immoramur: ſatis eſt ea proferre, ut eorumdem levitas dignoſcatur.

Michael Glycas (*i*), Georgius Cedrenus [*k*], & alii (*l*) Melchiſedechum ex Ægypto ducunt, eique patrem tribuunt *Sidonem*, ſeu *Sidam*, urbis *Sidonis* conditorem, & filium Regis *Ægypti*. Illum verò addunt in monte Sion urbem *Salem* ædificaſſe, & poſt exactos in virtutibus exercendis & virginitate colendâ tredecim imperii annos, ſine liberis obiiſſe. Idcircò, ſubdit Cedrenus, a Paulo ſine patre, ſine matre, & ſine genealogiâ appellatur, quòd ex electâ progenie ortum non duxerit, quòd ejus parentes improbi fuerint, quòd & ipſe in Chanaaniticis regionibus imperaverit.

Suidas (*m*) ex eodem, uti credimus, fonte, ex quo ſuperiores, nempe ex Libris apocryphis, Melchiſedechi ortum hauſit. Hunc fuiſſe Dei Sacerdotem, Chananæorum Regem, in monte Sion urbis *Salem* [urbis nempe pacis] conditorem, & poſt annos Regni tredecim, ne ductâ quidem uxore, vitâ exceſſiſſe tradit: quòd denique ex impio Chananæorum genere prodierit, ejus genealogiam a Scripturâ prætermitti teſtatur.

Accipe hiſtoriolam [*n*], ſeu veriùs fabellam depromptam ex incognito Authore Græ-

(a) *Hebr.* VII, 1, 2, 3, *&c.*
(b) *Hebr.* V, 11.
(c) *Hier. ad Evagr. ſeu ad Evangelum: Fateor, volui diſſimulare ſententiam, nec me periculoſo & φιλεγκλήμονι immiſcere tractatui, in quo quodcumque dixiſſem, reprehenſores habiturus forem: ſed rurſum cùm Epiſtolam relegerem, & invenirem in extremâ pagellâ miris me obteſtationibus adjuratum, ac ſpernerem peccatorem, revolvi Veterum Libros, &c.* Et poſt multa: *Paulus difficultatem rei proœmio exaggerat, dicens: De quo multus nobis ſermo eſt, & ininterpretabilis. Si vas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile confitetur, quanto magis nos vermiculi & pulices, ſolam debemus ſcientiam inſcientia profiteri?*
(d) *Vide Schlegell. quæſt. de perſonâ Melchiſed. initio; Spanhem. de Author. Ep. ad Hebr. part.* 1, *c.* 5, *n.* 3, *Abul. Cajet.*
(e) *Epiphan. hæreſ.* 55, *c.* 2. Καὶ γὰρ παρά τισι τοῦ Μελχισεδὲκ ὁ πατήρ τι, καὶ μήτηρ ἐμφέρεται .... Εἶπον δέ τινες, Ἡρακλᾶν καλεῖσθαι αὐτοῦ πατέρα, μητέρα δὲ Ἀςαρὼθ, τὴν ἢ Ἀςερίαν. (f) *In Geneſ.* IX. (g) *Ben Gorion, l.* 6, *c.* 31. (h) *Vide* Baſnage, *tom.* 7, *c.* 7, *Edit. Pariſ.* (i) *Glycas, annal. p.* 135. (k) *Cedren. l.* 1, *p.* 27. (l) *Simon Logoth. apud Cang. ad Chronic. Paſch. p.* 500. (m) *Suidas in Melchiſed.* (n) *Apud Athanaſ. tom.* 3, *pag.* 239, *nov. Edit.*

Græco, & quidem vetuſtiſſimo, cùm in Codicibus ante ſeptem ſæcula exaratis occurrat. Scriptor, ut authoritatem operi ſuo conciliet, Athanaſii nomen, tanti quidem Doctoris injuriâ, temerè inſcribit. Regina quædam, Salem appellata, in Urbe ejusdem nominis imperans, filium Salaad peperit. Salaad ex uxore tulit Melchi; qui deinde uxore Salem ductâ, duos filios genuit, majorem natu Melchi, juniorem Melchiſedechum. Cùm autem Melchi utriusque pater Diis (erat enim Ethnicus) immolare ſtatuiſſet, Melchiſedechum filium ad ſeptem boves ſeligendos miſit. Paruit ille; ſed inter eundum Divino lumine illuſtratus, & Idola nihil eſſe intelligens, vacuus ad Patrem rediit, cui etiam Idololatriæ vanitatem exprobravit. His dictis offenſus Melchi, filium ad quærendas iterum victimas miſit. Interim Salem uxorem allocutus, alterum e filiis omnino Diis eſſe mactandum aſſeruit; quare majorem natu Melchi ſorte eductum ſacrificio deſtinavit. Tres & quingenti filii a patribus oblatis, & trecenti a matribus, aliæque innumeræ victimæ unà cum Filio Regis mactandæ adductæ ſunt. Redux Melchiſedech, cùm tantum facinus ferre non poſſet, in montem Thabor ſe recepit, ibique a Deo petiit, ut terra dehiſcens omnes, qui ad Idolorum Templum convenerant, abſorberet. Quare non modò Templum, ſed & urbs ipſa, & omnes incolæ repentino terræ motu & hiatu abſorpti ſunt.

Quæ ut ille reverſus aſpexit, terrore correptus, montem Thabor iterum aſcendit, & opacam ſylvam ingreſſus, ibi ſeptennio ſubſtitit, ſine veſte, ſylveſtribusque tantùm fructibus paſtus, rorem, quem ſuper herbas delapſum lambebat, in potum adhibens. Interim ejus ungues ad palmi longitudinem crevere, capilli usque ad latera deſcenderunt, & teſtaceâ cruſtâ dorſi pellis incalluit. Septennio elapſo, Abraham a Deo monitus virum quæſivit; quem nactus, veſtibus operuit, ac benedictionem ex illo, a Deo juſſus, petiit. Uterque deinde e monte deſcenderunt, & triduo pòſt Melchiſedech oleo Abrahamum inunxit, benedixit, nomenque Abram in Abraham commutavit. Succeſſu temporis, Abrahamo poſt cæſum exercitum Chodorlahomoris & fœderatorum regredienti occurrit Melchiſedech, vini pateram offerens, in quam panis fruſtulum clam injecerat. Vinum illud non modò Abrahamo potum dedit, ſed trecentis etiam & duodeviginti viris, qui Abrahamum comitabantur, quique trecentorum & duodeviginti Nicæni Concilii Patrum figura erant; quemadmodum panis ille & vinum erant oblationis in noſtris Altaribus faciendæ myſterium.

Si ſolummodò ejus novitas perpendatur, tota fabella facilè corruit. Concilii Nicæni tamquam diu anteà peracti meminit (*o*). Melchiſedechum Sacerdotem Altiſſimi in æternum manere, Author ſtatuere videtur. Apud Veteres eſt perpetuum de Melchiſedechi parentibus ſilentium; & de eodem Pauli teſtimonium per ſe corrueret, ſi vel uno verbo Scriptura parentum illius meminiſſet. Omnia denique hujus fabellæ inania adjuncta ejus commentum & vanitatem præſeferunt.

Ad graviora nos convertamus. Scriptor quidam [*q*], cujus extat opuſculum in tertio nuper edito Auguſtini volumine [*r*], ait, Melchiſedechum non hominem fuiſſe, ſed Spiritum Sanctum, qui, ſpecie hominis aſſumptâ, Abrahamo ſe videndum obtulerit.

Opuſculum iſtud *Evagrius*, ſeu veriùs *Evangelus*, vel *Evangelius* (*s*), ad Hieronymum miſit, ejus de eodem ſententiam rogans. Cùm igitur eâ occaſione S. Doctor veteres Patres conſuluiſſet, deprehendit Origenem, & Didymum in eâ eſſe ſententiâ, ut Melchiſedechum Angelum crederent: verùm, inquit, Hippolytus, Irenæus, Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Emiſſenus, Apollinaris, Euſtathius Antiochenus, aliis quidem verbis, ſed uno ſenſu, Melchiſedechum Chananæum fuiſſe, & Regem Salem, alio nomine Jebus, ſive Jeruſalem, ſatis conveniunt. Hæc utique ſententia multo plurimos quàm cæteræ nacta eſt fautores, & magis ad veri ſpeciem accedit. Oſtendit præterea Hieronymus, hunc Regem ſatis expreſſam Jeſu Chriſti figuram exhibuiſſe, utpote qui Rex Salem, ſive Rex pacis eſſet, Rex ſimul & Sacerdos; Sacerdos verò in æternum ante Legem, ut Jeſu Chriſti Sacerdotium ſignificaret: ejus inſuper Genealogiæ atque parentum in Scripturis nullam fieri mentionem, non quòd ille Dei unius manu conditus, e cœlo lapſus eſſet, ſed quòd in Abrahami hiſtoriâ recenſeatur, ne indicatâ quidem ejus genealogiâ, atque obitûs vel ortûs tempore. Hæc omnia myſterium tegunt, quod quidem Apoſtolus in Epiſtolâ ad Hebræos divinâ nobis eloquentiâ reſerat.

Tria ſunt argumenta præcipua, quibus Scriptor ille Melchiſedechum eſſe Spiritum Sanctum, convincere nitebatur. I, Melchiſedecho alia ab Abrahamo, & humanâ præſtantior potuit eſſe naturâ, cùm Abraham ſanctitate maximus, cum eo collatus, minimus exhibeatur: *Sine dubio quod minimum eſt a meliore benedicitur*, inquit Apoſtolus [*t*], cùm de benedictione ageret, qua Abrahamo Melchiſedechus bene precatus eſt. Solent interdum Sacerdotes iis hominibus benedicere, a quibus ipſi virtute ſuperantur. Præterea Sacerdotium homines coram Deo præſtantiores per ſe minimè conſtituit.

(o) Οὗτοί τε καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες κατὰ καιρὸν ἑορτάσαν ἐν τῇ Νικαίων πόλει.

(p) Καὶ διὰ τὸ εὐαρεστῆσαι αὐτὸν τῷ Θεῷ, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές.

(q) Is creditur eſſe Hilarius Diaconus Romanus ſub Liberio, poſtea Schiſmaticus Luciferianus. Bellarminus *l. 2 de Sacram. c. 10; & l. de Script. Eccleſiaſt.* Eraſmus *præfat. in idem Opus;* Viegas *in Apocalypſ. 11;* Eſtius *in c. VII Ep. ad Hebr.* & alii credunt hoc opus eſſe, quod Evangelus ad S. Hieronymum miſit. *Vide nov. Edit. S. Auguſt.*

(r) *Quæſtiones ex utroque Teſtamento mixtim*, p. 106, 107, 108: *Similis Dei Filio non poteſt eſſe, niſi ſit ejusdem naturæ. Et quid incredibile videtur, ſi Melchiſedech ut homo appareat, cùm intelligatur tertia eſſe perſona? . . . Jam ambo ſimiles eſſe leguntur, & unius eſſe diſpenſationis, quia unius ſunt & naturæ.*

(s) *Vide nov. edit. S. Hieron. t. 2, p. 570*, ubi dicuntur omnia Mſſ. habere *Evangelum* ſeu *Evangelium* pro *Evagrio*.

(t) *Hebr.* VII, 7.

tuit. Cùm igitur Melchiſedechus neque meritis, neque juſtitiâ, neque Sacerdotio Abrahamo præſtantior eſſe poterit, reliquum eſt, ut ei naturâ præſtiterit. *Per hæc apparet, Melchiſedech ultra hominem eſſe, quia non erat, unde melior eſſet Abraham, niſi ſolâ præcedat illum naturâ.*

II, Melchiſedechi ſeu principium, ſeu finem, ſeu genealogiam, ſeu parentes reperire non eſt: ille neque ortu incepit, neque conſumptus eſt obitu: nonne igitur Deus habendus? III, Utique & juxta Apoſtolum, *Aſſimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum* (u). At Filii Dei ſimilitudinem referre non poteſt, niſi eâdem naturâ potiatur. Filius Dei primus Sacerdos in æternum; Melchiſedech, ſecundus. Filius Vicarius eſt atque Altiſſimi Sacerdos; eſt & Spiritus Sanctus: quamvis autem utrique eadem ſit natura, Perſonarum ordo expoſcit, ut Filius ante Spiritum recenſeatur.

(u) *Hebr.* VII, 3.

Quibus omnibus ita occurrimus. I, Apoſtolus per totam ad Hebræos Epiſtolam, & hic potiſſimùm ubi de Melchiſedecho, ex more Judæorum ejus temporis, de Chriſti Sacerdotio, quod cum Sacerdotio Aaronis confert, allegoricè loquitur. Quòd Melchiſedech Chriſtum, ejusque Sacerdotium ſignificaret, eum idcircò Aarone præſtantiorem oſtendit. Quidquid de eo dicit aut ſilet Scriptura, in ejus laudem vertit. Quidquid Sacri Libri de Melchiſedecho præclarum ferunt, in Chriſto præſtantiſſimè impletur. De ejus ortu, morte, & genealogiâ ſilentium, myſterio vacuum non cenſetur ab ipſo Apoſtolo, qui Melchiſedechum & Jeſum Chriſtum Aaroni anteponendos, inde colligit.

II, Ille, de quo explicat Paulus ea, quæ de Melchiſedecho afferuntur, allatarum rationum vim omnem mirè confirmat: quæ rationes, ſi de alio quolibet enuncientur, omne robur amittunt. Quid enim convinceret, qui ita argueret: Seu Parentum, ſeu ortûs, ſeu obitûs, ſeu ortûs Theſbitæ Eliæ Scriptura non meminit; ille eſt igitur æternus atque immortalis? Apoſtolus præterea Fideles, qui Chriſti Divinitatem, ejusque æternum Sacerdotium jam certo tenebant, allegoricis Scripturarum explicationibus aſſuetos, alloquebatur: quæ quidem dicendi ratio alios minimè urgeret. Melchiſedechum enim Meſſiæ figuram fuiſſe, Meſſiam verò æternum Sacerdotem eſſe atque immortalem, principii & finis expertem, Deum denique verum, verumque hominem eſſe, ſi quis Ethnico dixerit, hic ænigma ſibi proponi putabit, eaque omnia ſibi perſpicuè probari expoſcet. Apoſtolus verò eos, quos alloquebatur, horum omnium optimè conſcios norat.

III, Benedicentem, hac ſaltem in re, eo, cui benedicitur, præſtantiorem eſſe, ultrò fatemur; quare hac habitâ ratione Melchiſedechum Abrahamo digniorem agnoſcimus. Hic verò nos de Abrahami virtutibus aut meritis, cum Melchiſedechi ſanctitate collatis, minimè inquirimus, ſermo tantummodo fit de benedictione, qua Sancto Patriarchæ Sacerdos ſanctus bene precatus eſt. Eâ in re Melchiſedechum Abrahamo majorem eſſe, negat nemo. Hinc verò alterius fuiſſe naturæ, colligi non poteſt, quin plus æquo ratiocinatio Apoſtoli protrahatur. Allegorica autem argumenta nunquam nimis urgenda ſunt.

IV, Similitudo, qua Melchiſedechus Dei Filium ſignificabat, non naturam afficit, ſed Sacerdotium. Hic Pauli mens ſiſtit, neque fertur ulteriùs. Spiritus Sanctus nunquam Sacerdos in Scripturâ appellatur, nunquam per hominis ſpeciem ſe Patriarchis videndum exhibuiſſe, nunquam benedixiſſe Abrahamo, nunquam ab eo decimas accepiſſe, nunquam denique in Salem imperitaſſe narratur. Hæc omnia verè atque hiſtoricè de homine narrantur. Apoſtolus utique non Trinitatis Perſonam ſed hominem cum Chriſto comparat. Tota Veteris Teſtamenti cum Novo collati diſpenſatio in eo conſiſtit, ut perſona aliqua conſtituatur in figuram Meſſiæ, & ejusdem ad eumdem Meſſiam relatio inſtituatur. Hic de Chriſto explicandus occurrit Melchiſedech, alibi verò vel Iſaac, vel Moyſes, ſeu David, Samſon, Salomon. Paulus denique hîc (x) *Filio Dei aſſimilatum* Melchiſedechum aſſerit, adeoque inferiorem ſtatuit; omnino igitur abſonum eſt, Melchiſedechum cenſeri Spiritum Sanctum; hic enim conſubſtantialis Filio eſt, coæternus, & prorſus æqualis.

Theodotus Trapezita, Theodori Coriarii Diſcipulus, tertio ineunte ſæculo, hæreſim *Melchiſedechianorum* invexit (y). Hanc ſectam, quòd Theodoti Coriarii errores profiteretur, S. Epiphanius (z) *Theodotianorum* ramum appellat, qui Jeſum Chriſtum, licèt e Matre Virgine ortum, & Spiritûs Sancti virtute generatum, hominem merum eſſe ajebant (a). Melchiſedechiani igitur Melchiſedechum non hominem eſſe, ſed cœleſtem Virtutem, ipſo Jeſu ſuperiorem, comminiſcebantur; Melchiſedech enim (b), dicebant, mediator eſt Angelorum; hominum verò tantùm Chriſtus. Addebant, Chriſtum non niſi imaginem Melchiſedechi fuiſſe, juxta Pſalmum (c): *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Huic denique viro neque patrem fuiſſe, neque matrem; ejusque principium & finem minimè comprehendi poſſe aſſerebant.

(x) *Hebr.* VII, 3. Τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ ἀφωμοιωμένος.

(y) *Theodoret. hæret. fabul. l.* 2, *c.* 6.

(z) *Epiphan. hæreſ.* 55.

(a) *Tertull. in Catalog. ad finem lib. de præſcript.*

(b) *Tertull. loc. cit. Aug. hæreſ.* 34.

(c) *Pſal.* CIX.

Hæreſim hanc S. Epiphanius fuſè refellit; & Melchiſedechum ex iis, quæ ex Moyſe accepimus, & ex ipſis Apoſtoli verbis [d], *cujus generatio non annumeratur in eis, &c.* hominem fuiſſe ſatis oſtendit. Non igitur, inquit, ſine genealogiâ Apoſtolus Melchiſedechum ſtatuit, ſed eam tantummodo inter Hebræorum genealogias non recenſeri monet. Si Melchiſedechus, addit, Paulo teſte [e], *aſſimilatus eſt Filio Dei*, Filius Dei Melchiſedecho prior eſt & ſuperior; non enim laudis argumentum eſt, quòd dominus, v.g. ſervo, aut ſuperior ſit inferiori ſimilis.

(d) *Hebr. vii, 6.*
(e) *Hebr. vii, 3.*

Ut commenta ſua aſſererent Melchiſedechiani, libellos quoſdam ſuppoſuerunt, quos canonicorum Authorum nominibus inſcribebant (*f*). Hæc hæreſis brevi deſiit. Tertio exeunte ſæculo, ætate, qua Diaconus Hilarius ſuam, quam paulò ante cum S. Hieronymo refutavimus, ſententiam prodidit, hanc hæreſim apud Ægyptios inſtauravit Hierax, qui patriâ Leontinus, Scripturarum peritiſſimus, moribusque integerrimus, Melchiſedechum eſſe eumdem cum Spiritu Sancto venditabat.

(f) *Vide Epiphan. hæreſ. 55. & Philaſtr. c. 52.*

Spiritum Sanctum eſſe æternum Sacerdotem inde probabat, quòd Paulus ad Romanos ſcripſerit [g]: *Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Oſtendebat præterea, Spiritui Sancto, non ſecus ac Dei Filio, neque Patrem fuiſſe in Cœlis, neque in terris Matrem: quam opinionem apocrypho de Iſaiæ Aſcenſione libro fulcire conabatur: *Et Angelus oſtendens mihi ſedentem a dextris Dei, loquutus eſt ad me, dicens: Quis eſt ille? & ego dixi: Tu ſcis, Domine mi. Qui dixit: Hic eſt Filius unicus & Dilectus Dei. Et ego rogavi, dicens: Quis eſt ille ſedens a ſiniſtris, & ſimilis Filio Dei? Reſpondit Angelus: Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis, & in Prophetis, qui aſſimilabatur unico Filio Dei.* Poſtrema hæc verba ad locum Epiſtolæ ad Hebræos [h] reſpiciunt; *Aſſimilatus manet Sacerdos in perpetuum.*

(g) *Rom. viii, 26.*
(h) *Hebr. vii, 3.*

Quæ Hieracis argumenta ita evertimus. I, Quòd Spiritus Sanctus pro nobis gemitibus inenarrabilibus poſtulet, hinc æternum eſſe Sacerdotem, jure non ſtatuitur. Hos gemitus in nobis excitat; ad preces nos impellit; piis ſanctisque votis nos imbuit; ut veniam mereamur, impertit; & quæ a Patre flagitamus, facit ut conſequamur. Quæ tamen omnia nequaquam ut Sacerdos præſtat. II, Latiſſimum diſcrimen eſt inter ea, quæ de Melchiſedecho in Scripturis afferuntur, quòd ſcilicet parentibus, & principio ac fine careat, ut ejus parentum nomina, & ortûs, & mortis tempora a Moyſe fuiſſe ſilentio prætermiſſa deſignetur; & inter ea, quæ Hierax aſſerit de Sancto Spiritu, cui utique neque principium, neque finem, neque parentes eſſe damus, cùm Deus ipſe ſit æternus atque infinitus. III, Aſcenſionis Iſaiæ authoritatem nihil moramur; illius enim opuſculi Author, cui Eccleſia nunquam credidit, iiſdem fortè, quibus Hierax, erroribus laborabat.

Aliud Melchiſedechianorum genus (*i*) Cedrenus & Zonaras commemorant, quos appellatos dicunt *Attinganos*, quaſi, ne inquinarentur, cæteros tangere non auderent: recentiores erant, & Manichæorum ramus videntur. Circumciſionem & Sabbathum reſpuebant; propriè neque Judæi erant, neque Ethnici, neque Chriſtiani. Eorum ſedes potiſſimùm in Phrygiâ. Si quid illis offerebatur, manu capere renuebant: quin & a qualibet re ex alio accipiendâ abſtinebant; ſi quid enim alteri tradere, aut viciſſim recipere vellent, illud vel humi ponebant, vel poſitum capiebant. Summus apud eoſdem Melchiſedechi cultus; cujus tamen rei gratiâ, ignoratur.

(i) *Vide Cedren. Zonar. Scaliger. ad Euſeb. p. 241; Timoth. Presbyt. CP. de receptione hæretic. p. 392, t. 3 Monument. Græc. Cotteler.*

Judæi, authore S. Hieronymo (*k*), & Samaritæ, teſte S. Epiphanio (*l*), Melchiſedechum eumdem eſſe ac Patriarcham Semum, filium Noëmi, putabant; quorum opinioni noſtrâ ætate quamplures adſtipulantur [*m*]. Semum natum credimus anno ab Orbe condito 1558, vixiſſe verò annos ſexcentos, & tandem anno 2158 occubuiſſe. Abraham natus anno 2008, annum agens LXXV, regionem Chanaan ingreſſus eſt anno 2083; Melchiſedechi verò benedictione donatus eſt anno 2092, anno LXVI antequam Sem e vivis excederet. Hinc Chronologia allatæ ſententiæ minimè adverſatur; aliunde tamen argumenta ſuppetunt, cur minimè credamus, quòd Sem in Chami portionem ſe contulerit; & Scriptura, quæ toties Semum memorans, ejus verum propriumque nomen recitat, nullâ de causâ illud mutaverit.

(k) *Hier. Ep. ad Evang. & Tradit. Hebr. in Geneſ.*
(l) *Epiph. hæreſ. 55.*
(m) *Vide Lyran. Abul. Cajet. Eugub. in Geneſ. xiv; Rupert. in Matth. 1; Galat. de Arcan. l. 10, c. 6; Genebr. in Chronic. Torniel. Annal. Moller. in Pſal. cx; Montacut. p. 216; Hugon. Brougton, & Joh. Valleſ. Suarez; alii apud Zeenum & Schiegel.*

Apoſtolus præterea Melchiſedechi genealogiam atque parentes omninò latêre aſſerit: Semum verò Noëmi filium ſcimus; genealogiam etiam ab Abrahamo usque ad ejus ortum, & ab ejus ortu usque ad Abrahamum & adhuc ulteriùs perſpicuam habemus. Moyſes denique ejus ortûs & obitûs annos recenſet. Qui verò nullos Altiſſimi Sacerdotes Abrahamo ſuperiores, præter Semum, tunc temporis exiſtere potuiſſe defendunt, pluribus obvolvuntur erroribus. Putant enim, Semum ex Noëmi filiis natu majorem, quod ſatis adhuc ambiguum; ſtatuunt præterea Sacerdotii dignitatem ad ſolos Primogenitos jure pertinuiſſe; quod pariter prorſus incertum. Quod de Abrahami meritis cum Sacerdotis ei benedicentis virtute collatis antea meminimus, hic præterimus. Quemlibet Sacerdotem, uti Sacerdos eſt, & eum qui alteri benedicit, illo, eâ ſaltem in re, præſtantiorem eſſe, nemo ignorat.

Qui

Digitized by Google

Qui Melchiſedechum cum Semo confundunt, illud præſtitere, ut Hebræorum plurimi (*n*), & plurimi etiam ex veteribus & tecentioribus Interpretibus [*o*], Rebeccam ad Melchiſedechi conſilium tum confugiſſe putaverint, cùm de duobus parvulis, quos utero gerebat, illud audivit: *Major ſerviet minori* [*p*].

Novus Author (*q*), ſententiarum temeritate celeberrimus, Melchiſedechum eumdem cum Chamo eſſe defendit: at quâ ratione laudes, quibus Scriptura Melchiſedechum cumulat, & notæ ſimilitudinis, quas Melchiſedechum inter & Meſſiam Paulus oſtentat, conciliaverit cum iis, quæ de Chamo ex Moyſe accepimus [*r*], qui, præterquamquòd ei in filio ſuo Chanaano Deus maledixit, potiùs reprobi typum refert, quàm Meſſiæ Prædeſtinatorum Capitis figuram? Hæc ſanè opinio ſatis ſuperque refellitur ab Authoribus, qui majori, quàm res mereretur, ſtudio in eam datâ operâ ſcripſerunt (*s*).

Gallus quidam in ſuo (*t*) Opuſculo, quod *Melchiſedech confutatus* inſcribit, Melchiſedechum eumdem eſſe ait ac Patriarcham Henochum, qui adhuc e vitâ non exceſſit, de quo etiam hìc dicitur: *Neque finem vitæ habet*. Quem Authorem Salianus validè retundit.

Alter, qui Librum quemdam edidit *Epiphaniam* inſcriptum, inſulſam de tribus Magis, Chriſti incunabula veneratis, fabulam intexuit (*u*). Hos enim eſſe defendit Henochum, Melchiſedechum, & Eliam. Tum de Melchiſedecho ita ſentit: cœleſtem nempe eſſe hominem, non terreno, ſed cœleſti conſtantem corpore, qui non ex Adami ſtirpe deſcendens, ante Adamum ipſum, imò ante lucis & mundi exordium a Deo eſt procreatus. Cùm verò de Melchiſedecho Apoſtolus ſcripſerit (*x*), *Aſſimilatum eſſe filio Dei*, inde ſtatim colligit, Filium Dei paulò ante Melchiſedechum, ejuſdem cum Melchiſedecho naturæ, procreatum: orbis initio quoſdam homines cœleſtes a Deo conditos, ut Dei Filium & Melchiſedechum; quoſdam verò terreſtres, ut Adamum: ad quos Paulum reſpexiſſe putat iis verbis [*y*]: *Primus homo de terrâ terrenus; ſecundus homo de Cœlo cœleſtis*. Dominum tandem Jeſum bis hominem eſſe factum, primùm cœleſtem, cùm cœleſte corpus induit ſub orbis initium, deinde terrenum, carne e Virgine aſſumptâ. Ab inani hac refutandâ opinione abſtinemus, quòd Petavius ejus vanitatem ſimul & impietatem validiſſime confutarit (*z*).

Judæorum nonnulli ex vitiato concubitu natum illum temerè dictitarunt; cùm ſive de ejus genere, ſive de parentibus nihil in S. Scripturâ [*a*]; quemadmodum nothorum parentes, quòd incogniti & incerti ſunt, ſilentio ſolent prætermitti. Illos Horatius nominat (*b*) *nullis majoribus ortos*. Livius etiam de Anco Martio Romanorum Rege ait [*c*]: *Ancus patre nullo, matre ſervâ*. Seneca demum (*d*) *duos Romanorum Reges eſſe* aſſerit, *quorum alter patrem non habet, alter matrem; nam de Servii matre dubitatur: Anci pater nullus; Numæ nepos dicitur*. Verumtamen quòd Scripturæ ſilentium hanc de parentibus Melchiſedechi rationem habuerit, non modò nullibi certò præfertur, ſed neque ullam veri ſpeciem oſtendit. Etenim ex eo ſilentio neque Melchiſedechi laudandi argumentum Paulus eruiſſet, neque ſimilitudinem cum Meſſiâ collegiſſet.

Melchiſedechum Filium Dei eſſe, qui per hominis ſpeciem ſe Abrahamo videndum exhibuerit, nonnulli Melchiſedechiani cenſuerunt (*e*). Quæ quidem opinio identidem nacta eſt fautores. Theodoſio Juniore imperante, Solitarium Ægyptium, Virum integerrimum, in hanc ſententiam veniſſe ferunt [*f*]; quare ad S. Cyrilli Alexandriæ Archiepiſcopi conſilium confugiens, & ab eo ad preces remiſſus, Deum triduo exoravit; & ad Cyrillum reverſus, Melchiſedechum non eſſe Filium Dei, ſed hominem faſſus eſt; quem & Patriarcharum ab Adamo prognatorum comitem per viſum inſpexerat.

Eidem ſententiæ & Rabbini quidem ſubſcribunt [*g*]; quam præ cæteris Petrus Cunæus enixè defendit [*h*]. Porrò vir iſte doctus omnes elegantiæ & eruditionis ſuæ nervos ad eam ſententiam probandam intendit: ſive autem eruditione, ſive elegantiâ, valet plurimum; intellexerat autem, infirmam adeò ſententiam omni virium ſuarum niſu indigere. Melchiſedechum ille non hominem, ſed Meſſiam ſtatuit, qui Abrahamo a quatuor Regum cæde regredienti ſe obvium exhibuit. Abraham verò, ſubdit, primò hominem credidit, ſed ſtatim majus quid & divinius eum eſſe ducens, eamquam Meſſiam venturum coluit, & muneribus decimiſque oblatis adoravit. Putat prætereà, eumdem Dei Filium aliquot poſt annos cum duobus Angelis iterum ſe Abrahamo obtuliſſe; qui & ejus tentorium ingreſſus, ejus quoque menſæ accubuit.

(n) *Jonathan Jeroſolym. aliique Rabb. pleriq.*
(o) *Aug. q. 72 in Geneſ. Theodoret. q. 76 in Geneſ. Coſm. Monach. l. 3, p. 217.*
(p) *Geneſ. xxv, 23.*
(q) Jurieu, hiſt. Critique des Dogmes, l. 1.
(r) *Geneſ. ix, 22, 25, 26.*
(s) *Lud. Borgeſ. hiſt. critic. Melchiſed. c. 4, 5; Chriſtoph. Vichmanc hanſ. Melchiſed. ab injuriâ deffenſ. Philipp. Olear. Diſput. de Cham maledicto, apud Fabric. Cod. Pſeudepigr. V. T. p. 33.*
(t) *Vide Salian. in præfat. in tom. 5 Annal.*
(u) Auzoles de la Peire, *impr. Pariſ. 1626. in 4.*
(x) *Hebr. vii.*
(y) *1 Cor. xv, 47.*
(z) *Petav. t. 3 Dogmat. Theol. Tract. de Opificio ſex dierum, l. 2, c. 4, art. 3.*
(a) *Apud Selden. curis ſecundis ad ſect. 1 de Decimis.*
(b) *Horat. l. 1, Sat. 6.*
(c) *Liv. lib. 4, c. 3.*
(d) *Senec. Ep. cviii.*
(e) *Epiph. hæreſ. 55.*
(f) *Coteler. Monum. Græc. t. 1, p. 423, 424.*
(g) *Rab. Moſes Hadarſan.* ומי הוא צדיק ונושע מלך המשיח
(h) *Petr. Cunæus de Republ. Hebr. l. 3, c. 3: Quoniam receptæ opinioni adverſari ipſa ratio mihi videtur, valentior eſſe omni authoritate debet veritas. Ego ſic exiſtimo, Melchiſedechum non hominem utique ex hominibus genitum, ſed divinioris naturæ fuiſſe... Profligaverat prælio Reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Fortè tunc in itinere obvium ſe illi tulit Filius Dei ſpecie humanâ, habitu Sacerdotis Regiſque indutus. Statim Abrahamus eſſe hoc majus quiddam celſiuſque ſenſit. Itaque quod ſub imagine latebat, mente coluit, & Meſſiæ ſummo Regi Sacerdotique, quem mortalibus olim dandum intelligebat, præſente præſens munera decimaſque obtulit.*

Hanc inter utramque apparitionem, addit Cunæus, illud tantùm intercedit, quòd ubi Filius Dei Abrahamo in convalle Mambre ſe exhibuit, perſpicue Dominus a Scripturâ appellatur; ubi verò ei fuit obvius in itinere, Melchiſedechus dicitur; cujus rei myſterium Davidi & Apoſtolo aperiendum Scriptura ipſa reliquit. Quare David id præſtiturus in Pſalmis (i) canit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, nempe tamquam Melchiſedech; quod utique Paulus fuſiùs tunc explicat, cùm ſcribit, e.g. Melchiſedechum *aſſimilatum eſſe Dei Filio*, nempe, eodem Cunæo authore, *Filium Dei, cùm in viâ Abrahamo occurreret, eum vultum eumque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem poſtea geſſit in terris*.

(i) Pſ. cix, 4.

Huc denique, ait, reſpexit Jeſus, ubi dixit Judæis (k): *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt*. Quod tunc factum eſſe innuit, cùm Filius Dei, ſeu Melchiſedech Abrahamo ſe obtulit.

(k) Joan. viii, 56.

De Melchiſedecho quiddam affert Chronicon Paſchale, quod ad Cunæi opinionem ſatis refertur [l]. Abraham aliquando Deum alloquutus, Domine, inquit, ſi Angelum tuum meâ ætate miſſurus es, fac illum videam. Cui Dominus: Angelum quidem meum non aſpicies, ſed ejus diei videbis imaginem. Deſcende, Jordanem trajice, & videbis. Trajecit ille, Melchiſedechum obvium aſpexit, agnovit, adoravit, diem Domini vidit, & gaviſus eſt.

(l) Chronic. Paſc. p. 49, Edit. Cang.

Hic verò Author a Cunæo valdè diſcrepat, quòd Melchiſedechum ex Chamo prognatum, & a Deo extra patriam regionem, uti Abrahamum, eductum putet; quem præterea ultrà ſeu ad Jordanis Orientem, uti Abraham citrà ſeu ad Jordanis occaſum conſtitit, ſtationem ſibi poſuiſſe teſtatur. Qua tamen in re toto cœlo aberrat, cùm Authorum nemo Salem urbem, Melchiſedechi ſedem, ultrà Jordanem conſtituat. His autem verbis, *Abraham diem Domini vidit*, vel Iſaaci ortum, vel eumdem a patris mactatione divinitus ereptum, Dominus deſignavit [m]; vel fortè ad eos Angelos reſpexit, quos ſibi obvios in convalle Mambre hoſpitio Abraham excepit, eoſque ita alloquutus eſt, veluti Deum ipſum alloqueretur (n).

(m) Geneſ. xxii.

(n) Geneſ. xviii.

Ad Cunæum revertamur. Quidquid de Melchiſedecho recenſet Apoſtolus, in ſuam ſententiam explicat. Præ cæteris verò, iis Pauli verbis nititur [o]. In Lege Levitæ, *morientes homines, accipiunt decimas*. Cum quibus illud Pſalmi conferens [p], *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; hic, inquit, de Melchiſedecho ceu vitam adhuc agente ſermo inſtituitur: ſi ergo Davidis adhuc ætate Melchiſedech ſuperſtes erat, minimè equidem mortalis fuit. Cæteras denique hujus loci interpretationes minimi facit & confidentiſſimè rejecit: *Agant ſe verſentque in omnes partes ii, quos & præſens & prior ætas tulit: nihil niſi nubes atque inania prævalebunt nequicquam, & ſuis ſe tenebris involvent*.

(o) Hebr. vii, 8.

(p) Pſalm. cix, 4.

Hæc de Melchiſedecho ſententia probata etiam fuit Petro Molinæo; & poſt annos duodetriginta Jacobus Gaillard Tractatu fuſiori, anno 1686 Lugduni Batavorum excuſo, eamdem defendit. Melchiſedech non proprium hominis nomen, ſed genericum ſtatuit, quo Meſſias ex ſuâ *Juſtitiæ Principis* dignitate innuitur, uti & alibi per Sacerdotis æterni, pacifici Regis, Emmanuelis nomina deſignatur: *Salem* verò non urbem peculiarem cenſet, ſed appellativum nomen, quo Meſſias Rex Pacis futurus prænunciatur. Opinionis hujus fautores plurimi recitantur (q).

(q) Vide Act. Eruditor. Lipſ. an. 1686, p. 350.

Chriſtophorus Schlegelius (r), qui fuſè de Melchiſedecho ſcripſit, fuſè etiam Cunæum refutavit. Nos neque ejus ordinem, neque prolixitatem imitantes, ſed Moyſis, Davidis, & Apoſtoli locos ſimplici & proclivi explicatione interpretantes, hoc uno Cunæi ſententiam minimè defendi poſſe oſtendemus. Nullo negotio Melchiſedechum hominem fuiſſe probamus, cùm Moyſes ejus nomen, & domicilium, & dignitatem præferat (s): *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Altiſſimi*. Hic a Sodomâ & Gomorrhâ, quas Abraham ſtrenuè defenderat, non procul degens, ejus virtutem admiratus, a Regum fœderatorum cæde revertenti occurrit; actiſque gratiis de beneficio univerſæ regioni præſtito, exceptum, & bonis precibus cumulatum, *pane & vino* recreavit. ei nempe & victricibus copiis opulentam annonam exhibuit. Abraham viciſſim Religione, & Altiſſimi, cujus Sacerdos Melchiſedech, cultu, unà etiam hujus Principis liberalitate affectus, manubiarum decimas, quæ neque ad Sodomæ Reges, neque ad eorum fœderatos pertinebant, eidem obtulit. Quæ omnia nihil homine excelſius in Melchiſedecho præferunt.

(r) Schlegel. Diſſert. de perſonâ Chriſti, ad calcem Lenæ in Ep. ad Hebr.

(s) Geneſ. xiv, 18.

Nihil etiam homine majus ei tribuit David, qui, diu poſt Moyſem, magnitudinem & Meſſiæ regnum prænuncians, Dominum Chriſto ſuo dixiſſe aſſerit [t]: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Non Melchiſedechum, ſed Meſſiam æternitas afficit: Melchiſedechi autem ordo Aaronico ordini hic opponitur. Tu Sacerdos in æternum, non inſtar Sacerdotum, quos Aaron progenuit, ſed inſtar Melchiſedechi Sacerdotis Altiſſimi, cujus Sacerdotium in poſteros non migravit; cùm ex eo progenies minimè effluxerit, quæ, ſicut ſoboles Aaronis, per ætates plurimas

(t) Pſal. cix, 4

Sacer-

Sacerdotii dignitatem poſſederit. Tu verò ſolus, & in æternum Sacerdos appellaberis.

Paulus cum Sacerdotio Aaronis Sacerdotium Jeſu Chriſti ſeu Meſſiæ conferens, & hoc præ quibuslibet præſtantiſſimis efferens, quidquid laudis de Melchiſedecho Scriptura recenſet, congerit, & quidquid Melchiſedechus olim in ſe ipſo, rebus geſtis, Sacerdotali & Regiâ dignitatibus de Meſſiâ per figuram exhibuit, ab ipſo Chriſto ratione multo præſtantiſſimâ impletum oſtendit. Melchiſedechum Chriſti eſſe typum primò ſtatuit; atque idcircò ſcribit, *Melchiſedech aſſimilatus Filio Dei*, ut innuat, Deum, qui Melchiſedechum in Scripturis deſcripſit, voluiſſe, ut exhiberetur imago Jeſu Chriſti, qualis olim futurus eſſet in terris. Quare Chriſtum Melchiſedecho ſimilem factum fuiſſe non dicit, ne Melchiſedechum ante Chriſtum extitiſſe, eumque exemplum, Chriſtum verò imaginem putaremus. Chriſtus utique exemplum fuit, Melchiſedechus imago; quæ quidem mundo exhibita eſt ante Chriſtum, ad quem veluti ad primum exemplum Scriptura ſemper reſpexit.

Regis *Salem* ſeu Regis pacis nomen, quo diſtinguebatur Melchiſedech, Apoſtolus commendat, & ab ejus nomine, quod *Regem Juſtitiæ* ſonat, a Sacerdotio, a decimis, quas ex Abrahamo accepit, & a benedictione, qua is Abrahamo bene precatus eſt, ſimilitudinis cum Meſſiâ notas & argumenta ducit, quibus ejuſdem Sacerdotium Aaronico antecelleſe oſtendat. De parentibus denique, & Melchiſedechi genealogiâ ſilentii myſterium aperiens, id factum eſſe docet, ut Chriſtus verè in cœlis ſine matre, ſine patre in terris, & novæ Legis æternus eſſe Sacerdos oſtenderetur. Hunc locum veteres Eccleſiæ Patres, omneſque fermè recentiores Interpretes ita explicant, & huc etiam per totam Epiſtolam Apoſtolus ſpectat.

En verba, quibus, de Cunæi ſententiâ, Melchiſedechus non homo, ſed Dei Filius invictè probatur (u): *Et hîc quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur* (de Melchiſedecho) *quia vivit*. Si Melchiſedechum a Levitis idcircò differre conſtet, quòd hi obierint, ille autem vivat; Melchiſedechum & Levitas vel naturâ ipsâ diverſos eſſe inter ſe, compertum utique habemus. At oportuit totam Apoſtoli ratiocinationem animadvertere: Melchiſedechi enim Scripturam meminiſſe primùm aſſeruit (x), quin ejus parentes & genealogiam recenſuerit; ſtatimque ſubdit: *Neque initium dierum, neque finem vitæ habet: aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.*

Hic Melchiſedechi Sacerdotium æternum ſtatuitur; æternitas autem in ipſo quidem figurâ, in Chriſto verò reipsâ. Ita Melchiſedech ex Abrahamo, & in Abrahamo ex Levitis ab eo prognatis decimas accipiens, verè ex Abrahamo, & eodem ſenſu, quo æternus eſt, nempe figurâ, etiam ex Levitis accepit. Chriſtus, cujus figuram Melchiſedech præferebat, verè æternus, ejuſque Sacerdotium verè æternum, & Aaronico Sacerdotio longè excelſius; Melchiſedech autem Levitis non niſi figuratè ſuperior, quòd nempe Sacerdotii Filii Dei ſpeciem referret.

Non deſuere, qui allatis Apoſtoli verbis non modò Melchiſedechum, verùm etiam Jeſum Chriſtum vivum & immortalem reſpici defenderint (y). At explicatio quam prætulimus, cum literâ, & cum reliquâ Apoſtoli ratiocinatione magis conſtare videtur.

Iis, qui Melchiſedechum Angelum eſſe ſtatuebant, refutandis non immoramur; quorum opinionem ſatis tum evertimus, cùm Melchiſedechum & hominem, & Urbis Salem in Palæſtinâ Regem exhibuimus. Hoc autem tam Veteri quàm Novo Teſtamento traditur; idque hac etiam ratiocinatione confirmatur. Melchiſedech certè Filii Dei ſpeciem referebat: *Aſſimilatus eſt Filio Dei*, inquit Apoſtolus. Atqui Sanctus Spiritus & Dei Filius, ſeſe hominibus videndos offerentes, Meſſiæ ſeu typum ſeu figuram per ſe minimè poterant exhibere, Melchiſedech igitur neque Angelus erat, neque Dei Filius, neque Spiritus Sanctus.

Ut in Veteri Teſtamento vel per vaticinia prædiceretur, vel per figuras exprimeretur Meſſias, Deus ſæpè homines excitavit, Noëmum, v. g. Iſaacum, Davidem, Salomonem, quos diſtinxit iis notis, quæ Filii ſui decora, munera, geſta ſignificarent: ſæpe etiam Spiritu ſuo Prophetas afflavit, ut Meſſiam veluti coloribus pingerent, & ejus adventûs, mortis, reſurrectionis adjuncta vel verbis, vel interdum rebus exhiberent. Huc ſemper Vetus Teſtamentum ſpectavit; huc ipſius Dei Filii & Apoſtolorum ſeu colloquia, ſeu conciones ferebantur. Jeſus Chriſtus nonniſi verba, & Prophetarum, ſeu veterum Patriarcharum geſta allegat, cùm ſe Meſſiam probat, vel in ſe ipſo notas in Scripturâ deſignatas exhibet, vel denique Legis figuras, & Prophetarum promiſſa in ſe ipſo expleri oſtendit. Quem morem vel in concionibus vel in Epiſtolis & Apoſtoli retinent.

Si quis ex Patribus in Veteris Teſtamenti apparitionibus quandoque Jeſum Chriſtum agnoſcit (z), minimè ejus fidei adverſamur; imò & nos unà cum ipſis, & eodem quo ipſi ſenſu, Chriſtum intelligemus; illum, quem Abraham adoravit, & *Jehovah*

(u) *Hebr.* vii, 8.

(x) *Hebr.* vii, 3.

(y) *Heinſ. Exercit. in hunc loc. Ita Ambroſiaſt. Quis eſt qui vivit? Ille etiam qui ſecundùm ordinem Melchiſedech factus eſt Sacerdos in æternum. Ita Jacob. Capell. Knatchbull. in Hebr.* vii, 8.

(z) *Vid. Tenam in Ep. ad Hebr. c.* 1, *Difficult.* 2, *ſect.* 2.

vah & *Omnipotentem* Scriptura appellat (*a*); illum, qui in flagranti Rubo Moyſi ſe obtulit, & in Sinai monte Legem tradidit, Filii Dei speciem prætuliſſe fatemur; fuiſſe nempe Angelos, ut ex ipſâ Scripturâ diſcimus (*b*), qui Deum referebant, & Dei nomine loquebantur. Nos verò Melchiſedechi & Abrahami occurſum apparitionem non fuiſſe defendimus, uti ex totâ ipſius Moyſis narratione ſatis liquet. Eſto tamen, apparitio hæc fuerit; utique Dei Filius ſe tunc Melchiſedecho non obtulit: non enim per ſe ipſe poterat ſui ipſius figuram exhibere, cùm exemplum ab imagine neceſſariò differat. Eſto etiam, fuerit Angelus; adhuc ſanè Angelos, qui Chriſti typum præferrent, a Deo adhibitos non eſſe conſtaret; Dei enim Filio aſſumenda erat hominum (*c*), non Angelorum natura; quare hominibus tantummodò congruum erat, ut Meſſiæ venturi speciem exhiberent.

Ut Diſſertationem concludamus, cum Patrum (*d*) & Interpretum pleriſque aſſerimus, Melchiſedechum Regem Chananæum fuiſſe, qui Deum verum agnoſcens, & juſtitiam colens, in Urbe *Salem*, alio nomine *Jebus*, dictâ poſtea *Jeruſalem*, impetabat. Hic, cùm Abraham a quatuor fœderatorum Regum, qui Pentapolim invaſerant, & Sodomæ & Gomorrhæ Reges vicerant, cæde reverteretur, victori occurrit, annonam offerens, & benedixit, eum nempe laudibus cumulavit, & Deo Altiſſimo, cujus erat Sacerdos, pro ejus ſalute vota & ſupplicationes exhibuit. Abraham verò per Melchiſedechum manubiarum decimas Deo obtulit, ut ejus ope paratam ſibi victoriam teſtaretur. Cùm ſingulas hujus hiſtoriæ partes in Commentariis ad Geneſim explicaverimus, hîc in eâ fuſiùs non immoramur. Spititalem & allegoricum ſenſum, quem Apoſtolus in Epiſtolâ ad Hebræos perſequitur, in ejus Epiſtolæ Commentariis explicabimus.

COM-

(a) *Geneſ.* XVIII, 1, 2, 14, 20, 25.

(b) *Act.* VII, 30, 35, 51; *Galat.* III, 19; *Hebr.* II, 2.

(c) *Hebr.* II, 16: *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.*

(d) *Hippolyt. Irenæ. Euſeb. Cæſar. Euſeb. Emiſſen. Apollinar. Euſtat. apud Hieronym. Ep. ad Evangel. Ipſe Hieronym. Joſeph. l. 1 Antiqu. c. 11; & l. 7 de Bello, c. 18; Hegeſipp. l. 3, c. 9, de excid. Jeroſolym. Philo de congreſſ. quær. erud. grat. p.* 438; *Theodoret. qu.* 63 *in Geneſ. Oecumen. in Hebr.* VII; *Chryſoſt. in Ep. ad Hebr. hom.* 12; *Theophyl. Theodoret. aliis paſſim.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN EPISTOLAM B. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

CAPUT PRIMUM.

Deus, qui in Veteri Teſtamento per Prophetas verba ad homines fecit, in Novo per æqualem ſibi Filium illos affatus eſt. Jeſus Chriſtus ſuperior eſt Angelis origine, imperio, potentiâ, gloriâ.

℣. 1. MUltifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, noviſſimè

℣. 2. Diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MULTIFARIAM MULTISQUE MODIS OLIM DEUS LOQUENS PATRIBUS IN PROPHETIS, &c. Novi fœderis gloriam ſupra Vetus duobus nominibus hic Apoſtolus tollit. Primò, ex dignitate eorum, qui ejus miniſtri conſtituti ſunt. Secundò, ex multiplici ratione, qua Deus conſilia providentiæ ſuæ manifeſtavit. Veteris Teſtamenti miniſter fuit Moyſes; Novi Jeſus Chriſtus. Ille purus putusque homo; hic Deus & homo. Olim Deus juſſa ſua edebat per eos, quos ſubinde mittebat, Prophetas, quos non unâ ratione alloquebatur. Nunc voluntatis ſuæ placita aperit per Filium ſuum unicum, coæternum, conſubſtantialem, cum quo Spiritum ſuum pleniſſimè communicavit, quique unus plura veritatum dogmata atque myſteria, quàm ſimul omnes Prophetæ, reſeravit. Deus conſilia ſua Prophetis per quietem noctis, per viſum, per ſpectra, per typos, ac denique revelatione (*a*) manifeſtabat. Jeſus Chriſtus, veritas æterna, totius lucis fons, ſplendor quo Prophetarum mentes fulgebant, in mundum veniens, ſuis ipſe verbis nos affatus eſt, largitusque eſt mortalibus Spiritum Sanctum ſuum, omnis veritatis Magiſtrum ac Doctorem. Veteres Prophetæ typos erant Jeſu Chriſti (*b*): *In manu Prophetarum aſſimilatus ſum.* Quæcumque Judæis accidebant, præſagia erant eorum, quæ a Jeſu Chriſto deinde præſtita ſunt, tum & eorum, quæ Eccleſiæ contigere (*c*): *Omnia in figurâ contingebant illis.*

Ipſe Deus, qui Moyſem, idem & Jeſum Chriſtum miſit; nec alius eſt veteris novique Fœderis author (*d*). Porrò novum Fœdus primus fuit in mente Authoris ſui finis, præcipuum tenerrimæ charitatis illius argumentum. At vetus nonniſi ad tempus, ut ita dicam, conſtitutum eſt, donec ſcilicet ſecundum ſuccederet. Primò igitur Deus vineam ſuam per ſervos, deinde per ipſum Filium ſuum inviſit (*e*). *Noviſſimè* deſignat tempus adventûs Meſſiæ, quod in Scripturâ nomine dierum noviſſimorum vel noviſſimæ horæ ſignificatur (*f*).

℣. 2. QUEM CONSTITUIT HÆREDEM UNIVERSORUM. Dei Filius, naturâ Deus, rerum omnium ſemper imperium adminiſtravit: at qua homo eſt, atque uti homo Deus, traditam ſibi a Deo accepit omnium gentium hæreditatem, juxta illud (*g*): *Filius meus es tu; ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Innuit hic Apoſtolus gentium vocationem ad fidem; non enim ad domum Jacobi tantummodo Je-

(a) *Theodoret.* Πολυτρόπως, τῶν θείων ὀπτασιῶν τὸ διάφορον σημαίνει. Ἄλλως γὰρ ὤφθη τῷ Ἀβραὰμ, καὶ ἄλλως τῷ Μωϋσῇ, *&c. Eſt. Ten. alii.* (b) *Oſee*, XII, 10. (c) 1 *Cor.* X, 11.
(d) *Chryſoſt. Theophyl.* (e) *Matt.* XXI, 33. (f) *Is.* II, 2; *Jerem.* XXIII, 20; XLVIII, 47; *Dan.* II, 28; X, 14, *&c. Act.* II, 17; 1 *Timot.* IV, 1. (g) *Pſalm.* II, 8.

℣. 3. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis:

COMMENTARIUS.

Jeſus Chriſtus miſſus eſt, ſed ut gentes omnes vocaret, & ad ſalutem perduceret (h). Ipſe eſt *hæres*, Dominus, rerumque omnium atque hominum arbiter ſupremus (i). Jam inde ab ortu ſuo conſtitutus eſt omnium gentium hæres, cujus imperii plenam abſolutamque poſſeſſionem tunc adivit, cùm poſt reſurrectionem ad Patris dexteram aſcendit (k), Eccleſiamque ex Judæis Gentibuſque conflavit. Nec aliud eſt, quod Scriptura ſæpè adeò Regni Dei vel regni Cœlorum nomine deſignat.

Per quem fecit et sæcula; id eſt, tempora omnia, & quæcumque per continuam ſæculorum ſeriem acciderunt; totum quidquid in tempore exſtitit. *Sæculum* periode interdum eſt ac Mundus & cætera quæ in eo continentur (l). Deus omnia condidit per Verbum ſuum, per Filium, per Sapientiam, non perinde utens Filio ac juſſionum ſuorum miniſtro, vel in rebus producendis inſtrumento; ſed Verbum & Sapientia, tamquam exemplar fuit & typus rerum condendarum (m). Uti fermè Architectus ædificium dirigit juxta imaginem, quam ſibi in mente finxit; ita & Pater Mundum condidit per Sapientiam ſuam increatam, quæ & Verbum ejus & Filius eſt (n). De Jeſu Chriſto ſermonem habens Apoſtolus, mentem veluti per gradus altiùs ſuſtulit. Primò quidem de humanâ ejus naturâ diſſeruit; hîc ad ea, quæ divinitatis ejus ſunt, orationem convertit. Confer *Prov.* VIII, 22...... 30, *Joan.* I. 2, 3. *Pſalm.* XXXII, 6.

℣. 3. Qui cum sit splendor gloriæ. Dei Filius radius eſt vel ſplendor gloriæ Patris. Quemadmodum autem facis jubar ejuſdem naturæ eſt cum facis lumine; ita & Filii Patriſque natura una eademque eſt. Pater gloria, Filius manans ex eo ſplendor (o), vel radius eſt; Deus de Deo, lumen de lumine. Quæ non ita accipias velim, quaſi Verbum lumen ſit ex alio acceptum, vel tamquam corporis alicujus lucidi accidens: eſt enim lux per ipſam ſui ſubſtantiam, radius ab ipſo manans Patre, luce illius illæsâ, indiviſâ, nullâ gignentis diminutione, quin tamen genitus initium habuerit, aut minor ſit generante. Arca fœderis (p), columna nubis (q) Hebræos per deſertum ducens, *Gloria Domini* interdum appellatæ ſunt, quòd præſentis Numinis indicium eſſent & documentum. Prophetæ, puta Moyſes (r), Elias (s), & Iſaias (t), radios aliquos gloriæ Domini interdum conſpexerunt. Qui Deo aſſtantur homines, majeſtatis ejus luce interdum animo illuſtrantur. Hîc verò agitur de ipſomet ſplendore, ac paternæ gloriæ radio, nempe Jeſu Chriſto, qui ipſa eſt lux, radiuſque infinitus, æternus, ejuſdem cum Patre naturæ atque ſubſtantiæ (u).

Et figura substantiæ ejus (x). Cùm in naturæ Filii Dei laudibus celebrandis animo ſuo nondum ſatis indulſiſſet Apoſtolus, illum Patris radium appellans, metueretque, ne fortè haberetur ceu fluxus lucis, illi ſimilis, quo pictam in telâ imaginem intuemur, ſeu perinde ac expreſſa in ſpeculo oris ſimilitudo, ac denique ceu radius ex micanti face vibratus, quo vicina omnia coruſcant; monet, *figuram* eſſe *ſubſtantiæ* Patris; imaginem ſcilicet permanentem, ſimillimam, ac ſubſtantialem (y). Neque ſanè in rerum naturâ aliud occurrit exemplum, quo aptiùs exprimatur plena abſolutaque Patris cum Filio conſubſtantialitas cum perſonarum diſcrimine; quamquam in eo exemplo difficultatis nonnihil occurrit, cùm imago & ſigillum alterius ſint a re expreſſâ ſubſtantiæ. Sed fruſtra ſperamus in rebus creatis exempla abſolutiſſima, rem exprimentia omnibus naturæ legibus ſuperiorem.

Portansque omnia verbo virtutis suæ. Dei Filius res omnes creavit, creataſque conſervat, regit, ſuſtinet, detinet, & qua eſt potentiâ prohibet, ne in nihilum, unde eductæ ſunt, recidant (z). Non ait Apoſtolus, Dei Filium *portare omnia virtute ſuâ*, ſed *verbo virtutis ſuæ*, ſeu virtute verbi ſui; quibus verbis indicat juſſionis divinæ vim atque potentiam, qua omnia facta ſunt (a). *Verbum* ſæpè pro juſſione (b) ponitur.

Purgationem peccatorum faciens. Cùm egiſſet Apoſtolus de Filio Dei tamquam creatore, rerumque omnium conſervatore, celebrare illum ut Servatorem & Sacerdotem aggreditur (c). Ipſe eſt enim, qui nos ſordibus omnibus eluit, virtute Sanguinis ſui, baptiſmatis gratiâ, & collatâ nobis juſtitiâ. Sacerdotibus Legis datum eſt tantummodo, ut mundos pronuncient eos, qui Legis expiationem admiſerint, vel expiantia ſacrificia obtulerint. Jeſus Chriſtus nos expiat *ipſe per ſe* ut habet Græcus (d); nempe morte ac meritis ſuis, quæ nobis per fidem ac Sacramenta applicantur. Vide, infra, IX, 12; X, 12; & 2 *Petr.* 1, 22.

Sedet ad dexteram Majestatis. Commiſſo ſibi a Patre Cœleſti opere abſoluto, & munere redemptionis humanæ impleto, Jeſus Chriſtus in Cœlum aſcendit, & ad Patris dexteram collocatus eſt. Dextera & ſeſſio gloriam illam infinitam

(h) *Chryſoſt. Theophyl.*

(i) *Chryſ.* Κληρόνομον, τουτέστι Κύριον. *Grot. Eſt. alii.* (k) *Vide* 1 *Cor.* XV, 25, 26, 27; *Epheſ.* I, 20, 25, 22. (l) *Matt.* XXVIII, 20; *Hebr.* XI, 3. *Eſt. Men. Grot. alii.*

(m) *Philo*; Περὶ φυγάδων. Γεγένηται ὁ κόσμος, καὶ πάντως ὑπ' αἰτίου τινὸς γέγονεν. Ὁ δὲ τοῦ ποιοῦντος λόγος αὐτός ἐστιν ἡ σφραγίς, ᾗ τῶν ὄντων ἕκαστον μεμόρφωται.

(n) *Aug. Tena, Men. Eſt. alii.* (o) *Chryſ. hic, homil.* 2; *Theophyl.*

(p) 1 *Reg.* IV, 22; *Pſal.* LXXVII, 61. (q) *Exod.* XVI, 10, XXIV, 16; *Num.* XVI, 19.

(r) *Exod.* XXXIII, 18.... 21. (s) 3 *Reg.* XIX, 10, 11, 12. (t) *Iſai.* VI, 1, 2, 3.

(u) *Vide Ouven, Eſt. Grot. Tir.* (x) Καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.

(y) *Chryſoſt. Aug. Theodoret. Eſt. Men. Grot. alii paſſim.*

(z) *Eſt. Tena, Menoch. Tir. Theophyl.* Ὁ υἱὸς ῥήματι φέρει τὰ πάντα. Τουτέστι κυβερνᾷ, συγκρατεῖ. Μᾶλλον δὲ μεῖζον τοῦ παραγαγεῖν τὰ πάντα, τὸ διασφίγγειν τὰ πάντα, καὶ εἰς τὸ μὴ εἶναι μέλλοντα κατάρρευσαι, συγκρατεῖ. (a) *Eſt. Ten. Eraſm. Men. Tirin.* (b) 3 *Reg.* I, 27; *Luc.* V, 5; *Heb.* XI, 3.

(c) *Eſt. Men. Jun. Gem. alii.* (d) Δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν. *Alii omittunt*, δι' ἑαυτοῦ. *Ita Alex. Petit.* 3, *Roe.* 2, *Colb.* 7, *Vulg. Alii legunt: Per ipſum. Ita Claromont. & S. Germ. Lat. Æth. Cyrill. l.* 8 *contra Jul. Alii, ut Theodoret.* Δι' αὐτοῦ, *non* δι' ἑαυτοῦ.

℣. 4. Tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit.

℣. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium.

COMMENTARIUS.

tam, qua potitur, deſignant *(e)*. Dextera enim apud Hebræos locus eſt honeſtiſſimus *(f)*. Porrò de nullo unquam mortalium dictum eſt, illum dexteræ ſummæ Divinæque Majeſtatis aſſidere. Opinati ſunt quidam *(g)*, Apoſtolum comparationem hìc inſtituiſſe inter ingreſſum Jeſu Chriſti in Cœlum, & ſummi Sacerdotis in Sanctuarium; at nos vero propiùs reputamus, ſpectari tantummodo gloriam, qua poſt reſurrectionem ſuam micuit, non quòd illâ antea caruerit, ſed quòd mortalem vitam agens, illam texerit *(h)*. *Nunc clarifica me tu, Pater*, inquit *(i)*, *apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam Mundus eſſet, apud te.*

℣. 4. Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. Jeſum Chriſtum Prophetis, Patriarchis, Veteriſque Legis Sacerdotibus Apoſtolus ſupra anteposuit; hìc ſupra Angelos effert. Textus legit *(k)*: *Melior Angelis effectus eſt*, non quòd perinde ac Angelorum aliquis creatus, naturam cæteris meliorem ſortitus ſit; ſed quia poſt reſurrectionem natura ejus humana cum divinâ hypoſtaticæ unionis vinculo conjuncta, in eam gloriam, qua antea caruit, evecta eſt; adeoque & ille qui, naturâ hominum aſſumptâ, ſervi imaginem prætulerat, poſt reſurrectionem gradum obtinuit Angelis & Archangelis ſuperiorem, quibus ſubmittere ſeſe, exuviis hominum aſſumptis, voluit *(l)*. Ut tantæ gloriæ magnitudinem animo uberiùs aſſequare, ſatis eſt ſi nomen ejus, planè a titulis Angelorum diverſum, animadvertas. Longè enim eſt aliud nomen *Filii* a nomine Servi, miſſi, legati; quod nomen *Angelus* deſignat.

Docet hìc Apoſtolus, Jeſum Chriſtum hæreditate aſſequutum eſſe Filii nomen, non quaſi novum, & antea indebitum *(m)*; ſed hæreditarium illud jam inde a totâ æternitate poſſedit, ceu debitum ſibi patrimonium, quo nunquam caruit, & quod novo titulo, quoad humanitatem, adeptus eſt ob præſtitam paternis juſſionibus obedientiam, ſuæque majeſtatis dejectionem *(n)*. Æterna ejus generatio divinumque genus innotuerunt, palamque hominibus facta ſunt Incarnatione ipſius & prædicatione, multoque luculentiùs incremento gloriæ & dignitatis, quod in cœlis obtinuit.

℣. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu? Angelorum nemini auguſtum Filii Dei nomen, eâdem qua Jeſum Chriſtum appellavit ſignificatione, Deus unquam contulit. Quamquam enim interdum Angeli *filii Dei* in Scripturâ appellantur *(o)*, longè tamen alia eſt nominis hujus in Angelis ratio. Deus pater eſt hominum & Angelorum, quos e nihilo eductos creavit, & in tempore produxit; ex illis cultum exigit & obſequium; iidemque ſeu in genua provoluti, ſeu ſtantes coram Dei ſolio exhibentur. At Filius unicus a totâ planè æternitate genitus eſt: *Ego hodie genui te*: Patris dexteræ aſſidet, quocum obſequia hominum & Angelorum unà excipit.

Criticorum nonnulli *(p)* fatentur, Pſalmum, ex quo hæc ſententia recitata eſt, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, explicari commodè partim de Davide, partim de Jeſu Chriſto poſſe; verba autem illa, *Ego hodie genui te*, de Davide accepta hanc ſententiam reddere: Ego te hodie ad regnum efferens, ſupremâ dignitate donavi. Notant autem, Hebræum *Jalad*, quod propriè eſt generare, uſurpari etiam pro ſupremam authoritatem conferre; quemadmodum & diem incepti ab aliquo Regni, *diei natalis* nomine interdum deſignari *(q)*. Si verò id de Jeſu Chriſto explicetur, ad quem potiſſimùm litera hujus loci pertinet, accipienda hæc ſunt ſive de æternâ ejus generatione *(r)*, ſive de temporali ejus ortu *(s)*, incarnatione, & Reſurrectione *(t)*; ſeu potiùs de gloriâ in Cœlo acquiſitâ; cùm Apoſtolus ſermonem hìc habeat de iis, quæ Jeſu Chriſto in Cœlum recepto obvenerunt, ℣. 3: *Sedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis*; (℣. 4) *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in Filium; id eſt, ego illi Pater, ille mihi Filius erit; quamquam enim Latina locutio expoſtulare videtur ut explicemus. Ego ero illi loco patris, ille mihi loco Filii; Hebræa tamen locutio commodè admittit, & interdum, ut in præſenti, flagitat, ut potiùs ſic interpretemur: *Ego ero illi pater.* Singulis linguis ſua eſt natura peculiaritas *(u)*.

Quam hìc laudat Apoſtolus ſententiam, accepit ex libris Regum *(x)* & Paralipomenon *(y)*, ubi Deus verba de Salomone ad Davidem habens, ait: *Cùm completi fuerint dies tui, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, & firmabo regnum ejus. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in Filium.* Dicta

(e) *Theophyl. Eſt. Tir. alii.* (f) *Geneſ.* XLVIII, 17, 18, 19; 3 *Reg.* II, 16; *Pſal.* XLIV, 9; *Matt.* XX, 22; XXV, 34. (g) *Ouven. Gom. Junius.* (h) *Theodoret. hic.* (i) *Joan.* XVII, 5.
(k) Τοσούτῳ κρείττων γενόμενος. (l) *Chryſoſt.* Τὸ γενόμενος, ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ, ἀποδειχθείς. *Eſt. Ten. alii.* (m) *Theophyl.* Διὰ δὲ τὴν σάρκα ἥρπασε, πάντως τὸ, κεκληρονόμηκεν, ἐπήγαγε ὁ Θεὸς λόγος, τοῦτο τὸ ὄνομα καὶ ἴσχυε. *Vide Eſt. Grot. Eraſm. Tir.*
(n) *Philipp.* II, 8, 9: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem; mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*
(o) *Job*, I, 6: *Quâdam die cùm veniſſent filii Dei.* Et II, 1; & XXXVIII, 7: *Cùm jubilarent omnes filii Dei.* (p) *Gomar. Eſt. Grot. Vide & Tenam hic, & Burg. Muſſ. Boſſuet. in Ps.* II.
(q) *Vide* Cêne, Projet d'une nouv. Verſion, c. 55, art. 8.
(r) *Aug. in Pſal.* II; *Caſſiodor. Eſt. Ten. hic; alii apud Theophyl.*
(s) *Theodoret. Fulgent. Athan. Euthym. Geneb. in Pſal.* II; *alii in Theophyl. hic.*
(t) *Vide Origen. Hil. Chryſ. & alios in Ps.* II; *Ambroſ. l.* 3 *de Sacram. Vide Act.* XIII, 33.
(u) *Vide* 2 *Reg.* XIX, 23; *Is.* XII, 2; XLIX, 22. (x) 2 *Reg.* VII, 7, 13. (y) 1 *Par.* XVII, 13; XXII, 10.

Digitized by Google

℣. 6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

℣. 7. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.

℣. 8. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi; virga æquitatis, virga regni tui.

℣. 9. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

COMMENTARIUS.

hæc de Salomone eſſe, ipſa orationis ſeries docet; addit enim Dominus: *Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virgâ virorum*. Nihil tamen prohibet, quin pariter de Jeſu Chriſto, cujus figuram Salomon exprimebat, accipiantur. Nec typicus iſte ſenſus parum hîc concludere reputandus eſt; ut enim ſcitè animadvertit Tena, ſenſus myſticus & literalis ex æquo a Spirito Sancto reſpiciuntur; quemadmodum hîc dubitari nequit, dicta hæc pariter fuiſſe de Jeſu Chriſto, cùm id Apoſtolus perſpicuè doceat. Præterea, ut idem cum Eſtio notat, id probationis genus Hebræis, ad quos ſcribit Apoſtolus, probabatur. Aſſucti enim illi quolibet tempore hujuſmodi argumentis; vim eorum, ſi quis alius, maximè ſentiebant. Denique poſt argumenta neceſſaria & ineluctabilia, in quolibet diſciplinarum genere moris eſt afferre ea, quæ minoris ponderis ſunt & probabilia.

℣. 6. Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Solemne eſt Scripturæ id factum dicere, quod faciendum prædicitur (z); ideoque hîc ait, Filium a Deo iterum in Mundum induci, ut innuat, prædictum fuiſſe ſecundum ipſius adventum, cùm ſcilicet ad hominum Judicium ſuâ Majeſtate ſtipatus ſedebit; eaque verba, *Et adorent eum omnes Angeli ejus*, de Filio Dei ut Judice vivorum & Mortuorum uſurpari. Jeſum Patris *Primogenitum* non ideò appellat Apoſtolus, quòd fratres alii ejuſdem cum illo naturæ fuerint, vel Deus alios poſt Jeſum e ſuâ ſubſtantiâ genuerit. *Primogenitus* hîc deſignat ſupremam Dei majeſtatem, ac ſuperiorem Angelis & hominibus dignitatem, quibus, licèt aliâ ſignificatione, Scriptura interdum nomen filiorum Dei tribuit. Porrò ſermonem hîc eſſe de ſecundo adventu, non uno argumento demonſtratur. I, ipſis Pauli verbis: *Cùm iterum introducit*; ea enim alium præceſſiſſe adventum ſignificant. II, Pſalmus xcvi, 7, ex quo hæc hauſta ſunt, totus ad ſecundum adventum pertinet. Denique explicationem hanc Interpretes plerique ſequuntur (a). Ex Patribus tamen nonnulli (b) primum Filii Dei adventum de æternâ ejus generatione, ſecundum de Incarnatione ſeu de ortu ejus in tempore accipiunt.

℣. 7. Et ad Angelos dicit (c): Qui facit Angelos suos spiritus. Derivantur hæc e Pſalmo ciii, 4, ubi Pſalmiſta ait, Deum miniſtros ſuos mittere ventos, ignes, fulmina, ac de elementis pro ſummo imperio decernere (d); vel potiùs deſcribit in eo Propheta Angelorum naturam: Condidit Angelos Deus ſpiritali naturâ, ceu flammam ignis (e). Præcipuum Apoſtoli propoſitum eſt, ut demonſtret, Angelos, quantumvis naturâ rebus omnibus ex materiâ concretis ſuperiores, creaturas tamen eſſe in tempore productas (f); cùm Dei Filius increatus ſit & æternus. Nihil illi ſunt niſi ſervi, & parati ad Dei nutum miniſtri; cùm Jeſus Chriſtus ſit dominus, ipſis quoque Angelis imperans. Veterum plures aſſeruere, conſtare Angelos corpore tenui, aëreo, ad naturam igneam accedente; quorum ſententiæ locus hic Pſalmi favere videtur. Sed Philoſophi ac Theologi noſtrates hodie ſpiritus eſſe a materiâ planè ſecretos, uno conſenſu affirmant. Apoſtoli ætate Judæi Angelorum cultûs erant ſtudioſiſſimi, uti ad Coloſſenſes, ii, 18, animadverſum eſt: ideoque datâ operâ Apoſtolus hîc Filium Dei ſupra Angelos, quos tanti faciebant Judæi, efferre magno niſu conatur.

℣. 8. Ad Filium autem (g): Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. Pſalmus xliv, ex quo hæc accepta ſunt, cenſetur epithalamium in nuptiis Salomonis compoſitum. Plura tamen in eo occurrunt, quæ minimè omnium Salomoni, ſed uni Meſſiæ planè conveniunt. Ex his eſt locus ab Apoſtolo hîc recitatus: *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi*. Pſalmum hunc ad Meſſiam referri, ipſi pariter Judæi veteres agnoſcebant (h). Dei nomen Salomoni nunquam Scriptura tribuit; nec Hebræum *Elohim* de privatis (i) unquam hominibus uſurpatum eſt, quamquam interdum de Principibus ſive Judicibus. Aquila, iniquus licèt Chriſtianis, tamen ſenſum hujus loci ita explicavit, ut inanes recentium Rabbinorum explicationes excludat (k): *Thronus tuus, Deus, thronus æquitatis*; cùm Judæi vertendum malint: *Thronus tuus Deus eſt*; vel, *In throno Dei ſedes*.

℣. 9. Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis; id eſt; propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo, &c. Vertunt alii: Propterea unxit te Deus, Deus tuus. Sed quam primo dedimus interpretationem, vel ipſe Symmachus (l), vetus Græcus

(z) *Vide Act.* x, 15; *Iſai.* vi, 10, *&c. Glaſſ. Gramm. P.* 3, *l.* 3, *c.* 15; *Grot. hic.*

(a) *Quid. apud Theophyl. in Heb.* ii, 5; *Cajet. Riber. Eſt. Ten. Cornel. Camero, Gomar. alii.*

(b) *Chryſoſt. Theophyl. Oecum. Ambroſiaſt. hic; Cyrill. Alex. de fide, ad Reginas.*

(c) Καὶ πρὸς Ἀγγέλους λέγει. Præpoſitio πρὸς ponitur pro περὶ. *Dicit ad Angelos*, pro *dicit de Angelis*. Vide *Geneſ.* xx, 2; *Iſai.* xli, 7; *Rom.* x, 21; *Luc.* xx, 19. Sive πρὸς ponitur pro *quod ad*. Quod ad Angelos ait, &c. *Vide Heinſ. Piſc. Camerar. &c.*

(d) *Janſ. Gand. Eſt. Grot. Theodoret. in Pſal.* ciii. (e) *Eſt. Men. Gom. Piſc. Tir. Jun.*

(f) *Theodoret. Euthym. Ten. Eſt. alii.* (g) Πρὸς δὲ τὸν υἱόν. Ut ſimilitudo ſervetur inter hunc & ſuperiorem verſiculum, vertendum hîc quoque eſt: *De Filio autem dixit*: quaſi haberet Græcus: Περὶ δὲ τοῦ υἱοῦ. Pſalmiſta de Filio inquit: *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi.*

(h) *Vide Owen. Eſt. Tir. Targ. in Pſal.* xliii. (i) *Grot. Eſt. hic.*

(k) *Aq.* Ὁ θρόνος σου, Θεέ, εἰς αἰῶνα, καὶ ἔτι. (l) *Sym. apud Theophyl. hic*: Διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε, Θεέ, ὁ Θεός σου ἐλαίῳ χαρᾶς, *&c.*

℣. 10. Et: Tu in principio, Domine, terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt Cœli.

℣. 11. Ipſi peribunt; tu autem permanebis; & omnes ut veſtimentum veteraſcent;

℣. 12. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

℣. 13. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

COMMENTARIUS.

eus Interpres, licèt divinitati Jeſu Chriſti parum favens, ſequutus eſt. Æternus Pater, qui Filii, quantum ad humanam naturam, Deus eſt, naturæ Filii *unctionem exultationis*, pleniſſimam ſcilicet effuſionem Sancti Spiritûs ejusque donorum, largitus eſt: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum (m)*. Sancti verò & Prophetæ Deo etiam chariſſimi, nonniſi cum modo, & quanſum Deo dare viſum eſt, acceperunt; *De plenitudine ejus nos omnes accepimus (n)*.

Eſt autem unctio hæc præmium juſtitiæ & æquitatis Filii Dei; *Dilexiſti juſtitiam... propterea unxit te Deus*. Cùm ad ultimam demiſſionem Jeſus Chriſtus deſcenderit, ad ſummum gloriæ faſtigium a Deo evectus fuit. *Oleum lætitiæ* eſt ſive gratiæ, ſive donorum Spiritûs Sancti pinguis ubertas, quibus ditatus fuit Jeſus Chriſtus, qua homo eſt, ipſo articulo aſſomptæ humanitatis, & adſcitæ in ſocietatem hypoſtaticæ unionis humanæ naturæ; ſive dona, quæ illius animam bearunt, cùm baptiſmo tingeretur, biſcente tunc Cœlo, & Sancto Spiritu in columbæ imagine ſuper caput ejus quieſcente; vel denique ea, quæ ad cumulum gloriæ ipſius acceſſerunt, poſtquam in Cœlum receptus, Patris dexteræ aſſedit. Hæc enim ejus fuit unctio, vel ſuſcepta primùm poſſeſſio Regni, quod obedientiâ & perpeſſionibus promeruerat; more triumphantis, qui in Regem inungitur, & in ſolium laboribus & victoriis acquiſitum, quamquam aliàs generis causâ ſibi debitum, aſcendit (o).

Unctio, qua initiatus fuit, unctione omnium cum illo initiatorum præſtantior eſt & ſublimior; ſive hæc de Sancti Spiritûs donis, ſive de gloriâ cœleſti accipiatur. Gloria enim Jeſu Chriſti gloriam cæterorum Sanctorum infinito ſuperat intervallo; qua in re nemo cum illo comparatur. Salomon, qui hiſtoricum eſt argumentum Pſalmi, ex quo hæc ſententia hauſta eſt, primus natu Davidis filius non fuit; eam enim dignitatem jure Adonias ſibi arrogabat. Dignus quidem habitus fuit, ut cæteris fratribus præponeretur, illisque rejectis ungeretur in Regem, utpote quem Deus benevolentiâ & delectu occupavit. At Jeſus Chriſtus nullo Dei delectu indigebat, nec æmulorum cæde: jure enim ſuo hæreditatis poſſeſſionem adivit. Ex uberrimo ejus gratiarum & gloriæ fonte, quo is in Cœlo redundat, quidquid gratiarum & gloriæ Sanctis cæteris eſt, ejus favore conceditur & derivatur.

℣. 10. ET: TU, DOMINE, IN PRINCIPIO TERRAM FUNDASTI. Verba ſunt Pſalmi CI, 25, in quo Pſalmiſta luctum exprimit Judæorum Babylone captivorum, relatasque ab ipſis gratias ob imminentem libertatem, ac Templi Urbisque Jeroſolymæ reſtitutionem. Conſtat autem, Babylonicam captivitatem figuram eſſe ſtatûs hominum ante adventum Jeſu Chriſti; quemadmodum reductio e captivitate redemptionem humani generis a Chriſto partam ſignificabat. Apoſtolus hìc accommodat Chriſto verba illa: *Tu in principio terram fundaſti*; quibus illum agnoſcit Creatorem non rerum modò ſenſibus obnoxiarum & materialium, quas ipſe ſimul cum Patre produxit, ſed & ſpiritalium, Eccleſiæ ſcilicet, in quam ille æternum eſt regnaturus. Cœlum & terra tranſibunt: (℣. 11) *Ut veſtimentum veteraſcent*: (℣. 12) *Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Addit Pſalmiſta: *Filii ſervorum tuorum habitabunt* Jeroſolymis, *& ſemen eorum in ſæculum dirigetur*, æternum ſtabit. Nunquam hæc ex mero verborum ſono in Judæis impleta ſunt; quippe qui poſt plura ſæcula a regione ſuâ extorres acti ſunt. Sed per totam ſæculorum ſucceſſionem nunquam Diſcipuli & Servi Jeſu Chriſti in ejus Eccleſiâ deſituri ſunt, qui & poſt vitæ hujus tempus æternâ in Cœlo felicitate fruentur.

Porrò hoc loco tria probat Apoſtolus. I, Dei Filium æternum eſſe, cùm ante Mundum extiterit. II, Creatorem eſſe, adeoque & ejusdem æternitatis ac naturæ cum Patre, cui paſſim Scriptura creationis opus tribuit. III denique, Eccleſiam nunquam deſituram; quo nomine antepones eſt Synagogæ, cui terminus in ipſo Meſſiæ adventu conſtitutus fuerat.

℣. 11. IPSI PERIBUNT, TU AUTEM PERMANEBIS. Hac de re ſententiæ ſunt tres. Prima eorum, qui cœlos in nihilum redigendos eſſe in Mundi exitu cenſent. Altera mutandos tantummodo externâ imagine & qualitatibus docet. Tertia tandem in melius reſtaurandos putat (q): quæ & probata magis & verior opinio eſt. Id autem nos fuſiùs expendemus in Diſſertatione de Mundi exitu, & igne quo Terra abſumenda eſt.

℣. 12. VELUT AMICTUM MUTABIS EOS. Græcus (r): *Obvolves*, ſive convertes, *velut amictum*, ſeu velamen. Convertes ſcilicet ita planè uti vetus pallium. Vel denique: Obvolves, vel complicabis, ut veſtem quæ relinquitur, ſive uti tentorium quod complicatur, aliò transferendum (s). Sed Græci Codices vetuſtiſſimi pro *Convolves* ſeu *revolves*, ferunt (t), *Mutabis*; quæ lectio eſt Vulgatæ, S. Irenæi, & Tertulliani, & cum Hebræo magis conſentanea (u).

℣. 13. AD QUEM ANGELORUM DIXIT ALIQUAN-

(m) *Joan.* III, 34. (n) *Joan.* I, 6. *Vide Theophyl. & Chryſ. hic.*
(o) *Philipp.* II, 9, 10. (p) *Tan. Eſt. Tir. Jun. Owen.*
(q) *Chryſoſt. Theophyl.* Μεῖζόν τι τῆς δημιουργίας ᾐνίξατο, τὴν μετὰ ϑημάτισιν τοῦ κόσμου, *&c.*
(r) Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς. (s) *Vide Eſt. Grot.* (t) *Clarom. & S. Germ. G. L.* Ἀλλάξεις, *Mutabis. Ita Tertull. & Iren. & Velez. Vide Grot. Eraſm. Eſt. Ham.*
(u) כלבש תחליפם

℣. 14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?

COMMENTARIUS.

oo: Sade a dextris meis? Dignitatem Filii Dei ſuper Angelos efferre pergit Apoſtolus. Dei ſolio nunquam niſi ſupplicum more, ſive demiſſo in terram ore in obſequii ſignificationem, Angeli adſiſtunt; qui & a Deo mittuntur, & mandata ejus excipiunt more ſervorum, nec aliâ re magis quàm fideli juſſionum ejus executione gloriantur. Filium verò Deus dexteræ ſuæ aſſeſſorem adſciſcit, ejusque adverſarios pedibus ejus ſubſtratos, ſcabellum pedum ejus conſtituit. Sternere quidem ſibi illos ipſe per ſe Dei Filius poſſet: ſed Majeſtati ejus multo glorioſius eſt, ſi a Patre Cœleſti coacti, ſub ejus jugo cervices flectant (x). Porrò Jeſu Chriſti hoſtes ſunt Dæmones, Ethnici, increduli, Judæi pervicaces, impii, quorum cervices ſumma Filii majeſtas ſemper calcavit; at poſt Aſcenſionem in Cœlum, majora imperii ſui in Mundum, Dæmonem, peccatum, & mortem argumenta is exhibet; idque ejus Imperium nunc quodammodo glorioſius eſt & magis abſolutum, cùm alios perdat, aliorum miſereatur; Idola evertat & peccatum; Eccleſiam verò ſuam evehat, Electos gloriâ donet.

Adverbium illud, *donec*, tempus aliquod definitum, quo elapſo Dei hoſtes pedibus illius ſubjiciendi amplius non ſint, minimè deſignat. Proculcabuntur enim in tempore totâque æternitate, quamquam longè aliâ ratione. In tempore enim iniqui Eccleſiæ inſectatores, increduli, hæretici, impii conſiliis Jeſu Chriſti, Electorumque ſaluti, inviti licèt, ſerviunt; at in æternitate nunquam deſituris cruciatibus torquebuntur. Recentiores quidam Judæi Pſalmum cix, ex quo locus iſte petitus eſt, explicandum de Davide contendunt; ſed Hebræi Veteres meliori fide de Meſſia accipiendum fatentur (y): id quod pariter ex Judæis ſuæ ætatis Jeſus Chriſtus extorſit. Quin & ſola ejus lectio docet, hæc Davidi congruere ad verbum non poſſe.

℣. 14. Nonne omnes administratorii Spiritus sunt? adeoque longè inferiores Jeſu Chriſto, qui Patris ad dexteram ſublimis ſedet, rerum omnium Creatore, Filio æterno, ejusdemque cum Patre ſubſtantiæ, ac Principe ſummo Angelorum, Archangelorum, omniumque in Cœlo terràque Poteſtatum? Angeli nonniſi ſervi ſunt, ad explenda Patris juſſa deſtinati. Si Filius Patri obtemperavit, ſi ſervi imaginem aſſumpſit, ſponte id præſtitit. Sed Angeli ad ſerviendum & parendum nati ſunt, *propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Ne tamen Electorum dumtaxat cuſtodiæ Angelos deſtinatos credas (z); nam & reprobis pariter cuſtodes adſunt Angeli, imò & regnis & Imperiis. At primum Dei propoſitum eſt Prædeſtinatorum ſalus, ſecùsque conſiliorum ſuorum exitus (α). Neque caſu Apoſtolus Jeſu Chriſti dignitatem ſupra Angelos efferre ſtudet, cùm ad Judæos ſcriberet, quibus de Angelorum beatorumque Spirituum præſtantiâ opinio altiſſima inſidebat (β).

CAPUT II.

Debita erga Evangelium veneratio. Jeſus Chriſtus minor Angelis effectus eſt; eâque dejectione ſalutem nobis promeruit. Fideles appellat fratres. Similem ſe nobis conſtituit, ut infirmitatis noſtræ miſereri diſceret.

℣. 1. PRopptereà abundantiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, ne fortè pereffluamus.

℣. 2. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem;

COMMENTARIUS.

℣. 1. PRopterquod abundantius (religioſiùs) oportet observare nos ea quæ audivimus. Si Jeſus Chriſtus tam lato intervallo ſuperat Moyſem ac Prophetas, ipſosque pariter Angelos, uti hactenus demonſtratum eſt, quanto par eſt obſequio excipiamus ea, quæ ipſe nobis docendo tradidit? Id autem opportebat moneri Judæos, quibus major, quàm res poſceret, erga Legem paternasque traditiones exiſtimatio inerat. Studium iſtud tenacius obſtinatiusque id efficere poterat, ut omnem laborum fructum amitterent; *Ne fortè pereffluatis*, tamquam aqua dilabamini (a).

℣. 2. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus. Si Lex, quam Deus Moyſi per Angelos (b) tradidit, *ordinata per Angelos in manu mediatoris*, ut alibi ſcribit; ſi, inquam, Lex illa rata ac firma longâ adeo ſæculorum ſucceſſione perſeveravit, adeo ut illius transgreſſiones omnes ſive Dei ſive hominum animadverſione expiatæ fuerint, ℣. 3. *Quomodo nos effugiemus* pœnam, *ſi tantam neglexerimus ſalutem*,

(x) *Vide Chryſ. Theophyl.* (y) *Vide Matth.* xxii, 42. *Saad Gaon, ad Dan.* vii, 13; *Bereſchit Rabb. ad Geneſ.* xviii, 1; *Midras Tehillim ad Pſ.* xviii, 35.

(z) *Vide Tenam, difficult.* 15, *ſect.* 3; *Eſt. Men. Owen.* (α) *Vide Eſt. hic.*

(β) *Coloſſ.* ii, 18. *Vide Theophyl. hic.*

(a) *Græc.* Μή ποτε παραῤῥυῶμεν, *Ne fortè præterfluamus. Chryſ.* Μή ποτε ἀπολώμεθα, ἐκπέσωμεν.

(b) *Galat.* iii, 19. *Vide & Act.* vii. 53: *Qui accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis. Deut.* xxxiii, 2. *Chryſ. Eſt. Theodoret. Theophyl.*

Digitized by Google

℣. 3. Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt:

℣. 4. Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs ſancti diſtributionibus, ſecundùm ſuam voluntatem.

℣. 5. Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

℣. 6. Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo, quòd memor es ejus; aut Filius hominis, quoniam viſitas eum?

COMMENTARIUS.

tem, ſeu verbum ſalutis, Evangelium Jeſu Chriſti, *quæ cùm initium accepiſſet narrari per Dominum*, (tradi cœpta per Chriſtum) *deinde ab eis qui audierunt*, ab Apoſtolis, rerum nunciatarum teſtibus, *in nos confirmata eſt* (c), quin & ipſius vitæ diſcrimine propugnata? Ex his colligitur, Epiſtolæ hujus Scriptorem edoctum fuiſſe non divinitus a Jeſu Chriſto, ſed inſpectis Apoſtolorum operibus. Hinc Oecumenius (d) aliique nonnulli poſt ipſum ſtatuerunt, Epiſtolæ Scriptorem alium eſſe ab Apoſtolo Paulo. Vide Præfationem noſtram, & Spanhemium (e) in Tractatu de Epiſtolâ ad Hebræos.

℣. 4. CONTESTANTE DEO SIGNIS ET PORTENTIS, ET VARIIS VIRTUTIBUS, ET SPIRITUS SANCTI DISTRIBUTIONIBUS SECUNDUM SUAM VOLUNTATEM: Deo verba illorum confirmante, conceſſâ patrandorum miraculorum poteſtate, & factâ ſingulis pro arbitrio voluntatis ſuæ gratiarum Spiritûs Sancti supernorumque donorum largitione. Evangelium Legi præſtat, I, quòd ab ipſo Jeſu Chriſto Apoſtolis traditum ſit, cùm Legem Moyſi Angeli dederint. II, Jeſus Chriſtus plurimis claruit prodigiis, eorumque patrandorum virtutem Apoſtolis largitus eſt: Moyſes verò unus prodigiis illuſtris fuit. III, Dei Filius Spiritum ſuum in Apoſtolos miſit, quibus & uberrimè ſuppeditavit dona, naturæ Legibus ſuperiora, quibus pariter Fideles ſuos aſperſit (f). Quid ſimile unquam in Lege? Decora hæc omnia novam Legem ſupra veterem mirè commendant, ingeruntque ſummam erga Evangelium, & ea quæ ipſo continentur, venerationem.

℣. 5. NON ENIM ANGELIS SUBJECIT DEUS ORBEM TERRÆ FUTURUM. Orbis terræ futurus illud eſt, quod in Evangelio frequenter Regnum Cœlorum, ſeu Meſſiæ in Fideles Regnum appellatur (g); quodque Hebræi ſibi fingebant ceu ætatem auream, qua pax & juſtitia regnaturæ eſſent, excluſis turbis, bellis, injuriis, erroribus. Tunc Meſſiam unicum fore Principem rebantur, cui gentes toto orbe obtemperaturæ eſſent: cùm potiùs illud, quod Chriſtus in Mundum illaturus venerat, regnum fuerit veritatis, juſtitiæ, pacisque animorum: quod ille annuntians dixit, ſeſe gladium attuliſſe (h), & diſſidium fidelem inter & infidelem, juſtum & impium; & diſcipulis amicisque prædixit futurum, ut inter homines perinde forent ac inter lupos agni (i); ac denique addidit, Regnum ſuum in mentibus, non in hoc ſæculo conſiſtere (k).

Cenſent alii (l), futurum Orbem eſſe Regnum Chriſti poſt alterum ejus adventum, & noviſſimum Judicii diem, cùm homines in vitam novam reſtituti, alii quidem æternâ felicitate regnabunt, alii verò æternis ſuppliciis damnabuntur. Sed priorem ſententiam præferendam ſuadet antitheſis, quam Apoſtolus inſtituit inter orbem futurum, & tempus illud, quo omnes, nemine excepto, Jeſu Chriſto ſubjicientur, ℣. 7, 8. Docet igitur hic Apoſtolus, Deum tradidiſſe Eccleſiam ſuam non quidem Angelis regendam, ſed ipſi Jeſu Chriſto. Veterem legem tulerunt Angeli; Hebræosque Angelus Michaël ductavit ac rexit; quæque Patriarchis & Prophetis obverſatæ ſunt, viſiones, ad Angelos referendæ ſunt, quibus & Deus myſteria ſua detegenda credebat. Sed in Eccleſiâ Chriſtianâ Dei Filius Legiſlator, Patronus, Princeps, Pater novi fideliſque populi eſt.

℣. 6. TESTATUS EST IN QUODAM LOCO QUIS, DICENS: QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS? Demonſtraturus Apoſtolus, Jeſum Chriſtum, qua naturâ eſt homo, Caput Eccleſiæ eſſe, utitur hac ſententiâ, quæ ad verbum quidem de omnibus hominibus, vel de homine utcunque accipienda eſt, & ab ipſo ad Jeſum Chriſtum hominem transfertur (m). Quemadmodum terræ & animalium omnium imperium Adam a Deo accepit; ita & Jeſu Chriſto univerſæ Eccleſiæ ac fidelium imperium a Patre traditum eſt; ſed authoritas, quam, uti homo Deus, in Eccleſiam ſuam exercet, non utique excludit imperium illud ſummum, quod in Mundum & res omnes creatas, uti Deus, obtinet. Patres & Interpretes quidam (n) contendunt, verba Pſalmi nec de Adamo, nec de homine utcunque accipi poſſe; ſed contraris opinio melior. Pauli argumentatio vim deſumit ex Adami innocentis cum Jeſu Chriſto ſimilitudine (o). Quemadmodum Deus Adamo priori omnia ſubdidit, ita & Eccleſiam ſuam Adamo alteri credidit. Rabbini & Judæi veteres fatentur, Adami innocentis decora præludium fuiſſe gloriæ Jeſu Chriſti. Porrò argumentum iſtud planè convincebat illos, ad quos Paulus ſcribebat, Hebræos.

Quis

(c) *Luc.* 1, 2, 3: *&* *Act.* 1, 8, 22: 11, 32; 2, 41; 1 *Cor.* xv, 15; 2 *Petri*, v, 1.
(d) *Oecumen. præfat. in Epiſt. ad Hebræos.*
(e) *Spanhem. part.* 3, *c.* 5. (f) *Marc.* xvi, 17. *Vide Act.* 11, 4, *& ſeq.*
(g) *Vide, ſi placet, Chryſoſt. Riber. Ten. Oouven. Ligf. Jac. Capell. Para. Gom. &c.* Apud Iſaiam, 11, 6, ex LXX. Meſſias dicitur *Pater futuri ſæculi.* Vide Mſſ. Alex. Edit. Compl. & Ald.
(h) *Matt.* x, 34. (i) *Luc.* x, 3. (k) *Joan.* xviii, 36.
(l) *Cajet. Lyr. Men. Eſt. Camero, Grot. alii. Vide Theophyl. hic.*
(m) *Vide Ton. Eſt. Grot. hic, Euthym. & Janſ. in Pſal.* viii, 5; *Theodoret. hic.*
(n) *Aug. in Pſalm.* viii; *D. Thom. Vide Riber. Jun. Lud. de Dieu, &c.* (o) *Rom.* v, 14; 1 *Cor.* xv, 27, *&* 45.

℣. 7. Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ, & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

℣. 8. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim quòd omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei; nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.

℣. 9. Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, vidimus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum; ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem.

COMMENTARIUS.

QUID EST HOMO, QUOD MEMOR ES EJUS? Naturam humanam ſpectat ante hypoſtaticam cum Verbo conjonctionem; quâ ſocietate remotâ, quantula erat, ut Dei oculos in ſe converteret, & in tantum honoris culmen ab ipſo Deo erigeretur? S. Auguſtinus (p) adversùs Pelagianos demonſtrat, humanitatem nullo ſuo merito conjunctam Filio Dei fuiſſe; quòd autem ille carnem, quòd naturam humanam aſſumpſerit, id planè miſericordiæ ejus deberi; Filii verò Dei, quâ homo eſt, prædeſtinationem, omnium prædeſtinatorum prototypum, opus eſſe omnino gratuitum (q). *Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſumus, ut membra ejus eſſemus. Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt in Adam, & regnet, quæ regnat Dei gratia, &c.*

℣. 7. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS. Jeſus Chriſtus, qua homo, Angelis aliquâ ratione eſt minor. Primò, quòd carnem paſſibilem & mortalem induerit. Secundò, quòd re ipsâ ſe neceſſitatibus, infirmitatibus, laboribus, perpeſſionibus, & dejectionibus noſtris ſubmiſerit (r). Alii (s) ita reddunt (t): *Minorem eum feciſti Angelis ad tempus exiguum.* Interpretatio hæc eſt communior; quamquam enim Chriſtus inferior aliquâ ratione eſt Angelis, utpote humanis exuviis indutus, æquè tamen verum eſt, eodem pariter nomine Angelis infinito intervallo præſtare (u). Inferior illis viſus non eſt, niſi brevi illo paſſionis ſuæ, ſuppliciorum, mortiſque tempore, vel quamdiu brevem vitæ ſuæ mortalis curſum abſolvit.

GLORIA ET HONORE CORONASTI EUM, ET CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM. Adam tamquam Dei artificis opus eximium conſtitutus fuit, pretioſiſſimis ejus donis ditatus, juſtitiâ, innocentiâ, ingenio, felicitate, immortalitate, ſi ille Creatori ſuo in re non ſanè difficili obtemperaſſet. Adjecit illi Deus in reliqua opera imperium, ipſumque ceu minorem Deum in terris poſuit (x): hæc autem omnia non obediendo amiſit. Hoc Adami infortunium Dei Filius feliciter reparavit; noſtram enim aſſumens humanitatem, in majorem, quam unde exciderat, dignitatem extulit. Si modico aliquo tempore, diebus nempe vitæ ſuæ difficilis ac demiſſæ, præſertim in paſſione & in Cruce, inferior Angelis viſus eſt, brevì tamen priſtinam gloriam, potentiam, majeſtatemque reſumpſit, novæ ſe vitæ reſtituens, in Cœlum aſcendens, ac Patris dexteræ aſſidens. Hinc ſummum exerit Imperium, potentiamque, non in Eccleſiam modò, ſed & in creaturas omnes, Cœlum, Terram, & Inferos: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.*

℣. 8. IN EO QUOD OMNIA EI SUBJACIT, NIHIL DIMISIT NON SUBJACTUM EI. Cùm ait, Deum omnia Jeſu Chriſto, ceu homini Deo, ſubjeciſſe, nihil excepit; adeoque & Angeli perinde ac reliqua omnia illi paruerunt, Mundus præſens perinde ac futurus, conſpicua æquè ac inconſpicua. At enim cur non omnia perfectam illi obedientiam præſtant? cur tam multæ gentes juſſionibus ejus adverſantur, verbiſque ejus & Apoſtolorum repugnant? His Apoſtolus in præſenti directè non reſpondet; cùm huic objecto planè ſatisfecerit Capite ſuperiori, ℣. 6. ubi docuit, Angelos omnes adorare Filium Dei in Mundo futuro, id eſt in Cœlo; &, ℣. 8. adjecerit, æternum illi ſolium paratum eſſe; ac denique ℣ 13, in quo illud laudat: *Sede a dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum* (y). Igitur ſtatuendum eſt, præſentis quidem ſæculâ omnia Chriſto ſubeſſe, quamquam plures in Eccleſiam ejus, & Fideles adverſarii inſurgant; ſed in exitu ſæculorum, & poſt reſurrectionem, Imperio magis abſoluto utetur.

Alii ſic explicant (z): Ut perſpectum ſit, verba mox recitata non ad Adamum quidem, nec ad homines utcumque, ſed ad Jeſum Chriſtum ſpectare, animadverte, nulli hominum ſubjecta eſſe omnia: quærendus eſt igitur alius, qui pollicitationum iſtarum fidem implens, Imperio ſuo omnia ſubjiciat. Sed fruſtra alium quæras præter Jeſum Chriſtum, Deum & hominem, cui omnia, quæ in Cœlo, quæque in Terris ſunt, obtemperant, præſertim poſtquam *minor factus eſt ad tempus exiguum Angelis*, quamdiu ſcilicet inter mortales vixit; tunc *gloriâ & honore coronatus eſt, propter paſſionem mortis*, & in obedientiæ præmium (a).

℣. 9. UT GRATIA DEI PRO OMNIBUS GUSTARET MORTEM; cùm mortem admittere, quâ eſt pietate, Deus voluerit. Vel, Dei miſerentis beneficium eſt (b), quòd Jeſus, quà homo eſt, pro omnibus hominibus mortem ſubierit. Græci Codices tùm impreſſi cùm manu exarati, qui ſuperſunt (c), Vulgatæ planè favent. Sed olim Codices quidam Græci Latinique pro *Gratiâ Dei*, ferebant (d), *abſque Deo*, vel, excepto Deo; ac ſi haberent, Jeſum, ut hominem quidem, non ut Deum, obiiſſe. Lectionis hujus vetuſtas probatur

(p) *Vide Aug. Oper. imperfecti contra Julian. l. 2, c. 138, 139, 240.*
(q) *Aug. de Prædeſtin. SS. c. 15.* (r) *Aug. l. 2 de Symb. c. 4; Greg. homil. 8 in Ezech. Eſt. Men. alii.* (s) *Origen. Athan. Chryſ. D. Thom. Eſt. Grot. alii.*
(t) Ἐλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' Ἀγγέλους. (u) *Vide Chryſ. & Theophyl. hic.*
(x) *Vide Geneſ. 1, 26: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit beſtiis, univerſæque terræ.* (y) Vide *Riber. Menoch. Jun. & S. Chryſoſt. Theophyl. &c.*
(z) *Grot. Bez. Cameron.* (a) *Philipp. 11, 10.* (b) *Joan. 111, 16: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* (c) Ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου.
(d) Χωρὶς Θεοῦ,

℣. 10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.

℣. 11. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare,

℣. 12. Dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

℣. 13. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus.

COMMENTARIUS.

tur ex Origene (e), S. Ambroſio (f), S. Hieronymo (g), Vigilio Tapſenſi (h), Theodoreto (i), S. Fulgentio (k), & Oecumenio, qui Neſtorianos accuſat de corrupto hic Textu, ad probandum errorem ſuum, quaſi ſcilicet Jeſus abſque Divinâ Naturâ paſſus fuerit.

Pravam hanc lectionem ſequutus Origenes, opinatus fuerat, Dei Filium *obiiſſe pro omnibus, excepto Deo*, ut ejus mors non hominibus modò, ſed Angelis pariter & Dæmonibus profuerit. Hanc explicationem Theodoretus perſpicuè amplexus eſt (l); nec ſanè ſcio, an illum tacito nomine Oecumenius deſignaverit, opinionem illam referens. Animadvertere juvat, omnia ferè dogmata audaciora & erronea, quæ in Origene leguntur, deſumpta fuiſſe ſive ex apocrypho aliquo ſcripto, cui nimium authoritatis ille tribuerit, vel ex pravâ Scripturæ lectione. Porrò lectio eadem, *abſque Deo*, in Syriacis nonnullis Codicibus occurrit (m).

S. Chryſoſtomus (n) & quidam illum ſequuti arbitrati ſunt, iis verbis, *ut guſtaret mortem*, deſignari, Jeſum Chriſtum non obiiſſe, ut ita dicam, niſi ut mortem guſtaret, non ut eam, quæ inde conſequitur, depreſſionem ſentiret; non obiit, niſi ad breve tempus, ſtatimque rediit in vitam. Sed vernaculo Hebræorum ſermone (o) *guſtare mortem*, *videre mortem*, eſt propriè & re ipsâ mori. Quemadmodum in convivio omnes ordine bibere coguntur, ut ſcyphum vino plenum alter alteri porrigat; ita & homines ſinguli mortem guſtant.

℣. 10. DECEBAT ENIM EUM, PROPTER QUEM OMNIA, ET PER QUEM OMNIA, id eſt, Deum Patrem (p), QUI MULTOS FILIOS adoptivos per Chriſti merita IN GLORIAM ADDUXERAT, AUTHOREM SALUTIS EORUM, PER PASSIONEM CONSUMMARE, vel, conſecrare. Deus bonorum omnium author, & rerum creator, ad quem omnia ceu ad finem referenda ſunt, in argumentum ſapientiæ æquitatisque ſuæ ſtatuit, ut Jeſus Chriſtus unicus filius ſuus, quem hominum Redemptorem Servatoremque deſtinaverat, ſacrificium ſuum perpeſſionibus abſolveret, earumque merito ſalutem Electis, ſibique eam, qua micat, gloriam obtineret (q). Porrò ſi Dei ſapientiæ fuit, ut Filius ejus unicus in gloriam per viam hanc asperam, & difficilem tenderet (r); nonne potiori jure par eſt, ut aliud nos iter non teneamus? cùm præſertim exemplo ſuo Chriſtus ſignaverit calcanda nobis veſtigia (s). His planè Apoſtolus removet ſcandalum Crucis, inviſum adeò Judæis, quod cum Meſſiæ gloriâ conciliari haud poſſe cenſerent.

℣. 11. QUI ENIM SANCTIFICAT, ET QUI SANCTIFICANTUR, EX UNO OMNES eodemque principio. Jeſus Chriſtus, ex quo ſalus, ex quo pretium libertatis noſtræ, a quo Sancti efficimur, quique Patri pro criminibus noſtris ſatisfacit; & nos pariter qui ſalutem hanc, ſanctitatem, redemptionem obtinuimus, eamdem hominis naturam ex æquo habemus (t). Quemadmodum ſub Lege erat Sacerdotis & Populi una eademque natura, ut incommodis populi, quibus ipſe erat obnoxius, Sacerdotis animus moveretur (u); ita & in Lege gratiæ, qua eſt Sapientiâ, Deus id egit, ut Servator, Sacerdos, paciſque noſtræ conciliator ac fidejuſſor, naturâ hominum aſſumptâ, quæ illam conſequebantur incommoda ſentiret, quo validiùs erga nos ipſe afficeretur, atque in noſtram opem majori ſtudio concurreret.

Propter quam cauſam non confunditur fratres eos, Fideles nempe & Apoſtolos, *vocare*. Vide Matthæum, xxviii, 10: *Nuntiate fratribus ut eant in Galilæam*. Vide etiam Joannem, xx, 17; Rom. viii, 29. Denique in Pſalmo xxi, 23: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Totus iſte Pſalmus mirè adeò Jeſu Chriſto convenit, ut alius ſit nullus ex Veteri Teſtamento locus, in quo perſpicuè magis idem Chriſtus exhibeatur.

℣. 13. ET ITERUM: EGO ERO FIDENS IN EUM. Ipſe Jeſus Chriſtus loquitur in Pſalmo xvii, 3; vel in Iſaia, xii, 2, ſive viii, 17. nam in his omnibus locis occurrit hæc ſententia: *Ego ero fidens in eum*, vel quid ſimile. Porrò ex his probandum aſſumit Apoſtolus id quod ſupra affirmavit, Filium Dei nempe ejuſdem eſſe naturæ ac homines cæteros (x); nam perinde ac hominum aliquis ſpem ſuam in Deo collocare ſe profitetur.

ET ITERUM: ECCE EGO ET PUERI MEI. Deſumpta ſunt hæc ex Iſaia, viii, 18, ubi Propheta perſonam Meſſiæ agens (y), ait, ſe & Filios ſuos a Deo poſitos eſſe ſignum in Iſraële, ut quæ ipſis

(e) *Origen. in Joan. p.* 38. (f) *Ambroſ. de fide ad Grati. l.* 2, *c.* 4, *& l.* 5, *c.* 4.
(g) *Hieronym. in Galat. l.* 2. (h) *Vigil. Tapſ. l.* 2 *contra Eutych.* (i) *Theodoret. plurib. locis.*
(k) *Fulgent. l.* 3, *c.* 20, *ad Traſimund. & l. de Incarnat. c.* 10.
(l) *Theodoret. hic*: Τὸ μέντοι πάθος ὑπὲρ ἁπάντων ὑπέμεινε, πᾶσα γὰρ ὅσα κτίσιν ἔχει τὴν φύσιν ταύτης ἐδεῖτο τῆς θεραπείας... μόνη ἡ θεία φύσις ἀνενδεής. Τἄλλα δὲ πάντα τῆς ἐνανθρωπήσεως ἐδεῖτο φαρμάκου. (m) *Vide Grot. Bez. Teſtium apud Mill. hic.*
(n) *Chryſ. hic*: Ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Καὶ οὐκ εἶπεν ἀποθάνῃ. Ὥσπερ γὰρ ὄντως γευσάμενος, οὕτω μικρὸν ἐν αὐτῷ ποιήσας διάστημα, εὐθέως ἀνέστη.
(o) *Matt.* xvi, 28; *Marc.* ix, 1; *Luc.* ix, 27; *Joan.* viii, 52. *Vide Eſt. Ten. Bez.*
(p) *Chryſoſt.* Περὶ τοῦ πατρὸς ἐνταῦθα λέγει. *Ita Theophyl. & alii paſſim. Eraſm. Eſt. Grot. Men. Ham. &c.* (q) *Philipp.* ii, 10. (r) *Luc.* xxiv, 26, 46. (s) 1 *Petri*, ii, 21.
(t) *Ita Ten. Eſt. Ribes. Outru. alii.* (u) *Vide Hebr.* v, 1, *& ſeq.*
(x) *Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. Vide Eſt. Gomar. Camero. alios.* (y) *Ita Gomar. & Grot. hic.*

℣. 14. Quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipse ſimiliter participavit eiſdem; ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt, Diabolum:

℣. 15. Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.

℣. 16. Nuſquam enim Angelos apprehendit; ſed ſemen Abrahæ apprehendit.

℣. 17. Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

℣. 18. In eo enim in quo paſſus eſt ipse, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.

COMMENTARIUS.

ipſis acciderent, quæque ageret ipſe, præſagium ſæpe fuerint eorum, quæ Israëlem univerſum manerent. Apoſtolus hæc Jeſu Chriſto dicta accommodat, ut illum naturæ eſſe a Diſcipulis Fidelibusque ſuis non alienæ demonſtret: quemadmodum parentis ac liberorum natura eſt una, ita & Filii Dei, hominis facti, natura eadem eſt cum noſtrâ, quippe quos ille filios appellat. Vide ℣. 14.

℣. 14. UT PER MORTEM DESTRUERET EUM, QUI HABEBAT MORTIS IMPERIUM. In hoc potiſſimùm Dei ſapientia commendatur. Id enim commiſit, ut mors per mortem vinceretur; quique hominem vicerat Dæmon, vinceretur ab homine; ac demum ut Mundi ſalus in carne peragetetur, quemadmodum exitium illi per carnem provenerat (z): *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Jeſus Chriſtus æquis, ferè dixerim, armis pugnam cum Dæmone conſeruit, quo glorioſiùs vinceret (a): *Ut inventor mortis Diabolus per ipſam, quam vicerat, vinceretur; in quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum eſt; dum Omnipotens Deus cum ſæviſſimo hoſte non in ſuâ Majeſtate, ſed in noſtrâ congreditur humilitate; objiciens ei eamdem formam eamdemque naturam*, &c.

℣. 15. ET LIBERARET EOS, QUI TIMORE MORTIS PER TOTAM VITAM OBNOXII ERANT SERVITUTI. Ante Jeſu Chriſti adventum mortales omnes, ne Judæis quidem exceptis, duram quamdam mortis ſervitutem ſerviebant; nam uſque ad Jeſum Chriſtum mors & peccatum in Mundo regnarunt (b). Viri quidem ſanctiſſimi certâ ſalutis, immortalitatis, ac Reſurrectionis cum ſpe mortui ſunt; ſed bona iſta procul adeo ſpectabant, ut mortem niſi tamquam magnum extremumque malum habere non poſſent. Nunc verò cùm tandem Meſſias & Liberator ſeſe prodiderit, atque inter nos egerit; cùm is mortem devicerit reſurrectione, cùm ex obſcuro barathro eduxerit Sanctorum animas, iiſque Cœlorum januas recluſerit; cùm, promulgato Evangelio, imperium erroris, ſuperſtitionis, peccati, & Diaboli everterit; nunc, inquam, germani Fideles mortem perinde habent ac optatum æternæ felicitatis exordium (c).

℣. 16. NUSQUAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT. Quod in Vulgatâ redditur *apprehendit*, Græcus ſonat detinere, capere, uti teneri ſolet ſervus fugitivus, vel homo ruens in præceps, vel denique bellua fugiens. Sonat præterea, manum in aliquem extendere ad manumiſſionem, vel illi porrigere, ut e vinculis, ſervitute, diſcrimine eruatur. Docet igitur hic Apoſtolus, Jeſum Chriſtum, neglectis Angelis perduellibus, quos minimè porrectâ manu in ſervitute nequitiæ & perduellionis ſuæ jacere paſſus eſt, Abrahæ poſteros redimendos ſuſcepiſſe. Hominum quidem omnium ſalutem peregit, cùm pro omnibus mortem obierit, ut alibi docuit (e); ſed ad Judæos ſcribens, quibus præ cæteris ſpes redemptionis facta fuerat, ſatis habebat demonſtraſſe, Dei Filium, quam olim majoribus eorum obligaverat, fidem ſolviſſe (f). Præterea cùm Fideles omnes nomine *generis Abrahæ, vel Israëlis Dei* contineantur, uti paſſim Paulus (g) aſſeruit, ſatis fuit genus Abrahæ exprimere, ut omnes, quotquot universâ ſæculorum ſerie ſucceſſuri erant, pollicitationibus divinis donandos eſſe demonſtraret.

Græci Latinique Patres, & eximii plures Interpretes ſententiam hanc ita explicant: *Non Angelorum ſed hominum naturam aſſumpſit.* Hypoſtaticæ unionis nexu non Angelorum ſed hominum naturam ſibi conjunxit (h). Explicatio hæc, tametſi vera & ſincera, Criticis tamen noſtris minùs probatur, qui priorem ſupra allatam præferunt. Si enim, inquiunt, Apoſtolus nexum Verbi cum naturâ Angelorum deſignare voluiſſet, præteriti temporis verbum, non præſentis, ut eſt in Græco, adhibuiſſet: *Nuſquam Angelos apprehendit*, capit, &c. ideſt, opem illis non porrigit, in ſervitute ſquallescere patitur. Duriuſcula inſuper locutio eſt, *apprehendere Angelos*, pro, jungere ſe illis hypoſtaticæ unionis nexu.

℣. 17. UNDE DEBUIT PER OMNIA FRATRIBUS SIMILARI. Quandoquidem Redemptionis noſtræ authorem ſe præbuit, noſtrumque Pontificem, qui nos ſanctos & a peccato liberos efficit; par quoque fuit, ut communem nobiſcum naturam haberet, ut eſſet *fidelis Pontifex, & compatiens* (i). Perſimilis factus eſt nobis *per omnia*; ideſt, incommoda omnia communia & naturalia hominum ſubiit, nempe mortem, ærumnas, & mala cætera; non verò peccatum, concupiſcentiam, ignorantiam, errores, morbos, qui non hominis, ſed peccati fructus ſunt.

℣. 18. IN EO IN QUO PASSUS EST IPSE ET TENTA-

(z) *Rom.* v, 18, 19; 1 *Cor.* xv, 21. (a) *D. Leo Mag. ſer.* 5 *de Nativ. Domini*. (b) *Rom.* v, 12, 14, 17, 18. (c) *Rom.* vii, 2; viii, 2; 1 *Cor.* xv, 26, 54, 55. *Vide Eſt. Men. Tir. hic.*
(d) Ο'υ γὰρ δήπου Α'γγέλων ἐπιλαμβάνεται. (e) *Heb.* ii, 9; 2 *Cor.* v, 14, 15. (f) *Eſt. Grot. Riber. Ouven. alii.* (g) *Rom.* ix, 6, 7, 8; *Galat.* iv, 28; *Rom.* iv, 17, 18; *Galat.* iii, 6, 7; & vi, 16.
(h) *Chryſoſt.* Ο'υ γὰρ δήπου Α'γγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Α'βραάμ. Τί ἐστιν ὃ φησιν; οὐκ Α'γγέλου φύσιν ἐπεδέξατο, ἀλλ' ἀνθρώπου. *Ita Theodoret. Theophyl. alii Græci. Ita Ten. Tir. & Gomar. hic. Bernard. de gradib. humilis.* (i) Vide infra, *Heb.* v, 1, & *ſeq.*

PATUS, POTENS EST ET SIS QUI TENTANTUR AUXILIARI; ex iis enim quæ ipſe paſſus eſt, virtutem ſibi comparavit auxiliandi eis, quos idem tentationis malum premit. Vel planiùs (k). Cùm diſcrimina tam multa ſubierit, poteſt (l) affici animo erga eos, qui tentationibus & diſcriminibus arduis probantur. Quæ pertulit mala, ſuadent, ut miſereatur fratrum.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco (m).

CAPUT III.

Jeſus Chriſtus Moyſe major; idemque Apoſtolus & Pontifex noſter eſt, quem audire oportet, ne Dei iram incurramus. Qui contra ejus verba aures animumque obfirmant, perinde ac in deſerto Iſraelitæ punientur.

℣. 1. Unde, fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum;

℣. 2. Qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo ejus.

℣. 3. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorem honorem habet domùs, qui fabricavit illam.

℣. 4. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus eſt.

℣. 5. Et Moyſes quidem fidelis erat in totâ domo ejus, tamquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant:

COMMENTARIUS.

℣. 1. UNDE, FRATRES SANCTI, VOCATIONIS COELESTIS PARTICIPES, CONSIDERATE APOSTOLUM ET PONTIFICEM CONFESSIONIS NOSTRÆ, ideſt, Religionis (a). Cùm igitur, uti hactenus demonſtratum eſt, Jeſus ſit author ſalutis noſtræ, & Pontifex, ejuſdemque nobiſcum naturæ, & malorum particeps, vobiſque datum fuerit, ut ad fidem ejus converteremini, ac veniretis in cognitionem Filii Dei, mortali carne induti, qui nobiſcum verſatus eſt, quique Religionis noſtræ Apoſtolum & Pontificem ſe præbuit; *Apoſtolum* quia lætum adventûs ſui nuncium allaturos a Patre miſſus venit (b); *Pontificem*, quia pro ſalute & ſanctitate nobis procurandâ Deo ſeipſum obtulit; divini hujus Magiſtri, & ſalutis noſtræ Apoſtoli vocem hodie audiamus; bonâque ſpe pleni Pontificem hunc ob criminum noſtrorum expiationem adeamus; & ſi nobis tam felicibus eſſe licuit, ut juſtitiam & morum ſanctitatem ſervaverimus, depoſitum hoc ſanctè cuſtodiamus, pavidi ſemper, ne incautis animi pervicacia, & in ſalutis negotio deſidia & torpor obrepat. Hoc fermè totius Capitis eſt argumentum. Moyſes Legatus, Miniſter, Apoſtolus Hebræorum fuit; Aaron ejus frater Pontificatum penès illos geſſit. Utramque dignitatem cum ſupremo imperio Jeſus in ſe conciliavit.

℣. 2. QUI FIDELIS EST EI QUI FECIT ILLUM, SICUT ET MOYSES IN OMNI DOMO EJUS; qui ſcilicet fidelis eſt Deo, a quo utramque dignitatem acceperit, perinde ac Moyſes fidele miniſterium in Dei domo geſſit. Id habuit Chriſtus cum Moyſe commune, quòd uterque in domo Dei conſtitutus ſit ceu fidelis miniſter & diſpenſator, Moyſes Synagogæ, Chriſtus Eccleſiæ. Jam alibi monuimus (c), vocem *fidelis*, Hebraicè *neeman*, uſurpari interdum latiùs pro diſpenſatore quocumque, & Regiæ domûs œconomo. Ita Moyſes eſt *neeman*, fidelis in Domo Dei Iſraëlis, Chriſtus in Eccleſiâ Chriſtianâ.

℣. 3. AMPLIORIS ENIM GLORIÆ ISTE PRÆ MOYSE DIGNUS EST HABITUS, QUANTO, &c. Chriſtus veluti architectus eſt, Moyſes verò & gens Hebræa ceu ædificium habendi ſunt. Ut igitur architectus ædificio, cujus eſt author, multo dignior eſt; ita & Chriſtus Moyſem longè ſuperat. Gloriæ Moyſis ſtudioſi ſemper Judæi, illum Prophetis omnibus anteferunt; ideoque Meſſiam per omnia illâ præſtiturum nonniſi ægrè admittunt (d). Gloriæ Moyſis nihil detrahens Apoſtolus, Chriſto tamen debitam magis quàm Legiſlatori Iſraëlis dignitatem commendat. Ultrò agnoſcit, Moyſem, Hebræos reliquos, & Synagogam ædificium Filii Dei eſſe, nec Moyſem niſi juſſionum ejus executorem, & adumbrati ab illo ædificii ſtructorem fuiſſe. Certa ſunt hæc, ſi admittatur, Chriſtum Deum, Dei Filium, Sapientiam, Verbum Patris eſſe. ℣. 4: *Qui omnia creavit, Deus eſt.*

℣. 5. MOYSES FIDELIS ERAT ..... TAMQUAM FAMULUS. Amplâ in domo variæ ſunt famulorum claſſes, inter quos œconomus, quamquam cæteris ſuperior, famulus tamen eſt (e). Moyſes primus

(k) Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι.
(l) Δύναται, poteſt, aptus, idoneus, proclivis redditur ad ſuccurrendum. Eſt. Men. Tir. Ovven. &c.
(m) Virgil. Æneid. 1, v. 634.
(a) Ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας. Chryſ. Theophyl. Τουτέστι τῆς πίστεως. Οὐ γὰρ τῆς κατὰ νόμον λατρείας ἀρχιερεύς ἐστιν, ἀλλὰ τῆς ἡμετέρας πίστεως. (b) Vide Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. Men. Jun. Vide Geneſ. XLIX, 20; Joan. IX, 7. (c) Num. XII, 7. (d) Vide Lud. de Dieu bis.
(e) Theophyl. Πλὴν καὶ αὐτὸς ὡς ἐν τῷ οἴκῳ . . . ὡς καὶ ἐν ταῖς οἰκίαις οἱ ἐπίτροποι, οἳ καὶ ἄρχουσι τῶν λοιπῶν, πλὴν ὁμόδουλοι τοῖς ἄλλοις.

℣. 6. Chriſtus verò tamquam Filius in domo ſuâ; quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus.

℣. 7. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis,

℣. 8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto,

℣. 9. Ubi tentaverunt me patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea.

℣. 10. Quadraginta annis propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas,

COMMENTARIUS.

mos Miniſter Synagogæ fuit; ſed, princeps licèt, adhuc tamen Domini miniſter. At Chriſtus Dominus quidem eſt, & hæres Patris; & *tamquam filius in domo ſuâ* authoritatem habet. Moyſi imperatum fuerat, ut doceret populum, juſſionesque ſummi Principis deſerret; nec aliud referebat, quàm quæ dicere juſſus erat. Hæc ait Dominus; Dominus hæc ad me verba fecit, ut ad vos referrem. Ita Moyſes ad populum. Sed Chriſtus pro authoritate loquitur (f), uti Dominus.

℣. 6. QUÆ DOMUS SUMUS NOS; nos ſcilicet, qui fidem ei præbuimus, ex quibus ejus Eccleſia coaleſcit. Deſignat hîc, Synagogam jam non propriè eſſe Dei domum, atque omnia illius decora ad Eccleſiam tranſiiſſe. Cùm verò Synagoga Moyſem Miniſtrum habuerit, Eccleſiæ Princeps & patronus Chriſtus eſt. Fidelium quiſque ceu lapis vivus & ſelectus in ſpiritalis hujus ædificii ſtructuram venit (g); cujus ædificii fundamentum, idemque & lapis angularis ſelectus & pretioſus eſt Chriſtus: *Ad quem accedentes lapidem vivum, & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, &c.*

SI FIDUCIAM ET GLORIAM SPEI USQUE AD FINEM FIRMAM RETINEAMUS; modò ſcilicet firmam fiduciam, lætamque optatorum bonorum expectationem uſque ad finem retinuerimus. Non ſatis eſt homini Chriſtiano, ſi credat Deo, & dogmata Evanglii ampleꝫatur: perſeverandum eſt in fide, & ſpe bonorum, quæ opperitur. *Gloria ſpei* locutio eſt Hebraica, deſignans expectationem gloriæ, quæ nos manet, vel ſpem, in quâ gloriam omnem noſtram felicitatemque conſtituimus, quæque in arduis, & adverſis vitæ hujus nos regit ac tuetur. Hæc Apoſtolos fortes in adverſis, lætosque ac ſecuros inter inimicos efficiebat (h): *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Et Apoſtolus (i): *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei; non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.*

℣. 7, 8. HODIE SI VOCEM EJUS AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA. Cœptam ad Hebræos admonitionem Apoſtolus proſequitur. Cùm Chriſtus noſtrum ſit caput, Apoſtolus, & Pontifex, nos verò fratres ejus, filii, & domus, perſeveremus uſque ad finem, retinentes de auxilio ejus fiduciam, & de pollicitationibus ejus ſpem; pronas fideleſque aures, animumque obſequentem ejus verbis præbeamus; veriti, ne, ſi animo obduruerimus, ob contemptum verborum ejus, pervicaciam, atque peccatum (k), a Cœlis felicitate excludamur; quemadmodum Hebræi, cùm ab Ægypto pedem extulerunt, refractarii fuerunt in Deum, & ab ingreſſu Terræ promiſſionis excluſi ſunt.

SICUT IN EXACERBATIONE SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO; ut olim accidit, cùm populus in deſerto verſaretur, in loco appellato *Jurgio*, & *Tentatione*. Nullus alius locus, cui nomen manſerit *Tentatio* & *Jurgium*, in Sacris Libris noſcitur, niſi in caſtris ad Raphidim (l); cùm enim populo defuiſſet aqua, ſubitò tumultus agi cœptus eſt, & murmur in Deum & Moyſem, dubitantibus Hebræis, an potis eſſet Deus aquas ſibi in deſerto ſuppeditare; quæ dubitatio & ambiguitas propriè *Tentatio* appellata eſt (m). Cenſent alii, deſignare voluiſſe Apoſtolum quæ acciderunt in reditu Exploratorum, qui Chananitide peragratâ retulerant, gentem illam eſſe terribilem, regionem inacceſſam, quòd munitis urbibus defenderetur, id enim audientes Iſraëlitæ in defectionem ruerunt, reditumque in Ægyptum meditabantur (n). Denique ſunt qui agi hîc credant de murmure ad Aquas contradictionis (o), cùm ſcilicet Moyſes & Aaron in gloriam Domini nonnihil peccarunt ad rupem Cades. *Dies tentationis* deſignat hîc ea, quæ acciderunt in loco appellato *Tentatione*; quemadmodum *dies Madian* (p) ſignificat Madianitarum cladem; *Dies Jeruſalem* eſt dies captæ & afflictæ Urbis.

℣. 9. UBI TENTAVERUNT ME PATRES VESTRI, & periculum facere voluerunt, an mihi tantum eſſet virium, ut aquas in deſerto ſufficerem. Quamquam tot poteſtatis & clementiæ meæ argumenta illis præbui, cùm ſcilicet illos ab Ægypto eduxi, & per Erythræum ſicco pede traduxi.

℣. 10. QUADRAGINTA ANNIS PROPTER QUOD INFENSUS FUI; populum hunc, ægrè licèt, quadraginta annis ſuſtinui. Sunt qui (q) hos quadraginta annos jungant præcedentibus: *Probaverunt, & viderunt opera mea quadraginta annis.* Sed prior opinio communior eſt; quamquam re ipsâ, utra teneatur, minimi intereſt; ambæ enim aptum ſenſum reddunt. Deus in populum ſuum qua-

(f) *Matt.* VII, 29. (g) 1 *Petri*, II, 4, 5.
(h) *Act.* V, 41. (i) *Rom.* V, 2, 3. (k) *Vide Eſt. Men. Deut.* XV, 7; X, 56.
(l) *Exod.* XVII, 7: *Vocavit nomen loci illius Tentatio, propter jurgium filiorum Iſraël.* Hebræus fert: *Vocavit nomen loci illius Maſſa, & Meriba*, ſive Tentatio, & Jurgium, *propter jurgium filiorum Iſraël.* Vide & *Deut.* VI, 16. (m) *Vide Theophyl.* (n) *Num.* XIV, 2, & *ſeq.*
(o) *Num.* XX, 13. *Vide Grot. Tirinum.* (p) *Iſai.* IX, 4.
(q) *Riber. Owen. Piſc. alii.*

Digitized by Google

℣. 11. Sicut juravi in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam.
℣. 12. Videte, fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo vivo:
℣. 13. Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur; ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.
℣. 14. Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.
℣. 15. Dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illâ exacerbatione.

COMMENTARIUS.

quadraginta annis ideo iratus fuit; quòd illi toto eo tempore ſe perduellionis & pervicaciæ reos exhibuerint. Quoad varias verſiculi hujus interpretationes, vide Pſalmum XCIV, 10. Græci quidam Codices manuſcripti omittunt *propter quod*, ut continuent illud *quadraginta annis* cum altero ſententiæ membro, *infenſus fui*, ut) reverà continuantur in Hebræo & in Græco Pſalmi XCIV, unde hæc deſumpta ſunt.

NON COGNOVERUNT VIAS MEAS; mentem non adverterunt ad agnoſcenda decreta mea & conſilia, & ad illa executioni mandanda. Vel, mentem non adhibuerunt, ut intelligerent, quas ego tenui vias, quam ſervavi agendi rationem, & quàm longè inter ſe Dei & hominum conſilia (r) diſtent.

℣. 11. SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM. Solemnis eſt jurisjurandi formola, in quâ aliquid ſubauditur; ut: Deus me puniat, niſi inimicos inſectatus fuero; vel, mentiar, ſi introibunt in requiem meam, in locum habitationis meæ, in terram Chanaan, quò me illos immiſſurum ſpopondi. Hoc jurejurando Deus obſtrinxit ſeſe (s), cùm, regreſſis Exploratoribus, qui Chanaanitidem inviſerant, Iſraëlitæ turbas cientes, reditum in Ægyptum ſtatuerent. Tunc Deus juratis ſpopondit, a tantâ hominum turbâ neminem, niſi Joſue & Calebum, in optatam regionem ingreſſurum.

℣. 12. NE FORTE SIT IN ALIQUO VESTRUM COR MALUM. Quidquid accidebat Iſraëlitis, præſagium erat futurorum. Exitus ab Ægypto, Erythræi transfretatio, iter per deſertum, converſionem noſtram ad fidem, baptiſmum, noſtrumque in Chriſtianâ profeſſione vitæ inſtitutum ſignificabant. Terra promiſſionis, quies Dei, Cœleſtem felicitatem exprimebant. Si eò pervenire certò volumus, caveamus ſedulò ab iis, quæ Hebræis exitium intulerunt, murmure ſcilicet, infidelitate, pervicaciâ, perduellione & ſuperbiâ; quæ omnia Paulus appellat hîc *cor malum*, ſive ingrati animi vitium, ſeu nequitiam, quæ in ſiniſtram partem omnia interpretatur; *incredulitas* autem eſt diffidentia, quæ eò ducit, ut tentetur Deus, ac de potentiâ & clementiâ ejus homo dubitet.

℣. 13. SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS (t) PER SINGULOS DIES ... UT NON OBDURETUR QUIS EX VOBIS FALLACIA PECCATI. Mutuis adhortationibus, probiſque exemplis vos invicem regite, atque ad perſeverantiam animos veſtros comparate. Debiles in fide roborate; & ſi qui fortè lapſi ſunt, illos erigite, ut dies vitæ veſtræ, quos Scriptura hîc deſignat voce *hodie*, dies breves adeò & malos, obduratione vacuos exigatis. *Ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati*. Ne peccati fraus, voluptatis illecabræ, Dæmonis aſtutia in obdurationem & infidelitatem vos rapiant.

℣. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SUMUS; in unum cum illo veluti corpus per baptiſmum coaluimus (u): *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Admiſſi eſtis in communionem meritorum, gratiarum, hæreditatis, & promiſſionum ejus, effecti tamquam fratres, & adoptivi Patris Cœleſtis, ſi tamen *initium ſubſtantiæ ejus*, id eſt initium novi illius ſtatûs, in quo ipſe nos conſtituit, *uſque ad finem firmum retineamus*. Porrò *initium ſubſtantiæ ejus* nihil eſt, juxta Patres (x), niſi fides, per quam exiſtimus, & in quam novo veluti ortu gignimur. Sunt qui (y) explicent de pollicitationibus nobis exhibitis, cùm primùm per Baptiſmum initiaremur; ſeu de firmâ illâ ſpe, quæ menti noſtræ ab exordio inſedit (z); ſeu de priori vitâ, quam, receptâ jam fide (α) & juſtitiâ, in Jeſu Chriſto guſtavimus: quod tamen in ſententiam illam Patrum, quam diximus, recidit. Non ſatis eſt credere Jeſu Chriſto: in fide perſeverare, & Chriſtianarum virtutum exercitatione illam colere oportet. Perſeverantiæ enim ſpes triumphi facta eſt.

℣. 15. DUM DICITUR. Non priſcis tantùm Hebræis ſub Davide viventibus dictum fuit: *Nolite obdurare corda veſtra*; ad nos enim pariter hæc diriguntur, ℣. 16. Licèt enim quidam, qui auribus hæc perceperunt, animo rejecerint; *ſed non univerſi, qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſem*. Joſue, & Caleb integram Domino fidem ſervavere; quorum & ſucceſſores & imitatores ſumus ipſi: caveamus tamen oportet, ne ab iis degeneres, eâdem ac Iſraëlitæ murmuris & pervicaciæ rei, damnationis ſententiâ obvolvamur. Nec eſt quòd vos deterreat minimus eorum Fidelium cœtus, qui in bono perſeveraor; cùm ex tam multis Hebræis ab Ægypto egreſſis Joſue tantùm & Calebum in terram promiſſionis ingreſſos fuiſſe Scriptura commemoret.

S. Chryſoſtomus, cæterique ipſum ſequuti (β), verſiculum 15 cum exordio ſequentis Capitis continuant; opinanturque, omnia quæ in verſiculis 16, 17, 18, 19 continentur, intra parentheſim cogenda eſſe. 15. *Dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus*

(r) Confer *Isai.* LV, 8. (s) *Num.* XIV, 28, 29.
(t) Παρακαλεῖτε ἑαυτούς. *Theophyl.* Οἰκοδομεῖτε ἀλλήλους, καὶ ὑποστηρίζετε. Ὥστε μὴ πεσεῖν. Εἰ δὲ καὶ πέσῃ τις, διορθῶσαι αὐτὸν ἄχρις οὗ ζῇ. (u) *Galat.* III, 27.
(x) *Chryſ.* Τί δέ ἐστιν ἡ ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως; τὴν πίστιν λέγει, δι' ἧς ἑστήκαμεν, γεγεννήμεθα, καὶ συνουσιώθημεν, ὡς ἄν τις εἴποι. *Ita Theodoret. Theophyl.* (y) *Camerar. Schindl.*
(z) *Grot. Camero.* (α) *Riber. Vat. Zeger. Eſt. Men. Tena, Pata. &c.*
(β) *Vide Chryſ. Theophyl. Eraſm. Grot. &c.*

℣. 16. Quidam enim audientes exacerbaverunt; ſed non univerſi, qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen.

℣. 17. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto?

℣. 18. Quibus autem juravit non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt?

℣. 19. Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

COMMENTARIUS.

ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Caput IV. 1: *Timeamus ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.* Sed alii (γ) verſiculum 15 cum ſuperioribus continuant in hanc ſententiam: *Adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur; ut non obduretur quis ex vobis fallaciâ peccati.* 14 (*Participes enim effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus*) Adhortamini, inquam, voſmetipſos, *dum*, donec, *dicitur*: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

℣. 16. Quidam enim exacerbaverunt. Qui ab Ægypto pedem extulerunt, murmure ſuo necem & excluſionem ab optatis ſedibus in ſe provocarunt. At eam pœnam merito fidelitatis ſuæ Caleb & Joſue declinarunt. Nos in medio ſedemus arbitrii, ſive maluerimus viros illos raros ac delectos ſequi, ſive frequentem perduellium multitudinem.

Theodoretus interrogatione appoſitâ ita Græcum reddit (δ): *Qui enim ſunt, qui non exacerbaverint Deum?* Quotus quiſque eſt, qui in ejus obſequio fidelis perſtiterit? Rari equidem ſunt; *ſed non univerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſem*, murmuris reos ſe conſtituerunt. Et nobis igitur pronum eſt, ut raris hiſce accedamus. Minimè ſpernenda lectio iſta eſt. Minùs enim aptè dicitur, *Quidam exacerbaverunt*, cùm e ſexcentis millibus duo tantummodo ab exacerbando Deo abſtinuerint.

℣. 17. Quibus autem infensus est, niſi linguâ procacibus? Vindicem gladium non in omnes paſſim Iſraëlitas, ſed in eos tantummodo, a quibus provocatus fuerat, Deus exeruit. Pronum eſt vobis, Deo juvante, pravum eorum exemplum vitare, Domini verborumque ejus in obſequio perſeverantibus.

CAPUT IV.

Hebræis rebellibus a requie Domini deſtinatisque ſedibus excluſis; Chriſtiani ſubſtituendi ſunt; niſi tamen & illi criminum ſuorum culpâ excluſionem meruerint. Eò nos per fidem inducimur. Verbum Dei mirè efficax. Jeſus Chriſtus Pontifex noſter eſt, ad quem nobis cum fiduciâ accedendum.

℣. 1. Timeamus ergo ne fortè relictâ pollicitatione introëundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe.

℣. 2. Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei ex iis quæ audierunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Timeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introëundi in requiem ejus, &c. Ex iis, quæ toto Capite ſuperiore diſſeruit, hoc colligit. Cùm tam multa Iſraëlitarum turba aditum ſibi in Chananitidem præcluſum ſenſerit, ab ineundâ cum illis murmuris & pervicaciæ ſocietate nos contineamus, ne fortè contingat (α), ut ab ingreſſu probibeamur, non Chanaanitidis, ſed Cœleſtis hæreditatis, quam terreſtris illa regio leviter adumbrabat: ut enim, ℣. 2, ejus regionis Hebræis, ita & nobis Cœleſtis hæreditatis ſpes facta eſt: quemadmodum autem nequicquam illis profuit, quòd Dei verbum audierint, cùm fide & obedientiâ deſtituerentur; ita & fieri poteſt, ut a pollicitationibus nobis exhibitis excidamus.

S. Chryſoſtomus, cæterique illum ſequuti verſiculum 15 ſuperioris Capitis cum exordio hujus continuant in hanc ſententiam: *Dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, timeamus*, ne quis fortè pollicitationibus hiſce indignum ſe præbens, ingreſſu Terræ promiſſionis excludatur. Textus legit: *Timeamus ergo*; at ſublatum eſt adverbium *ergo*, quòd nimis a ſententiâ, quò referebatur, diſtaret, & parentheſis plus nimio longior eſſet.

℣. 2. Non admistus fidei ex iis, quæ audierunt; fruſtra verbum audierunt, cùm audientea

(γ) *Eſt. Camer. Riber.*

(δ) Τίνες γὰρ ἀκούσαντες παρεπίκραναν; ἀλλ' οὐ πάντες.

(α) *Exiſtimetur ex vobis aliquis deeſſe*: Δοκῇ τις ὑστερηκέναι. *Theophyl.* Τουτέστι, μήπως ὑστερήσῃ, ἐμφατικώτερον δὲ καὶ ἐντρεπτικώτερον τὸν λόγον ποιῶν, ἵνα μὴ ὑστερήσῃ, ἀλλὰ μὴ δοκῇ ὑστερηκέναι. Reddi poteſt: *Timeamus nequis videatur in poſtremis eſſe.*

℣. 3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut juravi in irâ meâ: Si introibunt in requiem meam; & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis.

℣. 4. Dixit enim in quodam loco de die ſeptimâ ſic: Et requievit Deus die ſeptimâ ab omnibus operibus ſuis.

℣. 5. Et in iſto rurſum: Si introibunt in requiem meam.

℣. 6. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem;

℣. 7. Iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſuprà dictum eſt: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

℣. 8. Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, numquam de aliâ loqueretur poſthac die.

℣. 9. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.

COMMENTARIUS.

tes fide deſtituerentur. Omnium quidem Hebræorum auribus Dei verbum inſonuit, ſed non omnes rite exceperunt; neque enim geſta cum rebus auditis compoſuerunt, &, ut ita dicam, in ſuccum ſuum illud minimè traxerunt. Græcus impreſſus cum Vulgatâ congruens (b), refert illud admiſtus vocibus ſuperioribus, ſermo Dei. Sed vetuſti Codices multi componunt hæc cum Judæis incredulis (c) in hanc ſententiam: *Non profuit illis non admiſtis fidei*; verbum Dei nihil illis profuit, quòd non traxerint in ſuccum ſuum fidem eorum, quæ audierunt; ſive, juxta alios (d), fidem eorum, qui audierunt verbum. Chryſoſtomus explicat hæc de Joſue & Calebo, qui fide pleni adjungere ſe populo perduelli in verbum, quod audierat, noluerunt. Diſcrimen eſt tamen in verbis potiùs quàm in re, cùm inter omnes conſtet, promiſſiones inanes effectas fuiſſe populo ipſius culpâ, ſive quòd ipſe in ſuccum ſuum quod audivit verbum non traxerit; ſive quòd ipſum verbum non venerit in alimoniam bonorum operum.

℣. 3. INGREDIEMUR ENIM IN REQUIEM QUI CREDIDIMUS; in requiem ſcilicet iis promiſſam, qui in Dei obſequio manſerint. Ne putetis, ſermonem mihi eſſe de quiete ſeu commoratione in Chanaanitide. Multis ab hinc ſæculis eò populus vênit; & qui in Pſalmo ſupra laudato requiem ſpondet David, aliam planè requiem ſpectabat, quàm pacificam Chanaanitidis poſſeſſionem, jam inde a pluribus annis Iſraëli partam; neque etiam ſermo illi eſt de quiete Sabbathi, quâ die ſcriptum eſt quieviſſe Deum, abſolutâ rerum, quæ ſub ſenſus cadunt, creatione; id enim pariter ante plura ſæcula peractum eſt. Tertia eſt igitur quies, quæ nos manet in Cœlo (e), quæque a Pſalmiſtâ reſpicitur, uti Apoſtolus ℣℣. 4. 5. 6. 7. 8. 9 explicat.

ET QUIDEM OPERIBUS AB INSTITUTIONE MUNDI PERFECTIS. Menti igitur Pſalmiſtæ non obverſabatur quies illa, quam Deus tunc cepit, ac die Sabbathi conſecravit. Neque enim de re præteritâ, ſed de re futurâ loquitur.

℣. 6. QUONIAM ERGO SUPEREST INTROIRE QUOSDAM IN ILLAM; cùm igitur introduci quoſdam adhuc in requiem illam, de qua Propheta, oporteat, oraculum Davidis nonniſi de futurâ requie explicandum eſt. Porrò nec Sabbathum, nec Terræ Promiſſionis quieta commoratio res futuræ ſunt; igitur de utrâque illâ requie Pſalmiſta minimè loquitur.

℣. 7. ITERUM TERMINAT DIEM QUAMDAM, HODIE, &c. Statuit Deus diem aliam novam, dicens, *Hodie, &c.* David diu poſt Joſue ætatem vixit, ac de futurâ quâdam requie ſermonem habuit. Alia eſt igitur quies ab eâ, quam Joſue pepererit. (℣. 8.) *Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet*, requiem ſcilicet veram, ultra quam alia ſperanda non ſupereſt, *numquam de aliâ David loqueretur poſthac die*, ſive requie.

℣. 9. ITAQUE RELINQUITUR SABBATISMUS POPULO DEI; itaque ſabbatiſmus iſte, requies, ultima commoratio reſervatur populo Dei, ſinceris æmulatoribus fidei & obedientiæ Calebi & Joſue, germanis filiis Abrahæ, Iſraëlitis ſpiritu, nobis qui fidem Jeſu Chriſti amplexi fuimus, ejusque doctrinam & baptiſmum excepimus, ac ſperamus futurum, ut ejus gratiæ auxilio æternam denique felicitatem aſſequamur.

Veteres quidam (f) loci hujus ætatis authoritate tuentur opinionem de mundi duratione ſex millibus annis; quibus evolutis ajunt, Sanctos moram in terrâ mille iterum annis producturos, quos demum æterna in Cœlo felicitas excipiet. Porrò hæc ſex millium annorum periodus ſex illis creationis diebus ſignificatur, uti & mille annos quietis exhibet dies ſabbathi, quâ Deus requievit; denique dies æternitatis deſignantur octavâ die, cujus duratio nullis terminis adſtringitur. Sed opiniones illæ jam inde a multis ſæculis ceſſarunt; nec jam magni habetur Librorum quorumdam authoritas, qui ejuſmodi ſententias invexerunt. Locus iſte Apoſtoli illis minimè favet; & alter ex Apocalypſi (g), de quo nos ſuo loco, allegoricè explicandus eſt. Millenariorum dogma.

(b) Οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους, μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι.

(c) Οὐκ ὠφέλησεν ἐκείνους μὴ συγκεκραμένους τῇ πίστει. *Ita Alex. Clar. & S. Germ. Steph. 2, 3, 4, 6, 12, Reg. 2, Pet. 5, 2; alii; Arab. Æth. Chryſ. Theodoret. Theophyl. Oecum. alii.*

(d) Τῇ πίστει τῶν ἀκουσάντων. *Ita Clarom. G. L. Germ. Lat.*

(e) *Vide Chryſ. Theodoret. Theophyl. Eſt. Ten. alios.* (f) *Vide Iren. l. 5, c. 28, & 29: Origen. l. 2 contra Celſ. Lactant. l. 7, c. 14: Hilar. Canon. 20 in Matth. Hieronym. Ep. ad Cyprian. Vide & Aug. de civit. l. 20, c. 7: Gregor. Nyſſen. Expoſit. in Pſ. VI, & Not. Menardi in Epiſt. Barnab. p. 196, 197, 202.* (g) *Apoc. XX, 2, 3, 4, 5.*

℣. 10. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus.

℣. 11. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem; ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

℣. 12. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad diviſionem animæ, ac ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.

COMMENTARIUS.

dogmata originem e fabellis Judaicis repetunt, & Cerinthi nequitiæ debent, quòd inter Chriſtianos locum obtinuerint, apud quos ex credulitate Papiæ adoleverunt, operam in eam rem conferente Veterum quorumdam facilitate, qui origine erroris hujus minimè exploratâ, illum incautè adoptarunt (h).

℣. 10. Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, in æternam beatitudinem, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. Quamobrem & Sabbatum & ingreſſus in terram promiſſionis imago erant quietis, quæ in Cœlis nos manet. Græcum ſic vertunt quidam (i): Jeſus enim *ingreſſus in requiem ſuam*, per reſurrectionem ſcilicet, vel per Aſcenſionem in Cœlum, *etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus* (k). En igitur duo Sabbata, Dei ſcilicet, & Jeſu Chriſti; illud Judæis, hoc Chriſtianis convenit. Judæi die illâ ſabbati a ſervilibus abſtinent: Chriſtiani verò ſpectant futurum, ut in Cœlo æternâ felicitate & laborum præmio fruantur.

℣. 11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem; feſtinemus ingredi in beatitudinem, & ita comparare nos, ut præmia, quæ Filius Dei nobis ſpopondit, aſſequamur; metuamuſque viciſſim, *ne quis incidat in idipſum incredulitatis exemplum*; ne ſcilicet Iſraëlitarum pervicacium exemplo e Cœlorum aditu excludatur. Litera fert (l): *In idipſum incredulitatis exemplum*, ſive in incredulitatem illam, cujus pravum exemplum ab Iſraëlitis datum eſt (m).

℣. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax (n), et penetrabilior omni gladio ancipiti. Antiquorum Patrum permulti (o), nec pauci inter noſtrates Interpretes (p) verbum Dei hic accipiunt Verbum Divinum, Sapientiam æternam, alteram in Trinitate Perſonam. Jeſus Chriſtus Verbum eſt Divinum, vivum, efficax, & gladio ancipiti penetrabilius, intima animæ & ſpiritûs pervadens, intra compages quoque ac medullas ſeſe inſinuans. Ex his laudibus nulla non congruit Filio Dei, Verbo æterno, quod omnia intuetur, noſcit, penetrat, poteſt. Idem eſt mentium Dominus, pro arbitrio illas agens; idem & mentes illuminat, fortiter & blandè vocat, ubi & quando libuerit. Denique ultor eſt rigidus, & ſeverus ſuarum & paternarum injuriarum, infideles, incredulos, & impios ſternens.

Sed hæc opinio impugnatur, I, Quòd hic de verbo Dei non agitur, II, quòd non ſolet Apoſtolus *logon* pro Filio Dei uſurpare. III, Quòd conjunctio *enim* indicat verſiculum hunc continuari cum ſuperiore, in quo nonniſi de requie æternâ, & quibus adjumentis acquiri ea poſſit, diſſeritur. Res igitur poſcit, ut explicetur de verbo, ſive de mandato, & de voluntate Dei (q). Solemne eſt Hebræis, Dei verbum exhibere tamquam quid exiſtens, agens, vivum, omnipotens, vindex, omnituens, quod omnia novit ac penetrat. Ita ſcriptum eſt (r): *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*; ideſt ex quacumque re, quæ alendi facultatem a Deo accipit. Alibi (s) etiam legitur, non herbas & pharmaca Hebræos a ſerpentibus ictos curaſſe, *ſed Domini ſermonem qui ſanat omnia*. Præterea (t) ubi agitur de nece primorum natu Ægyptiorum: *Omnipotens ſermo tuus de Cœlo a regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit, & ſtans replevit omnia morte*. Apud Iſaiam (u) Dominus mittit verbum ſuum, quod juſſa ejus complet, nec regreditur donec ea perfecerit; & in Evangelio (x) Centurio ad Jeſum ait: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus*.

In his omnibus locis Dei ſermo perinde ſe offert ac res aliqua mente prædita, quæ Dei juſſiones exequitur. Hic Apoſtolus, recitatâ adhortatione Prophetæ, monens ut defectio & incredulitas evitetur, ne ab aditu æternæ quietis excludamur, deinde ita concludit: Ne igitur contemnamus Sancti Spiritûs ſermonem, qui ſermo eſt vivus & efficax, & gladio quocumque ancipiti penetrabilior. Addit futurum, ut ſeverè animadvertatur in eos, qui faciles illi aures mentemque præbere recuſaverint; quam Judicii ſeveritatem nemo ſe vitaturum ſperet; penetrat enim ſermo ille cordis intima, mentiſque & animi penetralia, punitque non opera modò, ſed & cogitationes deliberatas, & voluntatis deſideria Dei mandatis contraria.

Pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus. Quemadmodum probè limatus enſis ad intima usque animæ pervadens, ejus nexum cum corpore ſecat; ita & Dei ſermo abditas ac peniiſſimas cordis cogitationes & motus rimatur ac penetrat (y); ſeu potiùs abſcindit & perfodit animam & cor. *Anima* & *Spiritus* hic unum idemque ſignificant. Commendat autem Apoſtolus vim ſermonis Dei, ejus efficaciam cum gladio vel enſe perpolito comparans. De eodem Dei ſermone ge-

(h) Vide Diſſertationem Dupinii de Millenariis. (i) *Owen. Jun. Lud. de Dieu.*
(k) Ὁ γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, *&c.*
(l) Ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας. *Clarom.* Ἐν τῷ αὐτῷ ὑποδείγματι ἀληθείας, *Cadat in veritate. S. Germ. & Clar. Lett.* (m) *Eſt. Gontier.*
(n) *Hieron. in Is. LXVI: Vivus, & evidens*, quaſi legerit ἐναργὴς, pro ἐνεργής.
(o) *Ambroſ. l. 4 de fide, c. 3; l. 2 in Luc. c. 29 l. 2 de Abel, c. 8; Cyrill. Alex. l. 2 in Joan. c. 37; Theodoret.* (p) *D. Thom. Lyran. Oecum. Cajet. Gloſ. ord. Cornel. Tena, Owen, Jun. Ribera. alii.* (q) *Chryſ. Theodoret. Theophyl. Heſſel. Eſt. Grot. Capell. Gerard. Camero.*
(r) *Sap.* XVI, 26; *Matt.* IV, 4; *Deut.* VIII, 3. (s) *Sap.* XVI, 12. (t) *Sap.* XVIII, 15.
(u) *Isai.* LV, 11. (x) *Luc.* VII, 7.
(y) *Prov.* XX, 27: *Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inveſtigat omnia ſecreta ventris.*

℣. 13. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus: omnia
autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo.
℣. 14. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit Cœlos,
Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.
℣. 15. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato.
℣. 16 Adeamus ergo cum fiduciâ ad thronum gratiæ; ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

COMMENTARIUS.

gemina apud Philonem (z) legas.

℣. 13. NON EST ULLA CREATURA INVISIBILIS IN CONSPECTU EJUS. Pergit adhuc Dei verbum ita exhibere, quaſi perſonam ipſam Dei referat. Videt omnia, ſingula cognoſcit, nihil illud fugit: *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo.* Græcæ voces (a) eamdem enſis metaphoram urgent. Dei ſermo, de quo nobis in præſenti, perinde ac gladius bene limatus ſecat omnia, viam ſibi ubique aperit, &, ut ita dicam, omnia cervices illi ſubmittunt, ut abſcindantur; hæc eſt enim genuina Græci ſignificatio. *Ad quem nobis ſermo*, uſurpatur hîc pro, *de quo nobis ſermo* (b), quemadmodum ſupra 1, 7. *Et ad Angelos quidem dicit*, poſitum eſt pro, *de Angelis dicit*.

℣. 14. HABENTES ERGO PONTIFICEM MAGNUM .... JESUM FILIUM DEI. Comparavit ſupra Jeſum Chriſtum Moyſi, qui educere quidem populum ab Ægypto valuit, ſed murmur ejus in deſerto compeſcere, eumque in expectatas quietaſque ſedes introducere non potuit. Hîc verò eumdem Filium Dei comparat Aaroni Moyſis fratri, qui cùm ſummum Hebræorum Sacerdotium gereret, Deum tamen populo ſuo iratum mitigare, aut miſeros in Chananitidem introducere potis non fuit. At Chriſtus Moyſe & Aarone multo major, rem ipſam nobis promeruit, cujus imaginem ac figuram neuter a Deo promereri nec ſibi nec populo valuit. Talem igitur tantumque habentes Pontificem, amantiſſimum, commiſerantem, ac potentem omnia, quippe qui *penetravit Cœlos*, & Patris dexteræ aſſidet, conſtanter adhæreamos fidei quam profeſſi ſumus: *Teneamus confeſſionem* (c); atque a ſupremo iſto Pontifice nihil deſperemus.

℣. 15. NON ENIM HABEMUS PONTIFICEM QUI NON POSSIT COMPATI INFIRMITATIBUS NOSTRIS. Communem ille nobiſcum naturam gerit, uti ſupra demonſtratum eſt (d); incommoda noſtra expertus ſenſit: noſtri igitur miſerebitur, & nos ſupplices audiet. *Tentatum per omnia pro ſimilitudine*, ideſt, ſimiliter ac nos (e), *abſque peccato*, præter peccatum. Pravos concupiſcentiæ motus nullos ſenſit, nullâ peccati labe aſperſus eſt, non errore, non morbo, malis ſcilicet fructibus peccati & licentiæ, quæ a Chriſto aliena ſunt. Sed in reliquis nihil gerit a nobis diſſimile. Aaroni hæc erat cum Filio Dei ſimilitudo, ut humanæ naturæ incommodis obnoxius eſſet, ſed æquè pariter peccati & concupiſcentiæ expers non erat; quibus tamen Jeſus minimè ſerviebat. Quin neque Aaroni erat poteſtas & authoritas conſervandi, expiandi, ſalutemque conferendi; cùm Jeſus Chriſtus virtute ſuâ peccata dimitteret. Chriſtus pro imperio jubet, & infinitæ dignitatis hoſtiam Patri offert. Sacerdotii Jeſu Chriſti ſupra Aaronicum præſtantia ſequenti Capite explicabitur.

℣. 16. ADEAMUS ERGO .... AD THRONUM GRATIÆ, ſive ad thronum Dei gratiarum & bonitatis; provolvamur pedibus Filii Dei, Pontificis noſtri, maximè miſericordis (f). Putant alii (g), deſignari hîc ab Apoſtolo ſolium Patris miſericordiarum; thronus enim convenit Domino ac Judici, non verò Pontifici. Dei ſolium duplex agnoſcunt Hebræi, *judicii* ſcilicet vel ſecuritatis, & *gratia* ſive miſericordiæ. Nonniſi per Jeſum Chriſtum acceſſus nobis datur ad ſolium gratiarum: *Ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno*; ut auxilia gratiæ, quibus indigemus, aſſequamur.

CA-

(z) *Philo, lib. Quis rerum divin. hæres:* Τῷ τομεῖ τῶν συμπάντων αὐτοῦ λόγῳ, ὃς εἰς τὴν ὀξυτάτην ἀκονηθεὶς ἀκμὴν, διαιρῶν οὐδέποτε λήγει τὰ αἰσθητὰ πάντα, ἐπειδὰν μέχρι τῶν ἀτόμων, καὶ λεγομένων ἀμερῶν διεξέλθῃ. (a) Οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ. πάντα δὲ γυμνὰ, καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος.

(b) *Ita Vatabl. Grot. Tigur. Caſtal. Piſc. Bez. Jac. Capell. alii.*

(c) *Vide ſupra* III, 1. *Riber. Eſt. Grot.* Latini quidam Libri legunt *confeſſionem ſpei noſtræ*; ex capite x, 23. *Eſt. Zeger.* (d) *Hebr.* II, 17, 18.

(e) *Pro ſimilitudine; ideſt, ſimiliter, juxta ſimilitudinem. Arab. Grot. Eſt. Ten. Caſtal.*

(f) *Chryſ. Theophyl. Œc. Eſt. Ten. Riber. Men. alii.* (g) *Eſt. Piſc. Owen. Grot.*

CAPUT V.

Summi Sacerdotis munia, quæ omnia Chriſtus implet. Pontifex eſt legitimus, & juxta ordinem Melchiſedech. Quæ poſtulavit, omnia obtinuit. Hæc doctrina ſuperabat intellectum eorum, ad quos ſcribebat Apoſtolus.

℣. 1. OMnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis:

℣. 2. Qui condolere poſſit iis qui ignorant, & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate:

℣. 3. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.

℣. 4. Nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNIS PONTIFEX EX HOMINIBUS ASSUMPTUS, PRO HOMINIBUS CONSTITUITUR. Celebrat hic Apoſtolus Sacerdotii Jeſu Chriſti decora, expenditque qua in re congruat, & qua differat ab Aaronico; demonſtrans inſuper, diſcriminibus, quæ inter utrumque intercedunt, augeri decora Sacerdotii Jeſu Chriſti. Illud eſt utrique Sacerdotio commune, quòd ex hominibus petunt Sacerdotes, & conſtituta ſunt *in iis quæ ſunt ad Deum* (a), nempe ad Dei cultum, ut offerant Deo pro mortalibus Sacrificia, ſive in expiationem peccatorum, ſive ad gratiarum actionem pro beneficiis, ſive ad agnitionem ſummi Imperii. Hic tamen Apoſtolus in Sacrificiis pro peccato potiſſimùm ſiſtit: *Ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*.

℣. 2. QUI CONDOLERE POSSIT IIS, QUI IGNORANT ET ERRANT. Græca vox (b) quæ hic redditur *condolere*, deſignat propriè clementer & moderatè agere, non crudeliter in eos, quibus fortè error aliquis irrepſerit; ſed tangi miſeratione eorum, imbecillitatem pati, facilemque veniam præſtare. Chriſtus, ſupremus Pontifex noſter, imbecillitatem & ignorantiam noſtram intuetur, tranquillo & moderato oculo errores noſtros reſpicit, & vix de peccato doluerimus, ille ſtatim veniam offert. Ut Filii Dei miſericordiam veluti ob oculos exhibeat Apoſtolus, occupetque difficultatem ductam ex nequitiâ peccatoris ac peccati fœditate, utitur his verbis, *iis qui ignorant & errant*, pro, iis qui cadunt in crimen & prævaricationem; illud innuens, nolle Deum ſeverè in nos animadvertere, ſed parcere, criminum noſtrorum culpâ in mortalium imbecillitatem atque ignorantiam relatâ.

Profectò non incongruè dixeris, nullum eſſe peccatum, quod ab ignoratione utcumque non excuſetur (c): *Omnis malus ignorat*. Si homo quod committit malum, quo ſe privat peccando, bonum noſceret; ſi intelligeret quantam Numinis majeſtatem lædit, ſi juſtam de pulcritudine juſtitiæ quam violat, de turpitudine iniquitatis quam patrat, opinionem haberet, nunquam in peccatum ferretur. Neque ea mens hîc eſt Apoſtolo, ut peccata nequitiæ, crimina de induſtriâ præmeditata, & reluctante conſcientiâ commiſſa excludat; quaſi ſcilicet id generis delicta Divinus Pontifex expiaturus non venerit (d). Vel ipſa nequiſſima delicta, *ignorantiæ* peccata ab Hebræis appellantur. Sed de induſtriâ criminis horrorem extenuat, odioſas denominationes evitans, ut clementiam pietatemque ſummi Patris magis magiſque commendet.

QUONIAM ET IPSE CIRCUMDATUS EST INFIRMITATE. Vulgares Sacerdotes homines erant imbecilles & peccato obnoxii (e), perinde ac reliquus populus, adeoque & majori miſeratione erga aliorum infirmitatem tangi illos par erat, quàm ſi puri adeò & a peccato ſecreti eſſent, ut Angelos æmularentur. Qua in re Chriſtus a reliquis Sacerdotibus differt, in quem nec error nec peccatum nec ignorantia cadunt.

℣. 3. PROPTEREA DEBET, QUEMADMODUM PRO POPULO, ITA &c. Sacerdotes expiationis victimas non pro aliis modò, ſed & pro ſe offerunt (f), cùm ipſi, perinde ac reliquus populus, peccato ſint obnoxii. Chriſtus non ita (g): *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus & excelſior Cœlis factus, qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo.* Nunquam ille peccatum contraxit, quodque pro peccatoribus peregit ſacrificium, ſemel tantummodo obtulit, cùm infiniti ſit meriti: *Hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo*.

NEC QUISQUAM SUMIT SIBI HONOREM. Aaron ad Summi Sacerdotii dignitatem accitus fuit juſſu & conſilio Dei (h), qui per ſe illum delegit, electionemque miraculo virgæ florentis confirmavit (i). Tangere hîc videtur Apoſtolus ambitio-

(a) *Græc.* Τὰ πρὸς τὸν Θεόν: *In rebus divinis. Ut populi vice apud Deum ſit conciliator, mediator, interpres, &c.* (b) Μετριοπαθεῖν δυνάμενος: *Qui poſſit clementer affici, moderatè compati, ignoſcere, placabilis eſſe. Theophyl.* Μετριοπαθῶν, συμμετρῶν, συμπαθῶν, συγκαταβαίνων, συγγινώσκων. (c) *Theophyl.* Ὅρα δὲ ὅτι πᾶν ἁμάρτημα ἄγνοια, καὶ πλάνη γίνεται. Κἂν γὰρ δοκῇ τις εἰδέναι τὸ κακὸν, ἀλλ' ὅμως ἐν τῷ τῆς πράξεως καιρῷ σκοτιζόμενος, ἄγνοιαν καὶ πλάνην νοσεῖ. *Vide Riber. Eſt.* (d) *Riber. Eſt. Owen. Bez. alii.* (e) Περίκειται τὴν ἀσθένειαν. *Oecumen.* Ἀσθένειαν, τὴν ἁμαρτίαν καλεῖ. *Riber. Camero. Eſt.* (f) *Levit.* IV, 3; XVI, 6, 11, 17. (g) *Heb.* VII, 26, 27. (h) *Exod.* XXVII, XXVIII, XXIX. (i) *Num.* XVII, 6.

℣. 5. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

℣. 6. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

℣. 7. Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ.

COMMENTARIUS.

bitionem Pontificum ætatis ſuæ, qui ſummam dignitatem contrariis planè primævâ inſtitutione ſtudiis (k), pecuniâ, obſequiis, muneribus, affectabant.

℣. 5. Sic et Christus non semetipsum clarificavit. In hanc dignitatem ultrò ſe non ingeſſit; ſed a Deo patre ſuo in æternâ generatione delatam accepit; quamvis muneris hujus exercitationem usque ad tempus conſtitutum diſtulit. Apoſtolus hic, ℣℣. 5, & 6, Sacerdotium Chriſti, ejusque generationem conjungit (l), quòd utrumque æternum ſit, & jure Naturæ Divinæ Sacerdotio juxta Ordinem Melchiſedechi potiatur (m). Objici contra poterat, Chriſtum, utpote e Tribu Juda ſatum, alienum eſſe a Sacerdotio, quòd unius Aaronicæ familiæ decus erat. Sed objectum occupat Apoſtolus, animadvertens, quemadmodum Aaron ante Dei electionem, nullum jus ad Sacerdotium habuit; ita & Chriſtum poſt Dei electionem jure optimo in Sacerdotium frui. Addit Sacerdotium Filii Dei eò præſtantius dignitate eſſe Aaronico, quò vetuſtius illo eſt. Chriſtus Sacerdos in æternum eſt, Aaron nonniſi in tempore, & inceptâ in ſe primum dignitate. Ille Sacerdos eſt ex ordine Melchiſedechi; Judæi Sacerdotes ſunt ex ordine Aaronico, quod ſanè Sacerdotium multò eſt recentius Sacerdotio Melchiſedechi; quâ de re fuſiùs infrà. Sacerdotium dignitas eſt Aaronem ornans & augens; ornat pariter & auget Jeſu Chriſti naturam humanam, ſed Divinitatis ejus dejectio eſt ac demiſſio (n).

Cenſent quidam (o), recitatam hic ab Apoſtolo Chriſti generationem, ad Sacerdotium ejus probandum, nihil eſſe præter Chriſti reſurrectionem, ſive gloriam in Cœlis acquiſitam; cùm ſcilicet abſoluto Crucis ſacrificio, Cœli adytum, veluti Sanctuarium, quo Summo Sacerdoti ſemel quotannis patebat ingreſſus, penetravit. Conſtat utique, Chriſti reſurrectionem generationis nomine interdum deſignari (p); quemadmodum dies initi Regni natalis Principum appellari conſuevit. Malunt alii (q), Apoſtolum referre hic teſtimonium de æternâ Chriſti generatione in argumentum Sacerdotii ejus, quia vetuſto & naturali jure Sacerdotium ad primorem natu pertinebat. Cùm igitur Chriſtus *primogenitus* patri ſit (r), eidemque coæternus, debitum ſibi eo nomine Sacerdotium gerit. Priorem interpretationem præfero.

℣. 6. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; ſcilicet juxta rationem, ritum, conditionem, vel ſimilitudinem Melchiſedechi. Regnum & Sacerdotium in uno Melchiſedecho conciliabantur; amboque pariter in te fulgent. Decus illud ex jure natalium Melchiſedecho inerat; tibique pariter debitum eſt jure generationis tuæ, cujus causâ dictum tibi eſt a Deo: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

℣. 7. Qui in diebus carnis suæ; mortalis vitæ ſuæ tempore. Poſt reſurrectionem Chriſtus carnem, humanamque naturam non exuit; ſed poſt illam nunquam deinceps ſpectandum ſe præbuit inter homines, vitam agens, perinde ac homines reliqui, mortalem atque paſſibilem (s). Aſſerto Jeſu Chriſti Sacerdotio æterno ſecundùm ordinem Melchiſedech, demonſtrare aggreditur, illum omnia Sacerdotii munera impleſſe; *ad eum qui poſſit illum ſalvum facere* a morte, *cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ.* Deſignat facilè orationem Chriſti in horto & in cruce, ſub ipſum mortis tempus (t); *Exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ*, pro ſuâ erga Patrem obſervantiâ. Quæ hic de lacrymis Jeſu in horto & in cruce narrat Apoſtolus, ſilentibus Evangeliſtis, ſive ex traditione ſive divinitus (u) didicit.

Preces, ſupplicationesque, quas tunc emiſit, munera erant Sacerdotalia, ſeu ritus præcedentes ſive comitantes illud, quod tunc offerebatur, vitæ & ſanguinis Chriſti ſacrificium. *Exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ*, erga Patrem obſervantiâ & obedientiâ, quæ illum ad ſupplicium usque Crucis adegit. Grecus legit (x): *Cùm exauditus ſit pro reverentiâ* (℣. 8) *tamquam qui filius erat, tamen ex his quæ paſſus eſt, didicit obedientiam;* utrumque enim verſiculum conjungere oportet. Author Vulgatæ ferens, *pro ſuâ reverentiâ*, illud *ſuâ*, quod in Græco deeſt, ſupplevit, ratus, Apoſtolum deſignare, Filium exauditum eſſe merito ſuæ erga Patrem obſervantiæ & æſtimationis, quam & Filius & ejus preces apud Patrem obtinent. Hæc autem ſententia frequenti aſſertore apud Veteres & Recentiores fulcitur (y).

Sed alii multò æquiùs putant (z), Apoſtolo ſermonem eſſe de ſummo Filii erga Patrem obſequio. Porrò obſequium, ſeu obſervantia, eſt inferioris erga ſuperiorem, Filii erga Patrem. Græcum ita vertunt quidam (a): *Exauditus eſt*, liberatus *a metu* quem ſenſit in horto, ſive in Cruce. Ibi clamans & ingemiſcens oravit, formidine iræ Dei, cujus totum pondus capiti ſuo imminere norat. Græca vox, quæ reddita eſt *reverentia*, ſonat etiam *metum*; ſed uſurpari in Scriptura pro terrore & metu, de quo hic, vix credo. Porrò metus deſperationi miſtus, quem hic Calvinus & Beza comminiſcuntur, motus eſt animi a Chriſto vel in ſummo cruciatu planè alienus.

(k) *Chryſ. Theophyl.*
(l) *Ego hodie genui te; & tu es Sacerdos in æternum, &c.* (m) *Chryſ. Theophyl. Vide Owen.*
(o) *Philipp.* II, 6, 7; *Heb.* II, 10. *Vide Eſt. Jun.* (o) *Vide Grot. hic, Owen.* (p) *Act.* XIII, 33.
(q) *Cajet. Riber. Grot.* (r) *Rom.* VIII, 29; *Coloſſ.* I, 15; *Heb.* I, 6.
(s) *Theophyl. Riber. Jun. alii.* (t) *Matt.* XXVII, 46. (u) *Chryſ. Theophyl. Eſt. &c.*
(x) Καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. (y) *Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. Anſelm. Cornel. a Lap. Pare.*
(z) *Chryſ. Phot. Rib. Eſt. & alii plures.* (a) *Grot. Bez. Camerar. Gerhard. Jac. Capell. Le Clerc.*

℣. 8. Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam:

℣. 9. Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ;

℣. 10. Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.

℣. 11. De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.

℣. 12. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei; & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.

℣. 13. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ; parvulus enim eſt.

COMMENTARIUS.

nos. Syrus ſententiam reddit ab his omnibus diverſam: *Cùm carne indutus eſſet, orationem & preces cum vociferatione vehementi & cum lacrymis obtulit ei, qui ipſum poterat a morte vivificare, & exauditus eſt. ℣. 8. Et quamvis eſſet Filius, ex timore & paſſionibus, quas ſuſtinuit, didicit obedientiam.*

℣. 8. Cum esset Filius, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam. Munere Redemptoris & Pontificis aſſumpto, ſtatim Filium ſe Dei & Patri æqualem veluti oblitus, curas omnes poſuit, ut fidelem ad extremum usque ſpiritum obedientiam præſtaret. *Didicit obedientiam*, aſſiduâ ejus exercitatione. Exercitatiſſimum ſe optimumque ejus cognitorem exhibuit. Potiſſima autem ſacrificii ejus noſtræque ſatisfactionis ratio in obedientiâ conſtitit.

℣. 9. Et consummatus (b) factus est .... causa salutis. Sacrificio in Cruce conſummato, effuſo ſanguine, extremumque ſpiritum daturus, exclamavit: *Conſummatum eſt*. Quod peragendum ſuſcepi ſacrificium expiationis abſolvi; juſſionibus tuis parui; ſummi Sacerdotii munus explevi; quos dediſti mihi, ſervavi (c).

℣. 10. Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. Jam inde ab æternitate Chriſtus deſtinatus ſive prædeſtinatus fuit Pontifex, uti ℣℣. 5 & 6 demonſtratum eſt. Dignitatis ſuæ munia jam inde ab ortu aggreſſus eſt, ſed tempore potiſſimùm paſſionis ſuæ exercuit. Demum abſoluto redemptionis noſtræ opere, tunc potiſſimùm nomen *Pontificis juxta ordinem Melchiſedech* ſibi aſſeruit. Quemadmodum Aaron primùm quidem Sacerdotio deſtinatus, deinde ſacro miniſterio addictus fuit; ac denique abſolutiſſimus Pontifex tunc haberi cœpit, cùm, abſoluto Sacrificio, Sanctuarii adyta penetravit.

℣. 11. Grandis sermo et ininterpretabilis (d), explicatu difficilis, menti veſtræ impar. De Sacerdotio Chriſti altiſſima cogitaverat Apoſtolus, quæ nobis mortalibus explicare vel non potuit vel noluit, quòd intelligeret, nactum ſe impares illis percipiendis auditores. *Non quia Apoſtolus non potuerit id interpretari; ſed quia illius temporis non fuerit*, ait S. Hieronymus (e). Hebræi, quos alloquebatur, ſegnes erant (f) & hebetiores mente; auribus incircumciſos appellat Stephanus in Actis (g). Genſerat, quæ, cùm in Lege veluti ſenuiſſet, auditu erat ad res divinas & mortali ſenſu majores hebeti & obtuſo (h).

℣. 12. Quæ sint elementa exordii sermonum Dei; vel ipſa ſcilicet prima Evangelii elementa (i), quorum ſuperficiem dumtaxat intuemini, nec abditum ſenſum pervaditis. Sive, elementa veteris Legis (k), ſub quibus deliteſcunt, & tamquam figuris velantur Chriſtus ejusque decreta, mors, ſacrificium. Vel denique, elementa deſignat hîc ea quæ ad Chriſti humanitatem pertinent, inferiora iis quæ ad divinitatem ſpectant (l).

Quibus lacte opus sit, non solido cibo. Infantes adhuc eſtis in rebus divinis, in quibus vos adoleviſſe par erat. Ajunt, in Oriente nutrices ſolo lacte decem vel duodecim menſibus infantes alere, deinde cibum ſolidum præmanſum ſubſtituunt (m). Apoſtolus infantibus lactentibus Hebræos comparat.

℣. 13. Expers est sermonis justitiæ. *Expers* hîc pro *inexperto* ponitur (n). Ignarus eſt *ſermonum juſtitiæ*, earum ſcilicet rerum, quæ ad juſtitiam, morum ſanctimoniam, & abſolutam perfectionis Chriſtianæ ſcientiam pertinent (o); dogmatum Religionis noſtræ ſublimitatem non aſſequitur. Fidelium ex Hebræis vitium erat, nimia legalium rituum ac figurarum V. T. cura. Horum imbecillitati indulgens Apoſtolus, ſe continet, nec niſi modicum quid referat doctrinæ ſuæ de legalium abrogatione, & Sacramentorum novæ Legis, ac Sacerdotii Jeſu Chriſti ſubſtitutione.

℣. 14. Qui

(b) Τελειωθεὶς. *Photius apud Oecum.* Τουτέστι διὰ παθημάτων, καὶ σταυροῦ, καὶ θανάτου τέλειος ἡμῖν ἐπιγνωσθεὶς, ὑπὲρ λόγον ἀγαθὸς, καὶ φιλάνθρωπος. Nobis apparuit conſummatus, ſupra modum bonus, & miſericors, ex iis quæ noſtri causâ paſſus eſt.

(c) *Joan.* VI, 37, 39; XVII, 11, 12; XVIII, 9.

(d) Biblia vetuſta complura, Sixtina quoque legunt *interpretabilis*. At omnino legendum *ininterpretabilis*, difficilis quem interpreteris. *Græc.* Δυσερμήνευτος λέγειν.

(e) *Hieronym. Ep. ad Evagr.*

(f) Νωθροὶ ταῖς ἀκοαῖς.

(g) *Act.* VII, 5.

(h) *Clem. Alex.* Ὡς ἂν ἐγγηράσαντες τῇ διαθήκῃ τῇ παλαιᾷ. *Vide Eſt.* (i) *Eſt. Men. Tir. Grot.*

(k) *Ouvoeuus hic.* (l) *Theophyl.* Τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ. Τὰ περὶ τῆς ἀνθρωπότητος τοῦ Χριστοῦ φησι.

(m) *Bellon. obſerv. l.* 3, *c.* 25. *Vide Ariſtophan. Equit. Act.* 2, *ſcen.* 2.

(n) Ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης.

(o) *Riber. Men. Tir. Eſt.*

℣. 14. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali.

COMMENTARIUS.

℣. 14. QUI PRO CONSUETUDINE (p) EXERCITATOS HABENT SENSUS. Qui longâ ac ſeriâ ſtudii exercitatione familiares ſibi Scripturas reddiderunt, earumque ſenſa penitiſſima meditando pervaſerunt. Porrò viri docti & eruditi, præſertim poſtquam Jeſu Chriſto docente veritas patuit, intelligere facilè poterant, legalium neceſſitatem ceſſaſſe, doctrinamque ac Sacerdotium Chriſti, cum præceptis ejus ad mores pertinentibus, fiduciâ de gratiâ & meritis ejus finem eſſe Legis, & ſinceræ juſtitiæ faſtigium.

CAPUT VI.

De ſummis Fidei dogmatibus monita. Baptiſmus minimè iterandus. Qui poſt baptiſmum in crimen recidunt, pœnas a Deo vindice metuant. Hebræos hortatur, ut in charitate, & patientiâ, ad imitationem Abrahami perſeverent.

℣. 1. QUapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum,

℣. 2. Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.

COMMENTARIUS.

℣. 1. INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM; omiſſis iis quæ apud tyrones differuntur. Superiori Capite docuit, Hebræos nedum non eſſe viros ſolido cibo pares, ſed infantes, adeò ut lacte indigeant. Hortatur modò, ut puerilibus hiſce abjectis, in ſublimiora ac ſanctiora adoleſcant. Vide ſupra, v, 13.

NON RURSUM JACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIÆ AB OPERIBUS MORTUIS, ET FIDEI AD DEUM; nolentes iterum pro fundamento pœnitentiæ opera mortua fidemque in Deum ponere, &c. ſtudetis Chriſtianæ perfectionis ædificium ſtruere: non eſt igitur, cur in fundamento adhuc immoremini, ulteriùs enim profeciſſe oportuit. Nunc parietes tollere neceſſe eſt. Fundamentum quidem ponere neceſſarium eſt; atque ut vecordis eſſet architecti ædificium incipere neglecto prius ſtabili domûs fundamento; ita & dementis eſſet hominis ſemper de fundamento cogitare, nihil de ædificio. Hebræi ad fidem converſi, qui Baptiſmi ſacramentum optantes, ſeriò cogitabant præteritorum criminum expiationem per pœnitentiam: magis magiſque ſe in fide firmabant: dogma de mortuorum reſurrectione penetrabant altiùs; quærebantque anxiè dona ſancti Spiritûs, quæ tunc ab Apoſtolis manuum impoſitione conferebantur. Notat hæc Apoſtolus ℣. 2 hujus Capitis. Tum proſequitur monens, ut perſeverent ac magis magiſque in Fide & ſpe erga Deum proficiant. Deinde Capite VII argumentum ſublimius retractat, quod intermiſerat Capite v, 11, de Sacerdotio Melchiſedechi, de quo mira pandit.

Pœnitentia ab operibus mortuis, illa eſt quæ Baptiſmo præcedit (a), quæque hominem præteritis criminibus expiat, ut operibus arduis ac pœnitudine comparatus, vim totam Sacramenti expetiatur. Peccata, nomine operum mortuorum ideo exprimit, quòd ab illis mors animæ inferatur (b), efficiaturque immunda adeo & execrabilis apud Deum, uti cadaver imputum & borſidum homini eſt.

FIDEI AD DEUM. Prima Fidei dogmata fundamentum ædificii, quod ſtruendum ſuſcipimus, merito habentur; ſunt autem credere Deo, credere Chriſto, eumdemque agnoſcere Dei Filium, Meſſiam, mundi Servatorem, &c. atque ita comparatur homo ad Baptiſmum recipiendum Chriſtianamque Religionem profitendam. Verùm non ſatis id ad complementum ædificii; addenda ſunt fidei opera, veritatibus ſpeculabilibus practicæ.

℣. 2. BAPTISMATUM DOCTRINÆ; quæ docentur de Baptiſmo vel de Baptiſmis. Quamquam enim Eccleſia unicum nec iterandum Baptiſmi ſacramentum agnoſcit, ſunt tamen Baptiſmi quidam in cenſum Sacramentorum novæ Legis non relati; puta Joannis Baptiſtæ, lacrimarum, ſanguinis, lotionis pedum, quæ advenis præſtatur. Fortè etiam Apoſtolus de induſtriâ poſuit *Baptiſmatum* plura numero, ob eorum frequentiam, qui eo Sacramento initiabantur (c); ſive ob Baptiſmum animi, alium a baptiſmo corporis; vel denique *Baptiſmatum* uſurpavit pro *Baptiſmatis* (d); quod ſingulari numero legitur Codicibus quibuſdam manu exaratis (e), & apud S. Auguſtinum & Syrum. Sunt (f) qui legant ſeorſum *Baptiſmatum, doctrina*, ſive inſtitutionis. Nunquam non occupati doctrinâ diſcendâ, vobiſque parandis ad Baptiſmum, de Baptiſmo reverâ accipiendo non cogitatis.

IMPOSITIONIS MANUUM; vel Sacramenti Confirmationis, quod conferebatur manuum impoſitione ab Apoſtolis vel Epiſcopis; & quo pariter

(p) *Græc.* Διὰ τὴν ἕξιν, *Propter habitum.* *Aug. l.* 12 *de Trinit. c.* 13; *Ambroſiaſt. Propter aſſuetudinem.*
(a) *Eſt. Riber. Men. Jac. Capell. Vat. Piſc. Ton.* (b) *Coloſſ.* II, 13; 2 *Timot.* v, 6.
(c) *Theodoret. hic.* (d) *Vide Rib. & Eſt.* (e) *Mill. hic. Riber.* (f) *Pavæus hic.*

℣. 3. Et hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus.

℣. 4. Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti;

COMMENTARIUS.

ter Spiritus Sanctus, & quæ tunc comitabantur illum dona, excipiebantur. Judæi, ut alibi monet Apoſtolus (g), avidiſſimi erant miraculorum: *Judæi ſigna petunt*. Dona illa cœleſtia, quæ micabant in Fidelibus Baptiſmo & Confirmatione initiatis, animos eorum percellebant; eaque decora ſibi pariter optabant. Sed cauſa hæc indignior erat, quàm ut Apoſtolo probaretur. Reduces ab expeditione ſibi a Chriſto commiſsâ duo & Septuaginta Diſcipuli, renunciarunt Magiſtro, morborum quodcumque genus, quin & Dæmones ipſos ſibi paruiſſe (h). Monuit Chriſtus, ne eâ de re ſibi plauderent, gauderentque potiùs, quòd in vitæ libro nomina ſua ſcripta eſſe intelligerent. Paria moneri poterant ii, quos afficiebant patrata a primævis Chriſtianis prodigia, optabantque ſe participes illorum per Baptiſmum & manuum impoſitionem effici (i).

Resurrectionis mortuorum. Dogma illud Synagoga æquè ac Eccleſia Jeſu Chriſti admittebat; eo tamen diſcrimine, quòd ſiqui e ſuis, veluti Saducæi, id negarent, e cœtu ſuo non excluderent Hebræi; quin & pleriſque Judæis longè alia a dogmate Chriſtiano opinio ſedebat. Nam Judæi admittebant reſurrectionem quamdam Juſtorum, ut ſuavem illi mollemque vitam diuturnâ annorum ſerie in terris agerent. Chriſtiani verò agnoſcebant generalem omnium reſurrectionem, quam Regnum Æternum Beatorum conſecuturum eſſet. Ætate illâ, uti diſcimus ex Apoſtolo, errores plures in dogmate de reſurrectione mortuorum inter Judæos gliſcebant. Nam ex Judæis erant illi omnes, qui pravis opinionibus de eo Fidei capite Eccleſiam turbabant. Res igitur poſcebat, ut qui inter Chriſtianos nomen erant daturi, quid fides eâ in re doceret, probè noſcerent & intelligerent.

Et judicii æterni. Summa cura adhibebatur, ut nuper ad Fidem converſi utriuſque hujus capitis veritatem, reſurrectionem ſcilicet mortuorum, æternumque judicium conſtantiſſimè tenerent. Magna ſunt hæc ſpei Chriſtianæ & timoris argumenta. Judicii enim metus intra innocentiæ fines hominem continens, a crimine magis magiſque removet. Reſurrectionis ſpes inter diſcrimina malorumque perpeſſiones inſectationesque illum ſolidat atque confirmat (k).

℣. 3. Et hoc faciemus. Deo juvante demum fiet, ut de his commodiùs aliquando diſſeramus. Sperabat fortè, ſe, oblatâ opportunitate, aliis epiſtolis cum Hebræis acturum. Hoc autem animadvertendum cenſuit, ut intelligerent ſe ea, quæ dixit, parvi non facere, ſed nunc de ſublimioribus eſſe diſſerendum. Græci quidam libri (l) ferunt: *Hoc faceremus*, de his diſſereremus, ſi per tempus liceret, ſi opus vobis eſſet, ſi hoc Deus imperaret. Ex his nonnulla toto hoc capite retractat; ſed ad ſuum denique argumentum capite vi regreditur.

℣. 4. Impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, &c. et participes facti ſunt, &c. Maximi eſt momenti, fateor, potiſſima Religionis noſtræ capita menti altius imprimere, aſſueſcere pœnitentiæ, animo geſtare metum judiciorum Dei, & ſpem reſurrectionis. His enim, veluti murorum loricâ, removemur a lapſu, & ne in vitia excurramus, prohibemur. Conſtat enim, eos, qui ſemel baptiſmate initiati ſunt, criminumque veniam impetrarunt, novum alterum aquæ baptiſmum non manere (m); adeoque planè fieri non poſſe, ut novam peccatorum expiationem obtineant adeò facilem pronamque, ac priùs, cùm per Baptiſmum intra Chriſtianæ Religionis adyta admiſſi ſunt.

Non excludit hîc Apoſtolus Baptiſmum lacrymarum ac pœnitentiæ, quo commiſſa poſt regenerationem crimina expientur; ipſe enim non ſemel alibi id commendat, virumque Corinthium inceſti reum, qui cenſurâ multari meruit, in Eccleſiam recepit. Ligandi ſolvendique poteſtatem Petro cæteriſque Apoſtolis largiens Jeſus Chriſtus, nullum penitus peccatum excepit. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis* (n). Non eſt igitur, cur de baptiſmo pœnitentiæ, ut & Heterodoxi & Tertullianus opinantur, ſed de baptiſmo aquæ explicetur dictum Apoſtoli, quem baptiſmum is opponit baptiſmis ſeu luſtrationibus Judæorum, qui ſæpe adeò iterabantur quoties admiſſarum ſordium maculæ exigebant. In hanc ſententiam conveniunt Patres fermè omnes, qui ex mero literæ ſono illud *impoſſibile* interpretantur.

Alii ita explicant (o): Impoſſibile eſt, Chriſtianos, in crimine & pervicaciâ mortuos, veniam criminum in alterâ vitâ promereri, ubi nullus eſt baptiſmus, Sacramentum Pœnitentiæ nullum, nulla denique lethalium criminum expiatio.

Cenſent quidam, *impoſſibile* perinde ac difficile hîc eſſe. In familiari ſermone notiones quinque vocis *impoſſibilis*, S. Gregorius Nazianzenus diſtinguit (p). Impoſſibile eſt quoddam ab ipsâ naturâ petitum; alterum verò eſt impoſſibile ſpectatis iis quæ plerumque contingunt; aliud ab officio & æquitate impoſſibile pronunciatur; quartum voluntatis noſtræ conſilio tale eſt; quintum denique eſt impoſſibile re ipsâ & abſolutum. Ita puer dicitur luctari non poſſe, canis vix in lucem editus videre. Sed puer adultus luctæ par erit, & canis poſt aliquot dies oculorum uſurâ gaudebit. II, Urbs monti inſidens dicitur abſcondi non poſſe: quod & plerumque verum eſt, non tamen planè impoſſibile; nam tegi poteſt altiori monte. III, de Paranymphis dicitur, illos jejunium agere non poſſe, quamdiu cum ſponſo ſunt; ideſt, jejunium eo tempore illis non convenire. IV, in Evangelio dicitur Chriſtus crebra Nazarethæ prodigia, vetante civium pervicaciâ (q), patrare nequiviſſe; ideſt, noluiſſe potentiæ ſuæ, cui

(g) 1 Cor. i, 22.
(h) *Luc.* x, 17. (i) *Vide Riber. Eſt. Men. Laveſon.* (k) *Riber. Grot. Jac. Capell.* (l) *Καὶ τοῦτο ποιήσομεν. Alii plures:* Τοῦτο ποιήσωμεν. *Ita Alex. Ald. Eraſm. Edit.* 1. *alii apud Mill. hic.*
(m) *Chryſ.* Τί οὖν; ἐκβέβληται ἡ μετάνοια; οὐχ ἡ μετάνοια, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ὁ διὰ λουτροῦ πάλιν ἀνακαινισμός. *Theodoret.* Τὸ ἀγίων ἀδύνατον . . . αὖθις προσελθεῖν, καὶ τυχεῖν ἑτέρου βαπτίσματος. *Ita Theophyl. Oecum. Ita & Ambroſ. l.* 2 *de pœnit. c.* 2; *Aug. expoſit. inchoatâ in Ep. ad Rom. Damaſc. l.* 4 *de fide, c.* 10; *Hieron. l.* 2 *contra Jovin. Haimo, Sedul. Primaſ. alii plures.*
(n) *Matt.* xvi, 19. (o) *Lombard. & Hugo Victor. qu.* 61 *in hanc Epiſt.*
(p) *Greg. Nazianz. orat.* 36, *p.* 58. (q) *Matt.* xiii, 58.

℣. 5. Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi,

COMMENTARIUS.

cui non crederent, ſpecimina illis exhibere. Denique planè impoſſibile eſt totum ſuâ parte minus eſſe, Deum eſſe injuſtum.

In hac, quam expendimus, ſententiâ Recentiorum plures *(r)* opinantur, Apoſtolum deſignare, quàm difficile contingat iis, qui graviſſimorum criminum, diſceſſionis præſertim a Fide, culpam incurrerunt, ſcelus expiare. Interpretationem confirmant vetuſto Eccleſiæ more, quo rei capitalium criminum, adulterii, cædis, idololatriæ, ad pœnitentiam minimè admittebantur; non quòd ſcilicet ea crimina dimitti non poſſe putarent; ſed ſatis habebatur, miſeros illos Deo privatis precibus commendare, ac de cætero Divinæ miſericordiæ omnino remittere. Quin & ſemel tantummodo admitti ad pœnitentiam conſueviſſe reos criminum a tribus hiſce diverſorum, Tertullianus *(s)* teſtatur: *Collocavit Deus in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat; ſed jam ſemel, quia jam ſecundo, ſed amplius nunquam, quia proximè fruſtra. Nonne & hoc ſemel ſatis eſt?* Gemina S. Ambroſius *(t)* habet: *Sicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur; nam quotidianè nos debet pœnitere peccati.*

Accidit tamen non rarò, ut tanta diſciplinæ ſeveritas, vel ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis, præſertim in Occidente & in Eccleſiâ Romanâ mitigaretur. Ea lenitas Novato, Novatiano, & Tertulliano diſplicuit; at probarunt Concilii Nicæni Patres, & in multis adoptarunt. Neque hic locus eſt de hac diſciplinâ fuſiùs diſputandi; ſatiſque eſt demonſtraſſe, ex mente Eccleſiæ, & doctiſſimorum Interpretum ſententiâ *(u)* τὸ *impoſſibile* pro difficili hic poſſe uſurpari; & quamvis nullum ſit peccati genus veniæ incapax, aliqua tamen eſſe, naturæ & ſanctitati Religionis Chriſtianæ adeo oppoſita, ut Eccleſia planè deſperare videatur de emendatione eorum, quibus nequitia vel imbecillitas tanta fuit, ut ingens adeò in barathrum prolaberentur.

Semel illuminati. Baptiſmus olim *illuminatio* vel Sacramentum illuminationis appellatus fuit; ſive quòd per Baptiſmum lux mentibus affundatur; ſive alluſione quadam ad aquas piſcinæ Siloës, quibus cæcus ab ipſo ortu uſuram locis recuperavit *(x)*; ſive denique nomine illo deſignabatur ignis Spiritûs Sancti inconſpicuus, cujus meminit Joannes Baptiſta, prædicens, homines baptizatum iri a Chriſto *(y) in Spiritu Sancto & igni.* Apoſtolus Petrus *(z)* docet, per baptiſmum de *tenebris vocatos eſſe* homines *in admirabile lumen Dei.* Adhibet etiam Apoſtolus *(a)* hanc locutionem *illuminati*, ut baptiſmate illuminatos deſignet. Ita vulgo Patres & Catholici Interpretes explicant *(b)*.

Verùm Recentiores quidam *(c)* explicandum cenſent de cognitione doctrinæ Evangelicæ ante baptiſmum traditâ, & de inſtitutionibus deinde in Eccleſiâ uſitatis. Qui Chriſti doctrinâ ſemel imbuti ſunt, ac deinde illam per diſceſſionem abjecerunt, perfidiæ ſuæ veniam, ſive difficilem ſive planè nullam, ſperare poſſunt. Adverbio *ſemel*, hic deſignari *perfectè* Glaſſius putat; contenditque Ovvenus, vocabulum *illuminationis* pro baptiſmate, nonniſi ſecundo vel tertio Eccleſiæ ſæculo uſurpari cœpiſſe. At ſi Patrum conſenſus a ſecundo vel tertio Eccleſiæ ſæculo minùs valere cenſeatur ad definiendam ſignificationem vocis, quam hic adhibet Apoſtolus, quæ, rogo, auctoritas in explicatione Scripturarum ambiguitatem tollet? cùm præſertim in toto hoc membro nihil occurrat, quod cum hac explicatione non congruat.

Gustaverunt etiam donum Dei. Quamquam variè locus iſte exponitur; varietas tamen iſta in idem fermè recidit *(d)*. *Donum Dei* deſignare poteſt ſive Spiritûs Sancti dona, ſive gratiam qua juſti efficimur, ſive animi tranquillitatem, charitatem, beneficium Fidei, Euchariſtiam *(e)*. Maluerim ego dona divinitus a Spiritu Sancto conceſſa, quibus ornabantur Fideles, quæque Sacramento Confirmationis tunc deferebantur.

Et participes facti sunt Spiritus Sancti. Uſurpatur hic locus ſive de donis divinitus datis & exterioribus Spiritûs Sancti, de quibus modò; ſive de gratiâ juſtitiam producente; ſive de luce illâ & divinâ mentis ſuavitate, qua Deus animos recreat, & cujus illecebris in agnitionem & amorem Dei trahimur: *Inſpiratio flagrantiſſima & luminoſiſſima charitatis*, ait S. Auguſtinus *(f)*; ſive de *inſpiratione dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus*, ut idem alibi ſcribit *(g)*.

℣. 5. Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum; Doctrinam ſcilicet Evangelii *(h)*, Apoſtolorum ac miniſtrorum Dei documenta; qui denique participes effecti ſunt promiſſionum, & fœderis a Jeſu Chriſto inſtituti. In ſcripturâ *bonum verbum*, eſt verbum ſolatii: *Verba bona, verba conſolatoria (i)*; ſive melioris ſtatûs promiſſio: *Suſcitabo verbum bonum (k)*.

Virtutes saeculi venturi *(l)*; æternam felicitatem *(m)*, Regnum Cœlorum, & gloriæ poſſeſſionem. Qui ineffabilem hanc gloriam prælibarunt in animi gaudio ſibi indito in Baptiſmate, ſive abſolutè, in promiſſionibus ſibi in Evangelio exhibitis. Alii *(n)* explicant de dono miraculorum, quo Eccleſia clarebat, & quod manuum impoſitione Fidelibus conferebatur. Familiari Sacrorum Scriptorum locutione Eccleſia dicitur *ſæculum venturum*, Regnum Cœlorum, Meſſiæ Regnum, mundus alter; quemadmodum Novi Teſta-

(r) *Liran. Zeger. Rib. Eraſm. Grot. hic*; Cène Projet d' une nouvelle Verſion, p. 503, 504.
(s) *Tertull. de pœnitent.* (t) *Ambroſ. l. 2 de pœnit. c. x, n. 95; & de pœnitent. l. 2, cap. xi, n. 104: Quæ pœnitentia ſi ſemel fuerit uſurpata, nec vitè celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert uſum poſterioris.* (u) *Clem. Alex. Pædagog. lib. 1; Nazianz. orat. de ſanctis luminib. &c. Syr. hic, & ad Heb. x, 7. Theodoret.* Παναγίῳ προσελεύσεται βαπτίσματι, *&c.*
(x) *Joan.* 12, 7. *& ſeq.* (y) *Luc.* iii, 26. (z) *1 Petri*, ii, 9. (a) *Heb.* x, 32.
(b) *Eſt. Ten. Riber. alii.* (c) *Ovven. Grot. Jun. Pare. Piſc. Calv. Gemar. &c.*
(d) *Chryſoſt. Theophyl. Oecum. Rib. Tena, alii.* (e) *Haimo. Primaſ. Eſt.*
(f) *Aug. de gratiâ Chriſti, contra Pelag. c. 35, n. 38.* (g) *Aug. l. 2 de peccat. meritis, c. 19.*
(h) *Theophyl.* Περὶ πάσης πνευματικῆς διδασκαλίας τοῦτό φησι. (i) *Zach.* 1, 13.
(k) *Jerem.* xxix, 10; *& xxxiii,* 14.
(l) Δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος.
(m) *Eſt. Men. Ribera, Jac. Capell.*
(n) *Chryſoſt. Theophyl. Para. Ham. Ovven.*

℣. 6. Et prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.

℣. 7. Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.

℣. 8. Proferens autem ſpinas, ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima; cujus conſummatio in combuſtionem.

COMMENTARIUS.

ſtamenti tempus dicitur *Noviſſimi dies*, vel *noviſſimum tempus*. Hæc explicatio proclivitate placet.

℣. 6. ET PROLAPSI SUNT in apoſtaſiam in infidelitatem (o), in crimina enormia, homicidium, idololatriam, adulterium; & quidem datâ operâ & re præmeditatâ. Qui in pervicaciâ occalluerunt, vel planè nunquam vel difficilè admodum pœnitentiâ renovantur. *Rurſus renovari ad pœnitentiam*. Ipſi enim per ſe velut aggerem opponunt fermè invictum quo emendatio impeditur; quamquam reipsâ nihil eſt planè inſuperabile tùm Deo, qui obduratos etiam animo emollire valet (p); tùm peccatori, cujus obſtinatio tanta non eſt, ut gratiâ vinci nequeat: *Gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur* (q).

Patres & Interpretes, dicta hæc, *Rurſus renovari ad pœnitentiam*, explicantes de ſecundo aquæ Baptiſmo, primo æquali, *impoſſibile* ea mero literæ ſono uſurpant, uti ſupra ℣. 4, animadvertimus. Si ſemel id infortunii nobis acciderit, ut ruamus in infidelitatem, apoſtaſiam, vel in crimina illa, quæ Joannes (r) *peccata ad mortem* appellat, nulla ſpes ſupereſt luſtralium Baptiſmatis aquarum: ſola reliqua eſt pœnitentia, quam Patres reſiduam poſt naufragium tabulam nuncupant (s).

RURSUM CRUCIFIGENTES SIBIMETIPSIS FILIUM DEI, ET OSTENTUI HABENTES. Non eſt cur ſecundum alium Baptiſmum ſperent, aut alterum Chriſti deſcenſum e Cœlo ad mortem iterum ſubeundam, novamque pro ipſis reſurrectionem inſtaurandam. Ut enim nonniſi ſemel paſſus eſt, ſemel obiit, ſemel ad vitam reſurrexit; ita neque nobis datum eſt niſi ſemel cum ipſo mori per abdicationem mundi & Dæmonis, ſemel cum ipſo ſepeliri aquis Baptiſmatis, ſemel denique e ſalubri eo balneo in novam vitam emergere; novum Baptiſmum ſperas, tentas quodammodo, ut iterum Jeſus Chriſtus Cruci, & paſſionis ludibrio obnoxius fiat. In hanc ſententiam Apoſtolus alibi (t) docet, illum, qui rogat, Quis *aſcendet in Cœlum*? Chriſtum deducere e Cœlo, ideſt perinde facere, ac ſi ambigat de Chriſti e Cœlis deſcenſu, conetur que, ut is iterum deſcendat, fidem de Incarnationis ſuæ veritate facturus. Hic Chriſtianus impius, ſanctitatem Baptiſmatis violans, nititur quodammodo, ut Chriſtus iterum ſanguinem fundat in cruce, alterum Baptiſmatis lavacrum fontibus exhibiturus. Ita Patres non rari hunc locum explicant (u).

Qui verò ſermonem hic eſſe cenſent de difficultate reſtaurandi per pœnitentiam juſtitiæ gratiam criminibus poſt Baptiſmum amiſſam (x), hanc ſententiam, *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*, explicant de injuriâ, quam perverſi malique homines Chriſto irrogant; inſultare enim Cruci illius, conculcare meritum Sanguinis videntur, dum ejus fœdus reſpuunt, deſerunt Evangelium, & eam, quam didicere, doctrinam abjiciunt: quare fallaciæ & fraudis Evangelium, deceptoris verò notâ Chriſtum inurunt. Vel potius, novam Chriſto cauſam exhibent ſubeundæ mortis, fundendique ſanguinis, quòd irritum efficiant criminibus ſuis quidquid ab ipſo actum & toleratum eſt (y). Denique, ſocios ſe præbent iis, qui Chriſtum in cruce fixerunt, & patienti inſultavere; manum enim adversùs illum & animos tollunt. Probabilior nobis eſt explicatio, quam ex Chryſoſtomo, Theodoreto, aliisque Patribus articulo ſuperiori dedimus.

℣. 7. TERRA ENIM SÆPE VENIENTEM SUPER SE BIBENS IMBREM, optatos fructus reddit, ACCIPIT BENEDICTIONEM A DEO. Tunc ſcilicet homines largam illi benedictionem & ſolito majorem reddunt; vel, Deus illi novam benedictionem priori uberiorem impertitur, & fœcunditatem auget. Id quidem in terreſtribus agris non rarò deficit; neque enim anni unius ſterilitas largâ alterius ubertate ſemper compenſatur: ſed morali ſenſu nunquam id non uſuvenit, cùm priori gratiæ ſervata fides majorem ampliòremque a Deo promereatur (z).

℣. 8. PROFERENS AUTEM SPINAS AC TRIBULOS, REPROBA EST ET MALEDICTO PROXIMA. Quemadmodum agricolæ moleſtum accidit, ſi laboribus ſuis ager ſterilis ingratusque reſpondeat; iniquum ille ſolum deſerit, vel injecto igne a noxiis herbis illud purgat, ut ſuis cineribus aptius ad fructum fiat. Sæpe ſterile ſolum ſpatio aliquo temporis relinquitur, ut ſentibus fruticibusque veluti per otium luxuriet, quibus deinde incenſis, ex cinere amiſſa terræ fœcunditas redeat, per annos aliquot perſeverans (a); tum tellus iterum effœta novo igne renovatur (b):

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flammis.

Idem artificium Plinius laudat (c), nec Apoſtolus aliò hic reſpicit.

Morali ſenſu, anima, quæ donis cæleſtibus irrigata, pingui verbi Dei donorumque Spiritûs Sancti ſucco nutrita, fructus gignit ſive nullos ſi-

ve

(o) *Eſt. Men. Grot. Bez. Gomar. Owen. Hamm. Vat. alii.*
(p) *Aug. de grat. & lib. arbitr. c. 22.* (q) *Aug. de prædeſtin. SS. c. 8.* (r) *1 Joan. v, 16.*
(s) *Hieron. ad Demetriad. Concil. Trid. ſeſſ. 6, c. 14, &c.* (t) *Rom. x, 6.*
(u) *Vide Chryſ. Theophyl. Theodoret. Aug. Epiphan. Athanaſ. Ambroſ. aliosque.*
(x) *Grot. Hamm. Owen.* (y) *Eſt. Men. alii.* (z) *Aug. de gratiâ Chriſti, contra Pelag. c. 22, n. 24;* *& alibi.* (a) *Pallad. de Re ruſt. l. 1, tit. 6: Loca ſterilia ſilvis tecta eſſe patiaris, quia hæc beneficio lætantur incendii. Sed ſic urenda diſtingues, ut ad intruſum agrum poſt quinquennium revertaris, &c.* (b) *Virgil. l. 1 Georgic.*
(c) *Plin. l. 18, c. 25: Sunt qui accendunt in agro, magno Virgilii præconio . . . . ut herbarum ſemen exuratur, & ita amplius fructificent.*

℣. 9. Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur.

℣. 10. Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.

℣. 11. Cupimus autem unumquemque veſtrûm eamdem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem;

℣. 12. Ut non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide, & patientiâ hæreditabunt promiſſiones.

℣. 13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum,

℣. 14. Dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te.

COMMENTARIUS.

ve pravos, Deo eſt inviſa, illique imminet Dei execratio: quin & in ſterilitate perſeverans, æterno tandem igne damnatur.

℣. 9. CONFIDIMUS DE VOBIS MELIORA. Ne putetis, eò me ſpectare, ut ea quæ dixi, vobis accommodem: opus a Deo inchoatum, ab illo perfectum iri confido; ac viciſſim futurum, ut exhibitâ, quam a vobis exigit, bonorum operum fruge, dignos vos reddatis, quos beneficiis cumulare non deſinat. Iſta ex me expreſſit charitas, metuſque, ne irrepente inertiæ ſomno ab eo, in quo a Deo conſtituti eſtis, ſtatu excidatis.

℣. 10. NON ENIM INJUSTUS DEUS, UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI; operum ſcilicet præteritorum. Cùm illi viſum ſit eligere vos e multis, & gratiarum ſuarum illecebris trahere ad fidem, ad juſtitiam Baptiſmi Sacramento aſſequendam, ac denique ad primitias ſpiritûs ſui; cùm & Evangelium ejus receperitis, & hactenus Juſtitiæ opera exercueritis, fieri non poſſe pronuncio, ut Deus antea vos deſerat, quàm a vobis ipſe deſeratur (d). Quis autem in mentem induxerit futurum, ut vel cogitatio vos ſubeat deſerendi illum, cui tam ſincera ſtudii & famulatûs veſtri argumenta exhibuiſtis? Hæc ratiocinatio Apoſtoli probabilitatis habet aliquid, demonſtrationis nihil. Nam & juſtiſſimus quiſque e gratia excidere poteſt; & ſiquando exciderit, præteritorum ejus bonorum operum oblivio Deum capiet (e): *Si averterit ſe Juſtus a juſtitiâ ſuâ, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes abominationes, quas operari ſolet impius; numquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur, &c.*

UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, ET DILECTIONIS &c. Græcus (f): *Operis veſtri, & laboris charitatis* veſtræ. Sed vetuſtiſſimi quique & optimi Græci Codices manu exarati (g), Syrus, Æthiups cum vulgatâ conſentientes, omittunt *laboris*, quòd facilè ex Epiſtolâ ad Theſſalonicenſes, 1, 3. huc derivatum eſt. Charitas, quam coluiſtis, & nunc pariter erga Sanctos Palæſtinæ fratres exhibetis, rectam, quam de vobis concepi, opinionem confirmant, ſpemque certiorem faciunt de perſeverantiâ gratiæ, quam Dei munere obtinebitis; ſpopondit enim Chriſtus in Evangelio (h): *Habenti dabitur.*

℣. 11. EAMDEM OSTENTARE SOLICITUDINEM AD EXPLETIONEM SPEI, ut ſpes veſtra impleatur. Ne igitur, quæſo, in exercitatione bonorum operum, ac præſertim charitatis, animum manuſque remittatis; pium ſtudium ardoremque veſtrum augete, quo tandem fiat, ut veſtra pariter & noſtra ſpes impleatur; & quam expectatis coronam aſſequamini (i). Seu potius, ut in perpetuâ bonorum operum exercitatione vitam agentes, ſpes veſtra firmiori fundamento innixa creſcat (k).

℣. 12. UT NON SEGNES EFFICIAMINI, &c. remiſſi, atque inertes in juſtitiæ & Charitatis exercitatione. At ſtatuite vobis ob oculos veteres Patriarchas, viroſque Sanctos, qui fide & patientiâ aſſecuti ſunt promiſſiones. Abraham, Iſaac, Jacob non quidem temporalium promiſſionum, nec decretarum ſibi ſedium poſſeſſionem obtinuerunt: Moyſi etiam & Aaroni ne veſtigium quidem in terrâ ſuâ figere licuit; nec tamen inde rectè collegeris, illos ſpei ſuæ fructu caruiſſe. In Patriâ viventium, in æternitate nacti ſunt, quo damnum cum fœnore repararent, & quo complerent quidquid ex promiſſionibus ſibi in hac vitâ exhibitis deſuit. In bonorum numero & patriæ loco illi nihil habebant, niſi illam, quam procul ſalutabant, cujus potiundæ ſpem certam tenebant, ſi in eâ, quam inſtituerant, vitæ ratione, in timore & amore Dei, perſeverarent (l).

℣. 13. ABRAHÆ NAMQUE PROMITTENS DEUS. Occaſione promiſſionum Patriarchis exhibitarum, quarum fructu in terris illi caruerunt, deſignat hîc Apoſtolus, quo & quàm firmo fundamento ſpes illæ innitantur, ut Hebræi, ad quos ſcribebat, de fide Divinarum pollicitationum minùs æqua cogitarent, quamquam ſpei illarum aſſequendarum ne radius quidem interluceret in hac vitâ, quam mala & pericula totam premunt & occupant. Pollicitationes Abrahamo exhibitæ legitimâ hæreditate ad vos pertinent. Harum executionem nullam in hoc mundo Abraham obtinuit; in altero ergo excepit. Non eſt igitur, cur ambigatis, quin & vobis pariter illud contingat, quod & illi pariter contigit, ut plenam abſolutamque earum fidem aſſequamini. Deus juratus promiſit, fidemque ſuam obligavit (m).

QUONIAM NEMINEM HABUIT, PER QUEM JURARET

(d) *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.*
(e) *Ezech.* XVII, 1. ad 24. (f) Ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἔργου ὑμῶν, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης ἧς ἐνεδείξασθε. *&c.* (g) *Non legunt* τοῦ κόπου. *Alex. Steph.* 1, *Clarom. & S. Germ. G. L. &c.*
(h) *Matt.* XIII, 12. (i) *Vide Eſt. Men. Tir. alios.* (k) Πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος.
(l) *Heb.* XI, 13: *Defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed a longè eas aſpicientes, & ſalutantes.* (m) *Vide Riber. Eſt. Men. Jan. Theodoret.*

℣. 15. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.

℣. 16. Homines enim per majorem ſui jurant; & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, & juramentum.

℣. 17. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum;

℣. 18. Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem,

℣. 19. Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis,

COMMENTARIUS.

RET MAJOREM. Nemo per inferiorem ſe jurat; eſt enim jusjurandum actus Religionis, quâ Deum fidei datæ teſtem aſſumimus, cujus indignationi nos ultrò ſubmittimus, ſi promiſſis defuerimus. In hanc ſignificationem & propriè, jusjurandum alienum a Deo eſt. Quidquid enim loquitur, quidquid pollicetur, perinde eſt ac ſi ſpondeat juratus; neque enim deeſſe promiſſis poteſt (n). Cùm neminem ſuperiorem ſe agnoſcat, nec ipſe falli poſſit & fallere, alium ſe majorem, quem teſtem aſſumat, habet neminem, nec de veritatis & fidei promiſſionum ejus pignus aliquod exigere homines decet. Verùm ex Scripturâ diſcimus, juratum illum ſpopondiſſe, ſe benedicturum Abrahamo, eumque & patrocinio ſuo & frequenti poſteritate donaturum (o); juraſſe autem per ſe ipſum, cùm neminem habeat ſuperiorem, per quem juret (p). Eſt igitur jusjurandum iſtud veluti pignus excedens, quod Deus germinis Abrahæ hæredibus præbet, ut de ſponſionibus patri ſuo exhibitis minimè dubitent.

℣. 15. LONGANIMITER FERENS, ADEPTUS EST PROMISSIONEM. Patientiam, ac ſtabilem Abrahami ſpem, qui, tametſi repugnantibus omnibus, credens, promiſſionum Dei fructum obtinuit, imitamini. Jeſus Chriſtus ſuum vobis in terris patrocinium, & gratiam inter vexationes ac perpeſſiones ſpopondit; æternam verò in altero ſæculo felicitatem. De illius fidelitate ne ambigatis moneo; ſed in fide & ſpe promiſſorum executionem opperimini. Spectare Abrahamum ſenectute effœtum, ac Saram ſterilem, nihilo tamen minùs florentiſſimæ poſteritatis authores. Nihil omnipotenti Deo impoſſibile. Abraham diem clauſit extremum, certo confidens futurum, ut ex ſe nata poſteritas terram ſibi a Deo deſtinatam poſſideret, & ipſe fidei ſuæ præmio non careret: nec ſpes illi ceſſit irrita. *Abraham enim pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt* (q).

℣. 16. OMNIS CONTROVERSIÆ EORUM FINIS EST JURAMENTUM. Jusjurandum, ſanctum licèt & ſacrum, nunquam tamen adhibendum eſt, niſi poſtulet neceſſitas, vel ſi quid diſſidii inter homines componendum ſit. Interdum enim nullus eſt finis litium & querelarum, niſi jusjurandum accedat; puta ubi deſunt argumenta & teſtes ad aliquid probandum (r); cùm fides obſtringitur. Nihil tutius, nihil magis ſacrum inter homines eſt, quàm ſacramenti religio: hoc certiſſimum datæ inter homines fidei pignus Ægyptii pariter appellabant (s).

℣. 17. IN QUO (t) ABUNDANTIUS VOLENS DEUS OSTENDERE POLLICITATIONIS HÆREDIBUS IMMOBILITATEM CONSILII SUI. Cùm data jurejurando fides maximè indubitatam inter homines ſpem pariat, quâ eſt clementiâ Deus, obſtrictam Abrahamo fidem confirmare jurejurando voluit. Id autem minus Abrahami causâ præſtitit, cujus fides præclaro elogio in Scripturis commendatur, quàm noſtri, quibus majorem hanc ſpem de immobilitate decreti ſui fecit: *Immobilitatem conſilii ſui.* Promiſſiones ſunt quædam certis conditionibus adſtrictæ: ſed puram abſolutamque fidem Abrahamo Deus exhibuit, irrevocabili decreto ſanciens, ut qui fidem & obedientiam ejus imitati fuerint, hæredes promiſſionum & felicitatis, ſibi in altero ſæculo paratarum, nuncupentur.

℣. 18. UT PER DUAS RES IMMOBILES FORTISSIMUM SOLATIUM HABEAMUS. Per fidem ſcilicet & jusjurandum ab ipſo Deo præſtitum (u), ſolatium, firmamque ſpem bona nobis deſtinata conſequendi habeamus: *Qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Nos Chriſtiani, germani Abrahæ filii, qui nobili contemptu vitæ hujus bona, & fallaces Mundi promiſſiones deſpeximus, ut ſpem noſtram ad poſſeſſionem bonorum cœleſtium penitus converteremus. Primævi Chriſtiani Jeroſolymæ, ut ex Actis diſcimus (x), bona ſua omnia in communem uſum conferentes, rerum ſuarum propietatem a ſe abdicabant, ut illas ante Apoſtolorum pedes projicerent. Hinc brevi factum eſt, ut ad extremas anguſtias redigerentur. Illos potiſſimùm nobiliſſimis hiſce laudibus Apoſtolus proſequitur. Ex quo pariter Apoſtolo (y) diſcimus, illos rapta a Judæis infidelibus bona ſua, tunc fortè, cùm poſt cædem Stephani vexari Fideles cœpere, cum gaudio toleraſſe.

℣. 19. QUAM SICUT ANCHORAM HABEMUS ANIMÆ. Quemadmodum anchora navim firmat in agitatione fluctuum ac procellæ; ita & ſpes, quam de auxilio Dei, ac de ſinceritate promiſſionum ejus concipimus, nos continet ac firmat inter tentationes, inter adverſa & ærumnas, quibus

(n) *Philo, de allegor. Legis*, p. 98, 99: Πάντες δὲ τοῦ Θεοῦ λόγοι εἰσὶν ὅρκοι βεβαιούμενοι ἔργων ἀποτελέσματι. (o) *Geneſ.* XXII, 16, 17: *Per memetipſum juravi, dicit Dominus: Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas . . . . & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, &c.*
(p) *Philo de Allegor.* Ὁρᾷς ὅτι οὐ καθ' ἑτέρου ὀμνύει Θεός, Οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ κρεῖττον, ἀλλὰ καθ' ἑαυτοῦ, ὅς ἐστι πάντων ἄριστος. (q) *Joan.* VIII, 56. (r) *Vide Exod.* XX, 9, 10, 11. *Philo de Allegor. Legis*, p. 99: Ὅρκος μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου.
(s) *Diodor. Sicul. l.* 1; Μεγίστη παρ' ἀνθρώποις πίστις. (t) Ἐν ᾧ περισσότερον βουλόμενος. *Quapropter volens Deus, &c. Ita Syr. Eſt. Riber. Men. Theophyl.* Ἐν ᾧ, τουτέστι, διὸ, ἐπειδὴ, διὰ τοῦτο, *&c.* (u) *Eſt. Riber. Grot. Men. alii.* (x) *Act.* IV, 32.
(y) *Hebr.* X, 34: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.*

℣. 20. Ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.

COMMENTARIUS.

bus in hâc vitâ agitamur.

INCEDENTEM USQUE AD INTERIORA VELAMINIS. Spes, quam de fide promiſſionum Dei tenemus, perinde eſt ac thus ſuaviſſimum, quod a Summo Sacerdote defertur intra Sanctuarii penetralia, & intra velum pretioſum, quod expanſum ante oſtium Sancti Sanctorum, locum Sanctum a Sanctuario diſtinguit. Revertitur Apoſtolus ad Sacerdotium Jeſu Chriſti, de quo in fine Capitis v, 10, 11, 12, ſermonem intermiſerat. Quemadmodum Sanctuarium cœli imaginem referebat, ut infra (z) dicitur; ita spes quæ arcanos Sanctuarii receſſus penetrat, eſt Chriſtianorum hominum spes, quæ ad cœlum usque perveniens, bona æterna & inviſibilia attingit (α).

℣. 20. UBI PRÆCURSOR PRO NOBIS INTROIVIT JESUS. Alienum ab Aaronico, cui uni id licebat, genus referens Chriſtus Sanctuarium Templi Jeroſolymitani ingreſſus non eſt; at ſibi nobisque cœleſtis Sanctuarii fores aperuit; adeoque & nos id boni jam uſurpamus spe, & per Servatorem Præcurſoremque ac Sacerdotem noſtrum, qui pro nobis poſſeſſionem adivit. Ubi quis rei alicujus poſſeſſionem per procuratorem cepit, ejus potiundi spem habet certam adeò & indubitatam, ut ſuam meritò habere & reputare queat. Chriſtus in cœlum ſcandens noſtro, ut ita dicam, nomine poſſeſſionem ejus cepit; ſeſe quippe nobis præiviſſe, ut locum ſecuturis pararet, ipſe aſſeruit (β). Tamquam Summus Sacerdos Sanctuarium ingreſſus eſt, ut veniam nobis impetret (γ). Præcurſor eſt nullus, quem alius ponè non ſequatur; parumque eſt intervalli inter eum, qui adventum alicujus prænunciat, & alterum, qui venturus nunciatur (δ). Divinarum promiſſionum executio adventum Jeſu Chriſti in Cœlum pone, ſaltem quo ad nos, ſequetur.

CAPUT VII.

Sacerdotii Melchiſedechi, ac potiori jure Jeſu Chriſti, dignitas major Aaronico. Abraham & Levi benedictionem a Melchiſedecho obtinuerunt, eique exhibuere decimas. Immutatio & abrogatio Sacerdotii Aaronici, ejusque diſcrimina a Melchiſedechiano. Proprietates Jeſu Chriſti Pontificis æterni, & Sacerdotii ejus præſtantia.

℣. 1. HIC enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde Regum, & benedixit ei:

COMMENTARIUS.

℣. 1. HIC ENIM MELCHISEDECH REX SALEM. Cùm de Melchiſedecho fuſiùs actum ſit peculiari Diſſertatione Epiſtolæ huic præmiſsâ, parcior de illo ſermo hîc fiet. Hîc Apoſtolus Hebræis reſerat veritates, quæ velamine Melchiſedechi teguntur: Jeſum Chriſtum, æternam ejus generationem, Sacerdotium, dignitatem Regis Juſtitiæ, Principis pacis, & Filii Dei. Hæ ſunt veritates divinitus dictatæ, ſolidior eſca, de quibus ſupra, v, 12, 13, 14; vi, 1, 2; grandia illa myſteria, & ineffabilia verba, quorum obiter meminit Capite v, 11.

Quidam (a) negavere, Salem, ubi Melchiſedech imperitabat, fuiſſe Jeroſolymam; quorum opinionem ad Geneſis xiv, 19, refellimus.

Melchiſedech erat *Sacerdos Dei Summi* (b), Dei *Elion*. Id nominis ſæpè in ſcriptoribus profanis occurrens (c), ſonat principem Deorum, Deum magnum Phœnicum & Carthaginienſium. Jusjurandum illud *per Anchialum*, quod legitur in Martiali (d), & tam multos torſit, nihil eſſe aliud puto, quàm *Haechai Elion*, Vivat Altiſſimus. Porrò Melchiſedech ex iis erat, qui inter Chananæos finitimosque Deum norant & metuebant. Commendabatur inſigni pietate & juſtitiâ, ac Regis Salem & Sacerdotis Dei Summi dignitate. Reges olim Sacerdotis Regisque munia in ſe conciliabant; & Hebræum *Cohen* pro Principe æquè ac pro Sacerdote uſurpatur. Redux Abraham ab inſequendis fœderatis Regibus, qui Sodomam & Gomorrham debellaverant, obvium habuit Melchiſedechum, a quo benedictionem & an-

(z) *Heb.* ix, 12, *&c.* (α) *Theophyl. hic:* Ὥσπερ γὰρ ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ τὸ καταπέτασμα διεῖργε τὸ ἅγιον ἀπὸ τῆς λοιπῆς σκηνῆς, οὕτω καὶ ὁ οὐρανὸς ἡμῖν καταπέτασμα διεῖργον τὸ κατὰ ἀπὸ τῶν δευτέρων, καὶ ὑπερουρανίων. *Vide & Theodoret.* (β) *Joan.* xiv, 3.
(γ) *Eſt. Grot. Men. Tirin. Vide Levit.* xvi, 3 . . . 26.
(δ) *Theophyl.* Ὁ γὰρ πρόδρομος, τινῶν ἐστιν ἀκολουθούντων πρόδρομος. Καὶ οὐδὲ πάνυ πολὺ τὸ μέσον τοῦ προδρόμου, καὶ τῶν ἑπομένων. (a) *Hieronym. Ep. ad Evagrium, Tena, Jac. Capell. alii. Vide ad Geneſ.* xiv, 18, 19. (b) *Geneſ.* xiv, 18. כהן לאל עליון *Græc.* Ἱερεὺς Θεοῦ τοῦ ὑψίστου.
(c) *Plaut. in Pœnulo, Siſenna.*
(d) *Martial. l.* 2, *Epig.* 95.

Ecce negas, jurasque mihi per Templa Tonantis.
Non credo; Jura, Verpe, per Anchialum.

החי עלון

℣. 2. Cui & decimas omnium diviſit Abraham; primùm quidem qui interpretatur Rex juſtitiæ, deindè autem & Rex Salem, quod eſt, Rex pacis:

℣. 3. Sine patre, ſine matre, ſine genealogiâ, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

℣. 4. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.

COMMENTARIUS.

annonam, ſibi ſuiſque opportunam, accepit (*e*).

℣. 2. Cui et decimas omnium divisit Abraham. Mos conſecrandi Deo hoſtilium exuviarum partem, vetuſtiſſimus eſt, apud profanos æquè Sacroſque Scriptores. Moyſes disertè aſſerit (*f*), Abrahamum decimam ex hoſtilibus ſpoliis Melchiſedecho dediſſe; contra opinionem Rabbinorum, qui a Melchiſedecho oblatas illas Abrahamo aſſerunt. Igitur Abraham in Melchiſedecho neſcio quid ſuperioris dignitatis agnoſcebat; quod certè idcirco præſtitit Abraham, quòd ille gereret Sacerdotium Domini, quo nomine ſeſe illo inferiorem agnovit. Jure victoris uſus Abraham, ſibi vindicat ea, quæ ex amicorum hoſtibus tolit, & de illis pro imperio decernit, decimam Melchiſedecho largitus.

Interpretatur Rex justitiæ. Abſolutâ hiſtoriæ narratione, Apoſtolus Prophetiam & allegoriam evolvit. Melchiſedech (*g*), ex nominis etymo, *Regem justitiæ* ſonat; eſt autem typus Jeſu Chriſti, qui verus eſt juſtitiæ Rex (*h*); *Dominus juſtus noſter*; omnis juſtitiæ, & ſanctitatis noſtræ fons (*i*): *Factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia*.

Rex Salem, quod est Rex pacis. Melchiſedech Jeroſolymæ vel in Salem regnabat. *Salem* pacem ſignificat. Rex autem iſte figuram exhibebat Jeſu Chriſti Regis pacifici (*k*), Principis pacis, qui homines cum Deo Patre ſuo concilians, Judæos & Gentiles in unum populum colligit; pax noſtra & ſolatium eſt (*l*).

℣. 3. Sine patre, sine matre, sine genealogia. Melchiſedech homo erat utique cæteris ſimilis, nec patre, nec genealogiâ in terris carens. Sed divino Spiritu afflatus Scriptor ſacer, patriam ejus, parentes, majores (*m*) non ſine myſterio ſiluit. Deſignare enim hoc ſilentio voluit, Chriſtum Jeſum, quem is tropicè exprimebat, qui uti homo patre cariturus erat in terris, uti Deus matre, cariturus inſuper genealogiâ & progenitoribus, e quibus, ceu filius a patre, ortum & genus traheret, originem habiturum planè divinam, cœleſtem, ineffabilem: *Generationem ejus quis enarrabit* (*n*)?

De Veteribus nonnullis dictum fuit, illos parentibus proaviſque caruiſſe. Ita Seneca (*o*) de Anco Rege: *De Servii matre dubitatur; Anci pater nullus dicitur*; quòd quis eſſet ignoraretur. Livius (*p*) eumdem Servium natum aſſerit ex *Corniculanâ* muliere captivâ, *patre nullo*. Horatios (*q*).

Ante poteſtatem Tulli atque ignobile Regnum,
Multos ſæpe viros nullis majoribus ortos
Et vixiſſe probos, magnis & honoribus auctos.

Sed hic res longè alia agitur: parentum enim, & proavorum Melchiſedechi nomina non eo quidem conſilio ſiluit Moyſes, quòd obſcuram habuerit originem; neque ea mens fuit Apoſtolo, ſilentium Moyſis expendenti. Ut ſimilis Jeſu Chriſto ad amuſſim eſſet, oportebat potiùs, illum clam eſſe atque auguſto genere, ſed hominibus ignoto.

Præterea Melchiſedechi Sacerdotio ſacra Jeſu Chriſti dignitas ex eo exprimebatur, quòd illud non hæreditate, ut Aaronicum, ſed merito hominis datum fuerit; cùmque ex parentibus hæreditatis jure non fluxerit, idcirco nec ad filios manavit. Ita Chriſtus Sacerdotium ſucceſſionis jure non tenet; nec filios dignitatis hæredes relinquit. Sacerdotium gerit æternum, quod cum ipſo ſemper manet; ejusque hæredes nonniſi vicariam ab eo obtinent dignitatem. Sacerdos eſt Sacerdotum; & eos, quos ipſe ad ſacrum munus admovet, nonniſi in partem admittit poteſtatis illius, quam ipſe plenam tenet.

Neque initium dierum, neque finem vitæ habens. Melchiſedech commune cum cæteris hominibus vitæ initium & exitum habuit; ſed Moyſes natalem ejus ac tempus mortis ſiluit (*r*), ut in eo lineamenta duceret imaginis Jeſu Chriſti, qui initium & finem qua Deus ignorat; cujus & Sacerdotium ante omnia ſæcula manſit, & totâ deinceps æternitate manſurum eſt: *Manet Sacerdos in æternum*. Hæc verba de Melchiſedecho tropicè, de Jeſu Chriſto verè dicuntur (*s*).

℣. 4. Intuemini quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha; quantus ſcilicet ſit Melchiſedechus, cui decimam ex manubiis hoſtilibus Abrahamus dedit. Quo pluris facitis Abrahamum, quem quidem & Deo amicum, & gloriæ laudumque veſtrarum originem, nunquam ſatis admirabimini, eò majori obſequio ſuſpicietis Melchiſedechum, cui Abraham ipſe decimas ex hoſtilibus ſpoliis detulit; qua in re inferiorem ſe illo agnovit, uti Apoſtolus infra expendet. Decimam ex optimis quibuſque ſolutam fuiſſe, ait Græcus (*t*): at intelligi poteſt de decimâ ſpoliorum; quæ enim vox ſonat *præcipua*, uſurpatur etiam de decimâ, quæ Diis poſt victoriam deferebatur (*u*).

℣. 5. Et

(e) *Vide Geneſ.* xiv, 18, 19, 20. *Joſeph. Antiq. l.* 1, *c.* 11. (f) *Geneſ.* xiv, 22, 23.
(g) מלכי - צדק *Rex juſtitiæ.* (h) *Jerem.* xxiii, 6. (i) 1 *Cor.* i, 30.
(k) *Iſai.* ix: *Princeps pacis, &c.* (l) *Epheſ.* ii, 14: *Ipſe enim eſt pax noſtra.*
(m) *Ita Syr. Arab. Eſt. Grot. Theophyl. Theodoret. Chryſ. Epiphan.* Οὐ διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν πατέρα, ἢ μητέρα, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κατὰ τὸ φανερώτατον ἐπωνόμασθαι, *&c.*
(n) *Iſai.* liii, 8. (o) *Senec. Ep.* 108.
(p) *Livius, l.* 4. *c.* 3. (q) *Horat. l.* 1 *ſerm. ſatyr.* 6.
(r) *Vide Eſt. Grot. Menoch. &c.* (s) *Vide Knatchbull. hic.*
(t) Δεκάτην ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων, *Decimas dedit de præcipuis.*
(u) *Heſychius.* Ἀκροθίνια, λαφύρων ἀπαρχαί. *Vide Hamm. hic, & Autores ab eo citatos.*

℣. 5. Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere a populo, ſecundùm Legem, ideſt, a fratribus ſuis; quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ.

℣. 6. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc qui habebat repromiſſiones, benedixit.

℣. 7. Sine ullâ autem contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur.

℣. 8. Et hîc quidem, decimas morientes homines accipiunt; ibi autem conteſtatur, quia vivit.

℣. 9. Et (ut ita dictum ſit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt:

COMMENTARIUS.

℣. 5. Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes; id eſt, Hebræi Sacerdotes e Tribu Levi & genere Aaronico, decimas a cæteris Israëlitis, fratribus ſuis, omnibus ex Abrahamo ſatis, referunt. Quapropter genus Leviticum & familia Aaronis, tamquam Miniſtri & Sacerdotes Domini, dignitatem gerunt cæteris fratribus ſuis ſuperiorem. Verùm Melchiſedech decimam accepit non ex Hebræis, ſed ex Hebræorum Patriarchâ, non ex Levitis, ſed ex parente Sacerdotum & Levitarum, qui tunc in Abrahamo parente continebantur. Ex his perſpicuum fit, quantopere Melchiſedechi Sacerdotium Aaronico antecellat.

Animadvertere juvat, genus Leviticum e tribus principibus familiis fuiſſe conflatum, e Gerſonitis videlicet, Caathitis, & Meraritis. Tres hæ familiæ miniſterio Domini addictæ quidem erant; ſed una Aaronis familia, quæ ad Caathitas pertinebat, Sacerdotio conſecrabatur. Levitæ decimam ex reliquis omnibus Israëlitis accipiebant exigebantque (x), cùm aliam in Israële portionem non obtinerent; atque hinc ait Apoſtolus, *mandatum* accepiſſe illos a Deo, *ut decimam ſumerent a populo*, cùm dicendum eſſet, populo imperatam fuiſſe in Levitarum commodum decimam. Igitur Levitis injunctum erat, ut decimam exigerent; ejusque decimam partem Sacerdotibus ipſi Levitæ exhiberent. Primitiæ omnes cedebant Sacerdotibus, Levitis excluſis (y). Cùm Apoſtolus ſermonem haberet ad Judæos, rerum earum ſcientiſſimos, accuratiùs de his diſſerendum non duxit.

℣. 6. Cujus generatio non annumeratur in eis. Melchiſedech, de quo loquimur, licèt a genere Levitico & Aaronico alienus, *decimas ſumpſit ab Abraham;* benedixit magno huic Patriarchæ, *qui habebat repromiſſiones*, & cujus gratiâ vos filii promiſſionum & fœderis appellamini. ℣. 7. *Sine ullâ autem contradictione quod minus eſt a meliore benedicitur.* Igitur Abraham inferior erat Melchiſedecho. Eam intellige benedictionem, quæ cum authoritate fit, benedictionem Sacerdotalem, quæ pro injunctâ dignitate a ſuperiore in inferiorem impenditur (z). Conſtat enim creaturam benedicere Creatori, ſubditum Principi, egenum diviti largitori. Sed alterius eſt generis benedictio, cujus hic Apoſtolus poſt Moyſem meminit. Gradum quemdam authoritatis & Sacerdotii ſe ſuperiorem Abraham in Melchiſedecho agnovit; nam & ipſe pariter Abraham Sacerdotio Altiſſimi fungebatur. Melchiſedech fortaſſe major erat ætate opibusque, & munera Sacerdotii publica in universâ regione præſtabat; cùm ſacrum Abrahami munus intra familiam contineretur.

℣. 8. Et hic (a) quidem decimas morientes homines accipiunt; in Lege mortales homines decimam accipiunt. Levitis & Sacerdotibus nullum eſt privilegium, quo mortis expertes pronuncientur; at Melchiſedech, cujus Sacerdotium ſacram Jeſu Chriſti dignitatem exprimit, perinde ac ſuperſtes adhuc habetur, cùm in Scripturâ nulla mentio de ejus obitu fiat (b). Re quidem ipsâ obiiſſe illum, nemo dubitat; ſed ille, cujus figuram exhibebat, parem cum æternitate vitam habet: *Ibi autem conteſtatur, quia vivit.* Contendunt alii (c), Apoſtolum non de Melchiſedecho, ſed de Jeſu Chriſto ſermonem habere, de quo pariter dictum eſt in Pſalmo (d): *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quemadmodum autem non rectè colligeres, Aaronem vivere, quòd ſcriptum eſſet Eleazarum Aaronis filium eſſe ſuperſtitem, & agere Sacerdotem ex ordine Aaronis; ita neque colligi poteſt, Melchiſedechum adhuc in vivis eſſe, quòd Chriſtus, cujus typus in Melchiſedecho exprimitur, Sacerdos ſit vivens, æternus, ex ordine Melchiſedechi.

Cunæus cæterique, qui hæc ad verbum de Melchiſedecho uſurpanda cenſent, argumentum hinc planè, uti ajunt, invictum & evidens pro Melchiſedechi immortalitate deducunt. Scriptura, inquiunt, confert Filios Aaronis & Melchiſedechum; aliosque ab alio in eo diſtinguit, quòd illi deceſſerint, hic verò ſuperſtes maneat. Igitur de immortalitate Melchiſedechi dubitari nequit. Reſpondeo, illud ſolummodo Apoſtolum voluiſſe, ut aſſereret, Melchiſedechum ita exhiberi in Geneſi ceu virum initio & fine carentem, ut portendat veram æternitatem & immortalitatem Jeſu Chriſti non ambiguam: Melchiſedechum typicè immortalem eſſe, Chriſtum reverâ.

℣. 9. Per Abraham et Levi decimatus eſt. Levi, qui a cæteris Israëlitis decimam accepit, ipſe viciſſim Melchiſedecho exhibuit; eſt igi-

(x) *Num.* xviii, 21: *Filiis Levi dedi omnes decimas Israëlis in poſſeſſionem, pro miniſterio quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis.* 26. *Cùm acceperitis a filiis Israël decimas, primitias earum offerte Domino, ideſt, decimam partem decimæ.* (y) *Num.* xviii, 8, & *ſeq.*
(z) *Vide Eſt. Riber. Grot. &c.* (a) Τῷ ἱερεῖ ἐν νόμῳ.
(b) *Eſt. Riber. Men. Grot. Druſ. Lud. de Dieu, alii. Ita & Patres.*
(c) *Vide Ambroſiaſt. Heinſ. Jac. Capell, &c.* (d) *Pſal.* cix, 4.

℣. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech.

℣. 11. Si ergò conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat, (populus enim ſub ipſo Legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dicit?

℣. 12. Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis translatio fiat.

℣. 13. In quo enim hæc dicuntur, de aliâ tribu eſt, de qua nullus Altari præſtò fuit.

COMMENTARIUS.

igitur Melchiſedecho inferior. Quo autem pacto exhibuit? in Abrahamo proavo ſuo, qui naſciturum ex nepote Jacobo (e) Levim quodammodo in ſe continebat referebatque (f). Bona & commoda parentis avique ad filios pleno jure transeunt. Igitur ſi Abraham decimam Melchiſedecho præbuit, ejus pariter abnepos Levi præbuiſſe cenſendus eſt; & ſi Abraham inferior Melchiſedecho habetur, indecorum ſibi utique cenſere non debet Levi, ſi hac quoque ratione ſuperiorem ſibi illum agnoſcat (g). Audaciorem hanc ratiocinationem mitigaturus Apoſtolus interjecit: *Ut ita dictum ſit*; innuens, iſta mitiùs quàm ex literæ ſono eſſe accipienda.

℣. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, tamquam filius in patre, in ſemine planta, quo tempore Abraham decimam Melchiſedecho dedit. Non uno Scripturæ teſtimonio intelligere licet, generationis fontem apud Hebræos in lumbis conſtitui (h). At enim ipſe pariter Chriſtus in lumbis erat Abrahami perinde ac Levi, quocum communem generis authorem Abrahamum habuit. Fateor utique, Chriſtum per humanam naturam ex Abrahamo ſatum eſſe; ſed non ab eâdem naturâ habet, quòd Sacerdos æternus ſit, Melchiſedecho ſuperior: id enim ex adjunctâ ſibi divinâ naturâ refert (i).

Præterea quemadmodum decima ab Abrahamo exhibita Melchiſedecho portendebat neceſſitatem Liberatoris & ſupremi Medici, ulcus ab Adamo naturæ humanæ inflictum ſanaturi, hac planè ratione Chriſtus in lumbis Abrahami contineri non poterat (k); quippe quem nullum peccati originis vulnus afflixit, nec de peccato quidquam, ne typicè quidem, retulit. Ex Abrahamo quidem ſatus fuit; at longè aliter ac Levi & cæteri homines; in illo enim continebatur ſecundùm carnem, non verò ſecundùm concupiſcentiam, quæ generationem & reliquorum mortalium ortum conſequitur. *Levi in lumbis fuit Abraha ſecundùm concupiſcentiam carnalem; Chriſtus autem ſecundùm ſubſtantiam corporalem*, ait S. Auguſtinus (l).

℣. 11. Si consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, ſi per Leviticum Sacerdotium homines donari poterant perfectione, quid opus fuit Sacerdote ordinis Melchiſedechi? Quæ neceſſitas abrogandi vetus Sacerdotium, ut novum ſtatueretur a venturo in Mundum Meſſia? Apoſtolus veluti per gradus aſcendit ad demonſtrandam Hebræis novi Sacerdotii neceſſitatem, abrogationemque veteris, adeoque & Legis, quæ absque Sacerdotio non exiſtit. Patriis ritibus ſtudebant adeò Hebræi, ut in mentem inducere nequaquam poſſent, Sacerdotium Leviticum, Sacrificia, Legem, circumciſionem abolitum iri, atque ad ea perficienda veniſſe Chriſtum, veteri Legi & Aaronis Sacerdotio novam Legem novumque Sacerdotium ſubſtituendo.

Hanc eorum opinionem uno icto præcidere, minùs opportunum arbitratus Apoſtolus, abſtinet ab aſſerendo, Legem nihil perficere, nec ad finem a Deo conſtitutum perducere; Sacerdotium verò Aaronicum expiandis criminibus, animæ maculis abluendis, nobisque Deo conciliandis ineptum eſſe. Aliquem veritatis hujus radium tantummodò interlucere ſinit, inquiens: *Si conſummatio* (perfectio, ſanctitas) *per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc neceſſarium fuit alium ſurgere Sacerdotem?* Jam verò demonſtratum arbitror, Sacerdotium eſſe aliud, ab Aaronico diverſum, æternum, Abrahamo & Lege antiquius, & nunquam deſiturum. Impar eſt ergo Leviticum Sacerdotium perfectioni conferendæ.

℣. 12. Translato enim Sacerdotio, necesse est ut et Legis translatio fiat. Nulla Lex, religio nulla absque Sacerdotio ritibusque exiſtere poteſt (m). Igitur cùm Aaronicum Sacerdotium mutandum, transferendum, abolendum fuerit, Moſaicam quoque Legem aboleri neceſſe eſt. Porrò Sacerdotium Leviticum mutandum fuiſſe, ſupra oſtendit. Græcus Latinusque ferunt ad verbum (n): *Tranſlato Sacerdotio*; quod aliqui explicant de translatione Sacerdotii, e Leviticâ in Tribum Juda, ad quam Chriſtus pertinebat. Sed *transferre* non rarò valet *mutare*; ac rectiùs dixeris, Sacerdotium Leviticum abrogatum eſſe, quàm translatum tantummodo in Tribum Juda.

℣. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia Tribu est. Chriſtus, verus æternusque Sacerdos ex ordine Melchiſedechi, e Tribu Juda, non

(e) ℣. 4: *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando decimatus eſt.* (f) *Chryſ. Theodoret. Eſt. Men. alii.* (g) *Theophyl.* Ἐπειδὴ δὲ τόλμημα ἐδόκει τὸ εἰπεῖν ὅτι ὁ Λευὶ, μήπω εἰς γένεσιν παραχθεὶς δεδεκάτωται παρὰ τοῦ Μελχισεδὲκ, ἐπέλεξε τοῦτο. *Grot. Eſt.* (h) *Geneſ.* xxxv, 11: *Reges de lumbis ejus egredientur.* 2 *Par.* vi: *Qui egredietur de lumbis tuis.* *Pſal.* xxxvii, 8: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* *Act.* ii, 30: *De fructu lumbi ejus ſedere, &c.* (i) *Reber. Eſt. Gemae.*

(k) *Aug. l.* x *de Geneſi ad litt. c.* 20: *Nam cùm ipſa decimatio ad præfigurandam medicinam pertineat, illud in Abraha tunc decimabatur, quod curabatur; non illud unde curabatur.*

(l) *Aug. loco citato; Hugo Victor. l.* 2 *de Sacram. c.* 5; *Lombard. l.* 2 *ſent. diſt.* 3; *Eſt. hic.*

(m) *Aug. l.* 19. *c.* 11, *contra Fauſt. In nullum Religionis nomen ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

(n) Μετατιθεμένης γὰρ τῆς ἱερωσύνης. Verbum μετατίθεσθαι uſurpatur interdum pro *mutare*. Vide *Grot. Jac. Capell, Heb.* xi, 5; *Galat.* i, 6; *Jude* 4.

℣. 14. Manifeſtum eſt enim quòd ex Judâ ortus ſit Dominus noſter; in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.

℣. 15. Et ampliùs adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſech exſurgat alius Sacerdos,

℣. 16. Qui non ſecundùm Legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.

℣. 17. Conteſtatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.

℣. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem:

COMMENTARIUS.

non e Tribo Levi ſatus eſt. Ideò agnoſcere in eo debemus Sacerdotium planè novum & longe aliud ab Aaronico. Cùm autem nonniſi unicam veram Religionem, unicum verum Sacerdotium Mundus habere queat, fit inde, ut Aaronicum aboleri, Sacerdotio Jeſu Chriſti inſtituto, neceſſe ſit.

℣. 14. MANIFESTUM EST ENIM, QUOD EX JUDA ORTUS SIT DOMINUS NOSTER. Judæi omnes id norant; planeque demonſtratur ex geneſeos catalogis a Mattheo & Luca deductis. Seriem geneſeos Mariæ matris Jeſu dedit Lucas (o); Matthæus verò Joſephi, Sponſi Mariæ, proavos recenſuit. Meſſiam e Tribu Juda oriturum, Sacri Vates non obſcurè prædixerant, (p). Nunquam dubitavit quiſquam, eâ ne ex Tribu eſſet Jeſus: ſi res fuiſſet ambigua, nemo ſe præbuiſſet Chriſto Jeſu aſſeclam, nemo illum eſſe Meſſiam confeſſus fuiſſet. Perſpicuum eſt autem, Sacerdotium nullo jure ad Tribum Juda pertinuiſſe. Aliud eſt ergo Sacerdotium illud, quod Meſſiæ x Pſalmiſtâ tribuitur.

℣. 15. AMPLIUS ADHUC MANIFESTUM EST. Ex his, quæ dicenda ſuperſunt, manifeſtiùs apparet, Legem Moſaicam Leviticumque Sacerdotium (q) mutatum fuiſſe & abrogatum. Aaronicum Sacerdotium ℣. 16 aſſeritur *carnale factum eſſe* (r): cœpit in Aarone, deductumque ex patre in filium, ad Templi eversionem usque perſeveravit. At Chriſti Sacerdotium, de quo agimus (s), conſtitutum eſt ſecundùm ordinem Melchiſedechi, nullâ carnali ſucceſſione mutabile, cùm ſemper extiterit, nec unquam ceſſaturum ſit, utpote inſtitutum, ℣. 16, *ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis* Meſſiæ; ideſt, ejus æternitate & immortalitate fretum. Longe aliud eſt ab Aaronico: hoc enim ſemel incepit, & deſinere poteſt; illud exordio & fine caret. Cùm igitur Sacerdotii ſui munus exercere Chriſtus cœperit, Aaronicum Sacerdotium ceſſare neceſſe erit; ut enim ſupra oſtenſum eſt, unicum dumtaxat Sacerdotium, unicam religionem exiſtere oportet.

Ante Aaronicum, Chriſti Sacerdotium ſtabat, & cum Aaronico ſtetit; is verò, cujus illud erat, nondum illud exercebat: ejus enim poſſeſſionem adire tum primum debuit, cùm is humanæ naturæ exuviis indueretur. Qui ſacris legitimè operati ſunt Deo Sacerdotes, ſive ante Legem, ſive ſub Lege, nonniſi vicariam exercebant poteſtatem. Sacerdotium gerebant veluti commodatum & juris alieni. Quin & hodie pariter Sacerdotes, qui cruentum Sacrificium in Eccleſiâ offerunt, vices gerent Summi Sacerdotis, ejusque munus obeunt; ſeu potiùs ipſe Divinus Sacerdos per illos exercet.

℣. 16. NON SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS FACTUS EST, SED SECUNDUM VIRTUTEM VITÆ INSOLUBILIS. Aaron Dei juſſu Sacerdos inſtitutus fuit: ſed ejus muneris Leges, initiandi ritus, inſtitutionis narratio leguntur apud Moyſem, nempe in Lege quodammodo carnali, utpote quæ tota ritibus conſpicuis, corporeisque mandatis occupatur (t). At Chriſtus Sacerdotium ſuum jam inde ab æternitate vi æternæ generationis ſuæ ſtabilivit. Alii explicant juxta id, quod nos ſuperiore membro animadvertimus: Aaron Sacerdos renunciatus fuit *ſecundùm Legem mandati carnalis*, ideſt ſecundùm ordinem ſucceſſionis ex patre in filium, ut morientis dignitas tranſiret ad hæredes: at Jeſus Chriſtus, utpote immortalis æternusque, nullum poſt ſe juris ſui hæredem ſucceſſoremque relinquit. Hæc poſtrema explicatio, magis quàm prior, Apoſtoli propoſito ſervire videtur.

℣. 18. REPROBATIO QUIDEM FIT PRÆCEDENTIS MANDATI (u). Huc ſpectabat Apoſtolus longis iſtis ratiocinationum ambagibus, quas hactenus emenſi ſumus. Demonſtrare volebat Hebræis, Sacerdotium ritusque Legales Sacerdotio Chriſti ejusque Evangelio loco ceſſiſſe. Lex abolita eſt, non ut mala ſive pernicioſa, ſed ut inutilis & haud ſufficiens, ſive ſanandis hominum vulneribus, ſive eorum neceſſitatibus levandis (x). Imperare noverat, bonumque indicare, ſed vires ſufficere illud aſſequendi non poterat; id enim beneficium eſt Legis gratiæ, quod per manentem intra nos Spiritum Sanctum præſtatur (y).

℣. 19. Ni-

(o) Vide noſtram hac de re Diſſertationem ad Evangelium Lucæ.

(p) *Iſai.* IV, 2, 4; IX, 6, 7; XI, 8; *Jerem.* XXIII, 5; XXXIII, 14, 15; *Zach.* III, 8; VI, 12, *&c.*

(q) *Vat. Eſt. Men. Grot. Zeger.* (r) *Eſt. hic. Theodoret.* Σαρκικὴν γὰρ ἐντολὴν τοῦτο κέκληκεν, ὡς τοῦ νόμου διὰ τὸ θνητὸν τῶν ἀνθρώπων κελεύοντος μετὰ τὴν τοῦ ἀρχιερέως τελευτὴν, τὸν ἐκείνου παῖδα τὴν ἱερωσύνην λαμβάνειν. *Vide & Theophyl.* Τὸ πρόσκαιρον ἐδήλωσε διὰ τοῦ σαρκικοῦ.

(s) *Eſt. Riber. alii. Theodoret.* Καθάπερ ἐκεῖνος ὁ Μελχισεδὲκ τῆς ἱερωσύνης διάδοχον οὐκ ἔσχεν. Οὕτως οὐδὲ οὗτος ὁ Ἰησοῦς ταύτην εἰς ἕτερον παρέπεμψε, *&c.*

(t) *Chryſoſt. Tena, Riber. alii.*

(u) *Græc.* Ἀθέτησις μὲν γὰρ γίνεται, *Reprobatio enim certè fit, &c.* Libri tamen Veteres Latini omittunt *enim. Clarom. & S. Germ. & Syr.* Vide *Eſt.* (x) *Theodoret. hic*: Παύεται ἐκεῖνος ὁ νόμος, οὐχ ὡς πονηρὸς, ἀλλ' ὡς ἀσθενὴς, καὶ τὴν τελείαν οὐ δυνάμενος προσφέρειν ὠφέλειαν, *&c.*

(y) *Theophyl.* Πῶς δὲ ἦν ἀσθενής; διότι γράμματα ἦν μόνον διαγορεύοντα, τὸ δὲ πρᾶττε, τὸ δὲ μή. Δύναμιν δὲ οὐδεμίαν ἐντιθέν πρὸς τὸ τὰς ἐντολὰς κατεργάζεσθαι, ὃ νῦν γίνεται ἡμῖν διὰ τοῦ Πνεύματος. *Vide Eſt. Riber. Tir.*

℣. 19. Nihil enim ad perfectum adduxit Lex: introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.

℣. 20. Et quantum eſt, non ſine jurejurando.

℣. 21. Alii quidem ſine jurejurando Sacerdotes facti ſunt; hîc autem cum jurejurando, per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum.

℣. 22. In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.

℣. 23. Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere.

COMMENTARIUS.

℣. 19. Nihil enim ad perfectum adduxit Lex. Nemioem unquam per ſe ſuiſque viribos ad veram juſtitiam perfectamque ſanctitatem adducere Lex valuit; neminem criminibus expiavit; nullius labes animi deterſit. Cave tamen credas, neminem ſub Lege ſive ſalutem, ſive juſtitiam aſſequutum: conſtat enim, plures viroa ſanctos juſtoſque io Israële poſt Moyſem floruiſſe: at non ſola per ſe Lex, neque Legis Sacerdotium rituſque exteriores gratum Deo præſtare hominem valueruot; id enim Servatoris gratia, charitas, fides in Chriſtum, & de ejus promiſſiooibus concepta ſpes effecerunt. Juſti homines e Veteri Teſtamento rectâ meoris habitudine ad Novum Fœdus omnes pertinebant (z). Confer dicta in Epiſtolam ad Romanos, VIII, 3; Galatas, III, 2, 28, 24.

Introductio vero melioris spei: In vacoum ejos locum ſpes melior introducta eſt. Lex vetua & Aaronicum Sacerdotium ad res planè ſenſibus obnoxias corporeaſque, veluti ad unicum finem, ferebantur. Booa ab iis promiſſa, Legaleſque ſordes iis deterſæ, corporis non animæ vitia erant. Novum verò Fœdus novomque Sacerdotiom ſecundùm ordinem Melchiſedechi a Chriſto geſtum, alia ſpondet commoda, æterna pollicetur præmia, gratiam juſtitiamque confert, occultas animi maculas eluit, ac denique bomines ad Deum deducit (a). Quidam (b) ſic explicant: Leviticum Sacerdotium & Lex Moſaica ad perfectionis culmen viribus ſuis perducere nihil valebant, ſed quodammodo præparatio erant & initium, quo ad meliorem ſpem comparabamur. Pollicebaotur, portendebant, indicabant quid nobis in Novo Fœdere ſperandum eſſet. Sed prior expoſitio proclivior.

℣. 20. Et quantum est, non sine jurejurando; ſcriptum eſt enim: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Diſcrimen aliud animadverſione digoum, quo Sacerdotium Chriſti ab Aaronico diſtinguitur: hoc enim nullà jurejurandi religione ſtabilitum fuit. Quod autem in Sacerdotio Chriſti iotercesſit jusjurandum, ejos immutabilitatem immortalitatemque denotat; idque cùm defuerit Aaronico, tranſlationem ejus, immutationem, abrogationem, imbecillitatem portendebat. Verba illa (c), *Et quantum eſt*, variâ ratione redduntur: *Quantum id eſt commodi*, quòd ooo ſine ſacramenti religiooe firmatum eſt? Sive: Spes noſtra eò firmiori fuodamento nititur, quòd Chriſtus non ſine hoc ritu Sacerdos conſtitutus ſit. Vel denique, Melior oobis ſpes affulget, *quòd Chriſtus* oon ſine ſolemnis ſacramenti nuncupatione Sacerdos conſtitutus ſit. Novom eſt hoc decus & inſigne Sacerdotii ejus, novaque æternitatis ejus aſſertio.

℣. 22. In tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus; adeo verum eſt, fœdus illud, cujus ſponſor eſt Jeſus, primo illi præſtare. Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, iovicto argumeoto colligitur, oovum fœdus, cujus ſponſor eſt Chriſtus, longè perfectius, præſtantius ac firmius eſſe, quàm vetus, Moyſis miniſterio ſancitum. Græcus ad verbum (d): *Jeſus factus eſt ſponſor* novi Fœderis. Nomine Patris ſui æternæ ſe præmia daturum nobis ſpopondit; quemadmodum Moyſes Dei nomioe fidem ſuam obſtrioxit de inducendis io Chananitidem Hebræis, iiſque benedictione cumulandis. At Chriſtus plus multo quàm merus putusque fidejuſſor præſtitit: exhibuit enim ſe medium, authoremque noſtræ cum Deo Patre ſuo conciliationis, juſtitiæ ejus pro peccatis noſtris ſatisfecit, ac morte ſuà nobis æterna bona promeruit. Lex quidem Moyſis inſità virtute ſuà nonniſi ſervos & filios Agaris formabat (e); Novom verò Fœdus filios adoptivos Patri gignit. Sacrameota ac ritus Legis quamplures erant & perdifficiles, oullius verò vel exigui bominibus commodi; qoin & typi ac imagines eorum, quæ in Lege Evangelicâ ſperanda erant.

At novum Fœdus tale eſt, qood *Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione faciliimis, ſignificatione præſtantiſſimis, ſocietatem novi populi colligavit*, ait S. Auguſtinus (f). Et alibi (g) docet, poſt Chriſti reſurrectiooem adeptos nos fuiſſe felicem filiorum Dei libertatem, nec jam premi coofertâ ſignorum & Sacrameotorum turbâ: *Sed quædam pauca pro multis, eademque factu faciillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſervatione caſtiſſima ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina.*

℣. 23. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes; quippe qui, mortales cùm forent, exiſtere ſemper haud poterant. Aarooi ſucceſſerunt ex eo nati Eleazar, Phinees, & ſic de reliqois; at Chriſtus, utpote immortalis & æternus, perpetuum gerit Sacerdotium, non ex patre in filium per ſoboles mutabile: *Sempiternum habet Sacerdotium.* Græcos ad verbum (h). Sacerdo-

(z) *Aug. de Catechiz. Rudibus, c. 3. n. 6: Neque enim ob aliud ante adventum Domini ſcripta ſunt omnia quæ in Scripturis ſanctis legimus, niſi ut futura præſignaretur Eccleſia .... adjunctis, atque annumeratis omnibus Sanctis, qui etiam ante adventum ejus in hoc ſæculo vixerunt; ita eum venturum eſſe credentes, ſicut nos veniſſe.* (a) *Theodoret. Eſt. Men. Riber. alii.*
(b) *Vat. Jac. Capell. Bez. &c.* (c) Καὶ καθ' ὅσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας. *Chryſoſt.* Τί ἐστι καὶ καθ' ὅσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας; τουτέστιν, οὐ χωρὶς ὅρκου, ἰδοὺ καὶ ἄλλη διαφορά.
(d) Γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς. *Theophyl.* Ἐγγυητής, μεσίτης, *Sponſor, fidejuſſor, mediator.*
(e) *Galat.* IV, 24. (f) *Aug. Ep.* 54, *nov. Edit olim* 118. (g) *Idem*, l. 3, c. 9, *de Doctrinâ Chriſtianâ.*
(h) Ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην. *Theophyl.* Ἀδιάκοπον, ἀδιάδοχον.

℣. 24. Hic autem eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium

℣. 25. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes, per ſemetipsum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.

℣. 26. Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior Cœlis factus:

℣. 27. Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Saſerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.

COMMENTARIUS.

dotium ad alium non tranſiens.

℣. 25. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum; accedentes ad Deum ejus interventu (i). Chriſtus vitam agens immortalem, præſto ſemper eſſe poterit precibus noſtris audiendis, iisque ad Patrem ſuum porrigendis. Sequeſter eſt & interceſſor nunquam moriturus, cujus & authoritas & poteſtas nec minui unquam poteſt nec deteri. Sacerdotium gerit non loco, non tempore adſtrictum, ſed æternum infinitumque. Modò, in Cœlum receptus, ſaluti eſſe poteſt ſuis, perinde ac illos in Terris agens juvabat. Orat, intercedit pro nobis apud Patrem, neceſſitates noſtras exponens, exhibensque votum ſuum quod ſemper fovit; nec unquam, quamdiu mortalem in terris agemus vitam, de ſalute noſtrâ deſeret: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Græcus (k) & plures optimi Latini Codices legunt: *Pro ipſis.*

Interpretes & Patres non ſatis conveniunt in explicando, quo pacto Chriſtus in Cœlis perſonam Sacerdotis æterni gerens, Patrem roget, & pro nobis intercedat: non ſatis enim componi duo iſta inter ſe videntur, ſupplicis perſonam agere, & Regem gloriæ, ſummumque creaturarum Imperatorem gerere. Cenſent quidam (l), minimè illum pro nobis orare; aliis opinio planè contraria probatur (m). At fortè vocabuli diſſidium eſt. Qui orare illum negant, conciliatorem pacis agnoſcunt; quacumque tandem ratione id præſtet, ſive re ipsâ orando, ſive genus quoddam precis interponendo, puta exhibendo Patri Cœleſti vulnera ſua, meritum Sanguinis, paſſionis, laborum; quæ flectendo ad miſericordiam Deo, licèt irato, aptiſſima ſunt. Qui re ipsâ orare Chriſtum volunt, multos ex Scripturis locos producunt, quibus fertur Chriſtus orare Patrem ſuum in Cœlis ſecundùm humanitatem, ferme (ut in terris degens orabat): quamquam in Cœlis æquè & in terris fuerit ſemper, & nunquam non ex æquo potens futurus ſit (n).

℣. 26. Talis decebat ut nobis esset Pontifex, qualis nempe Jeſus, æternus, innocens, omniſciens, Omnipotens, &c. Aaronicum Sacerdotium ſaluti nobis & Cœleſti felicitati comparandæ impar erat, utpote virtute & merito inferius. Summi Hebræorum Sacerdotes homines erant, & communis naturæ incommodis obnoxii; omnis eorum poteſtas apud Deum arctiſſimis limitibus adſtricta erat; oblata ab illis ſacrificia exiguæ erant virtutis, valebantque tantummodo Legales exterioresque ſordes abluere. Nihil ejusmodi vitii in Jeſu Chriſto, cui oppoſitæ incommodis hiſce laudes, omnibus abſolutæ numeris, conveniebant. Porrò novum Fœdus talis Pontifex decebat.

℣. 27. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Quæ pro delictis ſuis ſacrificia cæteris Iſraëlitis a Lege imperabantur, eadem pariter pro Sacerdotibus ſtatuta erant. Aaron ejusque Filii easdem pati ſordes poterant, quas laici; adeoque Sacerdotibus pariter eadem, quæ Laicis, expiatio neceſſaria erat (o). Præterea ſolemnis expiationis die Summus Sacerdos pro ſuis ac familiæ iiſdem ſuæ peccatis ſacra faciebat (p): quamquam autem iiſdem Legis expiationibus iiſdemque peccatis, æquè ac cæteri Iſraëlitæ, Sacerdos ipſe obnoxius eſſet, expiato tamen illi pro ſuis, fas erat & reliquos expiare.

At Jeſus Chriſtus non uno nomine Sacerdotem Legis longiſſimè ſuperat. Primò, quòd nullius unquam peccati maculâ inquinatus fuerit, adeoque nullâ ejus eluendæ neceſſitate laboraverit. Secundò, quòd Aaron nec ſibi nec reliquis vi legalis ſacrificii quidquam procurare poſſet, niſi externam quamdam munditiem & ſanctitatem; Chriſtus verò nullius expiationis indigens, ſanguinis ſui virtute & reconciliationem cum Patre & meritum ſalutis æternæ nobis comparavit: *Hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo.* Tertiò, Aaroni ſæpè iteranda fuerunt ſacrificia & expiationes; cùm enim illa virtutis eſſent exiguæ, in præterita tantummodo, non in futura valebant; at Chriſti ſacrificium virtutis eſt infinitæ, ejusque pretium omnia, quotquot in Mundo ſunt, peccata, præterita, præſentia, futura redimit.

Cùm autem Apoſtolus, docens, Aaronem Sacrificia *quotidie* obtuliſſe, ideſt quoties poſtulabat neceſſitas, Sacrificia, inquam, feciſſe priùs *pro ſuis delictis, deinde pro populi*, addit de Chriſto. *Hoc ſemel fecit, ſeipſum offerendo*, cave credas deſignare, Chriſtum mortem prius pro ſuis, deinde pro hominum peccatis pertuliſſe; is enim error Socini fuit, a quo non multum Grotius hîc recedit. Scimus enim, Chriſtum nullum unquam peccatum admiſiſſe (q): *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Docet igitur, Chri-

(i) Τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ. *Quidam Latini Codd. mſſ. & impreſſi: Accedens per ſemetipſum. Ita Sixti V Edit. & alia non pauca. Vide Brug. & Bukentop.*
(k) Εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. *Quid.* Ὑπερεντυγχάνειν αὐτῶν, *Pro ipſis. Clarom. & S. Germ. & alii plures. Vide Mill.* (l) *Vide Gregor. l. 22 Moral. c. 25; Rupert. l. 9 de Divin. Officiis; D. Thom. hic.* (m) *Nazianz. orat. 4 de Theologiâ; Greg. in Pſal. v Pœnitential. Aug. in Pſal. xxix; alii, ut Ribec. Ed. Cornel. a Lapide, Tena, &c.*
(n) *Joan. xiv, 13; Rom. viii, 34: Qui etiam interpellat pro nobis.*
(o) *Levit. ix, 3, 7.* (p) *Levit. xvi, 6, 17.* (q) *1 Petri, ii, 22; Iſai. liii, 9.*

℣. 28. Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: ſermo autem jurisjurandi, qui poſt Legem eſt, Filium in æternum perfectum.

COMMENTARIUS.

Chriſtum ſemel ſe pro tollendis peccatis noſtris obtuliſſe, eorumque criminum pœnam in ſe ſuſcipere, ut Patris juſtitiæ ſatisfaceret, voluiſſe.

Denique cùm ait, obtuliſſe *ſemetipſum ſemel*, ſacrificia Eccleſiæ Chriſtianæ non excludit, quemadmodum nec Sacerdotio Chriſti Sacerdotium Chriſtianorum extruditur. Sacerdotes noſtri vicariam Summo Sacerdoti operam præſtant, a quo & poteſtatem mutuantur, & cujus munera exercent. Sacrificium noſtrum unum idemque eſt cum illo, quod in Cruce oblatum eſt; iteratur enim illud quotidie, ſed citra ſanguinem, in Aris Chriſtianorum; cùm illud, quod in Cruce peractum fuit, cruentam hoſtiam habuerit. In ſacrificio Altaris Chriſtus reipsâ per ſe præſens eſt ſub panis ac vini ſpeciebus latens; aderat præſens & Sacrificio Crucis, in quo conſpicuâ immolatione omnium hominum peccata expiabat. Hic merita mortis Chriſti nobis applicantur; in Cruce meritum illud comparatum fuit. In utroque idem eſt ſacrificium, in Calvario peractum, in Altari reipsâ expreſſum (r): *Chriſtus reliquit nobis Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejusque memoria in finem usque ſæculi permaneret.*

℣. 28. LEX HOMINES CONSTITUIT SACERDOTES, INFIRMITATEM HABENTES. Aaronicum Sacerdotium Lex Moſaica in hominibus imbecillibus ac mortalibus inſtituit: Verbum Dei, diù ante rogatam Legem prolatum, ore Davidis in Pſalmo CIX, additâ jurisjurandi religione, Sacerdotium æternum ſecundùm ordinem Melchiſedechi conſtituit; eſt autem Pontifex Chriſtus Jeſus, Filius Dei, Sanctus, *perfectus* (s), æternus, immortalis. Expendit hic Apoſtolus, & meritò, Pontificem hunc *poſt Legem* prædictum fuiſſe, ut inde neceſſariâ planè conſecutione ſacrificii legalis abrogatio colligeretur. Etenim ſi perpetua ſacrificii hujus diuturnitas futura erat, Davidis oraculum mendax & vanum eſſet. Docet, Dei verbo conſtitutum eſſe *filium Sacerdotem æternum*; id eſt, prædici futurum, ut Sacerdos æternus ſit. Familiari Scripturæ locutione Prophetæ agere & exequi dicuntur, cùm aliquid tantummodo nunciant vel minitantur. Ita Dominus mandat Iſaiæ (t), ut *cor* Iſraëlitarum *obduret, aures aggravet, & oculos claudat*; id eſt, prædicat futuram Iſraëlitarum pertinaciam, cæcitatem, ſurditatem.

CAPUT VIII.

Dignitas Sacerdotii Chriſti ſupra Aaronicum, quòd Chriſtus Sacerdotium in Cœlis gerat. Chriſtus miniſter eſt fœderis multò quàm vetus perfectioris. Vaticinium de novo fœdere, ex quo veteris abrogatio colligitur.

℣. 1. CApitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dexterâ ſedis Magnitudinis in Cœlis.

℣. 2. Sanctorum Miniſter, & Tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CAPITULUM AUTEM SUPER EA, QUÆ DICUNTUR (a); quæ hactenus dicta ſunt, rediguntur ad hoc; en epilogum eorum, quæ hactenus diſputata ſunt: Sacerdotium Aaronicum exercetur in terrâ; Chriſtus ſuum in Cœlis obit. Aliter (b): Sed ecce ſumma & corona dictorum, Ex omnibus Sacerdotii Novi fœderis laudibus hæc maxima eſt: Chriſtus vel in ipſo Cœlo Sacerdotium ſuum gerit, cui Cœlum perinde eſt ac Summo Legis Sacerdoti Sanctuarium. Cœlum Chriſtus penetravit, ut illud nobis reſeraret, & neceſſaria nobis auxilia a Patre Cœleſti impetraret. Vide ſupra, VII, 25; & *Rom.* VIII, 34, 35.

℣. 2. SANCTORUM MINISTER (c) ET TABERNACULI VERI. Aaron Miniſtrum Sanctuarii, & Tabernaculi a Moyſe erecti agebat; ejusque ſucceſſores Templo Salomonis ſerviebant; Tabernaculum autem & Templum opera manuum hominum erant, caduca & peritura. Chriſtus, Summus noſter Sacerdos, ſacrum miniſterium præſtat in Cœlo, quod eſt *Tabernaculum verum, quod fixit Dominus, & non homo*. Sunt qui (d) *miniſtrum Sanctorum* de miniſtro Fidelium uſurpent; alii verò (e) *verum Tabernaculum* explicant Humanita-

(r) *Concil. Trident. ſeſſ.* 22, *cap.* 1; *Theodoret. ad cap.* VIII, ℣. 4. *Ep. ad Hebr.* Δῆλον τοῖς τὰ θεῖα πεπαιδευμένοις, ὡς οὐκ ἄλλην τινὰ θυσίαν προσφέρομεν, ἀλλὰ τῆς μίας ἐκείνης, καὶ σωτηρίου τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν. (s) Τετελειωμένον. *Grot. Ita perfectus, ut nec morti, nec ullis adverſis ſubjaceat. Men. Non infirmitatem habentem, ut Levitici Sacerdotes. Pag. Piſc. Jun. Jac. Capell. Sanctificatum, & Sacerdotio legitimè perfunctum. Theodoret.* Τέλειον δὲ ἐνταῦθα τὸν ἀθάνατον λέγει. (t) *Iſai.* VI, 10.

(a) Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, *In ſummâ, ſummatim dicere, recapitulare.*

(b) *Chryſ. hic, homil.* 13: Κεφάλαιον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. Κεφάλαιον ἀεὶ τὸ μέγιστον λέγεται. *Theodoret.* Τὴν μεγίστην τιμὴν τελευταίαν κατέλιπε. *Grot. Riber. Jun. Piſc. Quod caput eſt, & præcipuum.* (c) Τῶν ἁγίων λειτουργὸς, *Sacrificulus Sanctorum; ideſt, Templi, vel Sanctuarii, quæ dicuntur Sancta. Pſ.* CI, 19; CL, 1; *Eccle.* IV, 14; *Heb.* IX, 12. *Ita Theophyl. & alii plerique.*

(d) *Chryſoſt. Quidam apud Theophyl.* Τινὲς δὲ τὸ λειτουργὸς τῶν ἁγίων, ὅτως ἐνόησαν, ἀντὶ τοῦ, τῶν ἡγιασμένων ὑπ' αὐτοῦ ἀνθρώπων. (e) *Jun. Para. Piſc. Gomar.*

℣. 3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid quod offerat.

℣. 4. Si ergò eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos; cùm eſſent qui offerrent ſecundùm Legem munera,

℣. 5. Qui exemplari, & umbræ deſerviunt cœleſtium; ſicut reſponſum eſt Moyſi, cùm conſummaret Tabernaculum: Vide (inquit), omnia facito ſecundùm exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.

COMMENTARIUS.

tatem Chriſti, in quâ, tamquam in Templo, Divinitas reſidebat, & cum qua in Cœlum ſe contulit, ut Sacerdotio ſuo æterno ibi fungeretur. Sed prior explicatio genuina. Confert Apoſtolus Tabernaculum Cœli cum Moſaico, illudque verum Tabernaculum appellat, oppoſitum iſti, quod nonniſi typicum erat.

℣. 3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias. Commune id eſt Sacerdotibus quibusque vel Ethnicis. Quid eâ in re præſtarent Aaron ejusque filii, ex Moyſe intelligimus. Apoſtolo autem narrante infra, IX, 12, diſcimus, quas victimas & oblationes, ſe ipſum nempe, vitam & ſanguinem ſuum, Chriſtus offerat. Ut igitur Sacerdotis nomen jure acquireret, id exigebatur, ut Altiſſimo offerre aliquid poſſet: cujus rei gratiâ caro aſſumenda illi fuit, ut vitam & ſanguinem ſuum offerret. Ut autem Sacerdotium ſuum, ſeu potiùs ſacrificii oblationem perpetuam faceret, conſtituit in Eccleſiâ Corporis Sanguinisque ſui Sacrificium (f), quod in terris manu Sacerdotum offert, ſimul autem & in Cœlis ipſe per ſe in expiationem criminum noſtrorum exhibet.

℣. 4. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos (g); cùm ibi alii eſſent Sacerdotes, qui convenientia Numini ſacrificia & oblationes darent. Igitur aſcendere debuit in Cœlum, & penetrare in Sanctuarium illud non manufactum, ut Sacerdotii novi æternique munus impleret. Satis Sacerdotum in terris erat: deerat nobis in Cœlo Sacerdos (h). Duplex Sacerdotium eſſe in terris nequit. Chriſtus, in terris manens, Sacerdotis munus agere nequiviſſet, quod Aaronis filii in Templo Jeroſolymitano ſibi jure poſſeſſionis vindicabant. Ex hac igitur vitâ decedendum illi fuit, & pergendum in Cœlum, ut ceſſante Legis Sacerdotio, ſuum ſubſtitueret (i). Porrò ſacrum iſtud munus exercere in terrâ cœpit per ſacrificium, quod in Cruce peregit; inceptumque proſequitur in Cœlo & in Eccleſiâ Chriſtianâ, ubi archetypus figuræ ſucceſſit, Corpore & Sanguine Dei Hominis loco agnorum, arietum, & taurorum oblato.

℣. 5. Qui exemplari et umbræ deserviunt coelestium; cujus miniſter figuris & umbris rerum cœleſtium occupatur. E genere Aaronis Sacerdotes famulatum præſtabant in Tabernaculo, ſive in Templo Jeroſolymitano, quod Templum cœleſte per typum & imaginem exprimebat. Quæ hîc habet Apoſtolus, Joſepho pariter & Philoni non ignorantur, quorum ætate ſingula Templi membra perſimili allegoriâ explicabantur. Tres in partes, ait Joſephus (k), Tabernaculum diſtribuebatur; Veſtibulum, Sanctum, & Sanctuarium: duobus primis ſignificabantur terra & mare, quæ Deus in uſum hominum reliquit; Sanctuario Cœlum, hominibus inacceſſum. Panes duodecim in aureâ menſâ diſpoſiti figura erant duodecim anni menſium: ſeptem rami ſeu lampades candelabri, ſeptem Planetarum typus: colores quatuor, velamina Tabernaculi diſtinguentes, umbra erant quatuor elementorum, aëris, terræ, aquæ, ignis. Hujusmodi allegorias paſſim apud Philonem reperias.

Igitur non ignoto Hebræis ſermone utitur hîc Apoſtolus, aſſuetisque auribus exhibet, Tabernaculum corporeum & Sacrificia typos fuiſſe æterni Tabernaculi, & terreſtri hoc Sacerdotio cœleſte illud pictâ velut imagine exprimi. Cùm autem ad Neophytos ex Judæis ſermonem haberet, facilè intelligebant illi, Chriſtum ita novi fœderis Summum Sacerdotem eſſe, uti Aaron Sacerdotium fœderis in Sinai jurejurando firmati in terris præſtabat. Unum ſupererat demonſtrandum, Sacerdotium nempe, quod Chriſtus in Cœlo exercet, cùm ſtare non poſſet cum Aaronico in terris, poſtremum hoc removendum fuiſſe, ut alterum induceretur.

Omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Igitur exemplar eſt quoddam Tabernaculi, cujus ad normam Moſaicum conſtructum eſt. Porrò archetypus eſt verum Tabernaculum, & in eo Chriſtus Sacerdotium gerit, cùm Aaron ſacrum munus nonniſi in expreſſo ad ejus normam Tabernaculo exerceat. Scitè animadvertit Philo (l), Legiſlatorem in monte verſantem ſpectaſſe imagines quaſdam ſpiritales molis ſive Tabernaculi conſtruendi, quæ perinde ac rerum futurarum & ſpiritalium typi erant & umbræ. Vide Exodum, XXV, 40. Deus eâ, quam Moyſi in Sinai vertice exhibuit, imagine typum deſcripſit Eccleſiæ, quam Meſſias aliquando ſpiritali quadam & præſtantiori ratione con-

(f) *Eſt. Men. Tir.* (g) *Theophyl.* Διὰ αὐτὸ τοῦτο ἱερεὺς ἐστι, διότι ἐπὶ γῆς τόπον οὐκ ἔχει, εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐκ ἂν ἦν ἱερεύς. (h) *Grot. Riber. Zeger. Men. Tirin.*
(i) *Oecumen.* Εἰ μὴ ἐτεθνήκει, μᾶλλον ἐγερθεὶς ἀνελήφθη, οὐκ ἂν ἦν ἱερεύς.
(k) *Joſeph. Antiq. l. 3, c. 9:* Ἕκαστα γὰρ τούτων εἰς ἀπομίμησιν, καὶ διατύπωσιν τῶν ὅλων . . . τήν τε γὰρ σκηνὴν νείμας εἰς τρία, καὶ δύο μέρη πᾶσιν ἀνεὶς τοῖς ἱερεῦσιν, ὥσπερ βατόν τινα καὶ κοινὸν τόπον, τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν ἀποσημαίνει. Τὴν δὲ τρίτην μοῖραν μόνῳ περιέγραψε τῷ Θεῷ, διὰ τὸ καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνεπίβατον εἶναι ἀνθρώποις. *Vide Philon. plurib. locis, & Buxtorf. Exercit. de Arcâ, c. 6; & Hebr. IX, 6, 7, & ſeq. & X, 11, &c.*
(l) *Philo, de vitâ Moſis:* Σκηνὴν ἔργον ἱερώτατον δημιουργεῖν ἔδοξεν, ἧς τὴν κατασκευὴν θεσφάτοις λόγοις ἐπὶ τοῦ ὄρους Μωϋσῆς ἀνεδιδάσκετο, τῶν μελλόντων ἀποτελεῖσθαι σωμάτων ἀσωμάτους ἰδέας τῇ ψυχῇ θεωρῶν, πρὸς ἃς ἔδει, καθάπερ ἀπ' ἀρχετύπου γραφῆς καὶ νοητῶν παραδειγμάτων αἰσθητὰ μιμήματα ἀπεικονισθῆναι.

℣. 6. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.

℣. 7. Nam ſi illud prius culpâ vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.

℣. 8. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël, & ſuper domum Juda, teſtamentum novum;

℣. 9. Non ſecundùm teſtamentum quod feci cum patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terrâ Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo; & ego neglexi eos, dicit Dominus:

℣. 10. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus. Dando Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum:

COMMENTARIUS.

conſtituturus erat (m). Porrò Eccleſiæ hæc, Sacerdotium Chriſti, ejuſque Sacrificium jam inde a mundi exordio exiſtebant, eorumque ſpecimen & umbra Moyſi in monte verſanti oblatum fuit. Typum etiam eorum Hebræi in ipſo Tabernaculo nacti ſunt; ſed rem totam nobis Chriſtus in terras veniens, ac præſertim poſt Aſcenſionem in Cœlum nobis aperuit, ipsâ rituum, Templi, & Sacerdotii Judaici abrogatione.

℣. 6. Nunc autem melius sortitus est ministerium; eo melius ſcilicet & auguſtius miniſterium & Sacerdotium Chriſto demandatum eſt, quo melioris fœderis ipſe eſt Conciliator. Sacerdotii ac muneris dignitas ex dignitate rei, quam adminiſtrat, petitur. Sacerdotio & munere Chriſti ſpectetur æternum quoddam Sacerdotium, dignitatis planè infinitæ, fœdus novum perpetuò duraturum, quod indiſſolubili nexu Deum jungit & homines. Igitur Chriſti Sacerdotium, ejuſque munus Conciliatoris longè ſuperant Moyſis & Aaronis miniſterium; cùm geſtum ab Aarone Sacerdotii miniſterium breve fuerit & inane; & quod Moyſes geſſit Mediatoris munus, intra fines Legis Judæis latæ totum contineretur; Legis, inquam, cujus ritus antiquandi erant, ut Evangelium ſuccederet.

℣. 7. Nam si illud prius culpa vacavit, Si initum cum Iſraëlitis in monte Sinai fœdus, quo ſimul Lex lata eſt, ſi fœdus, inquam, iſtud omnibus planè numeris abſolutum fuiſſet, atque inſtituere ad ſanctitatem homines per ſe unum valuiſſet (n), ita ut nihil amplius poſtularetur, *non utique ſecundi* fœderis ſanctioris & dignioris *locus quæreretur*.

℣. 8. Vituperans (o) enim eos, dicit Dominus: Et consummabo super domum Israel.... Testamentum novum; vituperans ſcilicet Deus illos, qui Moſaicam Legem accepere; & prioris fœderis participes erant: Fiet tandem, ait, ut novum ego fœdus cum Iſraële componam, ab eo, quod cum majoribus eorum in deſerto ſancivi, planè diverſum. Fidem, cui ſe obſtrinxerant, violarunt, *& ego neglexi eos*, contempſi (p), abjeci, deſerui, *dicit Dominus*. Fœdus antiquum fregi, abolui, & novum ſubſtitui. Locus Jeremiæ (q), quem hîc affert Apoſtolus, disertè adeo rituum & Sacerdotii Legis abrogationem exprimit, ut nihil addendum ſit. En duas leges, & duo fœdera probè expreſſa, & inter ſe diſtincta, quæque ſimul non exiſtunt, ſed mutuò ſuccedunt. Primum Fœdus Hebræis peculiare eſt, alterum ad homines univerſos pertinet: primum erat imperfectum, & certo tempore duraturum; alterum perfectum ſimul & perpetuum (r).

℣. 10. Hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel, cum Juda ſimul conjunctæ, idest, cum populo meo univerſo. Nomen Iſraël deſignare etiam Gentiles, & Juda Judæos (s) poteſt; ut hoc oraculo, quàm latè patet, novum fœdus reſpiciatur. Salus lætumque de adventu Meſſiæ nuncium ad Judæos primùm allatum eſt; inter Judæos ſancitum eſt novum fœdus, & Servatoris ſanguine confirmatum obſignatumque. Primi omnium in fœdus admiſſi ſunt Judæi homines, primique ipſi Fœderis miniſtri fuere; at arcano Dei, qui novi hujus Fœderis author eſt, propoſito ad omnes terrarum populos Fœdus ipſum prorogandum erat. *Euntes*, inquit Chriſtus (t), *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.*

Post dies illos... dando leges meas in mentem eorum. Sunt (u) qui cenſeant, ſpectatum hîc a Jeremia præcipuè fœdus, quod Eſdras & Nehemias Dei nomine cum populo mox e captivi-

(m) *Vide Bedam, Anſelm. Men. Tir. Eſt. &c.*

(n) *Chryſoſt.* Εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη ἦν ἄμεμπτος. Τουτέστιν εἰ οὐδὲν ἦν ἐλλιπές, εἰ ἄμεμπτος ἐποίει. *Theodoret.* Τὸ ἄμεμπτος, ἀντὶ τοῦ τέλεια τέθεικε, τουτέστι ἀπεχρῶσα πρὸς τελειότητα, ἀμέμπτους τοὺς χρωμένους ἐργαζομένη. *Vide Eſt. Riber. &c.* (o) Μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς. *Incuſans, vituperans, reprehendens.* (p) Κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. *Heb.* ואנכי בעלתי בם Et ego deſponſavi eos, dominatus ſum in eis, dolui propter eos. (q) *Jerem.* XXXI, 31, *juxta* 70.

(r) *Juſtin. Dialog. cum Tryphone*: Παλαιὸς ἤδη νόμος, καὶ ὑμῶν μόνων. Ὁ δὲ πάντων ἁπλῶς. Νόμος δὲ κατὰ νόμου τεθεὶς τὸν πρὸ αὐτοῦ ἔπαυσε. Καὶ διαθήκη μετέπειτα γενομένη, τὴν προτέραν ὁμοίως ἔστησεν. Αἰώνιός τε ἡμῖν νόμος καὶ τελευταῖος ὁ Χριστὸς ἐδόθη, καὶ ἡ διαθήκη πιστή, μεθ' ἣν οὐ νόμος, οὐ πρόσταγμα, &c. (s) *Vide Eraſm. Eſt. Riber. hic, Hieronym. in Jerem.* XXXI.

(t) *Matt.* XXVIII. (u) *Grot. & alii apud Eſt. hic.*

℣. 11. Et non docebit unusquisque proximum ſuum, & unusquisque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum; quoniam omnes ſcient me a minore usque ad majorem eorum:

℣. 12. Quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non memorabor.

℣. 13. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.

COMMENTARIUS.

ptivitate reverſo inſtauravere (x): at negari nequit, illum ſublimiore & veriore ſenſu innuere voluiſſe fœdus, a Meſſia cum univerſis gentibus ſciendum. In Eccleſiâ denique Chriſtianâ expletum abſolutè eſt Prophetæ vaticinium: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me a minimo usque ad maximum eorum, &c.* Nihil ſcripto reliquit Chriſtus (y); ejus inſtitutiones ex ore loquentis acceperunt Apoſtoli: ſuum ipſe ad eos Spiritum miſit, qui & Legem mentibus illorum inſculpſit (z): hic porrò Spiritus nedum in Apoſtolos effuſus eſt, verùm etiam in Fideles latè univerſos, cujuslibet ætatis & conditionis (a), quippe qui illos exterioribus & interioribus donis cumulavit. Nihil tale oſtendere poſſunt in gente ſuâ Judæi quovis tempore poſt Jeremiam. Quicquid igitur hic Propheta pollicetur Dei nomine Iſraëli & Judæ, ad Chriſtianæ Religionis inſtitutionem referendum eſt.

℣. 11. NON DOCEBIT UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM (b). Ex his colligunt fanatici, in Novâ Lege opus eſſe, ut quisque mentis ſuæ impulſum ſequatur, ſpretis Miniſtrorum & Eccleſiæ Præſulum inſtitutionibus, cùm inutile ſit iſtorum regimen. Cenſuere Patres nonnulli (c), hoc vaticinium abſolutè impletum iri in cœlis, ubi divinâ luce unusquisque perfuſus, perſpicuâ Dei viſione fruetur. Cenſent alii, explicanda hæc eſſe de primævis Fidelibus, nullo negotio ad Chriſtum converſis, qui ſub Chriſtianæ Religionis exordia uberibus ab eo divini luminis & gratiæ donis cumulati ſunt, ut quivis facilè intelligeret, illorum mentes a Deo ipſo illuſtrari, animosque validiſſimis gratiæ viribus pertrahi. Quamobrem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens ajebat (d): *In omnibus divites facti eſtis in Chriſto Jeſu, in omni verbo & in omni ſcientiâ, ita ut nihil vobis deſit in omni gratiâ.* Et Joannes Apoſtolus (e): *Vos unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem. Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus.* Et Paulus (f): *De charitate fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem.*

Alii (g) ita explicant: Ante Meſſiam, & ſub Moyſis Lege, veri Dei & Religionis cognitio penès Judæos tantùm erat; atque ex his ipſis perpauci Legem Divinam abſolutiſſimè noverant & exequebantur, pauci nimirum Sacerdotes ac Prophetæ. At ſub Lege Novâ Dei cognitio ad univerſas gentes manavit; Evangelii lucem exceperunt innumeri; Fidelium deſpectiſſimi myſteria Religionis, vaticiniorum explicationem, notas Meſſiæ, viam ſalutis magis callent, quàm qui in veteri Lege eruditiſſimi habebantur. In Eccleſiâ Chriſtianâ, ab ipſo illius exordio ad noſtram usque ætatem, major ſemper fuit ſanctitas, virtus, Divinæ Legis cognitio, & præceptorum obſervatio, quàm olim unquam in Synagogâ fuerit.

Habes jam plura, quàm quæ ad explendam Propheticæ ſententiæ fidem requirantur. Neque ea ex mero verborum ſono accipienda eſt, quippe quæ hyperbolicum quiddam ſonat (h), deque novâ Lege loquitur tamquam eam veteri comparatâ. Cave etiam putes, omnes qui Chriſtianorum appellationem gerunt, ab Apoſtolo ſignificari. Quamplures enim ſunt per ſchiſma & hæreſim ab Eccleſiâ ſejuncti; alii verò exteriorem dumtaxat cum eâ communionem profitentur, ceu membra putrida & mortua. Hos porrò Divinam Legem mente animoque inſculptam geſtare, aut his non opus fore Legem cæteros docere non dicitur. Intelligenda igitur eſt Prophetæ ſententia de veris Chriſtianis, de hominibus Divino Spiritu plenis, de filiis promiſſionum novique Fœderis (i). Eodem ſenſu accipienda ſunt illa Iſaiæ (k): *Ponam univerſos filios tuos doctos a Domino.* Et alibi (l): *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes.*

℣. 12. QUIA PROPITIUS ERO INIQUITATIBUS EORUM. In Novâ Lege abſolutiſſima eſt peccatorum venia per Sacramenta, quæ Dei Filius in hominum ſanctificationem inſtituit. Lex vetus ſuia onius viribus maculas tantùm ipſius ſanctione inductas eluebat. Veniam illa quidem afferebat, at ex comparatione animi eorum, qui eos ritus celebrarent, & ſacra facerent: Novo in Fœdere Sacramenta ipſa ſalutem & ſanctitatem peragunt. Privata animorum præparatio ſanctitati ſervit, non tamquam cauſa præcipua, ſed uti removens impedimenta, quæ hominis vitio efficientiam Sacramentorum inanem efficiunt.

℣. 13. DICENDO NOVUM, VETERAVIT PRIUS (m), antiquavit. Non ſemel animadvertimus, vulgarem eſſe Hebræorum locutionem, fieri a Prophetis id quod ab ipſis prædicitur. Vaticinans Jeremias, antiquatum iri Legem Moſaicam, quodammodo abolevit, antiquavit. Hoc porrò indicium eſt, quàm certa ſit Propheticorum oraculorum fides. Si æterna eſſet Lex, minimè antiquari poſſet; ſi corruptionis expers, non ceſſaret.

(x) 2 *Eſdr.* IX. 37, 38; X, 1, *& ſeq.*
(y) *Chryſoſt. Theophyl.* (z) 2 *Cor.* III, 3: *Non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*
(a) *Vide Joan.* XIV, 2, 27. 26; XV, 26; XVI, 13: 1 *Joan.* II, 27; *Ezech.* XXXVI, 26; *Joël*, II, 28; *Act.* II, 1, 2, 3. *&c.* (b) Τὸν πλησίον αὐτοῦ. *Alii*: Τὸν πολίτην: *Civem ſuum. Ita Alex. & Clar. G. L. Germ. G. L. alii plures.* (c) *Aug. de ſpiritu, & litt. c.* 24, 25; *Primaſ. Anſelm. Cajet. D. Thom. Theodoret.* Τοῦτο δὲ οὐ κατὰ τὸν παρόντα βίον γεγένηται, ἀλλὰ κατ' ἐκεῖνον γενήσεται. (d) 1 *Cor.* I, 5. (e) 1 *Joan.* II, 22, 27. (f) 1 *Theſſal.* IV, 9.
(g) *Vide Riber. Eſt. Jun. &c.* (h) *Vide Riber. Grot. alios.* (i) *Vide Eſt. hic.*
(k) *Iſai.* LIV, 13; *Joan.* VI, 45. (l) *Iſai.* XI, 9. (m) Πεπαλαίωκε.

CAPUT IX.

Veteris Legis ritus cum ritibus Novæ Legis collati. Illius imbecillitas, hujus perfectio. Quid ſignificaverint Sanctuarium & Sanctum Sanctorum. Chriſtus Jeſus in Cœlorum Sanctuarium ingreſſus. Idem ipse eſt victima, cujus cruor in iſtud Sanctuarium illatus eſt. Iterum venturus eſt absque criminum noſtrorum ſarcinâ.

℣. 1. HAbuit quidem & prius juſtificationes culturæ, & Sanctum ſæculare.

℣. 2. Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erat candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta.

℣. 3 Poſt velamentum autem ſecundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum;

COMMENTARIUS.

℣. 1. HAbuit et prius justificationes culturæ (a), divini cultûs leges. Poſtquam docuit, antiquanda fuiſſe Aaronicum Sacerdotium vetusque Fœdus, oſtendit, ceſſaturum pariter fuiſſe Tabernaculum, ritusque in Templo celebratos minimè perſeveraturos. *Prius fœdus* (b) ſanctiones habebat de cultu Dei agentes: nemo inficias iverit: at ii ritus eæque ſanctiones ſymbolum dumtaxat erant rerum in Novo fœdere ſpectandarum.

Et Sanctum sæculare. Ad verbum (c): *Sanctum mundanum*, ſcilicet, ex Theodoreto, imaginem mundi totius referens. *Sanctum* non ſtrictè & propriè uſurpat pro Sancto Sanctorum, ſed latiùs pro Templo, Sanctum & Sanctuarium complectente. Sancto, inquit idem, ſignificatur vita, quæ ab homine in terris geritur; Sancto Sanctorum altera in Cœlis agenda. S. Chryſoſtomo ac Theophylacto (d) *Sanctum ſæculare* ſeu *mundanum* eſt ea Templi pars, in quam aditus populo externisque permittebatur; atrium ſcilicet populi, & atrium gentium. Alii (e) probabiliùs & ad mentem Apoſtoli propiùs explicant de Sancto & Sanctuario Tabernaculi, ſive Templi Jeroſolymitani, quod *mundanum* dicitur, vel quia nonniſi ad certum usque tempus in mundo futurum erat, vel quia figura erat & imago cœleſtis æternique Tabernaculi, cujus Sacerdos Chriſtus. Eâdem mente alibi (f) Moſaicam Legem Apoſtolus nuncupat *mundi elementa*. Et alibi (g), rerum terrenarum cupiditatem appellat *ſæcularia deſideria*, ubi cœleſtium rerum deſiderio opponitur.

℣. 2. Tabernaculum enim factum est primum, &c. Ut Apoſtoli mentem probè teneas, Tabernaculum a Moyſe in ſolitudine erectum animo concipe. Hoc porrò compendium erat Templi, quod deinde conditum eſt Jeroſolymis; complectebatur autem atrium, intra quod admittebatur populus, niſi labe aliquâ prohiberetur. In atrio altare holocauſtorum erat, in quo cremabantur victimæ, fiebantque pania, vini, cæterarumque rerum oblationes. Hoc atrium ab Apoſtolo hîc non deſignatur, uti quidem mihi videtur, non item compluribus, qui *ſanctum ſæculare* hoc ipſum atrium interpretantur. In imo atrio ſurgebat Fœderis tentorium, ſeu Tabernaculum, ex partibus præcipuis duabus conſtans: *Sancto*, & *Sanctuario*, ſeu *Sancto Sanctorum*. In Templo Salomonico atrium erat Levitarum, aliud ab atrio populi, & veſtibulum ante Sanctum: at in Moſaico Tabernaculo duo hæc loca deerant; quare ab Apoſtolo filentur.

Continebantur Sancto, ut hîc ſcribit Apoſtolus, 1, candelabrum aureum ſepticeps ad meridiem; 2, altare aureum, ſive altare thymiamatum, ad ſeptemtrionem; 3, altare panum propoſitionis, qui coram Domino ſtatuebantur. Candelabrum aureum in ramos ſeptem diſtribuebatur: ſingulis ramis ſingulæ lucernæ erant impoſitæ, quæ ſingulis diebus accendebantur veſpere, mane extinguebantur. Altare thymiamatum ex auro conſtabat, & ſinguli Sacerdotes in ſingulas hebdomades ſorte educti ſingulis diebus bis in Sanctum ingreſſi, mane & veſpere thymiama offerebant in ignitabulo ſeu thuribulo, quod in altari relinquebatur; denique menſa panum propoſitionis protecta erat laminis aureis; eique imponebantur ſingulis ſabbathis panes duodecim, gemini in acervos diſtributi; quibus totâ hebdomade ibi relictis, ac denique ſabbatho remotis, alii recentes inferebantur. Iſta fuſiùs in Exodo legas.

℣. 3. Post velamentum autem secundum; primum quippe velum, de quo nihil Apoſtolus, qui noverat, moris eſſe Hebræorum, ad quos ſcribebat, omiſſa in oratione ſupplere, ubi de rebus ſatis perſpectis ageretur; primum, inquam, velum in ipſo Sancti aditu expandebatur, Templumque ab atrio ſejungebat, prohibebatque, ne po-

(a) Δικαιώματα λατρείας. *Theophyl.* Τουτέστι σύμβολα, ἢ θέσμοι, καὶ νομοθεσίαι: *Symbola, inſtituta, legislationes.* *Theodoret.* Δικαιώματα λατρείας, τὰς ἐντολὰς οὕτως ἐκάλεσε, καθὼς τὴν θείαν ἐκέλευσε λατρείαν. (b) Εἶχε μὲν οὖν, καὶ ἡ πρώτη σκηνή, primum Tabernaculum. Veteres tamen Libri complures ferunt ſolummodo ἡ πρώτη, omiſſo σκηνή. *Alex. Clarom. G. L. S. Germ. G. L. alii plures.* Alii Ἡ πρώτη διαθήκη. *Ita Arab. Æthiop. Barb. 1. Ita explicant Phot. & Chryſ. hic:* Ἡ πρώτη τίς; ἡ διαθήκη. (c) Τότε ἅγιον κοσμικόν. *Theodoret.* Τὴν σκηνὴν οὕτως ἐκάλεσε, τύπον ἐπέχουσαν τοῦ κόσμου παντός. *Ita Grot. Riber.*
(d) *Chryſ. Theophyl.* Κοσμικὸν αὐτὸ καλεῖ, ἐπειδὴ πᾶσιν ἐφεῖτο ἐπιβαίνειν. καὶ δῆλος ἦν τόπος ἐν τῷ αὐτῷ ὄντων, ἔνθα οἱ Ἰουδαῖοι, οἱ Ναζαραῖοι, οἱ προσήλυτοι, οἱ Ἕλληνες, &c.
(e) *Eſt. Jac. Capell. Bez. Jun. Gemar.* (f) *Galat.* IV, 3. (g) *Tit.* II, 12.

℣. 4. Aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti,

℣. 5. Superque eam erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium. De quibus non eſt modò dicendum per ſingula:

COMMENTARIUS.

populus, ipſique Sacerdotes ac Levitæ Sancti adyta introſpicerent. Alterum ab hoc erat velum, Sanctum a Sanctuario dividens, de quo hîc Apoſtolus.

Ultra alterum hoc velum, patebat *Tabernaculum*, ſive ea Tabernaculi pars, *quæ dicitur Sancta Sanctorum*, ℣. 4, *aureum habens thuribulum, & Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti*. Animadverte, ſermonem hic haberi ab Apoſtolo de Tabernaculo per Moyſem erecto, quale per Moyſis ætatem in ſolitudine ſpectabatur; deinceps enim mutata eſt rerum facies, aliiſque in Templo deinde conſtructo additis, ablata ſunt alia. Arca Fœderis & Legis tabulæ neque inventæ ſunt, neque in Templo collocatæ poſt ſolutam captivitatem (*h*). Nullo etiam argumento diſcimus, urnam cum manna, & Aaronis virgam in Arcâ aut prope Arcam fuiſſe Salomonis ætate (*i*). In Templo Salomonico Sanctum a Sanctuario ſejungebatur pariete, ſolidiſque ex ligno foribus (*k*). Ingens etiam ibi erat veſtibulum ante Sanctum. Nihil tale in Moſaico Tabernaculo. In Salomonia Templo triplex cœnaculorum ordo circa Sanctum ac Sanctuarium regnabat (*l*). Iſta in Tabernaculo deerant. Quamobrem fruſtra laboraveris conciliare varios Scripturæ locos, quorum alii de Tabernaculo, alii de Templo Salomonico, alii de Zorobabelico loquuntur. Tria enim hæc multum inter ſe diſcrepant.

℣. 4. AUREUM HABENS THURIBULUM. Maxima totius Epiſtolæ difficultas in verbis hiſce conſiſtit; atque hic locus fortaſſe præter cæteros dubiam apud Veteres reddidit hujus Epiſtolæ auctoritatem. Nuſquam ſcribit Moyſes, aureum thuribulum in Sanctuario fuiſſe; omninò: at idem tradit (*m*), ſummum Sacerdotem quotannis ſtato ſolemnis expiationis die ingredi conſueviſſe in Sanctuarium cum aureo thuribulo ac thymiamate, quod in ignem injiciebat; neque addit, ipſum ex loco Sancto cum eodem thuribulo rediiſſe; omninò igitur veriſimile eſt, thuribulum in loco Sancto totum annum manſiſſe, a Pontifice nunquam inde remotum, niſi cùm idem alterum eâdem die anno conſequente inferret. Thuribulum, ſive ignitabulum, quod a Pontifice in Sanctuarium inferebatur, aliud erat ad altari thymiamatum intra Sanctum conſtituto, de quo actum eſt membro ſuperiore ſub appellatione *altaris aurei*. Quicquid comminiſcantur Interpretes eruditiſſimi (*n*), Apoſtoli verba nimiùm torſeris, ſi iis ſignificari dixeris, altare thymiamatum ad Sanctuarium pertinuiſſe: *Aureum habens thuribulum*.

ARCAM TESTAMENTI, IN QUA URNA AUREA HABENS MANNA. Arca Fœderis capſa erat ex ligno pretioſiſſimo, laminis aureis tecta, intra quam ceu depoſita conditæ fuerant geminæ Legis tabulæ, & una cum manna, quo paſti fuere in ſolitudine Hebræi. Vide Exodum, XVI, 33, ubi dicitur Moyſes condidiſſe in vaſe quodam gomor mannæ, coram Domino ſervandum, ut rei geſtæ fidem poſteris faceret: *Repone coram Domino ad ſervandum in generationes veſtras*. Cùm Arca nondum confecta eſſet, neque Tabernaculum adhuc erectum, disertè non dicitur manna in Arcâ repoſitum; at iſta Paulus fortaſſe ex majorum narratione didicerat (*o*).

Inerat etiam, teſte Apoſtolo, *virga Aaronis quæ fronduerat*, quo tempore Core cæterique conſpirationis ſocii de Sacerdotio cum Aaronis familiâ diſcepravere (*p*). Prodigioſam virgam Moyſes, Deo jubente, in cœtûs tentorio condidit, ut conflatam adversùs Aaronem ab Iſraëlitis conſpirationem teſtaretur: *Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, ut ſervetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël*.

Videntur omnino urna aurea & virga Aaronis, quas Moyſes in Arcâ repoſuit, ibi fuiſſe ſolo itineris per ſolitudinem tempore, vel ut ſummum uſque ad tranſlatam in Templum Arcam; ac deinde remotæ ex Arcâ, conditæ fuiſſe in Templi ærario, aliove loco rebus ſacris convenienti (*q*); libri quippe Regum (*r*) & Paralipomenon (*s*) tradunt, cùm Arca in Sanctuario collocaretur, *In Arcâ, non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, &c.*

Eruditi quamplures (*t*) cenſent, Pauli verba (*u*) reddi poſſe, *Prope Arcam*, pro, *in Arcâ*; atque urnam cum manna, & Aaroniciam virgam quæ floruit, prope Arcam, non in Arcâ fuiſſe repoſitas. Haud inficior ego, quoſdam eſſe ſacrorum Scriptorum locos, in quibus præpoſitio *in* pro *juxta* uſurpatur: at hic nihil video, cur hujuſmodi explicatio ſit exquirenda. Præterea cùm Apoſtolus eodem vocabulo utatur, ubi ait tabulas Legis intra Arcam fuiſſe conditas, & ubi urnam & virgam ibi fuiſſe ſcribit, videtur omnino idem utrobique ſenſus eſſe intelligendus.

℣. 5. SUPRA EAM ERANT CHERUBIM GLORIÆ (*x*). Arca, uti diximus, capſa erat pretioſa, intra quam Legis tabulæ, fœdus nimirum Dei cum Iſraële, continebantur. Capſæ inerat mobile operculum, veterum more, quales capſæ adhuc toto Oriente cernuntur. Hujuſmodi capſæ clavi non obſerantur, neque ferro nectitur capſæ operculum, ſed funiculis alligatæ ſigillo obſignantur.

Arcæ operculum in Scripturâ dicitur *Propitia-*

(h) Vide noſtram hac de re Diſſertationem ad Libros Maccabæorum. (i) Vide nos in 3 *Reg.* VIII, 9.
(k) 3 *Reg.* VI, 31, 32, 33. (l) 3 *Reg.* VI, 5. 6.
(m) *Levit.* XVI, 12: *Aſſumptoque thuribulo, quod de prunis Altaris impleverit .... ultra velum intrabit in Sancta.* LXX Hebræum המחתה vulgo reddunt πυρεῖον: Joſephus ἐσχάρα. Græca vox θυμιατήριον pro thuribulo etiam uſurpatur. Vide 70 in *Ezech.* VIII, 11: 2 *Par.* XXVI, 19. Heb. מקטרה (n) *Jac. Capell. Grot. Eſt. Riber.* (o) *Theophyl. Eſt. alii.*
(p) *Num.* XVII, 2, 3. *& ſeq.* (q) *Vide Grot. hic.* (r) 3 *Reg.* VIII, 9. (s) 2 *Par.* V, 10.
(t) *Lud. de Dieu, Jac. Capell. Buxtorf. Bochart. Druſ. Gemar. Gerhard. Eſt. Riber. Men. Tir. Anſelm.*
(u) Ἐν ᾗ ςάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης. (x) *Cherubim gloriæ*; ſcilicet micantia, ſplendida, quòd ex auro conſtarent, ac veluti Dei ſedes haberentur.

℣. 6. His verò ita compoſitis, in priori quidem Tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes:

℣. 7. In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia:

℣. 8. Hoc ſignificante Spiritu Sancto nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum.

℣. 9. Quæ parabola eſt temporis inſtantis, juxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem;

COMMENTARIUS.

tiatorium. In extremâ operculi utrâque parte Cherubim unum finxit Moyſes, quæ imagines erant compoſitæ & hieroglyphicæ, alis inſtructæ, quibus erga alterutrum protenſis, quoddam effingebant ſolii genus Divinæ Majeſtati, quæ tanquam inſidens alis Cherubim intelligebatur (y). Iſta aliud portendebant. At allegoricas ſingularum Tabernaculi partium explicationes hîc perſequi negligit Apoſtolus, ac dumtaxat de præſtantiâ Sacerdotii Jeſu Chriſti, veteris fœderis abolitione, & excellentiâ novi ſermonem facit.

℣. 6. In priori quidem Tabernaculo, ſive in priorem Tabernaculi partem, ſcilicet in Sanctum, introibant Sacerdotes bis ſingulis diebus, mane & veſpere, ut thymiama in aureo Altari cremarent. Singuli Sacerdotes ſingulis totis hebdomadibus munus hoc exercebant. Singulis Sabbathis ſorte educebantur, ſibique mutuò ſuccedebant; Sacerdotes quippe per hebdomadas miniſtrabant, totoque miniſterii tempore in Templo, nunquam reviſis laribus, verſabantur. Vide quæ animadvertimus in Lucam (z), cùm de Zacharia patre Joannis Baptiſtæ ageremus.

Sacrificiorum officia consummantes; Sacerdotali munere fungentes. Ita ſonat Græcus (a). Nemo ignorat, nulla intra Sanctum ſacrificia fieri conſuevisse, ſed in atrio & ſub dio, in altari æneo ante Sanctum conſtituto. Unus e Sacerdotibus, hebdomadario munere fungens, ſingulis diebus in ſanctum ingrediebatur, thymiamata in altare aureum inferebat.

℣. 7. In secundo autem, semel in anno solus Pontifex. Uni Pontifici fas erat ſemel quotannis, ſolemnis expiationis die, decimâ menſis Tiñri, *in ſecundum* Tabernaculum, ſive in Sanctum Sanctorum ingredi. Hic illata priùs thymiamata, in aureum thuribulum (b), de quo ℣. 4, injiciebat, deinde mactati vituli cruorem inferebat, intinctoque digito ſepties aſpergebat ex eo cruore inter Arcam & velum, quo Sanctum a Sanctuario dividebatur (c). Egreſſus deinde, ſumptumque hirci mactati ſanguinem inferebat in Sanctuarium, eodemque ritu inter velum & Arcam Fœderis aſpergebat (d).

Cùm itaque dicitur *ſemel* ingreſſus, intellige, uno dumtaxat tempore ac die ingreſſum: at eo die ter ingrediebatur, uti diximus, & ex Levitico, xvi, intelligimus. Moyſes Kotzi, & poſt illum Grotius ajunt, Pontificem quater eâ die introiſſe; idque omnino neceſſe eſt, ſi ponas, Pontificem priùs ingreſſum, ut acciperet aureum thuribulum igne implendum, deinde rurſus inferendum. Nobis tamen probabilius videtur, thuribulum aliud a Pontifice illatum, relatumque aliud anno ſuperiore ibi relictum. Ita ter dumtaxat ingreſſus dicetur.

Quem offert pro sua et populi ignorantia. Quodlibet peccati genus *ignorantiæ* nomine Scriptura non rarò complectitur (e). In Levitico (f), ubi Moyſes fuſiùs iſta deſcribit, ait, Pontificem mactare vitulum & hircum *pro ſuis* populique *peccatis*. Quisquis peccans ignorans eſt & inſanus dum peccat. Si probè noſſet quid ipſe amittat, quid diſcriminis ſubeat, quem peccando provocet, quàm turpe & deforme peccatum ſit, nunquam certè peccaret.

℣. 8. Hoc significante Spiritu sancto, rituum Scripturarumque, quibus docemur, auctore, Deo ipſo Moyſem inſpirante, & illuſtrante mentem Pauli (g), nondum propalatam esse Sanctorum (veri Sanctuarii) viam, cùm nemo, præter Pontificem, in Sanctuarium ingredi auderet. Ante Chriſtum Jeſum clauſæ erant Cœli fores: nemo, niſi poſt Chriſti Reſurrectionem, eò ingreſſus eſt; atque hoc ipſum fortaſſe ſignificatum eſt fracto Sanctuarii velo a ſummo ad imum, quo tempore Chriſtus exſpiravit (h). Poſt id tempus, verum Cœli Sanctuarium patuit. Eò aſcendens Chriſtus, illius aditum Electis omnibus reſeravit. Cenſent nonnulli (i), *Sanctorum viam* hoc loco eſſe Evangelii prædicationem. Ante Chriſtum Jeſum Cœli iter neque patebat, neque agnoſcebatur. Pii viri ſub veteri fœdere iſtud iter divino peculiari lumine agnoſcebant, quippe qui ad novum Fœdus pertinerent. At Lex ſuis unius viribus hoc iter non videbat, neque auxilia huic tenendo neceſſaria ſuppeditabat. Alii denique (k) ita interpretantur. Structo Judaico Tabernaculo, docere voluit Deus, quemadmodum nemini fas erat in Sanctuarium ingredi, dum clauſum eſſet Sanctum, ita Chriſtum Jeſum in Cœlum ingredi non potuiſſe, ut ſuum ibi Sacerdotium exerceret, nobisque illum eò ſequi non licuiſſe, dum Legis Sacerdotium & ritus non antiquarentur.

℣. 9. Quæ parabola (l), imago, est temporis tunc ſive nunc instantis. *Tempus inſtans* eſt tempus præſens: cùm verò Templum, Lex, ritus, Sacerdotium Legis adhuc exiſterent inter Judæos, quo tempore iſta ſcribebat Apoſtolus; cùmque Evangelium ſimul prædicaretur, regnaretque Chriſtus, & Sacerdotium in Cœlo exerceret,

(y) *Vide Exod.* xxv, 18; *Num.* vii, 8, 9; & 1 *Reg.* iv, 4; 2 *Reg.* vi, 2; 4 *Reg.* xix, 15; *Psal.* lxxix, 2; xcviii, 1; *Isai.* xxxvii, 16. (z) *Luc.* i, 8, 9.
(a) Οἱ ἱερεῖς τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες. (b) *Levit.* xvi, 12. (c) *Levit.* xvi, 14. (d) *Ibidem*, ℣. 15.
(e) *Vide Tob.* iii, 3; *Judit*, v, 20; *Eccli.* li, 26; 1 *Macc.* xiii, 39. *Riber. Eſt. Bez. Grot. alii.*
(f) *Levit.* xvi, 3, 4, 5, 11, 12, 30, &c. (g) *Theodoret. Grot.* (h) *Matt.* xxvii, 51.
(i) *Vide Eſt. Grot.* (k) *Vide Eſt. & Lud. de Dieu, Theodoret.* Ἄβατα ἦν τοῖς πολλοῖς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ὡς ἔτι κρατούσης τῆς κατὰ νόμον λατρείας. (l) Ἥτις παραβολή. *Chryſ.* Τύπος, *typus, repræſentatio. Vat. Men. Tirin.*

℣. 10. Solummodò in cibis, & in potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis.

℣. 11. Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, ideſt, non hujus creationis:

℣. 12. Neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventâ.

COMMENTARIUS.

ret, *tempus inſtans* referri poteſt ſive ad Legem ſive ad gratiam, ad Eccleſiam vel ad Synagogam: qua in re diſcrepant Interpretes.

Sunt (m) qui aſſerunt, hoc ab Apoſtolo ſignificari, ipſam Tabernaculi ſtructuram ſymbolum fuiſſe earum rerum, quæ ſub Lege ſervabantur, & ſervanda erant, donec illud abrogaretur. Tabernaculum profectò exemplar fuit Templi Salomonici & Zorobabelici; & ea quæ ſub Moyſe in Tabernaculo agebantur, ſervata ſunt in Iſraële, quamdiù Templum ſtetit. Quæ conſequuntur, huic explicationi favent: *Juxta quam*, quo tempore, *munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem.*

Videtur aliis (n) Apoſtolus conferre Moyſis ætatem cum ſuâ. Moyſe tabernaculum Domini conſtruente, Spiritûs Sancti conſilium fuit, in eo exprimere imaginem earum rerum, quæ nunc uſuveniunt, cùm Chriſtus Jeſus illatus eſt in Cœlum, verum ſcilicet Sanctuarium, quo tempore adhuc Templum ſtat, ibique Sacerdotes munus ſuum funguntur. Quemadmodum Pontifex ingredi in Sanctuarium non poterat, niſi reducto velo, Sanctum dividente; ita Chriſtus Jeſus Sacerdotium ſuum abſolutiſſimè exercere nequit, niſi corruerit Sanctum, quo ſignificatur Synagoga, ritusque antiquentur. Sancto Synagoga, Sanctuario Eccleſia deſignantur; illo Aaronicum, hoc Chriſti Sacerdotium. Alloquens Apoſtolus Judæos, Legis rituum ſtudioſiſſimos, quibus perſuaſum eſſe non poterat, ruiturum æterno exitio Templum, ac penitus antiquatum iri Judaicæ Religionis ritus, iſta illis cautè tradere debuit, ne eos irritaret, omnemque inſtitutionis ſuæ fructum amitteret. Satis tamen innuebat, ruiturum quantociùs Templum, Chriſtumque Sacerdotii ſui munera in Cœleſti Sanctuario abſolutiſſimè non obiturum, niſi Sacerdotio Legis ritibusque antiquatis. Maximè omnium proclivis mihi videtur hæc explicatio, & cum toto Epiſtolæ propoſito maximè conſentanea.

QUÆ NON POSSUNT JUXTA CONSCIENTIAM. Quæ ſuis ipſorum viribus ſuâque virtute purgare nequeunt conſcientiam aut offerentium Sacerdotum, aut populi, pro quo offeruntur. Criminum veniam piis hominibus promerebantur quidem ſacrificia, at vi fidei & charitatis hominum aut pro ſe facientium, aut facienda exhibentium. Meritum omne hujusmodi ſacrificiorum ex fide in venturum Liberatorem, & ex charitate, quacum ea fiebant, proficiſcebatur (o).

℣. 10. SOLUMMODO IN CIBIS ET POTIBUS, &c. Enumeratis obſervationibus in Lege imperatis, ritus & cultum Legis inutiles eſſe demonſtrat. Neque tamen omnes enumerat; preſſiùs agit cum iis, qui rem probè tenebant. Ait igitur, cultum omnem in eo poſitum fuiſſe, ut ſacrificia, oblationes, luſtrationes fierent, rerum quarumdam uſu abſtineres. Quid de carnium abſtinentiâ præceperit Moyſes (p), compertum eſt. Aqua, in quam impurum animal, aut ſordes aliquæ cecidiſſent, cenſebatur impura, nullumque in uſum poterat adhiberi. Vinum cæterique liquores ab externis confecti, vetiti erant Judæis. Sacerdotes quo tempore miniſterium obibant in Templo (q), & Nazaræi, dum illorum religio perſeveraret, vino abſtinebant (r). Quamplura erant lotionum & luſtrationum genera, quibus tergerentur labes aut ultro quæſitæ aut caſu habitæ, relatæque ex impuræ alicujus rei contactu, aut variis caſibus, qui ex naturæ imbecillitate viris fœminisque contingunt (s).

Iſta porrò perſeveratura erant dumtaxat *uſque ad tempus correctionis* Legis, uſque ad Meſſiæ adventum novique fœderis inſtitutionem. Neque ait Apoſtolus, penitus abolitum iri Legem, ſed fuiſſe corrigendam, *uſque ad tempus correctionis*. Ita docuit Chriſtus (t), ſe veniſſe ut Legem perficeret, non deſtrueret. Vitia correxit, abſtulit inutilia, quæ deerant adjecit, ſpiritalem cultum carnali ſubſtituit (u).

℣. 11. CHRISTUS ASSISTENS PONTIFEX (x) FUTURORUM BONORUM. Poſtquam de Tabernaculo Legisque Sacerdotio diſputavit, gradum facit ad Chriſtum Jeſum, Pontificem æternum, cujus munera Aaronicis præſtantiora eſſe demonſtrat. Chriſtum nuncupat *Pontificem futurorum bonorum*, æternorum ſcilicet, ſpiritalium atque cœleſtium, quæ ipſe nobis morte ſuâ & ſanguinis ſui ſacrificio comparavit. *Per amplius & perfectius Tabernaculum... introivit ſemel in Sancta*, in Sanctuarium. Cœlum eſt Sanctuarium; Tabernaculum, per quod, ſive quonam eò ingreſſus eſt, natura eſt humana, quam ille aſſumpſit, & qua indutus illatus eſt in Cœlum, ut locum nobis pararet, pro nobisque intercederet (y). *Tabernaculum non manu factum*. Conſueto hominum more neque natus neque conceptus eſt Chriſtus. Illum divinâ penitus ratione Spiritus Sanctus in Virginis utero effinxit: non vulgaris, *non hujus creationis* eſt; non ab homine, ſed a Spiritu Sancto procreatus.

℣. 12. SED PER PROPRIUM SANGUINEM, novi fœderis ſanguinem, hominum univerſorum causâ in crucis altari profuſum (z), INTROIVIT, nunquo-

(m) *Riber. Eſt. Jun. Tena, Grot. Græc. Complut.* Εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον ἐνεστηκότα. *Alii*; Εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα. *Ita Græc. impreſſ. Chryſ.* Τὸν πρὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ παρουσίας λέγει.

(n) *Vide Jacob. Capell. Grot.* (o) *Galat.* III, 22. *Vide Eſt. hic.*

(p) *Levit.* XI. (q) *Levit.* X, 9. (r) *Num.* VI, 2, 3, *& ſeq.*

(s) *Levit.* XII, XIII, XIV, XV, XVII, XXII; *Num.* XIX. (t) *Matt.* V, 17. (u) *Joan.* IV, 23.

(x) Παραγενόμενος ἀρχιερεύς, *Adveniens*, vel *poſtquam advenit*.

(y) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret.* Τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐκάλεσεν, ἣν ἀνέλαβεν ὁ δεσπότης Χριστός. *Riber. alii.* (z) *Matt.* XXVI, 28; I *Cor.* X, 16; XI, 25.

℣. 13. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis;

℣. 14. Quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?

℣. 15. Et ideò novi Teſtamenti mediator eſt; ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis.

℣. 16 Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris.

COMMENTARIUS.

quotannis, ut Judæorum Pontifex, ſed SEMEL in tempus omne, ÆTERNA REDEMPTIONE nobis INVENTA. Chriſti ſanguis talis non eſt, qualis victimarum quæ in Templo mactantur, quarum ſanguine per ſe non purgantur animi, ſed toties iteranda luſtratio eſt, quoties quis peccaverit. Parta per Chriſtum expiatio vim ſuam profert in ipſâ æternitate, cujus aditum ipſa reſerat. Omnes ille mentium noſtrarum ſordes abluit, gratiam largitur, juſtitiam, innocentiam, æternâque morte nos liberat.

Poſſumus certè acceptam gratiam amittere, futuraque crimina Baptiſmus non abluit: at cùm infinita ſit mortis Chriſti virtus, quoties per pœnitentiam ſurgimus, id per admota nobis mortis ejuſdem ejuſdemque Sacrificii merita conceditur. Res ipſa non iteratur, ſed rei ipſius pretium ſingulis diebus iterum applicatur.

℣. 13. SI ENIM SANGUIS HIRCORUM ET TAURORUM, ſacrificio mactatorum, & aqua admiſto vitulæ ruſæ cinere aſperſa *(a)*, quæ vitula mactabatur, eâque crematâ cinis in populum diſtribuebatur, ut labem ex funere relatam purgaret, ſi, inquam, iſta abſtergere valent exteriorem aliquam carnalemque maculam, *ad emundationem carnis*, ℣. 14, *Quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* Opera mortua, peccata ſunt *(b)*. Quemadmodum hominis cadavere, aut beſtiæ morticino labes in contingentem inducebatur, ita mentes hominum inquinantur peccato, Deoque inviſæ efficiuntur. Facilè putreſcit cadaver & fœtet: nos peccato polluimur, Deoque execrabiles reddimur. Si igitur animalium ratione carentium cruor & cinis, ipſis minimè conſentientibus fuſi, tametſi illa nullo cum ipſorum judicio nullâque cognitione mactata fuerint, corporis maculas abluere nihilominus poſſunt, quantò magis Sanguis Chriſti Dei hominiſque, ipſo volente, ſummæque erga nos charitatis, & noſtræ redemptionis causâ profuſus, mentium noſtrarum labes noſtraque crimina eſt abluturus, quarum ſordium imago & figura erat labes, quæ ex cadaveris contactu referebatur? Si exterior per eum ſanguinem cineremque luſtratio aptos reddebat Sacerdotes cæteroſque Judæos, ut ad res ſacras accederent, divinique cultûs participes fierent, quantò magis abluendi ſumus Chriſti ſanguine, ut digni ſimus, qui Deo viventi in ſpiritu &. veritate ſerviamus?

℣. 14. QUI PER SPIRITUM SANCTUM SEMETIPSUM OBTULIT. Sunt *(c)* qui *Spiritum Sanctum*, quo actus Chriſtus ſeſe Patri victimam obtulit, interpretentur ipſius Chriſti voluntatem, quæ hoc ipſum liberè & meditato conſilio voluit: communior tamen probabiliorque opinio eſt *(d)*, revera Spiritum Sanctum eſſe tertiam Divinæ Trinitatis Perſonam, cui Scriptura tribuere ſolet quicquid Dei pietas erga nos noſtræque ſanctitatis causâ peragit; ut & quamplura, quæ Chriſtus inter homines geſſit, puta cùm ductus eſt a Spiritu in ſolitudinem *(e)*; cùm Dæmones per Spiritum Sanctum ejiciebat *(f)*; cùm præcepta dedit per Spiritum Sanctum *(g)*; cùm inunctus eſt Spiritu Sancto *(h)*, &c. Alii denique *(i)* explicant *Spiritum æternum*, ita enim habet Græcus *(k)*, Divinitatem ſcilicet per hypoſtaſim cum naturâ humanâ conjunctam, qua movente atque impellente, Chriſtus Homo Deus mortem ſponte ſalutis hominum gratiâ ſubiit.

℣. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST. Novi fœderis ſequeſter dici meruit Chriſtus, fuſo ad illud firmandum ſanguine, Deoque hominibus conciliato. Antiqui Fœderis Deum inter & Iſraëlitas, victimarum ad Sinai radices mactatarum cruore confirmati *(l)*, mediator, ſequeſter, miniſter fuit Moyſes. Novi mediator fuit Chriſtus ſuo ipſius ſanguine, eluendorum criminum noſtrorum, nobiſque comparandæ Dei filiorum dignitatis causâ profuſo; *ut in redemptionem earum prævaricationum* (purgati iis criminibus) *quæ erant* (patrabantur) *ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis*, promiſſam ſcilicet æternam hæreditatem aſſequantur. Sacrificiis ſub Lege oblatis minor vis inerat, quàm ut peccata a Regno Cœlorum arcentia eluerent: alio igitur opus erat ſacrificio, quo venia impetraretur.

℣. 16. UBI ENIM TESTAMENTUM EST, MORS NECESSE EST INTERCEDAT TESTATORIS. *Teſtamentum* in Scripturis, Hebraicè *berith*, Græcè *diatheke*, vulgò pro *fœdere* uſurpatur *(m)*. Hoc ſenſu ipſemet Paulus uſurpavit membro ſuperiore, ubi ait, *Chriſtum eſſe novi teſtamenti mediatorem*. Cùm verò is ſoleat varias vocabulorum, quibus utitur, acceptiones perſequi, ex *teſtamento* fœdere,

(a) *Num. XIX, 2, 3, 4, & ſeq.*
(b) *Theodoret.* Νεκρὰ γὰρ ἔργα τὰ δυσώδη, καὶ πονηρὰ κηλῖδα. *Vide Heb. VI, 1. Chryſoſt. Riber. Grot. &c.*
(c) *Vide Grot. & Piſc.* (d) *Ribera, Eſt. alii plerique.* (e) *Matt. IV, 1.*
(f) *Matt. XII, 27. 28.* (g) *Act. 1, 2.* (h) *Act. X, 38.* (i) *Jan. Gemac. Bez. &c.*
(k) Διὰ πνεύματος αἰωνίου. *Libri complures cum Vulgatâ conſentiunt, ut Clarom. G. L. Germ. G. L. Lin. Baſil. Velez. Copb. Idae. Chryſoſt. alii;* Διὰ πνεύματος ἁγίου.
(l) *Exod. XXIV, 4, 5, & ſeq.*
(m) ברית Διαθήκη, *Teſtamentum.*

℣. 17. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt; alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.

℣. 18. Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.

℣. 19. Lecto enim omni mandato Legis a Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aquâ, & lanâ coccineâ, & hyſſopo; ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit,

℣. 20. Dicens: Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℣. 21. Etiam Tabernaculum, & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit.

COMMENTARIUS.

re, ad *teſtamentum* propriè dictum tranſit. Ut teſtamentum, de quo agimus, executioni mandetur, oportet, quemadmodum in cæteris, teſtatoris mortem intercedere: alioqui teſtamentum viribus & effectu caret. Opus igitur fuit, mortem oppeteret Chriſtus, antequam nos hæredes, in quorum gratiam conditum eſt teſtamentum, bonorum illius poſſeſſionem ac promiſſionum finem aſſequeremur.

Cùm *teſtamenti* ſeu *fœderis* nomen interdum impropriè uſurpetur pro fortunis, quas populo pollicitus eſt Deus, eâ conditione, ſi integram Deo fidem ſervaret; fortaſſe Paulus hoc dicere voluit, opus eſſe intercedere teſtatoris mortem, antequam locum habeat aut expleatur teſtamentum ſeu fœdus, quia quæ nobis promiſit Deus, omnia nituntur merito mortis Chriſti, non priùs implenda, quàm ille ferretur in Cœlum: quamobrem non multum recedere neceſſe eſt ab acceptione *teſtamenti* pro fœdere uſurpati, & *teſtatoris* pro ſponſore, qui præcipua pars ſponſionis eſt. Ita conciliari poſſunt Eruditorum quorumdam opiniones, qui fuſiſſimas de hoc argumento in utramque partem exercitationes edidere (n): at omnino mihi videtur ex ℣℣. 15, 16, 17 perſpicuè colligi, Apoſtolum datâ operâ ex *teſtamento* fœdere ad *teſtamentum* propriè dictum tranſire.

℣. 17. TESTAMENTUM ENIM IN MORTUIS CONFIRMATUM EST, vim habet poſt teſtatoris mortem. Id in vulgaribus teſtamentis eſt perſpectiſſimum. In Dei teſtamento erga populum non admittitur, cùm mortis expers ſit Deus: at cùm Chriſtus Jeſus, naturâ hominis aſſumptâ, ſeſe morti obnoxium fecerit, ejus teſtamentum nonniſi eo mortuo habere locum potuit. Illum igitur mori neceſſe fuit, ut nos promiſſam ab eo hæreditatem adire poſſemus.

℣. 18. UNDE NEC PRIMUM QUIDEM SINE SANGUINE DEDICATUM eſt (o). Prius teſtamentum ſeu fœdus, a Deo cum Iſraëlitis ſancitum ad Sinai (p), conſignatum eſt cruore victimarum (q), quæ teſtatoris mortem aliquâ ratione ſignificabant. Indulgens imbecillitati Judæorum Deus, paſſus eſt mactari victimas, ut corporeo ſigno quivis intelligeret, mortis reum eſſe, qui promiſſis deficeret. Itaque Deus, tametſi immortalis, pœnæ huic obnoxium ſeſe quodammodo exhibebat; ſeu potiùs eo ritu imaginem præbuit mortis Jeſu Chriſti, qui inceptum in Sinai fœdus eſſet abſoluturus, eoſque, qui Abrahami fidem imitarentur, in veram promiſſionis regionem, Cœlum nempe, cujus umbra erat Chanaanitis, eſſet inducturus.

℣. 19. LECTO ENIM OMNI MANDATO LEGIS. Ea perlêgit Moyſes, quæ Capitibus Exodi xx, xxi, xxii, xxiii continentur (r), præcipua ſcilicet fœderis a Deo cum Iſraëlitis initi capita; oblatiſque ſacrificiis, *accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aquâ & lanâ coccineâ, & hyſſopo*, confecto ex iis aſpergillo, *ipſum quoque Librum* Legis, Fœderis conditiones continentem, *& omnem populum aſperſit*: eoque ritu confirmatum eſt fœdus, quod tunc Deus cum Iſraële feriit.

Moyſes in Exodo, ubi rem geſtam narrat, neque mactatorum hircorum meminit, neque aquæ ſanguini admiſtæ, neque lanæ coccineæ, neque hyſſopi. Iſta ſupplevit Apoſtolus ex narratione majorum, aut divinitus intellecta. In recitato Exodi loco mactati dicuntur a Moyſe *vituli*, oblataque *holocautomata* (s): vituli quidem in pacifica ſacrificia; in holocauſta fortaſſe hirci. Aqua ſanguini in aſperſiones adhibendo miſcebatur (t), ne ſanguis coagularetur. Denique confici ſolebat aſpergillum ex ramo hyſſopi, circum nexâ lanâ rubrâ ſive coccineâ (u). Ita nihil hîc Apoſtolus ſcripſit, quod certiſſimum non ſit.

℣. 20. HIC SANGUIS fœderis ſeu TESTAMENTI, QUOD MANDAVIT AD VOS DEUS (x), quod in veſtri gratiam condidit: ſignum eſt & confirmatio fœderis, quod vobiſcum feriit: quo & cujus causâ præcepta vobis dedit, hoc libro contenta, quæ vos ſervaturos promiſiſtis.

℣. 21. ETIAM TABERNACULUM, ET OMNIA VASA. Id geſtum eſt alio tempore, & ſexto circiter menſe poſt fœderis confirmationem quam diximus. Cùm erigendum dedicandumque fuit Tabernaculum, & vaſa omnia in ſacrum miniſterium deſtinata, nova iterum ſacrificia oblata ſunt, omnia cruore aſperſa, & oleo lita (y); Aaron, ejuſque filii, & veſtes ſacræ oleo ſacro illitæ, & victimarum ſanguine aſperſæ fuerunt.

(n) *Vide Codurci Diſſert. in hunc loc. in Critic. Londin. & Vindicias teſtamentarias Guicardi, ad calcem Comment. Lud. Tinæ, & Eſt. ad ℣. 17.*

(o) Ἐγκεκαίνισται. *Chryſ.* Βέβαια γέγονεν, ἐκυρώθη, *Conſecratum, initiatum, dedicatum.*

(p) *Eſt. Men. Riber. alii.* (q) *Exod.* xxiv, 6, 8, *&c.* (r) *Grot. Eſt. Jac. Capell. &c.*

(s) *Exod.* xxiv, 5. (t) *Levit.* xiv, 49, 50. *Riber. Eſt. Gemar.*

(u) *Levit.* xiv, 49, 50; *Exod.* xii, 22; *&* xxv, 4. (x) Ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς.

(y) *Exod.* xl *totum. Levit.* viii, 10, 11, *& ſequ. Joſeph. antiq. l. 3, c. 9:* Ἐπὶ μὲν ἡμέρας ἑπτὰ τὸν Ἀαρῶνα σὺν τοῖς παισὶ, καὶ τὰς στολὰς ἐθεράπευε, τήν τε σκηνὴν, καὶ τὰ περὶ αὐτὴν ἐλαίῳ τε προθυμιωμένῳ, καὶ τῷ αἵματι τῶν ταύρων, καὶ κριῶν σφαγέντων, καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἑνὸς κατὰ γένος.

℣. 22. Et omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.

℣. 23. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari: ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis.

℣. 24. Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum, ſed in ipſum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis:

℣. 25. Neque ut ſæpè offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno:

℣. 26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.

COMMENTARIUS.

℣. 22. ET OMNIA PENE IN SANGUINE MUNDANTUR. Addidit *penè*, quòd abſolutam omnium enumerationem perſequi nollet; alioqui certum eſt, omnia purgari ſanguine, peccata populi, Sacerdotum, hominumque privatorum. At verum quoque eſt, labes ex mortui contactu relatas expiari conſueviſſe aquâ, miſtis vitulæ rufæ cineribus; alias verò quaſdam merâ aquæ lotione purgatas. Pleræque tamen graviores maculæ cruenta exigebant ſacrificia hirci, hœdi, agni, turturis, aut aviculæ.

℣. 23. NECESSE EST ERGO EXEMPLARIA, &c. Igitur neceſſe fuit, ut ea quæ meræ cœleſtium rerum imagines erant, nempe Tabernaculum & vaſa omnia, animalium cruore expiarentur. Cùm voluerit Deus, ut Tabernaculum & cætera ad Tabernaculum pertinentia cruore victimarum luſtrarentur, utpote quæ ad Dei fœdus cum Iſraële quodammodo ſpectarent, conſentaneum erat, ut cœleſte Tabernaculum, cujus erat umbra terrenum, Filii Dei ſanguine pariter expiaretur. Quod verò cœleſte Tabernaculum, ſanguine eluendum? Cœlum, inquiunt nonnulli (z), quod reverà per ſe expiatione non eget: at cùm homines in cœlum ituri, quibus eò ingredi impuris non licet, expiantur, Cœlos ipſos quodammodo expiari non injuriâ dixeris. Aliis (a) eſt Jeſu Chriſti Corpus, quod interdum (b) *Tabernaculum verum & cœleſte* nuncupatur. Quamquam autem hoc expiatione non eget, cùm peccato careat, atque infinita ſit illius munditics, dici poteſt criminibus noſtris, quibus ſeſe ipſe oneravit, purgatus, cùm ſuum ipſe cruorem fudit, ut nos cum Patre conciliaret. Denique complures (c) probabiliùs ajunt, cœleſte hujus loci Tabernaculum Eccleſiam eſſe Chriſtianam, quam Chriſtus Jeſus ſanguine ſuo abluit, ſponſamque ſanctam, puram, labe carentem ſibi ipſe formavit.

De Chriſti Jeſu nece agit Apoſtolus tamquam de hoſtiis quamplurimis, *melioribus hoſtiis* (d); ſive ob ſummam hujus hoſtiæ præſtantiam, ſive quòd hæc una ab eo tamquam omnibus veteris Teſtamenti hoſtiis multò excellentior proponatur, ſeu denique conſueto orationis ornamento, quo multitudinis numerus pro ſingulari uſurpatur, præſertim ſi id exigat orationis ſyntaxis, quemadmodum hoc loco vocabulum ſtatim antes multitudinis numero prolatum poſtulabat.

℣. 24. NON ENIM IN MANUFACTA SANCTA JESUS INTROIVIT; non in Tabernaculum a Moyſe conſtructum, non in Salomonici Templi adytum, quæ figuræ erant ſeu exemplaria cœleſtis Tabernaculi, quod Moyſes in Sinai monte ſpectavit, juſſuſque a Deo eſt Tabernaculo a ſe erigendo imitari (e). Judæorum Pontifex, ex Legis ſanctione, ſemel quotannis in Templi adytum ingredi jubebatur, ut ſeſe ſiſteret coram Dei Cherubim inſidentis majeſtate; at Jeſus in verum Cœli Tabernaculum ita ingreſſus eſt, ut ibi æternum manſurus ſit cum Deo, pro nobiſque interceſſurus (f).

℣. 25. NEQUE UT SÆPE OFFERAT SEMETIPSUM. Judæorum Pontifex unâ tantùm totius anni die in Sanctuarium ingrediebatur; at iiſdem ſemper ritibus, ſemperque cum variarum hoſtiarum ſanguine. Chriſtus Jeſus in Cœli adytum ſemel ingreſſus, Deique ſolio ſemel oblatus, ibi præſens ſemper eſt, neque unquam diſcedit: nunquam non clamat illius cruor, ſemperque efficax eſt illius ſacrificium, quin illud iterare debeat, aut adyto egredi, ſecundò ac tertiò ingreſſurus.

℣. 26. ALIOQUIN OPORTEBAT EUM FREQUENTER PATI. Si opus eſſet, Chriſtum quotannis in Cœleſte adytum recenti cum ſanguine ingredi, oporteret quoque pluries mori, & ſanguinem fundere. Cùm verò infinitum ſit mortis illius pretium, una ſatis fuit ob omnium totius mundi criminum expiationem, ejuſque virtus in homines univerſos, præſentes, præteritos, futuroſque manavit. Meritorum illius applicatio, Altarium Chriſtianorum ſacrificiis Sacramentiſque peracta, ſatis eſt ad ſalutem iis comparandam, qui nulla efficientiæ illorum impedimenta objiciunt.

Addit Apoſtolus: *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtructionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit*. Apud Scripturam, *ſæculorum conſummatio* ſeu finis, *plenitudo temporum*, *noviſſimi dies*, *mundi conſummatio* frequenter Meſſiæ adventum, nonnunquam etiam alterum ejus adventum ſignificant. Quæ locutionum genera ex eo oriuntur, quòd Meſſiæ adventus ac regnum in terris haberetur Judæis tamquam exitus temporum, totiuſque naturæ humanæ inſtauratio. Aliter illi rem intelligebant, aliter geſta eſt.

(z) *D. Thom. apud Riber.*
(a) *Gemarus.*
(b) *Heb.* VIII, 2; IX, 11.
(c) *Eſt. Men. Zeger. Tir. alii.*
(d) Κρείττοσι θυσίαις. *Theophyl.* Τῇ λογικῇ, καὶ ἀμώμῳ, ἢ ἁγίᾳ θυσίᾳ.
(e) *Exod.* XXVI, 27; *Hebr.* VIII, 5.
(f) *Rom.* VIII, 34; *Hebr.* VI, 17.

℣. 27. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium:

℣. 28. Sic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: ſecundò ſine peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.

COMMENTARIUS.

eſt. Exiſtimabant illi, Meſſiæ regnum fore mundanum, & perſpicuam ſenſibus reipublicæ ſuæ & libertatis mutationem. At Meſſiæ regnum prorſus ſpirituale eſt, ac mutatio mentium, animorum ac morum fuit.

℣. 27. ET QUEMADMODUM STATUTUM EST HOMINIBUS SEMEL MORI, POST HOC AUTEM JUDICIUM. Hominis ſors tota tribus hiſce vocibus clauditur: vita, mors, judicium. Certa eſt omnibus hominibus & immota Lex. Naſcimur morituri; morimur ut judicium ſubeamus. Judicium quod in ſingulos noſtrûm exercet Deus, de æternâ ſingulorum felicitate aut calamitate decernit. Generale Judicium, cui adſuturi ſumus omnes, aliud nihil futurum eſt, niſi ſolemnis promulgatio ſententiæ, privatim in ſingulos pronunciatæ.

Ita autem diſputat Apoſtolus: Quemadmodum ſemel tantummodo naſcimur morimurque, ita æquum fuit, ut Chriſtus ſemel tantùm & naſceretur & moreretur. Atque ut post obitum ſinguli ad Dei tribunal rapimur, æternæ ſortis noſtræ decretum ex eo audituri; ita Chriſtus iterum venturus eſt ad Judicium, Judicis habitu, pœnas & præmia hominibus pro bene vel male geſtis decreturus. ℣. 28. *Chriſtus ſemel oblatus eſt*, ceu vivens hoſtia in altari, *ad multorum exhaurienda peccata (g)*. Non quòd paſſionis illius merita ſaluti omnibus hominibus comparandæ non ſuffecerint, ſed quòd quamplures meritorum illius participes fieri non meruerint. Omnium bono mortuus eſt Chriſtus (*h*), at non omnes merito mortis illius uſi ſunt. *Secundò*, in altero adventu ſub mundi exitum, *ſine peccato* (non ut peccata expiet) *apparebit expectantibus ſe, in ſalutem*. Supremâ Judicii die jam non agetur de expiandis hominum ſceleribus, ſed de inducendis in Cœleſtis Regni poſſeſſionem iis, qui illud fidei, ſpei, charitatis exercitatione meruerint; damnandis verò ad æterna ſupplicia cæteris, qui increduli fuerint, & nequitiam amaverint.

CAPUT X.

Legis ſacrificia ob ipſorum infirmitatem ſæpe iterata. Chriſti ſacrificium non iteratur. Cœleſte adytum hic perpeſſionibus ſuis reſeravit. Morum inſtituta, quæ Paulus ex dictis colligit. Alter baptiſmus non eſt. Divini Judicii ſeveritas in acceptæ gratiæ contemptores. Hortatur ad fidem, patientiam, bonorumque operum ſtudium.

℣. 1. UMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere:

COMMENTARIUS.

℣. 1. UMBRAM HABENS LEX FUTURORUM BONORUM, NON IPSAM IMAGINEM RERUM. Imago interdum aliud ſignificat ab ipſâ re ac rei veritate: hic opponitur umbræ, & rem ipſam deſignat (*a*). Quemadmodum in pingendi arte ingens diſcrimen eſt inter prima lineamenta leviter adumbrata, ipſamque tabulam & exhibitam rei ipſius imaginem; ita Sacrificia Hebræorum, & Jeſu Chriſti Legiſque novæ infinito intervallo diſcrepant (*b*). Pergit hic Apoſtolus enumerare novi veteriſque Fœderis diſcrimina. Bona futura adumbrabantur Lege; promittuntur indicanturque Evangelio; a Jeſu Chriſto donantur. *Futura bona* ſunt cœleſtis felicitas, ubi Pontifex eſt Chriſtus, uti ait Capite *IX*, ℣. 11; gratia juſtificationis, criminum venia, quæ in Eccleſiâ confertur, non item

(g) *Ad multorum exhaurienda peccata. Græc.* Εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. *Chryſ.* Τί ἐστιν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας; ὥσπερ ἐπὶ τῆς προσφορᾶς, ἣν ἀναφέρομεν, προσφέρομεν τὰ ἁμαρτήματα, λέγοντες συγχώρησον. Οὕτω ὁ Χριστός. Peccata noſtra Chriſtus Patri exhibuit, ut illorum veniam poſtularet. *Theophyl. Oecumen.* (h) *Timoth.* II, 6; *Rom.* V, 19. *Chryſoſt.* Διὰ τί δὲ πολλῶν εἶπε, καὶ μὴ πάντων; ἐπειδὴ μὴ πάντες ἐπίστευσαν. Ὑπὲρ ἁπάντων μὲν γὰρ ἀπέθανε, εἰς τὸ σῶσαι πάντας, τὸ αὐτοῦ μέρος... Οὐ πάντων δὲ τὰς ἁμαρτίας ἀνήνεγκεν, διὰ τὸ μὴ θελῆσαι αὐτούς. *Ita Theodoret. Theophyl.* (a) *Chryſoſt. hic, homil.* 17. *Theophyl.* Οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα. Τουτέστιν, οὐκ αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν... σκιαγραφίᾳ γὰρ ἐοίκασι τὰ παλαιὰ, ἀμυδρὰ ὄντα. Τὰ δὲ νέα εἰκόνι, τουτέστιν ἀληθείᾳ, ὡς λαμπρῶς ἐφεστῶτα τὰ τελεσιουργηθέντα.

(b) *Theodoret. hic*: Πράγματα καλεῖ τὸν μέλλοντα βίον. Εἰκόνα δὲ τῶν πραγμάτων τὴν εὐαγγελικὴν πολιτείαν. Σκιὰν δὲ τῆς τῶν πραγμάτων εἰκόνος, τὴν παλαιὰν διαθήκην. Ἡ γὰρ εἰκὼν ἐναργέστερον δείκνυσι τὰ ἀρχέτυπα. Ἡ δὲ σκιογραφία τῆς εἰκόνος ἀμυδρότερον ταῦτα παραδηλοῖ.

℣. 2. Alioquin ceſſaſſent offerri: ideo quòd nullam haberent ultra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati:

℣. 3. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.

℣. 4. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.

COMMENTARIUS.

item in Synagogâ. Legis ſordes vetoſtis ſacrificiis eluebantur, mentium labes ſacrificio Jeſu Chriſti.

S. Gregorius Nazianzenus (c), aliique Interpretes nonnulli exiſtimant, Apoſtolum hoc loco illud dicere, Legem ceu umbram eſſe; Evangelium, imaginem; rem ipſam, Cœlum ſeu bona futura. Legis ſacrificia umbra erant re carens, corpore, effectu: Eccleſiæ Sacramenta ſunt imago rei vera, quæ veros effectus pariunt, quamquam bona ipſa futura, in Cœlo dumtaxat uſucapienda, non largiuntur. Novæ igitur Legis Sacramenta multò quàm Legis veteris ſunt præſtantiſſima; at multò bonis ipſis futuris, in Cœlo promiſſis, inferiora.

℣. 2. Alioqui ceſsaſſent offerri (d). Si Sacrificiis in Templo Jeroſolymitano oblatis vis fuiſſet abluendi maculis mentes aut offerentium, aut eorum pro quibus offerebantur, ea tam longo tempore adhibita non fuiſſent. Quis ſemel criminum veniam aſſequutus, nova ſacrificia afferre non laboraſſet. Morbo ablato, medicamina relinquuntur.

At, inquient Judæi, idcirco iterantur ſacrificia, quòd homines eadem in flagitia ſæpe relabantur. Niſi rurſus peccarent homines, ſacra pro eodem homine bis non fierent; quemadmodum in Chriſtianâ Eccleſiâ ſi homo poſt Baptiſmum expers peccati eſſet, ad Pœnitentiæ Sacramentum, & ad Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti ſacrificium non confugeret, ita confirmandus, defendendus, erigendus.

Reſpondeo I, Moſaica Lex, nullâ ratione habitâ patratum eſſet peccatum nec ne, ſacrificium quibuſdam temporibus imperabat, puta ſolemnis expiationis die, quotannis recurrente; non igitur obtinendæ causâ criminum veniæ, ſed confitendæ infirmitatis & ignorantiæ, agnoſcendæque ſupremæ Dei poteſtatis ac ſanctitatis (e). II, Certiſſimo indicio noſcitur, ineptum eſſe vulneri curando medicamentum, ubi ſæpiùs idem admovetur: at efficax validumque medicamen, ſemel vulneri admotum, illud ſanat (f). Idem dicito de Novæ Legis Sacrificiis Sacramentiſque, ubi cum antiquæ Legis religionibus conferantur: hæ quippe ſæpiùs iterabantur, quòd vulnus non obducerent; & infirma erant medicamina, quæ ulcus non mutarent. Novæ Legis Sacramenta iterari neceſſe non eſt, quòd certam constantemque ſanitatem afferant.

Fateor quidem his non prohiberi, ne Chriſtiani relabantur, novaque vulnera ſibi infligant: at neque negat Apoſtolus, unquam peccare Chriſtianos. Aſſerit ſolummodo, Hebræos ſacrificiis tam ſæpe iteratis minime curatos fuiſſe, quamobrem illa fuiſſe iteranda, ut tegeretur ulcus, & ſanatum crederetur. At Chriſti Jeſu ſacrificium ejusque Eccleſiæ Sacramenta morbum ſtatim auferunt, neque opus eſt illa iterari, niſi homo ipſe vim Sacramenti inanem reddiderit, novumque vulnus retulerit novo medicamine indigens.

Neque Jeſu Chriſti ſacrificium iteratur, ſed illius memoria tantummodo inſtauratur, iterumque illud indigentibus applicatur. Eadem ſemper hoſtia reverâ eſt, idem Sanguis, idem Corpus, quod olim in Cruce immolatum iterum exhibetur, innumeriſque in locis ob Fidelium ſalutem iterum producitur (g). Non plura ſunt corpora, ſed unum corpus; unus ubique Chriſtus, non plures Chriſti.

℣. 3. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Judæorum ſacrificia non ſunt peccatorum medicamina, ſed iteratæ peccatorum commemorationes accuſationesque (h), tum annis olim elapſis, tum hoc ipſo patratorum. Reverâ Pontifex in ſolemni ejus diei formulâ genericè de peccatis loquitur. Si igitur præteritis ſacrificiis deleta fuiſſent peccata præterita, quorſum nova illorum commemoratio (i)?

℣. 4. Impoſſibile enim eſt, ſanguine taurorum ... auferri peccata. Cruentis ſacrificiis, ex unâ ipſorum naturâ, uti ſunt ritus corporei ac ſenſibus obnoxii, nulla ineſt remittendorum criminum virtus; nulla aut cum peccato ipſo, quod mentis eſt, aut cum peccante, qui alius planè a victimâ eſt, convenientia. Neceſſe igitur eſſet, ut iſthæc ſacrificia virtute remittendi peccata divinitus inſtruerentur, id quod a Deo præſtitum eſſe non ſcimus; aut homo peccati reus per ſeſe Deo ſatisfaceret, id quod ille præſtare nequit, niſi jungatur Chriſto, & accedat ad Sacramenta, per quæ Chriſtus merita

(c) *Gregor. Nazianz. Orat. de Paſch. apud Theophyl. Tena, &c.*

(d) *Greg.* Ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι, *Alioqui non ceſſaſſent offerri*. Complures tamen Græci Codices cum Vulgatâ conſentiunt. Ἐπεὶ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι, *Vulg. Syr. Æth. Theod. Photius, Steph. a, Alii*: Ἐπεὶ κἂν.

(e) *Vide Cajet. Eſt.*

(f) *Chryſoſt. homil. 17*: Ὥσπερ γὰρ φάρμακον ὅταν ᾖ ἰσχυρὸν, καὶ ὑγιείας ποιητικὸν, καὶ δυνατὸν πᾶσαν ἀπαλλάξαι τὴν νόσον, ἅπαξ ἐπιτεθὲν τὸ πᾶν ποιεῖ . . . Ἐὰν δὲ ἀεὶ ἐπιτεθῆται δῆλον ὅτι τοῦ μηδὲν ἰσχύσαι ἐστὶ σημεῖον, φαρμάκου γὰρ ἀρετὴ τὸ ἅπαξ ἐπιτεθῆναι, καὶ μὴ πολλάκις. Οὕτω δὴ καὶ ἐνταῦθα. *Ita Theophyl. Tena, &c.*

(g) *Chryſoſt. hic*: Τί οὖν; ἡμεῖς καθ' ἑκάστην ἡμέραν οὐ προσφέρομεν; προσφέρομεν μὲν, ἀλλὰ ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Καὶ μία ἐστὶν αὕτη, καὶ οὐ πολλαί... τὸν γὰρ αὐτὸν ἀεὶ προσφέρομεν. Οὐ νῦν μὲν ἕτερον, αὔριον δὲ ἕτερον, ἀλλ' ἀεὶ τὸ αὐτὸ, ὥστε μία ἐστὶν ἡ θυσία . . . εἷς πανταχοῦ ὁ Χριστὸς, καὶ ἐνταῦθα πλήρης ὢν, καὶ ἐκεῖ πλήρης, ἓν σῶμα. *Ita Theophyl. Eſt.*

(h) *Theodoret.* Περιελεῖν μὲν τὰς ἁμαρτίας οὐ δύναται, Κατηγορεῖ δὲ τούτων, καὶ δῆλος ἐντίθησι, καὶ πρὸς τρέχειν ἀναγκάζει τῇ χάριτι. *Theophyl.* Οὐδὲν ἄλλο, εἰ μὴ ἀνάμνησιν ἁμαρτιῶν, ποιοῦσιν ἔλεγχον. (i) *Grot. Eſt. Men. Jac. Capell.*

Digitized by Google

℣. 5. Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi:

℣. 6. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.

℣. 7. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.

℣. 8. Superiùs dicens: Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi quæ ſecundùm legem offeruntur.

COMMENTARIUS.

ta ſua nobis largiri voluit.

℣. 5. IDEO INGREDIENS MUNDUM DICIT, &c. Nomine Meſſiæ in terras venientis, noſtramque naturam in Incarnatione aſſumentis loquens David, ait (k): *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi*. Jam ante Meſſiæ Incarnationem injocundæ erant Deo victimæ, uti Deus ipſe per Prophetas paſſim explicuit (l). Ut igitur Patris juſtitiæ ſatisfaceret, & jucundam illi hoſtiam offerret, ait Servator: *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Nihil hactenus Divinâ Majeſtate dignum in terris fuerat. Quamobrem, o Hebræi, neque Legis ritibus, neque ſacrificiis multum gloriamini. Iſta magnopere nunquam optavit Deus, quæ idcirco tantùm tulit, ut imbecillitati veſtræ indulgeret (m). His continere vos voluit, ne in idolorum cultum ferremini, veſtroſque animos hiſce ritibus detinere, ne deterius aliquid ſectaremini.

CORPUS AUTEM APTASTI MIHI in Incarnatione, quod mortis meæ ſacrificio tibi offerrem. Septuaginta Interpretes, quorum verſionem in locis totâ Epiſtolâ recitatis ſecutus eſt Paulus, Pſalmo XXXIX, 9, cum Vulgatâ & Græco hujus loci conſentiunt (n): *Corpus autem aptaſti*, ſeu præparaſti *mihi*. At in Pſalterio tum Hebræus, tum Vulgata, & nonnulli pariter Græci Codices, & ſcholia quædam ejuſdem Pſalmi ferunt (o): *Aures autem perfodiſti mihi*. Spectat Pſalmiſta morem Judæorum, qui ſervorum aurem fodiebant, ubi illi anno Sabbatico uti nollent beneficio Legis, quo in libertatem aſſerebantur (p). Utraque lectio nullo negotio de Chriſto Jeſu explicatur. Cùm holocauſta & pro peccato victimas a te reſpui intellexerim, me tibi obtuli, voluntatem tuam expleturus, atque de me pro arbitrio ipſe decernas. Me tui ſervum, & quidem perpetuum, reddidi. *Aures autem fodiſti mihi*, æternæ ſervitutis argumento, ſive, *corpus aptaſti mihi*, quale ipſe maluiſti, ut illud in tui obſequium, & gloriæ tuæ incrementum dedicarem.

Reverâ eò uſque ſe demiſit Chriſtus, ut ſe ſimilem ſervo faceret; obediens fuit ad mortem uſque, & mortem Crucis (q): ſuum ipſe corpus injuriis, plagis, cruciatibus præbuit: ſaturatus eſt opprobriis, ſanguinem fudit, vitâ ceſſit, ut injuriam Patri irrogatam deleret, populumque ſanctum, labe carentem, ejuſque majeſtate dignum ipſi compararet.

℣. 6. HOLOCAUTOMATA, ET PRO PECCATO NON TIBI PLACUERUNT. Hebræus & Septuaginta (r): *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti*, ceu optatum aliquid: ceu appendicem Legum moralium, Hebræis traditarum, ſacrificia adjeciſti. *Holocautomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes*, ait Dominus per Jeremiam (s). *Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni viâ, quam mandavi vobis, ut bene ſit vobis.*

℣. 7. TUNC DIXI: ECCE VENIO. Cùm quicquid in Lege tibi offerebatur, tibi jucundum non eſſe intelligerem, me ipſe obtuli, quem pro arbitrio ageres. *Tunc*, jam tum ante ſæcula decreta fuerat Incarnatio; illam Dei Filius, carne hominis aſſumptâ, executioni mandare cœpit; obitâ demum morte complevit.

IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME. Non ſatis conſtat, utrùm ea verba, *Ut faciam, Deus, voluntatem tuam*, ſint id ipſum, quod in capite libri ſcriptum eſt; an ſolummodo illud, venire Dei Filium: Venio, ut in capite libri deſcriptum eſt, ut mandata tua expleam. Præterea incertum eſt, cujuſnam libri in capite ſcriptum ſit, venire Dei Filium, ut Dei voluntati obtemperet.

Quamplurimæ hîc habentur explicationes, quas compendio legemus, cùm hoc ipſum fuſiùs tractaverimus in Commentario ad Pſalmos. I, Mancipationis meæ caput, primaque meæ ſervitutis conditio eſt, me facturum quicquid vis, o Deus (t). II, In capite Libri Geneſeos de me ſermo habetur, iis verbis: *In principio creavit Deus cœlum & terram:* quod quidem *principium*, ex nonnullorum Patrum ſententiâ (u), ipſe eſt Dei Filius. III, Hebræus fert (x): *In volumine libri ſcriptum eſt de me*; idque fortaſſe volebant Septuaginta (y); idem quippe vocabulum, quod ab iis redditum eſt *caput*, ſignificare poteſt orbiculum, circa quem Legis liber convolvebatur. Atque ita genericè explicanda ſunt hæc verba de Scripturis, in quibus paſſim commendatur obedientia, quam Dei Filius, humanis exuviis indutus, Patri erat exhibiturus. Poſtremam hanc explicationem vulgo Interpretes probant.

℣. 9. AUTEM

(k) *Eſt. Men. Tir. Zeger. ex Chryſoſt. Theophyl.*

(l) *Iſai.* I, 11; *Jerem.* VI, 20; *Amos*, V, 22; *Pſal.* L, 18, *&c.*

(m) *Jerem.* VII, 22: *Non præcepi patribus veſtris in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum, &c.* (n) Σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.

(o) אזנים כרית לי Ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, ſive ἔσκαψάς μοι, ſeu, ἀντεσκεύασάς μοι.

(p) *Exod.* XXI, 5, 6; *Deut.* XV, 17. (q) *Philipp.* II, 7, 8. (r) *Heb.* לא שאלת 70: Οὐκ ᾔτησας,

(s) *Jerem.* VII, 21. (t) *Grotius in hunc loc.* (u) *Tertull. contra Praxeam*; *Hieronym. & Ambroſ. in Pſalm.* XXXIX, 11; *Hilar. in Pſal.* 2. (x) במגלת ספר כתוב עלי

(y) 70: Ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. *Aquila*: Ἐν εἰλήματι, *In volumine*. *Sym.* Ἐν τεύχει. *Alius*: Ἐν τόμῳ, *Origen. in Joan. p.* 90: Πάσας τὰς γραφὰς τὰς ἀπαγγελλούσας περὶ αὐτοῦ ἐν τοῖς ψαλμοῖς κεφαλίδα ὀνομάζει βιβλίου ὁ σωτήρ. *Ita Interpretes plerique. Vide Grot. hic.*

℣. 9. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut ſequens ſtatuat.

℣. 10. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.

℣. 11. Et omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & easdem ſæpè offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata:

℣. 12. Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dexterâ Dei,

℣. 13. De cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus.

℣. 14. Unâ enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.

℣. 15. Conteſtatur autem nos & Spiritus Sanctus. Poſtquam enim dixit:

℣. 16 Hoc autem teſtamentum, quod teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas:

℣. 17. Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor ampliùs.

℣. 18. Ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato.

COMMENTARIUS.

℣. 9. AUFERT PRIMUM, UT SEQUENS STATUAT, Ait, abolitum iri veteres hoſtias, cruentaque ſacrificia, quæ in Templo fiebant, unumque Jeſu Chriſti ſacrificium permanſurum (z). Cùm vetuſta ſacrificia Deo jucunda non fuerint, atque ad novum alterum inſtituendum Meſſias veniat, compertum omnino eſt, ceſſatura illa, hoc perſeveraturum. Ita orationem colligit Paulus, a ℣. 5.

℣. 10. IN QUA VOLUNTATE SANCTIFICATI SUMUS. Huic ipſi Dei voluntati, quam peracturus venit Chriſtus, ſanctificationem ſalutemque debemus. Niſi veteris Legis jugum a noſtris cervicibus removiſſet Deus, priſcaque ſacrificia reſpuiſſet, noſtris adhuc criminibus obvolveremur, nullaque nobis ſpes aſſequendæ ſalutis foret. Ea quippe infirma nimis erant auxilia, nullasque, præterquam corporis, labes abſtergebant.

℣. 11. OMNIS SACERDOS PRÆSTO EST QUOTIDIE. Legis Sacerdotes quotidie in Templo adſunt, eadem ſacra facturi, quia iis victimis auferri peccata non poſſunt. Vide ſupra ℣. 2. Chriſtus *autem unam pro peccatis offerens hoſtiam*, poſtquam ſemel ſe ipſe obtulit Patri in criminum noſtrorum expiationem, ſacrificium non iterat, ſed *in ſempiternum ſedet* in Cœlis *in dexterâ Dei*.

℣. 13. DE CÆTERO EXPECTANS. Expletâ in terris voluntate Patris, placatâque illius juſtitiâ erga hominum ſcelera, quid jam reſtat, niſi ut viciſſim Pater præſtet id, quod promiſit Filio, inimicos ſcilicet ſub Filii pedibus ſe ſubjecturum (a): *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Innuere videtur Apoſtolus, inimicos ceu ſcabellum ſolio Domini ſubjiciendos, eſſe Judæos incredulos (b), nunquam non repugnantes Chriſto, ejusque inſtitutionibus & Apoſtolis, & æquo ſtudioſiores rituum, qui usque ad Meſſiæ adventum ſolummodo erant permanſuri.

℣. 14. UNA ENIM OBLATIONE CONSUMMAVIT (c), perfectos reddidit eos, quos ſemel ſanctos effecit. Ita omnes illorum labes deterſit, ut opus non ſit novo ſacrificio, iteratoque Baptiſmo, quo ſemel facti ſunt meritorum Chriſti participes. Vide ℣℣. 2, 3. Caput hoc enixè confirmat Apoſtolus, utpote propoſito argumento prorſus neceſſarium. Suadendum erat Judæis, inutilia æternæ ſaluti eſſe Legis ſacrificia, & infinitam eſſe ſacrificii Jeſu Chriſti efficacitatem.

℣. 15. CONTESTATUR AUTEM NOS (d) SPIRITUS SANCTUS. Quæ dixi, Spiritus ipſe confirmat, vetuſtis nimirum ſacrificiis non auferri labes animi, unâque oblatione, quam Patri Chriſtus exhibuit, nos ita purgatos eſſe peccatis, ut unicum ejus ſacrificium iterari neceſſe non ſit: hæc enim ait Spiritus Sanctus per Jeremiam (e), cujus ſententiæ maximam partem recitavit ſupra, VIII, 8, 9, 10, 11, 12. Poſtquam dixit Propheta: *Poſt dies illos*, cùm venerit Meſſias, novoque Fœdere inſtituto, *dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*, ſubdit (f): *Peccata eorum non memorabor amplius*. Poſtremis hiſce verbis oſtendit, peractâ Jeſu Chriſti oblatione, ejusque meritis per Baptiſmum homini attributis, nulla jam nobis ineſſe crimina, neque opus eſſe, ut aliis hoſtiis illa expientur.

℣. 18.

(z) *Theodoret.* Πρῶτον ἀναιρεῖ τὴν τῶν ἀλόγων θυσίαν, δεύτερον δὲ τὴν λογικὴν, τὴν ὑπ' αὐτοῦ προσενεχθεῖσαν. (a) *Psal.* CIX, 1. (b) *Chryſ. Theophyl.*

(c) Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν. *Oecumen.* Τελείως ἀπεμάξατο, τελείως ἀπήλλαξε τῶν ἁμαρτιῶν.

(d) *Græc.* Μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν καὶ τὸ Πνεῦμα, *Conteſtatur nobis Spiritus.* (e) *Jerem.* XXXI, 33, 34.

(f) ℣. 15. .... Μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι. ℣. 16. Αὕτη ἡ διαθήκη, *&c.* 17. Libri complores ferunt: Ὕστερον λέγει. Καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν . . . Οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι. Alii: Τότε λέγει. Alii: Ὕστερον λέγει κύριος. Alii: Τότε εἴρηκεν. Optimi tamen codices hoc non legunt, & cum Vulgatâ conſentiunt; unde ſuſpicio eſt, id additum eſſe a Librariis.

Digitized by Google

℣. 19. Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti,

℣. 20. Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, ideſt, carnem ſuam,

℣. 21. Et Sacerdotem magnum ſuper domum Dei:

℣. 22. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ,

℣. 23. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem; (fidelis enim eſt, qui repromiſit.)

COMMENTARIUS.

℣. 18: Nam *ubi horum remiſſio eſt, jam non eſt oblatio pro peccato* (g). Idem foret ac ſi ſanato jam vulneri medicamen admoveres.

℣. 19. HABENTES ITAQUE FIDUCIAM IN INTROITU SANCTORUM. Cùm igitur liceat nobis cum fiduciâ pedem inferre intra Cœli Sanctuarium, quod per Chriſti ſanguinem patuit, *accedamus cum vero corde in plenitudine fidei*, caſtis animis, & fide conſtantiſſimâ. Poſtquam Apoſtolus ſatis docuit Hebræos, novum fœdus veteri longè antecellere, inania eſſe vetuſta ſacrificia, & miram eſſe vim novi, ad morum inſtitutiones gradum facit. En alteram Epiſtolæ partem. Hebræos ad fidem, pietatem, patientiam, perſeverantiam hortatur.

Cùm ob Servatoris noſtri gratiam, ejusque paſſionis merita ſperemus futurum, ut ingrediamur aliquando in Tabernaculum æternum & Cœli Sanctuarium, quò Chriſtus Jeſus Pontifex noſter præceſſit, ejus adytum Sanguine ſuo patefaciens, ℣. 20, illum igitur ſequamur per eam, *quam initiavit nobis, viam novam & viventem* (quæ ducit ad vitam) quam ipſe ſignavit *per velamen, ideſt, carnem ſuam. Viam novam & viventem*, ſeu quæ ducit ad vitam (h), appellat, quòd ante Chriſtum nullis hominum veſtigiis notaretur; illam non novere Aaron, Moyſes, Patriarchæ; vel, ſi noverant prædixerantque, ipſi terere & cæteris patefacere non poterant. Unus Jeſus Cœli iter monſtravit, prior ipſe ingreſſus (i): *viam novam*, utì oppoſitam viæ veteri, per Legis ritus. Hæc neque ducebat ad vitam, neque mortis immunes efficiebat: at Evangelicum iter, a Jeſu Chriſto monſtratum, ad Cœlum ac beatitudinem ducit (k).

Addit Apoſtolus, monſtratam a Chriſto viam vitæ *per velamen, ideſt, carnem ſuam* (l): quibus verbis alludit ad velum, quo Sanctum a Sancto Sanctorum diſtinguebatur, quod auferri a Pontifice opus erat vel removeri, ut Sanctuarii adytus pateret. Quemadmodum igitur Pontifex quotannis ſemel in Sanctum Sanctorum, deductis veli partibus, adytum claudentibus, ingrediebatur; ita Dei Filius in Cœleſte Sanctuarium pedem non intulit, niſi aditu patefacto per carnem ſuam, quæ paſſionis illius cruciatibus (m), clavis, lanceâ, spineâ coronâ, flagris aperta eſt. Templi velum Chriſto moriente diſciſſum (n), imago fuit novi ad cœlum itineris, quod moriens Chriſtus aperuit.

S. Chryſoſtomus ac Theophylactus ita interpretantur: Cœlum aperuit Chriſtus per velamen carnis: ſublatâ in crucem ejus carne, atque in Cœlum illatâ, nos cœleſtia perſpeximus; quæ enim velo teguntur, nonniſi eo remoto conſpiciuntur. Theodoretus (o): Quemadmodum in Lege Pontifex per velum in Sancta Sanctorum introibat; ita & qui Chriſto credunt, per ſanctiſſimi corporis illius participationem cœleſti civitate fruuntur.

℣. 22. ACCEDAMUS CUM VERO CORDE, ſincero, præter fraudem, dolum, metum; animis ita pietate plenis, utì poſtulat Chriſtiana profeſſio (p); fide pleniſſimâ (q), *in plenitudine fidei*; certiſſimâ de Chriſti promiſſis fiduciâ; illud pro certo habentes, Tabernaculum iſtud ac Sanctuarium inconſpicuum, quamquam corporis oculis minimè obnoxium, omnino tamen exiſtere, nosque a Chriſto Jeſu eò certiſſimè inductum iri, ſi iter, quod ipſe monſtravit, religioſè tenuerimus.

ASPERSI CORDA A CONSCIENTIA MALA, ET ABLUTI CORPUS AQUA MUNDA baptiſmi (r). Luſtrationes Lege imperatæ corpus tantummodo a Legis maculis expiabant. Sanctiorem munditiem poſtulat Chriſtiana Profeſſio. Semel deterſi peccatis per baptiſmi aquas, hanc animi puritatem ſollicitè cuſtodiamus, vereamurque, ne antiquis ſordibus iterum inquinemus.

℣. 23. TENEAMUS SPEI NOSTRÆ CONFESSIONEM INDECLINABILEM (s). Suſceptam ſperandi profeſſionem conſtantiſſimè teneamus; ſive, ex aliorum Codicum lectione, In ſpe, quam profeſſi ſumus, ſive, in ſpei noſtræ promiſſione perſeveremus. Nihil ſit, quo ſpes veſtra quati queat, aut fidem, quam profeſſi eſtis, vobis auferat. Noſtis,

(g) Ὅπου δὲ ἄφεσις τούτων, οὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας. (h) Ὁδὸν πρόσφατον, καὶ ζῶσαν.
(i) *Chryſoſt.* Τί φησιν εἴσοδον ἐνταῦθα; τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν πρόσοδον τὴν εἰς τὰ πνευματικὰ, ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν, τουτέστιν, ἣν κατεσκεύασε, καὶ ἧς ἤρξατο.
(k) *Idem, ibidem*: Καὶ καλῶς ὁδὸν πρόσφατον φησι, καὶ ζῶσαν. Ἡ γὰρ πρώτη ὁδὸς, θανάτου ἦν, ἐπὶ τὸν ᾅδην ἄγουσα, αὕτη δὲ ζωῆς. Καὶ οὐκ εἶπε, ζωῆς, ἀλλὰ ζῶσαν αὐτὴν ἐκάλεσε, τὴν μένουσαν οὕτω δηλῶν. (l) Διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.
(m) *Vide Grot. Gemar.* (n) *Matt.* XXVII, 51.
(o) *Theodoret.* Ὥσπερ γὰρ ὁ κατὰ νόμον ἀρχιερεὺς διὰ τοῦ καταπετάσματος εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσῄει... Οὕτως δὲ οἱ εἰς τὸν Χριστὸν πεπιστευκότες διὰ τῆς παναγίου σώματος μεταλήψεως τῆς ἐν οὐρανοῖς ἀπολαύουσι πολιτείας. (p) *Theophyl.* Μετὰ ἀληθινῆς καρδίας, ἀδόλου, ἀνυποκρίτου πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, ἢ ἀδιστάκτου, μηδὲν ἀμφιβαλλούσης, μηδὲν ἐνδοιαζούσης περὶ τῶν μελλόντων, καὶ διὰ τοῦτο μικροψυχούσης. (q) Ἐν πληροφορίᾳ πίστεως. *Vide Theodoret.*
(r) *Vide Chryſ. & Theophyl.* Λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ τῷ τοῦ βαπτίσματος, καθαρῷ δὲ ἢ τῷ καθαροὺς ποιοῦντι, ἢ τῷ μὴ ἔχοντι αἷμα μεμιγμένον, ὡς τὸ παλαιὸν τὸ τῆς σποδοῦ.
(s) Κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος ἀκλινῆ. *Alii*: Τὴν ἐλπίδα τῆς ὁμολογίας. *Alii*: Τὴν ἐπαγγελίαν τῆς ἐλπίδος. *Alii*: Τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως. *Vide Mill. hic.*

℣. 24. Et conſideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum:

℣. 25. Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tantò magis quandò videritis appropinquantem diem.

℣. 26. Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia;

COMMENTARIUS.

ſtis, quibus conditionibus amplexi eſtis Chriſti fidem, quid vobis pollicitus ſit Dei Filius, quod exemplum ipſe præbuerit. Præſtandum eſt jam quod promiſiſtis ipſi, ſi vultis ab eo promiſſa præſtari; mutuo enim nexu ſibi reſpondent quæ vos & quæ ipſe promiſit.

℣. 24. CONSIDEREMUS INVICEM IN PROVOCATIONEM CHARITATIS. Unuſquiſque alterius virtutem & laudes inſpiciat, ut illum imitetur, ejuſque exemplo melior fiat (t). Siquis fortè a fervore cadit, illum veſtræ alacritatis exemplo verbiſque adhortamini.

℣. 25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM, Fidelium cœtum. Siquis vobis moleſtiæ aut offenſioni eſt, ne idcirco a Fidelium cœtu removeamini (u); ne diſcedatis a communione precum a fratribus habitarum, uti ſolent nonnulli, qui ob aliqua cæterorum vitia Eccleſiam deſerunt, cùm ſtudendum illis eſſet, ut & illorum infirmitatem æquo animo ferrent, & errantes lenibus exhortationibus ad officium revocarent. Animadvertimus in Epiſtolas ad Romanos (x) & ad Corinthios (y), non leves fuiſſe in exordio Eccleſiæ lites de Legis rituum obſervatione, ciborumque delectu; cùm alii, majori virtute & cognitione præditi, quolibet cibi genere uti non vererentur, ſpreto Legis interdicto; alii per metum & ignorantiam ducerent, ſervandas ſibi eſſe Legis ſanctiones, quàm latè paterent. Ex his ſententiarum diſſidiis illud inteſdum oriebatur, ut quidam a cæteris diſcederent, vitarentque conſuetudinem illorum, qui Evangelicam libertatem ſectabantur. Huic fortaſſe diſſidio remedium his verbis præbet Apoſtolus.

QUANDO VIDERITIS APPROPINQUANTEM DIEM Judicii (z), de quo in conſequentibus; ſive diem mortis, a quo nemo abeſt, quique ſingulis dies judicii eſt. Denique uſurpari poteſt de ſeveritate, qua Deus mox animadverſurus erat in Jeroſolymitanos Judæos, verbis ſuis incredulos, & Eccleſiæ ſuæ inimicos. Poſtrema hæc explicatio maximè omnium proclivis videtur. Jeroſolymæ excidium ſeptimo poſt hanc Epiſtolam anno contigit; idque a Sacris Novi Teſtamenti Scriptoribus ceu alter Jeſu Chriſti adventus plerumque exhibetur. Ingens terroris argumentum veris Fidelibus eſſe debuit miſerrimæ urbis caſus, ubi tam multi crimine vacui obvolvendi erant communi reorum fato; imò & miſerabilior futura erat eorum calamitas, ſi omnes æquè paribus peccatis inquinarentur. Malorum exitium nunquam non metum & formidinem in bonorum mentibus parit, cùm nemo juſtus ſit, qui cadere juſtitiâ nequeat (a), nullumque peccatum ſit, quod patrare ſinguli non queamus, niſi gratiâ Servatoris ſuſtineamur (b).

℣. 26. VOLUNTARIÈ ENIM PECCANTIBUS NOBIS, &c. Temerè expectaveris, ut Chriſtus iterum ſalutis tuæ cauſâ mortem ſubeat. Unum eſt Chriſti ſacrificium, neque iteratur, quemadmodum fusè docuit Apoſtolus (c). *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato*, ob peccatum, *mortuus eſt ſemel* (d). Quæ ſententia eadem fermè eſt ac illa (e): *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritûs Sancti, guſtaverunt bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, renovari ad pœnitentiam*. Quemadmodum Chriſtus iterum mori non poteſt; ita & vos iterum ablui baptiſmo, mortis Chriſti ſymbolo, non poteſtis; quippe qui cum eo aquis ſalubribus ſepulti eſtis, atque in vitam quodammodo revocati, dum unà cum Chriſto ex iis aquis emerſiſtis (f).

Hæretici quidam, veluti Novatiani, hiſce locis abuſi, eos qui ſemel poſt baptiſmum peccaſſent, a pœnitentiâ arcebant; idque fortaſſe in cauſâ fuit, cur hæc Epiſtola a nonnullis Eccleſiis diu in Scripturarum Canonem non acciperetur. At opus omnino eſt, ut neceſſe ſex veritatis capita, inter ſe minimè pugnantia, cum ipſo Apoſtolo amplectare: I, Baptiſmum non iterari: II, Chriſtum bis mortem ſubire non poſſe: III, gravia crimina, poſt Baptiſmum admiſſa, ægrè condonari: IV, nullum penitus crimen veniæ incapax eſſe, præter deſperationem & obduratam in ſcelere ad mortem uſque pervicaciam: V, Nullas in Moſaicâ Lege hoſtias eſſe, expiandis criminibus aptas: VI, unam denique obtinendæ peccatorum poſt Baptiſmum admiſſorum veniæ rationem eſſe Pœnitentiæ Sacramentum, cujus aditu neminem unquam prohibuit Eccleſia; tametſi prioribus Religionis Chriſtianæ ſæculis privatæ quædam Eccleſiæ graviora aliqua crimina Divinæ miſericordiæ reliquerint, cùm indignos exterioris reconciliatione cenſerent eos, qui fœderis ſanguinem indigniſſimè profanaſſent, acceptamque gratiam contempſiſſent. In-

(t) *Theophylact. Chryſoſt. Grot. Riber. Men. Eſt.*

(u) *Chryſoſt. hîc. Grot. Men. Zeger. Tir.*

(x) *Rom.* xiv, 1, 2, *& ſeq.* xv, 1, *& ſeq.*

(y) 1 *Cor.* viii, 8, 9, *& ſeq.*

(z) *Vide Heb.* ix, 26, 27, 28. *Ita Eſt. Men. &c.*

(a) 1 *Cor.* x, 12: *Qui ſtat, videat ne cadat.*

(b) *Aug. Confeſſ. l.* 4, *c.* 2: *Quid enim ſum ego mihi ſine te, niſi dux in præceps? Et ſerm.* 99, *c.* 6, *nov. Edit. p.* 523: *Nullum eſt peccatum quod facit homo, quod non poſſit facere & alter homo, ſi deſit rector, a quo factus eſt homo.*

(c) *Heb.* ix. 25, 26, 27, 28; x, 10, 11, 12, 18.

(d) *Rom.* vi, 9.

(e) *Heb.* vi, 4, 5, 6.

(f) *Rom.* vi, 4, *& ſeq. Coloſſ.* ii, 12.

℣. 27. Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.

℣. 28. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ullâ miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur:

℣. 29. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenri pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?

℣. 30. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia judicabit Dominus populum ſuum.

℣. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.

℣. 32. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum:

COMMENTARIUS.

Interpretibus qoamplurimis (g) peccatum, de quo hic Apoſtolus, videtur eſſe defectin a Religione Fideque Chriſtianâ, cùm ſcilicet quis ſciens prudensque, reluctante conſcientiâ, corpos Eccleſiæ deſerit, ejusque inſtitutiones impugnat, ac mores & diſciplinam per calumniam damnat. Ajuot alii (h), peccatum eſſe in Spiritum Sanctum, cujus meminit Evangelium (i). Nos genericè de gravioribus peccatis interpretamur, præſertim verò de iis, qui cum veritate Religinnis magis pugnant, puta idolorum cultu, deſertione Religionis, hæreſi. Iſta eriminum genera cum iis componuntur, quæ in Veteri Teſtamento ſignificantur his verbis: *Peccare elatâ manu*, confidenter, audaciſſimè.

℣. 27. TERRIBILIS QUÆDAM EXPECTATIO JUDICII, ET IGNIS ÆMULATIO (k), ardor ignis. *Ignis æmulatio* ſignificat, ignem quodammodo iraſci ac furere in eos, qui datam Deo fidem violant, ſuoque furori ſatisſacere dum illos vorat, & Conditoris injurias ulciſcitur. Impios hoſce non manet nova pro peccatis hoſtia, ſed formidanda Dei animadverſio, ignisque acerrimus, quo totâ æternitate vorandi ſunt, non abſumendi. Alludere videtur Apoſtolus ad illa Moyſis (l): *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator.*

℣. 28. IRRITAM (m) QUIS FACIENS LEGEM MOYSI ex aliquo capite, quod capitali pœnâ interdicitur, SINE ULLA REMISSIONE DUOBUS VEL TRIBUS TESTIBUS MORITUR. Multo igitur magis ii, qui pernicioſis publicisque criminibus Legem Evangelicam violant. Sive, qui populum fallere ſtudent conſictis vaticiniis aut revelationibus; ſeu qui pertrahere in ſuperſtitionem perfidiamque conantur (n); vel denique qui Dei Legem publicè deſerentes, idolorum cultum externamve Religionem amplectuntur (o); hi quidem, dictâ illis apud Judices die, duobus tribuſve teſtibus, omnino capitali ſupplicio perimuntur: cur ii, qui relictâ Chriſti Religione, Fœderis ſanguinem proculcaverint, paribus gravitate criminum ſuppliciis non punientur?

℣. 29. QUANTO MAGIS PUTATIS DETERIORA MERERI SUPPLICIA, QUI... SANGUINEM TESTAMENTI POLLUTUM (p) DUXERIT? Chriſtianæ Religionis deſertores teterrimis coloribus pingit Apoſtolus. Hi Dei Filium proculcant, fœderis ſanguinem proſanant, Spiritui Sancto injuriam irrogant. Audiri iſta citra horrorem nequeunt: at nihil niſi veriſſimum ſonant, cùm agant de ſcelere hominis, qui deſertâ Religione ad idololatriam vel infidelitatem convertitur, poſtquam ablutus eſt Baptiſmo, Corporis & Sanguinis Chriſti particeps fuit, gratiæ ſuavitatem & dona Spiritûs guſtavit.

℣. 30. SCIMUS ENIM QUI DIXIT: MIHI VINDICTA. Ex Deuteronomio (q), ubi Deus de ingrato, infideli, inconſtanti populi ſui animo queritur. Hæc verba Paulus aptiſſimè accommodat Chriſtianis deſertoribus, atque in Numinum ſuperſtitionem aut hæreſim lapſos. Novimus, quanta ſit poteſtas ac ſeveritas illius, qui injuriarum ſuarum ultionem ſibi ſervavit, & eodem loco dixit (r): *Judicabit Dominus populum ſuum*; omnem judicii ſeveritatem in populum exeret; talia ſcelera impune eſſe non patietur. Sive; *Judicabit populum*, moderabitur, proteget, irrogatas illi injurias ulciſcetur (u). Maximè omnium proclivis videtur hæc explicatio Moſaicæ ſententiæ, quam Apoſtolus Eccleſiæ, a peſſimis Chriſtianis ac deſertoribus contumeliâ affectæ ac proſciſſæ, aptiſſimè accommodat.

℣. 31. HORRENDUM EST INCIDERE IN MANUS DEI VIVENTIS, atque immenſum iræ ac ſeveritatis illius pondus totâ æternitate experiri (x). Inimicus morti obnoxius parere moleſtiam usque ad mortem poteſt; ſæpe etiam illius ira deferveſcit. At Deus æternum vivit, nunquam ſententiam mutat; obitâque potiſſimùm morte graviſſimus eſt inimicis.

℣. 32. REMEMORAMINI PRISTINOS DIES, quibus Chriſti Jeſu Fidem ampleri eſtis, ET IN QUIBUS ILLUMINATI per Baptismum, quem Patres (y) Sacramentum illuminationis nuncupant. Alii (z) pla-

(g) *Huſſel. Men. Eſt. Riber. Cutbar. Titelm. Ham. Eraſm. Vat.* (h) *Bez. Gerhard. Gomar.*
(i) *Matt.* XII, 31. (k) Καὶ πυρὸς ζῆλος. *Theophyl.* Ὅρα πῶς δίκην ἐψύχωσε τὸ πῦρ. καθάπερ γὰρ θηρίον παροξυνόμενον οὐ παύεται ἕως ἂν λάβῃ τινὰ, καὶ κατεφαγὸν κορέσῃ τὸν θυμόν. Confer *Ezech.* XXXVI, 5: *In igne zeli mei. Sophon.* I, 18: *In igne zeli ejus devorabitur omnis terra, &c. Riber. Eſt.* (l) *Deut.* IV, 24. (m) Ἀθετήσας, *Qui contempſit, abjecit, violavit, abrogavit, &c.*
(n) *Deut.* XIII, 1, 2, 3, *& ſeq.* (o) *Deut.* XVII, 2, 3, *& ſeq.* (p) Τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος. *Oecum.* Τὸ μηδὲν τῶν ἄλλων διαφέρον, *Commune, pollutum, profanum, immundum.*
(q) *Deut.* XXXII, 35. (r) *Deut.* XXXII, 36. (u) *Grot. Eſt.*
(x) Confer 2 *Reg.* XXIV, 14: *Melius eſt ut incidam in manus Domini. Eccli.* II, 18; *Dan.* XIII, 23.
(y) Vide nos in *Heb.* VI, 4. *Theodoret. Eſt. Riber. Druſ. Men. alii paſſim.*
(z) *Chryſoſt. Theophyl. Riber. Grot. Jun. Jac. Capell. &c.*

℣. 33. Et in altero quidem, opprobriis, & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem ſocii taliter converſantium effecti.

℣. 34. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.

℣. 35. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.

℣. 36. Patientia enim vobis neceſſaria eſt; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.

℣. 37. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.

COMMENTARIUS.

planiùs interpretantur de inſtitutionibus, quibus inſtructi fuere, cùm ſacris myſteriis & Religionis Chriſtianæ arcanis initiarentur. Incredibili tunc animi ardore incepiſtis, *& magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum*, quibus vos fratres veſtri exagitavere. Naſcens Chriſti Eccleſia incredulorum Judæorum odiis non rarò fuit obnoxia. Ex Actis Apoſtolorum diſcimus, quantus fuerit illorum furor in Diſcipulos primoſque Chriſtianos.

℣. 33. ET IN ALTERO QUIDEM OPPROBRIIS SPECTACULUM FACTI (a), &c. Hinc injuriis exagitati, illinc conjuncti iis qui in malis talibus verſabantur: ipſi malis oppreſſi, bona veſtra direpta, injuriis affecti fratres; ſive: Tum vos excruciati, tum fratres, quorum ærumnas ipſi ſentiebatis, & dolendo de ipſis, & neceſſaria ſubminiſtrando.

℣. 34. NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS. Interfecto Stephano, quamplures e Chriſtianis in vincula dati fuere. *Facta eſt perſecutio magna*, ait Lucas (b), *in Eccleſiâ quæ erat Jeroſolymis*; quique fugâ elabi potuerunt, in Judæam latè univerſam & Samaritidem diſperſi ſunt. Videntur eo tempore direpta fuiſſe Fidelium bona, ceu in populari tumultu, & Judicum ac Magiſtratuum auctoritate publicata. *Et rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*. Neque tamen id veſtram conſtantiam fidemque labefactavit; imo idipſum viſum vobis eſt Numinis beneficium. Plerique Jeroſolymitani Fideles bona ſua in commune contulerant (c); alii operibus charitatis inſumenda ſervaverant; utrique verò fortunis exuti, ad extremas rerum anguſtias devenerunt; quamobrem opus fuit, ut illos Apoſtoli charitati Fidelium in remotis regionibus commorantium commendarent (d); & ſuperioribus in Epiſtolis vidimus, quo ſtudio, qua ſolicitudine Paulus opem illis ex Eccleſiis Græciæ, Aſiæ, & Macedoniæ comparaverit.

Græcus vulgatus hîc fert (e): *Vinculis meis compaſſi eſtis*. Alii (f): *Vinculis compaſſi eſtis*. Alii (g): *Vinculis eorum*. At Codex Alexandrinus (h), Claromontanus, alii complures, Syriaca, Coptica, S. Chryſoſtomus, &c. cum Vulgatâ conſentiunt.

COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM ET MANENTEM SUBSTANTIAM, bona meliora & permanſura. Græcus (i): *Cognoſcentes vos habere in vobis ipſis meliorem ſubſtantiam in cœlis & permanſuram*. Eximii tamen Libri complures Vulgatam tuentur. Chriſtiani hominis animus eo gaudet, quòd theſaurum in cœlis habeat, quò neque hominum malitia neque vis injuſta perveniunt (k), atque ubi ſpei illorum argumentum auferri nequit.

℣. 35. NOLITE AMITTERE CONFIDENTIAM VESTRAM. Cùm tot tantaque mala juſtitiæ & veritatis causâ pertuleritis, ne animo cadatis, aut retro convertamini, hoſtiumve conatibus terreamini: fidem conſtanter ſervate, bonaque in Cœlis expectata (l), ad quæ ſpes omnis veſtra contendit, per ignaviam ne amittatis. Sive, ne cadatis fiduciâ & conſtantiâ, qua Chriſtum Jeſum hactenus confeſſi eſtis.

℣. 36. PATIENTIA ENIM VOBIS NECESSARIA EST. Satis non eſt cœpiſſe, niſi ad finem usque perſeveraveritis (m). Sive: Opus eſt, ut præmium, quod expectatis, ſolatio vobis ſit inter mala, quibus exagitamini (n). Mementote, hanc ita eſſe neceſſariam, ut Cœlorum aditus nonniſi per eam pateat. Mementote, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei* (o). Viam hanc Chriſtus ipſe oſtendit, primus ipſe calcavit.

℣. 37. ADHUC ENIM MODICUM ALIQUANTULUM, QUI VENTURUS EST, VENIET. Hoc & conſequente membro ſpectare videtur Apoſtolus verba Habacuci, II, 3, 4. Mox venturus eſt Deus, ut reddat unicuique pro meritis. Si ad ſupremum usque ſpiritum perſeveraveritis, mercedem laboris accipietis: qui verò a veritate defecerint, æternis ſuppliciis addicentur. In foribus, ut ita dicam, mors eſt: ea ſingulorum ſortes definiet. Sunt (p) qui explicent de animadverſione, qua poſt annos ſeptem aut octo Deus in Jeroſolymam, Prophetarum ſervorumque Dei carnificem, erat ſæviturus. Mox Domini diem viſuri eſtis, veſtrique hoſtes Divinæ juſtitiæ pondere opprimentur. Alter Filii Dei adventus, & ſupremum Judicium non rarò in ſacris Libris cum vaticinio de Jeroſolymæ excidio, formidabili illo Divini furoris exemplo, & luculentiſſimâ ſupremi & ge-

(a) Θεατριζόμενοι, *In theatrum producti, ſpectaculo expoſiti*: in theatro quodammodo expoſiti, cæterorum exemplo, cùm tanta mala pateremini. (b) *Act.* VIII, 1. (c) *Act.* IV, 35.
(d) *Galat.* II, 10. (e) Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συμπαθήσατε. (f) Τοῖς δεσμοῖς συμπαθήσατε. *Ita Origen. protreptic.* (g) *Clarom. & S. Germ. Latini.* (h) Τοῖς δεσμίοις συμπαθήσατε. *Ita Steph.* ϛ, ζ, *&c.*
(i) Γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ μένουσαν. *Alii*: Γινώσκοντες ἔχειν ἑαυτοῖς. *Ita Syr. Arab. Æth. Alex. Clem. Alex. Germ. Lat. Clarom. Lat. &c. Alii*: Ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς. *Ita Steph.* 4, *& alii plures tam Editi, quàm Mſſ. apud Mill.* Ἐν οὐρανοῖς *deeſt in Alex. Clarom. & S. Germ. G. L. Colb.* 7, *Copt. Æth. Vulg. Clem. Alex.* (k) *Matt.* VI, 20.
(l) *Eſt. Men. Tirin.* (m) *Vide Matt.* X, 22; XXIV, 13. *Grot. hic.*
(n) *Eraſm. Eſt.* (o) *Act.* XIV, 21. (p) *Vide Grot. Ham. alios ad* ℣. 35.

℣. 38. Juſtus autem meus ex fide vivit. Quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.

℣. 39. Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

COMMENTARIUS.

& generalis Judicii imagine, miſcentor.

℣. 38. JUSTUS AUTEM MEUS EX FIDE VIVIT. QUOD SI SUBTRAXERIT SE, NON PLACEBIT ANIMÆ MEÆ. Habacuc Propheta (q), ex quo hauſta eſt hæc ſententia, in Hebræo habet: *Ecce, qui incredulus eſt, non dirigetur anima ejus in ſemetipſo, ſive apud Deum: & juſtus ex fide vivet.* Apoſtolus, inverſo verborum ordine, ea ex LXX Interpretum Verſione recitavit (r): *Si diſtulerit, non placebit anima mea in illo. Juſtus autem ex fide meâ vivet*, Si hæc verba cum ſuperioribus jungas, hæc ſententia ex iis elici poſſe videtur: Quod per viſum cernitis, mox implendum eſt, neque deficiet: ſi diſtulerit Deus, expectate; procul dubio enim veniet, nec tardabit. Si dixerint: Res adhuc remota eſt, id ſutorom eſt moleſtum Deo: Juſtus autem ex fide meà vivet. Juſtum ab imminenti diſcrimine liberum & immunem ſervabit Deus, fidei illius & juſtitiæ præmio.

Hoc loco Paulus impiis, incredulis, Religionis Chriſtianæ deſertoribus accommodat id, quod Habacuc de ætatis ſuæ incredulis ajebat. Qui fidem ſuſceptam deſeruerint, ſive has minas ceu inanes habuerint, omnem Divini furoris vim experientur: at Juſti, Fideles, pii, Deum metuentes, atque in Fide perſeverantes, in æternitate vivent, paratiſque ſibi præmiis fruentur.

℣. 39 NOS AUTEM NON SUMUS SUBTRACTIONIS, ſeditionis, incredulitatis FILII (s): ex iis non ſumus, qui retro convertuntur, qui veritatem & juſtitiam indignâ defectione deſerunt: ne imitemur hujuſmodi homines, qui animis cadunt, & infideles efficiuntur. Sumus filii *fidei in acquiſitionem animæ*, opem ferente Deo, conſtantes ſumus in fide, ob animarum noſtrarum ſalutem.

CAPUT XI.

Fidei natura, encomium, effecta. Per fidem Patriarchæ & Prophetæ tam multa & mira geſſerunt: qui tamen promiſſa ſibi præmia abſque nobis non aſſequentur.

℣. 1. EST autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

℣. 2. In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EST AUTEM FIDES SPERANDARUM SUBSTANTIA RERUM, ARGUMENTUM NON APPARENTIUM (a). Superiori Capite Apoſtolus hortatus eſt Hebræos, ut patientiam & perſeverantiam colant, docuitque, unâ ipſorum fide, cum charitate boniſque operibus conjunctâ, eos poſſe tutos eſſe a Dei furore (b), in impios & incredulos exarſuro. Docet hîc, quid ipſa ſit fides, & eximia illius exempla in majorum, Patriarcharum, ac Prophetarum geſtis moribuſque proponit.

Fides, quam tantopere commendat, *eſt rerum ſperandarum ſubſtantia*, fundamentum: has præſto exhibet fides, ipſamque illarum veritatem & poſſeſſionem quodammodo præbet: imò ipſa eſt ſubſtantia earum rerum, quas per ſpem anticipatis (c), ait S. Chryſoſtomus: mentis veſtræ eſt oculus, inquit Theodoretus (d), ut ea quæ non videtis, & ſperatis tamen, intueamini. Id quod nondum exiſtit, per fidem quodammodo producitur. Corpora, quæ nunc in cineres reſoluta in ſepulcris jacent, quaſi in vitam jam revocata, per fidem cernimus. Fidei materia ſunt non ea modò quæ ſperamus, verùm etiam quæ credimus: quamobrem Apoſtolus fidem definiens ſive deſcribens, ait, fidem eſſe fundamentum, *ſubſtantiam*, veritatem, naturam rerum quæ ſperamus, & *argumentum*, demonſtrationem certiſſimam *non apparentium*, quæ tamen credimus, Habes hîc non Logicam fidei definitionem, ſed encomium & deſcriptionem per effecta; ſilentio enim prætermittitur potiſſima credendi cauſa ſeu ratio, Dei nimirum authoritas, cui mentem animumque ſubjicimus, cùm Deus credenda patefacit.

℣. 2. IN HAC TESTIMONIUM CONSECUTI SUNT SENES, majores. Cùm ſanctiſſimos hoſce viros Scriptura nuncupet Dei amicos & ſervos, eorum-

(q) *Habac.* II, 4. הנה עפלה לא ישרה נפשו בו וצדיק באמונתו יחיה

(r) Ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεώς μου ζήσεται. *Paul. hic:* Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, *Alii:* Ὁ δὲ δίκαιός μου. *Et ita Alex. & Edit. Ald. in Habac.* II; *& Alex. hic. Theodoret. Ep.* 22. *Vulg. Clem. Alex. Alii item*, Ἐκ πίστεώς μου. *Clarom. & S. Germ. G. L. Syr. Copht. Theodoret. in Habac. Cyprian. ad Quirin. l.* 1, § 5; *& l.* 3, § 42; *Euſeb. Demonſt. Evang. l.* 6, *c.* 14.

(s) Οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς εἰς ἀπώλειαν; *Non ſumus ſubtractionis ad perditionem; omiſſo, filii.*

(a) Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. *Aug. Tract.* 79 & 95 *in Joan. Eſt autem fides ſperantium ſubſtantia, &c.* (b) *Juſtus autem meus ex fide vivit.*

(c) *Chryſoſt.* Ἐπειδὴ τὰ ἐν ἐλπίδι ἀνυπόστατα εἶναι δοκεῖ, ἡ πίστις ὑπόστασιν αὐτοῖς χαρίζεται, μᾶλλον δὲ οὐ χαρίζεται, ἀλλ' αὐτό ἐστιν οὐσία αὐτῶν.

(d) *Theodoret.* Τὰ γὰρ οὐχ ὁρώμενα διὰ ταύτης ὁρῶμεν, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἐλπιζομένων θεωρίαν, ὀφθαλμὸς ἡμῖν γίνεται. Καὶ δείκνυσιν ὡς ὑφεστῶτα, τὰ μηδέπω γεγεννημένα, &c.

℣. 3. Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei; ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.

℣. 4. Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo; & per illam defunctus adhuc loquitur.

COMMENTARIUS.

que ſanctitatem ac virtutem Deus tam multis per eos & eorum gratiâ geſtis commendaverit, omnino opus erat, ut Hebræi, ad quos ſcribit Apoſtolus, libentiſſimè audirent ea, quæ de majoribus ſuis erat ipſe dicturus, atque his domeſticis exemplis magnoperè permoverentur.

℣. 3. Fide intelligimus aptata esse sæcula (e) verbo Dei, mundum verbo Dei eſſe conditum. Profectò quis, præter fidem, diceret? Nondum exiſtebat Adam, qui rerum conſpicuarum poſtremus ſub ſextæ diei finem conditus fuit. Neceſſe igitur fuit, ut creationis hiſtoriam ipſe traderet Deus aut Adamo ipſi aut Moyſi, qui rem ſcripto reliquit. Judæos docet Iſaias (f), quàm multis partibus ipſi cæteris gentibus præſtarent, cùm res a Deo ab exordio geſtas noſſent; cæteræ verò gentes nihil tale in rerum ſuarum hiſtoriis legerent. *Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque* (præter) *me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? vocet, & annuntiet* præterita, *& ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum: ventura & quæ futura ſunt annuntiet eis.*

Diu multumque conati ſunt Philoſophi creationis rerum cauſam, modum, tempus veſtigare: at fruſtra. Tranſitus ille, quo res non exiſtens exiſtere incipit, myſterium eſt humanæ menti prorſus ignotum, noſtriſque diſputationibus altius (g). Rerum æternitas commentum eſt ineptiſſimum. Mundi novitas ſexcentis rationibus demonſtratur. Una Verbi Dei vis omnipotens, & infinita Creatoris ſapientia, ſacris in voluminibus traditæ, ſolutionem hiſce difficultatibus afferunt. *Ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt* (h). Hic omnium Philoſophicarum quæſtionum finis, humanarumque dubitationum terminus, ubi fidei lumen conſulueris.

Ut ex inviſibilibus viſibilia fierent (i). Cave putes, mundum ex principiis antea exiſtentibus, ſed inconſpicuis, a Deo fuiſſe conditum. Chaos ipſum ex nihilo eduxit Deus, ex chao res univerſas, eo ordine & ſtatu, quem nunc habent, diſtribuendas. Sive, ut ait Scriptor ſecundi Macchabæorum libri (k): *Ex non exiſtentibus fecit illa* ut exiſterent. Cùm igitur ait Apoſtolus, Deum feciſſe ut *ex inviſibilibus viſibilia fierent*, ejus verba ita explicanda ſunt: Ex chao, quod nihil erat niſi informis, confuſa, inviſibiliſque materies, *rudis indigeſtaque moles* (l), conſpicuas res omnes & ſenſibus obnoxias hauſit. Sive, *inviſibile* eſt *non exiſtens*. Hominem ex homine, arborem ex arbore procreari conſpicimus. Statuarius artifex ſtatuæ materiam in terris conquiſcitur: at rerum initio nulla res erat, quæ ſui ſimilem procreare poſſet, neque ulla præſto erat materies, ex qua Deus res e materiâ concretas fingeret (m).

℣. 4. Fide plurimam (n) (præſtantiorem) hostiam Abel, quam Cain, obtulit Deo. Conſentiunt Interpretes, Abelis hoſtias non ex eo commendatas fuiſſe, quòd numero multæ eſſent, ſed quòd optimâ ſanctiſſimâque animi præparatione ab eo offerrentur. Fides Abelem Caino antepoſuit. Fide *teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo.* Quod verò teſtificationis indicium exhibuit Deus? Nempe igne Cœlitus miſſo, inquiunt Patres (o), quo Abelis dona in altari cremabantur: id quod commune non erat Caino. Hanc rem fuſiùs expendimus in Geneſim, IV, 4.

Per illam defunctus adhuc loquitur. Deus ad Cainum loquens, ait (p): *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* Huc alludit Apoſtolus (q). Abelis cruor vindictam poſtulans, cujus vocem exaudiit Deus, ſanctiſſimi ejus viri fidem oſtendit, docetque, quàm gratus is Deo eſſet. Loquitur Abel, vivitque Deo, vel poſt corporis ſui cædem (r).

Sunt qui Græcum reddant (s): *Per illam defunctus adhuc commendatur.* Sive, loquitur per eos, qui illius juſtitiam & innocentiam commendant: ejus fides adhuc loquitur, validâque voce ad mortales clamat: Diſcite vereri Creatorem, illi-

(e) Πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας. *Theophyl.* Καὶ χρόνους, καὶ πάντα τὰ ἔγχρονα.

(f) *Iſai.* XLIV, 7, 8.

(g) *Vide Chryſoſt. hic, homil.* 23.

(h) *Pſal.* XXXII, 9.

(i) Εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι.

(k) 2 *Macc.* VII, 28: Οὐκ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτά.

(l) *Geneſ.* I, 2. והארץ היתה תהו ובהו 70: Καὶ ἡ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος. *Vide Sap.* XI, 18: *Ex materiâ inviſâ.* (m) *Theodoret.* Ἐξ ὄντων γὰρ δημιουργοῦσιν ἄνθρωποι, ὁ δὲ τῶν ὅλων Θεὸς ἐκ μὴ ὄντων τὰ ὄντα παρήγαγε. *Chryſ. homil.* 22, *hic*: Ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα ἐποίησεν ὁ Θεὸς, καὶ ἐκ τῶν μὴ φαινομένων φαινόμενα, καὶ ἐκ τῶν οὐχ ὑφεστώτων τὰ ὑφεστῶτα. *Vide Grot. &c.* (n) Πλείονα θυσίαν. *Chryſ.* Ἐντιμοτέραν, λαμπροτέραν. *Theodoret.* Πλείονα τὴν τιμιωτέραν ἐκάλεσε. (o) *Ita Chryſoſt. Theophyl. alii. Vide ad Geneſ.* IV, 4, 5. *Grot. Eſt. Riber. Men. Jun. Piſc. alii.*

(p) *Geneſ.* IV, 10.

(q) *D. Thom. Eſt. Grot. Riber.*

(r) *Philo, lib. Quòd pejor inſidiatur meliori*: Ζῇ γὰρ ὁ τεθνάναι δοκῶν, εἴγε καὶ ἱκέτης ὢν Θεοῦ, καὶ φωνῇ χρώμενος εὑρίσκεται.

(s) Καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται, *Sed plerique legunt*: Ἔτι λαλεῖ. *Ita Cod. Alex. Steph.* 6, 9, *Frobeni. Ald. Vulg. Syr. Clem. Alex. Epiphan. Theodoret. Theophyl. Chryſoſt.* Πῶς γὰρ ἔτι λαλεῖ; τοῦτο καὶ τοῦ ζῆν σημεῖόν ἐστι, καὶ τοῦ παρὰ πάντων ᾄδεσθαι, θαυμάζεσθαι, καὶ μακαρίζεσθαι. *Ita & Theodoret.* Ἔτι λαλεῖ, ἀντὶ τοῦ ἀοίδιμός ἐστι μέχρι τοῦ παρόντος, καὶ πολυθρύλλητος, καὶ παρὰ πάντων εὐφημεῖται τῶν εὐσεβῶν.

℣. 5. Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.

℣. 6. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.

℣. 7. Fide Noe, reſponſo accepto de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum: juſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.

℣. 8. Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, neſciens quò iret.

℣. 9. Fide demoratus eſt in Terrâ repromiſſionis, tamquam in alienâ, in caſulis habitando cum Iſaac, & Jacob cohæredibus repromiſſionis ejusdem.

℣. 10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus.

COMMENTARIUS.

illique obſequium exhibere. Fideles omnes hortatur, ut fidem ſuam atque ad mortem usque conſtantiam imitentur.

℣. 5. FIDE HENOCH TRANSLATUS EST. Fidei merito illum Deus, mortis neſcium, reduxit ex terris. Magnæ fidei præmium in alterâ vitâ aſſequutus eſt; voluitque Deus in Enocho immortalitatis æternæque beatitudinis argumentum exhibere. Quem in locum translatus fuerit Enoch, non dicitur: hac de re disputavimus alibi (t). In Apocalypſim (u) videbimus, Enochum in terras venturum eſſe cum Elia ante ſupremum Judicium, ut hominum animos ad ſummi Judicis adventum comparet.

℣. 6. SINE FIDE AUTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO (x). Hæc junge cum ſuperioribus. Teſtatur de Enocho Scriptura, illum placuiſſe Deo, antequam e terris auferretur. *Ambulavit Enoch cum Deo*, ait Moyſes (y), Deo placuit, carus fuit. *Sine fide autem*, quæ virtutum omnium fundamentum eſt, *impoſſibile eſt placere Deo*. Plenus igitur fide Enoch fuit; *accedentem enim ad Deum credere oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Nemo ſervit alteri qui non eſt, ac præmium reddere nequit. Perſpicua hæc ſunt, & Profanis ipſis cognita. Dixit Cicero (z) *nullam eſſe religionem, ſi nullam rerum humanarum procurationem habeant Dii*. Satis non eſt, ait Plutarchus (a), Deum noſſe immortalem & beatum, ſed hominum amatorem, ſolicitum, juvantem... *Neque honor ullus deberi poteſt Deo, ſi nihil præſtat colenti, nec ullus metus, ſi non iraſcitur non colenti*, ſcribit Lactantius.

℣. 7. FIDE NOE RESPONSO ACCEPTO, monitus de futuro diluvio, fidem dictis Dei habuit; cùmque nullum adhuc eſſet indicium rei poſt annos centum & viginti futuræ (b), arcam condere inſtituit, geſtisque potiùs quàm verbis prædicare, Dei furorem mox in homines univerſos exarſurum (c); atque ita palàm *damnavit mundum*, Dei oblivione omnibusque flagitiorum generibus merſum. Ita *juſtitia, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus*. Juſtus coram Deo inventus eſt ob fidem (d): *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit*, teſte Moyſe. Itaque ſervavit Noëmum Deus ejusque familiam, atque univerſum orbem hæreditatis nomine illi tribuit, præmio fidei & virtutis: *Juſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus*.

℣. 8. FIDE QUI VOCATUR ABRAHAM, OBEDIVIT. Qui olim Abram, ac deinde Abraham (e) nuncupatus eſt, per fidem ex Chaldæâ migravit, relictâque Ur, ubi natales habuit, ac deinde Charane, ubi domicilium fixerat, venit in Chananæidem, quam nunquam viderat, nec noverat quidem, a florentiſſimâ & flagitioſiſſimâ gente tunc temporis occupatam. Tametſi iſta repugnarent, credidit Deo pollicenti futurum, ut eam regionem ipſi aliquando traderet: peregrinus ibi cum filiis fuit, ne unius quidem terræ pedis dominus (f); nullam ibi urbem aut domum condidit; mortem denique oppetiit, quin vel leve indicium cerneret explendæ promiſſionis, quam ſibi Deus exhibuerat. At nulla hujusmodi incommoda illius fidem firmamque de Deo fiduciam labefactarunt.

℣. 9. IN CASULIS HABITANDO CUM ISAAC ET JACOB. Quinque & ſeptuaginta annos cum Iſaaco, quindecim cum Jacobo ſuperſtes egit Abraham. Inſtitutum ab Abrahamo vitæ genus imitati ſunt Iſaac & Jacob, more Nomadum vitam agentes ſub pellibus.

℣. 10. EXPECTABAT FUNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM, cœleſtem Jeroſolymam, æternam viventium ſedem (g), CUJUS ARTIFEX ET CONDITOR DEUS. Spe Cœleſtis beatitudinis plenus, ſedem

(t) *Geneſ.* v, 24. (u) *Apocal.* xi, 3.

(x) *Græc.* Χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι. *Non legit, Deo; nec antiquiſſimi Codd. Latini. Vide Eſt.* (y) *Geneſ.* v, 22, 24. (z) *Cicero de nat. Deor. l.* 1.

(a) *Plutarch. lib. de communib. notitiis*: Οὐ γὰρ ἀθάνατον, καὶ μακάριον μόνον, ἀλλὰ καὶ φιλάνθρωπον, καὶ κηδεμονικὸν, καὶ ὠφέλιμον προλαμβάνεσθαι, καὶ νοεῖσθαι χρὴ τὸν Θεόν. *Vide Grot. hic; & l.* 2, *c.* 20, *art.* 46, *de Jure belli & pac.*

(b) *Chryſoſt. Theophyl. Vide Matth.* xxiv, 37, 38. (c) 1 *Petri*, iii, 20, 21; 2 *Petri*, ii, 5.

(d) *Geneſ.* vi, 9. (e) *Geneſ.* xvii, 5. (f) *Act.* vii, 5.

(g) *Vide Eſt. Men. Riber. Jun. Zeger. Capell. Hom. alios. Ita Patres.*

℣. 11. Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis; quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat.

℣. 12. Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc emortuo) tamquam ſidera cœli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris, innumerabilis.

℣. 13. Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.

℣. 14. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.

℣. 15. Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi:

℣. 16. Nunc autem meliorem appetunt, ideſt, cœleſtem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.

COMMENTARIUS.

dem in terris figere, domoſque condere neglexit.

℣. 11. FIDE ET IPSA SARA STERILIS (*h*). Compertum eſt, Saram & Abrahamum ad extremam uſque ſenectutem filiis caruiſſe. Centum annos natus erat Abraham, Sara nonageſimum attigerat, ac ſuâpte naturâ ſterilis erat, quo tempore promiſſum ſibi a Deo filium audiit (*i*). Sara, poſt tentorii oſtium latens, auditâ promiſſione riſit. Angelus Abrahamum alloquens, Saram arguit quòd riſerit. Sunt qui Saræ riſu aliquam in ipſâ incredulitatem oſtendi arbitrentur; ac fortaſſe illa, cùm primùm eam promiſſionem audiit, id fieri non poſſe exiſtimavit: at deinde ſpectatâ pollicentis præſtantiâ & dignitate, fretaque Dei omnipotentiâ, abſolutiſſimam Divinis promiſſionibus fidem habuit (*k*), filioque gravis fieri meruit (*l*).

℣. 12. AB UNO ORTI SUNT, ET HOC EMORTUO, innumeri. Hoc præmio donata eſt Saræ & Abrahami fides, quorum altera & annis & naturâ effœta erat, alter eâ ſenior, & ferè *emortuus*, ſcilicet ſenio confectus, ac præter ſpem ſobolis. *Nec conſideravit corpus ſuum emortuum*, ut ait Apoſtolus ad Romanos (*m*). Deus igitur Saram virtute concipiendi, & Abrahamum vi generandi divinitus inſtruxit, uti Doctoribus Judæis viſum eſt, quibus Interpretes multi ſuffragantur. Quamquam S. Auguſtinus (*n*) probabiliter cenſet, ſatis fuiſſe, ſi Sara vi concipiendi divinitus inſtrueretur; Abrahamum quippe, tametſi grandævum, generandi vim non amiſiſſe, uti conſtat ex nuptiis Agaris paulo ante initis, ac deinde cum Cethurâ, ex qua filios complures retulit (*o*). Abrahami corpus emortuum dicitur, non ex ſe, ſed relatum ad Saram ſterilem & annis effœtam.

℣. 13. JUXTA FIDEM DEFUNCTI SUNT OMNES ISTI, nondum expletâ Divinarum promiſſionum fide. Supremum diem obiit Abraham, nullius ſuoli dominus in Chanaanitide. Sara nuptias Iſaaci filii non vidit. Abraham Jacobum & Eſavum in lucem editos conſpexit. Quid verò iſtud, ſi conferatur cum promiſſis illi a Deo nepotum opibus, amplitudine, numero? Abel, Enoch, Noë par in hac vitâ virtuti ſuæ præmium non percepere. Iſaac & Jacob, nihilo meliori fortunâ quàm Abraham, nullum in terris prædium poſſederunt. Illos fides inter vitæ hujus ærumnas ſuſtinuit, *aſpicientes & ſalutantes a longe* (*p*) Cœleſtem patriam, navigantium inſtar, qui peractâ diuturnâ navigatione portum aſſequuti, ac patriam conſpicientes ſalutant. Ita verſabantur in terris ut peregrini, nullâque animi moleſtiâ ab eo ſolo diſcedebant, quod, tametſi amœniſſimum, vix umbra & imago erat germanæ ipſorum patriæ, in Cœlis poſitæ, quò omnia illorum vota ferebantur.

CONFITENTES QUIA PEREGRINI SUNT: veluti cùm Abraham filios Lothi alloquens, ajebat (*q*): *Advena ſum & peregrinus apud vos.* Iſaac ceu peregrinus Geraris (*r*) & in Palæſtinâ verſatus eſt. Jacob apud Ægypti Regem teſtabatur (*s*): *Dies peregrinationis meæ pauci & mali, centum & triginta annorum ſunt.* (14) QUI ENIM TALIA DICUNT, SIGNIFICANT SE PATRIAM INQUIRERE in Cœlis, nullamque hîc aut patriam aut ſedem ſibi eſſe. Si aut Uritæ aut Charanitæ habiti fuiſſent, facilis erat reditus, inquit Theodoretus.

℣. 16. IDEO NON CONFUNDITUR DEUS VOCARI

(h) Græcus vulgatus non legit *ſterilis*, στεῖρα; at legitur in vetuſtiſſimis codicibus, in Cophticâ, Syriacâ, Æthiopicâ, &c. (i) *Geneſ.* XVIII, 10, 11, 12, *&c.* (k) *Vide Theodoret. Riber. Pucæ. alios.*

(l) Δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε, *Virtutem ad dejectionem, emiſſionem, ejaculationem ſeminis; vel ad recipiendum, ſeu concipiendum ſemen viri.* Chryſoſt. homil. 23: Τί ἐστιν εἰς καταβολὴν σπέρματος; εἰς τὸ κατασχεῖν τὸ σπέρμα. Εἰς ὑποδοχὴν δύναμιν ἔλαβεν, *&c.* *Theophyl.* Ἐνεδυναμώθη εἰς τὸ ὑποδέξασθαι, καὶ κρατῆσαι τὸ ὑποβληθὲν εἰς αὐτὴν σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ. Ἢ ἐπειδή φασί οἱ ταῦτα ἀκριβωσάμενοι, καὶ τὴν γυναῖκα οἰκεῖόν τι σπέρμα ἀφ' ἑαυτῆς συνεισάγειν, μήποτε ὅτι ἐλήφθη τὸ εἰς καταβολὴν σπέρματος, ἀντὶ τοῦ, εἰς τὸ καταβαλεῖν καὶ αὐτὴν σπέρμα. *Ita ſentiunt Grot. Druſ. Jun. Gemar. Piſc. Alii negant, mulierem emittere ſemen, ut Eſt. Bez. Jun. Capell. Ariſtot. l.* 1, *c.* 20; *l.* 2, *c.* 4. *de gener. animal. Averroes, Avicenna, alii non pauci e recentioribus.* (m) *Rom.* IV, 19. (n) *Aug. l.* 16 *de civit. c.* 8; *& qu.* 35 *in Geneſ. Vide Perer. in Rom.* IV, 19. (o) *Geneſ.* XXV, 1.

(p) Ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες, καὶ πεισθέντες, καὶ ἀσπασάμενοι: *Eas a longè videntes, & perſuaſi, & ſalutantes eas a longè.* At πεισθέντες, *perſuaſi*, non habent codices melioris notæ, *G. & L. Clarom. S. Germ. Alex. Colb.* 7, *Cant.* 2, 3, *alii plures, Syr. Arab. Æth. S. Chryſoſt. &c.* (q) *Geneſ.* XXIII, 4. (r) *Geneſ.* XXVI, 1, 2, 3, *& ſeq.* (s) *Geneſ.* XLVII, 9.

℣. 17. Fide obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones;
℣. 18. Ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen:
℣. 19. Arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: unde eum & in parabolam accepit.
℣. 20. Fide & de futuris benedixit Iſaac, Jacob, & Eſau.
℣. 21. Fide Jacob moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus.

COMMENTARIUS.

ri Dros sorum. Terreni Reges nomina deſumunt aut ex loco imperii, aut ex gentibus ſubditis, quibus imperium frequentatur. Deus Moyſem in rubo alloquens (t), Deum ſe Abrahami, Isaaci, Jacobi nuncupat; eo nomine ſignificans, proprios ſibi ſubditos eſſe viros hoſce ſanctiſſimos, & cœleſtis Regni ac ſpiritalis inviſibilisque Jeroſolymæ hæredes (u).

℣. 17. Fide obtulit Isaac, cum tentaretur, præbereique illi Deus exercendæ virtutis atque obedientiæ opportunitatem, nobis verò abſolutiſſimæ fidei, ac perfectæ erga Deum ſubjectionis exemplum (x). Ait Apoſtolus, oblatum ab Abrahamo Isaacum, Abrahamum ſcilicet animum comparaſſe ut filium mactaret, ac per illum non ſtetiſſe, quin Isaac mactaretur. *Immolari ſibi Deus filium juſſit: Pater obtulit, &, quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolavit* (y).

℣. 18. Ad quem dictum est a Deo: Ex Isaaco naſcetur ſoboles de nomine tuo appellata. Sive Abraham obtulit Deo filium, *de quo dictum eſt*, &c. *Ad quem*, pro *de quo*, uti & ſupra, iv, 13: *Ad quem nobis ſermo*. Et *Hebr.* 1, 7: *Et ad Angelos*, pro, *Et de Angelis*, &c.

℣. 19. Quia et a mortuis suscitare potens est. Ut obedientiam, quam Deo exhibebat, mactato Isaaco, conciliaret cum promiſſione poſteritatis florentiſſimæ per Isaacum, cenſuit Abraham futurum, ut Deus mactatum Isaacum vivis reſtitueret. Alioqui, Dei promiſſiones & juſſa inter ſe pugnare videbantur.

Unde eum et in parabolam accepit, uti rei gerendæ figuram, reſurrectionis nempe in Isaaco peragendæ. Credidit, filium a Deo revocatum iri in vitam; ac reverà revocatus quodammodo in vitam fuit cùm redditus eſt Patri. Illum ex Deo accepit Abraham ceu ex morte reductum (z); ſive uti figuram reſurrectionis Jeſu Chriſti (a). Isaacus rogo impoſitus Chriſtum Jeſum in cruce ſuſpenſum; patri redditus illum in vitam reſtitutum ſignificabat.

℣. 20. Fide et de futuris benedixit Isaac. Isaac per fidem benedixit Jacobo & Eſavo, ita ut futura ſpectaret. Mentis oculos Isaaco aperuit Deus, illumque trans præſentia rapuit, ut Jacobo & Eſavo prædiceret nedum quid ipſis, verùm etiam quid ipſorum poſteris eſſet eventurum (b). Jacob natu minor Eſavo majori antefertur; & quamquam neque Abraham neque Isaac quicquam in Chanaanitide dominii jure obtinuerint, Isaac ejus regionis hæreditatem tradidit Jacobo, ceu rem, de qua decernere ſuo jure poſſet, ob promiſſiones Patri exhibitas. Jacob & Eſau figura erant duplicis populi, Judæorum & Gentilium (c), quorum ille electus, hic rejectus fuit. Huc usque fortaſſe ſpectavit Isaac, cùm Jacobo benediceret, excluſo Eſavo.

℣. 21. Fide Jacob moriens, singulos filiorum Joseph benedixit, Manaſſen & Ephraimum; divinoque lumine illuſtratus, Ephraimum Manaſſi prætulit, tametſi & naturæ ordo & pater ipſe Joſephus repugnarent (d). Noverat ille, florentiſſimam fore Tribum Ephraimi, ac decem Tribubus diu imperaturam.

Et adoravit fastigium virgæ ejus, quam filius manu gerebat. Ita explicant (e) verba LXX Interpretum, tum hîc tum in Geneſi (f), Eruditi quamplures. Fide plenus Jacob pronus adoravit virgam imperii, ſeu ſceptrum, quod gerebat Joſeph, divinam Jeſu Chriſti, cujus imago erat Joſephus, authoritatem, ſive regiam poteſtatem in Tribu Ephraimi futuram veneratus.

Alii Græcum reddunt (g): *Deum adoravit, innixus faſtigio ſcipionis*. Cenſent illi, ſurrexiſſe Jacobum & in lectulo conſediſſe, ut alloqueretur Joſephum, atque jurare cogeret, illatum iri corpus ſuum in majorum ſuorum tumulum; ac deinde caput inclinaſſe ſuper ſcipionem, Deum adoraturum, actumque gratias, quòd votorum ſummam ſibi conceſſiſſet. Hanc explicationem optimè admittit Græcus.

Denique S. Hieronymus, Aquila, Symmachus, & Interpretes, Hebræarum locutionum ſtudioſiores, vertunt (h): *Adoravit* Deum *Iſraël converſus ad lectuli caput*. Alii planius: *Reclinavit ſe ſupra lectuli caput*. Cùm Jacob in lectulo ſurgens conſediſſet, uti diximus, Joſephum obteſtatus, ut ſibi jurejurando polliceretur curaturum ſe, ut corpus ipſius ex Ægypto ablatum majorum ſuorum ſepulcro in Chanaanitide inferretur, diutiùs ſedere prohibitus ſenio & morbo, ſupra lectuli caput ſeſe reclinavit. Maximè omnium proclivis videtur hæc explicatio, & cum Hebræo conſentanea. Paulus tamen verſionem LXX Interpretum to-

(t) *Exod.* iii, 6.
(u) *Vide Theodoret. Eſt. Grot. Jun.*
(x) *Vide Theodoret. Eſt.*
(y) *Salvian. de Gubern. Dei, l.* 1, *p.* 56. (z) *Grot. Caſtal. Le Clerc, alii.*
(a) *Theophyl.* Ἐν παραβολῇ, ἀντὶ τοῦ, ἐν τύπῳ, εἰς ἔνδειξιν μυστηρίου τοῦ κατὰ Χριστόν. *Ita & Theodoret. & alii quàm plurimi.* (b) *Geneſ.* xxvii, 27, 28, &c.
(c) *Rom.* ix, 10, 11, 12, & *ſeq.*
(d) *Geneſ.* xlviii, 13. (e) *Chryſoſt. Theodoret. Eſt. Men. Tir. alii.*
(f) *Geneſ.* xlvii, 31: Καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ.
(g) *Aug. qu.* 162 *in Geneſ. Diodor. & Gennad. ad Geneſ.* xlvii. *Hieron. Quæſt. Hebr. Grot. hic, Eraſm. Jun. Jac. Capell. &c.* (h) וישתחו ישראל על ראש המטה *Aqu.* Προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. *Sym.* Ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης. *Vulg. Geneſ.* xlvii, 31: *Adoravit Iſraël Deum, converſus ad lectuli caput. Alii: Reclinavit ſe ad caput lectuli. Jun. Jac. Capell. Le Clerc, &c.*

℣. 22. Fide Joſeph moriens, de profectione filiorum Iſraël memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit.

℣. 23. Fide Moyſes natus, occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis, eò quòd vidiſſent elegantem infantem; & non timuerunt Regis edictum.

℣. 24. Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis,

℣. 25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem,

℣. 26. Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.

COMMENTARIUS.

totâ hac Epiſtolâ ſequitor.

℣. 22. Fide Joseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est. Fide ac vaticinio plenus Joſeph, prædixit fratribus, ipſos viſitatum iri a Deo *(i)*, oravitque, ut ſua ipſius oſſa in Chananitidem transferrent, cùm eò migrarent. Iſta de oſſibus ſolicitudo ſpem reſurrectionis videtur innuere.

℣. 23. Fide Moyses natus, occultatus est tribus mensibus a parentibus suis. Amram & Jocabed, Moyſis parentes, mandatum Pharaonis noverant, intelligebantque quanto cum diſcrimine eſſent filium ſervaturi. At cùm pariter ſcirent, promiſiſſe Deum Abrahamo, auctum iri ipſius ſobolem, ceu ſtellas cœli, atque Iſraëlitas aliquando eductum iri ex Ægypto, Regii furoris diſcrimen libentiſſimè ſubierunt, ut ſervirent Dei conſiliis, ſervato filio, cujus ortus Dei donum erat, & mira venuſtas Divinam erga illum benevolentiam, & ad magna electionem portendere videbatur *(k)*. Teſte enim Joſepho *(l)*, cùm Amram Moyſis pater, uterum gerente Jocabedâ, ſupplex a Deo quæſiviſſet, naſciturus ne eſſet puer, & quid orto puero agendum foret; monuit illum Deus, oriturum ex Jocabedâ filium fore Iſraëlitarum ex Ægypto liberatorem, ipſoſque Ægyptios oppreſſurum iiſdem malis, quæ illi necatis Judæis pueris evadere conabantur. Somnio cum Jocabedâ communicato, uterque puerum oriturum ſervare decreverunt. Facili ac felici partu enixa eſt Jocabed, quin cuſtodes animadverterent *(m)*. Iſta Joſephus ex veteri majorum narratione.

Græci quidam Latinique vetuſti Codices *(n)* in fine hujus membri hæc verba ſubtexunt: *Fide magnus factus Moyſes, occidit Ægyptium, conſiderans dolorem fratrum ſuorum*. Quæ ex Actis deſumpta eſſe videntur. Vide *Act.* VII, 24. Putat Zegerus, hæc verba in primævis hujus Epiſtolæ Exemplaribus occurriſſe, elapſa deinde paulatim Librariorum oſcitantiâ, cui occaſionem dedêre eadem verba, *Fide Moyſes grandis factus*, ſtatim ℣. 24 occurrentia.

℣. 24. Fide Moyses grandis factus *(o)*, negavit se esse filium filiæ Pharaonis. Moyſis mentem quàm maturrimè illuſtravit Deus; &, ſive is ex parentibus intellexerit, quid de ſe nondum in lucem edito prædixiſſet Deus, & quid deinde contigiſſet; ſive iſta arcano divinitus lumine didicerit; decora & commoda omnia, ex adoptione filiæ Pharaonis ſibi oritura, ſtatim aſpernatus eſt *(p)*, maluitque inter fratrum ærumnas ac labores, quàm inter Regiæ delicias eſſe. Dei promiſſiones, majoribus ſuis exhibitas, promiſſionibus fœminæ principis antepoſuit; maluitque Dei ſervus dici, quàm in Ægypto Princeps. Teſte enim Joſepho *(q)*, Thermuthis Pharaonis filia, utpote liberis carens, Regni hæreditatem Moyſi procurabat.

℣. 25. Magis eligens affligi cum Hebræis fratribus, quorum defenſorem eſſe noverat Deum, quàm brevibus peccati deliciis frui. Laborioſam Hebræorum vitam prætulit Regiæ deliciis, quibus præter culpam immorari non poterat: reum ſe criminis exiſtimaſſet, ſi, neglectis fratribus, voluptates ſectaretur *(r)*. Ubi ex Deo didicit, ſeſe Hebræorum Liberatorem eſſe deſtinatum, nihil antiquius habuit, quàm ut hujuſmodi decretum executioni mandaret.

℣. 26. Improperium Christi. Improperium Chriſti eſt vel illud, quod ejus causâ fertur, vel par illi quod Chriſtus pertulit *(s)*. Cum Moyſes Chriſti figura eſſet, exantlatis laboribus eos deſcribebat, quos erat Chriſtus ipſe paſſurus *(t)*. *Improperium Chriſti* hoc loco genus locutionis eſt illi perſimile, quod alibi habet Apoſtolus *(u)*, *Vinctus Chriſti*, pro, vinctus Chriſti causâ; *Afflictiones Chriſti (x)*, pro, ærumnæ ob Chriſti ſervitutem exantlatæ. Hujuſmodi locutione hîc utitur Apoſtolus, ut ſolatium afferat Hebræis, ad quos li-

(i) *Geneſ.* L, 25. (k) *Vide Grot. Eſt. Men. Tir. &c.*

(l) *Joſeph. Antiq. l.* 2, *c.* 5: Ὁ παῖς γὰρ οὗτος, οὗ τὴν γέννησιν Αἰγύπτιοι δεδιότες κατέκριναν ἀπολλύναι τὰ ἐξ Ἰσραηλιτῶν τικτόμενα, οὗτος ἔσται. *&c.* (m) *Ibidem*: Τοῖς μὲν τοι προκατηγγελμένοις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πίστιν ὁ τοκετὸς γυναικὸς παρέσχε, λαθοῦσα τοὺς φύλακας, διὰ τὴν τῶν ὠδίνων ἐπιείκειαν, καὶ τὸ μὴ βιαίας αὐτῇ προσπεσεῖν τὰς ἀλγηδόνας.

(n) *Cod. Clarom.* Πίστει μέγας γενόμενος Μωυσῆς ἀνεῖλεν τὸν αἰγύπτιον, κατανοῶν τὴν ταπείνωσιν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. *Clar. & S. Germ. Lat. Ita & alii quid. apud Eraſm. & Zeger.*

(o) Annos XL natus, ait S. Stephanus *Act.* VII, 23. (p) *Exod.* II, 10; *Act.* VII, 21.

(q) *Joſeph. Antiq. l.* 2, *c.* 5: Οὕτω δὲ τοῦτον (Μωϋσῆν) ἡ Θέρμουθις παιδοποιεῖται, γονῆς γνησίας οὐ μεμοιραμένη. Καί ποτε κομίσασα Μωυσῆν πρὸς τὸν πατέρα, ἐπιδείκνυσι τοῦτον, καὶ ὡς φροντίσειε διαδοχῆς, εἰ καὶ βουλήσει Θεοῦ μὴ τύχοι παιδὸς γνησίου.

(r) *Chryſoſt.* Ἁμαρτίαν εἶπε τὸ μὴ θελῆσαι τοῖς ἄλλοις συγκακουχεῖσθαι. *Theophyl.* Εἰ δὲ οἱ μὴ συγκακουχούμενοι, ἐκόντες τοῖς κακοπαθοῦσι, ἁμαρτάνουσι, τί λογιστέον περὶ τῶν κακούντων, ἢ κακοποιούντων. *Oecum. Riber.* (s) *Chryſ.* Ἀλλὰ τί, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ; τὸ γὰρ διὰ Χριστὸν ὀνειδίζεσθαι, βέλτιον ἡγήσατο τοῦ ἀνέσθαι. *Et poſt pauca*: Ὀνειδίζεσθαι ὀνειδισμὸν, ὃν ὁ Χριστὸς ὑπέμεινεν. *Alii plures.* (t) *Theodoret. D. Thom. Grot. Eſt.*

(u) *Philem.* ℣. 1, & ℣. 9. & *Epheſ.* III, 1. (x) *Coloſſ.* I, 24.

℣. 27. Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis: inviſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit.

℣. 28. Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.

℣. 29. Fide traſierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati ſunt.

℣. 30. Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.

℣. 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.

COMMENTARIUS.

literas dabat, quique ob Chriſti nomen probris maliſque opprimebantur.

℣. 27. FIDE RELIQUIT ÆGYPTUM, NON VERITUS ANIMOSITATEM (furorem) REGIS. Idcirco Hebræos opprimebat Pharao, ne illi ab Ægypto in aliam regionem diſcederent (y). Cùm Rex & Ægyptii omnes ſervorum operas ex Hebræis referrent, e re ipſorum erat, ut illi Ægyptum non deſererent. Moyſes Regi notiſſimus optimè intellexit, ſeſe ex Ægypto abeunte, Regis iram quammaximè exarſuram, ſeque diligentiſſimè quæſitum iri, ut in Pharaonis poteſtatem traderetur. At ingenti fide inſtructus diſcrimen contempſit: in Madianitidem, e regione Ægypti poſitam, feceſſit; Madianitidem quippe ab Ægypto diſterminat ſola Erythræi, eo loco anguſtiſſimi, intercapedo. Neque tamen ibi ignotus delituit, ductâ in uxorem filiâ Jethro, urbis Madian Sacerdotis ſeu Principis. Pro certo habuit futurum, ut Deus, qui ipſum ad populi liberationem ex Ægypti ſervitute deſtinaverat (z), opportunitatem aliquam, fruſtra reluctante Regis irâ, conſilia iſthæc explendi præberet.

At, inquies, qua ratione conciliaveris id quod ſcribit Paulus, Moyſem ſpretâ Regis irâ fugiſſe, cum iis quæ leguntur in Exodo (a), fugiſſe Moyſem ob Pharaonis metum, qui, auditâ Ægyptii hominis cæde a Moyſe perpetratâ, ipſum ad necem quærebat? Reſpondeo I, Moyſem timuiſſe diſcrimen, uti ſapientis eſt, at non eo uſque timuiſſe, ut ab officio debitâque erga Deum fiduciâ diſcederet. II, Imminens periculum timuit Moyſes, & vias evadendi ſibi a Providentiâ ſtratas cepit: at non ita timuit, ut tentaret Deum, & intempeſtiva miracula ab eo poſtularet. Minimè dubitavit, quin Dei ope diſcrimen evaderet, conſtitutaque de ſe decreta Deus executioni mandaret. Cautum quoddam eſt ac ſapiens timoris genus, cum animi robore & conſtantiâ non pugnans, ſed a temeritate diſcedens.

Metum ac fugam Moyſis in Exodo deſcriptam cum illius conſtantiâ & virtute ita conciliant S. Chryſoſtomus (b) ac Theophylactus, metuiſſe ſcilicet illum Regis iram, atque in Madianitidem confugiſſe; conſtantiam verò & animi robur oſtendiſſe, cùm in Ægyptum Deo jubente rediit, minimè veritus iram Regis, ad quem Dei mandata, moleſtiæ omnino illi futura, deferebat. Putat Theodoretus (c), conſtantiæ ſpecimen a Moyſe exhibitum, cùm necaret Ægyptium; prudentiæ verò, cùm ab Ægypto diſceſſit: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus indignationem Regis*; ſcilicet, Fide necavit Ægyptium, non veritus Regis iram; quamobrem fugâ elabi coactus eſt.

℣. 28. FIDE CELEBRAVIT PASCHA. Decimo die antequam ex Ægypto egrederetur (d), Dei juſſu Moyſes Iſraëlitis imperavit, ut in ſingulis ipſorum domibus pararetur agnus vel hœdus, mactandus eâ ipſâ nocte, qua omnes Ægyptiorum filii majores natu ab Angelo interfectore necati ſunt (e), qua pariter nocte egreſſus ab Ægypto contigit. Hac in re fides Moyſis emicuit, I, dum agnum ante dies decem parari juſſit; II, cùm monuit Hebræos, ut vaſa aurea & argentea, nunquam deinde reſtituenda, mutuo ab Ægyptiis quærerent; III, dum agnum Paſchalem mactari juſſit ceu victimam, qua Hebræi ſeſe ad iter & egreſſum ex Ægypto compararent, quamvis illos dimittere Pharao adhuc renueret; IV, oblitis agni ſanguine domorum, in quibus Iſraëlitæ verſabantur, poſtibus (f), ne interfector Angelus eas ſubiens quemquam occideret.

℣. 29. FIDE TRANSIERUNT MARE RUBRUM. Ingens fidei ſpecimen exhibuere Moyſes & Iſraëlitæ, illato pede intra alveum Erythræi, ad illorum tranſitum patentis, quin vererentur, ne undæ recurrentes ruerent, & tranſeuntes mergerent. Vide noſtram Diſſertationem de transfretatione Erythræi, ad Exodum.

℣. 30. FIDE MURI JERICHO CORRUERUNT; fide ſcilicet Iſraëlitarum, ac potiſſimùm Joſue & Sacerdotum, Arcam Fœderis circa muros Jerichuntis per dies ſeptem geſtantium, urbis mœnia ſeptimâ die, clamante ſtatim univerſo Iſraëlitarum exercitu, ſponte corruerunt. Id geſtum eſt ex vi divinæ promiſſionis, populo per Joſuam nunciatæ (g).

℣. 31. FIDE RAHAB MERETRIX NON PERIIT CUM INCREDULIS. Rahab, Chananæa fœmina, gentilis, flagitioſa, divino lumine illuſtrata, exploratores a Joſue miſſos excepit hoſpitio; futurum credidit, ut Deus Chananitidem univerſam in populi poteſtatem traderet, ex datâ Patriarchis fide; tam certò credidit, captum iri Jerichuntem, ut firmatam interpoſito Dei nomine promiſſionem ab exploratoribus exegerit, ipſam fore incolumem cum cæteris omnibus familiaribus, quos

(y) Exod. I, 10: *Venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, . . & expugnatis nobis, egrediatur de terrâ.*

(z) Act. VII, 25: *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum illius daret ſalutem illis.* (a) Exod. II, 14: *Timuit Moyſes, & ait: Quomodo factum eſt palam verbum iſtud? Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſen; qui fugiens de conſpectu ejus, &c.* (b) Chryſ. Theophyl. Φοβούμενος μὲν γὰρ ἦν τὸ μηδόλως ὑποστρέψαι, μηδὲ ἐγχειρίσαι ὅτι καὶ πρώην. Ἐπεὶ δὲ πάλιν ὑπέστρεψεν, ἔδειξεν ὅτι πιστεύει τῷ Θεῷ. (c) Theodoret. Τὴν μὲν Αἴγυπτον φοβηθεὶς κατέλιπε, θαρσαλέως δὲ τὸν αἰγύπτιον κατηκόντισε. Τὴν φυγὴν τοίνυν αὐτὶ τῆς αἰτίας τέθεικε τῆς φυγῆς. (d) Exod. XII, 3, 4. (e) Exod. XI, 4, 5; XII, 23, 29; Sap. XVIII, 5, &c.

(f) Πίστει πεποίηκε τὸ πάσχα, καὶ τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος.

(g) Joſue, VI, 3, 4, 5.

℣. 32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & prophetis;

℣. 33. Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum,

℣. 34. Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum:

℣. 35. Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem.

COMMENTARIUS.

ipſa domi habitura fuiſſet.

℣. 32. De Gedeon, Barac, Samson, cæteriſque. Cùm ad Hebræos ſacrarum hiſtoriarum peritiſſimos ſcriberet, curſim nominat celeberrimos hoſce viros, quorum geſta in totâ gente erant perſpectiſſima. Res nullius negotii erat oſtendere, ſingulos hoſce alio nomine magis quàm fide non commendari. Aliquid de ſingulis, ſuppreſſo nomine, deque aliis compluribus in conſequentibus memorat (h).

℣. 33. Qui per fidem vicerunt regna. Joſue Reges multos in Chanaanitide profligavit (i). Barac partâ de Siſarâ, Imperatore exercitûs Jabin Regis Aſor, victoriâ claruit (k); Gedeon Madianitas fudit (l); Jephte Ammonitas & Moabitas (m); Samſon haud ſemel Philiſtinos (n): Samuelis oratione inſignis habita eſt de iiſdem Philiſthæis victoria (o): David fidei merito Regnum Juda, Dei nomine a Samuele promiſſum, aſſequutus eſt; eâdemque fide duce innumeras fregit gentes, ſuoque adjecit imperio.

Operati sunt justitiam. Barac, Gedeon, Jephte, Samſon, Samuel Judices in Iſraële fuerunt; atque a Domino electi, tam ſanctè functi ſunt munere ſuo, ut in Scripturâ commendentur. Neque tamen ſingula illorum geſta probantur. Vitiis non caruit Samſon; non caruit Jephte, unâ filiæ mactatione peccaverit. Ipſi quoque Sacri Scriptores, bona & mala iſtorum geſta narrantes, bona laudant, non mala.

Adepti sunt repromissiones. Victorias retulere Barac & Gedeon, ut promiſerat Deus. Terror Philiſthinorum fuit Samſon, ut parentibus prædixerat Angelus. Exantlatis diuturnis perſecutionibus, David expletam vidit earum promiſſionum fidem, quas ſibi exhibuerat Deus, adeptus ſuæ gentis imperium.

Obturaverunt ora leonum. Spectantur his verbis potiſſimùm Samſon, qui infeſtum leonis catulum in vineis interfecit (p); David, qui cum urſis & leonibus ſe pugnaſſe aſſeruit (q); denique Daniel, qui in caveam leonum injectus, evaſit incolumis (r).

℣. 34. Extinxerunt impetum ignis. Danielis ſocii, in flagrantem fornacem injecti citra perniciem (s).

Effugerunt (t) aciem gladii: Elias gladium Jezabelis, Saülis David, Michæas Achabi, Eliſæus Jorami, &c.

Convaluerunt de infirmitate. Fidei merito ſanati ſunt divinitus Job & Ezechias. S. Chryſoſtomus (u) ejuſque aſſeclæ iſta interpretantur de captivitate Babylonicâ, quam Scriptura non ſemel ceu mortis & languoris ſtatum deſcribit. Ex eâ eripuit Hebræos Deus, robore & conſtantiâ inſtruxit; adeout Macchabæorum ætate integros exercitus fugaverint: *Fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum*. Accommodari poſſunt iſta ſingulis illis viris bello inſignibus, quos diximus: ad Macchabæos tamen potiſſimùm pertinere videntur. Nemo unquam fide inſtructior, acriorque, aut Religionis ſtudioſior Macchabæis: nunquam luculentiùs patuit omnipotens Dei protectio, quàm in bellis, quæ illi adversùs Syriæ Regum Imperatores geſſere.

℣. 35. Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Sunamitis fœmina, Eliſæi hoſpita (x), & Vidua Sareptana (y), quæ Eliam domi excepit, filios redivivos orantibus illis recepere. Utrumque autem illud prodigium tum fidei ipſarum præmium fuit, tum ſanctiſſimorum illorum hominum fidei, virtutis, & precum.

Alii autem distenti sunt. Cenſent complures (z), agere Apoſtolum de ſupplicio equulei, quo rei ſæviſſimè diſtendebantur, ita ut oſſa loco moverentur. Alii (a) explicant de rotæ ſupplicio, reorum corpora atrociſſimè diſtorquente. Sunt (b) qui capitis ſupplicium interpretentur: ſunt (c) qui quodlibet generatim ſupplicium. Verior tamen explicatio eſt, quam tradunt Theophylactus, Oecumenius, aliique quamplures (d): *Fuſtibus cæſi ſunt tympani modo crebris ictibus*. Fuſtuarium ſupplicium, adhuc uſitatum apud Orientales, ita infertur. Reus humi ſtratus in humeros, ſub pedis plantâ cæditur, pedibus in altum erectis, interdum ad necem uſque, interdum verò cer-

(h) *Theodoret. hic.* (i) *Joſue per totum.* (k) *Judic.* IV, V.
(l) *Judic.* VI, VII, VIII. (m) *Judic.* XI. (n) *Judic.* XIII, XIV, XV, XVI. (o) 1 *Reg.* VII, 9, 10 *& ſeq.*
(p) *Judic.* XIV, 5. (q) 1 *Reg.* XVII, 34, 35. (r) *Dan.* VI, 22. (s) *Dan.* III, 49, 50, 52.
(t) *Græc.* Ἔφυγον, *Effugerunt. Sed plures Vulg. Libri: Effugaverunt. Et ita Edit. Sixti V*, 1590.
(u) Ἐνεδυναμώθησαν ἐξ ἀσθενείας. *Chryſ.* Τὰ κατὰ τὴν ἐπάνοδον τὴν ἀπὸ Βαβυλῶνος, ἐνταῦθα αἰνίττεται. ἀσθενείας φησὶ, τοῖς ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας. Ὅτε ἤδη ἀπέγνωστο τὰ ἰουδαϊκὰ, ὅτε ὀστῶν νεκρῶν οὐδὲν διενηνόχεσαν, *&c.* (x) 4 *Reg.* IV, 34, 35. (y) 3 *Reg.* XVII, 22.
(z) *D. Thom. Cajet. Grot. Vide Gataker adverſ. c.* 46. (a) *Vide Hamm.*
(b) *Chryſ. hic*: Ἀποτυμπανισμὸς γὰρ λέγεται ὁ ἀποκεφαλισμός. *Ita & Theophyl. & Oecum. Strigel. Caſt. Camer.* (c) *Vide Gataker, Syr. Tremel. Jun.*
(d) Ἐτυμπανίσθησαν. *Oecumen.* Διὰ ῥοπάλων ἀπέθανον. *Theophyl.* Τινὲς δὲ τὸ τυμπανισθῆναι, ῥοπάλοις τυφθῆναι εἶπον. *Ita Suid.* Τύμπανα, ξύλα οἷς ἔτυπτον ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. *Heſych. Phavorin. Eraſm. Druſ. Piſc. Gataker, Eſt. Le Clerc.*

℣. 36. Alii verò ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres:

℣. 37. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti:

℣. 38. Quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ:

℣. 39. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem,

COMMENTARIUS.

certo ictuum numero. Ita vulgo in reos quæſtio exercebatur. Vulgatæ Author, Græcum reddens, *diſtenti ſunt*, ſignificare voluit hominis eo ſupplicio cruciati ſtatum. Omnino creditur (e) Apoſtolus his verbis ſpectaſſe Eleazari ſenis ſupplicium, in Macchabæorum libris recitatum (f); iiſdem quippe vocibus utitur. Vide noſtram Diſſertationem de ſuppliciis Hebræorum, ad Deuteronomium.

℣. 36. ALII LUDIBRIA ET VERBERA EXPERTI. Eliſæus vel puerorum ludibriis obnoxius fuit (g). Cæteri Prophetæ deceptorum falſorumque Prophetarum notâ inuſti ſunt. Jeremiam verberibus & carcere affecit Phaſſur (h): Michæam Jemlæ filium alapâ cecîdit falſus Propheta Sedecias filius Chanaanæ (i). Omnia iſthæc & alia quamplura pertulere Macchabæi (k).

℣. 37. LAPIDATI SUNT, veluti Naboth (l), & Zacharias, inter Templum & Altare, Joaſo jubente, interfectus (m).

SECTI SUNT. Alibi (n) docuimus, ſerræ ſupplicium vulgare olim fuiſſe apud Orientales (o). Iſaiam Prophetam ſerrâ ſectum fuiſſe jubente Manaſſe Rege Juda, ex majorum narratione tradunt Hebræi: id quod in apocrypho libro ætate Origenis legebatur (p), & a Patribus plurimis probatum eſt (q).

TENTATI SUNT, & animo & corpore, blanditiis, ſævitiâ, cruciatibus, ignominiâ. Vel junge cum conſequentibus (r): *Tentati ſunt* & probati *in occiſione gladii: mortui ſunt*. Sunt (s) qui omittant, *tentati ſunt*; alii verò probabiliter ajunt, poſitum eſſe ἐπειράσθησαν, *tentati ſunt*, pro, ἐπρίσθησαν, *ſecti ſunt*. Cum non ſatis aſſequerentur librarii, quid rei eſſet *ſecti ſunt*, ſcripſere, *tentati ſunt*.

IN OCCISIONE GLADII MORTUI SUNT; puta Michæas, Zacharias, Joannes Baptiſta, Jacobus Joannis frater, aliique nonnulli, & Macchabæorum ætate complures. I *Macch.* I, 32, 52, 65; II *Macch.* v, 13; vi, 9.

CIRCUIERUNT IN MELOTIS, ovium vel caprarum pellibus induti, veſtibus nimirum viliſſimis; in varia ſubinde loca fugere coacti, ut Principum & locupletum vim, populi odia, quibus undique exagitabantur, vitarent. Eliæ veſtis erat pellis, teſte Scripturâ, 4 *Reg.* I, 8; quemadmodum & Joannis Baptiſtæ, *Matth.* III, 4.

℣. 38. QUIBUS DIGNUS NON ERAT MUNDUS. Mundus, quippe vitiis corruptiſſimus, indignus erat, qui iſtis virtutis ſidetibus diù gauderet. Permiſit Deus, ut univerſa illorum ſanctitas non agnoſceretur, eorumque præſentia tam utilis non eſſet quàm eſſe poterat. Illorum conſuetudinem vitavit mundus ſprevitque; ipſique viciſſim nullo mœrore aut querelâ mundum aſpernati deſeruere.

IN SOLITUDINIBUS ERRANTES. Id contigit Eliæ (t), coacto iram Jezabelis fugere; ejusque Diſcipulo Eliſæo, qui plerumque in agro cum Prophetarum filiis verſabatur (u). Judæi Domino fideles in Antiochi Epiphanis perſecutione, confugerunt in montium cavernas (x), ubi quamplures, cùm ſeſe armis defendere Sabbatho recuſarent, cæſi ſunt.

℣. 39. HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI, quos Scriptura a fide commendat, NON ACCEPERUNT REPROMISSIONEM. Quid iſti ſperabant? Futurum nempe ſibi Deum adversùs hoſtes præſidium, nec permiſſurum, ut illorum injuriis & conatibus opprimerentur. Permiſit tamen, ut vitam in doloribus & ærumnis agerent, ac denique inter cruciatus vel calamitates clauderent. Profectò quis ex Prophetis legitur parem ſanctitati ſuæ finem vitæ ſortitus, ſi humani caſus ex vulgi ſenſu ſpectentur?

At prima iſthæc ſpes, quam de Divino patrocinio ac præſidio in præſenti vitâ fovebant, quæ ſpes inanis fuiſſe videri potuit, a ſublimiore alterâ æternæ beatitudinis ſpe regebatur; quæ quidem ſpes eò certior erat, quò major fuit reliquo vitæ ſpatio humanarum opum & commodorum inopia. Hæc porrò merces ab iis potiſſimùm ſpectabatur,

(e) *Grot. Eſt. Men. Ham. Le Clerc. alii.* (f) 2 *Macc.* VI, 19. Ὁ δὲ αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε. 29: Τοσαῦτα δὲ εἰπὼν, ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε. 30: Μέλλων δὲ ταῖς πληγαῖς τελευτᾷν, ἀναστενάξας εἶπε . . . σκληρὰς ὑποφέρω κατὰ σῶμα ἀλγηδόνας μαστιγούμενος. *Vide & Joſeph. De Imperio Rationis.* (g) 4 *Reg.* II, 23. (h) *Jerem.* XX, 2; & XXXVII, 15.
(i) 3 *Reg.* XXII, 24. (k) 1 *Macc.* II, 34; & 2 *Macc.* V, 24. (l) 3 *Reg.* XXI, 13.
(m) 2 *Par.* XXIV, 21. (n) Diſſertatione de Suppliciis, ad Deuteronomium.
(o) Vide 2 *Reg.* XII, 31; 2 *Par.* XX, 3; *Amos*, 1, 3; *Matt.* XXIV, 51.
(p) *Origen. Epiſt. ad African.* Ὅτι δὲ αἱ παραδόσεις λέγουσι πεπρίσθαι Ἠσαΐαν τὸν Προφήτην, καὶ ἔν τινι ἀποκρύφῳ τοῦτο φέρεται, *&c. Idem in cap.* XXIII *Matt. & in Iſai. præfat.*
(q) *Ita Tertull. l. de Patientiâ, c.* 14; *& Scorpiac. c.* 8; *Juſtin. contra Tryphonem; Hieronym. l.* 15 *in Iſai. Aug. l.* 18 *de Civit. c.* 24, *&c.*
(r) Ἐπειράσθησαν ἐν φόνῳ μαχαίρας, ἀπέθανον. *Vulg. legit*: Ἐπειράσθησαν, ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον. (s) Ἐπειράσθησαν *deeſt apud Origen. Ep. ad African. Euſeb. Præpar. l.* 12, *c.* 10; *Chryſoſt. Theophyl. Syr. Æth. alios quosdam apud Mill. hic. Eraſm. Grot. Bez. adjectitium putant. Junius legendum conjicit*: Ἐπυράσθησαν. *Combuſti ſunt. Gatak.* Ἐπρήσθησαν. *Tanaq. Fab.* Ἐπηρώθησαν, *Obcæcati ſunt.*
(t) 3 *Reg.* XVII, 3; & XVIII, 13. (u) 4 *Reg.* VI, 2.
(x) *Vide* 1 *Macc.* I, 53; II, 28, 29, 30; & 2 *Macc.* V, 27; X, 6.

℣. 40. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.

COMMENTARIUS.

& fidei laborumque præmium in alterâ vitâ fuit.

℣. 40 DEO PRO NOBIS MELIUS ALIQUID PROVIDENTE, UT NON SINE NOBIS CONSUMMARENTUR; illud agente in nobiliſſimum noſtri commodum Deo, ut felicitatis ſuæ finem abſque nobis non aſſequerentur. Puto ego, illud ipſum fermè hîc dici ab Apoſtolo, quod a Chriſto dicitur (y) in parabolâ de operariis in patrisfamiliâs vineam miſſis, qui tametſi variis diei horis in vineam miſſi, parem omnes eâdem horâ abſoluto die mercedem retulere. Omnium ætatum, quæ Chriſto præceſſere, Patriarchæ, Prophetæ, Juſti eo nobis præſtant, quòd & ætate præiverint, & ante cæteros ad Dei ſervitutem vocati fuerint; at melior nobis ſors eſt, quòd ſalutis dogmata luculentiùs intellexerimus, exhibitas de æternâ beatitudine promiſſiones perſpicuè magis audiverimus, denique quòd certa ſit nobis ſpes reſurrectionis eodem tempore nobis, quo vetuſtiſſimis Patribus, obventuræ, noſque poſt reſurrectionem abſolutiſſimè, & corpore nimirum & animo, gloriâ ſimul cum iis fruituros (z). Ita nobiscum actum eſt, inquiunt S. Chryſoſtomus ac Theophylactus, ut in magnâ familiâ uſuvenit, in qua vetat pater filios ad menſam diſcumbere antequam fratres cæteri, in agro verſantes, domum veniant, ut ſimul omnes cibum ſumant & exhilarentur: qui expectant, patienter expectent: qui expectantur, patris & fratrum providentiam honori ducant. Omnes unà in vitam revocabuntur, paratumque ſibi ab exordio mundi convivium inibunt.

Alii magno numero putant, id quod ipſa Eccleſiæ fides ſervat, ante Chriſti Reſurrectionem Cœlorum fores non patuiſſe (α), Juſtoſque in imâ terrarum parte verſantes, beatiſſimos quidem, non tamen gloriæ compotes, expectaſſe Liberatorem, a quo in gloriam inducendi eſſent poſt reſurrectionem. Singulare igitur Dei beneficium Hebræis nuper converſis erat, quòd nulla mora cœleſtem ipſorum beatitudinem & gloriæ uſurpationem retardaret, ſtatimque poſt obitum Cœlo inſererentur, atque, ut ita dicam, eodem tempore quo priſci Patriarchæ, qui paulo antea in Cœlum ingreſſi fuerant. Hebræi mox converſi, ad quos Paulus literas dabat, plerique Chriſtum Jeſum in terris vidiſſe poterant; cùmque brevis ſit hominis vita, ſperabant ſe ingreſſuros in Cœlum eodem fermè tempore quo Patriarchæ, qui aliquot dumtaxat ante annos unà cum Chriſto illuc delati fuerant. Beneficium ab Apoſtolo memoratum commune eſt omnibus, qui deinceps fuere, Chriſtianis, cùm una gens univerſi habeantur, unumque Reipublicæ corpus cum cæteris qui præivere vel ſunt conſecuturi.

Veteres nonnulli Patres, putâ Tertullianus (β), Lactantius (γ), Victorinus (δ), aliique recentiores, uti Calvinus, & Græci Schiſmatici, ajunt, Beatorum animas cœleſti beatitudine & Dei conſpectu non frui ante ſupremum generale Judicium; adeo ut cùm primi tum ultimi ex Electis unà omnes ſimul eodemque tempore laborum mercedem ſint percepturi. At primam hujus ſententiæ partem, quæ negat, Juſtorum animas ante generale Judicium cœleſti beatitudine fruituras, reſpuit Eccleſia; quemadmodum & alteram illorum (ε) qui arbitrantur, Juſtos ab ipſo mundi exordio uſque ad Chriſti Reſurrectionem, gaviſos in Cœlo beatitudine & gloriâ, ſibi a totâ æternitate paratis. Geminas tantùm interpretationes, a nobis ſupra recitatas, probat.

CAPUT XII.

Neceſſaria eſt patientia, Juſtorum & Jeſu Chriſti exemplo. Filius a patre caſtigatur. Fuge ignaviam, ſimultatem, vitam profanam. Novi fœderis encomium & præſtantia.

℣. 1. IDeoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen:

COMMENTARIUS.

℣. 1. IDEOQUE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NUBEM TESTIUM. Patriarchæ, Prophetæ, Martyres, Veteris Teſtamenti heroes, quorum recitavi exempla, & fidem ac patientiam commendavi, ceu nubes teſtium ſunt, qua undique obvolvimur, confirmandique ſumus in pugnâ & nominis Jeſu Chriſti confeſſione a nobis peragendâ. Fideles exhibet Apoſtolus ceu homines coram Judice prodituros, qui cauſam pro ſe dictori, magno amicorum teſtium numero ſtipantur. Cenſet Hammondus, id ab Apoſtolo ſpectari, quod publicis in ludis circa præmiorum diſtributionem ſervari ſolebat. Præter Judicem, præmium victori decernentem, teſtes erant circa metam, ut primos metam attingentes notarent, caverentque, an præſcriptæ curriculi leges a certantibus ſervarentur. Ex horum teſtimonio & ſpectatorum plauſu pronunciabat Judex, cumque decernebat victorem, qui curriculum ſervatis legibus optimè abſolviſſet. Ajunt alii (a) ſpectatam

(y) *Matt. xx, 1, 2, & ſeq.*

(z) *Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. Aug. Ep. olim 99, nunc 164; & Tract. 124 in Joan. Riber. Eſt. Ten. Primaſius, Haymo, Men. Tirin. Vide Joan. v, 28, 29.*

(α) *Vide Cornel. a Lapide in hunc loc. & in Heb. ix, 8; & Fromond. hic.* (β) *Tertull. de animâ, c. ult.* (γ) *Lactant. lib. 7, c. 21.* (δ) *Victorin. in Apocal. vi.* (ε) *Beza hic. Vide & Grot. Grotar. Ham.*

(a) *Illyric. & Parker in Gataker.*

℣. 2. Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dexterâ ſedis Dei ſedet.

℣. 3. Recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adversùs ſemetipſum contradictionem; ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.

℣. 4. Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adversùm peccatum repugnantes:

℣. 5. Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini; neque fatigeris, dum ab eo argueris.

COMMENTARIUS.

tam nubis columnam, Hebræos in ſolitudine protegentem. Maximè omnium probabilis eſt Hammondi interpretatio. Similia e publicis ludis ducta amat Apoſtolus *(b)*. Eodem hoc loco disertè ſcribit: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.*

Deponentes omne pondus, et circumstans *(c)* nos peccatum. Qui in ſtadium ad curſûs certamen veniunt, ponunt omnia, quibus currendo gravari queant aut impediri; veſtes, calceos, quicquid denique impedimento eſt libero ac facili membrorum motui. *Circumſtans nos peccatum* ſunt peccandi occaſiones, quibus undique obvolvimur; ſive peccatum ipſum, quo facilè impediri poſſumus & in ruinam trahi. Sunt qui reddant Græcum *(d)*: *Omnem præſumptionem*, peccatum ſcilicet, quo facilè in diſcrimen impellimur. At prior verſio magis conſentanea eſt comparationi ductæ ex homine in ſtadio currente, ac rejiciente omnia, quibus aut gravior aut impeditior fieri queat.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen *(e)*. Curriculum incepimus, ut infiniti pretii præmium aſſequamur: ipſum autem curriculum eſt patientia in adverſis, & in virtutis exercitatione conſtantia. Itaque curramus alacriter, ceptumque curriculum fortiter abſolvamus.

℣. 2. Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum. Judex, præmiique & coronæ largitor eſt Jeſus. Ipſe curriculi leges ſanxit; & ne cui locus querendi eſſet, primus ipſe cucurrit, præmium tulit. Its idem nobis & judex eſt & exemplum. *Author fidei* noſtræ, mentem illuſtrans, nos erudiens, per gratiam vocans, donumque fidei nobis largiens. Idem & *conſummator*, cùm perſeverantiam, noſtræque fidei præmium æternâ in beatitudine præbeat.

Qui proposito sibi gaudio, cùm vitam agere tranquillam poſſet, sustinuit crucem. Licebat Chriſto, ſi vellet, minimè pati *(f)*. Suas ipſe ærumnas, ſuas contumelias ſponte voluit. Cùm illum Regem creare vellent Judæi, fugit ipſe *(g)*; maluitque crucis ſubire ſupplicium, quàm tranquillam felicemque in terris vitam agere. Aliter *(h)*: Cùm Chriſtus in terras venerit, ut Patris voluntati & decretis obſequeretur, unam ſibi cœleſtem beatitudinem propoſuit: *Propoſito ſibi gaudio*; quamobrem ut illam aſſequeretur, ſæviſſimum & probroſiſſimum mortis genus elegit; quare illum fecit excelſum Deus, deditque illi nomen multo quàm cætera præſtantiſſimum *(i)*, ipſeque *in dexterâ ſedis Dei ſedet*. Prior explicatio magis conſentanea eſt cum Græci vocabuli ſignificatione *(k)*. Latina quædam Exemplaria legunt *(l)*: *Pro propoſito ſibi gaudio*. Prior lectio melior, teſtibus Eſtio & Riberâ.

℣. 3. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum *(m)* contradictionem. Ut fortes ferendis malis efficiamini, ſpectate Chriſtum Jeſum, qui toto prædicationis tempore tam multas pertulit criminationes, injurias, pugnas ex Phariſæis Judæiſque incredulis & pertinacibus *(n)*. Vos certè neque ſanctiores Chriſto eſtis, neque nobiliores.

℣. 4. Nondum usque ad sanguinem restitistis. Ad mortem uſque totiuſque ſanguinis effuſionem pugnavit Chriſtus: vos verò leves aliquæ ex hoſtibus pugnæ & ærumnæ terreant? Nulla hîc ad ſupremum uſque ſpiritum pugna, ſ illud jam non quæritur, ut cum peccato pugnantes vitam & ſanguinem profundatis; patientia poſtulatur & perſeverantia. Hoſtes veſtri ſunt falſa criminatio, injuriæ, opum amiſſio.

℣. 5. Et obliti estis consolationis, cujus vocis ſuaviſſimæ, ſive adhortationis; Græca enim vox *(o)* & conſolationem ſonat & adhortationem. An obliti eſtis illarum Sapientiæ vocum *(p)*, quibus ad pugnam fortiter capeſſendam excitamini? Pergit in publicorum ludorum allegoriâ, ubi certantes nedum præmii & coronæ conſpectu, verùm

(b) 1 *Cor.* IX, 24, 25, 26.
(c) Καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν. *Alii*: Ἀπερίστατον. *Steph. a. Theophyl.* Εὐπερίστατος ἁμαρτία, ἢ τὴν ῥᾳδίως περιϊσταμένην ἡμᾶς, ἢ τὴν εὐκόλως περίστασιν παθεῖν δυναμένην.
(d) Ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, *Omnem præſumptionem. Jac. Capell. Lud. de Dieu, Schmid.*
(e) Δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Veteres Libri complures non legunt *ad*, & hîc abundat. Legendum eſt: *Per patientiam curramus propoſitum nobis agonem*, ſive *certamen*.
(f) *Chryſ. hic*: Ἐξῆν αὐτῷ μηδὲν παθεῖν, εἴπερ ἐβούλετο. *Ita & Theodoret. Theophyl. Oecumen. Riber. Bukentop. l. 2, Lux de luce, p. 220.* (g) *Joan.* VI, 15.
(h) *Vide Eſt. D. Thom. Men. Tir. Jun. Piſc. Grot. & Latinos pleroſque.*
(i) *Philipp.* II, 9. *Vide & Joan.* XII, 28; XVII, 1, 2, 3, 4; *Luc.* XXIV, 26.
(k) Ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, *&c.* (l) *Clarom. & Germ. Lat. & Edit. Bibl. Antuerp.*
(m) *Græc.* Τὸν τοιαύτην ὑπομεμενηκότα ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν. *Syr. & S. Germ. Græc.* Εἰς ἑαυτούς. *Theodoret.* Εἰς αὐτόν, *ideſt*, ἀντὶ τοῦ εἰς ἑαυτόν. *Clarom. & S. Germ. Lat. In vobis*: Ipſi perpendite, quam ille pugnam a peccatoribus tulerit.
(n) *Chryſ. Theodoret. Theophyl. Eraſm. Riber. Eſt. &c.* (o) Καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως.
(p) *Prov.* III, 11.

℣. 6. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.

℣. 7. In diſciplinâ perſeverate. Tamquam filiis vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?

℣. 8. Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes; ergo adulteri, & non filii eſtis.

℣. 9. Deinde patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?

℣. 10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum ſecundùm voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus.

COMMENTARIUS.

rùm etiam ſpectatorum acclamatione & plauſu excitabantur. Ipſamet Sapientia vos inter ærumnas & mala exhortatur: *Fili mi, noli negligere*, aſpernari, ceu moleſtum vel odioſum aliquid rejicere *diſciplinam Domini*, ſeveritatem qua te caſtigat Deus. Pater eſt, commodis tuis tuæque felicitati ſtudens.

℣. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat. Non omnes, quos caſtigat Deus, amici ſunt aut filii: at filios Deus caſtigat & corrigit (*q*). Luculentiſſimum iræ aut neglectûs indicium eſt, ſiquem Deus ſuo permittit arbitrio (*r*). Sedulò diſtinguenda eſt animadverſio, qua Deus in impium ſævit, & qua caſtigat filios, ut ſapientiores, meliores, ſanctiores, fortiores, illuſtriores efficiantur. Si Deus ob peccata nos punit, agendæ ſunt gratiæ, quòd digna æternis cruciatibus crimina hic expiet. Si idcirco affligit, ut meliores efficiamur, id multò magis æqui bonique faciendum eſt, cùm ſeſe patrem exhibeat, ſollicitum de utilitate filii, quem perfectum ſeque patre dignum efficere ſtudet.

℣. 7. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus. Si ærumnæ Divinam erga vos benevolentiam indicant, cur illas quanti par eſt non æſtimatis? Græcus (*s*): *Si diſciplinam ſuſtinetis, tamquam filiis vobis ſe exhibet Deus*; ſeu, vobiſcum agit uti cum filiis. Alia Exemplaria cum Vulgatâ conſentiunt. Melior Græco ſententia.

℣. 8. Quod si extra disciplinam estis, &c. Si nullis animadverſionibus, quas cæteri pertulere, obnoxii eſtis, ergo adulteri, non filii estis. An pater ita cum nothis uti cum legitimis agit? Parem ne Ismaëli, ut Isaaco, ſe præbuit Abraham? Si igitur vobiſcum uti cum legitimis non agit, quæ vobis ſupereſt ſpes futurum, ut tamquam ſuos excipiat? Hæc Pauli ratiocinatio eſt, Deum erga germanos filios, dum in terris agunt, uti ſeveritate: quamobrem metuant ii, quorum vita deliciis, voluptatibus, fortunis abundat.

℣. 9. Non multo magis obtemperabimus Patri spirituum? *Patrem ſpirituum* opponit *patribus carnis noſtræ*. Si parentes, quibus caducam hanc vitam debemus, ſummo a nobis obſequio colendi ſunt, atque ubi nos illi caſtigaverint arguerintque, id tamquam benevolentiæ & ſollicitudinis argumentum uſurpamus, quantò potiori jure æquum eſt, ut experimenta, quibus nos probat Cœleſtis Pater, vitæ noſtræ, animi, ſpiritûs author (*t*), æternam hæreditatem daturus, cum obſequio excipiamus? Sunt (*u*) qui *Patrem Spirituum* explicent authorem ſpiritalium donorum, divinarumque Sancti Spiritûs gratiarum; ſive authorem generationis noſtræ ſpiritalis, quæ nos adoptivos Dei filios & Jeſu Chriſti fratres efficit.

℣. 10. Et illi quidem in tempore paucorum dierum. Parentes noſtri nos caſtigabant pro arbitrio ob vitam brevì perituram. Dum carnales parentes dominique caſtigant, ira interdum, inconſulta ratio, cupiditas miſcentur (*x*). Vult pater, filium effici ſolertem, magnis dignitatibus aut fortunis idoneum. Cœleſtis Pater nihil agit niſi benevolentiæ, noſtræque utilitatis gratiâ: non ad brevem hanc vitam locupletes potenteſque eſſe vult, ſed in æternitate beatos. Neque etiam ſtudet mentes noſtras inanibus cognitionibus occupare, ſed aptos reddere, qui ſimus ſanctitatis ſuæ participes: *In recipiendo ſanctificationem ejus*: puros efficere conatur, ſanctos, juſtos, incolpatos, dignoſque beatitudine, quam nobis ipſe decernit.

℣. 11. Fru-

(q) *Chryſoſt. homil.* 29: Οὐκ εἶπε, πᾶς ὁ μαστιζόμενος υἱός, ἀλλὰ πᾶς ὁ υἱὸς μαστιγοῦται. Ἐπεὶ μὲν γὰρ μαστιζόμενοι καὶ πονηροί. Ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι οὐχ ὡς υἱοὶ μαστιγοῦνται, ἀλλ᾽ ὡς ἄλλοι κολάζονται.

(r) *Iſai.* LIV, 9: *Juravi ut non iraſcar tibi, ut non increpem te. Ezech.* XVI, 42: *Quieſcam, nec iraſcar ampliùs. Chryſ. hic, homil.* 29: Ἐπειδὴ τοσαῦτα ἐπάθετε κακὰ, νομίζετε ὅτι ἀφῆκεν ὑμᾶς ὁ Θεὸς, καὶ μισεῖ; εἰ μὴ ἐπάθετε τότε, ἔδει τοῦτο ὑποπτεύειν.

(s) Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός. *Alii plures*: Εἰς παιδείαν ὑπομένετε. *Ita Vulg. Æth. Syr. Arab. Copht. Alex. Clarom. S. Germ. G. Lat.* Εἰς παιδείαν, *In diſciplinam. Aug. ſeu alius, Tract. de tempore Barbarico, c.* 6; *alii plures Mſſ. apud Mill. Quidam hic interpungunt*: Μαστιγοῖ δὲ πάντα υἱὸν, ὃν παραδέχεται εἰς παιδείαν. Ὑπομένετε. Ὡς υἱοῖς ὑμῖν, *&c. Caſtigat omnem filium quem recipit in diſciplinam. Suſtinete, Quaſi erga filios agit circa vos Deus.*

(t) *Riber. Eſt. Chryſoſt. Gem. Piſc. Druſ. Men. Beza, &c.*

(u) *Chryſoſt. hom.* 29: Τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, ἤτοι τῶν χαρισμάτων λέγει, ἤτοι τῶν εὐχῶν, ἤτοι τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων. *Theodoret.* Πατέρα τῶν πνευμάτων τὸν πνευματικὸν πατέρα κέκληκεν, ὡς τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων πηγήν.

(x) *Idem ibidem*: Ἡδονὴν πληροῦντες πολλάκις, καὶ οὐ πανταχοῦ τὸ συμφέρον ὁρῶντες.

℣. 11. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mæroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.

℣. 12. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite,

℣. 13. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur.

℣. 14. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum:

℣. 15. Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

COMMENTARIUS.

℣. 11. Fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitia. Dum Athletæ inter exercitationes eſt, laborat, continet ſeſe, voluptatibus abſtinet; dum in curriculo eſt, atque ad præmium currit, majori conatu & robore contendit: ubi metam attigit, ſuaviſſimum præmium, quietem afferens, percipit: exantlati laboris fructu gaudet. Ita in ſpiritali Chriſtianæ Profeſſionis agone, qui ad finem uſque patientiam coluerint, gloriæ & pacis coronam, ac patientiæ juſtitiæque præmium in Cœlis referent: *Fructum pacatiſſimum juſtitiæ.*

℣. 12. Propter quod remissas manus, &c. Hoc & conſequente membro Apoſtoli oratio clauditur. Opportunas erigendis animis Chriſtianorum ex Hebræis, qui falſorum fratrum, Judæorumque incredulorum injuriis obnoxii erant, locutiones e Scripturis mutuatur.

℣. 13. Ut non claudicans quis erret. Siquis in fide, vel officio, vel patientiâ malorum nutet, propoſitis mox rationibus ſe ipſe confirmet. Græcus (y): *Ne id quod malo adhæret, frangatur,* aut penitus ruat, *magis autem ſanetur.* Qui infirmi ſunt, ne ſuperentur ærumnis, ſed ſe ipſi colligant, & confirmentur.

℣. 14. Pacem sequimini cum omnibus. Vitam ita inſtituite, ut nequis vos queat arguere; nequem injuſtâ vi provocetis; perſequentibus cedite; denique (z) pacem cum omnibus colite, ſi fieri poteſt, & quantum in vobis eſt (a). Quicquid paci ſervit, quærite, quantum fides, Religio, Dei voluntas ferunt.

Et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Morum ſanctitas virtus generica eſt, animi & corporis ac vitæ munditiem complectens. Ad virtutum omnium exercitationem porrigitur; quamobrem hoc ſenſu præter dubium eſt, neminem poſſe abſque ipſâ Deum intueri, cùm certiſſimum ſit (b), impurum nihil in Regna Cœlorum eſſe ingreſſurum. Græca vox (c) de *caſtitate* potiùs explicatur, ſive in matrimonio, ſiva in cœlibatu ſervatâ, quæ poſterior caſtitas cum continentiâ conjungitur. Negat Apoſtolus, Deum videri a quoquam poſſe; & certè alibi Apoſtolus, enumeratis vitiis pudicitiæ contrariis, ait, eos qui talia perpetrant, Regnum Dei minimè aſſecuturos (d). Pleraque peccata pudicitiæ contraria, ſuâ ipſorum naturâ lethalia ſunt.

℣. 15. Contemplantes (caventes) nequis desit gratiæ Dei. De fratrum ſalute ſit unusquiſque ſollicitus, caveatque ne alter a fidei ac veritatis tramite aberret; ne Religionem, ad quam vocatus a Deo eſt, deſerat, admotâque ad aratrum manu retro convertatur; ne infidelis ſit vocationi ſuæ, divinoque beneficio. Sive productâ de publicis ludis allegoriâ: Fratres exemplo & verbis hortamini, ut conſtantiſſimè currant, ad curriculi finem metamque feliciter perventuri. Eadem hîc ratio non eſt quæ in ludis publicis, ubi non ſunt plures uno victores. Qui fortiter certant & conſtanter currunt, coronam æternumque præmium omnes procul dubio ſunt relaturi. Cavete igitur, *nequis deſit gratiæ Dei* (e), aut paratâ ſibi gloriâ privetur, ſpretis nimirum donis, quibus cumulatus eſt, neglectoque per ignaviam talento ſibi tradito; ſeu denique, nequis Dei gratiâ & amicitiâ excidat.

Neque radix amaritudinis sursum germinans impediat bonum ſemen. Spectantur hîc fortaſſe illa Deuteronomii verba (f): *Ne fortè ſit inter vos aliquis, cujus cor averſum eſt a Domino... & ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem.* Agit ibi Moyſes de iis, qui relictâ Patrum religione, infidelitatem & Numinum ſuperſtitionem ſectabantur. Hebræos Scripturarum peritos, & primis ſtatim verbis totam ſententiam intelligentes, alloquebatur: Nequis ex vobis retro convertatur, relictâque Eccleſiâ redeat ad Synagogam. Hæreſim & Religionis deſertionem his verbis potiſſimùm ſignificabat (g). Hæreticos non rarò Ignatius Martyr (h) Diaboli plantas nuncupat, ſive pernicioſa germina, lethiferos fructus ſe-

(y) Ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, ἰαθῇ δὲ μᾶλλον.
(z) *Rom.* XII, 18.
(a) *Rom.* XIV, 19.
(b) *Apoc.* XXI, 27. (c) Καὶ τὸν ἁγιασμόν. *Chryſ.* Τὸν ἁγιασμὸν τί φησι; τὴν σωφροσύνην, καὶ τὴν κοσμιότητα τὴν ἐν γάμῳ. *Theophyl.* Τὸν ἁγιασμὸν, τουτέστι τὴν ἁγνότητα. Εἰ μὲν ἄγαμός ἐστί τις, φυλαττέτω τὴν παρθενίαν. Εἰ δὲ ἐν γάμῳ, τὴν σωφροσύνην. *Vide & Theodoret. Eſt. Jac. Capell. &c.* (d) 1 *Cor.* VI, 9. 10; 1 *Cor.* XV, 50; 1 *Timot.* I, 10.
(e) Μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ, *Ne quis excidat, deſtituatur, expers ſit gratiâ, vel favore Dei.* (f) *Deut.* XXIX, 18.
(g) Μή τις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ. Grotius, & Millius legendum putant ἐν χολῇ, pro ἐνοχλῇ, uti habetur *Deut.* XXIX, 18. Ita reddendum eſſet: *Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans, ſit in felle.* Amaritudo pro veneno uſurpatur.
(h) *Ignat. Martyr, Ep. ad Epheſ. c.* 10: Τοῦ Διαβόλου βοτάνας. *Idem Epiſt. ad Philadelph. c.* 3: Κακὰς βοτάνας, ἅς τινας οὐ γεωργεῖ Ἰησοῦς Χριστός. *Idem Ep. ad Trallian. c.* 11: Κακὰς παραφυάδας γεννώσας καρπὸν θανατηφόρον, οὗ ἐὰν γεύσηταί τις, αὐτίκα ἀποθνήσκει.

℣. 16 Ne quis fornicator, aut profanus ut Eſaü, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua.

℣. 17. Scitote enim, quoniam & poſteà cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invênit pœnitentiæ locum, quamquàm cum lacrymis inquiſiſſet eam.

℣. 18. Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,

℣. 19 Et turbæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum.

COMMENTARIUS.

ferentia, quos qui guſtaverit, ſtatim ſit moriturus; denique plantas a Chriſto Jeſu minimè ſatas, &c.

℣. 16. NE QUIS FORNICATOR, AUT PROFANUS, UT ESAU. Sunt qui putent, duo iſta, *fornicator & profanus*, ad Eſavum referri (i); ac prius vocabulum tropicè, alterum propriè uſurpant (k), de eo qui rem ſacram vendidit, de guloſo, profano, ſanctiſſimarum rerum, qualis erat patris benedictio, & jura natalium, contemptore. *Fornicatorem* dici Eſavum exiſtimat Theodoretus (l), ob inita cum profanis & externis fœminis conjugia; at S. Chryſoſtomus, Theophylactus, atque Interpretes plerique *fornicatorem* a *profano* ſejungunt, alteramque dumtaxat appellationem Eſavo tribuunt. His monitis indigere potuerunt Hebræi, ex quibus multi ſcortationem non magni faciebant, præſertim cum fœminâ non Iſraëlitide (m). Judæi nuper ad Chriſtum converſi undique ſollicitabantur, ut ad Judaica ſacra reverterentur, abjicerentque decora primorum natu, ut ad numerum imitatorum Eſavi tranſirent. In Geneſim (n) diſputavimus, quæ tunc forent decora primorum natu; atque utrùm Eſau, vendito eo jure, ſimoniæ crimen admiſerit, uti viſum eſt quampluribus (o), qui primum inter ea decora Sacerdotium enumerant (p).

℣. 17. REPROBATUS EST. Cave id uſurpes de æternâ reprobatione (q), qua quis e cœlo excluditur, ſed temporariâ & terreſtri, qua impetrare non potuit, ut bonas preces, in Jacobum pronunciatas, Iſaac revocaret, *quamquam cum lacrymis inquiſiſſet*. Hoc in Geneſi non legimus, ubi illud ſolùm dicitur (r), Eſau *irrugiſſe clamore magno*, triſtiſſimumque dixiſſe: Et mihi bene precare, pater. At reſpondit Iſaac: Jacobum tui dominum pronunciavi; fratres ſui omnes illi obtemperabunt. Frumenti ac vini ubertatem illi ſum imprecatus: poſt hæc, quid tibi faciam, fili?

NON INVENIT PŒNITENTIÆ LOCUM (s), facere non potuit, ut ſententiam mutaret Iſaac, tametſi fraudem Jacobi optimè ſentiret. Fas non eſſe cenſuit repugnare Spiritui, quo ſe agi ſenſit, cùm bene Jacobo precaretur; quamobrem inanes fuere Eſavi clamores, preces, querelæ. Sunt (t) qui explicent de pœnitentiâ, quæ admiſſorum criminum veniam impetrat. Eſavi pœnitentiam non probavit Deus, utpote iis, quæ opus erant, adjunctis minimè fultam. Ex animo non doluit, ſe in Deum peccaſſe, cùm illius dona venditione profanavit: furor, ira, fratris odium lacrymas expreſſere. Qui tamen interpretantur de inanibus Eſavi conatibus, ut pater a ſententiâ diſcederet, bonaſque preces in Jacobum pronunciatas revocaret, hi conſentanea magis loquuntur.

℣. 18. NON ENIM ACCESSISTIS AD TRACTABILEM MONTEM, ET ACCENSIBILEM (u), flagrantem, IGNEM. Unusquiſque colat ſanctitatem & animi munditiem dignam vocatione, qua vos dignatus eſt Deus. Sublimiora ſentite, quàm olim ſub Lege. Majorem certè ſanctitatem quærit ex vobis Deus, cùm ipſi Evangelium non ita acceperitis, uti Legem Patres in Sinai. Illa ſeveritatis ac timoris Lex fuit; veſtroſque majores Deus tonitru & fulmine perterreſecit. Chriſti Jeſu Lex amoris eſt ac ſuavitatis, &c. In conſequentibus geminæ Leges, earumque ferendarum modus ſimul conferuntur. Deus in vertice Sinai inter ignes, fulmina & procellas apparuit (x), apto ad terrendos Hebræos apparatu: Chriſtus Jeſus in terras vênit, nullo ſtrepitu, nullâque gloriæ ſpecie, ut Legem piæ humilitatis & charitatis ferret. Græca Exemplaria vetuſta complura (y) non ferunt hîc *montem*, ſed iſta dumtaxat: *Non acceſſiſtis ad tractabilem & flagrantem ignem*.

℣. 19. ET VOCEM VERBORUM, ſeu tonitru; ut enim ſæpe diximus, tonitru ab Hebræis *vox Dei* nuncupabatur. Flagrante monte, populoque formidante, creditur Deus vocem emiſiſſe ceu tonitru, decem Legis præcepta perſpicuè pronunciantem (z). At eo terrore occupabantur Hebræi, ut Moyſem oraverint, ne Deus jam ipſos alloqueretur, ſed Moyſes ipſe præcepta ex Numinis ore perciperet (a): *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Novâ in Lege ſeſe res aliter habet. Chriſtus allocutus eſt coram: noſtram ipſe naturam aſſumpſit: noſtræ infirmitati ſeſe accommoda-

(i) *Theodoret.* Πορνείαν τοῦ Ἡσαῦ τὴν γαστριμαργίαν ἐκάλεσε.

(k) *Theophyl.* Βέβηλος ὡς Ἡσαῦ, τουτέστι γαστρίμαργος, κοσμικὸς, τὰ πνευματικὰ βεβηλῶν, καὶ καταπαλῶν. (l) *Theodoret. hic; Chryſ. ſeu alius, homil. 2 de Patientiâ Job; Gloſſ. Ordin. D. Thom.*

(m) *Vide Grot. hic, & Comment. noſtr. ad Exod.* III, 14.

(n) *Vide Comment. in Gen.* XXV, 35. *Vide etiam Exod.* XIX, 22.

(o) *Vide Gloſſ. Ordin. Primaſ. D. Th. Cajet. hic.*

(p) *Vide Grot. Hamm. Riber. Men. Jac. Capell. alios.*

(q) *Aug. l. 16 de Civit. c. 29. Toſtat. Perer. in Geneſ.* XXVII. (r) *Geneſ.* XXVII, 34.

(s) Μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρε. (t) *Chryſoſt.* Μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε. Τί δήποτε; ὅτι οὐ μετενόησεν ὃν ἔδει τρόπον (τοῦτο γὰρ ἐστι μετάνοια), οὐ μετενόησεν ὡς ἐχρῆν. *Vide & Theodoret. Theophyl. Eſt. &c.* (u) Libri complures legunt *acceſſibilem*: at germana lectio eſt, *accenſibilem*.

(x) *Exod.* XIX, 16. (y) Οὐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρί. *Plures omittunt* ὄρει. *Ita Alex. Syr. Æth. Copht. Clarom. & Germ. Lat. Codd. multi Latini, teſte Eraſmo. Nec attingunt Chryſ. & Theophyl. in Comment.*

(z) *Exod.* XIX, 19. (a) *Exod.* XX, 19.

℣. 20. Non enim portabant quod dicebatur: Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.

℣. 21. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus:

℣. 22. Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam:

℣. 23. Et Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, & Judicem omnium Deum, & ſpiritûs juſtorum perfectorum:

COMMENTARIUS.

davit; nos ipſe docuit, uti filios pater.

℣. 20. NON ENIM PORTABANT QUOD DICEBATUR (b): ferre non poterant ſeveritatem minacis illius ſententiæ: *Si beſtia tetigerit montem, lapidabitur*. Exodi Liber (c) ad verbum fert: *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis. Sive jumentum fuerit ſive homo, non vivet*. Græca Exemplaria typis edita hoc loco habent (d): *Lapidibus conficietur, aut confodietur jaculo*. Veteres tamen complures Græci libri (e) poſtrema iſthæc verba, *confodietur jaculo*, non legunt, quemadmodum & Vulgata, & Latini Codices. Addita ſunt ex loco Exodi, XIX, 13.

℣. 21. MOYSES DIXIT: EXTERRITUS SUM. Iſta non leguntur in Exodo, ubi narrat Moyſes ea quæ contigere, cùm Deus Legem ipſi ferret, neque aliis in locis huc pertinentibus. Quamobrem ex majorum narratione didiciſſe videtur Apoſtolus (f). Martianæus explicat: *Et ita terribile erat quod videbatur, Moyſe teſte, ut ego ipſe ad vos ſcribens terrore ac formidine quatiar*. Porrò Græcus hanc explicationem admittit (g).

℣. 22. SED ACCESSISTIS AD SION. Hoc obvênit Chriſtianis, aliter quàm Deo Legem ferente Judæis. Fœdus cum Domino iniiſtis, non ad radices flagrantis ac nube obſiti Sinai, ſed *ad Sion, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. At qui illud verè dicitur, Judæos ad Chriſtum converſos novam accepiſſe Legem, fœdusque feciſſe cum Domino in Cœleſti Jeroſolymâ, ſive in Cœlis? Respondeo I: Chriſtianus homo cœleſtis Jeroſolymæ civis eſt (h), ad illam pertinet, bonorumque cœleſtium ſpem animo fovens, quodammodo jam in cœlo verſatur (i). II, Chriſtiana Eccleſia (k) optimo jure Sion, Cœleſtis Jeroſolyma, civitas Dei viventis, cœtus Angelorum dicitur, quippe quæ Chriſti Jeſu Regnum eſt, ſedes, ſponſa: illam Angeli moderantur ac defendunt: in unam coaleſcit rempublicam ac civitatem cum Eccleſiâ triumphante, quæ propriè ac verè Jeroſolyma cœleſtis, & Dei viventis civitas appellatur. Chriſti Eccleſiam deſcribit Apocalypſis (l), tamquam urbem auream, gemmis diſtinctam, e cœlo in terras labentem, ceu ſponſam, quæ muliebri paratu compta in ſponſi occurſum venit.

℣. 23. ECCLESIAM PRIMITIVORUM, primorum natu, QUI CONSCRIPTI SUNT IN COELIS. Fœdus, quod ipſi in Eccleſiâ iniiſtis, confirmatum in Cœlo eſt, ubi deſcripti ſunt ac beatitudine fruuntur *primitivi*, veteres nimirum Juſti & Patriarchæ, qui Legi præceſſere, quique ſub Lege viventes, fide, charitate, animorum habitudine ad novum fœdus pertinebant. Explicant alii (m) de Apoſtolis, primoribus natu Eccleſiæ filiis, quippe quos omnium primos vocavit Chriſtus, & fidei peperit, quique ante cæteros Eccleſiam inſtituerunt: horum nomina Libro vitæ continebantur. *Nolite gaudere*, ajebat Chriſtus (n), *quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis*. Hebræi, qui Legem in Sinai accepere, deſcripti ſunt in cenſu viventium, inter Dei ſervos & populum: at Chriſtiani cenſi ſunt in Cœlis. Civium nomina in ſingularum urbium cenſu deſcribuntur. Terreſtris Jeroſolymæ cives in ejus urbis libro exarati ſunt (o): qui ad Cœleſtem Jeroſolymam pertinent, in ejus commentariis cenſentur (p). *Vos eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei*. Denique uſurpatur de Fidelibus Electiſque univerſis (q), *Dei primitivis* appellatis, quòd reverâ ſint ſervorum illius primitiæ, ad fidem præter cæteros vocati fuerint, ac primi ſpiritûs & adoptionis munera obtinuerint. Electorum nomina in Cœlis deſcripta ſunt, ut ait Scriptura (r).

ET JUDICEM OMNIUM DEUM. Legem ferens priſcis Iſraëlitis Deus capitali pœnâ interdixit, nequis accederet ad montem, in quo ipſe præſentem ſe exhibebat: at vos nullo metu per fidem, charitatem, & Chriſtiani inſtituti profeſſionem, acceſſiſtis ad Deum, omnium hominum Judicem, eumque conſtanter Patrem appellaſtis (s).

ET SPIRITUS JUSTORUM PERFECTORUM (t), gloriâ fruentium, quorum ſanctitas abſoluta eſt, qui curriculi metam feliciter attigere, aſſecuti pugnæ præmium, & coronâ donati (u). Ad hos per fidem & charitatem acceſſere Fideles; facti

(b) Τὸ διαστελλόμενον.

(c) *Exod. XIX, 13.*

(d) Λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται.

(e) *Deſunt in Alex. Clarom. G. L. Germ. Lat. Copht. Syr. Arab. Æth. Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. aliis pluribus apud Mill. hic.* (f) *Eſt. Tir. Gerhard.*

(g) Καὶ οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, (Μωσῆς εἶπεν) ἔκφοβός εἰμι, καὶ ἔντρομος.

(h) *Epheſ. II, 19.* (i) *Theophyl. Oecumen. Grot. Vide & Chryſ. & Theodoret.*

(k) *Riber. Eſt. Men. Tir.* (l) *Apoc. III, 12; XXI, 2. . . 10.* (m) *Grot. Hamm.*

(n) *Luc. X, 20.* (o) *Pſal. LXXXVI, 1, 2, 3. & ſeq.* (p) *Epheſ. II, 19.*

(q) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Oecum. Eſt. Jac. Capell. &c.*

(r) *Luc. X, 20; Philipp. IV, 3; Apoc. XIII, 8, XVII, 8.*

(s) *Matt. VI, 26; Joan. XVI, 27; Rom. VIII, 15; Galat. IV, 6.*

(t) Καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων.

(u) *Ita Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Grot. Eſt. Riber.*

℣. 24. Et teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel.

℣. 25. Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus.

℣. 26. Cujus vox movit terram tunc; nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel; & ego movebo non ſolùm terram, ſed & Cœlum.

℣. 27. Quod autem, Adhuc ſemel, dicit, declarat mobilium translationem, tamquam factorum; ut maneant ea quæ ſunt immobilia.

COMMENTARIUS.

ſunt illorum fratres & amici, urbis ejuſdem cives, unius patris filii, eâdemque in hæreditate ſucceſſores.

℣. 24. Testamenti novi mediatorem Jesum, Majores veſtri, quo tempore Legem in Sinai acceperunt, acceſſere ad Moyſem, ejus fœderis ſequeſtrum *(x)*. Is merus homo erat, a quo propoſitum eſt Dei nomine fœdus, ad certum tempus usque manſurum. At vos ad hominem Deum, Jeſum Chriſtum, æterni fœderis authorem, acceſſiſtis. Vos non victimarum cruore, uti tunc populus, ſed Chriſti ſanguine, *meliùs loquente quàm* ſanguis *Abel*, aſperſi fuiſtis. Sanguis Abelis vindictam poſcebat in Cainum cædis reum *(y)*: Chriſti ſanguis, veſtræ ſalutis cauſâ profuſus, miſericordiam in vos poſtulat. Knatchbullus ita Græcum reddit *(z)*: *Sanguinis* Chriſti *aſperſio meliùs loquitur, quàm Abelis ſacrificia*. Iſta Deo placuere, teſte Scripturâ *(a)*: at multo præſtantior fuit ſanguis Chriſti & merito & efficacitate.

℣. 25. Videte, ne recusetis (parvi faciatis) loquentem. Si Moyſem audivere majores, Legemque ſibi ab eo traditam tanto obſequio excepere; ſi ejus Legis contemptores violatoresque tam acriter punivit Deus, quid timendum erit vobis, ſi ea quæ Chriſtus & verbis & exemplo docuit, rejeceritis? Merus homo erat Moyſes; Deus eſt Chriſtus. Moyſes in terris loquebatur; Chriſtus e Cœlo. Carnalis erat Lex Moſaica; Lex cœleſtis eſt Chriſti. Alii *(b)* ita interpretantur: Si Iſraëlitæ, contempto Deo, ſive Angelo ſe alloquente in terris Dei nomine, pœnam non effugere; multo minùs effugiemus ipſi, ubi Chriſtum Jeſum e Cœlis loquentem contempſerimus.

℣. 26. Cujus vox *(c)* movit terram tunc, quique nunc noſtri gratiâ pollicetur futurum, ut terram ſimul & cœlum moveat. Cùm Deus, aut Dei nomine Angelus Moyſem in Sinai vertice alloqueretur, tremuit tellus, & montes formidine quaſſi ſunt. Multo igitur magis, cùm nos hoc tempore per Legiſlatorem Chriſtum alloquatur, terram cœlumque, ſi neceſſe fuerit, commoturus eſt, ut nos puniat, ſive ut ſui nominis metum & erga Leges obſequium mentibus noſtris altiùs imprimat. Commotam eſſe terram, Deo Moyſem alloquente in vertice Sinai, disertè non legimus in Moyſe; at ex aliis Scripturæ locis colligimus; putà ex Pſalmis *(d)*: *Terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt* (liquati ſunt) *a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſraël*. Ex Cantico Deboræ *(e)*: *Domine, cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlique ac nubes diſtillaverunt aquis*. Eadem fermè habet Habacuc *(f)*.

℣. 27. Quod autem, adhuc semel, dicit, declarat mobilium translationem. Dominus apud Aggæum ait *(g)*: *Adhuc unum modicum eſt* (adhuc ſemel), *& ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum iſtam*, ſeu novum hoc Templum, *gloriâ*. Novum Templum captivitate Babylonicâ abſolutâ conditum ſignificat. Cœlum Deus terramque commovit, cùm in verticem Sinai, Legem daturus Iſraëlitis, deſcenderet. Eadem adhuc ſemel commotum iri pollicetur, cùm ipſe novam Legem tulerit, novumque fœdus, cujus figura fuere captivitatis exitus, & ſecundi Templi inſtitutio, confirmaverit. Cùm ait, ſeſe, iterum Cœlum terramque commoturum, innuit, poſtremam hanc fore commotionem, poſt quam omnia denique firma & inconcuſſa futura ſunt. Poſt novum igitur fœdus, Chriſti ſanguine obſignatum, inſtitutâque Eccleſiâ Chriſtianâ, nulla jam Lex expectanda eſt, nullumque fœdus: nihil jam movebitur, mutabitur, evertetur.

In novæ Legis inſtitutione tropicè commota ſunt cœlum, terra, & natura univerſa. Religionem ſuam inſtituere non potuit Chriſtus, niſi everſis Judaicâ & Profanâ. Quos tumultus, quos motus, quas inſectationes paſſa non eſt Chriſti Eccleſia tum ex Judæis, tum ex Gentilibus? Quanto fragore ruit Judæorum Reſpublica & Religio in Templi & urbis excidio? Quid non conatus eſt Diabolus, ut Evangelicorum dogmatum, quibus univerſum ipſius imperium penitus evertebatur, promulgationem impediret? Habes hîc alteram rerum commotionem, de qua Aggæus *(h)*; cujus motûs imago & umbra fuit ille alter, qui ad Sinai montem ſonuit.

℣. 28. Ita-

(x) *Exod.* xxiv, 7. 8.

(y) *Geneſ.* iv, 10. *Vide Chryſoſt. Eſt. Men. Zeger, Eraſm. &c.*

(z) Αἵματι ῥαντισμοῦ κρεῖττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ. *Plures legunt*; Παρὰ τὸ Ἄβελ.

(a) *Geneſ.* iv, 4.

(b) *Theodoret. Theophyl. Eſt. Men. Grot. Para. &c.*

(c) *Cujus vox, nempe Dei, vel Angeli, movit terram; vel etiam, vox Moſis, ideſt, Dei ad Moſen. Theophyl.* Τὸν Μωσῆν λέγει, ἢ καὶ τὸν Θεὸν, ἀπ᾽ οὐρανοῦ μὲν καταβάντα, ἐπὶ γῆς δὲ ὅμως χρηματίζοντα διὰ Μωσέως. (d) *Pſal.* lxvii, 9. (e) *Judic.* v, 4, 5.

(f) *Habac.* iii, 10. (g) *Agg.* ii, 7. עוד אחת מעט היא 70: Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείω, &c.

(h) *Ita Eſt. Tena, Riber. Men. Piſc. Jun. alii plerique.*

℣. 28. Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu, & reverentiâ.
℣. 29. Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.

COMMENTARIUS.

℣. 28. ITAQUE REGNUM IMMOBILE SUSCIPIENTES, HABEMUS GRATIAM (i). Cùm igitur Divino beneficio cives ſimus Regni Jeſu Chriſti nunquam perituri, cùm admiſſi fuerimus intra novum fœdus, quod immobile futurum eſt & æternum, quod Moſaicæ Legi peritoræ demum ac delendæ ſucceſſit; ingens adeò beneficium a nobis ſollicitè ſervandum eſt, conſtanterque tenendum fœdus, quod Chriſtianam Religionem amplexi juravimus. Sive: Opus eſt, ut fidei depoſitum, acceptamque in Baptiſmo Spiritûs Sancti gratiam, ſtudioſiſſimè cuſtodiamus, feracem illam reddamus bonorum operum exercitatione, caveamusque ne Dei dona in caſſum obtinuiſſe, aut, quod deterius moltò eſt, contempſiſſe, peſſimiſque moribus profanaſſe dicamur.

CUM METU ET REVERENTIA. Græcus (k): *Cum pudore & reverentiâ*; ſive *honeſtè & religiosè*; ad Dei majeſtatem accedentes, & coram illo viventes quo par eſt obſequio ac religione; ſive: Pudicum inter homines, modeſtum, honeſtumque vitæ genus agentes; ſummoque obſequio & religioſo metu coram Deo verſantes.

℣. 29. ETENIM DEUS NOSTER IGNIS CONSUMANS EST. Locus ex Moyſe (l). Deum cum metu colite, neque contemptu & perfidiâ provocate; Deus enim ignis vorans eſt; zelotypus eſt, irâque formidabilis. Ignis, tametſi flagrans violentusque, vix leviter adumbrat ſeveritatem, celeritatem gravitatemque ſuppliciorum, quibus Deus in homines irritatæ clementiæ reos animadvertit.

CAPUT XIII.

Hortatur ad charitatem, hoſpitalitatem, morum honeſtatem, cæteraſque virtutes. Apoſtolos imitare: externa & nova dogmata fuge. Paſtoribus obtempera. Hebræos rogat, ut pro ſe orent. Epiſtolam ſalutationibus claudit.

℣. 1. CHaritas fraternitatis maneat in vobis.
℣. 2. Et hoſpitalitatem nolite obliviſci; per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CHARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS (a). Fratrum amor propria ſemper fuit germanorum Eccleſiæ filiorum laus. Nihil unquam ſtudioſiùs Apoſtoli commendavere, quàm fratrum charitatem, quamplurimas virtutes complectentem. Hebræi, ad quos literas dabat Paulos, ægrè ferebant Gentiles ad Chriſtiana ſacra converſos, imperatos in Lege ritus negligere. Itaque hortatur Apoſtolus, ut charitatem colant, præſertim erga externos fidem amplexos, & neque ipſos damnent, qui Chriſtianâ libertate utuntur, neque eos qui uti permittunt.

℣. 2. HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI. Ne frigidæ paupertatis nomine (b), hoſpitalitatem, quæ ex charitate oritur, negligatis; neque nimio delectu eam virtutem exercete, ne, dum eligitis optimos, actionis meritum amittatis (c). Mementote Abrahami ac Lothi, qui, dum meros homines hoſpitio a ſe excipi exiſtimant, hoſpites Angelos ipſumque Angelorum Dominum habuere (d). Animo recolite, qui honor illis, quæ utilitas ex hoſpitalitate manaverint (e).

Latina quædam Exemplaria (f), pro, *propter hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis*, habent, *Placuerunt quidam*. Placuere Deo, quòd Angelos hoſpitio acceperint; ſive: Angelis, quos habuere hoſpites, placuere. Alii (g), Vulgatam ſequuti, ita explicant: *Quidam, hoſpitalitatis merito*, puta Loth ejuſque familia, *latuerunt*, quo tempore Sodomæ cives domûs illius fores non inveniebant (h), *Angelis hoſpitio receptis*. Hæc tamen explicatio toto cœlo diſſidet a genuinâ, quam poſt Græcos Patres optimoſque Interpretes (i) ſupra dedimus. Legebat S. Auguſtinus (k): *Neſcientes, hoſpitio receperant Angelos*: quæ lectio ſenſum hujus loci aptiſſimè detegit. Patres nonnulli (l), ipſaque in Officio Eccleſia putaſſe videntur, Angelis ab Abrahamo ſpectatis Divinarum trium

(i) *Græc. impreſſ.* Ἔχωμεν χάριν. *Ita Clarom. & S. Germ. Lat. Steph.* δ, ι; *Laud.* 2; *Arab. alii.*
(k) Μετ' αἰδοῦς, καὶ εὐλαβείας.
(l) *Deut.* IV, 24.
(a) Ἡ φιλαδελφία μενέτω. *Non legit*, In vobis, *ſicut nec antiquiſſima Latina; Clarom. S. Germ. Donati. Leodi. Malmundar. Vide Beng. hic.* (b) *Chryſoſt. Theophyl. Eſt.*
(c) *Vide Ambroſ. l. de Abrah. c.* 5; *& de Offic. l.* 2, *c.* 21; *l.* 3, *c.* 7; *& Aug. Ep.* 38, *nov. Edit. n.* 2, *p.* 82, *olim Ep.* 149. (d) Διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες Ἀγγέλους. *Chryſ.* Οὐκ εἰδότες ἐξένισαν. *Ita Theod. Theophyl. alii Grot. hic*; Ἔλαθον ξενίσαντες, *locutio benè Græca; nam ſic loquuntur Ariſtoph. Plato, Xenophon, ſubaudito* αὐτοὺς, *quod interdum exprimitur.*
(e) *Vide, ſi lubet, Philon. de Abraham, p.* 366. (f) *Ita Sixti V, & Lovanienſ. & pleraque ante Correctionem Clementinam, Velez.* Ἤρεσαν. (g) *Faber Stapul. & Ambroſ. Catharin.*
(h) *Geneſ.* XIX, 11; *Sap.* XIX, 16. (i) *Vide Riber. Eſt. Grot. Syr. alios.*
(k) *Aug. l.* 2 *de Trinit. c.* 23; *l.* 3 *contra Maxim. c.* 26; *l.* 16 *de Civit. c.* 29; *Quæſt.* 33, 34, 41, *in Geneſ. &c.* (l) *Hilar. de Trinit. l.* 4; *& Aug. de Trinitate, l.* 2, *c.* 15, 22; *Ambroſ. de Abrah. l.* 1, *c.* 5, *n.* 35, 36, 38.

℣. 3. Mementote vinctorum, tamquam ſimul vincti; & laborantium, tamquam & ipſi in corpore morantes.

℣. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros judicabit Deus.

℣. 5. Sint mores ſine avaritiâ, contenti præſentibus: ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam:

℣. 6. Ita ut confidenter dicamus: Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo.

℣. 7. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.

COMMENTARIUS.

Perſonarum unitatem fuiſſe ſignificatam: *Tres vidit, & unum adoravit*. At tametſi Abraham denique intellexerit, hoſpites ſuos eſſe Angelos, in iiſque Deum adoraverit, is procul dubio primo ſtatim occurſu meros homines eſſe exiſtimavit.

℣. 3. MEMENTOTE VINCTORUM, TAMQUAM SIMUL VINCTI ſitis. Hebræos commendavit Apoſtolus (m), quòd Fidelium Jeſu Chriſti causâ vinctorum vinculis doluerint. Paulo antea vinculis dimiſſus fuerat Apoſtolus; creduntque Hebræi ſummo mœrore affecti fuiſſe ob Apoſtoli ærumnas (n). Hortatur, ut pergant charitatem ac miſericordiam exercere erga eos, qui veritatis causâ malis agitantur. Qui inter diſcrimina, vincula, ærumnas aut verſatur aut verſatus eſt, plerumque seriùs permovetur malis cæterorum, quàm qui nunquam iſta eſt expertus. Qui verò eâdem cum altero catenâ vinctus eſt, etiam ſi voluerit ſocii oblivisci, non poteſt (o). Ita fratrum vinctorum vicem dolere debemus, quaſi eadem & ipſi vincula feramus; ægrotorum verò, tamquam unius ejusdemque corporis membra, iiſdemque morbis obnoxii: *Tamquam & ipſi in corpore*.

℣. 4. HONORABILE CONNUBIUM IN OMNIBUS: matrimonium honeſtiſſimè colite. Quavis ætate, aut conditione ſitis, pudiciſſimè & honeſtiſſimè in matrimonio vivite. Conjugalem caſtitatem, & modeſtiæ leges in conjugii uſu ſervate (p). Aliter: Conjugium ceu malum ſive pernicioſum damnet nemo: honore dignum ex ipſâ ſui inſtitutione eſt, quippe a Deo inſtitutum: neceſſe eſt igitur, illud inter homines eſſe; eo quippe naturali modo genus hominum prorogari voluit Deus: utile eſt, utpote incontinentiæ remedium. Ita omni prorſus ratione eſt *honorabile* (q).

ET THORUS IMMACULATUS. Conjuges nedum mutuam fidem ſanctiſſimè ſervent, verùm etiam in ipſo conjugii uſu debitum neque poſtulent neque reddant, niſi unius ſobolis, quæ finis matrimonii eſt, gratiâ (r). *Conjugalis concubitus generandi gratiâ, non habet culpam; concupiſcentia verò ſatianda, ſed tamen cum conjuge, propter thori fidem, venialem habet culpam; adulterium verò & fornicatio lethalem habet culpam*. Sive uſurpatis Apoſtoli verbis tamquam ſanctione, non conſilio, vel exhortatione: Uſum conjugii ne damnetis. Nuptialis thorus caſtus eſt & honore dignus: immodicum, intemperantem illius uſum damnat Deus (s): *Concubitus enim neceſſarius causâ generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille autem, qui ultra iſtam neceſſitatem progreditur, jam non rationi, ſed libidini obſequitur*. Eccleſiæ initio fuere hæretici, qui conjugium damnaverint, puta Carpocratiani, Marcionitæ, Saturnini Diſcipuli, Tatianus, Gnoſtici. Putat S. Chryſoſtomus (t), non defuiſſe inter Hebræos, qui nefarium eſſe conjugium arbitrarentur.

℣. 5. SINT MORES SINE AVARITIA (u). Paupertatem laudat ſuadetque Chriſtiana Religio: opes ſanctè uſurpatas non damnat; avaritiam, tamquam maximum hominis totius flagitium, execratur. Noverat Paulus, Hebræos ad Chriſtum converſos graviſſimâ inopiâ laborare; ut ſimul intelligebat, avaritiam tum in pauperibus tum in locupletibus reperiri; inviſamque Deo eſſe avaritiam, non caducarum opum poſſeſſione, ſed illarum amore, immodicâ habendi cupiditate, earumque amittendarum metu (x).

Addit: *Contenti præſentibus*, iis quæ poſſidetis. Locupletiores fieri ne ſtudeatis (y). Illud non imperat Deus, ut inertiam & ignaviam ſecuti ita vivamus, quaſi Providentia omnia nobis neceſſaria ſufficere teneatur. Jubet nos labori operam dare, & juſtas parandi victum rationes inire. Si aliter agas, tentas Deum, ejusque bonitatem irritas. At inanem ſimul ſolicitudinem, & curas æquo majores damnat. Ita labori operam navato, ut potiora non negligas; Deique auxilio magis quàm induſtriæ tuæ fidito (z).

℣. 6. UT CONFIDENTER DICAMUS: DOMINUS MIHI ADJUTOR. Cùm dixerit Deus: *Non te deſeram*; opus eſt, omnem in illo fiduciam collocemus, eumque in rebus arduis invocemus, iis verbis: *Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo*. Inſectentur me homines, calumniis opprimant, fortunis exuant: ſpes mea meumque præſidium eſt Deus; me ille fruſtra ſperaſſe non patietur.

℣. 7. MEMENTOTE PRÆPOSITORUM VESTRORUM, Apoſtolorum Chriſti, ejusque Diſcipulorum, ex qui-

(m) *Hebr.* x, 34. (n) Vide *Heb.* x, 34. Græca quædam Exemplaria ibi legunt, *Vinculis meis compaſſi eſtis*. (o) *Theophyl.* Ὁ γὰρ συνδεδεμένος τινὶ, κἂν θέλῃ ἐπιλαθέσθαι, οὐ δύναται.

(p) *Vide Aug. l. de Bono conjugali, c. 6, 7. Idem ibid. c. 32: Decus ergo conjugale eſt caſtitas procreandi, & reddendi carnalis debiti fides. Hoc eſt opus nuptiarum... Exigendi autem debiti ab alterutro ſexu immoderatior progreſſio conjugibus ſecundùm veniam conceditur. Vide eumdem de Nuptiis & Concupiſc. l. 1, c. 15; & contra Julian. Pelag. l. 5, c. 12, &c.*

(q) *Vide Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. &c.* (r) *Aug. de Bono conjug. l. 6.* (s) *Aug. de Bono conjug. c. 10.* (t) *Chryſ. hic:* Ἀπίστευτοι δὲ τινὲς Ἰουδαίων, ὅτε βδελυρὰν ἡγοῦντο τὴν κοίτην.

(u) Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος. (x) *Vide Chryſ. & Theophyl. & Eſt.* (y) *Theophyl.* Ἐὰν ἀρκώμεθα τοῖς παροῦσι. Ἐὰν μηδὲν πλέον ζητῶμεν τῆς χρείας, καὶ τῶν ἀναγκαίων. Ὁ γὰρ πλέον ὧν ἔχει ζητῶν, ὡς δῆλον ὅτι φιλάργυρος.

(z) *Vide Matth.* vi, 34. *Theodoret. Theophyl. Eſt. Grot. &c.*

℣. 8. Jeſus Chriſtus heri & hodie; ipſe & in ſæcula.

℣. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratiâ ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

℣. 10. Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.

℣. 11. Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.

COMMENTARIUS.

quibus verbum vitæ accepiſtis. Hos colite, eiſque gratum ita uti decet animum exhibete: *quorum intuentes exitum converſationis*, vitæ, *imitamini fidem*. Plerique, dum tradita vobis dogmata fortiter defendunt, necem ſubiere. Horum conſtantiam virtutemque imitamini; acceptâque per illos in fide vos ipſorum exempla confirment. Martyrium jam ſubierant Stephanus, Jacobus Joannis frater, cognomento Minor, & Jacobus Jeroſolymæ Epiſcopus, frater Domini appellatus. Petrus carcerem pertulerat; ac præcipui ex Chriſtianis aut mortem aut inimicorum odia perpeſſi fuerant (a). Monet iſtorum exemplo Hebræos, ut & paupertatem & quicquid eventurum eſt, fortiter ferant. S. Chryſoſtomus ac Theophylactus hæc verba de Præſulibus ſuperſtitibus interpretantur; atque ita reddi poteſt Græcus (b): *Mementote Præfectorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis verbum Dei, quorum intuentes inſtitutum vitæ, imitamini fidem*. Imitamini horum mores, quemadmodum fidem ſequimini.

℣. 8. JESUS CHRISTUS HERI fuit, ET HODIE eſt, IPSE ET futurus eſt IN SÆCULA. Novas res ne ſectemini: Chriſto conſtanter adhæreſcite. Quemadmodum æternus ipſe eſt, nec mutatur; ita illius fides & dogmata: idem hodie eſt, qui heri fuit, idemque omnibus deinceps ſæculis futurus eſt (c). Aliter: Ne decipiamini ab iis, qui alium Meſſiam crepant (d). Chriſtus Jeſus heri fuit, hodie eſt, æternumque futurus eſt Meſſias veſter & Chriſtus. Alii denique referunt ad ſuperiora: Apoſtolos Præfectoſque veſtros imitamini: qui eos vobis præpoſuit, edocuit, tutatus eſt, hæc eadem præſtare omnibus deinde ſæculis perget. Ita & vobiſcum aget, ſi eorum exempla fueritis conſtantiſſimè imitati.

℣. 9. DOCTRINIS VARIIS ET PEREGRINIS NOLITE ABDUCI. Variæ ferebantur in variis Judæorum ſectis ſententiæ. Judæi complures ad Chriſtiana ſacra converſi, nedum Circumciſionis cæterorumque rituum obſervationes, verùm etiam commenta Rabbinica & Phariſæorum traditiones in Religionem inducere conabantur. Alii pernicioſa ſentiebant de Reſurrectione mortuorum, deque Jeſu Chriſti Divinitate. Quidam ex Ethnicis Philoſophicas meditationes cum Chriſti dogmatibus miſcere tentabant. Superioribus in Epiſtolis vidimus, quantopere pugnandum Apoſtolo fuerit, ut veritatem ab hoſtibus, illam corrumpere laborantibus, defenderet: Hebræos hic adversùs iſtos munit. Ne illorum facundiâ aut acumine decipiamini. Immutabilia Chriſti dogmata, & quæ Apoſtoli docuere, conſtanter tenete.

OPTIMUM EST ENIM GRATIA STABILIRE COR, NON ESCIS, non ciborum delectu (e), cæteriſque ritibus, luſtrationibus, cruentis ſacrificiis, victimis pro peccato, QUÆ NON PROFUERUNT AMBULANTIBUS IN EIS, ſervantibus. Dei gratia & veritatum Evangelicarum cognitio ſunt ſpiritalis cibus, multo ſolidior aptiorque nutriendis animis, quàm alendis corporibus, tuendæque vitæ ac valetudini cibi ſenſibus obnoxii. Qui corporeos dumtaxat cibos quæſivere, veluti Hebræi in ſolitudine, tam ſæpe in Deum ſeditioſi, quòd cibos & aquam poſtularent, mortem non effugerunt. Minimè illis profuit, cibis eximiis ſatiari. Coturnicum carnes adhuc terebant dentibus Hebræi, cùm Dei furor in illos exarſit (f). Hanc eſſe puto genuinam loci hujus interpretationem. Pſeudo-Apoſtoli, Eccleſiam novis dogmatibus perturbantes, homines erant ventri atque epulis addicti (g). Explicari etiam poteſt de immolatis carnibus, victimiſque in Templo mactatis; cui explicationi conſequens membrum favet.

℣. 10. HABEMUS ALTARE, &c. Habito ſermone de ſpiritali cibo, fide, Evangelicâ veritate, ac Jeſu Chriſti gratiâ, alterius meminit cibi, omnis Fidelibus cogniti, multo nobiliſſimi, efficaciſſimi, nobiſque alendis, expiandis, ſanctitate donandis aptiſſimi, quàm quicquid in Templo Jeroſolymitano, tunc temporis adhuc manente, inveniretur. Nequis jactet euchariſticarum victimarum carnes, quibus veſci quivis poteſt, modò nullâ labe inquinatus; neque hoſtiarum pro peccato, quas in cibum adhibere in Templo unis Sacerdotibus licet (h). Multo nobiliſſimus eſt cibus, de quo loquor. Nimirum alimur Corpore & Sanguine Hominis-Dei; ac dum Divinum hunc cibum corporis ore ſumimus, animus noſter paſcitur, ſaginatur, fortiſque & ſanctus efficitur (i).

℣. 11. QUORUM ENIM ANIMALIUM INFERTUR SANGUIS PRO PECCATO IN SANCTA, &c. Solemnis expiationis die (k) priùs mactabatur vitulus ob Sacerdotum peccata; deinde pro populi peccato hircus. Cæteris temporibus, ſiquid per ignorantiam peccaſſet Pontifex, vitulus etiam pro illius peccato mactabatur (l); & ſingulis hiſce in ſacrificiis victimæ adeps altari holocauſtorum imponebatur, reliquum verò victimæ corpus extra caſtra delatum cremabatur; quique illud cremaverat, nonniſi abluto aquis corpore in caſtra redibat (m). Id forsſe vult hiſce verbis Apoſtolus. Mactabatur etiam extra caſtra (n), in ſolemnis expiationis ſacro, vitula rufa, cujus cineribus conficiebant-

(a) *Theodoret. Eſt. alii plerique.*

(b) Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. *Chryſ.* Θεωροῦντες αὐτῶν τὴν ἀναστροφὴν, τουτέστι τὸν βίον, μιμεῖσθε τὴν πίστιν. Ἀπὸ γὰρ βίου καθαροῦ ἡ πίστις. (c) *Eſt. Caſtal. alii.*

(d) *Chryſ. Theophyl.* (e) *Theophyl.* Ἀποτείνεται τοὺς τὴν Ἰουδαϊκὴν παρατήρησιν τῶν βρωμάτων εἰσάγοντας. *Ita Eſt. Men. Bez. &c.* (f) *Pſal.* LXXVII, 30. (g) *Rom.* XVI, 18. *Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri. Philipp.* III, 19: *Quorum Deus venter eſt, &c.* (h) *Levit.* VII, 6, 7.

(i) *Vide Aug. Tract.* 27 *in Joan.* (k) *Levit.* XVI, 3, 15. (l) *Levit.* IV, 3, 4, 5, *& ſeq.*

(m) *Levit.* XVI, 27, 28; *& Levit.* IV, 2, 3, 4, *& ſeq.* (o) *Num.* XIX.

℣. 12. Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra Portam paſſus eſt.

℣. 13. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.

℣. 14. Non enim habemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.

℣. 15. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.

℣. 16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.

COMMENTARIUS.

bantur aquæ luſtrales ad explandum hominem cadaveris contactu pollutum, uti diximus ſupra, xx, 13.

Hujusmodi victimis ſignificabatur ſacrificium, quo Chriſtus Jeſus in altari Crucis, extra urbem Jeroſolymam, in Calvariæ monte, ſuum ipſe Sanguinem ſuamque vitam obtulit. Quod enim Lex habet de caſtris per iter in ſolitudine, id, Rabbinis teſtibus, ſervandum erat de urbe Jeroſolymâ, poſtquam ibi Templum ſtetit (o). Israëlis caſtra toti urbi Jeroſolymæ reſpondebant. Caſtra Levitarum univerſus Templi mons erant, ab ipſis montis radicibus ad portam usque de Nicanoris nomine nuncupatam. Denique caſtra Domini Templum ipſum erant, quàm latè patebat.

In conſuetis expiationis ſacrificiis, maximam partem carnium victimæ pro peccato in cibum uſurpabant Sacerdotes (p): at ea victimis ſolemnis expiationis nemini fas erat comedere; ut intelligeres, neque Sacerdotes, neque cæteros Judæos, Legis rituum pervicaciùs ſtudioſos, Jeſu Chriſti ejusque meritorum eſſe participes. Chriſti ſacrificium peractum eſt extra caſtra, ſcilicet extra Jeroſolymam, ut intelligeres, Synagogam a Chriſto deſtitui, lucemque & veniam inferri Gentibus, quæ extra fœdus Legis erant, & intra fœdus Evangelii admittendæ.

℣. 12. Extra portam passus est. Præter myſticam, quam diximus, alia fuit hujus rei ratio, quòd ſcilicet Legis ſanctione inſtitutum eſſet, ut ſontes extra urbem plecterentur (q), ſive ut peccati & peccantis execratio oſtenderetur, ſive ut vitarentur labes, ex mortui contactu & propinquitate oriturae (r).

℣. 13. Exeamus igitur ad eum extra castra. Si opus fuerit unâ cum Chriſto crucem geſtantes proficiſci, omnesque illius contumelias & opprobria perferre, Magiſtrum ſequamur conſtantiſſimè: egrediamur caſtris, inutiles Legis ritus deſeramus (s), Judæos pervicaces in ſuâ mentis duritie relinquamus: una ſit nobis gloria e Synagogâ ejici, & ab ipſorum Eccleſiâ ſejungi (t): beatos, ſi Servatoris noſtri ærumnas & probra experti fuerimus (u).

℣. 14. Non enim habemus hic manentem civitatem. Exilium a terreſtri patriâ, & ejectionem a Judæis civibus ne vereamur; Chriſtum imitati, qui extra Jeroſolymam raptus eſt ad ſupplicium. Nulla in terris eſt Chriſtiano patria: vera illius ſedes eſt Cœlum. Philoſophus quidam audacter ajebat, nullam eſſe in mundo ſapientis patriam, cùm univerſus orbis patria Sapientis ſit (x). Multo veriùs aſſerere debet Chriſtianus, nullam hîc ſedem ſibi eſſe, ſed patriam Cœlum: nihil penitus ſibi eſſe terram, ſeque præſentis vitæ bonis & malis non permoveri, niſi quantum ſerviunt aſſequendæ Cœleſtis patriæ, quò jam per animi propenſionem fertur, & in qua theſauros omnes ipſe repoſuit. *Ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit* (y).

℣. 15. Per ipsum offeramus hostiam laudis Deo. Pro cruentis ſacrificiis, quæ certis olim diebus per Sacerdotes faciebatis, offerte jam victimas laudis Deo per Chriſtum Jeſum, qui noſter Servator eſt æternusque Pontifex (z). Quæ verò laudis ſacrificia? Nempe gratiarum actio, Altaris ſacrificium, quo Chriſtus Jeſus ſub panis & vini ſpeciebus mactatur, hymni & carmina in Dei laudes, caſtus, ſanctus ac religioſus cultus. *Fructum labiorum.* Pro fructibus & agrorum primitiis, olim Templo offerendis, laudes afferte, læta carmina, gratiarum actiones. *Fructus labiorum* eſt Oſeæ Prophetæ locutio (a), multo aſperior in Hebræo, *vituli labiorum*, nempe ſacrificia voto promiſſa, vel ſincera infirmitatis humanæ confeſſio, grataque omnium quæ habemus in Deum relatio, dum omnia nos ex eo accepiſſe, omnia illi debere, omnia quæ accepimus in ipſum relaturos profitemur.

℣. 16. Beneficentiæ et communionis (b) nolite oblivisci. Minimè locupletes erant Hebræi ad Chriſtum converſi, uti vidimus (c): illos tamen hortatur Apoſtolus, ut charitatem exerceant, ſuasque opes cum pauperioribus communicent. Charitatis virtus non eſt ſi multum tribuas, ſed ſi ex animo largiaris, & causâ Jeſu Chriſti, qui ſe & nobis & noſtri gratiâ tradidit, ut nos cum Deo Patre conciliaret, nosque Patri ceu ſuaviſſimam hoſtiam exhiberet (d). Addit Apoſtolus: *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus* (e). Per charitatis opera, per hoſpitalitatem, per eleemoſynam peccata ex-

(o) *Grot. ex Maimonide.* (p) *Levit.* VII, 6, 7. (q) *Levit.* XXIV, 14; *Num.* XV, 35; *Deut.* XVII, 5; *Joſue*, VII, 24, 25; *Act.* VI, 58. (r) *Deut.* XXI, 23: *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eâdem die ſepelietur; quia maledictus a Deo eſt qui pendet in ligno; & nequaquam contaminabis terram tuam, &c.* (s) *Theodoret. Zeger. Tirin. &c.* (t) *Joan.* IX, 22; XVI, 2. (u) *Act.* V, 41; *Matt.* V, 12. (x) *Laërt. de Diogene*; Ἐρωτηθεὶς πόθεν εἴη, κοσμοπολίτης, ἔφη. *Lucian. de eodem, in Vitarum Auctione*: Πόθεν; Πανταχόθεν. Τοῦ κόσμου πολίτην ὁρᾷς. (y) *Matt.* VI, 20, 21. (z) *Sup. Hebr.* IV. V, VII, VIII. (a) *Oſee*, XIV, 3. נשלמה פרים שפתינו 70: Ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν. (b) Τῆς δὲ εὐποιΐας, καὶ κοινωνίας, *Beneficentiæ & eleemoſynarum. Vide Rom.* XV, 26; 2 *Cor.* VIII, 4, *&c.* (c) *Hebr.* X, 34: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuscepiſtis.* (d) 1 *Petri*, III, 18. (e) Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός, *Promeretur Deus, ſenſu paſſivo; ut Plin. l.* 7, *c.* 28: *Qua Cannis corona merita? Vide Grot. hic: Promeretur, placatur, conciliatur, &c.*

℣. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris redditur i, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

℣. 18. Orate pro nobis: confidimus enim, quia bonam conſcientiam habemus, in omnibus bene volentes converſari.

℣. 19. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs reſtituar vobis.

℣. 20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,

COMMENTARIUS.

expiamus, novaque a Deo beneficia promeremur, dum bona opera noſtra cum Chriſti meritis conjungimus, ipſaque per Chriſtum Deo Patri exhibemus: *Per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam* (f).

℣. 17. OBEDITE PRÆPOSITIS VESTRIS. Animadverte, hanc Epiſtolam non ad Apoſtolos, aut ad Jeroſolymæ Epiſcopum ſeu Presbyteros, ſed ad ſimplices Fideles datam; ita ut infra, ℣. 24. illos roget Apoſtolus, ut Præſules ſuos ipſius nomine ſalutare jubeant. Monet hîc, ut Eccleſiæ Præpoſitis obtemperent atque obſequantur. Jacobus Apoſtolus, frater Domini appellatus, ſupremum diem obierat anno ſuperiore; ipſumque in Jeroſolymitano Epiſcopatu exceperat Simon Cleophæ filius, qui tum Jeroſolymis verſabatur. Fortaſſe etiam Apoſtolus ibi aliquis aut Domini Diſcipulus erant. Non deerant certè Presbyteri ac Diaconi. Hos communi *præpoſitorum*, præſulum, principum, ducum appellatione complectitur. At Epiſcopos in primis (g), proximos Apoſtolorum ſucceſſores, penès quos eſt abſolutiſſimè authoritas, qua Miniſtros ſuos Chriſtus inſtruxit.

IPSI ENIM PERVIGILANT, QUASI RATIONEM PRO ANIMABUS VESTRIS REDDITURI. Iſta movere vos debeant, ut colatis Præſules, iiſque ita obtemperetis, ut juſtitia & grata beneficiorum memoria poſtulant. Quid præſtandum vobis non foret erga medicum, cujus cura omnis pro veſtrâ incolumitate deſudaret? aut erga hominem, qui ſuæ ipſius vitæ diſpendio ducem ſeſe in itinere vobis præberet? Præſtantius multo officium vobis exhibent Epiſcopi & Eccleſiæ Præſules, cùm ſeſe duces vobis præbeant cum ſuæ ipſorum animæ æternæque ſalutis diſcrimine. Præfectis igitur obtemperate, ubi Dei Lex non repugnaverit: morigeri ac ſubditi illis eſtote, tametſi illorum mores cum dignitate non conſentiant. *Omnia quæcumque dixerint vobis, facite; ſecundùm autem opera eorum nolite facere* (h). Grex paſtore carens luporum ſævitiæ obnoxius eſt: at grex paſtori non obediens, eodem in diſcrimine eſt. Quanto cum metu ad Præſulis munus acceſſurus es, ſi has Apoſtoli ſententias probè perpenderis? Si acri fide inſtructus eris, an magiſtratum ita diſcriminis plenum quæreres? Quid? debitorem te facturus es ſalutis tam multorum hominum curæ tuæ creditorum, idque cum ſalutis tuæ periculo, nec times? Mirum, inquit S. Chryſoſtomus (i), ſi vel unus ex iis, qui animarum regimen inconſulto ſuſcipiunt, minimè perpenſo diſcrimine, ad ſalutem perveniat.

UT CUM GAUDIO HOC FACIANT, ET NON GEMENTES. Satis grave ac moleſtum eſt illorum onus, quin a vobis effræni indocilique ſuperbiâ angeatur. An ingratos ſævosque erga paſtorem non puniet Deus? Paſtoris gemitus ac lacrymæ, veſtri causâ coram Deo profuſæ, clamores ſunt, quibus Dei furor in vos concitatur. Facite, ut progreſſu veſtro & ſanctimoniâ gaudeant, non remiſſione & lapſu doleant. Bonus paſtor ovis vel unius interitum, tametſi præter ſui culpam, nonniſi magno cum animi dolore videt. Addit Apoſtolus: Si gemendi occaſionem Præſuli exhibetis, *hoc non expedit vobis*. Paſtoris gemitus audiet Deus, veſtramque nequitiam puniet. Sunt (k) qui pro, *hoc non expedit vobis*, legant, *Hoc enim expedit vobis*: utile vobis futurum eſt, ſi Præſulibus obtemperaveritis, illique cum animi gaudio ac tranquillitate ſuum munus obierint.

℣. 18. ORATE PRO NOBIS: CONFIDIMUS ENIM (audacter dicimus), QUIA BONAM CONSCIENTIAM HABEMUS. Suſpectus nonnihil Hebræis erat Apoſtolus (l), utpote qui docuiſſe crederetur, deſerendam penitus eſſe Moyſis Legem, ejusque ritus negligendos. At is minimè vetabat, quin Hebræi Chriſtianam fidem amplectentes, Legis ritus ſervare pergerent: illud ſolummodo aſſerebat, eos non eſſe ad ſalutem neceſſarios; Ethnicosque in Eccleſiam admiſſos, ad Judaica ſacra non eſſe adigendos. Suſpicionem igitur in ſe creatam hîc removet: Audiſtis, quid ego de Lege, de ſacrificiis, de ritibus doceam: iſta inania & antiquata eſſe demonſtravi; nullius criminis mea me damnat conſcientia: nihil docui, niſi ex Dei præcepto meràque veritate: nihil niſi rectum & inculpatum in omnibus præſtiti.

℣. 19. QUO CELERIUS RESTITUAR VOBIS. Eo tempore Paulus publicis vinculis ſolutus erat: complura tamen illum negotia in Italiâ, in Græciâ, in Aſiâ detinebant. Itaque rogat Hebræos, intentiùs pro ſe vota faciant, ut brevi expeditum in Judæam iter ſibi largiatur Deus, celeremque & facilem negotiorum finem ipſe ſortiatur.

℣. 20. DEUS PACIS, Deus Pater, qui nos clementiæ ſuæ brachiis excepit, accepitque Filii ſui Sanguinem noſtræ reconciliationis & ſalutis pretium, QUI EDUXIT DE MORTUIS (m) PASTOREM VE-

(f) *Rom.* v, 2. (g) *Vide Theophylact. hic; Iren. l.* 4. *c.* 43; *Ignat. Epiſt. ad Trall.* (h) *Matt.* XXIII, 3.
(i) *Chryſoſt. hic, homil.* 34: Θαυμάζω εἴ τινα ἔστι τῶν ἀρχόντων σωθῆναι ποτε πρὸς τῇ τοσαύτῃ ἀπειλῇ, καὶ τῇ παρούσῃ ῥᾳθυμίᾳ, ὁρῶν ἔτι καὶ ἐπιτρέχοντας τινας, καὶ ἐπιῤῥίπτοντας ἑαυτοὺς τῷ τοσούτῳ ὄγκῳ τῆς ἀρχῆς. (k) Ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο. *Cephe. & Proſper, l.* 2 *de Vitâ contempl. c.* 3. (l) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. &c.*
(m) Ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν τὸν ποιμένα, *&c. Quidam*: Ὁ ἀναγαγὼν ἐκ τῆς γῆς, *Ex terrâ. Ita Didym. l.* 3 *de Spiritu ſancto; Chryſ. hic; Cyrill. Catech.* 14; *Rufin. Expoſit. ſymboli.*

℣. 21. Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem; faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in sæcula ſæculorum. Amen.

℣. 22. Rogo autem vos, fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii; etenim perpaucis ſcripſi vobis.

℣. 23. Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum; cum quo (ſi celeriùs venerit) videbo vos.

℣. 24. Salutate omnes præpoſitos veſtros & omnes Sanctos. Salutant vos de Italiâ fratres.

COMMENTARIUS.

VARUM, a quo alimur ſuo ipſius Corpore & Saoguine, exemplis & inſtitutionibus ducimur, gratiâ regimur & ſervamur. Paſtoris oomeo & munera in Evangelio non ſemel Chriſtos accepit (n). Verus ipſe eſt Paſtor, grex bomines univerſi: at qui intra Eccleſiam ſunt, qui ipſius notam & ſigillum præſeferunt, & ſidei ac Spiritûs donum in baptiſmo accepere, peculiari magis nomioe illius oves appellantur. Electi denique, amici, ii quos ad gloriam deſtinat, optimo omnium jure id nominis uſurpant.

IN SANGUINA TESTAMANTI ÆTSRNI; per ſuum ipſius ſanguinem, quo æternum inter Deum hominesqoe fœdus firmatum eſt. Primum fœdus, cujus ſequeſter Moyſes, eadnem erat, & aliquo tantùm tempore permanſurum: aliud promiſerant Prophetæ multo diuturoius firmiusque, Chriſti nimirum ſœdus, cujus ſequeſter ipſe, ſponſor, miniſter, victima (o): quodlibet enim fœderis genus ſanguine confirmatur.

℣. 21. APTET VOS IN OMNI BONO; aptos ad omne opus bonum vos ſaciat, comparet. Sive ex aliis (p): Perfectos faciat in omni opere bono. Mentes veſtras divioo lumine, animos gratiâ compleat, ut quodlibet bonum opus, conditioni & vocatiooi veſtræ convenieos, exerceatis. *Ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum.* Vides, quantum tribuat Apoſtolus gratiæ hominem prævenienti, illuſtranti, in bene agendo cooperanti, per Duminum Chriſtum Jeſum, omnis boni donique perfecti Authorem, qui in nobis & velle & facere peragit, utì viſum ſibi fuerit (q).

℣. 22. UT SUFFARATIS VARBUM SOLATII. Æqui bonique faciatis, quæ dixi ſolatii vel exhortationis causâ. Ut eoim diximus, eadem Græca vox, quæ ſolatium ſignificat, pariter pro exhortatione uſurpatur (r). Hebræos hac Epiſtolâ hortatur Apoſtolus, ut patientiam culant, in fide perſevereot, bona opera conſtanter exerceant.

PERPAUCIS SCRIPSI VOBIS. Breviſſima non eſt Epiſtola. futura tamen erat multo longior, ſi quæcumque dicenda forent, Apoſtolus perſequi voluiſſet, præſertim quæ ad Tabernaculum pertinent, ritusque ſacrificiorum, de quibus ſeſe fuſiùs loqui nolle in Epiſtolâ ipſe teſtatur (s): *De quibus non eſt modò dicendum per ſingula.*

℣. 23. COGNOSCITE TIMOTHAUM DIMISSUM: ſcitote, ſolutum vincolis eſſe Timotbeum. Ex Italiâ literas dabat Apoſtolus Jeroſolymam, ſive ad Palæſtinæ Judæos, qui res adeò traos mare diſſitas non ita facilè noſſe non poterant. Timotheum amabant, tamquam hominem Deo charum, qui multum Evangelii causâ laboraverat, & circumciſione initiari voluerat, ut ſeſe illis ſimilem faceret (t). Romæ com Paulo fuerat Timotbeus, quo tempore is primùm publica in vincula datus eſt; ſcribens eoim Apoſtolos ad Philemonem, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, Timothei oomen jungit ſuo in Epiſtolarum fronte. At illum eo tempore in vinculis non fuiſſe, ex eo colligimus, quod dicit Apoſtolus ad Philippeoſes, ſperare ſe, illum quaotociùs ad ipſos a ſe dimiſſum iri (u).

Illud in obſcuro eſt, Romæ ne ſub exitum poſtremi anni, qoo ibi Paulus fuit, an in itinere ad Pbilippenſes, quod diximus, datus fuerit in publica vincula Timotheus: at omnino conſtat, Timotheum, quo tempore haoc Epiſtolam dabat Apoſtulus, ab eo abfuiſſe, paulo aotea vinculis ſolutum (x). Chariſſimi Diſcipuli libertatem nunciat Hebræis Apoſtolus, tamquam rem ipſis jucundiſſimam, quippe qui Timotheum plurimi facerent & amarent. Addit: *Cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* Quamprimùm venit ad Apoſtolum Timothens, ut Orientem unâ peragraret; ac vero proximum eſt, utrumque ſimul in Judæam profectos (y), quamquam nullum ſupereſt certum ejus rei monomentum. Illud ſolummodo compertum eſt, Apoſtolo in Aſiam profecto, Timotbeum Epheſi relictum, ut eam Eccleſiam moderaretor (z); binc Apoſtolum veniſſe in Macedooiam, ac denique rediiſſe Romam, ubi Martyrium ſubiit.

℣. 24. SALUTATE OMNES PRÆPOSITOS VASTROS, Epiſcopos, Presbyteros, præſertim Jeroſolymitanæ & cæterarum Palæſtinæ & Syriæ Eccleſiarum, quæ ex Judæis ad Chriſtum converſis, & Legis rituum cultoribus plerumqne coaleſcebaot. Ad earum Eccleſiarum Præſules oon ſcribit Apoſtolus, fortaſſe nequid ſimultatis inter ipſos pariat.

SALUTANT VOS DA ITALIA FRATRES (a); Judæi Chri-

(n) *Joan.* x, 2; xi, 14, 15, *& ſeq. Matt.* xxvi, 31; xii, 21, 22; xviii, 12, *& ſeq.*

(o) *Theodoret.* Αἰώνιον τὴν καινὴν κέκληκε διαθήκην, ὡς ἑτέρας μετὰ ταύτην οὐκ ἐσομένης.

(p) Καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ. *Alii*, Ἐν παντὶ ἀγαθῷ. *Ita Vulg. Clarom. & S. Germ. Lat.* Ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ. *Ita Alex. ex 2 Theſſal.* ii, 17, *ut videtur.*

(q) *Philipp.* ii, 13. *Vide D. Thom. & Eſt. hic.* (r) *Chryſoſt.* Οὐ λέγει, παρακαλῶ ὑμᾶς, ἀνέχεσθε τοῦ λόγου τῆς παραινέσεως, ἀλλὰ τοῦ λόγου τῆς παρακλήσεως. τουτέστι, τῆς παραμυθίας, τῆς προτροπῆς. (s) *Heb.* ix, 5. (t) *Chryſoſt. hic, Theophyl. Eſt.* (u) *Philipp.* ii, 19, 23.

(x) *Chryſoſt. præfat. in Ep. ad Heb. p.* 696. *Tillemont. alii quidam.*

(y) Ἀπολελυμένον, *A vinculis ſolutum. Ita Patres, & Interpretes paſſim. Vel, abſolutum a criminatione. Jan. Vel, dimiſſum, fortè Athenis, ubi erat. Theophyl. Jac. Capell. meliùs: A carcere dimiſſum. Cov.* 2: Ἀπολελυμένον πρὸς ὑμᾶς. *Vide ſubſcriptionem Epiſtolæ.*

(z) 1 *Timot.* i, 3, 4. (a) *Græc. omittit, fratres;* Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἐξ Ἰταλίας. *Ita Mſſ. Latini plures.*

℣. 25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

Chriſtianam Religionem amplexi, nedum Romæ, verùm etiam in cæteris Italiæ urbibus verſantes, conjunctiſſimi cum Eccleſiis transmarinis Jeroſolymæ ac Palæſtinæ, quam veluti communem patriam habebant, ac tamquam fontem, ex quo Evangelii lux in univerſum latè orbem ſeſe effuderat (β): *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem*.

℣. 25. GRATIA CUM OMNIBUS VOBIS. AMEN. Donis ac beneficiis vos cumulet Deus: Dei gratia vobiſcum ſemper eſto, augeatur in dies, & ad finem usque perſeveret. Solet Apoſtolus Epiſtolas inchoare & claudere Divinæ gratiæ imprecatione: ac profectò melius nihil contingere homini in terris poteſt; per gratiam quippe ad gloriam pervenit.

Apud Græca Exemplaria in calce hujus Epiſtolæ iſta leguntur (γ): *Ad Hebræos* Epiſtola da-*ta eſt ex Italiâ per Timotheum*. Hæc tamen ſubſcriptio in Codicibus manu exaratis & editis compluribus deſideratur. Codex Alexandrinus Româ datam aſſerit: nullo tamen argumento. Si Paulus Romæ ſcripſiſſet, non diceret generatim, *Ex Italiâ fratres*, ſed, *Fratres qui Romæ ſunt*. Fidem multo minorem ſibi vendicat id quod ſubditur, miſſam ſcilicet eſſe per Timotheum; quippe Apoſtolus hìc, ℣. 23, ait: *Cum quo* (Timotheo), *ſi celeriùs venerit, videbo vos*. Aberat ergo Timotheus. Qui addiderunt ea verba, *Per Timotheum*, videntur eam ſententiam ℣. 23, *Cognoſcite Timotheum dimiſſum*, nempe publicis vinculis ſolutum, ita uſurpaſſe: *Cognoſcite*, ſummo obſequio excipite *Timotheum ad vos miſſum* (δ); atque hanc Græco explicationem aptavere nonnulli, repugnantibus Patribus pleriſque & Interpretibus. Hac de re fuſiùs in Præfatione diſputatum eſt.

(β) *Iſai.* II, 3.

(γ) Πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου.

(δ) Vide notam ad ℣. 23.

Finis Commentarii in Epiſtolam ad Hebræos.

Digitized by Google

IN EPISTOLAS CANONICAS PROLEGOMENON.

CAnonicas ſeu Catholicas appellamus ſeptem Epiſtolas, quas poſt Pauli Epiſtolas Biblia noſtra recenſent, videlicet Epiſtolam Jacobi, Perri duas, tres Joannis, unicam Judæ. *Canonicarum*, quo inſigniuntur, nomine (*a*) illud innui viderur, quòd ad mores componendos regulas, & de Fidei myſteriis documenra exhibeant. Græca vox *Canon*, unde *Canonicum*, propriè regulam ſonat.

Catholicæ (*b*) etiam & frequentiùs a Veteribus appellantur; quo nomine, authore Theodoreto [*c*], idem fermè venit, ac ſi *Circulares Epiſtolæ* dicerentur, quòd non uni tantùm Eccleſiæ, ſed omnibus ſcriptæ Fidelibus, vel iis ſalrem, qui ex Judæis ad Chriſti Fidem acceſſerant, & in omnes ferè mundi regiones ſeſe effuderant; id quod per *Catholici* vocem, quæ propriè *univerſale* ſonat, ſatis innuitur. Orientales hanc Epiſtolarum collectionem appellant *Catholicon*; atque ita paſſim locos ex illis Epiſtolis laudant eorum Theologi: *Petrus in Catholico*.

Non eodem ordine, præſerrim apud Larinos, diſtribuebantur. Prologi in Canonicas Epiſtolas Author, ſive hic Hieronymus fuerit, ut plures ſtatuunt [*d*], ſive non, ut alii ajunt (*e*), ab Orrhodoxis Græcis alirer quàm a Latinis diſtriburas reſtatur [*f*]; & in Verſione, quam ipſe ex Græco deprompſit, eaſdem priori ordini ſe reſtituiſſe addit, & maximi ponderis locum ex primâ Joannis Epiſtolâ inſeruiſſe (*g*), quem Latini Librarii, immeritò quidem, avulſerant, nempè: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Illas eo ordine, quo nunc apud nos, a Græcis collocari ſolitas, ex Patribus, & Græcis libris habemus, primo nempe Jacobi unam, deinde duas Perri, poſtea tres Joannis, poſtremò demum Judæ. Quo etiam ordine ab Euſebio (*h*), Gregorio Nazianzeno (*i*), Laodicenſi Concilio [*k*], Athanaſio (*l*), & Damaſceno (*m*) diſtribuuntur. Aliter recenſentur a Latinis, ut videre eſt apud Auguſtinum, & celeberrimum Claromontanum Codicem, ubi primùm Petri geminæ, tres deinde Joannis, poſtea unica Judæ, Jacobi poſtrema enumeranrur. Martianæus Colbertinæ Bibliorhecæ Codicem Larinum profert (*n*), ubi primò ſtatuuntur geminæ Petri, deinde Jacobi una, tres Joannis, una denique Judæ. Clemenris Alexandrini in Canonicas Epiſtolas Commentarius, quem Latinè redditum apud Caſſiodorum habemus, primò Petri priorem, unicam deinde Judæ, poſtremò primam & ſecundam Joannis recenſet; tertiam verò Joannis, Perri ſecundam, & Jacobi unam prærerit. Idem Caſſiodorus (*o*) *juxta S. Hieronymum Sanctos Libros* diſtribuens, ita Apoſtolorum Epiſtolas conſtiruit: I, Petri geminas, II, quatuordecim Pauli; III, tres Joannis; IV, unicam Jacobi; V, unicam Judæ; VI, Acta Apoſtolorum, & Apocalypſim. Innocentius I ad Exuperium ſcribens, Joannis Epiſtolas primo loco, Jacobi unam poſtremo collocat.

Ultimus Apoſtolorum Canon (*p*) primò Petri, deinde Joannis, poſtea Jacobi, poſtremò Judæ Epiſtolas numerat, cui quidem ordini in Libro de Fide & operibus (*q*) Auguſtinus favet. Alibi tamen (*r*) primò Petrum, deinde Joannem, poſtea Judam, poſtremò Jacobum collocat. Euſebius ſtatim poſt Epiſtolas Pauli recenſet primam Joannis, & deinde primam Petri, de quibus nullum unquam diſcrimen [*s*]; alibi verò Jacobi unam Catholicarum primam abſolutè appellat (*t*). Rufinus (*u*), Carthaginienſe Concilium (*x*), Junilius ſexto ſæculo Africæ Epiſcopus [*y*], & Veteres Sacrorum Librorum Catalogi apud Cotelerium [*z*], Petri Epiſtolam cæteris Canonicis præ-

(a) *Concil. Laodicen. can. 60; Caſſiodor. de Inſtitut. Divinar. Literar. c. 8; Hieronym. ſeu alius Prolog. in Epiſt. Canonic.*

(b) *Ita Patres paſſim.*

(c) *Prolog. Theodoreti in Ep. Catholic. in edit. Roberti Steph.* Καθολικαὶ λέγονται αὗται, ὡσεὶ ἐγκύκλιοι. οὐ γὰρ ἀφωρισμένως ἔθνει ἑνὶ, ἢ πόλει, ὡς ὁ Θεῖος Παῦλος... ἀλλὰ καθόλου τοῖς πιστοῖς, ἤτοι Ἰουδαίοις τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, ὡς Πέτρος, ἢ καὶ πᾶσι τοῖς ὑπὸ τὴν αὐτὴν πίστιν Χριστιανοῖς τελοῦσι.

(d) *Eraſm. Bukentop Cleric. Keiner. &c.*

(e) *Mill. P. Martianeae, Roger. Simon.*

(f) *Proleg. in VII Ep. Canonic. Non idem ordo eſt apud Græcos, qui integrè ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, Epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, qui in Latinis codicibus invenitur. Quòd, quia Petrus primus eſt in numero Apoſtolorum, prima ſiat etiam ejus Epiſtola in ordine cæterarum.* (g) *1 Joan. v, 7.*

(h) *Euſeb. l. 2, c. 23, hiſt. Eccl.* (i) *Greg. Naz. Carm. de Canon. Script.* (k) *Concil. Laodic. can. 60.*

(l) *Athanaſ. Ep. Feſt. Idem in Synopſi.* (m) *Damaſ. l. 4 de Fide Cathol. c. 18.* (n) *Mſ. Colbert. n. 245.*

(o) *Caſſiod. de Inſtitut. div. Script. c. 8.* (p) *Can. Apoſt. can. 84:* Πέτρου Ἐπιστολαὶ δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰακώβου μία, Ἰούδα μία. (q) *Aug. de Fide & oper. c. 14.* (r) *De Doctr. Chriſt. l. 2, c. 8.* (s) *Euſeb. l. 3, c. 25 hiſt. Eccl.* (t) *Euſeb. l. 2, c. 23 Hiſt. Eccl.* (u) *Rufin. in Expoſit. Symboli.* (x) Concilium duas Petri primas ſtatuit, unicam Jacobi poſtremam. *Ann. 397, can. 47.*

(y) *Junil. l. 1 de Part. Divin. Leg. c. 5;* qui tantùm quinque Epiſtolas Canonicas numerat, nempe Jacobi unicam, Petri ſecundam, unicam Judæ, & duas ultimas Joannis. Paulò tamen antea poſt Pauli Epiſtolam ad Hebræos, primam Petri, & primam Joannis recenſuerat.

(z) *Cotel. in Notis in S. Barnabam.*

præponunt. In elegantiſſimo Codice PP. Præmonſtratenſium Muſſiponti, Epiſtolæ Canonicæ mediæ inter Acta & Epiſtolas Pauli leguntur; locus de tribus teſtibus in Epiſtolâ Joannis primâ deſiderarut.

Hinc nullum Canonicis Epiſtolis ordinem neque apud Græcos, neque apud Latinos olim fuiſſe præſcriptum, perſuaſum habemus, quare Author Præfationis in has Epiſtolas, quam Hieronymo tribuunt, a Latinis potiſſimùm Epiſtolam Petri, utpote Apoſtolorum Principis, cæteris præponi ſolitam, jure merito aſſerit: *Quia Petrus primus eſt in numero Apoſtolorum, primæ ſint etiam ejus Epiſtolæ in ordine cæterarum.* Græci plerumque Epiſtolam Jacobi cæterarum primam habebant, ſive quòd eam Epiſtolis Petri vetuſtiorem crederent; ſive quod Jacobus Jeroſolymis Epiſcopus conſtitutus eſſet, antequam Apoſtolorum cæteri certam ſibi ſedem uſpiam locaſſent; ſive demum, quòd hæc, utpote ad duodecim Tribus per orbem effuſas data, cæteris magis Catholica ſive (*a*] univerſalior haberetur. Utut id evenerit, Epiſtolarum ordo prorſus ex arbitrio eſt: quamvis autem Petri Epiſtolæ cæteris non præponantur, primæ idcirco Petri dignitati nihil ſanè detrahitur.

In his Epiſtolis recipiendis concors non fuit Veterum ſententia, uti S. Gregorius Nazianzenus [*b*] animadvertit; alii enim ſeptem, alii tres tantùm probabant, primam nempe Joannis, primam Petri, & unicam Jacobi. Singularum Epiſtolarum initio de earum canonicâ authoritate, quæ olim agitata ſunt, diſcrimina aſſeremus. Duas Joannis poſtremas, licèt ad privatos datas, ideò fortè inter canonicas recenſuerunt, ne eas ab ejuſdem Apoſtoli primâ ſejungerent, quæ circularis quidem fuit, & dubiæ nunquam authoritatis. Optima etiam argumenta non deſunt, quibus poſtremas duas urbanitatis & commendationis Epiſtolas eſſe, quas Joannes ad peculiares Eccleſias dederit, demonſtratur.

Harum Epiſtolarum (*c*) Scriptores toti ſunt in aſſerendâ bonorum operum neceſſitate adversùs Simonianos, Nicolaitas, alioſque id genus Hæreticos, qui libertate nobis per Evangelium partâ plus æquo abutebantur, & Pauli ſententias detorquentes, Fidem ſine operibus ad ſalutem ſatis eſſe dictitabant, quaſi de Fide per Charitatem agente perſpicuè Apoſtolus non dixerit (*d*): *Fides quæ per Charitatem operatur.* In ſuis Epiſtolis ſæpè etiam Paulus Pſeudo-Apoſtolos arguit, quòd vel per nova dogmata, vel per falſam libertatem, vel per pravam ſuæ ipſius doctrinæ interpretationem ad morum corruptelam, & ad veritatis Evangelicæ contemptum & depravationem, Eccleſias perturbaverant.

Jacobus bonorum operum neceſſitatem negantes apertè retundit. Petrus Simonis aſſeclas, falſos Doctores, & Hæreticos omnes oppugnat. Petri ſecunda, & Judas, qui ex ejuſdem Petri ſecundâ plures locutiones uſurpat, invehuntur in pſeudo-Apoſtolos, qui ſanctis Veritatibus abutentes, pravam in Fideles doctrinam invehere conabantur. Joannis prima eoſdem hæreticos & Novatores aggreditur, & bonorum operum, perſeverantiſque Fidei & patientiæ neceſſitatem oſtendit.

Germanum uniuſcujuſque Epiſtolæ ingenium tum exhibuit Hieronymus, cùm ſcripſit ad Paulinum: *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas ſeptem Epiſtolas ediderunt, tam myſticas quàm ſuccinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in ſententiis; ut rarus ſit, qui non in earum lectione cæcutiat.* Qui Petri, Jacobi & Joannis, antequam a Chriſto vocarentur, & Spiritu Sancto perfunderentur, infirmitatem confert cum conſtantiâ, virtute, gravitate, & ſententiis, quæ iis Epiſtolis præferuntur, is ſanè maximâ ſapientiæ potentiæque Divinæ admiratione teneatur, neceſſe erit.

(a) *Scholiaſt. Græc. anonym. in Ep. Jacob. in Cod. Mſs. Reg. n. 705, apud Mill. pag. 542.*

(b) *Nazianzen. Carm. de Script. Canon.* Καθολικῶν Ἐπιστολῶν Τινὲς μὲν ἑπτά φασιν, οἱ δὲ τρεῖς μόνας Χρῆναι δέχεσθαι, τὴν Ἰακώβου μίαν, Μίαν δὲ Πέτρου, τοῦ τ' Ἰωάννου μίαν.

(c) *Auguſt. lib. de Fide & operib. c. 14.*

(d) *Galat. v, 6.*

IN

IN EPISTOLAM
CATHOLICAM
B. JACOBI APOSTOLI
PROLEGOMENON.

DE hujus Epiſtolæ Authore diu diſceptatum eſt; alii enim Jacobum Majorem Zebedæi filium, & Joannis fratrem, quem Herodes Agrippa capire minuit (a), alii verò Jacobum Alphæi filium, cognomento Minorem, & Fratrem Domini; alii denique Jacobum cognomine Juſtum, Jeroſolymorum Epiſcopum, de quo ſermo eſt apud Clementem Alexandrinum, Hegeſippum, & Euſebium (b), ejus Authorem conſtituunt. Euſebius ſanè (c), & Hieronymus [d], ſive ſuam, ſie aliorum ſententiam proferant, an Jacobi hæc fuerit, ambiguum relinquunt; multos eſſe teſtari, qui falsò Jacobi nomine vulgatam putarint. His Recentiores quidam adhærentes, majore temeritate ſuam opinionem protulere tunc temporis, cùm unanimis Eccleſiæ conſenſus, & certa tot ſæculorum fides illud ſaltem præſtitiſſe debebant, ut audaces ab hac in eam cenſurâ abſterrerentur [e].

Qui Jacobo Zebedæi filio eamdem adſcribunt, arbitrantur, Jacobum, nunciato in Hiſpaniâ Evangelio, & Jeroſolymam reverſum, hanc ad Hiſpanos dediſſe Epiſtolam: quam quidem omnium Sacrarum Novi Teſtamenti Scriprurarum primam is Author ſtatuit, qui Syriacæ Verſioni a Vidmanſtadio editæ argumenta præfixit. Arabica etiam Verſio, quam Cornelius a Lapide allegat, Jacobo Zebedæi filio illam tribuit; cui tamen ſimile nihil apud Syriacam, nil apud Arabicam, in Anglicis & Pariſienſibus Polyglottis impreſſas. Vetus Italica Verſio, a Martianæo vulgara (f), ad hujus Epiſtolæ calcem hæc profert: *Explicit Epiſtola Jacobi filii Zebedæi.*

Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus diſperſis Evangelium nunciaſſe dicitur apud Hieronymum (g); quo & ad eos hanc Epiſtolam ſcripſiſſe innui videtur. Huic tamen loco nulla fides, cùm S. Doctoris Textui additus certò conſtet. Pſeudo Lucius Dexter in ſuis Chronicis, Scriptor de Vitâ & Morte Sanctorum (h), Moſarabum Liturgia, & falsa Sixti III Epiſtola (i), allaram ſententiam tuentur. Gaspar Sanchez in ſuo Tractatu de S. Jacobi in Hiſpanias itinere, omnia hæc teſtimonia recenſet; atque hanc Sententiam minimè rejicere viderur (k).

Cùm verò Jacobus Zebedæi filius decimo poſt Domini Aſcenſionem anno martyrio interierit, in tam multos toto orbe diſperſos Judæos Evangelium tanto progreſſu, quantus hac Epiſtolâ præfertur, jam tum ſeſe effudiſſe, veriſimile non eſt. Scriptas præterea ad Galatas & ad Romanos Epiſtolas, ad quas Jacobi Epiſtola alludit, in iis ſcilicet, quibus Fideles judaizantes erudit, & eorum vitia arguit, nondum dederat Paulus, cùm Jacobus Zebedæi filius capite multatus interiit. Authores denique, quos attulimus, ſtudioſiſſimi ſunt, ut iter Jacobi in Hiſpaniam defendant, ac recentiores quàm ut de re tam veteri fidem mereantur. Inſcriptiones, & ſubſcriptiones, quibus Apoſtolorum Epiſtolas obſignatas libri exhibent, plerumque incertæ ſunt, & leviſſimæ ſemper autboriratis.

Qui Jacobum, cognomine Juſtum, Jeroſolymorum Epiſcopum, ab utroque Majori & Minori Jacobo diſcernunt (l), Clementis Alexandrini & Hegeſippi, quos ſibi faventes putant, teſtimonio ducuntur. At quo magis eorum Textum perpendo, eo magis videre videor, Jacobum Juſtum, & Jacobum Fratrem Domini eumdem omnino ab ipſis conſtitui. Joſephus enim, quem allegat Euſebius, hujus Jacobi Juſti, tamquam Fratris Jeſu Chriſti, meminit [m]; Jacobus autem Domini Frater, alius utique non fuit ab Apoſtolo Jacobo Minori, quem & Paulus Apoſtolum appellavit [n]: *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum Fratrem Domini.* Jacobus igitur Juſtus a Jacobo Domini Fratre minimè ſecernendus.

Fateor quidem, eâ de re inter Veteres non conveniſſe. Omnes fermè recentiores Græci (o) alterum ab altero ſejungunt. S. Chryſoſtomus [p], S. Gregorius Nyſſenus

(a) *An. Chriſti 44, a Chriſti obitu an. 10. Act. xii, 2.*
(b) *Clem. Alex. & Hegeſipp. apud Euſeb. l. 2 hiſt. Ecc. c. 23.*
(c) *Euſeb. l. 2, c. 23:* Ἰακώβου ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων Καθολικῶν Ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται, ἰστέον ὡς νοθεύεται μέν, οὐ πολλοὶ γοῦν τῶν παλαιῶν αὐτῆς ἐμνημόνευσαν.
(d) *Hier. de Script. Eccl. in Jacobo: Jacobus, qui appellatur Frater Domini, unam tantùm ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.*
(e) *Luther. Hunnius, Centuriatores, Cajet. Vide & Eraſm.*
(f) *Vide not. Martian. in Ep. Jacobi, p. 191.*
(g) *Hier. de Scriptor. Eccl. ſub finem articuli de S. Matthæo.*
(h) *Iſidor. de vitâ & morte SS. c. 73.*
(i) *Biblioth. PP.*

(k) *Sanch. tract. 3 de Profect. S. Jacobi in Hiſpan. cap. 12.* (l) *Vide Grot. & Hamm. Laurent. Eraſm.*
(m) *Joſeph. Antiq. l. 20, c. 8.* (n) *Galat. 1, 19.* (o) *Coteler. Not. in Barnab. & alios Script. p. 175.*
(p) *Chryſoſt. in Matth. hom. 5, & in Act. hom. 33.*

ſenus (q), Apoſtolorum Conſtitutiones (r), Ambroſiaſter (s), Martyrologia vetera; S. Epiphanius (t) & alii utrumque ſecernere videntur. Hieronymus eâ in re ſibi minimè conſtans, ambiguitatem ſuam oſtendit. Cæterùm plurimi utrumque omninò eumdem eſſe ſtatuunt (u). Si igitur Jacobus Juſtus, Alphæi filius, a Jacobo Domini Fratre alius, nunquam extitit, ei utique hæc Epiſtola adſcribenda non eſt.

Tribuenda igitur Jacobo Minori, Domini Fratri; quemadmodum & Veteres & Recentiores vulgò fermè conveniunt. Ab Origene (x), ab Athanaſio [y], Hilario (z), Cyrillo Jeroſolymitano [a], Ambroſio (b), Epiphanio [c], Baſilio (d), ab ipſo Hieronymo ſæpè [e], ab Auguſtino [f], & ab aliis plurimis, Jacobi Minoris nomine allegatur.

Plura vetuſtiſſima Exemplaria Latina, nonnulla etiam Græca hujus Epiſtolæ initio Jacobum, teſte Sixto Senenſi, Apoſtolum vocant: id quod ita intelligas volo, vocari Apoſtolum, non in ipſo Epiſtolæ corpore, ubi nunquam lectum eſt id nomen, ſed in titulo, ubi in Vulgatâ ſcribitur: *Epiſtola Catholica Beati Jacobi Apoſtoli.* Idem in quibusdam etiam Græcis exemplaribus reperitur. At vetus Italica, & Exemplaria plura, tam Græca quàm Latina, Jacobi Epiſtolam tantùm appellant. Cæterùm ejuſmodi tituli, præſertim ſi inter ſe diſſideant, infirmæ ſunt authoritatis; quare ex his nihil eſt quod Jacobo Apoſtolo faveat; cui quidem favent validiora argumenta.

Jacobus Minor matrem habuit Mariam, Beatæ Virginis ſororem, filiam Cleophæ, & Alphæi uxorem; quam, quòd ab Joanne *Maria Cleophæ* dicatur [g], alii filiam, alii Cleophæ uxorem appellant. Veterum plures (h) Jacobum, cognomento Fratrem Domini, filium eſſe putarunt alterius uxoris Joſephi, antequam hic Beatam Virginem duceret; quod quidem nullâ ratione defendi poteſt: nam Maria Cleophæ, Jacobi mater, quo tempore Chriſtus paſſus eſt, in vivis erat. Jacobus præterea fratres habuit Joſem, ſeu Joſephum (i), & Judam [k], fortè etiam Simonem (l), qui omnes *Fratres Domini* vocabantur, nempe Conſobrini; ſeu tantùm, ex hominum opinione, cognati Jeſu Chriſti, ſi reverâ omnes patrem habuere Cleopham, quem Veterum plures Joſephi fratrem faciunt.

Cur Jacobus *Minoris* appellationem obtinuerit, ignoramus: niſi fortè ut a Jacobo Zebedæi filio, ſeu natu ſeu ſtaturâ majori, ſecerneretur. Vocatus eſt etiam *Juſtus* & *Opblias*, agger nempe, & præſidium populi. Hegeſippo teſte, Sacerdos Domini fuit, & ex matris utero leges Nazaræatûs ad mortem usque ſervavit [m]. Poſt Chriſti Aſcenſionem Epiſcopus Jeroſolymorum fuit; Chriſto Domino ſuam illi in terris ſedem, filiosque e Synagogâ collectos commendante, uti Patribus nonnullis viſum eſt [n]; ſive electus a cæteris Apoſtolis, ut aliis placuit (o). Epiſcopatûs fortè & Sacerdotii Inſigne, auream laminam in fronte geſtabat (p); quam & Joannes Evangeliſta (q), & Marcus (r) geſtaſſe leguntur. Frugi vitam agens, a vino ſemper abſtinuit; neque panem, neque quidquam, quod vitam haberet, in cibum adhibuit; olei ad corpus fovendum, ſandaliorum, veſtium lanearum uſum omninò reſpuit, ſolâ tunicâ ac pallio ex lino contentus: tam crebrò in terram oraturus proſternebatur, ut frons & genua camelorum inſtar occalluerint.

Cùm apud omnes Viri Sancti famam obtinuiſſet, religioſæ etiam & caſtiſſimæ vitæ merito Juſtus cœpit appellari. Ejus quoque mentio in Talmude, ubi Jacobus Jeſu Fabri Diſcipulus nuncupatur. Præſtantiſſimam Sancti Viri virtutem [s] teſtatur Joſephus, cujus etiam teſtimonio Veteres bellum a Romanis illatum, & omnia mala, quæ eâ de causâ Judæos oppreſſerunt, Jacobi Juſti, Domini Fratris, neci ulciſcendæ divinitus permiſſa fuiſſe aſſerebant (t). Ejus verò mortem Ananus filius illius Anani, ſeu Annæ, de quo in Evangelio, ita molitus eſt. In Templi pinnâ Jacobus conſtitutus (u), & quid de Jeſu Chriſto credendum eſſet, interrogatus, elatâ voce reſpondit: Jeſus, tamquam Dei Filius, dexteræ Dei Patris aſſidet; unde in vivos & mortuos judicium pronunciarurus adveniet. His vocibus plures ad Catholicam Fidem convolarunt. Scribæ verò & Phariſæi in eum illicò irruentes, e pinnaculo præcipitem egerunt. Dum verò e lapſu adhuc ſuperſtes genibus flexis pro inimicis orabat, de Anani imperio lapidibus obrutus eſt; quem deinde ſepulturæ mandarunt juxta Templum, eodem in loco, ubi martyrium explevit.

Hanc Epiſtolam, in qua Jacobus ad ea, quæ anno Chriſti LVIII ad Romanos, & anno LV de Legis abrogatione, & Legalium inutilitate Paulus ad Galatas ſcripſerat, videtur alludere, datam fuiſſe credimus paulo ante ejus obitum, qui ad annum

(q) *Nyſſen. l. 3, p. 413.*
(r) *Conſtit. Apoſt. l. 6, c. 12.*
(s) *Ambroſiaſt. in Galat. 1, 19.*
(t) *Epiphan. hæreſ. 79, c. 3.*
(u) *Vide* Tillemont, note I ſur S. Jacque le Mineur, *ubi rem fuſiùs agit.*
(x) *Origen. in Rom. v, 1, l. 2, p. 520; & hom. 3 in Exod.*
(y) *Athanaſ. orat. 4 in Arian. & de Nicæn. Decret. p. 252.*
(z) *Hilar. de Trinit. 1, 4, p. 20.*
(a) *Cyril Jeroſ. Catbec. Myſt. 5.*
(b) *Ambroſiaſt. de arbore interdictâ.*
(c) *Epiphan. hæreſ. 70, c. 3.*
(d) *Baſil. de Baptiſmo, l. 1, c. 2.*
(e) *Hieron. in Helvid. c. 7; & in Iſai. XVII; & Epiſt. 103; & de Vir. Illuſtr.*
(f) *Auguſt. in Creſcent. l. 2, c. 37; & Ep. 20, p. 42.*
(g) *Joan. XIX, 25.*
(h) *Hieronym. in Helvid. Epiph. hæreſ. 28, c. 7, & 78; Euſeb. l. 2, c. 1, hiſt. Eccl.*
(i) *Marc. XV, 40.*
(k) *Judæ ℣. 1.*
(l) *Marc. VI, 3.*
(m) *Vide Hegeſipp. apud Euſeb. l. 2, c. 23, Hiſt. Eccl.*
(n) *Hieronym. in Galat. Epiphan. hæreſ. 88, c. 7.*
(o) *Clem. Alex. apud Euſeb. l. 2, c. 23, hiſt. Eccl. Athanaſ. in Synopſi; Hieron. de Vir. Illuſtr. Ambroſiaſt. in Galat. l. 19.* (p) *Epiphan. hæreſ. 78 Nazaræorum.*
(q) *Polycrat. Epheſ. apud Euſeb. l. 5, c. 24, Eccl. hiſt.* (r) *Hiſt. Manuſcrip. Martyrii S. Marci, apud Valeſ. Not. in Euſeb. l. 5, c. 24. p. 104.* (s) *Joſeph. Antiq. l. 20, c. 8.* (t) *Origen. contr. Celſ. l. 1, p. 35; in Matt. p. 223; Hieronym. de vir. Illuſtr. Euſeb. l. 2, c. 23, p. 65:* Ὁ γοῦν Ἰώσηπος οὐκ ἀπώκνησε καὶ τοῦτο ἐγγράφως ἐπιμαρτύρασθαι, δι᾽ ὧν φησὶ λέξεων. Ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ᾽ ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. Hæc tamen Euſebii verba in Joſepho non reperimus.
(u) *Euſeb. l. 2, c. 23, hiſt. Eccl. Hieron. de Vir. Illuſtr. Epiphan. &c.*

num Chriſti LXII, Neronis verò imperantis octavum, ſeu nonum conſignatur. Bonorum operum neceſſitas in eâ adſtruitur adversùs pravam quorumdam interpretationem, qui dicto Pauli, hominem Fide, non operibus Legis juſtificari, abutebantur [x]. Fideles præterea qui ab Judaiſmo ad Fidem acceſſerant, Jacobus adhortatur, eiſque in calamitatibus & perſecutionibus perferendis patientiam commendat (y). Novorum Doctorum temeritatem coërcet, qui lumine, ſapientiâ, virtute, & miſſione deſtituti, Præceptorum munera uſurpaverant [z]. Acriter divites increpat [a], & eos qui leviſſimis de cauſis fratribus detrahebant (b), & Evangelicâ libertate utendi pluribus in Lege vetitis abutebantur. Jurisjurandi (c), odii, detractionis, divitiarumque amoris fugam ſuadet; orationis virtutem extollit (d); Unctionis extremæ [e], Confeſſionis [f] peccatorum meminit. Diem Domini, ejusque adventum properantem nunciat (g); quibus verbis Jeroſolymæ ac Templi excidium, & Judæorum diſperſionem in foribus eſſe innuit. Octavo poſt ejus mortem anno iſta evenere.

Ejus oratio conciſa & ſententioſa, qua neque propoſitum ſemper ſequitur, neque ſententias invicem texit. Quemadmodum in Proverbiis Salomon, & in præſenti etiam Orientales, per ſententias nempe ſejunctas, non ratiocinatione, morum regulas docet; ſuam porrò doctrinam Scripturis fulcit & exemplis, comparationibus item ſacrisque alluſionibus ornat. Quosdam denique locos allegat [h], qui iisdem verbis in Scripturâ non referuntur. At Novi Teſtamenti Scriptores, præſertim cùm Hebræos alloquerentur Scripturarum peritos, qui alluſiones intelligerent, verbis religiosè non inhærebant, ſenſa & Sacrorum Scriptorum mentem referre contenti (i).

Græcè ſcripſiſſe creditur, cùm juxta Septuaginta Scripturam recitet; locum illum, e. g. qui hoc ſenſu legitur apud eorum Verſionem tantummodo (k): *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Quamvis Hebræi in quaslibet Provincias effuſi, ad quos potiſſimum hæc data eſt Epiſtola, Hebraico ſeu Syriaco ſermone aliquantum uterentur, vulgò nihilominus Græcâ linguâ loquebantur; hæc enim ab Alexandri Magni Imperio apud Orientales undique obtinebat. Verſionem, cujus nunc uſus apud Latinam Eccleſiam, Hieronymus Latinè reddidit. Olim adhibitam, & ab Authore ignoto adornatam, Martianæus typis vulgavit. Hujus nos varias quasdam lectiones produximus, Veteris Italicæ nomine recitatas.

Veteres quosdam Canonicæ hujus Epiſtolæ authoritati olim adverſatos attigimus [l], de qua & Novatores nonnulli diſputationem inſtituunt. Verumtamen ab Athanaſio [m], a Cyrillo Jeroſolymitano (n), a Concilio Laodicenſi [o], & tertio Carthaginienſi (p), a Gregorio Nazianzeno [q], ab Amphilochio (r), a Rufino [s], ab Auguſtino [t], ab Innocentio I (u), a cæteris denique Patribus, a quibus, uti diximus, Jacobo Apoſtolo & Domini Fratri adſcribitur, in Scripturarum Catalogo recenſetur. Hieronymus & Auguſtinus veluti Scripturam aſſertæ fidei ſæpè producunt: adeò vel ab eâ ætate certa invaluerat ejus authoritas. A Veteribus quidem perraò allegatam, ultrò cum Euſebio fatemur (x); verùm maximam deinde fidem eidem habitam, Euſebius ipſe teſtatur.

Fuere aliàs, qui Jacobo Apoſtolo quædam tribuerint, quæ nunquam Scripturarum Canonem obtinuere. Evangelium Jacobi, Alphæi filii, Gelaſius rejicit. Origenes quoddam Jacobi Opuſculum nominat, quem falſo Petri Evangelio jungit [y]. Ebionitæ, Epiphanio teſte (z), ejus nomine plura vulgarunt. Hebræum Matthæi Evangelium Græcè ab eo redditum, apud Athanaſium fertur (a). Quædam ei adſcribitur Liturgia, quæ extat in Patrum Bibliothecâ. Hujus mentio fit in Oratione, quam S. Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano tribuunt (b); mentio etiam in XXXII Canone Concilii, quod Conſtantinopoli in Palatii Imperialis Trullo celebratum eſt [c]. Eruditi verò hanc Liturgiam vel ei omnino affictam, vel temporum progreſſu plurimùm vitiatam eſſe ajunt. Apud Veteres Patres perpetuum de eâ ſilentium. Apoſtoli præterea, Baſilio teſte [d], qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt, in ſilentio debitam myſteriis ſervavere dignitatem. Nullam igitur Baſilius Liturgiam ab Apoſtolis vel ſcriptam vel vulgatam eſſe ſentiebat.

DIS-

(x) *Jacob.* I, 21, *&c.* & II, 8. ... 26.
(y) *Jacob.* I, 2, *&c.* V, 7, 8, *&c.*
(z) *Jacob.* I, 19; & III, 1, 2, 13, 14, 18.
(a) *Jacob.* V, 1, *&c.*
(b) *Jacob.* IV, 11, *&c.*
(c) *Jacob.* V, 12.
(d) *Jacob.* V, 16, *&c.*
(e) *Jacob.* V, 14.
(f) *Jacob.* V, 16.
(g) *Jacob.* V, 7, 8.
(h) *Jacob.* IV, 5.
(i) *Vide Jo.* VII, 38, *Jo.* XII, 34; *Epheſ.* V, 14, *&c.*
(k) *Jacob.* IV, 6. *Ex Prov.* III, 34.
(l) *Vide Euſeb. l.* 2, *c.* 23; & *Hieron. de Script. Eccleſ. in Jacobo.*
(m) *Athanaſ. in Synopſi.*
(n) *Cyrill. Jeroſol. Cath.* 4.
(o) *Concil. Laodic. Can.* 60.
(p) *Concil. Carthag.* III, *Can.* 47, *ann.* 397.
(q) *Nazianz. tom.* 2, *p.* 98.
(r) *Amphiloch. apud Gregor. Nazianz. tom.* 2, *p.* 194.
(s) *Rufin. Expoſit. Symbol.*
(t) *Auguſt. l.* 2 *de Doctr. Chriſt. c.* 8.
(u) *Innoc.* I, *Ep.* 3 *ad Exuper. can.* 7.
(x) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 2, *c.* 23.
(y) *Origen. in Matth. pag.* 223, *edit. Huet.*
(z) *Epiphan. hæreſ.* 30, *c.* 23.

(a) *Athanaſ. in Synopſi.* (b) *Procl. Orat.* 22, *pag.* 580. (c) *Ann.* 692.
(d) *Baſil. de Spiritu Sancto, cap.* 27.

DISSERTATIO

De Itinere Romano B. Petri Apoſtoli, ad 1 Petri, V, 13.

PEtrum Romæ fuiſſe, unde utramque ſuam Epiſtolam ſcripſerit, ibique Eccleſiam erexiſſe, erectæ præfuiſſe, Romam denique Babylonis nomine deſignaſſe iis verbis [a], *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, usque ad decimum ſextum Eccleſiæ ſæculum omnibus perſuaſum fuit. Ex his, & iis, quæ Petro Chriſtus ſpopondit, ſactum eſt, ut omnes omnino Fidelium Provinciæ Romam Eccleſiarum principem, & unitatis centrum, ſupremosque Pontifices, Petri ſucceſſores, conſpicuos gregis Chriſti Paſtores eſſe, certò ſemper agnoverint. Qui præ cæteris Sanctæ Sedi adverſati fuere, eò nunquam venerunt, ut primam Romæ dignitatem eriperent. Ethnici ipſi, unanimi omnium voce, & ſtudioſiſſimo erga ipſam Fidelium cultu ſatis perſuaſi, Mundi Chriſtiani Metropolim, principis Dignitatis & authoritatis Sedem ducebant; ac neminem extra ejus communionem verè Chriſtianum aut Catholicum eſſe fatebantur. Tertullianus, Montani partes amplexus, titulum illum Romano Pontifici a Catholicis tributum irridet: *Epiſcopus Epiſcoporum & Pontefex ſupremus* [b]. Ammianus Marcellinus, Ethnicus Scriptor, præcipuam inter Catholicos apud Epiſcopum Romanum authoritatem agnoſcit (c).

(a) 1 Petr. V, 13.

(b) Tertull. de Pudicitiâ, c. 13.

(c) Ammian. Marcell. l. 15, c. 7.

Poſtquam poſtremæ hæreſes Eccleſiam invaſerunt, deque honoribus cum Romanâ Eccleſiâ, & de Principatu cum Pontifice cœptum eſt certamen; an Petrus Romam venerit, ſedemque ibi ſuam conſtituerit, dubitatum eſt. Novàtores, ſententiam ſuam defenſuri, Babylonis nomen, de quo in primâ Petri, Romæ urbem deſignaſſe negaverunt, de verâ Babylone accipiendum ſtatuentes. Cùm verò plures urbes eo nomine appellentur, Proteſtantes ad hanc usque diem in diverſa diſtrahuntur; alii enim celeberrimam Babylonem ad Euphratem in Chaldæâ; alii Babylonem Ægypti Petri verbis deſignatam ferunt, per quam eumdem Petrum, poſtquàm Alexandrinam Eccleſiam inſtituit, tranſiiſſe contendunt.

De hac quæſtione, de qua plurima plures, ordine acturi, nonnulla priùs ſtatuemus, quibus huic quæſtioni ritè accommodatis, Petrum ſe Romam contuliſſe ex veteribus, quæ extant, monumentis demonſtrabimus, adverſariorum ſimul argumenta evertentes.

I, Rem hiſtoricam, quam coævus, vel fermè coævus clari nominis, & integræ fidei Scriptor narrat, niſi a vetuſtiore altero, vel peritiore rejiciatur, Critici omnes certam tenent.

II, Factum publicè vulgatum, cui Fideles omnes, imò & Hæretici, & Schiſmatici per ſæcula quindecim fidem habuere, pro certo habendum eſt, etiamſi, præter eam traditionem & conſenſum, nihil opituletur, tum præſertim, cùm Libros periiſſe conſtat, & monumenta plurima, quibus fortè id expreſsè doceretur.

III, Ubi de re geſtâ atque ad Hiſtoriam ſpectante agitur, non modò Libris & Scriptis, ſed publicis etiam monumentis, ſepulcris erectis, Templis conſtructis, diplomatibus, bonis, & privilegiis in quædam loca, populos, Communitates collatis, fides eſt habenda. Hæc enim omnia certam rei authoritatem adjungunt.

IV, Jus Gentium, ut ita dicam, & publica fides expoſcit, ut cuilibet Urbi de iis, quæ ad ejus hiſtorias & jura pertinent, credatur. Quis enim perſpectiùs rem calleat? cujus e re magis eſt illa ſervare?

V, Demum, ut res Hiſtoricis coætaneis ſeu fermè probata, conſenſu unanimi, & vetuſtiſſimâ tot ſæculorum traditione, innumeris publicis monumentis, ſepulcris, ædificiis, privilegiis, & omnium denique fide innixa evertatur, infirma corruunt quælibet argumenta, niſi hiſtoricæ, penè dixerim, demonſtrationes afferantur.

Iter itaque, quo Petrus Romam profectus eſt, inter facta ejusmodi eſt recenſendum. Ejus enim mentio apud Papiam, Joannis Evangeliſtæ Diſcipulum, apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, & alios ſecundi, tertii, & ſequentium ſæculorum innumeros; imò & apud ipſos Eccleſiæ hoſtes, qui Petrum Romam profectum aſſeruere. Vetuſtiſſima plura monumenta, quæ adhuc Romæ extant, Petrum Romæ moratum teſtantur. Apoſtolorum ſepulcra, martyrii locus, Templa eorum nomini erecta, vel a primis Eccleſiæ ſæculis Romæ oſtendebantur. Romani Pontifices a Petri & Pauli temporibus ad hanc usque diem principem in

Ec-

Eccleſiâ dignitatem, & cætera decora huic adjuncta obtinuere. Hæc eorum hæreditas; hanc tuentur: hanc & documentis & rationibus deſcndunt. Nullo igitur jure factum hujusmodi revocari poteſt in dubium, niſi ſaltem valida, perſpicua, & certa adeò proferantur argumenta, ut omnes adverſariorum conatus frangant.

Ut Romanum Petri iter oſtendatur, ipſum Petri producendum eſſet teſtimonium, quo ſe Epiſtolam dediſſe aſſerit Babylone, nempe Romæ, uti Veteres omnes interpretantur. Hoc planè ſatis, ut omnem prorſus difficultatem evertat. Cùm verò hac de explicatione diſcrimen fuerit invectum, ab eo abſtinemus; non enim quæ ab adverſariis in eam interpretationem objiciuntur, adhuc retudimus. Apoſtolus, inquiunt, ſe Babylone ſcripſiſſe diſertè aſſerit: cur ejus verba ſunt allegoricè accipienda? An Epiſtolis, quæ ſimplici & proclivi oratione ſcribuntur, quemadmodum hanc Petrus ſcribebat, allegoriæ interſeri ſolent, quin Lectoris animus ad figuras antea comparetur? Nihil hic ſanè aut allegoricum aut allegorici ſpeciem præferens.

Allegoriam tamen hanc idcircò fortè Petrus adhibuit, I, Ne, ubi moraretur, indicaret; Apoſtolorum enim prudentiæ erat, innumeris inimicorum, quorum odia in ipſos ardebant, perſecutionibus ſe ſe temerè non offerre. II, Quòd ſcriberet ad Hebræos ad Fidem adductos, qui ab ineunte ætate propheticas ac tropicas locutiones audire, imò & uſurpare conſueverant; Sodomâ enim e. g. Urbem flagitioſam; Ægypto regionem idololatriæ deditam; Chanaane populum maledicto obnoxium; Babylone denique Urbem inimicam & ſceleſtiſſimam ſignificabant.

III. Fuerat Babylon teterrimus parentum eorum carcer, & Chaldæorum, Judaici Imperii everſorum, infenſa Metropolis. Ab hac nil propè aberat Domina Mundi Roma, cujus Imperatores Judæam, pulcherrimis privilegiis ſpoliatam, in Provinciam redegerant; & Chriſtianos iniquiſſimis perſecutionibus exagitantes, populorum odia in eos concitaverant. Quare, cùm Petrus, Romæ degens, ad Judæos Fideles in Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Aſiam ſcriberet, æquum fuit, ut Babylonis nomine eis Romam exhiberet; quo etiam nomine & ipſi eam Urbem appellare fortè conſueverant, cùm & ab Joanne in Apocalypſi ita (*d*) nuncupetur, uti Veteres Patres conſentiunt (*e*), & ipſi adverſarii fatentur (*f*).

Papias, Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus, qui ſæculo ſecundo florebat (*g*), Petrum primam Romæ Epiſtolam ſcripſiſſe, & hanc Urbem allegoricè aſſerit deſignaſſe iis verbis: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*. Scimus ſanè, Papiæ nomen, quem citat Euſebius, non ad hunc ſed ad ſuperiorem ejusdem Epiſtolæ locum a Cl. Valeſio referri, quo loco Papias, de ipſius Valeſii ſententiâ, enixis Romanorum Fidelium precibus Marcum adductum eſſe teſtatur, ut Evangelium ſcriberet, quod Petrus eis tum nunciavit, cùm Romam profectus cum Simone Mago pugnavit (*h*).

Eſto autem Papias communi loci illius explicationi non faveat, favet ſanè itineri, quo Petrus Romam profectus, Apoſtolus Urbis & Epiſcopus fuit; in quo utique totus diſceptationis cardo verſatur. Favet etiam teſtimonium Euſebii, qui Veterum, ſeu ipſius Papiæ, ſeu Clementis, paulò ante allegati, ore loquens, Romam Babylonis nomine venire teſtatur.

Cæterùm ipſe Valeſius nequit, quin eos arguat, qui Romæ Petrum fuiſſe negant. *Nihil*, inquit, *in totâ hiſtoriâ Eccleſiaſticâ illuſtrius, nihil certius, atque teſtatius, quàm adventus Petri Apoſtoli in Urbem Romam*. Hujus adventûs ſpectatiſſimæ authoritatis teſtes ſunt Papias, Clemens Alexandrinus, Dionyſius Corinthi Epiſcopus [*i*], Presbyter Cajus [*k*], Irenæus, Origenes, & cæteri omnes. Eos verò, addit, qui Babylonis nomen de Imperii Aſſyriorum (ſeu potiùs Chaldæorum) Metropoli explicant, Veterum Patrum authoritas omninò retundit. Id enim, quod a Veterum nemine adſtruitur, qua impudentiâ defenditur? Proferant illi Eccleſiæ Babylonicæ Commentarios, &, ſicuti nos Romæ, ita illi continuam ejus urbis Epiſcoporum ſucceſſionem exhibeant. Hæc Valeſius.

Clemens Alexandrinus (*l*) in ſexto Hypotypoſeon ſeu Inſtitutionum Libro, divino conſilio factum eſſe aſſeruit, ut, Simone Mago a Dæmone Romam ducto, Petrus eò pergeret, ut, quidquid deceptor ille ſtruxerat, Apoſtolus everteret, &, deletis errorum tenebris, lumini ſuo reſtitutam veritatem oſtenderet. Irenæus, qui ſecundo ſæculo floruit, & Apoſtolorum Diſcipulos agnovit, *maximas* aſſerit *& antiquiſſimas a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatas & conſtitutas Eccleſias* [*m*].

S. Dionyſius, Corinthiorum Epiſcopus, ejusdem ſecundi ſæculi Scriptor, Petrum & Paulum Apoſtolos Corinthi & Romæ fidem nunciaſſe, & Romam profectos eo-

(d) *Apoc.* XIV, 8; XVI, 19; XVII, 5; XVIII, 9, 19, 21.

(e) *Tertull. l. 3 contra Marcion. c. 13; Andreas & Aretas in Apoc.* XVII; *Hieron. in Iſa.* XXIV, *&* XLVII; *& l. 2 contra Jovin. Auguſt. &c.*

(f) Lutherus; Babylonis nomine Romanam Eccleſiam deſignans, de captivitate Babylonicâ Librum contexuit.

(g) *Papias apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2, c. 14, ſeu 15, edit. Valeſ.* Συνεμαρτυρεῖ δὲ αὐτῷ καὶ ὁ Ἱεραπολίτης Ἐπίσκοπος ὀνόματι Παπίας. Τοῦ δὲ Μάρκου μνημονεύειν τὸν Πέτρον ἐν τῇ προτέρᾳ Ἐπιστολῇ, ἣν καὶ συντάξαι φασὶν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης. Σημαίνειν δὲ τοῦτο αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα προσειπόντα διὰ τούτων. Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή, καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου.

(h) *Valeſ. not. in eumd. Euſeb. locum.* Recitatum Euſebii locum a Rufino & Muſculo, eo, quo a nobis, ſenſu uſurpari aſſerit. Ita omnes etiam, qui eum allegavere.

(i) *Dionyſ. Epiſt. ad Soter. Pap.*

(k) *Diſceptat. adverſ. Proclum.*

(l) *Clem. Alex. apud Euſeb. l. 2 hiſt. Eccl. c. 14, & 15:* Κλήμης ἐν ἕκτῳ ὑποτυπώσεων παρατίθεται τὴν ἱστορίαν.

(m) *Iren. l. 3 contr. hæreſ.*

dem tempore Martyrium ibi conſummaſſe, ad Romanos ſcribit [n]. Cajus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui ſub Pontifice Zephyrino florebat, adverſus Proclum Montaniſtam ſcribens, Apoſtolorum Petri & Pauli, qui Romanam Eccleſiam condiderant, trophæa ſe poſſe Romæ oſtendere teſtatur, quorum alter in Vaticano, alter ſecùs viam Hoſtienſem quieſcit (o).

Petrus, teſte Origene [p], poſtquam, Evangelium nuncians, Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Aſiam peragravit, Romam tandem ſe contulit, ubi capite inverſo, ut expetiverat, crucifixus interiit.

Teſte etiam pluribus locis Tertulliano (q), Petrus Romæ fuit, Martyrium ſubiit, Sedem ibi conſtituit, & habuit Succeſſores. *Hæretici*, inquit ille, *edant origines Eccleſiarum, & volvant ordinem Epiſcoporum ſuo. ita per ſucceſſionem ab initio decurrentium, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuerit Authorem, & anteceſſorem; hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem a Petro ordinatum refert.* Et alibi [r]: *Iſta quàm felix Eccleſia! cui tantum doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur.*

S. Cyprianus [s] in Romanâ Eccleſiâ Petri Sedem, præcipuam authoritatem, & Sacerdotalis unitatis centrum agnoſcit: *Ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Arnobius [t], Hegeſippus (u), Ambroſius [x], Hieronymus [y], Euſebius [z], Auguſtinus [a], Lactantius [b], Theodoretus [c], Paulus Oroſius [d], Optatus Milevitanus (e), Epiphanius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Concilia, Veteres denique omnes, Petrum Romæ ſediſſe, & Martyrium conſummaſſe, nemine refragante, docuerunt.

In ea Petri Epiſtolæ primæ verba, *Salutat vos Marcus filius meus*, ſcribit Clemens Alexandrinus [f]: *Marcus, Petri ſectator, palam prædicante Petro Evangelium Romæ coram quibusdam Cæſareanis Equitibus, petitus ab eis, ſcripſit de his, quæ a Petro dicta ſunt, Evangelium.* S. Hieronymus [g], Beda (h), Oecumenius, & vulgò Veteres omnes hujus Epiſtolæ Interpretes Babylonis nomine Romam a Petro deſignatam docent.

Itaque neque Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, neque Patrum authoritates nobis adverſarii objiciunt, ſed ſilentium tantummodò S. Scripturæ, & quædam congruentia argumenta; quorum vim pluris faciunt, quàm hunc unanimem Veterum conſenſum, quem utique plurimi & ipſi penderent, ſi eorum ſententiæ faveret.

Sunt etiam ex Proteſtantibus, qui Petrum Romæ fuiſſe ultrò fateantur. Pearſonius [i] a Veteribus nunquam in dubium revocatum aſſerit, vel quòd Petrus Romanam Eccleſiam erexerit, vel quòd Pontifices eidem ſuccedant. Grotius (k) & Hammondus Babylonis nomen, de quo Petrus in Epiſtolâ, a Veteribus de Româ ſemper explicatum fuiſſe conſentiunt; quorum præterea ſententiam ſe amplecti Grotius fatetur: *De Babylone diſſident veteres & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe nemo verus Chriſtianus dubitabit. Novi Babylonem in Chaldæâ. Ego Veteribus aſſentior.*

Petrum & Paulum Romæ imperante Nerone obiiſſe, ſicuti vulgò Veteres, ita Uſſerius (l) teſtatur; qui præterea ſecundam ad Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, & Cappadociæ Judæos Fideles Epiſtolam Româ a Petro datam aſſerit, unde & primam illum dediſſe innuit.

Chamier (m) unanimem Patrum de Petri adventu Romam conſenſum tanti eſſe fatetur, ut ei leviter adverſari neminem deceat. Romanam Eccleſiam a Petro & Paulo erectam & confirmatam Blondellus aſſerit (n); Franciſcus verò Junius, Scaliger, Caſaubonus, Petrus Molinæus, Samuel Petit, Seldenus, Vedelius, & ii omnes, qui in Ignatii Epiſtolas ſcripſerunt, quarum una, nempe ad Romanos, hæc habet (o), *Non ut Petrus & Paulus, præcipio vobis*, Petrum ſe Romam contuliſſe vulgò teſtantur. Petri martyrium Romæ peractum adeò liquet, ut Patricius Junius ſine temeritate in incertum revocari non poſſe fateatur. Hammondus verò (p), poſt Caji Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, & Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi teſtimonium, id adeò exploratum eſſe ait, ut nulli diſcrimini jure ſubeſſe poſſit.

Ludovicus Capellius [q] Babylonis nomen de Jeroſolymis explicandum, per conjectu-

(n) *Dionyſ. Corinth. apud Euſeb. l. 2 Hiſt. Eccl. c. 24, ſeu 25:* Ταῦτα καὶ ὑμεῖς διὰ τῆς τοσαύτης νουθεσίας, τὴν ἀπὸ Πέτρου, καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν Ῥωμαίων τε, καὶ Κορινθίων συνεκεράσατε· καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς ὁμοίως ἐδίδαξαν. Ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες, ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν.

(o) *Apud Euſeb. ibid.* Ἐγὼ δὲ τὰ τρόπαια τῶν Ἀποστόλων ἔχω δεῖξαι. Ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν Ἐκκλησίαν.

(p) *Origen. tom. 3 Explan. in Geneſ. apud Euſeb. l. 3, c. 1, hiſt. Eccl.*

(q) *Tertull. de Præſcript. c. 32.*

(r) *Idem, de Præſcript. c. 36. Vide Scorpiac. c. 15; & l. 4 contr. Marcion. c. 5; & l. de Baptiſmo.*

(s) *Cyprian. Epiſt. 55 ad Cornel. Pap.*

(t) *Arnob. l. 2.*

(u) *Hegeſipp. de Excid. Jeroſol. cap. 3, & c. 2.*

(x) *Ambroſ. ſer. de Baſilicis hæreticis non tradendis.*

(y) *Hieron. Ep. 17 ad Marcell. & l. 2 contr. Jovinian. & in Catalog.* (z) *Euſeb. Hiſt. l. 2, c. 13, 14, 15.*
(a) *Auguſt. de hæreſ. c. 1; & alibi non ſemel.* (b) *Lactant. l. 4, c. 21.* (c) *Theodoret. Epiſt. 113 ad Leon. Magn.*
(d) *Paul. Oroſ. l. 7, c. 4.* (e) *Optat. Milevit. l. 2 contr. Parmenian.* (f) *Clemens Alex. in Latinis Caſſiodorii in 1 Petr. v.* (g) *Hieron. Catalog. Vir. Illuſtr. in Marco.* (h) *Beda in 1 Petr. v, 13.*
(i) *Pearſon. Oper. poſthum. pag. 27, 31, 32, 43.* (k) *Grot. in 1 Petr. v, 13.*
(l) *Uſſer. ad an. Chriſt. 66, 67.* (m) *Chamier, Panſtrat. tom. 2, l. 13, c. 4.*
(n) *Blondel. de Primatu, &c. pag. 24, 29, &c.*
(o) *Ignat. Ep. ad Rom.* Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν. Ἐκεῖνοι Ἀπόστολοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐγὼ δὲ ἐλάχιστος. (p) *Hammond. Diſſert. v de Epiſcopis & Presbyteris, &c.* (q) *Lud. Capell. Hiſt. Apoſtolorum.*

jeſtutam ducit, quòd ea Clvitas poſt Domini mortem Virns juſtos exagitans, & Chriſti aſſeclas carcere aſſiciens, veluti in ſpiritalem Babylonem converſa fuerit. Novit utique is Author, quàm inepta loquantur ii, qui Babylonem vel Chaldææ Metropolim, vel Babylonem Ægypti propè magnam Cairum ad literam accipiunr; cùm verò prorſus ab eorum ſententiâ diſcedere nollet, alibi Babylonem conſtituit, Jeroſolymis nempe, quam tamen urbem tunc temporis idnlolatria non occupabat; imo ubi adhuc Judaicæ Religionis ſedes non corruerat, cùm & Apoſtoli ipſi, & Hebræi ad Fidem traducti ejus ritus in eâdem Urbe ſervarent.

Julius Scaliger [r], Salmaſius (s), D. de Marca [t], & Baſnagius (u) Babylonem a Petro deſignatam, celeberrimam Chaldææ Urbem eſſe defendunt. Druſius verò (x) in Petri ſecundâ, quam, uti & primam, Babylone datam aſſerit, quædam Babylonici ſermonis veſtigia ſe deprehendiſſe putat; Petrus enim [ſi verè *Boſor* pro *Beor* ſcripſit] *Balaamum* vocat filium *Boſor*, ſeu *ex patriâ Boſor*, pro *ex patriâ Pethor*, ſeu *filio Beor*; *Phe* in *Beth*, & *Schin* in *Thau*, vel *Hain* in *Schin* mutatis.

Babylonem præctereà incolis non fuiſſe tunc temporis deſtitutam, neque poſt Aſinæi & Anilæi, aliorumque Judæorum, quos Seleucienſes interſecerunt, cædem, Judæos omnes inde egreſſos (y) abiiſſe tuentur: Petrum inſuper in Ægyptum perrexiſſe, & Babylonis Ægyptiæ, & Alexandriæ Eccleſias conſtituiſſe, nuſquam ſatis oſtendi ajunt; ſed eum Antiochiâ in Orientem migraſſe, & Babylone, ubi Judæorum plurimi degebant, conſtitiſſe, id probabilius eſſe cenſent. Ad hæc, Petrus utique, reſragante nemine, in Bithyniam, Galatiam, Pontum, & Cappadociam Evangelium intulit, quas Provincias, Euphrati ſatis proximas, tunc fortè peragravit, cum Babylonem perrexit, vel inde reverſus eſt in Syriam. Porrò, veluti Pater filios, vel Neophytos Apoſtolus, earum Provinciarum Judæos alloquitur; eorum tentationum meminit, eorumque lætitiæ; de quibus vel per Epiſtolas, ex ipſis acceptas, vel per contubernium cum ipſis habitum, ſeſe monitum eſſe oſtendit. In hac demum Epiſtolâ primùm ad Provincias Babyloni proximas, denique ad remotiores ſermonem haber. Neque curſim tantummodò Babylonem percucurrit, ſed ibidem diu ſtetit, cùm ſe illius urbis linguam nonnibil didiciſſe, per ſuas Epiſtolas ſatis exhibeat. Hæc hujus ſententiæ majoris momenti argumenta.

Qui verò ſtant pro Babylone Ægyptiâ, Chaldæam Babylonem, ex qua Judæi pulſi fuerant, tunc incolis maximè deſtitutam demonſtrant. Verùm cùm Urbem, cui verè, non tropicè Babylonis nomen conveniat, ſtudioſè inquirant, ad Ægyptiam Babylonem confugiunt, ubi plurimos tunc Judæos floruiſſe, & quò Petrum, poſt Fidem Alexandriæ nunciatam, perrexiſſe defendunt. Ita fit, ut quod ab his adſtruitur, ab aliis evertatur. Veritas autem mediâ viâ incedens, de verâ Babylone nil cogitat, & myſticam atque allegoricam Babylonem hic deſignari aſſerit.

Eo ſane tempore, quo datas a Petro Epiſtolas Judæi acceperunt, Babylonis nomine neque Chaldæam neque Ægyptiam Babylonem Judæi ipſi intelligere poterant. Non Babylonem Ægypti, quam Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Aſiæ Judæi, ad quos hanc Epiſtolam Petrus dabat, vel vix noverant, vel penitus ignorabant. Hanc Urbem Perſæ quidam tum condidere, cùm a Cambyſe, qui Ægypto potitus fuerat, permiſſi in eâ regione ſibi ſedem conſtituerunt (z). Strabonis ætate, altera e tribus Romanorum Legionibus, Ægypto tuendæ mancipatis, in eam tanquam in arcem munitiſſimam ſe receperat (a). Tunc temporis e Chriſtianis, ſeu Judæis aliquem in eâ commoratum nuſquam invenimus; & Petrum vel eò perrexiſſe, vel ibi prædicaſſe, Veterum nemo unquam recenſuit. De Babylonis prætereà Epiſcopis longum fuit per ſæcula plurima ſilentium. Horum primum, juxta Spanhemium [b], Cyrum agnoſcimus, cujus nomen in primâ Concilii Chalcedonenſis actione occurrit. Baronius verò primum vocat Zoſimum, qui ſæculo quinto, Juſtino Juniore imperante, ei Eccleſiæ præfuit. Illius mentio apud Sophronium. Credibile ne fuerit, Eccleſiam ab ipſo Petro erectam, tamdiu incognitam perſtitiſſe? Si Petrus de hac urbe ad Judæos ſcripſiſſet, adjuncto aliquo ſeu vocabulo eam luculentiùs deſignaſſet; illi enim Babylonem audientes, congruum ſanè erat, ut potiùs Magnam Chaldææ Babylonem perciperent, urbem ſuis regionibus propinquiorem, in ſuis Hiſtoriis frequentiorem, & ipſorum calamitatibus celeberrimam.

Ea tamen olim florentiſſima Civitas tum cùm Petrus ſcriberet, ea erat, ut lapidum potiùs congeries, quàm Civitas videretur: *In ſolitudinem*, ait Plinius, *rediit*, *exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id condita a Nicanore* (c). Strabo deſertam fermè refert; Diodotus vix minimam ejus partem populo frequentatam memorat. Cajo prætereà regnante, paulò ante Claudium, quo Claudio imperante hanc Petrus dedit Epiſtolam, Judæi, Babylone pulſi, Seleuciam contenderant. Fuſiùs rem narrat Joſephus (d). Babylonii, Anileo ejuſque ſociis cæſis, Judæos invaſerunt; qui ſe repugnando impares eſſe ſentientes, Seleuciam confugerunt, ubi per quinquennium nullâ affecti

(r) *Scalig. in Chronic. Euſeb.*
(s) *Salmaſ. de Primatu Papæ.*
(t) *Marca de Concordiâ Imperii & Sacerdotii, part. 1, l. 6, c. 1, n. 4.*
(u) Baſnage Continuation de Joſeph.
(x) *Druſ. in 2 Petr. 11, 15.*
(y) *Vide Joſeph. Antiqu. l. 18, c. ult.*
(z) *Joſeph. Antiqu. l. 2, c. 5:* Βαβυλὼν γὰρ ὕστερον κτίζεται ἐκεῖ, Καμβύσου καταστρεφομένου τὴν Αἴγυπτον.
(a) *Strabo, l. 17:* Βαβυλὼν φρούριον ἐρυμνὸν, ἀποστάντων ἐνταῦθα Βαβυλωνίων τινῶν, εἶτα διαπραξαμένων ἐνταῦθα κατοικίαν, &c.
(b) *Spanhem. Diſſert. De temerè creditâ Petri in urbem Romam profectione, art. 4.*
(c) *Plin. l. 6, c. 26.*
(d) *Joſeph. Antiqu. l. 18, c. ult.*

ſunt injuriâ. Sexto deinde anno, vaſtante Babylonem peſtilentiâ, Judæorum reliqui, qui adhuc non diſceſſerant, Seleuciam & ipſi commigrarunt, ubi omnium peſſima eos obiuit calamitas. Græci enim & Syri urbis incolæ, male inter ſe diu convenientes, eâ lege pacem & amicitiam peregerunt, ut Judæos omnes perderent; quare eos ex improviſo aggreſſi, amplius quinquaginta illorum millia interſecerunt. Ii verò, quibus a Seleuciæ & Babylonis [utraque enim in eorum perniciem conſpiraverat] cæde evadere contigit, Neerdæ & Niſibi præ cæteris urbibus tutiores ſe rati, eò convenere. Hæc utique minimè iis ſavent, qui Petrum tunc temporis Babylone commoratum, ibique florentem Fidelium Eccleſiam ſtatuunt.

Prætereà quòd Petrus Euphratem trajecerit, aut Babylone manſerit, neque Scriptura, neque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ uſquam meminerunt. Cur igitur nullo freti argumento rem tanti momenti aſſeramus? Cur ab unanimi Patrum & Interpretum, Babylonis nomen de Româ explicantium, conſensu diſcedimus? Judæi, ad quos Petrus ſcripſit, neque de Chaldæâ neque de Ægyptiâ Babylone id accipere poterant; imò, uti oſtendimus, congruum erat, allegoricè ſumerent, & de Româ explicarent, quam, utpote flagitiis deditam, Juſtis infenſam, & idololatriæ ſedem, Babyloni ſimillimam agnoſcebant.

Locus ſanè, de quo hîc agimus, ex iis minimè eſt, quorum ſenſus, quòd res in ſolâ contemplatione poſitas, & a Lectorum pleriſque neglectas afficiat, per plura ſæcula vagus & incertus eſſe potuit. Quicumque hunc vel audiant, vel perlegant, illicò percipere appetunt, allegoricè ne, an ad verbum ſit explicandus: utrùm Petrus verè Babylone fuerit, an Româ hanc Epiſtolam ſcribens, eam urbem per allegoriam deſignaverit, non periti modò, ſed & rudiores indagaſſent; atque ubi ſemel rem tetigiſſent, fieri ſanè non poterat, ut eam oblivione deperderent. Quis verò vel minimum eâ de re diſcrimen memorat? Quis Babylonem de alterâ urbe, præterquàm de Româ, hîc explicat? Nos ipſi, ſi Epiſtolam perlegamus, nonne ſtatim Babylonis nomine Romam percipimus? Ex quibus omnibus illud ſanè fit, ut hæc habenda ſit traditio, quam ab ipſis Apoſtolis, & ab eorum Diſcipulis derivamus, & cui Recentiores, & argumentis & authoritate deſtituti, nullo jure poſſunt adverſari. Prætereà eorum diſſidium non de levi aliquo adjuncto, ſed de potiſſimo ipſius rei capite, ipſorum ſententiam incertam omninò præſert, & prorsus evertit. Jam olim, uti paulò ante oſtendimus, non conveniebant, & adhuc non conſentiunt. Porrò veritas utique una eſt, quæ potiſſimùm ibi elucet, ubi eam conſenſus omnium defendit. Patres & Interpretes omnes Babylonis nomine in primâ Epiſtolâ a Petro deſignatam fuiſſe Romam, ab Eccleſiæ exordio ad hæc uſque tempora, nemine refragante, docuerunt. Hunc igitur locum de Româ ſolummodò explicandum, liquidò conſtat.

Nonnulli ex Catholicis Scriptoribus, De Marca, Joannes Baptiſta Mantuanus, Michaël Ceſænas, Marſilius Patavinus, Joannes Aventinus, Joannes Lelandus, Carolus Molinæus, & fortè alii, qui eâ in re nonnihil hæſerunt, fruſtra nobis objiciuntur; eorum enim animus anceps diſtrahebatur his Proteſtantium argumentis, quæ jam perpendimus, & quæ ejusmodi ſunt, ut illorum doctiſſimis non perſuadeant.

In noſtram adhuc ſententiam inſurgunt, quòd nempe de anno, quo Petrus Romam contendit, inter Veteres non conveniat; quare iſthæc traditio, utpote incertis innixa argumentis, penitùs corruit. Lactantius ſub Nerone Petri adventum ſtatuit (*e*); Euſebius (*f*), Hieronymus (*g*), Ado, & alii plures, Claudii anno ſecundo; Paulus Oroſius (*h*), ejusdem imperantis exordio; quamquam anno Claudii ſecundo, recurrente Paſchatis Feſto, Petrum Jeroſolymis fuiſſe [*i*], & a Rege Agrippâ in vinculâ conjectum, Angeli ope divinitus evaſiſſe certò ſcimus.

Veterum plures Petrum annis quinque & viginti Romæ Epiſcopum ſediſſe ferunt (*k*); Claudii nihilominus anno decimo illum Concilio Jeroſolymis coacto interfuiſſe (*l*), & paulò poſt Concilium Antiochiam profectum, ibique a Paulo redargutum, conſtat [*m*]. Paulus, qui Româ plures ſcripſit Epiſtolas [*n*], nuſquam Petri meminit: quod utique, Petro Romæ degente, non prætermiſiſſet. Juxta eorum ſententiam, qui Petrum annis quinque & viginti Romæ ſediſſe ſtatuunt, is quarto Neronis anno in eâ ſanè Urbe degebat; Paulus verò eodem anno ad Romanos ſcribens, plurimos, quos ſalutat, enumerans, Petrum penitus prætëriit. Apud Lucam in Actis de Petri Romam adventu perpetuum eſt ſilentium.

Ubi Paulus Romam pervênit (*o*), Fideles omnes ad eum confluxere; Petrus verò neque venientem excepit, neque captivum inviſit. Inviſêre quidem Synagogæ Principes, quem & de Catholicâ Religione interrogarunt [*p*]: *Nam de ſectâ hac notum nobis, quia ubique ei contradicitur;* qui eam utique non prætuliſſent inſcitiam, ſi a Claudii imperantis exordio Petrus Romam profectus, Sedem ibi ſuam erexiſſet, erectamque firmaſſet. Petrus inſuper & Paulus ita inter ſe convenerant, ut Evangelii laboribus ſibi diſtributis, Paulus Ethnicos Fidem doceret, Petrus Judæos (*q*): *Cùm vidiſſent,*

quòd

(e) *Lactant. de Morte perſecutorum.*
(f) *Euſeb. in Chronico.*
(g) *Hier. Catalog. in Petro.*
(h) *Paul. Oroſ. l. 7, c. 6.*
(i) *Act. xii, 3, &c.*
(k) *Pontificale Damaſi, Beda, Iſidor. Hiſpal. Ado, alii.*
(l) *Act. xv.*
(m) *Galat. ii, 11.*
(n) Epiſtolas ad Coloſs. ad Philipp. ad Epheſ. & 2 ad Timoth.
(o) Neronis ann. 6, Chriſt. 60.
(p) *Act. xxviii, 22.*
(q) *Galat. ii, 8. Vide Salmaſ. de Primatu Petri.*

quòd creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis, dederunt dexteras mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſione. Quare cùm Roma Ethnicorum eſſet Civitas, non ad Petrum, ſed ad Paulum pertinebat. Preterea Claudius Imperator nono Imperii anno, & Chriſti 49, ſeu aliquantò poſt; Judæos omnes Româ ejecit: abiiſſet igitur & Petrus; quo enim pacto invito Imperatore ibi conſiſteret? præſertim cùm ejus mora prodeſſe minimè poſſet circumciſis Chriſtianis, qui unà cum Judæis, a quibus non ſecernebantur, ab Urbe diſcedere coacti fuerant.

Hæc omnium, quæ adverſùs ſententiam noſtram afferantur, validiſſima; cætera enim minimi prorſus facienda. Quibus tamen omnibus facilè occurrimus. Quod attinet ad Scriptores noſtros, qui de anno, quo Petrus Romam adiit, non conveniunt, reſpondemus:

I, Eccleſia neque hanc probat epocham, neque damnat; neque horum ſententiam accipit, neque illorum reſpuit; tantùmque eò reſpicit, ut Petrum Romæ fuiſſe confirmet. Semel, aut bis, ſive primo, ſive ſecundo, ſive denique tertio Claudii anno Petrus Romam venerit, minimè inquirit; hæc omnia Chronologis expendenda relinquit.

II, Qui anno Claudii ſecundo, & qui ejuſdem imperantis exordio Petrum Romam profectum ſtatuunt, inter ſe minimè pugnant; annus enim ſecundus Imperii, quod annis tredecim, menſibus octo, & diebus viginti Claudius geſſit, optimè Imperii initium appellatur. Nihil verò prohibet, quin Petrus in Paſchate anni ſecundi Jeroſolymis fuerit, & eodem Claudii anno ſub æſtatis exitum Romam pervenerit.

III, Petrum annis quinque & viginti Romæ ſediſſe, neque omnes aſſerunt, neque nos certò defendimus. At ſi liberet, totis vigintiquinque annis ita eum Romæ conſtitiſſe, ut nunquam inde diſceſſerit, minimè ſtatueremus. Potuit utique inde egredi, & eo annorum intervallo ſæpè iter modò in Orientem, modò in Occidentem inſtituere, uti Eccleſiæ neceſſitas, & Spiritûs Sancti impulſus poſtulabant. Quare nil prohibet, quin Concilio Jeroſolymis coacto præfuerit, & Romanam Sedem nihilominus non reliquerit; quemadmodum a ſuis Sedibus diſcedere non dicuntur Epiſcopi, qui ad Concilia conveniunt. Ab anno Claudii ſecundo, uſque ad Neronis ultimum, quo Petrus Martyrium abſolvit, quinque & viginti circiter anni interfuerunt.

Scriptorum igitur in anno, quo Petrus Romam vênit, aſſignando diſſidium adverſariis nequaquam favet. Hac in re duo ſunt ſecernenda, quorum alterum caput eſt, alterum accedit; alterum nempe, an Petrus verè ſe Romam contulerit, quærit; alterum, quo anno eò venerit, quamdiu ibi ſteterit, an per hanc, an per illam Urbem tranſierit, inveſtigat. Veteres quidem de primo conſentiunt. Diſſidium verò agi poteſt de ſecundo, quin primum vel leviſſimè concutiatur. An quòd de anno, quo Chriſtus obiit, inter Veteres non conveniat, etiam de ejus morte ambigamus? Circumſtantiarum, quæ rem geſtam ponunt, diſſidium eidem potiùs confirmandæ, quàm evertendæ ſervit.

Præterea, cùm Petrus a Caligulâ uſque ad Neronem, quo imperante interiit, pluries Romam contenderit, pugnantes ſententiæ inter ſe facilè conciliantur. Fortè enim Petrus exordio, anno nempe Claudii imperantis ſecundo, juxta Euſebium, Hieronymum, & Oroſium, Romam vênit, eòque etiam ſe contulit duodecimo ſeu decimo tertio Neronis anno, paulò antequàm martyrio afficeretur. Revera Veterum plures Petrum, ut Simonem Magum retunderet, Romam adiiſſe, ibique unà cum Paulo in carcerem conjectum ſimul martyrio interemptum ferunt (*r*).

(r) *Anno Chriſti 66, Neronis ultimo.*

Neque mirum fuerit, ſi Paulus vel Româ ad alios, vel aliunde ad Romanos ſcribens, nunquam Petri meminerit; fortè enim tum, cùm Paulus ſcriberet, Petrus Româ aberat; vel in aliâ ampliſſimæ urbis regione degebat; vel iis, ad quos Apoſtolus Epiſtolas dedit, præcipua cum Petro ſeu ſocietas ſeu neceſſitudo non erat; vel denique ſexcentis aliis de cauſis contigit, quas divinare non vacat.

Quod verò adverſùs nos urgetur, Judæos Romæ degentes Paulum adiiſſe, eoque de Chriſtianâ Religione interrogato illud tantùm ſe ſcire aſſeruiſſe, quòd huic ſectæ ubique contradiceretur: Judæi hujuſmodi ex Fidelibus non erant, & falſis, quas ab Judææ Hebræorum Epiſtolis & calumniis hauſerant, opinionibus imbuti, Religionem Catholicam ſolo nomine ſciebant. Itaque cùm Paulus ex Judæâ Romam adveniſſet, eum, quem eruditum eſſe noverant, facilè adivere, ut de Chriſtianis, in quos omnium Synagogarum odia exarſerant, aliquid intelligerent. Licet autem tam ex Judæis, quàm ex Ethnicis plurimi, Fidem amplexi, Romæ degerent; attamen, cùm hi in Judæorum Synagogam minimè convenirent, Epiſtola, quam paulò ante Paulus ad eos ſcripſerat, facilè ad Judæorum infideles non pervênit: quare mirum non fuerit, ſi de Pauli rebus, de Fidei, ad quam ipſe ſe contulerat, progreſſu, & de cauſis, quibus Romam adductus fuerat, ſe ſe minimè certiores exhibuerunt (*s*): *Nos neque literas accepimus de te a Judæâ, neque aliquis fratrum adveniens nuntiavit, aut loquutus eſt de te malum.*

(s) *Act.* xxviii, 21.

Cùm

Cùm Evangelicos labores Petrus & Paulus ita inter ſe diſtribuêre, ut a Paulo Ethnici, a Petro erudiendi eſſent Judæi, quid uterque Apoſtolus verè ſenſerint, quid potiſſimùm in munere ſuo exercendo ſervarint, ignoramus; uterque enim Judæos & Ethnicos promiſcuè edocuere, quorum plurimos ad Fidem genitos baptiſmo initiarunt. Petrus utique Cornelium, ejusque familiam baptiſmate abluit (t); & in Concilio Jeroſolymis coacto, ut ſe, Gentibus Evangelium nunciaret, easque ad Fidem perduceret, jam diu antea ſelectum teſtatus eſt (u). Paulus verò, quocumque iter faceret, nonne Judæos in Fide primùm inſtituebat, & deinde ad Ethnicos convertebatur, cùm inter illos Evangelio aditum patefaciendi ſpes affulgeret [x]? Petrus igitur, quin Gentes negligeret, Judæis præcipuè erudiendis; Paulus verò, quin Judæis deeſſet, Gentibus potiſſimùm edocendis ſe addixerant.

Eſto tamen, Petrus ſolis Judæis in Fide inſtituendis incumberet: Romæ quamplurimi, quos excoleret, Judæi degebant. Herode e vivis ſublato, quinquaginta Legatis, qui Jeroſolymis Romam miſſi fuerant, ut a Regum imperio in poſterum liberari poſtularent, duodecim Judæorum millia ſeſe adjunxere [y]. Imperante Caligulâ, maximam Romæ trans Tyberim partem a Judæis frequentatam, ſcribit Philo (z). Claudius tam multos, ſe regnante, Judæos Romæ numerabat, ut, ſeditionem veritus, eos expellere auſus non fuerit; ne unâ ſimul convenirent, vetare contentus (a). Expulit tandem, anno, ut ferunt, imperii ſui nono, quòd causâ Chriſtianorum tumultus aſſiduè excitarent [b].

Tunc & Petrus fortè diſceſſit; quod tamen minimè prohibet, quin ſexto Neronis anno, qui Chriſtianos tantùm, non Judæos inſectabatur, iterum eò fuerit reverſus, ubi Judæorum & Chriſtianorum plurimos nactus eſt (c). Sub Neronis imperantis exitum, Petrus & Paulus maximâ animi alacritate Romam ſupremùm redierunt, ubi, ut Veteres omnes ſcribunt, martyrium abſolverunt.

Illud prætereo, quòd ex Lucæ in Actis ſilentio argumentum ſibi adverſarii ſtatuant ad Petri Romanum iter evertendum; ac ſi Evangeliſta Petri hiſtoriam referendam ſuſcepiſſet; cujus utique poſt decimum ſextum Actorum caput videtur oblitus, ut Pauli unius hiſtoriam inſtituat. De Romano Petri itinere plurimas vulgaras eſſe fabulas, fusè Spanhemius oſtendit; plurima nempe & Romæ, & in aliis Italiæ urbibus monumenta, Eccleſias, & loca ab ipſo Petro conſecrata exhiberi; plures etiam Urbium celeberrimarum coli Epiſcopos, quos itineris ſui comites a Petro adhibitos oſtentant; plurimas denique & temporis & loci ambiguas & commentitias circumſtantias producit, ut hujus itineris fidem vel ambiguam reddat, vel omnino evertat (d).

At idem bonâ fide agnoſcere debet, doctiſſimos e noſtris Criticos neque his fabulis & ambiguis circumſtantiis fidem præſtare, neque omnes eâ de re vulgi traditiones amplecti. Hæc tamen nemo excogitaſſet, niſi iter hujusmodi omnes exploratum habuiſſent. Si traditiones inanes, & falſa commenta, quibus Apoſtolorum & ipſius Chriſti Acta ſeu improbè ſeu leviſſimè vitiantur, ea forent argumenta, ut veræ hiſtoriæ ob ea rejicerentur; ad quas hodie redigeremur anguſtias, cùm tam multis fabulis, quas ſæculorum ignorantia invexit, totius fidei certæque authoritatis facta obvolvantur? Criticorum peritia non omnia penitus rejicit, ſed digniora ſeligit, & vera a falſis, certa ab ambiguis, hiſtorias germanas ab incertis adjunctis ſecernit.

Ut Romano Petri itineri, & noſtræ interpretationi, qua Babylonem de Româ explicamus, fidem adimant, Veterum Scriptorum authoritatem, a quibus utrumque accepimus, infirmare conantur. Papiam exilis ingenii virum, ſimplicem, & credulum vocant; & quaſdam ejusdem traditiones producunt, prorſus incertas. Ignatii Martyris Antiocheni Epiſcopi locum commentitium aſſerunt, & Epiſtolam, quàm Smirnâ ad Romanos ſcribit, ei aſſictam blaterant. Irenæum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, plus nimio credulos, & quibuſdam tam facti quam juris erroribus obnoxios appellant, & ea, in quibus a veritate aberrarunt, ſedulò recenſentes, illos, ut alibi, ita & hic, criticæ, diligentiæ, & inquiſitioni deeſſe potuiſſe oſtentant.

Optimum ſanè contra Patrum authoritatem perfugium! Si trium priorum ſæculorum Patres nullius fidei & authoritatis, viri etiam ſimplices & creduli habendi ſunt, a quibusnam nos in Religione erudiemur? Proteſtantes, qui Præceptorem quemlibet, præter trium eorumdem ſæculorum Patres, rejiciunt, quo pacto in dogmatis & doctrinæ rebus eorum teſtimonio fidunt, ſi in facti & hiſtoriæ rebus nulla eis fides ſit adhibenda? Quot noſtræ Religionis dogmata factis nituntur, vel ſaltem cum eiſdem ita nectuntur, ut ſecerni non poſſint? Si Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus nullam ſibi fidem vendicant, eorumque teſtimonium prorſus rejiciendum ducitur, quos teſtes majoris fidei, ingenii, nominis, & authoritatis adhibebimus?

At enim ſæpe decepti ſunt. Omnino, eos quippe homines fuiſſe fatemur. Verùm & hîc deceptos eſſe, validis argumentis adverſarii oſtendant. Concludit ne iſta collectio:

(t) *Act.* x, 47, *&c.*

(u) *Act.* xv, 5, 7, 8, 9.

(x) *Act.* xiii, 46: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, &c.*

(y) *Joſeph. Antiq. l.* 17, *c.*12, *p.* 610.

(z) *Philo, Legat. ad Cajum.*

(a) *Dio, lib.* 9 *hiſt.*

(b) *Sueton. in Claudio: Judæos, impulſore Chreſto, aſſiduè tumultuantes, Româ expulit.*

(c) *Act.* xxviii, 17, *&c.*

(d) *Spanhem. Diſſert. de ementitâ Petri in Urbem Rom. profectione, art.* 1 *&* 2.

lectio: Et hic, ut alibi, decipi potuere; ergo revera decepti ſunt? Errorem probent, hallucinationem proferant; & nos ultro fatebimur. Quæ niſi præſtent, nobis utique plurimi habenda erit eorum authoritas, præſertim cum de facto agatur publice cognito, celeberrimo, & quod Religionis, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ permagni interſit, ne tanti ponderis res lateret; ubi nempe præcipua reſideret authoritas, ad quem in controverſiis confugiendum; & quod unitatis, doctrinæ, & communionis centrum omnibus habendum foret. Plurimi denique eorum ducendum eſt teſtimonium de facto, de quo, quamvis re inconcuſsâ, nonnullam leviſſimi ponderis circumſtantiam mutent, omnes unanimi voce conveniunt.

Concludamus igitur, Romanum Petri iter certò conſtare, & omnium Veterum, imò plurium etiam ex doctioribus Proteſtantibus Criticorum, teſtimonio exploratum haberi: locum primæ Petri Epiſtolæ, quo is Babylone ſcripſiſſe innuitur, neque de Babylone Ægyptiâ, neque de Babylone Chaldæâ, neque de Jeroſolymis, ſed de Româ ſolummodò cum omnibus vetuſtæ ætatis Authoribus eſſe explicandum; eos denique, qui huic vetuſtiſſimæ, validiſſimiſque fretæ argumentis ſententiæ adverſantur, indignos eſſe quibus reſpondeamus, cùm vel negantia argumenta, vel circumſtantiarum diverſitatem tantummodò objiciant, quæ rem minimè evertunt.

DISSERTATIO

De Divinâ Librorum Sacrorum Inſpiratione, ad 2 Petri, I, 21.

ARTICULUS PRIMUS.

Certa Librorum S. Scripturæ Inſpiratio.

SUnt qui acrem ingenii aciem oſtentantes, & ſupra præjudicatas vulgi opiniones ſeſe efferentes, nil de Religione admittant, quod argumentorum trutinâ non habuerint exploratum. Unde Scriptura, quam allegamus, authoritatem derivet, aſſiduè poſtulant; nobis verò reſpondentibus, a Spiritu Sancto, a quo Eccleſia certò afflatam ſe credit, unde illa certò id ſciat, repoſcunt: quibus ſi Eccleſiam errare non poſſe dixerimus, quòd ipſe Dominus ſe commiſſurum ſpoponderit, ut *portæ Inferi non prævaleant adversùs eam* (a), minimè acquieſcunt; imò, quorſum, inquiunt, ut Eccleſiam falli non poſſe oſtendas, Scripturæ authoritatem producis, cùm de Scripturæ authoritate ſit controverſia? Circulum utique vitiosè ducis, & incertis ambigua probas. Quare directa & poſitiva petunt exhiberi argumenta, Scripturarum inſpirationem evincentia.

(a) *Matth. xvi, 18: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

Ut his ſatisfaciamus, conabimur. Niſi enim Scripturæ eſſent divinitus dictatæ, in maximum Religio noſtra diſcrimen adduceretur; & niſi id a nobis perſpicue poſſet oſtendi, Fidei hoſtes nimiam de nobis victoriam obtinerent. Si Religio humanis tantummodò argumentis nititur, nulla prorſus Religio eſt, de eâ enim, certis & inconcuſſis deſtitutâ principiis, quiſque, uti collibitum erit, decernet: hic alterum caput rejiciet, alterum ille admittet; hic marte ſuo Fidei dogma inſtituet; ille ritum Religionis inducet; neque inde cultus & Fides proba & rationi conſentanea exſurget, ſed monſtrum ex variis, & nullo inter ſe nexu copulatis opinionibus compactum, producetur. Quæ utique Religio a verâ Religione longiſſimè abeſſet. Quare neceſſe eſt, certo & immutabili principio fides noſtra fulciatur.

Quod ſane principium Deum ipſum eſſe defendimus; Deum, inquam, qui ſuas nobis veritates in Scripturis aperuit, eaſque tuendas & explicandas credidit Eccleſiæ, cui, uti & Sanctorum Librorum Scriptoribus, cognitionem erroris neſciam impertiit. Hæc in noſtrâ Diſſertatione probanda ſunt. Eos verò, cum quibus hæc nobis eſt diſceptatio, ſatis perſuaſos credimus, exiſtere Deum, animam eſſe immortalem, neceſſariam eſſe veram aliquam Religionem, qua Deo fidem, amorem, & famulatum pro viribus præſtanda eſſe doceamur.

Eos præterea, qui Librorum Sacrorum inſpirationem impugnant, rogamus, ut illos ſaltem, tamquam Libros haud commentitios, veraſque hiſtorias referentes accipiant, tantique habeant, quanti Libros, quos Ethnici & profani fide digni, & rerum, de quibus agunt, periti edidere. Ea ſanè fides Moyſi & Evangeliſtis neganda non eſt, quæ Thucididi, Julio Cæſari, Suetonio, aliiſque Hiſtoricis. Si hæc nobis dederint,

derint, & pugnandi libidinem, ac præjudicatas opiniones removerint, Libros, quos Sacros & divinitus dictatos dicimus, hujuſmodi verè eſſe, liquidò nos oſtenſuros pollicemur.

Si Deus eſt, eſt etiam Religio: homini enim quædam neceſſariò præſtanda ſunt, quibus Deum ſupremum eſſe Dominum, ſe verò ſervum profiteatur. Religio autem minimè exiſtit, niſi expreſsè revelentur ea, quæ Deus ab homine exigit, & qua ratione cultum & famulatum ſibi velit impendi. Si enim homini indulgeret Deus, ut is, quemcumque vellet, ſibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique eſſet, fidem & cultum inſtituentibus, in errorum & ſuperſtitionum congeriem Religio converteretur.

Præterea revelatio conſtans, æqualis, permanens eſſe debet. Si Deum, quæ nobis & credenda & exercenda ſunt, ſingulis ſeorſum aperire dixerimus, fanaticæ impietati aditum pandemus; ſe quiſque deciperet, Deumque ſibi inſpiraſſe putaret, quod ipſe per ſe excogitaſſet. Quare nil fixum, nil certum in Religione, adeoque nulla Religio eſſet; incerta enim Religio a re nullà magis quàm a verâ Religione diſcedit.

Revelatio fixa & certa eſſe nequit, niſi I, publicis, communibus, & hominum ingenio accommodatis monumentis tradatur: hujuſmodi ſunt Scripturæ, quas inſpiratas dicimus: II, niſi, ubi obſcura & æquivoca occurrant, & de horum monumentorum explicatione diſſidium oriatur; niſi, inqam, ſaltem in corpore aliquo exiſtente, loquente, & eodem Spiritu, quo is, qui Scripturas dictavit, perfuſo, ea explicandi, eorumque ſenſum definiendi jus & poteſtas reſideat. Quæ quidem, I, in noſtris Sacris Libris implentur, in quibus nihil eorum deſideres, quæ ad cultum noſtramque Religionem inſtituendam ſunt neceſſaria; II, in Eccleſiâ, quæ abſolutâ Scripturarum, utì par eſt, explicandarum authoritate inſtruitur.

Exiſtentis verò in Libris aliquibus Sanctis revelationis neceſſitatem, ipſa ratio, & inſita omnibus perſuaſio demonſtrant. Gentes omnes aſſerunt, populis neceſſaria eſſe ſacra quædam monumenta (*b*), quæ Religionis, quam profitentur, regulas & capita complectantur (*c*). Quamobrem Hebræi, Indi, Ægyptii, Romani, Græci, Mahometani ſuos habent Libros Sacros, quibus plurimam venerationem exhibent, eorumque Authores afflatos, & divino lumine perfuſos oſtentant.

At enim Libri, quos ſacros habent Ægyptii, Indi, Mahometani, & alii, erroribus undique ſcatent: quis verò & Judæorum & Chriſtianorum Scripturas iis minimè vitiatas certò nobis oſtendat? Accipe. Judæorum & Chriſtianorum Scripturæ per ſe Divinitatis notam præferunt; a Viris falli neſciis, Prophetis, Jeſu Chriſto, Apoſtolis authoritatem accipiunt; comprobantur denique ab Eccleſiâ, quam Dominus in iis decernendis errori nunquam obnoxiam fore promiſit. Hoc ſtatim probandum aggredimur. Iterum verò ab adverſariis petimus, ut Moyſis Libris, cæteriſque Judæorum & Chriſtianorum Scripturis tamquam veris hiſtoriis fidem habeant; quam quidem Moyſes, cæterique id genus Scriptores, ipſorum tantummodò habitâ ratione, meritò ſibi vendicant, cùm ſint Authores & ingenii præſtantiâ & fide præ cæteris commendandi.

Moyſes Pentateuchi Scriptor ſeſe divinitus afflatum teſtatur; prodigioſam vocationem ſuam narrat (*d*); ſe a Deo ad Pharaonem miſſum aſſerit, ut Dei nomine ad Hebræos libertati reſtituendos Regem adduceret; quod munus cùm ægrè nimiùm ſuſciperet, Dominus opem ei ſuam [*e*] ſpondens, *Quis*, inquit, *fecit os hominis? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum, videntem & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo.* Refert præterea ſigna, quæ ipſe Dei virtute præſtitit; quo pacto Legem a Deo in monte Sinai acceperit, memorat (*f*); & *ore ad os*, ſeu coram, utì amicus amicum alloquitur, Deum ſibi loquutum teſtatur (*g*). Cùm e Domini colloquio maximum oris fulgorem hauſiſſet, obductâ velo facie populo ſe videndum exhibebat [*h*].

In Moyſis Libris paſſim occurrit: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, &c.* Seu: *Locutus eſt Dominus ad me, &c.* Futura Moyſes prædixit; prærerita etiam ſed incognita produxit; quæ quidem utraque hominis virtutem prætergrediuntur. Mundi, v. g. creationem exhibet, quam quidem nonniſi divinitus didicit: hominum enim nemo, neque Adam ipſe, nonniſi poſt cætera a Deo ſextâ die creatus, Mundi conſtructioni adfuerat (*i*). Futuram Hebræorum a fide defectionem ſe mortuo (*k*), Meſſiæ ſeu Magni Prophetæ adventum (*l*), ſui ipſius interitum prænunciavit. Neque ſe, neque fratrem ſuum Aaronem promiſſionis regionem ingreſſuros [*m*], eamdem ab Joſue comparandam [*n*], & Tribubus ſortitò diſtribuendam prædixit; imò quaſi ſortes ipſe dirigeret, ſingulis Tribubus regionem & regionis naturam deſignavit [*o*]; quarum pleraſque

(b) *Plato in Timae, de Ægyptiis, pag. 23. Item Joſeph. l. 1 contr. Appion. pag. 1051. Ita & Diodor. l. 1, de Romanis. Vide Macrob. Saturnal. l. 3; Aul. Gell. l. 5; Tull. l. 2 de Oratore.*

(c) *Vide Strabonem, l. 16, pag. 721:* Πέφυκε γὰρ οὕτω, καὶ κοινόν ἐστι τοῦτο καὶ τοῖς Ἕλλησι, καὶ τοῖς βαρβάροις. Πολιτικοὶ γὰρ ὄντες ἀπὸ προστάγματος κοινοῦ ζῶσιν. Ἄλλως γὰρ οὐχ οἷόν τε τοὺς πολλοὺς, ἕν τι καὶ ταυτὸ ποιεῖν ἡρμοσμένως ἀλλήλοις, ὅπερ ἦν τὸ πολιτεύεσθαι, καὶ ἄλλως πῶς νέμειν βίον κοινόν, *&c. Veteres, inquit, oracula conſulebant. Legiſlatores Minos & Lycurgus Leges ſibi ab Jove traditas dictitabant. Amphiaraus, Trophonius, Orpheus, Muſæus, Zamolxis, & alii ſe divinitus afflatos jactabant. Tales erant Gymnoſophiſtæ apud Indos, Magi apud Perſas, Chaldæi apud Aſſyrios, Auſpices apud Romanos, & Moſes apud Hebræos.*

(d) *Exod. III.*

(e) *Exod. IV, 11.*

(f) *Exod. XIX, 3. &c.*

(g) *Num. XII, 8: Ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata Deum videt.*

(h) *Exod. XXXIV, 29, &c. Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam: ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſiquando loquebatur ad eos.* (i) *Geneſ. II, 27, 31.* (k) *Deuter. XXXII, 15.* (l) *Deuter. XVIII, 15. Confer cum Joan. I, 45; Act. III, 22.* (m) *Deuter. III, 25; XXXI, 2, Num. XXVII, 13.* (n) *Deuter. XXXI, 3, 7, 8.* (o) *Deuter. XXXIII, 5, 6, &c.*

que quidquid eventurum erat, præmonuit (p). Leges denique tradidit, quæ Divinitatis notam apertam præſerunt, ſive earum præſtantiam, ſive Moralium inſtitutionum puriratem intuearis, ſive illud ſpectes, quòd hæ cum ratione, & cum hominum erga Deum & erga proximos officiis maximè conſentiant; vel quòd omnes vaticinium, & eorum quæ in Chriſto & Eccleſiâ adimplenda fuere, figuram exhibebant.

Teſtis pro Moyſe Joſue, teſtis pro Joſue Moyſes. Omnes Veteris Teſtamenti Scriptores ſibi mutuum teſtimonium præſtant. Chriſtus Moyſem cæteroſque Librotum Sacrorum Authores commendat (q), eoſque veluti afflatos & Divinâ authoritate probatos allegat (r). Hinc fit, ut vel Moyſes, cæterique Veteris Teſtamenti Scriptores habendi ſint afflati; vel Moyſes, cæterique omnium maximi impoſtores judicandi; & ipſe Chriſtus ad eos provocans, eorumque Scripta veluti Divina producens, clauſis oculis eorum fraudes dicendus ſit præteriiſſe: Deus præterea, horum Scriptorum pleroſque miraculorum & prophetiæ donis cumulans, eorum mendaciis & malitiæ faviſſe; noſque in errorem idcircò impuliſſe, quòd eos tot ſuæ authoritatis, præſentiæ, & amoris indiciis decoraverit. Quæ quidem nemo dixerit, niſi qui Dei notionem prorſus exuerit, & rationis lumen omnino extinxerit. Moyſes igitur, Prophetæ & cæteri Veteris Teſtamenri Scriptores afflati a Deo Authores certò habendi ſunt.

Id ipſum & de Novi Teſtamenti Scriptoribus facilè oſtendimus, modò adverſarii hiſtorias Novi Teſtamenti veras, Chriſtum verò Meſſiam eſſe fateamur; ſi enim res nobis foret cum hoſtibus, qui Chriſtum illuſorem vocant, & Scriptores noſtros mendacii, Scripturas verò falſitatis inſimulant, aliâ utique viâ nobis incedendum eſſet. Chriſtus Apoſtolis ſuis Spiritum Sanctum, a quo veritatem omnem docerentur, ſe miſſurum ſpopondit (s); a quo præterea Spiriru perfundendos, & nunquam relinquendos aſſeruit (t). Monuit ne cogitarent, quid coram Judicibus & Principibus reſpondendum ſibi eſſet; tunc enim eo lumine, ſapientiâ, quam neceſſitas poſtularet, inſtruendos; neque ipſos per ſe, ſed Dei Spiritum per eorum vocem loquuturum (u).

Acta, & Apoſtolorum Epiſtolæ hujuſmodi promiſſa impleta oſtendunt. Apoſtoli, & Diſcipuli inſpiratos, & Spiritu Sancto afflatos ſe aſſerunt (x): quos reverà Divino lumine perfuſos ſcripſiſſe, illud oſtendit, quòd in eorum Scriptis ea ſcientia & ſapientia effulgeat, quæ ſcientiis omnibus, quas naturæ viribus comparare poterant, antecelleret; eorum enim pleroſque rudes & ignaros fuiſſe ſcimus. Deus prætereà quæ ab ipſis dicebantur, miraculis innumeris comprobavit. Et ipſi igitur Authores inſpirati erant; ſecùs, omnium mendaciſſimi fuere illuſores, & omnia vel eorum calami vel eorum ætatis monumenta inter hiſtoriolas & fabellas ſunt numeranda. Quis verò hoc aſſerat, niſi naturæ & rationis lumen, quo verum a falſo ſecernitur, prorſus amiſerit?

Quòd ſi Novi Teſtamenti Scriptores inſpiratos fatemur, & Veteris Teſtamenti Authores item dicamus oportet; Chriſtus enim & Apoſtoli paſſim Veteris Teſtamenti Scripturas veluti ſanctas & inſpiratas allegant; Petrus verò & Paulus ad eos Libros, quòd Sacri & Divinæ ſint authoritatis, legendos hortantur (y).

Si Chriſtus Dei Filius eſt, Meſſias, æterna Veritas, utriuſque etiam Teſtamenti Libri inſpirati ſunt atque Divini. Chriſtus enim ſe ita ſemper Eccleſiæ ſuæ adfuturum promiſit, ut hæc de Inſeris victoriam aſſiduè referens, nunquam in errorem pertrahatur. Cùm igitur Eccleſia utriuſque Teſtamenti Libros inſpiratos doceat, vel hi ejuſmodi ſunt, vel Eccleſia decepta eſt, eique Chriſtus in re maximi ponderis defuit.

At inquies: Omnino quidam Scripturæ Libri, quidam Moyſis, aliorumque Authorum loci, quibus ea, quæ ſine revelatione noſci non poterant, referuntur, inſpirata eſſe admitto: hæc tamen pauciſſima occurrunt. In cæteris verò nil eſt naturæ viribus majus, nec opus eſt inſpiratione ad ea congerenda; cujuſmodi ſunt Regum, & Paralipomenon hiſtoriæ, a coævis Authoribus ſcriptæ, vel a Scriptoribus junioribus, ex Regum Juda & Iſraëlis monumentis depromptæ; morales Proverbiorum & Eccleſiaſtici ſententiæ, Eccleſiaſtes, Cantica, & Pſalmorum plurimi. Lucas nil ſe ſcripſiſſe aſſerit (z), quod priùs ſeriò non perpenderit, vel a præſentibus vitæ & mortis Chriſti teſtibus non acceperit. Secundi Macchabæorum Author in Præfatione ita ſe ſcripſiſſe profitetur, uti cæteri e vulgo Scriprores, qui in majore Libro contrahendo plurimùm inſudarint (a), & enixè incubuerint, ut eorum, quæ continentur archetypo, nihil prætereant, & legentium oblectamento unà & utilitati ſerviant.

(p) *Deuter.* xxxiii. 6, 7, 12, 13....... 17, 19, 20, 22, 23, 24, 25.

(q) *Matth.* xxiii, 2: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c. Luc.* xvi, 29: *Habent Moyſem & Prophetas; audiant illos. Jo.* i, 45: *Quem ſcripſit Moyſes in Lege.* Et v, 46: *De me enim ille ſcripſit, &c.*

(r) *Joan.* v, 39: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere; & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* x, 35: *Non poteſt ſolvi Scriptura. Matth.* xxii, 29: *Erratis neſcientes Scripturas.*

(s) *Joan.* xiv, 26: *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.*

(t) *Joan.* xiv, 16: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.*

(u) *Matt.* x, 19: *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini. non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Vide & Luc.* xii, 11.

(x) 2 *Cor.* xiii, 3: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Chriſtus? Ibid.* vii, 40: *Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Galat.* i, 8: *Sed licèt nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* (y) 1 *Timoth.* iv, 13: *Dum venio, attende lectioni. Rom.* xv, 4: *Ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* 2 *Timot.* iii, 15, 16; & 2 *Petr.* i, 20; iii, 16. (z) *Luc.* i, 1: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa ſunt, rerum ... Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia diligenter a principio, ex ordine tibi ſcribere, &c.* (a) 2 *Machab.* ii, 25, &c.

Reſpondeo I. Dum ſtabunt argumenta, quæ SS. Librorum canonicam & Divinam authoritatem probant, omnes omnino, ex ſingulis ipſorum partibus, habendi ſunt inſpirati. Alioqui decepta eſſet Eccleſia, everſa Religio, Chriſtus & Apoſtoli ad Veteris Teſtamenri Scripturas pŕomiſcuè provocantes, non monitos, quæ inſpirata quæ ſecùs habenda ſint (*b*), in errorem & fraudem nos impuliſſent.

II. Quò utriusque Teſtamenti hiſtoriis ea ſit authoritas, ut erroris omnino immunes ſine ullâ hæſitatione excipiantur, omnes omnino earum Authores inſpirati neceſſe eſt abſolute reputentur; alioqui Religio, quæ revelatis innititur, ſolidis fundamentis deſtitueretur. Si hoc, e. g. in controverſiam revocatur, cur non vocetur & illud? Veteris Teſtamenti facta ita inter ſe cobærent, ut nullum excludi poſſit, quin labefactetur veritas Vaticiniorum, quæ nonniſi ab eventu hiſtorico rerum prædictarum demonſtratur. Quomodo enim, v. g. Chriſtum ex Davidis progenie, juxta Prophetarum fidem, natum certò ſcimus, ſi Regum hiſtoriæ, & Genealogiarum, quæ in Paralipomenis & alibi recenſentur, veritas impugnetur?

III. S. Scripturæ Authores, Prophetas & inſpiratos fuiſſe, facilè oſtendimus. A Prophetis Samuele, Gad, & Nathano hiſtorias ſub Davide textas, ex Scripturis diſcimus [*c*]. Nathan, Gad, Addo & Abias ſub Salomone (*d*); ſub Roboamo Addo, & Semeias [*e*]; Addo etiam ſub Abiâ [*f*]; ſub Aſâ Hanani [*g*]; Jehu Hanani filius, Eliezer, & Jahaziel ſub Joſaphat (*h*); ſub Oziâ & Ezechiâ Iſaias (*i*); Oſai ſub Manaſſe [*k*]; ſub Joſiâ, ejusque filiis Jeremias, (*l*), hiſtorias ſuas edidere. Nehemias, Eſdras, & uterque Tobias, ex Prophetis erant.

Quis Davidem & Salomonem Divino Spiritu ductos non aſſerat, quos ingenii acumine & ſapientiâ a Deo cumulatos Scriptura commemorat [*m*]? Quis & eorum ſcripra inſpirata & divina non fateatur? An aliquid Spiritu Sancto indignum in eisdem ſit reperire? Quis Judithæ, Eſtheræ, Macchabæorum, Sapientiæ, & alios quosdam Libros conſcripſerit, ignoramus. Ab Authoribus verò inſpiratis contextos inde ſatis compertum eſt, quòd in ſuo Canone eosdem Eccleſia recenſuerit.

Validiſſimum adverſariorum argumentum ex vitioſo ratiocinationis circulo, quem nobis imputant, ducitur. Eccleſia a Deo id accepit, ut falli & fallere nequeat: Eccleſia eadem utriusque Teſtamenti Libros inſpiratos eſſe docet: ſunt igitur inſpirati. Eccleſiam verò falli non poſſe, ex eo Evangelii loco probamus, quo Chriſtus aſſeruit: *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſùs eam*. Quare Eccleſia a Scripturis authoritatem, Scripturæ ab Eccleſiâ repetunt: quo utique circulus vitioſe conſtituitur; per id enim, de quo quæritur, aliud, de quo eſt diſcrimen, probatur. Qui Scripturarum Inſpirationem rejiciunt, etiam Eccleſiam falli non poſſe, neceſſariò negant. Eſto tamen, Eccleſiam faterentur falli neſciam, hinc nihilominus minimè fieret, ut Scripturæ Libros inſpiratos neceſſariò crederent, quos tantùm veros ducere poſſent, & ab Authoribus conſcriptos, qui ea, quæ Chriſtus Apoſtolos docuit, certâ fide referant.

Illi planè in Scripturis hiſtoricâ narratione certum diſcerent, certiſſimam a Chriſto Eccleſiæ ſuæ veritatem eſſe promiſſam, eamque idcirco nunquam decepitum iri ſibi poſſent ſuadere, quin tamen Sacros Scriptores inſpiratos eſſe ſtatuerent. Tunc autem nomine inſpirationis illud tantùm innui crederent, quòd Sacri Libri veri, & certæ ſint fidei. Hoc verò ad ſecundam hujus Diſſertationis partem attinet.

Ut priori difficultati, quæ & præcipua eſt, & rei nucleum tangit, directè reſpondeamus, hunc, quem dictitant, ratiocinii circulum, neque omnino circulum, neque veram principii petitionem eſſe defendimus. Quod ut fiat perſpicuum, ratiocinationem noſtram paulò fuſiùs explicamus. Principium, quo potiſſimùm nitimur, illud ſtatuimus, quòd nempe Deus neceſſariò ſit ipſa veritas, neque nos in errorem inducere poſſit. Cùm igitur certiores fieri volumus, an per Librum, qui inſpiratus dicitur, v. g. Pentateuchum, aut Matthæi Evangelium, Deus verè nos alloquatur; juxta rectæ rationis lumen perpendimus, qui ſit hujus Libri Author, quæ illius adjuncta, quæ decora & proprietates. Si Authorem Divino perfuſum lumine, & Deum ejus verba & mores commendaſſe, & ſignis divinitus comprobaſſe percipimus, illi tamquam inſpirato ſtatim adhæremus, & falli neſcium eſſe ita colligimus: Deus nos in errorem non poteſt inducere; induceret verò, ſi Librum bujusmodi non inſpiraſſet: verè igitur inſpiravit.

Habitâ verò ratione Eccleſiæ, quæ Librum aliquem inſpiratum eſſe teſtatur, hac viâ incedimus. Eccleſia Evangelium, v. g. Matthæi inſpiratum aſſerit, ſeque erroris expertem divino beneficio eſſe idcirco ait, quia Chriſtus fore promiſit, uti ex ipſo Libro, quem inſpiratum præfert, perſpicuè colligitur. Antequam & Eccleſiæ & ejusdem Libri authoritati obſequamur, ei ſemper inhærentes principio, quòd nempe Deus nos in errorem inducere non poſſit, de Libri Authore, de ejus vitæ circumſtantiis, de iis, quæ ſcribit, ſtudioſè quærimus. Sedato vacuoque animo Opus evol-

(b) *Joan.* v, 39; *Matth.* xxi, 42; xxvi, 54; *Luc.* xxiv, 27; *Act.* viii, 35; xvii, 2; xviii, 24; *Rom.* i, 2; xv, 4; 2 *Timoth.* iii, 6, *&c.*
(c) 1 *Par.* xxix, 29.
(d) 2 *Par.* ix, 29.
(e) 2 *Par.* xii, 15.
(f) 2 *Par.* xiii, 22.
(g) 2 *Par.* xvi, 7.
(h) 2 *Par.* xx, 14, 34, 37.
(i) 2 *Par.* xxvi, 22; xxxii, 32.
(k) 2 *Par.* xxxiii, 19.
(l) *Jerem.* xvi, *&c.* & 2 *Par.* xxxv, 25.
(m) 2 *Reg.* xxiii, 1, *&c. Dixit David filius Iſai, dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob, egregius Pſaltes Iſraël. Spiritus Dei locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Act.* i, 16: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David. Matth.* xxii, 43: *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, &c.* 3 *Reg.* iv, 29: *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, &c.* 3 *Reg.* iii, 12: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit.*

evolvimus, atque Authoris mores & ingenium diſquirimus. Si hunc Divino Spiritu revera plenum, & illud certiſſimæ authoritatis eſſe cognoſcimus; inſpiratum ergo eſſe Librum, & Eccleſiam falli non poſſe concludimus. Quamobrem Eccleſiæ *infallibilitas*, quam ex eo Libro percipimus, nobis novum Fidei, & Libro novum authoritaris fit argumentum. Initio quidem unicâ ratione ad fidem libro, tamquam inſpirato, habendam ducebamur: modò duplici argumento de ejuſdem inſpiratione ſuademur. Hæc duo principia inter ſe ita cohærent, ut ſe invicem fulciant, & utrumque ſuam in alterum mutuò lucem regerant. Hanc igitur geminam ratiocinationem, quarum utrumque medium ad idem colligendum confert, circuli notâ quis jure inurat? Hinc minimè fit, ut SS. Librorum inſpirationis fides infirmetur; quin potiùs inde validiùs confirmatur.

ARTICULUS II.

De Inſpirationis ratione.

FIdeles omnes de Scripturæ inſpiratione conveniunt; Theologi verò de Inſpirationis ratione inter ſe non conſentiunt. Sunt enim, qui Spiritum Sanctum Sacris Authoribus adeò adſuiſſe putent, ut nihil omnino ſeu rebus ſeu dicendi modis ſcripſerint, quod a Deo inſpirante non acceperint. Quam quidem ſententiam Patres omnes qui de inſpiratione egerunt, & omnes Theologi, qui uſque ad decimum ſextum ſæculum ſcripſere, amplexi eſſe videntur (*n*).

Sunt alii, qui eam Spiritûs Sancti præſentiam in Sacris Authoribus ſatis eſſe aſſerant confiteri, quæ illud eis præſtiterit, ut in iis, quæ vel ex aliis audiverint, vel ſtudio perceperint, referendis, minimè decipi potuerint. Addunt verò, eoſdem Authores peculiari non modò rerum, ſed & locutionum inſpiratione tum fuiſſe afflatos, cùm ea, quæ per ſolam revelationem ſcire poterant, retulere.

Dummodò de re præcipuâ, nempe Scripturas omnes inſpiratas & erroris expertes eſſe, nihilque præter Dei verbum complecti fateamur, conſentaneum videtur, eam nobis poteſtatem fieri, ut, quod veroſimilius ducimus, de Inſpirationis ratione pro libito cogitemus. Lovanienſis nihilominus & Duacenſis Academiæ, anno 1588 hæc, illa 1587, has propoſitiones a Leſſio & Hamelio anno 1586 editas cenſurâ inuſſerunt: 1, *Ut aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſe, ſingula ejus verba inſpirata eſſe a Spiritu Sancto.* 2, *Non eſt neceſſe ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediatè a Spiritu Sancto ipſi Scriptori inſpiratæ.* 3, *Liber aliquis, qualis v. g. eſt ſecundus Macchabæorum, humanâ induſtriâ ſine afflatu Spiritûs Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur nihil ibi eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra.*

Jeſuitæ ſuam validè ſententiam tuentes, Apologiam edidere; cui Lovanienſes Doctores, ab Epiſcopis juſſi, die 17 Auguſti 1588, reſpondentes, ſuam pro viribus cenſuram defenderunt. Cornelius a Lapide ſub ſæculi decimiſeptimi initium fratrum opinioni ſubſcripſit [*o*]; pro qua ſunt etiam Bonfrerius (*p*), Mariana (*q*), & Bellarminus [*r*]. Mariana ante Cornelium a Lapide ſcripſit, Bellarminus verò ante Lovanii cenſuram; Bonfrerius denique in Pentateuchum anno 1625 ſcripſit.

Ab his Scriptoribus hanc ſententiam non eſſe primò inventam, Simonius aſſerit (*s*); quam etiam apud Cajetanum in Lucam (*t*) quinquageſimo amplius anno ante Jeſuitarum & Lovanienſium Doctorum diſceptationem, ſe reperiſſe teſtatur. Ferdinandus de Aſcalante, in ſuo Concionatorum Clypeo, teſte eodem Simonio, eamdem ſententiam docuit (*u*). Fraſſenius, Bonfrerium ſectatus [*x*], tria in Sacris Libris Inſpirationis genera diſtinguit; quarum primam *antecedentem*, *concomitantem* alteram, ultimam *conſequentem* appellat. Fit *antecedens*, cùm Sacer Author ea quæ ſibi inſpirata ſunt, ſcribit, quemadmodum diſcipulus ea ſcripto excipit, quæ ſibi a Præceptore dictantur. Fit verò *concomitans*, cùm, verbis minimè inſpiratis, ita Spiritus Sanctus Scriptori adeſt, ut in errorem quemlibet illum adduci non patiatur. *Conſequens* denique fit, cùm ea, quæ quis ſuâ induſtriâ & ſtudio, qnin ulla inſpiratio & auxilium divinitùs interfuerit, literis tradidit, deinde Eccleſia certæ authoritatis eſſe decernit, & Divinas inter Inſpirationes enumerat.

Inſpirationem geminam Melchior Canus [*y*] agnoſcit, alteram ſcilicet peculiarem, qua Sacer Scriptor ea percipit, quæ aliunde penitus neſcit; alteram, quam directionis & præſentiæ vocat, qua Scriptor dirigitur, ne in iis, quæ narrat, decipiatur. Hanc verò ſententiam, plurimorum Patrum authoritate fultam, Canus idem defendit: equidem ante Lovanii cenſuram; ejus enim Liber anno 1562 a Matriti Cenſoribus, & anno 1563 a Cenſoribus Belgii probatus fuit. Cano Contenſonium jungimus, qui Scriptoribus Sacris proximam non ſemper adfuiſſe inſpirationem docet, ſed quandoque eos ſpeciali tantùm directos fuiſſe præſentiâ, ne in errorem tra-

(n) *Vide Irenæ. l. 2, c. 47, Tertull. cont. Hermog. c. 22. Origen. Philocali. c. 10; & l. 5 contr. Celſ. Cyprian. ſerm. de opere & eleemoſyn. Thaumaturg. ſerm. 2 de Annunciat. B. M. V. Clem. Alex. lib. 2 Strom. Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5, c. ult. Epiphan. hæreſ. 76; Nyſſen. orat. 7 contr. Eunom. Chryſoſt. hom. 26 in Geneſ. Hieron. & Auguſt. plurib. loc.*

(o) *Cornel. a Lap. in Ep. 2 ad Timoth. III, 16.*

(p) *Bonfrer. Prolog. cap. 8, ſect. 1.*

(q) *Mariana, Tract. de Vulg. edit.*

(r) *Bellarmin. Tract. de Verbo Dei.*

(s) *Vide* Simon, hiſtoire Critiq. du Nouv. Teſtam. ch. 23, 24.

(t) *Cajet. in Luc. 1.*

(u) *De Aſcalante, l. 1, c. 4.*

(x) *Fraſſen, diſquiſit. Biblic.*

(y) *Melchior Canus, de loc. Theolog. l. 2, c. 16, 17.*

herentur : *In omnibus igitur habuerunt non revelationem, ſed aſſiſtentiam & auxilium, ne laberentur.*

Cùm de SS. Librorum Inſpiratione Simonius agit, hanc eamdem opinionem propugnat (z), & Lovanienſes Theologos, & Arnaldum, qui Scriptores Sacros peculiari ſemper & proximâ Spiritûs Sancti inſpiratione afflatos aſſerebant, & ſine eâ de S. Scripturarum Divinitate certiores omnino nos eſſe non poſſe ajebant, fusè refellit. Cæterùm idem Simonius, ſive per novam inſpirationem, ſive per peculiare lumen, quo Scriptores Sacri in verbo quolibet, & in qualibet ſententiâ, ne in errorem ſeu oblivionem inciderent, illuſtrati fuere, omnium omnino Scripturarum Authorem Spiritum Sanctum eſſe teſtatur.

(z) Hiſt. Critiq. du N. T. ch. 23, & 24.

Abbas du Pin Inſpirationis nomine, cùm de omnibus SS. Libris agitur, directionem & peculiarem preſentiam accipiendam eſſe aſſerit, qua Spiritus Sanctus Scriptori præſto eſt, ne in errorem incidat, cùm ea, quæ aliunde ſcit, literis mandat (a). Qua in re Spiritus Sanctus duo iſta Scriptoribus præſtat : primò, fixam tribuit, conſtantem, & erroris neſciam vera narrandi voluntatem; ſecundò, eo lumine perfundit, ut in iis, quæ aliunde noverant, congerendis, neque oblivioni, neque errori obnoxios unquam fieri contingat. Quod utique Divinæ & infallibili utriusque Teſtamenti authoritati ſtabiliendæ ſatis conducit.

(a) Diſſertation Preliminaire ſur la Bible, l. 1, c. 2.

Eraſmus diverſa & abſona a Patribus, qui SS. Authores proximè inſpiratos, & omnia omnino, tum ſententias tum locutiones, Deo authore in Scripturis congeſta aſſeruere, ſentire inſimulatus, Apologiam contra quosdam Hiſpaniarum Monachos ſcripſit.

Hac in re Proteſtantes a Patrum ſententiâ non diſceſſere; & eorum primus (*b*) fuiſſe creditur Grotius, qui in iis quæ aliunde noverant referendis, Spiritum Sanctum peculiari tantùm directione & præſentiâ Scriptoribus, ne erroribus obvolverentur, adfuiſſe defenderit. Spinoſa omnem penè SS. Librorum inſpirationem evertit, cùm nullo divinitus dono præditos, nullâ Scriptores peculiari & Divinâ præſentiâ directos agnoſcat.

(b) *Grot. Votum pro pace Eccleſiaſt. tit. de Canone Scripturar.*

Anonymus ille, cujus ſententiam undecima Batavorum Theologorum Epiſtola fusè recenſet, cum Spinoſâ fermè convenit (*c*); omne enim divinitus auxilium a Sacris Authoribus rejicit, niſi tantummodo cùm peculiare quid nonniſi Divino lumine afflati narrare potuerunt. Sacris Hiſtoricis memoriâ dumtaxat ac diligentiâ opus fuiſſe; Prophetas verò recordatione eorum, quæ vel per ſomnium, vel per viſionem perceperant, ut ea deinde vel ſcriptis traderent, vel ſcribenda dictarent : quare ad divinam inſpirationem confugiendum non eſſe ſtatuit, ut, qua ratione ſcripſerint, percipiamus. Libros morales, & Pſalmos, in quibus vaticinia nulla, Jobum v. g. Proverbia, Eccleſiaſtem, Cantica, ab Authoribus piis, eruditis, ſtudioſis, veracibus, & more proborum omnium hominum Spiritu Sancto perfuſis, conſcriptos perhibet. Quo ſatis ſuperque fieri aſſerit, ut eorum Opera tamquam proba, certa, & intemeratæ fidei excipiamus.

(c) Sentimens de quelques Théologiens de Hollande, Lettre xi, pag. 232, 233.

Sacras præterea hiſtorias minimè inſpiratas aſſerit, I, Quòd earum Authores ſeu a Veterum monumentis hauſiſſe, vel ab aliis audiſſe, vel denique propriâ induſtriâ & ſtudio ſe eas percepiſſe fateantur, II, Quòd ubi duo ſeu plures Authores idem referunt, quandoque inter ſe minimè conveniant; III, Quòd numeros interdum certò non ſtatuant, ſed eâ locutione, quæ cum certiſſimâ Spiritûs Sancti inſpiratione minimè conſentanea eſt, has voces adhibeant : *Circiter, quodam tempore, duobus ſeu tribus diebus, &c.*

Inſpirationem quoque, quam nos Apoſtolis tribuimus, omninò rejicit, quòd iis minime fuerit neceſſaria. Illi enim, inquit, Religionis Judaicæ principia optime noverant : quæ Evangelium Judaiſmo addat, ſæpius a Jeſu Chriſto audierant; quæ ad Meſſiam pertinent, ſatis didicerant : illis etiam ipſe Chriſtus & miraculis plurimis & argumentis Meſſiam, & tamdiù expetitum Servatorem ſe eſſe oſtenderat; quare quæ viderant, quæque audiverant, tamquam certa & infallibilis authoritatis poterant utique recenſere. Miraculorum verò facultas, qua illos a Chriſto donatos ſcimus, illud etiam præſtare valuit, ut firmiori memoriâ & perſpicuo magis ingenio inſtruerentur. Quod planè ſatis erat, ut nos eorum Scripturas tamquam vitæ gerendæ normam exciperemus. Hoc Anonymi ſyſtema.

Ex his tres ſententias, ſeu tria de Inſpiratione ſyſtemata conficiuntur. Primum nil ſupra naturam in Sacris Authoribus ſtatuit, & in Hiſtoricis fidem tantummodò ac memoriam; in Moyſe, ſuas Leges recenſente, ſtudioſam in iis, quæ ſibi Deus mandaverat, referendis curam; in Prophetis firmam ad ea, quæ ſibi Deus revelaverat, retinenda, eademque deinde ſeu ſcribenda ſeu dictanda recordationem; in Scriptoribus moralibus pietatem, ingenium, ſapientiam, & Spiritûs Sancti eos perfundentis præſentiam; in Apoſtolis denique certam in iis, quæ a Domino audierant, recenſendis fidem expoſcit. Se-

Secundum a Patribus conſtituitur, qui Sacros Scriptores & actu & proximè ita inſpiratos ferunt, ut nihil omninò, tum ſententiis tum locutionibus, in omnibus Scripturæ Libris exhibuerint, quod a Deo non acceperint.

Tertium geminam Inſpirationem ſtatuit, quarum prima Sacros Authores afficit, cùm ea ſcribunt, quæ ſcribere non poſſent, niſi actu per inſpirationem & quid ſcribendum ſit, & quibus verbis utendum, edocerentur; altera, cùm Sacri Authores peculiari Spiritûs Sancti directione & præſentiâ inſtruuntur, ne in iis, quæ vel per ſe ipſi didicere, vel ab aliis acceperunt, referendis unquam decipiantur, utque ſuis Scripturis infallibilem vindicent authoritatem.

Horum primum ſyſtema inſpirationem evertit, adeoque & Religionem, quæ, uti oſtendimus, demptâ inſpiratione, corruit. Ad humanam tantummodò fidem Eccleſiam redigit, cùm utriuſque Teſtamenti Scriptores, niſi inſpirati fuerunt, divinam ſibi fidem nullâ ratione vindicent. Ipſam quoque Scripturam oppugnat; legimus enim [d]: *Omnis Scriptura Divinitùs inſpirata*; & alibi [e]: *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit; non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines.* Denique adverſatur Eccleſiæ, quam Chriſtus falli neſciam fore promiſit, & quæ omnes omnino utriuſque Teſtamenti Scripturas divinitus inſpiratas eſſe teſtatur.

Ejus ſyſtematis Author hunc perpetuò paralogiſmum urget: Neceſſe non fuit, ut Sacras hiſtorias Deus inſpiraret; revera igitur non inſpiravit. Cui ſtatim facilè occurrimus. Authores Sacros inſpiratos fuiſſe, nobis perſpicuè conſtat: inſpirati fuere igitur. Factum ſeu dogma, Scripturæ authoritate, & validiſſimis principiis quammaximè fultum, an per inanem ratiocinationem evertitur? Neceſſe non fuit, ut ad homines redimendos Verbum Divinum & carnem aſſumeret, & mortem obiret: ergone neque carnem aſſumpſit, neque mortem obivit? Nullum fermè factum revelatum occurreret, quod hujuſmodi abutentes principio non everteremus.

(d) 2 Timoth. III. 16: *Ab initio ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptura, divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum.*

(e) 2 Petr. 1, 20.

Deum utique abſque neceſſitate & conſilio miracula non multiplicare fatemur. Idcirco igitur Sacros inſpiravit Authores, quòd illos inſpirandi plurimæ ipſi cauſæ fuerint. Hiſtoricus ſanè, quin divinitus inſpiretur, veram poteſt certamque texere hiſtoriam: poteſt Sacer Orator abſque peculiari inſpiratione validis & evincentibus veritatibus utilem Orationem exhibere; at neque Hiſtoricus, certæ licèt fidei & accuratæ diligentiæ, Divinæ & infallibilis authoritatis hiſtoriam contexet; neque Concionator, ceu infallibilem morum normam, & Divinæ Fidei argumentum, Orationem exhibebit, niſi diligentiæ & memoriæ Hiſtorici, & pietati ac Concionatoris ſcientiæ cœleſte, quod eorum Operi præfuerit, lumen addatur; vel niſi ſaltem utrique peculiaris & Divina adfuerit præſentia, quæ errorem, & cæteras humanæ naturæ infirmitates ab eis averterit.

Author, cujus ſyſtema impugnamus (*f*), juxta ſuam hypotheſim Sacras Scripturas, quòd ſolo hominum teſtimonio nitantur, ſolâ humanâ fide credendas aſſerit. Addit præterea, Librum, quem Matthæi Evangelium dicimus, Matthæi vere eſſe, a nobis etiam credi humanâ fide, unanimi nempe Chriſtifidelium conſenſu, qui humanum teſtimonium non excedit; quam tamen fidem æque ac geometricas demonſtrationes certam eſſe defendit. Imò & ipſam Fidem Divinam humanâ fide inniti ait: cur enim, inquit, in Chriſtum, & de Chriſto credimus, niſi quòd ejus hiſtoriam veram eſſe novimus? cur ejus hiſtoriam veram ducimus, niſi quòd illam ii, qui res vidêre, conſcripſerunt, & ad defendendam ſui teſtimonii veritatem mortem usque pertulerunt? Per quem denique hæc nos certò ſcimus, niſi per hiſtorias? Ita fit, ut humana fides Fidem Divinam fulciat. Hæc Batavi Theologi, ſeu Author ille, cujus de SS. Librorum inſpiratione ſyſtema prætulimus.

(f) Sentimens de quelques Théologiens de Hollande Lettre xi, pag. 233.

Ea verò ſunt hîc ſecernenda, quæ Scriptor iſte confundit. Divina Fides, cùm Dei revelantis authoritate potiſſimùm nitatur, & ipſa neceſſariò certa eſt atque infallibilis, quòd Veritate, quæ neque decipere, neque decipi poteſt, fulciatur. Fides verò humana, quamlibet certam authoritatem præferat, infallibilis nunquam eſt; nunquam enim eò pervenit, ut omnem omnino ambiguitatem propulſet. Fieri ſemper poteſt, ut homo in errorem incidat, noſque ſive dolo malo, ſive inſcitiâ, in fraudem pertrahat. Fidem, quam homini, quicumque is fuerit, nos habemus, Deus nihili facit: illud verò præcipit, ut, quidquid ipſe revelat, fide Divinâ credamus, idcircò tantummodò, quòd ipſe revelaverit. Si credentes aliorum teſtimonio ducimur, fides noſtra nec Divina eſt, nec ad meritum confert. Neceſſe eſt, fides noſtra ſit conſentanea rationi; a qua longè diſcederet, ſi, quæ homo, vel plures etiam Viri, peritiſſimi licèt ac ſapientiſſimi, dixerint, nos certâ omnino fide crederemus; ii enim decipi primùm poſſent, nos deinde in errorem adducere. Si homini ut ipſi Deo credimus; ſi nempe hominis authoritati, veluti certæ & infallibili, fidem habemus, per fidem noſtram Deo injuriam irrogamus; obſequium enim & credulitatem, Deo ſoli tribuendam, homini exhibemus.

Qui

Qui nos ea, quæ Fide Divinâ credimus, a teſtimonio humano percipere aſſerit, & noſtram fidem humanâ inniti authoritate inde concludit, paralogiſmum inſtituit. S. Joannes, v. g. Verbum Deum eſſe teſtatur: an Chriſti Divinitatem, quòd illam teſtetur Joannes, credimus? Minimè quidem. Idcircò credimus, quòd Deus per Joannem revelaverit. Joannem Dei vocem & inſtrumentum eſſe; Deum verò per ejus os loqui, noſque per ejus Scripta erudire ſcimus. Cæterùm eâ ratiocinatione omnes cognitiones, & ſcientiæ, ipſæ etiam certiſſimæ demonſtrationes errori obnoxiæ eſſe oſtendi poſſent, quòd a ſenſibus, qui falli poſſunt, dependeant. Noſtri utique ſenſus neque principium neque fundamentum, ſed occaſio tantummodò & inſtrumentum ſunt, quibus per animadverſiones & intellectûs noſtri perſpicaciam & ſtudium res ipſas & demonſtrationes attingimus. Quamobrem noſtra fides nullam ab eo, qui vel ſcribit vel loquitur, vim ſibi vindicat, ſed omnem a Deo, qui per Evangeliſtam vel Scriptorem Sacrum loquitur, authoritatem ducit. Balaam pravus erat & nequam, dignus idcircò, cui, ipſius habitâ ratione, nulla fides præſtaretur; nihilominus eumdem inſpiratum ſcimus, ejuſque habemus vaticinia, quorum veritatem eventus implevit. Non homini igitur, ſed Spiritui Sancto hominem inſpiranti fidem habemus.

Noſtrum verò eſt certò percipere, an Deus per ejus, qui loquitur, os verè loquatur; qua de re nobis perſpicuè ſtatim conſtat, modò ea animadvertamus, quæ in primâ hujus Diſſertationis parte tradidimus; an ſcilicet Eccleſia Authorem inſpiratum agnoſcat; an ejus Opus omnia inſpirationis indicia præferat; an denique Deus miraculis, & divinis ſuæ præſentiæ ſignis Scriptori authoritatem adjunxerit.

Argumenta, quibus adverſarii SS. Scriptorum inſpirationem impugnant, quòd ſcilicet Authores Sacri ab alio hiſtorias acceperint; vel quòd eas proprio ſtudio, atque ſolertiâ ſcripſerint; vel quòd interdum inter ſe non conveniant; vel denique quòd nonnullas locutiones, ambiguitatis ſpeciem præferentes, adhibeant, nihili prorsùs habemus. Quæ in Scripturis pugnare videntur, re nunquam pugnant, quippe quæ ſæpe ab Eruditis conciliata ſint. Accuratio, ſtudium, & Hiſtoricorum ſolertia eorum inſpirationi nil detrahunt; quin &, poſt demonſtratam hiſtoriæ veritatem iis ipſis, qui Sacros Scriptores perinde habent ac vulgares cæteros, eorum etiam divinitatem commendant, cùm Deum Eccleſiam falli neſciam fore, ſuos verò famulos inſpiratum iri promiſiſſe, hinc liquidò percipiatur. Locutiones denique, quæ ambiguitatem præferunt, dicendi modi ſunt, homini ſæpiſſimè familiares, qui paſſim quidem in Scripturis occurrunt, & Dei, ut nos erudiat, noſtri ſermonis infirmitati ſuas ſententias accommodantis, erga homines indulgentiam oſtendunt.

Veterum Patrum de SS. Authorum inſpiratione ſyſtema ipſâ innititur Scripturâ, & Jeſu Chriſti atque Apoſtolorum authoritate, a quibus omnes prorſus SS. Librorum Authores Spiritu Sancto perfuſos eſſe docemur, & ad omnes omnino Scripturas, veluti ad Divinæ Fidei & infallibilis authoritatis Libros, promiſcuè remittimur. Eccleſia denique utriuſque Teſtamenti Libros inſpiratos fuiſſe, abſolutè decernit.

Theologi, qui duo, vel tria inſpirationum genera ſtatuunt, & cum Patribus Scripturam inſpiratam & authoritatis infallibilis eſſe conveniunt, ab iiſdem Patribus non ſunt ſecernendi; non enim aliam inducunt ſententiam, ſed Patribus honorem habentes, id clariùs explicant, quod illi rudiori minervâ tradiderunt: neque varia inſpirationum genera invenere, niſi ut faciliùs Hæreticorum ora præcluderent, & dogma, quod nonnullæ difficultates obnubilant, dilucidius exhiberent.

Qui hos impugnarunt, quamvis eos eâ de re & Patrum concluſiones & Eccleſiæ decreta exciperent, ab ejuſdem Eccleſiæ & Patrum ſententiâ diſceſſiſſe cenſuerunt. Verumtamen nulla ſanè apud ipſos, niſi vocum & locutionum varietas. Cùm verò res ſeriò perpenditur, eorum diſtinctionem rejici non poſſe invenimus; & utiliſſimum eſſe agnoſcimus, ſi Sacros interdum Authores, ut Divinam ſibi vindicarent authoritatem, Spiritûs Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis & præſentiæ tantummodò indigos fuiſſe fateamur.

DISSERTATIO
IN ILLUD:
Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. ad 1 Jo. v, 7.

QUamquam in Sacris utriusque Teſtamenti Libris lectionum varietas ſæpè occurrit, nulla tamen tanti ponderis ſeſe offert, ut eam attingat, quam ex quinto primæ Joannis decerptam, perpendendam aggredimur. Variarum lectionum pleræque verba alia pro aliis afferunt, quasdam omittunt phraſes, quasdam addunt : hæc rarò varietas ad Religionem pertinet, aut Fidem. Hic verò de integrâ agitur periodo, quæ in plurimis Exemplaribus deeſt; ejus autem omiſſio plurimum intereſt. Fidei enim hoſtes hac abutuntur, ut Eccleſiæ dogma de Trinitate impugnent, ſuamque pravam, adversùs æqualitatem & unam Divinarum Perſonarum ſubſtantiam, ſententiam fulciant.

Non modò Trinitatis adverſarii hunc locum neque authenticum neque legitimum eſſe aſſeruerunt; ſed plures etiam ex iis, qui Trinitatem, æquè ac nos, fatebantur, ſive Exemplarium, in quibus hic locus deerat, multitudine perſuaſi, ſive critices libidine ducti: profectò eâ de re non cautè, uti par erat, diſſeruere. Eraſmus, e. g. in primâ Teſtamenti Novi Græcè & Latinè redditi Editione hunc locum ſuppreſſit [a]. Lutherus in ſuâ Germanicâ Verſione eumdem præteriit; quem neque plurimæ per Catholicos, de quibus nulla in Trinitatis Fide ſuſpicio (b), vulgatæ Editiones afferebant.

Simonius [c], criticis in utrumque Teſtamentum ſcriptis celeberrimus, hunc Locum noſtris Bibliorum exemplaribus additum, & genuinum Joannis non eſſe, & fuſè & expreſsè defendit. Chriſtophorus Sandius Socinianus, quidquid ad ſuſpicionem de eo creandam confert, accuratè congeſſit. Quidam ab Arianis ſuppreſſum; quidam verò a Catholicis additum putavere. Grotius denique, ipſorum Arianorum calliditate, Joannis textui inſertum fuiſſe ſuſpicatus eſt.

Eruditiſſimorum verò Criticorum plerique, ſive Catholici ſint ſive Proteſtantes, legitimum atque authenticum agnovere. Stunica (d), P. Alexander (e), Millius [f], Bukentopius [g], Ketnerus (h), Seldenus (i), Martianæus (k), Schmithus, & demum Rogerius (l) expreſsè authenticum eſſe tuentur. Commentaria hic prætermittimus, a quibus fermè omnibus ejusdem veritas & authoritas defenditur.

Ad Lectores abſolutè erudiendos, utrinque argumenta referemus, ut, causâ plenè cognitâ, judicium æquabile valeant pronunciare.

ARTICULUS I.

Argumenta adversùs Canonicam authoritatem hujus loci.

EXemplaria omnia, ſive impreſſa ſive Mſs. ad tria genera redigimus; hæc locum, de quo quærimus, prorsùs omittunt; illa ſervant omnino, Vulgatæ noſtræ perfectè reſpondentia; poſtrema denique eumdem locum diverſimodè exhibent: vel enim margini inſcribunt, vel Textui ita inſerunt, ut verſus octavus ſeptimo præcedat (m): *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſeu dicunt in terrâ, Spiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum ſunt*; vel hæc tantummodò proferunt [n]: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt*: & ea quæ ſubduntur : *tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ, &c.* prorsus omittunt; vel denique verſum octavum ſic legunt (o) : *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, ſpiritus, aqua, & ſanguis*; & prætermittunt : *& hi tres unum ſunt.* Quæ poſtrema verba in veteris Exemplaribus nunquam fuiſſe allata, S. Thomas defendit (p). Lo-

(a) *Ann.* 1516, & 1519. *Baſileæ.*
(b) *Edit. Aldi Venet.* 1518; *Volfii, Argentor. an.* 1524; *Colinæi, Pariſ. an.* 1534. *Vide & Edit. Lovanienſ. Lugdun. ann.* 1562.
(c) Simon, Critique du N. T. & *in Diſſertat. in calce ſuæ Criticos.*
(d) *Stunica adverſ. Eraſmum in* 1 *Joan.* v, 7. *Compluti* 1519.
(e) *Natal. Alex. in N. T. tom.* 1, *art. de Epiſtol. Canonic.*
(f) *Millius Diſſert. in* 1 *Jo.* v, 7, *ad calcem Variar. Lection. in Epiſt.* 1 *Jo.*
(g) *Bukentop. Lux de Luce, l.* 2, *pag.* 306.
(h) *Ketner. Defenſ. hujus loci, Diſſertat. ſingular.*
(i) *Selden. l.* 2 *de Synedriis, c.* 4, *pag.* 133, & *ſequ.*
(k) *Martian. not. in Prolog. Epiſt. Catholic. pag.* 1669, 1670, *tom.* 1 *nov. Edit. Hieronymi.*
(l) *Roger. Diſſert. Critic. Theolog. in hunc loc. Pariſ.* 1713.
(m) *Vide Cod. Corbej. n.* 21, *apud Martian. pag.* 1675. *Ita & Eugen. Carthag. l.* 2 *de Cathol. Fide. Vide & Idacium adverſ. Varimund. & Fulgentium Ruſp. contra Arianos; & multa Vulgata exemplaria. Roger. p.* 128.
(n) *Ita Cod. duo Marbac. & unus Compend. a me viſi, & alii quidam.* (o) *Omittit Complut. & Cod. Britann. Codd. Lat. Lovan.* 15. (p) *D. Thom. Opuſcul.* 24.

Lorino, Lucâ Brugenſi, & Heſſellio teſtibus, a pluribus Latinis Exemplaribus locus iſte minimè proditur; qui neque legitur in Polyglottorum Complutenſium Latino & Græco, neque in duobus S. Germani Praienſis Mſs. n. 43, & 44, neque demum in Mſs. Alexandrino, & Anglico, cujus poſtremi apud Eraſmum mentio.

Sunt & Exemplaria, quæ addant (*q*): *Et hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu*; ne ſpiritus, aqua, & ſanguis unum eo modo eſſe crederentur, quo unum ſunt Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. Græca Exemplaria pro, *Et hi tres unum ſunt*, ferunt: *Tres in uno ſunt*. Vigilius Tapſenſis, & Pſeudo-Epiſtolæ Hygini Author legunt: *In nobis ſunt*.

Præcipuum adverſariorum hujus loci argumentum inde inſtituitur, quòd a Græcis Mſs. prototypis, a Syriacâ Verſione omnium Orientalium vetuſtiſſimâ, ab Arabicâ, ab Æthiopicâ, a plurimis denique Latinis Exemplaribus non afferatur; quòd præterea neque a priſcis Græcis & Latinis, qui Arium impugnarunt, Patribus, neque a Conciliis adversùs hunc Arium coactis allegetur: eumque propterea Veteres ignoraſſe; quem certè, utpote validiſſimum omnium, adversùs Arium producturi erant, ſi noviſſent. Si ergo remotiſſima Antiquitas, & clariſſima Eccleſiæ ſæcula hunc locum ignoravere, primis quidem in archetypis tunc defuiſſe, Joannis verò Exemplaribus, plurimis poſt ipſum ſæculis, inſertus ſatis oſtenditur.

Producuntur etiam Alexandrinus, & Vaticanus Codex, fortè omnium, qui extant, vetuſtiſſimi, in quibus hæc ſolummodò: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*: cætera verò prætermittuntur; quæ deſiderantur etiam in quindecim aut ſexdecim qui a Millio, in quinque Regiæ & in ſex Colbertinæ Bibliothecæ Græcis libris qui a Simonio allegantur. Burnetus Saliſburgenſis Epiſcopus gemina Mſs. in Venetâ & Baſileenſi Bibliothecis invênit. Vindobonenſis unus & Linceſtrenſis Bibliothecæ alter codex, aliique complures omittunt iſta: *In cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ*.

Græcæ Aldi Venetæ Editiones anni 1518, Baſileenſes Eraſmi 1516 & 1519, Hagenoënſis 1521, Argentoratenſis 1524, & Pariſienſis Simonis Colinæi 1534, eadem prætermittunt. Robertus Stephanus in Græcâ Novi Teſtamenti editione 1550 hunc locum, ut affertur a Vulgatâ, & a Græcis exemplaribus poſt ipſum excuſis, Joannis Textui inſeruit; notam verò margini adſcribit, qua ex Editione tantummodò Complutenſi eam lectionem ſe hauſiſſe fatetur. Quare inter ſeptem Græca Mſs. Canonicarum Epiſtolarum, quæ ipſe conſuluerat, ne unum (*r*) quidem reperire fuit, quod cum noſtris Bibliis eo de loco conveniret.

Editionis verò Complutenſis, quam Robertus ſequutus eſt, authoritatem magni non eſſe faciendam oſtendunt. Cardinalis Ximenius, cujus operâ Complutenſia Polyglotta edita fuere, Rhodienſi tantummodo, & nonnullis Romanis, quæ Leo X ad eum miſerat, Græcis libris uſus eſt, quorum in utriſque hunc locum minimè allatum ſcimus. Jacobus Lopez Stunica, qui Græca Exemplaria pro Complutenſi Editione adhibita vidit, in diſceptatione, quam hac de re cum Eraſmo inſtituit, nullum, quod hunc locum præferret, allegavit. Cùm verò, Urbano VIII Eccleſiam gerente, omnia congeſta ſunt Mſs. quæ Romæ in Bibliothecis ſeu Vaticanâ ſeu Barberinâ ſervabantur, ut Novi Teſtamenti Græca Editio recuderetur, octo tantummodò libri inventi ſunt, qui Canonicas complecterentur Epiſtolas; nullus verò eorum locum, de quo diſſerimus, afferebat (*s*).

Manuſcriptum, quod Seidelus ab Oriente Berolinum tranſtulit, & cujus in ſuâ novâ Novi Teſtamenti Millii, an. 1710, Editione Kuſterus meminit, eumdem locum omittit. Afferit Simonius, ſe in Regiâ Bibliothecâ nullibi eum locum reperiſſe, quamvis octo ibi ſaltem Mſs. evolverit, quorum quædam cùm recentiſſima ſint, illud ſuadent, quòd is locus apud Græcos Recentiores, æquè ac apud Veteres, nullius haberetur authoritatis. Alia tria Mſs. eidem Regiæ Bibliothecæ a D. Le Tellier Rhemenſi Archiepiſcopo dono data, producit Rogerus, a quibus locus idem prorſus omittitur [*t*].

Mſs. Latina magis ad Vulgatam accedunt; quorum tamen plurima extant, quæ locum, de quo quærimus, omnino prætereunt. Prologi in Canonicas Epiſtolas Author, qui Hieronymi nomen præfert, de quo nos fuſius infrà, de librariis idcircò queritur, quòd ſuis Exemplaribus hunc locum accuratè non inſeruerint; ex quo conſtat, eum tunc temporis in pluribus defuiſſe. Prologum verò iſtum, qui in vetuſtiſſimis (*u*) Mſs. occurrit, octavo ſæculo minimè poſteriorem credimus; quare vetuſtiſſimus eſt ſine controverſiâ.

Ab Eraſmo duo Latina Bibliothecæ S. Donatiani Brugenſis Exemplaria, quatuor verò, poſt Gilbertum Burnetum, allegantur a Millio, quorum duo in Bibliothecâ Argentoratenſi, tertium in Baſileenſi, poſtremum in Tigurinâ ſervantur, & vetuſtatem

(q) *Ita Clem. Alex. in Latinis Caſſiodor. Ambroſ. l. 3. c. 11, de Spiritu Sancto; Vigil. Tapſ. ſeu alius lib. de Fide ad Theophyl. & lib. de unicâ Trinitatis Deitate.*

(r) *Vide Roger. Diſſertat. § 3, pag. 9, & ſeq. Hæc Mſſ. ſunt* 4, 5, 7, 9, 10, 11, 13.

(s) *Vide Præfat. Joann. Matth. Caryophilli ad eamdem Caten. Græc. edit. Petr. Poſſini in Marc. Romæ* 1673.

(t) *Codd.* 2242, 2869, 3425.

(u) Eſt in duobus Bibliis Mſſ. S. Albini, & S. Sergii Andegavenſis, quorum altera nongentorum, altera ſaltem octingentorum annorum vetuſtatem oſtentant. Eſt etiam in aliis vetuſtis Bibliis, Carolo Calvo imperante exaratis.

tem ad annos ampliùs octingentos protrahunt; hæc autem omnia allato Epiſtolæ Joannis loco penitus carent. Quinque Mſs. quæ ſuorum Bibliorum margini a Lovanienſibus Doctoribus inſcribuntur; unum vetus Mſs. e Bibliothecâ Bodlejanâ; alia tria S. Germani Pratenſis; aliud S. Albini, & aliud S. Sergii Andegavenſium, utrumque vetuſtate ſpectatiſſimum; aliud S. Martini de Campis, Carolo Calvo imperante conſcriptum; Ludovici Pii pulcherrima Biblia, ex Colbertinâ Bibliothecâ; vetus Bibliorum Correctorium a Lucâ Brugenſi productum; plurima demum Mſs. Latina eumdem Joannis Textum omninò prætereunt.

Latina alia in corpore omiſſum, margini adſcribunt; hujuſmodi ſunt Mſ. Antuerpienſe Fratrum Ordinis S. Franciſci, quod Eraſmus allegat; aliud ex Regis Bibliothecâ, ſub numero 3584, quod a Simonio citatur, & hæc in margine deſcripta producit: *In cœlo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ; & hi tres unum ſunt*: aliud ex Bibliothecâ Colbertinâ ſub numero 158, in cujus margine ad illa verba Textûs, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant*, respondet: *In cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, ſanguis, aqua, & caro.* Vetus Ms. S. Germani Pratenſis verſum ſeptimum eâdem manu, qua totum volumen, margini adscriptum oſtendit. Sunt & alia Mſs. Græca æquè ac Latina, a quibus in margine deſignata verba afferuntur, quæ, licèt quandoque vocabula varia, ſenſum tamen ſemper eumdem præſerunt.

A quibusdam Mſs. verſum octavum ſeptimo præponi, jam ſupra tetigimus: quæ tamen varietas lectioni nunc ab Eccleſiâ acceptæ minime adverſatur. Orientales Verſiones, præter Armenam, hunc locum omnes omittunt. Syriaca, Arabica, Æthiopica, Ruthenica, & Cophtica habent tantummodò ℣. 8, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*, prætermiſſis iis verbis, *in terrâ*, quæ in Græco & Vulgatâ efferuntur. Tremellius Syriacæ Verſionis Editioni anni 1569, ℣. 7, inſerit; quem tamen Textui non adjungit, ſed margini tantùm adſcribit. Gutbirius verò cum Textu nectit. Illud planè conſtat, quòd Mſs. omnia, & veteres Syriacæ Novi Teſtamenti Editiones, anno 1562 per Vidmanſtadium evulgatæ, locum hunc penitùs omittunt.

Illum profectò Veteres ſeu Græci ſeu Latini Patres minimè agnoverunt: ſaltem non allegarunt, cùm vel ea, de qua agebant, vel quam defendebant, cauſa id expoſceret. S. Irenæus [x], Jeſu Chriſti Divinitati probandæ ſtudens, ſæpe hanc Joannis Epiſtolam, imò & ipſum Epiſtolæ quintum caput producit, versûs tamen ſeptimi nunquam meminit. S. Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus, ad Paulum Samoſatenſem ſcribens, verſum octavum ſæpe allegat; verſum ſeptimum, qui Chriſti Divinitatem, & ipſam Trinitatem, quam tuebatur, luculenter probat, nunquam producit.

(x) *Iren. l. 3, c. 18, num. 16, in nov. edit.*

Hunc etiam a Patribus Græcis, ante Nicænum Concilium, nunquam allegatum, Millius putat. S. Athanaſius, qui vitam fermè omnem Arianorum oppugnatione tranſmiſit, quamvis nullam Scripturæ authoritatem ſibi faventem præterire ſoleret, hujus quàm maximè faventis nuſquam meminit. S. Epiphanius, Sardicenſis Concilii Patres, & Baſilius Magnus, S. Alexander Alexandriæ Epiſcopus, S. Gregorius Nyſſenus, S. Gregorius Nazianzenus, Didymus, S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus Alexandrinus, & alii plurimi, qui cum hoſtibus Jeſu Chriſti & Spiritûs Sancti Divinitatem impugnantibus diſceptationes perſæpe inſtituerunt, nunquam hoc uſi ſunt loco, qui ad unam Trinitatis ſubſtantiam comprobandam præ cæteris confert. Quamobrem in eorum Exemplaribus nunquam allatum certò conſtat; ſi enim locum adeò Trinitati faventem inveniſſent, tot utique Patres minimè neglexiſſent.

Latini etiam Patres, æquè ac Græci, ignoraſſe videntur. Author Tractatûs de hæreticorum baptiſmate, omnium conſenſu vetuſtiſſimi, S. Cypriani operibus inſerti, ſextum & octavum hujus quinti capitis verſus connexos affert, ſeptimum omittit. Novatianus in Libro de Trinitate ad Verbi Divinitatem probandam plura congerit; hunc locum, omnium validiſſimum, non memorat. S. Hilarius, qui plurimum de Trinitate ſcripſit, eumdem præterit; Lucifer Calaritanus neque in Tractatu *de non conveniendo cum hæreticis*, neque in aliis ejus unquam meminit.

S. Ambroſius (y) ſextum & octavum verſiculum nectit, ſeptimum omittit: *Per aquam & ſpiritum venit Chriſtus Jeſus. Non ſolùm in aquam, ſed per aquam & ſanguinem, & ſpiritûs teſtimonium, quoniam ſpiritus eſt veritatis. Quia tres ſunt teſtes, ſpiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu.* Apud Phæbadium Aginenſem Epiſcopum, & Fauſtinum, qui & de Trinitate, & contra Arianos ſcripſere, hujus loci nulla mentio. Apud Hieronymum de eo perpetuum ſilentium. S. Auguſtinus, præterquamquòd ejus nunquam meminit, in ſuis Exemplaribus eum defuiſſe ſatis innuit (z); poſtquam enim hæc recitavit, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, ſanguis, & aqua*, tribus his Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum deſigna-

(y) *Ambroſ. l. 3 de Spiritu S. c. 11.*

(z) *Aug. lib. 2 contr. Maximin. c. 22, n. 3, pag. 726.*

ri aſſerit, & aliis Scripturæ locis eò coactè deductis probavit. Si verò in ſuis Exemplaribus legiſſet, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, an & hic & alibi hæc verba, quæ Filii & Spiritûs Sancti Divinitatem, & unam cum Patre ſubſtantiam perſpicuè præferunt, producere prætermiſiſſet?

De quo etiam loco ne verbum quidem apud Leonem Magnum, cujus, in Epiſtolâ ad Flavianum, eumdem producere magni intererat. Facundus Hermianenſis Epiſcopus (a) octavum verſiculum affert, eumque de Trinitate explicans, *Spiritus*, inquit, Patrem ſignificat, juxta illud (b): *Deus ſpiritus eſt*; *aqua* Spiritum Sanctum, de quo illud (c): *Qui credit in me*, nempe Spiritum Sanctum accipit, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. *Sanguis* denique Jeſum Chriſtum noſtrâ carne indutum deſignat. Quæ explicatio, ex Auguſtino deprompta, vulgò deinde afferebatur; nemo autem ad eam confugiſſet, ſi in ſuis Exemplaribus verſiculum ſeptimum legiſſet. Cerealis contra Maximinum ſcribens, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti unitatem conatur oſtendere; licèt verò plurimas eâ de re authoritates proferat, hanc Joannis, præ cæteris ſibi faventem, ſilet.

(a) Facund. l. 1. c. 3.
(b) Jo. IV, 24.
(c) Jo. VII, 38.

Beda demum, cæterique, qui in hanc Joannis Epiſtolam ſcripſere, numquam celebris hujus loci meminerunt; quem in ſuis Exemplaribus minimè reperiſſe, ſatis ſuperque oſtendunt. Didymus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, ſex Græcorum Catenæ, quas Simonius hac de re conſuluit, ſeptimum verſiculum omittunt. S. Eucherius (d) hæc explicans, *Tres ſunt qui dant teſtimonium, aqua, ſanguis & ſpiritus*, aquâ Patrem, Chriſtum ſanguine, ſpiritu Spiritum Sanctum deſignari aſſeruit; & ſeptimum verſiculum, quemadmodum S. Auguſtinus, & Facundus, ad ſuam ſententiam quammaximè conferentem, nequaquam exhibuit.

(d) Eucher. quæſt. in N. T.

Ex quibus omnibus ſatis oſtenditur, ſeptimum hunc verſiculum, uſque ad ſeptimum & octavum ſæculum, lectum minimè fuiſſe ab Eccleſiis Orientalibus, neque a Syriacâ, neque a Romanâ, & Africanâ, neque a Mediolanenſi, & Gallicâ, neque demum a Sardinienſi, & Britannicâ. Non ab Eccleſiis Orientalibus, quòd a Græcis & Mſs. & Patribus nunquam afferatur; non a Syriacâ, quòd ejus & cæterarum etiam Eccleſiarum Græco ſermone non utentium Biblia eumdem locum & in præſenti omittant; non a Romanâ, quòd Leo & Novarianus ejus nuſquam meminerint; non ab Africanâ, quòd is ab Auguſtino, Cereali, Junilio, & Facundo nullibi allegetur; non a Mediolanenſi, quòd apud Ambroſium perpetuum ſit de eo ſilentium; non a Gallicanâ, quòd S. Hilarius, S. Phæbadius, & S. Eucherius eum nunquam producant, neque in Lectionario recenſeatur, quod ab hac Eccleſiâ quondam adhibitum P. Mabillonius evulgavit; non denique a Sardinienſi & Britannicâ, quòd eum Lucifer Calaritanus, & Ven. Beda ne verbo quidem unquam tetigerint. Quamobrem illud undique veri ſpeciem magis præfert, quòd locus iſte primùm, gloſſarum inſtar, aliquorum Exemplarium margini adſcriptus, in ipſum deinde Textum irrepſerit.

Quæ quidem veri ſimilitudo inde ſibi majorem vindicat fidem, quòd certo facto innitatur, quo locus in diſceptationem adductus, in pluribus Latinis Mſs. vetuſtiſſimis adſcriptus margini exhibetur. Cùm verò & alia a Librorum margine in eorum Textum effluxiſſe ſciamus, & hic idem contigiſſe non immeritò arbitramur. Catholici fortè nonnulli Fidei ſtudioſi animadvertentes, qua vi locus iſte Arianos, Macedonianos, & cæteros Trinitatis adverſarios oppugnet, ab Exemplarium margine in Textum tranſtulere. Quod profectò tum minime præſtitum fuit, cùm diſceptatio arderet; Ariani enim Textum vitiatum Catholicis exprobraſſent: ſed nono ſeu decimo ſæculo cœptum fieri putatur, cùm ab eâ ætate in Textum ſenſim irrepſiſſe videatur. De Arianis verò, quòd locum a Textu divulſerint, ſuſpicio eſſe non poteſt; Catholici enim, quorum ſemper frequentia floruit, fraude productâ, eos pravæ fidei inſimulaſſent. Exemplaria prætereà, quæ apud præcipuas Orientis & Occidentis Eccleſias, ſervabantur, Arianorum in poteſtate non erant; quare iis, quamlibet authoritatem vindicarent, ne verbum quidem ab Joannis Textu divellere unquam licuiſſet.

Grotius non modò ab Arianis verſiculum ſeptimum non evulſum, ſed ab iiſdem inſertum ſuſpicatur, ut Patris, Filii, & Spiritûs Sancti unitatem, non eſſe unitatem ſubſtantiæ, ſed teſtimonii, ei ſimilem, qua ſpiritus, aqua, & ſanguis unum ſunt, oſtenderent. Quæ tamen conjectura nullo valido nititur argumento: locus etiam, de quo quærimus, magis quàm faveat, Arianis adverſatur. Veterum præterea nemini hujuſmodi unquam de Arianis ſuſpicio fuit. Ipſi Ariani ad ſua dogmata confirmanda eum locum nunquam allegant; & Patres, qui eos impugnarunt, ad unam Trinitatis ſubſtantiam comprobandam, verſiculum octavum de ſpiritûs, aquæ, & ſanguinis teſtimonio proferunt; ſeptimum verò, multò magis ſibi faventem, ſi noſſent, utique protuliſſent.

Celebris affertur locus, quem S. Hieronymo tribuunt, ubi S. Doctor Interpretibus, qui Joannis Epiſtolam ex Græco Latinè reddiderunt, infidelitatem exprobrat,

quod

quòd nempe Patris, Verbi, & Spiritûs Sancti, quammaximè Catholicæ Fidei conducens, & unam Trinitatis ſubſtantiam validiſſimè ſtabiliens, teſtimonium prætermiſerint (e): *In qua ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe fidei veritate comperimus: trium tantùm vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & spiritûs, in ſuâ editione ponentes; & Patris, Verbique, ac Spiritûs teſtimonium omittentes; in quo maximè & Fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, ac Spiritûs Sancti una Divinitatis ſubſtantia comprobatur.* Si hæc ſunt Hieronymi, Manuſcriptorum varietas vel in librarios, qui neglexerint, vel in Interpretes, qui magni ponderis locum prætetierint, eſſet utique referenda.

Doctiſſimi verò Critici hujus Præfationis Authorem eſſe Hieronymum omninò negant. Eraſmus de ejus falſitate ſuſpicatus, quis Præfationes in Libros Evangelio appoſitas confecerit, incertum aſſerit (f). Simonius etiam Hieronymo falsò tribui tuetur; quam quidem ſententiam Martianæus in ſuâ novâ S. Hieronymi editione quinque argumentis fulcit.

I, Præfationis Author *Septem Epiſtolas* vocat *Canonicas*; Hieronymus verò *Catholicas* ſemper appellat. II, Epiſtolas apud Græcos Orthodoxos diverſo, quàm apud Latinos, ordine collocari narrat: *Non idem ordo eſt apud Græcos, qui integrè ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, Epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, qui in Latinis Codicibus invenitur*: quod quidem Hieronymus nunquam diceret; optimè enim eas noverat, a Laodicenſi Concilio (g), Euſebio (h), Cyrillo Jeroſolymitano (i), Athanaſio (k), Gregorio Nazianzeno (l), Joanne Damaſceno (m), & Mſs. denique Græcis eodem, quo a nobis, ordine numerari. Hæc tamen non eſt mens Authoris, qui illud tantummodo innuit, quòd cùm Latina Exemplaria cum Græcis in Epiſtolis diſtribuendis ſuâ ætate non convenirent, ipſe Græcos imitatus, naturali eaſdem ordini reſtituerat. Quod quidem liquidò conſtat; noſque in præfatione ad Canonicas Epiſtolas, ab Auguſtino, & poſt ipſum, & poſt Hieronymum ab aliis, adhuc veteri ordine, alio ab eo, quo nunc & apud Græcos, & apud Latinos diſtribuuntur, collocari ſolitas jam oſtendimus.

III, Epiſtolas Canonicas priori & vetuſtiſſimo ordini ſe reſtituiſſe, veluti quid magni ponderis is Author oſtentat; quod cùm minimi interſit, Hieronymus utique non extuliſſet. IV, Hujus Præfationis ſtylus cum cæteris Hieronymi Operibus non omninò congruit. V, Ipſe Hieronymus Canonicas Epiſtolas eo quo in Mſs. ordine non diſtribuebat; Caſſiodorus enim, Librorum Catalogum juxta Hieronymum exhibens (n), primùm geminas Petri Epiſtolas, deinde Pauli quatuordecim, tertiò tres Joannis, poſtea unicam Judæ, unicam denique Jacobi recenſet. Ex his argumentis ſingula eâdem æquè vi minimè urgent; ſimul verò congeſta hujus ſaltem Præfationis veritatem in ſuſpicionem adducunt; quæ adhuc, meâ ſententiâ, incertior idcircò redditur, quòd S. Hieronymus hunc Joannis Epiſtolæ locum in ſuis Operibus nuſquam allegaverit.

Eraſmus verò (o), poſt quem & Socinus, Clericus [p], Ketnerus (q) & Bukentopius [r] ejusdem Præfationis Authorem Hieronymum eſſe defendunt, & inde varia quidem pro libito, ſed ſibi faventia quisque argumenta ducit. Eraſmus, Socinus, & Clericus Hieronymum inſimulant, quòd in vetuſtis Græcis Exemplaribus trium teſtium locum, ut a noſtris Bibliis afferrur, certus de contrario, fuiſſe aſſeruit. Ketnerus, & Bukentopius S. Hieronymi ætate verſiculum ſeptimum Joannis Epiſtolæ a ſinceris Mſs. Græcis allatum ſtatuunt; quamvis plura vagarentur Exemplaria, a quibus librariorum incuria & infidelitas eumdem divulſerat.

Nos verò hanc veluti nullius authoritatis Præfationem libentiùs rejicimus, quàm in hæc prorſus abſona deſcendamus. S. Hieronymus eâ ſanè erat eruditione, ut quid ſuæ ætatis Manuſcripta referrent, difficilè ignotaverit; eâ præditus fide, ut mendacio ſe obſtringere omnino reſpuerit: eâ denique animi moderatione & ſapientiâ, ut ab eo, quod non præſtitit, oſtentando penitus abſtinuerit. Nos itaque, quod primò ſtatuimus, iterum concludimus, nempe in Veterum Græcorum, Latinorum Mſs. & Verſionum Orientalium plurimis locum iſtum defuiſſe; quòd is Occidentis æquè ac Orientis Patrum pleroſque latuerit; quòd ab Arianis neque additus, neque divulſus, neque etiam a Catholicis inſertus oſtendi poſſit. Verùm priusquam ejusdem loci authoritati ſeu faventem ſeu contrariam ſententiam pronunciemus, ſicuti argumenta eam impugnantia retulimus, ita ea, quæ defendunt, afferemus.

(e) *Vide Prolog. vulgatum D. Hieron. in Ep. Canonic.*

(f) *Eraſm. Cenſur. Præfat. in Jo. tom. 3 Ep. Hieron.*

(g) *Concil. Laodic. can. 60.*

(h) *Euſeb. l. 3 Hiſt. c. 25.*

(i) *Cyrill. Jeroſol. Catech. 4.*

(k) *Athanaſ. Epiſt. Feſtivâ, & in Synopſi.*

(l) *Gregor. Nazian. Carm. de Genui. Script.*

(m) *Damaſc. l. 4 de Fide Orthodox. c. 18.*

(n) *Caſſiodor. lib. de Inſtitut. Divin. lit. c. 8.*

(o) *Eraſm. loc. cit.*

(p) *Bibliotb. Univerſ. ann. 1709. p. 453: & in Quæſtionib. Hieron.*

(q) *Differt. in hunc loc.*

(r) *Bukentop. Lux de Luce, l. 2, pag. 306.*

ARTICULUS II.

Argumenta de canonicâ bujus loci authoritate.

UT celebrem hunc Joannis Epiſtolæ locum canonicum eſſe, & vel ab initio in Textu nunquam defuiſſe oſtendant, Mſs. Verſionum, Patrum, & Conciliorum teſtimonium proferunt; cui ſimilitudines veri, & congrua quædam argumenta adjiciunt. Quamvis Mſs. vetera, quæ eo loco carent, frequentiora occurrant; ea nihilominus, quæ locum vel in Textu connexum, vel margini adſcriptum afferunt, & plurima ſunt, & vetuſtiſſima. Eraſmus, qui in geminis Novi Teſtamenti Græci & Larini Editionibus eum prætereierat, Magnæ Britaniæ [s] Manuſcripto fidens, tertiæ demum appoſuit.

Theologi, quos Cardinalis Ximenius Editioni Complutenſi adornandæ adhibuit, alicujus ſanè Mſs. optimi authoritate ducti, ipſi Textui eumdem locum inſeruere: id enim per ſe ipſos præſtitiſſe, ſuſpicari jure non poſſumus, cùm in Præfatione adhibita a ſe fuiſſe aſſeruerint *Exemplaria antiquiſſima, quibus fidem abrogare nefas videbatur.*

Robertus Stephanus, poſtquam e Regiâ & aliis Bibliothecis Mſs. *antiquiſſima, & vetuſtatis ſpecie penè adoranda* eruerat, atque perpenderat, ſuam, cui locum tunc intexuit, Editionem anno 1550 vulgavit. Quot Manuſcripta in Epiſtolis Canonicis exhibendis ſequutus ſit, Eruditi non conveniunt. Plurimi ex ſeptem ſingulis, quæ collegerat, eam lectionem decerptam putarunt; Rogerius verò [t] e ſolâ Complutenſi erutam (u), apertè, quantum capio, demonſtrat.

Editio quoque Frobenii, anno 1541 Baſileæ excuſa, Editio Hervagii, denique cæteræ omnes Græcæ Novi Teſtamenti Editiones, præter nonnullas, quarum ante meminimus, Textui ſeptimum verſiculum interſeruere. Eraſmus ſuis Editionibus anni 1516 & 1519, aliis etiam viam ſtraviſſe videtur, ut eum verſiculum præterirent, quem & in ſuâ anni 1518 Aldus Manutius omiſit. Hagenoenſis verò editio anni 1521, Argentoratenſis 1524, & Pariſienſis Colinæi 1534, ex Manuſcriptis non videntur depromptæ, eâ enim de re nil apud Typographos, aut Editores: quare editiones ex aliis editionibus exſcriptæ tantummodò habendæ.

Alias igitur producere, uti a Chriſtophoro Sandio factum eſt, ex iiſdem decerptas, ſupervacaneum ducimus; hæ enim omnes unicam tantùm conſtituunt, cùm vel priorum Eraſmi vel Manutii ſint exempla. Eraſmum tandem veritatem amplexum ſupra retulimus, cùm in tertiâ anni 1522 Editione ſeptimum verſiculum Textui inſeruerit; quamquam deinde a ſententiâ diſceſſiſſe videtur, quòd Anglici Manuſcripti, cui primùm adhæſerat, authoritatem vel prorſus evertere, vel ſaltem infirmare laboraverit.

Simonius [x], quamvis verſiculo ſeptimo adverſetur, Mſs. in quibus deeſt, ſexcentos antiquitatis annos non prætergredi, & in vetuſtis plurimis eumdem locum margini adſcribi, ultrò ſatetur. Græca, quæ nunc eſt, Eccleſia eumdem ita probat, ut in ejus Lectionario, Venetiis anno 1602 edito, quod in cœtibus legit, & *Apoſtolon* vocat, locus idem referatur; & Rubricâ jubeat, illum feriâ quintâ hebdomadæ a Paſchate trigeſimæquintæ legi. Eadem præthereà Eccleſia in ſuâ Fidei Confeſſione poſtremò editâ, unam omnium Trinitatis Perſonarum eſſentiam eſſe teſtatur: quod inſuper probatura, hunc locum apertè producit.

Marchionis de Velez Codices hîc præterimus, quòd ad Vulgatam reſtaurati credantur; quare lectioni, de qua quærimus, minimè ſerviunt. In quodam Mſs. Græco, ſatis recenti, cujus meminit P. Le Long (y), & in Græco Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III fragmento, in quo judicium quoddam, ſeu Inſtructio ejuſdem Concilii, ad quod & Græci convenere, exhibetur, ſententiam hanc totidem verbis legimus; quam etiam afferunt Armena Verſio [z], & Verſio Italica, quam ex Græco depromptam edidit Antonius Brucioli Venetiis, anno 1532.

Ejuſdem verò lectio in Latinis Mſs. frequentior, quàm in Græcis. Duo Conſtantiæ Latina Mſs. & tertium Baſileæ, quæ locum exhibent, Eraſmus allegat. Joannes Gerardus, & Keinerus duo Jenenſis Academiæ Mſs. & Lucas Brugenſis aliud S. Andreæ memorant, quæ locum producunt. Mſs. optimum apud PP. Prædicatores Pariſiis, anno 1234, ut ajunt, Jordanis Ordinis ejuſdem Generalis juſſu exaratum; & Vetus Sorbonæ Correctorium, juxta Simonium, ſæculo decimo exſcriptum, locum eumdem oſtendunt.

Lucas Brugenſis, qui de Lovanienſium Theologorum mandato Vulgatam cum Mſs. triginta & quinque contulit, eorum quinque tantùm recenſet, in quibus hic verſiculus deerat. In pluribus ex his Exemplaribus Canonicas fortè Epiſtolas defuiſ-

ſe

(s) N. T. Edit. 3, ann. 1522, *ſic habet*: Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, Πατὴρ, Λόγος, καὶ Πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσι μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα. Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων, *&c.*

(t) *Roger. Diſſert.* § 3, *pag.* 9, *& ſeq.*

(u) *Complut. ann.* 1626, *ſic legit*: Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, καὶ ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. Εἰ τὴν μαρτυρίαν, *&c.*

(x) Simon, Diſſert. Critiq. des Mſs. N. T.

(y) *Biblioth. Sacr. tom.* 1, *pag.* 672. *Vide & Roger. Diſſert. in hunc loc. pag.* 120, 121.

(z) *Mill. ex Guillelm. Giſa.*

ſe fatemur; ſed mirum profectò, quòd quinque tantummodò easdem complecterentur.

In quodam vetuſtiſſimo Abbatiæ S. Germani a Pratis Mſ. anno 809 exarato, noſter quidem, ſed nonnihil varius, locus exhibetur [a]; quem adhuc plurima ex Regis & Colberti Bibliothecis Vetera Mſs. margini adſcriptum afferunt. Heſſelio teſte, in pluribus etiam Miſſalibus invenitur, & olim canebatur, ſicuti & nunc canitur, in ultimo Matutini reſponſorio, Dominicâ qualibet a Feſto SS. Trinitatis usque ad Adventum [b]. In plurimis denique & Mſs. & editis Vulgatæ exemplaribus affertur (c), licèt in eorum nonnullis octavus verſiculus ſeptimo ſic præponatur: [℣. 8.] *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* (℣. 7.) *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt.*

Quamvis Lutherus aliquibus Græcis illius ætatis, Hagenoënſi, v. g. anni 1521, aut Aldi 1518, Editionibus fortè ductus, verſiculum ſeptimum in Germanicâ Verſione ſuppreſſerit; Lutherani nihilominus ſuis deinde Bibliis inſeruerunt; quod, addebant, & ab ipſo Luthero præſtitum ſanè fuiſſet, ſi adhuc vivens Roberti Stephani Editionem vidiſſet: tanti celebertimum hunc Typographum faciebat (d).

Calviniſtæ eumdem in ſuis Bibliis conſtanter retinent. Theodorus Beza, licèt a pluribus Græcis Exemplaribus omiſſum ſciret, tamen non omittendum tuetur; quem & Diodati in ſuâ Italicâ Verſione ſervavit.

Ad Patrum teſtimonium nunc progrediamur. Primò tamen unà cum Boſſueto Meldenſi [e] Epiſcopo, Patrum authoritatem præ Mſs. habendam eſſe advertimus, tum quòd Patres fermè omnes Libris, qui ad nos pervenere, vetuſtiores ſint; ubi enim Liber, qui, v. g. Tertulliani aut S. Cypriani ætatem attingat? tum quòd Patrum teſtimonium cum eorum ætatis hiſtoriis, & cum ejusdem temporis Eccleſiæ authoritate cohæreat: unde etiam fit, ut Patres majorem quam Codices ſibi fidem vindicent ac dignitatem. Si S. Cyprianus, & Tertullianus ſeptimum verſiculum allegent, utique eorum ætate illum Exemplaria afferebant, isque vel tunc doctrinam & Eccleſiæ Fidem referebat; non enim quid indifferens præſert, ſed noſtræ Fidei dogma præcipuum: quamobtem utrumque æque difficile & arduum, vel ab Exemplaribus divellere, ſi adeſſet, vel iiſdem inſerere, ſi deeſſet.

Tertullianus [f] ad hunc locum alludit, cùm Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam eſſe ſubſtantiam aſſerit, non verò unam tantùm perſonam: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paraclito tres efficit cohærentes alterum ex altero, qui tres unum ſunt, non unus. Quomodo dictum eſt: Ego & Pater unum ſumus; ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.*

S. Cyprianus, quorumdam hæreticorum baptiſmum nullum eſſe defendens, ita ratiocinatur (g): *Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remiſſam peccatorum conſequi potuit: ſi peccatorum remiſſum conſecutus eſt, & ſanctificatus eſt, & Templum Dei factus eſt. Quæro, cujus Dei? Si Creatoris; non potuit, qui eum non credidit: ſi Chriſti; nec hujus fieri poteſt Templum, qui negat Deum Chriſtum, ſi Spiritûs Sancti, cùm tres unum ſint, quomodo Spiritus Sanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris aut Filii inimicus eſt?* Alibi etiam apertiùs Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti unam tantummodò eſſe ſubſtantiam, per Scripturam præferri teſtatur (h): *Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus: & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt.*

Simonius tantâ authoritate perculſus [i], S. Cyprianum explicare conatur. S. Martyr, inquit, non verſiculum ſeptimum, qui Patris, Verbi, & Sancti Spiritûs teſtimonium complectitur, allegavit, ſed verſiculum octavum: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terrâ, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Quare, addit, *ſpiritûs* nomine Patrem, nomine *ſanguinis* Filium, *aquæ* demum nomine Spiritum Sanctum deſignavit. Quam quidem conjecturam Facundi Hermianenſis Epiſcopi (k) teſtimonio fulcit, qui ſexto ſæculo ſcribens, verſiculum octavum eâdem explanatione interpretatur, & ſuam ſententiam S. Cypriani authoritate confirmat.

Quin verò ad varias hujus difficultatis ſolutiones confugiamus, hanc ſatis eſt exhibere. Facundus in ſuo Epiſtolæ Joannis Exemplari verſiculum ſeptimum minimè legebat, ſed tantummodò octavum, de quo inter omnes convenit. Cùm verò ad unam Trinitatis eſſentiam comprobandam a Cypriano illud advertiſſet adhibitum, *Et hi tres unum ſunt*, quod, totam evolvens Scripturam, nonniſi in octavo capitis quinti primæ Joannis Epiſtolæ verſiculo invenerat, S. Auguſtini explanationem octavi verſiculi ſeu tropicam, ſeu SS. Trinitati accommodatam produxit, eique ſe maximam

(a) Mſ. hæc habet: *Sunt tres, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & tres unum ſunt: & tres ſunt, qui de Cœlo teſtificantur, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt.* Super lineam ad illud, *teſtimonium dant*, adjectum legitur, *in terrâ*.

(b) In quodam Breviario Romano Mſ. annorum quadringentorum, in nullo ex novem Reſponſoriis Matutini SS. Trinitatis legitur; ſicuti neque in conſequentibus ordine Dominicis; in quarum tertio nocturno repetenda hæc Reſponſoria præſcribuntur. Sed Capitulum Tertiæ Feſti SS. Trinitatis ita conceptum eſt: *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas: quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

(c) *Cod. S. Andreæ, a Luca Brugenſi citatus, Codd. 2 Conſtantienſes ab Eraſmo laudati; Cod. Dominicanorum Pariſ. Codd. 3 Bibliotb. Bodlejana; Cod. S. Germani ann. 809, Codex Argenteus. Cod. Venet. & Cod. Florentin. viſi Gilberto Burneto; Idacius contra Varimaud. & alii.*

(d) *Tubingenſ. Lutherani contr. Schererum, & Scherrer. ipſe apud Serar. qu. 1, in cap. 5 Libri Judith. & Commentar. in 1 Joan. v, 7. Vide Roger. Differt. pag. 132, 133.* (e) *Cenſura adverſ. N. T. Simonii.*
(f) *Tertull. contr. Praxeam, cap. 25.* (g) *Cyprian. Epiſt. ad Jubajanum.* (h) *Cyprian. de unitat. Eccleſ.*
(i) *Simon. Hiſtor. Critic. N. T. c. 58.* (k) *Facund. l. 1, c. 3, de tribus Capitulis.*

ximam vindicaturum authoritatem credidit, ubi eamdem S. Cypriani nomine vindicaſſet.

S. Auguſtinus [l], & Facundus de unâ Trinitatis ſubſtantiâ cum S. Cypriano utique conſentiebant; at locum, quo Cyprianus ad ſuam ſententiam confirmandam uſus eſt, ignorantes, eidem Myſterio alium accommodarunt. Verùm inter vim & robur loci a S. Cypriano adhibiti, & explicationem a S. Auguſtino & Facundo præſtitam, multum intereſt. Cypriani enim textus ſententiam ſuam perſpicuè & ad verbum comprobar; Auguſtinus verò & Facundus aliis textibus & interpretationibus allatam explicationem idcircò fulciunt, quòd locum, quem allegant, non ad literam, ſed tropicè accipiant; tropicæ autem explicationes, ubi de Fidei rebus agitur, nil certò adſtruunt.

His adhuc vetuſtiores ejuſdem Africanæ Eccleſiæ teſtes producimus, Fulgentium nempe, & Eugenium, hunc Carthaginienſem, illum Ruſpenſem Epiſcopos, Vigilium Tapſenſem, & quadringentos alios Epiſcopos, qui ad Trinitatis Fidem ſtabiliendam eumdem ſeptimum verſiculum proferunt. Cui major habenda eſt fides? Facundo ne, qui in remotiſſimâ degens regione, Bizantii ſcilicet, ſuum de tribus Capitulis Tractatum edidit, & S. Cyprianum ita loquentem inducit, ut nihil minùs quàm Cyprianum referat? S. enim Martyr allegoricas ac tropicas explicationes perrarò profert. An Fulgentio, Eugenio, Vigilio, & quadringentis Epiſcopis, qui mediâ in Africâ ſimplici & proclivi oratione ſcripſerunt? Ecce eorumdem Epiſcoporum verba, qui Hunerico Vandalorum Regi, in quadam Fidei Profeſſione, anno 484 ſuam de Trinitate ſententiam exhibuere (m): *Et ut adhuc luce clariùs unius Divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur: ait namque: Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt.*

Hic igitur locus in Eccleſiæ Africanæ Exemplaribus legebatur. Eumdem igitur Epiſcopi omnes, qui memoratæ Fidei Profeſſioni ſubſcripſere, authenticum probarunt; de cujus canonicâ authoritate non modò apud Catholicos ambiguitas nulla, verùm etiam apud ipſos Hunerici ſubditos Arianos; quibus enim ſeſe contumeliis tot Epiſcopi non obtuliſſent, ſi Eccleſiæ Fidem defendentes ſub Ariano, & Arianis Epiſcopis aſſiduè ſtipato Principe, locum ab iis vel non agnitum, vel rejectum allegaſſent? S. Fulgentius non ſemel tantùm, ſed ter in tribus contra Arianos Operibus eum profert, & a S. Martyre Cypriano, eodem, quo a ſe ipſo afferebatur, ſenſu allegatum aſſerit (n). Vigilius Tapſenſis, qui ſexto ſæculo in Africâ ſcribebat, ejuſdem meminit; & Author Pſeudo-Decretalium, quas Hygino & Joanni II Pontificibus adſcribit, verſiculum apertè producit. Octavo fortè ſæculo is floruit, & eum in Bibliis locum ſemper allatum fuiſſe, pro certo habuit, cùm duos eum allegantes inducat Pontifices, quorum alter ſecundo, alter ſexto ſæculo imperabat.

Iterum hic non verſamus id quod jam diximus de Authore Præfationis in Epiſtolas Canonicas, Hieronymi nomine evulgatæ, qui eumdem locum apertè profert. Is verò novem ampliùs ante ſæcula floruit; ejus enim Præfationem in ejuſdem ætatis Mſſ. habemus. Idacius [o] ſeptimum, de quo agimus, verſiculum in libro contra Varimandum apertè affert, ſive eum librum, juxta Criticos complures, Vigilius Tapſenſis ſexti ſæculi Scriptor confecerit; ſive is Idacio Hiſpano in Gallæciâ Epiſcopo, quinti ſæculi authori, juxta Montfauconium, tribuatur (p). Vigilius Tapſenſis in opere, quod ipſius eſſe ambigit nemo [q], licèt S. Athanaſio quondam adſcriberetur, eumdem verſiculum allegat. Hactenus teſtes Eccleſiæ Latinæ: ad Græcos pergamus.

Author Diſputationis adversùs Arianos in Concilio Nicæno habitæ, quam S. Athanaſio tribuunt, ad unam trium Perſonarum naturam probandam hæc veluti Joannis verba allegat: *Et hi tres unum ſunt* (r). Hunc verò, licèt Athanaſium non eſſe certò ſciamus, vetuſtiſſimum tamen eſſe vulgò conveniunt. Author Tractatûs de *unicâ Deitate Trinitatis*, totum ita Textum producit [s]: *Dicente Joanne Evangeliſtâ in Epiſtolâ ſuâ: Tres ſunt qui teſtimonium dicunt in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*.

Patres Lateranenſes ſub Innocentio III, cui Synodo Conſtantinopolitanus & Jeroſolymitanus, & per Legatos Alexandrinus etiam & Antiochenus Patriarchæ, unà cum plurimis Græcæ Eccleſiæ Epiſcopis adſuere, Inſtructionem ediderunt, qua Joannis locus, utrique probatus Eccleſiæ [t], ad Fidei dogma fulciendum affertur.

Ibi

(l) *Auguſt. contr. Maximin. l. 2, c. 22.*

(m) *Apud Victor. Vitenſ. l. 3 de Perſecution. Vandal.*

(n) *Fulgent. l. de Trinit. c. 4: Ego, inquit, & Patre unum ſumus; unum ad naturam referre nos docet; ſumus, ad perſonas: ſimiliter & illud: Tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum ſunt. Idem in defenſione Fidei. Item in lib. Reſponſionum contr. Arianos, Reſp. 10: Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt. Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtolâ de unitate Eccleſiæ confitetur, dicens... Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus; & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et tres unum ſunt.*

(o) *Idacius, l. 1, c. 5, contr. Varimand.*

(p) *Bernard. de Montfaucon, admonit. in lib. de Trinitat. Athanaſ. ſuppoſit.*

(q) *Vigil. Altercat. adverſ. Arium, Sabellium, & Photinum, l. 2, n. 45.*

(r) *Author Diſput. in Concil. Nic. inter Opera S. Athanaſ.* Πρὸς δὲ τούτοις πᾶσι Ἰωάννης φάσκει, ϗ οἱ τρεῖς τὸ ἕν εἰσι. (s) *Inter opera S. Athanaſ.*

(t) *Fragment. Concil. Later. IV, in Edit. Labb.* Οὖν τρίτον ἐν τῇ κανονικῇ τοῦ Ἰωάννου Ἐπιστολῇ ἀναγινώσκεται, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, Λόγος, καὶ Πνεῦμα ἅγιον. Καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Εὐθὺς προστίθησι καθὼς ἔν τισι κώδιξιν εὑρίσκεται.

Ibi etiam (u) verba, *Et hi tres unum ſunt*, in quibuſdam Exemplaribus poſt octavum verſiculum collocari dicuntur; quod tamen Innocentius III, S. Thomas Aquinas, & Patres hujus Concilii hoc inverſo ordine in bonis Exemplaribus legi debere negarunt. Manuel Calecas, ſæculi decimitertii Scriptor, qui Lugdunenſi Concilio adfuit, eumdem locum veluti Canonicum producit (x).

Poſtquam & faventia & contraria hujus loci authoritati argumenta attulimus, ſtatuendum eſt, excipiendus ne ſit tamquam Canonicus, an tamquam additititus rejiciendus. Res verò tota in eo ſita eſt, ut an ab initio in Joannis Epiſtolâ locum habuerit, ſciamus; ſi enim initio defuit, nullâ quidem authoritate adigi poſſumus, ut veluti canonico deferamus. Ipſa Eccleſia, quæ ſint Scripturæ Sacræ, poteſt utique pronunciare; non verò, quæ authenticæ non ſint, per ſe ipſa canonicas conſtituere. Catholici Scriptores plerique, duobus freti principiis, eumdem locum Joannis eſſe certò credunt, & canonicum tuentur; I, Quòd veterum Patrum quamplures tamquam Joannis textum allegaverint; & Africæ Eccleſia, quinto ſæculo, ſolemnibus & publicis Actis, ad Arianum Regem deferendis, inſeruerit, denique in veterum Exemplarium Græcorum æquè ac Latinorum plurimis afferatur.

II, Quòd Concilium Tridentinum omnes utriuſque Teſtamenti Libros cum omnibus ſuis partibus, & ſacros & Canonicos agnoverit (y): *Si quis Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in veteri Vulgatâ Editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Cùm verò & locus hic in Vulgatæ exemplaribus afferatur, & capitis quinti primæ Joannis Epiſtolæ partem conſtituat, cæterorum inſtar ſub anathematis pœnâ tamquam authenticus eſt excipiendus. Hæc argumenta ſunt, quibus ad fidem textui tamquam Canonico habendam omnino adigimur.

Proteſtantes, ſeu Lutherani, ſeu Calviniſtæ, Veterum monumentorum, Patrum, & Exemplarium, a quibus affertur, fide tantummodo dicti, eidem ſubſcribunt. Sociniani, iique omnes, qui eorum exemplo ejus veritatem impugnant, a Græcis Joannis prototypis nunquam allatum fuiſſe contendunt. Cur igitur a Tertulliano, S. Cypriano, S. Fulgentio, Vigilio Tapſenſi, Eugenio Carthaginienſi, & a totâ Africæ Eccleſiâ, adverſus Arianos ſcribente, disertè allegatur? Cur Ariani, quorum tanti inter erat illum evertere, nunquam auſi ſint ejuſdem falſitatem producere? Cur adhuc in veteri Anglico Mſ. & Latinis plurimis vetuſtate præclariſſimis legitur? Cur denique eorum, in quibus deerat, margini adſcriptus eſt?

Eum quidem, præter Africanam Eccleſiam, Veteribus Græcis & Latinis Patribus videri incognitum, neque in eorum exemplaribus allatum, & uſque ad ſeptimum & octavum ſæculum rarò in Mſſ. inveniri, ultrò fatemur. Id verò hinc fortè factum eſt, quòd ex primis Exemplaribus aliquod vel incuriâ, vel nimiâ librariorum feſtinatione imperfectè hoc in loco ex archetypo exſcriptum, occaſionem attulerit, ut deinde Exemplaria, & Verſiones ex iis deprompta imperfectæ evaderent. Quare his per Orbem ita diffuſis, obſequium, quod vetuſtati exhibebatur, cùm Exemplaria cum archetypis conferri non poſſent, Exemplaria etiam correctiſſima, quæ locum afferebant, in ſuſpicionem adduxit: tot propterea defluxere ſæcula, antequam error, & loci vitium deprehenderetur; quod vitium cùm primum nonniſi ſubobſcurè noſceretur, plures margini locum adſcribebant. Veritas deinde paulatim emicans, id præſtitit, ut ducentis amplius & quinquaginta ab hinc annis inter utramque Eccleſiam Græcam & Latinam eâ de re omnino convenerit.

Quod de Exemplaribus ex prototypo depromptis, & fortuitò per librarios vitiatis diximus, neque præter fidem eſt, neque præter morem. In Veteris Teſtamenti Exemplaribus plures diu perſtitere errores, quos ſola librariorum inſcitia, vel incuria invexit (z). Quod ſanè & quotidie contingit, præſertim cùm Textus, in quibus eadem verba pluries recurrunt, exſcribuntur; niſi enim maximam quis ſedulitatem, & conſuetâ majorem in recenſendo diligentiam adhibeat, error facile ſubrepit. Itaque cùm hæc verba, *Hi tres unum ſunt*, bis ſtatim hic recurrant, a primis ad poſtrema Amanuenſes deſiluere; cùmque eâ intermiſſione periodus ſignificationis vim non amiſerit, error diu latuit, donec per veterum Exemplarium collationem tandem deprehenſus eſt.

Cæterùm illud eſt advertendum, quòd primis Eccleſiæ ſæculis Canonicarum Epiſtolarum exemplaria rariora videbantur; ſicuti & nunc in vetuſtis Mſſ. perrarò inveniuntur. Prima Chriſtianorum ætas nimiis exagitata eſt perſecutionibus. Joannis prætereà Epiſtolæ neque ita neceſſariæ erant, neque ita communes iis & publicæ, quemadmodum cæteræ, quarum pleræque ad præcipuas Eccleſias miſſæ fuerant. Hæc præſertim Joannis prima, juxta Veteres, data fuit ad Parthos, nempe ad Judæos, qui ultra Euphratem Fidei ſe addixerant; ex quibus ſanè remotiſſimis regionibus, & Imperio Romano inſenſiſſimis, exſcripta ejuſdem Epiſtolæ exemplaria difficile nimiùm obtineri poterant. DIS-

(u) In Editione Conciliorum vacuum quoddam ſpatium relinquitur poſt illa verba, ἐν προσθήκῃ, tum ſubditur: Καθὼς ἐν τῷ κώδικι ἐμφέρεται. Omiſſum hoc loco integrum verſiculum 8 ſuſpicans Coſſartius, illum ad marginem ſupplevit. Verùm Simonius, Græco Bibliothecæ Regiæ conſulto, nullum reperit ſpatium vacuum; & egregiè demonſtrat, illis verbis inniti tantùm, illa *Et hi tres ſunt*, in quibuſdam Mſſ. octavo duntaxat verſiculo legi. Id autem probat ex loco Decretalis Innocentii III, ad Epiſcopum Ferrarienſem, & S. Thomæ contra Joachimum Abbatem. Vide Simonium, *Differt. Crit. des Mſſ. du N. T.*

(x) *Manuel Calecas, lib. de Princip. Fidei Catholic. apud Combefiſ. Auctuar. p. 319.*

(y) *Concil. Trid. ſeſſ. 4.*

(z) *Vide Martianaum, Not. in Prolog. S. Hier. in Ep. Canon. & Roger. Differt. in hunc loc. § 30, pag. 171.*

DISSERTATIO

De Moyſis Obitu, & Sepultura.

Vide *Ep. Judæ*, ℣. 9.

INſitâ erga res miras animi propenſione rapimur omnes; ſimplicibus eventibus, & factis communibus parum tangimur: miranda poſcimus, eſto fabuloſa ſint & ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poëſim & fabulas proſequimur; hinc voluptas, quam ex iiſdem percipimus. Qui primùm ex Græcis ſcripſere, Poëtas ſcimus [a]; cùm verò aggreſſi ſunt hiſtorias intexere, quadam poëſeos ſpecie easdem inſtruebant. Herodotus novem ſuarum Hiſtoriarum Libros novem Muſas appellavit; neque jucundiùs ſcribit, quàm cùm mirabiliter geſta, & fabuloſas populorum, de quibus agit, narrationes recenſet (*b*).

Si verò mirabilibus rapimur, præ cæteris ſanè veritatis amore ita capimur, ut iis omnino nunquam acquieſcamus, quæ a veritate diſcedunt. Mirabilia ipſa & poetica inventa, quibus maximè oblectamur, minimè arrident, niſi veri ſpeciem præſeferant. Nemo falli vult, neque rudibus & incongruis inventis paſci; & fabuloſa omnibus jucunda accidunt, dum veri coloribus exhibentur. Sacri utriuſque Teſtamenti Libri utraque, quibus adeò oblectamur, verum nempe & mirabile, mutuò ita connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia & amorem & reverentiam vindicant, cùm in eis undique veritas eluceſcat.

Judæi peſſimâ ingenii pravitate, & nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eòusque ſtuduerunt, ut nil ibi divinitus geſtum occurrat, quod novis inventis non auxerint. Hinc factum eſt, ut ſine elegantiâ, ſine delectu, ſine ingenio, quodque deterius eſt, ſine reverentiâ, quæ veritati & Hiſtoriis Divinis & Scripturis omnino eſt exhibenda, prodigiis prodigia ſæpiſſimè cumulaverint.

Vita & obitus Moyſis inter cæteras Bibliorum hiſtorias maximè vitiatæ ſunt inanibus inventis, quibus Authores Hebræi perpetuò abuti conſuevere. Joſephus [c] Hiſtoricus præcipua de Moyſis vitâ recenſet, quæ utique nonniſi ex Veterum traditionibus accepit, vel ex Libris Apocryphis, quales ſunt ii, quos Gaulminus anno 1629 Pariſiis edidit, atque ita inſcripſit: דברי ימים ופטרתו של משה רעה *& Aſſumptio*, ſeu Mors *Moyſis*.

Quos Libros nos ita parvipendimus, ut, quantum ad nos, æternæ oblivioni traditi penitus intercidiſſent. Cùm verò Judas Apoſtolus de morte & ſepulturâ Moyſis quid peculiare produxerit, quod ex aliquâ apocryphâ hujus Legiſlatoris vitâ hauſtum fuiſſe creditur, nos, ne id quod Judas refert, cum hujus inſulſi Operis reliquis confundatur; ne eidem Operi immerita proinde fides habeatur; ne denique Judæ narrationi obſequium & authoritas adimantur; Librum vitæ Moyſis producere, & id, quod inde Judas hauſit, noſque ſacrum & authenticum habemus, animadvertere ſtatuimus, ut idem ſecernatur a cæteris, quæ nullâ, præter Rabbinicam, authoritate nituntur.

Judas, ut a blasphemiis & a contumeliis omnino abſtinendum oſtenderet, *Cùm*, inquit (*d*), *Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* In Canonicis Libris hæc verba nuſquam reperiri, inter omnes convenit; quamvis ad illa Zachariæ alludant [*e*]: *Increpet Dominus in te, Satan.* Cùm verò a Juda eadem allegentur, authoritatem canonicam ſibi vindicant, & certiſſimam præſerunt veritatem.

Unde Judas hæc verba deſumpſerit, diſputatur. Quidam ipsâ Dei revelatione percepiſſe volunt; quidam a Patribus illum didiciſſe ſtatuunt; etenim ab Judæis plura ſcriptis minimè tradita, per ſeniorum narrationem nota erant. Doctiſſimi autem viri [*f*] probabiliùs cenſent, Judam ea deduxiſſe verba ex Libro *de Aſſumptione Moyſis*; Libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurima plurimis mixta fabulis referebat. Sacri Authores, utpote cœleſti lumine perfuſi, vera a falſis ſecernere optimè norant; quare quidquid certum ab iis recenſetur, certiorem ex ipſorum quàm ex hominum cæterorum teſtimonio, ſibi vindicat authoritatem. Hinc fit, ut idem Judas e Libro Henochi, quem prorſus ignoramus, aliquid alleget (*g*): & Paulus de Joanne & Mambre Pharaonis Magis, qui Moyſi obſtitere, verba faciat (*h*). Quæ quidem nos in Veteri Teſtamento nuſquam legimus; Apoſtoli verò nonniſi vel per traditionem, vel per Judæorum Libros Apocryphos agnovere.

Cùm

(a) *Strabo*, *l.* 1, *p.* 17: Πρῶτον ἐπὶ μύθους ἀνελέξαντο οὐχ οἱ ποιηταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις πολὺ πρότερον, καὶ οἱ νομοθέται τοῦ χρησίμου χάριν. Φιλειδήμων γὰρ ὁ ἄνθρωπος. Προοίμιον δὲ τούτου τὸ φιλόμυθον.

(b) *Strabo*, *l.* 1, *p.* 16: Ὁ πεζὸς λόγος ὅγε κατεσκευασμένος, μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστι. Πρώτιστα γὰρ ἡ ποιητικὴ κατασκευὴ παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμησεν· εἶτα ἐκείνην μιμούμενοι, λύσαντες τὸ μέτρον, τ' ἄλλα δὲ φυλάξαντες τὰ ποιητικὰ, συνέγραψαν οἱ περὶ Κάδμον, καὶ Φερεκύδην, καὶ Ἑκαταῖον.

(c) *Joſeph. Antiq. l.* 2, *c.* 9.

(d) *Jud.* ℣. 9.

(e) *Zach.* III, 2.

(f) *Eſt. Grot. Vide Athanaſ. in Synopſ. Clem. Alex. lib.* 6 *Strom. & in Ep. Jud. Didym. in Ep. Jud. Evod. Ep.* 259. *inter Auguſtinian. Orig. l.* 3 περὶ ἀρχῶν.

(g) *Jud.* ℣. 14.

(h) 2 *Timoth.* III, 8.

Cùm Judæi honorem nimio majorem Moyſi exhiberent, plura maximè incerta de ejus morte audacter pronunciarunt. Fuere, qui eum minimè mortem obiiſſe, ſed viventem adhuc in Cœlos aſſumptum putaverint; quam quidem opinionem & plures inter Chriſtianos Authores defendunt (i). Fuere qui inter amplexus & Dei oſcula illum occubuiſſe crediderint. Alii, quemadmodum cæteros, e vivis migraſſe ajunt; alii incertam rem relinquunt. *Moyſes*, inquit Joſephus, (k) *und cum Eleazaro & Jeſu in monte Abari conſtitutus, cùm poſt mutuos complexus eis ultimum vale diceret, inter loquendum repentinâ luce circumdatus, in vallem quamdam eſt ablatus. In Sacris autem Voluminibus ſcripſit ſe mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent.* Is itaque Author Moyſem mortuum, & in valle ſepultum apertè aſſerit; neminem verò ejus morti & ſepulturæ adfuiſſe teſtatur.

Philo quoque (l) eum morte ſublatum & ſepulturæ traditum ducit: *Jam*, inquit, *aſſumendus, tunc divinitus afflatus, vivens adhuc prophetavit de ſeipſo tamquam mortuo, ante obitum narrans ſe mortuum, ſepultum inſpectante nemine, videlicet manibus non mortalium, ſed virtutum immortalium.*

Hebraici Codices *Petbirath Moſe* (m) ſeu Moyſis Aſſumptio inſcripti, prolixum Dei cum Moyſe, antequam moreretur, colloquium ineptè referunt, & Moyſem narrant pro viribus conatum, ut ſuperſtitem adhuc vitam a Deo obtineret, donec Chanaanitidem, Iſraëlitis diu antea promiſſam, intueretur; eumque pueriliter adeò loquentem inducunt, ut ſermones inaniſſimos pudeat deſcribere. Ajebat, e. g. Quandoquidem, Domine, a me Jordanem minimè trajectum iri, tuumque populum in eam regionem duce me non venturum jurejurando decreviſti, ſaltem tamquam Joſue pueri mei famulum, vel in piſcem, aut in avem converſum, eò me ferri patiare. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis ſupra nubes efferri, & in eam regionem illinc aditum ſibi fieri; vel ſe in fruſta conciſum, trans Jordanem projici, tum ad vitam revocari popoſcit. Denique horum nihil Domino indulgente, eam ſaltem regionem oculis ſuis petiit exhiberi: cui tandem Dominus acquieſcens, octoginta telluris milliaria virtute ſuâ ita contraxit, ut eam regionem inſtar pictæ tabulæ ejus oculis videndam obtulerit; qua re Moyſes remotiſſima, ſublimiſſima, & profundiſſima quælibet uno obtutu mirâ facilitate ſpectavit.

Samaël interea Dæmonum Princeps, ſupremam Moyſis horam, ut ei præfocato animam raperet, admodum expetebat; quem eâ de re geſtientem Michaël populi Iſraëlis Patronus, in lacrymas effuſus ita increpuit: *Infelix, me flente rides?* Juxta alios verò: *Ne exultes, peſſima bellua: animo quidem ob Moyſis mortem concidi; at per Joſue, a Deo pro Moyſe populi Principem conſtitutum, qui unum & triginta Chananæos Reges interficiet, animo priſtino ſum reſtitutus. In primi & ſecundi Templi everſione ipſe tenebris obvolvar; ſed ubi Meſſias advenerit, lux mea erit Deus.* Poſtrema hæc verba, quæ in utroque libro per Gaulminum edito habentur, hunc librum poſt Chriſti adventum & Templi ſecundi a Romanis everſionem deſcriptum fuiſſe oſtendunt.

Aliquanto pòſt Moyſes, cùm ſummam authoritatem, & populi regimen in Joſue contuliſſet, Dominum allocutus, hactenus ab eo ſe vitam flagitaſſe, tum verò ſe prorſus ejus voluntati committere teſtatus eſt. Tum Gabriel, & Michaël, licèt a Domino juſſi, Moyſi necem inferre detrectarunt, ne ſexcenta hominum millia in ſe concitarent; Zinghiel etiam ſe Moyſis præceptorem fuiſſe dicens, Domino, qui ipſi Moyſis necem commiſerat, Diſcipulum ſuum interimere ſe non poſſe reſpondit.

Dominus poſtremò Samaëli Dæmonum Principi, ut Moyſem interficeret, imperavit; qui ſtatim ſtricto gladio lætus in eum irrupit. Cùm verò Moyſes inſtar Angeli lucem emitteret, & ab oculis & vultu flammas effunderet, ejusque verba ceu ſolis radii niteſcerent, Samaël territus a cæde abſtinuit, & Angeli omnes eam rem viribus ſuis omninò majorem eſſe aſſeruerunt. Verùm Deus in Samaëlem iratus, minis increpitum ad Moyſem interimendum iterum miſit; cui rurſus ſtricto gladio in ſe irruenti, Moyſes ipſe virgâ aſſumptâ, qua Dei nomine inſcriptâ tot miracula perpetraverat, occurrit, eumque in fugam actum urgens, denique aſſecutus, gloriæ ſuæ lumine obcæcavit.

Moyſes tandem cùm ad vitæ exitum jam perveniſſet, humi ſtratus, Deum, ne Angelo mortis ſe interimendum committeret, exoravit: cui Deus indulgens, ſe ſtatim adventurum, eumque ſepulcro traditurum reſpondit. Nec mora: Angelis Michaële, Gabriele, & Zinghiele ſecum aſſumptis, ad Moyſem deſcendit. Gabriel ſepulturæ inſtruendæ incubuit; Michaël purpuram Moyſi morienti ſupponendam ſtravit; Zinghiel Moyſis veſtes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michaële, Gabriele inde conſtitutis, compoſuit. Secundum *Petbirath*, ſeu Moyſis Aſſumptio, narrat pulvinar Moyſi egredienti ſupponendum a Zinghiele compoſitum, & Gabrielem ad dexteram, ad ſiniſtram Michaëlem, Zinghielem denique ad pedes collocat.

Moyſe igitur decumbente, & Domini juſſu clauſis oculis, & utrâque manu ſupra pectus compoſitâ, Deus ejus animam alloquens filiam vocavit; eique, ut, poſtquam

(i) *Vide Ambroſ. l. 1 de Cain & Abel, c. 2, n. 8; Iſidor. Hiſpal. de vitâ & Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2; Catharin.*

(k) *Joſeph. Antiqu. l. 4, cap. ult.* Ἀσπαζομένου δὲ καὶ τὸν Ἐλεάζαρον αὐτοῦ καὶ Ἰησοῦν, καὶ προσομιλοῦντος αὐτοῖς ἔτι, νέφους αἰφνίδιον ὑπὲρ αὐτοῦ στάντος, ἀφανίζεται κατά τινος φάραγγος. Γέγραφε δὲ αὐτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα, δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ Θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν.

(l) *Philo de vitâ Moſis, ad finem, pag. 696:* Ἤδη γὰρ ἀναλαμβανόμενος ..... καταπνευσθεὶς, καὶ ἐπιθειάσας ζῶν ἔτι, τὰ ὡς ἐπὶ θανόντι ἑαυτῷ προφητεύει δεξιῶς, ὡς ἐτελεύτησε, μήπω τελευτήσας, ὡς ἐτάφη μηδενὸς παρόντος, δηλονότι χερσὶ θνηταῖς, ἀλλ' ἀθανάτοις δυνάμεσι.

(m) *Vide Gaulmin. de vitâ Moyſ. p. 2, Pariſ. 1629.*

quam centum & viginti annis corpus illud animaverat, inde ſtatim egrederetur, præcepit; illi verò roganti, ut, quoniam Moyſe puriorem invenire ſe non poſſe putaret (n), diuturniorem in eo moram ſibi concederet, iterum mandavit, ne egredi cunctaretur, quòd in ſuæ gloriæ ſolio prope Angelos, Seraphim, & Cherubim eſſet illicò conſtituenda; quæ nihilominus reſpondit: Optime hic ego maneo; Angeli, Aza & Azaël, ubi in terras devenere, innocentiam infecerunt [o]; Moyſes verò, poſtquam ei te in Rubo exhibuiſti, ne ſuam quidem uxorem tetigit: quare ne hinc egredi cogar, iterum flagito. Deus verò Moyſem amplexus, per oſculum ejus animam libavit, juxta illud [p]: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in oſculo Domini.*

Tum Dominus Moyſis funus lugens, Quis, inquit, ei ſuccedet? Flebant Angeli: Ubi invenietur Sapientia? Juſtus, clamabant Cœli, de terrâ diſceſſit; tellus verò ab hominibus æquitatem evaſiſſe querebatur. Cœlum, Sol, Luna, Planetæ & Spiritus Sanctus nunquam in Iſraële Prophetam Moyſi ſimilem futurum ingemuere. Fruſtra e vivis ereptum Joſue quæſivit. Metraton Angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyſes, cùm viveret; tuus poſt mortem erit.

Hæc ſumma eorum, quæ afferuntur in duobus Libris per Gaulminum vulgatis, quorum uterque Moyſis mortem, quamvis diverſâ ratione, recenſet; Michaëlis verò cum Dæmone de Moyſis corpore altercationis neuter meminit. Quamobrem Librum *de Moyſis Aſſumptione*, quem Patrum Græcorum Veteres agnovere, a duobus *Petbirath* alium eſſe, & nunc omninò deperditum judicamus.

Ex eâ altercatione aliquid tangit Origenes (q), ubi ait Michaëlem Dæmoni exprobraſſe, quòd Adam & Eva per ipſum cecidiſſent, pravâ nempe ſuaſione, quando eos per anguem decepit. Factum, quod eodem in libro refertur, Clemens Alexandrinus memorans (r), Joſue, inquit, & Caleb in montem, ubi Moyſi e vivis migrandum erat, profecti, Moyſem viderunt. Joſue verò geminum Moyſem vidit, alterum in monte, alterum medium inter Angelos; quorum alteri in vallem tranſlato juſta perſoluta, & luctus inſtitutus. Caleb, quòd e monte ante Joſue deſcendiſſet, hæc non conſpexit; verùm Joſue, quòd purior, & majori donatus lumine eſſet, omnia intuitus, ſingula Iſraëlitis narravit.

Evodius etiam ad S. Auguſtinum ſcribens (s), hunc ejuſdem Operis locum producit, ac Moyſem, ubi in montem moriturus aſcenderat, in duo corpora diſcretum refert: *Ut aliud eſſet, quod terræ mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti ſociaretur.* Quod quidem cum quorumdam Veterum opinione cohæret, qui præter tude & terreſtre corpus, quo inſtruimur, & quibuſdam peractis annis morte ſolvitur, animam noſtram alteri ſubtiliori & aëreo, a quo vel poſt obitum non ſecernitur, adhærere arbitrantur.

Loci denique ex eodem libro *de Moyſis Aſſumptione* hauſti producuntur (t). Michaël cum Dæmone diſceptans, *Nos*, inquit, *a Spiritu Dei creati ſumus*; atque: *Spiritus a facie Dei egreſſus eſt, & nos omnes creati ſumus.* Alibi etiam [u] Moyſes morti proximus ita Joſue compellaſſe fertur: *Deus, antequam orbem conderet, me ſui fœderis mediatorem futurum prævidit.* In *Petbirath* Codicibus per Hebræos contextis, qui & nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moyſis Aſſumptione alius omnino eſt ab his Codicibus; quem ſi verè Apoſtolus Judas hic allegavit, ut Origenes, Didymus, & Patrum atque Interpretum plerique ſenſerunt, neceſſe utique eſt, ut ante Chriſti adventum conſcriptus fuerit; ubi contra ii, quos nunc Hebræi Hebraicè exaratos ſervant, poſt ſecundi Templi everſionem, ut antea diximus, conſcripti fuere.

Verùm Michaël & Dæmon qua de re diſceptarunt? Judas de Moyſis corpore eos decertaſſe aſſerit; ſed cur decertaverint, non dicit. Oecumenius (x) ſanè Veterum traditione doctus, illud in cauſâ fuiſſe prodit, quòd cùm Michaël illuſtriori ſepulcro Moyſi inſtituendo incumberet, ei Dæmon validè obſtitit, quòd corpus Moyſis, utpote qui Ægyptium (y) interfecerat, ad ſe ſpectare, & ſepulcri honore prorſus indignum eſſe dictitaret. Quamobrem Michaël, ut Dæmonem retunderet, Domini imperium indixit: *Imperet tibi Dominus.* S. Epiphanius (z) etiam, & Philo (a) Moyſem Angelorum operâ ſepulturæ mandatum tradunt, ne, ut veteres Patres (b) cenſent, Hebræi in idololatriam proclives, Legiſlatoris virtute capti, ſi ejus ſepulcrum noſſent, Divinum ei cultum fortè exhiberent.

Quod quidem in Hebræis meritò cautum fuit; etenim quidam Arabiæ Petrææ populi, Idumæi nempe, & alii, quos Moyſes nequaquam ſibi devinxerat, ei nihilomi-

(n) Locus iſte Metempſychoſeos ſententiam innuit.

(o) Ad falſum Henochi Librum fit alluſio, ubi Angeli cum filiabus hominum miſti dicuntur.

(p) *Deuter.* xxxiv, 5.

(q) *Origen. l.* 3 *περὶ ἀρχῶν, ex Anabaſi Moſis.*

(r) *Clem. Alex. Strom. l.* 6: Εἰκότως ἄρα καὶ τὸν Μωϋσέα ἀναλαμβανόμενον διττὸν εἶδεν Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ, καὶ τὸν μὲν μετ' Ἀγγέλων, τὸν δὲ ἐπὶ τὰ ὄρη περὶ τὰς φάραγγας κηδείας ἀξιούμενον.

(s) *Evod. ad Aug. Ep.* 259, *inter Auguſtinianas.*

(t) *Ex Actis Synodi I Nicænæ, l.* 2, *c.* 2, 20: Ἀπὸ γὰρ Πνεύματος ἁγίου αὐτοῦ πάντες ἐκτίσθημεν. *Et iterum:* Ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθε τὸ πνεῦμα αὐτοῦ, καὶ ὁ κόσμος ἐγένετο.

(u) *Ibid. l.* 2, *c.* 18: Καὶ προεθεάσατό με ὁ Θεὸς, πρὸ καταβολῆς κόσμου, εἶναί με τῆς διαθήκης αὐτοῦ μεσίτην.

(x) *Oecumen. in Judæ Epiſt.* Ἡ δὲ περὶ Μωϋσέως σώματος κρίσις ἐστὶν αὕτη. Λέγεται τὸν Μιχαὴλ τὸν Ἀρχάγγελον τῇ Μωϋσέως ταφῇ δεδιηκονηκέναι. Τοῦ γὰρ διαβόλου τοῦτο μὴ καταδεχομένου, ἀλλ' ἐπιφέροντος ἔγκλημα διὰ τὸν τοῦ Αἰγυπτίου φόνον, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Μωϋσέως, καὶ διὰ τοῦτο μὴ συγχωρεῖσθαι αὐτῷ τυχεῖν τῆς ἐντίμου ταφῆς. *Ita & Glycas, part.* 2 *Annal. & Pantaleon Chartophylax, &c.*

(y) *Exod.* ii, 11, 12. (z) *Epiphan. hæreſ.* 9, & 64, *contr. Origen.* (a) *Philo, de vitâ Moſis, ad finem.*

(b) *Chryſoſt. hom.* 5 *in Matth. Theodoret. qu.* 45 *in Deuter. Procop. in Deuter. Adde Joſeph. Antiq. l.* 4, *c. ult.* Γέγραφε δὲ αὐτὸν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις τεθνεῶτα δείσας μὴ δι' ὑπερβολὴν τῆς περὶ αὐτὸν ἀρετῆς πρὸς τὸ θεῖον αὐτὸν ἀναχωρῆσαι τολμήσωσιν εἰπεῖν.

Digitized by Google

minus, teſte Epiphanio (*c*), Divinos honores impenderunt. Hunc fortaſſe cornibus inſtructum exprimebant; quo factum eſſe ſuſpicamur, ut Arabes ſub eâ imagine Bacchum coluiſſe crederentur. Revera plura Moyſis geſta Baccho adſcripta ſunt.

Fuere qui putarint, Dæmonem vel per Magos Moyſis corpus jam tumulo conditum ſuſcitari, vel Hebræis ſaltem pareſieri contendiſſe, ut deinde illis Deum eſſe ſuaderet [*d*]. Alii non de Moyſis ſepulturâ, ſed ne ejus anima in deliciarum & pacis locum inſerretur, Dæmonem decertaſſe docuerunt [*e*]. Conjecturâ Serarius ducit, Dæmonem corporis Moyſis virtutem veritum, Michaëli obſtitiſſe, ne in Moab regione, Idolorum cultui addictâ, tumularetur; quemadmodum diu pòſt in Daphnes prope Antiochiam luco, ubi Apollo potiſſimùm colebatur, Martyris Babylæ corpus ſepulcro traditum fuiſſe, Dæmon conqueſtus eſt.

Patrum & Interpretum nonnulli (*f*) Moyſem minimè obiiſſe, ſed Henochi inſtar & Eliæ in Cœlum vel in terreſtrem Paradiſum translatum, ſibi perſuaſiſſe videntur. Clemens Alexandrinus Moyſem, poſtquam in Cœlum ſublatus eſt, Melchi appellatum refert [*g*]. S. Hilarius [*h*], S. Ambroſius (*i*), S. Hieronymus (*k*), S. Iſidorus Hiſpalenſis, Rupertus Abbas, & alii, quemadmodum cæteros homines, Moyſem occubuiſſe non putant; quam quidem opinionem ab aliquo apocrypho, qui periit, Libro fortè hauſerunt, ut his verbis S. Hilarius innuit: *Si quis conditionem & mortis, & ſepulturæ, & ſepulchri Moyſis diligenter adverterit, & ſecretam Scripturam, ſecundùm Apoſtoli authoritatem, intelligat omnia ita eſſe tractata, ut Moyſes potuerit jam videri.*

Ex eo Moyſem non obiiſſe quidam colligunt, quòd in Transfiguratione Domini & ipſe apparuerit; nos verò ab eorum Patrum pleriſque illud tantummodo innui voluiſſe ibidem oſtendimus (*l*), quòd Hebræorum Legiſlator alio more, quàm quo homines cæteri, interierit, ejuſque anima in quietis & deliciarum locum ſublata fuerit. Iis verò, qui Moyſem non occubuiſſe, ſed translatum ſeriò putant, perſpicuam objicimus Scripturæ authoritatem, qua Moyſes mortuus, & ſepulcro traditus apertè narratur.

Quis verò Moyſem ſepulcro mandaverit, incertum, cùm a Scripturâ non proferatur (*m*): *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in terrâ Moab, jubente Domino, & ſepelivit eum in valle Terræ Moab.* Nonnulli ea verba, *Et ſepelivit eum*, ad Dominum ſtatim antea ſignificatum referentes, Moyſem ab ipſomet Deo, vel potiùs, juxta Hebræorum & Chriſtianorum traditionem, ab Angelis ſepultum ſtatuunt. Fecerunt alii, ea verba, *Et ſepelivit eum*, de eodem Moyſe, qui ſe ipſe ſepeliverit, explicantes, eſſe ita vertenda: *Et is ſemetipſum ſepelivit*; ſe nempe Moyſes in ſpecu, ubi ſtatim deceſſit, compoſuit, ibique omnibus incognitus hactenus delituit. In monte Nebo & vertice Phaſgâ Moyſem occubuiſſe, & in vallem inde delatum, ab Joſue & Eleazaro ſepulturæ fuiſſe traditum, Sacer Textus videtur innuere. Quid enim ad miracula tum confugiamus, cùm neque poſtulet neceſſitas, neque Scriptura meminerit? Joſue & Eleazarus eâ erant ſapientiâ, ut optimè periculum noſſent, in quod Iſraëlitæ deventuri erant, ne propter Moyſem in Idololatriam adducerentur; de quo fortè etiam diſcrimine ipſe Moyſes utrumque præmonuit: idque malum prorſus avertere, eorum magnopere intererat. Moyſis itaque morti eos adfuiſſe, & ſuprema Legiſlatoris verba excepiſſe, ſimillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver a montis cacumine in vallem delatum, in abdito ſpecu condiderunt, eumdemque ſpecum probè clauſum nemini unquam prodidere: quare *non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem* (*n*).

Librorum *Petbirath*, quos jam allegavimus, Hebræi Authores, Deum per ſemetipſum Moyſi ſepulturam præſtitiſſe, ſepulcrum verò a Gabriele compoſitum teſtantur. Moyſes, addunt, decubuit, animam egit, eodemque ſtatu corporis, eodemque, ubi oſculum a Deo accepit, loco conditus delituit. Angeli Michaël, Gabriel, & Zinghiel, qui eidem morienti adſuere, & lectum & ſepulcrum præſtiterunt.

Sunt, qui Moyſis ſepulcrum ab Jeremia tum inventum velint, cùm Propheta, paulò antequam Jeruſalem a Nabuchodonoſore caperetur, Tabernaculum, Arcam, & Altare thymiamatis in monte Nebo occuluit. *Tabernaculum* (*o*) *& Arcam juſſit Propheta comitari ſecum, uſquequo exiit in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invênit locum ſpeluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.* Ea tamen verba, *Invênit locum ſpeluncæ*, verti poſſunt: *Invênit ſpeluncam*, & omnia, quæ detulerat, illuc intulit. Antra quidem in montibus ſæpiſſimè occurrunt. Idumæa, Palæſtina, & Regio Moab montibus & ſpecubus abundant, ad incolarum perfugium, ubi hoſtes agrum invaſerint. Res autem tunc poſcebat, ut ex his ſpecubus aliquis inveniretur commodior atque occultior, ejuſque oſtium ita obſtrueretur, ut nonniſi arduo labore recludi poſſet. Ex his quoſdam ita occluſos ſe vidiſſe teſtantur Itinerariorum Scriptores, ut quâ viâ illuc aditus pateat, quave arte effodi poſſint, vix percipiatur.

Prodigium a Cedreno accipimus (*p*). Lucida, inquit, nubes Moyſis ſepulcrum ita

(c) *Epiphan. hæreſ. 55. quæ eſt Melchiſedech.*

(d) *Ambroſiaſt. in Gal. III.*

(e) *Martyrius, Syntag. de ſtatu morientium; & Etherianus de regreſſu animarum, c. 9.*

(f) *In Deuter. XXXIV, 5.*

(g) *Clem. Alex. l. 1 Strom.*

(h) *Hilar. in Matth. XX, n. 10.*

(i) *Ambroſ. l. 1, c. 2, de Cain & Abel.*

(k) *Hieron. in cap. VIII Amos.*

(l) *Vide Comment. in Deuteron. XXXIV, 10.*

(m) *Deuter. XXXIV, 5.*

(n) *Deuter. XXXIV. 6.*

(o) 2 *Macch. II, 4, 5.*

(p) *Cedren. Hiſtor. l. 1:* Ἐκ τότε ἦν καὶ μέχρι τοῦ νῦν φωτοειδὴς νεφέλη ἐπισκιάζει τὸν τόπον ἐκεῖνον ἀμαυρῶσα, καὶ ἀποτειχίζουσα τῆς ὄψεως τῶν ὀφθαλμῶν, ἵνα μὴ γινώσκειν αὐτοῦ τὸν τάφον εἰς τὸν αἰῶνα.

ita contegit, ut veluti interjecto pariete intuentium oculos ultra progredi non ſinat; quamobrem illud hactenus nemo hominum novit. Inventum nihilominus putant anno 1655. Rem vero Georgius Hornius ita narrat [q]: Cùm Paſtores quidam Maronitæ Octobri menſe anni 1655 in montibus Nebo & Abarim capellas paſcerent, earum aliquas identidem duorum vel trium dierum itinere a grege ſecedere, regreſſas verò ſuaviſſimè olere adverterunt. Rem percepturi, errantes proſequuti, ad altiſſima & prærupta loca devenere; in quorum imo contracta quidem ſed gratiſſima vallis, ad quam nonniſi per arduas rupes, quas a proximis montibus terræmotus fortè præciderant, aditus patebat. Illuc profecti, antrum, & in medio antro loculum in vivâ rupe exciſum, paucisque, quas percipere non potuere, literis inſcriptum invenerunt. Antrum undique ſuaviſſimè redolebat, regreſſique Paſtores odorem illum veſtibus ſuis ita contraxerunt, ut hæ mirificè redolerent.

(q) *Vide Horn. hiſtor. Eccleſ.* Baſnage hiſtoire, continuation de Joſeph.

Ad Mataxar Maronitarum Patriarcham, in monte Libani in Monaſterio *Canobeen Kadiſcha Mariam* degentem, re delatâ, duo probati Sacerdotes, Aben-Uſeph præſertim ſapientiâ & ſcientiâ ſpectatiſſimus, miſſi eò fuere; qui antrum ingreſſi, ſepulcri inſcriptionem ita legerunt: *Moyſes Dei famulus*. Eventu hilaris Patriarcha, ad Damaſci Præſidem profectus, ſepulcri cuſtodiam ſibi permitti rogavit. Græci verò, Armeni, Judæi, & Franciſcani, tanti corporis obtinendi ſpe quiſque ducti, & precibus, & pecuniis etiam plurimis, ut ſibi ſepulchri cura committeretur, enixè elaborarunt; Judæi præ cæteris, quòd Moyſes ipſorum eſſet Legislator, ſibi conati ſunt adjudicari. Turcarum Princeps, quòd Jeſu Chriſti Jeroſolymis, Mahometi Meccæ, & Moyſis ſepulcro in monte Nebo potiretur, quammaximè efferebatur.

Jeſuitæ, Hornius ſubdit, omnium ſpem everſuri, illud a Turcis impetrarunt, ut ſepulcro, & viis omnibus eò ferentibus occluſis, ne quis illuc ſe conferret, capitis pœnâ interdiceretur. Quamobrem Morat Damaſci Præfectus Sanjaco Jeroſolymæ & Sareptæ imperavit, ut antrum & antri aditum omnem intercluderet. Jeſuitarum verò mens ea fuerat, ut corpus Moyſis ſubreptum in Europam ipſi veherent. Quibusdam itaque montis Libani Druſis aſſumptis, ad antrum clam profecti, recluſo ſepulcro nil invenere. Cùm nihilominus ipſius ſepulcri quiddam asportare conarentur, Jeroſolymæ Sanjacus, re cognitâ, milites miſit, qui duriùs increpitos a cœpto opere prohibuerunt; ſaxisque ingentibus eò devolutis, viam omnibus omnino imperviam reddidere. Ea res maximum Byzantii tumultum creavit: verùm inter Sapientes, quid de eo ſepulcro cogitandum, non conveniebat; donec Judæus quidam filius Gad, Sareptæ incola, Jechonias nomine, Librum edidit, quo inventum loculum non Moyſis Hebræorum Legislatoris, ſed alterius longè junioris Moyſis ſepulcrum eſſe oſtendit. Tum de invento Moyſis ſepulcro ſpes omnis evanuit.

Hæc Hornius, quæ plurimis ſanè difficultatibus obvolvuntur. I, *Jechoniam filium Gad* Sareptæ incolam, qui inventum ſepulchrum Moyſis non eſſe ſcripſit, nunquam extitiſſe putamus (*r*). II, Maronitarum Patriarcha anno 1655 non *Mataxat*, ſed *Joannes* vocabatur; cui anno 1657 *Georgius Besbebel* ſucceſſit. III, Damaſci Præfectus, qui eam Provinciam gerebat, *Beſchis*, non *Morat*, appellabatur; qui deinde ſummus Viſirius conſtitutus, Damaſci regimine in filium *Marmed* collato, quadrageſimo poſt novam dignitatem die eliſis faucibus interiit. IV, Arduum nimis & incredibile, quòd Paſtores Libani usque ad montem Nebo, leucis ſeptuaginta diſſitum, ad paſcua greges ſuos agerent. Neque illud ſimilius vero, quòd capellæ trium dierum itinere a grege aberrarent, & ad Paſtores ſuos deinde reverterentur. Cæteræ demum hujus hiſtoriæ circumſtantiæ fabellam undique præferunt; quare & hanc inter ea numeramus, quæ ab Judæis in Moyſis *Petbirath* recenſentur.

(r) *Bartolocci, tom. 3. p. 930;* Baſnage, Continuation de l'hiſtoire des Juifs, tom 4, lib. 9, chap. 17, *edit. Pariſ.*

Illud verò de Moyſe certò ſcimus, quòd non morbo aut ſenio confectus ſit; morientis enim nec oculi caligaverant, nec moti fuerant dentes (*s*); ſed Domino jubente interierit: quòd ad calcem montis Nebo ſeu Phaſga ſepulturæ traditus fuerit; quamvis Eleazar ne & Joſue eumdem tumulaverint, an verò Deo mandante per ſe ipſum Moyſes in loco, ubi deceſſit, ſeſe compoſuerit, ignoramus. Scimus præterea, Michaëlem Archangelum cum Dæmone de Moyſis corpore diſceptaſſe; quo in diſcrimine Michaël gravioribus verbis Dæmonem minimè excepit, dicere contentus: *Imperet tibi Dominus*. Hujus verò diſceptationis circumſtantiæ latent; quæ quidem diſceptatio corporeo ritu inſtituta non fuit, Michaël, Deo ſic imperante, viis homini ignotis, & ſuæ Dæmoniſque naturæ accommodatis, eumdem prohibuit, ne Moyſis ſepulcrum Judæis proderet, eosque ad Idololatriam facilè impelleret.

(s) *Deuter.* xxxiv, 7.

Locum denique, quem Judas producit, ex apocrypho Libro, *De Moyſis Aſſumptione* inſcripto, longe alio ab utriſque, quos Gaulminus Pariſiis 1629 edidit, & *Petbirath Moſe* appellavit, Apoſtolus juxtà Patres deſumpſit. Ipſum verò Librum *de Moyſis Aſſumptione*, a nobis omnino deperditum, ante Chriſti adventum, eodem fabularum amore, quo utrumque *Petbirath* poſt Templum a Romanis everſum, Græcè conſcriptum arbitramur.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN *EPISTOLAM* CANONICAM B. JACOBI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Inter ærumnas gaude. Sapientiam a Deo quære. Deus bonorum omnium author. Parum loquere, libenter audi. Veritatem, quam noſti, exerceto. Vera Religio in bene geſtis ſita.

℣. 1. JAcobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.

℣. 2. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis:

COMMENTARIUS.

℣. 1. JACOBUS DEI SERVUS, DUODECIM TRIBUBUS, QUÆ SUNT IN DISPERSIONE (a). Jacobus, Jeroſolymitanus Epiſcopus & Apoſtolus, ad Judæos nuper ad Chriſtum converſos & paſſim toto orbe diſperſos Epiſtolam dat. Judæi poſt geminam captivitatem, Aſſyriacam & Babylonicam, in omnes latè Orientis & Occidentis provincias inſulasque vagi migraverant. Plerique ex iis, qui trans Euphratem avecti fuerant, non rediere; tametſi e ſingulis duodecim Tribubus aliqui, ut alibi docuimus (b), Jeroſolymam & in Judæam venerint. At multo plurimi manſere in Aſiâ, Ægypto, Syriâ, quàm qui reverſi ſunt. Apoſtoli, primique Jeſu Chriſti Diſcipuli, ſtatim poſt Pentecoſten & Spiritûs Sancti illapſum, varia in loca ſejuncti, Provincias quamplures peragravere, Evangelium ubique nunciantes, præſertim verò Judæis, quorum pars magna Chriſtianam Religionem amplexi, Legis exercitationes Chriſtianis inſtitutis miſcebant.

Ad eos duodecim Tribuum diſperſarum Iſraëlitas Epiſtolam hanc ſcribit Jacobus, non verò, uti videtur quibusdam (c), ſolummodò ad Iſraëlitas poſt Stephani necem diſperſos (d), neque ad eos peculiariter, qui nunquam ex veteri captivitate redierunt. Omnes generatim alloquitur Judæos, Chriſti Fidem amplexos, ubique terrarum quacumque ex causâ extra Judæam diſperſos (e). Pleræque Pauli Epiſtolæ ad Gentiles Chriſtum profeſſos magis pertinent, cùm is Gentilium Apoſtolus peculiari nomine electus fuerit; hæc Jacobi privatim ſpectat ad Judæos Chriſtiana ſacra ſequutos, quemadmodum & poſtrema Pauli ad Hebræos mox explicata, & illa Petri ſtatim poſt hanc explicanda.

℣. 2. OMNE GAUDIUM EXISTIMATE, &c. Judæi plerumque odio erant & contemptui cæteris ob ſingularitatem morum & aſperitatem. Iis verò, qui ex Judaicis ad Chriſtiana ſacra tranſierant, & utriusque Religionis ritus miſcebant, accedebat odium gentilium ſuorum, in infidelitate manentium, auctâ etiam in dies ſimultate Ethnicorum, a quibus ipſi ceu ſocietatis & Numinum ſuorum hoſtes habebantur. Illos ad patientiam hortatur Jacobus, monetque, ut gaudium omne in ærumnis & laboribus collocent. *Omne gaudium* eſt gaudium abſolutiſſimum (f), omnibus mundi gaudiis antecellens; gaudium integrum, cùm fueritis variis ærumnis atque experimentis obnoxii: *Cùm in varias tentationes incideritis.*

Præſentis vitæ labores experimenta ſunt a Deo immiſſa, quibus aut infirmitatem ipſi noſtram docemur, aut confirmatur virtus noſtra, aut conſtantiæ noſtræ exempla mundo exhibentur. Primorum temporum Chriſtiani experti ſunt quicquid aut Diaboli furor aut hominum malitia comminiſci potuere; bello petiti a fratribus, neceſſariis, amicis, externis. Idipſum prædixe-

rat

(a) Ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. *Confer 1 Petri, 1, initio. Syr. Diſperſis inter Gentes.* (b) Diſſertatione de reditu decem Tribuum, ad Ezechielem. (c) *Beda, Gagna. Riber. in Oſee, Eſt. alii plures.* (d) *Act. VIII, 1: Omnes diſperſi ſunt per regiones Judææ & Samariæ.* (e) *Vat. Grot. Men.* (f) *Confer 1 Timoth. I, 15; Eccli. XXI, 13. Vide Grot. Eſt. Men. alios.*

℣. 3. Scientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur.
℣. 4. Patientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.
℣. 5. Si quis autem veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.

COMMENTARIUS.

rat Chriſtus (g), conſtantiſſimæque inter ſæviſſima & iniquiſſima hominum odia patientiæ exemplum præbuerat; dixerat, nihil felicius poſſe illis contingere (h), quippe quibus æternam gloriam ſibi compararent. Germana Chriſtiani hominis nota eſt patientia. *Gloriamur in tribulationibus*, ajebat Paulus (i). Et alibi (k): *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Mala ferunt Sancti *non modò patienter, ſed & libenter, verùm & ardenter*, inquit Bernardus (l).

℣. 3. Scientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Periculum, quo fidem noſtram ærumnis in hac vitâ exerceri patitur Deus, patientiam noſtram perficit, ſolidiorem & conſtantiorem reddit (m), coronam denique, perſeverantibus dumtaxat in finem usque promiſſam (n), comparat. Virtus nonniſi iteratis actibus perficitur. Vitæ hujus ærumnæ occaſionem præbent patientiæ frequentiùs exercendæ, ad laborem obdurant, fortioresque in rebus adverſis præſtant; non ipſæ quidem per ſe, neque enim patientiam pariunt aut mala ipſa, aut ad laborem obduratio, aut Stoicorum indolentia, ſed gratia Spiritûs Sancti, illud nobis largiens, ut eò patientiùs hilariùsque exantlemus mala, quo uberior ipſa in nobis fuerit. Chriſtiana patientia laus Philoſophica non eſt, aut virtus bellica, ſed humilis ſubjectio Divinæ voluntati, qua permittimur exerceri malis, præbitâque gratiâ regimur, ne ſuccumbamus.

Quiddam Jacobo contrarium dicere videtur Paulus (o): *Patientia probationem operatur*; cùm Jacobus dicat: *Probatio patientiam operatur*. At nullo negotio conciliantur. *Patientia*, ſcilicet malorum perpeſſio, *probationem operatur*, probatos efficit & Deo charos. Et *probatio*, mala nimirum & ærumnæ, quibus a Deo exercemur, *patientiam operatur*, noſque humiles magis, ſubjectos, patientes reddit. Malorum perpeſſione habitum patientiæ acquirimus.

℣. 4. Patientia autem opus perfectum habet. Patientia ſuis in actibus perfecta eſſe debet. Græcus (p): *Patientia opus perfectum habeat*; ſive, *patientia opus perfectum eſto*. Inter ærumnas ne deficiatis: ad finem usque perſeverate: dimidium opus ne relinquatis: abſolvite, perficite: cruci adhærefcite, tamquam Chriſtus, ad ſupremum usque ſpiritum; ut morientes dicatis, ipſius exemplo (q): *Conſummatum eſt*: quicquid imperatum mihi eſt, penitus abſolvi (r).

Aliter: *Patientia veſtra opus perfectum eſto*, nullâ ex parte deficiat: omnia nedum humili, verùm etiam hilari animo ferte: non modò levia, ſed & graviora experimenta tolerate; non ad tempus aliquod, ſed usque in finem. Libera ſit patientia veſtra, conſtans, hilaris, perſeverans: illam animet charitas, fulciat ſpes, producat interior Spiritûs Sancti gratia, ex qua operum noſtrorum meritum & valor fluit. Longâ inductione Tertullianus (s) oſtendit, nullam ſine patientiâ eſſe virtutem. Nullæ prorſus erunt fides, ſpes, charitas, ſi deſit patientia. *Fidem, quam Chriſti patientia induxit; ſpem, quam hominis patientia expectat; dilectio, quam, Deo magiſtro, patientia comitatur*.

Ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Patientiæ veſtræ victima omnibus abſolutiſſimæ hoſtiæ laudibus diſtinguatur: fortis ſit, integra, maculæ expers & vitii; ac tamquam ſuave holocauſtum in altari penitus ardeat, itaut nihil relinquatur. Ita ipſi perfecti eritis, atque apud Deum abſolutiſſimi, *ita ut nihil vobis deſit in ullâ gratiâ*, ut ait Paulus (t), ex donis gratiæ ſpiritalibus; ſive, nequid virtuti ac mercedi veſtræ deſit, ſeu veſtræ patientiæ, eaque niſi perſeveret in finem usque, neque ullo infortunio quatiatur: *Ita ut nihil vobis deſit*. Reddi poteſt Græcus (u): *Nequid excidatis*, ſive, ne deficiatis, antequam curriculi metam aſſequamini.

℣. 5. Si quis autem veſtrum indiget sapientia, postulet a Deo. Sapientiæ nomine complectuntur Hebræi plerumque virtutes omnes quæ ad mores pertinent, easque præſertim, quæ in vitæ civilis officiis verſantur, ac non rarò illas, quæ ad pietatis ac Religionis exercitationem ſpectant. Interdum etiam intelligunt cognitionem veritatum cùm in contemplatione tum in exercitatione verſantium, naturalium & ſupranaturam. Denique ſapientiam pro prudentiâ, aſtutiâ, induſtriâ uſurpant. Hoc loco Jacobus accipit ſapientiam propriè dictam, quæ in rerum moralium ac divinarum, ad ſalutem æternitatemque ſpectantium, cognitione conſiſtit. Si inter hominum odia atque ærumnas, quibus eſtis obnoxii, non ſatis intelligitis, quid hiſce in rebus a vobis poſtulet Deus, ſupplicea vota illi facite, certoque confidite, illum poſtulata non denegaturum. Si arduum asperumque videtur quod dixi, gaudendum vobis eſſe inter ærumnas, Deum exorate, qui ſapientiam, qua mei hujus moniti veritatem ac præſtantiam percipiatis, omnino largietur.

Qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Græcus (x): *Qui dat omnibus ſimpliciter, & non improperat*. Apud Hebræos ſimplex, ſimpliciter, ſimplicitas, ubi de largitione agitur, liberalitatem, copiam ſignificant: ſincero effuſoque animo dare, nullo delectu. Ita apud Matthæum (z) *oculus ſimplex* eſt liberalis, opponiturque *oculo nequam*, ſcilicet avaro, livido. Pan-

(g) *Matth.* x. 17, 19, 21. (h) *Matth.* v, 12. (i) *Rom.* v, 3. (k) 2 *Cor.* xii, 10.
(l) *Bern. ſerm. de Triplici genere bon.* (m) *Eſt. Grot.* (n) *Matth.* x, 22.
(o) *Rom.* v, 4: Ἡ θλῖψις ὑπομονὴν κατεργάζεται. *Jacob.* 1, 2: Τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν. (p) Ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω. *Plures Codd. Latini emendate*, *Opus perfectum habeat*. *Antiq. Italica a Martianao edita*: *Sufferentia autem opus conſummatum habeat*, *Oecum.* Οὐκ εἶπε τὴν ὑπομονὴν ὁριστικῶς, ὅτι ἔργον τέλειον ἔχει, ἀλλὰ προσταλτικῶς, ἐχέτω. (q) *Joan.* xix, 30. (r) *Joan.* xvii, 4. (s) *Tertull. de Patientiâ*, *cap.* 11, 12. (t) 1 *Cor.* 1, 7. (u) Ἐν μηδενὶ λειπόμενοι. (x) Αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ πᾶσιν ἁπλῶς, καὶ μὴ ὀνειδίζοντος. *Antiq. Italica*. *Qui dat omnibus ſimpliciter, & non improperat*. (z) *Matth.* vi, 22.

℣. 6. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans: qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.
℣. 7. Non ergo æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid a Domino.
℣. 8. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.
℣. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſuâ.

COMMENTARIUS.

Paulos (a): *Qui tribuit, in ſimplicitate*. Alibi (b): *Altiſſima paupertas abundavit in divitias ſimplicitatis eorum*; opes exhibuit uberrimas. Et (c): *Ut abundetis in omnem ſimplicitatem*, copioſas largitiones faciatis.

Si ergo ſapientiâ indigetis: quis autem non? Satius eſt dicere: Cùm nunquam non egeatis lumine ſapientiæ, & Dei gratiâ, ad noſcendas ſalutis veritates, virtutemque, ac præſertim in malis patientiam, utiliter exercendam: ad bonorum omnium fontem confugite; neque vereamini, ne ille aut paupertati veſtræ inſultet, aut de importunis precibus veſtris queratur, aut ſemel dono data aliquando exprobret. Exhibitas ſibi preces honoris loco accipit, nihil ex nobis expectat, ſperat nihil, nihil cupit. Siquid exprobraturus eſt ſupremâ Judicii die, illud nimirum erit, quòd frigidè poſtulaveritis, aut beneficiis ſuis optimè uti neglexeritis, aut ipſa dona contempſeritis. Minima largiuntur homines, maxima poſtulant. Omnia dat Deus, nihilque niſi beatitudinem & ſanctitatem veſtram cupit. Non quæritur quòd non redhibueritis, ſed quòd donorum ſuorum uſu felicitatem vobis non paraveritis.

℣. 6. Postulat autem in fide, nihil hæsitans (d). Deum non rogas, niſi illi credas (e): at fieri poteſt, ut roges & credas, quin poſtulata conſequare, quòd fide non firmâ, abſolutâque fiduciâ de ipſius miſericordiâ poſtules. Viva fides & cum charitate conjuncta nunquam non utiliter efficaciterque poſtulat. Niſi dare vellet Deus, tam ſæpe non præciperet ut poſtulemus. *Petite*, inquit (f), *& accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Alibi (g): *Dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*.

At qui fit, ut viri etiam ſanctiſſimi multa poſtulent, neque tamen impetrent? Profectò non idcirco quòd mala poſtulent, ſed vel quòd non expediat illa referre, vel quòd melius aliquid largiatur Deus. *Quando non das, ideo non das, ne obſit quod das*, inquit S. Auguſtinus (h). Seu denique quòd poſtulata differat, ut illorum patientiam ac virtutem periclitetur. *Non exaudit ad voluntatem, exaudit ad ſalutem* (i). Nihil veræ orationi pernicioſius quàm diffidentia & hæſitatio. Cùm hæſitaſſet Moyſes, percuſſurus rupem Cades, ubi ait (k): *Audite rebelles & increduli: Nam de petrâ hac vobis aquam poterimus ejicere?* iratus eam ob rem Deus, illum ab ingreſſu promiſſæ regionis excluſit: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*.

Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris. Mare ventis agitatum, aſſiduo in tumultu motuque eſt. Ita animus hæſitans dubitanſque, fluctuat ſemper incertuſque verſatur. Cùmque hiſce tumultibus agatur, qui fieri poteſt, ut Deo preces offerat, & ea, quibus indiget, quærat? qui ſe ipſe tam ſatis colligat, quàm neceſſe eſt, ut bene oret? Hinc illum criminum ſuorum ſuæque indignitatis memoria deterret; hinc Divinæ miſericordiæ recordatio hortatur ut roget. Quæ poteſt eſſe inter hoſce fluctus fiducia? Omnem igitur metum abjicite, fiduciamque omnem in Dei miſericordiâ collocate (l).

℣. 7. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Ipſa animi habitudo invictum eſt adverſùs Dei liberalitatem obſtaculum. Fide is caret, fiduciâ, ſpe: quas ille preces, quem cultum orans exhibiturus eſt Deo? Duplex vitium eſt, quo precum noſtrarum vis frangitur: ſuperbia nimirum & diffidentia: ſuperbia Divinam miſericordiam in iram vertit; diffidentia injuriam illi irrogat. Geminæ orationis alæ, pia humilitas & fiducia. Vult Deus ut te inopem ſentias; at ſimul potentiæ ac miſericordiæ ſuæ reminiſcaris.

℣. 8. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis geſtiſque (m). Hæc animi duplicitas ſeu diviſio eſt nedum mentis diſſipatio & oſcitantia in oratione, ſed præſertim inconſtantia in geſtis, animuſque in conſiliis incertus, nunc in bonum, nunc in malum proclivis; nunc optimè inſtitutus, nunc peſſimè; mox Deum ſequens, ſtatim verò mundum; interdum ad temeritatem intrepidus, deinde ad ignaviam uſque imbecillis. *Aſſidua mutatio propoſiti, & nunquam reſidentis animi voluntario, ac vita pendens*, inquit Seneca. Porrò nihil pernicioſius homini Chriſtiano, & orationis efficacitati, quàm iſthæc inconſtantia & morum inſtabilitas, qua ſignificatur fides levis & nutans, adeoque inanis, impetrandiſque poſtulatis inepta. Vide ℣. 7.

℣. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. Qui humilis eſt, de ſuâ germanâque ſui ſublimitate glorietur. Paradoxum propoſuit initio, ubi ait, nihil beatius contingere poſſe homini Chriſtiano quàm labores. Alterum hîc paradoxon ponit, conditionis nempe humilitatem, quam quis cauſâ Religionis, & fide doctus amplectitur, veriſſimam eſſe gloriam, germanamque ſtatûs ſublimitatem. Ubi vos ſpreverint homines, humilique & obſcuro loco poſuerint, ne queramini. Æternæ mercedis ſpes animos veſtros erigat, filiorumque Dei & ſervorum Chriſti conditio vobis eſto pro nobiliſſimis quibus

(a) *Rom.* xii, 8.
(b) 2 *Cor.* viii, 2. (c) 2 *Cor.* ix, 11.
(d) Μηδὲν διακρινόμενος, *Nihil diſcernens, nihil ambigens*. *Antiq. Ital.* *Nihil dubitans*.
(e) *Auguſt. ſerm.* 36, *de Verbis Domini, nunc* 115: *Si fides deficit, oratio perit . . . , fides eſt fons orationis*. (f) *Matth.* vii, 7; *Luc.* xi, 10, 11. (g) *Marc.* xi, 24.
(h) *Auguſt. in Pſal* LXXXV. (i) *Idem, ad Pſal.* XXI, *enarr.* 2, *n.* 4. (k) *Num.* XX, 10.
(l) *Clem. epiſt. ad Corint.* § 23: Μὴ διψυχῶμεν, μηδὲ ἰνδαλλέσθω ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἐπὶ ταῖς ὑπερβαλλούσαις καὶ ἐνδόξοις δωρεαῖς αὐτοῦ. *Herm. l.* 2, *mand.* 9: Ἆρον σεαυτοῦ τὴν διψυχίαν, καὶ μηδὲν ὅλως διψυχήσῃς αἰτήσασθαι παρὰ τοῦ Θεοῦ, &c.
(m) *Oecumen.* Δίψυχον ἄνδρα, τὸν ἀμφίβολον, τὸν ἀνόρμητον λέγει. Τὸν μήτε πρὸς τὰ μέλλοντα παγίως, μήτε πρὸς τὰ παρόντα ἀσφαλῶς ἡδρασμένον. *Antiq. Ital.* *Homo duplici corde*.

℣. 10. Dives autem in humilitate ſuâ, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.

℣. 11. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultûs ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet.

℣. 12. Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

℣. 13 Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.

COMMENTARIUS.

buſque titulis, clariſſimâque inter homines gloriâ.

℣. 10. DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA. Qui locuples eſt, verâ ſui humilitate ſe ipſe deprimat. Qui ex fratribus in ſublimi fortunæ gradu opulentuſque eſt, ſeſe reverâ inopem, veriſque bonis carentem exiſtimet (n): non quòd terrenæ opes omnino cum Religione Chriſtianâ, piâ animi humilitate & paupertate, virtutibus homini Chriſtiano præcipuis, componi nequeant; ſed quòd locupletibus aſſiduum ſuperbiæ ſectandæ (o), amandarumque iniquiùs divitiarum diſcrimen immineat.

Alii (p) ita explicant: Qui hominum æſtimatione locupletes ſunt, opibus ſuis, honoribus, ſi placet, glorientur: major certè illis eſt prabi occaſio quàm ſuperbiæ: terrena quippe ſublimitas nonniſi humilitas eſt; ac tunc ſolummodo ſalubriter utentur opibus, cùm illas ſpreverint, pauperibuſque diſtribuerint. Splendor omnis, quo illi micant, ceu flos agreſtis eſt, unâ die occiduus.

℣. 11. EXORTUS EST SOL CUM ARDORE, &c. Ea eſt locupletum opibus ſuis confidentium conditio, florenti arbori ſimilium, cujus gloria ſtatim cadit. *Flores natura in diem gignit; magnâ hominum admiratione, quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcere* (q). Sole ferventi exorto, flos languet. Ita & locuples, qui tanto cum fulgore nunc micat, moriens in contemptum, oblivionem, ſupremamque omnium inopiam deveniet: *Ita & dives in itineribus ſuis marceſcet* (r): ceu flos cadet, cùm omnia feliciſſima videbuntur: nimirum eo ſuperbè incedente, omnia ſub eo nutant ac flectuntur: at is medio in curſu evertetur: *In itineribus ſuis*: rapido itinere in exitium fertur: ſi ad fortunæ faſtigium evehatur, lapſu graviore ruet. *Vidi impium ſuperexaltatum & elevatum ſicut cedros Libani: & tranſivi, & ecce non erat* (s).

℣. 12. BEATUS QUI SUFFERT TENTATIONEM & pericula, quibus illius patientiam exercet Deus: hac enim viâ æternam ad ſalutem ducitur: *Cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*; coronam ſcilicet nunquam non florentem virentemque; aliam certè a caducis & pereuntibus: æternâ nimirum & infinitâ in Cœlis gloriâ coronabitur. In celeberrimis Græciæ certaminibus, athletæ artis & virium ſpecimina collectis ad ſpectaculum hominibus exhibebant. Nemo autem coronâ donabatur, niſi ſervatis pugnæ & curriculi legibus. Idem obtinuit in ſpirituali certamine. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit* (t), virtutiſque ſpecimina ediderit. Ærumnæ & labores, quibus nos obnoxios eſſe patitur Deus, experimenta ſunt, coronam nobis paritura.

℣. 13. NEMO, CUM TENTATUR, DICAT QUONIAM A DEO TENTATUR. Duplex eſt tentationis ſignificatio (u). Quoddam eſt tentationis genus ſitum in experimentis maliſque, quibus nos patère ſinit Deus, imò & interdum ipſe objicit, veluti cùm tentavit Abrahamum, imperans, ut ſibi filium in ſacrificium mactaret (x). Aliud eſt exteriorum conatuum, quibus humanæ ſalutis adverſarius homines fallere atque inducere in laqueos nititur, blanditiis, terroribus, promiſſis. Poſtremâ hac ratione tentare quemquam non poteſt Deus. *Non enim delectaris in perditionibus noſtris* (y), noſtramque ruinam non cupis, o Deus. *Diabolus tentat, Deus probat*, inquit Tertullianus. Hæretici quidam veteres, puta Simon, Apelles, Hermogenes, Valentinus, Marcion, Manes, gemina ponebant principia, bonum & malum; quorum altero in malum, altero in bonum impelleremur. Horum ſententiam hic obiter refellit Jacobus. Mala ſuadere nequit Deus; alioqui Deus eſſe deſineret. Unus Deus, unum principium. Qui in malum impellit, Diabolus eſt, Dei hominumque hoſtis. *Deus non eſt author eorum, quorum eſt ultor* (z).

DEUS AUTEM INTENTATOR MALORUM EST (a), mala ſuadere non poteſt. Tentat quidem, uti diximus, cùm hominem inducere in bonum cupit, & hominis confirmare virtutem, illique bene agendi occaſiones ſuppeditare. Ita ad Hebræos Moyſes (b): *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrùm diligatis eum an non.* Novit ille animorum veſtrorum habitudinem; at eam ipſam & cæteris omnibus & vobis ipſis palam fieri vult. Tentare aut ſtruere ad peccandum inſidias nequit (c).

Sunt qui Græcum (d) aliter vertant: Malo tentari nequit Deus: ignorat ille peccatum, & quicquid in peccatum trahit. Denique neque ipſe ſolicitari, neque ſolicitare poteſt (e). Aliter

Deus

(n) *Grot. Eſt. Menoc.* (o) *Auguſt. ſerm. 5, de Verbis Domini: Vermis divitiarum eſt ſuperbia.* (p) *Beda, D. Thom. Lyr. alii plerique.* (q) *Plin. lib. 21, cap. 1, Hiſt. Natural.* (r) *Antiq. Ital. Sic & locuples in actu ſuo marceſſet.* Οὕτω καὶ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται. (s) *Pſal. xxxvi, 36.* (t) *2 Timot. ii, 5.* (u) *Vide Eſt. Menoc. Auguſt. l. 2 de Conſenſu, cap. 30: Aliâ ſignificatione intelligitur tentatio ſeductionis, aliâ probationis.* (x) *Geneſ. xxii, 1: Tentavit Deus Abraham.* (y) *Tob. iii, 22; & Sap. i, 13: Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum.* (z) *Fulgent. lib. 1, ad Monim.* (a) *Antiq. Ital. Deus autem malorum tentator non eſt.* Ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν. (b) *Deut. xiii, 3.* (c) *Tertull. de orat. cap. 8: Abſit ut Dominus tentare videatur; quaſi aut ignoret fidem cujuſque, aut dejicere ſit conſentiens. Diaboli eſt infirmitas & malitia.* (d) Ἀπείραστός ἐστι κακῶν. (e) *Oecumen. Cajet. Eſt. Men. Piſc. Verſ. Eraſm.*

℣. 14. Unuſquiſque verò tentatur a concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus.

℣. 15. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cum conſummatum fuerit, generat mortem.

℣. 16 Nolite itaque errare, fratres mei dilectiſſimi.

℣. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.

COMMENTARIUS.

Deus non tentat malos, ſed bonos. Abrahamum tentat, periculum facit de Davide, populum experimento exercet: impios verò ſuis in inſtitutis deſerit, eoſque a Diabolo tentari & falli ſinit (f). Alii denique: *Intentator malorum*, quaſi *diſſuaſor malorum*. Hominem a malo abſtrahit, deterret. Geminæ tamen explicationes priore loco recitatæ, cæteris præſtant.

℣. 14. UNUSQUISQUE TENTATUR A CONCUPISCENTIA SUA (g). Concupiſcentia eſt fomes ille peccati, pondus illud in malum, perverſus voluptatis, excellentiæ, ſcientiæ, gloriæ amor, quem quiſque poſt peccatum originis experitur; eademque eſt tentationum origo. Niſi hic nobis ineſſet inimicus, neque nefariæ voluptatis illecebris, neque rerum ſenſibus blandientium ſuavitate, neque Diaboli ſuaſionibus moveremur: quicquid enim recto ordini, juſtitiæ, veritati, rationi repugnat, vix menti exhibitum, ipsâ ſui imagine ita terreret animos, ut vel cogitationem ipſam offenderet. Itaque in malum ducimur trahimurque concupiſcentiâ, primâ nimirum inſidentis homini corruptionis ſcaturigine, qua humani generis hoſtes ad hominem decipiendum utuntur; quippe qua remotâ omnes illorum fraudes ſuaſioneſque in caſſum ceſſuræ eſſent. Trahit, ſolicitat illa, non cogit; in fraudem impellit, ſed non repugnantes.

℣. 15. CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT, PARIT PECCATUM. Enumerantur hìc gradus, per quos homo in peccatum mortemque defertur. Primò, malum ſuadet concupiſcentia; ſi quatimur vincimurque, peccatum concipitur; paritur verò, ubi illud admittimus; partum denique peccatum (h) parens eſt mortis: *Generat mortem*; occidit animum, noſque efficit æternæ damnationis reos. Mors animi, peccatum, & in peccatum conſenſus nonniſi cogitatione ſecernuntur: ubi enim exteriori opere peccas, jam lethale vulnus mens paſſa eſt. Videtur Jacobus, mortis nomine hìc Divinam damnationem æternamque calamitatem ſignificare.

Hebræi, dum varios peccati gradus exprimunt, hoc ſimilium genus, ex voluptate, conceptione, parturitione ductum, frequenter uſurpant (i). Peccatum ipſum non ſunt concupiſcentiæ motus, quamquam ſunt peccati fructus. Siquando eos peccatum nuncupat Paulus (k), illud non vult, iis nos apud Deum reos effici, niſi aſſentiamur: nocere nequeunt, ſi repugnes, pugnantibuſque victoriæ ſunt argumentum (l).

℣. 16. NOLITE ERRARE. ℣. 17. OMNE DATUM OPTIMUM, ET OMNE DONUM PERFECTUM DESURSUM EST. Ex Judæis nonnulli nimium liberi arbitrii viribus deferebant. In primis Phariſæi arbitrabantur, poſſe ipſos per ſe concupiſcentiæ reſiſtere, ac Legi obtemperare, nullâ orationis opiſque Divinæ neceſſitate (m). Fidelium animos adverſùs hujuſmodi confidentiam occupat Jacobus. *Nolite errare*: bonorum operum merita, aut vires ſuperandæ concupiſcentiæ vobis ipſi ne tribuatis: opus eſt Dei lumine & auxilio; quæ ſi abſint, ruendum omnino eſt. Videtur aliis (n) Apoſtolus damnare Simonianos cæteroſque Hæreticos, qui Deum tentationum authorem eſſe, noſque ab eo in peccatum impelli aſſerebant. A pernicioſiſſimâ hujuſmodi opinione abhorrete: ſcelus eſt ac teterrima in Deum contumelia. Iniquitatem interdicit, damnat, punit Deus; ipſe largitor eſt bonæ voluntatis, bonorumque in nobis operum author. Gratiæ illecebris voluntatem prævertit, eamque ita in bonum efficaciter urget, ut ea ſponte ſuâ feratur; in virtutum curriculo ſuſtinet; perſeverantiâ donat. Omnia denique cum Deo poſſumus; abſque Deo, nihil præſtare æternitate dignum poſſumus.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum ſignificant fortè lumen acerrimum abſolutamque charitatem; ſeu fidem & gratiam; ſive donum patientiæ atque in malis conſtantiæ; vel denique dona omnia gratiæ divinitus præſtita, quibus opus nobis eſſe in variis vitæ caſibus poteſt. Deum nuncupat *Patrem luminum*; is enim viventem hominem quemlibet illuſtrat, animis imprimit ſalutis inſtituta, facit ut illa amemus exequamurque, gratiâ opem ferente: *Per inſpirationem flagrantiſſimæ & lumınoſiſſimæ charitatis*, inquit S. Auguſtinus (o).

APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO (p), &c. Quicquid creatum eſt, viciſſitudini eſt obnoxium. Sidera vel nitidiſſima defectum identidem patiuntur: ſanctiſſimi quique homines interdum peccant: amicorum optimi in rebus quandoque anguſtiſſimis deficiunt. Deus unus non mutatur, non cadit, non movetur, non deficit: lux eſt nunquam non micans, conſtans ſemper amicus, locuples immortaliſque defenſor: denique Pater eſt luminum, at minimè deficientium. *Accedite ad eum, & illuminamini* (q). *Sancti dum immutabili veritati ſtudioſè ſemper cohærere deſiderant, inhærendo agunt,* ut

(f) *Clem. Conſtit. lib. 2, cap. 8; Salmeron.* (g) *Antiq. Ital. Unuſquiſque tentatur a ſuâ concupiſcentiâ, abducitur, & allicitur.* (h) *Vide Auguſt. homil. 42, inter 50, cap. 8: Si conſenſeris, ſi amplexatus fueris, concipis, &c. Vide & lib. 5 contra Julian. & alibi.*
(i) *Job.* xv, 35; *Pſal.* vii, 15; *Iſai.* lix, 4. (k) *Rom.* vii, 20, 23, 25; viii, 2.
(l) *Concil. Trident. ſeſſ. 5: Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur & ſentit. Quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet; quinimo qui legitimè certaverit, coronabitur.*
(m) *Vide nos in Luc.* xviii, 9, 12; *Grot. Tirin. Cornel. & noſtram Diſſertationem de Sectis Judæor.*
(n) *Eſt. Menoc. Tirin. Cornel. alii.* (o) *Auguſt. de Grat. Chriſti, contra Pelag. & Celeſt. cap. 35, n. 38.*
(p) *Græc.* Παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. *Antiq. Ital. Apud quem non eſt permutatio, vel modicum obumbrationis.* (q) *Pſal.* xxxiii, 6.

℣. 18. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.

℣. 19. Scitis, fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.

℣. 20. Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.

℣. 21. Propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.

COMMENTARIUS.

ut immutabiles fiant (r).

℣. 18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS VERBO VERITATIS. Ut Fideles ad Deum cum fiduciâ accedant, animadvertit Apoſtolus, nos a Deo patre luminum genitos ad Fidem verbo veritatis, quam nobis prædicari juſſit, & qua mentes animoſque noſtros aperuit (s): idque *voluntariè* præſtitit (t), libero & gratuito voluntatis ſuæ decreto: inter innumeros electi ab eo ſumus ac prædeſtinati, ut ad vitam vocaremur (u): *Ut ſimus initium aliquod* (primitiæ) *creaturæ ejus* (x). Quicquid pulcherrimum e terræ fructibus & animalium partu erant, in primitias Templo afferendas ſeligebatur. Sanciverat Deus, ut primum quidlibet ex hominum matrimonio ſatum, ex animalium partu, ex arborum fructu ſibi conſecraretur. Ita quidquid inter creatas res chariſſimum fuit, in Eccleſiam collegit. Quid ergo præſtiturus eſt veſtri causâ, quos perſpicuis adeò benevolentiæ argumentis diſtinxit (y)?

Hebræi, ad quos literas dabat Jacobus, uberrimè omnium perfuſi fuerant gratiâ; primitiæ Eccleſiæ Chriſtianæ erant; primi ante cæteros vocati fuerant ad ſalutem; ſalus e Sione prodierat, & verbum Domini ex Jeroſolymis. Primores natu, ut ita dicam, primique hæredes in Jeſu Chriſti familiâ. Hæc porrò dignitas novam de Patre miſericordiarum fiduciam parere in illis debuit, novumque Deo ſerviendi ſtudium inſpirare.

℣. 19. SCITIS, FRATRES MEI. SIT AUTEM OMNIS HOMO VELOX, &c. Græcus (z): *Quamobrem, fratres mei*, &c. Continuam hac Epiſtolâ orationem non proſequitur Apoſtolus: varia dumtaxat morum præcepta colligit, non ſatis invicem nexa. Docet hîc Fideles, quo pacto loquendum ſit: modeſtiam imperat, & ſermonis ſapientiam: multum audi, parum loquere, libenter diſce, non facilè doceas: veritatem exercere potiùs quàm prædices: non enim juſtus apud Deum eſt qui Legem novit & prædicat, ſed qui Legi obtemperat (a). *Citò lutum colligit amnis exundans*, ait S. Ambroſius (b). *Audiens Sapiens, ſapientior erit* (c).

ET TARDUS AD IRAM. Facilis ad iraſcendum animus graviſſimum eſt hominis vitium. *Ira furor brevis eſt*, quam coërcere non potes, ubi frænos ſemel laxaveris: rationem obumbrat, vetatque videre quæ vera ſint, quæ juſta. *Maximum remedium eſt iræ mora: deſinet, ſi expectet* (d). Primus iræ motus in rationis poteſtate non eſt: at quamvis tenuiſſimum rationis lumen effulgeat, differre potes exequi ea quæ iratus decrevisti: tum deſidet ira, & facilè vincitur. *Melior eſt patiens viro forti* (e), ait Salomon; *& qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium*. Alibi (f): *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit*.

℣. 20. IRA ENIM VIRI JUSTITIAM DEI NON OPERATUR. Ita tumultuoſus eſt motus, omnino contrarius iis, quæ Deus ab homine poſtulat, vult Deus, ita nos uti ratione, ut ipſum noverimus, amemus, obtemperemus: ira mentem obnubilat, voluntatem perturbat, in extrema impellit: quæ quidem ſunt Deo inviſa. Eſt igitur loquendi modus, rei invidiam verbis extenuans (g): *Ira viri juſtitiam Dei non operatur*, nempe Divinæ juſtitiæ injuriam irrogat.

Aliter (h): Ira hominis ad vindicandam Dei juſtitiam non deſtinatur. Interdum putas, te recti ſtudio & juſtitiæ amore agi, dum reverà iræ tantummodo obſecundas: at iræ noſtræ impetus non elegit Deus, ut per eos ſuam ipſe vindictam exerceat: ſunt in eam rem Judices ac Magiſtratus, qui idcirco gladio inſtruuntur. Prior explicatio melior.

℣. 21. PROPTER QUOD ABJICIENTES OMNEM IMMUNDITIAM, &c. Cùm ſapientiam acquirere, & ſalutem conſequi opteris, cavete omnia ab ea ſine removentia, voſque ita ipſi comparate, ut utrumque aſſequamini. Omnes mentium veſtrarum ſordes detergete, laſciviam, avaritiam, immodicum vitæ hujus bonorum ac voluptatum amorem: puerilem ſuavitatem & innocentiam, abſolutiſſimamque modeſtiam, facilitatem, humilitatem moribus exhibete; ipſique verbum ſalutis, animarum ſalutem vobis allaturum, excipite.

INSITUM VERBUM, quod accepiſtis, cui credidiſtis, quod unum veſtræ fiduciæ & felicitatis eſt argumentum. At ſi inſitum fuit illis verbum, quorſum hortatur, ut illud excipiant? Sunt qui Græcum reddant (i): *Clementer arripite verbum ſimplex, nativum*, nullis coloribus fucatum; minimè verò, inſitum vobis aut implantatum. Significat autem verbum Evangelii, quod ipſi jampridem acceperant, ſed aliâ mente ab illis imprimi exercitatione deſiderat. Plerique ita interpretantur (k): Enutriti eſtis lectione Legis & Prophe-

(r) *Greg. lib. 12 Moral. c. 17.*

(s) *Act. xvi, 14: Cujus Dominus aperuit cor.* (t) Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς. *Antiq. Ital. Volens peperit nos.* (u) *Act. xiii, 48: Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.*

(x) Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων. *Antiq. Ital. Ut ſimus primitia conditionum ejus.* (y) *Vide Bed. Eſt. Gror. Tirin. alios.*

(z) Ὥστε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. *Vulg. legit:* Ἴστε, *ſcitis. Ita Alex. Barb. 1, Velez. Copht. Auguſt. Bed.* (a) *Rom. ii, 13.* (b) *Ambroſ. lib. 1 Officior. cap. 3.* (c) *Prov. i, 5.*

(d) *Senec. l. 2 de Irâ, cap. 28.* (e) *Prov. xvi, 32.* (f) *Eccle. vii, 10.*

(g) *D. Thom. Eſtius. Eſt. Gror. Men. Tirin. alii plerique.* (h) *Cajet. hic. Vide & Dioſon.*

(i) *Antiq. Ital. Per Clementiam excipite genitum verbum, qui poteſt ſalvare, &c. Græc.* Ἐν πραΰτητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον. (k) *Ita Heinſ. Exercit. Sacr.*

Digitized by Google

℣. 22. Eſtote autem factores verbi; & non auditores tantùm, fallentes vosmetipſos.

℣. 23. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo:

℣. 24. Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.

℣. 25. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in eâ, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.

COMMENTARIUS.

phetarum; quæ quidem lectio ceu arbor eſt in veſtro ſolo nata, a primiſque annis educata: unum ſupereſt, ut Evangelii verbum illi inſeratis: illud igitur excipite, ſi nondum accepiſtis: ſin autem accepiſtis, facite fructos ferat, altas in vobis radices agat, animis veſtris miſceatur, uti taleola inſita arbori admiſcetur. Atque uti taleola humorem ſilveſtris arboris mutat, novamque in formam vertit, ut bonos fructus ferat; ita opus eſt, eos a vobis fructus ferri, qui non veterem, ſed novum humorem ſapiant, Evangelii, non legis ſpiritu educatos.

℣. 22. ESTOTE FACTORES VERBI, AT NON AUDITORES TANTUM (l). Satis non eſt ſi credas: inſtituenda eſt vita ad eorum normam quæ credis. Quamplures ſupremâ Judicii die dicturi ſunt (m): Domine, nonne tuo nomine prophetavimus? te authore prodigia non patravimus? quibus tamen reſponſurus eſt Judex: Diſcedite a me: neſcio vos. Celeberrimæ per eam ætatem in Eccleſiâ erant Pauli Epiſtolæ, quibus docere videbatur Apoſtolus, bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, unamque Fidem ſufficere. Hujuſmodi doctrinâ quamplures peſſimè abutebantur; multosque ex Judæis ad Chriſtum converſis hoc dogma offendebat, quibus propterea inviſus erat Paulus ceu Legis inimicus; aliis vileſcere cœperat Lex, tamquam inutilis. Ut hanc erroris occaſionem eximat Jacobus, & genuinam Pauli ſententiam Fidelibus explicet, docet hic, Fidem bonis operibus vacuam eſſe inutilem; id quod reſpondet iis quæ Paulus ad Romanos ſcribens ait (n): *Non auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur*; & iis quæ alibi tradit, fidem eſſe cum charitate conjungendam (o), ac præter charitatem vivam efficientemque, cætera eſſe ſupervacanea (p).

℣. 23. HIC COMPARABITUR VIRO CONSIDERANTI VULTUM NATIVITATIS SUÆ IN SPECULO, ſeque inſpecto ſtatim abeunti, maculis minimè deterſis. Quorſum ſeſe inſpexit, viditque vitia, ſi auferre neglexit? Ita quid profuerit quæſiviſſe quid officii veſtri ſit, veſtraque vitia inſpexiſſe in Lege vel Evangelio, dum ſedulò non corrigitis, vitamque optimè inſtituere negligitis? *Vultus nativitatis* eſt naturalis ſpecies quam quiſque præ ſe fert (q), opponiturque ſpeciei ſponte fucatæ, quam quis ad ſpeculum componit, ut ſe ipſe decipiat, ſuaque vitia non videat.

Putat Jacobus, eos, quos ipſe alloquitur, ſe ipſos ſincerè inſpicere in Divini verbi ſpeculo, ſuaque vitia illius ope intueri. Dei verbum fidiſſimum eſt ſpeculum, modò te ipſe non fallas. *Renuntiavit tibi ſpeculum faciem tuam*, inquit S. Auguſtinus (r). *Sicut ſpeculum non ſentit adulatorem, ſic nec te palpes. Evangelium*, ſubdit Bernardus (s), *ſpeculum veritatis nemini blanditur, nullum ſeducit: talem ſe in eo quiſque aſpiciet, qualis fuerit.* Nihil antiquius eſſe homini Chriſtiano debet, quàm veteris hominis imaginem deſtruere, & novi effingere. *Hæc noſtri generis eſt dignitas, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinitatis forma reſplendeat*, inquit S. Leo (t).

℣. 24. STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT. Cùm ſpeculum conſulis, duo cavenda ſunt: I, ne te non ſincerè inſpicias, ac videre nolis vitia, quæ ſpeculo indicantur: II, ne non ſatis attentè ipſe te intuearis, ſtatimque obliviſcaris quid inſpexeris. Id plerumque uſuvenit, ubi videris ea quæ non placuerint (u):

Seque reformidat, ſpeculo damnante, ſenectus.

Itaque te ſæpe, attentè, ſedulò inſpice in divini verbi ſpeculo, neque ſpeculi vitium, ſed te, qui diſſimilis es, accuſa. *Tamò accuſa fœditatem tuam* (x).

℣. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT IN LEGEM PERFECTAM LIBERTATIS (y), novam Legem, Legem Evangelicam, qua ſubducimur jugo rituum Legis, & filii Dei efficimur (z); hic *non auditor obliviosus factus* erit, *ſed factor operis*: contentus non erit conſuluiſſe ſpeculum: vitia ſua inſpiciet, & corriget: non obliviſcetur quæ viderit, ſed opere exequetur. Nihil frequentiùs in Pauli Epiſtolis ſonat, quàm Legis novæ libertas, finis umbrarum, abrogatio rituum, gratia adoptionis filiorum, ſervituti Legis oppoſita. Judæi, qui Paulum oderant, ejus verba peſſimè interpretabantur: nonnulli verò, illum ejuſque dogmata quamplurimi æſtimantes, iis male abutebantur, ajebantque, neceſſariam non eſſe Legis obſervationem, noſque per Evangelium jugo Legis eximi. Pauli mentem interpretatur Jacobus, inquiens, Evangelium quidem eſſe Legem libertatis, at eo non effici, ut qui illud amplexi ſunt, ipſum opere exequi non debeant: *Et permanſerit in eâ, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis* (a): beatum eſſe Chriſtianum, ſi Dei vo-

(l) Καὶ μὴ μόνον ἀκροαταί. *In quibuſdam deeſt* μόνον, *ſed maxima pars habet. Antiq. Ital. Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, aliter conſiliantes. Græc.* Παραλογιζόμενοι ἑαυτούς.
(m) *Matth.* VII, 21, 22, 23, *& ſeq.* (n) *Rom.* II, 13. (o) *Galat.* V, 6: *Fides, quæ per charitatem operatur.* (p) 1 *Cor.* XIII, 1, 2, 3. *Vide Grot. Eſt. Gatak. alios paſſim.*
(q) Πρόσωπον τῆς γενέσεως. *Antiq. Ital. Faciem natalis ſui.* (r) *Auguſt. in Pſal.* CIII, *Concione* 2.
(s) *Bernard. ſerm.* 1 *De ſeptem panib.* (t) *S. Leo, ſerm.* 1 *de Quadrag.*
(u) *Claudian. lib.* 2 *in Eutrop.* (x) *Auguſt. in Pſal.* CIII, *Serm.* 2, *n.* 4.
(y) Εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας. *Sixt. V, & alia edit. In lege perfectæ libertatis.*
(z) *Oecumen. Eſt. Grot. Men. Ham. Lud. de Dieu, alii paſſim. Confer Galat.* IV, V; 2 *Cor.* III, 6; *Hebr.* VII, 19; VIII, 9. (a) *Antiq. Ital. Et perſeverans non auditor oblivionis factus,* Ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς.

Digitized by Google

℣. 26. Si quis autem putat, ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.

℣. 27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

COMMENTARIUS.

luntati obtemperaverit, non illam ſolummodo audierit: *Beatus in facto ſuo erit*: meminerit Chriſtianus, Chriſtum non ſemel in Evangelio monuiſſe, veterem Legem novâ non deſtrui, ſed perfici, verumque ad finem perduci (b): *Non veni Legem ſolvere, ſed adimplere.*

℣. 26. SI QUIS PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE (c), NON REFRÆNANS LINGUAM SUAM, ſe ipſe fallit, & inanis eſt illius religio. Fideles ex Judæis, ad quos hæc Epiſtola eſt, nunquam non fuere Legis ſtudioſiſſimi. Stabat adhuc Templum, & Apoſtoli non modò non docebant deſerendas eſſe Legis obſervationes, verùm etiam hortabantur, ut eas conſtantiſſimè ſectarentur; at non ita, ut illis tamquam ſalutis ſuæ cauſis omnino fiderent. Sepelienda erat cum dignitate Synagoga, non obruenda cum Judæorum ipſarumque Gentium offenſione: hoc enim pernicioſius futurum erat Evangelio, quàm omnes inimicorum inſectationes: ægrè enim gens integra dediſcere poterat leges, quibus innutrita fuerat.

Judæi complures ad Chriſtum converſi intra æquos rei fines non conſiſtebant, certabantque pervicaciſſimè nonnulli, ſervandam eſſe Legem univerſam, indictâ æterni exitii pœnâ, alii in contrariam partem ſentiebant: his autem ex litibus ſeditiones & jurgia oriebantur. Jacobus, iſta coërciturus, docet, inanem fore omnem ipſorum religionem, niſi frænum linguæ & diſceptationibus injiciant. Fruſtra religioſam Legis obſervationem, & acre erga illius ritus, quos cum Evangelio conjungis, ſtudium oſtentas, dum cares charitate, modeſtiâ, prudentiâ: inanis eſt religio tua, quemadmodum & eorum qui Chriſtianæ, quam nunquam probè noverunt, libertati immodicè favent. Religio quam profitemur, in pace, charitate, bonorum operum exercitatione verſatur. Redit ſæpe Jacobus ad tumultus a maledicis partos: ex quo colligas, mala hujusmodi frequentiora fuiſſe inter Chriſtianos, quos hac Epiſtolâ inſtituit.

℣. 27. RELIGIO MUNDA APUD DEUM, &c. Religio noſtra nequaquam in diſceptationibus inanibusque meditationibus, ſed in charitatis exercitatione verſatur. Quædam dumtaxat opera a Religione imperata hîc enumerat, ut cætera omnia intelligas (d): charitatem erga proximum, & vitæ ſanctimoniam erga homines: *Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*; hujus inſtituta, mores, flagitia, prava exempla vitare, ipſum aſpernari ac fugere. Aliud nos ſæculum præſtolamur (e). *Spes noſtra non eſt de hoc ſæculo: ab amore ejus vocati ſumus, ut aliud ſæculum ſperemus & diligamus.*

CAPUT II.

Delectus inter proximos damnatur. Pauperes pluris æſtimandi. Servanda Lex integrâ fide quoad omnia illius capita. Fides ſine operibus mortua.

℣. 1. FRatres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLITE IN PERSONARUM ACCEPTIONE HABERE FIDEM DOMINI. Qui fidem gloriæ Domini Jeſu accepiſtis, delectum hominum ne habeatis. Jam animadvertimus, quærendum hoc in Epiſtolâ non eſſe accuratum rerum nexum, aut continuam orationis ſeriem. Commendavit Apoſtolus operum charitatis exercitationem, morumque ſanctimoniam: damnat hîc iniquum hominum delectum, qui & charitati repugnat & juſtitiæ. Jubet charitas amari ab unoquoque homines tamquam fratres, imò tamquam ſe ipſum: vult juſtitia reddi unicuique quod debetur. Obſequium debes Principibus ac Magiſtratibus, non ſplendori veſtium aut divitiis. Æſtimanda ſunt virtus vera, & germana animi decora; minimi autem facienda ſunt nomina, quæ tantùm in exteriori ſpecie conſiſtunt: quòd juſtus ſit homo, probus, fide & charitate inſtructus, iſtud porrò magni faciendum eſt, & ſummo loco habendum. Hæc vobis eſto veſtris in cœtibus regula.

Vobis, Divites, tamquam Chriſtianis, majus in Eccleſiâ jus non eſt, quàm fratrum minimo. Si exterius aliquod obſequium vobis exhibetur, id a vobis excipiendum beneficii loco, non debiti; vosque, humiliores inter cæteros, diſcite æſtimare profeſſionis veſtræ dignitatem ac præſtantiam ex ipſâ re, non ex iis qui eamdem ſequuntur (a). Non locupletiſſimos aut ſplendidiſſimos elegit Deus, ſed deſpectiſſimos (b).

FIDEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI GLORIÆ, Fidem glorioſam, qua nobilitamur efficimurque Dei filii, opponit fucatæ mundi gloriæ, ac ſplendori, quo Fideles percellebantur, cùm divites in cœtum ingredientes aſpicerent. Memores dignitatis veſtræ ac præſtantiæ veſtræ profeſſionis: illud animo volvite, vos Jeſu Chriſti

(b) *Matth.* v, 17.

(c) Εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος εἶναι. *Oecumen.* Γνώστης τῶν ἐν τῷ νόμῳ ἀπαῤῥήτων, καὶ ἀκριβὴς φύλαξ.

(d) *Eſt. Grot. alii.* (e) *Auguſt. tract.* 40 *in Joan.*

(a) *Aug. Ep. olim* 29, *nunc* 167, *nov. edit. cap.* 6, *n.* 18: *Peccat, cùm apud ſeipſum intùs ita judicat, ut ei tantò melior, quantò ditior ille eſſe videatur.* (b) 1 *Cor.* i, 27.

℣. 2. Etenim ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candidâ, introierit autem & pauper in ſordido habitu;

℣. 3. Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclarâ, & dixeritis ei: Tu ſede hîc benè: pauperi autem dicatis: Tu ſta illic: aut ſede ſub ſcabello pedum meorum.

℣. 4. Nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum?

COMMENTARIUS.

ſti eſſe, ejusque nominis notam præferre; nullam nobilitatem magni facite, niſi qua nobiles apud Deum efficimini (c).

℣. 2. Etenim si introierit in conventum vestrum (d), &c. Primis temporibus Chriſtianorum cœtus non admodum frequentes erant, ac Magiſtratuum Principumque locus nondum ex ipſorum dignitate diſtribuebatur, quemadmodum deinde uſu vênit. Cùm igitur Eccleſia ſit cœtus, in quem conveniunt fratres pari omnes dignitate, utpote Dei filii, nulla ibi habeatur divitiarum ratio, ubi de loci ordine agitur; vel ſaltem locupletes ne exigant obſequia, nequaquam ſibi debita, neque negligantur pauperes aut ultimum in locum ejiciantur. Cenſuit Hammondus, uſurpandam eſſe hanc ſententiam de cœtibus judiciariis. At tota deinceps orationis ſeries evincit, de ordine in religioſis cœtibus ſervando eſſe intelligendam.

Locupletem hominem deſignat Jacobus ex aureo annulo, micantique veſte, quibus diſtinguebatur (e). Annulorum uſus notiſſimus eſt inter veteres, de eoque non ſemel in Commentariis egimus (f). Apud Romanos jus annuli unis Senatoribus Equitibusque competebat (g). Baronio (h) & Pinedæ (i) annulus creditur fibula, qua divites iſti pallium detinerent; at Græca vox vulgo annulum, gemmam ſonat, non fibulam. *Veſte candida*, ſeu micans, eſt alba veſtis, uti habet Vulgata; atque is color ornatiſſimus erat ac plurimi omnium habitus ob nitorem. Purpureo colore nonniſi Principes, aut in ſolemnibus cæremoniis utebantur; vulgo albus color uſurpabatur.

℣. 3. Tu sede hic bene. Locum digniſſimum locupleti paratis, dicitisque pauperi: *Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum* (k). Ordinis perverſitas, quam Jacobus damnat, indicio eſt, quanti fierent primis a Fidelibus divitiæ, nullâ quidem æſtimatione dignæ, & quantopere ſperneretur paupertas, quam tanti fecit Chriſtus, ac dignitas filiorum Dei & amicorum. Simile quid in Corinthiis damnat Paulus, ubi ait, in ipſorum cœtibus agapisque illud invaluiſſe, ut pauperes a locupletum menſâ, bonorumque communione arcerentur; atque ita luxuriantibus aliis alii eſurirent (l). Vetuſtiſſimum ergo eſt vitium, quòd locupletes ſedem digniſſimam in Eccleſiis uſurpent, idque tum ex modicâ pauperum fide, tum ex locupletum ſuperbiâ originem trahit.

S. Martinus (m), acerrimæ fidei & altiſſimæ humilitatis vir, coram omnibus Maximi Imperatoris familiaribus oſtendit, quanti ipſe faceret Jeſu Chriſti Sacerdotium, ubi Sacerdoti cuidam, unà ad Maximi menſam cœnanti, craterem porrexit, cùm illum Imperatori priùs ab eo exhibitum iri omnes exiſtimarent. Qua ex re aucta eſt Maximi erga Martinum exiſtimatio, qui coram Imperatore id faceret, quod Epiſcoporum nullus coram vulgari Judice auderet.

Videtur Jacobus locum Homeri imitatus (n), ubi dicitur: Ulyſſes ſi quemquam Regem ac præſtantem virum nactus eſſet, hunc ſuavi ſermone mulcebat, appropinquans; O felix, non decet te ut ignavum pertimeſcere; ſed tu quoque maneas, & perſuadeas populo permanere. Quum verò quamquam videret virum plebejum, ac reperiret clamantem, hunc ſceptro cædebat, ac verbo increpabat: Infelix, ſede immobilis, ac aliis pareas qui præſtantiores te ſunt: tu verò effœminatus & enervatus es, nec bello nec conſilio idoneus. Hæc verò Socratem interpretari ajebant, quaſi vellet Poëta, ut verberibus afficerentur plebeji ac pauperes homines.

℣. 4. Nonne judicatis apud vosmetipsos (o), &c. Nonne is eſt iniquus perſonarum delectus? Ubi fides? ubi æquitas? an ita Chriſtus geſſit? an divitem pauperi prætulit? an coram Principibus formidavit? Quos ille patris & matris loco, quos Apoſtolos, quos Diſcipulos elegit? An pluris apud Deum ſunt pauperibus locuple-

(c) *Vide Vat. Grot. Ham. Gatak. &c.* (d) Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν. *Antiq. Ital. Si intraverit in ſynagogam veſtram.* (e) Χρυσοδακτύλιος καὶ ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. *Antiq. Ital. In veſte ſplendidâ.* (f) *Geneſ.* XXXVIII, 18, 25; XLI, 42; *Iſai.* III, 29; *Luc.* XV, 22.
(g) *Dio*, *lib.* 48. (h) *Baron. ad An. Ch.* 34.
(i) *Pineda de Reb. Salom. l.* 6, *c.* 5.
(k) Ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. *Antiq. Ital. Sub ſcamello meo.* (l) 1 *Cor.* XI, 21.
(m) *Sever. Sulpit. Vitâ ſancti Martini*, *n.* 23.
(n) *Homer. apud Xenophont. lib.* 1 Μνημονευμ. Ὑπομ.

Ὅν τινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη,
Τὸν δ' ἀγανοῖς ἐπέεσσιν ἐρητύσασκε παραστάς,
Δαιμόνι', οὔ σε ἔοικε κακὸν ὣς δειδίσσεσθαι.
Ἀλλ' αὐτός τε κάθησο, καὶ ἄλλους ἵδρυε λαούς,
Ὃν δ' αὖ δήμου τ' ἄνδρα ἴδοι, βοόωντά τ' ἐφεύροι,
Τὸν σκήπτρῳ ἐλάσασκε, ὁμοκλήσασκέ τε μύθῳ.
Δαιμόνι', ἀτρέμας ἧσο, καὶ ἄλλων μῦθον ἄκουε,
Οἳ σέο φέρτεροί εἰσι· σὺ δ' ἀπτόλεμος καὶ ἄναλκις,
Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

(o) Καὶ ὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς. Libri quidam auferunt negantem particulam ὐ, quæ tamen nihil nocet, ſi addideris interrogationis notam.

℣. 5. Audite, fratres mei dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?

℣. 6. Vos autem exhonoraſtis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia?

℣. 7. Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?

℣. 8. Si tamen legem perficitis regalem ſecundùm ſcripturas: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: benè facitis.

℣. 9. Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quaſi transgreſſores.

COMMENTARIUS.

cupletes? Nonne iniquos vos judices eſſe oſtenditis? ad verbum (p): *Et facti eſtis judices cogitationum iniquarum?* Fratres ſunt Chriſtiani omnes, & qua Dei filii, pares. Iniquum ergo eſt, divitem pauperi anteferre. Hujusmodi æqualitatem opes non deſtruunt.

℣. 5. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Siquæ in terris divitiæ ſunt æſtimatione dignæ, eæ ſunt Fidei divitiæ (q); hæ quippe veræ ſunt manſuræque & in tempore & in æternitate; Pauperes autem elegit Deus, quos fide donisque ſpiritalibus locupletaret. Digni igitur non ſunt divites, quos tanto honore veſtris in cœtibus proſequamini. Ex infimâ plebe ſelecti ſunt Apoſtoli: primi Fideles fermè omnes inopes: Chriſtus ipſe pauperrimus; idemque non ſemel teſtatus eſt, divitias eſſe ſaluti fideique inimiciſſimas. Homini cæco ab ortu objiciebant Pharisæi (r): *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis?* Et Paulus (s): *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.*

℣. 6. Vos autem exhonoraſtis pauperem (t). Videte quàm perversè judicetis agatisque. Pauperes plurimi facit Deus, dum eos eligit, quibus dona ſua pretioſiſſima impertiatur: vobis autem deſpectiſſimi ſunt pauperes, qui terrenis hiſce bonis vacui, divinis largitionibus abundant. *Qui calumniatur* (opprimit) *egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miſeretur pauperis*, ait Sapiens (u).

Nonne divites per potentiam opprimunt vos (x)? Locupletes plerumque vobis ſunt inimiciſſimi; illique ipſi, qui veſtros in cœtus veniunt, quosque tam multis honoribus proſequimini, nonne vos arroganter repellunt, ubi ad eos acceſſeritis? nonne iniquiſſimas operas indignamque ſubjectionem a vobis exigunt? Quorſum igitur tantum obſequii? an cupiditatis causâ, exiſtimationis, metûs, amoris? Jam ipsâ Apoſtolorum ætate graves erant pauperibus locupletes. Superbia, ambitio, iniquitas ab opulentiâ ægrè ſejunguntur (y).

Trahunt vos ad judicia, coguntque aut debita reddere, aut operas, quas deberi negatis, præſtare. Idem hoc vitium in Corinthiis arguit Paulus (z). Erant inter eos lites: pauperes quippe a divitibus ad infidelium tribunalia trahebantur; quibus ex litibus contemptus Religionis oriebatur.

℣. 7. Ipsi blaſphemant nomen bonum, auguſtum Chriſti nomen, ex quo nuncupationem accepiſtis. Non ipſi Chriſtiani locupletes injuriâ afficiunt Jeſu Chriſti nomen, ſed cauſam præbent, ut ab Ethnicis proſcindatur convicitis, damneturque Religio, quæ nihil frequentiùs quàm pacis, charitatis, paupertatis amorem docet, & in qua locupletes ſunt, a quibus lites ob terrenas res pauperibus intentantur. *Blaſphemant* idem hoc loco eſt ac *blaſphemare faciunt*, ex Interpretum plurimorum ſententiâ (a). *Nomen quod invocatum eſt ſuper vos*, nempe, ex quo appellationem deſumitis. Viri nomen ſuper ſponſam, domini ſuper ſervum, Dei in populum ipſi devotum invocatur. Receptiſſima apud Hebræos locutio. Chriſtus Jeſus Deus noſter eſt, Pater, Dominus, Vir.

℣. 8. Si tamen (b) legem perficitis regalem, quòd ſi regiam charitatis legem impletis, benè facitis. Exteriores obſequii ſignificationes, quas locupletibus magnatibusque exhibetis, abſolutè non damno, modò id non officiat charitati, pauperes non ſpernantur, non lædatur Religio. Obſequia locupletibus præſtita, damnanda ſunt, ſi vel immodica, vel orta ex ſolâ divitiarum æſtimatione, neglectâ Chriſtiani hominis ac filii Dei dignitate, quæ multo eſt ſpectatiſſima. *Lex regalis* vel Dei lex eſt (c), reverâ omnium prima, Lex Regis æterni atque immortalis; ſive Evangelium (d), quod Chriſti Jeſu Regis noſtri eſt lex; vel ea lex, quæ ſuum unicuique reddit, nullâ aſſentatione aut delectu, lex neminem palpans, lex nimirum juſtitiæ quàm religioſiſſimæ; ſeu denique lex charitatis (e), quæ proximum a nobis ceu noſmetipſos amari jubet, vetatque præponi divitem pauperi, eumque ita tractari vult, uti nos tractari optamus. Poſtrema hæc explicatio cum textu magis convenit, magisque probatur.

℣. 9. Redarguti a lege (f), quæ iniquo ho-

(p) Καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν. *Oecumen.* Ἄδικοι κριταὶ τῇ πονηρίᾳ ἐκ προσωποληψίας προσθέμενοι. (q) 1 *Cor.* 1, 5: *In omnibus divites facti eſtis.* (r) *Joan.* VII, 48.
(s) 1 *Cor.* 1, 27. (t) *Gr.* Ὑμεῖς δὲ ἠτιμάσατε τὸν πτωχόν. *Antiq. Ital. Vos autem fruſtratis pauperem.* (u) *Prov.* XIV, 31. (x) Καταδυναστεύουσι ὑμῶν, *Per tyrannidem opprimunt vos.*
(y) Ὕβριν τοι τίκτει πλοῦτος. *Euripid.* (z) 1 *Cor.* VI, 5.
(a) *Eſt. Grot. Men. Piſc. Cornel. alii. Vide Ezech.* XXXVI, 21, 22; & *Rom.* II, 24.
(b) Εἰ μέντοι τελεῖτε. *Si tamen, ſi quidem, quod ſi, ſanè ſi, &c. Antiq. Ital. Si tamen lege conſummamini regali.* (c) *Syr. Lud. de Dieu.*
(d) *D. Thom. ſeu alius, Hugo, Gloſſ. Grot.*
(e) *Eſt. Vorſt. Grot. Tir. Cornel. alii.*
(f) *Antiq. Ital. A lege traducti*, ὑπὸ τοῦ νόμου ἐλεγχόμενοι.

℣. 10. Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.

℣. 11. Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit &: Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis.

COMMENTARIUS.

hominum delectu interdicit (g). Cavet lex, ne quis hominum rationem in judiciis habeat: jus reddendum eſt cùm diviti tum pauperi, nullo divitis metu, nullâ erga pauperem indulgentiâ: res ipſa per ſe inſpicienda eſt, negligenda perſona: at juſtitia & charitas, quæ duplex hujus legis cardo erga Judices, ſervandæ ſunt ubique, cùm ferendum eſt de proximis judicium, aut aliquid circa ipſos agendum. Fratres lauda, magnifacito, cole, ama ob illud ipſum quod ii ſunt & merentur, neglecto prorſus quicquid exterius eſt & ab homine ipſo alienum: id tamen æquos intra limites ſumito, præter recti ordinis detrimentum, ſervatoque obſequio, quod ex humanis divinisque legibus debetur legitimis Magiſtratibus, de quibus hîc non disputatur.

℣. 10. QUICUMQUE AUTEM TOTAM LEGEM SERVAVERIT, &c. Stoicorum ſententia, apud quos vulgatum eſt, peccata eſſe æqualia (h): *Siquidem eſt peccare, tamquam tranſilire lineas: quod cùm feceris, culpa commiſſa eſt. Quàm longè progrediare, cùm ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet*, ait Tullius in paradoxis. Eadem fermè quæ Stoici, ſentiebant Phariſæi, teſte Joſepho (i); ex qua perſuaſione fortaſſe ortum habuit religioſiſſima illa Phariſæorum erga traditiones legesque quaslibet ſuperſtitio. Rabbini, quorum plerique Phariſæi ſunt, pariter docent (k). *Qui tranſgreditur unum præceptum, ac ſi tranſgrederetur omnia affirmantia; nam unum pendet ab alio.* Et: *Omnes qui dicit, Totam legem ego recipio in me, præter verbum unum, hic ſermonem Domini ſprevit, & præcepta ejus violavit, aut irrita fecit.* Eadem ſententia legitur in quarto Macchabæorum, 55. At cave tribuas Jacobo Phariſæorum errorem, aut Stoicorum commenta. *De paritate peccatorum ſoli Stoici auſi ſunt diſputare, contra omnem ſenſum generis humani*, ait S. Auguſtinus (l). His repugnant recta ratio, gentium omnium mores, naturalis æquitas (m):

Queis paria eſſe ferè placuit peccata, laborant
Cùm ventum ad verum eſt; ſenſus moresque repugnant,
Atque ipſa utilitas, juſti prope mater & æqui.

Alia igitur quærenda eſt loci hujus explicatio, dicendumque cum Auguſtino (n), Bedâ, aliisque compluribus, Jacobum fortaſſe agere de Lege charitatis, de qua ſupra: *Fit omnium reus, quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet: reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia.* Hinc verò minimè illud conſequitur, æquè reum eſſe hominem, violato charitatis præcepto unâ in re, tamquam in omnibus violarit. Plus minusve peccati eſt, ubi major minorve charitatis læſio (o); & quamquam æterni ſupplicii reus eſt qui præcipuum aliquod charitatis caput violat, tamquam Legem univerſam tranſgrediatur (p), paria tamen illi non debentur ſupplicia, quæ Legem univerſam tranſgredienti. Qui necem uni homini attulit, mortis ſupplicio afficitur æquè ac ſi vicenos necaverit: una tantùm illi mors infertur, quia unâ plures ſubire non poteſt.

Alii (q) ita interpretantur: Dei Lex fœdus eſt a Deo cum hominibus initum: qui uni fœderis capiti deeſt, totum fœdus violat: quemadmodum in concentu diſſonum quidlibet totum concentum miſcet: uti pretioſam veſtem macula una corrumpit ac vilem efficit: uti catenam annulus unus frangit: bonum ex omnibus ſimul partibus atque adjunctis coaleſcit: ſiquid deſit, bonum non eſt: malum verò ex quocumque defectu naſcitur. Bonus non es, ſiquâ virtute careas: prava habitudo vel una, unumque flagitium te malum efficit: careas fide aut charitate, cætera nihil proſunt. Proximi amorem cole, opes tuas largire pauperibus, prodigiis clarus eſto ob gentium converſionem: niſi Deum ames, nihil agis.

Ita verum eſt, eum qui Legem univerſam ſervat, violato uno illius capite, totius Legis reum eſſe, dignumque æterno ſupplicio, quaſi univerſam neglexerit: at ſi unius lethalis criminis reus fuerit, æquè multa ſupplicia non feret, ac ſi pluribus peccatis inquinaretur. Atque ut ad rem, de qua Jacobus, hæc doctrina explicetur: qui plurimi ex animo faciens locupletem, minimi pauperem, huic illum præfert, neglectâ Chriſtiani hominis dignitate, qua pauper diſtinguitur, quæque omnibus mundi opibus eſt multo præſtantior, ſi pauperis contemptus, & exhibitum locupleti obſequium eò feruntur, ut præcipuas juſtitiæ & charitatis leges violent, reus erit apud Deum qui iſta commiſit, ita ut æterna ſupplicia mereatur, quaſi quælibet in flagitia deſcenderit.

Sunt (r) quibus Apoſtolus hîc damnare videatur quorumdam Judæorum ſententiam (s), negantium æternis ſuppliciis addictum iri eum, qui aliquam Legis partem ſervaverit, tametſi in aliis capitibus defecerit, cùm nulla merita apud Deum pereant. Id adhuc vulgo ſentiunt Judæi, æternisque cruciatibus non adjudicant niſi perpaucos Iſraëlitas, qui præcipua Religionis capita rejiciunt, aut extrema flagitia ſectantur. Ita etiam erraſſe quosdam ætate ſuâ Chriſtianos, teſtis eſt S. Auguſtinus, qui eos refellit (t). Vide s *Joan.* 551, 4.

℣. 11. QUI ENIM DIXIT, NON MOECHABERIS, &c. Germana dictorum ratio hæc eſt. Idcirco

Qui

(g) *Levit.* XIX, 15: *Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Juſtè judica proximo tuo. Deut.* I, 17: *Nulla erit diſtantia perſonarum, &c.* XVI, 19. *Non accipies perſonam.*

(h) *Horat ſerm. lib.* 1, *ſatyr.* 3, *v.* 96; *Tull. Paradox & orat. pro Murenâ; & Auguſt. Ep.* 29 *ad Hieron. nunc* 75, *nov. edit.* (i) *Joſeph. de vitâ ſuâ. initio*: Ἠρξάμην πολιτεύεσθαι τῇ φαρισαίων αἱρέσει κατακολουθῶν, ἣ παραπλήσιός ἐστι τῇ παρ' Ἕλλησι Στοϊκῇ λεγομένῃ.

(k) *Vide Druſ. Peſichta* 50, 5. (l) *Auguſt. Ep.* 167. *nov. edit. n.* 4, *c.* 2.

(m) *Horat. ſerm. l.* 1, *ſat.* 3. (n) *Aug. Ep.* 167, *n.* 16.

(o) *Idem ibidem: Magis facit contra charitatem qui gravius peccat; minus qui levius: tantò quisque plenior iniquitatis, quantò inanior charitatis.*

(p) *Gatak. Grot. Caſtal. Menoch. Eſt. Oecumen.* (q) *Vide Gatak. Strigel. Tirin. alios.*

(r) *Brugenſ. & alii apud Cornel. a Lapide.*

(s) *Vide Rab. Moſ. & R. Salom. in Deut. tit.* 1, *de Pœnit.* (t) *Aug. Enchirid. cap.* 67.

℣. 12. Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes judicari.

℣. 13. Judicium enim ſine miſericordiâ illi, qui non fecit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium.

℣. 14. Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?

COMMENTARIUS.

Quicumque totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus, quia injuria Deo Legum omnium authori irrogatur. Porrò cùm Legum Authorem offendis, omnia illius decreta aſpernaris. Si parendum Deo non eſt adulterium interdicenti, cur pareas vetanti homicidium? Igitur qui unum Legis caput violat, omnia quodammodo violat, vel eſt violare paratus, cùm neque aut Legum obſequio, aut Legislatoris reverentiâ, aut criminis execratione deterreatur. Non violavit, quia defuit occaſio aut libido, ſive ſuppliciorum metu aliisve humanis rationibus perculſus eſt.

Id tamen abſolutè ac ſine explicatione intelligendum non eſt; quamvis enim qui in Dei contemptum devênit, ad quælibet flagitia ſit comparatus, tamen haudquaquam illud conſequitur, ipſum a Deo mulctatum iri perinde ac omnia reverâ commiſerit, aut tam flagitioſum eſſe ob ſolam animi habitudinem, quàm ſi omni peccatorum genere deliquerit. In homine ſolùm punit Deus peccandi propoſitum, aut peccati actionem. Sceleſtiſſimus quisque non in omne flagitii genus paratus eſſe poteſt; imò & ægrè invenias hominem, qui nullo penitus vitio careat. Mala non perpetrata culpæ non tribuit Deus.

℣. 12. SIC LOQUIMINI, ET SIC FACITE, SICUT PER LEGEM LIBERTATIS, &c. tamquam qui judicium ſubituri eſtis ad Legem libertatis, ſive ad Legem Evangelii, quàm unà cum Paulo (u) nuncupat *Legem libertatis*; eodemque nomine jam antea, I, 25, donaverat: *Legem perfectam libertatis*. Omnia vitæ & geſta & verba ita temperate, ut ne damnemini supremâ Judicii die per Legem Evangelicam, legem nempe libertatis filiorum Dei. Partâ vobis per Chriſtum libertate ne ad Leges illius violandas abutamini: atque intelligite, unius tantùm ex Legibus violationem ſufficere, ut æterna ſupplicia promereamini; vosque cætera præcepta fruſtra ſervaturos, ſi præcepto charitatis erga fratres, alterive ſimili aut æquè gravi defueritis.

℣. 13. JUDICIUM ENIM SINE MISERICORDIA (x) ILLI QUI NON FACIT MISERICORDIAM. Talem ſeſe nobis in judicio præſtiturus eſt Deus, quales ipſi erga cæteros fuerimus. Si pauperes ſuperbè contempſerimus, omnem Deus juſtitiæ ſeveritatem exercebit (y): ſi humaniter ac benevolè exceperimus, pius ac miſericors futurus eſt erga nos Deus. Supremum Judicium deſcribens Chriſtus (z), ait, ſupremum Judicem reprobis dicturum: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non dediſtis mihi bibere*, &c. Electis verò: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Quaſi tota hominis probitas improbitasque in exercitâ neglectâve miſericordiâ conſiſtat.

SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA JUDICIUM. Miſericordia ſeveritati judicii antecellet. Duplici ſignificatione uſurpari poſſunt hæc verba, ſive de Numinis ſive de hominis miſericordiâ. Dei miſericordia nunquam non ſeveritatem ſuperat (a); ac propria quodammodo laus Dei eſt, bene ſemper facere & miſereri: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*. Aliquid a ſe alienum facere videtur Deus, cùm punit (b): *Iraſcetur: ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo*. Colligunt ex hoc loco nonnulli, prædeſtinatorum Electorumque numerum majorem fore quàm reproborum: at Scriptura diſertè aſſerit (c), multos eſſe vocatos, paucos verò Electos; & plerique Patres ac Theologi optimo jure cenſent, multo plurimos eſſe vel e Chriſtianis, qui in exitium ruunt. Cæterùm hic ſenſus omnino ab hoc loco videtur eſſe alieniſſimus.

Illud vult Apoſtolus, ex optimorum Interpretum ſententiâ (d), metuendum non eſſe Dei judicium illi, qui miſericordiam erga fratres exercuerit: integrâ ille fiduciâ ſummum Judicem adibit, hilaris accedet, ſecurus de promiſſionibus Dei & præmio. Græcus ad verbum (e): *Supergloriatur autem miſericordia judicium*: ad Judicem accedit, non ut cauſam pro ſe dicat, ſive damnationis ſententiam ſubeat, ſed ut ritu ſolemniori laudes bene geſtis debitas referat. Confer verba Chriſti ad Electos ſupremâ die Judicii, membro ſuperiore a nobis recitata. *Eleemoſyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*, ait Tobias (f). *Beati miſericordes*, inquit Chriſtus (g), *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. *Non memini me legere malâ morte mortuum*, ſubdit S. Hieronymus (h), *qui libenter opera charitatis exercuit: habet enim multos interceſſores: & impoſſibile eſt, multorum preces non exaudiri*.

℣. 14. QUID PRODERIT, SI FIDEM QUIS DICAT SE HABERE, OPERA AUTEM NON HABEAT? Huc ſpectabat Jacobus, ut coërceret eos, qui Pauli Epiſtolis abutebantur. Docuerat Apoſtolus ad Romanos (i) & ad Galatas (k), poſt Habacucum (l), Juſtum ex fide vivere, hominemque fidelem juſtum fieri per fidem abſque Legis operibus (m): *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram*

(u) Rom. VIII, 21: *Vocati in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Galat. IV, 31: *Qua libertate Chriſtus nos liberavit*. V, 13: *In libertatem vocati eſtis*.

(x) Ἡ γὰρ κρίσις ἀνίλεως. *Antiq. Ital. Judicium autem non miſerebitur ei qui non fecit miſericordiam*. (y) Matth. V, 7: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*.

(z) Matth. XXV, 33, 34. (a) Gregor. homil. 33 in Evangel. (b) Iſai. XXVIII, 21.

(c) Matth. XX, 16. (d) Eſt. Menoch. Caſtal. Tirin. Eraſm. Vorſt. Piſcat. Alii.

(e) Καὶ κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως. *Antiq. Ital. Supergloriatur autem miſericordia judicium*.

(f) Tobiæ IV, 11. (g) Matth. V, 7. (h) Hieronym. ad Nepotian.

(i) Rom. I, 17. (k) Galat. III, 11. (l) Abacuc. II, 4.

(m) Rom. III, 20, 28.

℣. 15. Si autem frater, & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano;

℣. 16. Dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?

℣. 17. Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſâ.

℣. 18. Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.

COMMENTARIUS.

ram illo. Et: *Arbitramur, hominem juſtificari per fidem ſine operibus Legis.* Hinc perperam colligebant, Legem igitur eſſe inutilem, & acquiri poſſe ſalutem abſque bonorum operum exercitatione. Vide, quanta pernicies oritura erat ex hiſce verbis non ſapienter explicatis. Itaque in illud incumbit Jacobus, ut fidem ſine operibus mortuam adeoque inutilem eſſe demonſtret.

Qua in ſe aptiſſimè congruit cum Paulo Apoſtolo, qui hoc tantummodo vult, Legis Judaicæ obſervationem per ſe inutilem eſſe ad ſalutem, poſt Evangelii prædicationem, niſi cum fide & charitate jungatur; noſque per fidem ſolam charitati ſociatam, abſque operibus Legis Judaicæ, juſtos effici poſſe & ſalutem comparare. At moralia opera, & juſtitiæ, miſericordiæ, cæterarumque virtutum exercitationem adeò non excluſit, ut paſſim in Epiſtolis ad bene ac piè vivendum, colendaſque veritates a Chriſto traditas hortetur.

Inter Hæreticos nemo impudentiùs abuſus eſt Apoſtolorum doctrinâ de operum Legis inanitate, quàm Simon Magus (n). Docebat ille, nihil homini ſperandum eſſe, niſi ex ſuâ unius gratiâ, nullamque habendam eſſe de bonis operibus ſollicitudinem. Opera omnia, ajebat ille, per ſe indifferentia ſunt: bonorum malorumque operum diſcrimen invexere Angeli, ut homines ſibi obnoxios facerent: quamobrem qui ſpem ac fiduciam in ipſo Simone atque Helenâ collocaſſent, ipſos fore eâ ſuperſtitione liberos, & facere quicquid liberet poſſe. Hanc hæreſim ætate S. Auguſtini (o) inſtauravere nonnulli e Chriſtianis, cenſentes, eos qui bona opera fidei adjicerent, ſimiles eſſe illis, de quibus Apoſtolus (p), qui ædificant ſuper fundamentum aurum, argentum, & lapides pretioſos: illos autem fœnum, ligna, ſtipulam, qui cùm eamdem fidem habeant, male operantur; putantque, per quaſdam pœnas ignis eos poſſe purgari ad ſalutem percipiendam merito fundamenti. Eum errorem validè refellit S. Doctor in libris de octo quæſtionibus ad Dulcitium, & de Fide & operibus.

Recentiores Reformati ſæculo decimoſexto negavere, opera eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſaltem uti cauſas meritorias; unam Chriſti fidem ſufficere; ſalutem comparari per Chriſti juſtitiam & merita homini imputata; Sacramenta non eſſe germanas humanæ ſanctificationis cauſas, ſed mera ſigna ſeu pignora juſtitiæ Jeſu Chriſti, qua per fidem induimur, adeo ut prædeſtinatus quis eam amittere nunquam poſſit. Monſtra opinionum, quorum puduit ex ipſis Proteſtantibus complures. In eam ſententiam hæc habet Grotius hîc: Fuere qui dicerent: *Opera quidem mea non recta ſunt, ſed fides recta eſt: ac propterea de ſalute non periclitor.... Renata eſt hoc infelici ſæculo ea ſententia, & quidem ſub nomine repurgatæ doctrinæ; cui omnes qui pietatem & ſalutem proximi amant, ſe debent opponere... Cæterùm nulla cuiquam fides profuit ſine tali opere, quale tempus permittebat, ut illius cum Chriſto crucifixi exemplo apparet.*

Hebræi complures ajebant, uti animadvertimus ad ℣. 10, Iſraëlitas omnes, ad ſupremum uſque ſpiritum Judaicâ in profeſſione manentes, futuræ vitæ fore participes, quamquam violatâ multis capitibus Lege. Hæc tamen communis non eſt Synagogæ perſuaſio; Judæi enim opera eſſe ad ſalutem neceſſaria arbitrantur. Clypeus ſunt, quibus homo adverſùs Dei juſtitiam protegitur; atque uti navigaturus annonam comparas, fruſtra inter undas fluctuſque quæſiturus, ita bene age ſuperſtes, quippe cui ſupremâ Judicii die bene agendi tempus deerit. Nulla fermè ſacrorum voluminum pagina eſt, in qua bonorum operum neceſſitas aut clam non innuatur, aut disertè non pronuncietur.

℣. 15. Si autem frater et soror nudi sunt, & ope haudquaquam ſuppeditatâ eos remittas, teſtatus optare te ut veſtem cibumque inveniant, quid proderit votum? ℣. 17. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa (q), inanis, vana, arbor eſt fructu vacua, inanis oratio, inutile deſiderium. Denique fruſtra gloriaris te fidem habere; ſi enim vera tibi fides, viva, & inſtructa charitate foret, atque uti opus eſt fervida, inerts non eſſet, ſed que ipſa bonis operibus proderet. Quemadmodum nudo pauperi inutile eſt ſterile tuum deſiderium; ita fides operibus deſtituta, ſaluti inutilis futura eſt: *Mortua eſt in ſemetipſâ.* Græcus ſignificare poteſt (r): *Mortua eſt, cùm ſit ſola* (s), ſcilicet operibus vacua, & charitate deſtituta. Sive: *Mortua eſt per ſe ipſam* (t), ſeu tota quanta eſt (u).

℣. 18. Tu fidem habes, at ego opera habeo, &c. Quæ iſta fides ſterilis, quam jactas? qua in re illam ponis? qua illam ratione demonſtras, ſi convenientia opera non habes? ego quidem opera habeo, optimum fidei meæ argumentum. Demonſtranda mihi non eſt fides mea: facta loquuntur, pii homines vident: Deus amplam mercedem pollicitus eſt. Nihil in te vident homines, nihil tibi debet Deus, cùm nihil illius gratiâ facias. Græcus fert (x): *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Vulgata: *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus*, &c. cui favent eximii

(n) *Iren. lib. 1, cap. 20.* (o) *Vide Auguſt. de Fide & operibus, cap. 1: Retentâ fide Chriſtianâ, ſine qua in æternum periret, in quolibet ſcelere immunditiâque permanſerit, ſalvum eum futurum tamquam per ignem. Vide & lib. de octo quæſtionib. ad Dulcit. q. 1. n. 3.* (p) *1 Cor.* III, 11, *& ſeq.* (q) Ἡ πίστις ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. *Antiq. Ital. Fides ſi non habeat opera, mortua eſt ſola. Idem,* ℣. 14: *Numquid poteſt fides eum ſola ſalvare?* (r) Νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν. (s) *Vat. Eraſm. Syr. Eſt. Menoch.* (t) *Eraſm. Pagn. Piſc. Grot.* (u) *Vide Grotium.*
(x) Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ τῶν ἔργων σου, κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου.

℣. 19. Tu credis quoniam unus eſt Deus: Bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.

℣. 20. Vis autem ſcire, o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?

℣. 21. Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?

℣. 22. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt?

℣. 23. Et ſuppleta eſt ſcriptura, dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.

℣. 24. Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm?

℣. 25. Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuscipiens nuntios, & aliâ viâ ejiciens?

COMMENTARIUS.

mii codices Græci complures, Syriaca, Cophtica, Æthiopica, & Græcæ Editiones nonnullæ (y). Vetus Italica: *Oſtende mihi Fidem ſine operibus, & ego tibi de operibus Fidem.*

℣. 19. DÆMONES CREDUNT, ET CONTREMISCUNT. Itaque haud ſufficit credere, cùm vel Dæmones credant: neque ſatis eſt Divinam Majeſtatem vereri & formidare, cùm & ipſi Dæmones formident & contremiſcant. Habenda eſt fides viva, charitate inſtructa, bonisque operibus efficax. Credunt Dæmones vel ob reſiduam ex fide ſupernaturali habitudinem, uti videtur Scholaſticis quibusdam & Interpretibus (z), vel naturali fide, victi nimirum veritate ac perſpicuitate rerum & prodigiorum, ut alii probabiliùs cenſent (a); timentque non timore filiis digno, ut Angeli, de quibus Eccleſia: *Tremunt poteſtates*; neque eo timoris genere, quod Spiritûs Sancti donum eſt, Sanctorumque ſalutem parit; ſed ceu timet ſervus aut reus Judicem dominumque, cujus ſeveritatem & juſtitiam norunt.

℣. 21. ABRAHAM PATER NOSTER NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATUS EST? Paulus in Epiſtolis docuerat, Abrahamum non adeptum eſſe juſtitiam ex circumciſione, aut ex Legis operibus (b), ſed ex Fide: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* Ex his colligebant Simoniani, & ex malis Chriſtianis nonnulli, opera ſaluti eſſe inutilia. Horum errorem damnat Jacobus, oſtenditque, mortuam ſterilemque fidem non fuiſſe Abrahamo; crediſſe illum & feciſſe; integramque Deo obedientiam ac fidem geſtis omnibus exhibuiſſe; cujus ſpecimen perſpicuum fuit prompta illa animi præparatio, qua filium erat mactaturus. Paulus ipſe non ſemel Abrahami nedum Fidem, ſed fidelitatem & obedientiam commendat (c); ac disertè docet, non auditores Legis juſtos fieri apud Deum, ſed executores (d). Non uno in loco S. Auguſtinus Jacobum cum Paulo conciliat (e).

℣. 22. FIDES COOPERABATUR OPERIBUS ILLIUS (f). Abrahami fides haud iners fuit, ſed efficiens. Fide operibusque fieri Deo charus & juſtus cœpit. Fides inſtar radicis, rami arboris fuere opera; *Ex operibus conſummata eſt*, perfecta. Ablatis operibus, rudis erat, iners, mortua, inutilis, neque comparatura Abrahamo juſti hominis & ad Dei voluntatem formati dignitatem, æternamque mercedem. Hæreticos Interpretes torquet hic locus, apertè adeò pugnans cum ipſorum ſententiâ, opera ad ſalutem neceſſaria eſſe negante.

℣. 23. SUPPLETA EST SCRIPTURA (g), &c. Impleta tunc denique eſt hæc Scripturæ ſententia, cùm Abraham nedum credidit Deo, præter omne ſpei fundamentum, pollicenti filium ſibi eâ ætate, qua procreare non poſſe videbatur, ſterili præſertim Sarâ & annis effœtâ; verùm etiam cùm paruit Deo, relictis patriâ parentibusque, translatoque inſtar advenæ domicilio in eam regionem, quam ſuis ipſi in poſteris Deus promittebat. Supremam denique Fidei bonisque operibus ſuis manum impoſuit, cùm juſſus a Deo mactare filium Iſaacum, nihil cunctatus, obtemperare parabat. Tunc denique dignus fuit Abraham eo elogio: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam, & Amicus Dei appellatus eſt (h).* Poſtrema hæc verba in Geneſi non leguntur: at ea laus in aliis Scripturæ locis Abrahamo tribuitur (i); isque a piis eâ ætate hominibus, qui Abrahami ſanctitatem norant, ceu Dei amicus habebatur. Commendavit illum Melchiſedechus (k); hominem Deo charum exiſtimavere Hebronitæ (l): Deus ipſe Abimelecho ſignificavit, Abrahamum eſſe Prophetam, ſibique chariſſimum (m).

℣. 25. RAHAB MERETRIX NONNE EX OPERIBUS JUSTIFICATA EST? Juſtitiam adepta eſt Rahab non ex

(y) Δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου χωρὶς τῶν ἔργων σου. *Vide Grot. Eſt. Bez. Mill. Ita legunt Steph. ια, Alex. Cov. 2, Barb. 1, Colb. 7, edit. Colinæi.* (z) *Durand. in 3, diſt. 23, qu. 9, art. 2; Alenſ. 3 parte, qu. 64, memb. 7; Catharin. & Salmeron hic; Magiſt. ſentent. in 3, diſt. 23, § Aliud eſt; Juſtinian. & Tirin. hic.* (a) *D. Thom. 2. 2. qu. 5, art. 2; Thom. Angl. hic; Valentia, & Cornel. hic; & Scolaſtici paſſim.* (b) *Vide Rom. IV, 3; Galat. III, 6; Geneſ. XV, 6.*
(c) *Heb. XI, 17, 18.* (d) *Rom. II, 13.* (e) *Auguſt. de Fide & operib. cap. 14; & de prædeſtin. SS. c. 7; & Præfat. enarrat. Pſalm. XXXI; & qu. 76, inter 83. Vide Eſt.*
(f) Ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. *Antiq. Ital. Fides communicat cum operibus ſuis.*
(g) *Hugo, & Thom. Impleta eſt, Ita & Græc.* Καὶ ἐπληρώθη, *&c.*
(h) *Vide Eſt. Grot. Jacob. Capell. Bellarm. Gatak. alios.* (i) *2 Par. XX, 7: Dediſti eam (terram) ſemini Abraham amici tui. Judith. VIII, 22: Per multas tribulationes probatus & amicus effectus eſt. Iſai. XLI, 8: Semen Abraham amici mei. Dan. III, 35: Propter Abraham dilectum tuum.*
(k) *Geneſ. XIV, 19.* (l) *Geneſ. XXIII, 6.* (m) *Geneſ. XX, 7.*

℣. 26. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

COMMENTARIUS.

ex eo ſolùm, quòd crediderit Deo, qui Chanaanitidem Hebræis promiſerat, extremumque Chananæis exitium minitatus fuerat. Alii non decraot Chananæi æquè ac illa credentes. *Audivimus*, ajebat eadem ipſa ad exploratores ab Joſue miſſos, quæ fecerit veſtri cauſâ Deus (n), *& audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum*. At una ex omnibus Rahab, fidei lumen ſecuta, exploratores domi excepit, abſcondit, & elabendi commodum præbuit. Quamobrem juſtitiæ gratiam, vel juſtitiæ incrementum conſequuta eſt (o): connumerata eſt inter Judæos, ejusque genus in Iſraële claruit: quin & inter Davidis, Salomonis, ipſiusque Chriſti proavos recenſetur.

SUSCIPIENS NUNTIOS (p), exploratores. Libri quidam ferunt, *exploratores*; alii, *nuntios Iſraëlis*; quos nempe Joſue Iſraëlitarum Dux miſerat Jerichuntem. Vide Joſue 2.

℣. 26. SICUT CORPUS SINE SPIRITU MORTUUM EST, &c. Nihil luculentius dici potuit ad ſignificandam bonorum operum neceſſitatem ob ſalutem: at unà cum Patribus fatendum eſt, pueros ſtatim poſt Baptiſmum, atque ante rationis uſum decedentes, unius Fidei & Sacramenti merito ſalutem conſequi; idemque uſuvenire poſſe in adultis, qui ſub extremam vitæ horam baptiſmo aquæ, ſeu baptiſmo ſanguinis abluuntur. S. Cyrillus Jeroſolymitanus (q), & S. Chryſoſtomus (r) latronis, ſolâ fide ſalutem aſſequuti, exemplum laudant. *Fides integra ſecura eſt de ſalute*, inquit Tertullianus (s). Id tamen in hujuſmodi hominibus exigit propoſitum nedum permanendi in fide, verùm etiam bona opera ſectandi, ſi ſuperſtites fuerint, eaque exercendi opportunitatem habuerint (t).

CAPUT III.

Noli fieri magiſter. Lingua damna, ejusque coercendæ difficultas: Diſcrimen inter Dei & mundi ſapientiam.

℣. 1. NOlite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLITE PLURES MAGISTRI FIERI (a). Paulus (b) non rarò in Epiſtolis leges tulit, quibus coërcerentur tumultus, ex multitudine docentium in Eccleſiâ exorti. Cùm per eam ætatem Spiritûs Sancti dona vulgo haberentur, frequentiſſimè contingebat, ut multi ſacris in cœtibus verba facere auderent; nec fœminæ ipſæ id muneris formidarent. Qui linguarum ſeu Scripturarum interpretationis dono inſtruebantur, alio delectu ſeu permiſſu ſibi opus non eſſe cenſebant: quamobrem non leve negotium erat primis populi moderatoribus gliſcentem hanc audaciam, & perverſum in cœtibus ordinem coërcere. Vitium hoc arguere videtur Jacobus.

Ita etiam explicari poteſt: *Cavete ne, ut multi, fieri magiſtri cupiatis*. Ea præſertim erat Chriſtianorum ex Hebræis ambitio; queriturque frequenter Paulus, eos perverſis inſtitutionibus, novarumque rerum in Eccleſiam inductione eſſe Eccleſiæ perniciosiſſimos. Ex hac ſcholâ omnes ferè primorum temporum hæretici prodiere, Simoniani, Ebionitæ, Cerinthiani, Nicolaitæ, Gnoſtici, qui peſſimâ docendi libidine omnia Evangelii dogmata ſurſdeque vertebant, innumerosque in Eccleſiam errores inducebant; inſcitiâ pleni, arrogantiâ, ambitione, flagitiis (c). Hos non ſemel Paulus teterrimis coloribus pingit, eorumque perverſitatem affabrè deſcribit (d); eosque ait non Domino laborare, ſed ventri (e), inimicos crucis Chriſti (f), perſecutionis vitandæ cauſâ docere (g), canes eſſe contrariis quibusque oblatrantes (h). Peſſimi nimirum iſti Doctores ex Judæis Chriſtiana ſacra ſequutis prodierant.

Plerique demum Interpretes (i) explicant de ambitione hominum Eccleſiaſticas dignitates ambientium, ſacrumque miniſterium, Angelorum humeris formidandum, perditè quærentium. Mirum, inquit S. Chryſoſtomus (k), ſiquis ex iis, qui tam audacter Eccleſiaſtica munera invadunt, ſalutem aſſequuntur: ſi enim qui inviti ad ea trahuntur, excuſatione carent, ſiquid in miniſterio peccaverint, quid futurum eſt iis, qui ultro quæ-

(n) *Joſue*, II, 9, 10, *& ſeq.*

(o) *Vide Eſtium*. (p) Ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους. *Alii*: Ἀγγέλους τοῦ Ἰσραήλ. *Alii*: Κατασκόπους. *Ita Steph.* 10, *Col. Syr. Arab. Æth. Copht. Antiq. Ital. Exploratores.*

(q) *Cyrill. Jeroſol. Catech.* 13: Θέλεις δικαιοπραγῆσαι ὁ λῃστής. Ἀλλὰ προλαμβάνει ὁ θάνατος. οὐ τὸ ἔργον περιμένω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πίστιν ἀπεδεξάμην.

(r) *Chryſoſt. Orat. de Fide & Lege nat. &c.* Ἄνευ ἔργων τὴν πίστιν δύναμαι δεῖξαι, καὶ ζήσαντα, καὶ βασιλείας ἀξιωθέντα. Οὐδεὶς ἄνευ πίστεως ἔζησε. Ὁ δὲ λῃστὴς πιστεύσας μόνον ἐδικαιώθη.

(s) *Tertull. de Baptiſmo*. (t) *Auguſt. lib.* 83 *quaſt. qu.* 76: *Quòd ſi eum crediderit, mox hâc vitâ deceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratiâ pervenit; nec conſequentibus, quia in hac vitâ eſſe non ſinitur.*

(a) Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε. *Antiq. Ital. Nolite multi magiſtri eſſe.*

(b) 1 Cor. XI, XII, XIII, XIV. (c) *Vide* 1. *Timoth.* I, 7; VI, 3. 4. 5, *&c.* 2. *Timoth.* I, 15; II, 3; *Tit.* I, 9; II, 2; 2 *Cor.* VIII, 1, 2, 3; *Galat.* I, 7; IV, 16. 17, *&c.* (d) *Rom.* XVI, 18.

(e) *Philipp.* III, 19. (f) *Philipp.* III, 18. (g) *Galat.* VI, 12. (h) *Philipp.* III, 2.

(i) *Grot. Eſt. Eraſm. Menoch. Alii.* (k) *Chryſoſt. in Hebr.* XIII, 17: Θαυμάζω εἴ τινα ἔστι τῶν ἀρχόντων σωθῆναί ποτε πρὸς τῇ τοιαύτῃ ἀπειλῇ, καὶ τῇ παρούσῃ ῥᾳθυμίᾳ, ὁρῶν ἔτι καὶ ἐπιτρέχοντάς τινας, καὶ ἐπιρρίπτοντας ἑαυτοὺς τῷ τοσούτῳ ὄγκῳ τῆς ἀρχῆς. *Vide & homil.* 3 *in Acta.*

℣. 2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir. Poteſt etiam fræno circumducere totum corpus.

℣. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus.

℣. 4. Ecce & naves, cùm magnæ ſint, & a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit.

℣. 5. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam ſilvam incendit!

℣. 6. Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata a gehennâ.

COMMENTARIUS.

quærunt ac tam ſollicitè ambiunt?

℣. 2. In multis offendimus omnes. Igitur qui multum & verbis & geſtis peccat, abhorrere debet a cæterorum regimine. Ut dux populi ſis, ita, ſi fieri poteſt, ſanctus eſſe debes, ut argui poſſis a nemine, teque ipſe tamquam abſolutiſſimum virtutis & ſanctitatis exemplum exhibeas. Munus docendi cæteros non tantùm in eo verſatur, ut proba dogmata tradas; id quod nec diſcrimine caret, ſi multum loquare non doctiſſimus eruditiſſimusque: exemplo opus eſt, docendumque moribus geſtisque non ſecus ac verbis. Hac ratiocinatione adversùs Pelagianos non tarò uſi ſunt Patres ac Theologi, ut doceant, hominem, tametſi juſtitiâ donatum, peculiari Dei ope indigere, ut rapienti in malum naturæ reſiſtat, vitetque peccatum ad longum tempus, vel etiam ad totum vitæ curriculum, id quod ab ipſo fieri poſſe docebant Hæretici (l).

Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Profectò frequenter adeò & paſſim, tamque multis rationibus loquendo peccamus; ea nobis ineſt loquendi libido, noſtrisque ab affectibus tanto impetu in multiloquium rapimur, ut linguæ ſuæ non imperare dici queat homo, ſanctiſſimusque dicendus ſit, qui loquendo non peccat. Neque verò putaveris, univerſam hominis ſanctitatem in eo conſiſtere, ut male non loquatur, aut eum qui vel non male vel parum loquitur, eſſe perfectum: at iſtud ipſum ingens eſt perfectionis initium; quique linguam frænare poteſt, aliud quoque præſtare poterit: *Poteſt fræno circumducere totum corpus*, ſive geſtorum, ſive membrorum, ſive Eccleſiæ. Mihi quidem placet intelligendum hic eſſe totum geſtorum ſuorum & operum corpus. Nihil frequentiùs ſilentio & loquendi ſapientiâ tum Scripturæ cùm Ethnici Sapientes commendant.

℣. 3. Si autem (m) equis fræna in ora mittimus, & quolibet ducimus; ita, ſi linguæ frænos injecerimus, cæteris vitæ noſtræ geſtis facilè imperabimus. Cautè loquamur: tum cætera vitia nullo negotio ſuperabimus. Apud Platonem quoque (n) lingua comparatur equo & navi, quorum ille fræno, hæc gubernaculo ducitur.

℣. 4. Et naves circumferuntur a modico gubernaculo. Ingens profectò nauticæ artis prodigium. Immanes illæ moles, incredibili oneri ferendo, pugnandoque cum fluctibus pares, a vili homoncione reguntur, contorto facillimè gubernaculo (o);

Et manus una regit quantovis impetu euntem,
Atque gubernaclum contorquet quolibet una.

℣. 5. Ita et lingua . . . et magna exaltat; magna ſe facere jactat. Græcus ad verbum (p): *Et gloriatur*, arroganter ſuperbit, ſuperbè incedit. Alludere videtur Jacobus ad equum ſuperbâ elatâque cervice ferocientem: coërcenda eſt lingua, uti equus asper frænatur. Vulgata Verſio explicari poteſt de ingentibus bonis maliſque a linguâ partis: *Magna exaltat* (q); magna & immania præſtat. Pervulgatum eſt, quid quorumdam Oratorum eloquentia præſtiterit tum excitandis animis, tum ſedandis tumultibus, ſive cùm facinora diſcriminis plena ſuaderent, ſive cùm a cœptis vulgo probatiſſimis deterrerent.

Ecce quantus ignis (r) quam magnam sylvam incendit. Minima ignis ſcintilla & pruna ampliſſimam sylvam poteſt incendere, teſte experientiâ. Graviora ſunt, certiora, amplioraque linguæ damna: bella interdum ob inconſultum aliquod verbum flagravere: ſimultates & inimicitiæ ob aliquid temerè dictum quotidie fervent. Si inter aridam materiem ignem deferat, omnia obſervas, & cautè incedis. Pernicioſior eſt lingua. ℣. 6: *Lingua ignis eſt*.

℣. 6. Universitas iniquitatis. Ex eâ oriuntur pleraque mala inter homines ſævientia; flagitiorum omnium congeries eſt, nulli non ſceleri opportuna: familias vel pacatiſſimas turbat; ſimultates inter amicos ſerit; innoxios culpâ gravat; ſceleſtiſſimos protegit; certiſſima quæque dubiis ac tenebris obvolvit; veritatem, juſtitiam, innocentiam miſcet. *Mundus iniquitatis* appellatur eo ſenſu, quo dicitur *oceanus malorum*, *ſcelerum alluvio*, *ilias infortuniorum*.

Alii

(l) *Vide Concil. Milevit. cap. 6: Trident. c. ſeſſ. 6, can 23. Eſt. Tir. hic.*

(m) *Græc. impreſſ.* Ἰδοὺ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν: *Ecce equorum ori fræna imponimus. Alex. Pet. 3 Colb. 7, Lin.* ἴδε. *Alii* εἰ δὲ, *Steph. α, ϛ, ζ, ι, Pet. 2, Hunt. 2. Alii,* εἰ δὲ, *ut Vulg. Antiq. Ital. & Steph. δ, ια, ιγ, Magd. 2, Cov. 2, Cyp. Oecum. alii. Quidd. Codd. Lat. Sicut autem.* (n) *Plato in Epiſtol. ad Axioch.* Ἡνίαις καὶ μάστιγι τοὺς ἵππους ἰθύνομεν. Καὶ συνελαύνομεθα, τῷ μὲν τοῖς ἱστίοις τὴν ναῦν ἀπελάσαντες, τῷ δὲ ταῖς ἀγκύραις χαλινώσαντες κατευθύνομεν. οὕ ω κυβερνητέον τὴν γλῶτταν. (o) *Lucret.*

(p) Καὶ μεγαλαυχεῖ. *Vulg. Et magna exaltat. Beda: Et magna exaltat. Antiq. Vulg. Et magna gloriatur.* (q) *Vide Oecumen. E. Cornel. Menoch. Hamm.*

(r) Ἰδοὺ, ὀλίγον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει. *Alii,* ἡλίκον πῦρ. *Alex. Barb. 2, Velez. Col. Vulg. Hieronym. in Isai. alt. Parvus ignis quàm grandem ſuccendit materiam?*

Digitized by Google

℣. 7. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt a naturâ humanâ.

℣. 8. Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero.

℣. 9. In ipsâ benedicimus Deum & Patrem: & in ipſâ maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.

℣. 10. Ex ipſo ore procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.

COMMENTARIUS.

Alii (s) Græcom (t) aliter interpretantur; *Lingua ignis eſt mundum iniquitatis verum*. Scintilla eſt lingua, lignum mundus. Quemadmodum modicus ignis immane incendium parit, ita & mala innumera per linguam in mundo creantur. Reddunt alii (u): *Lingua ignis eſt, ornamentum iniquitatis*. Flagitium amore dignum, minùsque execrabile conatur oſtendere.

QUÆ MACULAT TOTUM CORPUS, ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRÆ (x), vitæ noſtræ curriculum. Innumera in ſcelera, animum inquinantia, nos rapit, totumque vitæ curſum exurit. Ex quo ſenſa verbis exprimere, atque uti ratione cœpimus, nullum eſſe tempus dici poteſt, quo maledicorum inſidiis, aut linguæ peccatis obnoxii non ſimus: exurimur igne, quem ipſi excitavimus, aut alii adversùm nos excitavere. *Rota nativitatis* eſt vitæ noſtræ curſus, aut naturæ, quæ rotæ inſtar labitur (y); ſive ætatum invicem ſuccedentium, & linguæ diſcriminibus obnoxiarum ſeries. Rota inconſtantiam indicat, ejusque imagines Ægyptii in Templis collocabant (z). Id imitatus eſt Numa (a) ex Pythagoræis, qui Divinitatem initio & fine carentem, hominisque vitam nunquam non inconſtantem rotæ symbolo indicabant.

INFLAMMATA A GEHENNA, igne tartareo. Inſtrumentum eſt, quod Dæmonis nequitia tum in noſtram ipſorum, tum in cæterorum perniciem exercet: non merus ignis, ſed tartareus: totum vitæ noſtræ curſum inflammans, ſed ipſa aliquando in inferis exurenda (c).

℣. 7. OMNIS ENIM NATURA BESTIARUM DOMATUR.... LINGUAM AUTEM NULLUS, &c. Experti diſcimus, nullum eſſe tam ferox animalium genus, quod non dometur tempore & cicuretur (d): ipſi nimirum urſi, lupi, leones, tigrides. Multa horum exempla Romanâ in hiſtoriâ recitantur. Belluæ immaniſſimæ & validiſſimæ, elephas, taurus, bubalus, monoceros manſueſcunt. Piſces ipſi anguesque domari poſſunt, eosque aut vi, aut illecebris, aut laqueis capiunt. Iſta rerum naturalium Scriptores.

Linguam autem nullus hominum domare poteſt. Contineri poteſt, & ad tempus aliquod, opem Deo ferente, coërceri: injici poteſt illi frænum, atque adhiberi cuſtodia: at quis linguam ſe penitus domuiſſe glorietur? Quis ſibi blandiatur, ſe ſe aut in poſterum linguâ non peccaturum, aut nunquam peccaſſe? *Homo domat feram, non domat linguam*, ait S. Auguſtinus (e). *Domat ipſe, non domat ſeipſum.... Ergo intelligamus, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt, confugiamus ad Dominum, qui domat linguam noſtram*. Quis prohibeat, ne quis de te obloquatur (f)? Quis te totum ab aliorum calumniis, injuriis, criminationibus reddat? *Domine*, ajebat Pſalmiſta (g), *libera animam meam a labiis iniquis, & a linguâ doloſâ. Quid detur tibi ut liber ſis a linguâ doloſâ? Sagittæ potentis acutæ* ſunt *cum carbonibus deſolatoriis*.

Pro *ſerpentium & cæterorum*, quæ habentur in Vulgatâ, Critici nonnulli (h) legendum aſſerunt *ſerpentium & cetorum*. Ferunt hanc lectionem Latina quædam exemplaria, Eſtio teſte, illique favet Græcus (i), qui habet anguium, ſeu *reptilium, & marinorum*. Alii tamen (k) tuentur Vulgatam, cui adſtipulantur libri omnes Latini tum manu exarati cùm editi: ac fortè Author Vulgatæ legit *allon* pro *enalion* (l); *cæterorum*, pro *marinorum*. Vetus Italica: *Beſtiarum ſive volatilium, repentium & natantium*.

℣. 8. INQUIETUM MALUM (m), PLENA VENENO MORTIFERO. Lingua eâ volubilitate eſt, ut detineri nequeat: manus pedesque continere poſſumus, linguam non item. Maledicus ſimilis angui eſt, virus in animum audientis infundens, mortemque duobus uno ictu afferens, illi nimirum de quo loquitur, & ei quocum loquitur. *Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis*, ait Propheta (n): *venenum aſpidum ſub labiis eorum*.

℣. 9. IN IPSA BENEDICIMUS DEUM, ET IN IPSA MALEDICIMUS HOMINES. Vides hîc exitiale perniciosiſſimi hujus membri damnum, cùm in res adeò diſcrepantes uſurpetur. Veriſſimè ajebat Æſopus, linguam optimam eſſe & peſſimam totius corporis partem; & Salomon (o), vitam & mortem eſſe in manu linguæ.

℣. 10. NUM-

(s) *Vide Syr. Tir. Grot. Jun. Eſt.* (t) Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας. *Antiq. Ital. Lingua ignis ſeculi iniquitatis*. Putat Grotius legendum cum Syro: Ἡ γλῶσσα πῦρ τῷ κόσμῳ τῆς ἀδικίας. (u) Heioſius, Céne, projet de traduction.
(x) Φλογίζουσα τὸν τροχὸν (*Rotam, vel* τρόχον *curſum*) τῆς γενέσεως. (y) *Syr. Tremel.*
(z) *Anacreon.* Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.
(a) *Clem. Alexand. lib. 5 Stromat. & Dionyſ. Thrac.* (b) *Plutarch. in Num. Rota ſymbolum.* Ὡς οὐδενὸς ἑστῶτος τῶν ἀνθρωπίνων. (c) *Vide Syr. Grot.*
(d) *Senec. l. 2, c. 29, de Benefic. Cogita quanta nobis tribuerit parens noſter; quantò valentiora animalia ſub jugum miſerimus, quantò velociora conſequamur, quàm nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum.* (e) *Auguſt. ſerm. 4 de Verbis Matt.* (f) *Eſt. Grot.* (g) *Pſal. CXIX, 3, 4, 5.*
(h) *Eraſm. Eſt. Gagn. Cajet. Salmeron, Oecumen.* (i) Ἑρπετῶν καὶ ἐναλίων.
(k) *Vide Mill. hic, Bukentop. Zeger.* (l) Ἄλλων, ex ἐναλλων, pro ἐναλίων.
(m) *Antiq. Ital. Inconſtans malum.* Ἀκατάσχετον κακόν, *Incoërcibile malum. Alii;* Ἀκατάστατον, *irrequietum. Ita Alexand. Copht. Vulg. Steph. 1.* (n) *Pſal. CXXXIX, 4.*
(o) *Prov. XVIII, 21.*

℣. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?

℣. 12. Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalsa dulcem poteſt facere aquam.

℣. 13. Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bonâ converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.

℣. 14. Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adversùs veritatem.

℣. 15. Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica.

℣. 16. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum.

COMMENTARIUS.

℣. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Fieri non poteſt, ut ex unâ eâdemque fontis fiſtulâ eodem tempore fluat dulcis aqua & amara, frigida & calida: at variis horis actibusque poteſt, ut ille, de quo Plinius (p), frigidiſſimam aquam emittens, mox paulatim tepeſcens, ad noctis media fervore & amaritudine infeſtatus; ſive ut alter ille apud Caſaubonum (q), diverſis temporibus mox dulcem mox ſalſam aquam ferens. Ita & lingua, dum maledicta profert, eidem ſimul nequit benedicere; diverſo tamen tempore utrumque præſtaſe poteſt. At quemadmodum hæc inconſtantia in fonte monſtrum eſt & a naturâ alienum; ita & lingua exiſtimanda eſt iniquitatis monſtrum & inconſtantiæ.

℣. 12. Numquid poteſt ficus uvas facere? Id nunquam accidit in naturâ; at in rebus morum fieri paſſim ſolet, ut qui bonus eſt, convertatur in malum, malosque fructus ferat; contra verò qui malus eſt, fiat bonus, bonosque fructus edat. Hæc tamen hominis varietas, vitium illius eſt. Si is eſſet, qualis eſſe debet, quæ bona ſunt conſtantiſſimè ſectaretur, duobus dominis non ſerviret, mox bonorum, deinde malorum fructuum ferax. Eâdem fermè collectione utitur Chriſtus, ubi ait (r) cognitum iri falſos Prophetas ex iis quæ ipſi geſſerint: malos fructus ab arbore bonâ non ferri, neque a malâ bonos: ac profectò bonus homo nonniſi bona, malus mala præſtare ſolet.

Neque salsa dulcem potest facere aquam. Neque ſalſus fons aquam dulcem ferre poteſt. Perſpicua ſententia, cum Græco edito conſentiens (s). At Græci Codices eximii quamplures (t) Vulgatam tuentur: *Neque ſalſa* aqua *dulcem poteſt facere aquam*. Aquas dulces ex ipſo mari non hauries; ſive, aqua ſalſa nequit dulceſcere.

℣. 13. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione, ex bene geſtis ſapientiam ac pietatem. Ex fructu arbor noſcitur, inquit Chriſtus (u). Ubi jam ii, qui Doctoris munus uſurpant, negantque neceſſaria eſſe opera ad ſalutem? ſe ipſi verè ſapientes eruditosque ex geſtis, moribusque æquitate, modeſtiâ, manſuetudine ornatis exhibeant. Compertiſſimum erat, falſos Doctores, puta Simonianos cæterosque ejus ætatis Hæreticos, eſſe flagitioſiſſimos; eorumque mores leviter & curſim in primum hujus Capitis verſum attigimus. Quamobrem Jacobo Fideles inſtructuro, ac novis hiſce Doctoribus nova dogmata ferentibus infamiam creaturo, nihil erat opportunius, quàm ad illorum mores vitæque inſtitutum provocare. Hic porrò lapis eſt lydius, quo unusquisque probatur.

℣. 14. Quod si zelum amarum habetis, invidiam, livorem in proximos, eorumque fortunis hujus vitæ invidetis, aut ægrè fertis, Deum favere illorum laboribus, eosque gloriâ cumulari: *nolite gloriari* & oſtentare ſapientiam, *& mendaces eſſe adversùs veritatem*. Æqua & vera de vobis ipſi ſentite, ac fatemini, vos eſſe cæteſis docendis, tradendisque ſalubribus inſtitutis ineptiſſimos. Chriſtus Jeſus nihil niſi ſuavitatem, manſuetudinem, pacem, charitatem ſpirat. Harum ſpecimina exhibete, ſtatimque veram ſapientiam vobis ineſſe fatebimur. Mirè detegit Jacobus cauſas, quibus falſi Doctores Judæorum, Provincias peragrantes, ac tumultus in Eccleſiâ excitantes, ingenio, ſapientiâ, charitate, authoritate carentes, movebantur.

℣. 15. Non est ista sapientia desursum descendens. Invidia, livor, animus litium amans a Chriſto Jeſu abhorrent. Doctus eſto & ſapiens quàm velis, ſi charitate ac manſuetudine Chriſtianâ careas, ſapientia falſa eſt, *terrena*, *animalis*, *diabolica*. *Terrena*, quòd vitæ duntaxat commoda, & bona hujus terræ quærat: *animalis*, humana, indigna, carnalis, nihil ſublime ſpectans, nullâ nobili ratione permota: denique *diabolica*, a malo ſpiritu dictata, ſolam ambitionem, ſuperbiam, invidiam præ ſe ferens. Teſtatur Paulus (x), ſeſe non tradidiſſe mundi ſapientiam, aut eam quæ carnis eſt & mundi hujus Principum: quæ locutiones idem valent ac iſta Jacobi, terrena, animalis, diabolica; illique opponit ſapientiam *Divinam*, ſpiritalem, ex Deo manantem.

℣. 16. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Porrò Chriſtus pacem & manſuetudinem amat. Invidia igitur & jurgia Spiritum Dei, tuamque vocationem ad munus Evangelicum non indicant. Ut videas quis ipſe ſis, quove ſpiritu agaris, inſpice qui fru-

(p) *Plin. lib. 2, cap. 103.* (q) *Caſaubon. in Ephemeride.*

(r) *Matth. VII, 16, 17.* (s) Οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ.

(t) *Alex. Colb. 7, Cov. 4, Genev. Syr. Æth. Copht.* Οὕτως οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. *Quam lectionem probant Eſt. Grot. Brug. Antiq. Ital. Sic nec ſalmacidum, dulcem facere aquam.*

(u) *Matth. XII, 33: Ex fructu arbor cognoſcitur.* (x) *Rom. VIII, 7: Sapientia carnis inimica eſt Deo. 1 Cor. 3, 19: Stultam fecit Dominus ſapientiam hujus mundi. 2 Cor. 1, 12: Non in ſapientiâ carnali. 1 Cor. II, 6: Non loquimur ſapientiam hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi.*

℣. 17. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.

℣. 18. Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.

COMMENTARIUS.

fructus ſint prædicationis tuæ, tuarumque inſtitutionum: quid illæ in animis mentibusque hominum pariant? jurgia nimirum, lites, diſſidia; & quanta ex his mala? ſimultates, fraudem, altercationes, offenſiones, calumniam.

℣. 17. Quæ desursum est sapientia, cujus author & principium Deus, alia planè eſt ab eâ, quam deſcripſi: *Pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis*, &c. Animadverte, ſapientiæ nomina ab Hebræis uſurpari eruditionem, prudentiam, bonos mores, pietatem, religionem, interdum etiam aſtutiam, fraudem, pravosque mores. Hîc ſumenda eſt pro ſcientiâ cæterisque animi ornamentis, quæ decent hominem, qui cæteros docere, atque in rebus ad Religionem pertinentibus moderari audet. Sapientiâ præditus eſſe debet, non eâ quæ carnis eſt, humanâ, diſſidiorum & invidiæ amicâ, ſed divinâ ex ipsâ ſuâ origine; *pudicâ* (y), omni ex parte caſtâ, quslibet labe carnis, ac flagitiosâ propenſione vacuâ; *pacificâ* erga omnes, rerum ſuarum jacturam præferente potiùs quàm diſſidia & concordiæ perturbationem; *modeſtâ*, humili, nunquam ferociente aut in ſuperbiam elatâ. Græca vox (z) ſonat potiùs: *Omnia quantum fieri poteſt in bonam partem interpretans*.

Suadibilis (a), quæ facilè credit, ac perſuadetur. Parem charitati laudem tribuit Paulus (b): *Omnia credit*; idque opponitur pervicaciæ & repugnandi libidini, quæ notæ ſunt ſuperbiæ & arrogantiæ, opponunturque Chriſtianæ Religionis inſtituto, docilitatem, ſimplicitatem, obedientiam ſuadenti. Addit Jacobus, ſapientiam, de qua ipſe agit, *plenam* eſſe *miſericordiâ*, quam miſereat omnium, quæ omnium malis moveatur, illisque opem ferat: *plenam fructibus bonis*, ſtudioſam colligendi in cœlis theſauri bene geſtorum; quæ manibus plenis beneficia in pauperes fundat: ea porrò pleniſſimam in cœlis mercedem referet, plenaque illi & ſupereffluens menſura reddetur, ut ait Chriſtus (c).

Ea denique *non judicat* facilè neque perversè de cæteris: omnia in bonam partem interpretatur: aliena non quærit, Græcus (d): *Nihil diſcernens*; ſedulo delectu non utitur inter perſonas & res, ut ii ſolent qui temerario ſæpe conſilio iniquam hominum rationem habent in judiciis, aut gratiarum diſtributione. Omnes beneficio pro viribus afficit Sapiens, hominum præſtantiam non quærens. Poſtremò Chriſtiana ſapientia eſſe debet *ſine ſimulatione* (e), ſine hypocriſi. Sæculi hujus ſapientum cura eſt, mentis ſenſa tegere ac diſſimulare (f): Chriſtiana ſapientia ſimplex eſt & ſincera.

Poſt *ſuadibilis*, Vulgata ſubdit, *Bonis conſentiens*, ſponte ſe ferens in bonum; quæ verba neque in Græcis Exemplaribus, neque in Latinis Codicibus vetuſtiſſimis feruntur. Vetus Vulgata ante S. Hieronymum habuit: *Primùm ſancta eſt, deinde pacifica, & verecundia conſentiens, plena miſericordia & fructuum bonorum, ſine dijudicatione, irreprehenſibilis, ſine hypocriſi*. Atque ubi Vulgata legit, *Non judicans, ſine ſimulatione*, Sixti V Editio habet, *Judicans ſine ſimulatione*.

℣. 18. Fructus autem justitiæ in pace seminatur. Si veram juſtitiam ipſe adipiſci cupis, ac facere ut cæteri illam ament & exerceant, opus eſt, eam in pace feras: concordiæ fructus eſt juſtitia; qui diſſidia ſerit in Eccleſiâ, nullos ex eâ bonos fructus feret: alterâ manu evertit quod alterâ ædificat. Falſos Doctores, inquietos homines, tumultuoſos, ambitioſos, arguere pergit Jacobus.

Reddi etiam poteſt Græcus (g): *Qui pacem colunt, fructum juſtitiæ in pace ferunt*: ſcilicet, pii homines, concordiam pacemque colentes, ferunt hoc in ſæculo bona opera, fructum felicitatis æternæ in æternitate latura. Melior tamen videtur prior explicatio, utpote quæ aptiùs conſentit cum ſuperioribus, ſpectantibus ad Judæos ad Chriſtum adjunctos, qui nullâ vocatione & ſapientiâ inſtructi cæteros inſtituere audebant. Hi bene vivere, & pacem colere diſcant: *Fructus juſtitiæ in pace*.

CA-

(y) Πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστι, *Primùm quidem pudica, ſeu caſta eſt*. *Antiq. Vulg. Sancta eſt*.
(z) Ἐπιεικής, *Modeſta*. (a) Εὐπειθής. *Vulg. Suadibilis, morigera, obſequioſa*. *Antiq. Ital. Verecundia conſentiens*. *Jungit cum* ἐπιεικής. (b) 1 *Cor.* XIII, 7. (c) *Luc.* VI, 38.
(d) Ἀδιάκριτος, *Nihil dijudicans, diſcernens, diſceptans*. *Antiq. Ital. Sine dijudicatione, irreprehenſibilis*. Eamdem vocem bis vertit.
(e) Ἀνυπόκριτος, *Non ſimulata, ſincera*. *Antiq. Ital. Sine hypocriſi*.
(f) *Greg. Magn. lib.* X, *cap.* 16 *Moral. in Job. Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare ... at contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare*.
(g) Καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην.

CAPUT IV.

Diſſidia per concupiſcentiam parta. Poſtulata non impetras, quia male poſtulas. Mundi amicitia Deo inimica. Reſiſte Diabolo. Plora, animum dejice, obtrectationem fuge, Dei conſiliis obtempera.

℣. 1. UNde bella & lites in vobis? Nonne hinc, ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris?

℣. 2. Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.

℣. 3. Petitis, & non accipitis; eò quòd malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. UNDE BELLA ET LITES IN VOBIS? NONNE EX CONCUPISCENTIIS VESTRIS, cupiditatibus. Græcus (a): *Ex voluptatibus veſtris*. Ambitio, voluptatum divitiarumque libido genericâ concupiſcentiæ ſeu voluptatis appellatione comprehenduntur. Mala omnia ex triplici hoc fonte profluunt (b): *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Hinc publica & privata tum Reipublicæ tum familiarum diſſidia. Jam tum inter Chriſtianos pernicioſæ erant ſeditiones, ab hominibus voluptatum & imperii amantibus ſatæ. Hoc erat primævorum Hæreticorum ingenium.

Cæterùm complures erant in Judæis ſectæ; Phariſæi, Saducæi, Herodiani, ſeu Judæ Gaulonitæ Diſcipuli. Qui ex hiſce ſectis Chriſtianam Religionem amplectebantur, priſtinas ſecum opiniones ferebant, miſcebantque omnia, ut ſententias ſuas tuerentur aut cæteris perſuaderent. Hinc accidit, ut tam multi ejus ætatis Hæretici mortuorum reſurrectionem fore negarent, ex Saducæorum ſententiâ; alii paternas traditiones pervicaciter tenerent, ex dogmate Phariſæorum: ajebant alii, Chriſtum eſſe merum hominem, uti plerisque Judæis, terrenum Meſſiæ Regnum præſtolantibus, videbatur: alii denique terrenorum Principum imperium detrectabant, ex inſtituto Herodianorum, qui Dei unius aut Regum ab ipſo Deo conſtitutorum authoritatem excipiebant. Quamobrem Petrus & Paulus Apoſtoli (c) nihil ferè ſtudioſiùs commendant, quàm terrenis Principibus ſubjectionem. His nimirum Hæreticis altè inſidebat amor voluptatum, gloriæ, libertatis, ex quo lites & diſſidia in Eccleſiam invehebantur.

℣. 2. CONCUPISCITIS, ET NON HABETIS: OCCIDITIS, ET ZELATIS, invidetis. Cur pacem cum nemine ſervatis? nimirum cupiditatibus veſtris frænos non injicitis. Deeſt quidquam? ſtatim perditè optatis, & anxiè quæritis; hinc furta, lites, cædes. Ad hæc nimirum flagitia vos impellit concupiſcentia modi neſcia; vel ſi vos ipſi contineatis, metu aliisque humanis rationibus deterremini. Profectò ubi in iſtas cupiditates ſemel deſcenderis, a nullo ſcelere abhorres.

Diſputatur de iis verbis: *Occiditis & zelatis*. Rectus gradationis ordo non patitur, cædem ante invidiam poni; priùs enim invidia eſt & livor, deinde cædes. Critici quidam (d) putant, ſcripſiſſe Jacobum, *Invidetis*, *phtoneite*, non *phoneuete*: at horum conjecturæ neque Codices manu exarati, neque antiquæ Verſiones favent. Syrus & vetus vulgata cum Græco vulgatarum Editionum conſentiunt, Nonnulli (e) *occidere* uſurpant impropriâ ſignificatione pro moleſtum eſſe, vexare, affligere: moleſtiam proximo creatis, opprimitisque ſæviſſimâ in illum invidiâ. Mihi tamen religio eſt, quidquam vel in Textu, vel in explicatione mutare. Sacri Scriptores non ita religioſè verborum ordinem ſervant. Cædis innumeræ cauſa eſt invidia. *Occiditis, & zelatis*, pro, *Occiditis, quia zelatis, & non poteſtis adipiſci*.

ET NON HABETIS PROPTER QUOD NON POSTULATIS. Perverſas cupiditates ſectamini, nulliſque conatibus aſſequimini id quod optatis, cùm reſiſtant & homines, iniquæ cupiditati veſtræ repugnantes; & Deus, minimè tribuens id quod non poſtulatis. Agnoſcite igitur laboris veſtri vanitatem, & iniquæ cupiditati frænos injicite.

℣. 3. PETITIS, ET NON ACCIPITIS, EO QUOD MALE PETATIS. Aliquis fortaſſe ex vobis ex Deo poſtulaverit quæ ſibi opus fuerint: at non impetrat, quia male poſtulat, aut ea quærit quæ mala ſunt: *male petitis*, nullâ fiduciâ, animi demiſſione, fide charitate, imò invidiâ & odio diſtenti, ac fraude & iniquitate pleni. *Petitis ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis* (f); quæritis id quod cupiditati veſtræ blanditur, peccandi ſcilicet ac veſtri exitii inſtrumenta. Quid verò pernicioſius inimico poſtuletis? Quid damnoſius vobis tribuat Deus, ubi iraſcatur? Exorare cupitis? *Quærite primùm Regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis* (g). Nomine Chriſti Servatoris poſtulate: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (h). Porrò (i) *ille in nomine Salvatoris petit, qui illud petit, quod ad veram ſalutem pertinet*, inquit Gregorius Magnus.

℣. 4. ADUL-

(a) Ἐκ τῶν ἡδονῶν. *Antiq. Vulg. Ex voluptatibus veſtris.* (b) 1 *Joan.* II, 16. (c) *Rom.* XIII, 1; *Tit.* III, 1; 1 *Petri*, II, 13. 14. (d) *Græc.* Φονεύετε, καὶ ζηλοῦτε. *Eraſm. edit.* 2, & *Colon.* Φθονεῖτε, καὶ ζηλοῦτε. *Vide Grot. Bez. Eſt. Cajet. Clar. Vat.* (e) *Vide Druſium.*
(f) Ἵνα ἐν ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε. *Antiq. Vulg. Ut in libidines veſtras erogetis.*
(g) *Matth.* VI, 33.
(h) *Joan.* XVI, 23.
(i) *Greg. Magn. homil.* 27 *in Evang.*

℣. 4. Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.

℣. 5. An putatis quia inaniter ſcriptura dicat: Ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis?

℣. 6. Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

COMMENTARIUS.

℣. 4. ADULTERI, NESCITIS, QUIA AMICITIA HUJUS MUNDI INIMICA DEI EST? Græcus (k): *Adulteri & adulteræ, neſcitis*, &c. Mundi amicitia generice ſignificat quemlibet malum voluptatum, bonorum, ac dignitatum hujus vitæ amorem. Adulteri appellatio uſurpari poteſt tum propriè tum impropriè pro iis, qui Chriſtianæ profeſſionis ſanctitatem, & datam Deo fidem violant; atque hoc ſenſu Interpretes optimi complures (l) explicant. Credibile non eſt, fuiſſe inter primævos Chriſtianos adulteria. Fornicatores & adulteros plerumque Scriptura nuncupat idololatras, impios, terrenarum rerum & nefariæ voluptatis amatores. Duobus dominis ſervire non potes (m), mundo nempe & Chriſto: elige. *Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei; cœleſtem verò amor Dei uſque ad contemptum ſui*, ait S. Auguſtinus (n).

℣. 5. AN PUTATIS QUIA INANITER SCRIPTURA DICIT: AD INVIDIAM CONCUPISCIT SPIRITUS, QUI HABITAT IN VOBIS? Locus hic a Jacobo recitatus, totidem verbis in Scripturis non legitur: at complures loci ſunt, ad quos fit alluſio. Plures feruntur hujus loci explicationes, quæ tamen ad duas omnino rediguntur. I. An ignoratis, fruſtra in Scripturis non dici, quòd *ad æmulationem uſque vos amat Spiritus vobis inſidens* (o)? atque ita ſpectat locos omnes, quibus ſeſe Deus zelotypum exhibet ob fidem & obſequium populi, quem ſub ſponſæ imagine ſæpe deſcribit, & cujus peccata ſub adulterii appellatione reprehendit (p). Luculentiſſimus omnium locus, & cum Jacobi ſententiâ maximè conſentaneus eſt apud Ezechielem (q): *Dabo zelum meum in te*: zelotypo amore te proſequar, meique amoris injurias in te ulciſcar.

Altera explicatio eſt (r): *An ignoratis, Scripturam non fruſtra dicere, quòd invidiam in vobis parit ſpiritus vobis inſitus*, ſpiritus vaſter? Quaſi dicat: An ignoratis, vobis ineſſe malum ſpiritum, malamque propenſionem, qua ad invidiam, odium, livorem in fratres urgemini? Spiritus hoc loco eâdem ſignificatione uſurpatur atque ad Paulum (s): *Caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.* Qui locum ita explicant, ajunt Apoſtolum alludere ad ſententias, in quibus ſermo fit de peccato originis, vel de concupiſcentiâ, & inſitâ in malum propenſione; puta (t): *Vidit Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* Et (u): *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ.* Alteram hanc explicationem multo plures vulgò probant (x): at ego priorem præfero.

Sunt (y) qui interjectâ interrogationis notâ legant: *An putatis quia inaniter Scriptura loquitur?* An *ad invidiam ferri vos cupit ſpiritus intra vos habitans?* Sive (z): *An putatis fruſtra loqui Scripturam? aut invidiâ in vos flagrare?* Poteſt ne fieri, ut vos fallat Scriptura, jugumque iniquum ac minimè ferendum vobis imponat? Ajunt alii (a), alludere Jacobum ad eum locum Numerorum (b), ubi Joſue querenti, quòd Eldad & Medad in caſtris vaticinarentur, reſpondit Moyſes: *Quid æmularis pro me?* Quaſi diceret: An putas, me a Spiritu Sancto ita amari, ut zelotypiâ flagret? aut me invidere iis, quos Spiritus Sanctus, non ſecùs ac me, afflarit? Nunquam ego his cogitationibus aſſentiar. Quis det, ut vaticinetur populus univerſus, ac Dei Spiritu impleatur? Ita & fortaſſe Jacobus: Ne invideatis fratres fratribus, & gaudium beneficiorum ex Deo acceptorum ne perturbetis. Nullæ inter vos ſunto lites, jurgia, diſſidia.

℣. 6. MAJOREM AUTEM DAT GRATIAM. Spiritus Sanctus vobis inſidens, zelotypo vos amore proſequitur; quoque major fuerit fides veſtra, pia dejectio animi, fratrum charitas, eò majoribus beneficiis vos cumulabit: ſive, ob gratuitam prorſus benevolentiam, ſua vobis beneficia impertitur. *Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Reſiſtit arrogantibus, atque eximia de ſe æſtimantibus: gratiam impertitur humilibus, de ipſo planè confidentibus, accedentibuſque cum humilitate, minimâque de ſe ipſis opinione.

Aliter: Quò minùs invidetis fratribus, eò majorem vobis gratiam largitur Deus: quò minùs ad invidiam in fratres urgemini ab inſidente vobis concupiſcentiâ, eò majoribus beneficiis vos cumulaturus eſt Deus: *Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Superbi ii ſunt, qui cæteris imperare cupiunt, eorum bona invadere & uſurpare conantur, livido oculo proſperas fratrum res vident: his reſiſtit Deus: at beneficiis afficit humiles, pacis amatores, eos denique qui cupiditatibus & ambitioni frænos injiciunt.

Hæc ſententia, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*, totidem verbis in Veteri Teſtamento apud Vulgatam non legitur; at habetur in LXX *Prov.* III, 34: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; pro quo noſtra translatio & Hebræus habent: *Ipſe deludet illu-*

(k) Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, οὐκ οἴδατε. *Antiq. Ital. ſeu Vulg. Fornicatores, neſcitis, &c.*
(l) *Vide Eſt. Grot. Menoch. Bez. Capell. Cornel.* (m) *Matth.* VI, 24.
(n) *Auguſt. lib.* 14 *de Civit. cap.* 28. (o) *Vide D. Thom. Cornel. Eſt. Menoc. Para. Piſc. Jac. Capell. alios.* (p) *Exod.* XX, 5; *Deut.* IV, 24; V, 9; VI, 15; *Nahum*, I, 2; *Psal.* LXXVIII, 5; *Ezech.* XVI, 38. *&c.* (q) *Ezech.* XXIII, 25: Δώσω τὸν ζῆλόν μου ἐν σοί.
(r) Ἢ δοκεῖτε, ὅτι κενῶς ἡ γραφὴ λέγει, Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ὑμῖν;
(s) *Galat.* V, 17. (t) *Geneſ.* VI, 5. (u) *Geneſ.* VIII, 21. (x) *Plures in Bedâ, Haffri. Eſt.*
(y) *Beda. Vide Eſt.* (z) *Oecumen.* (a) *Jun. Piſc. Capell. Glaſſ.* (b) *Num.* XI, 29.

℣. 7. Subditi ergo eſtote Deo: reſiſtite autem diabolo, & fugiet
a vobis.
℣. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate
manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.
℣. 9. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum
convertatur, & gaudium in mœrorem.
℣. 10. Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.
℣. 11. Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri,
aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem.
Si autem judicas legem: non es factor legis, ſed judex.

COMMENTARIUS.

illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Hinc Petrus eamdem hauſit ſententiam (c). Uterque verò Scripturam laudat ex verſione tunc apud Græcos uſitatiſſimâ. Græca exemplaria quædam (d) & Latina totum hoc membrum omittunt; nec deſunt Critici eruditiſſimi (e), qui credant, hæc a ſtudioſo quopiam in marginali ſpatio deſcripta, deinde a ſcribâ parum erudito in contextum translata; atque hinc fieri, ut in plerisque Græcis, ac omnibus fermè Latinis exemplaribus noſtrâ ætate inveniantur: at nullum eſt hujus conjecturæ fundamentum. Codices manu exarati atque editi, Orientales Verſiones, Latina vetus Vulgata locum hunc magno conſenſu legunt, uti nos.

℣. 7. Subditi estote Deo: vos Deo prorſus ſubjicite: conſilia Providentiæ reveremini, quicquid de vobis ipſe decreverit: fratribus ne invidete, neque pigeat, vos illis eſſe inferiores: *Reſiſtite Diabolo*, ea ſuadenti, quæ humilitati, ſubjectioni, patientiæ repugnant, *& fugiet a vobis*: illum fugabunt conſtantia & humilitas veſtra: ſuperbus eſt, humilibus inimiciſſimus. Semel profligatus, probro obrutus latet, nec tam facilè redit (f).

℣. 8. Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis, Deum precibus exorate, quærite illius opem: per ſinceram animi pœnitudinem ad Deum revertimini, ſi per peccatum diſceſſiſtis; *& appropinquabit vobis*, vos excipiet, exaudiet, inter amicos habebit, beneficiis cumulabit. Facite quod in veſtrâ poteſtate eſt; quod non eſt, poſtulate. Homines ſeſe ſinceré quærentes, atque ex animo ad ſe redeuntes, non rejicit Deus. Cùm vos ipſe ad revertendum excitet, an obtemperantes repellat?

Emundate manus; impietatem relinquite, crimina expiate, dignos pœnitentiæ fructus ferte; qui olim furto delectabatur, furto abhorreat: qui divitias ac voluptates amabat, paupertatem ſectetur & ſeveritatem. *Purificate corda, duplices animo*, qui ſinceritatem ignoratis, qui ſimplicem animum erga Deum fratresque non geritis; qui nunc Deum ſectamini, nunc Belial (g), qui in utramque partem claudicatis. Totam ſibi mentem, voluntatem totam, obſequia omnia exigit Deus. Sincerus ac ſimplex non eſt erga fratres animus (h), duplici corde eſtis: aliud ore, aliud mente fertis (i): *In corde & corde locuti ſunt.*

℣. 9. Miseri estote, animo excruciamini, et lugete luctu pœnitentiæ: humiles eſtote ſub potenti manu Dei, gemitus coram Deo fundite: animos dolore conterite. Laborioſam pœnitentiam, quæ una eſt redeundi ad Deum via, ubi peccando diſceſſeris, exprimit Jacobus his verbis: *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate; riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem: humiliamini.* Pœnitentiæ fructus ſuperiore membro recenſuit, vitæ converſionem, emendationem morum: alterum ſine altero non conſiſtit: fruſtra gemis, fruſtra dolore animum conteris, niſi peccatum ex animo execraris, peccandi occaſiones deſeris, Deumque laborioſis durisque operibus placas. Seu potiùs, ſi dolor tuus ſincerus ſit, atque ex animo prodeat, lacrymis dumtaxat gemitibusque non explebitur; manentem conſtantemque in te ſalutem perficiet, converſo penitus elapſæ vitæ inſtituto.

℣. 10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos; ut enim dixit ſupra, ℣. 6, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Deum irritavimus ſuperbiâ, placandus eſt humilitate; ab eo diſceſſimus vanâ de viribus noſtris fiduciâ, redeamus ſincerâ noſtræ infirmitatis confeſſione; reparanda injuria eſt, ſi cum eo inſtaurare amicitiam cupimus (k): *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis*, ſupremâ mortis & Judicii die. Cùm animos dejicimus, gradum ad gloriam æternam facimus.

℣. 11. Qui detrahit fratri, detrahit legi (l). *Judicare* hîc ſonat *damnare* (m). Eos arguit Jacobus, qui fratrum geſta perquirebant, damnabantque temerè atque arroganter eos, qui ab inſtitutionibus ſuis abhorrerent. Hi ſe ipſos ac Dei Legem damnabant; ſententiam imprudentes in ſe ipſi ferebant, id agentes quod arguerent in cæteris, & authoritatem uni Deo a Lege tributam (n) ſibi impudentiſſimè arrogantes. Se a cæteris argui ac damnari, ægrè ferebant: cur ipſi cæteros arguerent damnarentque? Obloquutione ac temerario judicio interdicit Deus: Divinam ſanctionem ipſi & obloquendo & arguendo violabant.

Vitium hîc ab Jacobo damnatum latè graſſabatur initio inter Chriſtianos, præſertim ex Judæis, qui Ethnicos ad Chriſtum converſos ritibus Legis ſubjici volebant, ac plerumque ferebant ægerrimè, Chriſtianos ex Gentibus, & plures quoque ex Judæis negligere rituales leges quamplurimas, puta quæ ad ciborum delectum atque ad luſtrationes pertinebant. Falſos hoſce re-

(c) 1 *Petri*, v, 5. (d) *Hunt.* 5, *Cod. Baſil.* 2, *Froben. Oecumen. Alii Codd. GG. & LL.*
(e) *Eraſm. Grot.* (f) *Hermas*, *lib.* 2, *mand.* 12: *Si reſiſteris diabolo, fugit a vobis confuſus.*
(g) *Vide ſupra*, 1, 8; 2 *Cor.* vi, 15. (h) 3 *Reg.* xviii, 21. (i) *Psal.* xi, 3.
(k) 1 *Petri*, v, 6. (l) *Antiq. Ital. Qui retractat de fratre, & judicat fratrem ſuum, retractat de fratre, & judicat fratrem ſuum.* (m) Κρίνων τὸν ἀδελφὸν. *Oecumen.* Ἀντὶ τοῦ, καταλαλῶν, καταφρονῶν. Ὁ γὰρ κατακρίνων, ὑπὸ καταφρονήσεως τοῦτο ποιεῖ.
(n) *Deut.* 1, 17: *Quia Dei Judicium eſt.*

Digitized by Google

℣. 12. Unus eſt legiſlator & judex, qui poteſt perdere, & liberare.
℣. 13. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrum faciemus:
℣. 14. Qui ignoratis quid erit in craſtino.
℣. 15. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.

COMMENTARIUS.

religionis ſtudioſos, qui cæteros omnes ad vitæ ſuæ inſtitutum adigere conabantur, acribus literis coërcuit Paulus (o): *Is qui manducat indiſcriminatim ex omnibus, non manducantem non ſpernat: & qui non manducat, manducantem non judicet: Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit.* Vide & priorem ad Corinthios, VIII; & Acta, X, 34. 35.

℣. 12. UNUS EST LEGISLATOR ET JUDEX (p), QUI POTEST PERDERE ET LIBERARE. Dei jura uſurpas, dum fratris geſta ad examen privatum revocas. An neſcis, unum eſſe Legiſlatorem, unum Judicem, cui fas eſt Leges hominibus dicere, & in refractarios animadvertere? Cur imponere tentas fratri jugum, quod non imponit Deus, imò quo Chriſtus moriens liberavit? Cur damnas hominem Divino Judicio aliquando adfuturum, & ſupremi Judicis ſententiam ſubiturum? Cur antevertis ſententiam, illi fortè amicam, tibi exitialem? Si frater Legem in rebus procul dubio vetitis violat, illum precibus juva, ſuumque illi errorem ſuaviter leniterque demonſtra: ſi aliter ac tu ſentit & agit in iis quæ incerta ſunt ac dubia, permitte judicium Deo, teque ipſe coërceto.

℣. 13. TU AUTEM QUIS ES, QUI JUDICAS PROXIMUM (q)? Græca quædam Exemplaria ſubdunt (r): *Quoniam non in homine, ſed in Deo via hominum.* Quæ ex Proverbiis hauſta ſunt, & ad ℣. 15 hujus Capitis referuntur. Meri Fideles nullâ dignitate fulgent, ut judicium de fratribus ferre queant. Deo permittant judicium, vel Magiſtratibus vicem Dei gerentibus credant.

ECCE NUNC jam ad eos, QUI DICITIS: HODIE AUT CRASTINO IBIMUS IN ILLAM CIVITATEM, &c. Græcus (s): *Hodie & cras eamus ... & faciamus*, &c. At Græci quidam Codices, Syrus, Arabs, Æthiops, Vetus Italica Vulgatæ favent; magiſque arguendus eſt hic loquendi modus, *Ibimus*, quàm *Eamus*; ſignificat enim majorem de viribus ſuis confidentiam. Licet quidem multa proponere ac ſtatuere, modò tibi de te nihil promittas, atque omnia in Dei poteſtate eſſe fatearis; ſubjectionem atque infirmitatem tuam agnoſcas, Deumque ores ut doceat quid tibi ſit faciendum, te in cœptorum executione dirigat, felicemque exitum largiatur; omnia enim ex ipſo pendent. Præter illum, inane eſt quicquid proponimus, ſtatuimus, laboramus, ſapimus, providemus, nihilque proſunt amicorum favor, fortunæ, vires. Manum ille a nobis reduxerit, ſtatim in nihilum revertimur (t): *In cujus manu anima omnis viventis, & ſpiritus univerſæ carnis hominis.*

℣. 15. QUÆ EST ENIM VITA VESTRA? VAPOR EST (u) ſtatim ac prodierit diſſipatus. Vapor eſt pars aquæ tenuiſſima, vi ignis, aëris aut ſolis excreta, quæ in aërem ſublata denſatur interdum, ac deinde ſeu vento ſeu calore diſpergitur; niſi tamen congeries aliqua vaporum coaleſcat, & nubem efficiat. Sacri Scriptores hominis vitam vento, fumo, vaporibus in aëre diſſipatis non rarò comparavere. *Memento quia ventus eſt vita mea*, inquit Job (x). *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit; ſic qui deſcenderit ad inferos*, in ſepulcrum, *non aſcendet*, non revertetur. Alibi (y): *Heſterni ſumus, & ignoramus quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* Et Pſalmiſta (z): *Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt.* Similes ſententias apud profanos legas (a). Seneca in Tragœdiis.

Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

PRO EO UT DICATIS: SI DOMINUS VOLUERIT; ET: SI VIXERIMUS. Aſſerendum vobis eſt, vel ſaltem ex animo credendum, eventus omnes veſtramque vitam in Dei poteſtate contineri. Nihil a vobis ſtatuendum eſt, niſi æquiſſimum, & Dei conſiliis ſubditum; & ea ipſa quæ æquiſſima ſunt & maximè laudabilia, ipſi aggredi non debetis, niſi cum ſubjectione erga Dei conſilia. Nihil fermè promittit in Epiſtolis Paulus, niſi cum addito (b): *Si Deus voluerit*, aut *permiſerit*, *ſi voluntas Dei fuerit.* Tertullianus (c): *Socratis vox eſt: Si Dæmonium permittat.* Minutius Felix (d): *Si Deus dederit, vulgi iſte naturalis ſermo eſt.* Deorum in humanas res poteſtatem paſſim agnoſcit Homerus (e). *Tutiſſimum eſt rarò experiri, ſed ſemper de fortunâ cogitare, & nihil ſibi de fide ejus promittere,* in-

(o) *Rom.* XIV, 1, 2, 3, 4.
(p) Græcus non legit *& Judex*: Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι. At Libri complures conſentiunt cum Vulgatâ, Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης καὶ κριτής. *Ita plures apud Mill. Syr. Copht. Æth. &c.* (q) *Græc. impreſſ.* Σὺ τίς εἶ, ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον; *Alii plures optimæ notæ*: Σὺ δὲ τίς εἶ ὁ κρίνων τὸν πλησίον; *Qui judicas proximum?*
(r) *Codd. Hunt.* 1, *Cov.* 3, *Oecumen. Cod. Coll. novi apud Mill*: Ὅτι οὐκ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ἐν Θεῷ τὰ διαβήματα ἀνθρώπων. *Ex Prov.* XX, 24.
(s) Σήμερον καὶ αὔριον πορευσώμεθα εἰς τὴν πόλιν, καὶ ποιήσωμεν, *&c. Alii*: Πορευσόμεθα ... καὶ ποιήσομεν. (t) *Job.* XII, 10. (u) Vetus Italica fert: *Quæ autem vita veſtra? momentum enim eſt per modica viſibilis, deinde & exterminata. Græc.* Ἀτμὶς γάρ ἐστι. (x) *Job*, VII, 7, 9.
(y) *Job*, VIII, 9. (z) *Pſalm.* CXLIII, 4.
(a) *Sophocl.* Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν,
Εἴδωλ' ὅσοιπερ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
Æſchyl. Καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον, ἢ καπνοῦ σκιά.
(b) 1 *Cor.* IV, 19; & XVI, 7, 12; *Hebr.* VI, 3; *Rom.* I, 10; *Philipp.* II, 24; *Act.* XVIII, 21.
(c) *Tertull. Apologet. Vide Platon. in Alcibiade.* (d) *Minut. in Octavio.*
(e) *Homer. Iliad.* B: Αἴ κε θεοί γ' ἐθέλωσι.

℣. 16. Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt.

℣. 17. Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.

COMMENTARIUS.

inquit Seneca (f). Haſce locutiones corrigit Chriſtiana Religio, omnemque fiduciam, vires, felicitatem, ſalutem in Deo eſſe ponendam docet.

℣. 16. Exultatis in superbiis vestris (g). Ita loquimini atque agitis, quaſi immortales ſitis, ac nemini obnoxii. Deliberatis & aggredimini, quaſi temporum & caſuum arbitri (h).

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa?

Quàm inſanum eſt de viribus ſuis, opinione, valetudine, vitâ, fortunis gloriari, cùm certa non ſit eorum ad breviſſimum tempus poſſeſſio? Quid ſtultius, quàm amplas ſpes animo concipere, & magna moliri, cùm nihil ſit caducius vitâ? *Quàm ſtultum eſt ætatem disponere! Ne craſtino quidem dominamur. O quanta dementia eſt ſpes longas inchoantium* (i)!

℣. 17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. Hebræis ad Chriſtum converſis nullus erat excuſationis locus, ſi bene non agerent. Cauſari non poterant, uti Gentiles, ſeſe Divinas Leges & Chriſtianæ Religionis officia ignorare. Satis multa hic dixit Jacobus, ſatisque admoniti fuere. Pleraque Religionis officia, & vitia inter ipſos pervagantia ille percurrit. Niſi mores corrigatis, jam nulla vobis excuſatio. *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis* (k); niſi tamen quæſita fuerit per malitiam & ſponte ignorantia: augebit enim peccatum, non minuet.

CAPUT V.

Locupletis avari ſupplicium. Patientia inter vitæ hujus ærumnas. Jusjurandum devita. Ægrorum unctio. Peccatorum confeſſio. Preces Juſtorum quàm valida. Revocandi ad officium errantes.

℣. 1. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis.

℣. 2. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt.

℣. 3. Aurum & argentum veſtrum æruginavit; & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Agite nunc, divites. Quæ hic & in conſequentibus, atque ad ℣. 7, ſcribit Jacobus, ad locupletes ab Eccleſiâ alienos (a), Chriſtianis infeſtos, ſpectare videntur. ℣. 7 Fideles duntaxat alloquitur, atque ad patientiam hortatur. De locupletibus egit ſupra, II, 2, &c. et ſatis innuit, locupletes intra Eccleſiam comprehenſos a ſe ſignificari. Nihil hic tale indicat. Quamquam locupletes ab Eccleſiâ alieni ad Jacobum non pertinebant, ſive Judæi eſſent, ſive Gentiles; ſupervacanea hic tamen non eſt hæc in illos oratio, ubi ad Fideles ex Judæis ſcribitur; eâ quippe & docentur ii, qui ſatis vacui non erant divitiarum cupiditate, & ſolatium afferebatur pauperibus, ubi de locupletum diſcrimine, paratâque illis pœnâ diſputari viderent.

Plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. Gloriari vos non decet fortunis opibusque, ſed gemendum, plorandum, formidandum ob æterna ſupplicia, parata malis locupletibus, avaris, ſuperbis, abutentibusque opum copiâ, ut ſectentur voluptates, Dei obliviſcantur, pauperes opprimant. *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram .... qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis* (b).

℣. 2. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt. Mavultis, avari, opum veſtrarum exitium cerneſe, quàm iis in ſinus pauperum effuſis, atque in cœleſtes theſauros collectis, bene uti. Quid prodeſt aurum humi conditum, aut arcâ incluſum? Cur cœleſtem beatitudinem illo non emiſtis? *Cuſtos eſt, non dominus facultatum, qui aurum terra infodit*, inquit S. Ambroſius (c): *miniſter utique ejus, non arbiter. Vende potiùs aurum, & eme ſalutem; vende lapidem, & eme Regnum Dei.*

Vestimenta vestra a tineis comesta sunt, dum pauper nudus temporum injurias patitur. Conditæ veſtes pœnam in caput veſtrum a Deo flagitant. Pauperes, qui nunc frigora & nuditatem ferunt, ſtabunt aliquando in Judicio, ut ſævitiam veſtram & avaritiam accuſent. Alibi diximus, fuiſſe apud veteres veſtium repoſitoriis, miſtis fragrantibus rebus, quibus tinearum injuriæ arcerentur. Fortaſſe nondum noverant ita lanam purgare, ut tineas non timeret.

℣. 3. Aurum et argentum vestrum æruginavit. Æruginem patitur argentum, non item au-

(f) *Senec. de animi tranquil. cap.* 13.
(g) Καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν. *Antiq. Ital. Gloriamini in ſuperbiâ veſtrâ.*
(h) *Horat. lib.* 2, *Ode* 16. (i) *Senec. Ep.* 101. (k) *Luc.* XII, 47, 48.
(a) *Ita Beda apud Eſtium, Grot. hic. Gatak.* (b) *Luc.* VI, 24. (c) *Ambroſ. de Naboth, cap.* 14.

℣. 4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

℣. 5. Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis.

℣. 6. Addixiſtis, & occidiſtis juſtum, & non reſtitit vobis.

℣. 7. Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.

COMMENTARIUS.

aurum, teſtibus rerum naturalium Scriptoribus *(d)*. At verum quoque eſt, auro pondus minui ſuceeſſu temporis, & quoddam corruptionis genus induci. Deoique Jacobus hic aurum argentumque poſuit pro qualibet magni pretii re, quarum pleræque rubiginem & putredinem ſentiunt. Hæc igitur *ærugo in teſtimonium erit* adversùs avaros, eorumque *carnes manducabit ſicut ignis. Theſaurizaſtis iram in noviſſimis diebus.* Acres ac tropicæ locutiones. Eadem ferè Michæas *(e)*: *Ignis in domo impii, theſauri iniquitatis; & menſura minor*, qua theſauros diſtribuit, *ira* Dei *plena*. Paulus *(f)*: *Secundùm duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.*

℣. 4. ECCE MERCES OPERARIORUM... CLAMAT, quam denegaſtis, aut diſtuliſtis; plerumque enim locupletes Principesque ſunt erga inopes ſæviſſimi, operiſque mercedem reddere maximè omnium negligunt; repugnante Lege, quæ mercedem operis eâdem ipsâ die reddi jubet *(g)*: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* Et alibi *(h)*: *Non negabis mercedem indigentis... ſed eâdem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam; ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Vetus Vulgata ferebat: *Ecce mercedes operariorum, qui araverunt in agris veſtris, quod abnegaſtis clamabunt; & voces eorum qui meſſi ſunt, ad aures Domini Sabaoth introierunt.*

℣. 5. EPULATI ESTIS, &c. Græcus *(i)*: *In delitiis vixiſtis ſuper terram, & laſcivìſtis: enutriviſtis corda veſtra ut in die mactationis*, tamquam ad diem feſtum, quo mactari ſolent victimæ ad epulum. Saginati eſtis epulis & luxuriâ, ceu victimæ ſolemni epulo deſtinatæ. Aderit ultionis dies, & ſupplicii diuturnitate ac ſeveritate moram vindictæ, ac patientiæ contemptum reparabit. Malus dives in Evangelio æternis cruciatibus addictus ſcribitur ob illud ſolùm, quòd vitam in delitiis & epulis duxerit, ſævitiamque erga Lazarum in foribus jacentem exercuerit *(k)*.

Sunt *(l)* qui ita interpretentur: Vitam inter epulas delitiaſque traduxiſtis, voſque ipſi *enutriſtis, ceu fieri ſolet iis diebus, quibus mactantur victimæ ad epulum.* Porrò iis diebus publica convivia agitabantur. Jungunt alii cum conſequentibus *(m)*: Tamquam *in die occiſionis*, cædis, prælii, *addixiſtis & occidiſtis juſtum*, nemine aut defendente aut repugnante, *& non reſtitit vobis.*

℣. 6. ADDIXISTIS, ET OCCIDISTIS JUSTUM *(n)*. Quamplures *(o)* interpretantur de Chriſto Jeſu, κατ' ἐξοχὴν juſto, necatoque a Judæis quâ die mactabatur paſcha: *In die occiſionis.* Aptiùs tamen ſumitur de Juſtis generatim, locupletum injuriâ quolibet tempore ad necem raptis *(p)*. Vide ſupra, II, 6: *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia?* Latini Codices nonnulli legunt *adduxiſtis*, non *addixiſtis*. Vetus Italica: *Condemnaſtis, & occ[illegible].*

℣. 7. PATIENTES IGITUR ESTOTE [illegible] USQUE AD ADVENTUM DOMINI. Peractâ in locupletes invectivâ, ad Fidelium inſtitutionem redit. Ne cadite animis inter calamitates, tamquam veſtri oblitus fuerit Deus. Vigilat ille, ut pœnas de hoſtibus veſtris exigat: deſinent quamprimum mala veſtra, & calamitates impiorum incipient: ℣. 8, *quoniam adventus Domini appropinquavit.* Bellum innuit, Judæis per Romanos inferendum, ac miſeræ gentis diſperſionem aliquanto pòſt eventuram; ſupremum quoque Judicium *(r)*, quod Scriptura cum priori calamitate conjungit, de ſacrorum Scriptorum more, qui notas exemplaris cum figuræ notis miſcent. Bellum Romanorum in Judæos, Templi & urbis excidium, Judæorum captivitas & diſperſio, mala externa quibus illi oppreſſi ſunt, luculentiſſimæ ſemper erunt ſupremi Judicii figuræ.

AGRICOLA EXPECTAT PRETIOSUM FRUCTUM TERRÆ *(s)*, tempore meſſis... DONEC ACCIPIAT IMBREM TEMPORANEUM ET SEROTINUM. *Imbrem* omittunt Vulgata, Æthiops, & quidam Codices Græci *(t)*. At majori numero alii, omneſque typis editi habent *imbrem tempeſtivum & ſerotinum*,

(d) *Plin. lib.* 33, *cap.* 3: *Super cætera non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipſo, quod conſumat bonitatem, minuatve pondus.* Pindarus aurum incorruptibile dicit: Ὁ δὲ χρυσὸς ἄφθαρτος. Sappho ait, aurum ex Jove natum neque rubiginem neque corruptionem ſentire.... Ὅτι Διὸς παῖς ὁ χρυσὸς, ἀἰνόν τι ὄνς, ὁ δὲ αἰς δάπτει. *Scoliaſt. Pindari.*
(e) *Mich.* VI, 10. (f) *Rom.* II, 5. (g) *Levit.* XIX, 13. (h) *Deut.* XXIV, 15.
(i) Ἐτρυφήσατε, καὶ ἐσπαταλήσατε, ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς. *Alii: Enutriſtis carnes, vel, corpora veſtra.* Ἐθρέψατε τὰς σάρκας ὑμῶν. *Ita Barb.* I, *Euthal. Syr.* Vetus Italica legit: *Fruiti eſtis ſuper terram, & abuſi eſtis; cibaſtis corda veſtra in die occiſionis.*
(k) *Luc.* XVI, 19. 20. (l) *Eraſm. Vatab. Menoch. Tirin. Piſcat. Gatab.*
(m) *In die occiſionis* (℣. 6.) *addixiſtis & occidiſtis juſtum. Vide Bed. Bez.*
(n) Κατεδικάσατε, καὶ ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον. (o) *Oecumen. Beda, Gaga. Titelm. Hugo, D. Thom. Salmer. Cathar. Grot. Zeger. &c.* (p) *Gatab. Cajet. Eſt. Alii.*
(q) Μακροθυμήσατε. *Oecumen.* Μὴ ἀθυμεῖτε ὡς μὴ ἐκδικηθέντες ἀπολλύμενοι. Ἡ ἀπολλυμένη μὲν, βραδυνούσης δέ. ἔστι γὰρ ἐκδίκησις, καὶ κατὰ πόδας, Λέγει δὲ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἔφοδον, ὑπὸ ἧς τὴν τούτων αἰχμαλωσίαν τῶν Ἰουδαίων. (r) *Vide Eſt. Grot. Men. alios. Confer* 2 *Theſſ.* II, 2; *Rom.* VIII, 23.
(s) *Antiq. Ital. Honoratum fructum terræ.* Τὸν τίμιον καρπόν. (t) Ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. *Quidam omittunt* ὑετόν, *Steph.* 17.

Digitized by Google

℣. 8. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini appropinquavit.

℣. 9. Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam aſſiſtit.

℣. 10. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ. Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.

℣. 11. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator.

COMMENTARIUS.

num, de quo ſæpe ſacra volumina (u). Vetus Italica: *Usquequo accipiat matatinum*, tempeſtivum, *& ſerotinum fructum*. Conſentit Victor Antiochenus (x). Leguntur in Scriptoris (y) veteres & novi fructus, primi ſcilicet ac poſtremi temporis; tum imber autumnalis & vernus. Hordeum triticumque verni fructus erant; vindemia, cæterique majorum arborum fructus ad poſtremum tempus pertinebant.

℣. 8. Adventus Domini appropinquavit. Animadvertimus, Domini adventu vel diem Judicii, vel bellum Romanorum ſignificari. Antiqui Patres diem Judicii mox adfuturum exiſtimabant, quòd fortaſſe ſigna belli, quod diximus, a ſignis generalis Judicii non ſatis ſecernerent. Quamquam Fideles, quos Jacobus alloquitur, excisâ Jeroſolymâ, eximendi penitus non erant locupletum injuriis, idque bellum futurum illis non erat ingens ſolatii argumentum; illud ſaltem conſtat, exemptos tunc fuiſſe inſectationibus, quibus a Judæorum Proceribus, Evangelii veritati nunquam non pervicaciſſimè repugnantibus, agitabantur; confirmatamque eo ſpectaculo eorum fidem, cùm Jeſu Chriſti minas in Judæos abſolutiſſimè impletas intuerentur: quamobrem dubio locus non erat, quin ejuſdem promiſſa ad æternitatem ſpectantia fide æquè certâ implenda forent, ipſique, exantlatis Dei causâ aliquot hujus vitæ malis, æternum in Cœlis præmium eſſent conſequuturi.

℣. 9. Nolite ingemiſcere in alterutrum, ut non judicemini (z). Nolite jurgari. Græcus cum Latino ad verbum (a): *Ne ingemiſcite*, ſive, *ne clamate invicem*. Criminationes liteſque invicem ne ſtruite. *Ingemiſcere* propriè eſt mœrorem doloremque animi, aut tumultum ſignificare. At apud Septuaginta Interpretes *ſtenazo* ſonat etiam clamare, ac dolorem animi gemitu exprimere. Utrumque Deo eſt injucundum; vultque Deus patientiam exerceri præter queſtus, vel ſaltem animi fervorem pro viribus coërceri, & gemitus opprimi.

Judex ante januam. Eadem ſententia, quæ ℣. 8: *Adventus Domini appropinquavit*; & in Geneſi (b): *In foribus peccatum adeſt*; ſcilicet, peccati pœna ſtatim ſubitura eſt, & vos aſſequutura. Loqui pergit de proximo Jeroſolymæ ac Templi excidio, & Judæorum diſperſione per Romanos.

℣. 10. Exemplum accipite exitus mali (c) ... Prophetas. Inter cæterorum odia, intuemini Prophetas, & exantlata ab illis mala inſpicite. Quid non illi ex Principibus, Sacerdotibus, populo pertulerunt? quot inter pugnas, irriſiones, injurias verſati ſunt? quàm multi inter cruciatus vitam obiere? Animo igitur confirmamini, & ſtatuta a Deo tempora expectate: *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis* (d). *Exitus malus* hic non eſt *miſer vitæ exitus*, ſed vitæ hujus ærumnæ.

℣. 11. Beatificamus eos qui sustinuerunt (e). Beatos dicimus eos qui mala perpeſſi ſunt. Nemo ex nobis eſt, qui illorum felicitatem non miretur: cur igitur patientiam in malis & conſtantiam in perſecutionibus non æmulamur? Si eumdem exitum eademque præmia optamus, cur eidem viæ non inſiſtimus? Nonne Chriſtus beatos dixit qui perſecutiones juſtitiæ causâ patiuntur (f), illiſque cœlorum Regna promiſit?

Sufferentiam Job audistis, et finem Domini audistis. Noſtis, quantopere probata fuerit ſanctiſſimi hujus viri patientia, ac tenetis, quàm felici exitu magniſque præmiis illum donaverit Deus. Finis non rarò pro præmio uſurpatur, ut (g): *Reportantes finem fidei veſtræ*, præmium ſcilicet. Et (h): *Finis* (merces) *illorum mors eſt*. Ita & *finis Domini* hoc loco eſt præmium, quod conſequuta eſt Jobi patientia (i).

Sunt (k) qui *finem Domini* interpretentur Jeſu Chriſti paſſionem; quæ apud Evangelium (l) finis vel *exceſſus* illius dicitur. Ex Judæis complures aut viderant aut vidiſſe poterant Chriſti necem ac finem, *Finem Domini vidiſtis*; at Jobum ejuſque caſus, tum ante eùm poſt illius calamitates, nonniſi e Scripturis noverunt. Quid verò de præmiis Jobi Scriptura? nimirum amiſſas res duplo majores illi eſſe reſtitutas. At nihil tale Fideles præſtolabantur: quamobrem ad roborandam illorum patientiam opportunior Chriſti perpeſſio, *finis Domini*, quàm relatum a Jobo præmium, videbatur. Hæc ſunt hujus opinionis ar-

(u) *Deut.* XI, 24; *Geneſ.* XXVII, 28; *Amos*, VII, 1; *Job*, XXIX, 23; *Joël*, II, 23; *Zach.* X, 1.

(x) *Victor Antioch. homil.* 110.

(y) *Levit.* XXVI, 10; *Cant.* VII, 13. (z) Ἵνα μὴ κατακριθῆτε, *Ut non condemnemini*. *Alii plures*: Ἵνα μὴ κριθῆτε, *Ut non judicemini*. *Vide Mill.*

(a) Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων. Apud LXX, στενάζειν eſt clamare. Vide *Job.* XXIV, 12; XXXI, 38. *Vide Heinſ. Gatak. Cathar.* (b) *Geneſ.* IV, 7.

(c) Ὑπόδειγμα τῆς κακοπαθείας, *Exemplum afflictionis*. *Antiqua Italica verſ. Accipite experimentum de malis paſſionibus, & de patientiâ Prophetas*. *Beda: Exitûs mali & longanimitatis, & laboris, & patientiæ*. (d) *Heb.* XII, 4.

(e) Μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας, *Eos qui ſuſtinent*. *Alii*: Τοὺς ὑπομείναντας. *Steph.* δ, 1, 10, ιγ, *Lin. Laud.* 2, *Petit.* 3, *Cov.* 2, 3, *Compl. &c. hic. Et antiq. Ital. Eos qui ſuſtinuerunt*.

(f) *Matth.* V, 10. (g) 1 *Petri*, I, 9. (h) *Rom.* VI, 21, 22.

(i) *Dionyſ. Cajet. Salmer. Syr. Grot. Piſcat. Men. Gatak. Eſt. Alii plures*.

(k) *Auguſt. lib.* 1 *de Symbolo, cap.* 3; & *Ep.* 120; *Beda hic, Hugo, Gloſſa. Alii quidam*.

(l) *Luc.* IX, 31; *Dicebant exceſſum ejus*.

℣. 12. Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub judicio decidatis.

℣. 13. Triſtatur aliquis veſtrum? oret: Æquo animo eſt? pſallat.

℣. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.

COMMENTARIUS.

argumenta; prior tamen explicatio magis conſentanea videtur. Compertiſſimum erat Fidelibus, patientiam Jobi æternis in cœlo præmiis fuiſſe donatam.

℣. 12. ANTE OMNIA, NOLITE JURARE. Præcipit hîc Jacobus illud ipſum, quod mandaverat Chriſtus (m): *Ego autem dico vobis; Non jurare omnino.* An quodlibet jurisjurandi genus vetitum eſt Chriſtiano? At juravit Paulus, Dei teſtimonio ſæpe in Epiſtolis invocato (n). Nonne actio Religionis eſt jusjurandum, modò cum veritate, judicio, juſtitiâ jures? *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitiâ* (o). Reverâ Chryſoſtomus (p), Theophylactus, aliique Veteres nonnulli (q) vetitum omnino Chriſtianis jusjurandum exiſtimavere; idque Judæis duntaxat ob animi duritiem fuiſſe permiſſum. At communis Patrum ac Theologorum ſententia, ipſaque Eccleſiæ conſuetudo ſatis docent, fas eſſe jurare Chriſtiano, modò neceſſitas, veritas, juſtitia, debitumque nomini Divino obſequium intercedant. Ita ſtatuit Synodus Conſtantienſis adverſus Wicleffum (r). Vide nos in *Matth.* v, 34; & S. Auguſtinum *Lib. 1 de ſermone Domini in monte, cap. 17; & lib. de Mendacio, cap. 15.*

UT NON SUB JUDICIO DECIDATIS, ne judicio damnemini. Græcus (s): *Ne in hypocriſim incidatis*. Optimi tamen Codices multi, ut Alexandrinus, & editi complures, Syrus, Arabs, Æthiops, vetus Italica cum Vulgatâ conſentiunt, *Ne ſub judicium* vel damnationem *incidatis*; judicium quippe paſſim pro damnatione uſurpatur, uti ſæpè animadvertimus. Superiorum connexio cum conſequentibus non cernitur, ſi vulgatam Græci lectionem ſequare: *Nolite jurare... ut non in hypocriſim incidatis.* Grotius tamen reddit: *Ut non in mendacium incidatis;* oſtenditque, Græcam vocem *Hypocriſis* hoc interdum ſignificare (t). Ita perſpicua eſt loci totius ſententia: præſtantior tamen videtur Vulgatæ verſio.

℣. 13. TRISTATUR ALIQUIS VESTRUM? ORET. ÆQUO ANIMO EST? PSALLAT (u). Ubi vos mœror ac triſtitia in anguſtis rebus invaſerint, orate, animos effundite coram Deo, veſtros illi labores narrate, invocate illius opem, rerum veſtrarum curam illi remittite, ſtatimque ſolatium accipietis. Hilares eſtis, veſtræque res ſecundo flatu feruntur? ne profanas voluptates & vana ſolatia ſectemini, ſed Domino gaudete, ſacra carmina recitate, ſpiritale gaudium frequentate, animo verſantes magna Dei opera, commendantes illius majeſtatem, laudemque prædicantes. Ita ſingula vitæ tempora ſancta efficietis, ſive anguſtæ ſive proſperæ res fuerint. Hoc ipſum ſibi propoſuit Eccleſia, dum Miniſtris filiiſque tradidit Davidis Pſalmos, in quibus pias divinaſque ſententias, ſingulis vitæ neceſſitatibus accommodatas, reperias (x).

℣. 14. INFIRMATUR QUIS IN VOBIS? INDUCAT PRESBYTEROS, &c. Catholici Interpretes, cùm veteres tum recentiores, locum hunc de Extremæ Unctionis Sacramento interpretati ſunt. Idipſum pronunciavere Synodi Florentina (y) & Tridentina (z); ipſaque Eccleſia luculentiſſimè exprimit per formulam, qua hoc Sacramentum conferri jubet: *Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: Infirmatur quis in vobis?* &c. damnatque Armenos, Valdenſes, Albigenſes, Wicleffum, recentioreſque Novatores Calvinianos & Lutheranos, qui Unctionem a Jacobo memoratam verum eſſe novæ Legis Sacramentum negant. Unctionem, qua, ſuperſtite adhuc Chriſto, Apoſtoli ægris incolumitatem reddebant, de qua Marcus (a), Divino huic Sacramento præluſiſſe credit (b). Huic igitur veritati repugnare non potes, quin aliquod Catholicæ Fidei caput evertas; damnandaque eſt audacia Cajetani, qui, tametſi Extremam Unctionem eſſe novæ Legis Sacramentum fateatur, certat tamen, his Jacobi verbis ſpectari ſolummodo prodigioſam illam unctionem, qua Apoſtoli ante Jeſu Chriſti paſſionem, nondum Sacerdotio initiati, ægros curabant. Adſtipulantur Oecumenius (c), & Interpretes pleri- que ex Novatoribus.

Fateor omnino, unctionibus interdum uſos eſſe Judæos ad ægrorum ſolatium; idque pharmacum eſſe morbis quibuſdam præſentiſſimum, quo præſertim Orientales ſæpe utebantur. Ezechiel

(m) *Matth.* v, 34.

(n) 2 *Cor.* I, 23; *Philipp.* I, 8; *Rom.* IX, 1; 2 *Cor.* XI, 31; *Galat.* I, 20.

(o) *Jerem.* IV, 2. *Vide & Deut.* VI, 13. (p) *Chryſoſt. & Theophyl. in Matth.* v, 34.

(q) *Oecumen. hic.* (r) *Concil. Conſtan. ſeſſ.* 8.

(s) Ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. *Alii*: Ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε. *Antiq. Ital. Ne in judicium incidatis. Oecumen.* Τὴν ὑπόκρισιν, ἤτοι τὴν κατάκρισιν.

(t) Ὑπόκρισις *pro mendacio*, 1 *Timoth.* IV, 2. Ὑποκρίνεσθαι *pro mentiri*, *Prov.* XVI, 28, *in Verſ. Sym.* Ὑποκριτὴς *pro mendace*, *Job*, XXXIV, 30; & XXXVI, 13.

(u) *Editio Sixti V. Triſtatur autem aliquis veſtrûm: Oret æquo animo & pſallat. Græc.* Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. Εὐθυμεῖ τις; ψαλλέτω.

(x) *Vide, ſi placet, Baſil. ſeu alias proœmium in Pſalmos.* (y) *Concil. Florent. in Decreto unionis.*

(z) *Trident. ſeſſ.* XIV, *cap.* 1: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe verè & propriè Sacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, ſed ritum tantùm acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

(a) *Marc.* VI, 13: *Ungebant oleo multos ægrotos, & ſanabant.*

(b) *Concil. Trident. ſeſſ.* 14, *cap.* 1: *A Chriſto Domino noſtro apud Marcum quidem inſinuatum, &c.*

(c) *Oecumen.* Τοῦτο καὶ ἐπὶ Κυρίου ἔτι τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφομένου οἱ Ἀπόστολοι ἐποίουν, ἀλείφοντες τοὺς ἀσθενοῦντας ἐλαίῳ, καὶ ἰώμενοι.

℣. 15. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.

COMMENTARIUS.

chiel *(d)*: *Lavi te aquâ, & emundavi ſanguinem ſuum ex te, & unxi te oleo*. Evangelicus Samaritanus *(e)* vulnera hominis in Jerichontino itinere cæſi, vino & oleo curavit. Apoſtoli inunctis oleo ægris *(f)* incolumitatem invocato nomine Chriſti reddebant. Oſtendit Ligfootus *(g)* ex Thalmude Jeroſolymitano & Babylonico, medicas hujusmodi unctiones inter Judæos fuiſſe vulgatiſſimas, miſtaque a nonnullis carmina, quibus earum vis augeretur. Neque inficias iverim, uſos interdum unctionibus in eamdem rem Chriſtianos. Severum Imperatorem a Proculo quodam Chriſtiano inunctum oleo fuiſſe curatum, narrat Tertullianus *(h)*. Innocentius I aſſerit, fas eſſe Laicis oleo ſacris precibus conſecrato ſuos per ſe ægros inungere *(i)*.

At alia prorſus eſt unctio, de qua Jacobus. Nam I, Apoſtolus abſolutè non dicit, *Siquis infirmatur in vobis* conſueto morbi genere, vel eo cujus evaſio ſperari queat; ſed, ſiquis morti proximus laborat *(k)*; ita enim Græcus ſonat *(l)*: quamobrem Extrema Unctio *Sacramentum morientium* dicitur, ac nemini, niſi animam prope agenti, præbetur *(m)*. II, Non quilibet Sacerdotes dono ſanationum præditi erant: ſi igitur voluit Jacobus, præberi hanc unctionem, ut redderetur ægro incolumitas, dicere debuit, vocandos eſſe Presbyteros ſanationum virtute præditos, non abſolutè Presbyteros. III, Unctio a Presbyteris, ſive ab Apoſtolis, meriſve Fidelibus admota, nulli uſui erat præter corporis incolumitatem: at hæc peccatorum remiſſioni ſervit: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*. IV, Ægrorum ſanatio per unctionem ac manuum impoſitionem, caſualis erat, uſuque non permanente pollens, nec effectum neceſſariò ferens. Hæc permanens eſt, & certiſſimâ efficacitate, ſaltem quod ad peccatorum remiſſionem attinet. V, Prodigia nonniſi ob infidelium converſionem erant; ritus hic ob unos Fideles: prodigioſa igitur unctio non erat, qualis illa apud Marcum, VI, 13.

Inducat Presbyteros, Epiſcopum, vel Presbyteros, vel utrumque, vel unum Eccleſiæ Presbyterum. Addit, *Eccleſiæ*, ut intelligas non ſeniores dumtaxat aut ætate majores *(n)*, ſed Epiſcopum, aut Presbyteros Eccleſiæ moderatores. Presbyteri plures, & plerumque ſeptem inter Orientales ad Sacramenti hujus adminiſtrationem adhibentur; unus apud Occidentales. Lege hac de re Controverſiarum Scriptores, & qui de Sacramentis diſputant.

Orent super eum, ungentes oleo; vel orent pro eo, vel orent impoſitis illi manibus, vel denique inter ungendum orent. Eccleſiæ Miniſtri dum Sacramentum Extremæ Unctionis adminiſtrant, linientes ita orant: *Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum, &c. deliquiſti*. Leguntur quoque in Ritualibus Orationes ante & poſt unctionem recitandæ. Liniuntur ægri *oleo* ex oleâ, per Epiſcopum ritè conſecrato, qui mos Occidentalium eſt; apud Orientales ſufficit, ſi a mero Sacerdote conſecratum fuerit. Præbetur extrema Unctio *in nomine Domini*, ejusque authoritate; neque ſuo ipſius nomine agit Presbyter, ſed tamquam Dei Miniſter, Dei authoritate præditus, ejuſque verbis & promiſſionibus fretus.

℣. 15. Et oratio fidei salvabit infirmum *(o)*. Miniſtri oratio cum ægri fide conjuncta; ſive utriusque fides preceſque ſolatium & incolumitatem ægro afferent, ſi id expedire illius ſaluti viſum Deo fuerit *(p)*, qui tum hujus tum cæterorum Sacramentorum eſt finis. Novam penitus conjecturam proponit hic Seldenus *(q)*, quam prorſus prætetire non poſſumus. Putat ille primùm, agi hoc loco de ægris morti proximis, morientibus, vel etiam mortuis, mox in feretrum inferendis; & poſt illius argumenta nullus dubio eſt locus, quin *aſthenein* *(r)* & *camnein* *(s)* paſſim uſurpentur, illud pro ægris morbo oppreſſis, hoc pro mortuis: quamobrem, ſubdit ille, non jubet Jacobus acciri Presbyteros ad Sacramentalem Unctionem vel medicam, ſed ut claudant oculos ægro poſtquam exhalaverit animam, ſive ut liniant oleo antequam cadaver in feretrum inferatur. Docet ille ex Rabbinis *(t)*, oleum palpebris mortui hominis infundi conſueviſſe, ut oculi clauderentur; & nulla quidem eſt difficultas quod ad cadavera mortuorum linienda & condienda pertinet. Ita Joſephus Arimathæus & Nicodemus erga Chriſti cadaver præſtitere *(u)*; idemque colligitur ex officio, quod Maria Marthæ ſoror, inunctis Chriſti pedibus, ipſi Chriſto exhibuit *(x)*: *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*.

Itaque Jacobi ſententia ex Seldeno hujusmodi eſt: Siquis adeò periculosè langueat, ut deplorata ſit illius vita, arceſſantur ſeniores oppidi vel familiæ, ut illius oculos claudant, vel corpus poſt mortem condiant: eorum precibus fiet, ut incolumitas reddatur ægro, vel etiam vita, ſi is obierit, & ſiqua peccata adhuc expianda ſunt, Deus illi dimittet. Locus Jacobi ad verbum ita reddi poteſt: *Infirmatur quis in vobis ad mortem? Arceſſat Seniores totius Cœtus*, vel Eccleſiæ, *& orent pro eo illito priùs oleo in nomine Domini (y), & oratio fidei ſervabit morientem*, ſive mortuum, *& ſuſcitabit illum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Hæc locutio, *ſuſci-*

(d) *Ezech.* XVI, 9. (e) *Luc.* X, 34. (f) *Marc.* VI, 13.
(g) *Chronol. pag.* 145. (h) *Tertull. ad Scapul. cap.* 4. (i) *Innocent. I, Ep. ad Decent. & Concil. Vermat. c.* 72. (k) Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; (l) *Vide Selden. de Synod. lib.* 2, *cap.* 7, *n.* 11, *pag.* 351; *& n.* 12, *p.* 362. (m) *Rituale Rom. Debet hoc Sacramentum infirmis præberi, qui tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur*.
(n) Προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς Ἐκκλησίας. (o) Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. *Antiq. Ital. Oratio in fide ſalvabit laborantem, & ſuſcitabit illum Dominus*.
(p) *Vide Grot. Eſt. Cornel. Vide* 2 *Cor.* XII, 9; 1 *Timot.* V, 23; 2 *Timot.* IV, 20.
(q) *Selden. lib.* 2 *de Synedr. cap.* 8, *n.* 11, 12, 13. (r) *Idem loc. cit. pag.* 351, 355, 356.
(s) *Idem pag.* 365. *Homer. Iliad.* Ψ.
Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων.
Didym. Καμόντων, τῶν τεθνηκότων.
(t) *Talmud. Babylon. apud eumdem, pag.* 359. (u) *Joan.* XIX, 39, 40. (x) *Marc.* XIV, 8.
(y) Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ Κύριος. *Antiq. Ital. verſ. Et oratio in fide ſalvabit laborantem, & ſuſcitabit illum Dominus*.

℣. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.

℣. 17. Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis: & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.

COMMENTARIUS.

ſuſcitabit eum Dominus, propriè uſurpari poteſt pro homine in vitam revocato; quam quidem poteſtatem largitus disertè eſt Apoſtolis Chriſtus: *Mortuos ſuſcitate* (z); vel etiam pro reſtauratâ morientis incolumitate.

Nemo non videat, invectam eſſe a Seldeno contortam adeò hujus loci explicationem, quæ a communi omnium hactenus Interpretum ſenſu abhorret, ne is cogatur admittere Extremæ Unctionis Sacramentum, quod Græca & Latina Eccleſia nullo non tempore admiſerunt. *Presbyteros Eccleſiæ* eſſe ait non homines Eccleſiaſticâ dignitate præditos, ſed meros ſenes quoslibet, authoritate præditos vel carentes; quamquam vocabula ipſa luculentiſſimè repugnant. Denique quis unquam audiit, pharmacum eſſe in Eccleſiâ pervulgatum, familiare, certiſſimum, quo ægri ad extremam horam laborantes oleo liti curentur, ſive etiam mortui revocentur in vitam? Quis intellexit, rite acciri Eccleſiæ Presbyteros, vel oppidi Seniores, ut oculos morientium claudant, vel corpora mortuorum condiant? Uni ſcilicet Seldeno iſtud ſuccurrit.

ET SI IN PECCATIS SIT, REMITTENTUR EI; qui præcipuus eſt Extremæ Unctionis effectus. Fidelium peccata vel negligentia, præſertim primis iis temporibus, morbis puniebantur. Si morbum peccata promeruerint, Sacramenti virtus veniam adeoque & ægri incolumitatem impetrabit (a). Extrema Unctio, inquit Synodus Tridentina (b), *delicta ſiqua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit*. Peccati reliquiæ ſunt aut venialia peccata, aut mortifera, latentia tamen & incognita, ſive peccatorum adhuc expiandorum pœna, ſeu denique vitioſæ habitudines, ex præteritis peccatis relictæ. Fortes efficimur adverſùs pravas propenſiones hoc Sacramento, vel criminibus hiſce purgamur.

℣. 16. CONFITEMINI ERGO (c) ALTERUTRUM PECCATA VESTRA, ſi cupitis veniam illorum impetrari precibus fratrum, aut dimitti a Miniſtris Chriſti, ex traditâ ipſis poteſtate (d); denique ſi admiſſorum in fratres peccatorum veniam ex ipſis impetrare optatis, invicem peccata confitemini; ſi publica ſint, coram Eccleſiâ; ſi in fratrem, ſupplices fratri vos præbete (e); ſiquid haud palam peccaſtis, Miniſtro Eccleſiæ clam aperite, ut abſolvamini. Judex eſt Miniſter, atque a Deo inſtructus eſt ligandi ac ſolvendi poteſtate: ocutram verò in vos ille poteſtatem exercere poteſt, niſi luculentam peccatorum confeſſionem apud illum exhibueritis. Medicus animorum eſt, & convenientia remedia admovere debet: at quo pacto curaverit, niſi mentis vulnera & morbos ſincerâ confeſſione detexeritis (f)! *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*.

ORATE PRO INVICEM, UT SALVEMINI; MULTUM ENIM VALET ORATIO JUSTI ASSIDUA. Referri hæc poſſunt ad ſuperiora. Sive morbis corporis ſive peccato teneamini, illud efficite, ut Eccleſia & pii homines pro vobis orent; validiſſimus enim hic eſt veniæ opisque impetrandæ modus. Sive abſolutè, tamquam novum Jacobi monitum ad Fideles: Alter pro altero preces fundite, ut ſalutem aſſequamini: fratrum precibus opus eſt, ut referatis peccatorum veniam, & in juſtitiâ perſeveretis. Presbyteri & Domini Miniſtri pro grege orent, Fideles pro Paſtoribus; juſti converſionem peccantibus, piis perſeverantiam rogent. Preces, quas charitas intra nos concipit, quasque Spiritus Sanctus in fratrum gratiam dictat, libentiſſimè excipit Deus.

Multum valet oratio Juſti aſſidua. Reddi poteſt Græcus (g): *Multum poteſt oratio juſti efficax*, fervens, aſſidua. Paſſim occurrunt in Scripturis exempla, quibus efficacitas orationis oſtenditur. Dei furorem, in gentis alicujus perniciem mox exarſurum, placavit; prodigia omnibus deinceps ætatibus ſtupenda obtinuit; extraordinaria ex Deo beneficia tum in orantes tum in eos, pro quibus orabatur, extorſit. Una impetrandarum tum nobis tum fratribus ex Deo largitionum vis eſt oratio: per illam ſcilicet aſſidua nobis eſt cum Cœleſtibus conſuetudo, miſſis eò laudibus, obſequiis, gratiarum actionibus, ſignificationibus pœnitentiæ, poſtulationis, relatisque inde illuſtrationibus, ſolatiis, auxiliis, quibus indigemus. Ut audiare, opus eſt humilis ſit oratio, fervens, aſſidua, ex recto juſtoque animo profecta, vel ſaltem ex animo iſthæc ornamenta perruptante: *Oratio juſti aſſidua*. Non audit Deus peccatores (h) absque charitate, fervore, attentione, Juſtitiæ amore orantes, neque ad Deum, cujus inimici ſunt, reverti ex animo cupientes.

℣. 17. ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS, & miſeriis obnoxius. Orationis vim oſtenſurus, utitur exemplo Eliæ, qui Cœlum duos & quadraginta menſes precibus clauſit, precibusque aperuit, cùm viſum eſt, ut Domini gloriam ac potentiam oſtenderet. Narrat id tertius Regum Liber (i). Achab Iſraëlis Rex, omnia majorum ſuorum flagitia ſectatus, ſcelera ſceleribus cumulavit, ductâ uxore Jezabele, Ithobali Regis Tyriorum filiâ; cujus illecebris in Numinum ſuorum cultum abreptus, Templum Baali in urbe Samariâ condidit, ibique cultum Numinum impudentiſſimè exercuit. Dei Spiritu actus Elias, Achabum adiens ait: *Vivit Dominus, in cujus*

(z) *Matth.* x, 8.
(a) *Vide Eſt. Grot. &c.* (b) *Concil. Trident. ſeſſ.* 14, *cap.* 3.
(c) Græcus non habet *ergo*. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα. *Sed addunt* οὖν *Steph.* δ, ι, α, *Syr. Alexand. Col. & alii nonnulli.*
(d) *Matth.* xvi, 19: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, &c. Joan.* xx, 23: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*
(e) *Vide Bed. Eſt. Grot. Cornel.* (f) *Vide Alcuin. Ep.* 26; *Concil. Senon. decret.* 20; *Hugo Victor. lib.* 2 *de Sacram. parte* 14, *c.* 1; *Bonav. Alenſ. Alii plurimi.*
(g) Πολλὰ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη. *Antiq. Vulg. Multum poteſt petitio juſti frequens.*
(h) *Joan.* ix, 31. (i) 3 *Reg.* xvii, xviii.

℣. 18. Et rurſum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.

℣. 19. Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum,

℣. 20. Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.

COMMENTARIUS.

conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluvia, niſi juxta oris mei verba; juſſuſque a Deo fugere & in valle trans Jordanem deliteſcere, deinde in oppidum Sareptam vênit.

Trienio elapſo, Deus illum alloquutus præcepit, ſiſteret ſeſe Achabo, ut demum imber terris daretur. Profecto igitur Eliæ dixit Achabus: *Tu ne es ille, qui conturbas Iſraël?* Cui Elias: *Non ego turbavi Iſraël, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* At jam nunc jube colligi Prophetas Baalis, univerſumque Iſraëlem in Carmeli verticem. Rege cum Prophetis populoque illuc profecto, Numinum vanitatem oſtendit Elias, provocans Baalis Miniſtros, ut ignem e Cœlo deducerent in victimas, velut ipſe præſtitit in ſuas. Ultus Domini injurias nece pſeudo-Prophetarum, Regem populumque monuit, reverterentur ſtatim, imbre uberrimo nimirum imminente, quamvis nihil tale aëris aſpectus minitaretur. Humi ſtratus Elias, capite inter genua inſerto, oravit, ſtatimque pluvia. Ait Jacobus, clauſum fuiſſe Cœlum Eliæ precibus, ac menſes duos & quadraginta non pluiſſe. Duo hæc adjuncta non leguntur in Scripturis; at ea didicerat Jacobus vel divinitus, vel ex narratione majorum (k). Privatâ authoritate prodigia non patrabant Prophetæ, uti Chriſtus, ſed impetrato precibus beneficio (l).

℣. 19. SIQUIS EX VOBIS ERRAVERIT, ET CONVERTERIT QUIS EUM; ℣. 20... SALVABIT ANIMAM EJUS A MORTE, ET OPERIET MULTITUDINEM PECCATORUM. Ab itinere veritatis aberras, ſi vel errore in fidem, vel flagitiis morum implicceris. Siquis utrâque ratione aberret, eumque frater & inſtitutionibus & monitis, ſive ſuaviter ſapienterque objurgando revocaverit, magnam init apud Deum gratiam, cùm ſervaverit animam fratris, illum diſcrimini exemerit, & cauſa fuerit cur ille ad Deum reverteretur, referretque peccatorum veniam, quam is pœnitentiâ promeruit (m).

Aliter: Qui fratrem ubi opus eſt, inſtituit, atque ab errore reducit, dignus fit, cui Deus & ſuam ipſius ſalutem & peccatorum veniam largiatur: ſe ipſe ſervat, dum alienæ ſaluti conſulit (n). Favet huic explicationi Græcus typis editus (o); quique illum ſequuntur (p), ita Latinè legunt; *Salvabit animam ſuam a morte, & operiet multitudinem peccatorum ſuorum.* At conſentanea magis videtur prior interpretatio.

IN

(k) *Grot. Gatak.* (l) *Eſtius hic.* (m) *Vide Eſt. Grot. Gatak. Piſc. Druſ. alios.*

(n) *1 Timoth. IV, 16: Attende tibi & doctrinæ, Inſta in illis, Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.*

(o) Ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. *Quidam legunt*, ψυχὴν αὐτοῦ. *Steph. δ, ι, ω, Alex, Baroc. Barber. 2, Colin. Vulg. Syr. Æth. Copht. Codices Latini alii legunt, animam ejus; alii, Animam ſuam. Italic. Verſ. Antiq. Salvat animam de morte ſuâ, & operiet multitudinem peccati. Alii, peccatorum ſuorum. Alii: Peccatorum ejus. Vide Bed. Eſt. Cornel. hic.*

(p) *Vide Bedam, Hug. Carthuſ. Gloſſ. Joan. VIII, Ep. 38. Vide & D. Thom. Titelm. Cornel. a Lapid. Fevardent. Vorſt. Ham. Vide Eſt. & Origen. homil. 2 in Levit. Caſſian. Collat. 20, cap. 8.*

Finis Commentarii in Epiſtolam B. Jacobi Apoſtoli.

Digitized by Google

IN PRIMAM
B. PETRI APOSTOLI
EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

PETRUS, alio nomine Simon, Joannis ſive Jonæ filius, Bethſaidæ, ſeu Juliade, Galilææ urbe, ultra Jordanem, prope ejuſdem fluminis fauces ad Lacum Genezareth ſitâ, ortus, & Andreæ frater, a quo ad Jeſu Chriſti ſequelam vocatus eſt (*a*). Ædes habebat in Capharnaum, ubi cum uxore morabatur [*b*]. Una cum fratre Andreâ tum piſcationi vacabat, cùm a Chriſto vocatus eſt ad Apoſtolatum [*c*]. Suum erga Præceptorem ſtudium aſſiduè exhibuit; quo etiam cæteris Apoſtolis præſtitit. Chriſtus verò potiſſima benevolentiæ argumenta ei ſemper oſtendit; illum Transfigurationis ſuæ teſtem adhibuit (*d*); Petram quoque eum eſſe voluit, ſuper quam ſtruere Eccleſiam, inferorum conatibus nunquam evertendam, conſtituerat (*e*).

Quamvis Petrus nimiâ animi Imbecillitate a Chriſto in ejus paſſione defecerit, Chriſtus nihilominùs poſt reſurrectionem nova amoris argumenta ei præſtitit [*f*], & ſupremam Dignitatem non modò non ademit, verum etiam de ſuo amore ter poſtulatum, conſpicuum Eccleſiæ ſuæ caput expreſsè conſtituit (*g*): *Simon Joannis, diligis me plus his?* a quo cùm totidem reſponſionibus ſe ab eodem enixè diligi accepiſſet, *Paſce*, ſubdidit, *agnos meos*, *paſce oves meas*.

Poſt S. Spiritûs in Apoſtolos & Fideles omnes unà congregatos illapſum, Petrus, utpotè ſacri cœtûs caput, in Templum ſe conferens, ita plenam Spiritu Sancto ad populum concionem habuit, ut tria hominum millia ad Fidem ſtatim adduxerit (*h*). Aliquot poſt dies, cùm in Templo populum adhuc alloqueretur, Sacerdotum & Saducæorum juſſu captus, carceri addictus eſt [*i*], quin tamen vel ardorem fidei remiſerit, vel animo defecerit. Coram Magiſtratûs Patribus, & Sacerdotum Principibus deinde productus, intrepidè de Jeſu Chriſto ad eos dixit, & Deo magis quàm hominibus obtemperandum profeſſus eſt.

In ſingulis Petri geſtis hic recenſendis non immoror; præcipua tantùm attingo, ut ad eam, qua hæc ſcripta eſt Epiſtola, ætatem legentes deducam. Stephano per martyrium abſumpto, Fideles omnes, præter Apoſtolos, Jeroſolymis profugi, diſperſi ſunt in diverſa (*k*). Eâ occaſione Philippus Diaconus Evangelium Samariam invexit, quò & Petrus ſe contulit, ut baptiſmo initiatis Spiritum Sanctum conferret (*l*). Quam Spiritûs Sancti conferendi virtutem cùm Simon Magus, oblato pretio, comparare ſibi tentaret, illum Petrus a Chriſti Eccleſiâ rejecit.

Aliquanto pòſt Gentibus quoque ad Fidem & Evangelium velle ſe aditum patefieri, cœleſti viſione Deus Petro in Joppe verſanti oſtendit; in qua cùm Apoſtolus linteum reptilibus plenum coram ſe e Cœlo demitti ſpectaſſet, juſſus eſt occidere, & manducare. Baptiſmo Cornelium abluit (*m*), neque amplius ab Ethnicorum conſuetudine duxit abſtinendum. Antiochiam paulò poſt profectus [*n*], primam ibi ſedem conſtituit. Anno circiter Chriſti XXXVII Jeroſolymam reverſus, Paulum, qui ad ſe inviſendum eò venerat, comiter excepit; ubi quindecim diebus mutuâ conſuetudine exactis, Paulum dimiſit, qui, præter Petrum, & Jacobum Fratrem Domini, Apoſtolorum neminem vidit, quòd cæteri ad Evangelium nunciandum ſeſe aliò contuliſſent.

Nihil deinceps de Petro apud Lucam uſque ad ejus carcerem, in quem anno Chriſti XLIV datus fuit. In hoc temporis intervallum, nempe ab anno XXXVII uſque ad XLIV, rejicimus ea, quæ in Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ de ipſo leguntur [*o*], illum ſcilicet Aſiam, Bithyniam, Cappadociam, Galatiam, & Pontum peragraſſe, Romam deinde, ut ſuam ibi ſedem erigeret, profectus, hanc primam inde Epiſtolam dedit; cùm verò illum ſæpe Romam migraſſe putemus, incertum eſt, ante annum XLIV, quo Jeroſolymam ad Paſchalem ſolemnitatem certò profectus, ab Herode Agrippâ conjectus eſt in carcerem (*p*); an poſtquam ſecundò Romam venerat, hanc Epiſtolam ſcripſerit.

(a) *Joan.* I, 42.
(b) *Matth.* VIII, 14; *Luc.* V. 38.
(c) *Luc.* V, 8.
(d) *Luc.* IX, 28, *&c.* *Matth.* XVII, 2.
(e) *Matth.* XVI, 18.
(f) *Marc.* XVI, 7.
(g) *Joan.* XXI, 15, *&c.*
(h) *Act.* II, 14, *&c.*
(i) *Act.* IV, 3, *&c.*
(k) *Act.* VIII, 1; *&c.*
(l) *Act.* X, 9, *&c.*
(m) *Act.* X, 47.
(n) *Hieron. in Gal.* II; *Chryſ. tom.* 5, *hom.* 12. *Vide Concil. tom.* 2. *pag.* 269, *& tom.* 5, *pag.* 1269, *&c.*
(o) *Euſeb. l.* 3, *c.* 9; *Hier. de Viris Illuſtr. c.* 1; *Leo Magn. ſer.* 8.
(p) *Act.* XII, 1, *&c.*

Illud ſanè conſtat, I Quòd Chriſti Diſcipuli tunc in Provinciis Chriſtianorum nomine appellabantur [q]: quo quidem nomine, teſte Luca (r), nonniſi anno Chriſti XLIII Antiochiæ Diſcipuli cœpti ſunt appellari. II, Marcus unà cum Petro tum Romæ verſabatur, neque in Ægyptum adhuc migraverat, quò nonniſi circa annum XLIX perrexiſſe arbitramur. III, Aſiæ, Bithyniæ, Galatiæ, & Ponti Eccleſiæ, ad quas Petrus ſcribebat, jam ſatis excreverant, & ab Judæis incredulis Gentibusque plurima perferebant (s). IV, Petrus demum in hac Epiſtolâ diem Domini proximam prænunciat (t); quo quidem proximam Jeroſolymæ everſionem deſignare videtur. Quamobrem nil certiùs decernentes, inter Chriſti annum XLV & L hanc Epiſtolam collocamus.

Cùm Petrus Hebræorum, quemadmodum Paulus Gentium, Apoſtolus eſſet, Hebræis potiſſimùm ad Fidem genitis Epiſtolam inſcribit. Quod quidem, juxtà S. Auguſtinum (u) aliosque Interpretes [x], non prohibet, quin & Gentium Fideles Judæis miſtos alloquatur. Quædam prætereà ibi occurrunt, quæ nonniſi Ethnicos ad Fidem traductos afficere videntur; cùm, v. g. ii, ad quos Petrus ſcribit, ante converſionem flagitiis & idololatriæ dediti fuiſſe dicuntur (y); aut Chriſtum, quem non viderant, diligere, &c. Nos verò, cum aliis plurimis [z], nihil in eâ Epiſtolâ deprehendi poſſe putamus, quod de Judæis jam Chriſto addictis tantummodo explicari non valeat.

Illud ſibi potiſſimùm Apoſtolus propoſuerat, ut Fideles, ad quos ſcribebat, in Fide confirmaret, iisque ad perferendas perſecutiones hortaretur, unàque ſe cum Paulo & dogmatum conſenſu, & refellendis Simonis & Nicolaitarum, qui Fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere dictitabant, erroribus, omninò convenire oſtenderet. Quamobrem ut bonis operibus vacent, & a Chriſti Fide nunquam deficiant, enixè hortatur; de eorum Vocationis felicitate, & de bonis, quæ per Baptiſmum conſequuti ſunt, ſæpè loquitur: Eccleſiæ Præſules, conjuges, ſervos præclaris monitis inſtruit; denique erga Principes a Deo conſtitutos obedientiam commendat.

Nonnullæ in eâ Epiſtolâ ſimilitudines, & locutiones occurrunt, quæ ad eas, quas Paulus affert, proſus accedunt: de Jeſu Chriſti prædeſtinatione; de ejus mortis fructibus; de Baptiſmate; eadem quoque ad Epiſcopos, & Conjuges monita: eædem ad perferenda adverſa, & ad obtemperandum Principibus & Magiſtratibus exhortationes. Eam & gravitate & eloquentiâ & fidei ardore plenam, & Apoſtolorum Principe dignam Grotius appellat (a). Eraſmus verò & Eſtius (b), Apoſtolicâ majeſtate plenam, & plurimis in pauca verba congeſtis ſententiis undique refertam teſtantur.

Hanc primam Epiſtolam Hebraicè a Petro ſcriptam, Græcè verò a Marco verſam, Baronius conjecturâ ducit; attamen, quamvis ad Fideles Hebræos ſcripta, Græcè primùm exarata vulgò creditur. Provinciæ omnes, in quibus Judæi diſperſi verſabantur, Græco ſermone utebantur: Petrus Scripturas juxta Septnaginta Verſionem totâ Epiſtolâ allegat. S. Hieronymus [c]: *Duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere differunt, ſtructurâque verborum: ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum eſſe Interpretibus*. Familiarem Petri Interpretem fuiſſe Marcum ferunt, quem præterea, quòd Fideles, ad quos data eſt Epiſtola, ſalvere jubeat (d), unà cum Petro tum Romæ extitiſſe ſcimus. Hos ad Interpretes non ex Hebræo aut Syriaco ea quæ Apoſtoli dictabant, in Græcum vertere ſpectabat, ſed elegantiori oratione tradere, quæ illi Græcè vel Latinè, uti a Spiritu Sancto afflabantur, pronunciabant. Licèt enim plurium linguarum munere ab eodem Spiritu donati eſſent, disertè nihilominùs & perfectè omninò loquendi poteſtatem, ob arcana Dei conſilia, non acceperant. S. Hieronymus aſſerit, Interpretis operam Paulo Titum præſtitiſſe, quia Apoſtolus *Divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone*.

Tertullianus (e), & S. Cyprianus (f) hanc *ad Ponticos Epiſtolam* vocant, quòd horum mentio in eâ primo loco fiat. Eraſmus (g), & poſt hunc Grotius [h] his verbis ducti (i), *Per Sylvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi*, ante hanc Epiſtolam, alteram ad Hebræos Fideles in Aſiæ Provinciis diſperſos a Petro datam fuiſſe ſenſerunt. Sed ea verba de eâdem hac Epiſtolâ per Sylvanum ad eos miſſâ, brevi quidem, ſi cum rerum, de quibus agit, magnitudine conferatur, & ſcitè & ad literam explicantur.

Cæterùm hæc Epiſtola, Origene (k), Euſebio (l), & priſcis aliis, a quibus ſæpè allegatur, teſtibus, canonicam ſemper authoritatem obtinuit. Secunda hujus Apoſtoli Epiſtola, ut in Prolegomeno ad illam oſtendemus, diſcrimini diu fuit obnoxia. Apocrypha quædam, Itinerarium nempe, Acta, Evangelium, Apocalypſis, Prædicatio, & Judicium Petri, eidem Petro adſcripta fuere (m).

(q) 1 *Petr.* IV, 16.
(r) *Act.* XI, 26.
(s) 1 *Petr.* I, 6, 7; II, 20; IV, 12, *&c.*
(t) 1 *Petr.* IV, 17.
(u) *Aug. in Pſal.* CXLVI; *& in Fauſt. l.* 22, *c.* 89.
(x) *Vide Eſt. Præfat. D. Thom. Bedam, Gloſſam, Lyran. &c. Theodoret. Præfat. apud Mill. p.* 552.
(y) 1 *Petr.* II, 10; IV, 3; I, 8.
(z) *Euſeb. l.* 3 *Hiſt. Eccl. c.* 4; *Hieron. Catalog. Scriptorum Eccl. Didym. Oecumen. Cajet. P. Titelman. Canus, l.* 2 *de locis. Alii plures.*
(a) *Grot. Præfat. in hanc Ep.* Habet hæc Epiſtola τὸ σφοδρὸν conveniens Principi Apoſtolorum.
(b) *Eraſm. Eſt. Præfat. in Ep.* 1 *Petr.* Eſt autem epiſtola profectò digna Apoſtolorum Principe, plena authoritatis & majeſtatis Apoſtolicæ; verbis parca, ſententiis referta.
(c) *Hier. Ep.* 150, *qu.* 11, *l.* 3, *p.* 159.
(d) 1 *Petr.* V, 13.
(e) *Tertull. Scorpiac. c.* 12.
(f) *Cyprian. l.* 3, *c.* 36, *Teſtim.*
(g) *Eraſm. Præfat.*
(h) *Grot. ad* 1 *Petr.* V, 12.
(i) 1 *Petr.* V, 12.
(k) *Origen. apud Euſeb. lib.* 6, *c.* 25; *& in Jo. p* 88.
(l) *Euſeb. hiſt. lib.* 3, *c.* 3.
(m) *Hieron. de Script. Eccl.*

COM-

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN
EPISTOLAM PRIMAM
B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Grates agit Deo Petrus ob Fidelium vocationem ad Fidem æternamque vitam; quam nonniſi per ærumnas aſſequi potes. Nunciata eſt a Prophetis. Caſtum vitæ genus inſtituit, quippe redemptus Jeſu Chriſti Sanguine. Æterno illius verbo ad æternitatem generamur.

℣. 1. PEtrus Apoſtolus Jeſu Chriſti, electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ,
℣. 2. Secundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritûs, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti: Gratia vobis & pax multiplicetur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PEtrus Apostolus... electis advenis dispersionis, Fidelibus peregrinis ac diſperſis. *Electorum* nomine uſurpantur interdum Fideles (a), Gentiles ad Chriſtum converſi, ad Evangelii cognitionem ſelecti a Deo vocatique. Hic intellige Judæos electos, & efficaciter ad Chriſtianam Religionem vocatos; Petrus enim ad Judæos tantummodo converſos, atque in Aſiæ Provinciis diſperſos ſcribit. Sunt (a) qui τὸ *electis* cum conſequentibus jungant: *Secundùm præſcientiam Dei Patris*. Nemo ex iis non electus erat ac prædeſtinatus ad fidei & vocationis gratiam, ac piè exiſtimare poterat Petrus, ad gloriam eſſe prædeſtinatos; ex his tamen minimè colligas, ipſos reverâ fuiſſe; quemadmodum & cæteræ laudes, quibus Apoſtoli Chriſtianos in Epiſtolis proſequuntur, ſingulis non conveniebant, ſed illorum ſanctiſſimis ac perfectiſſimis. Electi ſumus, ut ſanctitatem aſſequamur (c). *Elegit nos in Chriſto, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* At difficile eſt, omnes aſſequi ſanctitatem, ad quam ſumus vocatione deſtinati. Gratiam vocationis habuere complures; at pauci fideles ſunt, in eâque permanent. Ita multi ſunt vocati, pauci verò electi (d).

Advenis dispersionis Ponti, &c. Pontum & Galatiam ſimul jungunt Theodoretus & Oecumenius (e), quaſi Petrus Epiſtolam dederit ad Judæos converſos per Galatiam Ponti vagantes, ut ab alterâ Galatiâ, quæ Celtarum ſeu Gallorum eſt, & propriè Galatia dicitur, diſtinguatur; Galliam quippe Græci Galatiam nuncupant. Hæc tamen diſtinctio abundare videtur: ubi enim legeris Epiſtolam ad Judæos in Ponto & Galatiâ diſperſos datam, ſtatim vides, ſermonem hîc non eſſe de Gallis Celtiſve. Pontus & Galatia geminæ ſunt Provinciæ finitimæ quidem, ſed penitus diverſæ. Appellat *advenas* in eâ regione, tametſi plerique diuturnam ſatis in eâ moram egerint; quia Judæi quocumque demum in loco, præter Judæam, ſeſe peregrinos exiſtimant.

Aſia aut genericè ſumitur pro eâ terrarum orbis parte, quæ ab Europâ, Africâ, Americâ diſtinguitur; aut pro Aſiâ Minori, complurea complectente Provincias inter Pontum Euxinum, Mediterraneum, & Ægæum; aut denique pro illâ Aſiæ Minoris provinciâ, cujus princeps Epheſus (f). Poſtremo hoc modo hîc uſurpari videtur, enumeratis nimirum a Petro hiſce Provinciis; Bythinia enim, Galatia, Pontus inter Aſiæ Minoris Provincias continentur.

℣. 2. Secundum præscientiam Dei Patris. Junguntur hæc verba cum *Electis* ex ſuperiore.

℣. *Ele-*

(a) *Rom.* VIII, 33: *&* XVI, 13: *Coloſſ.* III, 12; 2 *Timoth.* II, 10; *Tit.* I; *&* 1 *Petr.* II, 6, 9.
(b) *Bed. Lyran. Eſt. Men. Tir. Grot. Piſcat. Alii plures.* (c) *Epheſ.* I, 4. (d) *Matth.* XX, 16.
(e) *Oecumen. hic, in Theodoreti Præfat. in hanc Epiſtol.*
(f) *Hieronym. in locis, Act. Apoſt. Specialiter ubi Epheſus civitas eſt, Aſia vocatur.*

℣. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis,

℣. 4. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſervatam in cœlis in vobis.

℣. 5. Qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo.

COMMENTARIUS.

℣. *Electis ſecundùm præſcientiam Dei Patris (g)*; eodem ſenſu, quo nonnullis in Epiſtolis Paulus (*h*) ſeſe *Apoſtolum per voluntatem Dei* nuncupat. At vulgatam ſyntaxim multo plures probant. Mero miſericordiæ ſuæ beneficio vos Deus a totâ æternitate ſelegit, ut electa ipſi gens efficeremini, & peculiari prorſus prærogativâ prædeſtinavit, relictis in infidelitate cæteris: *In ſanctificationem Spiritûs*, ut largiretur vocationem, fidem, gratiam juſtificationis in Baptiſmo, Spiritûs Sancti dona in Confirmatione; *in obedientiam Jeſu Chriſti*, ut obediretis Evangelio, ac ſimilem illi vitam inſtitueretis; *in aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti*, ut Chriſti Sanguine mundaremini, ac meritorum Paſſionis ejus participes fieretis. De vulgato Scripturarum more Petrus prædeſtinationem & vocationem tribuit Patri, Spiritui Sancto juſtificationem, redemptionem Chriſto Jeſu, tameſi Sanctorum ſalus a totâ ſimul Trinitate peragatur.

Gratia vobis et pax; ſive, beneficiis, gratiâ fortuniſque omnibus vos cumulet Deus. Pacis nomine omnia corporis & animi bona ſignificantur.

℣. 3. Qui regeneravit nos in spem vivam, ſeu certiſſimam aſſequendæ hæreditatis æternæ. Spes viva opponitur ſpei mortuæ, languenti, infirmæ, nutanti; ſive ex aliis (*i*), *ſpem vitæ æternæ*; quemadmodum Chriſtus ſeſe *Panem vivum* dixit (*k*), quo nimirum vita æterna tribuitur; atque uti Paulus ſcribit (*l*), patefactam nobis Chriſti ſanguine *viam novam & viventem per velamen*, ſcilicet per ejus mortem, qua reductum eſt velum, quo prohibebamur Cœli aditu, novamque ad vitam iter patuiſſe. Ita hoc loco *ſpes viva in hæreditatem incorruptibilem*, ſignificare poteſt ſpem vitæ æternæ, quæ in felicitatis æternæ poſſeſſione conſiſtit. Porrò hæc ſpes non eſt, qualis patrum veſtrorum fuit, poſſidendæ ſcilicet Chanaanitidis. Illa ſpes erat quodammodo mortua, cùm homines morti obnoxios (*m*), & hæreditatem brevi deſituram ſpectaret. Spes a Chriſto Jeſu allata, viva eſt; ejus finis, vita æterna; ſponſor, Homo-Deus e mortuis redivivus: qui eâ fruituri ſunt, immortalitate & incorruptibilitate induentur.

Per resurrectionem Jesu Christi. Referenda hæc ſunt vel ad *Regeneravit*, regenerati nimirum a Deo ſumus per Jeſu Chriſti reſurrectionem, quæ vitam ſalutemque nobis promeruit (*n*); ſive ad *Spem vivam*, ut ſit: Largitus eſt nobis Deus ſpem vivam, ſeu vitæ ſpem per Jeſu Chriſti reſurrectionem. Spei noſtræ fundamentum eſt Chriſti reſurrectio (*o*); eâ enim ipſe Cœlum nobis patefecit, abſolutamque nobis indidit fiduciam, fore ut aliquando revocemur in vitam, promiſſâque nobis æternâ felicitate in terrâ viventium perfruamur.

℣. 4. In hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarceſcibilem. Vivæ ſpei nobis inditæ finis eſt Cœleſtis hæreditas, æterna, corruptionis expers, alia penitus a promiſſâ Patribus regione, qua gaviſi non ſunt niſi per ſpem Patriarchæ, quæque noſtrorum ſcelerum & malorum theatrum fuit; qua ſæpe adeò pulſi ſumus, & vos quoque a tam multo jam tempore caruiſtis. Æterna hæreditas *vobis conſervatur in cœlis*, promiſſa eſt & decreta. Abſolutæ Dei promiſſiones eventu carere nequeunt, neque inania effici decreta: at ne unquam animo excidat monſtrata vobis eò perveniendi via, & ea quæ promiſiſtis ipſi, cùm Jeſu Chriſti Fidem amplecteremini. Quæ ducit ad Cœlum via ærumnis obſita eſt; memorataque a me hæreditas eâ conditione vobis promiſſa eſt, ut Chriſtum Jeſum Principem veſtrum abſolutiſſimâ imitatione ſequamini. Id totâ deinceps Epiſtolâ oſtendetur.

℣. 5. Qui in virtute Domini cuſtodimini, Deus ipſe qui promiſit, promiſſa præſtabit implebitque, efficacia vobis præbens auxilia, quibus voluntati ſuæ obtemperetis: recto in itinere vos ſiſtet ſervabitque, ſuumque Spiritum largietur, cujus ope in finem uſque perſeveretis (*p*). Veſtra ipſorum imbecillitas humilitatem docere debet, ac monere, ut omnem collocetis in Deo fiduciam, vigiletis, ſeduli ſitis: at cavete, ne animo frangamini & deſperetis: *omnia poteritis in eo qui vos confortat* (*q*). Tuetur vos Deus *per fidem in ſalutem*, ut ſalutem aſſequamini. Ipſe largitus eſt Fidem, per quam unà cum Fide mundum (*r*), Diabolum (*s*), carnem (*t*) ſuperatis.

Sive, per Fidem donati eſtis Dei Spiritu, virtute (*u*), gratiâ, tuente vos, atque ad ſalutem ducturâ. Qui vos & vocavit & juſtos fecit, ſuum

(g) *Ita Cyrill. de rectâ Fide, Oecumen.* (h) *Rom.* I, 1: *Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.* 1 *Cor.* I, 1: *Paulus vocatus Apoſtolus per voluntatem Dei.* *Et* 2 *Cor.* I, 1: *Paulus Apoſtolus J. C. per voluntatem Dei, &c.*
(i) *Quidam legunt*, ἐλπίδα ζωῆς, *Spem vitæ. Ita Steph.* IV, *Syr. Hieronym. lib.* 2 *contra Jovin. cap.* 4, *Spem vitæ æternæ. Aug. lib.* 1 *de peccat. merit. cap.* 27. *Vide Eſt. Zeger. Grot. Alios paſſim.*
(k) *Joan.* VI, 51. (l) *Hebr.* X. 20.
(m) *Oecumen. hic*: Ἐλπίδα ζῶσαν, ὡς ὅτι ἂν ἡ διὰ Μωσέως ἐν τῇ χαναναίᾳ γῇ κατοίκησις, ἥτις θνητὴ θνητοῖς ἐπηγγέλλεται θνητή, ἀλλὰ ζῶσαν. Καὶ πόθεν τὸ ζῆν ἔχουσαν; ἀπὸ τοῦ ἐκ νεκρῶν ἀναστάντος Ἰησοῦ Χριστοῦ. ἐν ᾧ γὰρ ἀνέστη, τῆς αὐτῆς ἀξιώσει, καὶ τοὺς διὰ πίστεως τὴν εἰς αὐτὸν προσιόντας αὐτῷ. (n) *Confer Rom.* IV, 25: *Reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Rom.* VI, 5. *Et* 1 *Petr.* III, 21. *Vide Eſt.* (o) *Vide Rom.* VIII, 11; 1 *Cor.* XV, 17; 1 *Theſſal.* IV, 13, 14.
(p) *Vide Eſtium, & Grot.* (q) *Philipp.* IV, 13. (r) 1 *Joan.* V, 4: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra.* (s) 1 *Petr.* V, 9: *Diabolus circuit quærens quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide.* (t) *Rom.* VI, 13, 14: *Peccatum vobis non dominabitur, non enim eſtis ſub Lege, ſed ſub gratiâ. Et* 1 *Joan.* III, 9: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.*
(u) *Luc.* XXIV, 49: *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

℣. 6. In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus:

℣. 7. Ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro, (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Jeſu Chriſti:

℣. 8. Quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis; credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili, & glorificatâ:

COMMENTARIUS.

ſuum in vobis opus impleturus eſt, & per gratiam ducturus ad gloriam, *paratam revelari in tempore noviſſimo*. Decretus eſt apud Deum numerus Electorum, ſtatuta merces, & complures jam ſunt, qui paratâ ſibi ab æternitate gloriâ fruuntur; nos tamen de electione noſtrâ adhuc in incerto verſamur, laborandumque nobis eſt, ut in ſalutem cum metu ac formidine incumbamus (x) ad ſupremum usque ſpiritum; verendumque, ne is qui ſtat, cadat (y). At in ſupremo Judicio & ſæculorum exitu perſpicuè ac luculentiſſimè videbimus, quos ad beatitudinem evehere decreverit Deus, gloriæ modum illis conſtitutum, ab iisque totâ æternitate poſſidendum, intuebimur. Noverat Petrus, Fideles, ad quos Epiſtolam dabat, electos a Deo fuiſſe, ut gens illius eſſent, donatosque gratiâ juſtificationis, Fide, ac primitiis Spiritûs; piâ animi perſuaſione exiſtimabat eſſe ad gloriam prædeſtinatos: at fatetur ſimul, illorum conditionem, gloriam, felicitatem non patefactum iri, niſi ſupremis in ſæculorum fine temporibus.

℣. 6. In quo exultabitis (z), id quod ſummo vobis gaudio eſſe debet, nempe felicitatis promiſſæ ſpes, perceptaque Divinæ erga vos miſericordiæ pignora, modicum nunc si oportet contristari, nempe vel tunc, cùm Deus brevi hujus vitæ curriculo compluribus vos malis exerceri ſinit; præſentia enim mala conferenda non ſunt cum paratæ nobis æternæ gloriæ beatitudine (a); atque hujus vitæ calamitates, breviſſimæ illæ ac leviſſimæ, æternum gloriæ pondus incredibili quadam ratione præter omnem modum pariunt (b). Judæi ad Chriſtiana ſacra converſi innumeris obnoxii erant diſcriminibus & injuriis, nedum ex fratribus adhuc incredulis, verùm etiam ex Gentilibus, qui Judaicam quidem Religionem, utpote vetuſtam & inter Imperii Provincias permiſſam, ferebant, oderant Chriſtianam, ut novam, & cæteris inimicam.

Ut probatio vestræ fidei, &c. Quemadmodum aurum igne purgatum probatumque purius, pretioſius, nitidiusque redditur (c); ita fides veſtra ærumnis malisque tentata, laudem ac præmium ex Chriſto Jeſu, qua die ſupremùm is venerit, promerebitur. Tunc ille vos alloquens, dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi* (d). *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum* (e).

℣. 8. Quam cum non vidistis, diligitis. Judæi e Palæſtinâ Chriſtum Jeſum viderant, quippe qui univerſam illorum regionem docendo ſanandoque ægros per triennium peragraverat: at qui extra Palæſtinam morabantur, nonniſi ex famâ & Apoſtolorum prædicatione noſcebant. Ingens erat vis præſentiæ Jeſu Chriſti, & ſermonum ac prodigiorum ubique coruſcantium, ut ad audiendum credendumque populi traherentur: at illius quoque humilitas, modeſtia, paupertas, generis obſcuritas illos, qui ipſum noſtris miſeriis indutum intuebantur, ab eo ſequendo deterrebant. Quamobrem ſi beatos prædicas eos, qui Chriſtum inter homines verſantem conſpexere, multo beatiſſimos dixeris eos qui non aſpexere quidem, ſed audiere prodigia ab eo & ſuperſtite & poſt obitum geſta, ſuâ nimirum ipſius Reſurrectione, traditâque Apoſtolis prodigiorum facultate. Porrò illi obnoxii erant offenſionibus miſeriarum illius & Crucis; hi novum fidei argumentum in his ipſis nanciſcuntur, quippe quibus Crux ipſa Divinæ virtutis & potentiæ argumentum & prodigium fuit (f).

Laudes igitur, quibus Provinciales Judæos, qui cùm Chriſtum non viderint, tamen illi credidere, proſequitur Petrus, ex eo petuntur, quòd ipſorum fides multò purior quodammodo ſit, liberalior, ſublimior, quàm Fidelium Palæſtinorum, qui Chriſtum, ejusque prodigia & Reſurrectionem viderant, ac Dei verbum, ut ita dicam, inſpexerant, ac propè manibus contrectaverant (g); cùm nullum tale commodum Judæis extra Palæſtinam remotis fuerit. Omnia quidem argumenta, quæ Judæos Provinciales percellere poterant, præſto erant Palæſtinis, minimè verò contra. Aliud eſt, te credere ob prodigia quæ ipſe ſpectaveris, aliud ob ea quæ narrari intellexeris. Præſtantior multò eſt horum, quam illorum fides.

In quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis. Græcus (h): *In quem nunc quoque non videntes, credentes verò, exultatis lætitiâ inenarrabili & glorificatâ*. S. Irenæus, Syrus, & Polycarpus omittunt: *In quem nunc quoque non videntes creditis*. Dum divinum erga vos beneficium animo volvitis, patefactis nimirum mentis veſtræ oculis & corde (i), docili mente a Deo donati (k), aliis interim innumeris inter ignorantiæ tenebras & in cordis duritie relictis, incredibili lætitiâ perfundimini, beneficium ſentitis, gaudio *glorificato*, gloriæ pleno, exultatis, cùm præſtitum vobis a Deo beneficium, exhibitam benevolentiam, gloriam qua cumulati eſtis, beatitudinem ad quam vos

(x) *Philipp.* II, 12. (y) I *Cor.* X, 12. (z) Ἐν ᾧ ἀγαλλιᾶσθε, *In quo exultatis. Ita Mſſ. Latini plurimi. Auguſt. Gaudete. Alii, Exultabitis*, Ἀγαλλιάσεσθε. *Origen. in Protreptic. Syr. Vulg. Velez. Præſens pro futuro poſitum, Exultatis, pro exultabitis. Oecumen.*
(a) *Rom.* VIII, 18. (b) 2 *Cor.* IV, 17. (c) *Vide Prov.* XVII, 3; *Malac.* III; *Job.* XXIII, 10.
(d) *Matth.* XXV, 34. (e) *Luc.* XXII, 28, 29. (f) I *Cor.* I, 24. (g) I *Joan.* I, 1.
(h) Εἰς ὃν ἄρτι μὴ ὁρῶντες, πιστεύοντες δὲ, ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ, καὶ δεδοξασμένῃ. *Exultatis. Vulg. Exultabitis. Auguſt. lib. 2 ad Catbinum. cap. 7, Gaudete. Mſſ. plurimi Lat. Exultatis.*
(i) *Act.* XVI, 14. (k) *Ezech.* XXXVI, 26; *Isai.* LI, 7; *Jerem.* XXIV, 7: *Dabo eis cor ut ſciant me.*

℣. 9. Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.

℣. 10. De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt:

℣. 11. Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias:

℣. 12. Quibus revelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos, qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.

COMMENTARIUS.

vos ipſe delegit, optimè intelligatis. *Lætitia glorificata* (l) ſignificare poteſt vel eam, cujus argumentum eſt gloria quam percipimus aut quam ſperamus, vel abſolutè eam quæ mundi gloriæ, inani, caducæ, & non rarò tum ex origine tum ex argumento probroſæ, opponitur.

℣. 9. Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. Porrò hoc eſt lætitiæ & gloriæ veſtræ argumentum, ſpes nempe certiſſima referendi præmii fidei veſtræ cum charitate & bene geſtis conjunctæ: ſi enim abſint iſta, mortua eſt (m), & ſaluti inutilis fides. Inchoatam hoc in ſæculo ſalutem per fidem percipitis; at ea ſalus in alterâ demum vitâ perficietur. *Salutem animarum* pollicetur, ne fortè exiſtiment, Chriſtianorum ſpem verſari in caducâ terrenâque felicitate (n), qualem Moyſes Iſraëlitis, antequam promiſſam in regionem ingrederentur, promiſit.

℣. 10. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ. Meſſiæ adventum, Iſraëlitarum magno numero, multoque majori Gentilium converſionem ad Chriſti Fidem prædixerant Prophetæ, & longè tempus hoc ipſum proſpexerant; optaverant penitus intelligere ſublimiſſimas haſce veritates, certumque venturi Meſſiæ tempus, ſingulas Miſſiones illius vices, Regni inſtitutionem, converſionem ſalutemque veſtram, vocatione inchoatam, supremâ Reſurrectione in ſæculorum exitu perficiendam, cernere. Noverant illi, at obſcurâ quadam ratione: velum reduci cupiebant, ut iſta multò luculentiùs intuerentur. Hoc ipſum fermè Chriſtus in Evangelio pronunciavit (o): *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Alibi (p): *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt.* Et Balaam (q): *Videbo eum, ſed non modò.* Jacob (r): *Salutare tuum expectabo, Domine.* Iſaias (s): *Rorate, cæli, deſuper, & nubes pluant Juſtum.*

℣. 11. Scrutantes in quod vel quale tempus, &c. Scrutati, quo tempore Spiritus Chriſti, ex quo ipſi futura diſcebant, ſignificaret eventuras eſſe Chriſti perpeſſiones, & gloriam illas conſequuturam. Spiritus Sanctus, quo illi afflabantur, ex Patre Filioque procedens, Spiritus Chriſti aptiſſimè nuncupatur. Prophetas Spiritu Chriſti afflatos fuiſſe, Patres aſſeruere. *Chriſtus Propheta Prophetarum*, inquit Clemens Alexandrinus (t), *& dominus totius Prophetici Spiritûs*. Juſtinus Martyr (u): *Verbum erat, quod per Prophetas futura prædicebat*. Tertullianus (x): *Ipſe erat qui in Prophetis loquebatur ſermo, Filius Creatoris*. Ignatius Martyr (y): *Prophetæ cùm Chriſti Diſcipuli eſſent, illum Spiritu ceu Magiſtrum præſtolabantur*. Barnabas (z) & Irenæus (a): *Prophetæ a verbo propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus ſecundùm carnem adventum.*

Male igitur Sociniani *Spiritum Chriſti* hoc loco ita explicant, quaſi ſit Spiritus pateſaciens ea quæ ad Chriſtum pertinebant: eâdem enim ratione Spiritum Antichriſti nuncupaveris, quòd Prophetis omnia ad Antichriſtum ſpectantia pateſecerit. Itaque Prophetæ ſedulò ſcrutabantur, quo tempore implenda eſſent ea, quæ ad Meſſiæ adventum, perpeſſiones, gloriam, Paſſionis ignominiam, crucis tormenta, gloriam Reſurrectionis, Aſcenſionis, Regni in Eccleſiâ, ſeſſionis ad Patris dexteram attinebant.

Duo hîc in Prophetis diſtinguit Petrus; I, quæ Deus de Meſſiæ obitu pateſaciebat; II, quæ ipſi ſtudio & rerum oſtenſarum meditatione aſſequi poterant; non rarò enim contingebat, ut Deus huic Prophetæ myſterium oſtenderet; myſterii ſenſum & explicationem alteri. Diu multumque oravit Daniel, ut myſterium de hebdomadis ſeptuaginta, Jeremiæ oſtenſis, intelligeret (b); deinde jejunio lacrymiſque rogavit, quid foret genti ſuæ, in Chananitidem reverſæ, eventurum; idque per Angelum intellexit (c). Ex iis quæ Paulus Eccleſiæ Corinthiorum præcepit (d), intelligimus, complures dono linguarum & vaticiniorum præditos, intelligendi & interpretandi facultate caruiſſe; monet enim, ut (e), *qui loquitur linguâ, oret ut interpretetur*.

℣. 12. Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis, vobis autem, &c. (f). Satis pateſecerat Deus, ea quæ Prophetis oſtendebat, non ipſorum tempora ſpectare, ſed veſtra. Norant illi, longè adhuc abeſſe Meſſiæ adventum, & quodammodo invidebant iis, qui fruituri erant his fortunis (g), quas ipſi per Apoſtolos Evange-

(l) Irenæus bas voces bis omittit. (m) *Jacobi*, II, 14, 20, 26. (n) *Vide Eſt. hic.*
(o) *Luc.* X, 23, 24. (p) *Joan.* VIII, 56. (q) *Num.* XXIV, 17. (r) *Geneſ.* XLIX, 18. (s) *Iſai.* XLV, 8.
(t) *Clem. Alex. lib. Quis dives ſalv. cap.* 6: Χριςὸς προφήτης προφητῶν, καὶ Κύριος παντὸς προφητικοῦ πνεύματος. (u) *Juſtin. Apolog.* 1: Λόγος ἦν ὁ διὰ τῶν προφητῶν προειπὼν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι. (x) *Tertull. lib.* 4, *cap.* 13, *contra Marcion.*
(y) *Ignat. Ep. ad Magneſ.* § 9: Χριςοῦ καὶ οἱ προφῆται μαθηταὶ ὄντες, τῷ πνεύματι ὡς διδάσκαλον αὐτὸν προσεδόκων. (z) *Barnab. Ep. cap.* 5: *Prophetæ a Chriſto habentes donum, in illum prophetaverunt.* (a) *Irenæ. lib.* 4, *cap.* 37. (b) *Dan.* IX, 2; *Jerem.* XXV, 11; XXIX, 10.
(c) *Dan.* X, 11. (d) 1 *Cor.* XIV, 1, 2, 3, 4, 5. (e) 1 *Cor.* XIV, 13.
(f) Græcus legit: *Nobis*. Οὐκ ἑαυτοῖς, ἡμῖν δὲ. At libri Latini habent *vobis*: & Græci Codices permulti & eximii ferunt: Οὐκ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ, *&c.* (g) *Eſt. Grot. Eraſm. Men. Alii.*

℣. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti.

℣. 14. Quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis;

℣. 15. Sed ſecundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum: & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis:

℣. 16. Quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.

COMMENTARIUS.

gelium nunciantes accepiſtis; quorum Apoſtolorum operâ ad fidem adducti eſtis, quique a Spiritu Sancto per Chriſtum juxta ipſius promiſſionem miſſo, acti, *evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto miſſo de cœlo*.

In quem desiderant Angeli prospicere. Dixit ſupra, ℣. 10, Prophetas magnopere optaſſe, tempus adventûs Meſſiæ intelligere. Ait hic, hoc ipſum Angelos optaſſe (*b*); eaſque nunc quoque in Cœlis, ubi fruuntur beatitudine & Dei & Chriſti conſpectu, ipſum intueri novo ſemper & incredibili gaudio, quod deſiderii nomine exprimitur (*i*). Melior ineſſe videtur Græco ſententia (*k*): *Nuntiata ſunt vobis ea, in quæ deſiderant Angeli proſpicere*. Angeli, tametſi optimè noverint myſteria vobis nunciata, & omnia a Chriſto in terris geſta, impletaque in eo Prophetarum vaticinia viderint, optant nihilominus eventum cernere vaticiniorum, ad Chriſti Regnum in terris, ad gentium converſionem, ad ſuprema tempora, ad ſecundi adventûs dies, ad Sanctorum reſurrectionem & gloriam pertinentium (*l*).

Sunt (*m*) qui hæc verba, *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, ad Spiritum Sanctum ſtatim antea memoratum referant. Non cupiunt Angeli intueri Spiritûs Sancti eſſentiam, & Perſonam, quippe quem in Patre & Filio, qui unius cum illo ſubſtantiæ eſt, vident; ſed intueri optant Spiritûs Sancti opera, juſtificationem Fidelium, converſionem impiorum, Eccleſiæ conſtructionem: id porrò illorum eſt deſiderium, quemadmodum Patris & Filii & Spiritûs Sancti beata viſio eſt ipſorum beatitudo. Vulgaria inter Fideles tunc erant dona Spiritûs Sancti prodigioſa & exteriora. Iſta magis commendare neophytis non poterat Petrus, quàm ubi dixit, Sancti Spiritûs effuſionem in ipſis peractam ſummo cum Angelorum gaudio perſpici. At Græcus huic explicationi non favet.

℣. 13. Succincti lumbos mentis vestræ. Commendatâ converſorum Judæorum fide ac felici vocatione, hortatur Petrus, ut conſentaneum ſanctitati ſtatûs vitæ genus inſtituant. Monet, ita parati ſint uti viatores militeſque, mox ad longum longum iter aggreſſuri; ſuccincti nimirum & calceati, diſceſſionis ſignum præſtolantes. Cum Orientales promiſſis veſtibus uterentur, nulloque cingulo veſtes domi plerumque adſtringerent, altè ſe ſuccingere, & veſtes reducere opus erat,

ubi aut iter aut opus quodpiam aggrederentur (*n*). Præcepit Diſcipulis Chriſtus, ut lumbos ſuccincti ſemper ſtarent, faceſque ardentes manu gererent, more ſervorum domini adventum præſtolantium, ut venienti ſtatim occurrant (*o*).

Subdit Petrus, *ſobrii*, temperantiam, ſobrietatem colentes; ſive ex Græco (*p*): *Vigilantes, perfectè ſperate*, præſtolantes *gratiam*, quæ vobis conferenda eſt *in revelationem Jeſu Chriſti*, in Chriſti adventu. Servus dominum mox venturum præſtolans, ſomno, conviviis, nugis non detinetur: vigilat, temperans eſt, præſertim ſi dominus mercedem infinitam pollicitus fuerit iis, quos vigiles attentoſque invenerit. Æternam vitam, & cœleſtem gloriam pollicetur, quo tempore ſe ipſe prodiderit, ſive ſecundò advenerit; ſive cùm ipſi obierimus, qua die nobis continget alter Domini adventus. Felix qui ſupremâ die perfectus fuerit, cùm poſt reſurrectionem ſupremumque Judicium Chriſtus inimicos ſuos ſolio ſuo ſubjecerit, omneſque electos in abſolutam beatitudinem collegerit (*q*).

℣. 14. Quasi filii obedientiæ. Dei, patris dominique veſtri, adventum expectate, ceu morigeri filii, non ut nequam ſervi & inutiles, qui coacti ſerviunt, dominique, ſtatim ac ſe ille ſubduxerit, obliviſcuntur. Ne ſitis, ut olim, obvoluti *ignorantia veſtra deſideriis*, ignominiâ, inertiâ, ſomno, & malis cupiditatibus diſſoluti: eſtote filii lucis & obedientiæ: acceptum fidei lumen ſequimini, moreſque veſtros ad illius normam inſtituite: vigilate, dum Judicem dominumque præſtolamini.

℣. 15. Secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum. Sancti eſtote, uti ſanctus eſt ille, a quo vocati eſtis. Ita caſtam ſanctamque vitæ rationem inite, ut in vobis micet ſanctitas Cœleſtis Patris, qui vos ad Chriſtianam Religionem vocavit, dixitque (*r*): *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum*. Majorem in dies ſanctitatem optate, quippe quibus præcepit Chriſtus (*s*): *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt*. Veſtrum exemplar ſunt Pater & Filius: horum ſanctitatem, innocentiam, integritatem imitamini. Dignos vos reddite, qui ſanctæ adeò, ſublimi, & nitidæ Majeſtati ſerviatis.

℣. 16. Sancti eritis (*t*), quoniam ego sanctus sum. Hæc verba ſæpe apud Moyſem leguntur

Z z z z

(b) Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν Ἄγγελοι παρακύψαι. *Oecumen.* Τοῦτ᾽ ἐστι, ὡς τὴν γνῶσιν, καὶ τὴν ἔκβασιν καὶ αὐτοὶ οἱ Ἄγγελοι ἐπεθύμησαν. (i) *Vide Bed. Gloſſ. D. Bern. ſer. 1 & 4 de omnibus SS. Hugon. Thom. Titelman.* (k) Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν Ἄγγελοι παρακύψαι, *Latini: In quem. Ita Alex. adumbrat. in Epiſt. Petri; Caſſiodor. Latin. Irenæ, lib. 2, cap. 24; & l. 5, c. 36: ſed alibi congruit cum Græcis, l. 2, c. 24; & l. 4, c. 67.*

(l) *Vide Cyrill. de Incarnat. unigen. cap. 28; Oecumen. Didym. Syr. Gagn. Cajet. Cath. Vat. Alios.*

(m) *D. Thom. 1 parte, qu. 58, art. 1, ad 23 Iſidor. lib. 1 Sent. cap. 12; Petr. Damiani, ſerm. 21, qui eſt de annunt. Baſil. & Didym. de Spiritu Sancto; Cornel. a Lapide.*

(n) *3 Reg.* xviii, 46; *4 Reg.* iv, 29. (o) *Luc.* xii, 35. (p) Νήφοντες, τελείως ἐλπίσατε. *Sobrii, ſeu, vigilantes, perfectè ſperate; ſive vigilantes perfectè, ſperate.*

(q) *Vide Eſt. Men. alios. Coloſſ.* iii, 4: *1 Joan.* iii, 2, 3, 4, *&c.*

(r) *Exod.* xix, 6; xxii, 31; *Levit.* xi, 44, 45. (s) *Matth.* v, 48.

(t) *Græc.* Ἅγιοι γίνεσθε, *Sancti ſitis, Alii: Sancti eritis.* Ἅγιοι ἔσεσθε. *Ita plures Mſſ. Græci.*

℣. 17. Et ſi patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundùm uniuſcujuſque opus, in timore incolatûs veſtri tempore converſamini.

℣. 18. Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vanâ veſtrâ converſatione paternæ traditionis;

℣. 19. Sed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati:

℣. 20. Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos,

℣. 21. Qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo.

COMMENTARIUS.

tur (u), non eâdem ſemper ſignificatione; interdum enim populo præcipit Deus, ut ritualibus ſordibus liberum ſe ipſe ſervet, legibusque ciborum delectum, & a quibuſdam rebus impuris abſtinentiam imperantibus, obtemperet. Alibi monet Sacerdotes, ut cultûs ſui cæremonias religioſiſſimè impleant. Denique nonnunquam populum monet, ut innocentiam & juſtitiam colat, & peccata animum inquinantia ſedulò vitet. Hoc potiſſimùm ſenſu uſurpat Petrus. Luculentiſſimè docuerat Chriſtus (x), hominem Deo impurum non effici exterioribus maculis, ſed animi ſordibus.

℣. 17. SI PATREM INVOCATIS EUM, QUI SINE ACCEPTIONE PERSONARUM, &c. Cùm Chriſtus Jeſus, vobis cum Patre conciliatis, & filiorum Cœleſtis Patris dignitate auctis (z), illud dederit, ut Deum patris nomine compelletis, vivendum vobis eſt cum timore filiis digno, curandumque, ne indigni ſitis beneficio, quod vobis ipſe præſtitit, nimirum ut inter ipſius filios recenſeamini. Cavete autem, ne dignitatis hujus causâ in ſuperbiam & arrogantiam efferamini. Deus, qui vobis pater eſt, idem eſt vobis judex, & mercedem operum unicuique reddet, nullâ cujuſquam ratione habitâ. Filii, qui obedientiam, timorem, amorem neglexerint, ſeverius judicium experientur. Peregrinos in terris vos exiſtimate, & patriam (a) ac patris veſtri, qui in Cœlis eſt, domum anxiis votis quærite.

℣. 18. SCIENTES, QUOD NON CORRUPTIBILIBUS, &c. Redemptionis & adoptionis veſtræ dignitatem pro merito æſtimate; atque ex pretio colligite, quanti ea facienda ſit. Non aurum, non argentum erogavit Deus veſtri causâ, ſed ſui ipſius Filii vitam & ſanguinem.

DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNÆ TRADITIONIS; de vano vivendi inſtituto, quod ex patribus accepiſtis. Hebræi, antequam ad Chriſti Fidem converterentur, inanes Legis religiones & patrum traditiones ſuperſtitioſâ obſervatione ſectabantur. Meliora docuit his de rebus Evangelium, ipſique in filiorum Dei libertatem aſſerti, graviſſimo illarum jugo exempti fuere. Didicere, neceſſarias ad ſalutem non eſſe leges rituales, ac pleraſque Phariſæorum traditiones nullius eſſe authoritatis aut pretii; cæteras verò, utpote Legiſlatoris propoſito repugnantes, penitus eſſe ſpernendas. Judæi ad Chriſtum converſi Moſaicas Leges ſervare non deſtiterunt, at nobiliores certè ob cauſas, quàm antea, cùm nondum Cœleſti lumine perfunderentur (b). Qui (c) hanc Epiſtolam ad Gentiles datam cenſent, hæc verba de ſuperſtitionibus & flagitiis Ethnicorum, majorum inſtitutione traditis, interpretantur. Nos tamen ſatis in Præfatione oſtendimus, hæc omnia ad Judæos Chriſtum ſecutos pertinere.

℣. 19. SED PRETIOSO SANGUINE. Redempti purgatique eſtis, non auro argentoque, aut victimarum cruore, ſed Chriſti Jeſu, Agni labe carentis, & victimæ ſalubris, ſponte ob veſtram ſalutem traditæ, ſanguine, (℣. 20.) *Præcogniti quidem* (qui prædeſtinatus eſt) *ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos*. Deus miſericordiæ pater, qui Adami peccatum ex totâ æternitate cognoverat, decreverat etiam hominum genus redimere, ad eoſque Servatorem chariſſimum Filium mittere (d). Æternum hoc Dei conſilium primo homini patefactum eſt, Patriarchis deinde ac Prophetis; ejuſque memoria apud Judæos, penès quos veræ Religionis rerumque divinitus traditarum depoſitum manſit, ſervata eſt. Expletis denique temporibus, per Prophetas ſignificatis, æternoque conſilio conſtitutis, Deus Meſſiam dedit. Servator hominum, agnus labe carens, in redemptionis noſtræ pretium mactatus eſt. Quantò felicior veſtra ſors, cum patrum ſorte collata? Vidiſtis ipſi & excepiſtis eum, quem illi tamdiu expectavere, & ardentis votis ſollicitavere. Quàm ingens amoris & gratiarum actionis argumentum! quantò accuratiùs inſtituenda vobis eſt vitæ ratio, Deo ipſo, & ſanctitate veſtræ vocationis digna?

℣. 21. PROPTER VOS, QUI PER IPSUM FIDELES ESTIS. Tametſi Dei Filius ante mundi inſtitutionem decretus fuerit veſtræ Redemptionis pretium, promiſſuſque patribus fuerit; tametſi venerit ille, & mortem obierit, ut omnium ſalutem perageret; omneſque omnium ætatum Electi participes meritorum illius fuerint; adeoque ipſe ſit *occiſus ab origine mundi* (e): multò tamen gravius grati animi debitum vobis, quàm cæteris, imminet ob manifeſtatum vobis atque ætati veſtræ Filium; eo enim in terris nato, uberior eſt gratia, luculentior veritas, majora auxilia, facilior ſalus. Omnia patribus contingebant in figuris; ipſi, *ad quos fines ſæculorum devenerunt* (f), qui

(u) *Levit.* xi, 45; xix, 2; xx, 26; xxi, 8. (x) *Matth.* xv, 11, 18, 20.
(y) *Rom.* viii, 15; *Galat.* iv, 6. (z) *Epheſ.* i, 5; *Galat.* iv, 5.
(a) *Epheſ.* ii, 19. (b) *Vide Eſt. Gagn. Cajet. Varil. Grot. alios.* (c) *Vide Bed. hic.*
(d) *Rom.* xvi, 25, 26: *Secundùm revelationem myſterii æternis temporibus taciti, quod nunc patefactum eſt per Scripturas Prophetarum, &c. Tit.* i, 2: *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur Deus ante tempora ſæcularia. Vide & Rom.* iii, 25; *Epheſ.* iii, 11; 2 *Timoth.* i, 9; *Galat.* iv, 4, 5, *&c.* (e) *Apoc.* xiii, 8. (f) 1 *Cor.* x, 11.

℣. 22. Animas veſtras caſtificantes in obedientiâ charitatis, in fraternitatis amore ſimplici, ex corde invicem diligite attentiùs:
℣. 23. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.
℣. 24. Quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit:
℣. 25. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos.

COMMENTARIUS.

qui in exitu ſæculorum eſtis, ipſam rerum veritatem intuemini.

UT FIDES VESTRA ET SPES ESSET IN DEO. Voluit Deus, Filium ſuum in terris agere, redivivum ſurgere, gloriâ cumulari, ut vos fidei & ſpei argumentum in ipſo nanciſceremini. Ipſum longè proſpexere patres, præſtolati ſunt, fidem & ſpem erga ipſum coluere: at vobis illud feliciſſimum contigit, quòd illud ipſum obſcurè ab iis cognitum, & remotiſſimè ſperatum, ipſi & cernitis & tenetis. Chriſtus ita venit omnium causâ, quaſi pro ſingulis venerit: amandus igitur ob redemptionem ita a ſingulis eſt, quaſi noſtrûm dumtaxat gratiâ mortem obierit (g), cùm infinita donorum illius copia, dum diſtribuitur, ſpem ſingulorum minimè labefactet: quo plura poſtulamus, plura ipſe largitur: fons quippe eſt inexhauſtus. Atque hac ratione verè dicitur Chriſtus *propter nos* veniſſe, obiiſſe mortem ac reſurrectionem, deinque illatum eſſe in Cœlum, *ut fides noſtra & ſpes* firma *eſſet in Deo*.

℣. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES IN OBEDIENTIA CHARITATIS. Dictorum concluſio. Cùm Deus gratuitâ prorſus benevolentiâ tam inſignibus beneficiis vos diſtinxerit, gratiam miſericordiæ reddite abſolutiſſimâ vitæ ſanctitate, *obedientiâ charitatis*, ſpiritali obſequio, & amore filiis digno: *Ex corde invicem diligite attentiùs*. Hoc verſu Petrus omnia Chriſtiani hominis officia complectitur; vitæ ſanctimoniam, obedientiam charitatis, ſive conſtans obſequium cum Dei amore conjunctum, & proximi charitatem. Luſtrationes dumtaxat, quibus abluebatur corpus, Moſaicâ Lege imperabantur, præcipiebatur cultus exterior, qualis ſervorum eſt, metusque ſolummodo inſpirabatur. Chriſtiana Religio animi munditiem, cultum cum charitate conjunctum, ſinceram denique charitatem exigit.

IN FRATERNITATIS AMORE SIMPLICI, EX CORDE INVICEM DILIGENTES. Inſidens vobis fratrum charitas illud efficiat, ut mutua ſinceræ benevolentiæ indicia ſedulò exhibeatis. Tria eſſe debent fraternæ charitatis ornamenta. I, *ſimplex* eſto, caſta, recta, flagitioſo amore vacua; amandus eſt frater, quia frater eſt, eumque amari jubet Deus, nullâ noſtri ratione habitâ, nullius cupiditatis causâ; alioqui non fratrem, ſed te ipſum amas. II, *Ex corde*, ſimulationis expers, III, aſſiduè ſedula præbendis ſui ipſius indiciis, externis obſequiis officiiſque: *Attentiùs*, ſive ex Græco (h), *intensè*, vel *extensè*, acriter, ferventer, aſſiduè, nullâ intermiſſione, ceſſatione, limite, omni tempore, erga omnes.

℣. 23. RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI, &c. Invicem amate, utpote fratres (i), & ex uno patre natos. Neque verò carnalem aut vulgarem ortum vel generationem ſignifico, quæ cùm corruptionem patiantur, mortales dumtaxat corruptoſque homines edunt: ſpiritalem dico generationem, in vobis peractam per Dei verbum, qua effecti eſtis Chriſti Jeſu fratres, Cœleſtis Patris filii per adoptionem, & cœlorum hæredes. Cùm ſanctum & incorruptum ſit hujus generationis principium, ſanctos dumtaxat homines producit, eamque prolem fert, quæ neque mortis neque temporis injurias timeat, *Quotquot acceperunt eum*, Chriſtus *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt* (k); ſive, ut habet hîc Petrus: *Per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*. Non ſatis apertè ex Græco colligitur (l), utrum ſpectent hæc verba, *vivi & permanentis in æternum*, Deum ne, an verbum; & Interpretes diſſident: aptiùs tamen ad Deum referuntur, qui paſſim in Scripturis dicitur Deus vivens & æternus; quòd ſi ad verbum referas, opus eſt, illud tamquam in Deo ſpectes, ut verbum vivere & æternum eſſe dicas.

℣. 24. OMNIS CARO UT FOENUM, brevì cadens moriensque. ℣. 25. *Verbum autem Domini manet in æternum*. Ex Iſaia (m). Petrus ea confirmaturus, quæ de generationis noſtræ mortalis corruptioni obnoxiæ, & regenerationis per Dei verbum & gratiam peractæ, quæ æterna eſt & incorrupta, diſcrimine diſputavit, locum ex Prophetâ recitat, ubi caro omnia corrumpi, & Dei verbum æternum manere dicitur: ex quo colligitur, corruptioni obnoxium eſſe, quidquid ex carne ſatum eſt, incorruptum verò quicquid ex Dei verbo naſcitur, cùm unaquæque res principii ſui naturam conſequatur. Prophetæ quidem propoſitum idem non erat quod Petri: at cùm generale ſit illius effatum, multa ex eo colligi poſſunt, & aptiſſimum eſt hoc ipſum quod colligit Apoſtolus. Quæ ſubjiciuntur, *Hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos*, ita ſunt explicanda: Iſaiæ ſententia generalis de verbo Dei, mirificè expletur in Evangelio quod accepiſtis; vivit enim & æternum eſt, fretum æternâ veritate, quæ mutationem non patitur, vosque ad vitam minimè deſituram ducit. Vitæ igitur rationem incorruptâ hujusmodi regeneratione dignam inſtituite: nihil quærite quod ad mundum pertinet, cùm ſitis mundo ſuperiores. *Nihil appetere de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt* (n).

(g) *Auguſt. lib. 3 Confeſſ. cap. 11; O tu bone, omnipotens, qui ſic curas unumquemque noſtrûm, tamquam ſolum curares; & ſic omnes tamquam ſingulos.*
(h) Ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε ἐκτενῶς. (i) *Rom.* VIII, 29. (k) *Joan.* I, 12, 13.
(l) Διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, καὶ μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα, *Per verbum Dei viventis & manentis in æternum. Eraſm. Grot. Eſt. alii. Vide Dan.* VI, 26, *unde ſumpta hæc verba.*
(m) *Iſai.* XL, 6, 7, 8. (n) *Cyprian. lib. 2 Ep. ad Donat.*

CAPUT II.

Chriſtiani cum pueris nuper in lucem editis comparati. Lac ſpiritale ament iſti, & lapidem anguli teneant. Gens ſancta & electa ſunt. Abſtineant mundi cupiditatibus, Principibus pareant, & gloriam in ferendis Chriſti exemplo malis ſtatuant.

℣. 1. DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones,

℣. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DEPONENTES IGITUR OMNEM MALITIAM. Qui ſpiritali prorſus ortu regenerati eſtis, ita vivite, ut pueri nuper in lucem editi, in ſimplicitate, ac novæ vitæ innocentiâ. Exuti eſtis per Baptiſmum omni veteris hominis malitiâ (a), ſimulatione, hypocriſi, obloquutionibus, invidiâ, fraudibus: iſta faciebatis ante regenerationem; contraria omnia nunc præſtanda ſunt. Opus eſt, ut *ſicut portatis imaginem terreni hominis, portetis & imaginem cœleſtis* (b). At cœleſtis hominis imaginem geſtare non poteſtis, niſi Chriſto Jeſu induamini (c). *Imaginem cœleſtem portare non poſſumus, niſi in eo quod nunc eſſe cœpimus, Chriſti ſimilitudinem præbeamus: hoc eſt enim mutaſſe quod fueras, & cœpiſſe quod non eras, ut in te divina nativitas luceat* (d).

℣. 2. SICUT MODO GENITI INFANTES, ſpiritali regeneratione per Baptiſmum, tanquam homines novi, optatiſſimos olim cibos ne cupiatis, ſed ſpiritale, innoxium, *rationabile ſine dolo lac concupiſcite* (e). Hæc verba, *ſine dolo*, ad *lac* referuntur: lac doli, aſtutiæ, fraudis neſcium: lacte autem ſignificantur omnes Chriſtianorum propenſiones & mores; colenda enim eſt Chriſtianis ea ſimplicitas, innocentia, lenitas, quæ pueros deceat. Addit, *rationabile*, ſpiritale, ut intelligas, cibum hic non innui corporeum & ſenſibus obnoxium, neque veram corporis infantiam, ſed vitæ genus innoxium, & puerilem ſimplicitatem.

Explicant alii (f) *Lac ſpiritale & innoxium*, doli expers, de Evangelicis dogmatibus & Dei verbo. Paulus (g) non rarò ſcribit, Fideles enutritos a ſe ceu pueros lacte, non ſolido cibo. Aliud hoc loco eſt. *Lac ſpiritale & doli expers*, ſeu non miſtum, ſunt recta & pura Evangelii dogmata. Hebræos ad fidem converſos monet Petrus, ut caveant ab Hæreticis falſiſque Doctoribus, quorum fraude dogmata Chriſti & Apoſtolorum miſcentur. Gypſum illi cum lacte miſcebant, ait Irenæus (h), ſcilicet errorum virus cum lacte veritatis.

Uſurpari etiam poteſt lac pro animi lenitate, ſinceritate, integritate; opponiturque ſævitiæ, livori, ſimulationi. Vult Petrus ita vitam inſtitui a Fidelibus, ut ad hujus cibi naturam accedant. Teſte Tertulliano (i), lac & mel Chriſtianis mox baptiſmo lotis porrigebantur: *Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus.*

Aliis *lac rationale*, ſeu *verbale*, uti vertit Clemens Alexandrinus (k), eſt Verbum Divinum mortali carne indutum. Chriſtus in humilitate ſuâ lac noſtrum eſt, inquit S. Auguſtinus (l). Alii explicant de Euchariſtiæ Sacramento, quod lac imbecillium eſt, & ſolidus fortiom cibus (m). Præbebatur olim, & adhuc apud Græcos præbetur adultis ſtatim poſt Baptiſmum. At poſtremæ illæ interpretationes ad myſterium potiùs quàm ad literam ſpectant.

UT IN EO CRESCATIS IN SALUTEM; ut innoxio hoc lacte paſti ad firmiorem ætatem, ac deinde ad ſalutem feliciter perveniatis. Apud Orientales Græcoſque pueri lacte dumtaxat nutriuntur, dum lactentes ſunt; deinde quodlibet cibi genus præbetur; ita tamen ut nutrix cibum ante manſum in pueri os inferat (n). Vult Petrus, Chriſtianos, tamquam vix ab ortu pueros, Divini verbi lacte nutriri, ac manſuetiſſimum & innoxium vitæ genus agere, majoribus in dies virtutum acceſſionibus auctos, & in Chriſtianorum dogmatum obſervatione conſtantiores, donec integram ætatem aſſequantur: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti* (o). Græcus hic non habet (p) *in ſalutem*; at habent Codices quamplurimi Græ-

(a) *Coloſſ.* III, 9: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis. Epheſ.* IV, 22: *Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem. Rom.* VI, 6: *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati.* (b) 1 *Cor.* XV, 47.
(c) *Galat.* III, 27: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.*
(d) *Cyprian. de Zelo & Livore.* (e) Τὸν λογικὸν ἄδολον γάλα. *Auguſtin. homil.* 353, *n.* 3: *Rationabile & innocens lac. Quidam malè legunt: Rationabiles, ſine dolo. Velez.* Οἱ λογικοὶ καὶ ἄδολοι. *Clem. Alexand. Pædag. lib.* 1, *omittit*, ἄδολον.
(f) *Eſt. Menoc. Tirin. Cornel. Grot. alii paſſim.* (g) 1 *Cor.* III, 2; *Hebr.* V, 12, 13.
(h) *Iren. lib.* 3, *olim cap.* 19, *nunc* 17, *in nov. edit. ad finem. Vide Plin. lib.* 36, *cap.* 24.
(i) *Tertull. lib. de Coron. Mil. cap.* 3; *& lib.* 1 *contra Marcion. cap.* 14.
(k) *Clem. Alex. lib.* 1 *Pædag. c.* 6. (l) *Aug. tract.* 3 *in Epiſt.* 1 *Joan.*
(m) *Vide Clem. Alexand. loc. cit. Salmeron. hic, Turrian. l.* 2 *de Euchariſt. cap.* 20, 21.
(n) *Vide dicta ad Geneſ.* XXI, 8. *Ariſtoph. act.* 2, *ſcen.* 1 *in Equit.*

Καθάπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς,
Μασώμενος γὰρ, τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς,
Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.

Theophraſt. Charact. Περὶ ἀηδίας· τὸ παιδίον τῆς τίτθης ἀφελόμενος μασώμενον σιτίζειν αὐτός.
(o) *Epheſ.* IV, 13. (p) Ἵνα ἐν αὐτῷ αὐξηθῆτε. *Sed plures addunt:* εἰς σωτηρίαν. *Ita Steph. quatuor, Alex. Genev. Barb.* 7, *Lin. Colb.* 7, *Syr. Æth. Copht. Arab. Clem. Alex. Pædag. lib.* 1, *cap.* 6; *Origen. in Ep. ad Rom. pag.* 497; *Cyrill. Alex. Gild.*

℣. 3. Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.

℣. 4. Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, & honorificatum:

℣. 5. Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.

COMMENTARIUS.

Græci, Syriaca, Cophtica, Æthiopica, Origenea, Clemens Alexandrinus; & ſi addita ſunt, a vetuſtiſſimis omnino temporibus manant.

℣. 3. SI TAMEN GUSTASTIS QUONIAM DULCIS EST DOMINUS. Omnino exiſtimo, guſtaſſe vos ſuavitatem, qua Deus animos hominum ſincerè ad ſe converſorum perfundit, ac probè percipere quid rei ſit hæc ſpiritale; alioqui nunquam expertos fruſtra hortarer, ut inexplicabilem Divinæ ſervitutis ſuavitatem, & bonæ conſcientiæ tranquillitatem in dies magis expeteretis. Alludit Petrus ad eam Pſalmi ſententiam (q): *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus*. Græca quædam Exemplaria legunt *Chriſtos* (r) pro *Chreſtos*. Siquando experti eſtis, Chriſtum Jeſum eſſe dulciſſimum. Chriſtus in Evangelio (s) cum mannâ, & fonte aquas in æternam usque vitam projiciente (t) confertur. Idem ſuavitas noſtra eſt, ſpes, ſolatium: ipſe ſuaviſſimas gratiæ ſuæ vires impertitur, ut quæ bona ſunt aggrediamur, in iisque perſeveremus.

℣. 4. AD QUEM ACCEDENTES LAPIDEM VIVUM. Altera hîc tranſlatio, qua Meſſias cum lapide anguli comparatur. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*, ait Pſalmiſta (u). Iſaias (x): Dominus ſalus veſtra & ſanctitas futurus eſt, quem coletis & pavebitis: *Lapis offenſionis . . . & offendent plurimi, & cadent*. Alibi (y): *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum*. Chriſtus lapis eſt, de quo Petrus, quique in Evangelio (z) futurus dicitur in multorum ruinam ac reſurrectionem. Pervicaces Judæi, Ethnici veritati repugnantes, lapidem hunc rejecere; offenderunt, lapſi ſunt & confracti: ipſis invitis factus eſt caput anguli: qui illi credidere, ſalutem in eo nacti ſunt ac felicitatem (a): at *omnes qui ceciderit ſuper illum, conquaſſati ſunt: ſuper quos autem ille ceciderit, comminuit illos*.

℣. 5. TANQUAM LAPIDES VIVI SUPERÆDIFICAMINI. Literali ſenſu vivus lapis dici poteſt is, qui in fodinâ fingitur, ex eâque, ceu e ſinu matris, educitur; lapis ſolidus, integer, durus, injuriarum temporis, totiusque ædificii patiens; opponiturque lapidi mortuo, fragili, qui facilè minuitur, ſeorit gelu, frigori & hiemi non reſiſtit, ſive qui invictâ duritie reſiſtit omnibus, lapidem & ſcalprum renuit, nulloque uſui in ædificiis eſt. At morali acceptione lapis vivus eſt lapis ſpiritalis, ad ejusdem naturæ ædificium deſtinatus. Chriſtus Jeſus lapis eſt vivus, Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentum, decus, firmitas: Fideles ſinguli lapides vivi ſunt, Divini ædificii partes, uni eidemque fundamento, Chriſto nimirum, impoſiti. Omnes ſimul juncti ædificium probè compactum ſententiarum & votorum concordiâ fingimus.

Aliter, ſinguli Templum ſumus (b), ſacrumve ædificium; fundamentum Chriſtus: nos lapides & materies: huic autem fundamento ſuperſtruimus aurum, argentum, ligna, paleas (c), ut bona malave ſunt ea quæ geſſimus, præmio digna ſive ſupplicio. Conſuetis in ædificiis nihil agunt lapides, nihil movent: aguntur ipſi, moventur, cæduntur, aptantur, per ſe inertiſſimi: hic planè aliter res habet ſeſe: ædificat Chriſtus, & fundamentum eſt; Eccleſia, ædificium; nos, lapides; nihil ille ſine nobis agit, quemadmodum nos ſine illo nihil poſſumus. Movemur ab eo, aptamurque ipſi: at laborandum nobis eſt, ejusque cum gratiâ præveniente cooperandum. Si inſerimur ædificio, id maximè curandum nobis eſt, ipſo ferente opem, ut maneamus in illo & perficiamur (d): ſanctum Deo Templum nos ſtruimus: ſanctuarium ſedemque ipſe ſibi in nobis ædificat: omnia ille nobiſcum, nos omnia cum illo efficimus. Efficit ipſe intra nos & *velle & perficere* (e); illæsâ tamen arbitrii libertate, ſine qua neque bona voluntas, neque bona actio merito digna, neque ſpiritale ædificium exiſtit.

DOMUS SPIRITUALIS (f), SACERDOTIUM SANCTUM. Nedum vivi lapides, ac Templum ſeu Dei domus eſtis; verùm etiam Sacerdotes. Ut ſis pars ædificii, te ſanctum eſſe oportet; ſanctiorem, ut ſis Dei Templum; ſanctiſſimum verò & puriſſimum, ut Chriſti Sacerdotio fungare. Hinc æſtimate, quàm ſanctos vos eſſe deceat, qui omnia iſthæc decora & officia, totidem ſanctitatis & perfectionis adjectiones exigentia, ſimul colligitis. Fidelis igitur quisque ſpiritali acceptione Dei Sacerdos eſt (g): *Spiritales hoſtias offert Deo*, vota nimirum, preces, bene geſta, largitiones: neque tamen iſtud probibet, quin eſſe debeant in Eccleſiâ Sacerdotes ritè initiati, ac peculiari authoritate præditi ob offerendum Deo formidabile ſacrificium, obeundaque cætera omnia, quæ Chriſtus unis Apoſtolis eorumque dignitatis hæredibus reſervavit.

Unusquisque noſtrûm eodem modo Sacerdos eſt, quo eſt Rex: *Regale Sacerdotium*, infra, ℣. 9. Participes ſumus Sacerdotii ac Regiæ dignitatis Jeſu Chriſti: bene a nobis geſta Patri offerimus unâ cum ſacrificio, quod ille noſtri gratiâ peregit; quo ex Sacrificio, quâ ex conjunctione oritur quicquid pretii eſt in iis quæ petimus: ita Sacerdotii illius, cujus participes efficimur, merito Regnum cœleſte ejusque gloriam

(q) *Pſal.* xxxiii, 9: Χρηστὸς Κύριος. *Heb.* טוב *bonus*.

(r) *Mſſ. nonnulli*, Xs *pro* Χρηστός. *Ita & Clem. Alex. lib.* 5, *cap.* 6 *Pædag. & alii*. *Vide Mill.*

(s) *Joan.* vi, 32, 40. (t) *Joan.* iv, 14. (u) *Pſal.* cxvii, 22. (x) *Iſai.* viii, 14. (y) *Iſai.* xxviii, 16.

(z) *Luc.* ii, 34: *Poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum*. (a) *Luc.* xx, 18.

(b) 1 *Cor.* iii, 16, 17; vi, 19; 2 *Cor.* vi, 16, *Epheſ.* ii, 21; *Apoc.* iii, 12.

(c) 1 *Cor.* iii, 12, 13. (d) *Vide Eſt. hic*. (e) *Philipp.* i, 12.

(f) *Beda*: *Quidam legunt*: *Surſum ædificamini in domum ſpiritualem*. *Auguſt. In domum ſpiritualem. In Pſalm.* 86. *Alii, domos ſpirituales*. *Hieron. in Ezech.* xxviii; *Leo ſerm.* 3 *in Aſſumpt. Ambroſ. in Luc.* iii, & xii. (g) *Ambroſ. lib.* 4 *de Sacram. cap.* 1: *Unusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum*.

℣. 6. Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur.

℣. 7. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

℣. 8. Et lapis offenſionis, & petra ſcandali his, qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & poſiti ſunt.

℣. 9. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.

COMMENTARIUS.

riam nos aſſequuturos speramus. Ad nobiliſſimam hanc dignitatem Baptiſmo evehimur; a Spiritu Sancto in Domini Sacerdotes inungimur, & ſacro charactere diſtinguimur; idem ipse intra nos orat, nobisque largitur, ut puras manus ad Deum tollamus, ſanctasque & acceptas oblationes exhibeamus.

℣. 6. Qui credit in eum, non confundetur. Noſtra spes omnis, noſtraque virtus eſt Chriſtus: quisquis fiduciam in ipso collocat, spe ſuâ non fallitur; modò spes temeraria non ſit, falsa & arrogans. Qui pravum vivendi inſtitutum ſectatur, hic minimè speret futurum, ut probetur, & ſalute donetur a Chriſto, niſi a nequitiâ diſceſſerit: qui Chriſto credit, de eoque confidit, dignum ſeſe illius patrocinio reddat, dignam fide & vocatione ſuâ vivendi rationem ſequutus.

℣. 7. Vobis igitur honor credentibus. Honor vobis habebitur, & gloriâ cumulabimini in ſupremo Dei judicio *(h)*; ſive in spirituali ædificio luculentiſſima vobis & honeſtiſſima ſedes dabitur: at Judæis incredulis, qui Chriſtum rejecere, lapis hic ſundamenti, ipſis vel pugnantibus, in anguli faſtigio collocatus, lapis offenſionis fiet, in quem incidant & frangantur *(i)*. Reddi etiam ita poſſunt hæc verba, *Vobis igitur honor credentibus*: Lapis, de quo loquor, vobis pretioſus eſt, pulcher, honorificus *(k)*; illum nedum non rejicitis, ſed amplexamini, vobisque honori ducitis, illum eſſe fundamentum Eccleſiæ, in qua recenſemini.

Omittit Syrus illa: *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*; quamobrem ℣. 7 habet iſta dumtaxat: *Vobis credentibus* hic lapis eſt *honori*. Sive: *Vobis credentibus eſt honor; incredulis verò lapis eſt offenſionis & ruinæ*. Temerè huc inſerta putat Grotius ea verba, *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli*, translata ex Matthæo, XXI, 42.

Alii *(l)*, ut & Oecumenius, intacto Textu, alio tantùm ordine diſtribuunt. ℣. 6: *Ecce ego pono in Sion ſummum lapidem angularem, electum, honorificum: & qui crediderit in eum, non confundetur.* ℣. 7. *Vobis igitur credentibus* lapis eſt *pretioſus & honorificus; incredulis autem lapis offenſionis, lapis quem reprobaverunt ædificantes & hic factus eſt in caput anguli*. Fideles omnes, ſive ex Gentilibus ſive ex Judæis, unâ conjungens *(m)*.

℣. 8. His qui offendunt verbo *(n)*, in verbum, ſuâ in pervicaciâ & infidelitate deſtitutis. Lapis offenſionis eis eſt Dei verbum, cujus causâ iraſcuntur, atque in Dei convicia & infidelitatem ruunt: *In quo & poſiti ſunt*, in quo deſtituuntur, formidabili planè ſed æquiſſimo Dei judicio. *Spargentis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates (o)*, eorumque pervicaciam & nequitiam punientis eo tenebrarum genere, quo ipſorum mentes animique obcæcantur. Neque putaveris, quempiam a Deo ad malum aut infidelitatem deſtinari, quemadmodum nonnulli aſſerere auſi ſunt, his verbis freti: *Nec credunt, in quo & poſiti ſunt*. Impii mortem non quærit Deus, ſed omnium hominum ſalutem cupit: at nihil impio debet Deus; ſuorum ipſe donorum eſt arbiter *(p)*.

Judæi pervicaces, humili Chriſti ſpecie offenſi, falsâque Meſſiæ victuris & opulentiſſimi opinione occupati, exiſtimantesque Judaicam Religionem legesque rituales æternùm manſuras, offenderunt in lapidem anguli, & ſuper ipſum lapſi ſunt & confracti. Dei animadverſionem in ipſos intulere Romani, everſis Jeroſolymâ & Templo *(q)*; Judæos innumeros nece, reliquos exilio ſuſtulerunt. Nunquam ſurrexit gens infeliciſſima.

Sunt *(r)* qui hæc verba, *In quo & poſiti ſunt*, ita explicent, quaſi dicant: In pervicaciam animi lapſi ſunt, & impegere in lapidem fundamenti, in quo poſiti & collocati fuerant. Profectò Religionis Judaicæ fundamentum Meſſias erat, finis Legis, omniumque vaticiniorum argumentum. Ita interpretantur alii *(s)*: Non credidere Chriſto, ad quem quodammodo deſtinati fuerant. Eò ducebant Lex & Prophetæ; at præeunte luce, atque ad Chriſtum ducente, ipſi oculos ſponte clauſerunt. Prior tamen explicatio melior.

℣. 9. Vos autem genus electum. Fratres in infidelitate manentes ſeveriſſimâ Dei animadverſione multabuntur: vos cumulabimini beneficiis: vos *genus electum*, gens a Deo ſelecta, ut ex eâ Eccleſiam familiamque componat; quos effictim amat, quibus arcanorum gratiarumque depoſitum credi-

(h) *Eſt. Menoc. Cornel.* (i) *Matth.* XXI, 44.
(k) *Eſt. Grot. Eraſm. Piſc. Vat.* (l) *Vide Knatchbullum, & Cêne*, projet d'une nouvelle traduction, pag. 690. (m) *Oecumen. hic, & Cyrill. in Mſſ. Catenâ apud Mill.* Α'κρογωνιαῖον φησιν, ὡς διὰ πίστεως μίας καταφλυζοντα πρὸς Ε'νωσιν συμμαχίαν τὰς δύο λαὰς, τὸν ἐξ Ι'σραὴλ, καὶ τὸν ἐξ ἐθνῶν. (n) Οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ.
(o) *Auguſt. lib. 1 Confeſſ. cap. 18: Vide eumdem in Exod. qu. 18: Quamvis uniuscujusque ſordis in malitiâ qualitas, id eſt, quale cor habeat ad malum, ſuo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis. Vide Didym. Gagn. Salm. Eſt.* (p) *Vide Oecumen. hic, Cornel. a Lapide.*
(q) *Vide Grot. Hamm.* (r) *Eraſm. Titelm. Cajet. Vat. Vide Menoc. Cornel.* (s) *Vide Bed. Lyr. Tir. Syr. alios.*

℣. 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.

℣. 11. Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adversùs animam.

COMMENTARIUS.

credidit. Vos *Regale Sacerdotium* (t), ſive, genus Regnm Sacerdotum: dun iſthæ nobiliſſima decora ipſi colligitis: *Sacerdotum* quidem, quo ſenſu explicavimus ſupra, ℣. 5. dum caſtas ſanctasque boſtias offertis Deo, preces, vota, miſericordiæ & pœnitentiæ opera, laudis & gratiarum actinnis ſacrificia; *Regum* verò, quòd participes eſtis Regiæ dignitatis Chriſti, & æternum aliquando cum illo in cœlis Rrgnum ſperatis; quòdque coërcitis cupiditatibus, & carne, mundo, Diabolo ſuperatis, potiori jure Regiam appellationem obtinetis, quàm ii qui, cùm imperent populis, ſui ipſi cupiditatibus & ambitioni ſerviunt. In cæteris Rebus publicis unus eſt Rex, pauci Sacerdotes: in Chriſtianâ Eccleſiâ tot Reges ac Sacerdotes ſumus, quot Fideles. Summo in honore apud Hebræos babebantur Sacerdotes: at illorum Sacerdotio multò præſtantius eſt cujuslibet e vulgo Chriſtiani Sacerdotium.

Gens Sancta, per baptiſmum purgata, Deo dicata, atque ad altiſſimam ſanctitatem vocata, Religionem profeſſa omnium diviniſſimam ac ſanctiſſimam. *Populus acquiſitionis* (u), populus acquiſitus, & Chriſti Sanguine redemptos; quem ſibi ſervavit Deus tamquam a ſe quæſitum, hæreditatem ſuam, peculiarem ſibi rem, ſelectam partem; quem ipſe Dæmonis poteſtati exemit, ac peculiari conſecratione, innumeris poſthabitis, ſibi dedicavit. Has laudes hauſit Petrus ex Moyſe (x), ubi dicuntur de Iſraëlitis; at explentur præſertim in Chriſtianis, qui hæredes ſunt promiſſionum Hebræis exhibitarum, verique filii Abrabami ſpiritu (y).

UT VIRTUTES ANNUNTIATIS, amplitudinem ac vires illius, qoi ex tenebris in admirabile lumen ſuum vos evocavit, Hrbræi, antequam nomina Chriſto darent, inter tenebras verſabantur, ſi cum Evangelii jubare comparentur. Legem ac Prophetas innumeræ obvolvebant figuræ nubesque ceu velamina, myſteriorum & veritatum cognitione prohibentia. Velum reduxit Chriſtus, eos intra Sanctuarium induxit (z), & arcana illa, hactenus hominibus inacceſſa, pateſecit: figurarum finem Judæi, vaticiniorum & promiſſionum veritatem, rerum abditiſſimarum notitiam, inexhauſtum luminis, gratiarum, ſuavitatis fontem in Chriſto nacti ſunt. *Ita populus qui ſedebat in tenebris & umbrâ mortis, vidit lucem magnam* (a). Efficax populi Chriſtiani vocatio prodigium eſt potentiæ Dei, qui, illuſtratis illorum mentibus, movit animos, docuitque agnitam veritatem ſinceriſſimè amare: oculos ad videndum præbuit, ad audiendum aures, cor denique, quo nunciata dogmata complecterentur.

℣. 10. QUI ALIQUANDO NON POPULUS, NUNC AUTEM POPULUS DEI. Colligunt hinc nonnulli (b), datam non eſſe hanc Epiſtolam ad Fideles ex Judæis, ſed ex Gentilibus. At reliqua Epiſtolæ ſeries ſuadet, Petrum alloqui Fideles ex Judæis, qui ante converſionem populus Dei non erant, uti deinde fuere: prior illorum ſtatus cum ſecundo collatus eſt veluti advenarum ad indigenas. Decem Tribus alloquens Oſeas Dei nomine (c), ait: Vos, qui gens mea non eſtis, quos non amo, futuri eſtis gens mea, quippe quos beneficiis occupabo augeboque, ita ut multitudinis veſtræ numerus cum arenarum numero certet. Iſta ſublimiore ſenſu ſpectabant ad Chriſtianos, quibus aptiſſimè accommodat Apoſtolus.

Quo tempore ortus eſt inter homines Chriſtus, quænam gens erant Judæi? quàm multa Sacerdotum ſcelera? quàm turbata Pontificum ſucceſſio? quæ Phariſæorum flagitia? quamquam iſti ſanctiſſima & optima populi pars babebantur. Sanctiſſima Legis præcepta penitus jacebant, ineptiſſimis, contortis, & repugnantibus Legis interpretationibus diſcerpta: populus gemens ſub jugo Legis, quod nec ipſe nec patres geſtare potuerunt (d): Doctores obtrudendis traditionibus, quas Legi aut præferebant aut æquabant, intenti, humana commenta pro rebus divinitus traditis veràque ſcientiâ ſalutis invecta: ſimulatio denique, fraus, oſtentatio, avaritia, invidia, quibus Synagogæ totius ſpectatiſſimi miſerrimè agebantur. Iſta ſatis ſuperque oſtendunt, veriſſimè dictum a Petro, Judæos Chriſtum amplexos non fuiſſe Dei populum, antequam converterentur, at poſtea fuiſſe.

℣. 11. TAMQUAM AOVENAA ET PAREERINOS AASTINERA VOS A CARNALIAUS DESIOERIIS, QUÆ MILITANT AOVERSUS ANIMAM: tamquam advenas quidem in præſenti hac vitâ & mundo (e). *Carnalia deſideria*, concupiſcentiam, legem in membris dominantem Petrus hîc, uti & Paulus (f), diſtinguit a lege Spiritûs, gratiæ impulſibus, ſanctisque inſpirationibus, quibus ad juſtitiam virtutemque colendam impellimur. Chriſtiani in terris ſunt tamquam in exilio, ſeque Jeroſolymæ cœleſtis cives exiſtimant (g). In oppidis verſantur, ſed ceu peregrini: omnibus utuntur, ſed tamquam qui omnia in alterâ vitâ præſtolantur: ita in exilio verſantur ut in patriâ, ita in patriâ ut in exilio: in carne, non ſecundùm carnem vivunt: moram in terris agunt, at verſantur in Cœlis, inquit

(t) Ἱεράτευμα βασίλειον. *Vide Apoc.* I, 6; V, 10; *& Exod.* XIX, 6.

(u) Λαὸς εἰς περιποίησιν. 70 *Exod.* XIX, 5: Περιούσιος. *Heb.* סגולה *Theſaurus, peculiaris, acquiſitus, redemptus.* (x) *Exod.* XIX, 6: *Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta. Deut.* IV, 20. *Vos autem tulit Dominus de Ægypto, ut haberet populum hæreditarium.*

(y) *Vide Galat.* IV, 22, 23, *& ſeq.*

(z) *Hebr.* IX, 8, 12, 24.

(a) *Iſai.* IX, 2; *Matth.* IV, 16.

(b) *Vide Grot. Eſt.* (c) *Oſee*, I, 8, 9, 10, 11; *&* II, 23. (d) *Act.* XV, 10.

(e) Confer I *Petri*, I, 1, 17; 2 *Cor.* V, 6; *Hebr.* XI, 13; *Philipp.* III, 20; 1 *Cor.* VII, 29.

(f) *Rom.* VII, 21, 22, 23, *&c. Galat.* V, 17; *Jac.* IV, 1.

(g) *Epheſ.* II, 19.

℣. 12. Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.

℣. 13. Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti;

COMMENTARIUS.

quit Juſtinus Martyr, ſive alius ad Diognetum (h).

℣. 12. CONVERSATIONEM VESTRAM INTER GENTES HABENTES BONAM, ut illi, bonis moribus inſpectis, Deo ac veritati gloriam, vobis laudes impertiantur, poſitis denique maledictis & contumeliis, quibus vos inſectantur. Nihil tam ſerviit Chriſtianæ Religionis incremento, quàm pii priorum Chriſtianorum mores: hi quippe aſſidua erant concio & ſuaſio, multò validior acriorque, quàm diſertiſſimorum hominum orationes. Crimini dabatur Chriſtianis, quòd Leges Principum ſpernerent, nefanda in cœtibus ſuis flagitia perpetrarent, humanis carnibus veſcerentur; hoſtes reipublicæ totiuſque humani generis habebantur. Monet Petrus, ut hiſce criminationibus objiciant ſanctiſſimum & innoxium vitæ inſtitutum, nulli reprehenſioni obnoxium: hac enim arte hoſtes vel ſæviſſimi vincentur. Sancta vivendi ratio ubi conſtans & æqualis fuerit, optima omnium defenſio eſt: ſi Chriſtianos vos eſſe ac cæteris meliores dixerint, laudabunt, non arguent. *Siquid patimini propter juſtitiam, beati* (i).

IN DIE VISITATIONIS. Vos laudare & innoxios prædicare cogantur hoſtes veſtri *in die viſitationis*, ſcilicet, cùm Deus animadverſurus in Judæos incredulos venerit (k). Romani, inſpectâ Fidelium ex Judæis modeſtiâ, pacis amore, & tranquillitate, ipſis parcent, ac mirabuntur Religionem, quæ obſequium & obedientiam adeò integram erga Principes docet (l). Aliter (m): Deo laudes ferent *in die viſitationis*, qua die ipſorum oculos aperuerit Deus, eiſque gratiam impertitus fuerit micantem, ſuavem, validam, qua ad fidem trahantur: exemplo jampridem credentium utetur, ut eos ad Fidem ducat.

Denique *dies viſitationis* eſſe poteſt examen, quo Principes, Præfecti, Magiſtratus mores & inſtituta Chriſtianorum excutient: hi enim veritatis perſpicuitate victi, illos crimine vacare teſtabuntur. Id reverâ uſu vênit, cùm Plinius junior, Aſiæ Proconſul (n), ſedulò quærens, quæ forent Chriſtianorum flagitia, iſta reperit, quòd ante lucem convenirent in cœtum, & Chriſto laudes tamquam Deo dicerent. Iſta per literas detulit ad Trajanum Plinius, qui reſcripſit, quærendos non eſſe Chriſtianos; delatos verò & perſiſtentes, ex lege ducendos. Reſcripti hujus iniquitatem optimè oſtendit Tertullianus (o): ſi noxii ſunt, cur non quæris? ſi innoxii, cur delatos punis? *O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos innocentes, & mandat puniendos ut nocentes.* Æquior multò Antoninus (p), qui Chriſtianos causâ religionis inquiri vetuit, & delatores extremâ Legum ſeveritate damnavit.

℣. 13. SUBJECTI ESTOTE OMNI HUMANÆ CREATURÆ (q) PROPTER DEUM. Vulgo tunc accuſabantur Chriſtiani, quòd ſeditiones in multitudine ſererent, negarentque parendum eſſe legitimis Magiſtratibus Principibuſque, Deos denique & vetuſtam Imperii religionem ſpernendam dicerent. Poſtremum quidem accuſationis caput erat exploratiſſimum; & Chriſtiani neque Templa neque cœtus gentilium frequentabant; at primum omnino falſum. Nihil frequentiùs Diſcipulos monuit Chriſtus, quàm ut Principibus obtemperarent; ac tentantes Herodianos, ſive Judæ Galilæi Diſcipulos, paria cum ipſis ſentiret nec ne, de libertate a Romanorum imperio, victos & pudore ſuffuſos rejecit (r). Illum Principes Sacerdotum accuſavere turbarum ac ſeditionis totâ regione diſſeminatarum (s), nullo tamen argumento ejus criminis exhibito. Quamvis res ita ſeſe haberent, Judæi tamen Chriſtiani nominis hoſtes hæc eadem mendacia de Chriſtianis in vulgus ſpargere non deſiterunt; quamobrem Petrus & Paulus (t) omne ſtudium contulere, ut falſos hujuſmodi rumores tollerent, atque ea docerent Fideles, quæ hoſtium calumnias refellerent.

Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, cuilibet homini magiſtratum gerenti, cujuſvis gentis ac religionis. Diſcipuli enim Judæ Galilæi Principibus e gente ſuâ a Deo conſtitutis parêre non renuebant; reſpuebant ſolummodo externos Principes & Profanos. Diſcrimen iſtud removet Petrus a Chriſtianis. Quiſquis eſt a Providentiâ in Magiſtratu conſtitutus, illi obtemperate: illud ſpectate dumtaxat, hunc vobis eſſe Principem, eique eſſe obediendum.

SIVE REGI, QUASI PRÆCELLENTI, tamquam ſupremo. Data videtur hæc Epiſtola ſub Claudio Principe, tum Judæorum tum Chriſtianorum hoſte, qui utroſque, inquit Suetonius (u), ejecit totâ Italiâ tumultuantes, impulſore *Chreſto*, ſive occaſione Chriſti, quem pervicaces Judæi renuebant excipere, cæteros e ſuis illum ſequutos ſpecie religionis inſectantes. Chriſtianam Religionem tunc temporis a Judaicâ non ſecernebant Ethnici, niſi uti repurgatam illius ſectam; quamobrem pu-

(h) *Juſtin. ad Diognet.* Πατρίδας οἰκοῦσιν ἰδίας, ἀλλ' ὡς πάροικοι. Μετέχουσι πάντων ὡς πολῖται, καὶ πάνθ' ὑπομένουσιν, ὡς ξένοι. Πᾶσα ξένη, πατρίς ἐστιν αὐτῶν, καὶ πᾶσα πατρὶς ξένη. Ἐν σαρκὶ τυγχάνουσιν, ἀλλ' οὐ κατὰ σάρκα ζῶσιν. Ἐπὶ γῆς διατρίβουσιν, ἀλλ' ἐν οὐρανῷ πολιτεύονται.
(i) *1 Petri*, III, 14. (k) *D. Thom. Hugo, Grot. Hamm.* (l) *Gloſſ. Dionyſ. Gag. Cathar. Vat. Salmer.*
(m) *Oecumen. Aetas, Eſt. Gerhard.*
(n) *Plin. lib.* 10, *Ep.* 97, *ad Trajan.*
(o) *Tertull. Apologet.*
(p) *Apud Euſeb. lib.* 3 *Hiſt. cap.* 22.
(q) Ὑποτάγητε οὖν πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *Omni humanæ ordinationi*, ſeu *conſtitutioni*, cuivis præfecto ſeu Magiſtratui, vobis impoſito. *Oecumen. Didym. Grot. Zeger. Bez. Piſc. alii.* Sive ex Vulgatâ: *omni creaturæ humanæ*, κτίσις ſonat propriè creaturam.
(r) *Matth.* XXII, 16, 17, *& ſeq.*
(s) *Luc.* XXIII, 5, 6.
(t) *Rom.* XIII, 1; *1 Timoth.* II, 1, 2; *Tit.* III, 1. (u) *Sueton. lib.* 5, *cap.* 25.

℣. 14. Sive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

℣. 15. Quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam:

℣. 16. Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.

℣. 17. Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate.

COMMENTARIUS.

publicæ inſectationes in Judæos inſtitutæ Chriſtianos etiam, tametſi vitiis Judæorum immunes, complectebantur.

℣. 14. SIVE DUCIBUS, TANQUAM AB EO MISSIS. Romani Imperatores Præfectos, Præſides, Proconſules, aliosque aliis nominibus Moderatores in Provincias mittebant, fermè uti Proreges apud Hiſpanos, & apud Gallos Præfecti mittuntur. His pareamus cum ordine, ita ut prius obtemperamus Deo, deinde Regibus. Siquid præcipiat Præfectus ſeu Magiſtratus Divinæ Legi, aut Regis imperiis contrarium, negligamus: in cæteris rebus obediamus. Conſtituti ſunt illi *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, ut puniant malos, bonos tueantur. En moderatoris officium. Si ille moneri ſuo ſatisfaciat, abſolutiſſimum illi debemus obſequium ac benevolentiam; is enim coërcet malos, noſque defendit ab illorum injuriis.

Si Præfectus authoritate malè abutatur, ſi flagitioſis moribus perverſàque religione ſit, id ſatis cauſæ non eſt, ut nos ab obſequio diſcedamus. Habet ille Regem, cujus judicio in terris obnoxius eſt; habet Deum in cœlo Judicem. Ita veri omnium ætatum Chriſtiani & ſenſere & geſtis probavere. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut & ipſum diligat & revereatur, & honoret, & ſalvum velit, &c.* (x).

Non quodlibet obedientiæ genus poſtulat Petrus, ſed *propter Deum*, ſive uti ſcribit Paulus (y), *propter conſcientiam*. Avaritia, metus, amor hominem in officio continere aliquantiſper poſſunt; at rationes immutabiles, manentes, multò nobiliſſimæ a Chriſtianâ Religione traduntur. Abſint metus, lucri ſpes, amor Principis, deeſſe nequeunt Dei amor ac debitum Divinis ſanctionibus obſequium.

℣. 15. QUIA SIC EST VOLUNTAS DEI, &c. An quiſquam eſt, qui ſuſpicionem in vos, tamquam hoſtes Reipublicæ & Principis creare moliatur? omnibus in imperio conſtitutis abſolutiſſimè obtemperate. Enormia crimina, & probroſa flagitia vobis objiciuntur? Innoxium vitæ genus, modeſtiæ & æquitatis plenum exhibete. Ita porrò optima omnium apologia.

℣. 16. QUASI LIBERI, ET NON QUASI VELAMEN HABENTES MALITIÆ LIBERTATEM, ut malè agatis. Jugo Dæmonis vos exemit Chriſtus, non liberos reddidit legitimo erga Principes obſequio. Libertatem attulit a religionibus & ritibus Legis: ne idcirco quemlibet Dominum cum fratrum pernicie pravoque exemplo reſpuatis (z). Judæi pervicaces in fratribus ad Chriſtum converſis quærebant argumenta, quibus nequitiam ſuam & pervicaciam defenderent. Chriſtiana profeſſio, inquiebant illi invidiam Chriſtianis creaturi, Religio non eſt, ſed licentia; neque Moyſis neque Imperii leges patitur: diem fugit, myſteria abſcondit. Quorſum verò, ſi mala non ſunt? Legem Moſaicam a ſe non everti, ſed impleri aſſeruit Jeſus: cur illam deſerunt Diſcipuli?

Sapienter & cautè agendum præcipit Petrus, ut hujuſmodi criminationes refellantur. Vetat te ſemper jure tuo, vel ubi fas eſt, uti. Eadem ferè monet Corinthios (a) & Galatas (b) Paulus. Vetebatur uterque, nequis e Chriſtianis per ſpeciem Religionis, debiti Deo obſequii, partæque a Chriſto libertatis, occaſionem præberet querelarum, vel temerè de Imperio loquens, vel negligens obſequium erga Principes, vel denique nimis luculenter aſpernatus aut Judaicas ſuperſtitiones, aut Gentilium flagitia. Vide *Coloſſ.* IV, 5; & *Epheſ.* V, 16, quæ diximus ea verba; *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.*

℣. 17. OMNES HONORATE. Exteriores iſtæ obſequii ſignificationes pars Religionis ſunt, ac fieri poſſunt meriti capaces, modò pietatis & charitatis erga Deum causâ exerceantur. Harum fundamenta eſſe debent exhibentium humilitas, charitas erga proximum. Dei ſanctiones, quibus jubemur parere hominibus in imperio conſtitutis, illiſque obſequium exhibere. Quod ad æquales aut inferiores attinet, ſublimiſſimas quoque rationes ſuppeditat Religio, ut conveniens illis obſequium præbeas. Amandum habendumque in honore eſt id quod in ipſis poſuit Deus. imaginem illi & ſimilitudinem Dei præ ſe ferunt. Si Chriſtiani ſint, Chriſti Jeſu notâ diſtinguuntur, redempti ſunt ipſius ſanguine, vocati ad Regnum, myſtici corporis Chriſti membra. Si pietate fulgeant, vides in iis dona gratiæ, quibus ſopia nobiliſſima in terris quæque tolluntur. Filii Dei ſunt, fratres Jeſu Chriſti, mundi Judices futuri. Quo obſequio dignus non eſt vel viliſſimus inter Electos? Ecquid noſti, utrum ex Electis ſit ille, qui ad pedes tuos jacet? Si verò te ipſe inſpicias, quam multa vitia & peccata reperies? quot argumenta nanciſcêris te dejiciendi ſub Dei manu, teque viliſſimum omnium, quibus ſtiparis, exiſtimandi?

FRATERNITATEM, fratres, DILIGITE, tamquam vos ipſos. Cujuſvis gentis, conditionis, profeſſionis illi ſunt, a Deo conditi, cœleſtis Patris filii. Si Fideles fuerint, novum præſto eſt majoris benevolentiæ argumentum: ſi infideles, benevolentiam teſtare, ut illos ad Deum trahas. *Deum timete*; atque hic metus regula vobis eſto & obſequii Magiſtratibus debiti, & erga fratres charitatis. *Regem honorificate*. Statim poſt Deum

(x) *Tertull. ad Scapul. cap.* 2. (y) *Rom.* XIII, 5.
(z) *Rom.* VI, 15, 16, 17, 18: *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. Joan.* VIII, 32: *Veritas liberabit vos.* (a) 1 *Corinth.* VIII, 9: *Videte ne licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Et* X, 23, *& ſeq.* (b) *Galat.* V, 13: *In libertatem vocati eſtis; tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

℣. 18. Servi, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.

℣. 19. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè.

℣. 20. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benè facientes patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum.

℣. 21. In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.

℣. 22. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus:

COMMENTARIUS.

Rex. Quiſquis ille ſit, aut quavis religione (c), illum honore proſequere, obtempera, pro illo ora (d): rerum ab illo geſtarum, aut animi illius judicium penès te non eſt: Deo illud & tuo & ipſius judici, relinque.

℣. 18. Servi, subditi estote dominis: convenient illis obſequium præſtare; obedite, uti par eſt, non præſentibus modò, verùm etiam abſentibus: *Non ad oculum ſervientes* (e); nedum lenibus, modeſtis, bonis, ſed ſævis, moroſis, difficilibus (f). Sub exordia Eccleſiæ ſervi complures Fidem amplectebantur: quamobrem peculiares his inſtitutiones Apoſtoli tradiderunt (g). Non raro accidit, ut ſervorum modeſtia heros ad Fidem duceret. Ex Eccleſiaſticis monumentis (h) diſcimus, Iberiam Aſiaticam ad Chriſti Fidem eſſe converſam operâ cujuſdam ancillæ, quæ invocato Jeſu Chriſti nomine Reginam morbo pernicioſiſſimo liberavit.

℣. 19. Hæc enim est gratia (i). Meriti loco eſt, ſi propter Deum feras mala, quæ iniquiùs inferuntur. Duplex conditio requiritur, ut meritum ex malis capias. I, ut propter Deum patiaris; II, ut mala a perſequentibus iniquè tibi innoxio inferantur. *Propter Dei conſcientiam*, ob conſcientiam, quæ negat præſtandum a nobis eſſe id quod contra fas & æquum exigitur: ſive, ob iſtud ipſum, quod certo novimus, exploratum eſſe Deo id quod ipſius causâ patimur, ac redditum iri a Deo juſtitiæ ac fidei noſtræ præmium; ſeu denique, *ob Dei notitiam* quam habetis (k). Conantur hoſtes, ut vos abdicetis Fidem, & id, quod cum conſcientiâ veſtrâ veſtrisque officiis pugnat, agatis: felicitatis & meriti loco vobis eſt, ſi reſiſtatis, & omnia patiamini potiùs, quàm veritatem Fidemque violetis.

℣. 20. Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati, ſive colaphizantes, ſuffertis? ſi dum alios injuriâ afficitis, ipſi injuriam fertis? Græcus (l) & reliquæ Verſiones hunc ſenſum præferunt: Quæ vobis gloria, ſi veſtrâ ipſi culpâ odiis & injuriis eſtis obnoxii? Græca quædam exemplaria legunt: *Si peccantes & mulctati ſuffertis?* Pleraque tamen: *Si peccantes & colaphis cæſi*. Illud non vult Petrus, Chriſtianos peccando injurias in caput ſuum provocare. Siquid patiuntur, juſtitiæ causâ ferant, præter culpam. Hoc ipſum docuit Chriſtus (m): *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.*

℣. 21. In hoc (ad hoc) enim vocati estis; ad ferendas ærumnas, odia, injurias ex Chriſti hoſtibus: hac conditione Chriſtianam profeſſionem amplexi eſtis. Iſta prædixit Chriſtus, prior ipſe illis occurrit, injuriis, cruciatus, mortemque ipſam veſtrî causâ perpeſſus (n): *Vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Si Dominus, quamquam a colpâ alieniſſimus, iſta pertulit, quid ſervis continget? Si is qui Caput eſt omnium, ſpineâ coronâ & cruce tortus eſt, an membra vereantur cruciatus & fugiant? Si Chriſtus perpeſſus eſt noſtrûm causâ, qui & peccato inquinati, & ab eo alieni eramus, quid facere nos decet, poſtquam & illum novimus & illi credimus? Sponte ille, nemine cogente, perpeſſus eſt: nobis perpeſſionum & utilitas eſt & neceſſitas. Hoc ille nobis indixit, cùm ad ſeſe vocaret. Qui crucem ſuam meis veſtigiis inſiſtens non geſtat, qui rebus omnibus ipsâque vitâ ſe non abdicat mei gratiâ, non eſt me dignus, inquit ille (o). Crux & ærumnæ gloria Chriſtianorum ſunt. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, ajebat Paulus (p). Et (q): *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, ſemper mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferentes* (r).

℣. 22. Qui peccatum non fecit. Chriſtus Jeſus, quamquam peccati neſcius, mortem ſubire voluit, externorum causâ & impiorum; quid non agendum a nobis eſt, ut peccata expiemus, Dei dona mereamur, efficiamur ſimiles Domino & Principi, & ea quæ perpeſſionibus illius deſunt, ipſi in nobis impleamus (s). Quapropter labo-

(c) *Vide Ignat. Ep. ad Philadelph. & Ep. ad Smyrn. Vide Eſt. ad* ℣. 13; *& Rom.* XIII, 5.

(d) Τὸν Βασιλέα τιμᾶτε. Τίμα εὐνοῶν αὐτῷ, ὑποτασσόμενος αὐτῷ, εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ. *Theophyl. Antioch. lib.* 1 *ad Autolyc.* (e) *Epheſ.* VI, 5, 6, 7.

(f) Οὐ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς, καὶ ἐπιεικέσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς.

(g) *Vide Epheſ.* VI, 5, 6, 7; *Coloſſ.* III, 22, 23; 1 *Timoth.* IV, 1; *Tit.* II, 9.

(h) *Rufin. lib.* 1, *cap.* 10, *Socrat. lib.* 1, *cap.* 16. (i) Εἰ διὰ συνείδησιν Θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας. *Quidam Græci legunt*, συνείδησιν ἀγαθήν. *Syr. Colb.* 7, *Genev. Barbec.* 5.

(k) *Ita Syr. Heinſ.* Une projet de traduction, pag. 627; *Cornel.* Συνειδήσει εἰδώλου 1 *Cor.* VIII, 7, eſt noſſe quid ſit idolum. (l) Ποῖον γὰρ κλέος. (*Quid.* ποία γὰρ χάρις; *& quid. Latini: Quanam autem gratia.*) Εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι, ὑπομενεῖτε; *Quid.* ἢ κολαφιζόμενοι ὑπομένετε. (m) *Matth.* V, 10.

(n) Χριστὸς ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν, ἡμῖν ὑπολιμπάνων ὑπογραμμὸν, ἵνα ἐπακολουθήσητε τοῖς ἴχνεσιν αὐτοῦ. *Quidam*: ὑπὲρ ὑμῶν, ὑμῖν ὑπολιμ... *Alii*: ὑπὲρ ἡμῶν, ὑμῖν, *&c. Et ita Codd. Latini optimæ notæ.* (o) *Matth.* X, 38, XVI, 24; *Marc.* VIII, 34; *Luc.* IX, 23.

(p) *Galat.* VI, 14. (q) *Galat.* V, 24. (r) 2 *Cor.* IV, 10. (s) *Coloſſ.* I, 24: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.*

℣. 23. Qui cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſtè:

℣. 24 Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.

℣. 25. Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.

COMMENTARIUS.

laborandum nobis eſt, ut ſimiles illi efficiamur (t), ejusque dejectiones & ignominiæ imaginem in nobis ipſi fingamus?

℣. 23. QUI CUM MALEDICERETUR, NON MALEDICEBAT; cùm a dæmone actus, deceptor, Samaritanus, ſeditioſus, blasphemus, helluo, publicanorum & impiorum amicus, veneficus, Dæmonum expulſor ope Beelſebubi diceretur, nunquam iratus eſt, maledicta maledictis non repulit, hoc uno contentus, ut rerum a ſe geſtarum ſanctitatem oſtenderet, tueretur veritatem, & Patris gloriam modeſtiſſimè defenderet. In Paſſione verò, ubi de capite agebatur, blaſphemiæ & ſeditionis inſimulatus, conſtantiſſimè ſiluit (u). Quid non agendum a nobis eſt, ſiquid causâ ipſius Chriſti, juſtitiæ, fratrumve, aut ob ſcelerum noſtrorum expiationem pati debeamus? Quamobrem præcipit Chriſtus (x): *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos: & qui te percutit in maxillam, præbe & alteram.*

TRADEBAT AUTEM JUDICANTI SE INJUSTE; iniquiſſimis judicibus ſeſe ſponte tradidit, Pilato, Caiphæ, Judæis ſibi inimiciſſimis, quorum malitiam, odium, iniquitatem noverat; ultro ſeſe certæ neci obtulit. Græcus legit (y): *Tradidit autem judicanti juſtè*; Deo ſcilicet, Judici æquiſſimo, neglectâ iniquitate hominum, Pilati, cæterorumque Judicum, a quibus per ſummam injuſtiam damnatus eſt. Seſe omnino ſubjecit Deo Patri, qui æternis Juſtitiæ ſuæ conſiliis decreverat, ipſum traditum iri in mortem, ut expiaret hominum ſcelera, & injuriam Majeſtati Divinæ irrogatam repararet. Veteres Latini Patres nonnulli (z) conſentiunt; tum Syrus, Arabs, Græci, typis editi & fermè omnes manu exarati: Latina tamen Exemplaria cum Vulgatâ conveniunt; cui & favent S. Cyprianus (a), S. Leo (b), S. Paulinus (c), & Græci Codices nonnulli manu deſcripti. Critici eruditiſſimi locum putant a librario depravatum, & Græci lectionem eſſe genuinam,

℣. 24. QUI PECCATA NOSTRA IPSE PERTULIT IN CORPORE SUO SUPER LIGNUM: in cruce mortem ſubit, ſcelera noſtra expiaturus; criminum noſtrorum pœnas ſuo ipſe in Corpore tulit: ut nos cum Deo conciliaret, aliam a ſe victimam non obtulit. Reddi poteſt Græcus (e): *Peccata noſtra abſtulit per corpus ſuum*, per mortem ſuâ in carne toleratam: *Delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, ipſum tulit de medio*, inquit Paulus (f). Peccatum, quo nos rei efficiebamur, ſibi ipſe imponens, ſeque pro nobis ſponſorem præbens, deſtruxit (g).

UT PECCATIS MORTUI, JUSTITIÆ VIVAMUS. Mortem ſubiit Chriſtus, ut nos unâ moriamur; in vitam rediit, ut nos quoque in gloriam reſurgamus: eò tamen nemo niſi per juſtitiam, innocentiam, Chriſtianæ virtutis exercitationem pervenit. Confer *Rom.* VI, 2, 4, 6, 7, 10, 11, & VII, 6; *Galat.* II, 19.

℣. 25. ERATIS ENIM SICUT OVES ERRANTES. Allegoriâ de Paſtore ovibusque non rarò uſus eſt Chriſtus, ut doceret, quo ſtudio Iſraëlitas ex erroribus flagitiiſque revocare conaretur. Chananææ fœminæ, filiæ incolumitatem flagitanti, reſpondit, ſe miſſum eſſe ad oves domûs Iſraël, quæ perierunt (h): ad errantem hunc gregem Apoſtolos ac Diſcipulos miſit (i): ſimilem ſe ait Paſtori, oves novem & nonaginta in montibus relinquenti, ut unam aberrantem quærat (k). Morum depravatio inter Hebræos pervagata, perverſæ Legis explicationes a Doctoribus traditæ, falſæ de Meſſia opiniones, fidem certiſſimam faciunt huic Petri ſententiæ: *Eratis ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* *Epiſcopos* Græcè eſt Latinè Inſpector, Procurator. Suprema Chriſti authoritas Epiſcopi appellatione luculentiùs ſignificatur, quàm Paſtoris nomine, quod benevolentiam potiùs & charitatem ſonat.

(t) *Rom.* VIII, 29: *Conformes fieri imaginis filii ſui.*
(u) *Matth.* XXVI, 14. (x) *Luc.* VI, 28. (y) Παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως.
(z) *Auguſt. tract.* 21 *in Joan. Commendabat illi qui juſtè judicat. Fulgent. ad Traſimund. Commendabat autem judicanti juſtè.* (a) *Cyprian. lib.* 3 *ad Quir. cap.* 39. *Et Tract. de Bono patient.*
(b) *Leo Magn. ſerm.* 63, *qui eſt* 14 *de Paſſion.* (c) *Paulin. Ep.* 2 *ad Sever.*
(d) *Eraſm. Vatl. Zeger. Bukentop. Cornel. &c.* (e) Ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ. (f) *Coloſſ.* II, 14.
(g) 2 *Cor.* V, 21: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Vide Joan.* VIII, 46; *Rom.* V, 19; VIII, 3; *Galat.* III, 13; 1 *Joan.* III, 5. (h) *Matth.* XV, 24. (i) *Matth.* X, 6.
(k) *Matth.* XVIII, 12, *& ſeq.*

CAPUT III.

Subdita viris ſunto mulieres; modeſtiam veſtibus præferant. Viri obſervent uxores. Omnes ad virtutem incumbant. Linguæ modum impone. Juſtitiæ causâ perfer mala. Arca Noe Baptiſmi figura.

ỷ. 1. SImiliter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant.

ỷ. 2. Conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.

ỷ. 3. Quarum non ſit extrinſecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus:

ỷ. 4. Sed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritûs, qui eſt in conſpectu Dei locuples.

COMMENTARIUS.

ỷ. 1. SIMILITER ET MULIERES, &c. Superiori Capite Petrus de Chriſtianorum officiis erga terrenos Principes ac Magiſtratus, ſervorumque erga dominos diſputavit; recenſet hîc uxorum officia erga viros, virorum erga uxores. Quemadmodum Chriſtiani ſubjecti eſſe debent Principibus ac Magiſtratibus, & dominis ſervi, nec his officiis illos eximit libertas per Chriſtum parta; ita pariter (a) Chriſtiana mulier Judæo vel Gentili infidelibus nupta, ex divinæ vocationis ad fidem beneficio, occaſionem ſumere non debet excutiendi jugum, ſeque viri obſequio eximendi. Eadem Paulus docet Epheſios (b), Coloſſenſes (c), Corinthios (d), monetque Titum, Cypriorum Epiſcopum, ut ita ſuos inſtituat (e).

UT ET SIQUI NON CREDUNT VERBO, PER MULIERUM CONVERSATIONEM SINE VERBO (f), absque prædicationis ope, LUCRIFIANT. Major erit vitæ illarum iis ſuadendis efficacitas, quàm cujusvis Concionatorum ſermonis. Vincentur viri modeſtiâ, lenitate, patientiâ, pudicitiâ uxorum: Religionem veſtram ſenſim admirabuntur, amabunt, facilè amplectentur, perculſi unâ opinione, quam ex veſtris moribus conceperint: diſcere cupient, nulloque negotio credent iis, quæ amare & plurimi facere cœperint, antequam perſpicuè noſcent. Cùm ſcribit Petrus, viros, *lucrifieri ſine verbo*, intelligendum id non eſt de converſione inchoatâ, proximâque fidei amplectendæ præparatione. Tum omninò lucrifient, cùm crediderint; credere autem nequeunt, niſi verbo ſalutis inſtituantur: *fides enim ex auditu*, inquit Paulus (g).

ỷ. 2. CONSIDERANTES IN TIMORE, &c. animadvertentes, vos Dei timore ſanctum adeò vitæ genus doceri. Sive ex Græco (h): *Conſiderantes caſtam vitæ rationem cum Dei timore conjunctam*; religioſum inſpicientes timorem, quo in conjugii officiis coërcemini. *Ut pendè ſanctos officia ſexûs, cum honore ipſius neceſſitatis, tamquam ſub oculis Dei modeſtè tranſigantur*, inquit Tertullianus (i).

ỷ. 3. EXTRINSECUS CAPILLATURA. Non vetat Paulus ornari fœminas, ut viris ſuis placeant (k): at ornatûs modum tradit Petrus. Jubet primùm, multo antiquiorem illis eſſe ornandi animi quàm corporis curam; tum ſimplici ac modeſto capitis & oris ornamento uti, præter fucum, calamiſtrum, & ornamenta ex auro gemmisque, ingenuæ venuſtati minimè ſervientia, ſed quibus alitur ambitio, luxus, ſuperbia, quæque non rarò vertuntur in laqueos iis, quibus eas placere nefas eſt, & in perniciosiſſimam malorum & inopiæ ſcaturiginem. *Tu ſcis*, Domine, ajebat Eſther (l), *quod abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in die oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentii mei*, quo tempore in ſeceſſu, a Rege remota, dego. Ita decet animo comparatas eſſe, quas aut conditio ſua, aut decorum, aut virorum voluntas ſuperbis ornatibus uti cogit.

ỷ. 4. SED QUI ABSCONDITUS EST CORDIS HOMO, is potiſſima eſſe debet mulierum cura & ambitio. Ornandus eſt homo interior, componenda deſideria, animus, cogitatio: colligenda eſt locuples utilium cognitionum gaza, ponendus eſt cupiditatibus & amori modus, figenda crux deſideriis, pravisque animi motibus: laborandum, ut, poſito veteri homine, Chriſti imago intus in mente fingatur. Immodica & vana ornamenta pudicam mulierem dedecent, ait S. Cyprianus (m): inanium hujusmodi rerum amor levitatem animi & parum pudicitiæ ſignificat. *Nullarum ferè pretioſior cultus eſt, quàm quarum pudor vilis eſt*. Præſtantiſſima mulieris ornamenta, pudor & modeſtia: his & Deo, & viris ex rectâ ratione amantibus chara efficitur: at iis qui cum ratione & judicio non amant, placere eſt periculoſum.

IN INCORRUPTIBILITATE QUIETI ET MODESTI SPIRITUS, ſeu *placidi & quieti* (n): quibus verbis tria continentur; I, *puritas*, ſeu charitas & morum innocentia; II, *lenitas*, patientia, animi moderatio; III, *tranquillitas*, ſive ſilentium, cùm

(a) Ὁμοίως αἱ γυναῖκες. *Alii*: Ὁμοίως καὶ αἱ γυναῖκες. *Ita Vulg. Syr. Arab. Æth.*
(b) *Epheſ.* v, 22, 24. (c) *Coloſſ.* III, 18. (d) I *Cor.* XIV, 34; VII, 16. (e) *Tit.* II, 5.
(f) Ἄνευ λόγου κερδηθήσονται. *Syr. Æth.* absque labore *Oerumen*. Sine repugnantiâ, jurgio maritorum, ſeu denique absque ope verbi, quin neceſſe ſit loqui. (g) *Rom.* x, 17.
(h) Ἐποπτεύσαντες τὴν ἐν φόβῳ ἁγνὴν ἀναστροφὴν ὑμῶν. *Clem. Alex. & Cod.* 3: Τῷ ἐν λόγῳ, *In verbo*. (i) *Tertull. ad uxorem, cap.* 2. (k) I *Cor.* VII 34. (l) *Eſth.* XIV, 16.
(m) *Cyprian. de habitu Virgin. Ornamentorum & veſtium inſignia & lenocinia formarum, nonniſi proſtitutis & impudicis feminis congruunt.* (n) Ἐν τῷ ἀφθάρτῳ τοῦ πρᾳέος, καὶ ἡσυχίου πνεύματος.

℣. 5. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris.

℣. 6. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ, benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

℣. 7. Viri, ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.

COMMENTARIUS.

cùm quis alienis negotiis non immiſcetur, ſuiſque occupatus domi inter familiares verſatur. Hæc porrò non ultima eſt Chriſtianæ mulieris laus (o). Viduis adoleſcentulis ſedulò præcipit Paulus, ut tranquillam vitam agant, curioſitate abhorreant, aliena non quærant (p): *Simul & otioſæ diſcunt circuire domos; non ſolùm otioſæ, ſed verboſæ & curioſæ.* Mulier fortis, cujus laudes proſequitur Salomon (q), tota penitus in domûs ſuæ, familiarium, & laboris curam incumbebat.

℣. 5. SICUT SANCTÆ MULIERES SPERANTES IN DEO (r), ORNABANT SE. Sanctæ fœminæ, quarum nomina & geſta in Scripturis traduntur, multò ſtudioſiùs animum quàm corpus ornabant; malebantque a Deo probari, quàm ab hominibus. Quid agat Chriſtiana mulier, quæ in Baptiſmo pompis ſæculi ſeſe abdicavit, quæque ad Deum, nihil niſi crucem contemptumque mundi prædicantem, pertinet?

℣. 6. SARA OBEDIEBAT ABRAHÆ, DOMINUM EUM VOCANS, veluti cùm diceret (s): *Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo.* Eadem apud Atticas (t) Romanaſque (u) uxores appellatio ſervabatur. Euripides apud Stobæum (x): *Sapiens mulier quæcumque ancilla eſt viri.* Effatum eſt Hebræorum (y): *Stat coram viro uxor bona, & miniſtrat ei, & vocat eum dominum ſuum. Sapiens quædam fœmina dicebat filiæ ſuæ, cùm eam duceret ad thalamum: Mea filia, ſta coram viro tuo, & miniſtra ei. Si fueris ei ancilla, ipſe tibi ſervus erit, & honorabit te ut dominam. Sed ſi extuleris te contra eum, erit tibi dominans, & tunc vileſces in oculis ejus ut una ancillarum.* Manant iſta ex Dei ſanctione, qua prima mulier Adamo viro ſuo ſubjecta eſt (z): *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.*

Bona conjux, inquit S. Ambroſius (a), *non ſolùm vocat virum dominum ſuum, ſed hoc ſapit, hoc ſonat, hoc geſtat corde, hoc profitetur ore; tabulas matrimoniales inſtrumenta emptionis ſuæ deputat: eſt ergo ancilla, dans opera ancillis.* S. Hieronymus (b) ad Celantiam Romanam ſcribens, *Servetur*, ait, *in primis viro authoritas ſua, totaque a te diſcat domus quantum illi honoris debeat: tu dominum illum obſequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonſtra: tanto ipſa honoratior futura, quanto illum ampliùs honoraveris.*

Paruit Abrahamo Sara, patriam deſerens, eumque in quaslibet regiones proſequuta: paruit in graviſſimo omnium diſcrimine, ſe nimirum Abrahami ſororem eſſe ſemel Pharaoni, & iterum Abimelecho Regi Geraræ teſtata (c), ut caput viri tueretur; paruit denique, juſſa ab Abrahamo panes ſubigere, tribus hoſpitibus, qui Angeli erant, ad Abrahami domum divertentibus, exhibendos (d). Qui putant, compertum Saræ fuiſſe Abrahami conſilium mactandi Iſaaci, his præſto eſt ingens aliud Saræ obtemperantis ſubditæque Abrahamo exemplum.

CUJUS ESTIS FILIÆ, ejus ſanguine ac genere procreatæ; idque ipſum præſtantiori ratione efficimini, ſancta illius geſta & obedientiam imitatæ, *non pertimentes ullam perturbationem*, nullo timore perculſæ. Itaque ne vereamini futurum, ut vobis obtemperantibus ac morigeris, viri per ſuperbiam vos opprimant, adigantve in ſervitutem: quò magis morigeræ fueritis, eò majori in honore & æſtimatione apud ipſos habebimini. Conſtantiſſimam Saræ, quæ Abrahamo paruit, fiduciam de Dei bonitate imitamini: certò credidit Sara, Deum minimè paſſurum, pudicitiæ ſuæ labem inferri, ſeque ac virum liberos fore a diſcrimine, in quo verſabantur. Neque animo concidit, ubi intellexit, Deum præcepiſſe, ut Iſaacus ſacrificio mactaretur: Dei & Abrahami imperio ſtatim obtemperavit.

℣. 7. VIRI, SIMILITER COHABITANTES SECUNDUM SCIENTIAM (e), moderatè, cum judicio tractantes, ſive ex morum legibus, quas ab Evangelio & Apoſtolis didiciſtis. Eas leges ſervate, quas ſapientia, decori ratio, recta mens, humanitas poſtulant: denique tales uxoribus vos exhibete, quales eſſe convenit: officia veſtra non perſequor: ſatis comperta vobis eſſe exiſtimo. *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem* (f). Ne male in illas abutamini authoritate, quam vobis Dei Lex, ſcientia, vires impartiuntur, eamque cum honore & judicio exercete. Quo fragilius eſt vas, eo satiùs tractatur; viliſſimæ & infirmiſſimæ corporis partes maximè cæterarum ſunt neceſſariæ, eoque ſolicitiùs teguntur, inquit Paulus (g). Uxor os ex oſſibus tuis eſt, o marite, & caro ex carne tuâ (h), *adjutorium ſimile ſibi* (i) a Deo traditum. Ne igitur aſpernere, ſuperbè tractes, injuriâ afficias, ſexûs imbecillitati connivens; matrimonii libertatem

(o) *Sophocl.* Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. (p) 1 *Timoth.* v, 13. (q) *Prov.* xxxi, 15, 19, 20.
(r) *Æthiop. omittit, Sperantes in Deo. Mill. ſuſpectum habet.* (s) *Geneſ.* xviii, 12.
(t) *Ariſtoph. in Equitib.* Διώξαι Σμικυθίωνα, καὶ κύριον. *Ad quæ verba Scholiaſt.* Ὥσπερ ἐν ταῖς εἰσαγγελίαις τῶν ἐγκλημάτων κυρίους αὐτοὺς, ἐπειδὰν γυναιξὶ ἐπιφέρηται ἔγκλημα. Οὕτω γὰρ προσκαλεῖσθαι ἐκέλευον ἐν τῷ δικαστηρίῳ. Ἡ δεῖνα καὶ ὁ κύριος. Τὸν ἀνδρὰ ἐστὶν ὁ ἀνήρ.
(u) *Lucretia apud Ovid.*
Mittenda eſt Domino.....
(x) Πᾶσ' ἐστὶ δούλη ἀνδρὸς ἡ σώφρων γυνή. (y) *Vide lib. Muſar, cap. 6, apud Druſ. hic.*
(z) *Geneſ.* iii, 16. (a) *Ambroſ. ſeu alius in cap.* 31 *Prov. c.* 3, *ſeu lib. de Salom.*
(b) *Hieronym. Epiſt. ad Celantiam.* (c) *Geneſ.* xii, 12, 13, 14. *Vide &* xx, 1, 2, 3.
(d) *Geneſ.* xviii, 6. (e) Συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν.
(f) Ὡς ἀσθενεστέρῳ σκεύει τῷ γυναικείῳ ἀπονέμοντες τιμήν. (g) 1 *Cor.* xii, 22, 23.
(h) *Geneſ.* ii, 23. (i) *Geneſ.* ii, 18.

℣. 8. In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles:

℣. 9. Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſſideatis.

℣. 10. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum.

℣. 11. Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam.

℣. 12. Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: Vultus autem Domini ſuper facientes mala.

℣. 13. Et quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?

COMMENTARIUS.

tatem moderatè uſurpato, neque facultatem Sacramento conceſſam in libidinis explementum vertas (*k*). Eamdem fermè ſententiam habet Paulus (*l*): *Sciat unuſquiſque veſtrûm vas ſuum* (corpus, idque de uxore pariter intelligendum) *poſſidere in ſanctificatione & honore; non in paſſione deſiderii, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum*.

Tanquam cohæredibus gratiæ vitæ (*m*), vitam impertientis. Aliæ rationes duæ, ob quas amandæ ſunt uxores, & cum honore habendæ: æquè nimirum vocatæ ſunt ad Chriſtianam Profeſſionem, & æternæ vitæ hæredes. Ad Chriſtum illæ, non ſecus ac vos, pertinent, ſanguine Chriſti redemptæ, ejus ſpiritu cumulatæ, dignitatis filiorum Dei adoptione electorum, fratrum Chriſti, & myſtici corporis illius membrorum participes. His de cauſis uxores in honore a vobis habendæ ſunt, decetque vos matrimonii libertatem pudiciſſimè & parciſſimè uſurpare: *Ut non impediantur orationes veſtræ*. Hoc ipſum fermè præcepit Paulus (*n*): *Nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu, ut vacetis orationi*. Ita vos gerite, ut nequid vos a precibus ſuo tempore exercendis prohibeat: ſordes cum Chriſtianâ ſanctitate pugnantes, veſtro a corpore arcete, abſolutamque concordiam ſervate.

℣. 8. In fine (*o*) autem omnes unanimes. Hæc ad univerſos Fideles ſpectant. Quæ hactenus diſputavi, certis hominum conditionibus conveniunt: quæ ſubjicio, univerſis. Mutuam pacem & concordiam colite: mutuò amate ceu fratres, indulgete fratribus cum charitate, modeſtiâ, manſuetudine: *Fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles*. Tria tantùm vocabula fert Græcus (*p*): *Fratrum amantes, miſericordes, comes*. Duabus hiſce vocibus reſpondet una eademque vox Græca, quæ legitur adhuc in vetuſtis codicibus, nonnulliſque Editionibus, pro illâ, *comes*, quam ferunt editi plerique.

℣. 9. In hoc (ad hoc) vocati estis, ut benedictionem Dei hæreditate possideatis, eâque digni eritis, ſi maledicentibus benedixeritis, & pro malis bona reddideritis. Ea porrò eſt Chriſtianorum vocatio, ut hilari animo perſequantur injurias, ut lenes ſint inter iracundos, modeſti inter ſuperbos, manſueti inter ſævos, benedicant iis, a quibus ipſi injuriis & maledictis petuntur (*q*). Neque hæc commentitia eſt meditatio & deſcriptio, ſed germana primævorum Chriſti Diſcipulorum vita; eamque par eſt in præſenti & noſtram eſſe; cùm Lex Evangelica mutari nequeat.

℣. 10. Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos. Locus e Pſalmo xxxiii, 13, ubi docet Pſalmiſta, quid agendum ſit, ut beatam ac tranquillam in terris vitam agas, & Dei beneficia merearis. At Petrus in præſenti dumtaxat vitâ minimè conſiſtit; hortaturque Fideles, ut lenes ac modeſti ſint nedum ob conſequendam vitam in terris quietam ac felicem, verùm etiam ob promerendam in cœlis æternam (*r*).

℣. 11. Inquirat pacem, et sequatur eam, colat, ſervet, vel inter ſeditioſos; ejus causâ negligat res ſuas, commoda, injurias: ſollicitè cuſtodiat, ſi habet; ſi non habet, anxiè quærat.

℣. 12. Oculi Domini super justos, ut tueatur, regat: illos cum amore & benevolentiâ intuetur Deus. *Vultus autem Domini iratus ſuper facientes mala*. Vultus paſſim pro furore uſurpatur, uti (*s*): *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultûs tui*, furoris tui. Et (*t*): *Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei*.

℣. 13. Et quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Si id quod bonum eſt perſequimini? Græcus (*u*): *Si boni*, bonarum rerum, *imitatores eſtis*. At vetuſti codices Græci complures (*x*) ſuaveot Vulgatæ. Si quod bonum eſt, virtutem, pietatem, charitatem fratrum ſedulò quæritis, quis vobis noceat? verè, inquam, noceat; nihil enim mali eſt, vexari, ærumnis & calumniis affici ob juſtitiam, cùm per eas certiſſimo itinere hominem ad æternitatem pervenire ſit

(k) *Hieronym. lib. 1 contra Jovin. Beda, & Oecumen. bis, Lorin. Eraſm. Zeger. Eſt. Menoc. alii.*
(l) 1 *Theſſal.* iv, 3.
(m) Ὡς καὶ συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς. *Alii plures*: Ὡς συγκληρονόμοις. *Ita Steph.* ι, ια, *Cov.* 3. *Syr. Arab. Æthiop. Oecumen. Ambroſ. &c.* (n) 1 *Cor.* vii, 5. *Vide Eſt. Men. &c.*
(o) *Quid. Codd. Latini; In fide. Velez.* Ἐν πίστει. *Melius in fine. Græc.* Τὸ δὲ τέλος. *Denique, in ſummâ, quod ſupereſt.* (p) Φιλάδελφοι, εὔσπλαγχνοι, φιλόφρονες. *Alii plures*: Εὔσπλαγχνοι, ταπεινόφρονες. *Ita Steph.* δ, ι, ια, ιγ, *Alex. Lin. Petit. Colb.* 7, *Genev. Colin. Oecumen. utrumque legit.* (q) *Ignat. Epiſt. ad Epheſ.* § 10. Πρὸς τὰς ὀργὰς αὐτῶν, ὑμεῖς πραεῖς. Πρὸς τὰς μεγαλορρημοσύνας αὐτῶν, ὑμεῖς ταπεινόφρονες. πρὸς τὰς βλασφημίας αὐτῶν, ὑμεῖς τὰς προσευχὰς ἀντιτάξατε. Πρὸς τὸ ἄγριον αὐτῶν, ὑμεῖς ἥμεροι, *&c.* (r) *Vide Eſt. Grot. &c.* (s) *Pſal.* xx, 10.
(t) *Pſal.* lxvii, 3. (u) Ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταὶ γένησθε.
(x) *Alii plures*: Ἐὰν τοῦ ἀγαθοῦ ζηλωταὶ γένησθε. *Ita Steph.* δ, ι, *Alex. Cov.* 4, *Genev. Pet.* 3, *Col. Arab. Syr. Æth. Copht. Clem. Alex.*

℣. 14. Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Timorem autem eorum, ne timueritis, & non conturbemini.

℣. 15. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe.

℣. 16. Sed cum modeſtiâ, & timore conſcientiam habentes bonam: ut in eo, quòd detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem.

℣. 17. Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes.

℣. 18. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.

COMMENTARIUS.

ſit compertiſſimum. Æquis rerum æſtimatoribus iſta potiùs invidiam quàm metum poſtulant: hæc Chriſtiani hominis pars, gloria, æternæque beatitudinis causa. ℣. 14: *Siquid patimini propter juſtitiam, beati*; cùm dixerit Chriſtus (y): *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.*

℣. 14. TIMOREM EORUM NE TIMUERITIS; mala quæ illi timent, quamvis formidanda videantur, ne timueritis; corporis vitam auferre poſſunt, non animi (z). Terrenis fortunis, libertate vos ſpoliaverint, arguerint, maledictis laceraverint: virtutem certè, innocentiam, bonorum futurorum ſpem, Spiritûs Sancti gaudium, fidem quæ theſaurus veſter eſt, charitatem quæ veſtrum eſt robur, non auferent; ſervatamque vobis in Cœlo a ſummo Judice coronam non rapient.

℣. 15. DOMINUM CHRISTUM SANCTIFICATE (a), ſive ut habet Græcus typis vulgatus, *Dominum Deum*; Dei gloriam procurate. Sanctificas Deum pio rectoque vivendi inſtituto, integro erga illius præcepta obſequio, caſto ſinceroque cultu, germanâ morum ſanctimoniâ, humili fide cum charitate conjunctâ, firmâ de ipſius promiſſis fiduciâ, invictâ inter vitæ hujus ærumnas, veritatis & juſtitiæ causâ toleratas, conſtantiâ. Hoc & ſuperiore membro alludit Petrus ad illud Iſajæ (b): *Timorem ejus ne timeatis, neque paveatis. Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter.* Hunc adorate, veremini, cultu, qui ejus amplitudinem & majeſtatem deceat, proſequimini.

PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM OMNI POSCENTI VOS RATIONEM DE EA, QUÆ IN VOBIS EST, SPE. Credulitatem veſtram ludibrio habebunt Ethnici; Judæi pervicaces rogabunt, cur Chriſtum & Evangelium ſequamini: quærent, quæ ſint alterius vitæ bona inviſibilia, quæ ſperatis: nulla ludibria, nullas minas formidate; explicate quæ fides veſtra ſit, modeſtè tamen, animoque ſedato & manſueto: frangetur certè ipſorum malitia & odium. At ne provocetis ſuperbâ & arroganti oratione, verbisque iratum aut injuriarum plenis.

℣. 16. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM. Sanctam adeò & caſtam vitæ rationem tum apud Deum cùm apud homines ſervate, ut rationem geſtorum exhibere non vereamini; quippe Chriſtianam Religionem & vitæ genus a vobis ad illius ſanctiones inſtitutum arguunt, obruantur probro, ubi utrumque propiùs expenderint: *Ut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur.* Veteres noſtræ Religionis Apoſtoli nunquam non ad Chriſtianorum mores provocant. An iſtud vitæ genus agant impuri homines, flagitioſi, anthropophagi, nullius fidei ac pudoris? an iſta patiantur? Scrutamini curioſiùs, quid agatur in noſtris cœtibus, familiis, conſuetudine.

℣. 17. MELIUS EST BENEFACIENTES PATI, QUAM MALEFACIENTES. Sunt qui dicant: Paterer, ſi mererer. At non magis optandum eſt, te crimine vacuum mala pati, quàm reum? Hoc ipſum reſpondit Socrates Apollodoro (c), dicenti: Injuſtè moreris: at tu, inquit, juſtè volebas.

℣. 18. QUIA ET CHRISTUS SEMEL PRO PECCATIS NOSTRIS MORTUUS EST (d). Revereri debes ac pro viribus imitari Chriſtum, Caput tuum, qui mortem ſubiit innoxius ob impiorum redemptionem. *Juſtus pro injuſtis.*

UT NOS OFFERRET DEO, ceu ſervos ſanguinis ſui pretio emptos, ut Cœlum nobis recluderet, aditumque faceret ad Patrem (e): *Per ipſum habemus acceſſum ad Patrem*; ut nos cum Patre conciliaret, dignosque redderet, qui inter illius filios recenſeremur. Aliter: *Ut nos offerret Patri*, ceu ſuaviſſimi odoris victimam & ſacrificium (f), dum noſtras cum ipſius perpeſſionibus jungimus. Reddi etiam poteſt Græcus (g): *Ut nos adduceret ad Deum*, ceu errantes oves ad gregem.

MORTIFICATUS QUIDEM CARNE (h), VIVIFICANTES

(y) *Matt.* v, 10. (z) *Matth.* x, 28.

(a) *Græc. impreſſ.* Κύριον δὲ τὸν Θεὸν ἁγιάσατε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. *Alii plures*: Κύριον δὲ τὸν Χριστὸν ἁγιάσατε. *Ita Steph.* 1a, *Alex. Vulg. Syr. Copht. Clem. Alex. Strom. lib.* 4.

(b) *Iſai.* VIII, 13, 14.

(c) *Diogen. Laërt. lib.* 2, *in Socrat.* Τῆς γυναικὸς εἰπούσης, ἀδίκως ἀποθνήσκεις. Σὺ δὲ, ἔφη, δικαίως ἐβούλου. *Xenophon. in Apolog. id tribuit Apollodoro. Vide Menag. not. in loc. Laërt.*

(d) *Græc.* Ἅπαξ περὶ ἁμαρτιῶν ἔπαθε. *Quidam*, περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν. *Multi Latini non legunt*, *noſtris*. *Quid.* Περὶ ἁμαρτιῶν, ὑπὲρ ἡμῶν. *alii*: ὑπὲρ ὑμῶν.

(e) *Epheſ.* II, 18; *Rom.* v, 2. (f) *Syr. Grot. Eſt. Gerhard.*

(g) Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ. *Juſtin. Dialogo cum Tryph. pag.* 276: Τὸ ἀρχηλατικὸν ἀληθινὸν πνευματικὸν, καὶ Ἰούδα γένος ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ διὰ τοῦ σταυρωθέντος Χριστοῦ τῷ Θεῷ προσαχθέντες.

(h) Veteres Latini Codices, ipsaque Sixti V editio ferebant: *Mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu. Velez.* Θανατωθέντας .... ζωοποιηθέντας. Manifeſtum eſt mendum. Græcus: Θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι.

℣. 19. In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit:

COMMENTARIUS.

TAS AUTEM SPIRITU, Mortem in carne ſubiit Chriſtus; caducâ & mortali hac vitâ ſpoliatus eſt hoſtium malitiâ & injuriâ: at redivivus prodiit, novam æternamque vitam adeptus. Sivè: *Vivificatus ſpiritu*, divinâ virtute ipſi inſidente. *Crucifixus eſt ex infirmitate*, inquit Paulus (i), *ſed vivit ex virtute Dei*. Alibi (k): *Si ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Jeſum a mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis*.

℣. 19. IN QUO ET HIS QUI IN CARCERE ERANT SPIRITIBUS VENIENS PRÆDICAVIT, Latini quidam libri (l) ſingulari numero legunt *ſpiritu*, non *ſpiritibus*; alii (m) majori numero ferunt *carne*, non *carcere*: has tamen lectiones in mendo cubare conſtat. Vulgata prorſus convenit cum Græco (n). Complures ſunt loci hujus explicationes. Probatiſſima & maximè omnium legentibus obvia eſt, Chriſtum Jeſum e mortuis redivivum, per virtutem ejuſdem Spiritûs, a quo revocatus erat in vitam (o), deſcendiſſe in carcerem, ſeu locum, quo detentæ Patriarcharum animæ ipſius adventum tranquillè expectaverant; illiſque & ſuum ipſius adventum, & ipſarum libertatem nunciaſſe. Ita explicant Patres plerique & Interpretes (p), ſatione Symbolo Apoſtolorum conſentaneâ, quo docemur Chriſtum *ad inferos deſcendiſſe*. Cœlorum aditu hactenus prohibiti fuerant Sancti omnes, Patriarchæ, Prophetæ (q): aditum reſeravit Chriſtus moriens reſurgenſque.

S. Juſtinus Martyr (r) & S. Irenæus (s) in hanc rem recitant ſententiam tamquam ex Jeremia, quæ tamen in Vulgatâ non legitur: *Recordatus eſt Dominus Deus Sanctus Iſraël mortuorum ſuorum, dormientium in terra ſepulcri, & deſcendit ad illos, ut evangelizet eis ſalutare ſuum*. De Chriſto ad inferos profecto interpretati quoque ſunt Patres multi (t) locum ex Matthæo (u): *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus*; nempe apud inferos, inquiunt illi, Juſtis ibi ceu carcere detentis ſolatium allaturus.

Cenſuere Veterum nonnulli (x), Chriſtum ad inferos delapſum, prædicaſſe Gentilibus quoque & Infidelibus, & ſalutem impertitum aliquibus inter cæteros minùs impiis, qui ipſum agnoverunt, & prædicanti crediderunt. Hæc tamen ſententia pugnat cum Eccleſiæ Fide, qua docemur, nullam eſſe ſalutis ſpem apud inferos, hominemque ſemel damnatum nunquam e damnatione evaſurum. Bonam certè in partem ſumenda eſt Patrum interpretatio, ex eo profecta, quòd ipſi mitiſſimum erga omnes animum, & ampliſſimam de miſericordiâ Dei opinionem gererent. De quorumdam Gentilium diſputavimus in Diſſertatione Epiſtolæ ad Romanos præfixâ.

Ajunt alii (y), agere hîc Petrum de Evangelii prædicatione ad Gentiles, imperatâ per Chriſtum, per Apoſtolos peractâ, ipſius nomine & virtute. *Carcerem* allegoricè explicant ignorantiæ tenebras, quibus Gentiles ante vocationem obvolvebantur. *Venit hora, & nunc eſt*, inquit Chriſtus (z), *quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent*. Quæ verba de Gentium vocatione ad fidem explicantur. Chriſtus ipſe apud Lucam (a) de ſe interpretatur illa Iſaiæ verba: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod miſit me ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem*, &c. Idem Iſaias alibi de Meſſia vaticinans, ait (b): *Dedi te, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris*: quibus verbis vocatio gentium ad Fidem ſignificari paſſim ab omnibus dicitur. Ad hujuſmodi carcerem, captivitatem, tenebras, quibus ante Evangelii prædicationem tenebantur Gentiles, non ſemel Paulus alludit (c).

Aliis (d) *carcer* eſt corpus, quo veluti carcere clauditur animus: ajunt, Chriſtum Jeſum per Spiritum ſuum, quo afflavit Noëmum, prædicaſſe hominibus eâ ætate incredulis, ut pœnitentiam agerent, Divinumque furorem, generalem alluvionem univerſæ terræ minitantem, placarent. Petri ætate increduli iſti inferno carcere claudebantur; at vitâ & corpore præditi erant ætate Noëmi. Quamobrem ita fuſiùs verti poſſunt duo hæc membra; Chriſtus Jeſus afflatum Spiritu ſuo Noëmum miſit ad monendos incredulos eo tempore ſuperſtites, nunc verò in inferis ſepultos; Chriſtus ipſe quodammodo monuit, cùm hominem ſpiritu ſuo afflatum ad eos monendos miſerit: vitam in terris tunc agebant iſti: at nunc illorum animæ inferno carcere clauduntur.

Poſtremis hiſce geminis explicationibus favent Interpretes præſtantiſſimi, & certè non facilè rejiciendæ ſunt, quippe quibus aufertur difficultas ſtatim

(i) 2 *Cor.* XIII, 4. (k) *Rom.* VIII, 11.

(l) *Codd. Latini multi apud Eſt. Velez.* πνεύματι. (m) *Carne, pro carcere. Vide Bed. Syr. Æth. Athan. Alii quidam. Vide Mill. & Eſt. hic.* (n) Ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. *Quidam legunt: Qui in carcere inferni concluſi erant.*

(o) Ἐν ᾧ. *In quo*, ſive, *per quem Spiritum, ſcil. de quo ſuprà*.

(p) *Athan. Ep. ad Epictet. Cyrill. de Fide ad Regin. Epiphan. hæreſ.* 77; *Clem. Alex. lib.* 6 *Strom. Juſtin. contra Tryph. Iren. lib.* 3, *cap.* 23; *Hieronym. in Iſai.* LIV; *Hilar. in Pſal.* CXVIII, ℣. 82; *Ambroſ. in Epheſ.* IV. *Ita & Scholaſtici & Interpp. plerique.*

(q) *Vide Chryſoſt. homil.* 4 *in Marc. Hieron. Epiſt. ad Heliodor. Greg Magn. lib.* 12 *moral. cap.* 65 *D. Thom.* 3 *p. q.* 52, *&c.* (r) *Juſtin Mart. Dialog. cum Tryph. pag.* 298.

(s) *Iren. lib.* 4, *cap.* 22. At l. 3, cap. 20 nov. Edit. hunc locum ſub Iſaiæ nomine recitat; lib. 4, cap. 33, & lib. 5, cap. 31, Authoris nomen præterit. Ita autem Græcè ab Juſtino Martyre recitatur: Ἐμνήσθη ὁ Κύριος ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ (Irenæus legit, Ἅγιος Ἰσραὴλ,) τῶν νεκρῶν αὐτοῦ, τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος, καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς, εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ; (t) *Hieronym. & Theophyl. in Matth. Nyſſen. orat.* 1 *de Reſurrect. Tertull. lib. de Animâ, cap.* 31, & 55; *Iren. lib.* 5, *c.* 31; *Ambroſiaſt. in Epheſ.* IV. (u) *Matth.* XII, 40.

(x) *Vide, ſi placet, Clem. Alexand. lib.* 6 *Strom. Epiphan. hæreſ.* 46; *Ambroſiaſt. in Epheſ.* IV; *Nazianz. orat.* 42 *ſub finem; & Nicetam, ad eundem, &c.*

(y) *Heſſel. Voſſ. Grot. Hamm. Confer* 1 *Petri*, IV, 6; *Joan.* V, 25; *Luc.* I, 49; *Epheſ.* II, 1, *&c.*

(z) *Joan.* V, 25. (a) *Luc.* IV, 18, *ex Iſai.* LXI, 1. (b) *Iſai.* XLII, 6, 7.

(c) *Epheſ.* II, 17; IV, 8; V, 8; *Coloſſ.* I, 13; 1 *Theſſ.* V, 4. (d) *Aug. Ep. olim* 99, *nunc* 164, *n.* 3, 4, *Beda, Aug. Dionyſ. D. Thom.* 3 *p. qu.* 52, *art.* 2, *ad* 3. *Vide & Bez. Jun. Gomar, Gerhard, Piſcat.*

Digitized by Google

℣. 20. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam:

COMMENTARIUS.

ſtatim obvia, cùm legeris Textum, ubi videtur Chriſtus ad inferos profectus prædicaſſe hominibus vitâ functis ætate Noëmi, qui ſuâ in pervicaciâ mortem obeuntes, æternam damnationem incurrerant. Præterea quo pacto iſtud conciliaveris, Chriſtum prædicaſſe hominibus a tam longâ ætate mortuis, tamquam hi reſipiſcere adhuc poſſent, & peccata per pœnitentiam expiare (e)?

Chriſtum Jeſum deſcendiſſe ad inferos, adventum ſuum nunciaſſe Patriarchis, eosque tam diu expectatam in libertatem duxiſſe, iſtud quidem præter omnem dubitationis aleam eſt, nobisque tamquam inter Fidei noſtræ capita creditur: at iſtud voluiſſe hoc loco Petrum, dubitari poteſt. Satis ſuperque locorum eſt in Scripturis, quibus Eccleſiæ ſententia de lapſu Chriſti ad inferos lucolentiſſimè traditur. Ita (f): *Tu in ſanguine teſtamenti*, fœderis, *tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Et (g): *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Agit hîc Petrus omnino de incredulis Noëmi ætate ſuperſtitibus, non de juſtis, Redemptoris adventum præſtolantibus; niſi illud dicas, quod ab Interpretibus nonnullis, nullo tamen argumento, admittitur (h), aliquos ex iis incredulis, auditâ Noëmi prædicatione reſipuiſſe.

Clericus hic Angelos Cuſtodes, non ſpiritus carcere detentos, interpretatur; neque repugnat Græcus (i). Putat ille, Divinitatem, ſeu Spiritus, a quo revocatus in vitam eſt Chriſtus, Angelis Cuſtodibus, ad verbum, *Angelis qui ſunt in cuſtodiâ*, comitantibus, prædicaſſe incredulis, qui Noëmi ætate ſuperſtites erant, ut pœnitentiam agerent. Neque tamen credas, aut ipſum per ſe Deum, aut Cuſtodes Angelos conſpicuè prædicaſſe; at his tribuit Scriptura id quod Noë ipſis authoribus, moventibus, ſuadentibus, opem ferentibus geſſit. Ita dicitur alibi (k) Chriſtus *evangelizaſſe iis qui longè fuerunt*, nempe Gentilibus, *& iis qui prope*, nempe Judæis: non quòd ipſe per ſe Gentiles inſtituerit, ſed quòd eos ab Apoſtolis inſtitui juſſerit. Vereor, ne non ſatis literæ ſervire videatur hæc explicatio: alium planè ſenſum Græcus textus poſtulat, ſi totam ſimul ſententiam ſumas.

Geminam celeberrimi hujus loci interpretationem producit Dupinius (l). Ut ſpecimen Divinæ erga homines miſericordiæ præbeat Petrus, id quod in Diluvio contigit in exemplum producit. Innumeri fuere, qui Diluvium minimè eventurum crederent: hi ſunt *increduli in diebus Noë*, iſto Arcam ſtruente, Denique per patientiam expectante. Jam tunc Dei Verbum (quod Apoſtolo eſt *Spiritus Chriſti*) hominibus iſtis, quos cæcitas ſua ceu carcere claudebat, imminens univerſis hominibus exitium oſtendit. Fruſtra tamen monuit, unusque Noë cum familiaribus ex aquis elapsus eſt.

Nulla jam eſt loci hujus difficultas, ſi hac ratione illum explices, neque enim aut de Chriſti lapſu ad inferos, aut de illius prædicatione ad Noachicos incredulos agetur. At in eâ ſententiâ ſtatuuntur nonnulla, quæ certam demonſtrationem poſtulant, & inducuntur ambages pares iis quæ vitantur. I, *Spiritus Chriſti* uſurpatur de ipſius Divinitate, non de Animâ; II, Id quod de ſpiritibus carcere incloſis dictum eſt, ad homines refertur in terris ſuperſtites; III, *Carcer* pro hominum cæcitate ſumitur. Iſta animadvertit ipſe Dupinius, quibus ab eâ opinione prorſus admittendâ deterretur.

Aliam proponit explicationem maximè ſimplicem. Deſcendit ad inferos Chriſtus, ſuumque adventum nedum Juſtis tranquillè præſtolantibus, verùm etiam animabus illorum, qui Noëmo calamitatem imminentem prædicanti non credidere, nunciavit. Verum hi Deum, tametſi antea increduli, & timuerunt & adorarunt; effuſoque demum in terras Diluvio, pervicaciam execrati, confugêre ad Deum, partemque peccatorum in aquis terram obruentibus expiavere. Lapſus ad inferos Chriſtus, ipſos incredulitatis pœnam a tam longâ ætate luentes reperit, unâque cum priſcis Patriarchis e tenebricoſo carcere eduxit. Hæc hujus loci interpretatio maximè proclivis eſt & probabilis.

℣. 20. QUI INCREDULI FUERANT ALIQUANDO, QUANDO EXPECTABANT DEI PATIENTIAM IN DIEBUS NOA (m). Quæ fuerit humani generis corruptio Noëmi ætate, quæque hominum flagitia, ſatis compertum eſt. Meruere illorum ſcelera, ut homines univerſos Deus exitio obvnlveret, præter homines octo, Noëmi familiam componentes. Anno centeſimo ac viceſimo ante Diluvium (n) præcepit Noëmo Deus, ſtrueret navim, cujus menſuras ipſe præbuit, illumque monuit ſe decreviſſe, univerſum impiorum genus Diluvii aquis abolere. Divino Spiritu afflatus Noë prædicare non deſtitit ea quæ ex Deo didicerat. Ipſa Arcæ conſtructio aliud erat prædicationis genus, quo homines multò acriùs quàm verborum ſono permoveri debebant: homines tamen minimè perculſi ſunt, temerè ſibi blandientes, mutatum iri Dei propoſitum, ejusque miſericordiam & patientiam frænos juſtitiæ injecturam. Hiſce igitur incredulis prædicavit non per ſe ipſe conſpicuus, ſed per ſpiritum ſuum, quo Noëmus inſtruebatur.

OCTO ANIMÆ, homines (o); Noë, uxor Noëmi, ac tres cum uxoribus filii. Non colligimus e Scripturis, ullum tunc ex hominibus gigantibusque ad bonam frugem rediiſſe; neque deſunt Theologi præſtantiſſimi, qui univerſos æterna damnatione obvolutos aſſerant. At S. Hieronymus (p), Rupertus Abbas, aliique recentiores (r) eximunt aliquos, puta Lamechum Noëmi patrem,

(e) *Vide Auguſtin. Ep. 99, ſeu 164, nov. Edit. cap. 4, 5, 6, 7.*

(f) *Zach.* IX, 11. (g) *Eccli.* XXIV, 45. (h) *Hieronym. quæſt. Hebr. Eſt. Tirin. Menoc. Cornel.*

(i) Τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι. (k) *Epheſ.* II, 17. (l) Du Pin, Differt. x ſur l'Apocalypſe, art. 8.

(m) Auguſtinus, Hieronymus, Idacius, Beda, Dionyſius Carthuſianus legunt: *Expectabat Dei patientia.* Id congruit cum Græco: Ὅτε ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία ἐν ἡμέραις Νῶε. *Alii*: Ὅτε ἅπαξ ἐδέχετο. *Alii*: Ἀπεξεδέχετο, *ſemel expectabat (Noë,) vel, expectabatur (ab incredulis) Dei patientia.* Vocabulum *ſemel* ignoraſſe videntur Latini veteres, locum hunc recitantes, inquit Eſtius. *Semel* ſonat certiſſimam immutabilitatem Divini decreti, quo univerſi homines morte damnabantur, præter Noëmum ejusque familiam.

(n) *Geneſ.* VI, 3. (o) *Geneſ.* VII, 1, 7. (p) *Hieronym. Quæſt. Hebr. in Geneſ.*

(q) *Rupert. in Geneſ.* VI. (r) *Cornel. a Lapide hic, & in Geneſ.* VI, 3. *Eſt. Men. Tir. hic.*

℣. 21. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti,

℣. 22. Qui eſt in dexterâ Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cœlum, ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus.

COMMENTARIUS.

qui ſexto ante diluvium, & Mathuſalam, qui eodem ipſo Diluvii anno functi ſunt vitâ, multosque alios; atque his putant prædicaſſe Chriſtum apud inferos, impletumque libertatis ipſorum tempus nunciaſſe. Confer ea quæ de rebus ætate Noëmi geſtis & de Diluvio tradidit Chriſtus (s), quæ certè ſententiæ iſtorum ſalutem afferenti non favent.

Salvæ factæ sunt per aquam, inter aquas, ſive beneficio aquarum (t). Poſtrema hæc explicatio congruit optimè cum conſequentibus. Quemadmodum ex communi omnium exitio Noëmus ejusque familia exempti ſunt per aquas, ſive beneficio aquarum, quibus vehebatur arca; ita quicumque loti ſunt Baptiſmo, per Diluvium ſignificato, quippe quo mundus flagitiis impiorum abluitur, ex communi exitio & damnatione eluuntur.

℣. 21. Vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma. Diluvium, quà fuit Divini furoris inſtrumentum, mundo flagitiis obruto, & incredulis hominibus exitium afferens, eſſe nequit figura Baptiſmi; poteſt verò quà ſpectat ad Noëmum ejusque filios, quos e communi omnium hominum calamitate ſubducit. Juſtinus Martyr hæc verba tamquam ex Iſaia recitat (u): *In Diluvio Noë ſervavi te*, ait ad Jeroſolymam Deus; non quòd urbem Jeroſolymam, quæ diù poſtea ſtetit, ex Diluvio Noachico ſervaverit Deus: ſed eâ re ſignificavit myſterium Baptiſmi, ſalutem afferentis omnibus qui eo tinguntur, & Noachico Diluvio quaſi figurâ indicati.

Non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio apud Deum; non baptiſmus Judæorum, quo rituales ſordes abluuntur, ſed is, qui faciens, ut conſcientia labis neſcia apud Deum ſit, ſalutem vobis per Chriſti Reſurrectionem parit. Ad verbum (x): *ſed is qui interrogatione bonæ conſcientiæ in Deum*, nos purgat, juſtos facit, ſalute donat, *per Reſurrectionem Jeſu Chriſti*. Loci hujus difficultas in explicanda *bona conſcientia interrogatione* verſatur. Nonnulli interpretantur (y) teſtimonium, quod exhibet conſcientia piis hominibus, nullius criminis conſcii, credentibusque, ſeſe per Baptiſmum ablutos eſſe peccatis. Cenſent alii (z), alludere Petrum ad ea quæ rogantur ſuſcepturi Baptiſmum, velint ne Diabolum ejusque pompas execrari, Fidemque Jeſu Chriſti & Religionem amplecti; qui ſi *bonâ conſcientiâ*, ſincerè, ex animo responderint ſeſe execrari, atque hac animi præparatione Baptiſmum ſuſceperint, certa illis eſt a Deo peccatorum venia, & gratia juſtificationis per Chriſti merita, quæ ſignificatur Baptiſmo, uti ſæpè animadvertit Paulus (a).

Uſurpant alii (b) pro ſolemni ſponſione, qua in Baptiſmo promittimus Deo, nos illi credituros, ſervaturos fidem, præceptis obtemperaturos. Hæc ſententia cum ſuperiore fermè convenit. *Interrogatio* interdum ſonat ſponſionem (c) hominis interrogati, an alicui rei aſſentiatur. Promiſſiones in Baptiſmo exhibitas non rarò memorant Patres (d). Hæc explicatio videtur omnium, quæ in hunc locum afferuntur, optima: Arca Noëmia in aquis Diluvii fluctuans, quæ Noëmum & familiam ſervavit, figura Baptiſmi fuit, quo per aquam abluimur, non deterſis carnis noſtræ ſordibus, ſed purgato animo per ſponſiones a nobis exhibitas Deo, & per Reſurrectionis Jeſu Chriſti merita.

In Libris Novi Teſtamenti nonnunquam *interrogare* eſt orare, poſtulare (e): quamobrem reddi poteſt hic locus: Servamur Baptiſmo, non ablutis carnis noſtræ ſordibus, ſed datâ fiduciâ orandi Deum cum bonâ conſcientiâ, per merita Reſurrectionis Chriſti. Probant hanc explicationem Interpretes quidam (f), ac tuetur Syrus: at vereor, ne cum Petri propoſito non ſatis congruat.

℣. 22. Deglutiens (deſtruens) mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur. Hæc in Græco deſiderantur: at leguntur in Latinis Exemplaribus, Fulgentio (g), Bedâ (h): iisque ſpectantur illa Iſaiæ verba (i), a Paulo recitata (k): *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* Hebræus: *Deglutiet mortem in ſempiternum, & auferet lacrymam ab omni facie.* Legit Paulus: *Abſorpta eſt mors in victoriâ.*

Profectus in coelum, subjectis sibi Angelis, &c. Poſt Reſurrectionem aſcendit in Cœlum Chriſtus, ad Patris dexteram ſedit, cœleſtium omnium Spirituum obſequia excepit, a quibus agnitus eſt & adoratus tamquam Homo-Deus, quem illi tamquam Deum colere, poſtquam conditi ſunt, nunquam deſtitere. *Super omnium cœleſtium creaturarum dignitatem humani generis natura conſcendit, ſupergreſſura Angelicos ordines . . . . ut illius gloria ſociaretur in throno, cujus natura copulabatur in Filio*, inquit Leo Magnus (l).

CA-

(s) *Matth.* xxiv, 37; *Luc.* xvii, 26, 27. (t) *Vide Eſt. hic.*
(u) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* Ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ λέλεκται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πρὸς Ἱερουσαλὴμ, ὅτι ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ Νῶε ἔσωσά σε, *Addit Juſtin.* Τοῦτο δὲ ἐστιν ὃ λέγει ὁ Θεὸς, ὅτι τὸ μυστήριον τῶν σωζομένων ἀνθρώπων ἐπὶ κατακλυσμοῦ γέγονεν. Hic locus in Isaia nunc non legitur.
(x) Οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. (y) *Vide Eraſm. Eſt. Men. &c.* (z) *Auguſt. Tract.* 8 *in Joan. Beda hic; Ambroſ. de his qui Myſter. initiantur, cap.* 3, 4. *Eſt. Vide Grot.* (a) *Coloſſ.* ii, 12; *Rom.* vi, 4; *Epheſ.* ii, 5, 6.
(b) *Vide Cornel. hic, & Vicecomit. lib.* 2 *de Ritib. Baptiſmi, cap.* 27. *Vide & Baſil. lib. de Spiritu Sancto, cap.* 25. *Grot. Knatchbull. hic.*
(c) Ἐπερώτησις, ὁμολογία, συνθήκη ῥημάτων, δι' ὧν ἀποκρίνεταί τις πρὸς τὴν ἐπερώτησιν ποιεῖν τι ἢ διδόναι. *Gloſſ. veteris juris a Carolo Labb. edita. Vide Grot. Zeger.*
(d) *Auguſt. lib.* 4 *de Symbolo ad Catec. cap.* 1; *Greg. Nazianz. orat.* 40; *Ambroſ. de his qui Myſt. initiant. cap.* 2. (e) *Matth.* xvi, 1; *Marc.* 12, 21; *Rom.* x, 20, *&c.*
(f) *Vide Bez. & Gomar.* (g) *Fulgent. lib. de Fide ad Petr. cap.* 2. (h) *Bed. in hunc loc.*
(i) *Isai.* xxv, 8. (k) 1 *Cor.* xv, 54. (l) *S. Leo Magn. Serm.* 2 *de Aſcenſ.*

CAPUT IV.

Elapſa vitæ habitudines deſere: Vacate precibus: charitatem exerceto: Eccleſiæ inſervito: referto in Deum omnia: inter mala gaudeto.

℣. 1. CHriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis.

℣. 2. Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat, temporis.

℣. 3. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

℣. 4. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.

℣. 5. Qui reddent rationem ei, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CHRISTO IGITUR PASSO IN CARNE, ET VOS EADEM COGITATIONE ARMAMINI. Pergit Petrus hortari Fideles ex Judæia, ut hoſtium odia & injurias patienter ferant. Cùm Chriſtus Jeſus, Dominus & Princeps veſter, in carne perpeſſus eſt, & dum in terris vixit, conſtantiâ & patientiâ inſtructi, ejus exemplo, omnia quæ ipſe vobis evenire permiſerit, ferte. Iſtud animo volvite, quod *qui paſſus eſt in carne*, qui mortuus eſt carni, *deſiit a peccatis (a)*. Si participes eſtis perpeſſionum Chriſti, ſi ſpiritu mortui eſtis cum illo & ſurrexiſtis, opus eſt, peccatum in vobis jam non dominetur. Simillima eſt ſententia illi Paulinæ (b): *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt a peccato*. Qui cum Chriſto mortuus eſt, perpeſſionum ipſius imitatione, mortuus quoque eſt peccato, ejusque ſervitute liberatus: & quemadmodum Chriſtus ſemel mortem obiit, ut peccatum deſtrueret, reſurrexit autem ad gloriam, nunquam in poſterum moriturus; ita *& vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo*. Quid enim eſt vita iſthæc nova, tota protſus in Deo? Nimirum uti corpore in Dei obſequium, illudque a peccato pravisque cupiditatibus removere: juſtitiæ regnum in toto homine conſtituere, & peccati regnum pro viribus evertere. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*, &c. Ita diſputat Paulus, cujus verba commentarii loco ſunt huic Petri ſententiæ. Confer & *Galat.* v, 24, *Coloſſ.* III, 3, 5: II, 13, 20.

℣. 2. UT JAM NON DESIDERIIS HOMINUM, SED VOLUNTATI DEI VIVAT. Explicat Petrus, quid ſit mori peccato: repugnare ſcilicet concupiſcentiæ, cupiditatibus carnis, omnibus quæ caro & ſanguis ſuaſerint; impulſum Spiritûs Dei, ejusque amorem & voluntatem ſequi; novum omnino vitæ genus inſtituere, veterem hominem in dies magis exuere, cruci adhæreſcere, indui Chriſto, humilem, obſcuram, ærumnoſam illius vitam imitari.

℣. 3. SUFFICIT PRÆTERITUM TEMPUS. Satis eſto, quòd toto vitæ elapſæ tempore, antequam nomina Chriſto daretis, ſecuti eſtis cupiditates, quibus Gentiles ſerviunt. Ne umquam retro convertamini, ne vetera flagitia rurſus amplectamini, ſecuti, non Dei ſanctiones, ſed exempla Gentilium, inter quos vitam agitis. Græcus fert (c): *Sat eſt nobis, quòd anteacto vitæ tempore voluntatem gentium patravimus*. Complures tamen optimæ notæ libri non habent *nobis*, & ſiquid addi placuerit, aptius eſt τὸ *vobis*. Alloquebatur Petrus Judæos, qui inter gentes in provinciis verſabantur, earum gentium flagitia & ſuperſtitiones interdum imitati. *Illicitis idolorum cultibus (d)*; ſive illi clam profanos Deos coluerint, ſive illarum feſta & convivia frequentarint (e); ſive *idolorum cultus* hic ſignificet flagitia, quæ in Gentilium cœtibus patrabantur (f); ſive denique innuat cultum Angelorum (g), cui addictiſſimi erant Judæi, teſte Paulo (h).

℣. 4. IN QUO ADMIRANTUR (i) NON CONCURRENTIBUS VOBIS. Mirantur illi, quòd ipſi ad illorum ſpectacula, conventus, feſta, convivia jam non concurratis, quòd eorum flagitiis impiisque ſordibus abſtineatis: hinc illorum maledicta in vos & convicia: *Blaſphemantes*.

℣. 5. QUI REDDENT RATIONEM EI, QUI PARATUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Illorum contumelias, convicia, minas ne vereamini. Eſt & illis Judex, Chriſtus Jeſus, pro meritis redditurus. Adeſt, ut ita dicam, in foribus: ſu-

(a) Ὅτι ὁ παθὼν ἐν σαρκί, πέπαυται ἁμαρτίας. *Quidam legunt*, ἁμαρτίαις, *peccatis*. *Vulg. Vet. Ital. Barb. 1 Æth. Syr.* (b) *Rom.* VI, 7.

(c) Ἀρκετὸς γὰρ ἡμῖν ὁ παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου, τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι. *Plures omittunt*, ἡμῖν. *Ita Alex. Syr. Clem. Alex. Auguſt. Alii plures. Alii legunt*, κατεργάσθαι, *pro* κατεργάσασθαι. *Ita Alex. Syr. Æth. Clem. Alex. Aug. alii.* (d) Ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις.

(e) *Eſt. Grot. Vide 1 Cor.* X, v, 14. *2 Cor.* VI, 16, *&c.* (f) *Hamm. ad 2 Cor.* X.

(g) *Rain. de lib. Apocryph. Prælect.* 238. (h) *Coloſſ.* II, 18.

(i) Ἐν ᾧ ξενίζονται. *Oecumen.* Ξενίζονται, ἀντὶ τοῦ θαυμάζουσι αὐτοί. *Ita Syr. Grot. Eſt. Valab. Eraſm. Alii.*

℣. 6. Propter hoc enim & mortuis Evangelizatum eſt: ut judicentur quidem ſecundùm homines in carne, vivant autem ſecundùm Deum in Spiritu.

℣. 7. Omnium autem finis appropinquavit. Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus.

COMMENTARIUS.

premam illorum horam expectat, ut ipſorum flagitia & licentiam puniat. In Scripturis Novi Teſtamenti Judicium Filio Dei reſervatum eſt (k).

℣. 6. Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est; nunciatum eſt mortuis Evangelium, vel nunciatus eſt Chriſtus. Nemo non videt, verbis hiſce ſpectari locum e Capite ſuperiori, ℣. 19, & 20, ubi dicitur prædicaſſe Chriſtus ſpiritibus in carcere detentis, qui temporibus Noë increduli fuerant. Ut quiſque interpretatus eſt ſuperiorem locum, ita eamdem hic explicationem ſequitur. Ut omnem excuſationis ſpem hominibus præcideret, tum iis qui ante ipſius adventum, tum iis qui poſt illum vixere, voluit Chriſtus, ut ſuum ipſius adventum & dogmata Evangelii ſinguli intelligerent. Poſt reſurrectionem ipſe prædicavit mortuis, miſitque in omnes terrarum plagas Apoſtolos, qui omnibus latè gentibus Meſſiæ adventum ſignificarent, *ut judicentur quidem* (puniantur) *ſecundùm homines in carne, vivant autem ſecundùm Deum in ſpiritu;* ſcilicet, quamquam opinione hominum affecti fuerint pœnâ, & æternis ſuppliciis addicti cenſeantur, iis tamen aſſequendæ ſalutis modum præbere illis voluit Deus, niſi reſpuerint; ita complures ex iis, qui damnati in totam æternitatem exiſtimantur, ſpiritu tamen coram Deo vivant. Probavere hanc interpretationem Veteres nonnulli; quæ quidem maximè ſimplex & proclivis videretur, niſi Divinâ Fide ſanctum eſſet, damnationis æternæ ſententiam revocari non poſſe, hominemque ſemel Inferis addictum, nunquam inde egreſſurum.

Oecumenius ita interpretatur: Chriſtus ad inferos delapſus, mortuos quos ibi nactus eſt, damnavit; eos nimirum, qui vitam in quolibet flagitiorum genere egerunt; at ſervavit, eduxitque captivitate illos, qui vitam ex ſpiritu inſtituerunt, ſuæque virtutis & patientiæ coronam promeriti ſunt. Placuit hæc explicatio nonnullis recentioribus (l), nihilque niſi Orthodoxum habet. Hæc verba, *Ut judicentur quidem ſecundùm homines in carne, vivant autem ſecundùm Deum in ſpiritu*, ita accipit Knatebullus, quaſi diceret: Mortuis prædicavit, ut ii, qui ex legibus carnis & hominum cupiditatibus, *ſecundùm homines in carne*, vixere, damnarentur; ſalute verò & gloriâ donarentur ii, qui ex Deo & ſpiritu, *ſecundùm Deum in ſpiritu*, vixiſſent. Putat autem ſimilem eſſe hanc ſententiam illi Paulinæ (m): *Qui ſecundùm carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui verò ſecundùm ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritûs ſentiunt.*

Alii (n) totam hanc ſententiam ita ſumunt: Illud effecit Deus, ut Evangelium non Judæis modò, ad fœdus Abrahami pertinentibus, verùm etiam Gentilibus, loco mortuorum habitis, errore & ignorantiâ merſis, nunciaretur. Sive; Voluit Deus ut Evangelium audirent ii, qui ipſius causâ mortem obierunt, puta Stephanus, Jacobus, aliique permulti, qui vitam ob Chriſtum jam tum prodegerant, cùm Petrus iſta ſcriberet, ut hominum exiſtimatione paſſi ſupplicium in carne, vitâ ſpiritus apud Deum gaudeant; fruantur jam nunc beatitudine, glorioſam reſurrectionem præſtolantes (o).

Sunt (p) quibus ita placet interpretari: Prædicatus eſt Meſſias, nunciatumque Evangelium hominibus qui ante Chriſtum fuere, ut apud homines affecti carnis ſupplicio, vivant apud Deum ſpiritu. At quo pacto nunciatus eſt hominibus ante Chriſti adventum Meſſias, prædicatumque Evangelium? Judæis quidem per prophetas; cæteris per Judæos & naturæ cognitionem, qua officium ſuum docentur homines, ſi animo cupiditatibus vacuo audierint: quamobrem nulla eſt impiis excuſatio, niſi coluere Deum, nec debitum honorem ei exhibuerunt (q). Qui verò cognitiones vel divinitus traditas vel rectâ ratione inſinuatas ſequuti ſunt, cum gratiæ auxilio & Divini Spiritûs illuſtratione, tametſi hominum opinione mortui ac penitus ſublati videantur, vivunt tamen, & aliquando reſurgent, ſummoque Judici ſe ſiſtent, fidei laborumque præmium relaturi.

℣. 7. Omnium autem rerum finis appropinquavit. Ita loquuti ſunt Petrus & Paulus (r), quaſi mundi exitus immineret. Ita nimirum exiſtimabant, ait Grotius (s), idque Divinæ inſpirationi, qua illi agebantur, non repugnare arbitratur. Docent alii (t), agere hic Petrum de Jeroſolymorum excidio, totiuſque gentis Judaicæ diſperſione. Ne frangamini, fratres, inſectationibus, quibus exagitamini. Mox judicium in hoſtes veſtros exercebit Deus, ſuamque ultionem a domo ſuâ eſt inchoaturus. Synedrium Jeroſolymitanum, Sacerdotes, gentis Principes omnium odia, tum Ethnicos & Judæos in caput veſtrum concitant: vos tamen iſtorum injuriis quamprimùm eximemini. Spernenda non eſt explicatio. Jeroſolymorum Templique excidium, tamquam dies iræ & Judicii Domini, a Novi Teſtamenti Scriptoribus ipſoque Chriſto non rarò deſcribuntur.

Uſurpant alii (u) de extin vaticiniorum, quæ omnia in Chriſtum & Eccleſiæ inſtitutionem deſinunt; ſive de noſtrâ ſingulorum morte (x), quæ ſingulis eſt dies Judicii, beatam miſeramve ſingulis æternitatem allatura. Ita in mundo verſamini, quaſi hinc diſceſſeritis: tranſeunt omnia, non longè abeſt ſingulorum exitus: diù non ſtabit mundus ſi cum tempore jam elapſo conferatur. *Noviſſima hora eſt*, inquit Joannes Apoſtolus (y). Tempus Meſſiæ in terras lapſi non rarò Prophetæ ſupremorum dierum nomine ſignificavere. Scribit Paulus (z), nos in ſæculorum fine ver-

(k) *Joan.* v, 22, 27: *Neque enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio. Act.* x, 42; xvii, 31, &c. (l) *Vide Eſt. Men. Tir. Knatchbul. Alios.* (m) *Rom.* viii, 5.
(n) *Auguſt. Ep. olim* 90, *cap.* 4. 5, 6. 7, *nunc* 164. *Vide Vat. Hugon. Vorſt. Gemar. Alios.*
(o) *Grot. Le Clerc.* (p) *Bez. Vide & Fromond. hic.* (q) *Rom.* I, 21.
(r) 1 *Cor.* xv, 53; & 1 *Theſſal.* iv, 17. (s) *Vide Grot. hic, & ad* 1 *Theſſal.* iv.
(t) *Hamm. Ligfoot. Joſeph. Med. pag.* 819. *Alii.* (u) *Oecumen. Eſt.*
(x) *Eſt. Cornel. Alii.* (y) 1 *Joan.* ii, 18. (z) 1 *Cor.* x, 11.

Digitized by Google

℣. 8. Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum.

℣. 9. Hoſpitales invicem ſine murmuratione.

℣. 10. Unuſquisque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.

℣. 11. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum: cui eſt gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

verſari: *Ad quos fines ſæculorum devenerunt.*

Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Reddi poteſt Græcus (a): *Igitur ſobrii eſtote, & vigilate in orationibus*: vigiles, attenti, temperantes. Remota ad orationem præparatio ſunt jejunium, ſobrietas, temperantia: proxima verò, vigilantia, attentio, reverentia. Dum Judicium, mortem, Domini adventum exſpectamus, imitemur oportet bonos ſervos, de quibus Evangelium (b), vigiles illos paratosque fores recludere, ubi veniens dominus eas ſerierit.

℣. 8 Ante omnia, mutuam in vobiſmetipſis charitatem habentes continuam. Græcus (c): *In primis autem erga vos invicem charitatem continuam*, conſtantem, vehementem, fortem, *habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Noſtrorum ſcelerum veniam nobis comparat; multa devitat; fratrum vitia non videt, dimittit, excuſat, piè tegit, non evulgat, non exaggerat. Pacem colit, lites ſedat, ſimultates opprimit. Eadem fermè eſt Jacobi ſententia (d): *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus*, vel ſuam, *a morte, & operiet multitudinem peccatorum*; ſcelerum ſuorum veniam ipſe promerebitur, efficietque ut minùs peccet frater, cùm illum ab errore flagitioque revocaverit. Alludit hîc Petrus ad illud (e): *odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit charitas*: excuſat, dimittit, ac pio vitibus tegit.

Patres nonnulli (f) de charitate erga Deum & proximum interpretantur. Perfecta charitas, quâ Deum ſuper omnia, & proximum tamquam nos ipſos amamus, nos Deo & hominibus charos efficit, peccata noſtra operit, eorumque veniam impetrat. Verior videtur de proximi charitate interpretatio.

℣. 9. Hospitales invicem sine murmuratione. Hoſpitalitatem erga fratres, inopes, omnes denique pro viribus exercete; neque vos pigeat multitudinis, incommodi, impenſæ, laboris. Mementote, dicturum aliquando Chriſtum (g): *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Mementote, quàm multa beneficia Deus Abrahamo & Lotho causâ hoſpitalitatis rependerit. Satis non eſt, excipere hoſpites; libenter excipiendi ſunt, & amiciſſimè; adorandus in illis eſt Chriſtus (h). *Peregrini ad hoſpitium non ſolùm* expectandi, ſed *invitandi*, quærendi, *trahendi ſunt* (i).

℣. 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, &c. Officium quisque reddat alteri, juxta donum quod accepit. Per ea tempora Spiritus Sanctus ſingulis neophytis divina munera pro libito largiebatur (k), aliis vaticinii, aliis linguarum facultatem, huic ſanitatum, illi ſpirituum diſcriminis donum. Fideles hortatur Petrus, ut hiſce donis in commodum fratrum utantur, unuſquisque ut a Deo donatus eſt. Eadem ferè monuit non ſemel Paulus (l). Iſta Spiritûs Sancti dona plerumque in proximorum commodum dantur. Abuteris, & Authoris propoſito adverſaris, ſi ea retines, atque intra te condis (m).

℣. 11. Siquis loquitur, quasi sermones Dei loqui videatur, tamquam a Deo miſſus, Propheta, Dei Spiritu afflatus actusque. Græcus ad verbum (n): *Siquis loquitur, tamquam Divina oracula*: dictis non admiſceat errores, hominumque placita: veritatem pigmentis & fuco non oneret, neque riſu aut contemptu dignam reddat, dum illam aut viliori aut quaſi à oratione prædicat. Dei verbum tractet eâ quæ decet dignitate, majeſtate, reverentiâ. Ut aſſequatur iſta, vehementer & aſſiduè oret; magisque confidat Dei auxilio, & Sancti Spiritûs fulgori, auditorum mentes illuſtraturo, quàm eloquentiæ ſuæ & eruditioni. *Ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, pietate magis orationum quàm oratorum facultate agi non dubitet*, inquit S. Auguſtinus (o).

Siquis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus (p). Siquod miniſterium quis exercet, eo ita utatur, quaſi ex virtute ſibi a Deo traditâ agat. Eccleſiaſtica generatim munera ſignificat, itemque officia, quæ pauperibus, viduis, orphanis, ægris, hoſpitibus præſtari a laicis poſſunt. Suo quisque dono donatus a Deo eſt: illud unusquisque exerceat, uti exigit ipſius vocatio, & ex majorum præſcripto: exteriora divinaque dona ita uſurpet, tamquam quæ ex Deo acceperit, & gratuito ipſius beneficio teneat; iis ne ſuperbiat aut glorietur (q), pro com-

(a) Σωφρονήσατε οὖν, καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχάς. *Vide Oecumen. hic.*
(b) *Matth.* xxiv, 42, *& ſeq.* xxv, 13. (c) Πρὸ πάντων δὲ τὴν εἰς ἑαυτοὺς ἀγάπην ἐκτενῆ ἔχοντες.
(d) *Jacobi*, v, 20. (e) *Prov.* x, 12.
(f) *Vide Tertull. in Scorpiac. Auguſt. Tract.* 1, *&* 5. *in Ep. Joan. Clem. lib.* 2 *Strom. cap.* 6; *Ambroſ. De fugâ ſæculi, cap.* 2. (g) *Matth.* xxv, 35.
(h) *S. Benedict. Reg. cap.* 53: *Chriſtus in eis (hoſpitibus) adoretur, qui & ſuſcipitur.*
(i) *Gregor. Magn. homil.* 23 *in Evangel.* (k) 1 *Cor.* xii, 11: *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* (l) *Epheſ.* iv, 11; *Rom.* xii, 4, 5, 6; 1 *Cor.* xii, 6, 7. 8.
(m) *Matth.* xxiv, 45; xxv, 14; *Luc.* xii, 42; xix, 12, *&c. Vide Greg. Magn. lib.* 28 *Moral. cap.* 25; *& Auguſt. Tract.* x *in Joan.* (n) Εἴ τις λαλεῖ, ὡς λόγια Θεοῦ.
(o) *Aug. lib.* 4 *de Doctr. Chriſt. c.* 15, *n.* 32. (p) Ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεός.
(q) *Vide Oecumen.*

℣. 12. Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat.

℣. 13. Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.

℣. 14. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit.

℣. 15. Nemo autem veſtrûm patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.

COMMENTARIUS.

comperto habens, ſeſe illorum rationem Deo redditurum. Aliter: Munere ſuo fungatur ſedulò, acriter, alacriterque, tamquam Dei Spiritu actus, ejusque gratiâ & potentiâ ſuſtentatus (r). Denique, munificus eſto, pias largitiones facito, minimè veritus ne deſint neceſſaria, memineritque, omnia ſibi ſuppeditari a Deo, qui futurum ſpopondit, ut nihil illi deſit (s), dum is Dei nomine aget, ſeque Dei diſpenſatorem exiſtimabit. *Ubi paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax* (t). Poſtrema hæc explicatio Græco Textu nititur. Fortunæ bona Hebræi non raro *roboris* nomine ſignificant.

Ut in omnibus honorificetur Deus. Quicquid agitis, ad Deum, tamquam ad finem ultimum, referatur: felicem laborum veſtrorum exitum vobis ipſi ne tribuite; bona quæ largimini, non veſtra, ſed Dei exiſtimate, ut qui viderint, mirentur, Deumque commendent, a quo indita vobis eſt bona voluntas & vis bonum inchoandi & peragendi,

℣. 12. Nolite peregrinari in fervore, &c. Ne miremini, ſi quando vos Deus igne malorum probat. *Peregrinari* Latinè eſt iter facere; at ξενίζεσθαι (u), Græcè interdum eſt mirari. Eodem ſenſu occurrit ſupra, ℣. 4, ubi redditur *admirari*; atque ita legunt hoc etiam loco Cyprianus, Hieronymus, Beda (x). Tertullianus (y): *Ne expaveſcatis*. S. Fulgentius (z): *Nolite expaveſcere*; ne percellamini tamquam re novâ & peregrinâ; ſiqua calamitas contigerit, animis ne cadite, tamquam patrio ſolo ejecti & extorres: nimirum vos ad patientiam, ad crucem, ad ærumnas vocavit Chriſtus. *Fervor*, ſeu ignis ærumnarum, vel tentationum, locutio eſt Sacris Scriptoribus familiaris, qua fit alluſio ad metalla, quæ fornace purgantur (a).

℣. 13. Communicantes passionibus Christi, gaudete. Gaudio vobis eſto, ſiquid perpetiamini ob Chriſti gloriam, veritatum ipſius defenſionem, teſtificationem Evangelii; ſi juſtitiæ causâ patimini, uti perpeſſus eſt ipſe: *ut & in revelatione gloriæ ejus*, qua die ipſius gloria manifeſta fiet, cùm in ſecundo adventu ad judicium in vivos ac mortuos exercendum ipſe venerit, voſque in vitam revocati circa illum adfueritis, *gaudeatis exultantes*.

℣. 14. Si exprobramini, ſi contumeliis & criminationibus eſtis obnoxii ob Chriſti nomen, ejus veritatis defendendæ causâ, tamquam Chriſtiani, id felicitatis loco habendum eſt, *quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit*. Verti poteſt Græcus (b): *Quoniam ejus Spiritus gloriæ, honoris, virtutis, ſuper vos requieſcit*. Dei ſpiritus eſt *Spiritus gloriæ*, cùm ducat ad gloriam, efficiatque ut gloriam & decus ex cruce ærumniſque referamus; *Spiritus virtutis*, vel roboris, quo ſuſtinemur inter calamitates, & cumulamur divinis muneribus, per quæ vaticinamur, ignotis linguis loquimur, curamus ægros; iſta enim dona vulgatiſſima erant inter ejus ætatis Chriſtianos. Quàm hilares vos eſſe decet, qui Sancti hujus Spiritûs præſentiam experimini? Quòd ſi tam certa ſalutis veſtræ pignora tenetis, an dubitandi locus eſt, an calamitates inter & ærumnas auxilium opem præbiturus ſit vobis Deus? Alludit Petrus ad illud Iſaiæ, XI, 2: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs, &c.*

Græca Exemplaria typis edita (c) in fine hujus membri ſubdunt iſta, quæ in Latinis deſiderantur: *Ab illis blaſphematur, a vobis glorificatur*. Inſidens vobis Spiritus Sanctus offenſioni eſt Infidelibus: iraſcuntur hi, dum prodigioſa dona, quibus a Deo cumulamini, intuentur: at vos, bene illis utentes in Dei gloriam, ad Divini cultûs incrementum, ad inſinuandam multis Dei notitiam & amorem, illa honoratis. Legebat iſta Cyprianus (d); at pro *Dei ſpiritu* legebat *Nomen* Dei, nomen gloriæ & virtutis, quod convitiis Judæi increduli & Gentiles, honore Fideles afficiebant. Recitatam additionem non habent Codices Græci complures vetuſtiſſimi (e), Syrus, Tertullianus (f), S. Ambroſius, Beda, & Latinæ Exemplaria.

℣. 15. Nemo vestrum patiatur ut homicida .... aut maledicus; ſive ex Græco (g): *Ut homicida, aut maleficus*; tamquam reus eorum criminum, in quæ conſtituta eſt animadverſio jure civili; ſive tamquam obvolutus eo vitiorum genere, quæ odioſum hominem apud cæteros reddunt, tametſi nulla in reos civili jure ſit pœna, veluti in maledicos, alienarum rerum ſcrutatores, malitioſos, hypocritas; quæ hominum genera nemo

(r) *Eſt. Men. Cornel.* (s) *Matth.* VI, 25, *& ſeq. Luc.* XII, 22.
(t) *Opus imperf. in Matth. homil.* 43. (u) Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ. *Vide Grot. ad* ℣. 4; *Hamm. Gerhard.* (x) *Cyprian. lib.* 4, *Ep.* 56, *Hieron. in Amos*, IV; *Beda hic: Nolite mirari*. (y) *Tertull. Scorpiac. cap.* 12. (z) *Fulgent. ad Traſimund.*
(a) *Prov.* XXVII, 21; *Jerem.* XI, 7, *Judith.* VIII, 21; *Dan.* XI, 35. *Vide & Pſalm.* XVI, 3; LXV, 10; *Iſai.* XLVIII, 10. *Grot. Oecumen. Alios bis.*
(b) Ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ᾽ ὑμᾶς ἀναπαύεται. Non habet *honoris & virtutis Dei* Græcus typis editus; ſed habent Græca Exemplaria complura. Καὶ δυνάμεως, ſcilicet *virtutis*. *Ita Alex. Barb.* 2, *Colb.* 7, *Steph.* δ, ι. ια. *Plures alii. Ita Arab. Æth. Copht. Cyprian. & Quid. Latini Codices.* (c) Κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται.
(d) *Cyprian. Ep.* 56. (e) *Non legunt Alex. Cov.* 4, *Colb.* 7, *Genev. Copht. Velez. Æth.*
(f) *Tertull. Scorpiac. cap.* 12. (g) Ὡς φονεὺς ἢ κακοποιός. *Quidam legunt*, κακοῦργος.

℣. 16. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine,

℣. 17. Quoniam tempus eſt, ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?

℣. 18. Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

COMMENTARIUS.

mo non fugit, & peſtes ſunt ſocietatis.

AUT ALIENORUM APPETITOR, invaſor. Græcus (h): *Alienarum rerum*, ad ſe minimè pertinentium, *ſcrutator* (i). At iſtud ne crimen eſt Magiſtratuum judicio, & legum civilium animadverſioni obnoxium? Quæ uſquam Reſpublica quærit curioſos homines, otioſos, alienarum rerum ſpeculatores? diſſimulantur iſti & ſpernuntur. Aliud fortaſſe hic voluit Petrus; ac reverâ Græca vox ſignificare poteſt alienorum ſcrutatorem, ut illa uſurpet (k); atque hoc ipſum innuere voluit vulgatus Interpres. Damnantur iſti Lege Divinâ, vetante non modò furium & iniquas rei parandæ artes, verùm etiam uſurpandæ rei alienæ deſiderium; & jure civili decernitur pœna non dum in fures, verùm etiam in eos, qui furtum moliuntur.

℣. 16 SI AUTEM UT CHRISTIANUS, NON ERUBESCAT. Chriſtianorum appellatio Antiochiæ primùm data eſt Fidelibus (l), circa annum Chriſti XLIII, tertium circiter aut quartum ante hanc Epiſtolam: at cùm Chriſtiana Religio quam citiſſimè totum orbem pervagata fuerit, contigit, ut hæc appellatio ubique celebris fieret. Vulgarem tunc fuiſſe, ex verbis hiſce colligimus. Mirum quòd eâ uſus non ſit Paulus in Epiſtolis. Si nihil crimini tibi datum fuerit, præter Chriſtiani nomen, beatus eris: ipſum nomen tua erit gloria, tua felicitas. Deo gratias age, quòd te dignum fecerit, qui aliquid fidei ipſius causâ patiaris: *Glorifica Dominum in iſto nomine*. Græcus (m): *In iſtâ parte*. Græci tamen Codices permulti aſſentiuntur Vulgatæ.

℣. 17. TEMPUS EST, UT INCIPIAT JUDICIUM A DOMO DEI. Alludit Petrus ad illa Dei verba apud Ezechielem (n): *Signa thau ſuper frontes virorum gementium: tranſite per civitatem, & ... interficite uſque ad internecionem omnem, ſuper quem non videritis thau, & a ſanctuario meo incipite*; initium facite a templo, ne cui parcatis. Aliter tamen Petrus, aliter Propheta intelligunt. Innuebat Ezechiel, Deum animadverſurum in eos, qui nomen Templumque ſuum violaverant, exhibito idolis cultu: ſignificat Petrus, Deum, ut periclitetur ſuos, paſſurum, ut obnoxii ſint injuriis omnibus, quas hoſtes ipſorum comminiſci potuerint, ac neminem fore hac perſecutione liberum: omnium primos vinctum iri Dei amicos, charisſimos, familiares, Sanctos.

Chriſtus (o) in Evangelio prædixerat, ante ſupremum Jeroſolymorum totiusque gentis exitium, ſervos ſuos obnoxios fore odiis, ærumnis, malis, neci, omnibus inviſos; ſiquis illos vexaret atque inſectaretur, id habitum iri ceu obſequium Deo præſtitum: ipſos proditum iri a neceſſariis, fratribus, amicis: at ſimul promiſerat, vel capillum unum ex ipſorum capite non periturum, ipſosque animam ſuam patientiâ ſervaturos. Adeſſe illhæc tempora, monet Petrus.

SI AUTEM PRIMUM A NOBIS, QUIS FINIS EORUM? Si initium a nobis, ſervis ſuis ac fidelibus, facturus eſt Deus, quid illis eveniet, Evangelio non credentibus, Gentilibus, Judæis incredulis, quorum odiis & injuriis exagitamini? Id quoque prædixerat Chriſtus, monueratque Apoſtolos, ærumnas ipſis & ipſorum amicis illatas initia fore malorum, quæ infideles infeſtique Judæi patientur: *Hæc autem initium ſunt dolorum* (p). Hortabatur Fideles ut fugerent, ubi injuriarum initium fieri conſpicerent, ne & ipſi hoſtium ſuorum exitio obruerentur. Si eâ ſeveritate Deus in familiares amicosque ſuos animadvertit, ſi hos ærumnarum igne probat & purgat, quid eventurum eſt iis, quibus ille iraſcitur, & in quos tamquam in furoris ſui victimas animadvertet?

℣. 18. ET SI JUSTUS VIX SALVABITUR (q), IMPIUS ET PECCATOR UBI PAREBUNT? Si per iſtos iræ dies vix erit Juſto effugium, quò evadent impii? Cùm animadvertere in Judæos incepit Deus, ſtatim permiſit, ut Chriſtiani diſcriminibus odiisque innumeris exagitarentur: at purgatâ demum domo ſuâ, probatâque virtute Electorum, moneri illos juſſit, ut ex urbe Jeroſolymâ locisque finitimis trans Jordanem fugerent. Ex Eccleſiæ monumentis diſcimus, illos ſeceſſiſſe Pellam, oppidum in ditione Regis Agrippæ, quem, utpote Romanorum amicum & ſocium, belli incendium non tetigit. In cæteros autem Judæos victoris populi furor debacchatus eſt, everſis Jeroſolymâ & Templo, inducto in ruinas aratro, cæſisque undecies centena millibus Judæorum. Alludit Petrus ad illud Proverbiorum (r): *Si juſtus in terrâ recipit*, affligitur, *quantò magis impius & peccator?* Verſionem LXX Interpretum ſequutus eſt Apoſtolus.

Uſurpari etiam poteſt morali ſenſu: Si vel Juſtos in terris probari calamitatibus, ac temporariis ærumnis purgari neceſſe eſt, quid non timendum eſt impiis, tranquillam ac pacatiſſimam impunè vitam agentibus? quæ alterius vitæ ſupplicia illos manent (s)? *In civitate, in qua invocatum eſt nomen meum*, quæ civitas Sancti dicitur, civitas Altiſſimi, *ego incipiam affligere*, furoris mei calicem illi propinavi: *& vos quaſi innocentes & immunes eritis*, Babylonii & Ægyptii, perverſa gens, qui me ignoratis? *Non eritis immunes*, ad fæces usque & ebrietatem bibetis (t). Si lignum viride ita vexat Deus, quid fiet arido (u)?

℣. 19. Hi

(h) Ἢ ἀλλοτριοεπίσκοπος. *Tertull. Alieni ſpeculator.*

(i) *Grot. Eraſm. Vatab. Tigur. Pagn. Mont. Alii plures.*

(k) *Heinſ.* Céne, projet de traduction, pag. 629. *Eſt. Men. Caſt. Bez. Vat.*

(l) *Act.* XI, 26. (m) Δοξαζέτω δὲ τὸν Θεὸν ἐν τῷ μέρει τούτῳ. *Alii*: Ἐν τῷ ὀνόματι τούτῳ. *Ita Steph.* δ, *Alex. Barb.* 2, *Colb.* 7, *Cov.* 4, *Genev. Copht. Syr. Oecumen. Tertull. Cyrill. Alex.*

(n) *Ezech.* IX, 5, 6. (o) *Matt.* XXIV, 9; *Luc.* XXI, 12. (p) *Matth.* XXIV, 8, *Luc.* XXI, 12, *& ſeq.*

(q) Καὶ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, *Vix ſalvatur.* (r) *Prov.* XI, 31.

(s) *Auguſt. lib.* 22 *contra Fauſt. Ambroſ. lib.* 2 *Apolog. David*, *cap.* 3; *Beda*, *hic.*

(t) *Jerem.* XXV, 28, 29. (u) *Luc.* XXIII, 31.

Digitized by Google

℣. 19. Itaque & hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.

COMMENTARIUS.

℣. 19. Hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori, &c. Juſti inſectationibus agitati, juſtitiæ Divinique nominis cauſâ, ne cadant animis, ſed vitam, animam, ſalutem, defenſionem ſuam Creatori ſuo commendent: quidquid eventurum ſit, Dei Sapientiæ & Providentiæ penitus fidant: pergant interea virtutem colere: *In benefactis*: illos omnino ſervabit Deus inter ea ipſa mala, quæ illis evenire pati tur Deus. Patet eſt, objiciens filium diſcrimini, ex quo ille gloriam eſt relaturus: at in exitii periculo non deſtitoit: modò filius monitia patris obtemperet, ſeque temerè periculo non objiciat, aut animo non deficiat.

Hæc etiam explicatio aptari poteſt Græco (x): *Qui ex Dei voluntate patiantur*, quos in pugnam & diſcrimen adducit Deus, ut victoriam illis procuret, *fideli Creatori commendent animas ſuas*. Si patitur Deus, illos hoſtium vi opprimi, & vitâ ſpoliari ob ſuam ipſius gloriam, illud vos ne terreat. *Nolite timere eos qui occidunt corpus .... timete eum, qui poteſt animam perdere* (y). Commendate animam Deo, ejusque ex juſtitiâ & miſericordiâ omnia præſtolamini. Odia in vos concitata veſtram erga inimicos charitatem ne frangant. Quicquid officii poteſtis, illis exhibete, bonumque pro malo reddite (z).

CAPUT V.

Monita ad Presbyteros, ut gregem curent: ad adoleſcentes, ut majoribus obtemperent. Humilis eſto, & ſubditus decretis Providentiæ. Fide ac temperantiâ reſiſte Diabolo.

℣. 1. Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator.

COMMENTARIUS.

℣ 2. Seniores obsecro consenior (a). *Senior* Latinè, & Græcè *Presbyteros* interdum ætatem, ſenectam, interdum dignitatem ſignificat Sacerdotia & Epiſcopi, quibus ſub Eccleſiæ Chriſtianæ exordia tribui cœpta eſt *Presbyterorum* vel *Seniorum* appellatio, exemplo Synagogæ, cujus Miniſtri principes eo nomine donabantur. Sunt (b) qui cenſeant, hoc loco Petrum alloqui ſenes, atque hortari, ut mores adoleſcentiorum curent. ℣. 5. *Adoleſcentes, ſubditi eſtote ſenioribus*, ſive Presbyteris. Iſta ſeniorum cum adoleſcentibus conjunctio favere videtur iſti ſententiæ.

Altera tamen opinio (c), quæ de Sacerdotibus & Epiſcopis explicat, omnino præferenda eſt, favente ipsâ orationis ſerie; illos enim hortatur Petrus, ut paſcant gregem ſibi a Deo creditum, ejusque regimini ſtudeant. Veriſimillimum quoque eſt, Epiſcopos potiſſimùm hac oratione ſpectari. Compertum eſt, *Presbyteri* nomine in Apoſtolicis Scriptis frequenter Epiſcopum ſignificari (d). Modeſtè ac demiſsè Petrus ſeſe unum ex iis nominat, *Conſenior*, tametſi illum Chriſtus gregis univerſi Principem conſtituerit (e). Frater quidem illorum erat, Coëpiſcopus, æqualis, ſpectato Epiſcopalis Ordinis charactere; at poteſtate, authoritate, juriſdictione multò ſuperior (f). Petri exemplo, Romani Pontifices in literis ad Epiſcopos datis illos interdum Fratres & Coëpiſcopos nuncupant, ut æqualitatem Ordinis innuant; interdum verò Filios in Chriſto, ut ſeſe & Sede & authoritate majores indicent.

Testis passionum Christi, &c. Teſtis fuerat Petrus laborum, quos Chriſtus toto Prædicationis triennio exantlavit; vidit ea quæ geſta ſunt in olivarum horto, ubi Chriſtus proditus eſt Judæis: vinctum aſpexit inter milites coram Anna & Caipha (g). Fortè etiam ſpectavit proficiſcentem ad Calvariæ montem, & in cruce ſuſpenſum, quamquam id non tradunt Evangeliſtæ. Spectaverat Chriſti Transfigurationem (h), ſpecimen illud gloriæ, qua is obvolutus aliquando erat proditurus. Iſta memorat Fidelibus, ad quos ſcribit, quo majus exhortationi ſuæ pondus adjiciat.

Alio pariter ſenſu ſeſe dicere poterat teſtem perpeſſionum & gloriæ Jeſu Chriſti, quippe qui utraque prædicaret, iisque teſtimonium exhiberet qua geſtis, qua laboribus, quibus Evangelii cauſâ ſeſe objiciebat (i). *Martyr* Græcè idem eſt ac Latinè *Teſtis*. Apoſtoli non rarò illuſtri nomine Teſtium Jeſu Chriſti donantur (k); atque illis diſertè dixit poſt reſurrectionem Chriſtus, ipſos fore ſibi teſtes Jeroſolymis, totoque orbe terrarum (l). Cùm de eligendo in Judæ locum Apoſtolo ageretur, inquit Petrus oportere *teſtem Reſurrectionis Chriſti fieri unum ex Diſcipulis* (m). *Gloriæ communicator*. Græcus (n): *Particeps gloriæ*. Sperare ſe innuit futurum aliquando, ut Chriſti gloriâ fruatur; ſive ſpectatam a ſe Jeſu Chriſti glo-

(x) Οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, ὡς πιστῷ κτίστῃ παρατιθέσθωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ. (y) *Matth.* x, 28.

(z) Ἐν ἀγαθοποιΐᾳ, ſive, ἐν ἀγαθοποιΐαις. *Eraſm. Eſt.*

(a) Πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν παρακαλῶ ὁ συμπρεσβύτερος. *Quidam*: Ὡς συμπρεσβύτερος.

(b) *Vide Cornel. Menoch.* (c) *Vide Bedam, Oecumen. Cornel. Eſt. Men. Hieronym. ep.* 85. *Alios paſſim.*

(d) *Vide Act.* xiv, 22; xv, 2; 1 *Timoth.* v, 17; *Tit.* i, 5. (e) *Joan.* xxi, 15, 16, 17.

(f) *Oecumen. Eſt. Cornel. Alii.* (g) *Vide Matth.* xxvi, 58; *Joan.* xviii, 15.

(h) *Matth.* xvii, 2; *Luc.* ix, 28; 2 *Petri*, i, 16, 17. (i) *Vide Eſt. Menoc.*

(k) *Luc.* xxiv, 48; *Act.* iii, 15; v, 32, *&c.* (l) *Act.* i, 8: *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæâ & Samariâ, & uſque ad ultimum terræ.* (m) *Act.* i, 22.

(n) Τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός. *Particeps*, ſive *ſocius gloriæ*, *&c.*

℣. 2. Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè:

℣. 3. Neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

℣. 4. Et cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam.

℣. 5. Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

COMMENTARIUS.

gloriam in Thaboris vertice.

℣. 2. PASCITE, QUI IN VOBIS EST, GREGEM DEI, vobis creditum. Non dicit *Gregem veſtrum*, ſed Gregem Dei, vel Chriſti, uti habent nonnulla Exemplaria (o); ut innuat, proprium ipſorum gregem non eſſe, ſed reddendam ipſis eſſe de eo rationem ſummo omnium Paſtori Chriſto, cujus vices ipſi gerunt: Paſtores eſſe debent, non domini, non tyranni. *Qui hoc animo paſcunt oves Chriſti, ut ſuas eſſe velint, non Chriſti, ſe convincuntur amare, non Chriſtum*, inquit S. Auguſtinus (p). *Paſce verbo, paſce exemplo, paſce ſanctarum fructu orationum*, ſubdit Bernardus (q).

PROVIDENTES NON COACTE, SED SPONTANEE. Cùm ſub prima Eccleſiæ tempora Epiſcopi munus vocatio quædam ad martyrium eſſet, nullusque illi foret apud homines fulgor, nulla dignitas, commodum nullum, perraró illud quærebatur; fugiebatur interdum; magniſque diſcriminibus ſeſe objici exiſtimabat qui illud acciperet, & Eccleſiæ alicujus curam aggrederetur. Itaque hîc monet Epiſcopos Petrus, ut munere ſuo fungantur libenter, alacriter, ſponte, liberaliter: *Neque turpis lucri gratiâ*, ſed *ſecundùm Deum*, ut Dei præceptis obtemperent, ut Chriſti charitatem imitentur, ut expleant officia, quæ exigit Deus; denique propter Deum, ac Dei gratiâ: *Secundùm Deum*. Hæc verba in Græco typis edito deſiderantur; at leguntur in libris compluribus manu exaratis (r), S. Hieronymo (s), S. Auguſtino (t), Bedâ (u), Cophticâ, Æthiopicâ, Codice Alexandrino.

℣. 3. NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS, in Domini hæreditate. Creditus vobis populus, Domini hæreditas eſt, ſelecta portio (x), Dominici Gregis Paſtores eſtis: inſpicite primùm, utrùm ab ipſo inſtituti fueritis. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum*, ait apud Jeremiam Deus (y), *& paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ*. Idcirco Paſtores non eſtis ut dominemini, ſed ut gregi veſtro ſerviatis. Non veſtra ipſorum, ſed gregis commoda quæri a vobis decet: non vos a grege paſcendi eſtis, ſed grex a vobis & paſcendus, & defendendus, & docendus: vitam ipſam illius causâ prodigere debetis, ſi opus fuerit (z): *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*.

Complures legunt (a): *Neque dominantes in Clero*; idque ita interpretantur, quaſi præcipiat Petrus, ne Epiſcopi imperium in Clericos, in Presbyteros, Diaconos, cæteroſque Miniſtros ſibi obnoxios exerceant. Vetat quidquam ex illis exigi præter quàm ea quæ Canonicis Legibus ſanciuntur; fortaſſe enim non pauci ſunt, qui cæteris imponant graviſſima onera, quæ ipſi vel ſummo digito tangere nolint.

Exemplum ovium eſſe debetis exercitatione virtutum ex animo profectâ: *Sed forma* (b) *facti gregis ex animo*. Ita ſe ipſe Paulus exemplum Philippenſibus præbuit (c): *Imitatores mei eſtote, fratres, & obſervate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*. Tum ad Timotheum Epheſi Epiſcopum ſcribens, ait (d): *Exemplum eſto Fidelium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*. Et ad Titum Cretenſium Epiſcopum (e): *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate*. S. Hieronymus (f): *Quicumque Prælatus ſit inſtar archetypi, ſive primaria forma, ex qua viva virtutum ſimulacra lineamentis vitæ honeſtæ in ſe tranſlatis exprimuntur*. Alibi (g): *Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent*: quæ docet, ipſe faciat.

℣. 4. CUM APPARUERIT PRINCEPS PASTORUM, Chriſtus, ad Judicium, vos qui vices illius geritis, quibus ipſe gregis curam credidit, *percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*, aliam planè ab iis, quibus coronantur athletæ, caducis illis fragilibuſque; incorruptam nempe & æternam. Græca vox (h) *amarantinon*, non marceſcens, ſignificare etiam poteſt coronam ex amaranto, flore nunquam marceſcente (i). Amarantinæ corollæ interdum athletis dabantur.

℣. 5. SIMILITER ADOLESCENTES SUBDITI ESTOTE SENIORIBUS, Presbyteris. *Adoleſcentum* nomine complectitur non modò minoris ætatis homines, ſed universè eos, qui Eccleſiaſticis muneribus non funguntur, & quos non decet appellatio Presbyterorum Seniorumve, de quibus membro ſuperiore. Sunt (k) qui hoc nomen de minoribus dumtaxat Eccleſiæ muneribus atque Or-

(o) Ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον τοῦ Θεοῦ. *Alii*: Χριστοῦ. *Ald. Froben. Oecumen. Cyrill. Mſſ. Quidam. Eraſm. Tig. Calvin.* reddunt: *Paſcite quantum in vobis eſt*. At hæc verſio non probatur. *Grot. Eſt. &c.* (p) *Auguſt. Tract.* 23n *in Joan.* (q) *Bernard. Ep.* 201.

(r) Κατὰ Θεόν. *Steph.* δ, ι, ιε, *Lin. &c.* (s) *Hieronym. Ep.* 2 *ad Nepotian.*

(t) *Auguſt. in Speculo.* (u) *Beda hîc.* (x) *Deut.* IV, 20; IX, 29; *Deut.* XXXII, 9; I *Petri*, II, 9.

(y) *Jerem.* III, 15. (z) *Joan.* X, 15. (a) *Septima Synod. General. can.* 4; *Hieron. Ep.* 2 *ad Nepotian. Bern. Epiſt.* 237. *Alii.* (b) Ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τοῦ ποιμνίου, *Sed forma facti gregis*. *Ita legunt plures Codd. Mſſ. Latini. Eſt. Græca non legunt, Ex animo. Sed legit Hieronym. Ep.* 2 *ad Nepotian.* (c) *Philipp.* III, 17. (d) I *Timoth.* IV, 12. (e) *Tit.* II, 7.

(f) *Hieronym. in Ep. ad Tit. cap.* 11. (g) *Hieronym. Ep.* 2 *ad Nepotian.*

(h) Στέφανον ἀμαράντινον. *Plin. lib.* 21, *cap.* 8: *Summa ejus natura in nomine eſt; appellato quoniam non marceſcat.* (i) *Philoſtrat. apud Grot. hîc.* (k) *Cajet, Salmeron, Arias, Cornel. Menoc. &c.*

℣. 6. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis:

℣. 7. Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.

℣. 8. Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret:

℣. 9. Cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.

COMMENTARIUS.

dicibus interpretentur. Verior tamen videtur prior explicatio *(l)*.

Omnes autem invicem humilitatem insinuate. Spectantur his verbis univerſi Fideles, Præſules, ſubditi, Epiſcopi ac Paſtores, Laici & oves. Græcus ad verbum *(m)*: *Subditi invicem, obvolvite vos* tamquam honorifico pallio, ac ſplendidâ veſte *(n)*, *ſenſibus demiſſionis*. Sumunt alii de vili indumento, quale ſervorum erat *(o)*. Obvolvimini humilitate, tamquam veſte, quæ vos mundo deſpectos efficiat. Græca vocabula *combos*, *romboma*, *encombosaſthai*, variis hiſce ſignificationibus uſurpata apud Græcos inveniuntur.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ex Proverbiis Salomonis *(p)*, ubi tamen Vulgata fert: *Deus deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam*. Petrus LXX Interpretes ſequitur. Eamdem ſententiam recitat Jacobus *(q)*; idemque eſt atque illud, quod ſæpe tradidit Chriſtus *(r)*: *Qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur*. Superbis reſiſtit Deus, illos deprimit, deſpectoſque frequenter apud homines reddit. Dona, quæ ipſi aut negligunt aut minimè poſtulant, iis denegat; excipit autem preces humilium, quos occupat gratiâ, quorum fidei præmium præſtat, quos gloriâ vel in terris nonnunquam cumulat, æternùm verò in cœleſti beatitudine. Græcus ſignificat *(s)*, Deum arma quodammodo ſumere in ſuperbos, tamquam gloriæ ſuæ inimicos. *Tamquam ſuæ contumeliæ propulſator, veluti quoddam ſuſcepit adversùs ſuperbiam ſpiritale certamen*, inquit S. Ambroſius *(t)*.

℣. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis, ipsâ mortis, vel Judicii, vel liberationis die, quâ Deus ſingulorum geſta ſcrutabitur; ita enim ſonat paſſim in Scripturis viſitatio *(u)*. Si ad veræ amplitudinis faſtigium pervenire cupitis, ſub omnipotentis manu animos demittite, ejus mandata reveremini, voluntati obtemperate, providentiæ legibus vos ipſi ſubjicite; fatemini, nihil vos poſſe, niſi opem ferente ipſo, ſalutem veſtram in ipſius poteſtate eſſe; iis etiam, quos vobis ipſe præfecit, vos ſubmittite. Iſta autem præſtate Dei causâ, cum humillimâ veſtri ipſorum exiſtimatione, & humilitatis veſtræ cognitione: *Humilitas virtus eſt, qua quis ex veriſſimâ ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit*, inquit Bernardus *(x)*. Græcus ſormis editus *(y)* non habet *viſitationis*, ſed tantùm *in tempore*: at illud ferunt Græca Exemplaria complura, Æthiopica, Cophtica, Latinique omnes. Deſumpta videtur hæc ſententia ex Proverbiis *(z)*: *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcepit gloria*. Eodem ſenſu ſcripſit Jacobus *(a)*: *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos*.

℣. 7. Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum. Pater vobis & Paſtor eſt Deus: quid metuetis? Qui veſtri curam geſſit, antequam eſſetis, an creatos deſerat *(b)*, dum illi placere ſtudetis, veſtraque omnia illius providentiæ committitis, atque, ut ipſe præcepit *(c)*, nullam de futuris ſollicitudinem habetis? Si tamen optatis, Deum veſtri curam gerere, vos ipſi curate, ſtudete tantâ illi fide ſervire, quantâ ipſe imperat. *Nunquam tibi deeſt: tu illi noli deeſſe, ut tibi noli deeſſe (d)*. Superfluas ſolicitudines vetat, non juſtas rectaſque *(e)*.

℣. 8. Sobrii estote, et vigilate: ſobrietatem, modeſtiam, temperantiam colite; iſta enim ſonat Græcus *(f)*; vigiles eſtote, vobiſque ipſi orationibus ſtudete: *Quia adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*. Paſtor veſter eſt Chriſtus: vos ille intra Eccleſiæ ſepta collegit: dum mandatis Chriſti obtemperaveritis, ejus verbo & carne paſti, & vigilantiam, quam præcipit ipſe, ſervantes, *adverſarius veſter diabolus*, calumniator ille criminationes adversùm vos apud Deum ſtruens *(g)*, leo ille rugiens, nocere aut aggredi non poterit, niſi velitis ipſi, voſque illi tradatis *(h)*: *Diabolus ſi aliquid ſuggerit, conſentientem tenet, non cogit invitum*. Sin vos a concordiâ diſcedatis, ſi deſeratis Paſtorem, ſi carnis cupiditates, intemperantiam, oſcitantiam ſectemini, quamprimùm in diaboli poteſtatem devenietis.

℣. 9. Cui resistite fortes in fide. His armis vincuntur mundus ac diabolus, fide: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra (i)*. Scien-
tam

(l) *Beda, Eſt. Heſſel. Grot. Cajet. Carthuſ. alii.*

(m) Πάντες δὲ ἀλλήλοις ὑποτασσόμενοι τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε. *Quidam omittunt* ὑποτασσόμενοι. *Ita Alex. Cov. 4, Barb. 1, Genev. Syr. Antiochus homil. 109; & pro* ἐγκομβώσασθε, *Complut. legit*, ἐγκομπώσασθε. *Alex.* ἐγκομβώσατε. *Oecumen. Theophyl.* ἀναλάβετε, περιβάλεσθε.

(n) *Vide Suid. in* Κομβ. μωτη. *Gataker. Cinn. lib. 5, cap. 9.*

(o) *Vide Grot. Hamm. Ex Pollac. Onomaſt. lib. 4, cap. 18.* (p) *Prov. III, 34.* (q) *Jacob. IV, 6.*

(r) *Matth. XXIII, 12; Luc. XIV, 11; XVIII, 14.* (s) Ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται.

(t) *Ambroſ. in Pſal. CXVIII, octonar. 7.* (u) *Sap. II, 20; III, 7, 9, 13; IV, 15; XIV, 11; XIX, 14; Eccli. XVI, 19, XVIII, 20, XXIII, 31; XXXVII, 18.* (x) *Bernard. de Gradib. humilitatis.*

(y) Ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ. *Alii:* Ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς. *Steph. δ, ια, Alex. Cov. 2, Petit. 2, Lin. Colb. 7, Cophi. Æth. Colon. & Hieronym. in Iſai. XLVI.* (z) *Prov. XXIX, 23.* (a) *Jacobi IV, 10.*

(b) *Auguſt. in Pſal. XXXIX, 18: Dominus qui habuit curam tui antequam eſſes, quomodo non habebit curam, cùm jam hoc es, quod voluit ut eſſes? jam enim fidelis es, &c.*

(c) *Matth. VI, 25, 26, & ſeq.* (d) *Auguſt. loc. citato.* (e) *Vide Hieronym. & alios in Matth. VI, 25.*

(f) Νήψατε, γρηγορήσατε. (g) *Job. I; Apoc. XII, 10; Joan. VIII, 4, 44.* (h) *Aug. ſerm. 30, cap. 15.*

(i) *1 Joan. V, 4.*

℣. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.

℣. 11. Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. 12. Per Sylvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi: obſecrans & conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis.

℣. 13. Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta, & Marcus filius meus.

COMMENTARIUS.

tum fidei eſt, *quo poſſumus omnia tela nequiſſimi* (hoſtium inviſibilium) *ignea extinguere (k)*. Oſtendit Fides & quæ ſperes bona, & mala quæ vites, & quo pacto hoſtibus reſiſtas: ipſa inſpirat de Divinâ ope fiduciam, ſpiritum precum, ſedulitatem, ac ſalubrem de ſalutis noſtræ hoſtibus metum.

SCIENTES, EAMDEM PASSIONEM, &c. Illud pro comperto habentes, fratres veſtros toto orbe diſperſos, iiſdem, quibus vos, malis exagitari. Quamobrem unum cum illis agmen, ut ita dicam, componitis, quo agmine communis adverſarius pellitur. Animis igitur ne cadite, tamquam ſoli ſitis in certamine: dux præit Chriſtus, fratres toto orbe diſperſi unâ pugnant: an æquum eſt, te eſſe otioſum, dum univerſa Chriſti Eccleſia, in univerſis mundi plagis diffuſa, cum mundo, carne, diabolo, erroribus, flagitiis, perſecutionibus certat? Græcus fert *(l)*: *Illas perpeſſiones in fratribus veſtris, qui in mundo ſunt, conſummari*; quaſi dicat, ſive eas brevì deſituras, ſive a Deo conſtitutas eſſe ac decretas, atque in mundo impleri; ſeu denique Fideles ſingulos in ſe ipſis quodammodo implere ea quæ deſunt perpeſſionum Chriſti, utì loquitur Paulus *(m)*; ſcilicet, opus eſſe, ut Fideles imitentur id quod pertulit Chriſtus, dum illius & causâ & exemplo perpetiuntur.

℣. 10. DEUS AUTEM OMNIS GRATIÆ, bonorum omnium author, ea quo omne donum perfectum *(n)*, & gratia quælibet præſtantiſſima *(o)*. Clementiſſimus Deus & miſericordiæ plenus, a quo vocati eſtis ad Fidem, & Spiritu Sancto cumulati, *modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque*. Illud in vobis perficiat, quod ipſius gratiâ inchoatum eſt; regat inter ærumnas, adſit inter diſcrimina, in bono & gratiâ confirmet, donum perſeverandi largiatur; ut gloriam & coronam, iis dumtaxat qui ad finem uſque certaverint debitam, aſſequamini *(p)*: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*.

℣. 12. PER SYLVANUM ..... UT ARBITROR, BREVITER SCRIPSI; ideſt, brevibus, ut arbitror, ſcripſi per Sylvanum. Sunt *(q)* qui τὸ *ut arbitror*, referant ad Sylvanum, qui, ut arbitror, fidelis eſt frater: viſus eſt rerum veſtrarum ſtudioſiſſimus & fidiſſimus: quamobrem huic literas dedi. Putat Grotius, aliam hîc innui Epiſtolam, quam Petrus antea ſcripſerit, & per Sylvanum miſerit. Arbitror, memini, me aliàs paucia ad vos ſcribere per Sylvanum. Prior tamen explicatio paſſim probatur. Altera prior Epiſtola, de qua Grotius, prorſus ignoratur; cùmque ſcribat, Sylvanum ſibi videri fidelem, de ejus fide dubitaſſe videtur. Sylvanus idem eſt ac *Silas*, de quo in Actis *(r)*, & in Pauli Epiſtulis *(s)*.

CONTESTANS, HANC ESSE VERAM GRATIAM DEI, IN QUA STATIS, germanam eſſe Religionem *(t)*, veram ſalutis viam, quam ipſi docuimus, vos amplexi eſtis, & adhuc tenetis *(u)*, quamquam vexati perſecutionibus, quas Dei beneficia eſſe, ac pericula, quibus vos Deus in ſui amore confirmat, ducitque ad æternam beatitudinem, jure optimo exiſtimatis.

℣. 13. SALUTAT VOS ECCLESIA, QUÆ EST IN BABYLONE COELECTA. Babylonis nomine, unâ cum Priſcis omnibus *(x)* ac Recentioribus, Romanæ Eccleſiæ aſſeclis, urbem Romam intelligimus. Nemo ante Calvinum de Petri adventu, primâque Romanæ in cæteras Eccleſias dignitate dubitavit. Id nos peculiari Diſſertatione demonſtravimus. Grotius: *Veteres (quibus aſſentior) Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe nemo Chriſtianus dubitavit*. Joannes *(y)* in Apocalypſi Romam Babylonis appellatione ſignificat.

Ait Petrus, Eccleſiam Babylonis electam pariter eſſe, ut ipſi erant: *Coëlecta*, non *collecta*, utì ferunt nonnulla Exemplaria *(z)*. Græcus *(a)* non legit *Eccleſia*; at legunt cum Vulgatâ Syrus, Arabs, Æthiops, Oecumenius. Romani Fideles, æquè ac vos a Deo ſelecti *(b)* vocatique ad Fidem ex Gentilibus, ſive ex Judæis reliquis in pervicaciâ manentibus, ſalutem vobis impertiuntur, vobiſque fortunas omnes peroptant.

Millius non admittit hîc τὸ *Eccleſia*, Græcamque vocem *Syneclecte* uſurpat, quaſi adjunctum Matronæ Chriſtianæ, quemadmodum *Electam* illam apud Joannem Apoſtolum *(c)*; ſive etiam cenſet eſſe uxorem Petri, quam ipſe in itinere duceret, ut innuit Paulus *(d)*, quæque in Pontum, Galatiam, cæteraſque Provincias Petri prædicatione inſtitutas profecta, nota iis Fidelibus eſſet. Itaque ex Millii ſententiâ vertendum eſt: Uxor mea, mecum Babylone verſans, a Deo electa, non ſecus atque ego, ſalutem vobis impertitur, unâque Marcus. At nimis quæſita eſt hæc opinio,

(k) *Epheſ.* VI, 16. (l) Τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων τῇ ἐν κόσμῳ ὑμῶν ἀδελφότητι ἐπιτελεῖσθαι.
(m) *Coloſſ.* I, 24: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ.*
(n) *Jacobi*, I, 17. (o) *Omnis gratia, ideſt, perfecta gratia. Hugo, Cathar. Salmer. Cornel.*
(p) 2 *Timoth.* II, 5. (q) *Ligfoot. Camer. Piscat.* (r) *Act.* XV, 40; XVI, 19.
(s) 2 *Cor.* I, 19; 1 *Theſſal.* I, 2. (t) *Eſt. Grot. Men. Cornel. alii paſſim.*
(u) 1 *Cor.* XV, 1: *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſalvamini.* (x) *Vide Papium Joannis Evangel. Diſcipulum apud Euſeb. lib.* 2, *cap.* 15, *Hiſtor. Eccleſ. Hieron. in Marco, & Ep.* 17, *& alibi ſæpiùs. Aliè plures. Beda, Oecumen. hîc.* (y) *Apoc.* XVII, 5; XVIII, 10. (z) *Sixti V edit. Et alii Quid.*
(a) *Græc.* Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή. (b) *Ita Eſt. Grot. Druſ. Menoch. Gerhard. Hammond.* (c) 2 *Joan.* ℣. 1, *&* 13. (d) 1 *Cor.* IX, 5: *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?*

℣. 14. Salutate invicem in oſculo ſancto. Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.

COMMENTARIUS.

nio, ſolisque nititur leviſſimis conjecturis. Simile veri non eſt, Petrum, qui nondum quicquam de uxore dixerit, illam hîc generico nomine *coëlectæ* ſignificare. Quorſum autem diceret Petrus, illam Babylone verſari, ſi verum eſt, illam itinerum Petri nunquam non comitem fuiſſe? Satis erat dicere: Salutat vos uxor: unâ Babylone ſumus; non: *Quæ eſt in Babylone coëlecta, vos ſalutat*. Præterea *Electa* apud Joannem fortaſſe ſignificat Eccleſiam, ad quam literas dabat Apoſtolus; id quod a nobis in Præfatione ad eam Epiſtolam animadverſum eſt.

Et Marcus filius meus. Satis conſentiunt Eruditi, Marcum eſſe Evangelii Scriptorem (e), Petri Diſcipulum, comitem, & Interpretem. Filium nuncupat, utpote quem ipſe ad Fidem duxit, inſtituit, & inter primos Diſcipulorum habuit. Si plura cupis de Marco, vide *Prolegomenon* ad Marci Evangelium.

℣. 14. Salutata invican in osculo sancto. Græcus (f): *In oſculo charitatis*. At Syrus, & Græci quidam Codices cum Vulgatâ conſentiunt. In Pauli Epiſtolis (g) vidimus, conſuevisse Fideles ſacris in cœtibus oſculum pacis invicem ferre, ſiquas ex Apoſtolis literas acciperent, mutuam charitatem conſtantemque ſententiarum & fidei concordiam teſtati. Invicem amplexamini, uti ego vos, & vos me amplecteremini, ſi adeſſem.

Gratia vobis omnibus. Faxit Deus, ut in ſui gratiâ permaneatis, ſuorumque donorum & beneficiorum incrementum promereamini. Græcus (h) legit *Pax*, non *Gratia*.

Græci codices ad calcem Epiſtolæ habent: *Epiſtola Catholica Petri prima* deſcripta eſt verſibus cςaaxvi, ſive ex aliis, verſibus ccaxaii. Exemplaria nonnulla Romæ ſcriptam aſſerunt (i).

IN

(e) *Ita plerique omnes. Eſt. Grot. Ligfoot. &c. Origen. apud Euſeb. lib. 6, cap. 25, Hiſt. Eccl.*
(f) Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης. *Alii*: Ἐν φιλήματι ἁγίῳ. *Ita Steph.* δ, *Mſſ. Colleg. novi* 2, *Barb.* 1, *Velez. Vulg. Syr.* (g) *Rom.* XVI, 16; 1 *Cor.* XVI, 20; 2 *Cor.* XIII, 12; 1 *Theſſal.* V, 26. (h) Εἰρήνη ὑμῖν πᾶσι, *Beda*: *Gratia*. (i) *Ita Oecumen. Covel.* 2.

Finis Commentarii in primam Epiſtolam B. Petri Apoſtoli.

IN SECUNDAM B. PETRI APOSTOLI EPISTOLAM PROLEGOMENON.

POſtquam Petrus primam Epiſtolam, inter annum XLV & L, Romæ, uti in ejus Præfatione oſtendimus, exaratam, miſerat, in Palæſtinam rediit, & anno LI in Concilio Jeroſolymis coacto Fideles jugo Legis non eſſe obſtringendos pronunciavit; in quam ſententiam Jacobus conceſſit, eique veluti a Spiritu Sancto definitæ Concilium omne ſubſcripſit. Cœtu dimiſſo, Apoſtolus, uti ex Epiſtolâ ad Galatas (*a*) conſtat, Antiochiam migravit. Quid verò deinde usque ad iter, quo Romam ultimò perrexit, ſingillatim præſtiterit, ignoramus. Romam demum a Spiritu Sancto perductus, ut coram Nerone Fidei veritatem aſſereret, & Simonem Magum, præſtigiis ſuis plurimos decipientem, coërceret, Paulum eò nuper (*b*) profectum nactus eſt; ſtatimque miraculis & prædicationibus huic Evangelii hoſti oppugnando uterque incubuere [*c*].

Hanc ſecundam Epiſtolam Romæ ſcriptam credimus; quamvis enim neque carceris, neque vinculorum meminerit, nihilominus poſtquam is Româ fugiens, ut Neronis perſecutionem vitaret, Chriſtum obvium habuit, eam dediſſe vero proximè judicamus. Cùm ad portas Urbis jam perveniſſet, in Chriſtum ſibi occurrentem incidit: illum verò, quò tenderet, interrogans, reſpondentem audiit: *Vado Romam iterùm crucifigi* (*d*). Horum verborum ſenſum illicò aſſequutus, mortem ſibi pro Deo quamprimùm obeundam intellexit. Hanc fortaſſe ad Viſionem alludens ſcribit (*e*): *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi*. Mox ab Ethnicis comprehenſus, poſt novem menſium carcerem, anno Chriſti LXVI (*f*) Crucis ſupplicio ſublatus, Martyrium abſolvit.

In hac ſecundâ Epiſtolâ etiam atque etiam Fideles hortatur, ut nihil ea curantes, quæ a pravis Doctoribus vel doctrinâ vel exemplis traduntur, bonorum operum exercitationem colant. Quæ alias edocuit, in eorum memoriam revocat; proximam ſui mortem prænunciat; ut patienter in perſecutionibus maneant, & ſacris legendis Scripturis aſſiduè vacent, hortatur. Pravos ejus ætatis Doctores, turbas in Eccleſiâ cientes, atris coloribus pingit. Judicii ſupremi diem, & hominum reſurrectionem impugnantes refutat. Pauli Apoſtoli Epiſtolarum meminit, eaſque laudibus proſequutus, unà cum cæteris Scripturis in pravum ab aliquibus detorqueri teſtatur, ut errores ſuos protegerent, bonorum præſertim operum inutilitatem, & libertatem nimiam, qua ad plura Legi contraria perpetranda, cum fratrum in fide adhuc infirmorum offenſione, abutebantur.

S. Gregorius Magnus hanc Epiſtolam [*g*] ab aliquibus, qui Cepham a Paulo Antiochiæ redargutum (*h*) a Petro ſecernunt, Cephæ eidem adſcriptam refert, & unà hanc opinionem validè refellit. Eam ſententiam, quæ hanc Epiſtolam Petro adimit, a remotiori fonte hauſiſſe ſe Grotius oſtentans, pro eâ ſtare ait Veteres illos, qui eam a Scripturis Canonicis rejecerunt; quod utique, ſi ejus Authorem Petrum noſſent, minimè præſtitiſſent. Ejus ſtilum a primâ longè alium, eamque varietatem ab Euſebio [*i*], & ab Hieronymo (*k*) agnitam affirmat. Quòd præterea ſupremam Judicii diem proximam eſſe in eâ Author meminerit, is poſt Jeroſolymæ everſionem ſcriptam aſſerit; huic enim everſioni Judicium præiturum nemo unquam putavit; adeoque a Petro datam negat, qui Nerone imperante Crucis ſupplicio interiit. Porrò ſub Trajano, & fortè a Simone vel Simeone Jeroſolymorum Epiſcopo, Jacobi Minoris ſucceſſore, exaratam autumat. Quædam denique, quibus Petrus ejuſdem Author perſpicuè oſtenditur, eidem addita ab iis putat, qui veluti ab Apoſtolo Petro ſcriptæ authoritatem adjungere ſatagebant.

A Veterum plurimis in Sacrorum Librorum Canone hanc Epiſtolam minimè recenſitam fatemur. Quidam falſam, Didymus vitiatam (*l*), Origenes incertam (*m*) appel-

(a) *Galat.* 11, 12.
(b) *Anno Chriſti* 65.
(c) *Vide* Tillemont, S. Pierre, art. 33, 34.
(d) *Ambroſ. ſer.* 68; *Origen. G. L. in Jo. to.* 2, *p.* 118, & 298; *Gregor. Magn. ſer.* 8 *in Pſal.* ci.
(e) 2 *Petr.* 1, 14.
(f) *Hæc epocha a quibuſdam rejicitur. Vide* Tillemont, note 40 ſur S. Pierre.
(g) *Gregor. in Ezech. hom.* 18.
(h) *Galat.* 11, 11.
(i) Nil eâ de re apud Euſeb. l. 3. c. 3, & 25, hiſt. Eccl.
(k) *Hieronym. de Vir. Illuſtr. c.* 1: *Scripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum ſecunda a pleriſque ejus eſſe negatur, propter ſtili cum priore diſſerentiam.*
(l) *Didym. Comment. in hanc Epiſt. ad finem: Non eſt ignorandum, præſentem Epiſtolam eſſe falſatam: quæ, licèt publicetur, non tamen in Canone eſt.*
(m) *Origen. in Jo. p.* 88. Μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην καταλέλοιπε.

Ἔστω δὲ καὶ δευτέραν· ἀμφιβάλλεται γάρ.

Digitized by Google

pellant. Euſebius unicam tantummodò Epiſtolam a Petro certò ſcriptam, & a Veteribus allegatam teſtatur [n]. S. Amphilochius (o), ſuâ ætate, an ea Petri, dubitatum refert; quæ dubitatio ineſt etiam Hieronymo. Verùm canonicæ authoritatis argumenta per ſemetipſam præfert. Nihil Petro indignum, nihil non ejus ingenio & dignitati conveniens, nihil ejuſdem ætatis circumſtantiis contrarium complectitur. Hujus Apoſtoli nomine inſcribitur (p): ab aliquo ex tribus Apoſtolis, qui Domini Transfigurationi adſuerunt, conſcripta eſt (q); primam denique Petri Epiſtolam, veluti ab eodem Authore exaratam, inducit (r): *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam*. Loci omnes, de quibus apud Grotium ſuſpicio, in omnibus vetuſtis Codicibus leguntur. Origenes [s] eam tamquam Petri allegat. Novatianus [t] Tertulliano coævus, S. Cyprianus (u), S. Juſtinus Martyr [x] vel eam citant, vel ad eam alludunt. Judas in Catholicâ Epiſtolâ ipſa hujus verba veluti ab Apoſtolis pronunciata laudat [y]: *Memores eſtote verborum, quæ prædicata ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, &c.* Quæ quidem in tertio hujus capite legenda ſunt.

S. Cyrillum Jeroſolymitanum (z), S. Athanaſium [a], S. Gregorium Nazianzenum [b], S. Epiphanium, S. Hilarium [c], S. Auguſtinum [d], S. Ambroſium [e], S. Hieronymum (f), Facundum, Salvianum, S. Macarium, Laodicenſe Concilium (g), Carthaginienſe tertium [h], & cæteros deinde omnes, qui ſacrorum Librorum Catalogum exhibent, hìc producere ſupervacaneum ducimus, cùm inter omnes de canonicâ hujus Epiſtolæ authoritate omnino conveniat. Si igitur de ejus cononicâ authoritate conſtat, de ejus Authore Petro etiam compertum eſt: ſi enim Apoſtolus eam non dedit, neceſſe eſt ſcripſerit nequiſſimus illuſor. Ab aliquibus Syriacis Exemplaribus idcircò non affertur, quòd de eâ olim ambigeretur. Cæterùm in aliis Syrorum exemplaribus utique recenſetur. S. Ephrem (i), & S. Joannes Damaſcenus, uterque Syrus, eamdem allegant; & Damaſcenus præterea [k] inter Canonicos Libros enumerat.

Stili varietatem ab Hieronymo animadverſam, e qua Grotius eam Petro adimendi argumenta depromit, Critici peritiſſimi vix advertunt (l); cujus etiam cauſam S. Hieronymus (m) in varios Interpretes refert: modò enim Petrus Glauciam (n), modò Marcum adhibebat. Marcus tum Petri comes Romæ erat, cùm hic primam ſcripſit [o]: Româ verò aberat, cùm is alteram dedit.

Quod ad illud Grotii attinet, eam nempe poſt Jeroſolymæ excidium a Simone Hieroſolymitano eſſe exaratam, nihil utique eſt, cur ſerio refutetur, cùm validis nullis argumentis innitatur. Loci, quos Grotius in Veteribus Mſs. inveſtigari cupiebat, iis omnibus, quæ ſolertiſſimè Millius conſuluit, expreſſè afferuntur.

Nos cum Interpretum pleriſque ad Hebræos Fideles, ad quos Petrus primam dedit, & hanc miſſam putamus, quod Apoſtolus ſatis innuit, cùm ſcribit (p): *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam*. Eos præterea tamquam Scripturarum peritos, & Prophetarum ſtudio addictos, alloquitur [q]. Author Libri *Promiſſionum*, quem S. Proſpero tribuunt (r), *Epiſtolam ad Gentes* hanc vocat; & Author Sermonis de *Cataclyſmo*, ſeu *Diluvio*, S. Auguſtini Operibus inſerti [s], *ſecundam Petri ad Gentes Epiſtolam* appellat. Sunt qui putent (t), per hanc Epiſtolam utroſque affici poſſe & Ethnicos & Hebræos; iiſque ducuntur verbis [u]: *Simon Petrus, Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt Fidem;* quibus Ethnicos æquè ac Hebræos ad Fidem traductos deſignari volunt. Ea verò procliviùs de Hebræis, qui tot inter pervicaces Judæos Fidei felicitatem conſequuti fuerant, explicantur.

COM-

(n) *Euſeb. hiſt. Eccl. l.* 3. *c.* 3. & 25.
(o) *Amphiloch. apud Gregor. Nazianz. Carm.* 125.
(p) 2 *Petr.* I, 1.
(q) 2 *Petr.* I, 18.
(r) 2 *Petr.* III, 1.
(s) *Origen. in Joſue, homil.* 7.
(t) *Novatian. lib. de Trinit. c.* 8.
(u) *Cyprian. Epiſt.* 75.
(x) *Juſtinus, Dialog. cum Tryphone:* Οὐ ἀπεσίσημεν ... (Greek illegible) ... ἀγίω.
(y) *Juda* ℣. 17. *Confer* 2 *Petr.* III, 2, *cum Juda* ℣. 18.
(z) *Cyrill. Catecheſ.* 4.
(a) *Athanaſ. Synopſ. & orat.* 2 *contr. Arian.*
(b) *Nazianz. Car.* 4.
(c) *Hilar. l.* 1 *de Trinit.*
(d) *Auguſt. l.* 2, *c.* 8 *de Doctr. Chriſt.*
(e) *Ambroſ. de Incarnat. c.* 8.
(f) *Hier. l.* 1, *c.* 24, *contr. Jovinian.*
(g) *Concil. Laodic. c.* 60.
(h) *Concil. Carthag.* III, *c.* 47.
(i) *Ephrem, ſerm. contr. impudic.*

(k) *Damaſc. l.* 4, *c.* 18, *de F de orthodoxâ.* (l) *Magdeburg. Gomar. Gerhad. Cajet. Eſt. Cornel. Alei.* (m) *Hier. Duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtilo inter ſe & charactere diſerepant, ſtructurâque verborum; ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum, diverſis eum uſum interpretibus.* (n) *Clem. Strom. l.* 7, *p.* 764. (o) 1 *Petr.* v. 13. (p) 2 *Petr.* III, 1. (q) 2 *Petr.* I, 19, 20. (r) *Proſper, ſeu alius, Promiſſion. l.* 4, *c.* 2. (s) *Vide apud Aug. tom.* 6 *nov. edit. pag.* 606. (t) *Quidam apud Eſt. hic.* (u) 2 *Petr.* I, 1.

COMMENTARIUS LITERALIS IN EPISTOLAM SECUNDAM B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Dei dona Fidelibus tradita. His incumbendum eſt in bonorum operum exercitationem, quibus certa ſalus efficitur. Imminentem ſui exitum prædicit Petrus. Ait ſe ſpectaſſe gloriam Transfigurationis Chriſti.

℣. 1. Simon Petrus, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitiâ Dei noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.

℣. 2. Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri.

℣. 3. Quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſunt, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propriâ gloriâ & virtute,

COMMENTARIUS.

℣. 1. SIMON (a) PETRUS, SERVUS ET APOSTOLUS JESU CHRISTI. Simon Hebræum eſt Petri nomen; *Cepha*, Syriacum a Chriſto impoſitum (b); *Petros*, Græcum, idem ac *Cephas*. *Servum ſe & Apoſtolum Jeſu Chriſti* nuncupat. Utì *Servus* communis eſt cum cæteris Chriſtianis appellatio; utì *Apoſtolo*, multò amplior inter cæteros dignitas qua ingens pondus verbis & inſtitutionibus ipſius adjicitur. Modeſtè de ſe ubique loquitur Petrus; & quamquam Apoſtolorum Princeps, eam dignitatem nunquam oſtentat.

IIS QUI COÆQUALEM NOBISCUM SORTITI SUNT FIDEM. Græcus (c): *Iis qui æquè pretioſam ſortiti ſunt*, &c. Eadem ex objecto eſt Chriſtianis omnibus Fides: iiſdem omnes myſteriis credunt, eamdem mercedem ſperant, eumdem finem petunt: eademomnibus argumenta credendi: omnes Chriſtus ratione prorſus gratuitâ vocavit; vocavit autem *in juſtitiâ*, vel per juſtitiæ ſuæ merita, vel ad præbendam illis gratiam juſtificationis, quæ per fidem & baptiſmum acquiritur; ſeu denique *per juſtitiam ſuam*, ſcilicet per *miſericordiam*; miſericordia quippe in Scripturis non rarò juſtitiæ nomine ſignificatur (d).

DEI NOSTRI ET SALVATORIS JESU CHRISTI (e). His verbis divinitas Jeſu Chriſti diſertè exprimitur. Deus noſter eſt & Servator.

℣. 2. GRATIA VOBIS ET PAX, &c. Pacem, gratiam, felicitatem hujus temporis vobis non opto, ſed cæleſtem gratiam, animi pacem, cum fidei veſtræ incremento, profectu in viâ Dei, & magis in dies abſolutâ dogmatum Religionis & myſteriorum Chriſti cognitione; denique creſcatis in dies officiorum veſtrorum cognitione, eorumque executione, gratiâ demum & juſtitiâ.

℣. 3. QUOMODO OMNIA NOBIS DIVINÆ VIRTUTIS, &c. Quemadmodum Divina Chriſti virtus nobis tradidit omnia, quæ ad vitam ac pietatem pertinent, exhibitâ Dei cognitione; ita, ℣. 4. impertitus idem eſt nobis dona, quibus Divinæ naturæ participes efficiamur, modò cupiditatum corruptelam fugiamus. Diſtinguit hîc Petrus *virtutem* Chriſti, qua vocati ſumus ad Fidem; *bonitatem*, quæ largita eſt cognitiones vitam animæ allaturas; *gratiam juſtificantem*, qua efficimur naturæ divinæ participes. modò vitemus corruptelam concupiſcentiæ, qua unâ reddi

pos

(a) *Græc. impreſ.* Συμεὼν. *Alii*: Σιμών. *Ita Steph.* α, δ, ιγ, ιε, *Copht. Syr. Arab. Oecumen. Alii*: Συμών. *Ald. Colin.* (b) *Joan.* I, 42. (c) Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν ἐν δικαιοσύνῃ.
(d) *Psal.* XXXIX, 10; L, 16; CXLII, 1, 2; *Iſai.* LVI, 1; *Matth.* VI, 1, 2; 2 *Cor.* IX, 10, *&c.*
(e) Τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Alii*: Θεοῦ καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ. *Alii*: Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ. *Syr. Vel.* Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν. *Arab.*

℣. 4. Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.

℣. 5. Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtrâ virtutem, in virtute autem ſcientiam,

℣. 6 In ſcientiâ autem abſtinentiam, in abſtinentiâ autem patientiam, in patientiâ autem pietatem,

COMMENTARIUS.

poſſunt inutilia quælibet ipſius dona & beneficia, ſi ejus impulſum ſectemur. Quamobrem, ℣. 6, ſedulò ſtudendum vobis eſt, ut virtutis exercitationem cum fide, virtutem cum ſcientiâ conjungatis. Jungendi ſunt ℣℣. 3, 4, 5, ut plena exſurgat ſententia.

Hoc dicere vult Petrus, beatiſſimos eſſe Fideles, quòd omnipotenti Jeſu Chriſti virtute vocati fuerint ad fidem, gratiam, & juſtitiam. At ne inutilia fiant iſthæc dona, duo eſſe præſtanda: I, repugnandum eſſe concupiſcentiæ; II, executioni mandanda quæ cognita ſunt per lumen Fidei & Evangelii. Hæc ſumma trium verſuum, quorum ſententia in ſuſpenſo eſt usque ad octavi finem, implexaque oratio, ob synonyma & adjuncta, quibus abundant.

Ait ℣. 3, nos a Chriſto vocatos *propriâ gloriâ & virtute (f)*, potentiâ. Hominum converſio effectum eſt glorioſæ virtutis Chriſti: ſuam illam gloriam & omnipotentiam in noſtrâ vocatione oſtendit. Nos ipſe convertit prodigiis coram geſtis, lumine mentibus noſtris indito, gratiâ animis infusâ.

℣. 4. Per quem, per Deum Patrem, per gratiam & miſericordiam Patris, Chriſtus maxima et pretiosa munera nobis promissa donavit. Explicant alii: Promiſſa olim beneficia per Chriſtum largitus eſt Pater. Græcus (g): *Per quæ dedit nobis maxima promiſſa*. Per glorioſam Jeſu Chriſti virtutem; ſive per Chriſti gloriam, virtutem, prædicationem. Vel abſolutè: *Quamobrem* maxima beneficia fidei, gratiæ, juſtitiæ, adoptionis impertitus eſt.

Efficiamini divinæ consortes naturæ. Divinæ naturæ participes efficimur per fidem & Jeſu Chriſto adhæſionem; per filiorum Dei dignitatem, quam nobis ipſe comparavit; per inſidentis Spiritûs Sancti præſentiam; per ſimilitudinem Chriſti; per exercitationem virtutum, quarum exempla ipſe præbuit. At multò perfectiùs participes erimus Divinæ naturæ in alterâ vitâ, ubi illum, qualis reverâ eſt, intuebimur (h), in eumque transformabimur (i): *Revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem claritatem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Fruſtra pretioſa iſthæc dona, quæ dixi, acceperitis, ſi regnantem in mundo concupiſcentiam, ambitionem, avaritiam, inanem curioſitatem, voluptatum amorem ſequamini. Quamprimùm ornamentis omnibus, Dei ſimilitudine, æternæ beatitudinis ſpe exuemini. Duobus ſimul dominis ſervire non poteſtis (k). Si ex mundo eſtis, ad Chriſtum ſpectare non poteſtis; corruptus mundus ſub Dæmonis poteſtate eſt (l): Chriſtus Jeſus imperium exercet in eos, qui carnem ſuam cum perverſis cupiditatibus crucifixere (m).

℣. 5. Vos autem curam omnem subinferentes, &c. Enixè ſtudendum vobis eſt, ut fidei veſtræ virtutem jungatis. Fruſtra fide inſtruemini, ſi virtutis exercitatione careatis. Vocavit vos Deus, juſtos effecit, exterioribus interioribusque donis cumulavit: veſtrum eſt, illius munificentiæ cooperari. Fidem largitus eſt; poſtulat, ut opera adjiciatis. Auxilium opemque non denegabit: at oportet, vos integrâ fide uti juſtificationis quærendæ modis, quos ipſe ſuppeditavit. Cognitionibus inſtruxit: geſtis exercete.

In virtute scientiam. Haud parva res eſt, in virtutem incumbere: at non ſatis, niſi cum judicio & prudentiâ incumbas: id ſi defuerit, jam non eſt virtus (n). Virtutis currus, ut ita dicam, judicio ducitur (o). Ruet, niſi aurigâ judicio. Aliter (p): *Junge virtuti ſcientiam*; ſcientiam myſteriorum Chriſti, & Chriſtianæ Religionis officiorum exercitationi virtutum. Virtus abſque ſcientiâ cæcus eſt, temerè incedens.

℣. 6. In scientia autem abstinentiam (q). Morum ſcientia ultro ac ſponte ad temperantiam ducit. Ait Salomon (r), vino ſe abſtinuiſſe, ubi in ſapientiæ ſtudium incumbere ſtatuit. Ingens ſapientiæ initium erat intelligere, ciborum temperantiam optimam eſſe illius aſſequendæ viam. Intelligit Sapiens, immodicum uſum rerum vitæ ſervientium adverſari Legi naturæ, Dei præceptis, rationi: hominem per intemperantiam ſtatu dejici, & collocari infra belluas, quæ plerumque exceſſum ciborum ignorant.

In abstinentia autem patientiam. Qui temperantiam modeſtiamque ſectatur, animo ſuo imperat: iram coërcet atque impatientiam. Mutuam ſibi opem præbent virtutes, ut rarò aliquem videas virtute quapiam gradu perfecto præditum, qui cæteris gradu ſaltem aliquo non inſtruatur. Hoc principio nititur gradatio, quam Petrus hîc & in conſequentibus inſtituit.

In patientia autem pietatem. Chriſtianæ patientiæ fundamenta ſunt, Dei promiſſiones, metus ſuppliciorum quæ minitatur Deus, obſequium erga Providentiæ ſanctiones, exemplum Chriſti Jeſu innumeris cruciatibus noſtri causâ dilaniati, juſtitia denique & charitas, quæ Deum in nos ob

(f) Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. *Alii*: Ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. *Alex. Cov.* 2, *Colin. Vulg. fortè Syr. & Æth.*

(g) Δι' ὧν τὰ μέγιστα ἡμῖν, καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται. *Per quæ, &c. Alii: Per quem*, δι' ὅν. *Ita Steph.* 10, *Colin. Æth. Vulg. Alii Vulgatæ libri: Per quæ. Beda, per quam.*

(h) 1 *Joan.* III, 2. (i) 2 *Cor.* III, 18. (k) *Matth.* VI, 24. (l) 1 *Joan.* V, 19. (m) *Galat.* V, 24.

(n) *Eſt. Men. Cornel. alii.* (o) *Bern. ſerm.* 49 *in Cantica.*

(p) *Oecumen.* Τὴν τῶν τοῦ Θεοῦ ἀποκρύφων μυστηρίων εἴδησιν, ἥτις οὐ τῷ τυχόντι παραγίνεται, ἀλλὰ τῷ δι' ἔργων κρειττόνων τὴν ἕξιν γεγυμνασμένῳ.

(q) Ἐν δὲ τῇ γνώσει τὴν ἐγκράτειαν. Poſtrema hæc vox ſonat temperantiam & continentiam potiùs quàm abſtinentiam. *Abſtinentia* hîc latiùs uſurpanda eſt pro continentiâ, temperantiâ, moderatione, abſtinentiâ. (r) *Eccle.* II, 3.

℣. 7. In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

℣. 8. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent; non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.

℣. 9. Cui enim non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.

℣. 10. Quapropter, fratres, magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.

℣. 11. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

ob peccata iratum placari a nobis jubet, & æquo animo ferri, quicquid Deus nobis evenire permiſerit. Portò iſta omnia idem ipsum ſunt ac *pietas* (s) erga Deum, hìc commendata.

℣. 7. In pietate amorem fraternitatis. Pietas erga Deum a fratrum charitate ſejungi nequit. Ubi fratres eo loco babueris, ut tamquam a Deo conditos, Dei ſervos ac filios exiſtimes, neſas eſt niſi ames. Adde præceptum Dei, quo juberis ita illos amare utì te ipsum, & illis non facere quæ tibi fieri nolis. Communia charitatis, univerſos homines complectentis, officia multò religioſiora eſſe debent erga eos qui unâ Dei ejusdem religione cenſentur, eodem Chriſti Sanguine redempti ſunt, eàdemque filiorum Dei notâ diſtinguuntur.

In amore fraternitatis charitatem (t). Parum agis, ſi vulgari amore, ex carne, naturâ, cupiditate profecto, fratrem diligas: amandus eſt eâ charitate, quæ Dei amore & nobiliſſimis Religionis argumentis nititur.

℣. 8. Hæc enim si vobiscum adsint, et superent (u), & in dies creverint, fidem veſtram, rerumque Religionis cognitionem ſaluti veſtræ utiles ac ſervientes efficient. Quòd ſi dignos pietatis fructus ferre neglexeritis, fides & cognitio æternam vobis calamitatem & damnationem, non beatitudinem, parient. Quamobrem ne decipiamini ab iis qui ſuadere conantur, fidem ſolam absque bonis operibus ad ſalutem ſufficere.

℣. 9. Cæcus est, et manu tentans. Tametſi ſapiens videatur is, qui enumeratis virtutibus caret, illum ego conſtanter aſſero cæcum eſſe, in tenebris incedere, manu tentare, ac temerè greſſum figere. Tales erant Phariſæi, de quibus Chriſtus (x): *Cæci ſunt, & duces cæcorum*. Legis peritiſſimi videbantur illi & exteriorum obſervationum religioſiſſimi: at cùm charitate piâque animi demiſſione carerent, erravere ut cæci, in Chriſtum Jeſum lapidem anguli impegere, & confracti ſunt (y). Servatore hominum minimè agnito, ſervos illius inſectati ſunt, ac damnationem æternaque mala in ſe ipſi provocavere.

Oblivionem accipiens purgationis, oblitus quo pacto elapſæ vitæ peccatis deterſus fuerit. Ineluctabili hoc argumento illius cæcitas oſtenditur, quòd nimirum oblitus ſit baptiſmi & profeſſionis Legum Evangelicarum, abdicationis mundi ejusque pomparum, diaboli quoque & ejus imperii. Profectò nonne officiorum oblivisceris, dum vitam ad ea non inſtituis, eaque opere non perſequeris? nonne cæcus es tuis in rebus, dum tuâ ipſius culpâ ſummo te bono prives, & malis extremis obnoxium facis?

℣. 10. Magis satagite, ut per bona opera, &c. Non omnes, quos Deus ad fidem vocavit, atque ex gentilium cœtu ſelectos in Eccleſiam adoptavit, ad gloriam prædeſtinati ſunt. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Quin & opus eſt, ut ii qui prædeſtinati ſunt ad gloriam, electionem ſuam bene geſtis aſſerant. Horum beatitudinem prævidens & decernens Deus, illius quoque aſſequendæ vias prævidit; paravitque beneficia, quibus illam certiſſimè aſſequantur (z). Hæc autem via quatenus ex Deo eſt, ſunt exteriores atque interiores illuſtrationes & auxilia; quatenus ex homine, conſtans illius fides & cooperatio cum Dei beneficiis.

Græcus (a) non legit *per bona opera*, ſed absolutè, *Operam date ut firmam* certamque *veſtri vocationem & electionem faciatis*. At Codex Alexandrinus, Syrus, Æthiopes, & Græci complures libri, omnesque Latini cum Vulgatâ conſentiunt; totaque Petri oratio ſatis innuit, hunc eſſe loci ſenſum: vult nimirum Petrus, enumeratas in ſuperioribus virtutes a ſingulis exerceri, ut promiſſa veris Fidelibus ac Dei filiis præmia conſequatur.

Hæc enim facientes non peccabitis aliquando (b); ſive, vocatione & electione veſtrâ nunquam excidetis. Si in hujusmodi virtutum atque operum exercitatione manſeritis, in infidelitatem & gravia peccata, quibus Dei gratia expellitur, nunquam incidetis (c): nomina veſtra e libro vitæ non eradentur, ipſi non excludemini ex terrâ viventium, cujus hæredes legitimi per

(s) Την εὐσέβειαν.

(t) Ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ἀγάπην. (u) Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα. *Alii*: Παρόντα καὶ πλεονάζοντα. *Ita Alex. Syr. Cov.* 2, *Steph.* δ, ια, ιγ, *&c.*

(x) *Matth.* xv, 14. (y) *Luc.* xx, 17, 18. (z) *Auguſt. lib. de Dono perſeverant. cap.* 14, *n.* 35: *hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Vide Concil. Trident. ſeſſ.* 6, *c.* 11.

(a) Σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν, καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι. *Alii*: Σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῶν, *&c.* (b) Οὐ μὴ πταίσητέ ποτε. *Ambroſ. lib.* 3 *de Fide, cap.* 6: *Non errabitis.*

(c) *Vide Eſt. hic, & Corn. a Lap. Grot.*

℣. 12. Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate.

℣. 13. Juſtum autem arbitror, quamdiù ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione:

℣. 14 Certus, quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundùm quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.

℣. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

COMMENTARIUS.

per baptiſmum eſtis; ſed, opem ferente Deo, ad finem uſque in fide & charitate perſeverabitis, decretamque vobis gloriam feliciter conſequemini. Currentem in ſtadio difficile eſt firmo ſemper veſtigio incedere: at ſi cadat, id verò fatale eſt; metam & coronam non aſſequitur.

℣. 12. Incipiam vos semper commonere de his (d). Dicetis: Satis iſta novimus, neque opus eſt admonitione; iſta nuper converſis dicito. At novi ego quanti refert iſta præcipere, dum ſuperſtes fuero, repetere non ceſſabo.

℣. 13. Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, iſthæc vobis in memoriam revocare. Luculentiſſimè ſignificat, quàm parum vitam amet, ubi ait, corpus ſuum eo loco ſibi eſſe, quo tentorium eſt viatori, quod; veſpere expanſum manè colligitur; habetur, non amatur, facilè deſeritur, cum labore geſtatur; optatur domus & patria; quòque propinquior eſt meta, eò citiùs tentorium relinquitur. Exilium eſt mundus, iter vita, cœlum patria, corpus tentorium, ſub quo ſumus dum æternam ſedem aſſequimur. *Scimus*, inquit Paulus (e), *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, ædificationem a Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.... Et qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati*, &c.

℣. 14. Certus quod velox (proxima) est depositio tabernaculi mei. Me docuit Chriſtus, mortis meæ tempus proximè imminere, meque quamprimùm relicturum hoc tabernaculum, ut æternam in Cœlis ſedem conſtituam. Data eſt hæc Epiſtola ante Petri obitum ſupremo, Chriſti quinto & ſexageſimo, cùm is fortè Romæ eſſet. Monuerat Chriſtus Petrum (f): *Cùm eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Quibus verbis violentum mortis genus, ab ipſo Dei causâ ferendum, ſignificabatur. At præter genericam hujusmodi prædictionem, peculiari aliâ diu ante obitum monitus fuit Petrus, ſi Magno Leoni credimus (g), qua intellexit quamdiu ſibi vivendum in terris foret.

Luculentius aliquid S. Ambroſius (h): *Idem Petrus, victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſeminaret, doceret caſtimoniam, excitavit animos gentilium: quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, ut paulisper cederet. Et quamvis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt: rogabatur enim, ut ad inſtituendum & confirmandum populum ſe reſervaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in portâ Chriſtum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine, quò vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem divinum pertinere reſponſum.... Itaque ſponte remeavit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum dedit; ſtatimque correptus* & in carcerem datus, ubi menſes novem fuit, *per crucem ſuam honorificavit Dominum Jeſum.* Iſta Chriſti ad Petrum verba, *Venio Romam iterum crucifigi*, recitat etiam Origenes, ſed ex Actis Pauli apocryphis. Itaque hanc prædictionem fortaſſe hoc loco innuit Petrus.

℣. 15. Dabo operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum vos memoria ſubeat, poſt quam ipſe obiero. *Habere* hoc loco eſt *poſſe* (k), more Græcorum (l), imò & Latinorum, quibus uſitatum eſt, *Habes ne nobis dicere* (m)? pro, potes dicere? *De causâ Regis habeo polliceri*, ait Tullius (n), ſcilicet, poſſum. Quamobrem hîc ſonat idem ac ſi diceret: *Studebo, ut poſt exceſſum meum (o) poſſitis frequenter*, identidem, *horum*, quæ ſuperſtes docui, *memoriam facere.* Aptiùs id facere non potuit Petrus, quàm datis ad eos literis: quamobrem æternam inſtitutionum ſuarum memoriam reddidit; ejusque monita nedum Eccleſiis Aſiæ, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ utilia fuere, verùm etiam omnibus mundi Eccleſiis inſtitutioni ſunt & ſolatio.

Sunt (p) qui ita explicent: *Studebo poſt obitum meum veſtri memoriam facere*, pro vobis apud Deum intercedendo, veſtraſque neceſſitates illi exhibendo. At non multi adſtipulantur, neque favet ipſa Petri locutio: ſi enim hoc dicere vellet, aliis planè verbis uſus fuiſſet. Author etiam ſub Chryſoſtomi nomine latens, legit: *Studebo poſt obitum meum veſtri memoriam facere*, pro, *Studebo poſt obitum meum habere vos aliquando horum me-*

(d) Οὐκ ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομιμνήσκειν, *Non negligam, non omittam*, &c.

(e) 2 *Cor.* v, 14.

(f) *Joan.* xxi, 18.

(g) *Leo Mag. ſerm.* 80, *cap.* 5.

(h) *Ambroſ. ſerm.* 68.

(i) *Origen. in Joan.* 1, 21, *p.* 298 & 118.

(k) *Ita Eraſm. Eſt. Zeger. Vat. Clar. Cajet. Grot. Caſtal. Capell. alii.*

(l) *Matth.* xviii, 25: *Cùm non haberet unde redderet. Luc.* vii, 42: *Non habentibus illis unde redderent.* xiv, 14: *Non habent retribuere ſibi. Act.* iv, 14: *Non habebant contradicere. Marc.* xiv, 8: *Quod habuit hæc fecit*, &c. *Heb.* vi, 13. *Lucian.* Οὐκ γὰρ ἔχω εὑρεῖν.

(m) *A. Gell. lib.* 17, *cap.* 20. (n) *Tull. Epiſt. Familiar.*

(o) Σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι.

(p) *Vide Chryſoſt. aut alium, ſerm. de SS. Petro & Paulo; Oecumen. hic. Ita & Petr. Damian. lib.* 3, *Ep.* 8; *Salmer. Cathar. Gagn. Bellarm. lib.* 1 *de SS. cap.* 18; *Suarez*, 3 *parte, tom.* 2, *diſp.* 23; *Cornel. a Lap. hic.*

℣. 16. Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis.

℣. 17. Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſâ ad eum hujuſcemodi a magnificâ gloriâ: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.

℣. 18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipso in monte ſancto.

℣. 19. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris:

COMMENTARIUS.

memoriam facere, ut habet Græcus.

℣. 16. NON ENIM DOCTAS FABULAS SECUTI (q), &c. Ethnicorum Religio fabulis tota penitus, Rabbinorum explicationes ac traditiones commentis pleræque nitebantur: at Chriſtianæ Religionis, qua imbuti eſtis, fundamentum ſunt Chriſti verba & prodigia (r), quæ vidimus ipſi, quibus teſtimonium exhibemus ad ſupremum uſque ſpiritum, patratis etiam Chriſti ipſius nomine miraculis. Aliter nos, quàm profani Poëtæ, qui nihil niſi ridiculas metamorphoſes & conficta Deorum miracula crepant, freti teſtimonio aliorum Poëtarum, qui iſta ex incertis fontibus hauſerunt: aliter quàm Judæorum Doctores, qui in illud dumtaxat incumbunt, ut Legi certiſque Scripturarum narrationibus addant res, narrationes, ſanctiones a Priſcis (s), errorum Magiſtris, aut nullo aut incerto authore traditas. Compertum eſt, inventas fuiſſe a Simonianis, Cerinthianis, Gnoſticis, cæteriſque primævæ Eccleſiæ Hæreticis, peſſimis Chriſtianorum Judaizantium ſurculis, fabulas, genealogias, erroreſque de Angelis, de Chriſto Jeſu, de Divinitatis proprietatibus, de operum inutilitate ad ſalutem.

VIRTUTEM ET PRÆSENTIAM (t): Chriſti Jeſu potentiam & adventum, ſive adventum potentiſſimum. Chriſtus Jeſus ipſo in terras adventu ſuam ipſius potentiam oſtendit; quodque magis mirere, humilitate & perpeſſionibus. Crux effecta eſt argumentum gloriæ ipſius, potentiæ inſtrumentum, ſapientiæ indicium (u), cùm hominum ſalutem per Filii crucem peragere Deus voluerit.

SPECULATORES FACTI ILLIUS MAGNITUDINIS. Nemo conſtantiùs loqui poterat quàm Petrus, qui ab ipso prædicationis exordio Chriſtum ſequutus, occultiſſima etiam ejus miracula ſpectavit. Transfigurationem hîc præſertim ſignificat, uti conſtat ex conſequenti ℣.

℣. 17. ACCIPIENS A DEO PATRE HONOREM ET GLORIAM; honorificum & glorioſum teſtimonium; ſive, honore & gloriâ illum Deus Pater donavit in Thaboris vertice, qua die, eo transfigurato, Deus ex imâ nube, in quâ Dei gloria adeò mirificè micuit, loquens ait: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; ipſum audite*. Narrant id Evangeliſtæ (x). Grotius, qui hanc Epiſtolam a Simeone Hieroſolymorum Epiſcopo conſcriptam putat circa Trajani ætatem, refert hæc verba ad vocem, quæ in Templo (℣. 18, *in Monte Sancto*) ſonuit, ubi dicente ad Patrem Jeſu (y), *Pater ſalvifica me ex hac horâ*, *vênit vox de cælo: Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Hæc tamen ſententia defendi nequit; quippe alia penitus ſunt Patris verba, quæ in Templo, & quæ in Thabore ſonuerunt.

℣. 18. NOS AUDIVIMUS, ego, Jacobus & Joannes Zebedæi filii, inter cæteros a Chriſto ſelecti hujus ſpectaculi teſtes. Ex aliquibus Pauli locis (z) conſtat, Pſeudo-Doctores, quorum plerique ſeſe Petri Diſcipulos oſtentabant, illud frequenter jactaſſe, Petrum inter primos ſelectum, ac teſtem præcipuorum Chriſti prodigiorum fuiſſe, Paulum verò nunquam vidiſſe Chriſtum; quamobrem indignum eſſe Apoſtoli appellatione.

℣. 19. HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM, Prophetarum oracula, noſtro etiam teſtimonio certiora, ſaltem reſpectu veſtri (a), quibus ſuſpecta eſſe poteſt ſinceritas noſtra, & Spiritûs Sancti in nobis loquentis præſentia. Cum igitur ſummo obſequio Prophetas proſequamini, eorumque verba tamquam Dei ipſius oracula ſuſpiciatis, laudo, quòd illorum teſtimonium & vaticinia docili animo excipiatis; neque illud committam, ut aliquid doceam præter quàm quod illi tradidere; at planè ſcio, meum fore illorum teſtimonio ſimillimum, voſque in meis libris nacturos veritatis hujus confirmationem, Jeſum ſcilicet verum eſſe unicum Patris Filium, ipſumque & rogandum & audiendum, utpote viam, veritatem & vitam, ut ſalutem aſſequamur.

Animadvertit S. Auguſtinus (b), Prophetarum ſermonem dici a Petro *certiorem*, *non meliorem*, *non veriorem* teſtimonio, quod Pater in Thabore exhi-

(q) Οὐ γὰρ σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθήσαντες. *Quidam Vulg. libri: Non enim indoctas fabulas. Ita & Sixti V, & alii plures ante eum; mendosè. Velez.* Ἀδιδάκτοις.

(r) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* Οὐ κενοῖς ἐπιστεύσαμεν μύθοις, οὐδὲ ἀναποδείκτοις λόγοις, ἀλλὰ μεστοῖς πνεύματος θεοῦ, καὶ δυνάμει βρύουσι, καὶ τεθηλόσι χάριτι.

(s) *1 Timoth.* 1, 4: *Neque intendere fabulis, & genealogiis interminatis quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei. Et Tit.* 1: *Non intendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum averſantium ſe a veritate. Vide Hieron. in Galat.* iii.

(t) Χριστοῦ δύναμιν, καὶ παρουσίαν. *Quidam Latini; Virtutem & præſcientiam. Velez.* Πρόγνωσιν; *vitioſè.*

(u) 1 *Cor.* 1, 24: *Chriſtum crucifixum, Dei virtutem & Dei ſapientiam; quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.*

(x) *Luc.* 12, 35; *Matth.* xvii, 5; *Marc.* 12, 6. (y) *Joan.* xii, 28.

(z) *Galat.* 1, 1; 2 *Cor.* 12, 1; 2 *Cor.* xi, 5; xii, 11, 12.

(a) *Ita Beda, Hugo, Lyran. Dionyſ. Eſt. Cornel. Menoc. Gorbard. &c.*

(b) *Auguſt. ſerm. olim* 27 *de Verb. Apoſt. cap.* 4, *nunc* 43, *nov. edit.*

℣. 20. Hoc primùm intelligentes quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.

℣. 21. Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

COMMENTARIUS.

exhibuit. *Quid eſt ergo, certiorem, niſi in quo magis confirmetur auditor? quare hoc? quoniam ſunt homines infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, ut dicant eum magicis artibus feciſſe quæ fecit. Poſſent ergo infideles etiam iſtam vocem delatam de cælo ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem. Nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas. Quiſquis eum dicit Magum fuiſſe; ſi ergo Magicis artibus fecit ut coleretur & mortuus, numquid Magus erat antequam natus? Ecce quare ait Apoſtolus Petrus; Habemus certiorem propheticum ſermonem. Vox de cælo, quâ fideles admonentur: Propheticus ſermo, quo infideles convincuntur.*

Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. Quòd Prophetarum libros aſſiduè verſetis, laudo, hortorque ut Chriſtum in illis ſedulò ſcrutemini: *Quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent* (c), ut ſacra velamina Chriſtum obvolventia reducatis, figuras illum exhibentes explicetis, ſpectetis denique divinas illius notas, ope luminis *lucentis in caliginoſo loco*. Profectò Veteris Teſtamenti libri lux quædam erant ſubobſcura, quæ tum denique micuit, cùm ortus in terris Solis inſtar Chriſtus, priores tenebras umbraſque diſſipavit, Prophetarum ſententias Apoſtoli cùm in ſermonibus, tum in epiſtolis uſurpavêre. Scripturas aſſiduè verſabant Chriſtiani, quibus & edocerentur, & in fide confirmarentur. Fax noctu micans, lucem emittit debilem & fluctuantem, ducit tamen ad diem. Inſtar tenebrarum eſt, ſi cum ſole; ſi verò cum nocte conferatur, lux eſt.

Donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris. Dies & lucifer ſunt Chriſtus; atque ad eum omnibus Veteris Teſtamenti libris ducimur. Cur verò cum lucifero & die comparatur? Nonne luciferum excludit dies, & ſol radiis opprimit? Sunt (d) qui Græcum vertant (e); *Donec dies eluceſcat, & ſol oriatur in cordibus veſtris*, atque ajunt, *Phoſphoron* interdum ſolem ſignificare (f). Cenſent plerique, illud ſolummodo ſibi propoſuiſſe Petrum, ut obſcurum Legis lumen conferret cum luce ſub Auroram micante, cum ortu Luciferi, ſeu Veneris, ſolem præeuntis (g), ex quo demum Sole lux manat abſolutiſſima. Triplicem lucis gradum hic innuit Petrus; 1, lucernam noctu micantem, qui ſtatus Judæorum eſt ſub lege poſitorum; 2, lucem auroræ & luciferi, quâ ſignificatur illorum animus, qui Chriſtum in Prophetarum oraculis ſcrutantur; 3, diem plenam, qui ſtatus eſt eorum, qui fidem amplexi ſunt.

℣. 20. Hoc primum intelligentes, nullum Scripturarum vaticinium privatâ interpretatione explicari. Cùm ſcripturam, atque in primis Prophetas interpretaris, tuam ipſe mentem, tuumque ingenium ne ſequare (h). Ut res bene cedat, opus eſt eodem Spiritu abundes, quo Prophetæ agebantur; ſaltem eos conſulas, qui pietate, ſapientiâ, divino lumine atque auxiliis ad divina iſthæc ſcripta intelligenda prædititiſſimi exiſtimantur.

Primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, in ſingulis Eccleſiis erant Prophetæ, peculiari explicandarum Scripturarum dono præſtantes. Jubet Petrus hos conſuli aut Apoſtolos, ut germanam ſacrorum voluminum ſententiam aſſequare; vetatque unumquemque vulgo Magiſtrum ac Doctorem agere in hoc ſtudii genere, vulgare hominum ingenium adeò ſuperante. Cùm nos hac ætate divinis hiſce auxiliis careamus, & conſpicuum vaticinii munus in Eccleſiâ deſierit, I, in Novi Teſtamenti Libris Scriptiſque Apoſtolicis quærenda eſt Scripturarum & Vaticiniorum Veteris Teſtamenti interpretatio; II, conſulenda eſt Eccleſia, Apoſtolici Viri, & Patres, qui Fidei depoſitum integerrimum & labe carens ſervavere. Hanc viam docuit Synodus Tridentina (i): *Nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus Fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Sacrarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat.*

Aliter etiam explicatur hic locus (k): Illud in primis noſſe debetis, *quòd omnis Scripturæ Prophetia privatâ inventione non fit*. Scilicet, Prophetæ privato ingenio locuti non ſunt (l), ſed a Deo afflati, Dei ipſius Interpretes & organa (m). Hæc explicatio magis accedere videtur ad literam. Quæ vox *interpretatio* redditur, ea verti poteſt inſpiratio, impetus, ſive etiam Prophetæ miſſio. Oſtendere vult Petrus, Chriſtianos ſapientiſſimè in ſtudium Prophetarum incumbere, ut in fide confirmentur.

℣. 21. Non enim voluntate humana, &c. Humanum inventum non eſt Prophetia, neque beneficium, quod homo ullâ ratione ſibi parare aut promereri queat: donum eſt, quo paucos aliquos diſtinxit Deus; munus, quod uni Deo Sanctoque Spiritui, Prophetas afflanti, debetur. *Spiritus ubi vult ſpirat* (n): eligit Deus quos ipſe voluerit. Eliſæus ex aratro (o), Amos ex grege deſumitur (p); Jeremias quodammodo invitus ad vaticinium rapitur (q). Monent Patres (r), ut Scripturæ ita habeantur ut literæ, quas Deus ipſe de Cælo dederit; hominesque afflati exiſtimentur ceu Spiritus Sancti lingua ſeu calamus, per quem ſua ipſe placita exaraverit.

CA-

(c) *Act.* XVII, 11. (d) *Vide Oecumen. hic, Syr. Gerhard.* (e) Ἕως οὗ ἡμέρα διαυγάσῃ, καὶ φωσφόρος ἀνατείλῃ. (f) Φωσφόρος *ſolem ſignificat apud Suidam.* (g) *Martial. Phoſphore, redde diem. Vergil. Æneid.* 2: *Ducit diem Lucifer. Stat, Theb.* 3: *Purpureo vehit ore diem.*

(h) *Vide Eſt. Men. Cornel. Gerhard. Gomar. Vorſt. &c.*

(i) *Concil. Trident. ſeſſ.* 4, *Decreto de edit. & uſu ſacrorum Lib.*

(k) Ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. *Quidam legi volunt*, ἐπηλύσεως, *Impetu; ſed abſque ullâ codicum fide. Mill. hic.*

(l) *Vide Grot. Jac. Capell. Cameron. Cornel. a Lap. Hamm. alios.*

(m) *Philo de Præmiis & pœnis, pag.* 918. Ἑρμηνεὺς γάρ ἐστιν ὁ Προφήτης ἔνδοθεν ὑπηχοῦντος τὰ λεκτέα τοῦ Θεοῦ. (n) *Joan.* III, 8. (o) 3 *Reg.* XIX, 19. (p) *Amos*, VII, 14. (q) *Jerem.* I, 6, 7.

(r) *Athanaſ. de S. Antonio; Chryſoſt. homil.* 3, *in* 2 *Theſſal. Auguſt. Concion.* 2 *in Pſalm.* XC, *n.* 1: *De illâ civitate unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt. Ipſæ ſunt Scripturæ ſanctæ.*

(s) *Auguſt. lib.* 18 *de Civit. cap.* 38; *Cyprian. Serm. de Eleemoſyn. Gregor. Magn. Moral. Præf. cap.* 5.

CAPUT II.

Pseudo-prophetæ impuri, mendaces, impudici, avari. Dei animadverſio in illos. Dæmones in tartara præcipites acti. Homines increduli ætate Noemi diluvio puniuntur. Sodomæ & Gomorrhæ cives flammis abſumpti. Eadem pseudo-doctores pœna, quæ veteres hoſce impios, manet.

℣. 1. FUerunt verò pseudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.

℣. 2. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.

℣. 3. Et in avaritiâ fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FUERUNT ET PSEUDO-PROPHETÆ IN POPULO (*a*), SICUT ET IN VOBIS ERUNT MAGISTRI MENDACES (*b*). Cùm vos ego ſuperiori Capite monuerim, ut Prophetarum oracula ſacrosque Libros aſſiduè verſetis, illud vobis nunc ſubjicio, monuiſſe me, ut ſequamini eos, qui aſſtatos ſeſe & Doctores jactitant, tamquam a Deo aut Apoſtolis miſſos. Quemadmodum fuere multi olim in Israële pſeudo Prophetæ, ita multi ſunt in Eccleſiâ pſeudo Doctores, Hæretici, peſſimi operarii, qui deſtruunt, non ædificant, qui lolium, non bonum ſemen Dominico in agro ſerunt. De hiſce dogmatum Evangelicorum depravatoribus ubique fermè queritur Paulus, eosque præſertim in Epiſtolâ ad Galatas inſectatur. Horum plerique e Synagogâ prodierant; animoque ad Chriſtum non ſincerè converſo, abutebantur docili & liberali primævorum Fidelium animo, ut pararent opes, atque otium ac luxuriam ſectarentur. Vide quæ de his tradit Paulus in Epiſtolis.

QUI INTRODUCUNT SECTAS PERDITIONIS, perniciosas hæreſes, puta Simoniani, Cerinthiani, Nicolaitæ, qui prima ſtatim ſub exordia cœperant, ſuosque errores jam latè diffuderant, cùm Petrus iſta ſcriberet. Nulla his deerat germanæ hæreſeos nota; monſtra erant errorum, quos damnavit Eccleſia, & authores atque aſſeclæ pervicaciſſimè defendebant.

EUM, QUI EMIT NOS, DOMINUM NEGANT. Simonis Magi aſſeclæ, & Simon ipse Chriſti Jeſu Divinitatem negabant (*c*): illum quidem Meſſiam eſſe fatebantur Nazaræi, at merum hominem (*d*). Cerinthus & Gnoſtici indigniſſima de eo evulgabant (*e*). Ille Jeſum a Chriſto ſecernebat; & Jeſum merum hominem, procreatum ex Joſepho & Mariâ, more cæterorum, dictitabat; Chriſtum verò deſcendiſſe in Jeſum, eumque intus occupaſſe ſub columbæ ſpecie poſt baptiſmum; atque hujus Chriſti virtute tot prodigia Jeſum patraſſe. Id porrò erat, *eum, qui emit nos, Dominum negare*.

℣. 2. MULTI SEQUENTUR EORUM LUXURIAS (*f*). Hæretici, quos diximus, erant hominum flagitioſiſſimi. Helenam ſecum ducebat Simon, impudiciſſimam cum illâ vitam agens (*g*): hanc appellabat primam mentem, & rerum omnium matrem. Præceptoris flagitia imitabantur Diſcipuli, hisque plura adjiciebant (*h*): ſuis ipſi in libris fatebantur, horrere ſtatim eos, qui primùm ſua myſteria intelligerent (*i*). Voluptuoſus planè homo Cerinthus, nullam in alterâ vitâ præter quàm carnis beatitudinem præſtolabatur (*k*). Illud abſolutè dici poteſt, non minorem fuiſſe in horum hæreticorum moribus quàm in dogmatibus corruptelam. Horum hæreſes quàm citiſſimè & faciillimè per terrarum orbem evagatæ ſunt, tum ob flagitia quæ ſectabantur, tum quòd obnoxiæ non eſſent inſectationibus aut Judæorum, qui Moſaicas leges ab iis commendari audirent, tametſi minimè ab iis ſervarentur; aut Ethnicorum, quòd ii non ſecernerentur a Judæis, quorum leges in provinciis Imperii permittebantur.

PER QUOS VIA VERITATIS BLASPHEMABITUR. Chriſtiana Religio per eos obnoxia erit maledictis & conviciis Gentilium & Judæorum, qui borum flagitia execrabuntur, & Chriſti Diſcipulis adſcribent. Id re ipſâ contigit, atque odia in Chriſtianos haud ſemel concitavit. Noſtri Apologeticorum Scriptores narrant flagitia, quæ noſtræ Religioni eo tempore tribuebantur, ut invidia apud omnes illi crearetur.

℣. 3. IN AVARITIA FICTIS VERBIS DE VOBIS NEGOTIABUNTUR. Doloſis ſermonibus ad ſe vos trahere conabuntur; pertractos verò ſpoliabunt, ipſique rebus veſtris locupletes fient. Res veſtras quærent illi, non animarum ſalutem: unicum illorum propoſitum futurus eſt quæſtus.

℣. 4. Si

(a) *Deeſt in nonnullis: In populo.* (b) Ψευδοδιδάσκαλοι, *Falſi Doctores, Doctores mendacii.*
(c) *Auguſt. lib. 2 contra hæreſ. Origen. lib. 5 contra Celſ. pag. 272; Iren. lib. 5, c. 10.*
(d) *Theodoret. lib. 2 de hæreſ.* (e) *Iren. lib. 3, cap. 11; Epiphan. de hæreſ. 26, cap. 10; & hæreſ. 28, cap. 5; Iren. lib. 2, c. 25.* (f) *Græc. impreſſ.* Ταῖς ἀπωλείαις, *Perditiones eorum. Alii:* Ταῖς ἀσελγείαις, *Luxuriæ. Ita plures Mſſ.* (g) *Juſtin. Apolog. 2; Iren. lib. 1, cap. 20.*
(h) *Iren. lib. 5, cap. 20.* (i) *Euſeb. Hiſtor. Eccl. l. 2, cap. 13.*
(k) *Euſeb. lib. 3, cap. 28; Theodoret. lib. 2 hæret. fabul. cap. 3.*

℣. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.

℣. 5. Et originali mundo non pepercit, ſed octavum Noë juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, rerum omnium creatarum nobiliſſimis, quantò probabiliùs non parcet hominibus adeò flagitioſis, ſimulque indignis & deſpicabilibus, qui ingratiſſimo animo ſervatorem ſuum deſeruere, abdicavere, atque in illud aſſiduè incumbunt, ut ipſius Imperium & Eccleſiam evertant? De peccato Angelorum diſputavimus in Diſſertatione ad Lucæ Evangelium.

Sed rudentibus inferni detractos in tartarum. Patres vulgò ac Theologi docent, Deum Angelis perduellibus nullum dediſſe pœnitentiæ ſpatium, ſed ſtatim tumultuantes egiſſe præcipites in tartarum, æternæ calamitati obnoxios, nullâ ſpe reditûs aut ſalutis. Pertinacem in eorum ſeditione malitiam vidit Deus, per quam miſericordiâ veniâque indigniſſimi reddebantur. Nulla illis erat ab imbecillitate, aliove nomine excuſatio. Cognitione, donis, viribus cumulatiſſimi, feliciſſimo & glorioſo ſtatu donati, neminem ſe ſuperiorem, præter Creatorem, videbant: quid ultra cuperent? Nullus illis tentator exteriùs, nulla intus concupiſcentia in malum trahens: quamobrem nulla prorſus illis erat excuſatio (l).

Rudentibus inferni. Inſolubilibus, adamantinis catenis illos vinxit Deus, quibus hoſtes ſuos & rebelles in inferis conſtrictos tenet; vinctos evulſit Cœlo, ac præcipites in tartarum egit. Pro *rudentibus inferni* Græcus (m) legit; *Catenis caliginis*; iis nimirum, quibus coërcentur illi, quos tenebroſus tartari carcer continet. Haud ſemel in Veteri Teſtamento vidimus (n), impiorum animas ab Hebræis fingi in imo terræ loco, obſcuro illo ac tenebris obſito, detentas. Teſte Joſepho (o), cenſebant Eſſeni, impiorum animas poſt obitum immitti in loca tenebris & glacie ſqualentia, æternis ibi ſuppliciis cruciatas. Id verò, inquit Joſephus, ſimillimum eſt iis quæ narrant Poëtæ de Ditis regno, ubi & Siſyphos, & Ixionas, & Tantalos legas ſæviſſimè tortos. Vulgari opinioni ſeſe accommodat Petrus, ubi *vinculorum caliginis* meminit.

Detractos in tartarum. *Tartarus* ſemel dumtaxat in Scripturis legitur; ac propriè eſt profundiſſimus terræ locus (p). Eo nomine infernus apud Poëtas ſignificatur (q). Virgilius (r):

. . . . Tum tartarus ipſe
Bis patet in præceps tantùm, tenditque ſub umbras,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus olympum.

S. Auguſtinus (s), Beda, Grotius, aliique exiſtimant, defectores Angelos detruſos in aëris loca terræ propinqua, ubi malitiam in homines & corpora inferiora exercent, dicunturque *poteſtates aëris* (t). Aëris autem regio, cùm inferior multò ſit Cœlis, ex quibus acti ſunt præcipites defectores Angeli, *tartarus* dici poteſt, ſi cum cœlo conferatur. Plerique tamen (u) ſentiunt, Luciferum ejusque aſſeclas reverâ detruſos eſſe in inferos, ibique illorum quampluriraos ſæviſſimis torqueri ſuppliciis; alios verò, Deo permittente, in aëris regione atque in terris vagari, ut homines tentent, juſtamque Dei ſeveritatem in ipſos exerceant. Vide noſtram Diſſertationem de bonis malisque Angelis.

Tradidit cruciandos in judicium reſervari. Græcus (x): *Dedit in judicium ſervatos*. Alii: *Cruciandos ſervari*. Liber Enochi (y) tradit, imperaſſe Deum Archangelo Raphaëli, Azaëlem perduellium Angelorum Principem vinciret, atque in tenebras detruderet. Aperi, inquit, illi deſertum Dudaël, acutis illum lapidibus obrue; lumen non videat, ſupremâque Judicii die detrudatur in ignem, æternùm arſurus. Michaëli quoque præcepit, vinciret *Semiaxam*, e ſeditioſorum principibus unum, eumque cum ſuis duceret ad extrema terræ, usque ad ætates ſeptuaginta, ſupremumque Judicium. Tunc demum in igneum chaos, in cruciatus, æternique carceris catenas detrudentur.

Hujuſmodi locutionibus, ſimulque his Petri, illisque Judæ, qui in Epiſtolâ, ℣. 6, ait, *Angelos* deſertores *in judicium, magni diei vinculis æternis ſub caligine* Deus *reſervavit*, Priſcis compluribus (z) perſuaſum eſt, dæmonas detruſum iri in tartarum ſub mundi exitum, atque ignis pœnam nonniſi poſt ſupremum Judicium ſubituros. Cùm verò Enochi liber apocryphus ſit, nullum huic opinioni pondus addit. Qui illum ſequuti ſunt Patres, nullam ei authoritatem adjecere. Petri & Judæ verba ita explicari poſſunt, dæmonas nempe poſt lapſum reverâ detruſos eſſe in tartarum, ibique juſtam defectionis pœnam ferre non deſiiſſe; supremâ verò Judicii die magnopere auctum iri ipſorum cruciatum & furorem; atque hoc doloris incrementum ſpectari ab utroque Apoſtolo, ubi ajunt, ſervari dæmonas in diem judicii cruciandos. Ita vulgo explicant Theologi & Interpretes (a).

℣. 5. Originali mundo non pepercit, hominibus antediluvianis, quos aquis obrutos inter-

(l) *Vide, ſi placet, Gregor. lib. 2 Moral. cap. 3; Caſſian. Collat. 4, cap. 13; Proſper. lib. 1 de Vit. Contempl. cap. 3; Fulgent. de Fide, cap. 3; Anſelm. lib. 1, Cur Deus homo, cap. 16; Alios apud Eſt. & Cornel. hic.* (m) Σειραῖς ζόφου ταρταρώσας, παρέδωκεν εἰς κρίσιν. *Mſſ. Alex.* Σειροῖς ζόφοις. *Volox.* Σειραῖς ᾅδου. (n) *Iſai.* xiv, 9; *Ezech.* xxxi, 17, 18; xxxii, 19, *&c.*
(o) *Joſeph. de Bello, lib. 2, pag. 788:* Ταῖς δὲ φαύλαις ζοφώδη, καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν, γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων. (p) *Grot. hic.* Τάρταρα *dicitur quod in quaque re infimum eſt, ſive in terrâ, ſive in aquâ, ſive in aëre.* (q) *Vide Vindet. de vitâ Functorum ſtatu.*
(r) *Virgil. Æneid. 6.* (s) *Auguſt. lib 8 de Civit. cap. 22; Tract. 95 in Joan. Hieronym. in Epheſ. vi, 12; Chryſoſt. in Epiſt. 2 ad Theſſal. cap. 21; Tertull. Apolog. cap. 22.*
(t) *Epheſ.* ii, 2. (u) *Vide Eſt. & Cornel. hic.* (x) Παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους. *Alii:* Τηρουμένους. *Ita pluree. Alii:* Κολαζομένους τηρεῖν, *Cruciandos ſervare. Ita Alex. Steph.* δ, ια, ιγ, *Lin. Burd.* 1, *Cov.* 2, *Barec. Petit.* 1, 2, 3, *&c. Alii. Syr, Arab. Auguſt. Fulg.*
(y) *Liber apocryph. Enoch.* Χερσὶ καὶ ποσὶ συμπόδισον αὐτὸν, καὶ ἔμβαλλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος . . . ἐπικάλυψον αὐτῷ σκότος, καὶ οἰκησάτω ἐκεῖ τὸν αἰῶνα ὃ καὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ πῶμασον, καὶ φῶς μὴ θεωρείτω, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως ἀπαχθήσεται εἰς τὸν ἐμπυρισμὸν τοῦ πυρός.
(z) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Iren. lib. 5, cap. 33; Hilar. can. 8 in Matth. Lact. lib. 7, cap. 26; Euſeb. lib. 4 Hiſt. cap. 28, &c.* (a) *Vide Eſt. & Cornel. hic.*

℣. 6. Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens:

℣. 7. Et juſtum Loth oppreſſum a nefandorum injuriâ, ac luxurioſâ converſatione eripuit:

℣. 8. Aſpectu enim, & auditu juſtus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.

℣. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reſervare cruciandos:

℣. 10. Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt: audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes:

COMMENTARIUS.

terfecit: ſeptem dumtaxat homines ſervavit, & octavum *Noë juſtitiæ præconem*; ipſum nempe *octavum (b)*, tres ipſius filios cum uxoribus, Noëmum & uxorem. Juſtitiam hominibus prædicavit geſtis verbisque: divinam in illos iram prædicere non deſiit; Arcam, qua ipſe ex diluvio ſervandos erat, coram conſtruxit: quibus tamen ſignis increduli & pertinaces illi permoveri noluerunt. Si igitur Deus durè adeò in priſcos Gigantes animadvertit, num parcet pſeudo-doctoribus, quorum vita flagitiis, mens malitiâ pleniſſima est? An præſto fuere antediluvianis auxilia & dona, quibus abuſi ſunt iſti, quæque intra animum oppreſſere, ut quodlibet flagitiorum genus ſequerentur?

Cenſent nonnulli *(c)*, hæc verba, *octavum Noë juſtitiæ præconem*, ita reddi oportere: ſervavit Deus Noëmum, *qui octavus fuit juſtitiæ præco*. Is & præco & teſtis juſtitiæ fuit poſt Adamum, Abel, Seth, Enos, Enoch, Mathuſalem, Lamech: at priorem explicationem deſerere religio eſt. Quis enim aſſerat, ſeptem hoſce dumtaxat fuiſſe præcones juſtitiæ ante Diluvium? Prætereà quàm verè dicitur Noëmus excepiſſe Mathuſalem, cùm hic annos vitæ ſexcentos unà cum Noëmo egerit, ipſoque diluvii anno vitam finierit?

℣. 6. Civitates Sodomorum in cinerem redigens, everſione damnavit *(d)*. Compertiſſimum eſt Sodomæ & Gomorrhæ excidium ejusque cauſa. Luculentiſſimum id fuit Divini furoris exemplum, quo oſtenſum eſt, quid maneat hæreticos impiosque, veritatem corrumpentes, animosque obducentes a ſubjectione, quæ Chriſto Jeſu & Eccleſiæ debetur.

℣. 7. Justum Loth oppressum nefandorum injuria *(e)*, ac luxuriosa conversatione. Minimè habebatur Loth a Sodomitis, quippe qui Angelis domi ab eo exceptis flagitium inferre tentaverint; eoque injuriam querente, reſponderint *(f)*: *Recede illuc: ingreſſus es ut advena, numquid ut judices? te ergo ipſum magis quàm hos affligemus*. Tametſi Loth fortaſse abſolutiſſimè juſtus non fuerit *(g)*, juſtum tamen nuncupat Petrus, quòd Dominum vereretur, coleret juſtitiam, collatusque cum cæteris regionis incolis juſtiſſimus eſſet ac piiſſimus. Meliùs quidem egiſſet Loth, ſi domicilium in urbe flagitioſiſſimâ non poſuiſſet; periculis hiſce & contumeliis non fuiſſet obnoxius, neque filias hujuſmodi viris nuptum daturus fuiſſet *(h)*. Iſta quidem Lothi vitia ſunt, quæ diſſimulari nequeunt.

℣. 8. Aspectu et auditu justus erat, caſtos oculis auribusque inter turpiſſima facinora, gentemque flagitioſiſſimam. Ipſe illorum geſta & verba execrabatur, ac moleſtiſſimum illi erat inter tot flagitia vitam agere, eaque conſpicere, quin poſſet occurrere.

℣. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere. Cùm exardeſcit Dei furor in impios, parcit juſtis, quos illorum crimina non tetigerunt. Noëmum diluvio, Lothum excidio Sodomæ liberavit: vos quoque ſervabit ab errore, atque a ſuæ animadverſionis furore proteget, ſi malorum hujuſmodi Doctorum deceptorumque, quos dixi, execrati fueritis: illorum ſupplicium videbitis ipſi, non experiemini. Sin verò illorum erroribus falſisque dogmatibus rapiamini, vos quoque obvolvet ipſorum exitium.

Iniquos vero in diem Judicii reservare cruciandos. Ne putaveris, impios ante diem Judicii vacaturos cruciatu. Illorum animæ poſt particulare judicium, quod ſtatim egreſſæ a corpore ſubeunt, torquentur apud inferos: at poſt generale Judicium conjungentur corporibus, debitamque pœnam utrumque feret. Anima, quantumvis jam nunc infeliciſſima, ad majora tamen poſt eam diem ſupplicia ſervatur.

℣. 10. Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant. Hi cruciatus præſertim eos manent, qui turpes voluptates ſectantur. Memoratos pſeudo Doctores ſignificat: quorum mores erant turpiſſimi, quique quibuslibet flagitiis clam inquinabantur; præſertim verò Simonis Magi Diſcipulos *(i)*, qui nefandæ libidini impietatem & hæreſim adjiciebant. Cæteri ejus ætatis hæretici minoribus vitiis non tenebantur, teſtibus Irenæo & Epiphanio *(k)*.

Dominationem contemnunt, Leges, Magiſtratus, Principes legitimè conſtitutos: nihil niſi res ſuas & libidinem quærunt. Sunt *(l)* qui cenſeant,

(b) *Vide 1 Petr. III, 20. Eſt. Grot. Menoc. Zeger. &c.* Noë decimus ab Adamo.
(c) *Heinſius, Eſt. hic.* (d) *Everſione damnavit. Græc.* Καταστροφῇ κατέκρινε.
(e) Græcus non legit *injuriâ*; Ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναστροφῆς ἐῤῥύσατο.
(f) *Geneſ. XIX, 5, 6, 7, 8, 9.* (g) *Philo de Migrat. Abrah. pag. 410.*
(h) *Geneſ. XIX, 14: Loth locutus eſt ad generos ſuos, qui accepturi erant filias ejus.*
(i) *Sever. in Caten. Græcâ Mſſ. in Colleg. nov. apud Mill. hic.* Σιμωνιανοὺς λέγει, τοὺς ἀσέλγειαν τῇ ἀσεβείᾳ μίξαντας. (k) *Epiphan. de Carpocrat. qui ex Simone & Nicolao ortum ducebant.* Πᾶσαν ἀῤῥητουργίαν καὶ ἀθέμιτον πρᾶξιν, ἣν οὐ θέμιτον ἐπὶ στόματος φέρειν, οὗτοι πράττουσι. Καὶ πᾶν εἶδος ἀνδροβασιῶν, καὶ λαγνιστέρων ὁμιλιῶν πρὸς γυναῖκας ἐν ἑκάστῳ μέλει σώματος.
(l) *Vide Eſt, Men.*

Digitized by Google

℣. 11. Ubi Angeli fortitudine & virtute cùm ſint majores, non portant adversùm ſe execrabile judicium.

℣. 12. Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes, in corruptione ſuâ peribunt,

℣. 13. Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum;

COMMENTARIUS.

ſcant, Petrum hîc ſignificare, Dei authoritatem ab iis ſperni, mediatoribus aliis pro Chriſto ſubſtitutis, volgatisque de mundi creatione & regimine ſabulis. Primorum temporum hæretici multum Angelis & poteſtatibus quibusdam, quas ipſi comminiſcebantur tamquam a Creatore ſecundas, tribuebant.

SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE, BLASPHEMANTES. Græcus (m) ita reddi poteſt: *Qui homines dignitate conſpicuos non verentur conviciis inceſſere*. Cùm vereri debeant Principes ac Magiſtratus, maledictis potiùs lacerant, ac de iis per contemptum loquuntur (n). Ad hunc Petri locum alludit Judas (o): *Dominationem quidem ſpernunt, majeſtatem autem blasphemant*. Græcè eadem vox eſt quæ ſonat *Majeſtatem*, & redditur *Sectas*. Teſte Eraſmo, Latini quidam libri omittunt *introducere*, quod in Græco deeſt.

℣. 11. UBI ANGELI FORTITUDINE, &c. Ipſimet Angeli, quamquam homine multò nobiliores, in dæmooes maledicta & convicia oon congeruot (p); ſatisque habent ea explere, quæ Deus in illos decrevit. Favet huic explicationi Apoſtolus Judas (q), ubi poſtquam dixit, ſupremam authoritatem a pſeudo Doctoribus ſperni, & majeſtatem conviciis peti, ait: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſis corpore, non eſt auſus judicium inferre blasphemia, ſed dixit: Imperet tibi Dominus*. Si ergo Dæmones itam coërcent vel tum, cùm Dei adversarium aggrediuntur, ſatisque habent illi imperare Dei nomine, præter maledicta & convicia: quid dicendum de hiſce errorum Magiſtris, qui neque Deum, neque Dei Vicarios in terris, ipſius nomine authoritatem in hominibus exercentes, verentur? Maximè omnium proclivis videtur hæc explicatio.

Alii (r) de Dæmonibus interpretantur. Dæmones, tametſi pſeudo Doctoribus fortiores multo & validiores, ferre nequeunt damnationem vel ſupplicia, quibus addicti ſunt *a Domino*. Poſtrema hæc verba habet Græcus (s), non Vulgata, Verſionesque Orientales. Quid igitur eventurum eſt hæreticis falſisque Doctoribus, qui Magiſtratus a Deo conſtitutos conviciis inceſſunt? quæ futura ſunt illorum ſupplicia? qui cruciatus? Judicium, quo Dæmones æterno igne damnantur, nuncupat *judicium blasphemia*, execrationis, vel cum execratione conjunctum (t): *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*.

Sunt (u) qui explicent: Non audent Angeli convicia loqui & maledicta in Reges impios ac Principes vel Deo inimiciſſimos; quanto graviùs igitur peccant ii, qui de Eccleſiæ Præſulibus, ac terrarum Moderatoribus obloquuntur? Prior tamen explicatio melior.

℣. 12. HI VERO VELUT IRRATIONABILIA PECORA, NATURALITER IN CAPTIONEM (x), in prædam hominum nata, macello aut venatui deſtinata, in hominis cibum; hi, inquam, hæretici nempe, *quæ ignorant blasphemantes*, Chriſtianam ſcilicet Religionem ejusque myſteria, quæ ipſi mente non aſſequuntur, juſto Dei judicio *in corruptione ſuâ peribunt*. Blasphemiarum flagitiorumque pœnam ferent, Similes ſunt feris, quæ prædam cæco impetu invadentes, ſui ipſarum diſcrimine non animadverſo, præda fiunt illorum, quos ipſæ petebant. Ita pseudo Doctores, Chriſtum Jeſum ejusque Eccleſiam impugnantes, futuri ſunt victimæ illius, cujus Sponſam conviciis, dogmata minimè intellecta maledictis petunt.

℣. 13. VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELICIAS: beatitudinem in eo collocant, ut dies ſingulos, totum vitæ curriculum, in deliciis exigant; ſive, in dies viventes inter delicias (y), nullâ futurorum ſollicitudine; ſeu denique, ea flagitia interdiu patrantes, quæ nocte ac tenebris tegi ſolent (z).

DELICIIS AFFLUENTES, IN CONVIVIIS SUIS LUXURIANTES VOBISCUM. Sunt (a) qui hîc intelligant execranda illa convivia, quæ Carpocratiani agapas nuncupabant, ubi poſt diſtentum epulis ventrem, extinctis lucernis, turpiſſimæ libidines miſtis indiſcriminatim viris ac fœminis exercebantur (b). Pro *in conviviis ſuis*, Græcus vul-

(m) Δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. (n) *Gagn. Pagn. Tigur. Cathar. Clarius, Salmeron, Eraſm. Bez. Piſc. Grot. Eſt.* Δόξας, *ideſt*, τοὺς ἐν δόξῃ.

(o) *Jud.* ℣. 8: Κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι, δόξας δὲ βλασφημοῦσι.

(p) *Adam. Gagn. Clarius, Salmeron. Ita & Grot. Gerhard. Eſt. Hammond. Cornel. hic. Vide & Oecumen.* (q) *Jud.* ℣. 9. (r) *Gloſſ. Lyran. Thom. Hugo, Dionyſ. Cathar. Titelm. &c.*

(s) Παρὰ Κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν, *Judicium execrabile a Domino. Deeſt* παρὰ κυρίῳ *in Alex. Stephan. Petr. 3, Velez.*

(t) *Matth.* xxv, 41. (u) *Zeger. Pagn. Caſtal. Grot. Gem. alii.*

(x) *Græc.* Οὗτοι δὲ ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ, γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν. *Iſti verò ut irrationabilia animalia, naturalia, in capturam & corruptionem. Oecumen.* Φυσικὰ, τουτέστι, κατ᾽ αἴσθησιν μόνον ζῶντα, οὐ κατὰ τὸν νοῦν, ἢ κατὰ τὴν νοερὰν ζωήν. (y) Ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφήν.

(z) *Eraſm. Grot. Tig. Men. Gerhard. Eſt. alii.*

(a) 1 *Theſſal.* v, 7: *Qui dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.*

(b) *Vide Grot. hic, & Scoliaſt. in Mill. & Clem. Alex. lib. 3 Strom.* Τοὺς Καρποκρατιανοὺς εἰς τὰ δεῖπνα ἀθροιζομένους, (οὐ γὰρ ἀγάπην εἴποιμ᾽ ἂν ἔγωγε τὴν συνέλευσιν αὐτῶν) ἄνδρας ὁμοῦ καὶ γυναῖκας μετὰ τὸ κορεσθῆναι ἐν πλησμονῇ, τῇ κυπρίσῃ, φασὶ τὸ καταισχῦνον αὐτῶν τὴν πορνικὴν ταύτην δικαιοσύνην ἐκποδὼν ποιησαμένους, φῶς τῇ τοῦ λύχνου περιτροπῇ, μίγνυσθαι ὅπως ἐθέλοιεν, αἷς ἐβούλοντο.

℣. 14. Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti: Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii:

℣. 15. Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit:

℣. 16. Correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam.

℣. 17. Hi ſunt fontes ſine aquâ, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur.

COMMENTARIUS.

vulgatus fert (c): *In deceptionibus ſuis*. At Codex Alexandrinus aliique nonnulli legunt *in agapis ſuis*, ſeu conviviis charitatis; quæ lectio melior videtur, Judas Apoſtolus (d): *Hi ſunt in epulis ſuis macula*, turpiſſimi, *convivantes*, &c.

Dicere hîc videtur Petrus, Fideles turpibus hujuſmodi conviviis adſuiſſe: *In conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum*. At reverâ illud ſolummodo vult, conatos eſſe hæreticos, iſthæc flagitia, vel iſtis ſimilia inducere in convivia, quæ inter Fideles agitabantur. Fortaſſe etiam per eam ætatem hæreticorum flagitia tam nefanda non erant, quàm deſcribuntur a Clemente Alexandrino (e). Agapæ ſeu convivia charitatis initio modeſtiſſimè agitabantur, quippe quæ ſumptione Corporis Chriſti claudebantur. At ſtatim irrepſit vitium, idque Paulus queritur in Epiſtolâ ad Corinthios (f).

℣. 14. Plenos adulterii et inceſſabilis delicti. Oculos habent libidinis & laſciviæ plenos, nunquam non paratos impuro amori concipiendo, & cæteris inſpirando. Nunquam illi oculos claudunt, neque ceſſant ea intueri, quæ concupiſcentiæ ignem accendant, atque in aſſiduâ peccati actione detineant. Græcus ad verbum (g): *Plenos adultera, & qui a peccato ceſſare nequeant*. Alii tamen libri cum Vulgatâ conſentiunt.

Cor exercitatum avaritia habentes (h). In Paulinis Epiſtolis vidimus, *avaritiam* interdum pro peſſimis cupiditatibus & libidinis æſtu uſurpari (i). Hic etiam eodem ſenſu, ſive pro inſanabili & artificioſâ avaritiâ ſumi poteſt. Pſeudo-Doctores avaritiâ æquè & libidine aguntur.

Maledictionis filii: Deo execrabiles, quibus olim dicturus eſt Deus: Diſcedite, maledicti, in ignem æternum. *Maledictionis filii* ita dicitur, ut filii iræ, filii gehennæ, quos manet mors, ira, maledictio.

℣. 15. Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam. Pſeudo-Doctores erravere, relictâ juſtitiæ & veritatis viâ, pravaſque animi cupiditates ſecuti: imitati Balaamum, victum promiſſis, oblatâque pecuniâ a Balaco Rege Moabitarum, ut Dei populo malediceret (k); cùmque is intelligeret id ſibi a Deo non permitti, ac potiùs bonas preces invito ſibi inſpirari, conſilium Moabitis dedit, ut Iſraëlitas in impudicitiam traherent (l); illud perſuaſum habens, fore ut iſtud populi ſcelus Deus inultum eſſe non fineret. Ita & Hæretici, de quibus Petrus, Balaamum imitantur, omnemque illius avaritiam & animi perverſitatem in ſe ipſi colligunt.

Balaam ex Boſor, Boſorita, quod oppidum ex hac ſententiâ idem fuerit ac Pathor, ſeu Pathura, ad Euphratem, ubi natum ſcimus Balaamum (m). At plerique (n) vertunt: *Balaam filii Boſor*, qui fortaſſe idem eſt ac Beor, Balaami pater in Libro Numerorum memoratus (o). Græci quidam libri, Syrus, S. Auguſtinus (p) legunt hîc *Beor*, non *Boſor*; ipſaque ſyntaxis Græci (q) hanc vocem de Balaami parente, non de patriâ ſumi jubet.

℣. 16. Subjugale mutum animal, &c. Compertiſſima eſt aſinæ Balaamum alloquentis hiſtoria. Illum reverâ arguit Angelus; at loqui incœperat aſina, ac docere, ipſum Deo invito proficiſci (r). Simillimi Balaamo ex eo etiam ſunt Pſeudo-Doctores, quòd, licèt illos animalia muta & ratione carentia non arguant, arguunt tamen homines minori quidem cognitione præditi, ſed eâ meliùs utentes. Sancta Fidelium vita, & docilis mens, ſuperbos hoſce, ſuis in cogitationibus errantes, turpiſſimaſque libidines & flagitia ſectantes, damnant.

℣. 17. Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatæ (s). Sacri Præcones jure dicuntur publici fontes, nubeſque aquis plenæ, quæ omnia fœcundant. At mali Doctores, de quibus Petrus, fontes exhauſti ſunt, aquam promittentes, cùm aquis careant; nubes ventis ac turbine per aëra agitatæ, quæ diſſipantur, nec aquas præbent. Mendaces Doctores populum pervertunt, non ducunt; virus, non utilem dogmatum aquam animis infundunt. *Quibus caligo tenebrarum reſervatur*: projicientur in *tenebras exte-*

(c) Ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν, συνευωχούμενοι ὑμῖν. *Alii*: ἐν ἀγάπαις. *Ita Mſſ. Alex. Barb. Æth. Auth. Tract. de Singular. Cleric.*

(d) *Judæ* ℣. 12: Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμεναι.

(e) *Clem. Alex. lib.* 3 *Strom. loco citato.* (f) 1 *Cor.* xi, 20. 21.

(g) Ὀφθαλμοὺς μεστοὺς μοιχαλίδος, καὶ ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας. *Alii*: Μεστοὺς μοιχείας, ſeu μοιχαλίας, vel μοιχαλίδος, καὶ ἀκαταπαύστου ἁμαρτίας. *Vide Mill. hic.*

(h) Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίαις. *Alii plures*, πλεονεξίας. (i) *Vide Epheſ.* iv, 19. *Oecumen. hic, Eſt. Vide & Epheſ.* v, 3. 5; *Coloſſ.* iii, 5. (k) *Num.* xxii, 7, 8, 9, *& ſeq.*

(l) *Num.* xxv, 2, 3, 4; xxxi, 8; *Joſue*, xiii, 22. (m) *Num.* xxii, 5. *Grot. hic.*

(n) *Ita Syr. Arab. Eraſm. Adam. Cajet. Gagn. Eſt. Men. alii paſſim.* (o) *Num.* xxii, 5; xxiv, 3.

(p) *Auguſt. qu.* 48 *in Numer.* (q) Τῇ ὁδῷ τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσόρ. *Velez.* in Βοσόρ. *Alii*: τοῦ Βεώρ.

(r) *Num.* xxii, 31, 32, *& ſeq.* (s) Νεφέλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι. *Alii plures*: Καὶ ὁμίχλαι ὑπὸ λαίλαπος, *&c. Ita Alex. Steph.* δ, ε, ια, ιγ, *Barb.* 2, *Petit.* 3, *&c.*

℣. 18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore converſantur;

℣. 19. Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſervi ſint corruptionis: a quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.

℣. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.

COMMENTARIUS.

teriores inferorum, de quibus non ſemel Evangelium (t). Confer Judæ 12, 13: *Nubes ſine aquâ; quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.*

℣. 18. Superba enim vanitatis loquentes, &c. Primorum Hæreticorum dogmata ea erant errorum monſtra, ut mirum ſit aliquos fuiſſe, qui ea ſequerentur. Simon, e. g. ajebat, Helenen ſuam, quam fuiſſe meretricem, Tyri ab eo emptam, nemo ignorabat, fuiſſe eamdem illam Helenam, quæ fax belli Trojani fuit (x): eamdem eſſe primam mentem, rerumque omnium matrem; per ipsam decreviſſe Patrem creare Angelos; at ipsam, perſpectâ Conditoris voluntate, deſcendiſſe in locum inferiorem, & peperiſſe Angelos, cæteraſque ſpiritales poteſtates, quibus Patris notitiam ipſa non tradidit: Angelos deinde ac poteſtates condidiſſe mundum & homines; at ne ſua ipſorum origo noſceretur, neve conſtaret, ſeſe a primâ hac mente in lucem editos, illam penès ſe detentam, innumeris affeciſſe contumeliis, ne rediret ad Patrem; incluſiſſe etiam variis mulierum corporibus, præſertim Helenæ Trojanæ, & denique hujus Helenæ, quam ſecum ipse ducebat.

Seſe Chriſtum eſſe ajebat Simon, de Cœlo delapſum, ut Helenam ſuam redimeret; cùmque per Cœlos ſingulos (plures enim Cœlos & mentes ſingulas ſingulorum moderatrices comminiſcebatur) tranſiret, dominantis in ſingulis poteſtatis figuram ſumpſiſſe; denique in terras lapſum hominis figuram accepiſſe, at hominem non eſſe, ſolâque ſpecie fuiſſe a Judæis crucifixum. En inſaniæ Simonis ſpecimina.

Ut Simonis ſuperbiam & ambitionem diſcas, illud ſolummodò accipe, ipſum, antequam Baptiſmo tingeretur, ſeſe jactaſſe apud Samaritanos ceu magnam Dei virtutem (y); ajebat, ſe inter homines lapſum (z), tamquam Patrem Samaritanis, Judæis tamquam Filium, cæteris denique gentibus tamquam Spiritum Sanctum. In quodam e libris ſuis iſta reliquit (a): *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus*, ſeu pulcritudo Dei, *ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia Dei*. Cæteri ejus ætatis Hæretici, puta Carpocratiani, & Gnoſtici, nihilo modeſtiores aut æquiores erant. Ex his vides, quàm verè iſta ſcripſerit Petrus.

Pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ, &c. Per carnis deſideria alliciunt eos, qui paulò antea (b) Chriſtianam Religionem amplexi ſunt, & receſſerunt ab hominibus errore infectis; corrumpunt animos menteſque hominum nuper ab Judaicâ ſeu profanâ religione converſorum, illiſque inſpirant errores & voluptatum amorem; his illecebris eos in hæreſim trahunt. De Simonianorum, Carpocratianorum, Cerinthianorum, Nicolaitarum flagitiis nonnulla tetigimus. Hi ob libidines & morum depravationem malè audiebant vel apud Ethnicos. Validiſſima erat illecebra hominibus nuper ex gentilium ſuperſtitione converſis, ubi proponeretur nova Religio, rudiorem quidem idololatriam execrans, minimè verò damnans libidinem ac luxuriam, quæ inter Ethnicos admittebatur.

℣. 19. Libertatem illis promittentes, nedum a Legis Moſaicæ ritibus, verùm etiam a corporis afflictationibus ac vivendi ſeveritate, quas Chriſti Religio, ab Apoſtolis traditâ, poſtulabat. Servatoris Crux, probra, perpeſſiones ſcandalo erant Judæis, inſaniæ Gentilibus (c): pſeudo-Doctores & priſci Hæretici artem invenerant, quâ ſeſe ab Judæorum ac Gentilium ſectationibus defenderent, & ſcandalum crucis auferrent (d), cùm negarent aut Chriſtum verâ paſſum eſſe, aut eſſe Deum; ſive non verentur iis ſeſe exteriori ſpecie gerere, quaſi Religionem abdicaſſent, diſſimulare ſententias, Numinum cultum ſimulare, denique profanam cum Chriſtianâ Profeſſione conjungere; & pro caſto ſeveroque vitæ inſtituto, quod Apoſtoli docebant Diſcipulos, novi Doctores flagitia quælibet aſſeclis permittebant, modò clam fierent, & Magiſtratus laterent.

Cùm iſta de primorum Hæreticorum aſſeclis dicimus, eadem penitus ipſis inſtitutoribus verè tribuimus: ita enim illos & docuiſſe & geſſiſſe teſtantur S. Irenæus, S. Juſtinus, S. Epiphanius, Euſebius, omnes denique veterum Eccleſiaſticarum Scriptores. Iſta ſæpe illis vitio vertit Paulus; eamdemque rem ſignificat hoc loco Petrus, ubi ait, promittere illos Diſcipulis libertatem, cùm ipſi ſervi ſint corruptelæ, ex vulgato illo principio: *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Quæ ſententia congruit cum alterâ Chriſti apud Joannem (e): *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*; & cum iis Pauli verbis (f): *Neſcitis, quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam*, quæ vitam parit?

℣. 20. Si enim refugientes (g) coinquinationes mundi, converſione ad Chriſtum, & abdicatione dæmonis per Baptiſmum, in cupiditatum ſervitutem, & expiata olim crimina iterum pertrahuntur, *facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus*. Hoc dicere voluit Chriſtus in Evangelio

(t) *Matth.* VIII, 12; XXII, 13. (u) Ὑπέρογκα ματαιότητος φθεγγόμενοι, *&c.*
(x) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Epiphan. hæreſ.* 21; *Juſtin. Apolog.* 2.
(y) *Act.* VIII, 10. (z) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20. (a) *Hieronym. in Matth.* XXIV.
(b) Τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας, *Eos qui verè effugerant. Alii:* Τοὺς ὀλίγον, ſeu ὀλίγως ἀποφυγόντας, *Qui paruṁper*, ſeu *ante breve tempus*, *Vide Mill. V. Lect. hic.* (c) 1 *Cor.* I, 23, 24.
(d) 1 *Cor.* I, 17; *& Galat.* V, 11; VI, 12, 13, 14; *Philipp.* III, 18. (e) *Joan.* VIII, 34.
(f) *Rom.* VI, 16. (g) Εἰ γὰρ ἀποφυγόντες, *Alii:* εἰ γάρ. *Et hæc vera lectio, Grot.*

℣. 21. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.

℣. 22. Contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

COMMENTARIUS.

lio (h) per parabolam de maligno Spiritu, qui ſede pulſus, in loca arida & deſerta ſecedit, domicilium quærens; cùm verò non invenerit, ſeptem alios ſpiritus ſe nequiores aſſumit, atque in priſtinam ſedem revertitur; quam purgatam mundatamque nactus occupat; *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*. Nactus in Templo Chriſtus Paralyticum, quem paulò antea curaverat, monuit (i): *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*.

At qui fit, ut relapſus ſit primo lapſu deterior? nimirum obduratur animus, gratia ceaſat, confirmatur peccandi habitudo, & mentis vulnera graviùs recrudeſcunt. Peccator ad vetera peccata rediens, ingratum animum cæteris criminibus adjicit, & plerumque ſecedens ab eo Deus, illum in ſuâ obduratione deſtituit. Quemadmodum relapſus in morbum perniciosior eſt prioribus morbi ſymptomatibus, cùm exhauſtæ ſint ægroti vires, neque reſiſtere queant novis morbi acceſſionibus; idem prorſus in morbis animi uſu venit (k). Arguebat Chriſtus Phariſæos (l), ipſos maria & terras peragrare, ut proſelytum unum facerent, ac deinde illum inquinatiorem æternisque ſuppliciis digniorem efficere; quòd ſcilicet monitum de idolorum vanitate, atque ab illorum cultu revocatum, præcipuorum Legis capitum, peſſimâ præceptorum interpretatione, contemptorem redderent. Et Paulus ad Chriſtianos ſcribens (m): *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs ſancti . . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam:* non quòd Eccleſia pœnitentiæ fores cuiquam, impiis quoque & ſceleſtiſſimis, claudat, ſed quòd illi perraro & ægerrimè convertantur.

℣. 21. MELIUS ERAT ILLIS, &c. Minùs rei forent, ac levius eſſet illorum ſcelus, nunquam cognitâ veritatis viâ, quàm eâ cognitâ retro converti. Ingrati animi vitium, infidelitatem, deſertionem, contemptum Dei ejusque donorum ac veritatum adjiciunt prævaricationi, ſanctarumque Chriſtianæ Religionis Legum violationi. *Judicavit meliores eſſe inimicos foris poſitos, quàm intùs male viventes, quibus premitur & gravatur Eccleſia*, inquit S. Auguſtinus (n).

℣. 22. CANIS REVERSUS AD VOMITUM. Inter beſtias nihil fœdius eſt cane, qui vomitum iterum vorat: cæteræ abhorrent. Judæi ſive Ethnici, qui, Chriſtianam Religionem amplexi, illam deſerunt ac retro convertuntur, fœdiſſimæ huic beſtiæ ſimiles ſunt. Si bona religio eſt Judaica, aut Gentilia, cur deſeruiſti? Si mala, cur ad eam redis? Alludit Petrus ad illud Proverbiorum (o): *Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam*. Hujuſmodi ſunt ii, qui peccata deflent, & ea quotidie repetunt (p). *Sus lota*, iterum *in volutabro luti*, idem ſignificat: figura eſt vilium impurorumque hominum, qui pravas habitudines, ac propenſionem in peccatum turpesque voluptates nunquam non ſervant.

CAPUT III.

Impoſtores ſupremis temporibus venturi. Alter Jeſu Chriſti adventus. Renovabitur mundus. Ex improviſo proditurus eſt Chriſtus: quamobrem expectandus. Pauli Epiſtolæ interdum difficiles. His abutuntur inſani.

℣. 1. HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem:

℣. 2. Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini, & Salvatoris.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HANC VOBIS SECUNDAM SCRIBO EPISTOLAM. Priorem multos ante annos dederat, ut in Præfatione vidimus; atque hinc intelligimus, hanc miſſam eſſe ad eoſdem Fideles ex Judaicâ profeſſione converſos, Galatiam, Bithyniam, Pontum, Aſiam Minorem frequentantes, quamquam illorum nomina in fronte Epiſtolæ non deſcribuntur.

℣. 2. UT SITIS MEMORES EORUM, QUÆ Epiſtolâ ſuperiore (a) PRÆDIXI, VERBORUM A SANCTIS PROPHETIS, cùm ſcriberem, aperuiſſe illis Deum quæ ventura vobis erant, veſtraque nunc felicitas

(h) *Matth.* XII, 43; *Luc.* XI, 24. (i) *Joan.* V, 14. (k) *Vide Chryſoſt. homil. de Lapſu primi hominis.*
(l) *Matth.* XXIII, 15, 16. (m) *Hebr.* VI, 4, 5, 6. (n) *Auguſt. in Pſal.* 222, *conc.* 2.
(o) *Prov.* XXVI, 11. (p) *Gregor. Magn.* 3 *parte Paſtoral. admonit.* 31.
(a) 1 *Petri*, I, 10, 11.

℣. 3. Hoc primùm ſcientes, quòd venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes,

℣. 4. Dicentes: Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.

℣. 5. Latet enim eos hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra, de aquâ & per aquam conſiſtens Dei verbo,

COMMENTARIUS.

tas ſunt: his magnoperè occupatas fuiſſe illorum mentes, ipſoſque operam dediſſe, ut rerum ſibi a Spiritu Sancto de hoc argumento traditarum ſenſum aſſequerentur. Iterum moneo, quemadmodum ſupra, I, 19. 20, ut operam detis ſtudio Prophetarum, quorum libri ceu lucerna ſunt in tenebroſo loco, eoſque illuſtretis, de Chriſto Jeſu explicantes, atque oſtendentes, impletas in eo eſſe veteris Legis figuras, umbraſque vaticiniorum: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies elucescat.*

ET APOSTOLORUM VESTRORUM. Ne unquam animis cadant quæ ipſe vobis coram tradidi, quæque docuit Paulus, ex quo pariter Evangelium accepiſtis (*b*). Peragratas a Petro Aſiæ Provincias, ex Actis non diſcimus: at præter geminas has epiſtolas, quas ipſe ad harum Regionum Fideles, tamquam ad alumnos, dedit, præſto eſt hiſtoricorum veterumque Eccleſiæ Scriptorum teſtimonium (*c*), qui plurimas Aſiæ Eccleſias ab Apoſtolorum Principe inſtitutas, donataſque Evangelio Galatiam, Bithyniam, Pontum, Cappadociam tradunt, Pauli itinera & prædicatio in pleriſque hiſce Provinciis, compertiſſima ſunt ex Actis, ejuſque Epiſtolis.

Græcus ad verbum (*d*): *Memores ſitis verborum a Sanctis Prophetis, & præcepti Apoſtolorum noſtrorum, Domini & Servatoris.* Sive: *Præcepti noſtri qui ſumus Apoſtoli, Domini ac Servatoris.* Pro *noſtrorum Apoſtolorum*, libri complures ferunt: *Apoſtolorum veſtrorum.* Turbatus creditur verborum ordo, ac reddendum: *Præcepti eorum, quos vobis Dominus ac Servator dedit Apoſtolos.* Præceptum genericè ſignificat omnes Apoſtolorum inſtitutiones, præſertim verò illud, quod Petrus tum hac tum ſuperiori Epiſtolâ monuit, conſtanter tenerent fidem quam acceperant, ſpretis vitatiſque Pſeudo Doctorum fraudibus.

℣. 3. VENIENT IN NOVISSIMIS DIEBUS IN DECEPTIONE ILLUSORES. Explicantur iſta de iis, quæ ante ſupremum Judicii diem eventura ſunt (*e*), & quæ ante & poſt Jeroſolymæ excidium contigere (*f*). Quamobrem duo ſpectantur hoc Petri vaticinio, alterum proximum, remotum alterum. Pſeudo-Prophetæ & deceptores, qui ante & poſt Romanorum in Judæos bellum prodiere, præcurſores erant & figuræ eorum, qui ſupremo mundi excidio ſunt præitori. Duo iſta paſſim miſcent & Chriſtus & Paulus, ſolentque vulgò Scriptores ac Prophetæ rem aliquam aut eventum, futurorum figuram, præmittere, tamquam rei deinde venturæ ſymbolum, pignus, & argumentum. Confer verba Pauli ad Timotheum (*g*) & Judæ 18.

Deceptores, *illuſores* (*h*), deriſores, qui Religionem in ludibrium vertunt, reſque ſanctiſſimas ſpernunt, ſunt Simoniani, Menandriani, Valentiniani, Baſilidiani, Manichæi, Marcionitæ, Nicolaitæ, Carpocratiani, Cerinthiani, Ebionitæ, Gnoſtici, aliæque peſtes, quæ per tria vel quatuor ſæcula Eccleſiam inundavere; & ii, qui eorum hæreſim & deſertionem conſequentibus ſæculis imitati ſunt: nunquam enim inimicis & perſecutoribus caruit Eccleſia.

℣. 4. DICENTES: UBI EST PROMISSIO AUT ADVENTUS EJUS? Hæretici plerique, qui vel Petri ætate vel poſt ejus exitum fuere, reſurrectionem negabant: Simon Magus & aſſeclæ (*i*), Nicolaitæ (*k*), Gnoſtici (*l*), Cerinthiani (*m*), Archontici (*n*), Saturninus (*o*), Baſilides (*p*), Valentiniani (*q*), Marcionitæ (*r*), Marcoſiani (*s*), Apelles (*t*), Bardeſanes (*u*), Cainitæ (*x*), Menander (*y*). Nullum Chriſtianæ Religionis caput plures habuit hoſtes; nullum melioribus argumentis demonſtratum, aut luculentioribus Apoſtolorum teſtimoniis confirmatum.

℣. 5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES. Hoc illi ſponte ignorant, quippe qui non animadvertunt, mundum Dei unius verbo & imperio conditum extitiſſe. Si igitur univerſa condere potuit Deus, quis negaverit, poſſe illum corpora noſtra e pulvere educere, novâque vitâ donare? Ita etiam ſumi poſſunt Petri verba: Rogant per ludibrium impoſtores: Quò abiit promiſſio adventûs Chriſti (*z*)? Cùm omnia, inquiunt, eodem ſtatu ſint, quo condita fuere, mutationem paſſura non videantur, nullumque propterea futurum eſt mundi incendium, nulla corporum reſurrectio, nullum Judicium, Chriſti adventus nullus. Reſpondet Petrus: Tametſi mundus, terra ſcilicet quam incolimus, ex imâ abyſſo, ſive ex chao, ubi olim latebat, prodierit, atque ita uti cernimus tamdiu perſeveraverit, potuit tamen Deus illum rurſus aquis ſuis mergere, cùm gigantes perdendi fuere diluvio, Quis igitur dubitet, queat ne Deus

(b) *Vide Act.* XIII, XIV, XVI, XIX, XX; *& Epiſt. Galat. Epheſ. Coloſſ. Philipp.*
(c) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 3. *cap.* 1, *pag.* 71; *& cap.* 4. *pag.* 73; *Hieronym. de Viris Illuſtr. cap.* 1; *Leo Magn. ſerm.* 80; *Synopſ. S. Athanaſ. in Petro*; *Epiphan. hæreſ* 27; *Theodoret. Præfat. in Galat.*
(d) Μνησθῆναι ... καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς, τοῦ Κυρίου, καὶ σωτῆρος. *Alii plures*: Τῶν Ἀποστόλων ὑμῶν, *Ita Alex. Complut. Colin. Arab. & alii.*
(e) *Auguſt. l.* 20, *cap.* 18; *Medae, alii plures.* (f) *Vide Eſt. Cornel. a Lapide, Grot.*
(g) 1 *Timoth.* IV, 1; 2 *Timoth.* III, 1. (h) Ἐμπαῖκται, *Hebr.* לֵצִים *frequenter in Proverb. Plures Græci*: Ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται, *Auguſt. lib.* 20 *de Civit. cap.* 18; *Illuſione illudentes.*
(i) *Epiphan. hæreſ.* 21; *Auguſt. hæreſ.* 1. (k) *Auguſt. hæreſ.* 58. (l) *Epiphan. hæreſ.* 26, *cap.* 15.
(m) *Epiphan. hæreſ.* 28, *cap.* 6. (n) *Epiphan. hæreſ.* 40, *cap.* 2. (o) *Tertull. Præſcript. cap.* 46.
(p) *Idem loco cit.* (q) *Idem ibidem, cap.* 33. (r) *Iren. lib.* 1, *cap.* 29. (s) *Epiphan. hæreſ* 43, *cap.* 2.
(t) *Epiphan. hæreſ.* 44, *cap.* 4. (u) *Epiphan. hæreſ.* 56, *cap.* 2. (x) *Auguſt. hæreſ.* 58.
(y) *Iren. lib.* 1, *cap.* 21; *Tertull. Præſcription. cap.* 46. (z) *Cornel. Menoc.*

Digitized by Google

℣. 6. Per quæ ille tunc mundus aquâ inundatus periit:

℣. 7. Cœli autem, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.

℣. 8. Unum verò hoc non lateat vos, chariſſimi: quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.

℣. 9. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.

COMMENTARIUS.

Deum mundum igne purgare, quem aquis aliquando purgavit? Utrum Deo eſt difficilius? Hæc videtur eſſe Petri ſententia.

TERRA DE AQUA ET PER AQUAM CONSISTENS DEI VERBO. Ex chao vel abyſſo prodiit terra, teſte Moyſe (a): *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas .... Et fecit Deus Firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum .... Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida: & factum eſt ita.* Præterea *terra per aquam conſiſtit*: niſi enim terra humectaretur aquis, penitus in pulverem ſolveretur: nulla foret illi ſoliditas, elegantia, fertilitas (b). Alii Græcum reddunt (c): *In mediis aquis conſiſtens*: aquis undique impletur, aquis innatat, dimidia aquis mergitur. Ita rem ſibi fingunt Orientales. Ajunt illi, terram aquis ceu cucumerem innatare. In Diſſertatione de Mundi ſyſtemate Veterum Hebræorum docuimus, ita illos de terrâ ſenſiſſe, pluresque veteres Philoſophos illis eſſe ſuffragatos.

℣. 6. PER QUÆ (d) ILLE TUNC MUNDUS PERIIT. Per eas ipſas aquas, per quas exiſtit tellus, tunc merſa periit. Aliter: *Per Cœlos* merſa eſt aquis tellus, cùm, patentibus cœli cataractis, ingentia illa ſuperiorum aquarum conditoria in terras effuſa ſunt (e). Alii (f): *Per quæ*, ſcilicet, *Quamobrem* cùm mundus ejus temporis merſus fuerit aquis diluvii, æquum eſt, mundum hujus temporis ſervari flammis abſumendum, ℣. 7. Profectò minùs vero ſimile videbatur, aridum hoc elementum, quod Omnipotentis manu ex aquis eductum eſt, cujus fundamentum, ut ita dicam, ſunt aquæ, quod per aquas exiſtit, per aquas ipſas perire, quàm periturum eſſe per ignem, cujus natura prorſus contraria eſt, qui natus eſt ad perniciem rerum ex terrâ naſcentium: aquæ enim producunt, alunt, ſervant quicquid ſuper terram, & in terrâ exiſtit.

℣. 7. COELI, QUI NUNC SUNT, ET TERRA, EODEM VERBO REPOSITI (g), IGNI RESERVATI. Idem illud verbum, quod cœlos terramque ex nihilo, terras ex abyſſo eduxit, eaſdem aquis diluvii obruit, minitatum eſt fore ut præſens mundus igne purgetur. Harum igitur minarum fides abſolutiſſimè implenda eſt, quamvis id veroſimile non videatur. *Cœlum & terra* Petro eſt mundus quem nunc frequentamus; terra ſcilicet, aquæ, arbores, animalia, aër quo obvolvimur. Mihi tamen non probatur, *Cœlorum* nomine hìc intelligendos eſſe cœleſtes orbes & aſtra tantò nobis ſuperiora: eò enim fortaſſe perventurus non eſt ignis, quo flagrabit terra: ardebit aër, eoque tellus & aquæ abſumentur aut mutabuntur. Hac de re fusè diſputavimus in Diſſertatione de Fine mundi.

Vetuſtiſſima eſt opinio, mundum ignis vi periturum. Prædixit Adam, inquit Joſephus (h), duplex fore mundi excidium, alterum per ignem, alterum per aquas. Idem prædixere veteres Philoſophi, ſive id ex populorum opinione, ſive ex naturalium rerum contemplatione hauſerint. Hoc Zeno docuerat Stoicos: disertè ſignificavere Pythagoras, Heraclitus, Sophocles, Seneca, Ovidius (i), Lucanus, Sybillæ. *Sidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materiâ uno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit*, inquit Seneca (k).

℣. 8. UNUM HOC VOS NON LATEAT, &c. At, inquies, ſi Chriſtus Jeſus venturus eſt, ut judicium in mundum univerſum exerceat, ac tellus igne abſumenda eſt, cur nullum adhuc ejus rei ſignum cernitur? An nondum expletus eſt ſcelerum numerus? Quàm multa flagitia in terris jam pridem bacchantur, quibus flagitiis concitandus fuerat Dei furor in terræ perniciem, ſi quando tellus eſt peritura? At illud vos ſubeat, diuturnam hanc ſæculorum ſeriem breviſſimum eſſe temporis ſpatium Deo; atque hanc Dei patientiam, quæ vos quodammodo offendit, nihil eſſe Deo infinito, immortali, æterno (l). Non deerit Deo tempus exercendæ in homines reos totâ æternitate vindictæ.

Quàm longo tempore gigantum antediluvianorum arrogantiam & crimina diſſimulavit? An tunc probabilior erat generalis alluvio, quàm nunc terræ totius deflagratio? Quàm multus latet intra terræ viſcera ignis? Quàm multa materies igni opportuna? Quàm multæ regiones ſolis fervore flagrant? Quàm multa loca incolis ob ariditatem carent? Omnia iſta incendium prædicunt. Aſtra, quæ lumen, vitam etiam & motum naturæ univerſæ præbent, omnia in ignem converterent, ſi aliquanto propiùs ad nos accederent.

℣. 9. NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM SUAM.

(a) *Geneſ.* 1, 2, 3, *& ſeq.* (b) *Vide Eſt. Men. Cornel. Jun. Capell.* (c) Δι' ὕδατος συνεστῶσα.
(d) Δι' ὧν, *per quæ, qua de causâ. Alii*, δι' ὃν, *nempe* λόγον Θεοῦ. *Arab.* δι' ὧ, *Nempe* ὕδατα.
(e) *Geneſ.* VII, 11. *Ita Beda, Gloſſ. Vat. Eſt. Cornel. Gagn. Men. alii.* (f) *Pagn. Grot. Piſc. Knatchbul. Bez.*
(g) Τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, *Quaſi in theſauro providentiæ conditi & ſervati ad futurum incendium.*
(h) *Joſeph. Antiq. lib.* 1, *cap.* 3: Προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰσχὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος. (i) *Ovid.*

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

(k) *Senec. ad Marciam in fine.* (l) *Plutarc. de Conſol.* Τὰ γὰρ χίλια, καὶ τὰ μύρια, κατὰ Σιμωνίδην, ἔτη, στιγμή τίς ἐστιν ἀόριστος πρὸς τὸν ἄπειρον ἀφορῶσιν αἰῶνα.

℣. 10. Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu tranſient; elementa verò calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur.

℣. 11. Cùm igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pietatibus,

℣. 12. Expectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent.

℣. 13 Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat.

COMMENTARIUS.

SUAM. Videtur ceſſare Deus, cùm ad ſupremum illum diem nondum veniat: venturus tamen eſt ubi & quo tempore opus fuerit (m). *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire.* Gratias agite ob clementiam, neque moræ vos pigeat: tardat Dei patientia, vocans ad pœnitentiam, veſtramque felicitatem & ſalutem quærens. Memores gratosque vos præſtate temporis, quod ipse vobis largitur, ut pœnitentiam agatis & ad meliora convertamini. Neminem perire vult Deus: communia & generalia omnibus præbet auxilia, quibus unusquisque uti in ſalutem, eo ferente opem, poteſt. Si quis perit, ſe ipse accuſet, non Dei clementiam aut juſtitiam. Nunquam non te excipere paratus eſt Deus: hortatur, manum porrigit: iniquitatem ſolummodo & infidelitatem tuam damnat. Arcana igitur ac formidanda Dei conſilia adora: contremiſce & animum demitte ſub validâ illius manu: ignaviam & pertinaciam tuam ne excuſes.

℣. 10. ADVENIET DIES DOMINI UT FUR. Græcus & Latini complures Libri addunt (n), *in nocte*. Sic in Apocalypſi (o) minitatur Deus, ſeſe venturum *ut furem*, quo tempore minimè expectabitur. Paulus ad Theſſalonicenſes (p) fert: *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet*. Patres alii quamplures (q) cenſuere, diem Judicii noctu venturum, & Chriſtum in altero ſui adventu inter nubes nocturno tempore proditurum. Quovis tamen tempore venturus ſit, minimè dubium eſt, quin furis more ſit acceſſurus, ut impios perniciosâ in quiete dormientes occupet.

IN QUO COELI MAGNO IMPETU; ad verbum (r), *magno ſonitu*, ceu validi turbinis, ſive avis perniciter volantis, vel teli aërem findentis. Abire videbuntur Cœli & evaneſcere, cùm tellus ipsa rapienda ſit & inflammanda rapido validoque igne, quo elementa & metalla ſolventur, ac tellus cum rebus ſuis comburetur: *Elementa calore ſolventur; terra autem, & ea quæ in ipſâ ſunt opera, exurentur.* Vide noſtram Diſſertationem de mundi exitu.

℣. 11. CUM IGITUR HÆC OMNIA DISSOLVENDA SINT, quàm caſtis ſanctisque moribus nos eſſe decet? Si adeò ſævitorus eſt Deus in res animâ carentes, quòd eas uſu profanaverint impii, quid non acturus eſt in impios, qui Dei majeſtati, ejusque nominis ſanctitati injuriam irrogavere, ejusque fœderis ſanguinem proculcarunt? Si Cœlum terramque, nobiles adeò & pretioſas mundi partes, exitio daturus eſt, quid expectandum eſt impiis, qui tam multis rationibus Dei omnipotentis Majeſtatem provocavere?

℣. 12. EXPECTANTES, ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI DOMINI. Qui in animi pertinaciâ & obduratione perſeveratis, ac temerè negatis venturam Dei diem, cur potiùs illud vitæ genus non inſtituitis, quod adventûs illius deſiderium in vobis pariat (s)? Vigilantiam, pietatem, virtutesque cæteras, quas Chriſtus exemplo docuit, colite; ut formidabilis diei expectatio vos non terreat, ſed ſolatio afficiat, veſtrique deſiderii & ſolicitudinis argumentum ſit. Græcus verti poteſt (t): *Expectantes & accelerantes quodammodo votis, optantes, adventum diei Domini.*

℣. 13. NOVOS COELOS ET NOVAM TERRAM. Hæc verba ſatis innuunt, Cœlos terramque non reverſuros in nihilum aut in chaos, neque penitus perituros. Mutabuntur illi exteriore formâ & qualitatibus (u), manente formâ ſubſtantiali. Terra erit, erunt Cœli, ſed puriores ac perfectiores. Erunt qui terram incolant: at juſtitiæ regnum inter illos erit. *In quibus juſtitia habitat*: Redivivi homines, novi orbis incolæ, ſimiles præſentibus non erunt, injuſti, perjuri, ambitioſi, ſuperbi, impii.

Qui verò futuri ſunt novæ terræ incolæ? Pueri ante baptiſmum & rationis uſum mortui, ajunt Theologi quidam (x), poſt Reſurrectionem in terris manſuri, neque beatâ viſione, neque naturali beatitudine fruentes; quamquam naturalem beatitudinem illis negari non poſſe, alii contendunt (y). Perfecti fient & animo & corpore, ut totâ æternitate amare queant, & laudibus tollere Deum, cujus beneficio proprium actu peccatum, æternosque cruciatus effugêre. Suis iterum ornamentis tunc induetur terra, inquiunt nonnulli (z), flores habebit, fructus, arbores, metalla, lapides, quæ & mon-

(m) *Eſt. Men. Cornel. alii.*

(n) *Ut fur in nocte. Græc. impreſſ.* Ὡς κλέπτης ἐν νυκτί. *Omittunt* ἐν νυκτί *Alex. Colb. 7, Pet. 3, Genev. Copht. Syr. Æth. Didym. Auguſt. alii.* (o) *Apoc.* III, 3; XVI, 15. (p) 1 *Theſſal.* V, 2.

(q) *Vide Hieronym. in Matth.* XXV, 6; *Chryſ. Theophyl. Euthym. ibidem; Lactant. lib. 7, c. 19; Prudent. Hymn. Cathemerin.* (r) Οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται. *Quidam:* Ῥοιζηδόν. *Alex. Petit. 2, Cov. 2, Sin. &c.* Ῥοιζηδόν, σφοδρῶς ἠχητικῶς. *Heſych.*

(s) *Senec. ad Marciam, cap. 23: Sapientis animus totus in mortem prominet: hoc vult, hoc meditatur, hac ſemper cupidine fertur in exteriora tendens.*

(t) Προσδοκῶντας, καὶ σπεύδοντας τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ Θεοῦ ἡμέρας.

(u) *Eſt. Men. Tir. Vide Gennad. de Eccleſ. Dogm. cap. 70; Gregor. lib. 17 Moral. cap. 5; & Grot. hic.*

(x) *Vide Leſſium, de Attributis Divin. lib. 13, cap. 23, ex D. Thoma, Scoto, Marſil. Dominic. Soto; & aliis. Cornel. hic.* (y) *Cathar. & Salmer. hic.*

(z) *Anſelm. in Elucidar. Catharin. hic; Abulenſ. in Matth.* XXV; *Serar. in Judith.* XVI, *q.* 23; *Pic. Mirand. in Heptapl. Vide Cornel. hic; Guilielm. Pariſ. apud Dionyſ. Carth. in 4, diſt. 47.*

Digitized by Google

℣. 14. Propter quod, chariſſimi, hæc expectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace:

℣. 15. Et Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis;

℣. 16. Sicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.

COMMENTARIUS.

& mundi ornamento, & innocentium incolarum deliciis ſerviant.

Veteres Millenarii (a) exiſtimant, Electos poſt reſurrectionem annos mille in novâ terrâ, quæ in Scripturis *terra viventium* dicitur, exacturos. Joannes in Apocalypſi (b) Beatorum ſedem deſcribens, Cœlum novum nuncupat ac terram novam; eamque exhibet ceu ſplendidiſſimam orbem ſupra naturæ modum, quam nihil ſubiturum eſt, quod inquinatum ſit & impurum. Ibi non erunt, inquit, *niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni*. Novus hic mundus futurus eſt veritatis & juſtitiæ ſedes: exulabunt iniquitas & mendacium: creatæ res, quæ impietati & ſceleri ſervierunt, pietati & juſtitiæ ſervient. Tunc omnino explendum eſt quod ſcripſit Paulus (c): *Vanitati creatura ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam, in ſpe quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis*. Id poſt reſurrectionem fiet, inquit S. Ambroſius (d), indutis immortalitate hominibus, datisque in libertatem creaturis, quæ nunc in ſervitute ſunt, quippe quæ vanitati & corruptelæ ſerviunt.

℣. 14. SATAGITE IMMACULATI, ET INVIOLATI EI INVENIRI IN PACE. Pacem & concordiam cum fratribus colite, ut veniente ad vivorum mortuorumque judicium Deo, puri & labe carentes inveniamini. Sunt qui *in pace* jungant cum *hæc expectantes*. Dei promiſſa, & Summi Judicis adventum tranquillo animo præſtolamini. Ita vitam inſtituite, ut eam diem non vereamini: cùmque dies ille acceſſerit, vos in pace, ac vigiles, & cum Deo, fratribus, vobisque ipſis bene compoſitos inveniat (e). Sive, ex Grotio: *Omnem date operam, ut Deus vos reperiat ſine ſordibus vitioque, & id bono veſtro (in pace)*.

℣. 15. SICUT ET CHARISSIMUS FRATER NOSTER PAULUS. Literas dederat Paulus ad Galatas, qui ex iis ſunt, quos Petrus geminis Epiſtolis inſtituit: cùm verò Paulus ad Fideles e Gentilitate converſos ſcripſerit, dici nequit ſcribere ad Hebræos ejus regionis, Chriſtum amplexos, voluiſſe. Hic igitur locus explicandus eſt de Pauli Epiſtolâ ad Hebræos, in quam congruunt omnia, quæ hîc a Petro commendantur. I. Apoſtolus in ea majorem explicat ſapientiam, eruditionem, ſublimitatem, quàm in cæteris. II. multa ibi occurrunt intellectu & explicatu difficilia, puta quæ de veteris novique Sacerdotii comparatione, quæque de Moſaicæ Legis abrogatione diſputantur. III denique, id quod majori animadverſione dignum eſt, eaſdem res, quas hîc Petrus, non ſemel in eâ innuit Paulus (f); expectandum ſcilicet illis eſſe Domini adventum; patientiam Dei expectare, ut miſericordiam erga illos exhibeat; Domini moram in ſalutem ipſorum eſſe. Vide Præfationem in Epiſtolam ad Hebræos.

℣. 16. SICUT ET IN OMNIBUS EPISTOLIS, LOQUENS IN EIS DE HIS. Diſputat in ſingulis Epiſtolis Paulus de Domini adventu, de reſurrectione mortuorum, de neceſſitate patientiæ, de bonis operibus, de æternâ vitâ. Falſos Doctores, inimicos Crucis Chriſti, ventrem pro Deo habentes, ſuamque gloriam in rebus dedecore plenis collocantes, ubique exagitat. Hinc vides, Pauli Epiſtolas jam tunc fuiſſe celeberrimas. Judæis ad Chriſtum converſis oſtendit Paulus, ſibi optimè cum Paulo convenire, & unam utrique eſſe doctrinam. Credimus, Petrum & Paulum eo tempore ſimul Romæ fuiſſe, paulò ante martyrium.

IN QUIBUS (g) SUNT QUÆDAM DIFFICILIA INTELLECTU. Neminem latet, nullam eſſe Scripturarum partem explicatu difficiliorem, quàm Pauli Epiſtolas; Judæis præſertim converſis difficillimas & operoſiſſimas, cùm in iis Paulus, utpote Gentium Apoſtolus, ubique commendet fidei virtutem & efficacitatem, doceat inutilia eſſe ad ſalutem ritualia opera, novum fœdus veteri præſtare, antiquatas eſſe Legis loſtrationes, nullum eſſe ciborum delectum, inanem denique circumciſionem, Judæos Doctores, graviſſimum Legis jugum Gentilibus imponere conantes, ubique damnabat. His offendebantur neophyti ex Judæis, & concitabantur. At Paulus, cùm ſibi ſtatuendas eſſe intelligeret præcipuas Chriſtianæ Religionis veritates, minùs verebatur ne Judæos offenderet, quàm ne muneri ſuo deeſſet, & Religionis defenſionem in re adeò gravi defereret. Plurimùm igitur intererat, ſedari a Petro illorum tumultus, eosque moneri, nihil a Paulo tradi, quod a cæteris Apoſtolis non traderetur; ipſosque idcirco offendi, quòd Pauli mentem non ſatis aſſequerentur.

QUÆ INDOCTI ET INSTABILES DEPRAVANT, &c. Notantur his quoque verbis pſeudo-Doctores & hæretici ejus ætatis, a quibus Scripturæ Veteris Novique Teſtamenti non unâ ratione corrumpebantur. Erant qui manum in Textum ipſum injicientes, illum pro arbitrio interpolarent. Veteres Patres (h) graviter damnavere Judæos, tamquam corruptores Sacrorum voluminum in locis quamplurimis Chriſto Jeſu faventibus. Alii, intacto Textu, ita interpretabantur, ut veritati, analogiæ fidei, explicationi a Chriſto & Apoſtolia

(a) *Juſtin. Dialog. cum Tryphone; Auth. qu. ad Orthodox. qu. 95; Irenæ. lib. 5, cap. 32, 35; Victorin. Lactant. Sulpit. Sever. alii.* (b) *Apoc.* xxi, 1, 2, 27. (c) *Rom.* viii, 20. (d) *Ambroſ. Ep.* 34, *nov. edit. n.* 3. *Vide Eſt. in hunc locum.* (e) *Vide Eſt. Men. Tirin. &c.* (f) *Hebr.* x, 10, 13, 14, 16, 40; xii, 1, 2, 3, 5, 6, 7, *&c.* 12, 13, 14, 15. *&c.* xiii, 1, 2, 3. ... 10, 14; iv, 9, 10, 11, *&c.* x, 32, 33, *& ſeq.* (g) Ἐν οἷς ἐστι δυσνόητά τινα. *Alii*: Ἐν αἷς ἐστι, *&c. In quibus, ſupple, Epiſtolis. Ita Steph.* δ, ι, ιε, *Alex. Barb.* 2, *Arab. Æth.*

(h) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Iren. lib. 3, cap. 24; & lib. 4, cap. 25; Origen. lib. contra Celſ. & homil. 21 in Jerem. Epiphan. de Ponderibus & Menſuris.*

℣. 17. Vos igitur, fratres, præſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore traducti excidatis a propriâ firmitate.

℣. 18. Creſcite verò in gratiâ, & in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti. Ipſi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

COMMENTARIUS.

lis traditæ repugnarent.

Nonnulli Evangelia & Apoſtolorum ſcripta invadebant. Compertum eſt, quàm audacter quidam primorum ſæculorum hæretici Evangelia, Epiſtolas Apoſtolicas, Acta, Hiſtorias pro libito comminiſcerentur. Adversùs hos, a quibus Epiſtulæ quædam tamquam a Paulo datæ vulgabantur, munit Paulus ipſe Theſſalonicenſes *(i)*. Alii veris Evangeliis addebant, demebant alii. Mala iſthæc nondum fortaſſe tunc ita latè, utì poſtea, graſſabantur; at jam cœperant, neque deerant illorum exempla.

Maximè omnium abutebantur Pauli Epiſtolis, quæ jam tum omnium manibus terebantur; easque ibi contorquebant in Apoſtoli ipſius, tamquam Moſaicæ Legis inimici, accuſationem; illi ad demonſtrandam operum inutilitatem in ſalutis negotio, uniusque Fidei vim ad comparandam juſtitiam. Erant denique qui ex iis colligerent, homini per Evangelium libertate donato, redemtoque per Chriſti Sanguinem, fas eſſe in quælibet flagitia ruere, nullo ſalutis diſcrimine. Peſſimi multorum hæreticorum, ſeſe Chriſtianos jactantium, mores luculentiſſimè oſtendunt, & veriſſimam & vulgatiſſimam fuiſſe hujuſmodi depravationem. Satis igitur non eſt, Scripturas verſare & legere; quærenda eſt ex Eccleſiâ germana illarum interpretatio. *Quæramus in noſtro, & a noſtris, & de noſtro, idque dumtaxat quod ſalvâ regulâ fidei poteſt in quæſtionem devenire*, inquit Tertullianus *(k)*. *Cedat curioſitas fidei; cedat gloria ſaluti; certè aut non obſtrepant, aut quieſcant.*

℣. 17. CUSTODITE (cavete), NE INSIPIENTIUM (pseudo-Doctorum, Scripturas & ſana dogmata depravantium) ERRORE TRADUCTI, EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE, & fidei naufragium faciatis. Ne imitemini homines a Chriſto deſcriptos *(l)*, qui verbum hilari animo ſtatim accipiunt, at firmis radicibus carent, ac tentationis & diſcriminis tempore retro convertuntur.

℣. 18. CRESCITE VERO IN GRATIA. Fide integrâ, & auxio Chriſtianarum virtutum ſtudio id agite, ut ab Authore donorum omnium perfectorum nova in dies beneficia promereamini. Operam date, opem Deo ferente, ut Patris gratiâ & donis digniſſimi efficiamini. Creſcite gratiâ *& cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*. Opto, myſteria illius & magnitudinem intelligatis, & cognoſcatis veſtra erga illum debita, gloriam illi exhibentes *nunc & in diem æternitatis. Amen.*

IN

(i) 2 *Theſſal.* II, 2: *Ut non terreamini neque per Epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.* (k) *Tertull. de Præſcriptionibus.* (l) *Luc.* VIII, 12, 13.

Finis Commentarii in II Epiſtolam B. Petri Apoſtoli.

IN PRIMAM
B. JOANNIS APOSTOLI
EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

PRima Joannis Epiſtola Canonicam ſemper in Eccleſiâ authoritatem obtinuit. Unde, quando, quibus ſcripta fuerit, ignoramus, tantùmque de eâ varias producimus conjecturas. S. Auguſtinus [a], & alii nonnulli (b) *Epiſtolam ad Parthos* appellant; quo nomine Grotius deſignatos cenſet omnes Judæorum Fideles, qui non Romanis, ſed Parthis, tunc cum Romanis de Orientis Imperio decertantibus, parebant; eos verò potiſſimùm, qui Neardæ, Niſibi, & alibi trans Euphratem verſabantur.

Ex hac *Epiſtolæ ad Parthos* inſcriptione, Joannem apud Parthos prædicaſſe Baronius colligit (c). Reverâ Præcones Fidei apud Indos ferunt, traditione Indos habere, quòd Evangelium in eorum regiones Joannes invexerit. Sed hæc maximè incerta. Apud Veteres, quòd Joannes in eas regiones ſe contulerit, nulla mentio. Eſto etiam, Epiſtolam hanc ad Parthos dederit: an proinde illum eò migraſſe neceſſitas poſtulat? Paulus, cùm ad Romanos ſcripſit, eos nondum viderat; ſcripſit etiam ad Coloſſenſes, quos adiiſſe illum nullibi patet.

Ligfootus de Eccleſiâ [d], ad quam Joannes ſcripſerit, aliam conjecturam producit. Joannes, inquit, in tertiâ ad Gajum Epiſtolâ [e] *ſe jam Eccleſiæ ſcripſiſſe* teſtatur; ei ſanè Eccleſiæ, in qua Gajus verſabatur. Præterea Corinthi nonniſi Criſpum & Cajum ſeu Gajum ablutos fuiſſe Baptiſmate ab Apoſtolo Paulo ſcimus (f). Quare ad Corinthi Eccleſiam hanc Epiſtolam dediſſe jure Joannes creditur; quam enim aliam, præter hanc, ad eam Eccleſiam Joannes ſcripſerit? Satiùs equidem hanc ſtatuimus, quàm aliquam aliam deperditam aſſeramus. Hæc Ligfootus, quæ tamen doctis dijudicanda relinquit. Nos verò huic ſententiæ neminem facilè acceſſurum putamus, quòd conjectura ſit imbecillior; maximè enim ambigitur, Cajus, ad quem Joannes ſuam dedit Epiſtolam, Corinthi ne an potiùs in Aſiâ & ortum & domicilium habuerit.

Diſcrimen etiam, Joannes ad Ethnicos ne an ad Judæos Fideles hanc eamdem ſcripſerit. Plerique ſtant pro Judæis; cui nos opinioni contrarium nihil totâ Epiſtolâ advertimus. Bartolomæus Petri, qui Opus in hanc Epiſtolam ab Eſtio inceptum & propè perfectum continuavit, inde & ad Gentes Joannem ſcripſiſſe haurit, quòd eos idololatriam fugere jubeat (g): *Cuſtodite vos a ſimulacris*. Quis verò prohibet, quin Apoſtolus Judæos ita monuerit, ne in regionibus exteris, atque inter Ethnicos & Idololatras verſantes, facilè ad Idolorum cultum perducerentur?

Hujus Epiſtolæ Author, nullibi nomine ſuo adſcripto, ita ſemper loquitur, ut ſe minimè prodat; proditur autem ſtilo, ſtructurâ, ſententiis, & potiſſimùm charitate, qua Joannes affluens per totam Epiſtolam undique redundat. Per eadem, per quæ Evangelium, verba exorditur, *In principio*; vocem *Logos* [h] adhibet, ut Dei Filium deſignet; & Græcum verbum *erotao* [i], quod *interrogare* ſignificat, pro *rogare* uſurpat. Suo nomine, inquit Grotius, quemadmodum Apocalypſim, & hanc Epiſtolam non inſcripſit, ne Romanis, cùm eam ad regiones illis infenſas per Mercatores Epheſios mitteret, de ſuis Epiſtolis ſuſpicionem crearet, & in Chriſtanos odium illorum & perſecutionem excitaret. Baronius *Epiſtolam ad Parthos* inſcriptam, inſcriptionem verò deperditam cenſet.

Paulò ante Jeroſolymæ everſionem in Inſulâ Pathmos hanc Joannem dediſſe, Grotius antumat; & reverâ proximi Urbis Jeroſolymæ excidii mentio fieri videtur illis verbis (k): *Filioli, noviſſima hora eſt*. Verùm Grotius, qui e Pathmos Inſulâ ſcriptam aſſerit, Joannem annis pluribus (l) poſt Judæorum bellum & Jeroſolymæ excidium in eam inſulam a Domitiano amandatum fuiſſe, reminiſci debuit.

Diu poſtquam ab exilio reverſus fuerat, ab Joanne exaratam alii putant [m]. Verùm adversùs Cerinthi & Simonis Diſcipulos, alioſque ejuſdem ætatis hæreticos, Chriſti Divinitatem impugnantes, & eum non verè, ſed ſpecie tantummodò veniſſe aſſe-

(a) *Aug. Quaſt. Evangel. l. 2, c. 39.*
(b) *Poſidius Indicul. Oper. S. Aug. Idac. Clar. contr. Varimand. Athanaſ. apud Bed. Proleg. in Epiſt. Canonic. Vide & Pſeudo-Hygin. Epiſt. 1. c. 1; & Jo. II ad Valerium.*
(c) *Baron. ad ann. 34 § 30.*
(d) *Ligfoot. horæ Hebr. in 1 Cor. 1, 14.*
(e) *3 Jo. V. 9: Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is qui amat Principatum, Diotrephes non recipit nos. Græc.* Ἔγραψα τῇ Ἐκκλησίᾳ.
(f) *1 Cor. 1, 14.*
(g) *1 Jo. v, 21.*
(h) *1 Jo. v, 7.*
(i) *1 Jo. v, 16:* Οὐ περὶ ἐκείνης λέγω, ἵνα ἐρωτήσῃ.
(k) *1 Jo. II, 18.*
(l) *Tertull. Præſcript. pag. 345; Ambr. Quaſt. in Vet. & N. T. inter Opera S. Aug. qu. 72. tom. 3, Append. pag. 71; Sulpit. Sever. l. 2; Primaſ. & Victorin. in Apocal. Alii.*
(m) *Baron. ad an. Chriſt. 99, art. 7, 8.*

afferentes, ſcriptam fuiſſe & legentibus conſtat, & Clementis Alexandrini, S. Epiphanii, S. Hieronymi, aliorumque plurimorum teſtimonio probatur. Quamobrem paulò ante Romanorum cum Judæis bellum, diuque ante ejuſdem Joannis Evangelium exaratam patet; Cerinthus enim & Simon eâdem, qua Paulus, ætate in vivis agebant, ut ex Pauli Epiſtolis [n], & Epiphanii etiam authoritate ſatis oſtenditur [o]. Hinc fit, ut de hac Epiſtolâ, tamquam de quadam in Joannis Evangelium præfatione, ſit cogitandum.

Epheſi data a quibuſdam ſubſcriptionibus exhibetur; quod ſanè a vero procul non abeſt, cùm Joannem diu in Aſiâ Minori verſatum a Veteribus accipiamus [p]. Quo tamen data fuerit anno, hactenus nemo certò conſtituit. Si ante Jeroſolymæ evertionem ſcripta, ante annum Chriſti LXX ſtatuenda eſt, & quo anno Joannes LXX ſeu LXXIV annos natus, in Aſiâ fortè morabatur. Si poſt ipſum Joannem ab exilio reſtitutum, & poſt ejus Evangelium; poſt Chriſti annum XCVIII eſt collocanda; & tum Joannes annum propè centeſimum agebat.

Hac in Epiſtolâ Joannes illos retundere propoſuerat, 1, qui bona opera ad ſalutem neceſſaria negabant (q); 2, qui Jeſum a Chriſto ſeparabant, & eum Chriſtum minimè eſſe aſſerebant (r); 3, qui Chriſtum non verè, ſed per ſpeciem tantummodò veniſſe dictitabant [s]. Hos errores, quos potiſſimùm oppugnat, Simon Magus, Cerinthus, eorumque aſſeclæ ad Eccleſiæ perniciem evulgabant. Fideles prætereà Dei filios, hæreticos verò & pravos Doctores filios Diaboli appellat (t). Ut Fidem & patientiam colant, Fideles hortatur; Dei erga nos, noſtrum erga fratres amorem plurimùm commendat; Pſeudo-Prophetas & Pſeudo-Doctores increpat; Fidem denique, innocentiam, & Charitatem, Fidelium eſſe characterem oſtendit.

(n) *Vide Comment. in Epiſt. ad Galat. & ad Theſſalon.*

(o) *Epiph. hæreſ. 28. Vide* Tillemont, tom. 2, art. des Cérinthiens.

(p) In Aſiam fortè migravit circa ann. Chr. 66, anno eodem quo Petrus & Paulus martyrium conſummarunt.

(q) 1 *Jo.* III, 4, *&c.*

(r) 1 *Jo.* II, 18, *&c.*

(s) 1 *Jo.* IV, 1, 2, 3, 6, 8, 11, 18.

(t) 1 *Jo.* III, 1, 13.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN *PRIMAM EPISTOLAM* B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Nihil dicit Joannes niſi quod ex Vitâ percepit. Societas cum Patre & Filio, quam Religio Chriſtiana largitur. Peccatum hujus ſocietatis peſtis. Si dixeris te peccato vacare, mentiris, ipſumque Deum mendacii accuſas.

℣. 1. QUod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ:

℣. 2. Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUOD FUIT AB INITIO .... DE VERBO VITÆ (a). Vitæ verbum, quod fuit initio, vobis nunciamus. Nomen & Apoſtoli appellationem, aut homines ad quos ſcribit, Epiſtolæ non præfigit Joannes. Id actum modeſtiæ causâ putat Euſebius (b). Exiſtimant alii, cenſuiſſe Joannem, Epiſtolam hanc, utpote ad Fideles univerſos datam, nulli genti aut urbi eſſe inſcribendam; fruſtra autem additum iri nomen, cùm illam Diſcipulis traderet, ſponte ubique ſcripto vulgaturis, narraturiſque, eam a dilecto Chriſti Diſcipulo eſſe exaratam. Præthereà ſatis per ſe noſci poterat tum ex oratione, tum ex charitatis igne, quo tota fervet.

Ait igitur Joannes, ſeſe nunciare Fidelibus id quod initio fuit; non nova, dubia, incertaque dogmata, ſed æternam, certiſſimam, indubiamque veritatem, cujus teſtes ipſi ſumus, quam ipſi vidimus audivimuſque ex ore ipſius Chriſti Jeſu, qui Deus ex Deo eſt, ipſaque per ſui naturam veritas. Ex eo didicimus verbum vitæ (c), ſalutem, felix nuncium, quo & docemur iter quod nobis tenendum eſt, & ſalutem, quam ſperare nos decet. *Manus noſtræ contrectaverunt* verbum vitæ, Verbum carne indutum (d), Chriſtum Jeſum hominem factum, qui vita eſt per eſſentiam, æternaque veritas. In eo veritas, vita, ſalus, ſermo ſenſibus obnoxia evenere. Non audivimus modò & intelleximus, verùm etiam vidimus, tetigimus, contrectavimus. Ingens & acris eſt hujuſmodi locutionum vis; eæque fermè reſpondent illis ex Joannis Evangelio (e): *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a patre.*

Animadvertit Euſebius (f), Joannem initium facere tum Evangelii cùm Epiſtolæ eodem prorſus modo, commendatâ utrobique Verbi gloriâ & Incarnatione, ut ora inimicis obſtruat, Verbum verè indutum carne negantibus. Ejus rei veritatem ſignificat, ubi ait, id a ſe nunciari quod vidit, audivit, contrectavit *de verbo vitæ, vitamque manifeſtatam eſſe* in Incarnatione Verbi, quod nobis vita eſt, felicitas, & exemplum, ad quod effingendi ſumus, ut ſalutem aſſequamur.

℣. 2. ANNUNTIAMUS VOBIS VITAM ÆTERNAM, QUÆ ERAT APUD PATREM, ET APPARUIT NOBIS. Verbum vita erat in Patre, antequam laberetur in terras: lux hominum erat (g): *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Lux & vita induta

(a) Αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, *De verbo, ideſt, verbum. Ut Pſal.* LXXI, 15: *Dabitur ei de auro, ideſt, aurum. Joël* II, 28: *Effundam de Spiritu meo, ideſt, Spiritum. Eſt. Men. Tir. Gem. Piſc. alii.* (b) *Euſeb. Demonſtr. Evangel. l.* 3, *c.* 5. (c) *Vide Grat. Verſ. alii quidam.* (d) *Ita Patres. Eſt. Zeger. Cornel.* (e) *Joan.* I, 14. (f) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 7, *cap.* 25: Ταῦτα γὰρ προανακρούεται διατεινόμενος ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἐδήλωσε πρὸς τοὺς μὴ ἐν σαρκὶ φάσκοντας ἐληλυθέναι τὸν Κύριον. (g) *Joan.* I, 4.

℣. 3. Quod vidimus & audivimus; annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.

℣. 4. Et hæc ſcribimus vobis ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.

℣. 5. Et hæc eſt annuntiatio, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.

℣. 6. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.

COMMENTARIUS.

duta eſt carne: ſeſe ipſa hominibus prodidit; illam vidimus ipſi, cognovimus, audivimus, tetigimus, contrectavimus. Ante Incarnationem erat hominibus inacceſſa (h): *Lucem inhabitat inacceſſibilem*. Nunc verò videmus ipſi, cum eâque verſamur.

℣. 3. UT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM: eadem vobis de hac re ſit, quæ nobis eſt, ſententia, novaſque hæreticorum, veritatem Incarnationis, adeoque paſſionis, mortis & Reſurrectionis Jeſu Chriſti negantium, opiniones ne ſectemini. Vulgatiſſimi erant hi errores primo & ſecundo Eccleſiæ ſæculo. Seſe Meſſiam eſſe jactabat Simon, ſolâ ſpecie crucifixum, unamque hominis figuram, non rem, a ſe aſſumptam (i). *Jeſum a Chriſto* diſtinguebant Cerinthiani. *Jeſus*, ajebant, merus homo fuit, communi omnium ratione ex Joſepho & Mariâ procreatus; quo per Joannem baptizato, *Chriſtus*, nempe Spiritus Sanctus, ſeſe illi addidit columbæ ſpecie, eumque deinde in paſſione deſeruit, ac ſolum inter cruciatus deſtituit (k). Gnoſtici generatim & Ebionitæ Jeſu Chriſti Divinitatem negavere.

ET SOCIETAS NOSTRA SIT CUM PATRE ET CUM FILIO EJUS JESU CHRISTO. Societatem, quam ſimul habemus, conjunctione ſententiarum de Incarnatione Verbi, leve aliquid eſſe ne exiſtimetis: ea quippe ſocietatem vobis comparat cum Patre & Filio, ſcilicet bonorum omnium maximum. Qui a nobis diſcedunt, nullam cum Deo ſocietatem habent: membra mortua ſunt, a corpore Jeſu Chriſti ſejuncta; filii a Patre deſciſcentes, ejuſque benevolentiâ & hæreditate excluſi. Nos filii illius, membra, hæredes, amici ſumus. *Fidelis Deus*, inquit Paulus (l): *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri. Obſecro autem, ut idipſum omnes dicatis, & non ſint in vobis ſchiſmata*.

℣. 4. HÆC SCRIBIMUS VOBIS (m), UT GAUDEATIS. Idcirco ſcribimus, ut vos in ſententiâ confirmemus, ac muniamus adversùs fraudes pſeudo Doctorum, veritatis hoſtium, quorum verbis docentur nova iſta quæ ſcribimus; *ut gaudium veſtrum ſit plenum*, inſpectâ conjunctione veſtrâ cum Deo & Eccleſiâ, firmoque fidei veſtræ fundamento, freto hac ipsâ re quam dicimus, ſpectatum ſcilicet nobis, auditum, intellectum, contrectatum eſſe Verbum humanis artubus indutum. Dicant Simon, Cerinthus, eorumque aſſeclæ, unde hauſerint ea quæ tradunt? An ſpectavere Chriſtum Jeſum? an allocuti ſunt? Quàm levis eſt eorum authoritas?

℣. 5. DEUS LUX EST. Hoc docuimus, & didicimus, voſque credidiſtis: Deus nitida lux eſt, tenebras ignorat. Hæretici autem, quos vitare jubeo, juſtam de Deo opinionem depravant. Ajebat Simon, ſe ſummum eſſe Deum, magnam Dei virtutem (n), Dei pulcritudinem, Paracletum, Omnipotentem (o); Samaritanis Patrem, Filium Judæis, cæteris gentibus Spiritum Sanctum (p). Valentinianorum *Æonas*, ex quibus hi pleroma & confictum Numen compingebant, ipſe commentus eſt. Helenen ſuam aſſerebat eſſe primam mentem (q), rerum omnium matrem, Spiritum Sanctum; eamque primam mentem, invito Patre, procreaſſe Angelos, cæteraſque ſpiritales Poteſtates; Angelos verò & Poteſtates creaſſe mundum & homines. Iſta erant Simonis & Simonianorum deliria, in quibus nil niſi Deum tenebrarum videas. Gnoſtici & Docetæ negabant Incarnationem & cætera quæ ex eâ conſequebantur. En tenebras & errores. Nihil tale vos accepiſtis. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*.

Morali etiam explicatione ſumi poſſunt iſta, illique maximè favent ea quæ conſequuntur. Deus lux eſt; qui ergo conjungi volunt Deo, eos pariter in luce verſari oportet. Lux autem eſt veritas ſententiarum, morum caſtitas, vitæ ſanctimonia. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, inquit Chriſtus (r). *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis* (s). *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate* (t).

℣. 6. SI DIXERIMUS QUONIAM SOCIETATEM HABEMUS CUM EO, ET IN TENEBRIS AMBULAMUS, in infidelitate, errore, ſchiſmate, flagitioque verſamur, ſi colimus opera tenebrarum ab inimicis lucis amata, fruſtra dicimus, ſocietatem nobis eſſe cum Deo lucis & veritatis: rejicimur ab eo ceu fautores hoſtium, & filii Belial. Hæretici & Schiſmatici ſejuncti ſunt ab Eccleſiæ corpore, ejuſque ſpiritu vitâque non gaudent. Abſciſſi non ſunt mali Chriſtiani; at Dei Spiritu, myſticum iſtud corpus animante, non vivunt. Membra ſunt corrupta, dedecus & inutile pondus illi afferentia. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial* (u)?

℣. 7. Si

(h) 1 *Timoth*. VI, 16.
(i) *Epiphan. hæreſ.* 21; *Auguſt. hæreſ.* 1; *Iren. lib.* 1, *cap.* 20.
(k) *Epiphan. hæreſ.* 28, *cap.* 1; *Iren. lib.* 1, *cap.* 25; & *lib.* 3, *cap.* 11. (l) 1 *Cor.* I, 9.
(m) Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία. *Alii plures*; Αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγγελία. (n) *Act.* VIII, 10.
(o) *Hieronym. in Matth.* 24. (p) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20.
(q) *Juſtin. Apolog.* 2; *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Tertull. de Animâ*.
(r) *Matth.* V, 8. (s) *Rom.* XIII, 12. (t) *Epheſ.* V, 8.
(u) 2 *Cor.* VI, 14.

℣. 7. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipse eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.

℣. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.

℣. 9. Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.

℣. 10. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.

COMMENTARIUS.

℣. 7. SI AUTEM IN LUCE AMBULAMUS, poritatem, ſanctimoniam, veritatem colimus, abſolutâ cum illo conjunctione gaudemus, cùm ipſe Deus ſit lucis & veritatis.

ET SANGUIS CHRISTI EMUNDAT NOS. Tametſi Chriſti Sanguis ob abluenda omnium hominum peccata fuſus fuerit, & qui baptiſmum acceperc, merito ejus mortis gaudeant, vetum tamen eſt, eos, qui vel hæreſi vel ſchiſmate ab Eccleſiæ unitate diſcedunt, aut fœderis ſanguinem flagitioſo & pernicioſo vitæ genere polluunt, *non emundari ab omni peccato ſanguine Jeſu Chriſti*. Priſtinum in ſtatum relabuntur, veluti ſus lota iterum ad volutabrum redit (x). Majoribus quàm antea vitiis & labibus inquinantur. Satis igitur non eſt, juſtificationis gratiâ te eſſe donatum; opus eſt illam ſedulò cuſtodias: neque ſufficit, te iniiſſe fœdus cum Patre luminum: opus eſt ad finem usque permaneas.

℣. 8. SI DIXERIMUS QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS, IPSI NOS SEDUCIMUS. At inquies: Nos igitur, qui ſocietatem cum Patre & Filio habemus, juratumque in baptiſmo fœdus tuemur, crimine non vacamus, *& ſanguis Jeſu Chriſti non emundat nos ab omni peccato?* Cavete fraudem. Nego quemquam vacare peccato; nemo abſolutam hujuſmodi juſtitiam ſibi tribuat: unusquisque ſingulis diebus non ſemel peccat (y): at ſi Eccleſiæ communionem colimus, ſumusque orationum ejus & Sacramentorum participes, ſi cum Patre ſocietatem non abdicamus, præſto ſemper eſt noſtris vulneribus pharmacum, noſtriſque ſordibus lavacrum: lacrymarum nempe baptiſmus, & Pœnitentiæ Sacramentum, de quo ſtatim.

℣. 9. SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA, FIDELIS EST ET JUSTUS, UT REMITTAT, &c. At peccata non condonat niſi manentibus in Eccleſiâ, & ſeriò ad ſe redeuntibus, ex animoque dolentibus. Opus eſt confiteamini peccata poſt baptiſmum admiſſa, confiteamini autem Deo ejusque Miniſtro, illius vices in terris gerenti, cui Regni cœlorum claves ipse tradidit, ut alliget ſolvatque. Si hoc auxilio utamini, omnia ex Dei fidelitate & juſtitiâ præſtolari licet; ex fidelitate, quia cùm veniam ad ſe revertentibus promiſerit, datæ fidei deeſſe nequit (z); ex juſtitiâ, quia, eo placato, denegari nequeunt ea, quæ Chriſtus morte ſuâ vobis attulit. Sive, uſurpatâ *juſti* appellatione pro benigno, clementi, pio: Deus miſericordiæ plenus homines ſeſe ex veritate quærentes nequit repellere.

Ex conſequentibus conſtat, agi hìc a Joanne non poſſe, niſi de peccatis poſt baptismum admiſſis, cùm alloquatur Fideles, ſocietatem habentes cum Patre & Filio, donatosque per baptiſmum veniâ peccati originis, & cæterorum, quæ ipſi antea patravere. Certè agi nequit de concupiſcentiâ, quæ peccatum non eſt, neque peccato & pœnitentiâ deletur ſive deſtruitur. Denique ſermo eſſe non poteſt niſi de Pœnitentiæ Sacramento; hujus enim unius eſt peccata dimittere (α).

℣. 10. SI DIXERIMUS QUONIAM NON PECCAVIMUS, MENDACEM FACIMUS EUM; contra enim ſentimus, quàm ſacris voluminibus traditur, velutì ubi dicitur (β): *Nemo mundus a ſorde, ſi vel unius diei fuerit vita ejus ſuper terram*; & (γ): *Non eſt homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*; & (δ): *Septies in die cadit juſtus & reſurgit: impii autem corruent in malum*, in ſui ipſorum perniciem; & (ε): *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*. Confitemini ergo, vos eſſe peccatis obnoxios, niſi mendacii arguere velitis Deum (ζ), & ſi optatis *Verbum ejus in vobis eſſe*, Chriſtum Jeſum Patris verbum in vobis per gratiam morari. Prior tamen explicatio eſt proclivior.

CA-

(x) 2 Petr. II, 22.

(y) Jacob. III, 2: *In multis offendimus omnes*. Vide Auguſt. lib. 25 de Civit. cap. 27: *Quantumlibet juſtè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, nobis non deſunt peccata pro quibus dimittendis debemus orare*. Leo Magn. ſerm. 7 de Epiphan. *Quis invenietur ita immunis a culpâ, ut in eo non habeat juſtitia quod arguat?* Idem ſerm. 6 in Quadrag. Vide Eſt. hic.

(z) Vide Isai. XXX, 15; Jerem. III, 8 . . . . 7; XIV, 22; & alibi paſſim. (α) Vide Eſt. & Cornel. hic.

(β) Job. XIV, 4, juxta 70 Interp. (γ) Eccle. VII, 21. (δ) Prov. XXIV, 16. (ε) Pſal. CXLII, 2.

(ζ) Clem. Alex. & Didym. hic, Cajet. Cathar. Dionyſ. Eſt. Cornel.

CAPUT II.

Ne peccaveris. Chriſtus hominum patronus & redemptio. Vetus novumque præceptum eſt charitas. Filii lucis, & filii tenebrarum. Mundum ne diligas. Vitato hæreticos: conſtans eſto in fide.

℣. 1. FIlioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.

℣. 2. Et ipse eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.

℣. 3. Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus.

℣. 4. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆC SCRIBO VOBIS, UT NON PECCETIS. Superiori Capite docuit, hominem infidelitate atque hæreſi ſejungi a ſocietate, quam cum Patre & Filio habet: hortatur hîc Fideles, ut hoc peccati genus fugiant. Ne putetis ſatis eſſe, quòd ſemel in baptiſmo donati fueritis juſtitiâ, divinoque lumine illuſtrati: iterum labi poteſtis in tenebras, atque ab juſtitiæ & puritatis ſtatu excidere. Quis igitur, ajetis, ſalutem aſſequuturus eſt, ſi tam multa in peccata unusquisque labimur? Ego illud non dico, quodlibet peccati genus cum Chriſtianâ profeſſione eſſe non poſſe. Quædam ſunt quotidiana peccata, quæ Deus facilè dimittit, ſi veniam ex animo poſtules. Tametſi autem in gravia crimina deferamur, *advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*. Miſericordiæ aditum nobis non clauſit Deus, niſi ipſi nobis animi pertinaciâ (a), infidelitate, atque obduratione clauſerimus. Hîc igitur & ſuperiori Capite ſecernenda ſunt peccata quotidiana, & quæ per imbecillitatem a Fidelibus in Eccleſiâ manentibus admittuntur, ab hæreſi, ſchiſmate, infidelitate, pertinaciâ, in quæ ruunt ii, qui a Fidelium communione diſcedunt, & Chriſti Jeſu, noſtri apud Patrem patroni, merita & operam quodammodo reſpuunt.

ADVOCATUM HABEMUS APUD PATREM, JESUM CHRISTUM. Patronus apud Patrem ex eo eſt Chriſtus, quòd ſuum ipſe Sanguinem ſuaque merita exhibeat in criminum noſtrorum expiationem (b). Orat, interpellat, noſtras & Eccleſiæ preces Patri offert, ut peccatorum veniam impetremus: animi dolorem & converſionis deſiderium inſpirat; ad pœnitentiæ Sacramentum impellit: lacrymarum baptiſmo abluit, ſuæque mortis & Paſſionis meritum nobis adſcribit. Is non eſt, qui malam interdum cauſam defendens, Judicis clementiam movere conatur erga reum, qui mores corrigere frequenter nolit. Impetrat primùm Chriſtus id quod ad veniam promerendam exigitur: tum facilè nos in Patris amicitiam inducit. Dæmonem ſæpe deſcribit Scriptura ceu adverſarium, a quo apud Deum accuſamur (c): hîc exhibet Chriſtum, patroni partes agentem, atque a Dæmone, Fidelium omnium hoſte, defendentem (d).

℣. 2. IPSE EST PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS. Pontifex noſter eſt, & hoſtia pro peccatis. Acriùs utiliùsque clamat Chriſti Sanguis, quàm Abelis (e). Nos ipſe dilexit, ſuoque cruore peccatis abluit (f). An quicquam tanto Conciliatori denegaverit Pater? Nullum eſſe poteſt illius miſericordiæ impedimentum, niſi ex animi noſtri ſævitie & pertinaciâ; nullumque peccati genus eſt, quantumvis atrox, quod Sanguine Chriſti expiari nequeat, modò animum non obduret homo, velitque ad Deum per pœnitentiam accedere, merito hujus hoſtiæ gaviſurus. Redemptionis a Chriſto partæ beneficio nemo excluditor. Judæus, Gentilis, infidelis, juſtus, impius. Mortem ille obiit *non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi* peccatis; pro præteritis, præſentibus, ac futuris, nemine prorſus excepto, nulloque ſexûs, ætatis, conditionis diſcrimine. Nemo niſi culpâ ſuâ perit: nunquam non manus porriget Deus, ſi ſeriò convertamur. Pertinacibus autem, hæreticis, iisque omnibus, qui ad oblatum lumen ſponte oculos claudunt, tametſi Chriſtus & pro ipſis obierit, efficaciter non applicantur paſſionis illius merita; ipſique ſponte in tenebris ſceleribusque verſantur (g).

℣. 3. IN HOC SCIMUS, QUONIAM COGNOVIMUS EUM, SI MANDATA EJUS OBSERVEMUS. Cognoſci poteſt Deus ſolâ mentis contemplatione, more Philoſophorum (h), qui cùm Deum cognoverint, non coluere uti oportebat, ſuasque cupiditates ſectati ſunt, ut in ſcelera tam gravia ruerent quàm ii qui ignorabant. Noſſe etiam Deum, illique credere potes ratione prorſus inutili, ceu Dæmones, qui Chriſtum confitentur (i) & credunt, ſed more ſervorum formidant, præter animi demiſſionem & charitatem (k): *Dæmones credunt, & contremiſcunt*. Credere debet, ac Deum cognoſce-

(a) *Grot. hic; Si quis peccaverit; adde, & ſe Eccleſiæ regendum ſanandumque tradiderit. Infra, v, 16; Quales illi Galat.* vi, 1; *2 Cor.* ii, 6; *1 Theſſal.* v, 4; *2 Theſſal.* iii, 15. *Vide & Bed. & Eſt. hic.* (b) *Vide Grot. Eſt. Cornel. hic.* (c) *Apoc.* xii, 9. 10; *1 Par.* xxi, 1; *Job.* i, 6, 9; ii, 4. 7; *Zach.* iii, 1. (d) *Hebr.* vii, 25: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Joan.* xiv, 16: *Ego rogabo Patrem & alium paraclitum dabit vobis. Rom.* viii, 34: *Chriſtus . . . Qui eſt ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis.* (e) *Hebr.* xii, 24. (f) *Apoc.* i, 5. (g) *Vide Eſt. hic, ex Cyrillo, lib. ix Joan. cap.* 56. (h) *Rom.* i, 21. (i) *Luc.* iv, 34, 41. (k) *Jacob.* ii, 19.

℣. 5. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.

℣. 6. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.

℣. 7. Chariſſimi, non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio: Mandatum vetus, eſt verbum quod audiſtis.

℣. 8. Iterum mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.

℣. 9. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt usque adhuc.

COMMENTARIUS.

gnoſcere Chriſtianus fide efficaci & agente, cum charitate ſimul bonisque operibus (l): *Fides, quæ per charitatem operatur*. Fideles ſtatim monuit Joannes, ut Eccleſiæ conſtanter adhæreſcerent, vitarentque hæreticos & pſeudo Doctores, atque in ſocietate cum Patre & Chriſto Jeſu permanerent: tum juſſit vitare peccata, quibus ea conjunctio deſtruitur. Denique hic hortatur, ut fidem habeant vivam, conſtantem, cum charitate conjunctam, bonorum operum feracem. Nam (℣. 4) *Qui dicit ſe noſſe eum*, illique credere, *& mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt*.

℣. 5. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. Sive: Qui Dei præceptis obtemperat, præceptum de charitate erga Deum implet abſolutiſſimè. Ut enim ait Chriſtus (m): *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione meâ, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*. Amoris argumentum eſt obedientia, & obſequium erga amati voluntatem. Perfecta charitas nos in amatum transformat: anima una ſumus duobus in corporibus reſidens (n). *Breve præceptum*, inquit S. Auguſtinus (o): *Dilige, & quod vis fac*. Si enim bene amaveris, nihil facies niſi quod Deo placuerit. Bonorum omnium fons charitas, quemadmodum malorum cupiditas (p). *Ille tenet & quod patet & quod latet in divinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus* (q). *Plenitudo Legis eſt dilectio* (r).

℣. 6. Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Qui amat, ſimilem ſe amato facere ſtudet. Si amor, uti diximus, animam unam in duobus amicorum corporibus ponit, fieri non poteſt, ut idem uterque non velit aut non cupiat. Si tibi eſt Jeſu Chriſti amor, ſi ejus ſpiritu ageris, mundum, opes, gloriam, voluptates odio habebis & ſpernes, uti Chriſtus odio habuit & contempſit (s): operam dabis, ut placeas Patri, quemadmodum ille Patris voluntatem explere in omnibus ſtuduit. Laborandum ſemper Chriſtiano eſt, ut Chriſtum Jeſum moribus exhibeat (u); ut dicere queat cum Paulo (x): *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*.

℣. 7. Non mandatum novum scribo vobis, dum hortor ut Deum ametis & proximum; neque novum jugum cervicibus veſtris impono: *mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis*, veſtrâ in naturâ altè impreſſum: primum eſt hominis officium, juris naturæ, omniumque illius officiorum fundamentum (y). Hoc dumtaxat præſtitit Moyſes, vetus mandatum inſtauravit; Chriſtus ejus mandati amplitudinem & perfectionem, denique quid naturæ Lex poſtularet, oſtendit: diſſipavit tenebras, quibus præceptum hoc humani cordis corruptio obvolverat. Hoc tamen loco Joannes ſignificat id, quod Fideles converſionis & ad Religionem vocationis initio olim didicerant (z): *Mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis*.

℣. 8. Iterum mandatum novum scribo vobis. Vetus eſt per ſe mandatum, utpote quod mentibus veſtris inſcripſit Deus, Legibusque Moſaicis & Evangelicis ſancitum: vobis tamen & mihi eſt novum; ipſique Chriſto novum quodammodo eſt, utpote ab eo amplificatum explicatumque: quamobrem Apoſtolis in Evangelio dixit (a): *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. Vobis etiam mihique eſt novum, cùm ipſe vos hortor, ut excitetis charitatem, ejusque nova ſpecimina erga Deum & fratres exhibeatis.

Tenebræ transierunt, et verum lumen jam lucet. Sub Lege a Phariſæis explicatâ, charitatis præceptum antiquatum erat & obſoleverat: everſa erant filiorum erga parentes, parentum erga filios officia: proximorum loco habebantur amici dumtaxat aut populares: fas eſſe cenſebatur injurias ulciſci, & odiſſe inimicos. Hæc vitia correxit Chriſtus, juſtos Legi charitati fines poſuit, omnia illius capita explicavit. Quamobrem, fratres, cùm *tenebræ tranſierint, & verum lumen jam luceat*, ita vos gerite uti lucis filii (b), vetuſtiſſimum & novum charitatis præceptum ſervate tam abſolutè, quàm Chriſtus exemplo docuit. Sub lege non eſtis, ſed ſub gratiâ (c): invicem amate, uti vos amavit Chriſtus (d).

℣. 9. Qui dicit se in luce esse, fratres amare debet abſolutiſſimè: ſi odit, in tenebris eſt, non lucis filius, ſed peccati ſervus, Chriſti ſpiritu non vivit, gratiâ Chriſti caret. Si intra Eccleſiam continetur, mortuus eſt, membrumque putre & corruptum. At (℣. 10) *qui diligit fratrem ſuum, in lumine* fidei & charitatis *manet*; lu-

(l) *Galat.* v, 6. (m) *Joan.* xv, 10. (n) *Auguſt. lib.* 4 *Confeſſ. cap.* 6: *Bene quidam dixit amico ſuo: Dimidium animæ meæ. Nam ego ſenſi animam meam, & animam illius unam fuiſſe animam in duobus corporibus.* (o) *Auguſt. Tract.* 7 *in Ep. Joan. n.* 8.
(p) *Auguſt. Serm. olim* 39 *de Tempore, nunc* 350. (q) *Auguſt. ibidem, n.* 2.
(r) *Rom.* xiii, 10. (s) *Proſper, lib.* 2 *de vitâ contempl. cap.* 25.
(t) *Joan.* xv, 10. (u) *Rom.* viii, 29; *&* 1 *Cor.* xv, 49. (x) *Galat.* ii, 20.
(y) *Aug. Cornel. Men. alii.* (z) *Eſt. Oecumen. Grot. Ham. alii.* (a) *Joan.* xiii, 34.
(b) *Epheſ.* v, 8. (c) *Galat.* v, 18. (d) *Epheſ.* v, 2.

℣. 10. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.

℣. 11. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

℣. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.

℣. 13. Scribo vobis, patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis, adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum.

℣. 14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognoviſtis patrem. Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum.

COMMENTARIUS.

lucis filius verè eſt, perfectusque Chriſti Diſcipulus. *Scandalum in eo non eſt*: in lumine eſt, videt ubi pedem figit, nullum in viâ offendiculum invenit, aut inventum vitat. *Si quis ambulaverit in die*, ait Chriſtus (e), *non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo.* Ita ſi charitatem habeas, omnia pateris, excuſas omnia, bonamque in partem interpretaris, miſeret omnium (f). Si te odêre fratres & inſectantur, curas ut officiis illos mulceas; ſi te injuriâ affecerint, parcis; ſi lapſi fuerint, doles, & opem affers. Ita omnia ſaluti Electorum ſerviunt (g).

℣. 11. Qui odit fratrem, in tenebris est erroris, peccati, præjudicatæ opinionis: illum deſtituit Deus, atque in animi perverſitate derelinquit (h): *Via impiorum tenebroſa: neſciunt ubi corruant.* Sive planiùs: Proximorum odium nubes eſt, mentem animumque obumbrans. Nihil ſedatum eſt, nullus æquitati locus, ubi odium ſederis. Quicquid egerit ille quem oderis, malam in partem accipis, ipſiſque illius obſequiis offenderis: ſi res bene illi cedant, invides; ſi quid optimè & innocentiſſimè faciat, in malum torques: ipſam illius virtutem odioſis nominibus oneras: & quemadmodum is qui colorato vitro ad videndum utitur, omnia vitri colore infecta intuetur; ita qui alterum odit, nihil niſi malum in eo conſpicit: viſa nimirum omnia ſimultate corrumpuntur. Optimè quidam ex Antiquis (i): *Ira furor brevis eſt*. Judicium de rebus vitiat inſania: idem præſtat ira.

℣. 12. Scribo vobis, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. Scribo tamquam filiis lucis, qui peccatorum veniam per baptiſmum retuliſtis. Alloquor tamquam germanos Dei filios: puto enim ineſſe vobis charitatem, quam commendo. Cavete ne degeneres ſitis, & illuſtrem adeò dignitatem amittatis.

Alii (k): *Scribo vobis, filioli, quia remiſſa ſunt vobis peccata nomine Jeſu Chriſti*. Incipit Joannes ad ſingulos hominum ſtatus deſcendere, aptaque unicuique ætati conſilia & monita enumerare. Filioli, qui a primâ ætate credidiſtis Chriſto, & abluti eſtis baptiſmo, gratulor, moneoque, vos peccatorum veniam conſequutos (l) virtute nominis Chriſti per fidem & Baptiſmum.

S. Auguſtinus (m) ita explicat, quaſi Joannes puerorum, juvenum & ſenum nomine Chriſtianos genericè ſignificet; *pueros*, quia natos in baptiſmo; *juvenes*, quia Spiritûs Sancti robore plenos; *ſenes*, quia Patrem æternum, Antiquum dierum (n) agnoſcunt. *In filiis ſignificatur nativitas; in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo.* Prior explicatio proclivior videtur & ſimplicior.

℣. 13. Scribo vobis, patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio est, Cœli terræque Conditorem. Jam ante Baptiſmum noveratis, at non tamquam Servatoris veſtri Patrem: ita noſcebatis, uti vulgò Judæi: at non colebatis puro perfectoque cultu, ſpiritu & veritate, quemadmodum nunc colitis.

Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. Bello & laboribus apta eſt adoleſcentia. Sacram militiam in caſtris Chriſti ſuſcepiſtis, & ſtrenuè in Diabolum pugnaſtis: viciſtis, profligaſtis armis fidei & charitatis (o): *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra.* Permanete igitur ad finem usque in militiâ: *non enim coronabitur, niſi qui legitimè certaverit* (p).

℣. 14. Scribo vobis, infantes, quoniam cognovistis Patrem. Iterum alloquitur *pueros*, baptiſmi aquis purgatos. Pueri plerumque parum eruditi ſunt, ſapientiâ carent & cognitione. Vos tamen Religionis myſteria pervaſiſtis: mentes veſtras illuſtravit Deus, ut ſeſe agnoſcatis ametiſque, & credatis. Doctiores eſtis & ſapientiores, quàm Philoſophorum nobiliſſimi, qui aut male cognoverunt, aut agnitum minimè coluerunt.

Græcus (q), Syrus, S. Auguſtinus (r), Beda (s), Oecumenius, & quidam etiam Latini libri, initio ℣. 14. hæc legunt: *Scripſi vobis, patres, quia cognoviſtis eum qui ab initio eſt.* Cenſent Critici nonnulli, deleta hæc eſſe ex Vulgatâ, utpote ſuperflua: & profectò mera ſunt dictorum repetitio. Rara ſunt Græca exemplaria, in quibus ea deſiderentur.

Juvenes fortes estis . . . et vicistis malignum. Repetit hîc dicta ℣. 5, additque: *Quoniam verbum Dei manet in vobis*; quaſi roboris principium & victoriæ cauſam ſignificet. Amplexi eſtis Fidem, verbum Dei accepiſtis; quamobrem

(e) *Joan.* 11, 9. (f) 1 *Cor.* XIII, 4. *& ſequ.*
(g) *Rom.* VIII, 28. (h) *Prov.* IV, 19. (i) *Senec. de Irâ, cap.* 1; *Cicero Tuſculan. cap.* 4; *Horat. lib.* 1, *Ep.* 2. (k) Γράφω ὑμῖν, τεκνία, ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ.
(l) *Eſt. Cornel. Men. Tir. & Clemens, Oecumen. Dionyſ. Gagn. Cajet. Cathar.*
(m) *Auguſt. in hunc loc.* (n) *Dan.* VII, 9: *Antiquus dierum ſedit.* (o) 1 *Joan.* V, 4.
(p) 2 *Timoth.* II, 5. (q) *Græc. impreſſ.* Ἔγραψα ὑμῖν, πατέρες, ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς. *Vide Eſt. & Brugenſ. & Mill. Var. Lect. hîc.* (r) *Auguſt. in hunc locum.*
(s) *Beda, Oecumen. Th. Anglic. hîc.*

℣. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.

℣. 16. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt.

℣. 17. Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

℣. 18. Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia anti-Chriſtus venit, & nunc anti-Chriſti multi facti ſunt: unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.

COMMENTARIUS.

obrem eſtis adversùs Diaboli vires invicti.

℣. 15. Nolite diligere mundum, &c. Cùm Diabolum viceritis, cavete ne diligatis mundum, mundi ſcilicet voluptates, ſolatia, gloriam, opes: ejus dogmata moresque ne ſectemini: ita enim in ſuperstiti Demonis laqueos iterum incideretis, atque hoſti ſæviſſimo vos ipſi traderetis. Malus idcirco eſt mundus, quòd ibi Dæmon imperium exerceat (t), cumque ingenio ſuo compleat (u). Mundi amor cum Dei amore conjungi nequit (x), tuque duobis dominis ſervire non potes (y).

℣. 16. Omne quod est in mundo, &c. Vide, poſſint ne iſta cum Dei amore conjungi. *Concupiſcentia carnis* omnes ſenſuum, guſtûs, tactûs, carnis voluptates complectitur. *Concupiſcentia oculorum*, illecebras visûs, ſpectacula, inanem curioſitatem, ſuperfluæ cognitionis & ſumptuoſitatis amorem, veſtium, ſupellectilis, ædificiorum pompam, ludos, vanasque mundi nugas, hominum laudes & exiſtimationem, denique ſtudium eorum, quæ boni ſpeciem non rem habent, totaque in hominum mundi amatorum opinione & admiratione conſiſtunt, ſignificat (z). Denique *ſuperbia vitæ* eſt ambitio, amor dignitatis, gloriæ, amplitudinis, fortunarum, cæterarumque rerum, quæ cum opulentiâ conjunguntur, illuſtrium munerum, luxûs, imperii, rerum copiæ, faſtûs, contemptûs cæterorum, licentiæ effrænis.

Misa hæc Joannis ſententia legitur apud Philonem, aliosque veteres Philoſophos: ex quo colligere eſt, eam multo antea inter iſtos fuiſſe vulgatam. Cruentiſſima Græcorum Barbarorumque bella, ſive domeſtica ſive externa, inquit Philo (a), omnia ex uno fonte manarunt, nimirum ex cupiditate vel opum, vel gloriæ, vel voluptatis. Et Pythagoras apud Cliniam (b): Juſtitiam violare, niſi aliquâ ex causâ, non ſolet homo: hæ verò tres numerantur; amor voluptatis in ſenſuum deliciis; avaritia in opum ſtudio; ambitio in eo quòd vel æqualibus vel ſimilibus præſtare quis cupit.

℣. 17. Mundus transit, et concupiscentia ejus. Vos ne fallat mundi favor, & amatorum mundi felicitas. Quicquid videtis, & mirantur homines, brevi cadit. Gloriæ, opum, voluptatum diuturnitas major non eſt quàm vitæ; eaque ipſa quàm multis infecta eſt vitiis, doloribus, curis, ærumnis? *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum (c)*. Verâ germanàque felicitate Juſtus in terris fruitus, dum virtutem colit & conſcientiæ teſtimonio commendatur: infinitam beatitudinem expectat, prægustat, anticipat vivâ fide & ſpe: tranquillo mortis genere obit, certiſſimis Dei promiſſionibus fretus; ſummo denique bono potitur in æternitate. Quàm iſtum eſt inter hominis mundum amantis voluptates, gloriam, fortunas, & hominis juſti diſcrimen?

℣. 18. Filioli, novissima hora est. Alia eſt cauſa, cur mundum aſpernemini, vigiles ſitis, charitatem colatis: hora nimirum ſuprema imminens. Mundus quam primùm, nobis ſaltem (d), periturus eſt. Adſunt ſuprema tempora. Poſt Meſſiæ reſurrectionem futuræ non ſunt magnæ illæ in Religione vices, quæ hactenus fuere. Expectandus ſolummodo eſt ſupremus dies, & alter Chriſti adventus. Animos comparare vos oportet ad ſpectanda ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli prædixere, ſupremâ ſcilicet mundi ætate complures fore pſeudo-Chriſtos & pſeudo-Prophetas (e). Jam expleri res incipit. Quàm multi Hæretici, pſeudo Doctores, mali Chriſtiani, inimici nominis Chriſti, Anti Chriſti?

De Eccleſiæ vexationibus & calamitatibus, quas ipſorum ætas tulit, ita loquebantur Apoſtoli & primævi Fideles, quaſi eſſent ſigna ſupremo Judicio præcuntia. Fortaſſe dicere volebant Apoſtoli, iſta eſſe rerum in mundi exitu futurarum indicia & figuras. Patres multi (f) locutionibus hiſce ad verbum uſurpatis, ſeriò crediderunt, proximum jam imminere Judicium. Supremi dies, & Domini Judicium in Scripturis interdum Jeroſolymæ ac Templi excidium, Judæorumque cladem per Romanos ſignificant (g). Si conſtaret, ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam ante Ro-

(t) *Joan.* XII, 31: *Princeps mundi hujus ejicietur foras.*
(u) *Joan.* V, 19: *Mundus totus in maligno poſitus eſt.* (x) *Jacobi*, IV, 4: *An neſcitis, quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei?* (y) *Matth.* VI, 24.
(z) *Eccle.* IV, 8. *Non ſatiantur oculi ejus divitiis.* Et V, 10: *Quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis?* *Prov.* XXVII, 20: *Infernus & perditio nunquam implentur, ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.* (a) *Philo de Decalogo.* Οἱ γὰρ Ἑλλήνων καὶ Βαρβάρων πρὸς τε ἑαυτοὺς, καὶ πρὸς ἀλλήλους τραγῳδηθέντες πόλεμοι πάντες ἀπὸ μιᾶς πηγῆς ἐρρύησαν, ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς. Περὶ γὰρ ταῦτα κάμνει τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος.
(b) *Pythagor. apud Cliniam in Grotio, hic:* Ὁπόσα δὲ ἐν τῷ τᾶς αἰτίας ἀναφέρεσθαι ... ἀδικέειν πέφυκεν ἄνθρωπος, ... δὲ τρεῖς τυγχάνοντι, φιληδονία μὲν ἐν ταῖς ἀπολαύσεσιν ταῖς διὰ σώματος, πλεονεξία δὲ ἐν ταῖς κερδαλέαις, φιλοδοξία δὲ ἐν τῷ καθυπερέχειν τῶν ἴσων τε, καὶ τῶν ὁμοίων. (c) *S. Cyprian. lib.* I, § 21 *ad Quirin.* & *Calarit. pag.* 312, *addunt: Quomodo & Deus manet in æternum.* (d) *Oecumen. Didym.* (e) *Vide Auguſt. Oecumen. Eſt. Cornel. Gom.*
(f) *Vide Cyprian. lib.* 4 *Ep.* 6; *Hieronym. contra Helvid. Greg. lib.* 4, *Ep.* 38, *Lactant. lib.* 7, *cap.* 25.
(g) *Matth.* XXIV; & 2 *Timoth.* IV, 1; & 2 *Timoth.* III, 2.

℣. 19. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum; ſed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.

℣. 20. Sed vos unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia.

℣. 21. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt.

COMMENTARIUS.

manum in Judæos bellum, locus hic explicari poſſet de ſupremâ eâ calamitate, ut placuit Grotio & Hammondo; eaque fortaſſe veriſſima omnium foret explicatio. Confer Paulum ad Theſſalonicenſes (*h*) & ad Timotheum (*i*).

Sicut audiviſtis quia Antichriſtus venit. De Antichriſto fusè egimus peculiari Diſſertatione. De hujus adventu loquitur ad Fideles Joannes, tamquam de certiſſimo perituri mundi indicio, & de præcurſore alterius adventûs Jeſu Chriſti: atque hunc Antichriſtum tunc proditurum optimè ſecernit ab iis, qui conſequentibus temporibus Evangelium impugnaturi erant, & Eccleſiam inſectaturi. Complures jam tunc erant Antichriſti. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt*. Hi porrò erant Simonis Magi Diſcipuli, ſi ipſe Simon peſtilentem animam jam efflaverat; ut enim diximus, incerta eſt hujus Epiſtolæ ætas. Antichriſti erant Nicolaitæ, Cerinthiani, aliique hæretici reſurrectionem negantes; erant falſi Doctores, quos tam acriter Petrus & Paulus arguunt; erant hæretici, Divinitatem Jeſu Chriſti impugnantes. Hi omnes ipsâ ætate Apoſtolorum, & ante Joannis obitum prodivere; præcurſores Antichriſti, & certiſſimæ peſſimi hominis figuræ (*k*).

℣. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Hæretici, falſique Doctores, de quibus agit, baptiſmo initiati fuerant, & Chriſti fidem profeſſi: in Eccleſiâ verſati ſunt, & Chriſtianorum appellatione uſi: at ſejuncti erant ab Eccleſiâ, & germani ejus filii nunquam fuerant (*l*); neque boni, neque veri Chriſtiani; hypocritæ, lupi animum pelle ovis tegentes; palea tritico mixta: lolium in agro patrisfamiliâs ſatum; membra putria, per ſe ſponte avulſa, vel Eccleſiæ anathemate abſciſſa a Corpore & Communione (*m*): humores mali, ait S. Auguſtinus, vomitu ejecti.

Si fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. Si ſolido fidei & juſtitiæ fundamento ſteti fuiſſent, nunquam illi ab Eccleſiâ receſſiſſent, neque commenti fuiſſent errores, quos hactenus tradidere, & adhuc vulgant. Chriſtiani hominis nota eſt demiſſus, docilis, ſimplex animus corpori Eccleſiæ conſtantiſſimè adhæreſcens. Hujusmodi autem hominem in hæreſim erroresque præcipuos labi non ſinet Deus, niſi ſenſim in ſuperbiam evehi, ab Eccleſiæ Præſulibus deſciſcere, privatas ſententias iis, quas inter Fideles didicit, præferre inceperit. Nemo plerumque niſi per gradus in hæreſim fertur. Superbia primus eſt in errorem gradus; certaque Antichriſtorum cujuslibet ætatis nota eſt (*n*) *adverſari Deo, & extolli ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in Templo* quis *ſedeat, oſtendere ſe tamquam ſit Deus*; nempe legitimæ authoritatis jugum abjicere, ut imperium in ſimplicium animos menteſque conſtituatur.

Sed ut manifeſti ſint. Paſſus non eſt Deus, eorum hypocriſim & ſuperbiam diu latêre. Fieri fermè non poteſt, ut ſimulatio & ſuperbia denique ſeſe non prodant, eoſque manifeſtos non faciant. Aut tumultuoſos, ſeditioſos, authoritatis ſuæ contemptores ipſa Eccleſia ejiciet; aut ipſi ſponte diſcedent, impatientes cenſurarum, quibus aut novæ illorum ſententiæ aut flagitioſi mores ſunt compeſcendi. Corporis totius corruptio colligi ex eo nequit, quòd nequam homines & vitioſi ex illo egrediantur: laudis potiùs argumentum eſt. Non egrederentur mali, ſi vitium eo in corpore toleraretur. *Oportet & hæreſes eſſe*, inquit Paulus (*o*), *ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Ex perſonis probamus fidem*, ait Tertullianus (*p*), *an ex fide perſonas? Avolent igitur quantum volunt paleæ levis fidei: eo purior maſſa frumenti in horreum Domini reponetur.*

℣. 20. Sed vos unctionem habetis a Sancto. Fruſtra de hac re plura vobis dixero: hujusmodi Antichriſtos noſtis, eorumque a nequitiâ & corruptelâ abhorretis. Iſta magis, quàm ex me, ex Chriſto Jeſu ejusque Spiritu didiciſtis (*q*). Eadem ſententia eſt ℣. 27: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos; ſed unctio ejus docet vos de omnibus*. Interiori hac unctione, iſto intelligentiæ dono, & ſapientiæ Spiritu donamur in baptiſmo, idque in Confirmationis Sacramento confirmatur. Exterior unctio, qua linimur, ſacrum & efficax ſignum eſt interioris unctionis, qua cumulamur (*r*).

Sanctus eſt aut Pater, aut Filius, aut Spiritus Sanctus. Unctio eſt totius Trinitatis donum. Unctionem & adoptionem largitur per Filium Pater; utramque Sanguine ſuo nobis comparat Filius; Spiritus Sanctus divinâ prorſus actione mentibus noſtris infundit. Hic Prophetas, hic Apoſtolos unxit; hic divina munera Fidelibus præbet. Exterior unctio, qua linimur, intelligentiæ ſymbolum eſt & divini luminis; & quemadmodum oleum lucernæ infuſum alit flammam lucemque ex flammâ prodeuntem; ita Spiritûs Sancti unctio, dum intra nos manet, docet, illuſtrat, ſolatio & robore cumulat.

℣. 21. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem. Quæ hac Epiſtolâ traduntur, quaſi

(h) 2 *Theſſal.* II, 1, 2, 3. *Vide &* 1 *Theſſal.* IV, 12, 13; *&* V, 1, 2.
(i) 1 *Timot.* IV, 1, 2, 3; *&* 2 *Tim.* III, 2, *&c.* (k) *Ita Eſt. Men. Tir. Cornel. alii.*
(l) *Cyprian. lib.* 1, *Ep.* 8. *Nemo exiſtimet, bonos de Eccleſiâ poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolidâ radice fundatam procella ſubvertit. Inanes paleæ tempeſtate jactantur.*
(m) *Ita Eſt. Men. Tir. Cornel. alii paſſim. Auguſt. hic: Sic ſunt in corpore Chriſti, quomodo humores mali; quando evomuntur, tunc relevatur corpus. Sic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur; & dicit quando eos evomuit: Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me.*
(n) 2 *Theſſal.* II, 4. (o) 1 *Cor.* XI, 19. (p) *Tertull. de Præſcript.*
(q) *Beda, Oecumen. Salmer. Lyr. Cathar. alii plerique.*
(r) *Vide Cyrill. Catbech. Myſtag.* 3; *Greg. Mag. lib.* 5 *Moral. cap.* 19, *ſeu* 20. *Vide Bellarm. lib.* 2 *de Sacram. Confirm. cap.* 5, *&* 8; *Turrian. lib.* 2, *cap.* 18, *pro Epiſt. Pontif. Cornel. a Lapid. hic.*

℣. 22. Quis eſt mendax, niſi is qui negat, quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt anti-Chriſtus, qui negat Patrem & Filium.

℣. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur filium, & Patrem habet.

℣. 24. Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat: Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.

℣. 25. Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.

℣. 26. Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos;

℣. 27 Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo.

COMMENTARIUS.

quaſi rudibus & minimè inſtitutis non dico: omnes Antichriſtorum artes fraudesque non enumero; non doceo qua ratione vitandi ſint: ſatis iſta vos noſſe, ac fruſtra doceri exiſtimo. Spiritus Sanctus, quo cumulamini, cujus & voces excipitis, in errorem fraudesque vos labi non patietur. *Omne mendacium ex veritate non eſt*: ipſi noſtis. Quamobrem agnitâ novorum hujuſmodi Doctorum fraude, ſtatim rejicietis. Hi ad mendacii patrem pertinent; minimè igitur ad Chriſtum; nulla enim duobus hiſce contrariis conjunctio poteſt eſſe aut ſocietas. Quicquid acceptæ fidei repugnat, fraus eſt & mendacium; ita examine poſthabito pronunciate. Generalis in novas opiniones ſententia. Studio & eruditione opus non eſt, ut videas, utrùm ea quæ audis, ex veteri fide ſint. Si non ſunt, errores ſunt: nihil enim novum admittit Fides.

℣. 22. Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesus est Christus? Novos Meſſias inducunt novi Doctores, & rationes dubitandi de Jeſu Chriſti miſſione ac Divinitate ſeruot: *Jeſum a Meſſia* ſecernunt. Statim hos mendaces nuncupate. Noſtis, Jeſum eſſe Meſſiam, Dei Filium, Patri æqualem, Deum ipſum. Qui aliter loquitur, Spiritu veritatis non agitur, ſed mendacii. Jeſum eſſe Meſſiam negabant Simon & Cerinthus, eumque merum eſſe hominem aſſerebant: atque is communis erat primævorum hæreticorum error, uti vidimus (s).

Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium. Qui Jeſum eſſe Meſſiam negat, is negat & Patrem & Filium. Negat Patrem, qui teſtimonium pro Filio exhibuit, ubi eum chariſſimum ſibi filium eſſe aſſeruit: negat Filium, qui innumeris prope prodigiis ſe & Meſſiam & Dei filium eſſe demonſtravit. Si vulgaria tantùm prodigia patraſſet Chriſtus, Prophetæ duntaxat & ſancti viri loco haberi poſſet; cùm verò & innumera & prorſus inaudita patraverit, & ſuâ quidem unius virtute, ad hoc ipſum ut ſe & a Deo miſſum & Deum eſſe oſtenderet, nulla planè excuſatio eſt iis, qui Meſſiam ipſum eſſe negant (t). Fruſtra confiteris Patrem, ſi negas Filium: qui negat alterum, & alterum negat. 23: *Qui negat Filium, nec Patrem habet.*

℣. 23. Qui confitetur Filium, et Patrem habet. Illuſtre adeò Patri teſtimonium exhibuit Filius, ut agnoſci nequeat Pater, quin ſimul agnoſcatur & Filius. Prophetæ, Filii adventum nuncïantes, omnes de Patre ſermonem habuere. Filium non agnoſceremus, ignorato Patre; at luculenter adeò non agnoſceremus Patrem, & quem ille ſibi poſtulat cultum, niſi veniſſet Filius, ejusque nomine locutus non eſſet. Pleraque Græca Exemplaria formis edita non habent iſta: *Qui confitetur Filium, & Patrem habet*; eaque Interpretes nonnulli (u) temerè a librariis addita exiſtimant. Alii (x) omiſſa cenſent per oſcitantiam. Illud certò conſtat, in eximiis Codicibus, in Syriacâ, Copticâ, Æthiopicâ, Latinis omnibus libris, Græcis quibusdam Editionibus, Cypriano (y), Cyrillo (z), Hilario (a), Auguſtino (b), Bedâ legi. Poſtremos hic fert: *Qui confitetur Filium, & Filium & Patrem habet.*

℣. 24. Quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Nihil ſit, quod Fidem, quam ex Apoſtolis primisque Præconibus accepiſtis, deſerere vos ſuadeat. Tametſi Angelus e Cœlo nova nunc dogmata invehat (c), & mira prodigia coram exhibeantur, anathema dicite omnibus qui ea docuerint, quæ veſtræ converſionis initiò non accepiſtis (d). *Id tenendum, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit*, inquit Tertullianus (e). *Reliquam verò omnem doctrinam docet de mendacio prajudicandam, qua ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Quid agitis inter Fideles, hæretici? *qui eſtis? quando & unde veniſtis? quid in meo agitis, non mei? ..... Mea eſt poſſeſſio: olim poſſideo, prior poſſideo. Habeo origines firmas ab ipſis authoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum* (f).

℣. 25. Hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Æternam ille vitam nobis promiſit. Vanum non eſt, leve, incertumve præmium; æterna nimirum beataque in cœlis vita, qua fruituri ſumus, ubi abſolutam cum Patre & Filio ſocietatem habuerimus. Ut ad eam perveniamus, opus eſt ſervemus Fidem quam accepimus, adhæreſcamus Eccleſiæ, Filium a Patre, Patrem a Filio non ſejungamus.

℣. 26. De his qui seducunt vos; ut quamlibet rem in Religione novam execremini, ac deinde vitetis Simonis & Cerinthi Diſcipulos, qui vos fallere ſtudent dum ingerunt dubitandi rationes, ſit ne Jeſus & Meſſias & Deus.

℣. 27. Unctionem quam accepistis ab eo; a Fi-

(s) *Sup.* 1, ℣. 3. (t) *Joan.* xv, 24. (u) *Knatchbull. hic.* (x) *Eſt. Mill. Camer. alii.*
(y) *Cyprian. lib.* 2 *ad Quirin.* § 26. (z) *Cyrill. lib.* 9 *in Joan. c.* 40. (a) *Hilar. lib.* 6 *de Trinit.*
(b) *Auguſt. Tract.* 3 *in hanc Epiſtol.* (c) *Galat.* 1, 8. (d) *Confer ſup.* ii, 7; *infra*, iii, 11.
(e) *Tertull. Præſcript. cap.* 21. (f) *Idem Præſcription. cap.* 37.

℣. 28. Et nunc, filioli, manete in eo: ut cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.

℣. 29. Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt.

COMMENTARIUS.

a Filio nimirum, vel a Spiritu Sancto, ſive etiam a Patre, uti explicavimus ℣. 20, MANEAT IN VOBIS. Sedulò tuemini Spiritûs Sancti gratiam, qua donati eſtis in Baptiſmo & Confirmatione: vivum lumen intra vos micans (g) nolite extinguere, ne in tenebras & hoſtium inſidias incidatis. Græcus vulgatus legit: (h): *Unctio, quam accepiſtis ab eo, in vobis manet*, non *maneat*. Poſtremam tamen lectionem habet Vulgata, ac tuentur eximii libri complures & nonnullæ Editiones.

SED SICUT UNCTIO EJUS (i) DOCET VOS DE OMNIBUS, monendi a me non eſtis: SICUT DOCUIT VOS, MANETE IN EO. Græcus (k): *Manebitis in eo*. At Vulgatæ favent Græci libri complures, Syriaca, Æthiopica, Codex Alexandrinus, & Græcæ quædam Editiones. Jubet igitur Apoſtolus, manere Fideles in Fide, quam vel ex Apoſtolis vel ex Eccleſiâ accepere, a Spiritu Sancto inſpiratam, ejuſque unctione traditam ipſo converſionis initio, (℣. 28) *ut cùm apparuerit* Dei Filius, judicium in vivos & mortuos exerciturus, *habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus*. His verbis innuit futurum, ut damnentur hæretici ac paternæ fidei deſertores, æternoque probro in Dei judicio obruantur.

℣. 29. SI SCITIS QUONIAM JUSTUS EST, ſive, cùm ſciatis Deum eſſe juſtum, SCITOTE, QUONIAM ET OMNIS QUI FACIT JUSTITIAM, EX IPSO NATUS EST, Dei filius, electus, hæres, non filius iræ ac tenebrarum; modò juſtitiam colere pergat, ſeſeque per infidelitatem dignum non efficiat, qui recenſeatur inter Dei inimicos & diaboli filios, unàque cum illis æterno igne damnetur. Si vobis largitur Deus, ut colatis juſtitiam, fateri vos oportet, id naturæ viribus, aut ductæ ex homine origini non deberi, ſed virtuti, & gratiæ, qua vos Deus ob regenerationem & adoptionem inſtruxit (l): *Qui facit juſtitiam, ex ipſo natus eſt*; omneſque Antichriſtos, pſeudo-Doctores, hæreticos, perverſis moribus homines, non eſſe Dei filios, & ab adoptionis beneficio ſuâ ipſorum culpâ excidiſſe. *Fuerunt illi ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt* (m).

CAPUT III.

Dei charitas erga homines. Filii Dei. Filii Diaboli. Proximorum amor. Fratrum odium. Fides & charitas omnia ex Deo impetrant. Qui mandata ſervat, in Deo manet, in eoque Deus.

℣. 1. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIDETE QUALEM CHARITATEM exhibuit erga nos Pater. Ut oſtendat, nos a Deo in filios adoptatos eſſe per Chriſtum, recitat indicia charitatis illius, quæ ejus dignitatis cauſa, effectum, ſignum & argumentum ſunt. Primum adoptionis ſignum eſt appellatio & dignitas filiorum Dei, qua nos uti permittit, ac facultas appellandi Patrem, eoque nomine ipſum invocandi. *Qui nominantur filii* Dei, *& non ſunt, quid prodeſt illis nomen?* inquit S. Auguſtinus (a). *Verùm hic loquitur de nomine quod a Deo tribuitur. Hic non eſt diſcrimen inter dici & eſſe.* Idem eſt in Deo dici & eſſe. Græcus ſolùm legit (b): *Ut filii Dei nominemur*. At Vulgata, Syrus, Æthiops, Codex Alexandrinus, aliique complures legunt: *Nominemur & ſimus*.

PROPTER HOC MUNDUS NON NOVIT NOS, QUIA NON NOVIT EUM. Si Deum noſſet mundus, amaret, obſequeretur ex animo, eadem certè præſtaret iis qui ad Deum pertineant; magni faceret homines, filiorum Dei dignitate donatos. At hanc laudem magni non facit mundus, quia Deum non amat. Non modò filios Dei non veretur, ſed ſpernit, vexat, inſectatur. Id tamen vos ne terreat: Chriſto meliores non eſtis. *Si mundus vos odit*, inquit Chriſtus (c), *ſcitote quia me priorem vobis* & ſanctiorem *odio habuit*. Mementote, me vobis promiſiſſe ex mundo odia, ærumnas, exilia. *Omnis qui interficit vos, arbitrabitur obſequium ſe præſtare Deo, quia non noverunt Patrem, neque me* (d). ℣. 2. NUNC

(g) 1 *Theſſal.* v, 19: *Spiritum nolite extinguere.* (h) Τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ, ἐν ὑμῖν μένει. *Alii*: Ἐν ὑμῖν μενέτω. *Ita Steph.* δ, ε, ι, ιη, *Colb.* 7, *Barb.* 5, *Cov.* 4, *Genev. Colin. edit.*
(i) Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς, *Sed ſicut ipſa hæc unctio. Alii*: Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτοῦ χρίσμα, *Unctio ejus. Ita Steph.* δ, ι, ια, ιγ. *Barb.* 1, *Cov.* 4, *Syr. Arab. Genev. Colin.* Τὸ αὐτὸ χρίσμα, ἤτοι τὸ πνεῦμα. *Oecumen.* (k) Καθὼς ἐδίδαξεν ὑμᾶς, μενεῖτε ἐν αὐτῷ. *Alii*: Μένετε ἐν αὐτῷ. *Ita Steph.* δ, ι, ιη, *Alex. Barb.* 2, *Petit.* 5, *Cov.* 4, *Genev. Col. Syr. Æth.*
(l) *Vide ſuſ. hic.* (m) *Aug. lib. de Corrept. & Grat. c.* 9. (a) *Auguſt. hic.*
(b) Ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν. *Quidam addunt*, Καὶ ἐσμέν. *Ita Steph.* δ, ε, ι, ιη, ιγ, *Alex. Barb.* 2, *Cov.* 2, 3, 4, *Genev. Oecumen. &c.* (c) *Joan.* xv, 18. (d) *Joan.* xvi, 1, 2, 3.

℣. 2. Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

℣. 3. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

℣. 4. Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.

℣. 5. Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt.

℣. 6. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.

COMMENTARIUS.

℣. 2. NUNC FILII DEI SUMUS, ET NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS. Vos ne crucient mala, quibus vos obruent mundi amatores, neque idcirco animo cadatis, quaſi vos deſerat aut negligat Deus. Dei filiorum dignitas nobilis eſt & illuſtris, non tamen mundi amatoribus. Reverà glorioſi, niſi alterâ in vitâ, futuri non ſumus; tunc verò micabimus eâ gloriâ, quam Deus nobis parat, quæque eſt adoptioni conveniens. Promiſſam hæreditatem tunc inibimus. Exilium eſt præſens vita, ubi origo noſtra & dignitas latent.

QUONIAM CUM APPARUERIT (c), SIMILES EI ERIMUS, gloriâ & immortalitate induti, QUONIAM VIDEBIMUS EUM SICUTI EST. Illum jam per velamina & ænigmata (f) non intuebimur, ſed coram, atque in eum quodammodo transformabimur (g): *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*. Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptibilitatem. Victa tunc jacebunt mors & peccatum (h), nosque gloriâ & abſolutâ beatitudine gaudebimus.

℣. 3. QUI HABET HANC SPEM IN EO, SANCTIFICAT SE, SICUT ET ILLE SANCTUS EST. Si ſperatis, ſimiles vos Jeſu Chriſto in immortalitate gloriâque futuros, opus eſt illi ſimiles in hac vitâ per morum ſanctimoniam & innocentiam efficiamini; nemo enim immortalitate in Cœlis induetur, niſi Chriſto indutus fuerit in terris (i). Quo autem pacto induemini Chriſto? poſito nimirum veteri homine (k), novoque in vobis deſcripto, per cruciatuum, humilitatis, ac manſuetudinis Jeſu Chriſti imitationem (l): *Sicut portavimus imaginem terreſtris, portemus & imaginem cœleſtis*.

℣. 4. OMNIS QUI FACIT PECCATUM, ET INIQUITATEM FACIT, legem violat. Videtur mihi Joannes illud ipſum dicere, quod Jacobus (m): *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Vulgò putabant Judæi, minimè damnatum iri, qui præcipua legis capita ſervaverit, ac penſandum quodammodo bono malum, æternumque ignem vitaturos qui bene & male egerint. Quidam fortaſſe ex Judæis Chriſtiani ſententiam hujuſmodi poſt baptiſma retinebant, ſive fidem per ſe ſufficere ad ſalutem, eâque tegi peccata poſt baptiſmum admiſſa exiſtimabant. Horum errorem ablaturus Joannes ait, violari legem a peccante, graveſque legis violationes, per pœnitentiam non expiatas, æternis dignas eſſe ſuppliciis. Quamobrem damnationem non effugietis, ſi aut fidem ſolam tenueritis, aut aliqua duntaxat præcepta ſervaveritis. Ne dixeris: Alterius rem, vitam, famam læſi: at adulterium non feci, Deos alienos non colui, fidem Chriſti non abdicavi. Fieri non poteſt, ut ob ea peccata quæ patravi, me damnet Deus, cæteris bene geſtis neglectis. Miſericordia nunquam non Juſtitiam ſuperat. Salutem igitur conſequar, poſt aliquos aut in hac aut in alterâ vitâ cruciatus, in criminum meorum expiationem.

At Scriptura disertè aſſerit, ignis æterni ſupplicium violatoribus legis ac fœdifragis deberi. Deus, qui Numinum cultum, idem & furtum & homicidium vetuit (n), Æternam ille damnationem indixit graviorum hujuſmodi legum violatoribus, tametſi non æquali ſupplicio, pro criminum naturâ, modo, & numero. Ne ſperetis futurum, ut in Cœlum admittamini, aut efficiamini Chriſto ſimiles, aut immortalitate induamini, niſi lethalia peccata effugiatis. Ut Chriſti felicitate & gloriâ fruaris, ita ut ille ſanctus eſt te eſſe oportet. Hoc ipſum dixit membro ſuperiori, ex quo iſtud conſequitur. Fidem quodammodo, & filiorum Dei dignitatem abdicas, ubi Dei leges violes, & iniqua facias. Lex probè explicata, & quàm latè patet accepta, quidquid boni agendum tibi eſt, & mali vitandum complectitur. Omnia vitæ officia, Dei & proximi amore continentur. Si alterutrum in re gravi violes, ſatis eſt, ut æterno igne damneris, niſi damnationem pœnitentiâ præverteris, quamtumvis boni aliàs præſtiteris.

℣. 5. SCITIS QUIA ILLE APPARUIT, UT PECCATA NOSTRA TOLLERET. Se ille conſpicuum exhibuit, carne induit, ſimilem nobis inter nos præbuit, ut noſtris ſe criminibus oneraret, ea in Cruce expiaret, Patris juſtitiam placaret. Veniam, quam ipſe nobis paſſione promeruit, Baptiſmo conſequimur. At quorſum illa, ſi rurſus in crimen labimur? Inutilem nobis Chriſti mortem reddimus. Fruſtra igitur impius de Chriſti meritis confidit, niſi ſeriò ad Deum convertatur, & crimina baptiſmo lacrymarum eluat; fieri quippe nequit, ut aquæ baptiſmo renoventur (o); *rurſum enim crucifigunt ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habent*.

℣. 6. OMNIS QUI IN EO MANET, NON PECCAT. Ne putaveris, Dei filios, germanoſque Chri-

(c) *Græc.* Οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. *Scimus autem quòd ſi apparuerit. Ita Tertull. de Reſurr. carn. cap.* 2. (f) 1 *Cor.* XIII, 12. (g) 2 *Cor.* III, 18.
(h) 1 *Cor.* XV, 53. (i) *Galat.* III, 27: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*.
(k) *Epheſ.* IV, 22; *Coloſſ.* III, 9: *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem*. (l) 1 *Cor.* XV, 49.
(m) *Jacobi*, II, 10. Vide nos ad eum locum. (n) *Jacobi*, II, 11. (o) *Hebr.* VI, 6.

℣. 7. Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt: ſicut & ille juſtus eſt.

℣. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.

℣. 9. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.

COMMENTARIUS.

Chriſtianos peccare non poſſe; monuit quippe Joannes ipse (p): *Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. At ſubdit: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate*. Putat igitur, labi nos poſſe in peccatum aliquod poſt baptiſmum, illudque confeſſione & pœnitentiâ expiare. Hic verò ſignificat, hominem verè Chriſtianum in peccatum penitus non ruere, colere autem pro viribus, opem Deo ferente, vitæ innocentiam & juſtitiam; ſiquando labatur, ſtatim ſurgere; denique indignum eſſe, qui Chriſti diſcipulus appelletur, eum qui injuriam huic nomini impuris pravisque moribus inſerat. Nihil monſtro ſimilius eſt, quàm Chriſtianus flagitiis deditus.

OMNIS QUI PECCAT, NON VIDIT EUM, NEC COGNOVIT EUM. Ex grege Chriſti non eſt, a quo ei dicetur ſupremâ die judicii (q): *Neſcio vos*. Si Deum noſſet, & Chriſto per charitatem adhæreſceret, peccaret ne, aut injuriam ejus nomini inferret? Neque tamen colligendum eſt, fideles & prædeſtinatos nunquam peccare; aut eos qui interdum peccant, prædeſtinatos eſſe non poſſe, ſi peccaverint, ſtatimque reſipuerint, atque in peccato non perſeveraverint.

℣. 7. QUI FACIT JUSTITIAM, JUSTUS EST. Congruunt iſta cum ℣. 4. Nemo vos decipiat, aſſerens, ſalutem vos aſſecuturos, modò legem in rebus diſertè vetitis, & per commiſſionis peccata non violetis. Nemo ad ſalutem perveniet, niſi juſtus fuerit. Portò qui juſtitiam non facit, juſtus non eſt; ſive, quod in idem recidit, nemo reverâ eſt juſtus, niſi qui juſtitiam colit, quemadmodum Chriſtus ipſe coluit: *Sicut & ille juſtus eſt* (r). Nulla eſt abſque bonis operibus juſtitia; quamobrem fides ſola non ſufficit, quam opus eſt charitate inſtrui (s), & cum juſtitiæ operibus conjungi.

℣. 8. QUI FACIT PECCATUM, EX DIABOLO EST. In Religionis negotio duo tantùm domini ſunt. Qui Dei non eſt, ad Diabolum attinet: qui non eſt filius lucis, filius eſt tenebrarum: qui ad Chriſtum non ſpectat, Chriſti adverſario adhæreſcit. Quamobrem ſi peccas, ſalutem ne ſperes. Suos æſtimat Chriſtus eos tantummodo, qui ſui exemplo veritatem & juſtitiam perſequuntur.

AB INITIO DIABOLUS PECCAT. Vix conditus, a Deo deſcivit, & perduellionis ſocios jam tum quærere incepit. *Invidiâ diaboli mors*, peccatum, *intravit in orbem terrarum* (t); primos quippe hominum parentes in deſertionem ille pertraxit. Ex hac deſertione Adami, & Angelorum perduellione omnia deinde crimina profecta ſunt; homo in peccatum impellitur vel ſuâ ipſius concupiſcentiâ (u), primi pœnâ peccati; ſive ſuaſione Dæmonis, qui ſtruere inſidias & malum homini ſuadere non deſinit: *Ab initio diabolus peccat*. Peccavit, & peccare non ceſſat, poſtquam ſemel cœpit (x). Homo reſipiſcit interdum, & a male agendo quieſcit: nulla diabolo eſt converſio & quies; non quòd nova in dies peccata diabolus cumulet, cùm ultimam criminibus ſuis manum jam tum primùm peccans impoſuerit; ſed quòd nullâ prorſus re compeſci queat illius malitia (y), non ſuppliciorum ſævitiâ non metu, non ſpe. Impius eſt in malo obduratus deploratusque, corrigi aut flecti neſcius. Alludit Joannes ad illa Chriſti verba (z): *Vos* (Judæi increduli) *ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit... quia mendax eſt & pater mendacii*.

IN HOC APPARUIT FILIUS DEI inter homines, aſſumptâ carne, UT DISSOLVAT OPERA DIABOLI, quæ ſunt peccatum, iniquitas, mendacium, denique quicquid pravum eſt & corruptum. Itaque ut ſis verus Chriſti Diſcipulus, opus eſt nihil in te ſit ad diabolum pertinens; ejusque opera & propenſiones in te deſtruas, ſervatâ vitæ innocentiâ, juſtitiâ, veritate.

℣. 9. QUI NATUS EST EX DEO, PECCATUM NON FACIT. Chriſtianus regenerationem in baptiſmo, Spiritûs Sancti unctionem, & gratiam juſtificationis adeptus, cavet, ne peccatum admittat, Chriſti imaginem in ſe ipſe deſtruat, inhabitanti ejus Spiritui moleſtiam pariat. Vide ſupra, ℣. 6. Illud dicere non vult, juſtitiam ſemel in baptiſmo acquiſitam amitti non poſſe, aut Chriſtianum, ad gloriam quoque prædeſtinatum, non poſſe ex juſtitiæ ſtatu excidere. Evertunt hanc ſententiam ea quæ hactenus a Joanne diſputata ſunt; is enim ubique poſuit, Fideles ex Dei filiis poſſe fieri filios Diaboli. At fieri nequit, ut qui filius Dei eſt, dum eo in ſtatu manet (b), in lethale peccatum incidat.

Sive: *Qui natus eſt ex Deo*, ad gloriam prædeſtinatus, *peccatum non facit*, peccare nequit, atque in peccato ad ſupremum usque ſpiritum perſeverare. Illum Deus per gratiam a peccato ſervabit immunem, vel neceſſaria præbebit auxilia ut ſurgat, atque ad ſe per pœnitentiam convertatur (c). *Non peccat, id eſt, non permanet in peccato*, inquit S. Bernardus (d), *quia conſervat eum*,

(p) 1 *Joan.* I, 8, 9. (q) *Matth.* VII, 23. (r) Deſunt hæc verba in quibusdam Codicibus. Vide *Mill. Var. Lect.* (s) *Galat.* V, 6. (t) *Sap.* II, 24. (u) *Jacob.* I, 14. (x) *Auguſt. hic: Non ab initio ex quo creatus eſt, ſed ab initio peccati; quod ab ipſius ſuperbiâ cœperit eſſe peccatum.*
(y) *Vide Bedam hic.* (z) *Joan.* VIII, 44.
(a) *Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6, can. 23; Eſt. Cornel. alios hic.*
(b) *Thom. Anglican. Cajet. Oecumen. hic, Hieronym. lib. 2 contra Jovinian.*
(c) *Bern. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 35; Eſt. hic.*
(d) *Bernard. ſerm. 2 in Septuageſimâ.*

℣. 10. In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.

℣. 11. Quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum.

℣. 12. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occîdit fratrem ſuum. Et propter quid occîdit eum? Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, juſta.

℣. 13. Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus.

℣. 14. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.

℣. 15. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.

COMMENTARIUS.

eum, ut perire non poſſit ea, qua falli non poteſt, generatio cœleſtis. Spectat ad ea verba Capitis v. ℣. 18. *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum*. Quæ idem valent ac iſta: *Peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius* (Dei) *in eo manet*. Dei ſemen eſt Spiritûs Sancti gratia (e), bonorum operum & æternæ gloriæ fructum in nobis ferens: præſertim verò gratia finalis, & donum perſeverantiæ, electis a Deo conceſſum, quod in iis eſt ſemen immortalitatis. Peccare nequeunt, nolunt (f), peccatum execrantur.

℣. 10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii Diaboli. Notis hiſce, mox enumeratis, juſtitiâ, ſanctitate, vacuitate criminis a filiis diaboli ſecernuntur Dei filii. Itaque vobis ipſi ne blandiamini, quaſi una ad ſalutem ſufficiat fides, aut graviorum criminum, idololatriæ, hæreſeos, infidelitatis vacuitas vos ab irâ Dei tutos reddat. Nemini ſalus eſt, niſi Dei filiis; nemo autem eſt Dei filius niſi juſtus & peccato vacuus (ſupra, ℣℣. 6, 7, 8.) & charitatem erga fratres colens, ut hic dicitur.

℣. 11. Hæc est annuntiatio, hoc nunciavimus ipſo Evangelicæ prædicationis initio, ut diligatis alterutrum. Id maximè omnium vobis commendatum eſt. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis*, inquit Chriſtus (g), *ſi dilectionem habueritis ad invicem*.

℣. 12. Non sicut Cain, qui ex maligno erat. Vetuſtiſſimum ac pernicioſiſſimum fraterni odii exemplum eſt Cain, qui eò ſceleris devênit, ut ſuis ipſe manibus Abelem fratrem interficeret. Cur autem occîdit? nimirum filius erat Diaboli, ejus ſpiritu plenus, Diaboli ſuaſiones audiit, indignam in fratrem invidiam mente concepit; denique, *quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem juſta*. Indicavit Deus, cariorem ſibi eſſe Abelem: id ægre tulit Cain. At dignum ne ſe præbuerat Cain, quem Deus ita ut Abelem ampliſſimis benevolentiæ indiciis proſequeretur? Nonne proclive Caino erat, quemadmodum fratri, purum dignumque tantâ majeſtate cultum Deo reddere? Æquè grata futura erant illius munera.

℣. 13. Nolite mirari, si odit vos mundus. Bonos nunquam non odêre & aſpernati ſunt mali. Mirum ne ſit, vos a mundo non amari, cùm illius aſſeclæ non ſitis, neque haberi odio, cùm illum aſpernemini, ejusque dogmata & mores execremini. *Si mundus vos odit*, inquit Chriſtus (h), *ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret*.

℣. 14. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, filii vitæ, atque ad Cœleſtem beatitudinem prædeſtinati (l), cùm nos Deus ex errorum tenebris & morte peccati reduxerit; idque non certò ſcimus, niſi id alicui aperuerit Deus, quemadmodum fortaſſe Apoſtolis, ſed ea prudenti æſtimatione, juſtâque fiduciâ, quam confirmant beneficia nobis a Deo exhibita, conſcientiæ noſtræ teſtimonium, bona opera, quæ cum ipſius auxilio præſtitimus. Denique id colligimus ex noſtrâ erga fratres charitate: *Quoniam diligimus fratres*. Ergo fratrum amor ſignum eſt prædeſtinationis; quippe qua ſignificatur inſidens animo gratia juſtificationis, & erga Deum charitas. Quamobrem jure ſperare poſſumus, fore nos participes divinarum promiſſionum, quibus decernitur Regnum Cœlorum iis, qui verè atque ex animo fratres amaverint.

Qui non diligit, manet in morte. Si proximum oderis, mortuus es animo: ſi perſeveras, iſtud eſt damnationis indicium. De fratrum odio uſurpanda ſunt contraria omnia iis, quæ de charitate & fratrum amore prædiximus.

℣. 15. Qui odit fratrem suum, homicida est animi habitudine, cùm inimici mortem optet. Idcirco non occîdit, omnibusque artibus vetat, quòd vel metu, vel humanis aliis rationibus coërceatur. *Quicumque odit, etiamſi needum gladio percuſſerit, animo tamen homicida eſt*, ait S. Hieronymus (k). *Non ſunt longè ab occidentibus, qui animo occiſionis oderunt*, ſubdit Salvianus (l). Conſpirationes ipſis Legibus puniuntur; Legesque in ſeditioſos, malum Reipublicæ ſeu Principi molientes, animadvertunt (m): *In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicantur, cruentâ mente, purâ manu*. Hominem judicat Deus ex animi comparatione; punitque cogitata dumtaxat crimina, eosque qui ſolo metu a peccando abſtinent, non ſecus atque eos, qui reverâ peccaverunt. Vide nos in Matthæum, v. 28.

℣. 16. In-

(e) *Thom. Anglic. Hugo, Cajet. Lyr. Cornel. Vide & D. Thom. 1 parte, qu. 62, art. 3.*
(f) Οὐ δύναται ἁμαρτάνειν, *Oecumen.* Οὐ κατὰ φυσικὴν ἀδυναμίαν τοῦτο λέγει, ἀλλὰ προαιρετικὴν τῆς ἁμαρτίας ἀργίαν. (g) *Joan. xiii, 35.*
(h) *Joan. xv, 18, 19.* (i) *Joan. v, 24: Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam.*
(k) *Hieronym. Ep. 36 ad Caſtorin.* (l) *Salvian. de Providentiâ, lib. 8.* (m) *Apulej. Florid. 4.*

℣. 16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.

℣. 17. Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?

℣. 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.

℣. 19. In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.

℣. 20. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum: major eſt Deus corde noſtro & novit omnia.

℣. 21. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.

℣. 22. Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo facimus.

COMMENTARIUS.

℣. 16. ILLE ANIMAM SUAM PRO NOBIS POSUIT, ET NOS DEBEMUS PRO FRATRIBUS ANIMAS PONERE. Verè ne fratrem diligas, ex eo intelligitur, ſi paratus ſis ejus causâ vel necem ſubire, quemadmodum Chriſtus tui gratiâ mortem oppetiit. Si procuranda ſit fratris ſalus, aut vitandum ejus exitium, paratus eſſe debes corporis vitam amittere, ut illius animam ſerves (n): at ob corporis illius incolumitatem, ſalutemve animæ illius, tuam ipſe æternam ſalutem diſcrimini objicere non debes. Diliges, inquit Deus, proximum tuum ſicut te ipſum, non plus quàm te ipſum. Porrò plus quàm te ipſum diligeres, ſi ob minus aliquod vel æquale illius bonum, de æternâ tui ſalute, ſummo omnium bono, periclitareris.

Debet quis interdum vitam ſuam diſcrimini objicere, ut alterius ſervet. Ita Paſtor opem ovibus ferre debet cum vitæ ſuæ diſcrimine; miles extrema ſubire debet pericula, ut defendat patriam, Principem, commilitones. Licet amico, non tenetur ille, vitam pro amico prodigere; laudatur id, non imperatur (o). Ea erat primævorum Fidelium concordia, ut Gentiles cum admiratione dicerent (p): *Vide ut invicem ſe diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati.*

℣. 17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM, fortunas, HUJUS MUNDI. Græcus ad verbum (q): *Qui habuerit vitam hujus mundi*, ſive, qui habuerit quo vitam in mundo alat, qui juſtis opibus gaudet, & fratri eleemoſynam denegat, *& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas* & amor *Dei manet in eo?* Si autem & Dei amore & charitate erga fratres caret, quid de illius ſalute cenſendum eſt? *Grandis culpa, ſi ſciente te Fidelis egeat*, inquit S. Ambroſius (r), *ſi ſcias eum ſine ſumptu eſſe, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præſertim egere erubeſcat.*

℣. 18. NON DILIGAMUS VERBO NEQUE LINGUA. Satis non eſt, ſi fratrum egentium ac laborantium te miſereri teſteris: opus eſt diligas *opere & veritate*; manum ad largitiones aperiaſ, neceſſitatibus illorum opem & auxilium præſtes. Ardens charitas otium neſcit. Si Divinis promiſſionibus ac minis crederes, modus tibi ponendus foret, non addendus ad opem præbendam ſtimulus. Utilius tibi eſt quòd largiaris, quàm illi quòd accipiat. Immenſus nobis eſt largiendo quæſtus: cœlum nempe infinitamque mercedem promeremur.

℣. 19. IN HOC (s) COGNOSCIMUS QUIA EX VERITATE SUMUS, filii veritatis, lucis, Dei, ſi charitatem, uti dixi, exerceamus. Sive; Ex eo intelligimus, charitatem reverà nobis ineſſe, non falſam, non ſimulatam. Rebus ipſis *in conſpectu Dei ſuadebimus corda noſtra*, verâ nos charitate inſtrui. Fruſtra ipſe fallere te conaris, proximum a te diligi aſſerens; repugnat conſcientia, & contra teſtatur: clamat ita ut optimè intelligas, te tibi falsò blandiri. Aliter: Si charitatem exerceemus, non verbis, ſed rebus, facilè nobis ipſi ſuadebimus, nos Dei filios eſſe (t); ſive, magnam confugiendi ad Deum (u), æternamque vitam ſperandi fiduciam acquiremus. Vide ℣. 21. Nihil aptius comparandæ animo quieti & adversùs mortis terrores & divina judicia ſecuritati, quàm bonæ conſcientiæ nihil exprobrantis teſtimonium.

℣. 20. SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRUM, MAJOR EST DEUS CORDE NOSTRO, intelligentior, ſeverior, æquior; majori jure & ſeveritate damnabit. Male igitur conaris fucum tibi facere, & conſcientiæ clamores opprimere: *Neme eſt ille homo, quàm ſibi*, ait de Diis Juvenalis. *Cor tuum abſcondite ab homine; a Deo abſconde, ſi potes*, inquit S. Auguſtinus.

℣. 21. SI COR NOSTRUM NON REPREHENDERIT NOS, FIDUCIAM HABEMUS AD DEUM; audacter vota illi facimus, de promiſſionibus illius fidimus, Judicii ſeveritatem non veremur, patrem illum nuncupamus, ceu filii, quibus certa fiducia eſt, minimè defuturam ſibi patris benevolentiam, dum ipſi patrem amaverint. Vide ℣. 19, cujus ſententia eadem eſſe videtur.

℣. 22. ET QUIDQUID PETIERIMUS, ACCIPIEMUS

(n) *Vide Eſt. Cornel. Grot. Men. Tir. alios.* (o) *Auguſt. lib. de Mendacio, cap. 6; & de Amicitiâ, cap. 10; Hieronym. in Mich. VII; Ambroſ. lib. 3 Offic. cap. 22. Alii apud Cornel. hic.*
(p) *Tertull. Apologet. cap. 39.* (q) Ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου.
(r) *Ambroſ. Offic. lib. 1, cap. 31.* (s) Ἐν τούτῳ γινώσκομεν. *Oecumen.* Ἐν τῷ μὴ λόγῳ ἀγαπᾷν, ἀλλ' ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ. (t) *Vide Auguſt. Paga. Vat. Sye. alios, maximè Oecumen.*
(u) *Joan. Ferus, Hamm. hic.*

℣. 23. Et hoc eſt mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.

℣. 24. Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.

COMMENTARIUS.

MUS AB AN. Chriſtianus ſincero amore Deum & proximum proſequens, puram habens conſcientiam, cœleſtisque Patris mandata integrâ fide ſervans, certò ſperare poteſt, Deum nihil illi denegaturum, modò poſtulet cum fide, ſpe, & perſeverantiâ, eaque tantummodò poſtulet, quæ a Dei miſericordiâ concedi queant (x). Si Dei Spiritus preces illius intra animum formaverit, & clamare docuerit, Abba, Pater (y), nubes pervadet clamor, & ad ſolium majeſtatis usque perveniet (z).

℣. 23. HOC EST MANDATUM EJUS, UT CREDAMUS IN NOMINE FILII EJUS; quidquid Evangelio traditur, ipſum eſſe Meſſiam, Dei Filium, Deum ipſum, atque in eâ fide ad finem usque perſeveremus: tum illum amemus, ejus exempla imitemur, & quidquid imperatum ab eo eſt ſervemus: præſertim verò *diligamus alterutrum*: id enim ſponte ex fide ſincerâ veràque conſequitur. In eo conſiſtit omnis Chriſtianæ profeſſionis perfectio.

℣. 24. QUI SERVAT MANDATA EJUS, IN ILLO MANET, ET IPSE IN EO. Deus illum ſpiritu ſuo, gratiâ, charitate cumulat: arctiſſimè Deus illi conjungitur, ipſe Deo. Hominis & Dei conjunctio in eo ſita eſt, ut homo ex Deo pendeat, illi ſerviat, illum colat ametque, illi obediat: tum in gratiâ qua homo a Deo occupatur, auxiliis quibus tegitur, promiſſionibus de alterâ vitâ homini exhibitis, miſericordiâ illi præſtitâ in terris, & amore quo Deus illum proſequitur, juſtum efficiens & fidelem. Nihil præſtare Deo poteſt homo, quod a Deo non acceperit. Bonam ſcilicet voluntatem, bonum ſpiritum, charitatem, & cætera dona, quibus homo Deo charus redditur, inſpirat Deus.

IN HOC SCIMUS, QUONIAM MANET IN NOBIS, DE SPIRITU (α) (per Spiritum) QUEM DEDIT NOBIS (β). Neſciremus, Deum in nobis, nos in Deo manere, nos Dei filios, ipſum nobis eſſe Patrem, niſi Spiritus Sanctus intus teſtaretur, nos ad Deum ſpectare (γ): *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei*. Dei & proximorum amor, quo cumulati ſumus, tamquam certo pignore docet, præſentem nobis adeſſe Dei Spiritum, nosque arctâ ſocietate cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto gaudere (δ): *Deus enim charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Si charitate inſtructus es, certo noſti, Deum in te, te in Deo manere, ait hîc S. Auguſtinus: *Si enim inveneris te habere charitatem, habes Spiritum Dei, & inhabitaris a totâ Trinitate*. Ita etiam explicari poteſt hic locus: Ex Spiritu Sancto, quem ille nobis Apoſtolis largitus eſt, intelligimus, Deum in nobis manere, nosque a Spiritu Sancto afflari, ut Divinas veritates hominibus nunciemus.

CAPUT IV.

Spirituum diſcrimen. Proximorum amor. Dei charitas erga homines: ejus effecta. Amandus a nobis ita eſt Deus, ut ipſe nos amavit. Fiducia quam inſpirat charitas, quæ timorem pellit. Qui fratrem odit, Deum non amat.

℣. 1. CHariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE, SED PROBATE SPIRITUS, SI EX DEO SINT. In Veteri Novoque Teſtamento veri fuere falſique Prophetæ. De utrorumque diſcrimine diſceptabatur. Quamplura erant in Veteri Teſtamento rei perficiendæ auxilia (a). Veros Prophetas cenſebatur e. g. qui divinitus ad id muneris vocabatur; cujus vaticinis ſequebatur res; quem alter verus Propheta eſſe prophetam diceret; cujus oraculis adſtipularentur animus cupiditate vacuus, mores caſtiſſimi, dogmata integerrima, acre Divinæ gloriæ procurandæ, vitiorumque & ſcelerum profligandorum ſtudium. Ex hiſce notis, ſive ex harum præcipuis certa fiebat populo fides, hominem reverâ eſſe Deo afflatum.

Operoſior erat res in Novo Teſtamento, quòd vulgarior eſſet Prophetis, expletumque in eo ad verbum eſſet illud Joëlis oraculum (b): *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſo-*

(x) *Vide Eſt. Grot. Cornel.* (y) *Galat.* IV, 6; *Rom.* VIII, 15.
(z) *Hebr.* IV, 16; *Eccli.* XXXV, 21. (α) Ἐκ τοῦ πνεύματος, *Ex ſpiritu, &c.*
(β) *Confer* IV, 13: Ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν . . . ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ δέδωκεν ἡμῖν. (γ) *Rom.* VIII, 16. (δ) 1 *Joan.* IV, 16.
(a) Vide nos in Præfatione generali ad Prophetas, art. 4. Et *Deut.* XVIII, 22; *Ezech.* XIII, 2; XXII, 28. (b) *Joël.* II, 28; *Act.* II, 16, 17, 18.

℣. 2. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt:

℣. 3. Et omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt anti-Chriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.

COMMENTARIUS.

ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum. Uno frequenter in cœtu quamplures erant, Divinis Spiritûs Sancti donis cumulati: hi linguarum diverſitate, illi Scripturarum interpretatione, morborum curatione alii, alii denique *diſcretione ſpirituum* (c). Horum judicio cenſebatur, qui reverà Spiritu Sancto afflarentur (d). Ubi verò hi judices præſto non eſſent, jubet Paulus judicium de Spiritibus ferri ex dogmatibus moribusque ſibi conſtantibus: *Notum vobis facio*, inquit idem (e), *quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jeſu.* Quamobrem Simonis & Cerinthi aſſeclæ, Chriſtum aut Meſſiam aut Deum eſſe negantes, audiendi non erant, tametſi Dei Spiritu pleni viderentur; neque etiam ii qui aliter docerent quàm docuerant Apoſtoli: *Licèt Angelus de cœlo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit* (f).

Fideles igitur hîc munit Joannes adversùs pſeudo-Prophetas falſosque Doctores. Vetat exiſtimari veram Numinis inſpirationem quidquid ejus rei ſpeciem in quibuſdam hominibus exhibet. Jeſus Chriſtus & Paulus Apoſtolos in illud maximè incumbebant, ut iiſdem monitis Diſcipulos occuparent. Ea verò monita nunquam fuere opportuniora, quàm primo & ſecundo Eccleſiæ ſæculo, cùm pſeudo-Chriſti & pſeudo-Prophetæ paſſim ſcaterent: *Præcurſores Anti-Chriſti Spiritus*, ut ait Tertullianus (g). Hos dignoſcendi regulas tradit Joannes duobus ℣℣. ſtatim conſequentibus.

℣. 2. In hoc cognoscitur (h) Spiritus Dei: Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Chriſtum Jeſum eſſe Meſſiam, negabat Simon, ſeque eſſe Chriſtum aſſerebat (i). Chriſtum a Jeſu ſecernebat Cerinthus (k); Jeſum eſſe merum hominem ajebat, cæterorum more ex Joſepho & Mariâ procreatum; Chriſtum verò Dei ſummi, nempe Spiritum Sanctum, teſte S. Epiphanio, illapſum in Jeſum columbæ ſpecie, ignotum hactenus Patris nomen illi aperuiſſe; Chriſti virtute Jeſum tot patraſſe prodigia; Jeſum paſſum eſſe & ſurrexiſſe, Chriſtum verò ab Jeſu diſceſſiſſe, & rediiſſe ad pleroma, perpeſſionis ignarum. Hoc ſignificat Joannes ℣. 3: *Omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Gnoſtici & Docetæ tradebant, Chriſtum Jeſum nonniſi per ſpeciem natum eſſe, mortem obiiſſe, in vitam eſſe reverſum (l). Omnes iſti hæreſum authores prodire cœperant, quo tempore hanc Epiſtolam Joannes ſcripſit. Docet idem, vitandos eſſe hos hæreticos, & anathemate feriendos, tametſi afflati eſſe viderentur, & prodigia jactarent.

℣. 3. Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est. Sive: Quicumque Propheta Jeſum ſecernit a Chriſto, uti explicavimus membro ſuperiore, ſpiritus Dei non eſt, ſed tenebrarum. *Solvere Jeſum* eſt vel Chriſtum Jeſum & Chriſti dogmata deſtruere; vel hypoſtaticam illius unionem ſejungere; negare aut ipſum eſſe Chriſtum, aut Chriſtum Jeſum eſſe natum, mortuum, reverſum in vitam, præter quam ſolâ rei ſpecie: denique dividere id quod unum in ipſo eſt.

Græca Exemplaria (m) a Vulgatâ diſſident, feruntque: *Omnis Spiritus, qui non confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt.* Conſtantiſſimè ſervant hanc lectionem omnes Græcorum libri, Syrus, Arabs, Æthiops, S. Irenæus (n), S. Polycarpus (o), Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus, S. Cyprianus (p) Theodoretus. At Vulgatam lectionem, *Omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*, teſte Socrate (q), veteres libri habebant. Hanc ferunt S. Cyrillus Jeroſolymitanus (r), S. Leo (s), S. Proſper (t), Caſſianus (u), Beda (x). Teſte Fulberto Carnotenſi (y), hunc Epiſtolæ Joannis locum deleverant hæretici. Vulgatam lectionem ſequuntur S. Irenæus (z), Tertullianus (a), S. Ambroſius (b), S. Auguſtinus (c), Lucifer Calaritanus (d). Græcam quoque lectionem & agnoſcunt & nonnunquam laudant Tertullianus (e), S. Auguſtinus (f), S. Fulgentius (g).

Uter ex duobus hiſce Textibus ſit præferendus, diſputant Eruditi. Alii enim (h) utrumque admittunt; & certè perſpectiſſima eſt utriusque vetuſtas, cùm in vetuſtiſſimis Scriptoribus uterque inveniatur, vel ſimul, uti apud Tertullianum, S. Auguſtinum, S. Fulgentium; vel ſeparatim, uti ex enumeratis Scriptoribus conſtat. Vulgatam lectionem præferunt alii, cujus eſt mira vis adversùs Gnoſticos & Cerinthianos, Chriſtum Jeſum ſejungentes. Alii denique (i) eam ſuſpectam vel ex hoc ipſo habent, quòd hos hæreticos disertè damnet. Hæc, inquiunt, primùm in margine ado-

(c) 1 Cor. xii, 10. (d) 1 Cor. xiv, 29.
(e) 1 Cor. xii, 3. (f) *Galat.* i, 8. (g) *Tertull. lib. 5 contra Marcion. cap.* 16.
(h) *Græc.* Ἐν τούτῳ γινώσκετε, *In hoc cognoſcitis. Alii:* Ἐν τούτῳ γινώσκεται. *Ita placet, Quid.* Γινώσκομεν. *Steph.* ιγ. (i) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Auguſt. de hæreſ.* 1; *Epiphan. hæreſ.* 21.
(k) *Epiphan. hæreſ.* 28, *cap.* 1; *Iren. lib.* 1, *cap.* 25.
(l) *Clemens Alex. lib.* 7 *Strom. & Theodoret. hæret. Fabul. pag.* 188.
(m) Καὶ πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι.
(n) *Iren. lib.* 3, *cap.* 18. (o) *Polycarp. Ep. ad Philipp.* § 7. (p) *Cyprian. lib.* 2 *ad Quirin.* § 8.
(q) *Socrat. Hiſt. Eccleſ. lib.* 7, *cap.* 32: Πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστιν.
(r) *Cyrill. Jeroſol. de Fide, ad Reginas.* (s) *Leo Magn. Ep.* 1 *ad Flavian.*
(t) *Proſper, lib.* 1, *cap.* 23, *de Vocat. Gent.* (u) *Caſſian. lib.* 5 *de Incarn. cap.* 10.
(x) *Beda, Comment. in hunc loc.* (y) *Fulbert. Carnot. Ep.* 1. (z) *Iren. lib.* 3, *cap.* 18.
(a) *Tertull. lib. de Carne Chriſti, cap.* 24; *& lib.* 3 *contra Marcion. cap.* 8.
(b) *Ambroſ. lib.* 1 *de Vocat. Gent. cap.* 8. (c) *Auguſt. Tract.* 6 *in hanc Epiſt.*
(d) *Lucifer Calarit. p.* 280. (e) *Tertull. de Carne Chriſti, cap.* 24; *& lib.* 5 *contra Marcion. cap.* 16.
(f) *Auguſt. in hunc locum.* (g) *Fulgent. ad Traſimund. lib.* 1, *cap.* 5; *& lib. de Incarn. Chriſti, cap.* 9.
(h) *Vide Zeger. & Luc. Brugenſ. Eſt.* (i) *Vide Grot. hic, & Mill. Var. Lect. in hunc locum.*

℣. 4. Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eum, quoniam major eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.

℣. 5. Ipſi de mundo ſunt: Ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

℣. 6. Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

℣. 7. Chariſſimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.

℣. 8. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus charitas eſt.

COMMENTARIUS.

notata, deinde irrepſit in Textum, primò cum veteri lectione ſimul, deinde ſola in Latinorum libris, qui veterem germanamque Græci lectionem antiquarunt. Ingens huic ſententiæ pondus addit S. Polycarpus, Græcam ſolummodo noſtræ ætatis lectionem recitans. Porrò is Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus fuit, atque omnium maximè noſſe poterat, quid in Magiſtri libro legendum eſſet.

Hic est Antichristus. Græcus (k): *Hoc eſt Antichriſti*. Hujuſmodi ſententiæ propriæ hominum ſunt Anti-chriſto præcurrentium, dignæ hoc Chriſti Jeſu adverſario. Hoc ipſum docturus eſt Antichriſtus, quod ab his hæreticis traditur, Jeſum neque Meſſiam eſſe neque Deum, ſed merum hominem; ſe verò ipſum eſſe Chriſtum. Eadem venditabat Simon Magus. *De quo audiſtis quoniam venit*, reverà venturus eſt, & præſens futurus eſt in ſæculorum exitu: attamen *jam in mundo eſt* ſpiritu & figurà per falſos hoſce Prophetas. Quemadmodum Joannes Baptiſta ſpiritu & virtute Elias erat (l), ita & hi ſunt Antichriſti ſpiritu & nequitià (m).

℣. 4. Vos ex Deo estis, et vicistis eum, Antichriſtum, vos qui eſtis filii Patris, & fideles aſſeclæ Filii. Græcus (n): *Vos ex Deo eſtis, & viciſtis eos*, pſeudo-Prophetas, & Antichriſti Præcurſores. Quo autem pacto viciſtis? *Quoniam major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo*. Veſtris ipſi viribus non viciſtis, ſed virtute illius, qui intra vos habitat; virtute Dei, & unctione Spiritûs Sancti, validioris fortiorisque quàm univerſa Dæmonis malitia, pſeudo-Prophetarum vires fregiſtis. Nimirum hujuſmodi hoſtes gratià, veritate, juſtitià ſuperantur.

℣. 5. Ipsi de mundo sunt, ad mundum ſpectant, ejus ſpiritu pleni, mundi dogmata ſectantur; *& mundus eos audit*. Vitæ commoda duntaxat quærebant Simon, Cerinthus, cæterique falſi Doctores; ventrem pro Deo habebant; inimici erant Crucis Chriſti (o); fugiebant perſecutiones, palpabant auditores, atque omnia turpium voluptatum genera iis permittebant (p). Quamobrem mirum non erat, ſi eos mundus audiret & ſectaretur.

℣. 6. Nos ex Deo sumus, ad Deum ſpectamus, ſpiritu Dei agimur. Qui novit Deum, audit nos. Qui ſocietatem cum Deo habet, qui lucis eſt filius, cujus mentem aperuit Deus, quem ſpiritu intelligentiæ implevit, is præbet aures Apoſtolis, acceptamque ex iis fidem conſtanter ſervat. Confer quæ dixit Chriſtus (q): *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, &c.*

In hoc (r) cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris. Per interiorem Spiritûs Sancti unctionem, per ſocietatem, quam cum Deo habemus, ad quem ſpectamus, ſecernimus Spiritum veritatis intus in nobis aut per Apoſtolos loquentem, a Spiritu erroris, per Hæreticos falſoſque Doctores diſſerente. Dei beneficio cœleſtia & Evangelii veritates intelligimus & amamus, animoque illuſtramur, ut fraudes horum Chriſti hoſtium agnoſcamus. Dei munere præbemus aures Paſtoribus Spiritu Dei plenis, & profanas Anti-chriſtorum novitates execramur.

℣. 7. Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est. Redit ad id quod inceperat ſuperiori Capite, ℣. 23. Sincerà teneràque charitate nos invicem proſequamur, iiſdem ſententiis eàdemque fide conjuncti. charitas enim eſt Dei donum. Qui charitate inſtruitur, notam præfert filiorum Dei, veràque Spiritûs Sancti luce perfunditur. *Omnis qui diligit* Deum & proximum, *ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum*. Opere docet, ſibi reverà notum eſſe Deum. At qui charitate caret, dicere nequit, ſe noſſe Deum; qui enim noverit quem non amat? qui amet, dum negligit id quod maximè ab eo commendatur, charitatem ſcilicet erga fratres? ℣. 8: *Qui non diligit, non novit Deum*.

℣. 8. Deus charitas est: ſummâ erga nos eſt benevolentià; efficaciter nos amat. Quicquid noſtri causà facit, infinitum illius amorem oſtendit. Sapiens homo dicitur mera ſapientia (s); elegans, mera elegantia; lepidus, merus lepor. Ita Deus dici poteſt totus bonitas, charitas, miſericordia: *Deus meus, miſericordia mea* (t). Theologico more dici etiam poteſt Deus per naturam charitas: proprietates enim in Deo ab ipsà illius naturà non ſecernuntur (u). Denique quemadmodum dixit Sapiens (x), *Deum time, & mandata ejus obſerva, hoc eſt enim omnis* (totus) *homo*, ut ſignificaret, omnia hominis officia in Dei timore & cultu conſiſtere; ita *Deus charitas eſt* ſignificare poteſt, quicquid Deus homini præſtat, id eſſe charitatis & miſericordiæ illius effuſionem.

(k) Τῦτό ἐςι τὸ τῦ Ἀντιχρίςυ. *Alii*: Τῦτό ἐςι τῦ Ἀντιχρίςυ. *Veleſ.* Οὗτός ἐςιν ὁ Ἀντίχριςος. *Ita Copht. & Vulg.* (l) *Matt.* XI, 14; XVII, 10, 11, 12; *Luc.* I, 17. (m) *Vide Eſt. Grot. Men. alios.*
(n) Ὑμεῖς ἐκ τῦ Θεῦ ἐςε, καὶ νενικήκατε αὐτός. *Quidam Vulg. libri: Viciſtis eos. Auguſt. Viciſtis eum.*
(o) *Philipp.* III, 18. (p) *Epiphan. hæreſ.* 21; *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Origen. contra Celſ. lib.* 6, *&c.*
(q) *Joan.* VIII, 47. (r) *Græc.* Ἐκ τύτυ, *Ex hoc. Alii*: Ἐν τύτῳ, *In hoc.*
(s) *Terent. Tu tantus quantus nil niſi ſapientia es.*
(t) *Pſal.* LVIII, 18. (u) *Vide Eſt. hic.*
(x) *Eccle.* XII, 13.

℣. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.

℣. 10. In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.

℣. 11. Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.

℣. 12. Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt.

℣. 13. In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.

℣. 14. Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Salvatorem mundi.

℣. 15. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.

COMMENTARIUS.

℣. 9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, &c. Ut videas, Deum eſſe meram charitatem, nihil ultra quærendum eſt, quàm quod ipſe præſtitit, Filio ſuo nobis dato, *ut vivamus per eum*. Mortui per peccatum eramus, juſtaque Divini furoris argumenta: primus hominum parens Dei præcepta violaverat; nos peccati illius participes & imitatores eramus; Deus minimè habitâ harum rerum ratione, Filium ad nos miſit, qui humanis exuviis indutus, ſuam ipſe prodegit vitam, ut ſalutem nobis & cum Patre amicitiam compararet.

℣. 10. Non quasi nos dilexerimus Deum. Exiſtimare poſſes, Deum aliquid in nobis ſpectaſſe, quod eſſet amore dignum, aut nos ultro erga eum greſſus moviſſe: at omnino gratuita fuit Dei erga nos charitas. Inimici Deo eramus, Dei legem violabamus, cùm ipſe de nobis cogitaret. *Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt* (y). Quid inerat nobis meriti, ut nos vocatione donaret Deus, atque inter filios & in Eccleſiam admitteret? *Si pigri eramus ad amandum, non ſimus pigri ad redamandum* (z).

℣. 11. Si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Nos ſui inimicos dilexit Deus: nobis igitur, ejus exemplo, amandi ſunt fratres, quamvis inimici (a). *Eſtote imitatores Dei, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Prætereà ſi nos ita dilexit Deus, par eſt a nobis amari eos, quos ille æquè amavit, quoſque ſui ipſius causâ amari juſſit. Cùm gratiam Deo reddere nequeamus, ſaltem amemus eos, quos ſui loco ipſe ſubſtituit, ejus amicos, ſervos, creaturas. Sibi præſtita ſe putaturum dixit ea, quæ ipſius gratiâ minimo ſuorum præſtiterimus (b).

℣. 12. Deum nemo vidit unquam. Hortaris ut amemus Deum; at quo pacto amaverimus quem non videmus? Imò amatis & videtis in fratribus (c). *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet*, Deum tenemus, amamus, eo delectamur, *& charitas ejus in nobis perfecta eſt*. Verè & efficaciter diligimus, dum illius præceptis obtemperamus, ejuſque charitatem erga homines imitamur. Abſoluta charitas in eo ſita eſt, ut Deum præ omnibus, proximum tamquam te ipſum ames. Alterum ex altero conſequitur. Proximum ipſoſque inimicos diligas, quia Deum amas; tuaque erga illos charitas tuâ in Deum charitate perficitur. Gemini ſurculi ſunt ex unâ radice prodeuntes.

℣. 13. Quoniam de spiritu suo dedit nobis. Hac de causâ Deum novimus, in Deo manemus, & in nobis Deus. Qui Spiritu Dei potitur, in Deo manet, & in ipſo eſt Deus: atqui Dei Spiritum, gratiam, amorem accepimus: nos igitur in Deo manemus, & in nobis Deus. Ex amicis duobus mentem unam unumque animum efficit charitas: porrò unus cum Deo nobis eſt ſpiritus: arctiſſimis igitur vinculis nexibuſque cum Deo copulamur (d): *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*.

℣. 14. Nos vidimus, et testificamur, quoniam Pater misit Filium suum. Quæ dixi ſupra, ℣. 9, miſſum a Deo Filium ad noſtri ſalutem, hæc ego novi, vidi, teſtor. Non doctas fabulas trado, aut mentis ludibria & ſomnia, veluti pſeudo-prophetæ malique Doctores, Simon & Cerinthus, quos prædixi. Quæ ipſi novimus, ea prædicamus. Vide ſupra, 1, 1; 2 Petri, 1, 16. Nimirum: *Pater miſit Filium ſuum Salvatorem mundi*. Id porrò quàm longiſſimè abhorret a Simone, Chriſtum ſe & æmulum Servatoris, quem & Deum & Meſſiam eſſe negabat, venditante.

℣. 15. Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, & convenientem fidei ſuæ vitam egerit, vivâ fide, & per charitatem agente inſtructus, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Opus igitur eſt fide, ex hac ſententiâ; & ex ſuperioribus opus eſt charitate, ut dignus ſis in quo habitet Deus, quique in Deo maneas. Una igitur abſque bonis operibus fides non ſufficit, contra atque ſentiebat Simon (e). Oportet credas in Chriſtum, eumque ames, diligas proxi-

(y) *Rom.* v, 8.
(z) *Auguſt. hic.*
(a) *Epheſ.* v, 1, 2.
(b) *Matth.* xxv, 40.
(c) *Vide Menoc. Tir. alios, maximè Auguſt. hic.* (d) 1 *Cor.* xii.
(e) *Epiphan. hæreſ.* 21; *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Auguſt. hæreſ.*

℣. 16. Et nos cognovimus, & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

℣. 17. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.

℣. 18. Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate.

℣. 19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.

℣. 20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?

COMMENTARIUS.

ximum, & ad Evangelii dogmata vitam inſtituas.

℣. 16. NET COGNOVIMUS, ET CREDIDIMUS CHARITATI, QUAM HABET DEUS IN NOBIS, erga nos. Quæ de amore Dei erga nos diſputavi, ea novimus, didicimusque ex Chriſto Jeſu, qui priùs ignota aperuit: credidimus ipſi, effecta ejus charitatis vidimus, prædicavimus, teſtamur; ſcimusque, *Deum eſſe charitatem, & qui manet in charitate, in Deo manere, & Deum in eo.* Si a Deo amamur, ipſi amamus Deum: at non priores amamus. Humanis in amicitiis ille quem amas aut habere exiſtimatur aut habet aliquid amore dignum, non facis. Contra res habet ſeſe, ubi nos amat Deus. Ut nos amet, opus eſt dignos amore efficiat; atque ut ipſe a nobis ametur, neceſſe eſt ſuam ipſe nobis gratiam & amorem largiatur, lumen inſpiret ac propenſionem, qua illum noſſe & amare diſcamus. *Charitas eſt Deus, & Dei donum: charitas dat charitatem (f)*; cùm ipſe nos amet, facit ut ipſe a nobis ametur. Fruſtra non amat Deus; primusque divini erga nos amoris fructus eſt, charitatis erga Deum infuſio. Hominem amare potes, quin ab eo ameris: Deum non amas, quin te ipſe diligat.

℣. 17. IN HOC PERFECTA EST CHARITAS DEI NOBISCUM, QUIA SICUT ILLE EST, ET NOS SUMUS IN HOC MUNDO; tales ille in terris nos reddit, qualis ipſe eſt. Quo autem pacto fieri Deo ſimiles in terris poſſumus? ex eo nimirum, quòd ſpiritu & charitate illius inſtructi ſumus, ejusque miſericordiam erga homines imitamur, præſtitâ illis ope, exhibitisque benevolentiæ argumentis, nullo delectu, amicis inimicisque, proximis aut externis; Patris Cœleſtis exemplo, qui tum bonorum tum malorum commodo ſolem ſuum oriri jubet (g). Præterea Dei amore in Deum ipſum quodammodò transformamur: eadem ſtudia, easdemque ſententias ille nobis inſpirat: facit ut non niſi in Deo, ex Deo, per Deum vivamus. Nihil tunc curamus, præter Dei gloriam, obſequium, amorem: cùmque ita ſimus animo comparati, *quam fiduciam non habebimus in die judicii?* An opera ex charitate præſtita damnaturus eſt Deus? aut animum ſui amore plenum æternis cruciatibus adjudicaturus?

℣. 18. TIMOR NON EST IN CHARITATE, SED PERFECTA CHARITAS FORAS MITTIT TIMOREM. Fieri non poteſt, ut ſervatâ charitate erga Deum & proximos abſolutiſſimâ, formidemus divina judicia, & coram eo ſervorum more trepidemus. Dei amor abſolutam inſpirat fiduciam; nobisque eſt ſpei locus fore ut donis ſuis, quæ promiſit, ille nos cumulet (h).

Timorem charitate pulſum explicant (i) timorem ſervilem, quo timetur Deus magis ſuppliciorum metu, quàm ob Dei & juſtitiæ amorem. Animus in Dei amore confirmatus indignis hisce ſervilibusque rationibus non movetur, ſed multo nobiliſſimis. Timorem filiis dignum non deſtruit charitas, ſed perficit. Hominis converſionem inchoat timor, abſolvit charitas. *Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur. Seta priùs intrat; ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideò intravit ut introduceret charitatem. Quantum charitas creſcit, tantùm timor decreſcit; & quantum illa fit interior, tantum timor pellitur foras. Major charitas, minor timor*, ait S. Auguſtinus (i).

Nonnulli (k) ita interpretantur: *Charitas pellit timorem*; perfectus Dei amor metum mortis, perſecutionum, injuriarum ejicit. Ebrii charitate Martyres cruciatus, exilium, ſupplicia, mortem denique ipsam aſpernati ſunt. Prior tamen explicatio cum cæterâ Joannis oratione aptiùs nectitur.

TIMOR PŒNAM HABET, cruciatum. QUI AUTEM TIMET, NON EST PERFECTUS IN CHARITATE; alioqui non timeret, neque cruciaretur. *Ubi amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur (l).* Nihil tam arduum aut odioſum eſt, quod amabile & proclive amando non efficiatur (m). Timor nunquam cruciatu caret: ſive enim præſens ſive futurum malum metuat, nunquam animus quieſcit.

℣. 20. SI QUIS DIXERIT QUONIAM DILIGO DEUM, ET FRATREM SUUM ODERIT, MENDAX EST. Si Deum amaret, fratrem quoque diligeret. Proximorum amorem Dei amor complectitur. Quo pacto ames Deum, ubi non amaveris eum, quem Deus amore dignum cenſet, quem amari a te jubet, quem ſuum eſſe pronunciat? *Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum,* quem

(f) *Bernard. Ep.* 11.

(g) *Matth.* v, 45. (h) *Vatab. Eſt. Menoch. Verſ. Alii.* (i) *Auguſt. hic.* (k) *Tertull. Grot. Alii.*

(l) *Auguſt. de Bono viduitatis, cap.* 21, *n.* 26.

(m) *Auguſt. lib.* 1, *cap.* 22 *de Morib. Eccl. Cathol. Nihil eſt tam ferreum atque durum, quod non amoris igne vincatur. Idem Serm. olim* 9 *de Verbis Domini, nunc* 70, *cap.* 3: *Omnia ſæva & immania, prorſus facilia, & propè nulla efficit amor.*

Digitized by Google

℣. 21. Et hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum; diligat & fratrem ſuum.

COMMENTARIUS.

quem non videt, quomodo poteſt diligere? Quà fronte dixeris, diligi à te Deum, quem non vides, quem imperfectè dumtaxat noſti, qui hominis ſenſus non percellit, cujus pulcritudo, perfectio, bonitas animo tantùm percipiuntur; dum odeiis fratres, ad Dei imaginem conditos, naturæ, generis, ſimilitudinis, innumerarumque neceſſitatum, quæ mutuam opem poſtulant, vinculis tibi conjunctos? Quis mihi credat ajenti, amari a me Deum minimè mihi conſpicuum, ſi recuſem mei amoris argumenta exhibere, præſtitis officiis fratri, qui ſervus Dei eſt, a Deo conditus, quem ſui causâ a me diligi jubet Deus? *Si frater eſt, & eum non diligit, quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis?* inquit S. Auguſtinus.

℣. 21. Et hoc mandatum habemus a Deo, ut amemus, & fratrem amemus. *Quid tibi, o Deus, ſum ipſe, ut amari te jubeas a me, & niſi faciam iraſceris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parva ne ipſa eſt, ſi non amem te (a)?* Cui uſui tibi eſt amor meus? Quis unquam Rex dixit ſervo: Amicus mihi eſto, tibique regnum dono largiar? Deus idem, qui ut ſeſe amem præcipit, is proximum a me tamquam me ipsum amari jubet, æternosque cruciatus minitatur, ſi aut non amavero, aut male, ſcilicet vel præter modum, vel infra debitum, vel perverſas ob cauſas amavero.

CAPUT V.

Dei amor & proximi. Dei præcepta ſuaviſſima. Mundum vincit Fides. Tres Jeſu Chriſti teſtes in cælo terrâque. Qui Chriſto Jeſu non credit, Deum mendacii arguit. Peccatum pariens mortem, & non pariens. Qui natus ex Deo eſt, minimè peccat. Malus eſt mundus.

℣. 1. Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex eo.

℣. 2. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata ejus faciamus.

℣. 3. Hæc eſt enim charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, verâ in fide verſatur, veràque in Eccleſiâ, & numero filiorum Dei: aliter planè ac Simonis & Cerinthi aſſeclæ, cæterique hæretici, qui extra Eccleſiam ſunt, filii diaboli & mendacii. Fideles hic opponit Joannes hæreticis; illos enim appellatione filiorum Dei deſignat, ſupra, iii, 8, 10, hos verò nomine filiorum Diaboli, & Antichriſti emiſſariorum, ſupra, iv, 3. Simonianos hic arguit, Jeſum negantes eſſe Meſſiam; & Cerinthianos, Jeſum ſejungentes a Chriſto, uti diximus.

Qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. Qui Patrem amat, Filium quoque diligit. Qui Patrem æternum amat, ſimul amat & Verbum; & qui Verbum, is pariter amat Chriſtum, qui Verbum eſt carne aſſumptâ indutum. Fruſtra jactant hæretici, Patrem a ſe & coli & amari: ſi noſſent ac verè diligerent, Filium quoque Patris amarent, eumque & Meſſiam, & Deum, & Dei Filium faterentur.

℣. 2. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus. Ineſſe nobis Dei cognitionem efficientem ac vivam, non ſterilem ac mortuam, tunc oſtendimus, cùm ob ipſius amorem, ejusque præceptorum obſequio, fratres tamquam nos ipſos diligimus. Dei & proximi amor gemini ſunt, uti diximus, furculi, unâ ex radice prodeuntes. Ubi alterum vides, alterum ineſſe ſtatim intelligis. Geminæ virtutes ſunt nunquam ſejunctæ. Trajecto verborum ordine ita explicari poteſt hic locus: *Dei amantes eſſe patebit, ſi amemus ſummè Chriſtianos, ut Dei filios, & id faciamus quia Deus id præcipit (a).*

℣. 3. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Sive: Si Dei præcepta ſerves, id argomento eſt, Deum a te verè diligi. Porrò ex Dei præceptis alterum eſt, ut proximum tamquam te ipsum diligas. Si igitur Deum amas uti oportet, proximum quoque diligis. Neque grave eſſe queraris de amando fratre præceptum; arduum quippe non eſt (b), cùm præſertim ejus exemplum ipse præbuerit, tra-

(o) *Auguſt. lib. 1 Confeſſ. cap. 5: Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas a me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? Parva ne ipsa eſt, ſi non amem te?*

(a) *Vide Grot. hic*, (b) *Auguſt. de Nat. & Grat. cap. 69: Quomodo enim grave eſt, cùm ſit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & grave eſt; aut diligit, & grave eſſe non poteſt.*

℣. 4. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.

℣. 5. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei?

℣. 6. Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aquâ ſolùm, ſed in aquâ & ſanguine. Et Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas.

COMMENTARIUS.

tradito in hominum vel perditiſſimorum nequiſſimorumque ſalutem Filio. Vide ſupra, IV, 9. In præcepto de proximorum amore occurrit aliquid, quod maximè arduum, ne dicam humanis viribus majus, videtur, ſi naturam conſulas, ſcilicet inimicorum amor. Ac fortaſſe Joannes, occupandæ reſponſionis causâ, hoc loco ſcribit, *mandata Dei gravia non eſſe*. Certè gravia non ſunt filiis Dei, hominibus Spiritu Dei plenis, ſolumque in fratre intuentibus imaginem Dei, Chriſtianæ profeſſionis notam, amorem quo illum proſequitur Deus, eumque diligendi præceptum. His inſpectis, quicquid ardui commiſceitur natura, evaneſcit.

Hæc verba, *Mandata Dei gravia non ſunt*, generico quodam ſenſu vulgo uſurpant Interpretes (c), atque animadvertunt, plura licèt naturæ duriſſima imperet Deus, puta deſideria compeſci, dimitti injurias, amari inimicos, geſtari crucem, cupiditates coërceri; hæc tamen homini moleſta non eſſe, ubi Dei gratia & amor adfuerint (d). Si repugnandum eſt pravis concupiſcentiæ impulſibus, & illecebris voluptatis; ſi ferenda ſunt incommoda & mala, idipſum Divini Spiritûs unctio leve efficit homini a ſe occupato. Vide quæ de ſe ipſe teſtatur Paulus (e), & quod a piis hominibus quotidie geritur.

℣. 4. Omne quod natum est (f) ex Deo, vincit mundum. Qui ex Deo nati ſunt, Dei filii, verè Chriſtiani, mundum ſuperant. Quâ verò arte? nimirum *fide ſuâ*. Vindictæ ſtudium, odium inimicorum, opum & commodorum vitæ amorem mundus inſpirat; contraria omnia docet Fides, dimittere injurias, diligere inimicos, orare pro inſectantibus, rerum quibus natura indiget ablationem æquo animo ferre, ſpe æternæ mercedis. Fides per charitatem agens robur inter calamitates, inter labores ſolatium, vires inter mala ſuppeditat, certaque & infinita bona proponit. Omnia poteſt cum Chriſto, ex quo tota ejus virtus proficiſcitur (g). Per fidem ſanctiſſimi ex Veteri Teſtamento viri, & ex Novo Martyres tot prodigia patravere, tantamque gloriam & geſtis & perpeſſionibus ſunt conſequuti (h).

℣. 5. Quis est qui vincit mundum? Ne quis cenſeat, mundum a quolibet Fideli & Chriſtiano ſuperari, dicta corrigit, inquiens, ab iis dumtaxat vinci, qui Jeſum eſſe Dei Filium credunt. Deo credunt Judæi, at non Chriſto; Simon ſeſe Chriſtum eſſe jactat; Cerinthus Jeſum & Chriſtum ſejungit; Gnoſtici ajunt, Chriſtum Jeſum ſolâ ſpecie inter homines verſatum, & mortem ſubiiſſe. Ex his nemo eam habet fidem, quæ mundum vincit. Falsa eſt illorum fides, neque ex Deo profecta: Spiritûs Sancti donum non eſt, animâ caret.

℣. 6. Hic est (ipſemet Chriſtus Jeſus) qui venit per aquam et sanguinem. Jeſus Chriſtus, verum fidei noſtræ argumentum, per ſpeciem ſolummodo non vênit: homo erat veruſque Deus; naturæ duæ, divina nempe & humana, in unâ perſonâ conjunctæ, in ipſo reverâ erant. Ego carnis & humanæ illius naturæ ſum teſtis. Phantaſmata neque carnem, neque oſſa, neque ſanguinem, neque alium corporis humorem habent; at ipſemet aderam, cùm aperto Chriſti Jeſu latere, in Calvariæ vertice, ſanguis & aqua manarunt (i). Hæretici complures negabant, Chriſtum Jeſum, præter quàm ſolâ ſpecie, inter homines eſſe verſatum; veri nihil fuiſſe in illius incarnatione, ortu, obitu, reſurrectione (k). Adversùs horum deliria veritatem incarnationis Chriſti tanto molimine tuetur Joannes; eoſque fortaſſe hoc loco damnat.

Cenſent alii (l), hîc a Joanne ſignificari aquam baptiſmatis, & ſanguinem a Chriſto noſtri causâ profuſum. Noſtra ille peccata baptiſmate abluit, per ſanguinem ſuum nos cum Deo conciliat. Quâ in re diſcrepat a Joanne Baptiſtâ, qui in *aquâ* tantùm vênit, cum ſolo ſcilicet aquæ baptiſmo: Chriſtus verò cum aquâ & ſanguine. Baptiſmatis aqua vim & efficacitatem obtinebat ex ſanguine; adeo ut, dum baptiſmo abluimur, Chriſti ſanguine quodammodo mergamur (m). Quamobrem ſubjicit: *Non in aquâ ſolùm, ſed in aquâ & ſanguine*.

Videtur quibusdam (n) alluſio fieri ad Veteris Legis ſacrificia, ubi præſto ſemper erant aqua & ſanguis; aqua ad abluendam victimam ac Sacerdotes; ſanguis circa aram fundendus. Itaque Chriſtus Jeſus cum aquâ vênit, homines baptiſmo loturus; & cum ſanguine, ut hominum crimina expiaret. Græca quædam Exemplaria (o) hîc legunt: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, & ſpiritum*; ſive, *per aquam, & ſpiritum, & ſanguinem*. Hîc tamen abundat *ſpiritus*; ſtatimque infra legitur.

Et Spiritus est qui testificatur (p), quoniam Christus est veritas. Nedum aqua & ſan-

---

(c) *Eſt. Grot. Cornel. Menoc. &c.* (d) *Matth.* 21, 30: *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*
(e) *Rom.* VIII, 38; *& 2 Cor.* IV, 17. (f) Πᾶν τὸ γεγεννημένον. *Aliè*: Πᾶς ὁ γεγεννημένος. *Omnis, qui natus eſt ex Deo. Ita Steph.* δ, *Syr. Arab.* (g) *Philipp.* IV, 13. (h) *Hebr.* XI, *per totum*.
(i) *Joan.* XIX, 34: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua; & qui vidit, teſtimonium perhibuit; & verum eſt teſtimonium ejus.*
(k) *Vide Theodoret. hæreſ. Præf. pag.* 188, *c; Clem. Strom. lib.* 7, *pag.* 765.
(l) *Eſt. Men. Cornel. alii plures.* (m) *Rom.* VI, 3: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* (n) *Vide Grot.* (o) *Græc. impreſſ.* Οὗτός ἐστιν ὁ ἐλθὼν δι᾽ ὕδατος, καὶ αἵματος Ἰησοῦς ὁ Χριστός. *Alii*: Δι᾽ ὕδατος, καὶ αἵματος καὶ πνεύματος. *Alex. Cov.* 2, *Cyrill. Oecumen. Copht. Lin. Pet.* 2. *Alii*: Δι᾽ ὕδατος, καὶ πνεύματος, καὶ αἵματος. *Steph.* δ, ι, 1, *Æthiop. Vide Mill. hic.* (p) *Græc.* Καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν. *Ambroſ. l.* 3 *de Spir. S. cap.* 21: *Spiritûs teſtimonium. Æthiop. In Spiritu fuit qui teſtis erat.*

℣. 7. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.

℣. 8. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ: Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.

COMMENTARIUS.

ſanguis, ex Jeſu mortui latere proſilientes, veritatem incarnationis & humanitatis Chriſti aſſeruere, verùm etiam Spiritus Sanctus non unâ ratione teſtatus eſt; I, cùm illapſus eſt columbæ ſpecie in Chriſtum baptiſmo tinctum, quo tempore vox Patris e cœlo ſonuit (q): *Hic eſt Filius meus dilectus: ipſum audite*. II, Prodigiis, quæ ille Dei digito, ſeu Dei Spirito perpetravit. III, Paracleto in Apoſtolos miſſo, per quem Apoſtoli illuſtrati ſunt, robore aucti, aliosque in homines verſi. IV denique infuſo Fidelibus conſpicuâ prorſus ratione Spiritu Sancto per divina dona, quibus ii cumulati ſunt. Ex hiſce omnibus colligitur, Chriſtum eſſe veritatem: quî enim fieri poteſt, ut nos fallant Pater Sanctusque Spiritus, commendato ita publicè, conſpicuè, ſolemniter impoſtore? Porrò niſi veritas, niſi Dei Filius, niſi Meſſias ſit Jeſus, neceſſe eſt eumdem eſſe impoſtorem omnium maximum, ipſumque Deum doli participem: id quod vel ipſa hominis cogitatio refugit.

Græcus habet (r): *Spiritus teſtificatur, quòd Spiritus eſt veritas;* feruntque hanc lectionem S. Ambroſius (s), & Author libri de Baptiſmo Hæreticorum, inter Opera S. Cypriani. Spiritus Sanctus, quem animis noſtris infudit Deus, per quem ſuo nos lumine & ſpiritali afflatu perfudit, intra nos teſtatur, ſe eſſe veritatem; nobis non ineſſe erroris ſpiritum, quemadmodum Hæreticis & pſeudo Prophetis, qui interdum, antequam cæteros decipiant, ipſi decepti ſunt. Nos certò ſcimus, vero Spiritu, veritatis Spiritu nos eſſe donatos, ac dubitationi obnoxium non eſſe teſtimonium, quod ipſe veritati a nobis traditæ reddit (t). Ipſum quandoque Evangelium veritas nuncupatur. S. Auguſtinus, S. Leo, Beda, & Latini fermè omnes cum Vulgatâ conſentiunt: *Spiritus teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas*.

Deſinunt hic Commentaria Guillelmi Eſtii in B. Joannis Epiſtolas; reliqua ſubtexuit Bartholomæus Petri.

℣. 7. QUONIAM TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM DANT IN COELO, PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS. Peculiari Diſſertatione expendimus ea, quæ de Canonicâ hujus loci, in pleriſque vetuſtis tum Græcis tum Latinis libris deſiderati, authoritate in utramque partem disputantur. Hæc autem eſſe poteſt ejus ſententia. Superiori commate Joannes, ut veritatem incarnationis ac divinitatis Chriſti aſſereret, tres illius teſtes recitavit, ſanguinem, aquam, ſpiritum: hîc utramque confirmat certiſſimis Patris, Verbi, Sanctique Spiritûs teſtimoniis, idem omnino aſſerentibus. Ternarius numerus eſt in teſtificatione abſolutiſſimus (u). Jeſus igitur omnino habendus eſt Dei Filius, cùm tres in Cœlo teſtes aſſerant; Pater, a quo miſſus eſt; Verbum aſſumptâ carne indutum; Spiritus Sanctus, qui unum eſt cum Patre & Filio. Miſſum a ſe Chriſtum Jeſum, incarnatum, Deum eſſe ac Meſſiam, teſtatus eſt Pater, miſſâ de cœlo voce, cùm is baptiſmi aquis lotus eſt (x), cùm ſeſe transfiguravit (y), tertiò cùm in Templo coram multitudine verſabatur (z); innumeris denique prodigiis, quæ Chriſti Jeſu prædicationem ubique confirmaverunt (a).

Ipſum ſibi Verbum teſtimonium reddidit doctrinæ præſtantiâ, divino vitæ inſtituto, miraculis, paſſione, reſurrectione (b). Si ſolum eſſet Verbi teſtimonium, ſuſpicione laborare videretur: cùm verò accedant Patris & Sancti Spiritûs teſtimonia, invictum eſt, ut ipſe loquit Chriſtus (c): *Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum*, ſaltem, exiſtimari verum nolo. *Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me, & ſcio quia verum eſt teſtimonium quod perhibet de me... Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, teſtimonium perhibent de me ... Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.*

Sanctus denique Spiritus teſtificatus eſt de Jeſu Chriſto, ejusque incarnationis & Divinitatis veritate, tum illapſus in ipſum baptiſmi tempore (d), cùm occupans Apoſtolos ſacrâ Pentecoſtes die, ſeque innumeris Fidelibus infundens per gratiam, per divina dona, per animi unctionem, denique prodigia exhibens per Chriſtum Jeſum, ejusque Servos & Apoſtolos. Tria hæc Patris, Verbi, & Sancti Spiritûs teſtimonia unum omnino ſunt, cùm in unius veritatis confirmationem conſpirent (e). Divinæ tres Perſonæ unum ſunt naturâ & ſubſtantiâ (f); quamobrem una eſſe debet omnium ſententia, una voluntas, unum teſtimonium: *Et hi tres unum ſunt*.

℣. 8. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA: SPIRITUS, AQUA, ET SANGUIS, de quibus ſupra, ℣. 6, ET HI TRES UNUM SUNT. Poſtrema hæc verba in latinis libris compluribus (g), & in Complutenſi Editione deſiderantur. S. Thomas libro in Decretalem *De ſummâ Trinitate*, adversùs Joachimum Abbatem, negat, iſta in germanis Exemplaribus legi, putatque addita ab Arianis, depravare conantibus eorumdem verborum ſenſum, ſuperiori commate occurrentium, quæ Catholici de unâ in tribus Perſonis eſſentiâ interpretabantur. Legunt alii (h): *Et hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu*; ne unitas *aquæ, ſanguinis, & Spiritûs* eodem modo ac *Patris, Verbi, & Spiritûs Sancti* uſurparetur. Græca Exemplaria conſtanter ferunt (i): *Et hi tres in unum ſunt*; in idem recidunt, in unum de Filii incarnatione ac Divinitate teſtimonium conſentiunt.

S. An-

(q) *Matth.* III, 16. (r) Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν, ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.
(s) *Ambroſ. lib. 3 de Spiritu, cap.* 11. (t) 2 *Cor.* III, 6: *Qui & idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti, non literâ, ſed Spiritu.* (u) *Deut.* XVII, 6; & XIX, 15: *In ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* (x) *Matth.* III, 17. (y) *Matth.* XVII, 15; *Luc.* 12, 28.
(z) *Joan.* XII, 29. (a) *Joan.* V, 29; VIII, 18, 54; X, 25, 37, 38.
(b) *Vide Joan.* V, 17; X, 24; XIX, 7. (c) *Joan.* V, 31, 32, 37. (d) *Matth.* III, 16; *Joan.* I, 32, 33, 34.
(e) *Vat. Eraſm. Gomar. Jac. Capell.* (f) *Boeth. Petri, Cornel. Men. Tir. Zeger. Piſc. alii paſſim.*
(g) *Lovanienſes* 15, *Cod. Britanic. apud Mill. alii plures apud Simon. Diſſert. Critic. de Mſſ. N. T.*
(h) *Clem. Alex. hic, in Latinis Caſſiodori; Ambroſ. lib. 3 de Spirit. S. cap.* 11; *Athanaſ. ſeu Vigil. Thapſ. de Unicâ Deitate Trinit. & lib. de Fide ad Theophyl.*
(i) Καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. *Oecumen.* Τουτέστι εἰς τὴν περὶ τοῦ Χριστοῦ μαρτυρίαν.

℣. 9. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.

℣. 10. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

℣. 11. Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus eſt.

℣. 12. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.

COMMENTARIUS.

S. Aogoſtious (k), Facondus Hermiaoenſis (l), S. Eucherius (m) locum hunc de tribus Trinitatis Perſonis expliſeant. *Spiritue* Patrem ſignificat, cùm ſcriptum ſit (n): *Spiritus eſt Deus*. *Aqua* Spiritum Sanctum, eùm dixerit Chriſtus (o): *Flumina de ventre ejus*, qoi Spiritum Sanctum acceperit, *fluent*. *Sanguis* denique Servatoiem deſignat incarnatum, aſſumptis veri homiois carne & ſanguine. Divinæ tres Perſonæ una ſunt eſſentia: *Et hi tres unum ſunt*. Theologi quidam ita explicant. Spiritus, aqua, & ſanguis teſtimonium præbuere veritati incarnationis & humanitatis Jeſu Chriſti: Sanguis e vulneribus fluens, aqua manans ex latere, Spiritus Patri redditus, *emiſit ſpiritum*: tria hæc unum ſunt, unum hominem Deum conſtituunt. Vide quæ diximus in ℣. 6. Chriſti Jeſu Divinitas & humanitas confirmantur nedum *Patris*, *Verbi*, *& Sancti Spiritus* teſtimonio, ℣. 7, verùm etiam *Spiritus*, *aquæ & ſanguinis*, ℣. 8, ſcilicet *Sancto Spiritu*, Apoſtolis & Fidelibus tradito; *aquâ* baptiſmatis qua abluimur; *& ſanguine* Jeſu Chriſti quo redempti ſumus.

℣. 9. SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS, TESTIMONIUM DEI MAJUS EST. Si ex Juris regulâ duo treſve teſtes rei alicujus veritatem aſſeruot (p), abſolutiſſimam fidem meretur teſtimonium, quod aquâ, ſanguine, ſanctoque Spiritu exhibetur: quòd ſi non ſufficiat horum teſtificatio, ſufficere omnino debet totius Trinitatis teſtimonium. Trinitatem univerſam pro Filii Dei Divinitate & incarnatione teſtificari, vidimus, ℣. 7. Inter cæteras Pater teſtificatus eſt prodigiis planè innumeris (q). Cùm Judæi Chriſto objecisſent (r): *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum; reſpondit Jeſus: Etſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quò vado.... ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater. Et in Lege veſtrâ ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater.*

ET HOC EST TESTIMONIUM DEI QUOD MAJUS EST, QUONIAM TESTIFICATUS EST DE FILIO SUO. Majus eſt & argumento, & ipſâ teſtificandi ratione: nunquam enim præclariùs fulſit Dei potentia & majeſtas. Græcus proclivior eſt (s): *Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo*.

℣. 10. QUI CREDIT IN FILIUM DEI, HABET TESTIMONIUM DEI IN SE. Qui credit, Chriſtum Jeſum eſſe verum Dei Filium, eumque ſub hoc nomine confitetur, colit, invocat, fiduciæ ſuæ argumentum facit, qui membrum Eccleſiæ illius eſt, ejuſque nominis notam in baptiſmate accepit, hic ſatis docet, Dei teſtimonium ſeſe accepiſſe, credidiſſe rebus a Patre, Verbo, Sanctoque Spiritu traditis, ac revereri illorum teſtimonii veritatem. Aliter planè atque Hæretici, veritatem incarnationis ac Divinitatis Chriſti Jeſu negantes, uti diximus; qui certè Dei teſtimonium non acceperere, mendacii & fraudis accuſavere ex obliquo Deum, quaſi is conſpirare in hominum deceptionem queat, exhibitis de Chriſto teſtimoniis, quibus fidem denegare nefas eſt. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum*: ita ſe gerit, quaſi Deum mendacem exiſtimet: luculentiſſima ejus teſtimonia in dubium revocat, *quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo*, confirmatâ prodigiis miſſione illius & prædicatione. Multo ſimpliciùs habet hoc membrum Græcus (t): *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſe* (non *teſtimonium Dei*). *Qui non credit Deo, mendacem facit eum*.

℣. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM, QUONIAM VITAM ÆTERNAM DEDIT NOBIS DEUS per Chriſtum Jeſum Filium ſuum. Hic definit teſtimonium, quod de Filio nobis exhibet Deus; Chriſtum nempe Jeſum eſſe Meſſiam, Verbum Patris, unicum ejus Filium, coæternum, conſubſtantialem; noſque per illum vitam æternam conſecuturos. quæ omnia negabant ejus ætatis hæretici, quos Joannes hac Epiſtolâ damnat, confirmatâ pro viribus incarnationis ac Divinitatis Jeſu Chriſti veritate; ex qua conſequuntur cætera, ſcilicet hominum redemptio, vita æterna, cœleſtis beatitudo (u): *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*.

℣. 12. QUI HABET FILIUM, HABET VITAM. Chriſtianus, Fidelis, Chriſtum Jeſum reverâ Filium Dei eſſe credens, vitam habet, ſaltem ejus aſſequendæ ſpem, opem ferente gratiâ. *Qui non habet Filium, vitam non habet*. Qui incarnationis veritatem, aut Jeſum eſſe Dei Filium ac Meſſiam negat, ſive qui Chriſtum Jeſum dividit, Jeſum a Chriſto ſejungens, fidei & gratiæ vitâ caret, vitamque æternam & cœleſtem mercedem ſperare non debet. Chriſtus Jeſus, tanquam Meſſias & Dei Filius, conciliator hominum eſt, ſalus,

(k) *Auguſt. lib.* 2 *contra Maximin. cap.* 22. (l) *Facund. Hermian. lib.* 1, *cap.* 3, *de tribus Capitulis*.
(m) *Eucher. Quæſt. N. T.* (n) *Joan.* IV, 24. (o) *Joan.* VII, 38, 39. (p) *Deut.* XVII, 6; *&* XIX, 15; *Matth.* XVIII, 16; *Hebr.* X, 28. (q) *Joan.* V, 36; X, 25, 38; XIV, 11; XV, 24.
(r) *Joan.* VIII, 13... 19. (s) Ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ, ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Alii quidam*: Τοῦ Θεοῦ, ὅτι μεμαρτύρηκε. *Ita Alexand. Steph.* δ, ι, *Cov.* 4. *Genev. Rom. Velez.*
(t) Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἔχει τὴν μαρτυρίαν ἐν ἑαυτῷ. Ὁ μὴ πιστεύων τῷ Θεῷ, ψεύστην πεποίηκεν αὐτὸν, *&c. Plures legunt*: Ἔχει τὴν μαρτυρίαν τοῦ Θεοῦ ἐν ἑαυτῷ. *Ita Alex. Steph.* δ, ι, ιγ, *Lin. Colon.* (u) *Joan.* III, 15, 16, 36; *&* VI, 27, 33, 46, 47.

℣. 13. Hæc ſcribo vobis: ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.

℣. 14. Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: Quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos.

℣. 15. Et ſcimus quia audit nos quidquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab eo.

℣. 16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.

℣. 17. Omnis iniquitas, peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem.

COMMENTARIUS.

lus, vita, ſpes. Confer locum Evangelii, ubi ait Joannes Baptiſta (x): *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

℣. 13. UT SCIATIS QUONIAM VITAM HABETIS ÆTERNAM. Ingens ſolatii argumentum vobis eſſe debet hoc ipſum, quòd noſtis, verâ vos in fide veràque in Eccleſiâ, teſtimonio Patris, Verbi, & Sancti Spiritûs fretâ, verſari; voſque manere vitam æternam cœleſtemque beatitudinem. Græcus hic fuſior eſt quàm Latinus (y): *Hæc ſcripſi vobis, credentibus in nomen filii Dei, ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei.* At ſimplicior eſt Vulgatæ lectio, cui favent Græci Codices eximii (z), Syriaca, Arabica, Copbtica, Æthiopica.

℣. 14. HÆC EST FIDUCIA, QUAM HABEMUS AD EUM, &c. Hoc ipſum fermè dixit ſupra, III, 21. Maxima Chriſtiani hominis felicitas in terris eſt, poſſe ſcilicet Patrem abſolutâ fiduciâ invocare, & certò ſcire, impetraturum ſe quicquid per Chriſtum poſtulaverit, modò poſtulet cum fide, animi demiſſione ac ſpe, nihilque poſcat quod aut ſaluti ac felicitati ſuæ noceat, aut juſtitiæ, bonitati, gloriæ Dei repugnet. Iſta ſatis intelliguntur, nemine admonente. Graviſſimum foret homini detrimentum, ſi nunquam non a Deo exaudiretur; ſæpe enim contingit, ut vel ſuum ipſe, vel alterius malum poſtulet. Pro iis, *ſecundùm voluntatem ejus*, Græci quidam libri legunt (a): *Secundùm nomen ejus*; Sive, nomine ejus, ſcilicet Chriſti. Hoc autem convenit cum iis, quæ paſſim monuit Chriſtus (b), Patrem ſcilicet ipſius Chriſti nomine eſſe exorandum.

℣. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE PECCATUM NON AD MORTEM, oret, & fratris vitam impetrabit. Peccatum ad mortem, ex pleriſque Interpretibus (c), eſt lethale peccatum, cum obduratione, pertinaciâ, malitiâ, conjunctum, in quo quis deploratâ emendatione perſeverat. De hoc peccati genere non loquitur Apoſtolus, ubi ait futurum, ut Deus largiatur vitam homini, pro quo Fidelis oraverit. Peccantis malitia, qualem expreſſimus, inſuperabiles fermè Dei miſericordiæ obices ponit; quamquam abſolutè nihil eſt, quòd omnipotenti Servatoris gratiâ ſuperari nequeat. At hic ſermo eſt de eo quod fermè uſuvenit, deque uſitato rerum ordine. Tam rarò converſionis gratiam largitur hiſce hominibus Deus, ut ſi quando dederit, id prodigii loco, in exemplum non uſurpandi, habendum ſit.

Aliis *peccatum ad mortem* eſt peccatum in Spiritum Sanctum, ſive deſertionis & infidelitatis crimen (d), ſive peccatum cum anathemate conjunctum (e), vel impœnitentis ad finem uſque animi durities, ſeu quodlibet grave ſcelus æternis cruciatibus dignum (f), ſive invidia ob ſpirituale fratris commodum (g). Veteres nonnulli ad pœnitentiam non admittebant eos, qui poſt baptiſmum a fide deſciſcerent, adulterium facerent, idola colerent, homicidium patrarent. Dei erga illos miſericordiam abſolutè non deſperabant quidem, ſed horum hominum judicium ſupremo Judici relinquebant. De poſtremis hiſce criminibus locum hunc uſurpavere Tertullianus, S. Ambroſius, aliique nonnulli (h). Cùm igitur Fidelis quis hominem in ſcelere obduratum, bonorum monita aſpernantem, Eccleſiæ ac Paſtorum voces negligentem videt, futurum ne ſperet, ut meris precibus illius converſio impetretur; opus eſt gratiæ prodigio, atque omnipotentis dexteræ conatu: quamobrem non unius aut alterius hominis, ſed Eccleſiæ univerſæ preces quærat, ut ejus converſio impetretur: aſſiduis precibus lacrymas, pias largitiones, jejunium, & cætera pietatis opera adjiciat, quibus flectatur Divini Medici miſericordia ad reſtituendam ægro, medicam manum & pharmaca reſpuenti, incolumitatem.

℣. 17. OMNIS INIQUITAS PECCATUM EST. Vide ſupra, III, 5. ET EST PECCATUM AD MORTEM; at quoddam peccati genus eſt, in mortem deſinens. Contra Græcus (i): *Et eſt peccatum non ad mortem*; oppoſitum peccato ad mortem, de quo actum eſt membro ſuperiore. Hæc addit ad Fidelium ſolatium. Imbecilles quidem ſumus omnes, ac nemo eſt qui non multum peccet; at non omnia peccata in mortem ſunt. Faxit Deus, ut ne unquam in iſta incurratis. ℣. 18: *Scimus, quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat,*

(x) *Joan.* III, 36.

(y) Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. (z) Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον οἱ πιστεύοντες εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ.

(a) Κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ, *Alii*: Κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. *Æthiop. Alex. Cod. Leiceſt.*

(b) *Joan.* XIV, 13, 14; XV, 16; XVI, 23, 24, 26. (c) *Vide Auguſt. lib. 1 de Serm. Domini in Matth. cap.* 22; *& de Corrept. & Grat. cap.* 12; *Gregor. lib. Moral. cap.* 32; *Pacian. Ep.* 3; *Beda, Lyr. Carthuſ. Eraſm. Zeger. Barth. Petri, Men. Tir. alii. Vide, ſi placet, Grot. & Cornel. hic.*

(d) *Gagnæus hic.* (e) *Turrian. lib.* 4 *pro Epiſt. Pont. cap.* 3. (f) *Ambroſ. lib.* 1 *de Pœnit. cap.* 8, 9. *Gloſſa hic. Alii.* (g) *Auguſt. lib.* 1 *de Serm. Domini in Monte, cap.* 22; *Beda hic.*

(h) *Vide Tertull. de Pudicit. cap.* 19; *Ambroſ. lib.* 1 *de Pœnit. cap.* 9, 10, 11. *Grot. hic.*

(i) Καὶ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον. *Omittunt* οὐ *Vulg. Æthiop. Tertull. lib. de Pudicit. cap.* 19. *Alii Vulg. Libb. Et eſt peccatum non ad mortem. Ita Auguſt. in Speculo. Gloſſa ordinar,*

℣. 18. Scimus quia omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.

℣. 19. Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.

℣. 20. Et ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.

COMMENTARIUS.

cat, peccatis in mortem deſinentibus (*k*); iis nempe criminibus, quæ ab Eccleſiâ ejectionem atque a Fidelium corpore avulſionem merentur. Siquando cadunt, ſtatim per pœnitentiam ſurgunt, in animi obduratione non perſeverant, Paſtorum & Eccleſiæ regulas non aſpernantur.

℣. 18. SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM, ET MALIGNUS NON TANGIT EUM. Hoc ipſum fere dixit ſupra (*l*): *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Divinum ſemen idem eſt ac *generatio Dei*, ſive ortus ex Deo, de quo hîc Joannes. Ipſa inter prædeſtinatos electio, ſive abſolutum Dei decretum de eo in æternam beatitudinem inducendo, facit ut graviora vitet crimina, aut admiſſa per ſinceram pœnitentiam expiet (*m*). Fieri fermè nequit, ut ii, quos dedit Filio Pater, æternum in exitium ruant (*n*). Græcus legit (*o*): *Scimus, quia omnis natus ex Deo, non peccat: ſed qui natus eſt ex Deo, conſervat* vel obſervat *ſeipſum*, ut ne labatur in crimen, aut locum faciat Diaboli fraudibus; vel ſaltem ut ex Diaboli poteſtate evadat, neque in eâ diù maneat.

℣. 19. SCIMUS QUONIAM EX DEO SUMUS, Dei pars, filii, fideles, electi. Hæc nobis fiducia eſt, quia ipſius beneficio Spiritum Dei intra nos gerimus, atque in fide, juſtitiâ, Eccleſiæ communione perſeveramus. His conditionibus ac notis filii Dei a Diaboli filiis ſecernuntur, quemadmodum per totam Epiſtolam vidimus. Præterea ſcimus, *mundum totum in maligno poſitum eſſe*, ſub Dæmonis imperio, Dæmoni ſubjectum, ejusque pedibus proculcari. Reddi etiam poteſt (*p*): *In maligno jacet*, in diabolo cubat, in ejus ſinu. Sive: Mundus poteſtati Dæmonis obnoxius eſt, ab illo tenetur, ejus arbitrio agitur, cùm illius imperium Deos quodammodo ipſi ſeliquerit.

Quo tamen pacto id ex verborum ſono intelligi queat? nonne ſupremus mundi arbiter eſt Deus, nihilque a Dæmone moveri, niſi Deo aut jubente aut permittente, poteſt? nonne quicquid in mundo contingit, perſpicuum eſt Divinæ Sapientiæ, providentiæ, juſtitiæ, miſericordiæ argumentum?

Reſpondeo, I, Agit Joannes de mundo ætatis ſuæ, ſcilicet idolorum ſuperſtitione, turpiſſimisque flagitiis occupato (*q*). II, Sunt qui vertant (*r*): *Merſus eſt malo*: homines univerſi naſcuntur peccato originis inquinati, & obnoxii ſunt concupiſcentiæ, cujus veneno pleraque illorum geſta vitiantur, & mala innumera in mundum inducuntur. III, Mundus, uti oppoſitus Dei filiis, ſcilicet infideles, hæretici, pſeudo-Prophetæ, qui Chriſtum Jeſum ejusque Divinitatem negant, filii Diaboli ſunt, Spiritu ejus aguntur, illius inſtituta ſectantur: quamobrem flagitio plenum eſt quidquid illi moliuntur: ſub Dæmonis poteſtate & imperio prorſus jacent. Poſtrema hæc explicatio magis conſentanea videtur cum propoſito Apoſtoli, & reliquâ Epiſtolâ.

℣. 20. SCIMUS QUONIAM FILIUS DEI VENIT. En totius Epiſtolæ collectio. His notis Filii Dei a Filiis Diaboli, mundi Principis, ſecernuntur. I, credunt illi & fatentur, Chriſtum Jeſum eſſe Dei Filium, veniſſe in mundum, aſſumpſiſſe carnem, mortem obiiſſe, prodiiſſe redivivum ob mundi totius ſalutem. II, *Filius Dei dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum* (*s*), quem hominum nemo vidit (*t*), nosque agnituri non eramus, uti oportebat, niſi Chriſtus ipſe aperiret. III, Indita nobis Dei & Chriſti Jeſu cognitio per fidei lumen, illud efficit, *ut ſimus in vero Filio Dei*, conſtanter teneamus fidem, quam ex eo per Apoſtolorum inſtitutiones accepimus. IV denique, *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*; Chriſtus nimirum Jeſus (*u*), Deus noſter, cultûs noſtri noſtræque ſpei argumentum, qui æternam nobis vitam promeruit. Quatuor hiſce capitibus colliguntur omnia, quæ Joannes adversùs Simonis & Cerinthi Diſcipulos, Gnoſticos, cæterosque Divinitatem Filii, & ejus incarnationis veritatem negantes, diſputavit.

(k) *Tertull. de Pudicit. cap. 19; alii.*

(l) *1 Joan. III, 9.*

(m) *Vide Bern. ſerm. 23 in Cantic. & ſerm. 2 in Septuag. & Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 22.*

(n) *Joan. III, 15, 16; VI, 39; XVII, 9; XVIII, 22. Vide Oecumen. hic.*

(o) Οἴδαμεν ὅτι πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Θεοῦ, οὐχ ἁμαρτάνει· ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ, τηρεῖ ἑαυτόν. *Quidam*: Ἀλλ' ἡ γέννησις τοῦ Θεοῦ τηρεῖ αὐτόν. *Ita Vulg. Velez. Hieronym. lib. 2 contra Jovin.*

(p) Ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται.

(q) *Vide Cornel. a Lapide in hunc loc.*

(r) *Oecumen. Beda, Lyran. alii. Vide Ambroſ. Apologet. David. cap. 2: Mundus in maligno poſitus eſt, quia omnes homines ſub peccato naſcuntur, quorum ipſe ortus eſt in vitio.*

(s) *Græc. impreſſ.* Ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν, *Ut cognoſcamus verum. Plures addunt, Deum.* Ἀληθινὸν Θεόν. *Ita Alex. Steph. δ, ε, ι, ια. Alii Vulg. Arab. Æth. Baſil. Cyrill. Ambroſ. Beda, &c.*

(t) *1 Joan. IV, 12.*

(u) *Oecumen. hic, Athanaſ. Hieronym. Auguſt. Cyrill. Alexand, Ambroſ. apud Cornel. a Lapide hic. Et Interpp. paſſim*, Eraſmus & Grotius ad Patrem referunt.

℣. 21. Filioli, cuſtodite vos a ſimulacris. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 21. Custodite vos a simulacris. Creditur Joannes Epiſtolam ad Neophytos ex Judæis dediſſe. Quamobrem eos hortatur, ut a quolibet idololatriæ genere ſeu perſpicuo ſeu ſubobſcuro caveant (x). Idola ne colitote: jusjurandum per illorum nomina ne nuncupetis: illa ne vereamini; eorum feſta ne frequentetis; Religioſa Infidelium convivia ne celebretis; carnes Diis mactatas ne guſtetis. Conſtat ex Pauli Epiſtolâ ad Corinthios (y), complures fuiſſe Fideles, quibus religioni non erat adeſſe Gentilium conviviis, & carnes idolis mactatas guſtare. Putat Hammondus, his verbis moneri Fideles, caveant ab errore Simonianorum, qui idola colere, ac Simonis præſertim atque Helenæ ſimulacris, Jovis & Minervæ ſpeciem referentibus, thura & vina libare non verebantur (z). Vulgarem idolorum cultum inter indifferentia recenſebant Simoniani, inquit Origenes (α); quamobrem obnoxii non erant odiis, quibus Chriſtiani cæteri exagitabantur.

Amen: non habent Codex Alexandrinus, aliique Græci libri complures, Syriacæ, Arabicæ, Cophticæ, Æthiopicæ verſiones. Quædam Exemplaria (β) ſubdunt ad calcem Epiſtolæ, datam eſſe Epheſo.

IN

(x) *Vide Tertull. de Coronâ Milit. cap. 11; Didym. Oecumen. Barthol. Petr. Tirin. alii.*

(y) 1 Cor. VIII, 1, 2, 7, 10; & X, 7, 14, 19, 28. (z) *Vide Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 2, cap. 13; Iren. lib. 1, cap. 20; Aug. de Hæreſ. 1, pag. 6.* (α) *Origen. lib. 6 contra Celſ. pag. 282. Vide & Juſtin. Apolog. 2, pag. 70.* (β) *Ita Laud. 2, Petr. 2, Bin. ſeu Cov. 5.*

Finis Commentarii in Primam Epiſtolam B. Joannis Apoſtoli.

Digitized by Google

IN SECUNDAM B. JOANNIS APOSTOLI EPISTOLAM PROLEGOMENON.

HAnc ſecundam, & quæ hanc conſequitur, Epiſtolam Authorum diſceptatio Joanni Apoſtolo ſæpè eripuit (*a*). Fuere, qui alteri Joanni, cognomine Seniori, cujus ſepulcrum Epheſi oſtenditur, & cujus apud Papiam, Euſebium, & Hieronymum mentio, eas tribuerint. Hoc ſanè diſcrimen, quod usque ad quartum ſæculum Eccleſias in contraria diſtraxit, noſtrâ iterum ætate a quibusdam inventum eſt, qui eas Epiſtolas ab Joanne exaratas omninò inficiantes (*b*), his ducuntur argumentis. I, Hujus Epiſtolæ Scriptor non Apoſtolum, ſed *Presbyterum*, ſeu *Seniorem* ſeipſe appellat. II, Utramque ex his Epiſtolis diu Eccleſiæ rejecerunt, & nonniſi ſerò admodum in ſuas linguas converterunt. Chriſtiani nullius temeritas eò perveniſſe credenda eſt, ut Apoſtolum repelleret, quemadmodum hîc (*c*) Epiſtolæ tertiæ Authorem Diotrephes rejeciſſe dicitur.

His reſpondemus, Apoſtolos & nomen, & ſui Apoſtolatûs dignitatem Epiſtolis ſemper præponere non conſueviſſe. In Epiſtolâ ad Hebræos Paulus, & ipſe Joannes in ſuâ primâ, nomen ſuum prætererunt. Porrò nomen ibi ſuum ſuppreſſit, veritus, ne, uti de primâ ejusdem Epiſtolâ paulò ante Grotius ſuſpicatus eſt, veritus, inquam, ne in manus Fidelium, a quibus pravè acciperentur, inciderent (*d*). Has profectò poſtremas duas Epiſtolas in Scripturarum Canone diu non recenſitas fatemur; nemo tamen omninò rejectas evincet. Nos a primo ad quartum & quintum usque ſæculum, quibus unanimi conſenſu canonicæ haberi cœptæ ſunt, veluti Scripturas Sacras a Patrum plurimis allegatas fuiſſe, paulò poſt oſtendemus.

Temerè quidem aſſeritur, in cæteras linguas nonniſi ſerò admodum fuiſſe converſas. Nos eas in omnibus Latinorum, Syrorum, aliorumque Orientalium Collectionibus invenimus; & ab iisdem aliquando fuiſſe rejectas, nullibi oſtenditur. Quòd verò quædam Eccleſiæ, & Patres de eis dubitarint, canonica earum authoritas inde minimè evertitur. Diotrephis audacia, qua is Joannem contemptui habebat, Apoſtoli authoritati nil detrahit. Quò temeritatis non progrediatur ſuperbus? Nonne & ipſe Apoſtolus Paulus nihili habitus, & maledictis affectus (*e*)? Simonis & Cerinthi Diſcipuli, cæterique Anti-Chriſti præcurſores, quos Petrus, Paulus, Jacobus, & Joannes ſtrenuè impugnarunt, inter Chriſtianos quidem merebant; Apoſtolos nihilominus, eorumque doctrinam deſpectui habebant.

Joannem Seniorem, quem Papias (*f*) Præceptorem ſuum, & poſtremæ utriusque Joannis Epiſtolæ Authorem appellat, nondum ſatis novimus. Ipſe Hieronymus, qui ejus ſepulcrum unà cum ſepulcro Joannis Evangeliſtæ Epheſi oſtendi aſſerit, id a pluribus alterum ejusdem Evangeliſtæ monumentum putari aſſerit [*g*]. Qui Joanni Marco (*h*), de quo in Apoſtolorum Actis (*i*), has Epiſtolas tribuunt, nullo valido argumento ducuntur. Quare cùm oratio, ſententiæ, ratiocinationes & cætera adjuncta, tot potiſſimùm ſæculorum fides pro Joanne Evangeliſtâ nos ſtare compellant, & adverſantium prætereà argumenta vel inania ſint vel enervia, veterum inſtar utramque hanc Epiſtolam verè ab Joanne Evangeliſtâ exaratas fateri cogimur.

Hoc ducti principio, canonicas adigimur profiteri; nobisque adſtipulantur Concilia & Patres, a quibus veluti a Spiritu S. inſpiratæ laudantur. Quidam Magni Concilii Carthaginenſis Epiſcopus (*k*) hanc, de qua hîc potiſſimùm agimus, ſecundam veluti a S. Joanne ſcriptam allegat. S. Cyrillus Jeroſolymitanus (*l*), S. Gregorius Nazianzenus (*m*), Concilium Laodicenſe [*n*], & Carthaginenſe tertium anni 397 (*o*), & Clemens Alexandrinus (*p*) inter Cannonicos Libros utramque recenſent. S. Hieronymus, qui in Libro de viris illuſtribus huic ſecundæ favere non videtur, alibi com-

(a) *Origen. apud Euſeb. l. 6, c. 26, hiſt. Eccl.* Ἰωάννης καταλέλοιπεν καὶ ἐπιστολὴν . . . Ἔστω δὲ καὶ δευτέραν, καὶ τρίτην, ἐπεὶ οὐ πάντες φασὶ γνησίους εἶναι. *Euſeb. lib. 3, cap. 24:* Ἀντιλέγονται δὲ αἱ λοιπαὶ δύο. *Hieron. de vir. Illuſtr. c. 9: Reliquæ duæ Epiſtolæ Joannis Presbyteri aſſeruntur, cujus & hodie alterum ſepulcrum apud Epheſum oſtenditur. Vide Papinm apud eumdem, c. 18. Nazianz. car. 125:* Τὴν τ' Ἰωάννου μίαν, τινὲς δὲ τὰς τρεῖς.

(b) *Grot. Ita cenſet Eraſmus. Dubitat Cajetan.*

(c) *3 Joan. 9.*

(d) *Vide Cleric. not. in hunc loc.*

(e) *2 Cor. xv, 13.*

(f) *Apud Euſeb. l. 3, c. 39, hiſt. Eccl.*

(g) *Hier. de vir. Illuſtr. c. 6: Nonnulli putant, duas memoriæ ejusdem Joannis Evangeliſtæ eſſe.*

(h) *Dodwel. Differt. 1 in Irenæum.*

(i) *Act. xii, 25.*

(k) *Apud Cyprian. p. 403.*

(l) *Cyrill. Catbech. 4.* (m) *Greg. Nazianz. car. 24.*
(n) *Concil. Laodic. can. 60.* (o) *Conc. 3 Carthag. can. 47.*
(p) *Clem. Alex. in Hypotypoſ. apud Euſeb. l. 6, c. 14.*

commendatam allegat (*q*): *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jeſus amavit plurimùm, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. Presbyter Electæ Dominæ, & filiis ejus, quos ego diligo in veritate, &c.* S. Iræneus (*r*) Joannis Chriſti Diſcipuli nomine, nomine verò Beati Joannis Alexander Alexandrinus (*s*) & S. Athanaſius eam allegant. Athanaſius prætereà (*t*) Canonicam appellat, cui & Ruffinus [*u*], S. Auguſtinus [*x*], Innocentius I [*y*], & alii Recentiores ultrò adhærent.

De *Electâ*, ad quam data eſt Epiſtola, nunc diſquiramus. Nobilis quædam Matrona propè Epheſum degens vulgo creditur, quam unà cum familiâ ab Hæreticis Filii Dei Divinitatem, & Incarnationem impugnantibus, Joannes per hanc Epiſtolam muniit (*z*). Hæc verò ſententia magnis difficultatibus obvolvitur. S. Athanaſius hujus Matronæ nomen *Kyriam* ſeu *Dominam* (*), *Electam* verò epitheton, ſeu præclarum titulum putat; *Dominæ a Deo electæ*. Verùm alii & *Electam* & *Dominam* utrumque honoris titulum putant (*a*). Joannem verò addunt & ſuum & hujus Matronæ nomen conſultò præteriiſſe, præſertim cùm & Epiſtolæ delator, & ſtilus, & characteres Joannis optimè noſcerentur. Quem morem & in tertiâ Epiſtolâ ſequutus, *Senioris* nomine ſe ipſum, *Gaji* verò ſeu *Caij* cognomine, non genuino nomine, eum, ad quem ſcribit, deſignat.

Non deſunt, qui (*b*) hanc Epiſtolam nulli Matronæ, ſed toti Eccleſiæ ſcriptam ducant, quam Joannes per ænigma & ſymbolicè *Dominam* & *Electam* appellarit; eamdem prætereà, veluti cum ſuis filiis unum quid conſtitueret, plurali numero alloquitur. *Electa* tamdem *Sororis ſuæ, ejuſdemque filiorum*, nempe, ſubdunt, Eccleſiæ & Chriſtianorum Epheſi nomine ſalutat. Petrus Eccleſiam Romanam (*c*) ſalutat nomine *Eccleſiæ, quæ eſt in Babylone collecta*. Fideles in Apoſtolorum Scriptis *Electi* ſæpiſſimè appellantur (*d*). Si per *Dominam Electam* quamdam Eccleſiam, & ſi *per ejus Sororem Electam unà cum filiis* Eccleſiam alteram Joannes induxit, inuſitatum ſanè loquendi genus adhibuit. Tempora verò & adjuncta tropicas aliquando locutiones adhiberi expoſtulant, ut illud lateat, quod ſciri non expedit. Petrus in primâ ſuâ Epiſtolâ (*e*), & Joannes in Apocalypſi (*f*) Romam appellant Babylonem. Neronem Paulus Leonem vocat [*g*]. Prophetæ ſimillimis phraſibus ſæpiſſimè utuntur. Quare non deſpiciendi, qui non Matronam hic ſed Eccleſiam quamdam intelligunt, cùm præſertim Fides minimè utrinque lædatur. Clemens Alexandrinus (*h*) Babyloniam Matronam, ad quam Joannes ſcribebat, *Electam* fuiſſe tradit.

Quo tempore ſcripta fuerit, ignoramus; fortè eodem, quo prima, cùm pravos eoſdem Doctores, & eoſdem, Simonis nempe, Cerinthi, & Gnoſticorum, errores impugnet. Fortè etiam Epheſo datam credimus, cùm & hanc & cæteras Aſiæ Eccleſias Apoſtolus moderaretur, qui tandem ſe ad eam inviſendam citò adventurum, *Electa* pollicetur.

COM-

(q) *Hier. Ep.* 85.
(r) *Iren. l.* 1, *c.* 12, 13; *l.* 3, *c.* 18.
(s) *Alex. apud Socrat. l.* 1, *c.* 16.
(t) *Athanaſ. in Synopſ. & in Epiſt. Paſc.*
(u) *Ruſin. Expoſit. Symb. apud Cypr. pag.* 553.
(x) *Aug. de Doctr. Chriſt. l.* 2, *c.* 8.
(y) *Innoc. I, Ep.* 3, *c.* 7.
(z) *Vide noſtr. Comment.*
(*) *Athanaſ. in Synopſ.*
(a) *Bart. Petri, & Cleric.*
(b) *Quidam apud Oecumen. hic; Manduit. Differt.* 23; *Cornel. Serar. V.* 13; *Bukentop. Lux de Luce, l.* 1, *p.* 124; *Hammond.*
(c) 1 *Petr.* v, 13.
(d) *Coloſſ.* III, 12; *Rom.* XVI, 13; 1 *Petr.* I, 2.
(e) 1 *Petr.* v, 13.
(f) *Apoc.* XVI, 19; XVII, 5; XVIII, 2, 10, 21.
(g) 2 *Timoth.* IV, 17.
(h) *Clem. Alex. Commentar. in hanc epiſt. a Caſſiodoro Latinè reddito.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN SECUNDAM EPISTOLAM B. JOANNIS APOSTOLI.

Electam ejusque filios hortatur, ut conſtantes in fide & charitate maneant, vitent hæreticos, nullâque cum iis conſuetudine utantur.

℣. 1. SEnior, Electæ Dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate; & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognoverunt veritatem;

℣. 2. Propter veritatem, quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.

℣. 3. Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & a Chriſto Jeſu Filio Patris, in veritate & charitate.

℣. 4. Gaviſus ſum valdè, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus a Patre.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SENIOR ELECTÆ DOMINÆ, ET NATIS EJUS. Joannis Evangeliſtæ fœtum eſſe hanc Epiſtolam ponimus, uti diximus in Præfatione. Se ipſe deſignat *Senioris* ſeu *Presbyteri* appellatione; utrumque enim ſonat vox Græca *Presbyteros* (a). Satis eo nomine notus erat Apoſtolus; cùmque ad notiſſimos ſcriberet, alio nomine opus eſſe non cenſuit. *Electa* pia erat matrona, apud hiſtoricos ignota. Id ego ex vulgari ſententiâ; neque enim me fugit complures eſſe, qui *Kyrian* proprium fuiſſe hujus matronæ nomen; alios verò negare, aut *Kyriam* fuiſſe aut *Electam*, ſed Eccleſiam aliquam hac appellatione ſignificari. Vide Præfationem.

ET OMNES QUI COGNOVERUNT VERITATEM, veram Evangelii fidem; qui Eccleſiæ fidem tuentur, profanaſque hæreticorum novitates execrantur, magno vos amore & exiſtimatione proſequuntur, quemadmodum ego, ſcilicet *in veritate*, ex animo, in Chriſto Jeſu.

℣. 2. PROPTER VERITATEM QUÆ PERMANET IN NOBIS, ET NOBISCUM ERIT IN ÆTERNUM. Hæc noſtræ erga vos benevolentiæ cauſa; quòd nimirum veritatem amatis & colitis, quòd veritas *permanet in vobis* nobiſque, firmis adeò radicibus hærens, ut nullâ vi quati poſſit; ſpero autem, utroſque ad finem uſque conſtantiſſimè illam ſervaturos. Confer 1 *Joan.* II, 14: *Verbum Dei permanet in vobis*. Germana verorum Fidelium nota eſt, conſtans in fide perſeverantia.

℣. 3. SIT VOBISCUM GRATIA.... A DEO PATRE ET A CHRISTO JESU FILIO PATRIS, IN VERITATE ET CHARITATE. Hoc membro clauditur quicquid per totam Epiſtolam diſputatur. Nimirum dicitur Chriſtus Jeſus eſſe *Filius Patris*, adversùs eos, qui illius Divinitatem, veritatemque illius incarnationis negabant: optatur Electæ *gratia, miſericordia, pax*, quo nihil præſtantius largiri hominibus poteſt in terris Deus; & quidem *in veritate & charitate*. Conſtanter tenete veritatem vobis traditam, acceptamque fidem: ſinceram effuſamque erga proximos, inimicos etiam, ſervate. Græcus ad verbum (b): *Erit nobiſcum gratia*. Alii legunt, *vobiſcum*.

℣. 4. INVENI DE FILIIS TUIS AMBULANTES IN VERITATE. Videntur aliqui Electæ filii eò veniſſe, ubi verſabatur Joannes, expenſâque illorum fide Apoſtolus orthodoxos comperiſſe; qua de re gratulatur matri. Cæteros Electæ filios non viderat, adeoque ſermonem de iis non habet; ex ejus tamen ſilentio nihil adversùs illorum ſanctimoniam & fidei puritatem colligitur. Putandum eſt, piiſſimæ ac veritatis ſtudioſiſſimæ matris filios, ſolidiſſimâ virtute inſtructos fuiſſe, atque in Chriſtianæ Religionis inſtitutis conſtantiſſimos. Priore commate ſalutem Electæ ejuſque filiis dicit, nullo diſcrimine; ſuntque (c), qui *filiis tuis* ita

(a) Ὁ πρεσβύτερος Ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ. (b) Ἔσται μεθ' ἡμῶν χάρις. *Alex. omittit*, ἔσται μεθ' ἡμῶν. *Alii legant*, μεθ' ὑμῶν, *vobiſcum*. *Ita Oecumen. Complut. Lin. Vel. Vulg.*
(c) *Menoch. Cornel. a Lapide hic.*

℣. 5. Et nunc rogo te, Domina, non tamquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.

℣. 6. Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundùm mandata ejus. Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis.

℣. 7. Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & anti-chriſtus.

℣. 8. Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis; ſed ut mercedem plenam accipiatis.

℣. 9. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrinâ Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrinâ, hic & Patrem & Filium habet.

COMMENTARIUS.

ita uſurpent, qoaſi diceret *filios tuos*. Suſpicantur alii (d), non omnes Electæ filios Chriſto adhuc nomina tunc dediſſe. Clemens Alexandrinus (e) Electæ natos natasve (utrumque enim Græca vox patitur) virgines fuiſſe innuit: *Secunda Joannis Epiſtola, quæ ad virgines ſcripta eſt*.

℣. 5. Nunc ergo rogo te, Domina,... ut diligamus alterutrum. Hortor ut mutuam charitatem colas; eâ quippe invicem nectimur, Deoque chari efficimur. Idem hoc præceptum eſt, quod tantoperè Chriſtus commendavit. Novi nihil ſcribo, dum charitatem ſuadeo, *ſed quod habuimus ab initio* Evangelii. Hoc ſtatim edocta ea, vix explicatis Fidei myſteriis, & erga Deum officiis. Vide ſupra, 1 *Joann.* 11, 7, ubi eadem hæc ſententia occurrit.

℣. 6. Hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus (f). Dei amor & proximi in ipsâ exercitatione non ſejunguntur. Proximum, ut oportet, amare non poteris, niſi in Deo & propter Deum ames; cùmque ita dilexeris, Deum quoque amaſti. Si fratres diligas, non Dei ſed ipſorum causâ, charitatis præcepto non obtemperaſti, neque aut Deum aut fratres dilexiſti. Porrò charitas virtus eſt in conjunctione conſiſtens. Qui ergo dogmatum novitate concordiam ſcindunt, charitate carent, Divinumque præceptum in re præcipuâ violant (g).

℣. 7. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem (h), in carne, ſive cum verâ carne, carneo corpore. Ajunt hi, Jeſum in terris fuiſſe cum carnis phantasmate, non verâ carne; quamobrem nonniſi per ſpeciem & mortuum eſſe & in vitam rediiſſe. Ita Gnoſtici, ſeu *Doceta*, Simonis Magi Diſcipuli (i), docentes Verbum, Chriſtum in terris verſatum neque incarnatum esſe, neque ortum ex Virgine, neque corpore prædirom præter quàm apparenti, neque reverâ paſſum. Ita omnem Religionis noſtræ ſyntaxim evertebant, abolebant myſteria, & ea quæ ab Apoſtolis de Verbo carne facto, & hominum redemptione per Sanguinem Dei, in cruce ob illorum ſalutem mortui, peractâ tradebantur, deſtruebant. Doctores hujuſmodi quid erant niſi impoſtores & Antichriſti? *Hic eſt ſeductor & Antechriſtus*.

℣. 8. Videte vosmetipsos, ne perdatis (k) quæ operati estis. Falſis iſtis Doctoribus fidem ne habeatis, vitate illorum fraudes; unum quippe illud quærunt, ut in infidelitatem & deſertionem vos pertrahant, ac bene geſtorum fructu ſpolient. Quicquid hactenus egiſtis, inutile vobis futurum eſt, ſi acceptam ex Apoſtolis fidem deſeratis. Nulla extra Eccleſiam ſalus, nulla absque fide virtus, nullum præmium, niſi in fide permaneatis. In priorem Joannis Epiſtolam vidimus, cenſuiſſe Simonianos, bona opera per ſe eſſe ad ſalutem indifferentia; bene ac male geſtorum diſcrimen inductum eſſe ab Angelis, ut imperium in homines uſurparent; addebantque, eos qui fiduciam in Simone & Helenâ collocarent, agere pro arbitrio quidquid liberet poſſe (l).

℣. 9. Omnis qui recedit a doctrina Christi, Deum non habet. Græcus (m): *Omnis qui tranſgreditur* Dei præceptum, *& non manet in doctrinâ Chriſti, Deum non habet*. Sive: *Qui prætergreditur, & non manet in doctrinâ Chriſti*, quam Chriſtus & Apoſtoli tradidere: ſeu denique, qui recedit a doctrinâ, quam de Chriſto Jeſu accepiſtis (n), non potitur Patre. Eadem eſt ſententia, quæ in priori Epiſtolâ (o): *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Patrem ignoras, ſi neges Filium; & neutrum habes, ſi alterutrum negas; Filius enim ſine Patre non eſt, neque ſine Filio Pater (p): *Ego & Pater unum ſumus*.

℣. 10. Si-

(d) *Barthol. Petri*.
(e) *Clem. Alex. in hanc Epiſt.* ℣. 1.
(f) Κατὰ τὰς ἐντολὰς. *Alii*: Κατὰ τὴν ἐντολήν. *Ita Ald. Froben. Oecumen. Hunt.* 1, *Col. &c.*
(g) *Beda hic, Barth. Petri, &c.* (h) Ἐρχόμενον ἐν σαρκί. *Vulg. In carnem. Confer* 1 *Joan.* IV, 2: Ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα. (i) *Iren. lib.* 3, *cap.* 11; *& Hieronym. adverſ. Lucifer. cap.* 8, *Clem. Alex. Strom. lib.* 7; *Theodoret. hæret. Fab. Prol. pag.* 188.
(k) *Græc. Ne perdamus quæ operati ſumus.* Μὴ ἀπολέσωμεν ἃ εἰργασάμεθα, *&c. Alii*: Μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε, *&c. Steph.* δ, ϛ, 1, *m, Alex. Colb.* 7, *Barb.* 2, *Cant. B, alii. Syr. Æth. Iſidor. Pelaſ. Oecumen. Iren. Lucif. Calarit.* (l) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Epiph. hæreſ.* 7, *cap.* 4, *&c.*
(m) Πᾶς ὁ παραβαίνων καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ. *Alex.* Πᾶς ὁ προάγων. *Vetuſti Codd. apud Zeger. Omnis qui præcedit.*
(n) *Barthol. Petri hic.* (o) 1 *Joan.* II, 23.
(p) *Joan.* VIII, 9; *&* X, 30.

℣. 10. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis.

℣. 11. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis.

℣. 12. Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum: ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium veſtrum plenum ſit.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Siquis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert; ſi Jeſum eſſe Meſſiam, Deum, ac Dei Filium, eumque verâ carne indutum ac præditum negat; ſi recedit ab Eccleſiâ, & in acceptâ ex Apoſtolis doctrinâ non manet, illum habetote tamquam Ethnicum & publicanum, inquinatum hominem, indignumque communibus humanitatis officiis, non illorum odio, ſed verâ erroris illorum exſecratione, ac metu, ne illorum conſuetudo, aſpectus, ſermo mentes veſtras veneno aſpergant, ac ſenſim eò vos pertrahant, ut aures præbeatis, eorumque dogmata probetis. Dabant operam falſi Doctores, ut in familias & Eccleſias irreperent, eorumque ſermo in cancri morem paulatim ſerpebat (q): *Sermo eorum ut cancer ſerpit*. Maximum contagioſæ labis remedium eſt fuga, & ab aëre peſtilenti diſtantia.

Joannes Apoſtolus, tametſi in fide & gratiâ confirmatus, monitum hoc re exequi non neglexit. Narrabat S. Polycarpus (r), Joannem, cùm Epheſi eſſet, ad publicum balineum profectum, hæreticum Cerinthum ibi inveniſſe; ſtatimque egreſſum dixiſſe, vereri ſe, ne rueret balineum, unâque cum Cerintho ipſe ruinâ opprimeretur (s). Idem S. Polycarpus cùm fortè obviam haberet Marcionem, eumque rogaſſet Marcion: Cognoſcis nos? reſpondit: Cognoſco primogenitum diaboli. *Tantum Apoſtoli & eorum Diſcipuli habuerunt timorem, ne verbo tenùs communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem*, inquit S. Irenæus, ex quibus iſta didicimus.

℣. 11. Qui dicit ei, Ave, communicat operibus ejus malignis. Libri quidam addunt (t): *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini*. Si hæreticorum conſuetudine uſus fueris, illis ſalutem dixeris, illos domi exceperis, inter amicos habueris, illorum errores interdum probare, eorumque criminibus favere, & particeps eſſe videberis. Imbecilliores Chriſtiani, qui se cum hujuſmodi hominibus conſueſcere viderint, te ab eorum ſententiâ non multùm abeſſe, nec impia illorum dogmata ſatis exſecrari colligent: quare tui exemplo ad illos accedere non verebuntur; tuaque conſtantia perperam intellecta lapsûs occaſio fratri futura eſt. Audacter igitur averſare errorem, ubi cognoveris, ut ſaltem compertum ſit, te idcirco uti hæreticorum conſuetudine, ut illos ad bonam frugem revoces (u).

℣. 12. Nolui per chartam et atramentum (x). Veterum chartæ aliæ a noſtris erant; conficiebantur enim ex foliis arundinis Ægyptiæ, papyri nomine, ſimul glutine junctis, in noſtrarum chartarum formam (y). Atramentum parabatur ex fuligine lucernæ ſeu tædarum, admiſto gummi, teſte Plinio (z). Papyrus Ægyptius jam diu obſolevit; teſtaturque Euſtathius (α), conficiendi papyri artem ætate ſuâ jam fuiſſe deperditam. Vide noſtram Diſſertationem de veterum libris & ſcribendi ratione, ad Geneſim, & Montfauconium primo libro Græcæ Palæographiæ.

Spero me futurum apud vos. Non omnia dogmata ſcriptis tradebant Apoſtoli, multaque ſervabant coram docenda. Meliùs explicantur res ſermone, quàm ſcriptis: coram enim alloquens objecta intelligis, & ſolvis: nulla eſt penès epiſtolam reſponſio: tum abuti quis poteſt epiſtolâ, in qua non ſatis commodè omnia explanantur. Coram differens alterâ explicatione ſubdis ea, quæ priori explicatione non fuere perſpicua.

Joannes in Aſiâ commorans, ejus regionis Eccleſias inviſebat; pluresque ibi Eccleſias & inſtituit & moderatus eſt, teſte S. Hieronymo (β). Ad extremam usque ſenectutem, inquit Euſebius (γ), in Provincias ſe conferebat, ut conſecraret Epiſcopos, atque interdum etiam ut vel unum hominem, ſibi a Spiritu Sancto indicatum, inter Clericos adlegeret. Putat Clemens Alexandrinus (δ), Electam, cui inſcribitur Epiſtola, Babylone domicilium habuiſſe: at multò probabilius eſt, illam circa Epheſum incoluiſſe, quò

(q) 2 *Timoth.* II, 17.

(r) *Iren. l.* 3, *cap.* 3.

(s) Narrat S. Epiphanius, Ebionem in balineo fuiſſe. *Hæreſ.* 30, *cap.* 2. Feuardentius & Cornelius a Lapide ſcribunt ex S. Hieronymo adversùs Luciferianos, ruente balineo oppreſſum ſeverâ fuiſſe Cerinthum. At nihil tale in eo Libro legitur. *Feuardent. in Iren. Not. pag.* 240; *& Cornel. a Lap. hic.*

(t) *Velez.* Ἰδοὺ προεῖπον ὑμῖν, ἵνα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Κυρίου μὴ αἰσχυνθῆτε. *Cod. Gembl. Et alii Quid. apud Zeger. Ecce prædixi vobis, ut in die judicii Domini non confundamini. Vide Mill. Scol.* 504. *Ita legunt Lyr. Hug. Dionyſ. Thom.*

(u) *Vide Barthol. Petri, Men. Grot. alios.*

(x) Διὰ χάρτου καὶ μέλανος.

(y) *Plin. lib.* 3, *c.* 11: *Præparantur ex papyro charta, diviſo acu in prætenues, ſed quàm latiſſimas philyras.*

(z) *Plin. lib.* 35, *cap.* 6: *Atramentum fit ex fuligine variis modis, reſinâ vel pice exuſtis* . . . *omne autem atramentum ſole perficitur, librarium gummi, tectorium glutino admixto.*

(α) *Euſtat. ad Odyſſ.* Φ.

(β) *Hieronym. de Viris Illuſtr.*

(γ) *Euſeb. lib.* 3, *cap.* 23.

(δ) *Clem. Alex. in hac. Epiſt.*

Digitized by Google

℣. 13. Salutant te filii ſororis tuæ Electæ.

COMMENTARIUS.

Joannes ad inviſendam Eccleſiam ventitabat.

℣. 13. Salutant te filii sororis tuæ Electæ. Et filii & mater fortaſſe morabantur Epheſi, ubi hanc Epiſtolam ſcripſiſſe creditur Apoſtolus. *Electa* ſoror eſt *Kyria*, cui cognomen quoque erat *Electa*. Sive *Electa*, ex aliorum ſententiâ (ε), nomen eſt ſeo adjunctum *Eccleſiæ*. Legunt alii (ζ) *Eudecta*, non *Electa*: *Filii ſororis tuæ Eudectæ*. Sunt qui (η) vocandi caſu explicent: *Filii ſororis tuæ, o Electa*. Non facilè intelligitur, utri ſorori id nominis eſſet. Vide hujus Epiſtolæ Præfationem.

Græcus in fine habet: *Amen*; quod tamen in Alexandrino aliiſque Codicibos deſideratur. Addit Syrus: *Gratia tecum*. Æthiops: *Gratia & charitas tecum*.

IN

(ε) Τῆς ἀδελφῆς σου τῆς Ἐκλεκτῆς. *Covel. 3 addit* ἐκκλησίας. *Oecumen. hic:* Βούλονταί τινες βεβαιοῦν ὡς οὐ πρὸς γυναῖκα ἡ Ἐπιστολή, ἀλλὰ πρὸς ἐκκλησίαν.

(ζ) *Grot. hic. Alii libri* Εὐδεκτῆς.

(η) *Mariana ex Bibliis Gothicis, Menoch. Cornel. a Lapide: Sororis tuæ Electa, ideſt, Sororis tuæ, ſeu tui, quæ vocaris Electa.*

Finis Commentarii in II Epiſtolam B. Joannis Apoſtoli.

IN TERTIAM
B. JOANNIS APOSTOLI
EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

INitio ſecundæ Joannis Epiſtolæ & de canonicâ hujus authoritate diſputavimus. An prætereà verè hæc Apoſtoli Joannis fuerit, a Veteribus dubitatum, & ab iiſdem alteri Joanni, cognomento Seniori, quem Papias Præceptorem ſuum appellat, adſcriptam retulimus. Verumtamen & ejus ſtilo, characteribus, cæteriſque circumſtantiis, & unanimi, potiſſimùm a quarto hucusque ſæculo, Eccleſiæ conſenſu ducti, ab Joanne Apoſtolo exaratam credimus, & Scripturam Sacram atque Canonicam reputamus.

Cajus, ad quem hæc traditur, alter eſt fortè ex duobus Pauli Apoſtoli Diſcipulis, quorum utrumque hoc nomine appellatum novimus. Ex his celeberrimus Corinthi ortus, a Paulo Fidei myſteriis initiatus, & baptiſmate (*a*) ablutus. In eàdem urbe Apoſtolum hoſpitio excepit; quare Paulus hæc de ipſo ad Romanos [*b*]: *Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia.* Beda (*c*), Ambroſiaſter [*d*], Ado, poſt quos & Ligfootus (*e*), atque Interpretum plerique, hunc eſſe putant, cui Joannes tertiam hanc Epiſtolam inſcribit. Alii Cajum Derbæum [*f*], de quo in Actis [*g*], veroſimiliùs credunt. Cajus ſanè, de quo hic, in Aſiâ potiùs, quàm Corinthi morabatur. Caji cujusdam Macedonis, Pauli Diſcipuli (*h*), meminit Lucas, qui cum Apoſtolo Epheſum profectus, in ſeditione Demetrii vitæ diſcrimen ſubiit. Hunc verò Grotius [*i*] cum Cajo Derbæo miſcet, quem e Lycaoniâ oriundum, & Theſſalonicæ natum aſſerit. Hac tamen de re certi nihil.

Illud tantummodò conſtat, quòd Cajus, ad quem hanc Joannes, eidem Apoſtolo apprimè charus, hoſpitalitati operam dabat, vel invito Diotrephe, ejusdem, uti credimus, Urbis, in qua ipſe verſabatur, Epiſcopo, qui fratres ad Fidem ab Judaiſmo converſos hoſpitio excipi vetuerat, & eos, qui excepiſſent, anathemate multabat. Fratres omnes, & Joannes potiſſimùm, Caji pietatem virtutemque commendabant; cui hic Apoſtolus ſe citò adventurum ſpondet, ut eum inviſat, & Diotrephis audaciam compeſcat. Grotius in unâ ex ſeptem Eccleſiis, de quibus mentio in Apocalypſi (*k*); Ligfootus verò Corinthi Cajum commoratum putant. Nos hanc Epiſtolam Epheſi datam, & ad aliquam ex finitimis Civitatibus miſſam arbitramur. Quo autem ſcripta fuerit anno, fruſtra inquirimus; minimè enim fieri poteſt, ut comperiamus. Baronius, poſt quem alii plures, ab Joanne annos circiter XCVII nato tres Epiſtolas exaratas aſſerit; alii verò ante Evangelium & Apocalypſim conſcriptas ſuſpicantur.

A Judæis Fidelibus, qui Evangelio nunciando addicti vagabantur, & ab Ethnicorum donis & contubernio abſtinebant, hanc Epiſtolam delatam fuiſſe, ſimillimum vero ducimus; quare ita de hac reputandum eſt, veluti de Epiſtolâ eorumdem Concionatorum commendatitiâ (*l*). Illud ex hac Epiſtolâ conſtat, quòd Gentium & Judæorum Fideles non ſemper inter ſe conveniterr, quòdque plurimùm elaborandum eſſet, ut mutua eorum ſimultas evelleretur. In Pauli Epiſtolis earumdem ſeditionum inter Judæorum & Gentium Fideles ſemina leguntur; quare Apoſtolus in id præcipuè incubuit, ut hinc Judæos, ſe Gentibus anteſerentes, compeſceret, inde verò Gentes, Judæos contemptui habentes, coërceret (*m*). Alibi Fidelium ex Gentibus audaciam comprimit, eisque interdicit, ne Evangelicâ promiſcuè cibos comedendi libertate abutentes, Judæis pariant offenſionem (*n*). Hebræis denique adverſatur, quòd Gentes ad Legalia compellere niterentur [*o*]. Quæ ſanè omnia demonſtrant, quàm mirificè Apoſtoli de Fidei rebus & Eccleſiæ regimine inter ſe conſentirent.

(a) 1 *Cor.* I, 14.
(b) *Rom.* XVI, 23. Græcus: Γαΐος ὁ ξένος μου, καὶ τῆς Ἐκκλησίας ὅλης.
(c) *Beda in* 3 *Jo. p.* 734.
(d) *Ambroſiaſt. ad Rom.* XVI.
(e) *Ligfoot. Cronogr. p.* 1523 *Hugo, Gloſſa, Lyran. Men. Tir.*
(f) Tillemont, tom. 1, S. Paul, art. 233 & Not. 29.
(g) *Act.* XX, 4.
(h) *Act.* XIX, 29.
(i) *Grot. in Acta.*
(k) *Apoc.* I, 4, *&c.*
(l) *Vide* VV. 5, 6, 7, 8, 9, 10.
(m) *Vide Epiſt. ad Rom. per totam.*
(n) *Vide Epiſt. ad Corinth.*
(o) *Vide potiſſimùm Epiſt. ad Galat. & Epiſt. ad Philippenſ.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN TERTIAM EPISTOLAM B. JOANNIS APOSTOLI.

Laudatur Gajus, ejusque ſincera pietas, hoſpitalitas, vita ſanctitas. Joannem non excipit Diotrephes. Demetrii virtus commendatur. Sperat Joannes, ſeſe quamprimùm ad Gajum profecturum.

℣. 1. SEnior, Gajo chariſſimo, quem ego diligo in veritate.
℣. 2. Chariſſime, de omnibus orationem facio proſperè te ingredi, & valere, ſicut proſperè agit anima tua.
℣. 3. Gaviſus ſum valdè venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.
℣. 4. Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.
℣. 5. Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in geregrinos,

COMMENTARIUS.

℣. 1. SENIOR, Presbyter, GAJO CHARISSIMO. Quis iſte Gajus, in Præfatione diſputavimus. Literas ad Gajum dedit Joannes eâdem de cauſâ, qua ad Electam. Gajus, ſeu Cajus, proprium nomen non erat, ſed prænomen Romanum, ab innumeris uſurpatum. Cur ſuum ipſe, & illius ad quem ſcripſit, nomen omiſerit Joannes, minimè divinaveris, cùm nihil eâ de re tradiderint Veteres.

℣. 2. ORATIONEM FACIO PROSPERE TE INGREDI: oro ut res proſperè tibi cedant, & bene valeas. Sive (a): *In primis* Deum oro, ut ita felix ſit rerum tuarum & valetudinis ſtatus, uti eſt animi ac mentis. Animi ac mentis bona primo loco jure numerat Joannes, deinde valetudinem, & hujus vitæ fortunas, *quibus dolet natura negatis*.

℣. 3. GAVISUS SUM magnopere, cùm ex fratribus iſthinc profectis ſinceram animi tui pietatem, vitamque a te ex veritate inſtitutam intellexi. Opportunè laudare novit Apoſtolus, ut magis magiſque ad virtutis cultum excitet. Gratulatur Gajo, quòd veritatem ac fidem colat; caſtos, innocuos, dignoſque Chriſtiano mores illius commendat. Græcus ad verbum (b): *Teſtimonium perhibentibus veritati tuæ*, ſinceritati, æquitati, innocentiæ, juſtitiæ, *quemadmodum tu in veritate ambulas*, rectâ ſide, optimis ſententiis, piis moribus, ſancto vitæ inſtituto, charitate erga Deum & proximum.

℣. 4. MAJOREM HORUM NON HABEO GRATIAM: nihil mihi jucundius. Ita ſignificat Græcus (c); & vetera Latina Biblia legebant (d): *Majus his non habeo gaudium*. Nihil Magiſtro jucundius, quàm profectus Diſcipulorum. Salutis ſcientia & virtutis exercitatio potiſſimæ erant Joannis ac Diſcipulorum curæ. Nihil illi antiquius, quàm ut pura eſſet illorum ſides, vita innoxia.

℣. 5. FIDELITER FACIS QUICQUID OPERARIS IN FRATRES. Græcus ad verbum (e): *Fidele*, firmum, ſtabile, *reddis*, quicquid fratribus ac præſertim peregrinis præſtas. Aliter (f): *Rem facis homine fideli dignam*; ſive abſolutè *rem bonam* (g) ac præmio dignam. Oritur id ex veritate ſeu fidelitate tuâ, quam commendavi; fructus eſt fidei ac pietatis tuæ.

℣. 6. In

(a) Περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι. (b) Μαρτυρούντων σου τῇ ἀληθείᾳ, καθὼς σὺ ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς.
(c) Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν. *Quidam legunt*, χάριν, *gratiam. Steph.* 1, *Magd.* 1, *Vulg.*
(d) *Ita concordant Latina tribus locis; Complut. Reg. Alii Libri apud Iſidor. Clar. Barthol. Petri hic.*
(e) Πιστὸν ποιεῖς ὃ ἐὰν ἐργάσῃ εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ εἰς τοὺς ξένους. *Quidam*: Καὶ ταῦτα ξένους. *Alii*: Καὶ τοῦτο ἀδελφοὺς, *Et hoc in fratres.* (f) *Oecumen.* Πιστοῦ ποιεῖς, ἄξιον πιστοῦ ἀνδρός. *Vide Barthol. Petri, Men. Tir. alios*, (g) *Grot. hic.*

Digitized by Google

℣. 6. Qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: quos, benefaciens, deduces dignè Deo.

℣. 7. Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus.

℣. 8. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis.

℣. 9. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.

COMMENTARIUS.

℣. 6. IN CONSPECTU ECCLESIÆ. Tuum fidei ſtudium, exercendorumque charitatis operum ſedulitatem tuam coram Eccleſiâ, in qua moror, Epheſinâ ſcilicet, uti creditur, commendavere. *Τὸ in conſpectu Eccleſiæ* referri poteſt ad bona opera a Cajo culta cum totius Eccleſiæ illius admiratione.

QUOS, BENE FACIENS, DEDUCES DIGNE DEO. Quos ſi tutos in itinere duci juſſeris, uti dignum eſt Deo, optimè facies. Sive planiùs: Optimè facies, ſi eos a te diſcedentes honoris causâ proſequutos fueris. Innuit Joannes, hoc a Gajo fuiſſe prætermiſſum; idque fortaſſe aliquis crimini dederat Gajo. Peregrinos excipiebat humaniſſimè; at abeuntes cum honore non proſequebatur. Negligi nunquam ſolebat id officii, uti conſtat ex Actis Apoſtolorum, & Pauli Epiſtolis (b). Tota interdum Eccleſia cum uxoribus & natis hoſpites proſequebatur ad navim, ſive ad locum, quò pergebant, ſuis ſumptibus duci jubebat Eccleſia. Ita Berœenſes Chriſtiani Paulum Athenas uſque perduxere (i); idemque Paulus ad Corinthios ſcribens, ait, ſperare ſe futurum, ut ab iis Jeroſolymam deduceretur (k); ſive itineris duces ſocioſve darent, ſive commendatitias ſuorum literas, ſive pecuniam & cætera ad iter neceſſaria ſuppeditarent. Monet Gajum Apoſtolus, ut officium hoc hoſpitalitati & charitati adjiciat. Nonnulli legunt *deducis*, non *deduces*; atque ita tota mutatur ſententia. Græcus Vulgatus habet *deduces* (l): at Græca quædam exemplaria, Syrus, Æthiops ferunt: *Deducis*; qua lectione ſervatâ, dicendus eſt Apoſtolus laudare Gajum, quòd illud ipſum faceret, quod negare videtur Vulgata. Poſtremo huic ſenſui adſtipulantur conſequentia. Vide ℣. 7.

DIGNE DEO. Significatur his verbis quidquid optimum & abſolutiſſimum dici poteſt; Ita uti dignum eſt eo, quem in hoſpitibus excipis; dixit enim Chriſtus (m): *Qui vos recipit, me recipit*; & (n): *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Sive: *Dignè Deo*, liberaliter, ſplendidè, uti decet Chriſtianos, homines nimirum Deo uni viventes, & fidei lumen ſectantes. Non raró hac locutione utitur Paulus (o): *Ut ambuletis dignè Deo*; ſive (p): *Ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis*.

℣. 7. PRO NOMINE ENIM EJUS (q) PROFECTI SUNT. Duplex eſſe poteſt hujus loci explicatio, prout ſuperius comma explicaveris. Si poſueris, Gajum ab Apoſtolo moneri, ut hoſpites deducat, & res ad iter neceſſarias ſuppeditet, Apoſtolum ita diſſerentem induces: Da operam, ut a te diſcedentibus nihil deſit; Religionis enim vitandæque Gentilium conſuetudinis causâ, itineri ſe dederunt, nullâ re ex illis acceptâ. Quamobrem caveto, nequid illis deſit, neve viaticum quærere ex Gentilibus debeant. His verbis innuitur, Judæos ad Chriſtum converſos a Gajo excipi conſueviſſe; idque confirmant ea quæ ſequuntur.

At ſi ponas, Gajum ita ſedulò exercuiſſe hoſpitalitatem, ut viaticum quoque præberet hoſpitibus, ita explicandus eſt locus Apoſtoli: Te commendant fratres, quòd peregrinos humaniſſimè & ſplendidè excipias, *eoſque in itinere deducas dignè Deo*; ſive, quòd viaticum illis præbeas, uti dignum eſt Deo: *pro nomine enim Dei*, tuæque charitatis & munificentiæ ope, e domo tuâ diſcedentes, *itineri ſe dederunt*, nihil accipientes ex Gentilibus. Optima eſt utriuſque explicationis ſententia.

Sunt (r) qui ita uſurpent: Bene feceris, ſi peregrinos in itinere deduxeris, & viaticum ſuppeditaveris, præſertim iis, qui Dei unius causâ Evangelium nunciant, nihil accipientes ex Gentilibus, ex iis etiam quos ipſi in Fide inſtituerunt; Pauli exemplo, cui nihil antiquius fuit, quàm ut nemini eſſet oneri in Evangelicâ prædicatione (s). Denique ita etiam uſurpari poteſt (t): Optimè facis, dum hoſpitalitatem exerces, deducisque in itinere Fideles ex Gentilibus converſos, qui, relictis & patriâ & fortunis, nihil ſecum ſumpſere, ſive voluntariæ paupertatis causâ, ſive ob Gentilium vim & injurias, a quibus ejecti ſunt.

℣. 8. NOS ERGO DEBEMUS SUSCIPERE HUJUSMODI, UT COOPERATORES SIMUS VERITATIS. Ex variis explicationibus, quas in ſuperius membrum dedimus, explicari etiam hic locus poteſt. Optimum eſt peregrinos excipere, ſive ſimplices Fideles, iter habentes, certos vitandæ Gentilium conſuetudinis, ac reſpuendi illorum hoſpitii & ſubſidii; ſive Gentiles ad Chriſtum converſos, exules vel ſponte vel civium injuriâ; ſeu denique Præcones Evangelii, nullam quærentes prædicationis mercedem, nihilque ex Gentilibus aut pertinacibus accipientes. Hæc agentes, *cooperatores ſumus veritatis*, Religionis, pietatis, inſtitutionis, propagationis Evangelii.

℣. 9. SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIÆ, &c. Mavult Joannes literas ad Gajum dare, quàm ad ejus loci Eccleſiam; in eâ quippe ambitioſus quidam erat, Diotrephes nomine, qui fidem edoctus a Paulo, aliove Præcone Evangelii, occupatâque primâ ejus Eccleſiæ dignitate, alium aut Apoſto-

(b) *Act.* 1a, 30; xv, 3; xx, 38; xxi, 5; *Rom.* xv, 24; & 1 *Cor.* xvi, 6, 11; 2 *Cor.* 1, 16.
(i) *Act.* xvii, 14, 15. (k) 1 *Cor.* xvi, 11; 2 *Cor.* 1, 16.
(l) Ὃυς καλῶς ποιήσεις προπέμψας ἀξίως τοῦ Θεοῦ. *Alii*: Καλῶς ποιεῖς. *Ita Syr. Æth. Steph.* 1, *Cov.* 4, *Genev. Ita legit Hugo*: *Deducis*. (m) *Matth.* x, 40. (n) *Matth.* xxv, 40.
(o) *Coloſſ.* 1, 10; & 1 *Theſſal.* 11, 12. (p) *Epheſ.* iv, 1.
(q) *Plures omittant*, *Ejus*, *ait Beda*. *Ita Græc.* Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος ἐξῆλθον. *Quidam tamen legunt*: Ὀνόματος αὐτοῦ. *Steph.* α. *Editi alii quidam*. (r) *Barthol. Petr. Men. Tir. Piſc. Beda*.
(s) *Vide* 1 *Cor.* ix, 12; 2 *Cor.* xi, 7, & *ſeqq.* xii, 13, & *ſeqq.* (t) *Grot. Barthol. Petr. Men. Piſc.*

℣. 10. Propter hoc ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant, neque ipſe ſuſcipit fratres; & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſiâ ejicit.

℣. 11. Chariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.

℣. 12. Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſâ veritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus: & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.

COMMENTARIUS.

ſtolum aut Præconem excipere recuſabat, ex iis præſertim, qui Moſaicas obſervationes cum Evangelicis jungerent. Suffragantur huic explicationi conſequentia.

Quòd ſuperbiam & ambitionem in Chriſtianis, vel ipſâ ætate Apoſtolorum, videas, ne mirere. Proditor Judas duodecim inter Apoſtolos fuit. Sunt (u) qui Diotrephem hæreticum exiſtiment; id quod mihi non probatur. Videtur Joannes idcirco literas ad eam Eccleſiam non dare, ne arrogantem Diotrephem irritet. Si erat hæreticus, hoc ipſo impelli debebat Apoſtolus ad mittendas ad Eccleſiam literas, ut ille vitaretur. Grotio (x) Diotrephes eſt Epiſcopus aliquis ex Gentilibus ad Chriſtum converſis, qui commendatitias Joannis Epiſtolas minimi faceret, Judæosque Fideles, Legalium obſervationum ſtudioſos, in Eccleſiam non exciperet. Aliis contra (y) creditur Diotrephes Chriſtianus rerum Judaicarum amans, qui commendatitias Joannis Epiſtolas ſperneret, & Gentiles converſos a communione menſâque arceret. Probabilior eſt Grotii explicatio, magisque cum conſequentibus conſentanea.

Græcus (z): *Scripſi Eccleſiæ; ſed principatum in illis gerens Diotrephes, &c.* Sive ex aliis libris: *Scripſi aliquid Eccleſiæ*: at Diotrephes nos non excipit. Scripſi epiſtolam, at mittendam non cenſui. Sive: Scripſi aliàs ad Eccleſiam tuam: nunc ad te ſolùm ſcribo, quia literas meas aſpernatur Diotrephes. Hinc colligere eſt, hanc Epiſtolam delatam fuiſſe ab aliquibus fratribus, quos Joannes Gajo commendabat. Quæritur, quæ iſthæc ſit Joannis ad Gaji Eccleſiam Epiſtola. Hi deperditam arbitrantur (a); illi primam Joannis eſſe contendunt (b). Plerique tamen Vulgatæ lectionem, vetuſtis quibusdam Græcis libris fretam, ſequuntur (c): *Scripſiſſem forſitan*, vel, ſcribere poteram, &c.

℣. 10. SI VENERO, COMMONEBO OPERA EJUS. Modeſtè agit in Diotrephem Joannes, tametſi indigniſſimum, ut reſipiſcendi locum illi faciat. Satis hîc dicit, ut ſalubri probro obruatur Diotrephes, & ad officium redeat. Charitatis & prudentiæ eſt, turbidam violentamque cupiditatem coram non aggredi. Tria hîc vitio vertuntur Diotrephi; I, quòd *malignè obtrectet* ipſi Joanni, ejusque aſſeclis (d), Chriſtianis fortaſſe rerum Judaicarum ſtudioſis, legales ritus exemplo Joannis colentibus. II, quòd *non ſuſcipiat fratres* a Joanne miſſos, eademque cum ipſo de Legis ritibus ſentientes (e). III, quòd *eos, qui ſuſcipiunt*, inter quos erat Gajus, *prohibeat* (f), *& de Eccleſiâ ejiciat*, anathemate feriat. Id argumento eſt, & Epiſcopum fuiſſe Diotrephem, & iracundum, qui ob id, quod per ſe dignum erat laude, & maximæ Fidelium utilitati eſſe poterat, Eccleſiâ ejiceret eos, qui ab iniquâ ſui ſententiâ diſſiderent.

℣. 11. NOLITE IMITARI MALUM, SED QUOD BONUM EST. Perverſos Diotrephis mores ne imitemini, ſectamini autem dogmata & exempla, ſiquid ille boni habet (g). Siquid durius de Diotrephe ſcripſit, his verbis lenit: *Qui bene facit, ex Deo eſt: qui male facit, non vidit Deum.* Vide ſupra, 1 *Joan.* III, 6, 10; IV, 7, 8, V, 19. Malum eſſe neceſſe eſt, qui male agit: at illius animum illuſtrare & convertere poteſt Deus; fortè is ab iniquâ opinione diſcedet, & duritiem in charitatem vertet. Vos quidem bene agere nunquam deſinatis. Ea porrò eſt germana Dei filiorum nota.

℣. 12. DEMETRIO TESTIMONIUM REDDITUR AB OMNIBUS. Alius ejusdem Eccleſiæ Chriſtianus erat Demetrius, Gaji charitatem, pietatem & hoſpitalitatem imitans. Hic ab omnibus, qui eum noverant, commendabatur, *& ab ipſâ veritate.* Chriſtus Jeſus, qui veritas eſt (h), ſeu potiùs, bona illius opera loquuntur, ejuſque bene geſtorum perſpicuitas illuſtre adeò illi teſtimonium reddit, ut infirmari nequeat aut aboleri (i). Denique ipſe ego teſtificor: *Sed & nos teſtimonium perhibemus, & noſti, quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.* Tam certò ſciebat Joannes, ſuum ipſius teſtimonium rejici non poſſe, ut ſe ipſe laudare non vereatur. Nonnulli ſunt ſanctitate adeò perſpectâ, ut ſe ipſi commendare poſſint. Tanta eſt illorum æquitas ac ſinceritas, ut compertum ſit, malum, ſiquod ſit, eſſe dicturos eâdem ſimplicitate, qua bonum aperiunt. Satis ſe ipſe verbis hiſce deſcribit Joannes; eademque non ſemel in Evangelio uſurpat (k). Ex his rurſum collige, ipſum eſſe Epiſtolæ hujus authorem. Modus hic conciliandæ authoritatis optimè convenit Apoſtolo, & dilecto Chriſti Diſcipulo.

℣. 13. MUL-

(u) *Oecumen. Beda, Barthol. Petr. Fromond. alii.*
(x) *Vide Grot. Hamm.*
(y) *Le Clerc, Barth. Petr.*
(z) Ἔγραψα τῇ Ἐκκλησίᾳ. Ἀλλ᾽ ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρεφής. *Alii*: Ἔγραψά τι τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Alex. Steph.* 1. (a) Tillemont, tom. 1, S. Jean l'Evangéliſte, art. 9, pag. 368.
(b) *Ligfoot. Chronol. pag.* 152. (c) Ἔγραψα ἂν τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Ita Genev. Covel.* 3, *Pet.* 3, *Colleg. n.* 1, *Lin. Syr. Vel.* Ἔγραψα ἄν τι τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Ita Copht. Covel.* 4.
(d) Φλυαρῶν ἡμᾶς. *Oecumen.* Λοιδορῶν, κακολογῶν. (e) *Grot. Barth. Petr. Menoc. Tir.*
(f) Καὶ τοὺς βουλομένους κωλύει. *Alii*: Καὶ τοὺς ἐπιδεχομένους κωλύει. *Steph.* 5, 6, *Cov.* 4, *Genev. Syr. Vulg.* (g) *Grot. Barthol. Men. alii.* (h) *Lyran. Barthol. Petr.*
(i) *Grot. Barthol. Men. Piſc. alii paſſim.*
(k) *Joan.* XIX, 35; XXI, 24.

℣. 13. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum, & calamum ſcribere tibi.

℣. 14. Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

COMMENTARIUS.

℣. 13. MULTA HABUI (l) TIBI SCRIBERE; at chartæ credere nolui. Coram ediſſeram, cùm adero. Non multa ſcripſere Apoſtoli; nihil omnino Chriſtus. Malebant illi fidelibus viris Fidei depoſitum credere, quàm ſcriptis libris publicè omnibus tradere. *Quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*, inquit Paulus (m). Vide ſuperioris Epiſtolæ finem, ubi hæc eadem occurrunt.

℣. 14. SALUTANT TE AMICI. SALUTA AMICOS NOMINATIM. Arctæ conſuetudinis & amicitiæ Paulum inter Gajum, & Eccleſiam Epheſinam, ubi ſcripta hæc Epiſtola creditur, & alteram, cujus membrum erat Gajus, argumentum.

IN

(l) Πολλὰ ἔιχον γράφειν. *Quid*, ἤθελον, *Volui*. (m) 2 *Timot.* II, 2.

Finis Epiſtolæ III B. Joannis Apoſtoli.

IN EPISTOLAM
B. JUDÆ APOSTOLI
PROLEGOMENON.

JUdas cognomento *Thadæus* ſive *Lebbæus*, & *Zelotes*, juxta Origenem (*a*), Chryſoſtomum [*b*], Hieronymum (*c*), Gelaſium Papam [*d*], & alios nonnullos, interdum *Frater Domini* (*e*) idcirco appellatur, quòd filius Mariæ Sororis B. Virginis, & Jacobi Minoris Jeroſolymorum Epiſcopi frater eſſet (*f*). Ex uxore, quam Nicephorus Mariam vocat, excepit liberos; Hegeſippus enim duorum Martyrum ejus Nepotum meminit (*g*). Ejus, quæ extat, Epiſtola inter Catholicas ultima recenſetur, quam ipſe nulli peculiari Eccleſiæ, ſed omnibus Fidelibus a Deo Patre dilectis, & a Chriſto Domino vocatis inſcribit; ex cujus verſiculo decimo ſeptimo, quo Petri ſecundam allegat, & ex toto ejuſdem contextu, quo Apoſtolorum Principis locutiones, tamquam iis quos alloquitur notas, imitatur, omnibus Judæis, qui Chriſtianæ Fidei nomen dederant, & in Orientis Provinciis verſabantur, Epiſtolam ſuam ſcripſiſſe videtur.

Jamdiu ad eos ſcribere optantem, hactenus ſe prohibitum fuiſſe oſtendit, quòd pravis quibusdam Doctoribus, per doctrinas nefarioſque mores extremam Eccleſiæ perniciem molientibus, oppugnandis omnem operam impendiſſet. Simonianorum præcipuè eum hic meminiſſe credimus, & Nicolaitarum, aliorumque ejus ætatis Hæreticorum (*h*), qui in Hiſtoriis Gnoſtici appellantur, quorum pravæ ſententiæ, & pudenda flagitia a S. Epiphanio, S. Irenæo, & cæteris vetuſtis Patribus recitantur. Eos quidem Judas ita deſcribit, ut eos palpare non videatur: at nulla certè vis ac ſeveritas adversùs perniciosos adeò hæreticos nimia erat.

Sub Epiſtolæ finem, ut Fidem & Charitatem firmiſſimè teneant, & precibus ſtudiosè addicti a Deo miſericordiam & æternam vitam expectent, Fideles hortatur; enixèque rogat, ne Fratrum, qui ab Hæreticis decipi facilè poſſent, ſalutem negligant; utque veluti mediis e flammis illos eripiant, quos Hæreticorum fraus in errores impulit. Vereantur denique [*i*] *& eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*, quæ ſcilicet impuram carnem tetigit.

Quo tempore ſcripſerit, ignoramus; ſanè poſt Hæreticos, quorum meminimus. Apoſtolos tamquam aliquanto antea peremptos memorat (*k*); prætereà cùm ſecundæ Petri verba exſcribat, & ad & ſecundam Pauli ad Timotheum alludat (*l*), poſt eorum mortem, nempe poſt annum Chriſti LXVI, hanc eſſe ſcriptam jure putamus. Qui ergo poſt Neronem, imò & poſt Jeroſolymæ excidium exaratam duceret, fortaſſe non procul a veritate aberraret.

Omnes prorsus Eccleſiæ inter Canonicas Scripturas hanc non ſemper recenſuere; quare an Canonica fuerit, Veteres nonnulli dubitarunt; imò & plurimi, Euſebio (*m*), Hieronymo [*n*], & Amphilochio (*o*) teſtibus, canonicam ejus authoritatem impugnarunt. Euſebius prætereà a Scriptoribus Eccleſiaſticis vix allegatam, ſimul tamen in pluribus Eccleſiis publicè perlectam teſtatur [*p*]. Idcircò autem a pluribus rejecta eſt, quòd Judas in eâ Libri Henochi, cui nunc ut apocrypho nulla fides, veluti cujusdam prophetiæ meminerit; quòd etiam de cadavere Moyſis quiddam referat, cujus in Canonicis Veteris Teſtamenti Libris nulla mentio; quare a quodam Apocrypho Opere, *Moyſis Aſſumptio* inſcripto, depromptum credebatur.

Verùm etſi (*q*), Judas duo hæc apocrypha ſcripta allegarit: ex iis ſanè Libris, utpote Dei Propheta, vera a commentitiis ſecernere potuit. In iisdem prætereà vera plurima referebantur, quæ Judas aliunde fortè hauſerat. De libro Henochi fuſiùs egimus in Diſſertatione ad Geneſim. Quod verò ad *Aſſumptionem Moyſis*, & Michaelis cum Dæmone de Moyſis corpore altercationem attinet, peculiari Diſſertatione paulò ante perpendimus. S. Hieronymus magis abs re non eſſe putat (*r*), quòd Judas apocryphum Librum citaverit, quàm quòd Paulus profanos Poëtas laudaverit. Plurimum tamen inter illud intereſt, quòd Paulus Profanos tamquam Profanos, Judas Henochum ceu Prophetam allegat [*s*].

Putavit Grotius hanc Epiſtolam minimè Apoſtolo Judæ eſſe tribuendam, ſed Ju-

dæ

(a) *Origen. in Matth. tom. 15, pag. 195.*
(b) *Chryſoſt. tom. 5, orat. 35, pag. 409.*
(c) *Hieronym. in Galat. IV; & in Helvid. cap. 7.*
(d) *Vide Florent. Martyrolog. pag. 170.*
(e) *Matth. XIII, 55.*
(f) Vide Tillemont, tom. 1, p. 682. Not. 2 ſur ſaint Jude.
(g) *Hegeſipp. apud Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3, cap. 20.*
(h) *Epiphan. hereſ. 26; Oecumen. hic ad* ℣. 4: *Athanaſ. in Synopſi. Alii recentiores plerique.*
(i) *Jud.* ℣. 23.
(k) *Vide* ℣. 17, *& 2 Petr. III, 32.*
(l) *Confer Jud.* ℣. 18, *cum 2 Timoth. III, 1.*
(m) *Euſeb. l. 3, c. 25, hiſt. Eccl.*
(o) *Hier. de Vir. Illuſt. c. 4.*
(o) *Amphiloch. carm. ad Seleuc. Nazian. carm. 125.*
(p) *Euſeb. l. 2, c. 23.*
(q) *Vide Aug. lib. 15 de Civit. c. 23; & l. 18, c. 38; Barth. Petri hic, alios.*
(r) *Hier. in Tit. 1.*
(s) *Jud.* ℣. 14: *Prophetavit de his ſeptimus ab Adam Henoch.*

dæ alteri, decimoquinto Jeroſolymæ Epiſcopo, qui pauló ante Barchochebam, Adriano imperante, florebat. Quare ea verba, *Frater autem Jacobi*, quæ eidem Epiſtolæ præponuntur, ut ad ejus authoritatem conferrent a librariis addita cenſuit; præſertim quòd ipſe Judas *Jeſu Chriſti ſervum* ſe vocaſſe contentus, ſe nunquam Apoſtolum prodiderit; contra atque ſolent Apoſtoli, qui dignitatis ſuæ in fronte Epiſtolarum ubique meminere, ut illis authoritatem conciliarent: quòdque etiam Eccleſiæ omnes eam Epiſtolam ab initio excepturæ fuiſſent, & in ſuam ſingulæ linguam converſuræ, ſi ab Apoſtolo exaratam non ignoraſſent (t). Lutherus, Centuriatores, Anabaptiſtæ, & Kemnitius veluti incertam rejiciunt, ne minimum quidem validum eâ de re argumentum proferentes: his enim, quæ modò prætulimus, nihil infirmius.

Verba illa, *Frater autem Jacobi*, Librariorum fraude ſuppoſita eſſe nullâ conjecturâ probantur; quippe quæ in omnibus tam vetuſtioribus quàm recentioribus Exemplaribus leguntur. Apoſtoli titulum in fronte ejuſdem Epiſtolæ ſibi non addidit Judas: at hujus Apoſtolici muneris dignitatem illi aſſerit Evangelium. Profectò nec Paulus ſpecioſum illud Apoſtoli nomen ſcriptum voluit in fronte Epiſtolæ ad Epheſios, geminarum ad Theſſalonicenſes, ad Philemonem, & ad Hebræos; nec Joannes in fronte trium ſuarum Epiſtolarum. Nec invidia in genuinum Authorem creanda eſt ex quarumdam Eccleſiarum dubitatione; cùm dubitaſſe pariter conſtet nonnullas de Epiſtolâ ſecundâ Petri, & geminis poſterioribus Joannis. Nihil ſanè in hoc ſcripto eſt Apoſtolo Judæ repugnans, non tempus, non circumſtantiæ; hæretici quos oppugnat, errores quos refellit, ejus ætate vigebant. Recitat omiſſo nomine verba e ſecundâ Petri, & de Apoſtolis loquitur quaſi aliquanto antea mortuis. Quid hic non conveniens ætati, qua Judam in vivis egiſſe conſtat? excidio enim Jeroſolymæ ſuperſtitem fuiſſe credimus. Nemo unus inter Veteres, qui eam Epiſtolam laudavit, de illius Authore ambigere ſe ſignificavit; uno omnes aſſenſu Judæ Apoſtolo tribuunt: ambigit nemo ante Grotium, qui in eâ fuit ſententiâ, Judam decimumquintum Jeroſolymæ Epiſcopum hujus Epiſtolæ genuinum eſſe ſcriptorem.

Nonnullorum Veterum dubitationi Origenis teſtimonium objicimus [u], qui hanc Epiſtolam maximè commendans, a Juda exaratam, & cœleſtibus plurimis in pauca verba congeſtis ſententiis refertam teſtatur. S. Epiphanius (x) ſe illud de Judâ arbitratum aſſerit, quòd Spiritu Sancto inſpiratus adverſus Gnoſticos ſuam, quæ extat, Epiſtolam ſcripſerit. S. Clemens Alexandrinus [y] ait, Judam *Jeſu Chriſti ſervum, & fratrem Jacobi* ſe dixiſſe contentum, a Fratre Domini ſe vocando ob modeſtiam abſtinuiſſe; alibi verò tam ipſe Clemens (z), quàm Tertullianus (a), veluti a Juda ſcriptam, & inter Canonicas Scripturas recenſitam allegant.

A Conciliis Laodicenſi [b], & Carthaginienſi tertio (c), a S. Athanaſio (d), S. Cyrillo Jeroſolymitano [e], S. Gregorio Nazianzeno [f], Rufino (g), S. Auguſtino [h], Innocentio I (i), & Recentioribus cæteris in Sacrorum Librorum Catalogis hæc Judæ Epiſtola enumeratur: quam præterea omnes, quorum modò meminimus, Patres allegant; hiſque Lucifer Calaritanus (k), S. Ambroſius (l), S. Hieronymus (m), & alii plurimi ultrò accedunt. Quare meritò ambigi nequit, canonicam ne in Eccleſiâ obtineat authoritatem, cùm a quarto uſque ſeculo certiſſime obtinuerit.

(t) Extat Syriacè, Arabicè & Æthiopicè in Polyglottis Anglicis. Adhuc Syriacè & Arabicè in Polyglottis D. le Jay, & alibi. *Vide Cornel. a Lapid. Præfat. in hanc Epiſt.*

(u) *Origen. in Matth. pag. 223:* Ἰούδας ἔγραψεν Ἐπιστολὴν ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῶν τῆς οὐρανίου χάριτος ἐῤῥωμένων λόγων, ὅστις ἐν τῷ προοιμίῳ εἴρηκεν Ἰούδας, *&c. Vide & homil. 7 in Joan.*

(x) *Epiphan. hæreſ. 26:* Καὶ περὶ τούτων (τῶν Γνωστικῶν) οἶμαι ἐκινήθη τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν τῷ Ἀποστόλῳ Ἰούδα, λέγω δὲ ἐν τῇ ὑπ' αὐτοῦ γραφείσῃ καθολικῇ Ἐπιστολῇ.

(y) *Clem. Alex. Commentar. in hanc Epiſt. a Caſſiodoro verſum.*

(z) *Clem. Alex. in Strom. l. 3 & Pædagog. l. 3.*

(a) *Tertull. de Cultu Fœminar. c. 4.* (b) *Laodicen. Can. 60.* (c) *Carthag. can. 47.* (d) *Athanaſ. in ep. Paſc. & in Synopſ.* (e) *Cyrill. Jeroſol. Catbec. 4.* (f) *Nazianz. carm. 34.* (g) *Rufin. Expoſit. in Symbol. apud Cyprian. p. 553.* (h) *Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2, c. 8.* (i) *Innoc. I, Ep. 3, c. 7.* (k) *Calaritan. Tract. de non conveniendo cum hæreticis.* (l) *Ambroſ. in Luc. VIII, 28.* (m) *Hier. in Jerem. XXIX, 8; & in Ezechiel. XXXII.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN EPISTOLAM B. JUDÆ APOSTOLI.

Permane in acceptâ fide ac traditione. Mali Doctores fidem impugnantes. Dei animadverſio in illos graviſſima. Dæmonum lapſus. Sodomæ incendium. Henochi vaticinium. Fidelium officia.

℣. 1. JUDAS, Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis.

℣. 2. Miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.

℣. 3. Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtrâ ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſupercertari ſemel traditæ Sanctis fidei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. JUDAS, JESU CHRISTI SERVUS, FRATER AUTEM JACOBI. Judas qui & Lebbæus & Taddæus, ſeſe adjunctis hiſce diſtinguit, ut ab Iſcariotha Chriſti proditore ſecernatur. Vide Prolegomena, ubi ſuſiùs de eo diſputavimus. Putat Grotius, hæc verba, *frater autem Jacobi*, addita eſſe a librariis, ut Judam hunc fuiſſe Apoſtolum ſuaderent incautis; cùm, inquit, decimus quintus ſit Jeroſolymorum Epiſcopus. Paradoxon hoc in Præfatione refutavimus. Conſtans & una hic eſt librorum omnium, cùm Græcorum tum Latinorum lectio. Jacobi Minoris, Jeroſolymitani Epiſcopi, nomen ſummo in honore apud Judæos ad Chriſtum converſos erat: quamobrem ſeſe fortè Judas idcircò Jacobi fratrem nuncupat, ut ſibi vindicet authoritatem.

HIS QUI SUNT IN DEO PATRE DILECTIS; Græcus (a), *ſanctificatis*, quos Pater vocavit ad fidem, ſanctitatem, Chriſtianæ profeſſionis perfectionem, quos baptiſmo abluit & ſanctos reddidit. Complura tamen Græca eximia Exemplaria (b), Syriacum, Cophticum, Æthiopicum, Oecumenios, Lucifer Calaritanus (c) cum Vulgatâ legunt: *His qui ſunt in Deo Patre dilectis*, quos beneficiis & gratiâ occupavit, ſecrevit ab incredulorum & infidelium numero, & gratuitâ prorſus miſericordiâ inter ſuos cooptavit. Ad Chriſtianos ex Judæis potiſſimùm ſcribere Judam credimus.

IN CHRISTO JESU CONSERVATIS ET VOCATIS, quos vocans ſervavit Chriſtus. Græcus abſolutè (d): *In Chriſto Jeſu conſervatis, vocatis*, ſive *ſervatis vocatis*, quos per miſericordiam vocavit Pater, per gratiam ſervavit vocavitque Filius, ſepoſuit, ſecrevit a percuntium numero, ad fidem vocatos; ſeu denique, quos tutatus eſt ab erroribus hominum ſana dogmata corrumpentium, veræque in Eccleſiam appellavit, dum alii complures, impoſtorum fraudibus decepti, hæreſim ſectantur, & in Satanæ Synagogam ingrediuntur: *Conſervatis & vocatis*. Pater, inquit Chriſtus (e), *quos dediſti mihi, cuſtodivi*.

℣. 2. MISERICORDIA VOBIS ET PAX ET CHARITAS ADIMPLEATUR (f), in vobis creſcat, perficiatur; his cumulatiſſimè impleamini. Cumulet vos Deus beneficiis, gratiâ, pace, charitate. Sive: Inſideat vobis miſericordia erga fratres: pacem invicem colite; fratres abſolutiſſimâ charitate proſequamini.

℣. 3. OMNEM SOLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS DE COMMUNI VESTRA SALUTE (g), NECESSE HABUI SCRIBERE VOBIS, ob periculoſa tempora, in quibus verſamini, obnoxii hæreticis, acceptam a vobis fidem impugnantibus. Simonianos

(a) Τοῖς ἐν Θεῷ πατρὶ ἡγιασμένοις.
(b) *Alexand. Stephan.* δ, ι, *Barb.* 2. *Alii*: Ἠγαπημένοις.
(c) *Calaritan. pag.* 225. (d) Καὶ Ἰησοῦ Χριστῷ τετηρημένοις κλητοῖς.
(e) *Joan.* xvii, 13. (f) Πληθυνθείη.
(g) Περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, *Alii*; Τῆς κοινῆς σωτηρίας ὑμῶν. *Alii*; ἡμῶν.

℣. 4. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.

℣. 5. Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terrâ Ægypti ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit:

COMMENTARIUS.

nos præſertim innuit, Gnoſticos, Nicolaitas, cæterasque Chriſtianæ Religionis peſtes (*h*). Apoſtolorum dogmata conſumpentes, docentesque fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere. Eosdem errores jam Petrus ſecundâ Epiſtolâ damnaverat.

℣. 4. Subintroierunt enim quidam. Hæretici, quos diximus, ſe ipſos ſuaque flagitia detegere verebantur: clam ſeſe inſinuabant in familiar per pietatis ſpeciem, quaſi noſſent myſteria, quæ non omnibus aperirent: tum dogmatum ſuorum virus eò liberiùs fundebant, quò penitiùs inſpexerant homines quos alloquebantur, paratosque cenſebant ad præbendas impuriſſimis inſtitutionibus aures, atque ad ſua flagitia amplectenda: *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*. Ajebant Simoniani, bona opera nihil ad ſalutem conferre, ac bene & male geſtorum diſcrimen inductum fuiſſe ab Angelis, ut homines ſibi obnoxios facerent (*i*). Turpis adeò erat illorum vita, inquit Euſebius (*k*), ut cogitationem omnem ſuperaret, neque aut ſcripto aut verbis exprimi queat ab eo, qui pudorem omnem non exuerit. Suis ipſi in libris fatebantur, eos, qui primùm myſteria ipſorum intelligerent, admiratione & horrore perfundi. Par ſaltem erat Nicolaitarum licentia & flagitium. Execrabiles horum ſententias & libidinum monſtra recitare mens refugit (*l*). Hi erant qui *Dei noſtri gratiam*, comparatamque per Evangelium libertatem *in luxuriam transferebant*. Confer 2 Petri, II, 10, 13, 14; & *Galat.* v, 13: *Vos in libertatem vocati eſtis, tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.*

Qui olim præſcripti sunt in hoc judicium; de quibus olim prædictum eſt, ipſos hoc judicium in ſe provocaturos. Eadem eſt Petri ſententia, iis verbis (*m*): *Quibus judicium jam olim non ceſſat.* Horum nequitiam & corruptelam a totâ æternitate prævidit Deus, eosque ad paria ſceleribus ſupplicia deſtinavit: illos quodammodo deſignavit per gigantes antediluvianos, & Gomorrhæ incolas, turpiſſimorum hujusmodi hominum figuras & præcurſores. Pœna, qua olim Deus in ſceleſtos illos animadvertit, eadem eſt quam aliquando turpiſſimis hiſce eſt inflicturus. Quamobrem ne obmurmuretis, fratres, neque offendamini, dum tam multa in mundo flagitia erroresque debacchari cernitis. Iſta per providentiam antea novit Deus, & in Scripturis deſcripſit: ex his, quæ tantopere execramini, ſuam ipſe gloriam colliget. Omnia hæc decretis Dei continentur. Dei juſtitia, & *perditio eorum non dormitat*, inquit Petrus (*n*). Æternis alterius vitæ cruciatibus addicti ſunt.

Solum Dominatorem, et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. Græcus (*o*): *Unicum Dominatorem Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: quare *dominator Deus* dici videtur Pater, Filius verò *Dominus noſter Jeſus Chriſtus*. At ex Vulgatâ utrumque referendum eſt ad *Jeſum Chriſtum*. Simili huic in loco Petrus abſolutè ſcribit (*p*): *Eum, qui emit nos, Dominum negans*; id quod Filio potiſſimùm convenire videtur. Conſtat, negatum a Simonianis, Nicolaitis, Gnoſticis non Filium modò, verùm etiam Deum Patrem. Magnam ſe Dei virtutem eſſe (*q*), Deum ſummum, tamquam Patrem Samaritanis, tamquam Filium, tamquam denique Spiritum Sanctum cæteris gentibus lapſum ſeſe de cœlo, gloriabatur Simon (*r*). Nicolaitæ mundum a Poteſtatibus quibuſdam ſupernis, non a Deo, conditum aſſerebant (*s*). Cainitæ, Nicolaitarum ſurculus, virtutem quamdam Creatore majorem comminiſcebantur (*t*). Hi omnes hæretici negabant Chriſtum Jeſum, eumque neque Deum neque Meſſiam eſſe contendebant.

℣. 5. Commonere vos volo, scientes semel omnia, tametſi eruditiſſimos. Scio, nihil me novi dicturum, quod ipſi olim ex Patribus & Apoſtolis non didiceritis (*u*): me non fugit, omnia vos e lectione Scripturarum hauſiſſe. Reddi poteſt Græcus (*x*): *Commonere vos volo, tametſi jam ſemel ſciatis hoc*; ſive, *commonere volo adhuc ſemel, tametſi ipſi noveritis*. Longâ oratione non utar: intelligo me eos alloqui, quibus compertum eſt id quod ſum dicturus. Complures tamen libri cum Vulgatâ legunt (*y*): *Scientes ſemel omnia*. Syrus & Æthiops: *Scientes*, eruditos, *omnes*.

Quoniam Jesus populum de terra Ægypti salvans. Græcus legit (*z*) *Dominus*, non *Jeſus*. Syrus, Clemens Alexandrinus (*a*), & libri quidam habent, *Dominus Deus*. At Codex Alexandrinus, Æthiops, S. Hieronymus, & Græca quædam Exemplaria ferunt cum Vulgatâ *Jeſus* (*b*). Uſitatior Scripturæ mos eſt dicere, populum ex Ægypto eductum eſſe a Deo vel Domino, quàm a Jeſu tamquam Servatore. Cæterùm nihil hîc niſi veriſſimum eſt, cùm Angelus populi dux, & M y-

(h) *Oecumen.* Λέγει τοὺς ἀπὸ Νικολάου, καὶ Οὐαλεντίνου, καὶ Σίμωνος τῶν μιαρωτάτων ἀναδειχθέντων. *Grot. Hammond. alii.* (i) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20; *Epiphan. hæreſ.* 21.

(k) *Euſeb. lib.* 2, *cap.* 13; *Iren. lib.* 1, *cap.* 20. (l) *Iren. lib.* 1, *cap.* 27; *Tertull. Præſcript. cap.* 47; *Epiphan. hæreſ.* 25, *cap.* 3. (m) 2 *Petr.* II, 3. (n) 2 *Petr.* II, 3.

(o) Τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. *Omittunt* Θεὸν *Alexand. Barb.* 3, *Sin. Genev. Lin. Covel.* 3, 4, *Vulg. Calarit. Beda omittit* δεσπότην καὶ Κύριον ἡμῶν. *Æthiop.* (p) 2 *Petr.* II, 1. (q) *Act.* VIII, 10. (r) *Iren. lib.* 1, *cap.* 20.

(s) *Auguſt. de Hæreſ.* 5, *pag.* 7. (t) *Iren. lib.* 1, *cap.* 35. (u) *Confer* 2 *Joan.* II, 25.

(x) Ὑπομνῆσαι ὑμᾶς βούλομαι, εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο, *&c.* (y) *Alii*: Εἰδότας ἅπαξ πάντα. *Ita Alexan. Steph.* 5, 1, *Genev. Cov.* 4, *Velez. Calarit. Hieron. ad Marcell. Alii*. Εἰδότας πάντας. *Syr. Æthiop.* (z) Ὅτι ὁ Κύριος λαὸν ἐκ γῆς Αἰγύπτου σώσας. *Alii*; Θεὸς.

(a) *Clem. Alex. Pædagog. lib.* 3, *cap.* 8.

(b) *Ita Steph.* 5, 1, *Alex.*

℣. 6. Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit;

℣. 7. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.

COMMENTARIUS.

Moyſi adſiſtens, Verbi ac Divinæ Sapientiæ perſonam exhiberet (c). S. Hieronymus (d) interpretatur Joſuam, Moyſis Miniſtrum, & Jeſu Chriſti figuram. Hic apud Septuaginta ubique dicitur *Jeſus*. At Joſuæ tribui nequeunt ea quæ conſequuntur: *Secundò eos, qui non crediderunt, perdidit*, deinde incredulos & ſeditioſos exitio dedit: id enim uni Dei Verbo, ſive Chriſto Jeſu tamquam Deo convenit. Alloquebatur Judas neophytos ex Judæis, quibus ſolemne erat interpretari de Chriſto Jeſu ea quæ in Veteri Teſtamento legebantur. Quicquid Iſraëlitis ex Ægypto fugientibus contigit, Chriſto Jeſu adſcribit Paulus (e); Erythræi tranſitum, nubis columnam, aquam e ſilice, pœnam ſeditioſorum. Author Sapientiæ (f) iſthæc ipſa tribuit Sapientiæ, quæ Chriſtus ipſe eſt tamquam Deus. Cùm Dominus in Iſraëlitas incredulos & pervicaces animadverterit, quanto ſeveriùs excepturus eſt impios quos dixi?

℣. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum (g), &c. De malorum Angelorum lapſu fusè egimus in Diſſertatione de bonis malisque Angelis, ad Lucæ Evangelium. Horum exitii cauſa fuit ſuperbia: in Deum quippe tumultuantes, exciderunt a priſtinâ dignitate, atque a cœlorum vertice præcipites acti ſunt. Iſtorum audaciam & ſeditionem imitati ſunt hæretici, digni proinde qui ab Eccleſiæ corpore abſcinderentur; fregere concordiam, ac Fideles offendére flagitiis; faciunt, ut Chriſti Jeſu nomen inter gentes conviciis proſcindatur. Quàm ingens manet illos ſupplicium & calamitas?

In judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. Deſignatur his locutionibus tartarus, ubi Dæmones poſt lapſum exulant, *judicium magni diei* expectantes. Quæ verba ita uſurpanda non ſunt, quaſi ad hanc uſque diem tam arctè cuſtodiantur in inferis, ut nunquam prodeant; ſive, quaſi ante ſupremum judicium pœnâ ſensûs non afficiantur. Ita illi clauduntur abyſſi carceribus, ut Deo permittente queant egredi; ita vincti ſunt, ut ſolvi queant, eos aggreſſuri, quos Deus permiſerit. Canes ſunt aut leones catenis vincti; accedentes & ſui negligentes mordent vorantque (h). A primo ſeditionis tempore manet illorum ſupplicium; at poſt ſupremum judicium magnopere augebitur. Jam ſubiere judicium; at pronunciabitur tunc in illos ſententia, totamque in æternitatem confirmabitur. Confer 2 Petri, II, 4. Videtur omnino Judas alludere ad illud, quod in libro Henochi legitur, Angelum nempe Azaëlem jubente Deo ab Angelo Raphaële vinctum, æternasque in tenebras eſſe projectum.

℣. 7. Sicut Sodoma, et Gomorrha, et finitimæ civitates, Adama & Seboim... abeuntes post carnem alteram (i), peccato contra naturam (k), factæ sunt exemplum, ignis æterni poenam sustinentes, cœleſti igne in cineres reſolutæ, & aquis mortui maris ſepultæ. Harum ſupplicium figura eſt ignis æterni, quo ardebunt impii, præſertim Simoniani, Gnoſtici, Nicolaitæ, qui pari ſcelere flagitiis & libidinibus inquinantur.

Alia poteſt eſſe Græci explicatio (l): *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates, ſimili modo in omnem venerem ruentes*. Hæc verba, *ſimili modo*, referri queunt vel ad hæreticos ſupra memoratos, vel ad Iſraëlitas ℣. 5, vel ad Sodomæos & Gomorrhæos, vel denique ad rebelles Angelos, de quibus ſtatim antea (m). Alludit fortaſſe Judas ad eumdem Henochi librum, quem diſertè laudat ℣℣. 14. & 15, & ſpectat ℣. 9. Narat hic liber (n), Egregoros mulierum amore captos invicem dixiſſe: Eligamus ſinguli uxores ex filiabus hominum, &c. Huc aptiſſimè referuntur conſequentia: *Abeuntes poſt carnem alteram*, reverâ enim *Egregori*, ſeu Angeli, ex hujus Scriptoris ſententiâ, in libidinem ab ipſorum naturâ alienam projecti ſunt. Hæretici, quos ſpectabat Judas, & malos Angelos & Sodomæos libidine & flagitiis quodammodo imitabantur.

Hæc explicatio maximè omnium vera & proclivis eſſe videtur: at ſi eam ſequare, non potes quin admittas id quod a Theologis omnibus damnatur, atque aſſeras, putaſſe Judam, Angelos poſſe carnali amore percelli, atque olim Dæmones cum filiabus hominum eſſe commiſtos: id quod neque Judæ tribui, neque ceu verum admitti poteſt. Quamobrem putandum eſt, Judam ita uſum eſſe hac ſententiâ, ut ipſe non tenuerit quidem, ſed adversùs eos qui tenebant *ad hominem* torſerit; ſive hanc narrationem habitam eſſe a Juda meram allegoriam; ſeu denique deſerenda eſt hæc explicatio, quamquam probabilis & ſplendida, & alterutra ex propoſitis antea eligenda. Ubi dixero, uſum eſſe hac ratiocinatione Judam, quamquam fundamento haud vero fretâ, nihil abſurdius dicere mihi videor, quàm ubi tu aſſerueris, Scriptores Sacros ad vulgi opinionem, ſibi minimè probatam, eſſe locutos, cùm de tartaro, abyſſo, chao, Regno τῦ ἅδο ſeu Plutonis, vinculis dæmonum, Dæmone Aſmodæo vinculis coërcito in ſuperioris Ægypti ſolitudine, gementibus ſub aquis gigantibus verba facerent. Eadem quippe ſemper eſt via apud populum; ac veritas quæ demonſtranda ſuſcipitur, minimè infirmatur ex eo, quòd falſæ ſint hu-

(c) *Vide Barth. Petri, Cornel. hic*. (d) *Hieronym. lib. 1 contra Jovinian.* (e) 1 *Cor.* X, 1, 2.
(f) *Sap.* X, 15, 16, *& ſequ.* XI, 1, 2. *& ſeq.* (g) Μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν. Reddi poteſt: Qui non ſervavere originem ſuam, primævam naturam, ſive priſtinam dignitatem. *Vatab.* Suum ordinem. *Calarit. pag.* 222. (h) *Auguſt. de Geneſ. ad Litt. lib.* III, *c.* 17; *Tract.* 7 *in Joan. n.* 7; *& Tract.* 52, *n.* 9; *& alibi ſæpius*. (i) Ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, *Calarit. legit*: σαρκὸς, τρόφης, *&c. Civis propoſita ſunt exemplum*. (k) *Oecumen. Eſt. Men. Tir.*
(l) Ὡς Σόδομα καὶ Γόμοῤῥα, καὶ αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι.
(m) *Ita Capell, Glaſſius, &c.* (n) *Lib. apocryph. Enoch*, Καὶ ἐπεθύμησαν αὐτὰς (θυγατέρας) οἱ ἐγρήγοροι, καὶ ἀπεπλανήθησαν ὀπίσω αὐτῶν, Καὶ εἶπον πρὸς ἀλλήλους, ἐκλεξώμεθα ἑαυτοῖς γυναῖκας ἀπὸ τῶν θυγατέρων τῶν ἀνθρώπων τῆς γῆς, (n) Δόξας a τρέμουσι.

℣. 8. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant.

℣. 9. Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ; ſed dixit: Imperet tibi Dominus.

COMMENTARIUS.

hujuſmodi vulgi opiniones, quæ ad rem ipſam aut nihil aut leviſſimè pertinent.

℣. 8. SIMILITER HI hæretici, Simoniani, Nicolaitæ, Gnoſtici, CARNEM QUIDEM MACULANT monſtris libidinum, quemadmodum rebelles Angeli, & Sodomæi, de quibus actum eſt. Fidem his addunt hiſtoriæ, & ea quæ priſci Patres de eorum flagitiis narravere: *dominationem* legitimorum Principum *ſpernunt*, *majeſtatem autem blaſphemant*, homines dignitate conſpicuos maledictis feriunt. Hæc ipſa vidimus in 2 Petri, II, 10, 11: *Poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt.... ſectas non metuunt introducere.* Græcus (o): *Glorias non metuunt*, homines honore fulgentes haud reverentur.

Græcus hoc loco legit (p): *Similiter & hi inſomniis deluſi carnem quidem maculant.* Sunt (q) qui cenſeant, ſignificari ab Apoſtolo nocturnas & voluntarias pollutiones impurorum hujuſmodi hominum, qui nullum cogitationum genus veriti, mentemque qualibet imagine inquinantes, fœdiſſimâ libidine corrumpuntur. Reddunt alii (r): *Similiter hi deliria ſua & ſomnia venditantes, carnem maculant.* Poſtremis hiſce verbis innuitur libido probri plena, & naturæ contraria: injuriam quodammodo naturæ & carni flagitiis inferunt. Alii denique interpretantur (s): Nihil niſi turpia meditantur, iiſque vel per quietem animo occupantur.

DOMINATIONEM AUTEM SPERNUNT. Explicant nonnulli (t) de dominatione, ſupremâque Dei poteſtate, quam aſpernabantur Gnoſtici, duplici Deo inducto, ſejunctoque Conditore a Deo per filium hominibus manifeſtato (u). Teſte S. Epiphanio (x), Gnoſtici nedum Moyſem, Eliam, cæteroſque Prophetas, verùm etiam Deum, a quo hi electi fuere, conviciis impetebant. Negabant, Chriſtum humanâ carne eſſe indutum, ortum ex Virgine, cruce affectum; iſtaque per ſolam ſpeciem contigiſſe aſſerebant (y). Cenſent plerique ſpretos a Gnoſticis legitimos Principes, a Deo inſtitutos, ut pacem rectumque ordinem inter homines ſervent. Petrus & Paulus nihil ſtudioſiùs commendavere Chriſtianis, quàm ut Principibus ac Magiſtratibus obtemperarent; ob id fortaſſe, quòd Gnoſticorum licentia ſuſpicionem in Chriſtianos cæteros creatura eſſet, quaſi animo ita effræni omnes forent.

Sunt denique qui docent, ſpretam a Gnoſticis Dei majeſtatem, contemptamque potentiam, quòd hi alia principia inducerent, ac tertias dumtaxat ſedes Conditori tribuerent; quippe quem maledictis peterent, damnarentque illius opera, præſertim verò animæ cum corpore conjunctionem (z). Injuriam quoque Conditori inferebat ex eo Simon, quòd mundum & homines ab Angelis conditos diceret, Angelos verò ipſos a primâ mente, Helenâ ſcilicet ſuâ, procreatos (a). Deum Judæorum Angelum fuiſſe, non ſummum Deum, ajebat Cerinthus (b); eum verò qui Legem tulit, Angelum fuiſſe ex mundi conditoribus, quin etiam Angelum malum (c). Habes plura quàm neceſſe ſit, ut vera ſcripſiſſe Judam intelligas, ſpretam nimirum ab illis potentiam & majeſtatem, ſive Dei accipias ſive Angelorum (d): quo majori enim obſequio proſequebantur Angelos, Creatore contempto, eò graviorem illi injuriam inferebant.

℣. 9. CUM MICHAEL ARCHANGELUS CUM DIABOLO DISPUTANS, &c. Petrus in ſimili huic loco (e) ait, hæreticos *blaſphemare, cùm Angeli, fortitudine & virtute majores, non portent adverſum ſe execrabile judicium*, mutuò convicia & execrationes non inferant; boni ſcilicet Angeli malis non maledicant, quamquam eorum defectionem damnant & execrantur. Dicti argumentum & exemplum profert Judas, Archangelum Michaëlem, qui a Deo juſſus Moyſis corpus abſcondere, ac prohibere, ne Legislatoris ſepulcrum Diabolus hominibus oſtenderet, validiſſimè Dæmoni reſtitit; ac ſepoſitis contumeliis & maledictis dixit: *Imperet tibi Dominus*: te imperio coërceat Deus: Dei majeſtatem verere, ejusque juſſionibus obtempera.

Negat Judas, auſum eſſe Michaëlem Satanæ maledicere (f): *Non auſus eſt*, noluit nempe, non ſuſtinuit. *Merebatur diabolus maledictum*, inquit S. Hieronymus (g): *ſed per Angeli os blaſphemia exire non debuit.* Adeò abhorret a blaſphemiâ bonus Angelus, ut abſtineat vel tunc, cùm res ipſa aut perſona poſtulare videntur. Illud ſolummodò in Satanam uſurpat: *Imperet tibi Dominus*, ad verbum (h): *Increpet te Dominus*: minitetur, ſilere cogat, impetet, debitumque ad obſequium adigat. Eadem ſententia legitur apud Zachariam (i), ubi ſtantibus coram Domino hinc Jeſu Pontifice, illinc Satana, Dominus Satanam accuſatorem ejecit his verbis: *Increpet Dominus in te, ſatan: & increpet Dominus in te.*

Rem a Juda narratam in nullo ex Canonicis Ve-

(p) Ὁμοίως μέντοι καὶ οὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι σάρκα μὲν μιαίνουσι.

(q) *Guidott. in Synopſi hic. Arab. Æthiop. Vat. Vide Lucret. lib. 4, ℣. 224. Horat. ſerm. lib. 1, ſat. 5:*

Tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant.

(r) *Clem. Alexand. lib. 3 Strom. Oecumen. hic; Epiphan. hæreſ. 26; alii.*

(s) *Clem. loc. citat. Hieronym. contra Jovin. alii.* (t) *Clem. Alex. hic; Epiphan. hæreſ. 26; Oecumen. hic.* (u) *Vide Bullum, lib. 3. c. 2.* (x) *Epiphan. hæreſ. 26, cap. 11.*

(y) *Iren. lib. 3, cap. 21; Epiph. hæreſ. 26, cap. 10.* (z) *Photin. contra Gnoſtic. lib. 28, pag. 202, 203, 204.* (a) *Iren. lib. 1, cap. 20; Tertull. de Animâ, cap. 34.*

(b) *Tertull. Præſcript. cap. 48.* (c) *Epiphan. hæreſ. 28, pag. 112.*

(d) *Clem. Alex. hic, & alii non pauci.* (e) 2 *Petr.* II, 10, 12.

(f) Οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας. ſed τολμάω ſignificat non rarò *volo*, *ſuſtineo*, e. g. *Dic ſodes, fac ſodes: ſi vis, ſi ſuſtines. Vide Rom.* v, 7: Τολμᾷ ἀποθανεῖν, *Mori ſuſtinet. Rom.* 15, 18: Οὐ γὰρ τολμήσω λαλεῖν, *Non enim ſuſtinebo loqui.*

(g) *Hieronym. in Ep. ad Tit.* 111. (h) Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος. *Quidam*, ἐπιτιμήσει, *increpabit*.

(i) *Zach.* III, 2. יגער יהוה בך

℣. 10. Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur.

℣. 11. Væ illis, quia in viâ Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.

COMMENTARIUS.

Veteris Teſtamenti libris legimus; ac dumtaxat ſub Deuteronomii finem (k) dicitur, Moyſes evadens in montem Nebo, ex quo promiſſam Hebræis regionem aſpiceret, *mortuus eſſe ibi, jubente Domino, ignotumque eſſe homini ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem*. At apud Veteres Patres (l) mentio eſt de apocrypho libro, cui titulus, *Aſſumptio Moyſis*, hanc hiſtoriam recitante. Vide noſtram Diſſertationem de obitu & ſepulturâ Moyſis.

Ex Oecumenii ſententiâ (m), judicium, de quo hic Judas, in eo ſitum eſt, quòd cùm Diabolus Moyſis corpus ſepeliendum eſſe negaret, utpote indignum, ob Ægyptii hominis cædem, repugnavit Michaël, juſtaque illi per ſe ipſe perſolvit.

Eduardus Bernhardus (n) contendit, pro his verbis, *Cùm Michaël altercaretur de Moyſis corpore*, legendum, *de corpore Jeſu* filii Joſedechi: ut Judas alluſerit ad locum Zachariæ (o), ubi Jeſus Joſedechi filius, Judæorum Pontifex, ſtetiſſe dicitur coram Domino indignis ſordidiſque indumentis tectus, ſtante pariter & accuſante ſatana. Sordidæ veſtes, inquit ille, deſignantur hic nomine *corporis*, ſeu cadaveris, quod, uti conſtat, Hebræorum opinione immundum exiſtimabatur. At unde Moyſis nomen pro Jeſu? ex eo, ait, quòd cùm librarii in codicis orâ, e regione hujus ſententiæ, adnotarint, *Aſſumptio Moyſis*, ut hanc narrationem ex eo libro deſumptam ſignificarent, Moyſis nomen ex orâ in textum libri ſenſim migraverit. At huic ſententiæ deeſt codicum manu exaratorum authoritas, coactaque eſt explicatio vocabuli *corporis*. Vide alias loci hujus interpretationes apud Serarium & Cornelium a Lapide.

Si quæras, cur narrationem ex libro apocrypho recitet Judas, reſpondeo 1, rem, quam Apoſtolus ex apocrypho ſcripto recitat, ex aliis monumentis illi fuiſſe compertam, puta ex certâ majorum fide, aut ex collatâ divinitus notitiâ: neque tamen ullam addi authoritatem libro, qui nullius fidei eſſe in reliquis potuit. 2, Judam, narrationis veritate neglectâ, ipsâ uti potuiſſe, ut invictum ex eâ argumentum erueret adverſùs illos qui germanam haberent, ſuaderetque Fidelibus, ut eò magis execrarentur hæreticos, qui convicia in Principes evomebant, doceretque vitare blaſphemiam, Deo & Angelis maximè inviſam.

℣. 10. HI AUTEM QUÆCUMQUE QUIDEM IGNORANT, BLASPHEMANT. Petrus (p): *Hi velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem*, naturâ ſuâ in capturam & exitium deſtinata, *in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſuâ peribunt*. Simoniani, Gnoſtici, & cæteri Eccleſiæ hoſtes execrabantur ea quæ ignorabant, cùm in Patrem & Filium, atque in Religionis Chriſtianæ myſteria inſanirent, *Gnoſticorum*, ſive *eruditorum* appellatio, quam primævi hæretici plerique uſurpabant, argumento eſt arrogantiæ illorum, docebatque, quanto ſtudio conarentur rudioribus ſuadere, ſeſe cæteris ingenio & ſcientiâ antecellere. Inuſitata & exquiſitiora in omnibus affectabant: ſimplicior illis videbatur Chriſtiana Religio, nimiumque vulgaria illius dogmata: vocabulorum pompam, atque eruditionis vulgari majoris oſtentationem amabant. Deliria ſua ineptaſque farragines venditare non poterant, quin dogmata Catholicorum damnarent, & quæ neque norant neque percipiebant, execrarentur. Impia illorum dogmata, inſanaque inſtituta hic recitare non vacat: adi S. Irenæum, S. Epiphanium, Euſebium, Bullum, Tillemontium, *tom. 2, hiſt. ſur des Gnoſtiques, pag. 52, &c.*

QUÆCUMQUE AUTEM NATURALITER, TAMQUAM MUTA ANIMALIA, NORUNT, IN HIS CORRUMPUNTUR. Ratione abutuntur hæretici, inſitâque boni & mali, gaudii ac doloris cognitione, ut ſectentur turpiſſima, immodicum cibi potûſque, ac ſenſuum voluptatis uſum, quaſi bruta ſint, in cæcum naturæ impetum ruentia, quin vel pudore, vel ratione, vel Religione cohibeantur. Refugit mens verſare libidines ac flagitia, quibus Gnoſtici & cæteri primorum temporum hæretici fœdabantur. Dicares humanitatis oblitos, quippe qui pudendis naturæ vitiis immorarentur.

℣. 11. VÆ ILLIS, QUIA IN VIA CAIN ABIERUNT: odia, invidias, inimicitias, injurias, cædeſque ſectantur. Cainum, fratris interfectorem (q), imitati, invidiâ odioque in Fideles flagrant; ſimpliciorum animas occidunt (r), inſpiratis erroribus flagitiiſque. Fortè etiam Judas deſignat ſcelera poſterorum Caini, ex quo ſata eſt execrabilis ſoboles, & ortum duxere filiæ hominum, quæ corruptis virorum moribus, cauſa fuere, cur terra diluvio obrueretur (s).

ET IN ERRORE BALAAM MERCEDE EFFUSI SUNT. Eadem fermè Petri ſententia (t): *Secuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit*. Peſſimus Balaam, promiſſis Balaci Regis Moabitarum fractus, ad illum profectus eſt, ut malediceret Iſraëlitis: at ab Hebræis interfectus pœnam dedit conſiliorum Balaco exhibitorum (u). Gnoſtici, quo nomine utebantur hæretici omnes, in ſecundâ Petri, & in hac Judæ Epiſtolâ ſignificati, ſuam ipſi turpitudinem detexere: Balaamum imitantur, dum ob indigniſſimas turpiſſimaſque cauſas populum Dei execrantur, & maledictis inceſſunt. Id effecit Deus, ut Balaam populo

(k) *Deut.* xxxiv, 4, 5, 6.

(l) *Origen. lib.* 3 Περὶ ἀρχῶν. *Didym. Alex. in hunc loc. Clem. Alexan. hic; & lib. 6 Strom. Athanaſ. in Synopſi; Evod. ad Auguſt. Ep. 259, inter Auguſtin.*

(m) *Oecumen. hic*: Ἡ δὲ περὶ Μωϋσέως σώματος κρίσις ἐστὶν αὕτη. Λέγεται τὸν Μιχαὴλ τὸν Ἀρχάγγελον τῇ τοῦ Μωϋσέως ταφῇ δεδιηκονηκέναι. Τοῦ γὰρ Διαβόλου τοῦτο μὴ καταδεχομένου, ἀλλ' ἐπιφέροντος ἔγκλημα διὰ τὸν τοῦ Αἰγυπτίου φόνον, ὡς αὐτοῦ ὄντος τοῦ Μωϋσέως, καὶ διὰ τοῦτο μὴ συγχωρεῖσθαι αὐτῷ τυχεῖν τῆς ἐντίμου ταφῆς. *Vide & Glycam, part. 2 Annal. Pantaleon Carthophylax, orat. de ſancto Michaële.* (n) *Edward. Bernard. Not. in Joſeph. Antiq. lib. 4, cap. ult.*

(o) *Zachar.* iii, 1. (p) 2 *Petri*, ii, 12. (q) *Geneſ.* iv, 5, 6, 7, 8. (r) *Oecumen. Eſt. Grot. Zeger. alii.*

(s) *Geneſ.* vi, 1, 2, 3, *& ſeq.* (t) 2 *Petri*, ii, 15. (u) *Vide Num.* xxii, 2, 3, 4, *& ſeq.* xxiii, xxiv.

℣. 12. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aquâ, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.

℣. 13. Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.

COMMENTARIUS.

lo maledicere non poſſet: peſſima horum voluntas nullo aggere compeſcitur. Moabitidas ac Madianitidas monuit Balaam, ut Iſraëlis filios in libidinem pertraherent: hi quælibet in flagitia deſcendunt, & aſſeclas ad imitationem rapiunt. At quemadmodum Deus in Balaamum per Hebræos animadvertit, ita hos Eccleſiæ Filii ſui hoſtes æternis ſuppliciis puniet.

Græcus (x) ita reddi poteſt: *In errorem Balaam effuſi ſunt mercede*. Se ipſi vendidere, acceptâ pecuniâ, ut eumdem errorem errarent quem Balaam. Sive: Scelus erroremque ſectati ſunt, exemplo Balaami, qui ex Balaco Moabitarum Rege mercedem accepit. Seu denique: Errorum mercedem retulere quam Balaam: illos in animi ſui deceptione deſtituit Deus: ſectati ſunt quidquid pudori ipſique naturæ adverſatur. His vocibus, *error* & *effuſi ſunt* graphicè deſcribitur effrænis illorum in turpiſſimas cupidines effuſio. Præcipites in infernum daturus eſt Deus, ut juſto ſupplicio illos afficiat.

IN CONTRADICTIONE CORE PERIERUNT. Seditionem Core imitati, ſimilem in modum perituri ſunt. Core peccatum fuit ſeditio in Moyſem & Aaronem, quos ille uſurpati Sacerdotii & Principatûs accuſavit. Perſpicuo prodigio docuit Deus, electum a ſe Aaronem ejusque familiam in Sacerdotii adminiſtrationem, hiſcente nimirum tellure, ipſumque Core & conjuratos abſorbente (y). Gnoſtici, & cæteri Eccleſiæ hoſtes ſeditionem Core & aſſeclarum imitati ſunt. Ambitione acti & avaritiâ, ſectæ Principes eſſe voluerunt, mediocrem poſt Apoſtolos locum indignati: diſcere ex Apoſtolis, iisque obtemperare recuſarunt, excuſſo obedientiæ jugo, deſertâque Eccleſiarum fide, in immenſum erroris & flagitiorum chaos præcipites delati ſunt. Horum ſuperbiam & ſeditionem puniet Deus iis ſuppliciis, quorum figura dumtaxat fuit pœna ipſi Core inflicta.

℣. 12. HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULÆ: agapas celebrant nullo pudore, nullâque modeſtiâ & temperantiâ, ſed flagitiis enormibusque peccatis. Simili ſententiâ Petrus (z): *Coinquinationes* meræ ſunt *& maculæ, deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum*. Ea erant in cœtibus agapisque (ita enim, more Catholicorum, convivia ſua nuncupabant) Simonianorum, Nicolaitarum, & Gnoſticorum flagitia, ut ea deſcribere manus refugiat. Quidquid turpiſſimum & ſordidiſſimum in libidine eſt, ibi impune exercebatur. Præter promiſcuum mulierum uſum (a), certiſſimi dogmatis loco habebant, quidlibet eſſe faciendum, quo ſalutem quis aſſequeretur; putabantque luminis perfectionem eſſe, præſtare in tenebris omnia, quæ pudor vel nomine refugit (b). Moribus adeò impuris erant, ut vel ipſorum menſa ab honeſtis hominibus vitaretur. Jejunium illi, vitæ auſteritatem, virginitatem execrabantur. Flagitioſiſſimi quique inter eos appellabantur Levitæ, & plurimi omnium æſtimabantur (c). Ait Plotinus (d), Gnoſticorum dogmata & Epicuræorum fuiſſe opportuniſſima, ut abſolutiſſimus virtutis contemptus, & effrænis morum licentia inducerentur.

Innuere videtur Judas, Gnoſticos cum Catholicis menſam habuiſſe communem: *Convivantes ſine timore*; ſive, ut ait S. Auguſtinus, *recpulantes* (e); & Petrus (f), *in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum*. Si veſtris in agapis locum illis feceritis, ſtatim eos ab impudentiâ & libidine agnoſcetis. *Semetipſos paſcentes*, ſpretis pauperibus, quorum præſertim gratiâ inſtitutæ ſunt agapæ (g); abjectâque modeſtiâ & temperantiâ Sanctis conveniente: ſimiles malis iis Paſtoribus, de quibus per Ezechielem Deus (h): *Paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant*.

NUBES SINE AQUA, QUÆ A VENTIS CIRCUMFERUNTUR, ſive ex Græcis quibusdam libris (i), *vento translata quò non oportet*, aliò actæ, nubes imbrem pollicitæ, at vento raptæ ſpem fallentes. Confer 2 Petri, II, 17.

ARBORES AUTUMNALES, vel autumno florentes, vel foliis tantùm luxuriantes, nullâ ſpe fructûs; vel denique (k), *arbores frugiperda*, quarum fructus ante maturitatem cadit aut calore, aut frigore, aut tineis, aut denique ipsarum imbecillitate, quæ fructum non alunt; adeoque *arbores infructuoſa*, mortuæ, imò *bis mortua, eradicata*, radicitus evulſæ, arentes. Adjuncta iſthæc ſimul cumulata, quorum alterum addit aliquid alteri, animis altè imprimunt id quod ab Apoſtolo ſignificatur.

℣. 13. FLUCTUS FERI MARIS (l). Quemadmodum fluctus mare perturbant, & naufragium navigantibus minitantur; ita hæretici procellas ubique & fluctus concitant novitate dogmatum, & morum perverſitate; quibus ex procellis naufragium inducitur non corporum, ſed animarum, jacturam facientium fidei (m), gratiæ, pietatis, pudoris. Porrò fluctus *deſpumant in ſua ipſorum dedecora*, in ſordidas amarasque ſpumas franguntur: doctores hi dogmata impura volgant. tabum, quo intus ſcatent, foris exhibent: peſſimum

(x) Καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ Βαλαὰμ μισθοῦ ἐξεχύθησαν. Videtur mihi ἐξεχύθησαν ſignificare illorum pœnam, idque ita intelligendum eſſe quaſi diceret, Καὶ τῇ πλάνῃ τοῦ μισθοῦ Βαλαὰμ, ἐξεχύθησαν, ob errorem avari Balaami, diſperſi ſunt inſtar aquæ, diſſipati, deleti. Peſſimum Prophetam imitati, par illi exitum ſortientur. *Num.* XXXI, 8. (y) *Num.* XVI, 1, 2, *& ſeq.* XVII.
(z) 2 *Petri*, II, 13. (a) *Auguſt. de hæreſ.* 5 *pag.* 7; *Epiphan. hæreſ.* 26, *cap.* 4.
(b) *Iren. lib.* 1, *cap* 35. (c) *Epiphan. hæreſ.* 26, *cap.* 13.
(d) *Plotin. lib.* 18 *contra Gnoſtic. pag.* 213, 214. (e) Συνευωχούμενοι. *Alii*: Συνευωχούμενοι ὑμῖν. *Steph* α, ε, ι, *Laud.* 2, *Hunt.* 1, *Cov.* 4, *&c.* (f) 2 *Petri*, II, 13. (g) 1 *Cor.* XI, 20, 21, 22. (h) *Ezech.* XXXIV, 8, 10. (i) Νεφέλαι ἄνυδροι, ὑπὸ ἀνέμων περιφερόμεναι. *Alii quàm plurimi Codd.* παραφερόμεναι. *Vide Mill. hic.* (k) Δένδρα φθινοπωρινὰ.
(l) Κύματα ἄγρια θαλάσσης, *Feroces fluctus maris*. *Clem. Alex. in Caſſiodor. Fluctus ferocis maris*.
(m) 1 *Timoth.* 1, 19: *Circa fidem naufragaverunt*.

℣. 14. Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis,

℣. 15. Facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.

℣. 16. Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus causâ.

COMMENTARIUS.

mum odorem flagitiia exhalant (n).

SIDERA ERRANTIA, ignes fatui, in aëria regione interdum coruſcantes (o), abſumptisque vel diſſipatis exhalationibus, quibus alebantur, in tenebras & noctis horrorem deſinentes. Aliter *ſidera errantia* intellige planetas (p), quorum curſus tam certis, quàm fixa, legibus moveri non videtur; quamquam reverâ certus eſt illorum motus, cùm ſingulis ſuus ortus & occaſus, viceſque certiſſimæ ſint, uti fert ipsorum moles & locus quem occupant in vortice ſolis, cujus motu pernieiſſimo rapiuntur.

Ad vulgi modum hic loquitur Judas. Hæretici, quos deſcribit, optimè comparantur inflammatis exhalationibus, quæ brevì deſinunt, ac non rarò procellam præſagiunt, vel quas ſaltem turbo aliquis conſequitur. Cavete ne vos decipiant perverſi Doctores inani pompâ eruditionis, quæ eò deſinit, ut vos in errorem rapiat, fidei lumen in vobis extinguat, atque in ſcelera impellat. Si cum planetis conferuntur, morum perverſitas, & inconſtantia levitasque ſententiarum ſignificatur. Provincias illi percurrunt, conanturque veterem Apoſtolorum doctrinam evertere, ut ſua deliria ſubſtituant. At mox imminet illorum exitium, atque inferorum tenebræ illos manent.

℣. 14. PROPHETAVIT AUTEM ET DE HIS SEPTIMUS AB ADAM HENOCH. De Henocho ejusque libro egimus in Commentariis ad Geneſim. Septimus hic eſt ab Adamo, ſi Adamum ipsum numeres in hunc modum: Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch. Hic de Gnoſticis vaticinatus eſt, prædixit illorum exitium & æterna ſupplicia, agens de Divino Judicio: quamquam non magis Gnoſticos ille ſpectavit, quàm alios innumeros, nihilo meliores (q), in quos Divinus furor eſt exarſurus. Locum hunc eruiſſe videtur Judas ex *Apocalypſi Henochi*, cujus fragmentum ſatis prolixum adhuc exſtat. Inter apocryphos noſtrâ ætate is liber eſt: at Apoſtolus vel ex majorum narratione, vel ex habitâ divinitus notitiâ recitavit hunc locum, cui certiſſima & divina veritas ineſt.

VENIT DOMINUS IN SANCTIS MILLIBUS SUIS. Græca (r): *Cum denis millibus ſanctis ſuis*. Exemplaria quædam legunt: *Cum denis millibus ſanctorum Angelorum ſuorum*. Quæ verba putaveris hauſta ex Epiſtolâ ad Hebræos (s), ubi dicitur Deus verſari in Cœlo, in Cœleſti Jeroſolymâ, inter *multorum millium Angelorum frequentiam*. Certiſſima eſt Eccleſiæ fides, venturum Dominum, ut judicium in vivos & mortuos exerceat, Angelis ſtipatum, totoque gloriæ ſuæ apparatu fulgentem (t).

℣. 15. ARGUERE OMNES IMPIOS DE OMNIBUS OPERIBUS IMPIETATIS EORUM. Græcus (u): *Omnes impios qui ſunt inter eos*. Poſtrema tamen hæc verba omittunt Syrus, Codex Alexandrinus, & Græca Exemplaria complura. Nullus profectò ex hæreticis hiſce non eſt impius, aut convicia in Dominum non evomuit. Vide ℣. 8. Impia horum verba dicuntur hic *dura*: *De omnibus duris quæ locuti ſunt* (x), auditu duria, Deo contumelioſis, pias aures offendentibus, quæ præter horrorem intelligi nequeunt. Sexcenta loquebantur Gnoſtici, Simoniani, Nicolaitæ, quæ intelligi a Fidelibus citra execrationem haud poterant; puta quæ adversùs Chriſti Jesu Incarnationem & Divinitatem, quæ de mundi creatione per Poteſtates Deo inimicas peractâ comminiſcebantur. Quis denique aut auribus excipere aut legere poterat flagitia quæ in eorum cœtibus patrabantur, & monſtra libidinum inter eos nedum permiſſa, verùm etiam commendata?

Apud Scripturam *dura verba* ſunt ea quæ indignationem ſonant, veluti ea quibus Joſephus fratres primùm in Ægyptum profectos allocutus eſt (y): *Duriùs loquebatur*; ſive quæ pugnam ſententiarum aut impoſſibilem rei executionem exhibent, veluti cùm ait Chriſtus ad Capharnaitas, neceſſe eſſe, ut ſuam ipſius Carnem comederent, & Sanguinem biberent (z), quibus verbis territi auditores dixere: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*

℣. 16. MURMURATORES, QUERULOSI. Qua nimirum de re querebantur? nempe de ſeveritate Legum & Magiſtratuum, a quibus flagitioſi ipſorum cœtus minimè permittebantur; de Chriſtianæ Eccleſiæ Paſtoribus, quorum ſollicitudine & ſtudio detegebantur ipſorum dedecora, & cavebatur, ne audirentur illi, aut domi exciperentur, ne diceretur illis ſalve (a), nequis eorum conſuetudine uteretur. Denique aſſiduis queſtibus exagitabant & eos a quibus excipiebantur, nullo humanitatis officio contenti, & eos a quibus rejiciebantur.

OS EORUM LOQUITUR SUPERBA. Nunquam non ja-

(n) *Eſt. Grot. alii.* (o) *Men. Tir. Cornel.*

(p) Ἀστέρες πλανῆται, *Procellæ ſeducentes. Calvin. Sidera ſeductionis, Beda.*

(q) *Vide Hamm. & Grot. hic.*

(r) Ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ, *Alii plures:* Ἁγίων μυριάσιν αὐτοῦ, *Alii:* Μυριάσιν ἁγίων Ἀγγέλων αὐτοῦ, *Ita Steph. 10. Covel. 3. Syr. Arab. Copt. Auth. ad Novatian. inter opera Cypriani.*

(s) *Hebr.* XII, 22. (t) *Matth.* XVI, 27; XXV, 31; *Marc.* VIII, 38; *Luc.* IX, 26; *Joan.* XVII, 5; *Zach.* XIV, 5; *Hebr.* XII, 22; *Apoc.* V, 11; XVII, 14. *& ſeq.* 1 *Theſſal.* III, 13.

(u) Πάντας τοὺς ἀσεβεῖς αὐτῶν. *Alii plures omittunt* αὐτῶν.

(x) Καὶ περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, *Plures addunt* λόγων. *Stephan.* 1, 10; *Colb.* 7, *Covel.* 3, 4, *Genev. Vien. Syr. Arab.* (y) *Geneſ.* XLII, 7, 30. (z) *Joan.* VI, 60, 61. (a) 2 *Joan.* ℣. 10.

℣. 17. Vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti,

℣. 18. Qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundùm deſideria ſua ambulantes in impietatibus.

℣. 19. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes.

℣. 20. Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes.

COMMENTARIUS.

jactabant Magiſtrorum ſuorum ſcientiam, & in rebus Religioſis eruditionem (b). *Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur*, ait Tertullianus (c). Suas de rerum principiis opiniones, virtutes Creatore mundi ſuperiores, rationem aſſumptæ a Chriſto carnis ſolâ dumtaxat ſpecie, non ipſâ re, iniquiſſima hæreſum ſuarum myſteria, verborum ambagibus abſcondita, plenis buccis ſuperbè crepabant. Superba denique & arrogans illorum oratio ſignificare poteſt inſanam temeritatem, qua de ſe ipſe loquebatur Simon, magnam ſe Dei virtutem, Dei Verbum ac ſpeciem, Paracletum, omnipotentem, verum unum Deum nuncupans (d).

MIRANTES PERSONAS QUÆSTUS CAUSA. Mirari perſonas apud Hebræos eſt indignè laudare, aſſentari; ſive reverà admirari, ſive injuſtè defendere (e). Apud Danielem (f) dicitur Antiochus Epiphanes *mirabilia* locuturus, temeraria ſcilicet, ex LXX. Hìc *mirari perſonas quæſtûs causâ* eſt aſſentari, veritate contemptâ, modò id in lucrum cedat.

℣. 17. MEMORES ESTOTE VERBORUM QUÆ PRÆDICTA SUNT AB APOSTOLIS; a Petro (g), ubi ait: *Venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Ubi eſt promiſſio? aut adventus ejus?* Et a Paulo (h): *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*. Alibi (i): *Erunt homines ſeipſos amantes cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi . . . . ſine pace, criminatores, incontinentes, &c.*

℣. 18. ILLUSORES, SECUNDUM DESIDERIA SUA AMBULANTES. *Illuſor*, præſertim apud Salomonem (k), eſt homo nullius religionis, peſtilens, ſceleſtus, Religionem ſpernens, illudensque rebus ſanctiſſimis, & contemptui habens eos, qui inſpiratam a Religione ſimplicitatem, modeſtiam, ſubjectionem colunt. Tales erant hæretici, qui hîc deſcribuntur: nullius pudoris & Religionis homines, Cynici, Epicuræi, ſanctiſſima quæque ludibrio habentes, ſuamque eruditionem probroſiſſimè venditantes, ut ſimplices rudioreſque fallerent, ac Dei metu & amore ſpoliarent; quippe qui negabant homines in vitam redituros, neceſſaria eſſe bona opera, Chriſtum Jeſum incarnatum eſſe aut mortuum.

℣. 19. HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS (l) ab Eccleſiâ, communione Fidelium, meritis Jeſu Chriſti. Secedunt a cæteris, cùm ſoli perfecti, ſapientes, ac liberi ſuperſtitionis & ignorantiæ jugo haberi velint.

ANIMALES, SPIRITUM DEI NON HABENTES; ſive, qui animalem vitam agunt, non ſpiritalem. Primorum temporum Hæretici *Gnoſticorum* appellatione gaudebant, quaſi cæteros Chriſtianos penitiori eruditione ſuperarent (m). Horum ſuperbiam ut compeſcat Judas, *pſychicos*, ſive animales nuncupat; nullius ingenii, rationis, & eruditionis homines; qui in brutorum morem naturæ impetum, & perverſi cordis impulſum ſequuntur.

℣. 20. SUPERÆDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMÆ VESTRÆ FIDEI. Relictis veritatis hoſtibus, quos hactenus exagitavit, fideles hortatur Judas, ut in acceptâ ex Apoſtolis fide maneant, ſuamque ſanctitatem & ſalutem in ſolido hoc fundamento ædificent. Monet ut *orent in Spiritu Sancto*, vividas, acres, efficaces in hominum animis preces efficiente (n); mentes illuſtrante, ut cognoſcant ea quæ poſtulant; inſpirante pium ardorem, quo orandum eſt, ut poſtulata impetremus. Sub exordium Eccleſiæ inter cætera Divini Spiritûs dona erat donum publicarum & ſolemnium precum, quas in cœtu pronunciabat vel Epiſcopus, vel, eo permittente, is qui hoc munere gauderet. Ex precibus hiſce, quas olim afflati divinitus homines pronunciabant, ortum habuere Liturgiæ (o), & uſitatæ in Eccleſiâ precandi formulæ, quarum pleræque ad Apoſtolorum tem-

(b) *Iren. lib. 1, cap. 9: Perfectos ſeipſos vocant, quaſi nemo poſſit exæquari magnitudini agnitionis ipſorum, quaſi Paulum, aut Petrum dicas, vel alterum quemdam Apoſtolorum, &c.*
(c) *Tertull. de Præſcript. cap. 41.*
(d) *Vide Hieronym. in Matth. XXIV.*
(e) *Levit.* XIX, 15: Οὐ θαυμάσεις πρόσωπον δυνάστου. *Vide 70 in Deut.* X, 17; *Prov.* XVIII, 5.
(f) *Dan.* XI, 36. ידבר נפלאות
(g) 2 *Petr.* III, 2, 3.
(h) 1 *Timot.* IV, 1, 2.
(i) 2 *Timoth.* III, 2, 3, 4.
(k) *Prov.* I, 22. לצים Ἐμπαῖκται. III, 34; IX, 7, 8; XIII, 1; *& paſſim. Vide & Pſalm.* I, 1; CXVIII, 51; *Oſee*, VII, 5.
(l) *Græc.* Ἀποδιορίζοντες, *Diſtinguentes. Plures addunt*, ἑαυτούς. *Steph.* δ, ι, θ, *Compl.* 2, 4; *Colb.* 7, *&c.*
(m) *Vide* 1 *Timoth.* VI, 20: Τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. *Chryſoſt. homil.* 18 *in* 1 *Timoth.* VI; *Clem. lib.* 2 *Strom. &c.*
(n) *Rom.* VIII, 26: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*
(o) *Vide Chryſoſt. ad* 1 *Cor.* XIV, 26; *& Hamm. hic.*

℣. 21. Voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.

℣. 22. Et hos quidem arguite judicatos:

℣. 23. Illos verò ſalvate, de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.

℣. 24. Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

tempora referuntur.

℣. 21. VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. Charitatem erga Deum intra vos ſtudioſiſſimè tuemini: divinum hunc ignem fide, precibus, virtutis exercitatione alite. Sive: Permanete in benevolentiâ, qua vos proſequitur Deus, in Eccleſiâ, in recto ordine, & Eccleſiæ ſubjectione, ut miſericordiam Dei præſtolantes vivatis, & æternam denique vitam impetretis: *Expectantes miſericordiam Domini in vitam æternum.*

℣. 22. ET HOS QUIDEM ARGUITE JUDICATOS, convictos. (℣. 23.) ILLOS VERO SALVATE, DE IGNE RAPIENTES. Siquis ex fratribus erraverit; errorem oſtendite; tum arguite & corripite. Siquis autem in fide nutet, aureſque prædictis novitatibus præbuerit, illum tamquam ex igne eripite: nunquam ceſſate, niſi illum ab exitii diſcrimine eripueritis.

Græcus paulò aliter verti poteſt (p): *Hos quidem commiſeremini, judicio utentes* ac prudentiâ, ut illos leniter reducatis, ſi erraverint ob ſimplicitatem, aut errori proximos videritis: *illos verò ſervate per timorem*, ſolicitè, ſtudioſè, tamquam *de incendio rapientes*. Diſtinguit hîc duplex hominum genus, quorum aliqui in remotiori, alii proximo in diſcrimine, & quaſi in igne, verſantur. Græca quædam Exemplaria (q) ferunt: *Hos quidem commiſeramini dijudicatos*, ſive convictos, ſive damnatos. Curate, ut ſuum ipſi errorem agnoſcant, leneſque ac ſuaves vos erga illos exhibete.

℣. 23. ALIIS AUTEM MISEREMINI IN TIMORE, vobis metipſis metuentes; ODIENTES ET EAM, QUÆ CARNALIS EST, MACULATAM TUNICAM, execrati tamquam veſtem ſordidam quidquid ex carne proficiſcitur. Græcus vulgatus (r) non habet hîc ea verba, *Aliis autem miſeremini in timore*: at habent libri veteres complures, verſioneſque Orientales. Legunt alii: *Alios autem arguite in timore, odio habentes maculatum a carne tunicam*: Ænigmatica ſunt poſtrema hæc verba, hiſque alluditur ad illud ex Lege (s), ubi de veſtibus leprâ, aliâve ſorde aut maculâ inquinatis, quæ nedum corpora, verùm etiam veſtium lotione purgandæ erant. Dogmata hæreticorum execramini, fugite conſuetudinem, umbram quoque, ſi fieri poteſt, ac veſtes evitate. Quicquid ex ipſis eſt, peſtis eſt & tabum. Sive: Commiſeramini fratres in errorem lapſos: veremini ne ipſi ruatis. Vitate crimina & pravos affectus, & quicquid labem vel ipſis veſtibus inferre poteſt. Chriſtiani ex Judæis, quos alloquitur Judas, ſummo Legis & Legalium ſtudio tenebantur: at ſimul noverant, exterioribus corporis maculis aliud myſticum ſignificari.

℣. 24. EI AUTEM, QUI POTENS EST VOS CONSERVARE (t). Finem facit actione gratiarum erga Deum, qui unus ſervare hominem labis neſcium, atque ad beatitudinem ducere per gratiæ & omnipotentis auxilii opem poteſt. *Quid enim ſum ego mihi ſine te, o Deus, niſi dux in præceps (u)?* Quid, ſibi relictus, valeat homo, niſi vulnera vulneribus addere, dum ſe ipſe, præter Cœleſtis Medici manum, curare aggreditur? *In vulnera vulnere ſurgit (x). Quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus aut ſtultus eſt*, inquit S. Cyprianus (y). *Hoc confitentur, quod impietate ſceleratiſſimâ negatur, ſine gratiâ Dei hominem ſine peccato eſſe non poſſe*, ait S. Auguſtinus (z).

ANTE CONSPECTUM GLORIÆ SUÆ . . . IN ADVENTU DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Poſtrema hæc verba, *in adventu, &c.* deſiderantur in Græco, Syro, Arabe, Bedâ, Latiniſque libris quibuſdam; deſumptaque ſunt ex I ad Theſſalonicenſes, III, 13. Unus Chriſtus Jeſus homines puros & labe carentes ſolio Patris in Cœleſti gloriâ per gratiam ſuam exhibere valet. Hæc porrò fides & ſpes noſtra eſt.

℣. 25. So-

(p) Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες.

(q) Οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινομένους. *Ita Steph. δ, ϛ, ιζ Alex. Lin. Barb. 2, Petit. 3, Covel. 4, Genev. Vulg.*

(r) Μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶνα. *Quidam addunt ante hæc verba quæ ſequuntur;* οὓς δὲ ἐλεεῖτε ἐν φόβῳ, μισοῦντες, *&c. Ita Steph. δ, ι, Alex. Lin. Genev. Cov. 4, Barb. 2, Petit. 3, Copht. Vulg. Syr. Æth. Alii verò,* Οὓς δὲ ἐλέγχετε ἐν φόβῳ. *Vide Mill. hic.*

(s) *Levit.* XIII, 47, 48, *&c.*

(t) Τῷ δὲ δυναμένῳ φυλάξαι αὐτούς. *Alii:* φυλάξαι ὑμᾶς. *Ita Steph. δ, ϛ, ι, ιε, Lin. Cov. 2, 3, 4, alii.*

(u) *Auguſt. lib. 4 Confeſſ. cap. 2.*

(x) *Proſper, Carm. de Ingratis.*

(y) *Cyprian. de Opere & Eleemoſynâ.*

(z) *Auguſt. de Nat. & Gratiâ, cap. 10. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 6, can. 23.*

℣. 25. Soli Deo Salvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria, & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

℣. 25. SOLI DEO SALVATORI NOSTRO, PER JESUM CHRISTUM.... GLORIA ET MAGNIFICENTIA. Græcus legit (*a*): *Soli Sapienti Deo ſervatori noſtro*; & omittit, *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Servatoris appellatio non rarò in Pauli Epiſtolis (*b*) Deo Patri adſcribitur, ibique occurrunt laudis formulæ huic ſimiles (*c*). Quicquid creatum eſt, Deo gloriam exhibeat, ejusque imperium & infinitam poteſtatem agnoſcat; commendet denique exiſtentem *ante omne ſæculum* (*d*), omnibusque ſæculorum ſæculis exstiturum. Amen.

(a) Μόνῳ σοφῷ Θεῷ. *Deeſt* σοφῷ *in pleriſque Mſſ. Alex. Copht. Arab. Æthiop. Quàm plurimi Codd. addunt*: Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *Ut Vulg. Alex. Syr. Alia verſion. Oriental. ex Rom.* xvi, 27.
(b) 1 *Timoth.* iv, 10; *Tit.* i, 3; iii, 4. (c) *Rom.* xvi, 27; & 1 *Timoth.* i, 17.
(d) Non leguntur in Græco vulgato iſta, ſed in quamplurimis manu exaratis: Πρὸ παντὸς αἰῶνος. *Steph.* δ, ι, *Alex. Lin. Colb.* 7, *Petti.* 3, *Cov.* 2, 3, 4, *Genev. Copht.*

Finis Commentarii in Epiſtolam B. Judæ Apoſtoli.

IN APOCALYPSIM
PROLEGOMENON.

ARTICULUS PRIMUS.

Totius Apocalypſeos ſpecimen, laus, obſcuritas, & rectè explicandi difficultas.

VAriæ olim de Apocalypſi ſententiæ. Nonnulli, quòd obſcura ſit, tamquam inutilem rejecerunt (*a*); alii (*b*) eidem explicandæ dare operam ſupervacaneum dixere, majorem illius partem Interpretes ſemper ignoraturos, mundique finem expectandum eſſe, ut difficultatibus omnibus ſolutis figuræ ſingulæ percipi poſſint. Sapientiores verò ſaniùs de Apocalypſi pronunciarunt. Dionyſius Alexandrinus tertii ſæculi Scriptor ajebat [*c*]: *Ego Librum hunc nullo modo audeo abrogare, præſertim cùm adeò multi fratres eum tam magno æſtiment; ſed hanc mecum de eo opinionem concipio, longè abſtruſiorem eſſe in illo materiam, quàm ment mea facilè conſequi queat, & in ſingulis propè ſententiis ſenſum quemdam myſteriis involutum, & valdè admirabilem deliteſcere, planè exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quemdam reconditiorem verbis ipſis inclusum: atque iſtas res non propriâ ratione metior, ac pondero, ſed Fidei potiùs tribuo, & altiores Diviniores que profectò arbitror, quàm quas ipſe ullo pacto cogitatione comprehendere valeam. Atque non eas improbo, quas non intelligo: ſed ideò potiùs admiror, quòd mentis acie luſtrare non queo.*

Quanti Dionyſius Alexandrinus, tanti Apocalypſim faciebat Hieronymus, quam laudibus idcircò cumulans, *Apocalypſis Joannis*, inquit (*d*), *tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito Voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent ſententiæ.* Eadem profectò ſapientiores noſtri Critici ſentiunt, maximæ nobis utilitatis librum eſſe ducentes, ejuſque obſcuritatem non ad contemptum, ſed ad illius potiùs reverentiam conſerre aſſerentes [*e*]; quamobrem de eo illud uſurpandum cenſent, quod de Heraclito perhibuit Socrates (*f*): *Ea quidem, quæ intellexi, fortia ſunt, puto item & quæ non intellexi: verùm Delio quopiam natatore indigent.*

Invitâ licèt eius obſcuritate, legentes ſuaviter adeò afficiuntur, ut maximam Divinæ Majeſtatis exiſtimationem concipiant, & de Jeſu Chriſti Myſteriis, Victoriis, Regno, & Judicio magnificè cogitent. Quidquid in Scripturis pulcherrimum, in hoc uno Libro colligitur (*g*); quidquid in Lege, & Prophetis maximè vividum, atque ad majeſtatem compoſitum, novo quodam & clariori lumine hic augetur.

Cùm Apocalypſis ſit vaticiniis undique referta, mirum ſanè non fuerit, ſi tenebris obvolvatur. Obſcuritas enim ad Vaticiniorum naturam quodammodò ſpectat, tum potiſſimùm, cùm eorum eventus vel procul abeſt, vel actu perficitur. Tunc verò perſpicua fiunt, cùm re peractâ cum iis, quæ prænunciata fuere, eventus conferuntur. Ante Chriſti adventum Veteris Teſtamenti vaticinia quis percipiebat? Promiſſum ſibi Meſſiam generatim norant Judæi; verùm Prophetarum de eo vaticinia, quæ ſibi etiam mutuò adverſari videbantur, eam nubem induxerant, ut nonniſi poſt Servatoris obitum & Reſurrectionem patuerint. Idem profectò contigit Patribus, qui quatuor ſeu quinque primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt. Quidam enim præſentibus in calamitatibus obtutum omnem collocantes, & mentis acie longiùs non proſpicientes, iis ipſis Apocalypſeos vaticinia impleri non videbant; quidam verò de ejus vaticiniis ceu de myſteriis intellectui penitùs imperviis, & in ſæculorum exitu tantummodò percipiendis cogitabant; quidam denique de ejus literali ſenſu inveſtigando prorſus deſperantes, ad tropicum & allegoricum confugiebant, ad mores inſtituendos documenta undique haurientes.

Liber Apocalypſis, inquit Auguſtinus (*h*), *totum hoc tempus complectitur, quod a primo adventu Chriſti uſque in ſæculorum finem, quo erit ſecundus ejus adventus, excur-*

(a) *Quidam apud Dionyſ. Alex. Apud Euſeb. l. 7, c. 25:* Καθ' ἕκαστον κεφάλαιον διευθύνοντες, ἄγνωστόν τε καὶ ἀσυλλόγιστον ἀποφαίνοντες.

(b) *Caſtalio, & alii quidam. Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7, c. 25, de Dionyſ. Alex.* Ἔνιοι τοίνυν τὴν ὅλην τῆς Ἀποκαλύψεως βασανίσαντες γραφήν, ἠθέτησαν δὲ αὐτὴν καὶ τὴν πρὸ χειρὸν ἐπ' ἀλλ' ἔξεις νοεῖσθαι διάνοιαν, ἐπιφέρει λέγων, &c.

(c) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7, Hiſt. Eccl. cap. 20.* Ἐγὼ δὲ ἀθετῆσαι μὲν οὐκ ἂν τολμήσαιμι τὸ βιβλίον... μείζονα δὲ τῆς ἐμαυτοῦ φρονήσεως τὴν ὑπόληψιν τὴν περὶ αὐτοῦ λαμβάνων, κεκρυμμένην εἶναί τινα καὶ θαυμασιωτέραν τὴν καθ' ἕκαστον ἐκδοχὴν ὑπολαμβάνω. καὶ γὰρ εἰ μὴ συνίημι, ἀλλ' ὑπονοῶ γε νοῦν τινὰ βαθύτερον ἐγκεῖσθαι τοῖς ῥήμασι, οὐκ ἰδίῳ ταῦτα μετρῶν καὶ κρίνων λογισμῷ, πίστει δὲ πλέον νέμων, ὑψηλότερα καταληφθῆναι νενόμικα. Καὶ οὐκ ἀποδοκιμάζω ταῦτα ἃ μὴ συνεώρακα. θαυμάζω δὲ μᾶλλον ὅτι καὶ μὴ εἶδον.

(d) *Hieronym. Ep. ad Paulin.* (e) *Perer. in Apoc.* (f) *Socrat. apud Laërt. lib. 2, ſeg. 22:* Ἃ μὲν συνῆκα, γενναῖα· οἶμαι δὲ, καὶ ἃ μὴ συνῆκα. Πλὴν Δηλίου γέ τινος δεῖται κολυμβητοῦ.

(g) Boſſuet, Préface ſur l' Apocalypſe. (h) *Auguſt. de Civit. Dei, l. 2, c. 8.*

currit. Quare cùm prope ſeptemdecim ante ſæcula Apocalypſis ab Joanne conſcripta fuerit, plurima ejus vaticinia jam completa fuiſſe minimè eſt dubitandum. Eccleſiæ & Romani Imperii Hiſtoriæ nunc præ cæteris ætatibus clariùs patent; nosque majori quàm Veteres ope ad eaſdem dignoſcendas inſtruimur. Quare facilior nobis quàm Patribus & Interpretibus ejus ætatis Apocalypſeos explicatio contingit; cùm ea nobis tantummodò quæ hæc vaticinia impleverint, in ſæculis ab Joanne hucusque elapſis inveſtiganda ſuperſint. Primo quidem in limine explicari non poſſe nobis quoque Liber hic videbatur. Quamobrem niſi de omnibus Novi Teſtamenti Libris diſſerere jam inſtituiſſemus, nunquam fieri potuiſſet, ut facinus plus nimio arduum aggrederemur; a quo prætereà deterrebamur, quòd Interpretum plerisque, qui Apocalypſi explanandæ operam dedere, res feliciter minimè ceſſerit.

Verùm re propiùs perſpectâ, & præclariſſimorum quorumdam, qui noſtrâ ætate Apocalypſim hiſtoricè exponendam ſuſceperunt, exemplo excitati, Operi & nos manum admovimus; & monſtra, quibus terrebamur, ſenſim eò usque evanuere, ut, quidquid nullo ſuperandum labore arbitrabamur, omnem omninò difficultatem poſuerit. Hinc nos collegimus, tot Apocalypſeos Interpretes rem hactenus non attigiſſe, vel quòd Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ad hæc poſtrema usque ſæcula ignoratæ ſatis fuerint, vel quòd ad Joannis vaticinia explicanda vix fuerint adhibitæ, vel denique quòd plus æquo habita ſit reverentia Veterum interpretationi, quorum alii ante oraculorum complementum, cùm ſcilicet fieri non poterat, ut hiſtoricè illa explicarent; alii verò eâ ſcripſerunt ætate, qua & Libris & auxiliis ad res occultas explorandas penitus deſtituti, ut Hiſtoriarum Epochas ſtabilirent, vel ad morales & myſticos ſenſus confugerunt, vel ea ſingula vaticinia in ſæculorum exitu adimplenda aſſeruere, vel denique proferendis conjecturis ſtudium omne poſuerunt, quæ ad talis tantique Libri intellectum per ſe ipſas minimè conferunt.

Eccleſiam perſecutionibus exagitatam, victricem poſteà, & altâ pace fruentem, veram Apocalypſeos clavim eſſe certò ducimus. Omnia huc ſanè collimant; quare arte propheticâ & ænigmaticâ figuras exuere, & rebus ſua nomina, ſuamque faciem opus eſt tantummodò impertiri, ut Apocalypſim in veram hiſtoriam convertamus. Antiquus dierum, Alpha & Omega, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Deum Patrem; Agnus verò Deum Filium ſignificant. Per terram Romanum Imperium; per beſtiam ſepticipitem ſeptem Imperatores Perſecutores Eccleſiæ; per Draconem mulieri jamjam parituræ inſidiantem, iidem Eccleſiæ perſecutores deſignantur. Beſtia cornibus inſtar Agni inſtructa Julianum Apoſtatam refert; meretrix magna, myſtica Babylon, Romam innuit; tres anni cum dimidio, modò per duos & quadraginta menſes, modò per dies mille ducentos ſexaginta, per *dies tres & dimidium*, per *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, perſecutionis diuturnitatem oſtendunt. Babylonis everſio, beſtiæ & meretricis interitus, perſecutorum & Romæ idololatræ excidium exhibent. Plagæ, quibus Deus terram conficit, & iræ phialæ, quas in orbem jubet effundi, eæ ſunt calamitates, quibus Romanum Imperium, præſertim poſt Diocletiani perſecutionem, obrutum fuit.

At minimè in levioribus eſt immorandum, neque ubique inveſtiganda myſteria: forſan & hic latebunt; ſed quis ea ſine traditâ divinitus notitiâ percipiat? Qui de cujuslibet pretioſi lapidis nomine, & proprietate, & Angelorum veſtium coloribus, & de Cherubim figurâ diſſereret, ſuo quidem ingenio, & libertate abuteretur; niſi fortè id caute præſtaret, ſuisque conjecturis veluti certis fidem nollet haberi. In Apocalypſi, quemadmodum in Veteri Teſtamento, omnia prorſus habenda non ſunt vaticinia. Divinæ Majeſtatis magnificentiam, vigintiquatuor Seniores e ſoliis in genua ante Dominum provolutos; quatuor animalia Dei ſolium ſuſtinentia; Librum conſignatum Agno traditum, & id genus plurima Deus Joannis intellectui videnda exhibuit, ut eum ad maximam erga Divinam Majeſtatem reverentiam excitaret, utque ejus, & deinde Lectorum animos redderet attentiores. Hæc verò nonniſi ex obliquo ad præcipuum ejus Prophetiæ propoſitum pertinent, & infinitam Dei potentiam & amplitudinem oſtendunt. Liber obſignatus arcana Dei conſilia, & homini prorſus incognita exhibet; & Liber ab Agno recluſus eadem Divina conſilia per Jeſum Chriſtum Joanni in Apocalypſi revelata deſignat. Angeli denique cum tubis & phialis a Dei ſolio dimiſſi, calamitates, quibus Roma ejusque Imperium obruta ſunt, non fortuitò, ſed de Divinæ Juſtitiæ & Potentiæ imperio eveniſſe demonſtrant.

Hæc ſanè habenda non ſunt Interpretum inventa, cùm in ejuſdem Apocalypſeos Textu perſpicuè exhibeantur. Ipſe Joannes, ſeu Angelus Joannem alloquens palàm præcipua facit. Ea enim Agno tribuit, quæ nonniſi Chriſto, ea etiam Antiquo dierum, quæ nonniſi Deo Patri conveniant. Mulier, quæ a Dracone fugiens, invitis ejus conatibus, in deſerto enititur, Eccleſiam ſine ambagibus præfert. Myſtica Babylon, nempe Roma, in ſeptem montibus, non per Interpretem hominem, ſed per ipſum Dei Angelum, conſtituta deſcribitur. Futu-

Digitized by Google

Futuros eventus non diu pòſt implendos ab Apocalypſi referri, nil utique eſt quòd ambigamus; etenim ipſe Joannes citò impletum iri pronunciat (*i*): *Tempus propè eſt . . . . ecce venio citò reddere unicuique ſecundùm opera ſua*. Cùm vaticinia in Veteri Teſtamento res diu pòſt implendas reſpicerent, Dominus ea obſignare Prophetas jubebat (*k*): Apocalypſim verò, quòd citò implenda eſſet, ſigillo muniri vetuit (*l*): *Ne ſignaveris verba prophetiæ Libri hujus: tempus enim propè eſt*. Cùm itaque pluſquam mille ſexcentos ante annos Joannes Apocalypſim conſcripſerit, ejus vaticinia ſaltem plurima ſæculis retroactis jam completa jure merito judicamus.

ARTICULUS II.

De Apocalypſeos Interpretum inſtituto.

QUatuor in claſſes Apocalypſeos Interpretes dividi poſſunt. Alii omnia Joannis viſa de ſupremâ Judicii die explicant. Beſtiam proinde ſeptem capitum Anti-Chriſtum dicunt; duos teſtes, Henochum & Eliam; mille annorum Regnum de Juſtorum poſt Judicium millenario; & ſeptem plagas, totidemque iræ Dei phialas, de calamitatibus, mundi interitui præituris, interpretantur.

Alii omnia de iis explanant, quæ Eccleſiæ perſecutionibus agitatæ evenere; verùm inter hos non convenit, ubi verba Apocalypſeos peculiaribus eventibus ſunt adſcribenda.

Alii, nempe Proteſtantium Interpretum plurimi, ut meritò ab Eccleſiâ ſe deſeciſſe oſtendant, concitando in eam odio pro viribus incumbentes, quidquid teterrimi Joannes de beſtiâ, de Babylone, de meretrice prodidit, Eccleſiæ temerè adſcribunt: quare Anti-Chriſto Pontificem deſignari volunt; & Româ Catholicam ſeu Romanam Eccleſiam, in quam eæ intentantur calamitates, quibus obruenda eſt Roma Idololatriæ ſerviens. Quorumdam prætereà eò pervênit audacia, ut ejus futuri excidii non modò annum, ſed momentum etiam ſtatuerint. At invitis eorum vaticiniis, Catholica & Romana Eccleſia ſtat, & uſque ad omnium ſæculorum exitum incolumis manebit.

Alii denique ſingulas Apocalypſeos ſententias morali explicatione exponunt. Hujuſmodi ſunt Ambroſius Aurpertus, S. Vincentii Vulturni in Italiâ Abbas, Pater Viegas, & alii, præſertim Tychonius Donatiſta, quem ſpiritali ratione Apocalypſim explicaſſe Gennadius aſſeruit.

Veterum Patrum & Interpretum plerique Apocalypſim de ſupremo Judicio explicuere. S. Juſtinus, S. Irenæus, S. Victorinus Petavienſis (*m*) tertii ſæculi Scriptor, S. Hippolytus Epiſcopus Portuenſis (*n*), Millenarii, Papias, Nepos Ægypti Epiſcopus, Andreas & Aretas (*o*) Cæſarienſes, Primaſius Epiſcopus Adrumetinus (*p*); Ven. Beda, S. Ambroſius, ſeu potiùs Berengarius ſub nomine Ambroſii; S. Anſelmus, ſeu alius ſub eo nomine; & Recentiores plurimi vel omnia, vel fermè omnia ad ultimum Judicium referunt, tribus tantummodò capitibus primis exceptis, quæ de ſeptem Aſiæ Eccleſiis vulgo ad verbum ab Interpretibus exponuntur.

Singulorum Authorum omnes omninò Interpretationes in Commentariis referre, e re eſſe non duximus, cùm præſertim fieri non poſſet, ut tot Interpretum varia inſtituta & ſententiæ ſingillatim recitarentur. Satius itaque duximus eorum varia ſyſtemata leviter hic tantùm attingere, & illud generatim oſtendere, quòd ea, cui acceſſimus, ſententia & cæteris præſtet, & ſola ſit, cui in literali Commentario ſubſcribe dum; ne plurimas hic recenſeremus opiniones, quæ nonniſi ægrè ab omnibus perlectæ neque ad clariorem hujus Libri lucem, neque ad noſtrum inſtitutum contuliſſent. Qui eas deſiderant, videant in Criticorum Synopſi Recentiores, ac potiſſimùm Proteſtantes, & apud Cornelium a Lapide Veteres & juniores Catholicos Interpretes. Per varias tot Authorum ſententias & animos implicari, & incertos ſæpiſſimè hærere, experientiâ didicimus; quare, ne Lectores in incerto vagentur, in rebus perpendendis & ſecernendis opinionibus, Scriptori eſt elaborandum.

Morales Interpretes nos prætetimus. Eæ verò ſunt plerorumque Proteſtantium explicationes, ut indignæ ſint quæ vel recitentur. Grotius & Hammondus ſaniori inter ſuorum pleroſque conſilio hiſtoricè Apocalypſim exhibent, & omnia fermè, quæ poſt caput tertium afferuntur, de calamitatibus explicant, quibus, Nerone & Veſpaſiano imperantibus, Judææ Eccleſia confecta ingemuit. Ad hoc adducti ſunt, quòd Chronologiæ errorem ab Epiphanio haurientes (*q*), Joannem in Pathmos Inſulâ ſub Claudio exulaſſe putaverint, cùm ſanè id Irenæo (*r*), Euſebio (*s*), aliiſque innumeris teſtibus, anno circiter Chriſti XCIV, Domitiano imperante, contigerit.

Boſſuetus (*t*) Meldenſis Epiſcopus poſt tria priora Capita, quæ ad ſeptem Aſiæ Eccleſias pertinent, eas calamitates, quibus Eccleſia ab Imperatoribus Ethnicis uſque

(i) *Apoc.* XXII, 7, 10, *&c.*

(k) *Daniel.* VIII, 26: *Tu autem viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. Daniel.* XII, 4: *Iſai.* VIII, 16.

(l) *Apoc.* XXII, 10.

(m) *Petavium veteris Pannoniæ urbs ad Dravum in Styriâ.*

(n) *Sub tertii ſæculi initium.*

(o) *Sexti ſæculi ſcriptores.*

(p) *Adrumetum Provinciæ Bizacenæ urbs.*

(q) *Epiph. hæreſ.* 51.

(r) *Iren. l.* 5, *c.* 30.

(s) *Euſeb. in Chronic. ad an.* 94 *Domitiani; & hiſt. l.* 3, *c.* 18.

(t) Boſſuet ſur l'Apocalypſe.

que ad Conſtantini pacem, & quibus deinde ab Apoſtatâ Juliano conficienda fuerat, victorias etiam ab eâdem Eccleſiâ de ſuis perſecutoribus referendas; ultionem denique de Româ, & Romano Imperio per plagas, & per barbarorum impetus quarto & quinto ſæculis divinitùs expoſcendam, Joannem prædixiſſe contendit.

Quamvis autem quidam doctiſſimi hujus Epiſcopi Opus parvi fecerint, illud nihilominus ſanè eſt pronunciandum, quòd & rem ipſe tetigerit, & maximè omnium arcani Libri myſteria præ cæteris patefecerit. Eſto, ſingula hiſtorica facta Apocalypſeos figuris non omninò feliciter accommodarit; ejus profectò inſtitutum cæteris præſtat, faciliùſque defendi poteſt; imò & præclarum aliqnid de Apocalypſi quis profetre ſi cupiat, licèt ſingulis peculiaribus Boſſueti ſententiis non ſubſcribat, ad ejus inſtitutum denique confugiat, neceſſe prorſus eſſe cenſemus.

De la Chetardye, S. Sulpicii Pariſiis Parochus, quemadmodum Boſſuetus, Apocalypſim hiſtoricè explanavit. Prioribus tribus Capitibus, quibus conſtat inter omnes univerſalem Eccleſiam non affici, de Minoris Aſiæ Eccleſiis interpretatus, per quartum & quintum caput, quibus Dei gloria & magnificentia Joanni exhibita deſcribitur, ad proximè conſequentia viam ſterni oſtendit. Capitibus deinde VI, VII, VIII, IX, X, XI, ſeptem ſigillis, quæ Agnus aperuit, ſeptem Eccleſiæ ætates deſignatas cenſet. Grando ſanguine & igni mixta primam ætatem ſignificat, tempus nempe Martyrum, ab Eccleſiæ exordio uſque ad Conſtantinum. In ſecundo ſigillo eques ſtricto gladio bellis & diſſenſionibus orbem concutiens, deſignat hæreſes, quæ perſecutiones ſubſecutæ ſunt. Sigillum tertium, & tertia tuba ferens equitem, æquo nigro inſidentem, & famem habentem in comitatu, tertiam Eccleſiæ ætatem innuunt, qua Barbari ſuis regionibus egreſſi, Romanum Imperium invaſerunt, & Provincias diripuere.

Sigillum quartum, ſeu quarta tuba hominem morti ſimillimum, equo pallido vectum, inferno comitante, & in quatuor Orbis partes peſtem, famem, & bellum inferentem producit: quo emblemate quarta Eccleſiæ ætas exprimitur, Græcæ Eccleſiæ ſchiſmare, & Mahometiſmo funeſtata. Quinto recluſo ſigillo, quintâque clangente tubâ ſidus de cœlo lapſum Lutheri Sacerdotis & Monachi apoſtaſiam deſignat; cujus defectio bella, hæreſes, & innumeras calamitates invexit. Ubi ſexta tuba ſonitum edidit, innumerus hoſtium exercitus terram invaſit, tertiâ hominum parte interfectâ. Hanc prophetiam Author non explicat, quòd nondum impletam, ſed futuram, & ſextâ Eccleſiæ ætate implendam putaverit. Angelus enim, capite VII, Joanni Judæos ad Fidem traducendos oſtendit. Angelus præterea capite X mundi finem, & capite XI Henochi & Eliæ adventum, & Anti-Chriſti, utrumque Prophetam interfecturi, regnum prænunciar. Aperto denique ſigillo ſeptimo, & ſeptimâ clangente tubâ, poſtremum inſtituitur Judicium, & Jeſus Chriſtus, Angelis & Sanctis comitantibus, e Cœlo deſcendit, capite XI, 15, &c.

Hic, juxtà hunc Authorem, generalis Apocalypſeos ſcopus. Joannes capite duodecimo & deinceps, ad primam Prophetiæ partem, conditam Eccleſiam, perſecutiones obeundas, & ejuſdem de perſecutoribus victorias reſpicientis, revert tur. Sole amicta & Lunam calcans mulier Eccleſiam exprimit. Draco capitibus ſeptem & decem cornibus inſtructus, caudâque tertiam ſtellarum partem e Cœlo præcipitem trahens, Dæmonem refert, qui a ſeptem Imperatoribus, per ſeptem capita deſignatis, & a decem perſecutionibus, per decem cornua expreſſis, adjutus, mulierem ejuſque filium vorare, Eccleſiam nempe & Fideles everrere conatur. Verùm Dracone a Michaele Archangelo profligato, Conſtantinus, ſex cæſis Tyrannis, Imperio potitur. Septimus ſupereſt poſt Conſtantinum, nempe Julianus Apoſtata, cujus perſecutiones capite XIII & XIV recitantur. Tandem Deo tot flagitia ulciſcente, Barbari in Romanum Imperium irruunt, totumque diſcerpunt. Angeli verò, ſeptem phialis effuſis, Romam ejuſque Imperium omnibus calamitatibus obruunt. Hæc capitibus XV, XVI, XVII, XVIII.

Poſt Romani Imperii excidium ſolemnes Agni Nuptiæ celebrantur, & ſerpens antiquus vinculis addicitur. Hic Eccleſiæ ſtatus uſque ad Anti Chriſti adventum, cujus perſecutiones capite XIX referuntur. Deus verò Eccleſiæ ſuæ opitulatur; Jeſus Chriſtus e Cœlo deſcendit; Judicium pronunciatur, beſtia in inferos detruditur; Juſti in Cœlos aſcendunt regnaturi cum Chriſto, cujus imperium capitibus XXI & XXII magnificè deſcribitur. Hæc interpretatio, quam De la Chetardie in Apocalypſim exhibet. Nos verò illud veremur, ne hæc Eccleſiæ in ſex ætates diſtributio arbitrio nimiùm nitatur, & ne regreſſus a capite XI, quod de ſupremo Judicio is explicat, ad Eccleſiæ confirmationem, capite XII & ſequentibus juxta eumdem exhibitam, plus æquo detortus judicetur. Quarta denique Eccleſiæ ætas, quam a Mahometo uſque ad Lutherum collocat, cui nempe mille annos circiter tribuit, ſi cum cæteris conferatur, protractior videtur. De ſingulis & peculiaribus explicationibus hîc non inquirimus, ne longiùs a propoſito abducamur. Dupi-

Dupinius, qui nuper Apocalypſim explicavit, latiori quàm Boſſuetus & de la Chetardie, viâ incedit. In peculiaribus Hiſtoriæ eventibus perquirendis, ut ſingulis ſingula Joannis vaticinia accommodet, non immoratur, ſed tria prima Apocalypſeos capita ad ſeptem Aſiæ Eccleſias, tria ultima ad mundi finem, ad Judicium ſupremum, & ad Juſtorum felicitatem reſpicere tantùm exiſtimat; cætera verò de Eccleſiâ perſecutionibus affectâ, de perſecutorum ſupplicio, & de Idulolatriæ excidio generatim interpretatur. Joannes ad Fidelium ſolatium varias inducit figuras, quæ ad eamdem rem collineant.

Qui ſingula viſa de ſingulis eventibus explicare aggrediuntur, de hujus Authoris ſententiâ rem non modò arduam nulloque exitu abſolvendam, verùm etiam Joannis menti contrariam ſuſcipiunt. Singula autem viſa non ad hanc rem magis, quàm ad illam reſpiciunt. Septem beſtiæ capitibus ſeptem deſignari addit idololatras Imperatores, qui poſtremam adversùs Eccleſiam perſecutionem concitarunt, Diocletianum nempe, Maximianum, Galerium, Severum, Maxentium, Maximinum, & Licinium: quam adhuc explicationem veluti conjecturam exhibet: adeò, ne incerta proferat, veretur.

Inſtitutum hoc ſanè facile, quod unico ſimul ictu innumeras difficultates præcidit; neque enim hiſtoriis nimiùm perquirendis incumbere adigitur, neque ſibi hypotheſes & conjecturas incertas producendi periculum creat. Innititur hiſtoriis, eaſque pro poſitis habet, quamvis nimiùm non perſcrutetur eventus, ut ſingulas vaticiniorum partes impletas oſtendat. Verùm, ut ſententiam meam proferam, animus hic non penitus acquieſcit, & inter ejus incertas explicationes veluti errat, & fluctuat. Apocalypſim, quemadmodum Prophetias cæteras, & ad generale & ad peculiare propoſitum ſpectare putamus. Iſaias, Jeremias, Ezechiel de Jeroſolymæ excidio, de Judæ captivitate, & a captivitate regreſſu loquuntur: Babylonem etiam, & Chaldæorum imperium evertenda commemorant. Daniel Antiochi Epiphanis adversùs Judæos perſecutiones plurimis figuris exhibuit. Neque tantùm de ſingulis his Prophetæ generatim egerunt, ſed tempus, diuturnitatem, authores, adjuncta demum ſingula figuris expreſſa recenſuerunt. Quamobrem Interpretes ſingula in Hiſtoriis perquirunt, figurarum ſenſum expromunt, prænunciatos eventus ſuâ etiam chronologiâ confirmant. Id fieri optimè poſſe intelligimus, v. g. in Daniele, apud quem res futuræ leguntur ita omni ex parte deſcriptæ, ut nihil accuratius in hiſtorico deſideres; adeò ut Danielis vaticinia poſt rerum eventus deſcripta fuiſſe cenſuerit Porphyrius. Quod ſi veterum Prophetarum ſingula vaticinia adversùs Niniven, Babylonem, & Ægyptum impleta oſtendere modò non poſſumus, in earum ætatum hiſtorias, quibus deſtituimur, eſt referendum. Hoc de Apocalypſi dici nequit. Plurima ejus vaticinia jam completa certò ſcimus; earumque ætatum, de quibus ibi ſermo, hiſtoriam optimè novimus. Cur igitur peculiares hujus hiſtoriæ eventus hujus prophetiæ figuris non accommodemus? Cur in circumſtantiis perquirendis, in conferendis figuris, & in eventibus ab Apocalypſi deſignatis, per Romanas & Eccleſiaſticas hiſtorias impletis oſtendendis non elaboremus?

Poſſe quidem nos interdum decipi, & incertas producere conjecturas, ultro fatemur. At Lector queri non debet, ſi Scriptor ſuas interpretationes modeſtè exhibens, huic vel illi prophetiæ hiſtoriam aliquam ita accommodet, ut integra tamen omnia Lectoris judicio & cenſuræ relinquat. Equidem ita cenſeo, ab Interprete Apocalypſeos illud exigi poſſe, ut periculum interdum errandi in ſe ſumat. Damnatur Interpres, ſi recuſaverit. Iniquum verò eſſet, ſi ex eo demonſtrationes, & certiſſima argumenta quærerentur. Illud ſatis ſuperque fuerit, ſi explicatio ſpeciem veri præferat, neque Prophetæ menti contrarium quidquam contineat; ſi præterea Vates de rebus ante Prophetiam peractis loquens non inducatur; vel id ab eodem prænunciatum non oſtendatur, quod non ſpectat ad generale argumentum, notis ita conſpicuis exhibitum, ut nemo decipi queat. Ita conſuevere peritiores Interpretes, qui Veteris Teſtamenti vaticiniis explicandis operam navarunt: id & nos ſequemur in Apocalypſeos interpretatione. Joannem tot adjunctis, & deſcriptionibus peculiare nihil voluiſſe deſignare, non credimus; ſi verò ea omnia aliquid ſignificant, & per hiſtorias ſunt adimplenda, cur, ut ad verbum & hiſtoricè impleta oſtendantur, non ſit elaborandum?

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De Apocalypſeos Authore, & de Canonicâ ejus authoritate.

AN Joannes Apoſtolus Apocalypſim ſcripſerit, olim dubitatum. Sunt, qui eam a Cerintho, exeuntis primi ſæculi hæretico, ut deliramentis ſuis authoritatem vindicaret, exaratam putent. Cerinthum ſuam edidiſſe Apocalypſim, certò conſtat (u); quam Baronius Joannis nomine ab eo vulgatam arbitratur. Aliam tamen fuiſſe ab Joannis Apocalypſi, perſpicuè docent fragmenta, quæ apud Patres ſuperſunt (x).

Quòd ea veræ Apocalypſi ineſſet obſcuritas, ut a Lectorum pleriſque non perciperetur, illud multùm eidem ſerviit inter Apocrypha rejiciendæ [y]. Prophetiæ antequam expleantur, obſcuriſſimæ ſunt: dum earum clavis latet, clauſæ manent & inutiles. Grotius conjecturâ ducit, idcircò etiam quibusdam ſæculis a nonnullis Eccleſiis Apocalypſim fuiſſe rejectam, quòd rarò occurreret, quòdque ab Epiſcopis cautè abdita ſervaretur, ne Imperatorum, de quibus ſubobſcurus quidem, ſed rem ſeriò inveſtigantibus perſpicuus erat in eâ ſermo, iram concitarent. Præterea, cùm Gog & Magog, Millenarii regni, primæ cujusdam reſurrectionis, & novæ Jeroſolymæ, quibus omnibus Cerinthiani & Fideles nonnulli hebraizantes abutebantur, in eâdem occurreret mentio, in Eccleſiarum Tabulariis condita, ne ab omnibus promiſcuè legeretur, cautè & conſultò ſervari conſueverat.

Hanc ſæculo ſecundo Marcion & Cerdo rejecerunt. Cajus Eccleſiæ Romanæ Presbyter (z), ut Millenariorum, qui Apocalypſeos authoritate potiſſimùm nitebantur, errorem everteret, eam non a Joanne, ſed a Cerintho editam aſſeruit. In quam ſententiam, teſte Dionyſio Alexandrino, etiam Catholici plurimi devenere. Ipſe verò Dionyſius, tertii ſæculi Scriptor [a], a viro probo & inſpirato, Joanne nomine, uti ſæpe in eâdem Apocalypſi vocatur, conſcriptam putabat; an verò a Joanne Evangeliſtâ, incertus hærebat. Libri ſtilus & Authoris ingenium a priori Joannis Evangeliſtæ Epiſtolâ, & Evangelio ipſius multum videbantur abeſſe, quòd eamdem locutionis puritatem, & verborum delectum non præferrent. Quare vel Joanni Marco, de quo in Actis Apoſtolorum, vel alteri Joanni, cujus ſepulcrum propè tumulum Joannis Evangeliſtæ Epheſi videbatur, ſatiùs adſcribendam duxit.

Quarto ſæculo Alogi, Arianorum ſurculus, de quibus apud S. Epiphanium (b), eam idcircò rejecerunt, quòd ibi Dei Filium, ut in Evangelio ab ipſis quoque rejecto, Joannes *Verbum* appellet. Præterea objiciebant, quòd Thyatiræ Eccleſiam, quæ nunquam extiterat, nominaret: quam quidem eorum ætate Manichæiſmo penitùs infectam fatemur; ſed florente Joanne Catholicam, & paulò poſt Alogos, rejectis erroribus, ad Fidem reverſam comperimus. Quinto etiam ſæculo de Apocalypſi diſceptatum. Græci, Hieronymi ætate, ut ipſe teſtatur (c), adhuc eam non exceperant; quare neque a Concilio Laodiceno (d), neque a S. Cyrillo Jeroſolymitano (e), neque a Gregorio Nazianzeno (f) in ſuis Catalogis recenſetur. Amphilochio teſte, a nonnullis excepta, a pleriſque reſpuebatur (g); Epiphanius verò (h) eam quidem amplectitur, ſed rejicientes damnare non audet.

Author quidam, S. Hieronymi nomine falsò editus, ei tamen vel omninò vel fermè coævus (i), in Provinciis, in quibus ſcribebat, nempe, uti credimus, in Palæſtinâ, Apocalypſim ſuâ ætate minimè receptam, ſed a Regionibus Occidentalibus, & a Phœniciæ & Ægypti Provinciis, veluti Canonicæ, fidem illi habitam teſtatur: quam præterea a Veteribus Eccleſiaſticis Authoribus, Irenæo, Polycarpo, Dionyſio Alexandrino, Cypriano acceptam, allegatam, & explicatam affirmat. Unanimi omnium conſenſu, canonicæ authoritatis habita eſſe videtur quinto ab hinc ſæculo usque ad poſtremarum hæreſum ætates; Calvinus enim, Lutherus, & alii eam a Canone divulſerunt.

Ante annum ccx canonicam Apocalypſeos authoritatem a nemine impugnatam, aut eam Joanni ereptam Millius defendit (k); niſi fortè id Marcion prætiterit, qui

(u) *Theodoret. hæretic. fabul. l. 2, c. 3.*

(x) *Vide* Tillemont, note 3 sur les Cerinthiens.

(y) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7, c. 25, Hiſt. Eccl.* Τινὲς μὲν τῶν πρὸ ἡμῶν ἠθέτησαν καὶ ἀνεσκεύασαν πάντη τὸ βιβλίον, καθ' ἕκαστον κεφάλαιον διευθύνοντες ἄγνωστόν τε καὶ ἀσυλλόγιστον ἀποφαίνοντες, ψεύδεσθαί τε τὴν ἐπιγραφήν, Κήρινθον δὲ τὸν τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖσαν συστησάμενον αἵρεσιν, &c.

(z) *In Diſceptatione adversùs Proclum, Cataphrygum præcip.um.*

(a) *Dionyſ. Alexand. loco citato;* Ἐγὼ δὲ ἀθετῆσαι μὲν οὐκ ἂν τολμήσαιμι τὸ βιβλίον, πολλῶν αὐτὸ διὰ σπουδῆς ἐχόντων ἀδελφῶν .... Καλεῖσθαι μὲν αὐτὸν Ἰωάννην, καὶ εἶναι τὴν γραφὴν Ἰωάννου ταύτην, οὐκ ἀντερῶ. Ἁγίου μὲν γὰρ εἶναί τινος καὶ θεοπνεύστου συναινῶ, οὐ μὴν ῥᾳδίως ἂν συνθείμην, τοῦτον εἶναι τὸν Ἀπόστολον. (b) *Epiphan. hæreſ. 51, cap. 3, pag. 423.*

(c) *Hieronym. Ep. 129 ad Dardan. Quòd ſi epiſtolam ad Hebræos Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eâdem libertate ſuſcipiunt; & tamen nos utramque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes, qui plerumque utriusque abutuntur teſtimoniis.*

(d) *Laodicen. Concil. c. 60.* (e) *Cyrill. Jeroſol. Catech. 4.*

(f) *Gregor. Nazianz. c. 34.* (g) *Amphiloch. in Catalog.*

(h) *Epiphan. hæreſ. 51, c. 32.*

(i) *In explicat. Pſal. 1, in nov. edit. S. Hieronym. p. 326.*

(k) *Mill. Proleg. in Apoc.*

omnes Novi Teſtamenti Scripturas contemptui habebat. Cajus Romanus Presbyter omnium primus, quamvis non dolo malo, dubium invexit; cum enim Millenariorum errorem impugnaret, Libri illius, ex quo præcipuum hæreticis argumentum, authoritatem rejicere e re eſſe duxit; ſeque unico impetu eorum penitùs ædificium everſurum putavit, ſi fundamentum deleret. Quamobrem Apocalypſim Cerintho adſcripſit, eo fortè deceptus, quòd hujus Hæretici Liber eodem Apocalypſeos titulo inſcriberetur.

Verùm S. Juſtinus [l], & S. Irenæus (m), Cajo vetuſtiores, Joannem Christi Apoſtolum ejus Authorem teſtantur. Tertullianus (n), S. Hippolytus (o), Origenes (p), S. Victorinus (q), Euſebius (r), S. Athanaſius [s], S. Hilarius (t), S. Baſilius (u), S. Gregorius Nyſſenus [x], S. Ambroſius (y), S. Paulinus (z), S. Epiphanius (a), S. Hieronymus (b), S. Auguſtinus (c), & alii tamquam canonicam Joannis Scripturam allegant; quæ etiam ab aliis plurimis, nempe S. Clemente Alexandrino (d), S. Cypriano (e), Firmico Materno [f], S. Macario Ægyptio (g), S. Paciano [h], & aliis tamquam Scriptura Sacra, Authoris tamen ſuppreſſo nomine, producitur. Quidam denique nihil Joannis nomini addentes, Joanni tribuunt. Hujuſmodi fuere Theophilus Antiochenus Epiſcopus, S. Clemens Alexandrinus (i), Apollonius (k), Author Tractatûs adversùs Novatianos apud S. Cyprianum, S. Methodius (l), S. Athanaſius [m], S. Phæbadius Agenni Epiſcopus (n), S. Gregorius Nazianzenus [o], Rufinus [p], Concilium Carthaginenſe tertium (q), & Innocentius I (r). Poſt tot tantaque teſtimonia, an Apocalypſis canonica ſit, an Joannes Evangeliſta ejus fuerit Author, jure ne quis dubitaret?

Ipſi Proteſtantes, ambigentibus licèt primis Sectarum Authoribus, eam ultrò recipiunt; Beza præterea ſtrenuè tuetur, & difficultatibus adverſariorum ſtudiosè reſpondet. Argumenta Dionyſii Alexandrini in dubium revocantia, num Opus Joannis ſit, facilè corruunt; ſtilus enim a cæteris Joannis Scripturis abhorret quidem, at non multùm; ea verò quæ præfertur varietas, in rerum diverſitatem eſt referenda. Sulpicius Severus (s) certam adeò ejus authoritatem ducit, ut eam rejicientes aut impios, aut ſtultos appellet: *A pleriſque aut ſtultè aut impiè non recipitur*. Joannes verbis, quæ ſibi tantummodò congruunt, ſeſe ibi exhibet (t): *Ego Joannes .... fui in inſulâ, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu*. Et alibi (u): *Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti quæcumque vidit*. Quæ quidem iis reſpondent, quæ Joannes in Evangelio ſcripſit (x): *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus*. Verba denique ibi occurrunt Joanni peculiaria, quibus Filium Dei *Agnum* (y), *Verbum* [z] appellat.

Sententiam, quæ Apocalypſim Cerintho adſcribit, refellere, ſupervacaneum ducimus, cùm hujus Hæretici errores ab eâ validiſſimè oppugnentur. *Theologi* etiam cognomen (a), quo ejus Author inſcribitur, a Joanne Apoſtolo ſcriptam oſtendit; ita enim, quòd præ cæteris ſublimiùs de Divinitate ſcripſerit, a priſcis appellari conſuevit. Vulgata Apoſtolum tantummodò inſcribit. Variant Græca Exemplaria; nonnulli etiam Apoſtolum & Evangeliſtam addunt. Apocalypſis denique doctrinæ puritate & præſtantiâ, vaticiniis de futuro Eccleſiæ ſtatu omnino expletis, omnes Divinitatis notas oſtentat. Nullum enim nobis Operis inſpirati & Divini certius argumentum, quàm futurorum expleta prædictio [b]. Nil prætereà in Apocalypſi, quod Joannis vitæ & doctrinæ adverſetur. In eâ denique Joannes ceu Eccleſiæ Aſiæ Apoſtolus & Præſul loquens inducitur [c]; ſuas de Divinitate ſententias præſtantiſſimas exhibet; & prophetiarum, atque Judaicarum conſuetudinum peritiſſimum ſe oſtendit.

ARTICULUS IV.

Quo tempore, loco, & ſermone ſcripta Apocalypſis. De ſtilo judicium.

APocalypſim in Pathmos Inſulâ ſcriptam fuiſſe, ex ipſo ejus Authore diſcimus: *Ego*, inquit, *fui in inſulâ, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu* (d). Qui eam adſcripſere Cerintho, Joannis nomine ab eodem editam

(l) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* Παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν Ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ.
(m) *Iren. lib. 5, c. 3, & apud Euſeb. l. 5, c. 8, &c.*
(n) *Tertull. Scorpiac. c. 12; contra Marcion. l. 3, c. 14; Præſcript. c. 33.*
(o) *Hippolyt. Tract. contr. Noët. Bibl. PP. tom. 15, p. 623; & de Anti-Chr. p. 48.*
(p) *Origen. hom. 7 in Joſue; & præfat. in Evang. Jo. p. 5.*
(q) *Victorin. in Apoc. Bibl. PP. t. 1, p. 576.*
(r) *Euſeb. Chron. ann. 14 Domitian.*
(s) *Athanaſ. in Synopſ.*
(t) *Hilar. l. 6 de Trinit. p. 44.*
(u) *Baſil. in Eunom. l. 2.*
(x) *Nyſſen. hom. de ordinat. ſuâ.*
(y) *Ambroſ. in Symbol. c. 27; & ep. Chromat.*
(z) *Paulin. Ep. 24.*
(a) *Epiphan. hæreſ. 51, c. 32.*
(b) *Hier. in Catalog. & in Ezech. 43.*
(c) *Auguſt. Tract. 33, & 36, in Joan.*
(d) *Clem. Alex. Pædag. l. 2, c. 10.*
(e) *Cyprian. Ep. 63.*
(f) *Firmic. Matern. contr. Idol. c. 20.*

(g) *Macar. hom. 30.* (h) *Pacian. Ep. 1, Bibl. PP. t. 3.* (i) *Clem. Alex. l. 6 Stromat.* (k) *Apoll. lib. 5, adv. Novat. c. 18.* (l) *Method. apud Phot. Cod. 234.* (m) *Athanaſ. Orat. 3 contr. Arian.* (n) *Phœbad. contr. Arian. ibid. tom. 4 Bibl. PP. p. 275.* (o) *Nazianz. orat. 32.* (p) *Rufin. Expoſit. Symbol. apud Cyprian. p. 540.* (q) *Concil. 3 Carthag. anno 397, can. 47.* (r) *Innoc. I, Ep. 3, c. 7.* (s) *Sulpit. Sever. Hiſt. l. 2.* (t) *Apoc. 1, 9.* (u) *Apoc. 1, 2.* (x) *Joann. XIX, 35.* (y) *Apoc. V, 7, &c. Confer eum Joann. 1, 29, 36.* (z) *Apoc. XIX, 13. Confer cum Jo. 1, 1; & cum 1 Joan. 1, 1; V, 7.* (a) *Titul. in editis:* Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. *Alii:* Θεολόγου καὶ Εὐαγγελιστοῦ. *Complut.* Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. (b) *Iſai. XLI, 23: Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* (c) *Hieron. in Catalog. in Joann.* (d) *Apoc. 1, 9.*

tam fortè putarunt; Cerinthum enim nunquam in Pathmos exulaſſe certò ſcimus; Veteres autem de Joannis in eâdem Inſulâ exilio vulgò omnes meminere; idque etiam S. Irenæus (e), Euſebius (f), S. Hieronymus [g], S. Victorinus (h), & alii plurimi teſtantur. Solus Epiphanius Joannis exilium Claudio, non Domitiano, imperante collocat; cui, ut oſtendimus, & Grotius adhæſit. Ligſootus, & Hammondus Grotio ſubſcribunt. Salmeron, Hentenius, & Poſſinus Apocalypſim ante Jeroſolymæ excidium conſcriptam tuentur. Vulgò tamen & Veteres, & recentiores Interpretes inter Chriſti annos xciv & xcvi exaratam ſtatuunt. Illis ſub Domitiano ſcripta eſt, his poſt ejuſdem Imperatoris interitum, cùm Joannes reſtitutus eſt. Addit Grotius, Euſebii teſtimonio aſſertum eſſe, quòd Joannes ſuam Apocalypſim Epheſi ediderit; qua de re nil prorsùs apud Euſebium. Verùm etiam S. Victorinus Petavienſis Epiſcopus ab Joanne poſt exilium editam arbitratur (i).

Scaliger (k) Apocalypſim primò Hebraicè exaratam credidit; cui quidem nemo ſubſcribit. Omnes omnino Græcè ſcriptam vel putant, vel affirmant: quod Textus ipſe ſatis oſtendit. Deus enim ibi pluries de ſe ipſo enunciat: *Ego ſum Alpha & Omega*. Id autem Hebraicè neque ſignificaret, neque perciperetur, cùm *Omega* non modò non ſit literarum Hebraicarum poſtrema, verùm etiam ad Hebraicum Alphabetum nullatenus pertineat. S. Dionyſius Alexandrinus [l] Evangelii & primæ S. Joannis Epiſtolæ ſtilum ab Apocalypſi abhorrere penitus aſſerit. Illa enim, addit, phraſium elegantiam, & ſermonis puritatem, barbariſmis, ſolœciſmis, & idiotiſmis prorſus immunem, præferunt; quippe Deus ſcientiâ & eloquentiâ Diſcipulum Dilectum inſtruxerat. Hæc verò elocutionem non omnino Græcam, quandoque etiam barbariſmis, vel ſolœciſmis vitiatam exhibet. Se demum ab exemplis eâ de re producendis ob reverentiam abſtinere concludit, cujus præterea idcirco tantùm ſe meminiſſe teſtatur, ut & ſtudiosè rem ſe perpendiſſe, & ſtili varietatem competiſſe palàm omnibus faciat.

Si ſtili diverſitas Opus aliquod ab Authore aliquo certò abjudicaret, Apocalypſis Joanni utique adſcribenda non eſſet. Plurima verò, ætas nempe, temporum circumſtantiæ, animi comparatio, res, de qua agitur, ad ſtili varietatem quammaximè conferunt. Tria Salomonis Opuſcula, ſingula peculiarem præferunt elocutionem: gravem & ſententiis refertam Proverbia; fortem & argumentis evincentem Eccleſiaſtes; ſuavem, accuratam, vividam Cantica Canticorum. Præterea in Pathmos Inſulâ (ibi enim cum Patrum plerisque, & fermè omnibus, Apocalypſim a Joanne editam ducimus) eadem, quæ Epheſi, præſto ei non erant auxilia, quibus per Viros peritiores & ſtilum expoliret, & opus caſtigaret.

Apocalypſeos artificium atque venuſtas Doctiſſimis plurimis in admiratione fuere. S. Hieronymi laudes ſupra jam recitavimus. S. Dionyſius Alexandrinus Opus, quantùm ad rem ipſam, plurimùm commendat. Henricus Morus (m) tanti Apocalypſim facit, ut ejus artificium & venuſtatem omnibus præferat: *Nullus unquam Liber majori cum artificio ſcriptus eſt, unoquoque verbo velut in bilance penſitato*. Dupinius [n] hujus voluminis ſingula verbis ampliſſimis effert, ſublimem & propheticum ſtilum, narrationes omnes & deſcriptiones præclaras, magnificas, & phraſibus propheticis expreſſas. Maximo, ſubdit, artificio elaboratum eſt; Veteris Teſtamenti figuras ſibi egregiè accommodatas exhibet; Veterum Prophetarum phraſes ad rem ſummoperè uſurpat. Cœlum & terra viſionibus ſingulis theatrum; Dominus verò, Agnus, Angeli, inferorum Poteſtates, mundi Reges, Idololatria in ſcenam inducuntur, & ſingula ad vivum perſonam agunt ſuam, ut Lectorum animi iis tamquam vi quadam moveantur. Narrationes demum, ſimplici licèt & naturali modo expoſitæ, ſublimitatem; phraſes verò undique magnificentiam referunt. Si quid obſcurum, non ad verba, ſed ad res referendum.

Si hujus præſtantiſſimi Viri judicio noſtram ſententiam nobis liceat adjungere, cùm Apocalypſim ſuſcepimus explicandam, nullo erga illam amore ferebamur; eam enim tamquam ænigma humanâ inquiſitione, niſi divina opitularetur revelatio, nunquam ſolvendum reputabamus; omneſque Interpretes nobis veluti homines effingebamus, qui tenebris undique offuſi, quò forte feruntur, incedunt. Re verò ſtudioſè perſpectâ, eam operis venuſtatem tandem agnovimus, ut cum elegantiſſimis Danielis, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis locis jure merito poſſit comparari: nil profectò nobis occurrit, quod noſtram in ſe non converterit admirationem. Sive ordinem, & rerum delectum; ſive lumen in obſcura quædam loca opportunè effuſum, & eventus ingenuis nobilibuſque figuris mirificè contectos; ſive ſexcentis propemodum in locis ea quæ micant in Prophetis & in Templi ritibus ſingularia magnificis alluſionibus expreſſa; ſive denique pulcherrimas deſcriptiones ad timorem unà & reverentiam in Lectorum animis concitandam idoneas advertamus, omnia magnificentiam referunt & venuſtatem. Divina ibi Majeſtas, infinita ejus Potentia, & in Reges, Im-

(e) *Iren. l. 5, c. 30.*
(f) *Euſeb. in Chronic. ad ann. 14 Domitian.*
(g) *Hieron. in Catalog.*
(h) *Victor. in Apocal.*
(i) *Victor. Petav. in Apocal. p. 579, D.*
(k) *Scaligeriana.*
(l) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 7, c. 25:* Πολλῷ γε δεῖ βάρβαρόν τινα φθόγγον ἢ σολοικισμὸν, ὅλως ἰδιωτισμὸν ἐν αὐτοῖς εὑρεθῆναι . . . τὴν Ἀποκάλυψιν δὲ διάλεκτον καὶ γλῶσσαν οὐκ ἀκριβῶς ἑλληνίζουσαν αὐτῷ βλέπω. Ἀλλ' ἰδιώμασι μὲν βαρβαρικοῖς χρώμενον, καί που καὶ σολοικίζοντα, &c.
(m) *Henric. Morus, Viſion. Apoc. l. 5, c. 15, in Synopſi, p. 1661.*
(n) *Du Pin. Apocalypſ. pag. 254.*

peria, Orbemque univerſum dominium ſupremum vividis coloribus exhibentur. Narrationes graves, vividæ, variæ, & inguniosæ. Vividiorem hac poſſim nunquam agnovimus; nil enim irritum, nihil otioſe poſitum offendimus; eorumque, ad quæ Apocalypſis reſpicit, veſtigia ita dilucidè perſpicimus, ut hiſtoriam figuratè contextam, ſeu poëticis ornamentis inſtructam perlegere videamur.

ARTICULUS V.

Apocalypſeos argumentum & conſpectus.

TRes in partes Apocalypſis dividi poteſt. Priora tria capita ad ſeptem Aſiæ Eccleſias reſpiciunt, quibus excolendis Joannes potiſſimùm ſtuduit, quibusque vel ex Inſulâ Pathmos, ubi exulabat, gubernandis incubuit. Sexdecim conſequentia capita calamitates & bella, quibus a ſuis perſecutoribus Eccleſia exagitata eſt; victorias, quas de illis retulit; ultionem denique, quam de hoſtibus propter cæſos Martyres Deus exegit, complectuntur. Tria demum poſtrema ad Filii Dei triumphum pertinent; quibus etiam Beatorum Martyrum felicitas, Judicium ſupremum, mortuorum reſurrectio, Juſtorumque in Cœlis æterna voluptas deſcribuntur.

Tribus primis capitibus propheticam ad Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardium, Philadelphiæ, & Laodiceæ Eccleſias inſtructionem contineri, vulgò convenit; quamquam plures Interpretes in iiſdem myſteria inveſtigant, & monita ad ſeptem Eccleſias directa, ad futuros etiam eventus, & ad totam Eccleſiam pertinere ruentur. Tria verò poſtrema ad Mundi interitum, & ad Beatorum in cœlis felicitatem, nullum eſt omnino diſcrimen. Tota igitur interpretationis difficultas ſecundam hujus diviſionis partem afficit; & in eo ſita eſt, ut non modò generatim (hac enim ratione vix inter Authores diſſidium) verùm etiam peculiariter Joannis vaticinia hiſtoriis completa eſſe oſtendantur, ab anno 303, quo maxima Diocletiani & Galerii cœpta eſt perſecutio, usque ad annum 410, quo Romam Alaricus expugnavit. Hujus perſecutionis veluti prældia habendæ ſunt cæteræ, quas Judæi, Præfecti, Imperatores Romani, & Idololatræ cæteri in Eccleſiam concitarunt.

Quartum caput vices Præfationis gerit, qua Dei Majeſtas, & veluti ſcena, ubi hæc acta eſt viſio, deſcribitur. Dei decreta atque conſilia a Jeſu Chriſto Joanni revelata, per Librum ſeptem ſignatum ſigillis, & ab Agno reſignatum, quinto capite exhibentur. Dum ſigilla ſingula (cap. VI, & VII,) aperiuntur, eventus ſingulis conſecti panduntur, ſed potiùs quæ deinde eventura ſunt, prænunciantur. Primo reſignato ſigillo, Jeſus Chriſtus albo equo inſidens ſeſe victorem exhibet, ut famu-
(o) Joann. XVI, 33. lis ſuis addat alacritatem; *Confidite: ego vici mundum* (o), Secundo bellum, quo Eccleſia vexanda eſt; tertio fames, qua premendum eſt Imperium; quarto peſtis, ſeu hominum ſtrages prædicuntur. Quinto SS. Martyres ultionem expetunt. Sexto concutitur tellus, tenebris Sol, Luna ſanguine offunditur, cadunt ſidera, &c. quæ omnia calamitates referunt, quibus Roma, Romanum Imperium, & Eccleſiæ perſecutores obruti, propter immanes Fidelium cædes, corripientur. En totius Apocalypſeos generale argumentum. Singula verò conſequentibus capitibus peculiariùs oſtenduntur. Hactenus eorum, quæ ventura ſunt, veluti contracta tabula viſa eſt, atque adumbratio; eadem deinde fuſiùs, atque ampliora exhibentur; Prophetia enim gradatim clareſcit; & quò ulteriùs progredimur, eò majori Spiritûs Sancti luce perfundimur.

Cap. VII, ad magnum aliquid aſpiciendum erigimur, quatuor Angelis exhibitis, qui ventis ſingulis dominantes, ventorum Divinorumque flagellorum impetum cohibere jubentur, donec Dei ſignum in omnium Electorum frontibus imprimatur; ſtatimque eodem Dei ſigillo innumeri notantur. Angelus deinde (cap. VIII) ſigillum ſeptimum reſignat; quo aperto, ſeptem Angeli totidem videntur tubis inſtructi. Primâ clangente tubâ, tertia terræ pars exuritur. Ignis bellum deſignat. Clangit tuba ſecunda, & mons in mare dejicitur. Judæorum ſub Trajano & Adriano a Romanis deficientium ſupremum excidium, per montem in mare dejectum exhiberi putamus. Tertia clangit tuba, & ſidus e cœlo cadit, & veneno flumina inficiuntur. Quo fortè ſidere falſus Sideris filius Barchochebas exprimitur, qui Judæos adversùs Romanos concitavit; quæ defectio Romanis quidem noxia, ſed Judæis exitialis fuit.

Quartâ clangente tubâ, Sol & Luna tertiam ſuæ lucis partem amittunt; quibus vel primæ hæreſes, quæ Eccleſiam teterrimè obumbrarunt, vel Judæorum infortunia, vel Romani Imperii calamitates deſignantur. Poſt hæc, auditur Aquila, quæ gravioribus malis terram obruendam eſſe, ubi quatuor reliqui Angeli ſonitum edant, voce magnâ minitatur. Clangit tuba quinta (cap. IX,) ſtatimque ſtella e cœlo delapſa, oſtium abyſſi recludit; unde innumeræ locuſtæ egreſſæ, omnem prorſus

ſus

Digitized by Google

ſus terram populantur. Barbari, qui, poſt Conſtantini ejusque filiorum obitum, Romanum invaſerunt Imperium, his locuſtis referuntur; quorum quidem populorum ingenium per earumdem locuſtarum figuram optimè exhibetur. Prophetæ ad Dei Majeſtatem efferendam tropicos ſermones ſæpiſſimè uſurpant. *Sibilabit Dominus muſcæ*, inquit Iſaias [p], *quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur; & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, &c.* quibus utique verbis Ægyptias, & Aſsyrias acies deſignavit.

(p) Iſai. vii, 18.

Clangit ſextus Angelus, & ſtatim voce ex aureo Altari egreſſâ juſſus, ſolvit quatuor Angelos, qui utrique Imperio Parthorum & Romanorum præſidio erant. His utriusque Imperii exercitus referuntur; quorum pacem ab anno 320 usque ad 337, utrinque mutuò habitam Sapores diremit. Conſtantinus, antequam bellum adoriretur, interiit; cujus deinde impetus repulit Conſtantius, quin ullâ unquam gravi clade afficeretur. Verùm Julianus interemptus occubuit, ejusque exercitus propè fuit, ut ab hujusmodi Imperatoris imprudentiâ ac temeritate ad ſupremum exitium perduceretur. Antequam tuba ſeptima clangat, ſeſe Angelus exhibet [Cap. x,] qui manibus libellum præferens, Joanni tradit vorandum. Quo Dei de ſuâ Eccleſiâ conſilia Joanni revelata oſtenduntur.

Tum ipſe Joannes juſſus eſt [cap. xi.] Templum metiri, præter atrium exterius, & Civitatem Jeroſolymam, quòd hæc menſibus XLII, ſeu diebus mille ducentis ſexaginta, ſeu annis tribus cum dimidio, a Gentibus eſſent proterenda. Hic Diocletiani exhibita perſecutio. Tum ſanè Chriſti Eccleſia, ejusque Templum, quod ad exteriora attinet, Ethnicorum poteſtati tradita videbantur. Hi enim Eccleſiis everſis, Fidelibus oppreſſis, eorumque plurimis, quòd infirmi eſſent vel temerarii, ad Apoſtaſiam perductis, innumeros etiam peremêre martyrio; quos Martyres duo Teſtes deſignant, qui, poſtquam plurima præſtitere prodigia, a Chriſti hoſtibus interfecti occubuerunt. Hanc procellam conſequuta eſt tranquillitas. Conſtantinus Imperium in ſui ditionem prorsùs redegit; Eccleſiæ pax reſtituta eſt; Martyres demùm & Cœlum & tellus meritis honoribus cumularunt. Verùm ut eâ tranquillitate Eccleſia potiretur, plurima bella, per terræmotus decimam Urbis partem evertentes in Apocalypſi deſignata, Conſtantino & obeunda & ſuſcipienda fuere.

Quæ Capitibus x, & xi, quorum modò epitomen recenſuimus, referuntur, illud tantummodo præſtant, ut majori perfundantur lumine ea quæ ſubobſcurè per ſex Angelos clangentes deſignata fuerant. Ex utroque hoc capite harum prædictionum ſolutiones haurimus, & cur tot calamitates Imperium obruerint, clariùs percipimus. Septimus tandem Angelus (cap. xi,) clangorem edit, lætaque vox ſonat, qua Dei Filius victoriam & Regnum conſequutus denunciatur. Hæc pax Eccleſiæ per Conſtantinum.

Eccleſiæ perſecutiones, quas ſeptem ſigillorum, totidemque tubarum figuræ ſignificaverant, conſequentibus capitibus exhibentur expreſſiùs. Per mulierem Sole amictam [cap. xii,] partui proximam, quam unà cum filio Draco ſepticeps vorare conatur, Jeſu Chriſti Eccleſia præfertur. Septem Draconis capita ſeptem Imperatores Eccleſiæ perſecutores oſtendunt, videlicet Diocletianum, Maximianum, Herculem Galerium, Maximinum, Severum, Maxentium, & Licinium. Eccleſia perſecutionibus invictis feliciſſimè enititur: ut verò a furentium hoſtium impetu ſeſe ſubducat, in deſertum aliquandiù perfugit, & ab inſequentis Draconis conatibus evadit incolumis.

Ut vividiùs adhuc tum Joannis menti, cùm Lectorum animis res eadem exhibeatur, beſtia ſepticeps e mari egrediens, in quam Draco omnes ſuas vires confert, capite xiii, inducitur. Beſtia Romam, ſeu Romanum Imperium exprimit. Ex capitibus ſeptem, quinque ſtatim corruunt, quòd Diocletianus, Maximianus, Galerius, Severus, Maxentius non diu imperarint. Maximinus verò malis plurimis Eccleſiam in Oriente confecit. Sexto hoc deleto capite, ſeptimum aſſurgit, quod brevi evertitur, nempe Licinius. Egreditur tandem octavum, nempe Apoſtata Julianus, qui eodem hoc capite xiii, per beſtiæ duobus cornibus Agni ſimillimis inſtructæ ſpeciem exhibetur. Ea omnia, quibus veluti coloribus Julianus ab Joanne deſcribitur, per hiſtoriam mirificè implentur. Hoc xiii caput cum xvii, quo fuſiùs illud explicatur, conferendum.

Jeſu Chriſti & Martyrum victoria, æterni Evangelii per orbem univerſum confirmatio, & de Româ infideli ultio exacta, meſſis & vindemiæ ſpecie expreſſa, Capite xiv oſtenduntur. Septem Angeli totidem phialas [cap. xv,] irâ Dei plenas in Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ hoſtes effundunt (cap. xvi.) His fortè innuuntur calamitates, quæ, poſt Conſtantini ejusque filiorum obitum, Imperium obruerunt. Hæc luculentiùs in Commentario videnda. Cap. xvii, magnam inducit meretricem, Romam terræ Dominam, ſeptem montibus inſidentem, & Martyrum ſanguine perfuſam,

ſam, quæ myſticè Babylon appellatur, quæque proſtitutionis ſuæ mero populos omnes inebriat; quibus omnibus Romanum Imperium, ſeu Roma perſpicuè deſignatur; ſingula enim hæc nonniſi Romæ infideli, tamquam Romani Imperii Metropoli, congruunt. Hæc magna meretrix ſepticipiti beſtiæ inſidet. Beſtia interficitur, ejuſque ſeptem capita ſeptem Imperatores Eccleſiæ perſecutores, octavum verò Julianum Apoſtatam, exhibentia, evertuntur. His decem cornua ſuccedunt, nempe Barbarorum Reges, qui in Romano Imperio ſedibus conſtitutis, Romanæ Religionis ritibus, atque moribus adhærere decreverant. Hi primùm in Eccleſiam & Agnum arma ſua verterunt; demùm verò profligati, ſe Fidei dedêre, & ei, quem inſequuti fuerant, cultum venerationemque exhibuere.

Caput XVIII bellorum omnium, omniumque minarum, quas hactenus vidimus, veluti concluſio eſt, Babylon evertitur; Domini populus incolumis egreditur; nationes, & longinqui Reges ejus excidium deflent; execrantur alii, ejusque infortunlis inſultant, Alaricus, Româ captâ, Sanctos & Martyres ulciſcitur. Chriſti de hoſtibus victoriâ; de Româ Romaniſque Imperatoribus ultio; Agni denique Nuptiæ, & Sanctorum, qui ad has nuptias vocantur, felicitas confuſè capite XIX deſcribuntur.

Tria reliqua Capita XX, XXI, XXII, ad alteram vitam, & ad mundi exitum, reſpiciunt. Idololatriæ Imperio everſo, Martyrum ſanguine vindicato, ab Angelo Draco ſeu Diabolus catenâ devinctus in abyſſum ad mille annos detruditur; quibus peractis, iterum ſolutus, Gog & Magog adversùs Chriſtum & Eccleſiam concitat; utrumque verò ignis e cœlo delapſus abſumit. Hæc ſub mundi exitum Anti-Chriſti adventum referunt. Demum ſupremus Judex coram ſe omnes homines ſiſtet, quorum alios, ut ſingulorum opera poſtulabunt, præmio, alios ſupplicio mancipabit.

Cœlis terriſque (cap. XXI,) renovatis, Chriſti Sponſa, nova Jeroſolyma, Catholica Eccleſia de Cœlo ad Sponſum advenit; nuptiæ celebrantur. Hac novâ Sponsâ ditius nihil aut venuſtius, Electi omnes convivio interſunt. Urbem mediam [cap. XXII,] deliciarum fluvius interſecat, & ſecùs fluvium plurimæ, quæ immortalitatem afferunt, arbores aſſurgunt. Per has magnificas ſpecies, poſt generalem reſurrectionem, æterna Beatorum in Cœlis voluptas exhibetur. Hæc totius Libri diſtributio.

ARTICULUS VI.

Apocalypſes apocryphæ Apoſtolis Joanni, Petro, Paulo, Thomæ, Stephano, &c. falsò adſcriptæ.

IMpoſtores, qui Epiſtolas, Acta, & falſa Evangelia Apoſtolorum nomine ſuppoſuerunt, iisdem & revelationes, ſeu Apocalypſes falſas adſcripſere. Extat in Vindobonenſi Bibliothecâ [q] Codex Græcus manuſcriptus, qui ita inſcribitur: *Apocalypſis Joannis Theologi, de Anti-Chriſto. Poſt Aſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cùm eſſem ſolus, ego Joannes, in monte Tabor, &c.* Hunc verò Librum Veterum nemo cognovit; quapropter nihili habendus.

Falſa Petri Apocalypſis celebrior eſt, atque vetuſtior; ejus enim apud Theodotum ſecundi Sæculi Scriptorem (r), apud S. Clementem Alexandrinum [s], Euſebium (t), Hieronymum (u), & alios Veteres mentio. In Palæſtinæ Eccleſiis hæc, teſte Sozomeno [x], ſingulis annis Paraſceves die legi conſueverat; qua prætereà die omnes Paſſionis Dominicæ obſequio cibis abſtinebant. Apud Ægyptios hunc Librum adhuc venerationi haberi, & in Eccleſiis legi ferunt [y], id quod prorsùs incertum eſt. Jacobus a Vitriaco, ſæculi XIII ſcriptor, Petri quamdam Apocalypſim allegat, quæ ita inſcribitur: *Revelationes Beati Apoſtoli Petri, a Clemente ejus Diſcipulo in volumen digeſtæ;* ubi ille de Agarenorum, ſeu Turcarum legis everſione, & de proximo Paganiſmi excidio Petrum agere teſtatur. Eâ, quam Veteres allegant, hanc Apocalypſim recentiorem putamus; quare minor etiam eidem fides.

Paulus (z) usque ad tertium Cœlum, ſeu in Paradiſum ſe raptum, & mira, quæ ab homine proferri nequeunt, ſe vidiſſe fatetur. Hujus occaſione raptûs, Cainitæ (a) nefarium contexuere Librum, quem, *Pauli Anabaticum* appellatum, Paulo adſcripſere. Eo Gnoſtici etiam utebantur.

S. Auguſtinus (b) cujusdam Pauli Apocalypſeos fabellis refertæ meminit, qua ineffabilia Pauli recitari dicuntur. Sozomeno teſte (c), quamdam Pauli Apocalypſim quinti ſæculi Monachi magni faciebant, quam arcâ marmoreâ conditam Tharſi Ciliciæ in ædibus Pauli, Theodoſio I imperante, inventam oſtentabant. Quamobrem Sozomenus, veritatis indagandæ cupidus, optimum quemdam Senem Tharſenſis Eccleſiæ Presbyterum conſuluit; a quo hujusmodi quicquam apud ipſos non acci-

diſſe,

(q) *Apud Lambec. Cod. 119, fol. 108, 115.*
(r) *Vide Grab. Spicileg. tom. I, pag. 74*
(s) *Vide Euſeb. lib. 6, c. 14.*
(t) *Vide Euſeb. l. 3 hiſt. c. 3.*
(u) *Hieron. Catalog. Scriptor. Eccleſ. de S. Petro.*
(x) *Sozomen. l. V, c. 19. Vide & Nicephor. l. 12, c. 34.*
(y) *Prateolus Elench. hæreſ. pag. 138; Petr. de Luxemburg. Catalog. hæreſ. l. 2.*
(z) *2 Cor. XII, 2, &c.*
(a) *Epiph. hæreſ. 38, c. 2, p. 277.*
(b) *Auguſt. in Joan. hom. 98.*
(c) *Sozom. l. 7, c. 19.*

diſſe, & fortè id eſſe hæreticorum commentum, accepit. Eam prætereà Veteribus prorſus incognitam aſſerit. Quamobrem alia eſt ab Aſcenſione, ſeu Apocalypſi Pauli, cujus apud Epiphanium & Auguſtinum mentio. Et profectò credi facilè non poteſt, quòd Monachi Sozomeno coævi tanti eam facerent, ſi tot, quot hi Patres teſtantur, fabellis redundabat.

Oxonii in Bibliothecâ Mertonianâ Manuſcriptum, *Pauli revelationem* inſcriptum, Grabeus invénit (*d*), quo ea, quæ per triduum, poſtquam reſipuit, Apoſtolus viderat, referuntur: quo triduo Michaël Inferni & Purgatorii pœnas Paulo videndas exhibuit; Paulus verò iis animabus a Deo veniam obtinuit, quæ deinceps qualibet die Dominicâ in Purgatorio excruciandæ reperirentur; quod utique unum deliramentum libri novitatem ac falſitatem comprobat.

Cerinthus, primi ſæculi hæreticus nequiſſimus, ſuam edidit Apocalypſim (*e*); qua ipſi, tamquam Apoſtolo præſtantiſſimo, ſublimia plurima ab Angelo revelata oſtentat. Poſt reſurrectionem terreſtre Jeſu Chriſti Regnum Jeroſolymis conſtituendum præſertim aſſerit; quo in Regno ad annos mille inter ſenſuum voluptates protrahendo, homines, quemadmodum nos in præſenti, vitiis & concupiſcentiis iterum ſubjicientur. Hinc fortè factum eſt, ut Veteres nonnulli (*f*) veram Joannis Apocalypſim Cerintho tribuerint; utque alii, an Joannis verè eſſet, dubitarint (*g*). Inde etiam de canonicâ ejus authoritate dubium invectum eſt, quòd millenario Regno per eamdem exhibito Hæretici abuterentur. Quædam demum ſimilitudinis ſpecies, quam eo de millenario vera Apocalypſis cum falsâ præfert, in causâ fuit, ut vererentur plurimi, ne utramque confunderent, & Cerinthi commentum, tamquam Joannis revelationes, exciperent.

Anno 1595, novam quamdam Apocalypſim plumbeis laminis inſculptam, ab iis, quas hactenus retulimus, prorſus aliam, Granati in Hiſpaniâ repertam ferunt. Hiſpani quidam Authores Cæcilio Jacobi Majoris Diſcipulo, quem Hiſpaniarum Apoſtolum vocant, eamdem adſcribunt (*h*). Cæcilius, ſecundo Neronis anno martyrio abſumptus, eam, inquiunt, Hiſpanicè vertit, & commentariis auxit. Plura de Mahometi Imperio, & de ejus ſectatorum cladibus, quibus obruenda erat Hiſpania, ibi occurrunt vaticinia. Qui verò Cæcilius, tanto antea quàm Hiſpanicus ſermo inſtitueretur, Hiſpanicè ſcripſerit? Quòd, inquit Franciſcus Bivarius (*i*), novi, exteri, & adhuc occulti ſermonis donum divinitus acceperit; ſeu quòd, juxta Gregorium Lopez (*k*), Chriſti & Apoſtolorum ætate Hiſpanus ſermo uſu jam valuiſſet, qui deinceps plurimis Arabum verbis mixtus deſiit. Verùm hæc ab ipſis Hiſpanorum ſapientibus rejecta, & a Summis Pontificibus damnata deliramenta prætereamus (*l*).

Utramque Apocalypſim, quarum alteram Thomæ Apoſtolo, alteram Stephano Protomartyri tribuunt, Gelaſii Decretum rejicit. Hanc poſtremam Manichæi, ut Serapion teſtis eſt, tanti habebant, ut femori inſcriptam gererent (*m*); quamquam id in editis Scriptoris hujus Exemplaribus non occurrit (*n*).

COM-

(d) *Grabe, Spicileg. Patr. tom. 1, pag. 85, ex Bibliotb. Merton. Cod. 13, n. 2, fol. 77.*

(e) *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3, c. 28, ex Cajo Rom. Eccleſ. Presbyt.* Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος δι᾽ Ἀποκαλύψεων ὡς ὑπ᾽ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν, ὡς δι᾽ Ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας, ψευδόμενος ἐπεισάγει. *Theodoret. hæret. Fab. l. 2, c. 3:* Οὗτος ἀποκαλύψεις τινὰς, ὡς αὐτὸς θεασάμενος, ἐπλάσατο.

(f) *Vide Philaſtr. hæreſ. 69; & Epiphan. hæreſ. 50. Quidam apud Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7, c. 25.*

(g) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 3, c. 39; alii.*

(h) *Vide Bivarium, Michaël. de Luna, Bern. de Aldrede, &c. apud Fabric. tom. 2 de Apocryph. p. 963.*

(i) *Bivarius Ciſtercienſ. Monach. Comment. in pſeudo Dextri Chroniſ. ann. 54, pag. 120.*

(k) *Gregor. Lopez, Apolog. pro verâ Sancti Montis Granat. antiquitate.*

(l) *Vide apud Belland. tom. 1 Februar. p. 10, & tom. 7 Maji, pag. 285.*

(m) *Apud Sixt. Senenſ. l. 2, ex Serapionis Opere contr. Manich.*

(n) *Imò neque apud Sixtum Senenſem. Vid. loc. cit.*

COMMENTARIUS LITERALIS IN APOCALYPSIM B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT PRIMUM.

Apocalypſis ipſo Jeſu Chriſti ore dictata, ex Inſulâ Patmos ad ſeptem Aſiæ Eccleſias mittitur: quarum figura candelabro aureo ſepticipiti exprimitur. Earum Epiſcopi deſignantur ſeptem ſtellis, quas Chriſtus manu tenet.

℣. 1. Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri citò: & ſignificavit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.

℣. 2. Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, quæcumque vidit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus. Apocalypſis Græcè eſt *revelatio*. In Evangeliorum Codice res a Chriſto mortalem vitam agente geſtæ continentur; in Apocalypſi diſcimus ea, quæ ipſe in Eccleſiâ poſt Aſcenſionem in Cœlum præſtat. Deſcribunt Evangeliſtæ regni, quod Chriſtus in terris inſtituturus venerat, exordia. Quæ mala in novo regno toleranda ex Paganorum odiis fuerunt, & quæ de illis victoria relata eſt, in Apocalypſi continentur: unàque pariter exhibetur Imperii hujus in exitu mundi & ante ſupremam Judicii diem finis. Solemne eſt Prophetis oracula ſua his vel ſimilibus verbis exordiri: *Verba Jeremiæ filii Helciæ; Viſio Iſaiæ filii Amos*, &c. ſeu: *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem, ad Jonam, ad Joël.* At hîc Chriſtus ipſe videndum ſeſe Joanni exhibet, eumque alloquitur; ut Joannes vaticinii hujus ab ipſo Jeſu dictati non Author, ſed tantummodò amanuenſis habendus ſit.

Revelationem hanc a Patre Filius accepit: *Quam dedit illi Deus.* Accepit autem non ut Deus, cùm Dei omnia ſint & nihil illum lateat; ſed ut homo, qui omnia ex Deo norat, omnique gratiarum genere cumulatus fuit jam tunc, cùm Verbum hypoſtaticâ unione cum hominis naturâ copulatum eſt. Ait autem, Vaticinium a Chriſto acceptum, quo tempore ipſe Apoſtolo illud aperuit, cùm ante id tempus ignotum fuerit & occultum; &, quod ad nos attinet, perinde ſe geſſerit Filius, quaſi nonniſi hoc tempore id exceperit & revelaverit.

Palam facere servis suis quæ oportet fieri cito. Vaticinium hoc ad Chriſtianos & Dei Servos ſpectat, eorumque in commodum & ſolatium; continet enim ea, quæ brevi erant eventura. Itaque & qui hæc de Judæorum exitio & diſperſione ſub Veſpaſiano, & qui de iis quæ in exitu mundi & ante ſupremam Judicii diem metuenda ſunt, interpretantur, germanam Apoſtoli mentem non pervaſerunt. Agit enim de iis, quæ ad Dei Servos, quos alloquitur, pertinebant; de iis, quorum eventus non longè aberat (*a*). Quæ de exitu mundi prænunciata ſunt, hæc notis adeò perſpicuis exprimuntur, ut a reliquo Vaticinii contextu optimè diſtinguantur, uti ad Capita xx, xxi, xxii animadvertemus.

Significavit, mittens per Angelum suum servo suo Joanni. Hinc diſce, quoties legis, Chriſtum Joanni per viſum apparuiſſe, id eſſe explicandum de Angelo, Chriſti nomine Apoſtolum allocuto (*b*); quemadmodum qui cum Moyſe agebat Angelus Domini, perſonam ſibi nomenque Dei adſciſcebat. Chriſtus propriè eſt Propheta, operiſque hujus Author; Angelus verò miniſter, juſſionum ejus delator, & veluti Legatus; Joannes ſervus ab Epiſtolis, & depoſiti cuſtos.

℣. 2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei,

(a) *Vide infrà*, ℣. 3. & xxii, 10.
(b) *Grot. Cornel. Boſſuet, Du Pin.*

℣. 3. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ hujus: & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt.

℣. 4. Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ. Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt; & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt;

COMMENTARIUS.

Dei, et testimonium Jesu Christi quæcumque vidit (c). Nihil, quod non certò noverim, aſſero; comperta loquor; teſtorque ea quæ novi, quæ mihi Deus aperuit, quæque exponendæ ſuo nomine mortalibus mihi commiſit. His ſe potiſſimùm notis Joannes deſcribit: *Quod vidimus*, ait ille in priori Epiſtolâ (d), *oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Et alibi (e): *Qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus*. Nondum ille Evangelium ſcripſerat; ſed illud in pluribus Aſiæ Urbibus prædicaverat, & clarum ſe æquitate & ſinceritate præbuerat. Mendacii notam timebat nullam, aſſerens vera ſe & certa teſtari, nihilque non certum, ſive in Apocalypſi ſcribendâ, ſive pro concione loquendo, promere.

℣. 3. Beatus qui legit, et audit (f) verba Prophetiæ hujus. Nolite hæc oſcitanter audire, tamquam a vobis aliena, tamquam oraculum de re longinquâ, & a vobis remotâ: nuncio enim res graviſſimas, imminentes, quæ ad Regnum Jeſu Chriſti & Statum Eccleſiæ pertinent, quæ duo vobis pluris quàm vita, honor, & res quælibet maximè neceſſariæ, ſunt æſtimanda. Itaque ſi in manus veſtras volumen iſtud inciderit, ne illud abjeceritis, ſed legite attentè, cum reverentiâ & timore, tamquam ipſius Jeſu Chriſti verba. Felices, ſi arcanum eorum ſenſum aſſequimini! ut aſſequamini orate, & quæ minimè pervaſeritis, humiles veneramini.

Et servat ea, quæ in ea scripta sunt; qui fideli memoriæ commiſſa cuſtodierit (g), qui iis lectis profecerit, qui meditatione & ſtudio illa expenderit, crediderit, ſeque illis ſubdiderit; denique qui ea, quæ formandis moribus valent, in ſuum uſum pertraxerit; puta, monita ad ſeptem Eccleſias data, quæque adversùs Idolorum ſuperſtitionem ibidem afferuntur.

Tempus enim prope est. Prophetæ olim nunquam fermè niſi remota prænunciabant. Noviſſimis diebus, noviſſimo tempore hæc vel illa contingent, inquiebant illi. *Viſionem ſigna*, ait Dominus ad Danielem (h), *quia poſt multos dies erit*. Hìc autem res planè aliter ſe habet; tempus imminet, veſtra res eſt, non aliena; fiet brevi, ut initium ſaltem eorum, quæ prænuncio, aſpiciatis. Aptiſſimum id erat, & urgentiſſimum ad attentionem eorum extorquendam.

℣. 4. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Septem iſtæ Eccleſiæ ſunt, Epheſus, Smyrna, Pergamum, Thiatyra, Sardis, Philadelphia, & Laodicea (i), quæ omnes in Aſiâ minori, ſive in Provinciâ Proconſulari Aſiæ continebantur. Aliæ utique plures Eccleſiæ in his Provinciis erant, ſcriptumque a Joanne volumen omnes terrarum Orbis Eccleſias reſpiciebat; cùm verò ea, quæ in ipſo libri limine Jeſu Chriſti nomine monita exhibentur, ad ſeptem illas Eccleſias directa ſint, illarum tantummodo nomina hìc exprimit. Reliquæ Eccleſiæ ſive his non indigebant, ſive peculiari Apoſtoli hujus curæ non ſubdebantur. Ut enim in Præfatione animadvertimus, ex Inſulâ Patmos, ubi exul degebat, Aſiæ Eccleſias ſibi commodas, & quibus facilè Epiſcopos dederat, gubernabat.

Pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est; ſeu potiùs ab eo, qui æterno ab ævo exiſtit, præſens, præteritum, futurum continente (k). His verbis exprimere voluit Apoſtolus vim Hebraicæ illius locutionis, qua Angelus ad deſignandum Dei nomen uſus eſt in Exodo (l): *Ego ſum, qui ſum*; ſeu potiùs, ex Hebræo: *Ego ero qui ero*; &: *Qui eſt, miſit me ad vos*. Nomen *Jehovah*, quæ propria & incommunicabilis Dei appellatio eſt, tria tempora, præſens, præteritum, & futurum, complectitur: Dei æternitatem immobilitatemque exprimit. In Deo propriè nihil præteritum, nihil futurum, totum eſt præſens. Sed noſtræ mentis vitio fit, ut tria illi tempora ad excludendam varietatem omnem, ſucceſſionem & inconſtantiam, tribuamus. Capite xii, 1, quæ hìc Patri accommodat, in Jeſum Chriſtum Joannes transfert.

Et a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. Scriptoribus Veteris teſtamenti ſolemne eſt, Dei ſolio circumfuſam Spirituum Beatorum turbam exhibere (m); inter cæteros verò ſeptem eminent (n), qui Archangeli ſeu in miniſterio Domini Principes non injuriâ appellantur. Deſumpta ſunt hæc ex aulâ Regum Perſidis (o), qui magnificentiâ & opibus Orientales reliquos ſuperabant. In eâ vero ſeptem eminebant ſupremi Principes, qui Regem coram intuebantur, & ad illum propiùs accedebant, & oculi aureſque Regis appellabantur. Igitur Deum hìc deſcribit Apoſtolus ſeptem Angelorum Principum ſatellitio ſtipatum, qui pacem iis, ad quos ſcribit, ominatur. Porrò ſacrarum Scripturarum paginæ perinde ſunt ac literæ a Deo ad homines miſſæ (p): *Venerunt ad nos literæ de patriâ noſtrâ*.

Veterum plures (q) arbitrati ſunt, *ſeptem Spiritibus* Sanctum Spiritum deſignari; ut hoc verſiculo Trinitas tota exprimatur: Pater, *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*; Filius, *Et a Jeſu Chriſto*; denique Spiritus Sanctus, *Et a ſeptem Spiritibus*. Septenarius numerus illi adſcribitur, quòd ſeptena hominibus dona largia-

(c) Græca quædam exemplaria addunt: Καὶ ἅ τινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα. *Ita Steph.* 2, *Pet.* 3, *Bneb.* 1, *Cov.* 2, *Arab.* Alia: Καὶ ὅσα ἤκουσας, καὶ ἅ τινά εἰσι, καὶ ἃ γενέσθαι μετὰ ταῦτα. (d) 1 *Joan.* 1, 1. (e) *Joan.* xix, 35. (f) Græcus: *Qui legit, & qui audiunt*: Ὁ ἀναγινώσκων, καὶ οἱ ἀκούοντες. *alii plures*: Ὁ ἀναγινώσκων, καὶ ὁ ἀκούων. *Bneb.* 1, *Vulg. Æth. Velez.* (g) *Grot. Cornel. Piſcat. du Pin, alii paſſim.* (h) *Dan.* viii, 26; xii, 4, 9.
(i) *Infrà*, ℣. 11. (k) *Vide Perer. Riber. Cornel. Grot. alios.* (l) *Exod.* iii, 14. אהיה אשר אהיה
(m) *Dan.* vii, 10. *Confer* 3 *Reg.* xxii, 19; *& Job*, 1, 6, *&c.* (n) Vide *Tob.* xii, 15. *Raphael ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum.* Vide & *Zach.* iv, 10 *Septem iſti oculi ſunt Domini.*
(o) *Eſth.* 1, 10, 14: *Septem Duces Perſarum, atque Medorum, qui videbant faciem Regis.* 2 *Eſdr.* vii, 14; 3 *Eſdr.* viii, 11. (p) *Auguſt. in Pſal.* xc, *Enarr.* 2, *n.* 1; *& in Pſal.* cxli, *n.* 5.
(q) *Ambroſiaſt. Andreas Cæſar. Primaſ. Rupert, Vide Perer. Riber. alios.*

℣. 5. Et a Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ; qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo;

℣. 6. Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & patri ſuo: ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

giatur. Sed quæ expoſitio de Angelis dictum accipit, literæ magis favet. Vide infrà IV, 5; V, 6; VIII, 2.

℣. 5. Et a Jesu Christo, qui est testis fidelis. Cur ſeptem Angeli, de quibus modò, ante Jeſum Chriſtum collocantur? Nimirum quia cùm in conſequentibus inducendus ſit Chriſtus verba ad Eccleſias faciens, opportunum fuit poſtremo loco illum ponere, ne ejus nomen bis repeteretur. Inſuper debito erga Chriſtum obſequio nihil officit, ubi inſtituto ſermone de Patre, totus ſimul majeſtatis ejus apparatus deſcribatur; tum oratio ad Filium dignis Numine verbis transferatur. Optat quidem Apoſtolus pacem Fidelibus nomine ſeptem Angelorum æquè ac nomine Patris & Filii; quamobrem æquare illos tribus Divinis Perſonis videri poſſet. Verùm nullo licèt utatur diſcrimine verbis & locutione, pacem optando nomine Angelorum & Dei; tamen multum eſt diſcriminis. Datum eſt quidem Angelis, ut pacem nobis optent, implorent, Deique nomine nuncient; ſed dare pro ſuo jure & arbitrio, unius Dei eſt. Angelos miniſtros & inſtrumenta agnoſcimus; unum Deum cauſam, principium, & ſummum pro arbitrio gratiarum diſpenſatorem confitemur.

Addit Apoſtolus, Chriſtum *teſtem fidelem* eſſe, de quo Iſaias (r) loquitur, quique ipſe de ſe in Evangelio ait (s): *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Planè aliter quàm Prophetæ cæteri, qui revelatæ ſibi a Deo veritati fidem teſtimonio ſuo adſtruunt: Chriſtus ipſa eſt veritas, quæ ipſe ab æternitate vidit novitque, nuncians (t). Cùm igitur oculos ad oraculum iſtud admoveritis, ne intra vos reputetis: Homo eſt qui loquitur: quis fidem verbis hiſce adſtruit? Ipſe eſt enim Chriſtus, teſtis fidelis, veritas æterna, qui per me vos docet.

Primogenitus mortuorum (u): omnium, qui ad vitam immortalem propriâ virtute ſeſe reſtituerunt, primus. Ante Chriſtum quidem nonnulli in vitam revocati ſunt: nec ignoramus, docente Scripturâ, viduæ filium ab Eliſæo vitæ redditum fuiſſe (x); & alterum vitales recepiſſe ſpiritus Prophetæ illius oſſium contactu (y); denique Lazarum Chriſtus ipſe in vitam reſtituit (z); ſed nemo eorum in vitam immortalem rediit: nemo propriâ virtute redivivus prodiit. Cùm ego mittere me ad vos dixi revelationem, ipſo Jeſu Chriſti ore mihi dictatam, nolo vobis ſuccurrat, Chriſtum, utpote vitâ functum, iterum homines alloqui non poſſe: rediit enim ad vitam, eoque agente fiet, ut nos pariter aliquando reſurgamus. Primogenitus eſt mortuorum: perinde eſt nobis ac maximus natu frater, cujus reſurrectio noſtræ pignus eſt & argumentum. Ad vitam rediit, ut gloriam nobis & reſurrectionis gratiam promereretur.

Primogenitus in Scripturâ ſæpè eſt maximus clariſſimus, quique ſive in bono ſive in malo cæteris præſtat. Ita uſurpari ſolet (a), *Excelſus* (Primogenitus) *præ Regibus Terræ*; (b) *Primogenita mors*; (c) *Primogeniti pauperum*. Paulus de Chriſto loquens ait (d): *Primogenitus in multis fratribus*; (e) *Primogenitus omnis creaturæ*; & Joannes hìc: *Primogenitus mortuorum*. Reddi ergo locus poteſt: Jeſus, Teſtis fidelis, glorioſiſſimus & clariſſimus inter eos qui e mortuis ſurrexerunt, cùm vitam immortalem reſurgendo cœperit, ſuâ ſe virtute ad vitam revocarit, eâdemque reſurrectione ſuâ ſpem nobis futuræ reſurrectionis noſtræ, atque gloriæ ejus potiundæ fecerit.

Princeps Regum terræ. Rex Regum, & Dominus Dominantium. Itaque ea quæ ego nomine ejus nuncio, obſequenti aure excipite. Epitheton hoc, *Rex Regum*, peculiare Dei eſſe, ex Daniele intelligimus (f); eodemque Divinum Jeſu Chriſti genus deſignare Joannes voluit.

Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Græci Codices variant (g); alii enim ferunt, *lavit nos*, alii *ſolvit nos a peccatis noſtris*; alii demum utramque lectionem conjungunt. Amor, quo Chriſtus nos proſecutus eſt, redemptio, quam nobis Sanguine ſuo comparavit, utrâque novi Teſtamenti paginâ luculentiſſimè deſcribuntur.

℣. 6. Et facit nos Regnum et Sacerdotes Deo; & fecit ut Regnum & Sacerdotium eſſemus Deo. Omnes utique Chriſtiani, ceu membra, fratres & cohæredes Chriſti, Reges ſunt. In conſortium Regni ejus, gloriæ & Imperii, quod is in mortem, peccatum, & Dæmonem exercet, admiſſi ſunt: idem enim imperium illi pariter gratiæ ejus auxilio in adverſarios ſalutis ſuæ obtinent. Iidem & *Sacerdotes* ſunt, dum Patri ſacrificium incruentum Altaris, in quo Chriſtus Sacerdotem ſimul & hoſtiam agit, offerunt; quin & ſeipſos præbent Sacrificium Altiſſimo, additâ hoſtiâ laudis e corde humili atque contrito (h); offerunt denique preces, quas Scriptura *vitulos labiorum* (i) appellat. Confer illud Exodi, XIX, 6: *Eritis mihi in Regnum Sacerdotale*; tum & illud Petri (k): *Vos igitur genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis*. Illud, *Fecit nos Regnum & Sacerdotes*, Græcus Vulgatus legit (l): *Reges & Sacerdotes*. Sed vetuſti Codices plures cum Vulgatâ congruunt. Legunt alii:

(r) *Iſai.* LIII, 10; & LV, 4: *Ecce teſtem populis dedi eum.* (s) *Joan.* XVIII, 37. *Vide & 1 Timot.* VI, 13.
(t) *Joan.* III, 11, 30; V, 20.
(u) Ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν. *Plures omittunt*, ἐκ. *Vide Mill.* (x) 4 *Reg.* IV, 33.
(y) 4 *Reg.* XIII, 21. (z) *Joan.* XI, 39, & *ſequ.* (a) *Pſal.* LXXXVIII, 28. (b) *Job*, XVIII, 13.
(c) *Iſai.* XIV, 30. (d) *Rom.* VIII, 29. (e) *Coloſſ.* I, 15. (f) *Dan.* IV, 37.
(g) Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. *Alii legunt*: Ἀγαπῶντι καὶ λύσαντι. *Alex. Covel.* 2, *Barocc. Syr. Alii quidam*: Ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λύσαντι, καὶ ἀπὸ τῶν τῆς ἁμαρτίας κηλίδων λύσαντι τῇ ἐκχύσει τοῦ ζωοποιοῦ αἵματος καὶ ὕδατος, ποιήσαντι ἡμᾶς Βασίλειον ἱεράτευμα. Καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν, &c. *Ita Arετas & Arab.*
(h) *Pſal.* L, 19. (i) *Oſee*, XIV, 3; *Hebr.* XIII, 15. (k) 1 *Petri*, II, 9.
(l) Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς Βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. *Alii*: Βασιλείαν καὶ ἱερεῖς. *Alii*: Βασίλειον καὶ ἱεράτευμα. *Alii*: Βασίλειον ἱεράτευμα. Ex 1 *Petri*, II, 5.

Digitized by Google

℣. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. Etiam. Amen.

℣. 8. Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dñus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Omnipotens.

℣. 9. Ego Joannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Chriſto Jesu, fui in inſulâ, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu.

COMMENTARIUS.

alii: *Fecit nos regnum & Sacerdotium*. Verba diverſa, ſenſus idem.

℣. 7. Ecce venit cum nubibus. Veterum & recentiorum Interpretum plerique dicta hæc de adventu Chriſti die furoris ſui, ſupremi nempe judicii, interpretantur. Sed cum aliis non paucis commodè accipi poſſunt de ultione, quam Chriſtus in adverſarios Eccleſiæ ſuæ, præſertim in Romanum Imperium, exeret. Inſolitam Dei ultionem exprimere volens Scriptura, hyperbolicis ſæpè locutionibus utitur: Venit Dominus cum exercitu ſuo, toto gloriæ & majeſtatis ſuæ apparatu, Cœlum Terramque concutiens, Solem Lunamque obſcurans, Stellas e Cœlo detrahens, elementa ferasque movens, & ex remotiſſimis regionibus gentes evocans in adverſariorum ſuorum excidium; mare in fugam vertit; montes colliquat; aliiſque hujuſmodi ſententiis, quæ ex omnium Interpretum ſententiâ ad merum literæ ſonum accipi nequaquam poſſunt.

Ita, exempli gratiâ, Habacuc deſcribens Deum e Sina & Seir proficiſcentem, ut Chananæis excidium inferat (m); author Pſalmi LXVII (n), eamdem Domini expeditionem narrans; David de validis, quibus a Deo donatus fuit, toto Regni ſui tempore, auxiliis agens (o); Joël famem & mala, quæ locuſtarum agmen in Judæam invexit, exprimens (p); Ezechiel narrans cladem Gog (q); Chriſtus in Evangelio noviſſimum Romanorum bellum prænuncians, has loquendi formulas adhibent. Alia ſanè multa hujus generis exempla congeri poſſent; ſed juvat hîc legem hanc interpretandi generalem ſtatuere, quæ non ſemel in hoc libro, ſi quis alius, maximè prophetico & allegorico, valebit.

Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Cùm ad inferiora hæc Chriſtus, excidium hoſtibus illaturus, venit, non ſubjectam corporeis oculis formam aſſumit, ſed adeò illos opprimit, ut fateri vel inviti cogantur, Deo vindice ſe mala illa perpeti. *Qui* Chriſtum *pupugerunt*, ſunt Judæi, Romanique mali ſævitiæ Judæorum Miniſtri, qui clavis perfoſſum Cruci affixerunt, latusque patientis haſtâ perfoderunt. Sunt pariter & impii, qui nomen ejus blaſphemarunt. Quæ vox Hebræa (r) ſonat blaſphemare, profanare, probro afficere, valet etiam *pungere*. Denique qui illum *pupugerunt*, ſunt Eccleſiæ, Apoſtolorum, & Fidelium inſectatores. Fiet tandem, ut videant Dei Filium armatum in ultionem cædis charorum ſuorum, in excidium eorum, qui bellum veritati & Religioni intulerant (s).

Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Profanæ gentes & Judæi pervicaces gravem Dei manum ſibi incumbentem denique ſentient, agnoſcentque, ſerò tamen, ſe certaſſe cum Omnipotente, ratos ſure ſibi rem cum imbecillibus & inermibus. Id non ſemel accidit, ſed perſæpe eo temporis ſpatio, quod inter Chriſti reſurrectionem & abſolutam Eccleſiæ Chriſti firmitatem ſub Conſtantino ejusque Succeſſoribus fluxit. Viri quique cordati facilè intellexerunt, mala illa, quæ Judæorum capiti incubuerunt in priori bello Romanorum ſub Veſpaſiano, deinde in altero ſub Adriano in defectione Barchochebæ, irati Numinis ultionem fuiſſe. Ita & argumenta juſtitiæ Dei agnita ſunt in iis, quæ Neroni, Domitiano, Severo, Diocletiano, Maximino, Licinio, Juliano Apoſtatæ, totique demum Imperio ſæpiſſimè contigerunt. Si autem populi Chriſtum tunc non ſatis norant, intelligebant tamen ſibi Deum iraſci: quod ſatis eſt ad aſſerendam dictis Joannis veritatem. Si vel parum animum advertiſſent, facilè intellexiſſent, ſua in Chriſtianos odia injuſta eſſe & iniqua. Spectat hîc Joannes illud Zachariæ, XII, 10, ubi de re longè diverſâ agitur.

Opportunè etiam ſententia hæc ſecundo Chriſti adventui accommodatur; quam interpretationem Patres & Recentiores magis amant. In hanc autem ſignificationem omnia ad literæ ſonum accipienda ſunt: at in priori explicatione pleræque locutiones figuram & allegoriam exigunt.

Etiam. Amen. Hactenus dicta, quod graviſſima ſint & ægrè credibilia, aſſertione confirmat. Ne præſentia mala, neu adverſariorum odia inſectationesque vos terreant; fiet enim, inſtatque dies, qua tota Divini furoris procella in capita illorum excutiatur.

Ego sum Alpha et Omega (t); prima & ultima Græcorum elementorum literæ; principium et finis. Verba ſunt Dei Patris, vel Chriſti (u). Præſtat de Patre accipere (x), ob ea quæ conſequuntur: *Dixit Dominus Deus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*. Quamquam enim hæc omnia Filio æquè ac Patri conveniunt, familiarius eſt tamen Scripturæ Patri tribuere. Ipſe eſt qui adventum Filii impiis denunciat. Deus eſt Alpha & Omega, principium & finis; ipſe rerum omnium creatarum cauſa, fons & origo; ipſe per æternitatem præſens, præteritum & futurum complectitur: omnia ab ipſo fluunt, & in ipſum refluunt.

℣. 9. Ego Joannes frater vester . . . . . fui in insula quæ appellatur Patmos. Conſule quæ de exilio Joannis in Inſulâ Patmos in Præfatione recitavimus. Eò ejectus fuit Joannes, ut ipſe aſſerit, *propter verbum Dei, & teſtimonium*

(m) *Habac.* III, 5, 6, 7, *& ſequ.*
(n) *Pſal.* LXVII, 8, *&c.* (o) *Pſal.* XVII, 8, *&c.* (p) *Joël.* II, 10, 11. (q) *Ezech.* XXXVIII, XXXIX.
(r) חלל *Profanavit, perforavit, maledixit.* (s) *Vide Joan.* VII, 34; *& Chryſoſt. Theophyl. Leont. Euthym. in eum loc.*
(t) Ἐγώ εἰμι Α καὶ Ω. *Quidam* τὸ ἄλφα, καὶ ω. *Plures omittunt, Principium & finis,* ἀρχὴ καὶ τέλος. *Ita Alex. Pet.* 2, *Hunt.* 1, *Covel.* 2, *Complut. Æthiop. Syr. areth. alii.*
(u) *Ita Patres quidam apud Alenſur. & Cornel. hic.* (x) *Ita Primaſ. Rupert. Cornelius, alii plures.*

℣. 10. Fui in ſpiritu in Dominicâ die, & audivi poſt me vocem magnam tamquam tubæ,

℣. 11. Dicentis: Quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

℣. 12. Et converſus ſum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum: Et converſus vidi ſeptem candelabra aurea:

COMMENTARIUS.

nium Jeſu Chriſti. Glorioſum id Apoſtolo eſt. Victorinus Epiſcopus Petavienſis, & Primaſius aſſerunt, damnatum illum ad metalla fuiſſe. Eâ tamen erat ætate, ut vix tanto labori ſufficeret; neque an metalla & fodinæ in eâ inſulâ fuerint, ſatis ſcio. Fratrem ſe & ſocium pœnarum laborumque pro Chriſto Jeſo nuncupat eorum ad quos ſcribit. Hunc ſibi honorificum & glorioſum titulum ducit. Ita verò revelationem ſuam exorditur.

℣. 10. Fui in spiritu in Dominica die. Hinc diſcimus, quantæ ſit vetuſtatis apud Chriſtianos diei Dominicæ religio, ad recolendam reſurrectionis Domini memoriam. Tradit *Barnabas*, octavam diem in gaudio idcirco celebrari, quòd eâ die Chriſtus e mortuis reſurrexerit, & in Cœlum aſcenderit *(y)*. S. Ignatius Martyr jubet pariter celebrari diem hanc Domini, diem reſurrectionis, diem primam & reliquarum præſtantiſſimam *(z)*. Ait S. Juſtinus Martyr *(a)*, cœtum eâ die a Chriſtianis agi, utpote qua mundum condere incepit Deus, & Chriſtus Jeſus ex mortuis ſurrexit. Conſonant Tertullianus *(b)*, S. Irenæus *(c)*, Origenes *(d)*, Author Conſtitutionum ſub S. Clementis Papæ nomine, & vetera Concilia.

Quæritur, utrùm Apoſtolus totam hanc Prophetiam continuo nec interrupto opere deſcripſerit die illâ Dominicâ, quæ hîc enunciatur; an per intervalla dierum & locorum reſumpſerit. Quæſtio eſt anceps inter Sacros Interpretes. Sunt *(e)* qui unâ die ſcriptam vel ſaltem revelatam aſſerunt, quamquam deinde a Joanne per otium expolitam. Huic ſententiæ ſavet hic locus, ubi narrat Apoſtolus, raptum ſe in *Spiritu*, cùm in Patmos inſulâ eſſet die Dominicâ, per viſum ſpectaſſe ea, quæ deinceps continuâ narrationis ſerie ſubdit, nullâ temporis adſcriptione notatâ. Spectare inſuper hîc licet ſummam variciniorum iſtorum connexionem inter ſe, quorum alterum alteri ſine interruptione ſuccedit. Volumen ea continens, exhibitum illi fuit ſeptem obſignatum ſigillis, quæ breviſſimo temporis ſpatio aperta fuerunt. Deinde Apoſtolo imperatur, ut ſimul ſcribat monita ad ſeptem Eccleſias, *quæ ſunt*, & oracula ad remotiorem ætatem pertinentia, *& quæ oportet fieri poſt hæc (f)*.

Oppoſitæ ſententiæ aſſertores *(g)* ex ipſis Apoſtoli verbis eruere ſe putant argumenta, quibus ſingula hæc oracula per intervalla edita fuiſſe demonſtrent. Adhibet interdum Apoſtolus locutionem illam, *poſt hæc*. Prætereà modò raptum ſe in Cœlum fuiſſe aſſerit *(h)*, modò in maris littore verſatum *(i)*, modò in deſerto loco *(k)*, vel tantummodo in Inſulâ Patmos, cùm per viſum nonnulla intuetur. Ad hæc, plus nimio Propheta gravaretur, ſi tam multa myſteria ſimul omnia illi reſerarentur. Cenſet Grotius, Apoſtolum imperante Claudio in hanc Inſulam relegatum, in ipſo fermè exilii ſui limine viſionibus quibuſdam donatum fuiſſe; deinde Epheſum reſtitutum Veſpaſiano Principe, prioribus nova alia adjeciſſe. Sed quæ opinio tenet, hæc omnia unâ eâdemque die Apoſtolum per viſum ſpectaſſe, nobis maximè probatur: at omnia conſcripta eſſe eâdem ipsâ die, nihil eſt cur aſſeramus. Cùm altè menti ejus hæc inſediſſent, conſequentibus diebus ea ſcriptis tradere commodum illi fuit.

℣. 11. Scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis *(l)*. Non totum facilè librum opere continuo ſcriptum fuiſſe, jam animadvertimus; priùs enim exitum totius revelationis opperiendum ſibi Apoſtolus cenſuit. Putant quidam, totam Apoſtoli operam fuiſſe conſcribere, dictante Jeſu Chriſto; ſed narrationis contextus vetat, ne hanc ſententiam, ſaltem quoad totum Librum, amplectamur. Septem Eccleſiæ, de quibus hîc, in Aſiâ minori jacebant, quarum ſitum ex Tabulâ Actis Apoſtolorum præmiſsâ repetas.

℣. 12. Et conversus sum *(m)*, ut viderem vocem; id eſt, ut loquentem intuerer. Familiare eſt Hebræis *videre pro audire*. *Cunctus populus videbat voces, & lampades*, ait Moyſes *(n)*. Quæ tota hoc volumine ab Apoſtolo narrantur, in ſpiritu geſta ſunt, nihilque eorum quæ in extaſim raptus ille vidit, foris apparuit.

Vidi septem candelabra aurea. Templo Jeroſolymitano ſuum erat aureum candelabrum ſepticeps *(o)*. Joannes, agens de Chriſti Eccleſiâ, non rarò ad ea quæ in Templo Jeroſolymitano agebantur, alludit. Candelabrum ſepticeps in Sancto ſtabat, eòque ingrediebatur Sacerdos hebdomadarius, ut quotidie ſub veſperam lucernas accen-

(y) *Barnaba Ep. pag. 56*: Ἀρχὴν ὀγδόης ἡμέρας ποιήσω, ὅ ἐστιν ἄλλου κόσμου ἀρχή. Διὸ καὶ ἄγομεν τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδόην εἰς εὐφροσύνην, ἐν ᾗ καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, καὶ φανερωθεὶς ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς. (z) *Ignat. Epiſt. ad Magneſ.* Μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακήν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν ἡμερῶν.

(a) *Juſtin. Mart. Apolog. 2, ad finem*: Τὴν τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος, καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε. Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.

(b) *Tertull. Apologet. & de Animâ.* (c) *Iren. apud Scriptor. Reſponſ. ad Orthodox.*

(d) *Origen. homil. 6 in Exod. Vide Grot. Perer. Riber. hîc.*

(e) *Perer. in Apocal. Brightman. anonym.* (f) *Apoc. 1, 19.*

(g) *Pareus hîc, & Grotius, 1, 9; & xvii, 9.* (h) *Apoc. iv, 1, 2.* (i) *Apoc. v, 1, 5, & ſeq.*

(k) *Apoc. xvii, 3.* (l) *Græc.* Ταῖς Ἐκκλησίαις. *Alii plures*: Ταῖς ἑπτὰ ἐκκλησίαις. *Ita Steph. 2, 11, 16, Alex. Petit. 3, Syr. Arab. Æth. alii, &c.*

(m) Καὶ ἐπέστρεψα. *Alii*: Ἐκεῖ ἐπέστρεψα, *ibi converſus ſum.* (n) *Exod. xx, 18.*

(o) *Grot. Cornel. alii.*

℣. 13. Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podêre, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.

℣. 14. Caput autem ejus & capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus tamquam flamma ignis.

℣. 15. Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox illius tamquam vox aquarum multarum:

COMMENTARIUS.

cenderet, eaſdemque mane extingueret, ſimul & ſuffitum in Altari aureo poneret. Hîc autem ſeptem candelabra exhibentur, quibus deſignantur Epiſcopi ſeptem Eccleſiarum, quas modò recenſuit: qui verò in medio ſeptem candelabrum apparet Chriſtus, perinde eſt ac Sacerdos, qui munera mox commemorata præſtiturus, in Sanctum ingrediebatur.

℣. 13. ET IN MEDIO SEPTEM CANDELABRORUM AUREORUM SIMILEM FILIO HOMINIS; id eſt Chriſto, qui eo ſe nomine non rarò in Scripturâ diſtinguit. Utrùm verò Chriſtus ipſe, an ſub ejus imagine Angelorum quiſpiam apparuerit, ambigitur. Poſtrema hæc opinio proclivior (p), quam & innuit Joannes, cùm ait, vidiſſe ſe non quidem Filium hominis ſed ſimilem Filio hominis. Exploratum eſt, Apoſtolum hîc ad illud Danielis (q) alludere: *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus Cœli quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervênit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei* (Filio hominis) *poteſtatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient.*

VESTITUM PODERE (r), veſte ſtragulâ: ET PRÆCINCTUM AD MAMILLAS ZONA AUREA. Stragula veſtis inſigne erat Regiæ & Sacerdotalis in Chriſto dignitatis; aurea zona authoritatis & majeſtatis. Porrò zona aurea unum erat ex regiis ornamentis (s); eâque cinctum ſeſe exhibuit Danieli Prophetæ Michaël Archangelus (t), & infra, xv, 6, Angeli ſeſe offerunt carbaſinis veſtibus eximiè candidis aureâque zonâ induti. In locis Veteris Teſtamenti, ubi in Vulgatâ legitur *podere*, plerumque in Hebræo reſpondet *badim* (u), id eſt linum tenuiſſimum. Utraque hæc lectio conciliari hîc poterit, ſi putaveris, Angelum illum, qui Filii hominis perſonam gerebat, ſtragulâ & candidiſſimâ veſte indutum fuiſſe (x). Stragulas lineaſque veſtes Summus Hebræorum Sacerdos cæteriſque Pontifices adhibebant; quamquam diebus ſolemnibus Summi Sacerdotis indumentum cætera pretio vincebat (y).

℣. 14. CAPUT EJUS ET CAPILLI ERANT CANDIDI TAMQUAM LANA ALBA. Angeli perſonam Jeſu Chriſti gerentis coma lanæ candidiſſimæ nitorem referebat. *Caput* hîc ſynonimum eſt *capillis*. Caput ejus vel coma nitido candore fulgebat; in argumentum fortè ejus æternitatis, cùm albedo ſenectutis inſigne ſit. Vide Danielem (z): *Antiquus dierum ſedit: veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda*. Veterum Prophetarum locutiones Joannes imitatur.

OCULI EJUS TAMQUAM FLAMMA IGNIS; rutilabant ceu flamma. Similem deſcriptionem majeſtatis Dei habes in Ezechiele (a) & Archangeli Michaëlis (b) in Daniele. Vide infra, xix, 12. Deſignare hæc poſſunt infinitæ ſcientiæ Dei acumen, omnia penetrans.

℣. 15. PEDES EJUS SIMILES AURICHALCO, SICUT IN CAMINO ARDENTI; ſimilis probatiſſimo, cùm in fuſorio vaſe probatur. Græcus legit (c): *Pedes ejus ſimiles chalcolibano*; ſive ex Tychonio, *aurichalco Libani*. Porrò *aurichalcum* ſive *orichalcum* genus erat æris, reliquo probatioris. Colorem referebat albidum, feruntque mixtum fuiſſe metallum ex auro, argento, ære, quæ tunc in unum coaluerunt, cùm Corinthus duce Lucio Mummio cremata eſt; liqueſcentibus enim ſignis compluribus, metallum illud conflatum eſt, quod Veteres auro fermè æquabant (d). Sed hæc fidei ſunt leviſſimæ; atque ipſe Plinius (e) notat, celebres illos opifices, qui ex ære Corinthio vaſa conflabant, centum annis ante captam & vaſtatam a Mummio Corinthum deſiiſſe. Salomon, Joſepho teſte (f), Templi vaſa ex ære, quod erat auro præſtantius, conflavit. Apud Eſdram (g) legimus, in reditu e captivitate vaſa duo ænea perinde ac aurum pretioſa Domino conſecrata fuiſſe. Denique Ezechiel (h) metalli hujus ſub Hebræo nomine *chaſmal* meminit.

Ut ad Joannem regrediamur, animadverſum eſt (i), tria eſſe genera *electri* ſive *aurichalchi*; aliud ſubalbum, in quo argentum ſuperat; aliud flavo ſimile, in quo aurum; tertium denique ſubrubrum, in quo æs ſuperat. Non abſimile eſt vero, Apoſtolum ideo ſelegiſſe Græcam vocem *Chalcolibanum*, ut deſignaret æs illud albidum, in quo argentum ſuperabat, illi perſimile, de quo Virgilius (k):

.... Auro ſqualentem alboque orichalco
Circumdant loricam humeris.

Vetus Scholiaſtes Heſiodi (l) hujus pariter metalli ſubalbidi meminit; & Tzetzes (m) ita de illo ac de Chymicâ quadam mixtione agit. Qui hanc opinionem ſectantur, ajunt, Græcum *Libanon* ex Hebræo *Laban*, id eſt *albus*, expreſſum fuiſſe. Quin & facilè Apoſtolus hîc minus ſpectavit naturalem metalli hujus colorem, quam illum, quem in vaſe ſuſorio liquatum jam & igne ſerveus exhi-

(p) *Ribera, Cornel. Boſſuet, Grot. alii.* (q) *Dan.* vii, 13.
(r) Ἐνδεδυμένος ποδήρη. (s) *Job*, xii, 18; *Iſai.* xi, 5. (t) *Dan.* x, 5.
(u) *Ezech.* ix, 2; *Dan.* x, 5. בדים (x) *Vide Grot. Alcaſ. Perer. Riber.* (y) *Exod.* xxviii, 4.
(z) *Dan.* vii, 9. (a) *Ezech.* i, 27. (b) *Dan.* x, 6. (c) Οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ.
(d) *Plin. lib.* 34, *cap.* 2; *Flor. lib.* 2, *cap.* 16: *Quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, Corinthi incendio ſuperfuiſſe comperimus; nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria; quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri argentique vena in commune confluxêre.* (e) *Plin. loco citato.* (f) *Joſeph. Antiq. lib.* 7, *cap.* 6.
(g) 1 *Eſdr.* viii, 27. (h) *Ezech.* i, 4. חשמל
(i) *Vide Bochart. de Animal. Sacr. tom.* 2, *lib.* 6, *cap.* 16, *pag.* 879, *edit. Lugd. Batav.*
(k) *Virgil. Æneid.* 10. (l) *Scoliaſt. Heſiod.* Ὀρείχαλκος, τὸ λευκὸν χάλκωμα.
(m) *Tzetzes in Heſiod.* Οὗτος γὰρ σκευασίᾳ τινὶ γίνεται χαλκὸς λευκός, φύσει πυῤῥὸς ὤν.

℣. 16. Et habebat in dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem: & de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat: & facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſuâ.

℣. 17. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens: Noli timere: ego ſum primus, & noviſſimus;

℣. 18. Et vivus, & fui mortuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.

℣. 19. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

COMMENTARIUS.

hibet; tunc enim igneum rutilumque candorem vix oculis ferendum refert.

Malunt alii, *Chalcolibanon* æs montis Libani deſignare (n), idque in Libano gigni colligunt ex Deuteronomio (o), ubi de Aſer dicitur: *Ferrum & æs calceamentum ejus*. Præterea David, victo Adarezere Syriæ Rege, magnam æris vim in urbibus Beroth & Bethach, Libano vicinis, occupavit (p). Sidoni, quæ Libano adjacet, nomen *Philochalcoe*, ære divitia, Homerus tribuit; eidemque proxima Sarepta nomen ex metallis ibi fuſis mutuata eſt. His opinio iſta confirmatur, Sed nondum ſatis probatum fuit, Libanum æreis fodinis ditari; idque ex recitatis argumentis minimè evincitur.

Suſpicatur Bochartus, *Chalcolibanon* genus eſſe æris, quod *Livianum* Plinius appellat (q), metallum pretioſiſſimum, in Galliâ erutum, cui *Liviano* nomen ex Liviâ Auguſti uxore inditum fuit. Suam tamen conjecturam idem Auctor evertit, notans cum Plinio, æs illud rariſſimum fuiſſe: *quod certè admodum exiguum invenitur*; adeoque vix credibile eſt, famam illius ad orientem usque, ubi Joannes ſcribebat, pervaſiſſe.

Nomine hoc deſignari ab Apoſtolo *thus maſculum* (ita Medici appellant) Nebriſſenſis (r) arbitratur. Laudat ille Anonymum a Salmaſio recitatum (s), appellantem thus maſculum *Chalcolibanon*; quippe quod flammæ inſtar rutilat, flavumque ſubrubrum colorem refert. Verùm non agitur hîc tantùm de re quæ colorem ſubflavum, gratumque odorem reddat, ſed potiùs de metallo ſolido, & cùm igneſcit micante. Omnibus proinde expenſis, ſtandum eſt pro ære albo, ſive illud colorem ex miſto argento, ſive ex igne, quo liquatur, accipiat.

Vox illius tamquam vox aquarum multarum; maris proceloſi, qui fluctus ſcopulis allidit; ſive inſtar fluminum ex alto ruentium; quique in oppoſitum aggerem inſaniunt; ſeu denique inſtar procellæ, quæ ventis & turbine acta provolvitur. Totus iſte apparatus ad ingerendum terrorem, & extorquendam ex Apoſtolo reverentiam valet. Vide Ezechielem, XLIII, 2: *Vox erat ei quaſi vox aquarum multarum*.

℣. 16. Et habebat in dextera sua stellas septem. Septem ſtellæ idem ſignificant ac ſeptem candelabra, inter quæ medius Filius hominis apparuit. Deſignant igitur Epiſcopos ſeptem Eccleſiarum, de quibus ſupra (t); ſive ſeptem illas Eccleſias. In dexterâ Chriſti collocantur, indicio curæ ejus & ſollicitudinis erga illas. Vide ℣. 20.

De ore ejus gladius utraque parte acutus, Gladius imaginem referebat Dei ultoris, parati in vindictam eorum, qui monita audire negligerent; ſive fortè exprimebat Dei Verbum (u), quod apud Paulum (x) comparatur gladio ancipiti, ad intimum usque cor penetranti, necemque impiis & incredulis inferenti; fidelibus verò Deoque morigeris vitam & ſalutem.

Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua; ut ſol pleno meridie. Suprà, ℣. 14, caput ejus vel coma lanæ candidæ ſimilis dicitur: hîc ſermo dumtaxat de ore eſt. Tantâ autem luce fulgebat, ut ferri ab intuentibus non poſſet, perinde ac ſol pleno meridie micans. Hæc ad gloriam Sanctiſſimæ Humanitatis Jeſu Chriſti referta. Infra, X, 10, idem de Angelo narratur; quo quidem confirmatur id quod ſupra diximus, Angelum nempe videndum ſe præbuiſſe Joanni ſub imagine Chriſti tantâ fulgentis gloriâ, quanta ferri ab homine poſſet; ſi tamen hæc omnia re ipsâ, non ſpiritu tantummodo contigerunt.

℣. 17. Cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Tanto terrore correptus fui, ut mentis impos corruerim. Obviæ majeſtatis aſpectus, ſive re ipsâ oblatus, ſive ſpiritui tantummodo oſtenſus, mentem Prophetæ ita occupavit, ut animus officium ſenſibus negaret. Sed Angelus territum confirmaturus, dexterâ tetigit, & ne quid timeret admonuit; nam *ego ſum*, inquit, *primus & noviſſimus, & vivus, & fui mortuus*. Perſonam gero Chriſti viventis, & in vitam reſtituti, Dei pariter & hominis. Vide ſupra, ℣. 8.

℣. 18. Habeo claves mortis et inferni (y). Claudere & reſerare pro arbitrio poſſum; mortuos ad vitam revocare, vivos in mortem adigere penès me eſt (z). Formident impii ſub potenti manu meâ, & ex clementiâ meâ juſti omnia præſtolentur; utrumque enim manu gero, illis pœnam, his præmium hujus pariter & alterius vitæ (a).

℣. 19. Scribe ergo quæ vidisti; quæ tibi ſpe-

(n) Χαλκολίβανον, τὸν χαλκὸν ἐν τῷ Λιβάνῳ ὄρει μεταλλευόμενον. *Ita Andreas, & Arethas Cæſarienſ. Syr. Æthiop. alii plures*. (o) *Deut.* XXXIII, 25.
(p) 2 *Reg.* VIII, 8, collatum cum 1 *Par.* XVIII, 8. (q) *Plin. lib.* 34, *cap.* 2: *Succeſſit ei* (*Salluſtiano æri*) *Livianum in Galliâ, &c.* (r) *Anton. Nebriſſ.* *Quinquagen.* 3 *cap.*
(s) *Anonym. de Thure, apud Salmaſ. in Solin. pag.* 1135: Καὶ ὁ μὲν ἄῤῥην ὀνομάζεται χαλκολίβανος ἡλιοειδὴς, ἤ πυῤῥὸς, ἤγουν ξανθὸς.
(t) *Ambroſiaſt. Tichon. Victorin. Haymo, Beda, Cornel. Vide Grot. Glaſſ. Durham. Cornel.*
(u) *Tichon. Primaſ. Areth. Haymo, Anſel. Hug. Victor. Alcazar. &c.* (x) *Hebr.* IV, 12; *Epheſ.* VI, 17.
(y) Ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου, καὶ τοῦ θανάτου. *Alii*: Τοῦ θανάτου καὶ τοῦ ᾅδου. *Ita Alex. Cov.* 2, *Hunt.* 1, *Baroc. Petit.* 2, *Complut. Syr. Arab. Æthiop. alii plures*.
(z) *Areth. Perer. Lyran. alii*. (a) *Andr. Richard. a ſancto Victore*.

℣. 20. Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dexterâ meâ, & ſeptem candelabra aurea Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum: & candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

COMMENTARIUS.

ſpectanda exhibui, quæque deinceps ſpectabis. *Et quæ ſunt*; quæ imminent ſeptem Eccleſiis Aſiæ Minoris; *& quæ oportet fieri poſt hæc*, quæ in ſeros annos manent, & ad Eccleſiæ libertatem ſupremumque Dei judicium pertinent (β).

℣. 20. Sacramentum septem stellarum, quas in manu Filii Dei, ℣. 16, vidiſti. Septem ſtellæ ſunt Angeli ſive Episcopi ſeptem Aſiæ Eccleſiarum, quas pariter Eccleſias referebant *ſeptem candelabra aurea*, in quorum medio idem Filius hominis apparuit, ℣. 12. Epiſcopos *Angelis* ℣. ar ideo comparat, quod maxima utrorumque ſit ſimilitudo. Angelus miniſter eſt Domini, mandata ejus referens, & hominibus reſerans. Munus idem præſtat Epiſcopus erga commiſſos ſibi homines, quos docet, corripit, arguit, Divinisque mandatis inſtituit. Apud Hebræos *Angeli Domini* ſunt Prophetæ (γ), Summus Sacerdos (δ) & ipſi parites Reges (ε). Pium ardorem, ſanctimoniam, ſcientiam, ſapientiam, & vigilantiam Angelorum, quantum homini fas eſt, referre Epiſcopum decet.

CAPUT II.

Laudes Epiſcopi Epheſiorum: vitia quæ ut pœnitudine expiet monetur. Quæ mala Smyrnenſium Epiſcopo toleranda ſint. Monita ad Epiſcopum Pergami, Nicolaitas tolerantem. Epiſcopus Thyatiræ admonetur.

℣. 1. ANgelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dexterâ ſuâ, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.

℣. 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos; & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt: & inveniſti eos mendaces:

℣. 3. Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ANgelo Ephesi Ecclesiæ scribe, Epiſcopo ſcilicet Epheſinam Eccleſiam tunc regenti, qui alius eſſe non poterat, quàm Timotheus (a), a Paulo Apoſtolo Epiſcopus ibi conſtitutus, antequam Joannes in Aſiam migraret, quique ſacris præfuit usque ad annum Chriſti xcvii, quo martyrium abſolvit paulò ante reſtitutionem Joannis ab exilio. Extorris enim actus Apoſtolus in Patmos fuit anno 95, ibique ad exitum usque Domitiani, anno Chriſti xcvi, manſit. Epheſum anno xcvii repetiit. Vitia, quæ Joannes hîc Angelo Epheſi adſcribit, Timotheo imputanda nequaquam ſunt, ſed Miniſtris potiùs, cæteriſque Eccleſiæ illius membris. Nec aliter de reliquis, ad quos ſcribit, reputandum eſt. Quæ Apoſtolus nunciat, Epiſcopos minùs, quàm creditas illis Eccleſias, reſpiciunt (b).

Hæc dicit qui tenet septem stellas. More veterum Prophetarum loquitur: *Hæc dicit Dominus* ad Hebræos, Deus Hebræorum. Hîc Chriſtus ore Apoſtoli loquitus. Cùm autem non ea modò quæ hoc Capite & conſequentibus continentur, ſed & ea parites quæ in ſuperioribus deſcripta ſunt, ad illos mittat, norant illi, quisnam his verbis deſignaretur: *Qui tenet ſeptem ſtellas in dexterâ ſuâ, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.*

℣. 2. Scio opera tua, et laborem, et patientiam tuam. Novi quæ bene & quæ male agis, labores ac perpeſſiones tuas ſcio. *Quia non potes ſuſtinere malos*, hæreticos, falſos fratres, Doctores pravos. *Et tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt.* Eoſdem hîc agnoſce, de quibus ſæpè adeò ſermo recurrit in Commentariis ad Epiſtolas Joannis, Petri, & Judæ Apoſtolorum: Simonianos, Nicolaïtas, Gnoſticos, cæterosque, ipſa Religionis fundamenta labefactare tentantes, quippe qui reſurrectionem, bonorum operum neceſſitatem, Chriſti divinitatem negabant. Timotheus, ad quem Joannes hæc ſcribit, maximè omnium pravam turbulentorum ejuſmodi hominum indolem norat; edoctus enim diù antea Pauli Epiſtolis eâ de re fuerat (c); nam vivam illorum imaginem Apoſtolus expreſſerat; quin & ante plures annos ſermonem ad Epheſios habens (d), illos prædixerat.

℣. 3. Et patientiam habes, et sustinuisti ..... et non defecisti. Verſio iſta congruit cum lectione Græcorum quorumdam manuſcriptorum (e) & editorum Codicum, præterquàm

(β) *Ita Ambroſiaſt. Rupert. Anſelm. Riber. Perer. alii.* (γ) *Judic.* II, 1; *Agg.* I, 13; *Malach.* I. (δ) *Kimchi apud Grot. & Hamm. Malach.* II, 7. (ε) *Vide* 1 *Reg.* XXIX, 9; 2 *Reg.* XIV, 17, 20; XIX, 27.

(a) *Ita Perer. Grot. Viegas, Alcaſar. Aureolus, Cornel. Boſſuet, Du Pin, &c.*

(b) *Ita Interpp. plerique.* (c) *Vide* 1 *Timoth.* IV, 1, 2, 3, *& ſeq. &* 2 *Timoth.* III, 1, *& ſequ.*

(d) *Act.* XX, 29, 30. (e) *Alii plures*: Καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ ἐβάστασας διὰ τὸ ὄνομά μου, καὶ οὐκ ἐκοπίασας. *Quidam*: Καὶ ἐβάστασάς με, *pro* ἐβάστασας. *Ita Ald. & duæ priores edit. Eraſmi.*

℣. 4. Sed habeo adverſùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.

℣. 5. Memor eſto itaque unde excideris; & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.

℣. 6. Sed hoc habes quia odiſti facta Nicolaïtarum, quæ & ego odi.

COMMENTARIUS.

quàm quòd pro illo, *Et non defeciſti*, legunt, *Et non es fatigatus*. Sed Græci Codices alii cum Syro, Arabe, Æthiope ferunt (f): *Et ſuſtinuiſti, & patientiam habes, & propter nomen meum laboraſti, & animo non cecidiſti*. Altè impreſſum menti habebat Timotheus illud Pauli monitum, ſibi antequam is moreretur traditum (g): *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Et alibi (h): *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundùm præcedentes in te prophetias, ut milites bonam militiam*.

℣. 4. SED HABEO ADVERSUM TE, QUOD CHARITATEM TUAM PRISTINAM RELIQUISTI. In mentem inducere non poſſumus, hæc ſpectare ad Timotheum, cujus fides & charitas firma perſeveravit adeò, ut is vitam pro Chriſto profunderet. Sed in Miniſtros minores, ſive in Fideles Epheſios tepor aliquis quoad proximorum dilectionem fortè irrepſerat. Piæ largitiones, hoſpitalitas, ægrorum cura negligebatur: de operibus pietatis, de concionibus habendis, de Gentilibus ad fidem convertendis ſollicitudo minor. Gliſcere hæc poſſunt vel in ipſis optimè curatis Eccleſiis, Miniſtrorum ſubſidiariorum deſidiâ, quin eorum culpa in ſupremos Paſtores referatur. Sed cùm hæc contigerint, reſque ad Epiſcopi aures delata fuerit, tunc utique ita cum illo agitur, veluti qui reſpondere de iis debeat, quæ a conſtitutis ab ipſo Miniſtris præſtantur. Epiſcopi eſt omnibus invigilare, utpote cui de alienis quoque, nedum de ſuis, ratio reddenda ſit. Fieri autem potuiſſe, ut minùs in his cauta virtus ipſa Timothei fuerit (quod planè humanum eſt) facilè intelligimus. Sanctiſſimi quique viri in delectu Miniſtrorum decipi vel errare nolentes imprudentesque poſſunt. Gregis inſuper docilitas ſollicitudini, monitis, exemplis Paſtoris minùs perſæpè reſpondet.

Denique ex Interpretibus quidam (i) iniquiores fore ſe viro ſanctiſſimo minimè credunt, ſi de priſtinæ charitatis fervore aliquid remiſiſſe illum opinati fuerint; ſivu illud ætatis fuerit affectæ, ſivu laborum pertæſæ; ſive tepor aliquis, quod viris etiam probis non rarò accidit, virum ſanctum occuparit. Sed monitione Apoſtoli commodè adeò uſus eſt, ut vertente anno vitam pro Chriſto conſtantiſſimè dederit.

℣. 5. MEMOR ESTO UNDE EXCIDERIS, ET AGE POENITENTIAM. Ne mente excidat vetus fervor, & pius ille ardor quo flagrabas: ac de eo, qui tibi obrepſit, tepore pœnitentiam age. Reſume ſpiritum illum Apoſtolicum, & pro tuo more *prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ* (k).

SIN AUTEM, VENIO TIBI, ET MOVEBO CANDELABRUM TUUM DE LOCO SUO (l). Niſi agendi morem ſtatim mutaveris; niſi priſtinum charitatis vigorem reſumpſeris, veniens ego in furore meo, candelabrum, Eccleſiam tuam referens, e loco amovebo. Inter Aſiæ Eccleſias puritatis & ſanctimoniæ famâ præſtas; aliam tibi præferam, ſive aditum in te aperiam hæreſi, diſſidiis, inſectationibus, ut totam occupent, diſſipent, agitent, perdant (m). Fit ſæpè, ut ea quæ irrumpunt in Eccleſiam mala, hæreſes, ſchiſmata, ſcandala, diſſidia in pœnam deſidiæ Paſtorum, ſive populorum indocilitatis a Deo permittantur. Retrahit ſe Deus ab iis, qui fervorem priſtinum deſerunt, ac debitæ fidelitatis officio deſunt; ejuſque indignatio in perſpicuas calamitates, & columnarum quarumdam Eccleſiæ lapſum perſæpè erumpit.

℣. 6. ODISTI FACTA NICOLAITARUM (n). Capite VI, 5. Actorum ſermonem habui de Nicolao Nicolaitarum authore, vel ex quo ſaltem nomen Nicolaitæ mutuati ſunt. Hæc autem potiſſima eorum dogmata. Præter uxorum communitatem, ait S. Auguſtinus (o), inter dapes Idolis immolatas & communes diſcrimen nullum conſtituebant. Quæ Idolis oblata fuerant, adjurationibus quibuſdam expiaſſe illos, ac deguſtaſſe, tradit S. Irenæus (p). Profanas quaſcumque ſuperſtitiones admittebant; adulterium, fornicationem, & ejuſmodi ſalaciſſima, perinde ac res in medio poſitas habebant. Sectam hanc duo iſta potiſſimùm diſtinguebant, flagitia & libido. Fœda ab illis admiſſa narrare ne audemus quidem, cùm ferre illa, ſi quid inerit pudoris, nemo poſſit.

Fabellas neſcio quas venditabant de creatione & mundi diſpoſitione, admiſcentes hiſce Angelorum & Poteſtatum quarumdam nomina, ut auditoribus ſuis terrorem & venerationem ingererent. Hæc autem omnia eò referebantur, ut perſuaderent, mundum opus eſſe non Dei quidem, ſed Mentium quarumdam, quas ipſi comminiſcebantur. Fidem dictis ſuis conciliabant ex authoritatu Libri cujuſdam, cujus fragmenta, apud S. Clementem Alexandrinum ſervata (q), id docent, illos libidinum ſuarum vel Deum ipſum conſortem feciſſe.

Tradit Tertullianus (r), tranſiſſe illos ad ſectam Cainitarum, qui virtutem quamdam Creatore ſuperiorem comminiſcebantur (s). Creatori verò Juſtos & Patriarchas Veteris Teſtamenti; Virtuti autem ſuperiori, quam *Sapientiam* appellabant, homines, quos Vetus Teſtamentum reprehendit, Cainum, Eſau, Core, Sodomitas, Judam pariter, & ſe denique ipſos tribuebant. Myſteria hæc omnia ante ſe quidem unum Judam noviſſe, iiſque ad prodendum Jeſum Chriſtum impulſum fuiſſe defendebant. Legi ejuſque authori

Deo

(f) Καὶ ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ διὰ τὸ ὄνομά μου κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας.

(g) 2 *Timot.* II, 3. (h) 1 *Timot.* I, 18. (i) *Ribera, Perer. Alcaſar. Cornel.* (k) 2 *Timoth.* IV, 2.

(l) Εἰ δὲ μή, ἔρχομαί σοι ταχύ. *Illud* ταχύ *deeſt in Alex. Velez. Æthiop. Vulg. alii:* Ἔρχομαί σοι ταχύ. *Edit. Sixti V, an.* 1590: *Veniam tibi citò*.

(m) *Victorin. Andr. Cæſarienſ. Alcazar. Lyran. Cornel. alii*.

(n) Τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν. *Tertull. Præſcript. cap.* 46: *Doctrinam Nicolaïtarum, quam & ego odi*.

(o) *Auguſt. de hæreſib.* 3, *pag.* 7. (p) *Iren. lib.* 1, *cap.* 27. *Vide Philaſtr. & Theodoret. de hæreſ. Epiphan. hæreſ.* 25. (q) *Clem. Alex. lib.* 3 *Stromat. pag.* 437. (r) *Tertull. Præſcript. cap.* 33.

(s) *Iren. lib.* 1, *cap.* 35.

℣. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.

℣. 8. Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus, & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit.

℣. 9. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es: & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ.

COMMENTARIUS.

Deo obloquebantur, & reſurrectionem negabant (t). Quodlibet actionum genus ad ſalutem obtinendam præſtari, neceſſarium docebant, rati lucis perfectionem in eo verſari, ſi perfrictâ fronte tenebrarum opera, quæ vel nominare pudor vetat, admitterentur (u). Singulis autem hominum actibus Angelum præeſſe, quem agendo invocabant, rebantur. Is erat Nicolaita hæreticus, quem Chriſtus ipſe damnavit, & primævi Eccleſiæ Patres refutarunt.

℣. 7. Quid Spiritus dicat Ecclesiis (x). Quid Spiritus Sanctus, quid is, qui in me loquitur, Chriſti Spiritus dicat, nedum Epheſiorum Eccleſiæ, verùm etiam cæteris, iis præſertim ſeptem Eccleſiis, ad quas ſcribebat. Quid autem illis? *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Chriſtus per Apoſtolum iis, qui vicerint Nicolaitas, cæteroſque ſimiles hæreticos, quique ſeſe oppoſuerint gentilium ſuperſtitioni, licentiæ, morumque corruptelæ, pollicetur fructum *ligni vitæ*, ideſt, immortalitatem, felicitatem æternam in alterâ vitâ (y), gratiam, cœleſte lumen, ſapientiam, & juſtitiam in præſenti. Alludit ad arborem vitæ, in medio terreſtris Paradiſi ſatam, cui *arboris vitæ* nomen ideò acceſſit, quòd vitam, incolumitatem, immortalitatemque Adamo ſervatura fuiſſet: quemadmodum & *arbor ſcientiæ boni & mali* ideò dicta eſt, quòd deguſtantis oculos apertura erat, ut peccatum ſuum, & inductum ſibi exitium noſſet. Veteres quidam, cum Recentioribus nonnullis (z), fructum *ligni vitæ* explicant de Divinâ Euchariſtiâ, quæ confert, auget, conſervat gratiæ vitam iis, a quibus dignè accipitur, quique de mundo, carne, & dæmone victoriam referunt.

℣. 8. Angelo Smyrnæ, Epiſcopo Eccleſiæ Smyrnenſis, nempe, uti plures opinantur (a), Polycarpo, Epiſcopo Eccleſiæ Smyrnenſis initiato ab Apoſtolis, quin potiùs a Joanne Evangeliſtâ, teſtibus S. Irenæo, Tertulliano, & Priſcis nonnullis (b). Hic conſuetudine Joannis Evangeliſtæ uſus eſt, & Martyrem Ignatium & Papiam Diſcipulos habuit. Quo anno Smyrnenſem Epiſcopatum obtinuerit, ignoramus. Si tamen Joannes hæc ad illum ſcripſit, ſi ab illo initiatus fuit, Epiſcopum egiſſe oportet ab anno xcv, vel xcvi Jeſu Chriſti, quo Apocalypſis ſcripto tradita fuit, & ante annum Chriſti c, Joannis emortualem.

Laudes, quibus Spiritus Sanctus Angelum Smyrnæ proſequitur, Polycarpo congruunt: nec prætereundum eſt, vitii nihil in eo reprehendi.

Smyrna urbs erat in toto Imperio per eam ætatem florentiſſima, literis præſertim & eloquentiâ illuſtris, cujus rei fama ingentem hominum turbam eò acciverat. De Metropoleos & urbis totâ Aſiâ principis titulo cum Epheſo diſputabat, nec rarò vincebat (c).

℣. 9. Scio tribulationem tuam et paupertatem. Græcus (d): *Scio opera tua, tribulationem tuam, & paupertatem tuam*; ſed illud *opera tua* in Codice Alexandrino & in Verſione Æthiopicâ deeſt. Ait igitur S. Spiritus, exploratam habere ſe probam rectamque agendi rationem Epiſcopi Smyrnenſis, quæque ille toleraverat mala & adverſa, denique bonorum fortunæ penuriam, qua opprimebatur. Verùm, addit, *dives es*, pretioſiorem quàm quicquid ab hominibus æſtimari ſolet, continens (e) fidem, ſpem, charitatem, Chriſtum ipſum, qui largitionibus ſuis te locupletat, teque bonis cœleſtibus eò ditiorem efficit, quò magis cares terreſtribus bonis ſpontaneâ & plenâ egeſtate.

Et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Omnium, quotquot paſſa eſt Eccleſia in ipſo ſui exordio adverſarios, infeſtiſſimos experta eſt Judæos incredulos, qui calumnias in Chriſtianos qua latè patet orbis ſparſerunt (f), ut invidiam in illos apud Principes, Magiſtratus & populum crearent. Ex iis multi provincias peragrantes, turbis maximis Eccleſias complures agitavere, contendentes, eos, qui ex Gentilibus ad Chriſtiana ſacra tranſibant, circumciſioni cæteriſque legalibus obnoxios eſſe oportere. In pravos iſtos Doctores perſæpe, ac præſertim in Epiſtolâ ad Galatas, Paulus inſurgit. Nec ſumma illis inerat de Lege ſollicitudo, cùm plerique illam non ſequerentur (g), nihilque haberent antiquius, quàm ut cupiditati gulæque ſuæ ſatisfacerent, & per alias atque alias Eccleſias diſcurrendo, pro viribus famam Apoſtolorum Chriſti apud Fideles criminationibus labefactarent. Hi quidem neque Judæi erant neque Chriſtiani, cùm nec legi parêrent, nec Chriſtum crucifixum prædicarent, ſed una eorum cura erat, ut ſeſe tutos a Gentilium Judæorumque inſectationibus ſecuros-

(t) *Auguſt. de Hæreſ.* 18.
(u) *Iren. lib.* 1, *cap.* 35.
(x) *Mſſ. Alex.* Ταῖς ἑπτὰ Ἐκκλησίαις. (y) *Cornel. Men. Riber. alii.*
(z) *Rupert. hic. Anaſtaſ. Sinaïta, lib.* 1 *Hexaëmer. Paſchaſ. Radbert. de Corpore & Sang. Chriſti, cap.* 7, & 8; *Alcaſar. &c.* (a) *Aureolus, Ribera, Perer. Alcazar. Lyr. Cornel. Men. Tir. Eſt. Paca. &c.*
(b) *Iren. lib.* 3, *cap.* 3; *Tertull. Præſcript. c.* 32; *Hieron. de Viris Illuſtr. cap.* 17; *Chronic. Alexandr.*
(c) *Vide* Tillemont, tom. 2, S. Polycarpe, pag. 337.
(d) Οἶδά σου τὰ ἔργα, καὶ τὴν θλῖψιν, καὶ τὴν πτωχείαν. *Omittunt,* τὰ ἔργα σου *Alexan. Vulg. Æthiop.* (e) *Aretas hic:* Πλούσιος ὁ ἐν τοῖς πνευματικοῖς, τὸν θησαυρὸν ἔχων κεκρυμμένον ἐν τῷ ἀγρῷ τῆς καρδίας σου, ὅς ἐστι Χριστὸς, δι' ὃν καὶ πλούσιος εἶ, *&c.* (f) *Juſtin. Dialog. cum Tryph. & Apolog.* 2; *Origen. homil.* 18 *Græc. in Jerem. Euſeb. Hieronym. in Iſai.* xviii.
(g) *Galat.* iv, 12, 13: *Quicumque volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantùm ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt, &c.*

℣. 10. Nihil horum timeas quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

℣. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Qui vicerit, non lædetur a morte ſecundâ.

℣. 12. Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam:

℣. 13. Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi ſatanas habitat.

COMMENTARIUS.

que præſtarent (h). Judæis dicebant: Veſtri ſumus, quippe qui circumciſionem admiſimus, & Moyſem magiſtrum agnoſcimus. Gentilibus verò: Ne Chriſtianos nos putetis, cùm religionem minimè novam profiteamur, in Imperio toleratam, Imperatorum Legibus probatam; Judæi enim ſumus.

Hiſtoria martyrii S. Polycarpi aſſertæ eſt Fidei, quippe quæ narratur in Epiſtolâ Eccleſiæ Smyrnenſis, paulò poſt ejus obitum ſcriptâ (i). Ibi legimus, Polycarpo igne damnato, Judæos, quorum multitudo ingens erat Smyrnæ, maximo præ cæteris ſtudio rogum paraſſe; quâ re illuſtratur hic Joannis locus, ferens, Polycarpum Judæis odio fuiſſe, ceu infenſiſſimum ipſis hoſtem; & locus credendo fit, non defuiſſe illos, quin calumniis & maledictis famam ejus proſcinderent.

℣. 10. Missurus est Diabolus aliquos ex vobis in carcerem. Prædicere videtur Apoſtolus martyrium S. Germanici, & decem vel undecim aliorum Chriſtianorum, qui ad beſtias Smyrnæ expoſiti paulò ante obitum Polycarpi martyrium conſummarunt (k). Contigit id anno Chriſti 166.

Et habebitis tribulationem diebus decem; nec iis evolutis tranquillitatem pollicetur: imò innuit futurum, ut ipſe vitâ periclitetur; *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Profectò Polycarpus martyrium Smyrnæ abſolvit, quo tempore Marcus Aurelius in Chriſtianos furens, ex iis plurimos perdidit. Decem dierum periodum non ſatis accuratè diſtinxit Hiſtoricus, ſed hoc dierum ſpatium exigere videntur ea, quæ nobis explorata ſunt. Quæ ſuperſunt martyrii ejus Acta tempus rei geſtæ docent; ſed Eruditis ægrè perſuadent. Tillemontius, qui rem poſt alios plures maturè expendit (l), cenſet, illum obiiſſe die Sabbathi, xxiii Februarii anni 166, qui ſextus erat Imperii M. Aurelii, & L. Veri. Porrò vexatio illa exordium cœpit a nece Smyrnenſium quorumdam Fidelium, qui ſuppliciis variis ante Polycarpum perempti fuerunt. Ex his quidam Quintus Phrygius temerè ſeſe martyrio obtulit, ſed victus ceſſit, & Idolis ſacrificavit. Id intelligens Polycarpus rogantibus amicis, tandem conſenſit, ut ſe ipſi in agrum reciperet. Aliquot ibi diebus manſit; & tertio ante obitum die cœleſti viſione edoctus, ignis ſupplicium deſtinari ſibi intellexit. Nec vana ominatus, poſt triduum captus rapturque ad Proconſulem, ejus juſſu manibus populi ad ſupplicium ignis traditus fuit.

℣. 11. Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. Mors prima corporis eſt, animæ ſecunda (m). Datum eſt quidem adverſariis, ut corporis noſtri vitam tollant, perdantque corpus iſtud, in quo velut in tentorio degimus; ſed manus in animam injicere nequidquam tentant. Hæc, Deo largiente, gloriâ & felicitate in æternâ manſione donabitur. Hæc locutio, *mors ſecunda*, recurrit infra, xx, 6, 14, ubi dicitur Infernus ſecunda mors eſſe. Legitur illam pariter apud Paraphraſtas Chaldæos (n); & ex Rabbinis quidam (o) docuerunt, impiorum animas in alterâ vitâ ad nihilum redigi.

℣. 12. Angelo Pergami. Scripta hæc fuiſſe ad Carpum, qui Eccleſiam Pergami tunc adminiſtrabat, quidam cenſent (p). Sed cùm ille ſub Decio obierit, Epiſcopum Pergami ſub Domitiano agere nequaquam potuit. Vide Tillemontium, *t.* 3, *p.* 346, &c. *Apoc.* xxii, 18; & *Fabric, t.* 2 *Bibl. Gr. p.* 75. 76. Licèt autem conſtet, Carpum Pergami obiiſſe, nullo tamen documento Epiſcopum ejus Eccleſiæ fuiſſe diſcimus. Pergamus ſita erat in Troade, atque inter Urbes ejus ætatis vetuſtas & florentes habebatur.

Hæc dicit qui habet rhomphæam; id eſt Chriſtus, ſive Angelus, perſonam Chriſti gerens, cujus ex ore anceps gladius prodibat. Vide ſupra, i, 16. Hoc emblemate ultio in impios exercenda deſignabatur. Vide infra, ℣. 16.

℣. 13. Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ. Pergamum Urbem fuiſſe moribus corruptiſſimam, Idolorum præſertim cultui addictam, oportet (r). Græcus legit: *Scio opera tua, & habitas ubi ſedes eſt Satanæ*. Sed neque in Codice Alexandrino, neque in Verſione Æthiopicâ legitur illud: *Scio opera tua*.

Non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos. Fidem meam retinuiſti, vel tunc, cùm Antipas ejus causâ neci apud vos traditus fuit. Antipas in Domitiani perſecutione martyrium

(h) *Galat.* iv, 17; v, 11: *Ego autem, fratres, ſi circumciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis. Vide & Galat.* vi, 12; *Philipp.* iii, 18.
(i) *Apud Euſeb. lib.* 4, *c.* 15. (k) *Vide Euſeb. ibidem, Riber, Hammond, Men, alios.*
(l) *Vide* Tillemont, ſur S. Polycarpe, note 53.
(m) *Victorin. Andreas, Beda, Lyran. Haymo, Carnel. Riber. Men. alii.*
(n) *Paraphraſt. ad Deut.* xxxiii, 6; *& Iſai.* xxii, 14. (o) *Dav. Kimchi, & alii quidam. Vide Grot. hic, & Muiſ. ad Pſal.* 1. (p) *Aureolus, Lyran.*
(q) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib.* 4, *cap.* 15.
(r) *Aret.* Θρόνον τὸν Σατανᾶ τὴν Πέργαμον καλεῖ, ὡς κατείδωλον οὖσαν, ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν. *Ita Grot. Gaga. Clavet. alii.*

℣. 14. Sed habeo adversùs te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Israël, edere, & fornicari:

℣. 15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum.

℣. 16. Similiter pœnitentiam age: ſi quò minus veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

℣. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum: & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.

COMMENTARIUS.

rium Pergami absolvit (s). In cujus Actis Epiſcopus Pergami appellatur, & in ardenti æneo taoro abſumptus fuiſſe dicitur. Quamquam autem horum Actorum meminerunt Andreas & Aretas Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopi, & Commentariis in Apocalypſim celebres, fidei tamen ſatis certæ minimè habentur. Notat Grotius, ſupplicium ænei tauri ſuccenſi Romanis Legibus, quæ tunc Pergami obtinebant, ignotum fuiſſe. Verbum Græcum (t), *qui occiſus eſt*, innuit, in tumulto populari concitantibus Sacerdotibus Æſculapii, Numinis Pergamenorum, Antipam neci traditum fuiſſe. Hoc Antipæ ſupplicio Epiſcopus Pergami territus minimè eſt; quamquam ſimilis necis diſcrimini aſſiduè expoſitum periclitari ſe noverat.

℣. 14. HABEO ADVERSUS TE PAUCA. Aliqua in Eccleſiam tuam vitia, a te minimè ferenda, irrepsere; *habes* enim *illic tenentes doctrinam Balaam*, impii illius Prophetæ, qui a Balaco Rege Moab accitus, ut Israëlitas diris devoveret (u), intelligensque fruſtra ſe obniti, cùm pro maledictis bonas preces Deus dictaret, pravum illud conſilium præbuit Balaco, ut puellas in caſtra Israëlitarum mittens, illos ad impudica primùm, tum ad Idola pelliceret; atque ita *miſit ſcandalum coram filiis Israël edere* idolothyta *& fornicari*. Vide Numerorum librum xxiv, 14; & xxxi, 16. Doctores hoſce cum Balaamo Apoſtolus comparat.

℣. 15. ITA HABES ET TU TENENTES DOCTRINAM NICOLAITARUM, qui exemplo Balaami fideles ad libidinem & idola pertrahere ſtudent. Nefanda Hæreticorum iſtorum ſcelera ſupra, ℣. 6, commemoravimus.

℣. 16. SIMILITER POENITENTIAM AGE. In Græco deeſt (x) illud *ſimiliter*; ſed in fine ſuperioris verſiculi habetur *odi*, in hunc modum: Doctrinam Nicolaitarum, *quod odi*; *pœnitentiam age*. Codices alii legunt: *Habes ſimiliter tenentes doctrinam Nicolaitarum: pœnitentiam age.* Quemadmodum Balaam lapidem offenſionis Israëlitis objecit; ita Pergami verſantur quidam, Nicolaitarum doctrinam ſequuti. His tibi invigilandum, & tanta adverſariorum pernicies reprimenda eſt. Id niſi præſtiteris, *veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei*. Gladius meus anceps vibrabitur, & illos perimam, quemadmodum Balaam gladiis Hebræorum periit (y). Gladius vel divinam ultionem vel Dei verbum ſignificat. Concitabo in eorum excidium ultores, ſive Prophetas & Sacros Oratores pollentes eloquio, qui nefanda eorum myſteria detegentes, æternâ ignominiâ illos obruent.

℣. 17. VINCENTI DABO MANNA ABSCONDITUM. Quicumque inter vos cum Nicolaitis hiſce ſeſe committens, victoriam de illis referet, nutrietur ſpirituali mannâ, cibo illo cœleſti, quem Chriſtus delaturus in mundum venit; id eſt, agnitione veritatum ad ſalutem pertinentium, & conſiliorum Dei erga homines, gratiâ quoque donisque Spiritûs Sancti; denique Corpore ejus & Sanguine in Eucharistiâ, ſolatiis & gaudiis cœleſtibus. Hæc omnia *manna* illud *abſconditum* complectitur; eſt enim abſconditum Judæis carnalibus, unis notum Fidelibus, qui perpetuam luctam cum carne, mundo, dæmone, & errore luctantur. Cenſent quidam (z), ſpectaſſe hic Apoſtolum gomor illud mannæ, quod Moyſes ſeponendum curavit, & ad latus Arcæ in Sanctuario condidit (a).

ET DABO ILLI CALCULUM CANDIDUM, ET IN CALCULO NOMEN NOVUM. In judiciis capitalibus mos erat Judicum ſuffragium lapillis ferre. Albi abſolutionem, nigri damnationem indicabant (b).

Mos erat Antiquis, niveis atrisque lapillis
His damnare reos, illis abſolvere culpa.

Veterem hunc morem deſignari hic, Interpretes plerique arbitrantur (c). Aretas ait, obtinuiſſe pariter, ut albi lapilli in ludis publicis victori darentur. Spondet igitur Chriſtus, donaturum ſe victorem manna abſcondito, & calculo albo; illo ad ſuſtentationem & ſolamen, hoc ad abſolutionem, & ad proclamandum victorem.

Criticorum quidam peritiſſimi putant, Apoſtolum morem alium Antiquitatis ſpectaſſe. Tota ſeries narrationis demonſtrat, alluſum hic eſſe ad præmia victorum in publicis ludis. Dabantur illis plerumque portiones quædam frumenti & fructuum, aſſignatæ illis e publicis horreis, quas hi exigebant datâ ſchedulâ, in qua & nomen & dotes ſingulorum & quantitas frumenti exigendi adſcriptæ erant (d). Solebant etiam Romanorum Imperatores interdum in publicis ludis calculos populo projicere, ferentes certam quantitatem frumenti, ſive pecuniæ, ſive perſimile aliud; quicumque ex populo illos rapiebant, e publico ærario tantumdem recipiebat.

Con-

(s) *Vide apud Bolland. 8 April. pag. 5. Et* Tillemont, perſecution de Domitien, tom. 2, p. 130. & Note 2. (t) Ἀπεκτάνθη. (u) *Num.* xxii, xxiii, xxv, 17; xxxi, 16. *Mich.* vi, 5; 2 *Petr.* ii, 15; *Judæ*, 11. (x) ℣. 15: Τὴν διδαχὴν τῶν Νικολαϊτῶν, ὃ μισῶ, 16, Μετανόησον. *Plures legunt*: Τῶν Νικολαϊτῶν ὁμοίως. 17. Μετανόησον οὖν. *Ita Steph.* 15, *Alex. Pet.* 2, 3, *Hunt.* 2, *Sin. Baroc. Cov.* 2, *Barb.* 2, *Areth. alii*. Ὁμοίως μετανόησον. *Ita Vulg. Syr. Cornel.*
(y) *Num.* xxxi, 8; *Joſue*, xiii, 22. *Grot. Riber.* (z) *Capell. Cotter. Pool.* (a) *Exod.* xvi, 32.
(b) *Ovid.* xv *Metamorph.* (c) *Ita Riber. Cornel. Men. Tir. Pool. Piſc. Cluver. Durham. Cotter. &c.*
(d) *Vide Vitruv. Præfat. lib.* 9; *& Plin. Ep.* 119, *&* 120; *Juſtin. ad Zenam. Grot. & Hamm. hic, & Petit. Var. Lect. cap.* 8.

℣. 18. Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco.

℣. 19. Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus.

℣. 20. Sed habeo adversùs te pauca; quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit prophetam, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

℣. 21. Et dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere a fornicatione ſuâ.

℣. 22. Ecce mittam eam in lectum: & qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.

COMMENTARIUS.

Conviviis pariter erant quædam publica & ſecra, ad quæ nemo admittebatur, niſi qui syngrapham, qua jus ingrediendi conſerebatur, redderet.

Hammondus commemorari hîc cenſet morem apud nos obtinentem in ludis ſortitionum, in quibus optimæ ſortes caſu obveniunt, exhibentque *nomen novum*, ignotum extrahenti, notumque illi tantummodo, qui ſchedulam vel ſortem injecit. Ait hîc Joannes, obventuram victori optimam ſortem, optimam syngrapham cum nomine Jeſu Chriſti, *nomine novo, quod nemo ſcit, niſi qui accipit*; præmium ſcilicet, cœleſtem gloriam, myſterium ignotum hominibus mundi amatoribus, neſcientibus deſpectum, ſed notum probatumque Fidelibus, qui penſant præſtantiam bonorum, quæ Deus amicis ſpopondit.

℣. 18. Angelo Thyatiræ Ecclesiæ. Thyatira modò Myſiæ, modò Lydiæ adſcribitur; erat enim utrique finitima. Martyrologia quædam hunc Epiſcopatum adſcribunt Carpo, de quo ſupra, ℣. 12. Alii (e) Irenæo tribuunt. Sed prior ille incertiſſimus eſt; alter nullo fundamento aſſeritur. Memoret S. Epiphanius (f) Hæreticos quosdam, qui authoritatem Apocalypſi ideo detrahebant, quòd eorum ætate Eccleſia Thyatiræ nulla eſſet; quòd & perſuaſit nonnullis, Joannem hîc prænuncieſſe quæ deinceps eventura norat. Aliis verò perſuaſum eſt, totam Eccleſiam Thyatiræ in Cataphrygum errorem pertractam fuiſſe. Eccleſiam hîc agnoſcit Grotius, ſed ex Judæis tantummodo ad fidem converſis. Non abſimile vero judicamus, eam, ad quam hîc Apoſtolus ſcribit, Eccleſiam, quòd monita Joannis ſurdis auribus exciperet, in calamitates illas incidiſſe, quæ infra denunciantur, ut penitus diſſipata interierit ſæviente perſecutione, vel Hæreticis adnitentibus in errorem declinarit: cùm labente ſecundo vel incipiente tertio ſæculo nulla Catholicorum Eccleſia ibi fuerit.

Qui habet oculos tanquam flammam ignis. Vide ſupra, 1, 14. Oculi flammei vel furoris vel infinitæ efficacitatis argumentum ſunt.

℣. Et opera tua noviſſima plura prioribus. Raræ laudis eſt de priſtino fervore nihil remiſiſſe, quin & incaluiſſe in dies magis virtutum exercitatione (g): *Rara avis in terris eſt, qui de gradu, quem in Religione fortè ſemel attigerit, vel parum aſcendat.*

℣. 20. Permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Prophetam, docere in Eccleſiâ, & decipere plurimos. Quemadmodum ℣℣. 14, & 15, doctrinam Balaam appellat dogmata Nicolaitarum; ita & hîc fœminam quamdam Thyatiræ, Prophetidem mendacem, nomine Jezabelis traducit. De hac fœminâ nihil compertum eſt. Suſpicantur quidam (h), ejusdem Epiſcopi uxorem fuiſſe; quin & in Græcis Codicibus quibusdam manuſcriptis (i) legitur: *Uxorem tuam Jezabel*. Sed quis credat, Apoſtolum modeſtè adeò ſe continuiſſe erga Epiſcopum, ſi is ea, quæ hîc reprehendit, crimina in uxore ſuâ toleraret? Malunt alii (k), deſignari Nicolaitas ibidem agentes, moresque Fidelium, quos in hæreſim pertrahebant, corrumpentes. Mulierem illos appellat, quòd moribus eſſent mollibus & effœminatis. Sed plerique (l) arbitrantur, ſermonem hîc eſſe de muliere opulentâ & arroganti, quæ inanibus oraculorum commentis populum fallebat, quales erant Prophetides Montaniſtarum, Priſcilla, Maximilla, Quintilla. Nulla fortaſſe hæreſis eſt, quæ non mulierum ope increverit.

Fornicari et manducare de idolothytis. Profectò mulier iſta adhærebat Nicolaitis vel Gnoſticis, qui ſalaciſſima quæque, & idolothyta ceu res in medio poſitas habebant.

℣. 21. Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret. Illam moneri juſſi, hortatus ſum ut reſipiſcat, & errorem abdicet. Sed, ℣. 22, *Mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt.* Sive hæc accipiantur de adulterio ſpiritali per idololatriam commiſſo, ſive de adulterio propriè dicto. Mulier hæc, ut innuimus, profitebatur hæreticorum illorum ſectam, quibus ſalaciſſima quæque probabantur. Solemne erat Deo, per hæc tempora Fideles in crimina labentes morbis punire (m).

℣. 23. Fi-

(e) *Aureolus hic.*

(f) *Epiphan. hæreſ. 51.*

(g) *Bernard. Ep. 96 ad Richard. Fontan. Abbat.* (h) *Ita Syr. Tichon. Cyprian. Areth. alii plures e recentib.* (i) Ὅτι ἐᾷς τὴν γυναῖκα Ἰεζαβὲλ. *Alii plures*: Τὴν γυναῖκα σου Ἰεζαβὲλ. *Steph. α, ιε, Alex. Sin. Barot. Pet. 2, Hunt. alii. Syr. Areth. Cyprian. Ep. 55. Tichonius, Seidel. & ita veteres ait Grot.*

(k) *Tichonius, Primaſ. Rupert.*

(l) *Beda, Rupert. Primaſ. Perer. Cornel. alii.*

(m) *Vide 1 Cor. 11, 30.*

℣. 23. Et filios ejus interficiam in morte, & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo unicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua. Vobis autem dico,

℣. 24. Et cæteris, qui Tyatiræ eſtis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudines ſatanæ, quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.

℣. 25. Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam.

℣. 26. Et qui vicerit, & cuſtodierit usque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper Gentes;

℣. 27. Et reget eas in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur,

℣. 28. Sicut & ego accepi a Patre meo: & dabo illi ſtellam matutinam.

℣. 29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

COMMENTARIUS.

℣. 23. Filios ejus interficiam morte; ideſt ejus Diſcipulos & fautores, ſeu filios flagitia matris imitantes. Feriam peſtilentiâ, ſeu lethali aliquo morbo; vel denique morte ſecundâ, morte Inferni (n) illos perimam.

℣. 24. Qui non cognoverunt altitudines Satanæ. Qui novis & peſtilentibus erroribus Nicolaitarum, Simonianorum, & Gnoſticorum aures præbere recuſaſtis; ſive qui illos nec excipere nec probare ſuſtinuiſtis (o). *Altitudines* ſeu potiùs (p) *profunda Satanæ*, ſunt arcana doctrinæ abſtruſæ Hæreticorum, qui Diſcipuli ſunt ſeu potius miniſtri Satanæ: ea quæ illi venditabant de mentibus mundi creatricibus & Creatori contrariis: quæ docebant de Angelis, & variis illorum gradibus; myſteria rerum ab ipſis peſſimè geſtarum; volumina, quibus doctrinam ſuam deſcripſerant. Hæc omnia Joannes appellat *altitudines Satanæ, quemadmodum dicunt*; id eſt, quas illi altitudines nuncupant. Apoſtolus addit *Satanæ*, in contemptum: *Altitudines*, quemadmodum ipſi appellant, quas tamen myſteria diaboli meritò dixeris.

Non mittam super vos aliud pondus. Legis jugum iterum cervicibus veſtris minimè imponam (q). Seu potiùs (r): Novis minis vos non terrebo; triſtia iterum vaticinia non addam. Familiari Prophetarum ſtilo *onus* oraculum triſte deſignat: *Onus Ninive*, *Onus Babylonis*; & ſic de reliquis.

℣. 25. Id quod habetis, tenete. Depoſitum fidei ſervate, perſeverate in bono, in patientiâ, in charitate, quas in vobis virtutes laudavi, ℣. 19. Si conſtantes in iis permanſeritis, futurum ſperate, ut nullum furoris mei pondus cervicibus veſtris incumbat, ſed tantummodo in Jezabelem ruat, ℣℣. 20, 21, 22, 23.

℣. 26. Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes. Qui Jezabelem ſuperaverit, qui ejus illecebris reſtiterit, & pernicioſæ ejus doctrinæ repugnaverit, poteſtate in gentes donabitur; præficietur Gentilibus ad Chriſtiana ſacra traductis (s); ſeu potiùs, me largiente, obtinebit gratiam, & ſcientiam, ob ducendos ad Fidem Gentiles neceſſariam; ſeu denique ſocium mihi gloriæ in Cœlo, & aſſeſſorem ſupremâ Judicii die ad judicandas Gentes adſciſcam (t).

℣. 27. Reget eas in virga ferrea. Confirmatur his noſtra expoſitio, qua de supremâ Judicii die locum hunc interpretati ſumus; Eccleſiaſtica enim Paſtorum in gregem gubernatio nunquam virgæ ferreæ nomine deſignata eſt; nec Chriſtus unquam Eccleſiæ ſuæ imperium terribile & violentum in nationes devictas ſpopondit. Quin & Regnum ſuum in mundo non eſſe, Chriſtus ſuo ipſe ore profeſſus eſt (u). Attamen Pſalmiſta de regno ejus in gentes (x) ait, moderaturum illas *in virgâ ferreâ, & tamquam vas figuli confracturum*. Et Joannes infra (y) docet, filium, quem peperit Eccleſia, ideſt Chriſtianum populum, gubernaturum gentes *in virgâ ferreâ*; quibus verbis deſignatur temporale mundi regimen penès Chriſtianos Principes fore, eosque in ſubjectas ſibi Gentes abſolutum imperium exercituros. Eamdem explicationem hîc pariter admitti nihil vetat.

℣. 28. Dabo illi stellam matutinam. Nempe, ut quidam explicant (z), cuſtodem Angelum, nobis dirigendis a Deo datum. Vel, ut alii malunt (α), Chriſtum Jeſum, ſive ejus gratiam, ſeu donum fidei, aut divinam lucem, ſeu denique gloriæ & beatitudinis cœleſtis lumen (β).

CA-

(o) *Druſ. hic. Vide Sup. ad ℣. 12.* (n) *Beda, Rupert. Primaſ. Richard. alii.*
(p) Τὰ βάθη, ſeu τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ. (q) *Victorin. Ambroſ. Primaſ. Rupert. Beda, Haymo, Joachim. Ausbert. Lyr. Hugo, Pannon.* (r) *Tichon. Cornel. Durham.*
(s) *Cornel. Hammond. Ita Bed. Primaſ. Ausbert.* (t) *Ribera, Lyran. Gomar. Menoch. Cornel. Ita ex Antiq. Victorin. Andr. & Areth. &c.* (u) *Joan.* xviii, 36. (x) *Pſal.* ii, 9. (y) *Apoc.* xii, 5.
(z) *Richard. de Sancto Victor. Dionyſ. Carthuſ. Maldon. not. Mſſ. apud Cornel. hic.*
(α) *Perer. Viegas, Riber. Cornel.* (β) *Richard. Primaſ. Areth. alii.*

CAPUT III.

Monita ad Epiſcopos Sardium, Philadelphiæ, & Laodiciæ. Penès Chriſtum eſt clavis David. Columna, in quibus Dei & Sionis nomen cælatum eſt. Chriſtus tepidos abjicit: dilectos ſuos malis probat, fores pulſat.

℣. 1. ET Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.

℣. 2. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

℣. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & ſerva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies quâ horâ veniam ad te.

℣. 4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ANGELO ECCLESIÆ SARDIS. Sardis urbs erat olim Lydiæ metropolis & Crœſi Regia; *Quid Crœſi Regia Sardis* (a).

QUI HABET SEPTEM SPIRITUS DEI ET SEPTEM STELLAS. Hac locutione Chriſtus exprimitur. Confer I, 4, 16, 20. Commodè etiam dicta hæc accipiuntur de Patre & Filio, in hanc ſententiam; Ille, cujus ſolio adſunt ſeptem Spiritus, ideſt Pater, ex Cap. I, 4; & ille, in cujus manu ſunt ſeptem ſtellæ, ideſt Filius, ex Cap. I, 16, 20. In Græco (b) deeſt numerus *ſeptem*, Spiritibus additus; ſed in optimis pluribus manuſcriptis Codicibus legitur.

NOMEN HABES QUOD VIVAS, ET MORTUUS ES. Qui te penitus non noſcunt, optimum Chriſtianum virumque probum eſſe te putant; ſed ego qui abdita pervado, mortuum eſſe te gratiæ aſſero, ut perinde te reſpiciam atque cadaver, vel oculis execrandum. Apud Scriptores ſacros *vivere* eſt gratiâ Dei frui, & bona opera facere; *mortuum eſſe*, eſt in peccato agere, & ab officio ceſſare (c).

℣. 2. ESTO VIGILANS, ET CONFIRMA CÆTERA (d) QUÆ MORITURA ERANT; confirma reliquias populi tui; ſive reliqua opera tua. A maximâ officiorum tuorum parte ita ceſſaſti, ut mortuus in illis videaris, quemadmodum mortuus es in præcipuis gregis tui membris; excita te, & quod reliquum eſt in te & in illis vitæ revoca; latentem in cinere favillam excita; in novum fervorem deflagra, te recipe; pœnitentiam amplectere; pravos Doctores pelle; dogmata ſalutis ſeriò cogita & exequere; invigila gregi, luemque hæreſeos in illo graſſantem coërce; *non enim invenio opera tua plena coram Deo meo*. Deeſt illis fervor, charitas, piuſque ardor quo victura erant, quo perficienda, quo meritum & gratiam apud Deum habitura. Quæ hominum oculos maximè capiunt, ſæpe oculis Dei mortua & inania ſunt; quippe quibus deeſt charitas, qua æternæ ſalutis meritum adeptura erant.

℣. 3. IN MENTE HABE, QUALITER (e) ACCEPERIS. Memento doctrinæ, quam a primis Apoſtolis accepiſti, tibique commiſſi fidei depoſiti reminiſcere; cuſtodi ſanctè, nec permittas novitatibus, nonquam non pernicioſis, vel minimum periclitari.

VENIAM AD TE TAMQUAM FUR, te minimè cogitante. Non equidem ſtudet Deus, ut incautos nos ex improviſo opprimat, nec occultos laqueos ſtruit. Monet proinde ſe venturum ceu furem, vigilemus; quod non moneret, ſi incautos capere vellet (f).

℣. 4. HABES PAUCA NOMINA (g) IN SARDIS, QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA SUA. Nomina interdum pro perſonis hominum uſurpantur (h). Repoſuerat ſibi Deus in eâ urbe paucos quoſdam Fideles, qui in fide ſtabiles a Nicolaitarum ſordibus puros ſeſe, & a profanis Hæreticorum novitatibus immunes ſervaverant. *Veſtimenta inquinata* ſunt res malè & impurè geſtæ. Qui veſtimenta munda cuſtodiunt, ii ſunt, qui eam, qua imbuti ſunt in baptiſmo, innocentiam immaculatam exhibuerunt, ſive quorum fides moreſque puri ſunt. *Ambulant* cum Filio Dei *in albis, quia digni ſunt*. Domini ſui conſuetudine in Cœlo fruentur, ejuſque ſatellitio addicti, gloriâ ejus tamquam amici & ſervi delecti gaudebunt. Vide infra, VII, 9: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat..... ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*. Hæc ſocietas Fi-

(a) *Horat. lib.* 1, *Ep.* 2.

(b) Ὁ ἔχων τὰ πνεύματα τοῦ Θεοῦ. *Alii plures*; Τὰ ἑπτὰ πνεύματα. *Ita Steph.* 2, 16, 17, *Alex. Cov.* 2, *Hunt.* 1, *Sin. Baroc. Colin. Edit. & alia quæd. Edit. Syr. Arab. Æth. Areth. Vulg.*

(c) *Vide Epheſ.* II, 1; 1 *Timoth.* V, 6; *Luc.* XV, 22; *Epheſ.* V, 14.

(d) Στήριξον τὰ λοιπά. *Alii*, Τοὺς λοιπούς, &c. *Ita Syr. Æth. Arab. Ita explicant Beda, Primaſ. Lyran. Perer. Alcazar. Cornel. Menoch. Para. alii.*

(e) Πῶς εἴληφας, καὶ ἤκουσας. *Quidam*; *qualia*. πῶς, *pro*, ποῖα. *Arab. Æth. Bez. Grot. Zeger. Cornel. Areth.* Τὴν παράδοσιν ἣν ἐκ τῶν Ἀποστόλων εἴληφας τήρησον.

(f) Vide *Matth.* XXIV, 43; 1 *Theſſal.* V, 2; *Apocal.* XVI, 15. (g) *Pauca nomina*, ὀλίγα ὀνόματα.

(h) *Vide Act.* I, 15: Ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. *Apoc.* XI, 13: Ὀνόματα ἀνθρώπων χιλιάδες ἑπτά. *Tibull. Eleg. Nec fidum femina nomen, &c.*

Digitized by Google

℣. 5. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

℣. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

℣. 7. Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Sanctus, & Verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit:

COMMENTARIUS.

Fidelium Sardicenſium futura eſt.

Suſpicantur alii *(i)* ſpectatas hîc ſolemnes illas pompas, in quibus viri principes, Sacerdotes, & ingenui quique albati prodibant; ſeu ſolemnes triumphos, in quibus victor cæterique, currum victoris honoris gratiâ comitantes, albis veſtibus ſplendebant. Nam albus color gaudii eſt, feſtus, & triumphalis. Angeli nunquam non albati ſpectantur.

℣. 5. QUI VICERIT, SIC VESTIATUR VESTIMENTIS ALBIS (id noſtram explicationem confirmat) ET NON DELEBO NOMEN EJUS DE LIBRO VITÆ. Hic loquendi modus, *deſcribere in libro vitæ*, & *ex eo delere*, familiari Scripturæ ſtilo prædeſtinationem & reprobationem deſignat. Prædeſtinati in eo libro ſcribuntur; reprobi delentur *(k)*. At enim ſi prædeſtinatio ad gloriam & reprobatio immutabiles ſunt, qua ratione Dei Filius indelebile ſpondet ſe conſervaturum nomen ejus qui vicerit? Hinc enim colligitur, deletum iri, ſi victus ceſſerit. Reſpondeo, reprobationis & prædeſtinationis genera duo eſſe; alterum plenum & irrevocabile; alterum verò imperfectum. Hoc ad vocationem & juſtificationem pertinet; illud ad gratiæ, & gloriæ complementum.

Quicumque Chriſtiano nomine cenſentur, qui Baptiſmi gratiam aſſequuti ſunt, Divinumque donum guſtaverunt, ad gratiam eliguntur, & prædeſtinantur, hi conſortes facti ſunt prædeſtinationis hujus, quam nos imperfectam appellavimus, & S. Thomas *(l)* inchoatam nuncupat. Deus viſus eſt illos in libro vitæ deſcribere, cùm inter Filios ac Fideles cooptarit: ſi tamen illi a gratiâ, ſive a fide exciderint, ſeu potiùs ex eo quòd perſeveraturi non ſint, quippe in cenſum prædeſtinatorum ad gloriam non relati, e libro vitæ eorum nomina delenda ſunt. At qui pleno & irrevocabili decreto ad gloriam prædeſtinantur, nomina illorum in libro vitæ certiſſimè manſura ſunt, quia in bono perſeveraturi ſunt; & ſi fortè in infidelitatem, ſive in crimen aliquod ceciderint, per pœnitentiam reſurgent. In libro vitæ ſcripti eſſe videbantur, inquit S. Auguſtinus *(m)*, at reverâ non erant. Salutis opus incepere, ſed minimè abſolverunt. Illi verò, de quibus hîc Joannes, in gratiâ confirmabuntur, & perſpicuis argumentis inter prædeſtinatos ſeſe illos cooptaſſe Deus demonſtrabit, ac perſeverantiæ gratiâ donabuntur.

Denique supremâ Judicii die *confitebitur nomen eorum coram Patre*; ut ſuos agnoſcet, quemadmodum & ipſi pariter, dum viverent, ejus nomen coram hominibus profeſſi ſunt, juxta illud Evangelii *(n)*: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: qui autem negaverit me coram hominibus*, vel quem mei puduerit, *negabo eum*, vel ejus me pudebit *coram Patre meo*. Is probro duxit Diſcipuli mei nomen & profeſſionem; ego quoque coram Patre meo probro illum ducam, & abjiciam *(o)*.

℣. 7. ANGELO PHILADELPHIÆ ECCLESIÆ. Philadelphia Phrygiæ ſeu Myſiæ, vel Lybiæ urbs erat. Provinciæ enim iſtæ finitimæ ſunt, & variis ſubinde temporibus Philadelphia modò uni modò alteri ex illis pro variâ terrarum diſtributione acceſſit.

HÆC DICIT SANCTUS ET VERUS, QUI HABET CLAVEM DAVID. Novis hiſce epithetis Jeſum Chriſtum deſignat; is enim nominis excellentiâ Sanctus veruſque eſt, Sanctitas & veritas ipſa; veritatis & Sanctitatis fons & origo. *Qui habet clavem David*, ſeu *clavem domûs David*, ut legitur in Isaia *(p)*, quò Joannes hîc alludit. Clavis inſigne erat Præfecti Regiæ Domûs. Typicè *domus David* Eccleſiam *(q)* ſeu Cœlum deſignat, cujus utriuſque clavis penès Chriſtum eſt, qui & pro arbitrio Cœlum claudit, & aperit *(r)*. Hanc ejus poteſtatem, ligandi ſolvendique peccata, Apoſtoli ejuſque in terris Miniſtri in Eccleſiâ ejus nomine exercent. Quæ in terris militat Eccleſia, quæque in Cœlis triumphat, unam eamdemque abſolutiſſimam Eccleſiam componunt. Quod hîc in noſtro inferiori Orbe ſolvitur ligaturque, illic in ſuperiori Cœlo ratum eſt; quæque ejus nomine per famulos ſuos ſpectantibus nobis præſtat, eadem nobis occultus idem Chriſtus in Cœlo agit. Ad Chriſtum igitur clavis David pertinet, quo tradente hæc ab hominibus accipitur.

Aliis *(s)* ſub hac phraſi clavis *David* cenſetur germana oraculorum cæterarumque Scripturarum interpretatio, quæ reſerante Chriſto Eccleſiæ, ejuſque Apoſtolis & amicis patuit. Chriſtus eſt igitur veluti clavis, ſine qua antiqui Fœderis Liber clauſus eſt; nec arcanus ſenſus oraculorum typorumque, qui in eo continentur, prodit, niſi Chriſto accommodentur.

℣. 8. Ec-

(i) *Vide Pare. Druſ. Gemar. Durham. Piſc. Cluver.*

(k) *Ambroſiaſt. D. Thom. Perer. Eſt. Cornel. Riber. Men. alii.*

(l) *D. Thom. 2 parte, qu. 24, art. 3.*

(m) *Auguſt. in Pſal. LXVIII, 29; & Ambroſiaſt. hic.*

(n) *Matth.* X, 32, 33; *Luc.* IX, 26.

(o) *Matth.* XXV, 12: *Amen dico vobis, neſcio vos.* (p) *Iſai.* XXII, 22: *Dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

(q) *Tichonius, Primaſ. Andr. Aretas, Bed. Anſelm. Riber. Perer. Alcazar. Cornel. alii.*

(r) *Arethas hic*: Κλεῖδα, τὴν ἐξουσίαν καλεῖ. Ὁ γὰρ ἔχων ἐξουσίαν τοῦ κλεῖσαι καὶ ἀνοῖξαι τὸν οἶκον, οὗτος καὶ τὸν οἶκον πεπίστευται. Ἐπειδὴ ἡ κλεὶς τὴν ἐξουσίαν αἰνίττεται, ὁ λέγων ἑαυτὸν ἔχειν τὴν κλεῖν τοῦ Δαβίδ, τί ἄλλο λέγει, ἢ μή, ὅτι ὥσπερ ὁ Δαβὶδ τοῦ αἰσθητοῦ Ἰσραὴλ ἐβασίλευσεν, οὕτω καὶ ἐγὼ πρὸς τῷ αἰσθητῷ, καὶ τοῦ νοητοῦ; (s) *Ambroſiaſt. Anſelm. Rupert. Richard. Lyr. Joachim. Thom. Pannon. Viegas.*

℣. 8 Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.

℣. 9. Ecce dabo de ſynagogâ ſatanæ, qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & ſcient quia ego dilexi te.

℣. 10. Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terrâ.

℣. 11. Ecce venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

℣. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Jeruſalem, quæ deſcendit de cœlo a Deo meo, & nomen meum novum.

COMMENTARIUS.

℣. 8. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere. Fruſtra Evangelii & veritatis oſores prohibere te conabuntur, ne gentibus prædices; fruſtraque pariter obſtruere gentibus Eccleſiæ aditum obnitentur; me enim fores reſerante intrabunt; me vos mittente, veſtriſque laboribus favente, res pro voto ſuccedet (t). Gemina fermè de prædicatione ſuâ Paulus habet (u): *Oſtium mihi apertum eſt magnum & evidens, & adverſarii multi.* Et alibi (x): *Cùm veniſſem Troadem propter Evangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino.* Denique (y): *Orantes ut Deus aperiat nobis oſtium ſermonis.*

Quia modicam habes virtutem, ideſt vim & robur (z), medio in diſcrimine te non relinquam. (℣. 10.) *Ego ſervabo te ad horam tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum.* Dei enim rectè providentia eſt, ut quæ permittit in Chriſtianos tentationum diſcrimina attemperet viribus & gratiæ auxiliis, quæ ſe largiente illi receperunt; nec unquam permittat, ut ſupra vires tententur (a): *Fidelis Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

Commodè etiam ſic explicantur: *Quia modicam habes virtutem*, ingenii mentiſque parum (b), gratiarum cœleſtiumque S. Spiritûs donorum, eloquentiæ & ſcientiæ minimum, adeoque promovendæ Evangelii prædicationi parum aptus es; nihilo tamen ſecius quia *ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum*, fidei tuæ præmium rependam, & quæ tibi deſunt, ex me ſupplebo. (℣. 9.) *Ecce dabo de Synagogâ Satanæ; qui dicunt ſe Judæos eſſe, & non ſunt: ecce faciam illos ut veniant* (Vide ſupra, II, 9): dabo ſcilicet quosdam, qui nec Judæi nec Chriſtiani ſunt, quamquam ſtudio ardere legalium, quæ tamen ipſi in ſe negligunt, videntur. Dabo ſcilicet ſeu adducam illos *ante pedes tuos*; venient enim ad te, errorem ſuum confitentes, coactique agnoſcent *quia ego dilexi te*, & conſiliis tuis favi.

℣. 10. Quoniam servasti verbum patientiæ meæ; et ego servabo te ad horam tentationis; quoniam ſcilicet ſervaſti patientiam juxta præceptum meum, &c. Ut fidem patientiamque tuam merito præmio donem, id committam, ut in rebus adverſis ſecurus vivas, nec unquam patiar, ad te uſque mala pertingere. Creditur (c) Apoſtolus deſignare perſecutionem, quæ ſub Trajano ſæviit. Plinius, per eam ætatem Proconſul in Bithyniâ, provinciâ Myſiæ & Phrygiæ, ubi Philadelphia conſtituitur, finitimâ, teſtatur, ingentem Martyrum ſtragem a ſeſe editam (d). Nullam quidem in Chriſtianos legem a Trajano latam novimus; at eo Principe Eccleſias plures vexatas, multoſque Chriſtianorum pro fide necatos conſtat. Dei beneficio Eccleſia Philadelphiæ mala illa evaſit, merito & Epiſcopi, & Fidelium, ex quibus conſtabatur.

Futurum ait Apoſtolus, ut ea tentatio *veniat in Orbem univerſum*, ideſt in Romanum Imperium. Licèt enim Trajanus, uti monuimus, nihil in Chriſtianos ſanxerit, accidit tamen non rarò, ut Gentiles, ſive ob privatas ſimultates, ſive impio erga ſuperſtitiones ſuas ſtudio incitati, palam in theatris deleri illos poſcerent (e); quin & ſæpè, Magiſtratibus inconſultis, lapidibus illos & igne conficerent. Sub hoc Principe Martyres ingenti numero Hiſtoria Eccleſiaſtica collocat (f).

℣. 11. Ecce venio cito; tene quod habes; venio, ut pro merito unicuique rependam, ac famulorum meorum opera inſpiciam: cito vigilans, *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Viſitat nos Deus per adverſa, per morbos, per mortem. Significat ergo Apoſtolus, Chriſtum ex imminentium malorum diſcrimine Epiſcopum Philadelphiæ excempturum, quòd hic brevi morte eſſet obiturus, & coronâ immortalitatis & gloriæ donandus (g).

℣. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Qui conatibus ſubdoliſque hæreticorum machinationibus reſtiterit, & in finem uſque conſtantiſſimam fidem retinuerit, ille columna in Eccleſiâ Chriſti futurus eſt (h);

fir-

(t) *Ribera, Coenel. Men. Grot. Gomar. alii.* (u) *1 Cor. xvi, 9.*
(x) *2 Cor. II, 12.* (y) *Coloſſ. iv, 3.* (z) Ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν. (a) *1 Cor. x, 13.*
(b) *Victorin. Ambroſiaſt.* (c) *Riber. Alcazar. Coenel. Men. Tirin. Gomar.*
(d) *Apud Euſeb. lib. 3, c. 32, & 33; & Plin. lib. x, Ep. 102.*
(e) *Euſeb. lib. 4, cap. 15 Hiſt. Eccl. Tertull. Apologet. cap. 37.*
(f) Vide Tillemont, tom. 2, pag. 181, & ſuiv. Perſecutions de Trajan.
(g) *Riber. Men. Hamm.* (h) *Tichon. Beda, Haymo, Andre. Aretas, Anſelm. Alcazar.*

℣. 13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.
℣. 14. Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Amen, te-
ſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei:
℣. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: uti-
nam frigidus eſſes, aut calidus.

COMMENTARIUS.

firmum erit Eccleſiæ ſulcimentum; & cùm Fidelibus doctrinâ moribusque profuerit, condigno in Cœlis honore donabitur. Petrum, Jacobum, Joannem tamquam columnas naſcentis Eccleſiæ habitos fuiſſe, Paulus teſtatur *(i)*. Mos olim obtinebat, ut triumphatoribus columnæ in Templis erigerentur, eorum nomen resque geſtas præferentes *(k)*. Malunt alii *(l)* ſpectatas ab Apoſtolo geminas illas æneas columnas, præ foribos Templi Jeroſolymitani conſtitutas *(m)*.

Et foras non egredietur amplius; extra Templum ſcilicet. Deſignatur hiſce potiſſimùm beatorum in Cœlo ſtatus, certus & ſtabilis. *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei*, Domini Deique, Mundi Creatoris, Patris Æterni; *& nomen Civitatis Dei mei*, Eccleſiæ ſcilicet Chriſtianæ, quæ familiari Prophetarum locutione eſt *nova Jeruſalem; & nomen meum novum*, Jeſu Chriſti. Tria iſta Beatos in Cœlo diſtinguunt; ſunt enim filii & ſervi Dei; item filii ſeu membra Eccleſiæ; denique Jeſu Chriſti fratres. Adſeriptum quodammodo in fronte nomen Dei, nomen Jeſu Chriſti & Eccleſiæ gerent. Patris coltores ſunt, Filii imitatores, Jeroſolymæ cives, ſeu viva membra Eccleſiæ Chriſtianæ. Quibus id obtigit, ut inſignia hæc in Eccleſiâ militanti ferant, illa pariter & in triumphanti, ſed glorioſiùs & ſplendidiùs, retinebunt.

℣. 14. Angelo Laodiciæ scribe. Laodicia urbs Lydiæ eſt ad Lycum amnem. Eccleſiæ Laodicenæ meminit ad Coloſſenſes Paulus *(n)*; quamquam Chriſtum ibi a Paulo nonciatum minimè credimus. Sed Epaphras, qui facilè illam Epiſcopi nomine curabat, & facilè etiam primos inſtituerat, & Apoſtoli munere excoluerat, Paulum conveniens illi author fuit, ut communem ſecum pro ſalute Laodicenſium, quemadmodum & Coloſſenſium, ſollicitudinem ſuſciperet. Quis tunc Epiſcopus eam Eccleſiam curaret, cùm iſta Chriſti nomine Joannes ſcriberet, ignoramus.

Hæc dicit Amen testis fidelis; hæc ait qui naturâ ſuâ veritas eſt & teſtis fidelis. Ad verbum *(o)*: *Hæc dicit is qui eſt Amen*. Porrò *Amen* Hebraicè eſt *veritas*, ſeu *verus*. Vide ſupra, I, 5, ubi Chriſtus appellatur *teſtis*, ſeu *Martyr fidelis*. Martyr enim Græcè eſt teſtis; & Chriſtus Martyrum princeps apud Patres dicitur *(p)*. Idem ſibi veritatis nomen Chriſtus tribuit *(q)*; ſuumque a ſe teſtimonium verum eſſe & ſincerum, ipſe non ſemel aſſeruit, cùm nihil docuerit, quod ex Deo non didicerit, quodque ex fonte veritatis non hauſerit.

Qui est principium creaturæ Dei; operum ſcilicet Dei. Dei Filius, Patris Sapientia, Verbum æternum, operum Dei principium eſt, cùm Deus omnia per Verbum & ſapientiam ſuam creaverit *(r)*. Aliter: Chriſtus eſt principium novæ creaturæ, ſeu creationis, regenerationis hominum, & novi ad gratiam & ſalutem ortûs *(s)*. Familiare eſt Scripturæ, nomen novæ creationis pro regeneratione & fide Chriſtianâ uſurpare; ut in illo *(t)*: *Si qua ergo in Chriſto nova creatura; vetera tranſierunt; ecce facta ſunt omnia nova*. Et alibi *(u)*: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*.

Alii ſic explicant: Chriſtus progenitus eſt ante omnem creaturam eâ planè ratione, qua Paulus ſcripſit *(x)*, *Chriſtum primogenitum eſſe omnis creaturæ*; ideſt ab æternitate ex Patre genitus eſt, antequam cæteræ creatæ res extra producerentur. Seu potiùs, *principium creaturæ Dei* denotabit non principium modò, ſed & imperium & poteſtatem, quam Chriſtus, utpote Dei Filius, in creatas res omnes exercet. Quæ Græca vox ſonat principium, eadem & imperium & gubernationem ſignificat *(y)*. Ariani verò ita explicabant, ac ſi Chriſtus mera creatura fuerit, reliquis nonniſi ordine ſeu tempore prior, ſenior & potior cæteris. Sed explicationem naturæ Divini Verbi injurioſam Eccleſia rejecit. Alludit hìc Apoſtolus ad illud Capitis I, 8: *Ego ſum Alpha & Omega, principium & finis*.

℣. 15. Utinam frigidus esses aut calidus! In profeſſione Chriſtianâ Deique famulatu ſæpe tepor eſt frigore pernicioſior; qui enim penitus friget, ſe ipſe non palpat; quantoque in diſcrimine verſetur, aliis demonſtrantibus facilè intelligit. Quin & interdum conſcientiæ ſtimulos ſentit. Sed tepidus ſtimulis caret, metu, ſollicitudine, auresque adversùs monitores obſtruit *(z)*. *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis (a)*. Veritatem nunquam noviſſe, quàm agnitam ſtudioſè non perſequi præſtat *(b)*. Plus ineſt bonæ ſpei homini, qui manifeſto crimine tenetur, quàm tepido & hypocritæ *(c)*. Expedit interdum, eos qui ſuperbiæ multum, diligentiæ, ſollicitudinis, fervoris parum habent, præcipites ruere, ut ex lapſu imbecillitatem intelligant. *Audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant (d)*.

(i) *Galat.* II, 9. (k) *Vide Paranum, & Cornel. Menoch.* (l) *Ribera, Para. Grot.*
(m) 3 *Reg.* XVII, 15, 21; & 2 *Par.* III, 15, 16, 17. (n) *Coloſſ.* II, 1; IV, 13, 15, 16.
(o) Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν. *Plures Vulgatæ Libri poſt Vaticanos ann.* 1590, 1592, 1593. & 1598, & *Roman.* 1624, & *Plantin.* Et alii *univerſi ab anno* 1600, *atque nunc, ſic legunt: Hæc dicit: amen. eam duobus punctis ante Amen. Sed alii omnes ante Vaticanas editi legebant: Hæc dicit Amen. Bened. Bukentop. Lux de luce, lib.* 2. *pag.* 212, 213. (p) *Greg. Nazianz. Orat.* 18; *Auguſt. ſerm.* 2. *de ſancto Stephano.* (q) *Joan.* XIV, 6; XVI, 7; XVIII, 37.
(r) *Pſal.* XXXII, 6; *Prov.* VIII, 27, 28, & *ſeqq.* (s) *Vide Rupert. Grot. Alcazar. Riber. Cornel.*
(t) 2 *Cor.* V, 17. (u) *Galat.* VI, 15. *Vide & Epheſ.* II, 10; & *Coloſſ.* III, 10. (x) *Coloſſ.* I, 15.
(y) *Vide Aret. Cornel. Vatab. Tir. Durham. Gemar.* (z) *Vide Ambroſ. in Pſal.* CXVIII; *Berengaud. hic; Salvian. lib.* 4 *de Provid. Bernard. ſerm.* 3 *de Aſcenſione.* (a) *Luc.* XII, 48.
(b) 2 *Petri*, II, 21. (c) *Riber. Eſt. Cornel. Durham. Grot. Druſ. alii paſſim.*
(d) *Aug. lib.* 14 *de Civit. cap.* 13.

℣. 16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

℣. 17. Quia dicis: Quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

℣. 18. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

℣. 19. Ego, quos amo, arguo, & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

℣. 20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

COMMENTARIUS.

℣. 16. INCIPIAM TE EVOMERE, te deſerere, e ſinu meo, Eccleſiâ meâ abjicere, conceſſam tibi gratiam auferre, ac permittere ut miſerè cadas, quò ſuperbiam tuam ponam, arrogantiam deprimam, inanemque fiduciam ſanem.

℣. 17. QUIA DICIS: QUOD DIVES SUM..... ET NESCIS QUIA TU ES MISER. Affluere te ſpiritalibus bonis putas; ais placere te Deo, ratus tantum ineſſe tibi virtutis, ut mundo, carni, dæmoni reſiſtas. Ne fucum tibi facias; bonorum ſpiritalium planè indiges, cares gratiæ donis; debilis es, cæcus, miſer. Bonorum ejuſmodi ille, ſi quis alius, maximè indigere ſe prodit, qui ſe affluere illis cenſet. Quò ſanctior quiſque eſt, eò de ſe demiſſiora, eò magis imbecillitatem ſuam & inopiam ſentit; nemo illo cautior, nemo ſui diligentior; cœleſtium auxiliorum avidior nemo; nemo denique ardentior illis aſſiduè expetendis. Sapientia in Scripturis (e) de ſe tradit; *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Quem non fames nec ſitis cæleſtis hujus alimoniæ movent, illam nec ſibi placere, nec eâ ſaturum ſe eſſe prodit.

℣. 18. SUADEO TIBI EMERE A ME AURUM IGNITUM. Aurum ignitum eſt charitas (f), cum fide, ſpe, cæteriſque bonis operibus conjuncta. Sapientia eſt e Cœlo data, quæ virtutis præſtantiam demonſtrans, ad ejus amorem nos allicit. Emenda eſt diſpendio commodorum, voluptatum, & perículoſæ, in qua verſaris, ſecuritatis. Abjicias oportet ſuperbiam teporemque, quibus in negocio ſalutis tuæ, maximo illo quidem, ſocordia inducitur. *Ut locuples fias* coram Deo; id quod tunc obveniet tibi, cùm indigere te omnium intellexeris.

ET VESTIMENTIS ALBIS INDUARIS. Credis te probè indutum, cùm fermè nudus ſis. Fac igitur actutum emas veſtes candidas, mundas, puras, quibus probrum nuditatis depellas. Quænam veſtes iſtæ? Innocentia, juſtitia, animi demiſſio, charitas, modeſtia, patientia. Audi Paulum (g): *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*.

COLLYRIO INUNGE OCULOS TUOS (h). Credis te acutè videre; ſed falleris: compara tibi collyrium ad purgandos oculos. Eſt hoc pœnitentia (i), reſipiſcentia, demiſſa e Cœlo lux, quam inſtanter poſcas ſuadeo; eſt animi demiſſio (k), quæ vitia tua intuenda tibi offeret, & piam illorum execrationem menti inſpirabit.

℣. 19. EGO QUOS AMO, CORRIGO ET CASTIGO (l). Ne ex ſimultate vel contemptu hæc dicta arbitreris: quos amo, arguo & caſtigo; & quò magis hominem amo, eò vitia illius odi. Tener erga filios pater, quicquid filio nocet, aut probro eſt, eo maximè dolet. Vide *Prov.* III, 12.

ÆMULARE (m). Teporem quo torpes, depelle, pœnitentiam age, ut laudes amoremque meum promerearis.

℣. 20. ECCE STO AD OSTIUM, ET PULSO. Cordis noſtri fores pulſat Deus inſpirationibus monitiſque, quæ cordis auribus ſive per ſe, ſive per miniſtros, ſive per res creatas, & per mala atque adverſa (n) ſuggerit. Noſtrum eſt pulſanti aperire, ipſumque rogare, ut lapideum cor in carneum mutet. Conſtat enim, ex Concilio Tridentino (o), quemadmodum homini per liberam arbitrii ſui facultatem integrum eſt aſſentiri ſive repugnare, gratiam excludere vel admittere; ita naturæ ſolius viribus in bonum ad ſalutem conducens, excluſo cœleſtium gratiarum auxilio, mentem inclinari nequaquam poſſe. *Ipſe Deus ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens* (p). *Ille præparat voluntatem, & cooperando perficit quod operando incipit*. Scitè S. Bernardus (q): *Conatus noſtri & caſſi ſunt ſi non adjuventur, & nulli ſi non excitentur*.

COENABO CUM ILLO, ET IPSE MECUM. Iſta nimirum eſt Dei erga homines benignitas, qui familiaritatis ſuæ honore donat fideles ſibi ſervos, & conſiliis ſuis obſequentes. Significantur quoque his verbis rectæ conſcientiæ felicitas & voluptas, qua Deus amicos ſuos conſolatur. *Dulciores ſunt lacrymæ orantium*, ait S. Auguſtinus (r), *quàm gaudia theatrorum*.

℣. 21. QUI

(e) *Eccli.* XXIV, 29.
(f) *Vide Bedam, Richard. Ambert. Hugon. alios.*
(g) *Coloſſ.* III, 12.
(h) Καὶ κολλύριον ἔγχρισον τοὺς ὀφθαλμούς σου. *Alii:* Κολλύριον ἵνα ἐγχρίσῃς. *Alii:* Κολλύριον ἐγχρῖσαι. (i) *Berengaud. Thom. Anglic.* (k) *Rupert. Cornel. Gagn. Menoc.*
(l) Ἐλέγχω καὶ παιδεύω. (m) Ζήλωσον, καὶ μετανόησον. *Alii:* Ζήλευε καὶ μετανόησον.
(n) *Vide Riber. Cornel. Menoc. Tirin. Para. alios.* (o) *Concil. Trident. ſeſſ. 6, cap. 5, 6; & can. 1, 2, 3, &c.* (p) *Auguſt. de Grat. & liber. Arbitr. cap. 17.* (q) *Bernard. de Grat. & lib. Arbitr.*
(r) *Aug. in Pſal.* CXXVII, n. 10.

℣. 21. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.

℣. 22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

COMMENTARIUS.

℣. 21. Qui vicerit, dabo ei sedere in throno meo; ſive in ſolio, quod illi paravero. Sancti enim in Cœlo in ſocietatem quidem regni, ſed non ex æquo, a Chriſto admittentur (s). Supremâ Judicii die in damnationem impiorum aſſidebunt quidem (t), ſed gradu inferiori. Opinantur tamen quidam (u), ſpectari hîc morem Orientalium, apud quos throni vel cathedræ productiores ſunt, ut plures admittant. Aſſidebit throno meo; ſummo illum honore donabo. Menſæ & ſolii ſocium admittam, ut non ſervus, ſed filius & amicus ſit. Hyperbole hîc eſt; atque hunc eſſe germanum loci ſenſum arbitror.

CAPUT IV.

Joannes ſpiritu in Cœlum raptus, Dei ſolium, quod quatuor & viginti ſeniorum corona ambit, intuetur. Septem Spiritus. Mare chryſtallinum: animalia plena oculis. Seniores Deum adorant.

℣. 1. POſt hæc vidi: & ecce oſtium apertum in cœlo: & vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc.

℣. 2. Et ſtatim fui in ſpiritu: & ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens.

℣. 3. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Post hæc vidi: et ecce ostium apertum in Coelo. Hactenus Joannes quæ Dei Filius dabat Eccleſiis Aſiæ monita deſcripſit: modò aliud oraculi genus, reſpiciens totum quidquid eſt Eccleſiæ Jeſu Chriſti, per totam Imperii Romani amplitudinem diffuſæ. Prædicit ea, quæ poſt obitum ſuum (qui non diù poſt hæc viſa contigit) venturæ manebant. Intueri hîc licet perſecutiones, quas Eccleſia tum ab Hæreticis Judæisque, cùm ex Romanis ſuperſtitionis ſtudioſis paſſura erat; denique victorias de utroque hoſtium genere, ab illâ reportandas, ultionemque de infeſtiſſimis ejus adverſariis a Chriſto exigendum. Hoc generale argumentum eſt vaticiniorum, quæ ex hoc capite usque ad caput xx latè deducuntur. Tum Apoſtolus ea quæ in exitu mundi eventuræ erant, edicit. De his nos in Commentario, prout ſingula ſeſe offerent, diſſeremus. Vide quæ de hoc argumento in Præfatione contulimus.

Per eam ætatem neceſſe erat, ut Apoſtolus ſolaretur Fideles, & animum illis adderet adverſùs eas, quibus undique premebantur, inſectationes, Deique nomine moneret, Eccleſiam, nequidquam conantibus ejus adverſariis, immotam ſemper fore, nihilque a portis Inferni ſiniſtri laturam, ſed de adverſariis ſuis inſignes ſemper triumphos acturam. Ita & Prophetæ Iſaias, Jeremias, Ezechiel, qui captivitatem Babylonicam exitiumque Jeroſolymæ vaticinati fuerant, juſſi a Deo ſunt paventes Iſraëlitas ſolari, & majori etiam verborum perſpicuitate nunciare illis urbis ac Templi reſtitutionem, & populi in ſedes avitas regreſſum.

Narrat igitur Apoſtolus, ſe, poſtquam a Filio Dei audiit, quid monendæ eſſent ſeptem Aſiæ Eccleſiæ, per viſum ſpectaſse Cœlum coram ſe patens, ſimulque auribus ſuis inſonuiſſe vocem, quæ ut eò aſcenderet invitabat. Raptus actutum ſpiritu, continuò ſe in Cœlo verſari intellexit; oculiſque illius ſeſe obtulit in ſolio Dominus, quem frequens aulicorum corona ambiebat, totusque gloriæ & majeſtatis apparatus ornabat. Hæc narrat ℣℣. 1 & 2. Deinde conſequentibus membris; 3, &c. deſcribere aggreditur eam, quæ oculis obverſabatur, majeſtatem.

℣. 3. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis. In toto hoc ſpectaculo animadverſione dignum eſt, perpetuam allegoriam ex Templo Jeroſolymitano duci (x). Porrò in Templi Sanctuario latebant Arca & Cherubim, quæ ceu Dei ſolium habebantur. Sanctuario prius erat *Sanctum*, ubi Altare thymiamatis & candelabrum aureum ſepticeps. Mare chryſtallinum, de quo hîc Joannes, eſt mare, ingens nempe vas illud, quod Salomon in Templo collocaverat: viginti quatuor Seniores, totidem Levitarum Claſſes, qui alterno ordine miniſtrabant. Quatuor animalia plena oculis ex Cherubim ab Ezechiele deſcriptis derivata ſunt. Deus in ſolio ſedens, cui adſunt ſeptem Spiritus, eſt Dominus in Sanctuario coram ſe, trans velum, habens candelabrum aureum ſepticeps. Jaſpis, Sardonix, & gemmæ reliquæ, quarum ſimilitudi-

(s) *Riber. Cornel. Para. Men. alii.*

(t) Vide *Apoc.* 11, 26; *Joan.* xvii, 24; *Matth.* xix, 28.

(u) *Gregor. Magn. lib.* 26 *Moral. cap.* 26: *Quia judicii principatum ex Chriſti virtute percipimus; hinc veluti in ejus throno reſidemus. Vide Lud. de Dieu hic.*

(x) *Grot. hic; Med. lib.* 3, *pag.* 541, & 544; *lib.* 5, *pag.* 1122.

℣. 4. Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor; & ſuper thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

℣. 5. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.

℣. 6. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis antè & retrò.

COMMENTARIUS.

nem Dominus referebat, illæ non Numinis faciem pingebant, ſed vultus Domini luce, gemmis hiſce perſimili, micabat.

IRIS ERAT IN CIRCUITU THRONI. In Ezechiele (b) pariter exhibetur gloria Domini ſolio inſidentis, quem Iris cœleſtis, variis dives coloribus, ambit (c):

Mille trahit varios adverſo ſole colores,

Lucis hujus, quæ varios colores reddebat, fons erat gloria ejus, qui in ſolio ſedebat. Porro in eâ icide ſmaragdinum, ideſt viridem, colorem præſtitiſſe, Joannes teſtatur.

℣. 4. SEDILIA VIGINTIQUATUOR, ET SUPER THRONOS VIGINTIQUATUOR SENIORES. Senes iſti throno Dei circumſidentes, exhibent Omnipotentis judicium, quo is in adverſarios Eccleſiæ Filii ſui animadvertet. Ita & apud Danielem (d), ubi de ſententiâ in Antiochum Epiphanem ferendâ legitur: *Throni poſiti ſunt, & Antiquus dierum ſedit . . . . judicium* (Judices) *ſedit, & libri aperti ſunt.* Hic autem Senes *circumamicti* erant *veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ*, dignitatis inſignia; referebantque Reges & Judices, ſupremi Judicis adſeſſores. Non abs re arbitramur, hoc Senum numero deſignatos a Deo fuiſſe veteres Patriarchas, & duodecim Apoſtolorum collegium, Deo judici adſidentes, unàque cum illo iniquitatem perſecutorum Eccleſiæ condemnantes (e).

℣. 5. ET DE THRONO PROCEDEBANT FULGURA. Hæc omnia indicium erant furoris Dei in impios, ejusque in Tyrannos animadverſionis. *Fulgura, & voces, & tonitrua* tamquam animata hic exhibentur, quæ e throno exeunt, quæque in impios cum impetu ruunt, ad impiorum excidium. *Tonitrua & voces* unum idemque ſignificant, cùm familiare ſit Scripturæ, tonitrua voces Dei, *fulgura* verò ſagittarum nomine deſignare.

SEPTEM LAMPADES ARDENTES ANTE THRONUM EJUS, quemadmodum & in Templo erat candelabrum aureum ſepticeps, ramis ſingulis lucernam ferentibus; deſignabantque *ſeptem Spiritus Dei*, ſive nobiliſſimos juſſionum ejus Miniſtros, Archangelos nempe Eccleſiæ tutores (f): niſi fortè, quod pluribus arriſit, deſignata ſeptem S. Spiritûs dona arbitreris. Vide quæ in eaſdem voces commentati ſumus ſupra, I, 4.

℣. 6. ET IN CONSPECTU SEDIS TAMQUAM MARE VITREUM. In ædibus Regum Orientalium per cubicula fontes aquarum exilientium erumpunt, ad refrigerationem & munditiam. In Templo quoque vaſa erant ingentia aquâ oppleta, & præ cæteris illud, quod mare Salomonis appellabatur. Quin & poſterioribus ſæculis fons eò deductus fuiſſe ingenti ſumptu videtur (g), cujus non ſemel Prophetæ meminerunt (h). Vide Commentarium in Ezechielem, XLVII, 1, &c. Mare illud ſeu labrum, purâ aquâ & pellucidâ inſtar cryſtalli plenum, quod vidit Joannes coram Dei ſolio, de quo ſermo recurrit infra, XV, 2, denotat ex quibusdam (i) baptiſmum; ex aliis (k) Sacramentum Pœnitentiæ. Quidam eo deſignari malunt ſæculum præſens; quidam Cœlum Empyreum, ſedem Beatorum (l). Res myſterio vacat, nec mare illud niſi ad ornatum erat, quemadmodum & ad ornatum potiùs quàm ad uſum poſita erant labia, & exilientium aquarum fontes in ædibus Regum Orientalium; ſpirabat enim hoc regiam quamdam magnificentiam munditiemque. Labia marmorea, balnea, exilientes aquæ, deliciæ ſunt Orientalium, qui hæc in ſuperiori ædium parte collocant, onus impoſitum contignationibus minimè formidantes. Id quoque erat ex ingenio veterum Maurorum Saracenorumque, quemadmodum ex vetuſtis eorum ædibus in Hiſpaniâ reſiduis diſcimus (m).

IN MEDIO SEDIS, ET IN CIRCUITU SEDIS QUATUOR ANIMALIA. Quatuor hæc animalia fortaſſe ceu ſolii Dominici fulcimenta habenda ſunt; ſingulisque quatuor lateribus appoſita erant ſimili ratione, qua boves olim ſuppoſiti mare Salomonis regebant ornabantque; ſeu potius quemadmodum quatuor Cherubim Domini currum geſtabant apud Ezechielem (n). Porrò rotæ currûs apud Ezechielem diſtinctæ oculis videbantur (o), & animâ erant inſtructæ. Hic verò Cherubim ipſa, ſeu quatuor animalia oculata ſunt (p). Inter eos, qui myſterium in his vident, alii (q) quatuor animalibus Evangeliſtas totidem finxerunt; alii Apoſtolos viroſque Apoſtolicos; alii Angelos ſeu Archangelos. Arbitraria omnia; neque myſticum aliquid his ineſſe, aſſerere non dubito. Spectacula enim ejusmodi non ſemper atque ubique ſymbolum præferunt; planèque compertum eſt ex ſerie ſermonis, totam hanc deſcriptionem eſſe prœmium quoddam & præparationem ad vaticinia quæ deinde promuntur, quæque totam legentium attentionem promerentur.

℣. 7. Pri-

(b) *Ezech.* I, 27, 28.
(c) *Æneid.* IV.
(d) *Dan.* VII, 9, 10.
(e) *Vide Victorin. Riber. Andr. & Areth. & alios.* (f) *Cornel. alii plures.*
(g) *Ariſt. lib. de 70 Interpp. Eupolem. apud Euſeb. lib. 9 Præparat. Tacit. Annal. 5.*
(h) *Joël.* III, 18. *Zachar.* XIV, 8. *Ezech.* XLVII, 1, 2, 3. (i) *Primaſ. Beda, Richard. Rupert.*
(k) *Carthuſian. Alcazar.* (l) *Perer. Cornel. &c.* (m) Tournefort, Voyage du Levant, to. 2, p. 3.
(n) *Ezech.* I, 4. (o) *Ezech.* I, 18; X, 12.
(p) *Vide Baſil. Sophron. Cyrill. item Prado & Villalpand. in Ezechiel.* (q) *Ita Patres pleríque apud Perer. hic, & Cornel. Vide & Victorin. Bedam, Berengaud. Haymon. &c.*

℣. 7. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile
vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.
℣. 8. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas:
& in circuitu, & intus plena ſunt oculis; & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.
℣. 9. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum,
℣. 10. Procidebant vigintiquatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes:
℣. 11. Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 7. PRIMUM ANIMAL SIMILE LEONI. Varias præferebat figuras, periode ac illa quæ opus Cherubim appellant Hebræi (r), Ægyptii verò hieroglyphica; Leonis tamen imago præ cæteris micabat. Animalia reliqua ſimili planè ratione, juxta ſuam ſpeciem ſingula ſeſe prodebant, adeo ut quatuor illa adſiſterent ſolii Divini lateribus, ſingula ſingulis, impoſitumque ſolium ſuſtinerent; perinde atque Cherubim Ezechielis regebant Cœlum, cui ſolium Omnipotentis impoſitum erat.

℣. 8. SINGULA EORUM HABEBANT ALAS SENAS. Ezechielis illa (s) nonniſi quatuor alis erant inſtructa; ſenis verò alia apud Isaiam (t). Cherubim formâ ſemper variâ, ſed nunquam diſſimili, in Scripturis deſcribuntur. Qui foret alarum uſus, Joannes ſilet, extentæ ne, an complicatæ. Myſticas imaginum iſtarum ſignificationes libenter omittimus, tum quòd nihil certi conſtet, tum quòd nihil ad ipſum vaticinium explicandum conferant. Sunt enim hæc veluti præludium, & ornamentum ad potiſſimam rem planè accedens.

PLENA SUNT OCULIS IN CIRCUITU ET INTUS: tum in membris foris patentibus, tum in iis quæ ſub throno latebant: ubique oculi, perinde ferme ac cauda pavonis. Græcus (u): *Plena ſunt oculis intus*; ideſt quidquid ſuper alas & reliquum corpus porrigebatur. ℣. 6 legimus, plena fuiſſe oculis ante & retro, ut jam adnotavimus.

ET REQUIEM NON HABEBANT DIE AC NOCTE, DICENTIA: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS. Græci codices quidam habent novies (x): *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ita clamabant, ſeu vocem hanc animalia illa hieroglyphica habebant. Confer illud Isaiæ VI, 3, ubi Seraphim ſimili clamore ingeminant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena eſt omnis terra gloriâ ejus.*

℣. 9. ET CUM DARENT ILLA ANIMALIA GLORIAM; ideſt, cùm hymnum illum ingeminarent. Quamquam diem noctemque canendo continuabant, ut ex præcedenti verſiculo conſtat, inter canendum tamen interdum ceſſabant; & cùm poſt quietem carmen reſumebant, Senes illi coram ſolio Omnipotentis provolvebantur.

℣. 10. PROCIDEBANT, ET MITTEBANT CORONAS (y). E ſolio ſurgentes coram eo procidebant, demittebantque ante pedes ejus coronas, omnem gloriam poteſtatemque ſuam ex illo acceptam agnoſcentes. Tota hæc deſcriptio ad nobilem de Numine opinionem, debitamque erga majeſtatem ejus venerationem ingerendam apprimè valet. Quantâ veneratione par eſt Chriſtianos ſiſtere ſe in Templo coram Domino exercituum, cùm quicquid auguſtius & ſublimius in Cœlo eſt, coram tremendo Numine humilitatem inanitatemque ſuam agnoſcat?

℣. 11. DIGNUS ES, DOMINE DEUS NOSTER (z) ACCIPERE GLORIAM. Tibi uni debetur gloria, honor, laus omnium quotquot in mundo ſunt bonorum. Si quæ probè aguntur, omnia te authore, creatore, promovente, conſervante fiunt. Quidquid ſumus, gratiâ tuâ ſumus; neque ex iis, quæ in nobis depoſuiſti, vindicare nobis quidquam abſque ſacrilegâ juris tui uſurpatione poſſumus. E noſtro ſolo dolor & probrum naſcitur; e tuo æquitas & miſericordia (α): *Tibi, Domine, juſtitia; nobis autem confuſio faciei. Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam* (β).

CA-

(r) *Vide Exod.* XXV, 22 & nos ibi. (s) *Ezech.* I, 6. (t) *Isai.* VI, 2.
(u) *Græc.* Καὶ ἔσωθεν γέμουσιν ὀφθαλμῶν. *Unus Pet.* 3: Ἔξωθεν.
(x) *Ita Valla omnes. Cod. Hispan. apud Eraſm. Steph.* α, ιε, *M. Baroc. Barb.* 2, *Petit.* 2, *Hunt.* 1.
(y) [illegible], καὶ προσκυνοῦσι καὶ βάλλουσι. Multi tamen libri Græci legunt in futuro. Προσκυνήσουσι, καὶ βαλοῦσι. *Ita Steph.* α, ιε, *Alexand. Hunt.* 1, *&c.* (z) Græcus legit ſolùm: *Dignus es, Domine.* Complures tamen Græci Codices, Syrus, Arabs, &c. cum Vulgatâ conſentiunt.
(α) *Dan.* IX, 7. (β) *Psal.* CXIII, 9.

CAPUT V.

Librum obſignatum nemo præter Agnum, qui immolatus eſt, recludit. Cœlum totum novo Carmine gloriam ejus concelebrat. Quatuor animalia & vigintiquatuor Senes laudes Patri Filioque exhibitas confirmant.

℣. 1. ET vidi in dexterâ ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.

℣. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus?

℣. 3. Et nemo poterat, neque in Cœlo, neque in terrâ, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum.

℣. 4. Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.

℣. 5. Et unus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIdi in dexterâ sedentis librum scriptum intus et foris (a). Deſcriptio apparatûs, quo Numinis Majeſtas prodivit. Propiùs ad argumentum accedens Apoſtolus, exhibet decreta Dei (b) tamquam obſignata in Libro ex utroque quidem latere ſcripto, at ſigillis ſeptem ita probè obſignato, ut nec legi nec explicari a quoquam poſſit. Demonſtrant hæc perſpicuè, futuros eventus a Deo præſtitutos certiſſimos eſſe quidem, ſed homini ignotos & prorſus impervios. Unius Chriſti, Sapientiæ Patris, eſt ſigillum removere, qui & arcanum nobis, ſed ænigmatibus tropiſque obvolutum, utcumque revelat.

Scripti quodcumque genus apud Hebræos *libri* nomine cenſetur. Porrò liber, de quo hìc, referebat potiùs Epiſtolam complicatam obvolutamque lineo, vel alio panno, ſigilloque ſeptem locis clauſam, more veterum, a nobis in Diſſertatione de Libris veterum, Geneſi præfixâ, explicato. Pictores noſtrates exhibent librum, unde ſeptem ſigilli more bullarum pendent; qua in re ſatis demonſtrant, ignorare ſe vetuſtum morem literas & Scripturas miſſitias obſignandi. Suſpicantur alii, folia fuiſſe ſeptem, alia ſuper aliud convoluta, quorum ſingula ſuum peculiare ſigillum haberent; adeò ut ſigillo priore ſublato, & folio evoluto, reliqua ſigillo clauſa & obvoluta ſupereſſent. Utcumque res habeat ſeſe, creditur liber iſte Apocalypſis fuiſſe (c); vel ſaltem Apocalypſis continet ea, quæ ibi deſcribebantur, quoad generalem Eccleſiæ ſtatum usque ad abſolutam ejus conſtitutionem. Notat Apoſtolus, tamquam ſingulare & notatu dignum, librum ſcriptum fuiſſe intus & foris; ſolebant enim libri conſtare ex ingenti membranaceo ſeu chartaceo volumine ex papyro Ægyptiâ, altero plerumque latere ſcripto. Ad literas tamen quod attinet, nec rarum erat nec inuſitatum, eas utroque latere ſcribi. Libri figura aut volumen aut Epiſtolam referebat, ſed tegebatur lineo vel alio panno, obſignabaturque ſeptem locis, ne ſcripta legerentur. Septenus ſigillorum numerus myſterii profunditatem & explicationis difficultatem deſignat.

℣. 2. Vidi Angelum fortem. Angelos quosdam *fortes* (d) ideò appellare videtur Apoſtolus, ut eorum dignitatem deſignet. In cœleſti Hierarchiâ ſuum tenent locum *Poteſtates & Dominationes*, ſeu Virtutes & Principatus. Cenſent quidam (e), ſermonem hîc eſſe de Gabriele, cujus nomen fortitudinem Dei ſonat. Porrò Angelus iſte, ad revelandam infinitam Dei magnitudinem & conſiliorum ejus profunditatem, altâ voce clamans interrogat, ſit ne in Cœlo aliquis, qui valeat demere ſigilla e libro, quem Omnipotens tenet, & obſignata in eo myſteria hominibus reſerare. At neque animæ Beatorum, Senum collegio expreſſæ, neque Angeli, nec alius quiſpiam æterna Providentiæ conſilia aſſequi valent. Unus Chriſtus Jeſus, Agnus ab ipſo mundi exordio immolatus, & librum aperire, & myſteria ejus nobis reſerare dignus eſt habitus.

℣. 3. Neque in Cœlo, neque in terra, neque subtus terram. Nemo nous, non Angelus, non in Cœlo Beatus, non mortalis homo, multoque minùs ad inferos damnatus quiſpiam. Inferna loca ſub terris, ſub aquis, in imis abysſis Hebræi collocant (f); ubi locant Gentilium ſapientes, Heroas, Reges, impios. Nulla denique creatura reſerare poteſt ea, quæ apud ſe condita arcana celat Deus.

℣. 5. Ne fleveris; ecce vicit Leo de Tribu Juda. Chriſtus Jeſus e Tribu Juda ſatus, virtute potentiâque ſuâ Leo, in Vaticinio Jacobi ſub eodem emblemate expreſſus (g): *Catulus Leonis Juda: ad prædam, fili, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi leæna: quis ſuſcita-*

(a) Γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν. *Alii plures*: Ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν. *Ita Steph.* a, 11, 18, *Baroc. Petav.* 2, *Hunt.* 1, *Cov.* 2, *&c. Arab. Æth. Areth.* (b) *Andre. Cæſar. Aureol. Piſcat. Hammon. Durham. Coccei.* (c) *Ita Pannon. Prado, Ribera. Viegas, Cornel. Menoc. Para. Durham. Boſſuet. Vide Ambroſ. lib.* 3 *de Fide, cap.* 7. (d) Vide *Apoc.* X, 1; XVIII, 21. (e) *Liran.*
(f) *Vide Prov.* IX, 18; XV, 11; *Job*, XXVI, 5; *Is.* XIV, 9; XXVI, 14; *Ezech.* XXXII, 17, 18; XXXIII, 19. Vide nos in Job, XXVI, 5. (g) *Geneſ.* XLIX, 9.

℣. 6. Et vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tamquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem; qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram.

℣. 7. Et venit, & accepit de dexterâ ſedentis in throno librum.

℣. 8. Et cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum:

℣. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione;

COMMENTARIUS.

ſcitabit eum? Chriſtus Jeſus *virga* eſt *de radice Jeſſe (h)*; idemque victoriâ de morte, peccato, mundo, dæmone relatâ id obtinuit, ut amotis ſigillis librum panderet, legeret, & ſenſum occultum reſeraret. Porrò Chriſtus, ut Deus, librum hunc perinde ac Pater tenet; ut homo Deus, & aperire illum, & occulta ejus myſteria pandere promeretur.

℣. 6. IN MEDIO THRONI. . . . , VIDI AGNUM STANTEM, TAMQUAM OCCISUM; ideſt, in medio ſpatii jacentis inter thronum & quatuor Cherubim ſuſtentatum, & ſubſellia viginti quatuor ſeniorum, quæ thronum hemicyclo ambiebant; in ſpatio, inquam, illo obtulit ſeſe mihi agnus immoletus, perinde ac victimæ illæ, quæ mactabantur in altari Holocauſtorum ante portam Sancti, & e regione Sanctuarii, quod tamquam ſedes Omnipotentis habebatur. Igitur agnus ille, quem Apoſtolus per viſum ſpectavit in Altari immoletus, jacebat quidem, vivens tamen ſpiransque, erat que inſtructus cornibus ſeptem, & oculis totidem. Indicabant hæc Chriſtum, agnum Dei *(i)*, victimam expiationis pro univerſo hominum genere, qui morte ſuâ nos cum Patre conciliavit, quique vel in cœlo paſſionis & ſacrificii ſui inſigne præfert. Immolatus eſt in cruce; ſtat coram Patre, ut pro nobis intercedat *(k)*; vivit, e morte ſurrexit; ſeptem cornua ceu totidem coronas & potentiæ ſuæ indicia geſtat; ſeptem oculos habet, emblemata ſcientiæ, ſapientiæ, cognitionis infinitæ; videt omnia, noſcit omnia, temporum omnium eſt arbiter; ſeu potiùs, tempus nullum eſt quoad Deum, totumque quoad nos.

OCULOS SEPTEM, QUI SUNT SEPTEM SPIRITUS DEI. Septem oculi, quibus Agnus inſtruitur, ſymbolum exprimebant Angelorum, qui in univerſam terram dimiſſi, Omnipotentis juſſiones executioni mandent. Olim apud Reges Perſarum, ut alibi animadvertimus *(l)*, præſtò erant ſeptem ſummi Præfecti, qui os Principis intuebantur, ejusque juſſiones ad exteros deferebant. Oculi & aures Regis ideo appellebantur *(m)*, quòd Rex, ut ita dicam, nihil videret, nihil audiret, niſi per illos, ex quibus omnia intelligebat, quique ad ejus nutum omnia gerebant. Eamdem fermè opinionem de Cœleſti Aulâ ſibi fingebant Hebræi; cujus rei argumentum eſt tum numerus ſeptem Angelorum, non ſemel in Scripturâ recurrens *(n)*, tum illud quod in Libro Jobi legimus, Filios Dei vel Angelos ſtetiſſe coram Domino, rationem reddituros eorum, quæ in terris gerebantur, unâque Satanem veniſſe *(o)*.

℣. 8. ET CUM APERUISSET. . . . . , CECIDERUNT CORAM AGNO; cùm ſigilla demere cœpiſſet, *quatuor animalia*, quæ ad quatuor throni angulos ſtabant, & vigintiquatuor Seniores, provoluti coram Agno, Nomen ejus adorarunt. Capite VI, 1, &c. Apoſtolus fuſiùs perſequitur ea quæ contigerunt, poſtquam Agnus accepto libro ſingula ſigilla reſolvit. Acceptum illum cùm jam aperire inciperet, quatuor Cherubim & Senum Collegium ſummam ejus poteſtatem agnoverunt. Græcus legit *(p)*: *Et cùm accepiſſet*, pro, *Et cùm aperuiſſet*. Gemina legunt Ticbonius, Berengaudus, Beda, Primaſius.

HABENTES SINGULI CITHARAS ET PHIALAS AUREAS *(q)*, PLENAS ODORAMENTORUM. Citharæ, ſeu lyræ, laudum Deo rependarum emblema ſunt; phialis autem preces Sanctorum ſignificabantur. Videtur autem Apoſtolus exhibere voluiſſe Collegio Senum cœtum Senatorum, qui ſummo Deo in Cœlis offerunt vota, preces, adorationes, ſacrificia, laudes, quæ a viris piis in terrâ Numini ejus impenduntur *(r)*. Id pariter ductum eſt ex more, qui in templo ſervabatur, ubi Altari, cùm ſacris operandum eſſet, præſto ſemper aderant Levitæ cum Muſicis inſtrumentis, qui laudes Deo pangebant, & Sacerdotes cum pateris ſeu ſcyphis ad libationes vini & cruoris, ac thuribulis ad ſuffitum. Ignis ex Altari holocauſtorum accipiebatur; thymiama nonniſi in Sancto coram Domino cremabatur.

℣. 9. ET CANTABANT CANTICUM NOVUM. Quatuor Cherubim & Senum collegium Carmen, quod

(h) *Iſai.* XI, 1; LIII, 2.

(i) *Joan.* I, 29, 36; *Act.* VIII, 32; *Iſai.* LIII, 7, *&c.* (k) *Rom.* VIII, 34; *Hebr.* VII, 25: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. *Vide Aug. Quaſt. in nov. Teſt. qu.* 88. (l) Supra, I, 12, 13.

(m) *Xenophon, lib.* 8 *Cyropæd. Apuleius de Mundo: Apud Perſas aurea Regia & Imperatorum oculi, quidam homines dicebantur, per qua officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, rùm omnia quæ ubique gererentur, illo otacuſtarum delatione diſcebat. Ariſtid. orat. Panegyr. Cyzicen.* Ὁ μὲν γὰρ τῶν Περσῶν Βασιλεὺς ἰδίᾳ τι διάφορον αἰσθέσθαι τὸν καλούμενον Βασιλέως ὀφθαλμὸν, καὶ Βασιλέως ὦτα. (n) *Tobiæ*, XII, 15. (o) *Job*, I, 6; II, 1. (p) Καὶ ὅτε ἔλαβε.

(q) *Græc.* Κιθάρας καὶ φιάλας χρυσᾶς. *Alii*: Κιθάραν καὶ φιάλας. *Ita Alex. Baroc. Petav.* 2. *Hunt.* 2. *Syr. Æth. Arab.* (r) *Vide Eſt. Perer. Cornel. alios; Philon. de Sacrificantib. Clem. Alexand. lib.* 6 *Stromat. Origen. lib.* 8 *contra Celſum, apud Grot. hic.*

℣. 10. Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes: & regnabimus ſuper terram.

℣. 11. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium,

℣. 12. Dicentium voce magnâ: dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

℣. 13. Et omnem creaturam, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terrâ, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.

COMMENTARIUS.

quod ſtatim recitatur, canebant. *Novum* dicitur, ideſt eximium. Eſt autem Scripturæ familiare epitethon novi Carminibus addere (*s*), Quæ nova, eadem & gratiora eſſe carmina, Pindarus animadvertit (*t*).

Dignus es, Domine, accipere librum. Chriſtus morte & paſſione ſuâ (*u*) id promeruit, ut cuicumque vellet ſtatum Eccleſiæ ſuæ futuroſque ejus eventus reſeraret. Jure ac poteſtate ſuâ ille, Cœlo univerſo plaudente, utitur.

Redemisti nos Deo ex omni tribu, &c. Quatuor & viginti Senes perſonam gerebant piarum animarum, quæ beatitudine fruuntur; quam felicitatem ſeſe accepiſſe a Chriſto illæ profitentur. Ab illo ex univerſo terrarum Orbe, ex Judæis, Gentilibus, Græcis, Barbaris, ante ſolium Omnipotentis acitæ & collectæ ſunt. Quicumque fidem admiſit, meritorumque Chriſti conſors factus eſt per Baptiſmum & doctrinam Evangelii, Eccleſiâ donatur, & jure promiſſionum cum filiis Dei fruitur.

℣. 10. Fecisti nos Deo nostro Regnum, et Sacerdotes (*x*). Quilibet Chriſtianus Rex & Sacerdos Domini ex eo appellatur, quòd omnes Regni & Sacerdotii Jeſu Chriſti participes ſint, & ſpiritale imperium in inſanos animi motus & in mundum virtutum exercitatione gerant; offerantque Deo in altari cordis ex precum ſuarum oblatione grati odoris ſacrificium (*y*). Derivata ſunt hæc ex illo Exodi, xix, 6. Vide Petri, II, 5, 9; & *Apoc.* I, 6.

Et regnabimus super terram, per illud, quod in animos noſtros exercebimus, imperium, & per fœdus, quod nos cum Chriſto ejuſque Eccleſiâ conjungemus, triumphum de infeſtiſſimis adverſariis referentes. Ibi pariter extremâ Judicii die regnabimus, cùm infideles & incredulos judicio damnabimus. Denique regnaturi ſumus in terrâ viventium (*z*), in Cœlo, unà cum Principe & Capite noſtro Chriſto Domino (*a*).

℣. 11. Erat numerus eorum millia millium. Græcus in Codicibus nonnullis (*b*): *Erat numerus eorum dena millia e centenis millibus, & millia millium.* Familiare eſt ſacris Scriptoribus, Angelos ingenti numero, quin & fermè innumeros exhibere (*c*). Vide Diſſertationem noſtram de Angelis, Commentariis in Lucam præfixam.

℣. 12. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam. Dignus planè, cui laudes, tributa, cultus, Deo ipſi debita, impendantur, cùm ejuſdem & unius cum Patre naturæ ſit. Cùm aſſeritur dignus accipere divinitatem, ne putaveris, id illi tamquam gratuitum beneficium, quod ex ſe non habuerit, conceſſum fuiſſe; nunquam enim non Deus Verbum Divinum fuit. Chriſtus, uti Deus homo, divinos honores meretur (*d*), quos natura ejus humana per ſe ſola, & a divinitate ſecreta, digniſſima licèt & eximia, promereri nunquam potuiſſet. Sed Chriſtus Jeſus, ut imago Dei, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo* (*e*), *ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens...... Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Animadvertere juvat hic, quemadmodum & infra, vii, 12, ſeptem nomina benedictionum ſeu laudum legi.

In Græco impreſſo, & in manu exaratis Codicibus pro *divinitatem*, legitur *divitias* (*f*); nec aliter in ſuis Codicibus Tichonius, Victorinus, & Primaſius legerunt. Conſentiunt Verſiones Orientales. Fortè pro *divitias* Librarii ſcripſere *divinitatem*, ut in omnibus Latinis Codicibus legitur.

℣. 13. Et omnem creaturam, quæ sub Coelo est, &c. Angelos, homines, animas piorum, quæ Purgatorio igne purgantur (*g*); Dæmo-

(*s*) *Psal.* xxxii, 3; xxxix, 3; xcv, 1; cxlix, 1; *Isai.* xlii, 10.

(*t*) *Vide Grot. hic, Forer. Homer. Odyſſ.* a. (*u*) *Cornel. Grot. Men. alii.*

(*x*) Ἐποίησας ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἡμῶν βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς. *Alii plures*: Ἐποίησας αὐτοὺς βασιλείαν καὶ ἱερεῖς.

(*y*) *Origen. lib. 8 contra Celſ. pag.* 389: Βωμοὶ μέν εἰσιν ἡμῖν τὸ ἑκάστου τῶν δικαίων ἡγεμονικὸν, ἀφ' ὧ ἀναπέμπεται ἀληθῶς, καὶ νοητῶς εὐώδη θυμιάματα, προσευχαὶ ἀπὸ συνειδήσεως καθαρᾶς.

(*z*) *Andreas, & Eſt. hic. Vide Matth.* v, 5; 2 *Petri*, iii, 13.

(*a*) *Anſelm. Ep.* 1 *ad Hugonem: In cœlo ſinguli erunt perfecti Reges, quia quod ſinguli volent, hoc erit; & omnes ſimul cum Deo unus Rex, & quaſi unus homo, quia omnes unum volent, & quod volent erit.* (b) Καὶ χιλιάδες χιλιάδων. *Alii plures*: Καὶ ἦν ὁ ἀριθμὸς αὐτῶν μυριάδες μυριάδων, καὶ χιλιάδες χιλιάδων. *Ita Alex. Covel.* 2, *Hunt.* 1, *Colinæi edit. & alia quædam, Syr. Arab. Æthiop. Areth. alii.* (c) *Dan.* vii, 10; *Deut.* xxxiii, 2; *Psalm.* lxvii, 17; *Hebr.* xii, 22; *Matth.* xxvi, 53. (d) *Vide Lyran. D. Thom. Perer. Cornel. alios.* (e) *Philipp.* ii, 5, 6, 7, 8, 9.

(*f*) Λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν. Et Cap. vi, 12: Εὐλογία, καὶ ἡ δόξα, καὶ ἡ σοφία. *Velez.* Θειότητα, pro Πλοῦτον. Græci tamen Interpretes, quemadmodum & Latinorum vetuſtiſſimi, habent *divitias*. (g) *Suarez, Riber. Cornel. alii paſſim.*

℣. 14 Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et vigintiquatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas: & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum.

COMMENTARIUS.

mones pariter, damnatosque, qui tributa ſolvunt Patri, Filioque *ſedenti in throno, & Agno*, qui mactatus immolatusquo eſt. En iterum Jeſus in Deum agnitus, cultum & adorationem eamdem cum Patre accipiens. Apoſtolus ad Philippenſes (b), quemadmodum & Joannes hìc, Cœlum, terram, Inferos ante pedes Filii Dei proſternit: *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus eſt in gloriâ Dei Patris.*

℣. 14. QUATUOR ANIMALIA DICEBANT: AMEN (i). Precationem ſuam acclamatione claudentes, dicebant: *Amen*. Græci Codices multi (k) non legunt hìc *viginti quatuor ſeniores*, ſed ferunt tantummodo: *Quatuor animalia dicebant, Amen: & ceciderunt in facies ſuas*; omittuntque quod ſubditur; *Viventem in ſæcula ſæculorum*; quæ poſtrema verba & in multis Latinis Codicibus deſiderantur.

CAPUT VI.

Septem ſigilla removentur. Priore remoto, equus albus vincit: Altero, equus rufus bella ingentia concitat. Tertio, equus niger calamitates affert. Quarto, equus pallidus diras infectationes excitat. Quinto, martyres ultionem efflagitant. Sexto denique, domini ultio in adverſarios Sanctorum furit.

℣. 1. ET vidi, quòd aperuiſſet Agnus unum de ſeptem ſigillis, & audivi unum de quatuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, & vide.

℣. 2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIDI QUOD APERUISSET AGNUS UNUM DE SEPTEM SIGILLIS (a), quæ librum claudebant. Removit autem adorantibus Cherubim & XXIV Senioribus. Porrò Apoſtolus, qui primò mentem converterat ad ea, quæ Cherubim, & creatæ res omnes precabantur, ſenſit inter hæc, unum e ſeptem Libri ſigillis ab Agno reſeratum fuiſſe.

AUDIVI UNUM DE QUATUOR ANIMALIBUS, ſeu ex quatuor primum (b), quod ad me voce perinde ac tonitru reboante clamavit: *Veni, & vide* (c). Græci quidam manuſcripti Codices ferunt tantummodo: *Veni*. Porrò ſeptem ſigillorum recluſio, eſt revelatio eorum, quæ in Romano Imperio, quoad ea, quæ ad Eccleſiam Chriſti pertinebant, eventura erant. Sigilla impreſſa erant lineo, quo liber vel Epiſtola obvolvebatur; Scriptura autem ſtatim ſub lineo erat. Quamobrem priore ſigillo reducto, & prodente ſeſe ſcripturâ in ſuperiori paginâ, ſtatim legit Joannes ℣. 2: *Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret.* Cùm dicendum foret, iſta ſeſe in libro ſeu in membranâ utroque latere ſcriptâ legiſſe, ait Apoſtolus viſum a ſe equitem, qui victorias ſuas perſequi latiùs videbatur. Id porrò acrius eſt, pulcrius, elegantius, remque melius pingit, quàm ſi vidiſſe aut audiviſſe diceret. Quin & jure ſuſpicari poſſumus, ut Agnus Epiſtolam detegebat, amovebatque ſigilla, Deum in mente Apoſtoli finxiſſe ſimulacra eorum quæ hìc deſcribit, quo altiùs ejus memoriæ imprimerentur.

℣. 2. ECCE EQUUS ALBUS, & eques Jeſum Chriſtum referens (d), proficiſcens ad trahendas ad fidem gentes, Eccleſiamque ſuam ſibi comparandam. *Vos populus acquiſitionis*, ait Petrus de Fidelibus (e); & Paulus (f) familiariter utitur verbo vincendi, & victoriæ, quoties de populis ad fidem converſis ſermonem inſtituit. Apoſtoli, virique Apoſtolici miniſtri ſunt, ac Victoris hujus commilitones, quibus ille ad mundum vincendum eſt uſus (g). Arcus eſt Evangelium, Deique verbum, arma illa valida, quorum ſæpe adeo Paulus meminit (h). Corona ſummæ poteſtatis Chriſti inſigne eſt, certumque victoriæ argumentum.

(h) *Philipp.* II, 9, 10. (i) Ἔλεγον Ἀμήν. *Alii plures*: Λέγοντα τὸ Ἀμήν. (k) *Ita Alex. Baroc. Covel.* 2, *Petav.* 2, 3; *Hunt.* 2, *&c. Aeth. Syr. Arab. &c. Vide Zeger. & Mill. hic.*

(a) *Græc.* Μίαν ἐκ τῶν σφραγίδων, *Unum de ſigillis. Alii plures*: Μίαν ἐκ τῶν ἑπτὰ σφραγίδων. *Ita Steph.* 2, *Alex. Petav.* 2, *Cov.* 2, *Lyr. Arab. Æthiop. Aeth. alii.*

(b) Confer cum ℣. 3 *Audivi ſecundum animal, &c.* (c) Ἔρχου καὶ βλέπε. *Omittunt* βλέπε *Alexand. Complut. Cod. Joan. Meei.* (d) *Cornel. Boſſuet, Du Pin Vide Apoc.* XIX, 11 13. *Ita Grot. Zeger. Riber. Menoc. Durham. Hammon. Ligf. Med. Para. &c.* (e) 1 *Petri*, II, 9.

(f) *Act.* XX, 28: *Quam acquiſivit ſanguine ſuo. Epheſ.* I, 14, *&c.*

(g) *Grot. Ferer. Pyron. Riber.* (h) 2 *Cor.* X, 4: *Arma militiæ noſtra non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, &c. Et* 2 *Cor.* VI, 7; *Rom.* VI, 13; *Epheſ.* VI, 11, 13.

℣. 3. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal dicens: Veni, & vide.

℣. 4. Et exivit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.

℣. 5. Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſuâ.

℣. 6. Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario; & vinum & oleum ne læſeris.

℣. 7. Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide.

℣. 8. Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors, & infernus ſequebatur eum; & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame & morte, & beſtiis terræ.

℣. 9. Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant;

COMMENTARIUS.

℣. 3. Cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, & librum evolviſſet, *ſecundum animal* ex quatuor me accedere juſſit; ſtatimque, ℣. 4. *Exivit alius equus rufus.* Id ferebat altera pars libri ab Agno evoluta. Equus rufus indicat bellum, quod a Romanis Imperatoribus in Religionem Chriſtianam illatum eſt (i). Equi color (k), & quæ de equite narrantur, confirmant ea quæ diximus. *Datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.* Chriſtus in Evangelio ſe veniſſe ait (l), ut gladium ferret in terram; & homines, quamquam genere, cæteriſque neceſſitudinibus conjunctos, in mutuam perniciem conſpiraturos. Oraculo certiſſima fides ab eventu fuit.

℣. 5 Sigillum tertium.... equus niger, &c. Equus ille niger publicarum calamitatum, egeſtatis, famis emblema eſt. Niger color ſymbolum eſt luctûs (m). Quam eques tenet ſtatera non quidem juſtitiæ eſt, ſed frumenti, ut in magnâ egeſtate, menſura. Explicat id ℣. 6: *Bilibris tritici denario; & tres bilibres hordei denario.* Tanta erit frumenti caritas, ut non ad magnas menſuras de more, ſed ad ſtateræ pondus venundetur; deinde, ut caro pretio væneat. *Bilibris* menſura eſt cava liquidorum, libras continens binas. Genus id menſurarum pro frumento vel hordeo adhiberi non ſolet. Denarius Romanus decem ſolidis æſtimabatur.

Græcus legit (n): *Chœnix frumenti denario; tres chœnices hordei denario.* Chœnix vetus erat Græcorum menſura, pro varietate locorum varia, ut certa ejus capacitas ignoretur. Sunt qui duarum librarum conſtituant; alii duarum cum quadrante; alii quatuor (o). Satis convenit, chœnicem menſuram eſſe, quæ tantum continet frumenti, quantum ſufficit ad victum diurnum (p). Denarius operæ diurnæ merces erat (q). Jam verò homo pauper, qui denarium meret in diem, miſerrimus certè eſt, ſi præſertim familia acceſſerit, cui victus quærendus ſit (r). Romanum Imperium ſæpe dira fames afflixit, ex quo Imperatores Eccleſiam vexare cœperunt. Fruſtra autem iſta explicare tentaveris de hac potiùs quam de illâ fame toto illo ſpatio annorum ſupra ducentos, quod ab oraculo iſto uſque ad Regnum Conſtantini, quo pax Eccleſiæ reſtituta, & victoria de ejus adverſariis relata eſt, fluxit.

℣. 6. Et vinum et oleum ne læseris. Mandat Deus, ut calamitas hæc & plaga, quæ terram affligit, in frumenta dumtaxat, non in oleum vinumque ſæviat.

℣. 7. Sigillum quartum...... 8. ecce equus pallidus, quo peſtilentia deſignabatur. Equo inſidebat *mors*, pedes ſequebatur *Infernus* vel ſepulcrum (s). Data huic a Deo eſt poteſtas (t) interficiendi quatuor partes *terræ*, nempe hominum (u), variis flagellis, quibus hi cædendi erant; *gladio, fame, & morte*, ſeu peſtilentiâ, *& beſtiis terræ.* Mala hæc omnia Romano Imperio imminebant; quorum oraculorum veritatem hiſtoria ſatis ſuperque vindicat.

℣. 9. Cum aperuiſſet ſigillum quintum, vi-

(i) *Andreas, Riber. Cornel. Gagna. Menoc. Grot. alii paſſim, Boſſuet, Du Pin.*

(k) Ἵππος πυῤῥός. *Alii plures:* Ἵππος πυρὸς, *Equus igneus. Ita Alex. Petav. Baron. Cod. Joan. Mori.* (l) *Matth.* x, 34. (m) *Andre. Ferer. Cotter. Grav. Piſc. Para. Hamm. Boſſuet. Du Pin.* (n) Χοῖνιξ σίτου δηναρίου. Καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς δηναρίου. (o) *Vide Budæum, Agricol. alios in Synopſi, hic.* (p) *Vide Buda. Grot. Zeger. &c.* (q) *Matth.* xx, 2. (r) *Vide Grot. Hamm.*

(s) Καὶ ὁ ᾅδης. *Vide Grot. Cotter. Druſ. Piſc. &c.*

(t) Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία, *Data eſt illis poteſtas*, duobus hiſce equitibus, morti, ſepulcro, &c. Codices multi legunt: Ἐδόθη αὐτῷ, *Data eſt illi.*

(u) Ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, In quartam terræ partem. Vulgata: *Super quatuor partes terræ.* Explicanda eſt ex Græco.

Digitized by Google

℣. 10. Et clamabant voce magnâ dicentes: Uſquequò, Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terrâ?

COMMENTARIUS.

VIDI SUBTUS ALTARE ANIMAS INTERFECTORUM (x), qui pœnas de interfectoribus expoſcebant. Supra, ℣. 6, animadvertimus, Deum, ut Apoſtoli ingenio ſere accommodaret, videndam ſe in Cœlo perinde obtuliſſe, ac in Templo ſuo apud Hebræos exhibebatur. Agnus immolatus & vivens in Altari Holocauſtorum jacebat; ſenes vigintiquatuor thronum hemicyclo ad latus orientale ambiebant. Dominus ſolium a quatuor Cherubim ſuſtentatum occupans, occidentalem plagam in imâ Sanctuarii parte tenebat. Animæ Martyrum condebantur ſub Altari Holocauſtorum æneo vaſtiſſimæ molis, & cavo ex parte inferiori. Hìc præſtolabantur, dum fratrum numerus impleretur, ingentibusque clamoribus Dei ultionem de interfectoribus ſolicitabant.

PROPTER TESTIMONIUM, QUOD HABEBANT; propter confeſſionem nominis Dei, in qua exſpiraverant; vel propter martyrium, quod tulerant; vel propter teſtimonium, quod illi reddiderant; vel denique ex pluribus Græcis Codicibus (y): *Propter teſtimonium, quod Agno reddiderant.*

Mirum videtur, animas Martyrum Dei ultionem de fuſo ſanguine ſuo urgere, juſſasque fuiſſe aliquandiù oppeiri, donec fratrum numerus impleretur. An ignorabant, ultionem illam a Deo diù protrahendam fuiſſe? an ægrè ferebant, non ſtatim vota ſua compleri? Non arbitror; at Evangeliſta exhibenda cenſuit vota, quibus illi Divinam Juſtitiam manifeſtaturi optabant, ut homines metuant, & reſipiſcant. Ita olim Prophetæ Deum rogabant, ut adverſarios ſuos ignominiâ opprimeret, dejiceret illos in terris, & ſuperbiam eorum frangeret; ut tandem ab oppreſſione innocentium, & a ferendis in Deum armis ceſſarent (z). Quam Martyres poſcebant ultionem, proſequutæ ſunt gentes barbaræ, quæ Romanum Imperium invaſerant; & Chriſtiani Imperatores, qui Regno Satanæ deſtructo, infeſtiſſimos Chriſtianorum adverſarios deleverunt.

Perſimilis huic locus in quarto Libro Eſdræ (a) occurrit: *Nonne de his interrogaverunt animæ Juſtorum in promptuariis ſuis, dicentes: Uſquequo ſpero ſic? Et quando veniet fructus areæ mercedis noſtræ? & reſpondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus ſeminum in vobis; quoniam in ſtaterâ ponderavit ſæculum; & menſurâ menſuravit tempora, & numero numeravit tempora; & non commovit, nec excitavit, uſquedum impleatur prædicta menſura.* Et infra: *In inferno, ſeu in loco, ubi animæ mortuorum detinentur, promptuaria animarum matrici aſſimilata ſunt. Quemadmodum enim illa feſtinat, quæ parit, effugere neceſſitatem partûs; ſic & hæc feſtinat reddere ea, quæ commendata ſunt.* Author hujus Libri Libro Apocalypſeos haud multò recentior eſt, ejusque mens cum Joanne congruit. Uterque enim exhibet animas opperientes reſurrectionem, abſolutamque beatitudinem, quæ tunc complebitur, cùm anima amico corpori ſociabitur.

A vero non abludit, ex hac ſententiâ obtinuiſſe veterem morem ſepeliendi corpora Martyrum ſub Aris, vel Aras ſuper corpora Martyrum conſtruendi. Cùm enim Heroes illi ſanguinem ſuum Deo tamquam in ſacrificium obtuliſſent, eorumque animæ ſpectatæ fuiſſent in Cœlo ſub eodem Altari, ubi Agnus vivus & immolatus ſtabat, ſepulcra Martyrum aptiſſimum eſſe locum arbitrati ſunt Fideles, ubi hoſtiam immaculatam Corporis & Sanguinis Chriſti immolarent, & ſacrificium laudum & precationum offerrent.

De animarum poſt obitum ſtatu, veterum Patrum ſententiæ diſſidebant. Locus hic Apocalypſeos in eam ſententiam multos perduxit, ut crederent, piorum impiorumque animabus plenam mercedem pœnamque uſque poſt ſupremam Judicii diem & reſurrectionem differri. Aliis viſum eſt, nullâ ſeu voluptate, ſeu mœrore affici illas, ſed planè inertes manere, nullo amandi uſu, & veluti alto ſopore demerſas uſque ad ſupremam Judicii diem. Alii denique in nihilum illas redigi docuerunt, quæ fuit Chriſtianorum quorumdam tertii ſæculi hæreſis, ab Origene refutata, qui & illis perſuaſit abjicere errorem a Tatiano antea defenſum, & ab Anabaptiſtis ſexto & decimo Eccleſiæ ſæculo innovatum. Optima denique, quam & Eccleſia tenet, ſententia definit, animas ſtatim poſt obitum privato judicio, quod generali præcedit, expendi: quæ autem juſtæ ab omni labe puræ probatæ ſunt, eas continuò æternâ beatitudine donari; impias æterno igne damnari; quas verò venialium criminum labes inquinant, quæque lethalium iniquitatum culpam quidem deleverunt, ſed temporales peccatorum pœnas nondum exſolverunt, illas purganti & expiatorio igni addici.

Quicumque millenarium Sanctorum in terris regnum commenti ſuerunt; illis ante reſurrectionem animas beatitudine frui minimè probatur. S. Juſtino (b) hæc profectò ſententia ſedit, cùm ait, piorum impiorumque animas Judicii diem, illas quidem in loco amœno, has verò in loco maximè triſti opperiri. S. Irenæus ait (c), animas poſt obitum deduci in locum inviſibilem, ſibi a Deo deſignatum, ibique ad reſurrectionem uſque manere; tunc autem Deo ſiſti. Impiorum animas ad inferna ſupplicia addicit Tertullianus (d); pias verò in ſinu Abrahami condit, ubi corporum ſuorum reſurrectionem, & mundi exitum tranquillæ expectant: *Nam & nunc animas torqueri, foverique penès inferos, licèt nudas, licèt adhuc exules carnis, probavit Lazari exemplum.* Nonniſi poſt reſurrectionem fiet, ut juſtorum animæ corpori amico ſociatæ in Cœlum aſcendant, plenâ beatitudine fruituræ (e); nam ante id tempus in loco quodam refrigerii illas collocat. Lactantius eadem luculentiùs exprimit (f): *Nec tamen quiſquam putet, animas poſt mortem protinùs judicari; omnes in unâ communique cu-*

(x) Τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων. *Quid.* Τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἐσφαγμένων. Medus, Martianæus, & alii quidam explicant de interfectorum cadaveribus. *Anima* frequenter pro homine mortuo uſurpatur. Hæc tamen nobis non videtur germana loci hujus ſignificatio.
(y) Διὰ τὴν μαρτυρίαν ἣν εἶχον. *Alii plures:* Διὰ τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἀρνίου ἣν εἶχον, *Propter teſtimonium agni quod habebant. Steph. 11, 12, Cov. 2, Sin. Baroc. Pet. 2, Hunt. 1, Syr. Arab. Æthi.*
(z) *Vide Pergr. Boſſuet, Du Pin, alios.* (a) *4 Eſdr. IV, 35, & ſequ.*
(b) *Juſtin. Dialog. cum Tryphon.* (c) *Iren. lib. 5 contra hæreſ. 31, n. 2.*
(d) *Tertull. lib. 4 contra Marcion. & lib. de Reſurrect. carnis.*
(e) *Idem, Tract. de Teſtim. animæ.* (f) *Lactant. lib. 7, cap. 21.*

Digitized by Google

℣. 11 Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

COMMENTARIUS.

cuſtodiâ detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata juſtitia, ii præmium immortalitatis accipient; quorum autem peccata & ſcelera detecta fuerint, non reſurgent, &c.

Origeni ſuccurrit (g), animas e mundo egreſſas, per varias commigrantes ſedes, tamdem alias quidem in ſinum Abrahami, alias in inferna loca pro merito anteactæ vitæ concedere. *Nondum receperunt lætitiam ſuam, ne Apoſtoli quidem; ſed & ipſi expectant, ut & ego lætitiæ eorum particeps ſiam* (h). S. Hilarius (i) docet pariter, Juſtorum animas corpore ſolutas in ſinu Abrahami usque ad adventum Regni Cœlorum contineri; ſegregatas quidem ab impiis, ſed nondum æterni regni poſſeſſione, qua a Deo tamdem donabuntur, beatas. S. Ambroſius ita cenſet (k): *Solvitur corpore anima, & poſt finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambigua ſuſpenditur.* Alibi verò (l), deſumptâ ex ludis publicis comparatione, in quibus victores ſimul omnes coronantur, ait de Sanctis: *Corona dies expectatur ab omnibus, ut intra eum diem & victi erubeſcant, & victores victoriæ palmam adipiſcantur.* S. Chryſoſtomus (m) eâdem ſententiâ ſcribit, quamdiu corpus vitâ caret, animam ſine præmio & beatitudine manere; nec Patriarchas, nec Martyres mercede ſuâ donari (n), ſed fratres opperiri, ut ſimul coronentur. Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius S. Chryſoſtomum magiſtrum plerumque ſequuntur.

S. Auguſtino (o) perſuaſum ſemper fuit, juſtorum animas magnâ felicitate ante reſurrectionem frui; impias verò dira pati; ſed perfectâ in Cœlis beatitudine potiri animas Sanctorum non cenſuit: quin & illas conſtituit in ſinu Abrahami, vel intra clauſtra quædam ignota reſurrectionem expectantes, ſed nondum abſolutè beatas. S. Bernardus (p), qui ceu noviſſimus Patrum habetur, ſententiam S. Auguſtini adoptaſſe videtur, tradens, Sanctos in hac vitâ tamquam in tentoriis agere; poſt obitum tamquam in atrium domûs Dei ingreſſos; denique ad templi penetralia poſt reſurrectionem admitti. Multum eſt quidem ad atrium perveniſſe; at gaudium, & beatitudo tunc animam plenè afficit, cùm intra domum Dei ſiſtitur. Eò nulla anima ſine corpore, nullus Sanctorum ſine ſociis admittetur. Idcirco Juſtis efflagitantibus corporum ſuorum reſurrectionem, reſponſum eſt (q), *ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum.* Albas hi ſtolas jam acceperunt, at duplicem veſtem, gloriæ ſcilicet & immortalitatis, nonniſi poſt reſurrectionem corporum obtinebunt.

Hanc ſententiam ſæculo demum quarto & decimo revocare, tum palam pro concione agens, tum Epiſtolis, tum ſcriptis Legatiſque miſſis Joannes XXII conatus eſt; at fruſtra; nam Facultas Theologica Pariſienſis illam rejecit, quin & idem Pontifex damnare coactus fuit; quique illum excepit Benedictus XII, quæſtionem hanc ita definivit: Animæ Sanctorum, quæ deceſſerunt ante paſſionem Chriſti, item & animæ SS. Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, cæterorumque Fidelium, quæ baptiſmo luſtratæ hac e vitâ migrarunt, quo tempore nihil eluendum illis ſupererat; denique & animæ quæ in alterâ vitâ labes ſuas purgavere, ac denique animæ puerorum, poſt baptiſmum & ante rationis uſum defunctorum; hæ inquam, omnes Deum ipſum ſtatim & perſpicuè intuentur, & intuebuntur, quo Dei conſpectu & gaudio felices reipsâ, vitâque ac requie æternâ potientes & ſunt & erunt. Hæc Eccleſiæ eſt noſtrâ ætate ſententia, quam veterum Patrum permulti ſemper tradidere, uti Dupinius in Apocalypſim, *diſſertat.* X, *pag.* 468, &c. demonſtrat.

Non inviti credimus, Joannem ex auctoribus Judæis deſumpſiſſe hanc imaginem de animabus Sanctorum ſub altari Domini collocatis (r). Nam & illi haud abſimili tropo eas ſub Dei ſolio conſtituunt, docentes, eas ſub gloriæ ſolio vota ferre pro Hebræis calamitate aliquâ laborantibus; & cùm Deus, clamoribus earum permotus, interrogat, quænam ea ipſis velit ad ferendam hominibus opem accurrere, offerenti ſeſe alas perinde atque Angelis tribuit, dimittitque, ut oppreſſos juvet, patratis quoque in eorum commodum prodigiis. Docent illi pariter inter cætera, Moyſis animam ſub Dei throno quieſcere (s).

℣. 11. Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. Poſtulatæ ultionis executio differtur quidem, ſed debita perpeſſionibus horum merces, certumque conceditur, ſtolis albis in ſingulas diſtributis, innocentiæ, ac beatitudinis argumentum. Fortaſſe etiam ſingulæ ſtolæ idcirco datæ ſunt, ut demonſtraretur, eorum felicitatem nondum numeris omnibus eſſe abſolutam, neque niſi poſt generalem reſurrectionem, corporibus earum immortalitate donatis, eſſe complendam (t).

Ut requieſcerent adhuc tempus modicum. Qui ſtabat in altari Agnus, ſeu potiùs, ſedens in throno Dominus, ſive per ſe, ſive per ſuos monuit, ut aliquandiu expectarent, ideſt, ducentis & viginti annis circiter, ſi horum finis ponatur regnum Conſtantini, qui, pacatâ Eccleſiâ, ejus injurias ex Ethnicis ultus eſt. Vel expectandum illis erat toto eo tempore, quod fluxit, & effluet usque ad extremi judicii diem, ſi opperiendum illis tamdiu erat, dum omnium Sanctorum numerus impleretur, & Deus abſolutam omnibus gloriam ac præmium poſt reſurrectionem largiretur (u), ultionemque inſignem de omnibus tyrannis, Eccleſiam ac Fideles ſuos ab ipſo mundi exordio inſectatis, exigeret. Complures Martyres Chriſtianam Fidem illuſtraverant, quo tempore Joannes ſcriptis iſta mandabat.

(g) *Origen. lib.* 4 *de Principiis.*
(h) *Idem Homil.* 7 *in Levit.* (i) *Hilar. in Pſal.* CXX, *n.* 26. (k) *Ambroſ. lib.* 2 *de Cain & Abel*, *c.* 2.
(l) *De Bono Mortis*, *cap.* 10, *n.* 45, 46. (m) *Chryſoſt. Homil.* 39 *in* 1 *Cor.*
(n) *Idem, Homil.* 28 *in Epiſt. ad Hebr. cap.* 11. (o) *Auguſt. in Pſal.* XXXVI, *ſerm.* 1; *& de Geneſ. ad Litter. lib.* 12, *cap.* 32; *Et de fide, ſpe, & charit. cap.* 109; *& l.* 12 *de Civit. cap.* 9, *n.* 2.
(p) *Bernard. ſerm.* 3, *&* 4, *in Feſto omnium Sanctorum.* (q) *Apoc.* VI, 11.
(r) *Mikr in Pulvere aroma.* (s) *Vide apud Gaulm. not. in Petirath Moſe*, *lib.* 3, *cap.* 7.
(t) *Vide Grot. Corasl.* (u) *Vide Auguſt. ſerm.* XI *de Sanctis*; *Greg. Mag. lib.* 2 *Moral. cap.* 4. *Cornel. alii.*

℣. 12. Et vidi cùm aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræmotus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tamquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis:

℣. 13. Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cùm a vento magno movetur.

℣. 14. Et cœlum receſſit ſicut liber involutus: & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt:

COMMENTARIUS.

bat. Apoſtoli omnes, & ex primævis Diſcipulis plerique jam deceſſerant. Alii præterea quamplures Fidem amplexi, necati fuerant tum a Judæis cùm a Gentilibus. At labente tempore, eorum numerus mirum in modum auctus eſt. Tunc enim nonniſi binæ jam perſecutiones ſævierant, Neronis & Domitiani, quamquam Martyres alii aliis in locis necati fuere.

℣. 12. Sigillum sextum: Et ecce terræmotus magnus factus est. Sexto hoc ſigillo docetur Apoſtolus, qua ratione Deus flagitatam a Martyribus ultionem exequuturus eſt; terribilem illam oppido. Totam autem ad duo tempora commodè referas. Primum illud eſt, quo Conſtantinus, Chriſtianæ Religionis trophæo ſuper ruinas ſuperſtitionis Gentilium Numinumque cultûs conſtituto (x), deinde poſt ejus & filiorum obitum, Imperium barbarorum ludibrium evaſit, Roma capta & direpta, Provinciæ omnes tumultu ac terrore permiſtæ. Alterum tempus eſt, quo Deus ſupremâ Judicii die merum furoris ſui, Juſtis probantibus, impiis propinabit (y). Peculiares animadverſiones, quibus Deus ſubinde amicorum ſuorum injurias ulciſcitur, nonniſi rudimenta ſunt illius, quam magnâ & terribili eâ die proferet.

Terræmotus, ſolis lunæque defectus, ſtellarum lapſus, montium concuſſio, locutiones hyperbolicæ ſunt, quas ex Prophetis imitatus eſt Joannes, ut extrema & generalia mala ſignificaret. Romanum Imperium bella, diſſidia, ſeditiones intus exteriusque vexarunt. Tyrannos Eccleſiam inſectatos Deus conſpicuo flagello cecîdit. Maxentius, fracto ſub pedibus Milvio ponte, in Tiberim præceps ruit. Maximinus Jovius horrendo & contumaci morbo correptus, cædi ſe a Deo ob mala Chriſtianis illata, doloris vi fateri coactus fuit. Maximinus, mistâ cum Licinio inimicitiâ, acie victus, ementito habitu fugit; & cùm in ditionem ſuam perveniſſet, Sacerdotes Gentilium neci tradidit, latoque edicto Chriſtianis favit. Denique in morbum incidit planè dirum; nam ſecreto igne viſcera depaſcente, oculorum uſurâ multatus fuit, & ad nuda penè oſſa redactus interiit. Licinius a Conſtantino deficiens, nunquam non victus fugit, donec ejus juſſu relegatus, & faucibus eliſis necatus fuit. Maximianus, alter Conſtantini æmulus, laqueo ſibi vitam adêmit, cùm Maſſiliæ ſeſe abdidiſſet. Bella hæc omnia & turbæ contingere abſque ingenti concuſſione Imperii non potuerunt, nec abſque ingenti Ethnicorum, qui Conſtantino repugnavere, detrimento, cùm ille fautorem ſe Chriſtianæ Religionis nunquam non exhibuerit.

Siquis velit ex Scripturis petere loquendi modos æquè acres, & deſcriptiones æquè vividas, quibus exprimuntur defectiones, calamitateſque fortè minores, quàm quæ Romanum Imperium Ethnicum & Eccleſiæ inimicum agitarunt, cùm Conſtantinus, proſtratis æmulis, cervicem idololatriæ præcîdit, adeat *Iſaiam*, XIII, 10; XXXIV, 4; *Deut.* XXXII, 20, 21; *Jerem.* IV, 23; *Iſaiam*, XXIV, 4, 19, 20, 21, 23; LXV, 17; *Joël.* II, 1, 10; III, 2, 14; *Ezech.* XXXII, 7; *Amos*, VIII, 9; *Matth.* XXIV, 27, 29; 2 *Petri*, III, 10. &c.

Saccus cilicinus; inſtar veſtium luctuoſarum, e nigris vel ſubnigris pilis conteſtarum, quibus & Prophetæ utebantur (z). Genus erant ſagi ex caprarum ſeu camelorum lanâ. Sol in magnis eclypſibus nigro craſſoque velo obductus, luna verò infecta ſanguine apparent.

℣. 13. Stellæ de Coelo ceciderunt. Cave hæc ad verbum accipias; neque enim cadere e Cœlo ſtellæ naturâ ſuâ poſſunt, cùm eam, quam incolimus, terram mole ſuâ longè ſuperent. Locutio eſt igitur vulgaris & hyperbolica, ad exprimendam ingentem aliquam mundi ſubverſionem. Quos magnæ calamitates premunt, tumultum, quo intus agitantur, verbis produnt. Accidit etiam interdum, ut incenſa quædam meteora ſeu per aëra volitent, ſeu in terram cadant, quæ ſtellas eſſe e Cœlo cadentes vulgus interpretatur:

Fertur ut interdum de Cœlo ſtella ſereno,
Etſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.

Colligitur ex his, ſtellas e Cœlo cadere poſſe; & ad exprimendam totius naturæ ſubverſionem dicitur, Cœlum omnibus ornamentis ſuis ſpoliatum iri, ſtelliſque adeò frequentes, ac acerbæ ficus ex arbore vento agitatâ, e Cœlo lapſuras.

℣. 14. Coelum recessit sicut liber. Veteres libri ingentia erant volumina ex papyro ſeu membranâ, quæ convoluta claudebantur, evoluta patebant ad legendum; non enim niſi ex uno interiori latere deſcripta erant. Porrò Cœlum ita vulgus ſibi fingit, ut ingentis voluminis membranam, quam Deus pro arbitrio evolvit convolvitque, adeout Cœlum, ſol, luna, ſtellæ recondantur. Scriptura interdum (a) Cœlos tentorio, quod ſtatim erigitur demittiturque, comparat. Hæ loquendi formæ mentem acriùs afficiunt, altamque de Majeſtate Numinis opinionem ingerunt.

Omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt. In eâ, quam Romanum Imperium ſenſit, rerum perturbatione, cùm Conſtantinus æmulos bello conficeret, ſpectare quodammodo licuit montes & inſulas quati, eaque locum mutare viſa ſunt ingenti illo rerum motu, belliſque tam multis, quibus per varias Imperii provincias decertatum eſt. Septem fuere tunc, præter Conſtantinum, Imperii competitores; Maximianus Galerius, Maxentius, Severus Cæſar, Maximinus, Alexander, Maximianus Herculius, & Licinius. Priores ſex victi fugatique ſunt intra novennium, ab anno ſcilicet 306 uſque ad 314. Licinio fauces eliſæ ſunt anno 324. Omnes hi Principes Chriſtianæ Religioni erant infeſtiſſimi. Qui illam tuebatur Conſtantinus, Imperator

unus

(x) *Med. Durham, Boſſuet, Du Pin.* (y) *Victorin. Primaſ. Ticbon. Haymo, Andre. Beda, Perer. Riber. Cornel. Boſſuet, Du Pin.* (z) 4 *Reg.* 1, 8; *Zachar.* X, 4. (a) *Pſal.* CIII, 2; *Iſai.* 40, 22.

℣. 15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber absconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium:

℣. 16. Et dicunt montibus, & petris: Cadite ſuper nos, & abscondite nos a facie ſedentis ſuper thronum, & ab irâ Agni:

℣. 17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit ſtare?

COMMENTARIUS.

unua manſit; ſed nonniſi poſt illata in omoes ferme plagas arma, & poſt prælia ingenti numero commiſſa.

℣. 15. OMNIA ARRVUA AT LIASR AASCONDERUNT SA IN SSPULCAIS, AT IN PATAIS MONTIUM (℣. 16.) Et DICUNT MONTIAUS, RT PATRIS: CADITE SUPER NOS; omnes ab infimo ad maximum ſese in apeloneis abdent. Imperatores illi, de quibus modò, deviſtæque genres, ſeu proripere ſe fugâ, ſeu mortem ultro quærere coactæ ſunt, ut victorum manus evaderent. Gentiles in Chriſtianos ad id usqoe efferati, in extremâ rerum omnium perturbatione ac desperatione coactæ ſunt, specua ac latebras quærere, & rogare ſpecus & montes: *Cadite ſuper nos*; ſaxa verò: *Obruite nos*. Mirè iſta pingunt terrorem, confuſionem, desperationem gentis devictæ, quam conſcientia torquet & mordet. Confer Isaiam, II, 18: *Introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terra a facie formidinis Domini, & a gloriâ majeſtatis ejus*. Vide & Oſee, 2, 8, & Luc. XXIII, 30. Hæc omnia commodè traosferantur ad Judicium noviſſimum, quod bis, quæ adnotavimus, malis leviter adumbratur.

CAPUT VII.

Quatuor Angeli, qui ventos continent. Angelus alius quatuor illis imperat, ne quid moveant, niſi priùs impreſſo ſtigmate Electos ipse notaverit. Numerus eorum qui eo ſtigmate notantur. Hi Deum laudant, albis veſtiuntur, & beatitudine gaudent.

℣. 1. POſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.

℣. 2. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi: & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari,

℣. 3. Dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST HÆC, VIDI QUATUOR ANGELOS. Proſequitur hic Apoſtolus narrationem eorum, quæ ipſe amoto ſexto ſigillo ſpectavit; nam de ſeptimo agitur Capite ſequenti. Puto ego, quatuor hiſce Angelis ventos coërceotibus, ne terram perturbent, deſignari pacem, ſub Conſtantino Magno. Hic enim tranquillâ in pace ab anno 324 quievit; nec ab externis hoſtibus mali quidquam Eccleſia paſſa eſt (a). Studium paternum in commodis & pace Eccleſiæ promovendis, tres Conſtantini filii æmulati ſunt; nec a vero abludit, calamitates illas, quæ leguntur infra Capite VIII, octavo ſigillo amoto, eas eſſe, quas Eccleſia tulit a barbaris gentibus, quæ poſt Conſtantinum ejusque filios Romanum Imperium aggreſſæ, ingentes Provincias ab eo evulſerunt.

Animæ Martyrum ultionem ſanguinis ſui flagitarant, juſſæque fuerant opperiri aliquandiu, donec fratrum numerus impleretur (b). Impleto tandem illo in noviſſimis Eccleſiæ vexationibus, Deique flagello in adverſarios ejusdem Eccleſiæ excuſſo eâ ſeveritate, de qua nos Capite ſuperiori, erat denique recenſendus numerus Sanctorum & Martyrum, ut omnes ſimul unâ cum iis, qui primò ſub Altare jacebant, ſiſterent ſe coram ſolio Omnipotentis, laudes gratiarumque actiones repenſuri pro tantâ gloriæ mercede, pro exactâ de perſecutoribus ultione, & pro pace Eccleſiæ collatâ.

Ventorum turbines prohibiti terram & mare agitare, deſignant illos quoscumque, qui pacem Reipublicæ & quietem populi turbant (c). Bella, diſſidia, infectationes omnes ab Eccleſiâ & Imperio exularunt ſupremis Conſtantiai annis, qui annis triginta, & menſibus aliquot, ab anno 306 usque ad 337, rerum potitus fuit.

℣. 2. VIDI ALTERUM ANGELUM HABENTEM SIGNUM DEI VIVI. In hoc Angelo Dei Filium alii agnoſcunt (d); alii unum eſſe aliquem e

prin-

(a) *Vide Andr. Bedam, Carthuſ. Perer. Vide & Ambroſiaſt. Primaſ. Ausbert. Anſelm.*
(b) *Apoc.* VI, 9, 10, 11. (c) *Grot. Med. alii.* (d) *Ita Berengaud. Ausbert. Primaſ. Haymo; Anſelm. Richard. Bed. Zeger. Para. Forer. Cluver. Durham, &c.*

℣. 4. Et audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſraël.

℣. 5. Et tribu Juda duodecim millia ſignati: Ex tribu Ruben duodecim millia ſignati: Ex tribu Gad duodecim millia ſignati:

℣. 6. Ex tribu Aſer duodecim millia ſignati: Ex tribu Nephthali duodecim millia ſignati: Ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati:

℣. 7. Ex tribu Simeon duodecim millia ſignati: Ex tribu Levi duodecim millia ſignati: Ex tribu Iſſachar duodecim millia ſignati:

℣. 8. Ex tribu Zabulon duodecim millia ſignati: Ex tribu Joſeph duodecim millia ſignati: Ex tribu Benjamin duodecim millia ſignati.

COMMENTARIUS.

principibus Angelis opinantur; quorum ſententiam æquiorem judicamus (e). Veniebat e latere orientali Altaris holocauſtorum, ubi erat Agnus, & Sanctuarii, ubi Dei ſolium ſtabat. Geſtabat manu *ſignum Dei vivi*; ſigillum Dei nomine inſculptum, quod fronti omnium Electorum a Domino imprimebat. Vide infra, XIV, 1: *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus in frontibus ſuis.* Expreſſa ſunt hæc ex illo Ezechielis (f), ubi Deus mandat Angelis, ut fronti mœrentium imprimant ſalutare ſignum, quò Angelos furoris ſui miniſtros evaderent; quemadmodum olim nocte egreſſionis ab Ægypto ultor Angelus pepercit ædibus agni paſchalis cruore notatis (g).

Hic verò Angelus impreſſit facilè nomen *Jehovah*, vel ſignum Crucis (h) fronti Electorum cæterorumque, qui vitam pro Chriſto profuderunt. Familiare erat Orientalibus mancipia, militesque inurere ſtigmate quarumdam notarum indelebilium, quo indicio fugitivi proderentur (i). Chriſtiani veteres ſignum Crucis fronti ſuæ ferè ſemper imprimebant, & quodammodo ex frequenti conſuetudine detritæ fronti inſculpebant (k): *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & ad calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.*

CLAMAVIT VOCE MAGNA QUATUOR ANGELIS. Ut e quatuor mundi angulis exaudiretur, *clamavit* quatuor Angelis, qui ventos continebant, quique nimbos in ſuâ poteſtate habebant, *& quibus datum eſt nocere terræ, & mari.* Vides hic antiquam Hebræorum opinionem, quæ Angelos præſides aſtris, elementis, viciſſitudinibus temporis, & Imperiis aſſignabat. Num boni malive eſſent Angeli iſti, ambigitur. Pravos innuere videtur munus nocendi terræ & mari (l); ſed notum eſt ex Scripturâ (m), Deum ſæpe bonis Angelis ultionem ſuam & hominum punitionem committere. Orientales Principes non rarò ſummis aulæ miniſtris committebant mutilationem membrorum, ſeu necem eorum, quos inviſos habebant. Hujus moris exempla in hiſtoriâ Regum Hebræorum ſuppetunt; nullamque ignominiæ notam executores illi incurrebant.

℣. 4. AUDIVI NUMERUM SIGNATORUM in fronte, qui e ſolis Judæis, præter Ethnicos ad fidem converſos, de quibus ℣. 9, *quadraginta quatuor millia ſignati* erant, duodena millia in ſingulas duodecim Tribus, uti ſtatim explicat. Conſtat utique, numerum hunc gentium aſſumptum eſſe ad deſignandam ingentem hominum turbam, cùm in diſtributione per Tribus, quam hic proſequitur Joannes, Tribum Dan omittat, in quâ nullum ex prædeſtinatis contineri nemo jure putaverit. Scitum eſt inſuper, in Barcochebæ defectione quamplures e Chriſtianis hebraizantibus martyrio ſublatos fuiſſe, eoſdemque hic deſignari ſub nomine Iſraëlitarum, *qui ſignati ſunt in fronte.* Ipſe pariter Barcochebas illos, recuſantes conſentire defectioni, inſectabatur (n); & Romani tamquam Judæos vexabant, pellebant, & Imperii hoſtes exiſtimabant.

At enim cur Tribus Dan una ex omnibus Tribubus in recenſione omittitur? Veterum Patrum (o) & Interpretum quamplures (p) in hunc locum arbitrantur, oriturum ex eâ Tribu Antichriſtum, ejuſque ſub ſignis in exitu ſæculorum Judæos pleroſque arma geſturos. At hoc incertum; quin & dubium (q) atque etiam fabuloſum (r) apud Catholicos audit. Præſtat itaque omiſſam reputare, quòd Tribus eſſet omnium infrequentiſſima, & decreviſſet Apoſtolus certum Electorum numerum pro incerto (s) dare; quemadmodum Matthæus ter quatuordecim gradus in genealogiâ Chriſti recenſere cùm ſtatuiſſet, in gratiam conſilii ſui capita quædam omiſit (t). Quin & ſi hæc ad merum verborum ſonum accipienda forent, Tribus Joſephi in duas diſtributa, Manaſſen nempe & Benjaminum, bis totidem Electos ac reliquæ Tribus dediſſet, Dan ne unum quidem ſufficiente: id quod planè probabile non eſt.

℣. 8. EX TRIBU JOSEPH. Diceret: *Ex Tribu Ephraim*, cùm Manaſſis ℣. 6 meminerit. Scitum

(e) *Perer. Riber. Grot. Cornel.* (f) *Ezech.* 12, 4. (g) *Geneſ.* XII, 22, 23. (h) *Cornel. Gr.*
(i) *Ariſtophan. apud Grot. hic*; *Herodot. lib.* 7, *cap.* 233; *Cod. Theodoſ. tit.* 21, *lib.* 4.
(k) *Tertull. de Coronâ Militis*, *cap.* 3. *Vide & Cyprian. Ep.* 63; *& lib.* 3 *Teſtimon. cap.* 22; *Ambroſ. de Iſaac*, *cap.* 8, *&c.* (l) *Vide Delrio*, *lib.* 2 *de Magiâ*, *cap.* 31; *Zeger. Cluver. Piſc. Genev. Para.*
(m) *Vide Geneſ.* XIX; *Infra*, VIII; *Ezech.* IX; *Alcazar. Riber. Perer. Cornel.*
(n) *Vide Juſtin. Apolog.* 2; *& Euſeb. in Chronico.* (o) *Iren. lib.* 5, *cap.* 30; *Auguſt. qu.* 22 *in Joſue*; *Theodoret. qu. ult. in Geneſ. Ambroſ. de Benedict. Patriarch. cap.* 7; *Hippolyt. Tract. de Conſummat. mundi*; *Greg. lib.* 31 *Moral.* 18; *Cyrill. Eucher. Iſidor. Proſper*, *Rufin. &c.*
(p) *Andre. Hayma. Ruchard. Anſelm. Bed. Rupert. Lyran. alii hic.*
(q) *Toſtat. in Geneſ.* XLIX, 17; *Fromond. hic*; *Boſſuet.* (r) *Oleaſter in Geneſ.* XLIX, 17.
(s) *Cluver. Hammond. Beda*, *Boſſuet.* (t) *Vide Matth.* I, 8, 9, 12, 17.

℣. 9. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum:

℣. 10. Et clamabant voce magnâ dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.

℣. 11. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum,

℣. 12. Dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro, in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. 13. Et reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & unde venerunt?

℣. 14. Et dixi illi: Domine mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.

℣. 15. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus: & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.

COMMENTARIUS.

tum eſt, Ephraimum & Manaſſem, filios Joſephi, ſortem duplicem, e cujus jure Ruben natu maximus exciderat (u), obtinuiſſe, atque ita geminas Tribos in Iſraële conſtituiſſe.

℣. 9. VIDI TURBAM MAGNAM, &c. Tanta hæc hominum turba indicat innumeram prædeſtinatorum multitudinem, ex Judæis Gentilibusque ad Fidem converſam (x), ac præſertim Martyres (infra, ℣. 14), qui ſtigmate nominis Dei in fronte notati fuerunt. *Stola alba & palma* ſingulis datæ ſunt, innocentiæ, juſtitiæ & victoriæ de mundo, carne, dæmone, & adverſariis argumentum.

℣. 10. SALUS DEO NOSTRO. Gloria, gratiarum actio omnipotenti Deo, qui nobis victoriam de hoſtibus dedit.

℣. 11. ET OMNES ANGELI STABANT IN CIRCUITU THRONI. Angelici hujus ſatellitii nondum meminerat, quòd totus eſſet in deſcribendis rebus aliis majoris momenti, & argumento ſuo magis ſervientibus. Porrò Angeli iſti laudibus, quas Martyres iterabant, reſponderunt, eaſque acceſſione cumularunt. ℣. 12. *Dicentes Amen:* dum Martyres benedictiones ſuas abſolverent, deinde ipſi reſumebant: *Benedictio, & claritas* (y), *& ſapientia, &c.*

℣. 13. ET RESPONDIT UNUS DE SENIORIBUS. Hebræi verbum *reſpondit* pro *ait* ſæpè uſurpant.

℣. 14. HI SUNT QUI VENERUNT EX TRIBULATIONE MAGNA. De futuro tamquam de re præteritâ, more Prophetarum, loquitur. Quos cernis albatos & palmis ovantes more triumphantium, Martyres, ex Gentilibus ad fidem converſi ſunt. Adverſa multa ſubierunt, ut beatas ſedes obtinerent; & quas geſtant albas ſtolas *dealbaverunt in ſanguine Agni* (z). Veſtes utique non dealbantur ſanguine; ſed hæc myſtica ſunt. Balneum ſanguinis ex Agno fuſi eſt Baptiſmus, pœnitentia, Martyrium, quo ſordes animæ & peccata eluuntur; meritum ſcilicet Sanguinis & Paſſionis Jeſu Chriſti nobis addicitur.

℣. 15. SERVIUNT EI DIE AC NOCTE IN TEMPLO EJUS. Confirmant hæc animadverſionem, quam ſæpe iteravimus, Apoſtolum ſcilicet exhibere Cœlum tamquam Templum & Aulam Altiſſimi, ubi nihil deſiderabatur eorum, quibus ædes Magnorum Principum ac præſertim Templi Jeroſolymitani decorabantur. Ingens Miniſtrorum ſatellitium, & famulorum ordines varii; Princeps in ſolio, in ædium penetralibus; aulici vel amici coram eo aſſidentes, &c. Hic animas Sanctorum cernere licet, tamquam ad Dei famulatum ejuſque Templi miniſterium admiſſas, qua mercede ob erogatam pro Chriſto vitam donantur. *Serviunt ei die ac nocte; & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos* (a); proteget eos veluti tentorium. Patronum ſe illis & tutorem exhibebit. Hæc ſumma creaturæ felicitas, Dei eſſe, illi famulari, illum totâ æternitate adorare, omni metu illum amittendi vacare, favore ejus & patrocinio gaudere. *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te* (b). Tota Prophetæ gloria eſt, in Templo Domini commorari. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum* (c). Confer *Apoc.* XXI, 3; *Levit.* XXVI, 11; & 2 *Cor.* VI, 16.

℣. 16. NON ESURIENT NEQUE SITIENT AMPLIUS; neque algebunt neque æſtuabunt (d). Sanctorum beatitudinem exhibet tamquam vitam neceſſitatibus omnibus maliſque immunem. Qui in aulam Magni alicujus Principis adſciſcitur, communia cæterorum incommoda ſe deinceps non experturum

(u) 1 *Par.* V, 1: *Primogenita reputata ſunt Joſeph. Vide Geneſ.* XLVIII, 17, 18, *& ſeq.* XLIX, 27.
(x) *Riber. Per. Ameol. Cornel. Boſſuet. Du Pin. Alii.* (y) *Vulg. Claritas. Græc.* Δόξα, *gloria.*
(z) Libri complures ferunt: *Dilataverunt eas in ſanguine Agni*, Ἐπλάτυναν τὰς στολὰς αὐτῶν, pro ἔπλυναν. *Ita Steph.* 11, *Hunt.* 2, *Ald. Colin. Froben. Edit.* 2 *priore Roberti Steph.*
(a) Σκηνώσει ἐπ' αὐτούς. *Pſal.* XC, 1: *Qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Confer *Apoc.* XXI, 3. (b) *Pſal.* LXXXIII, 5. (c) *Pſal.* LXXXIII, 11.
(d) Οὐδὲ καῦμα. Confer Iſai. XLIX, 10. Omnia vitæ mala Hebræi igne & vento urente exprimunt. Grot.

℣. 16. Non eſurient, neque ſitient ampliùs, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus:

℣. 17. Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

COMMENTARIUS.

rum ſperat. Sed mens ad altius & perfectius aliud tollenda eſt, ut digniorem de ſtatu Sanctorum in Cœlo opinionem capiamos. Percurre animo omnia, quibus homo in præſenti vitâ obnoxius eſt, mala; abſunt perpetuò omnia. Statue tibi ante oculos quidquid juſtæ & innoxiæ voluptatis effingere potes; frueris omnibus. Igitur minus multo, quàm quod vellet, Apoſtolus hîc exprimit, cùm locutio nulla exprimat id, quod oculus nunquam vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit (e). Multò facilius eſt dicere quod inde aberit, quàm quod aderit.

℣. 17. Agnus reget illos: famem, ſitim, & alia vitæ hominum incommoda ſentire illos non patietur. Ipſe enim erit pro cibo, potu; aquâ viventi, qua ebrii fient (f), torrente deliciarum quo irrigabuntur (g): *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Hæc omnia deſumpta ſunt ex Isaia, XLIX, 10. Vide & Pſalmum XXXV, 9, 10. In ferventibus regionibus nihil voluptuoſius, quàm puri aquarum latices; atque inde ſæpè Scriptura ſimilitudines duxit. Pro illo: *Ad vitæ fontes aquarum*, Græcus legit (h): *Ad vivos fontes aquarum*. Sed Codices multi Vulgatam tuentur. Grecæ quædam editiones (i) omittunt illa: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*. Deſumptum id videtur ex Cap. XXI, 4, hujus libri.

CAPUT VIII.

Sigillum ſeptimum amovetur. Silentium ſpatio horæ dimidiæ. Septem Angeli cum tubis. Angelus ſuffitum dans. Altaris ignem in terram ſpargit. Prior Angelus tubâ canit: tertia orbis pars crematur. Tres aliæ tubæ reboant, & quid inde accidat.

℣. 1. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi mediâ horâ.

℣. 2. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Sigillum ſeptimum. Septimum ſigillum ſupererat; eoque amoto, Angeli, piorum animæ, Senum Collegium, & quatuor Cherubim alto ſilentio quieverunt; ſilentio admirationis & expectationis (a). Magna utique ſilentii argumenta ſupra ſex priora ſigilla ſeptimum hoc tulit: conticere enim omnia videtur, quæ Capitibus VIII, IX, X referuntur. Magnum illud argumentum de vexatione Sanctorum, & de Tyrannorum pœnâ nonniſi leviter adumbratum fuerat Apoſtolo, cùm ſextum ſigillum amotum eſt. Neque enim ſpectanda illi propoſuerat Deus, niſi quæ poſt exitum calamitatis illius in Cœlo acciderant. Tyrannorum caſus, & accurata vexationum illarum hiſtoria ad remotionem ſeptimi ſigilli reſervabatur. Hæc igitur toto hoc Capite, & duobus conſequentibus (b) ſpectanda ſunt.

Cenſent quidam (c), ſeptimum hoc ſigillum ſpectare primò ad calamitates Judæorum ſub Trajano, & Adriano; ſecondò ad hæreſes, quæ prioribus ſæculis ex Judaicâ Religione prodierunt; tertiò denique ad vexationes in Eccleſiam motas. Alii accipienda hæc de malis, Judicio ſupremo præituris, arbitrantur. Alii (d) explicant de malis ab Eccleſiâ toleratis poſt Conſtantini & Filiorum obitum, usque ad captam Romam ab Alarico, Genſerico, Odoacre, Totilâ, aliisque barbaris. Poſtremum hoc ſatis probamus, & magis magisque ſe in proximis Capitibus prodit. Familiare eſt Prophetis, eadem argumenta, præſertim gravia, variis tropis veſtire. Ita apud Isaiam captivitas Babylonis, & ex captivitate reditus variè proponitur. Apud Danielem ea, quæ Judæi a Regibus Syriæ pertulerunt, quatuor diverſis in locis non eâdem ſemper imagine pinguntur (e).

℣. 2. Vidi ſeptem Angelos, ſummos juſſionum Domini miniſtros, qui proximè omnium ad Deum accedunt, de quibus non ſemel recurrit ſermo (f); vidi, inquam, dari ſingulis buccinam inflandam, ut ſignum darent malorum, quæ Or-

(e) 1 *Cor.* II, 9.
(f) *Joan.* IV, 10, 15, 14; VIII, 38.
(g) *Psal.* XXXV, 9.
(h) Ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων. *Alii plures*: Ἐπὶ ζώσας πηγάς. *Ita Steph.* 16, *Alex. Baroc. Petav.* 3, *Cov.* 2, *Hunt.* 1, *Complut. Æthiop. Arct. Cyprian.* (i) *Ald. & Eraſm. Edit.* a *N. Teſt.*
(a) *Viegas*, *Perer. Cornel. Boſſuet*, *Du Pin*. (b) *Du Pin*.
(c) *Boſſuet*, *Alcazar. Zeger. Cluver*. *Alii ad* ℣. 7.
(d) *Durham. Med. Synop. pag.* 1783.
(e) *Dan.* VII, 2, 3, 4, *& ſeq. Ibidem*, ℣. 17, 18, *& ſeq. &* VIII, 2, 3, 4, *& ſeq. Ibid.* 19, 20; *&* XI, XII.
(f) *Apoc.* I, 4, 22; III, 5; XV, 2.

℣. 3. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.

℣. 4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.

℣. 5. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus magnus.

℣. 6. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparaverunt ſe ut tubâ canerent.

℣. 7. Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt grando, & ignis, miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.

℣. 8. Et ſecundus Angelus tubâ cecinit, & tamquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.

COMMENTARIUS.

Orbi imminebant.

℣. 3. ALIUS ANGELUS VENIT. Sed antequam ſeptem Angeli tubâ canerent, obtulit ſe alius, qui thuribulum aureum tulit in Sanctum coram Altiſſimo, impoſuitque Altari aureo, ubi Sacerdos hebdomadarius pro conſueto more, ſuffitum Lege Moyſis inſtitutum, veſpere & mane, dabat *(g)*. Angelo huic ingens vis thuris datur ad cremandum. Ritnales Judæorum Libri *(h)* notant, thymiama ab alio imponi thuribulo, quàm ab eo, qui illud in Sanctum deferebat, conſuevisse. Thus autem illud ſymbolum eſt orationum Sanctorum, teſte Joanne *(i)*. Nota, Apoſtolum nunquam fermè animum avertere ab iis, quæ in Templo Jeroſolymitano ſervabantur, ſymbolicaſque rationes omnibus, quæ hic agebantur, aſſignare. Suffitûs hujus fumus, quo Sanctorum orationes ſignificabantur, denotat ibi orationes Eccleſiæ tum militantis cùm triumphantis, Deo oblatas, quo tempore Tyranni in Chriſtianos maximè ſæviebant. Fervor & pietas nunquam magis crevit, quàm quo tempore Eccleſia ſic premebatur. Ceſſantibus vexationibus, pium Fidelium ardorem deferbuiſſe, Patres queruntur.

℣. 5. ET ACCEPIT ANGELUS THURIBULUM *(k)*. Dato in aureum Altare ſuffitu, ſublatâque ſuaviſſimi odoris nube, Angelus thuribulum e Sancto abſtulit; & igne egeſto, novum ex Altari holocauſtorum accepit; neque enim aliunde accipere in Templo licebat *(l)*. *Miſit* ignem *in terram*, inferiorem hanc quam incolimus; *& cadente illo, facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus*. Docere hæc videntur, Deum precibus votiſque Sanctorum, tamquam vapore ex thure ſublato, permotum, indignationis tandem ſuæ vim in capita impiorum excuſſiſſe *(m)* per eamdem planè viam, per quam gemitus & vota Sanctorum ad ipſum aſcenderant. Idem thuribulum, quod ſuffitum illi dat, formidine orbem quatit. Vapor fumi, gratuſque odor, ſeu Electorum ultionem flagitantium vota, e terrâ aſcendunt, eodemque ſimul tempore altio e Cœlo in terram demittitur in exitium eorum, qui Dei famulos vexant. Ita & apud Ezechielem *(n)* Cherubim aſſumptum ex Altari ignem ſuper Jeroſolymam ſpargit. Ignis in Scripturâ indignationem ultionemque perſæpè deſignat.

TONITRUA ET VOCES. Familiare eſt Scripturæ, tonitrua nomine *vocis* ſeu *vocis Dei* *(o)* nuncupare. Vide hanc locutionem ſupra, IV, 5. Hactenus minæ; deinde ultionis executio.

℣. 6. SEPTEM ANGELI PRÆPARAVERUNT SE. Supra, ℣. 6, effuſo in terram igne, quaſi dato ſigno, Angeli ſeſe ad buccinas coram Domino, qui in ſolio ſedebat, inflandas compararunt. Septem hi Angeli Altari holocauſtorum adſtabant, more Levitarum, qui buccinâ concrepabant, ubi ſacris ſolemnibus operandum erat *(p)*.

℣. 7. PRIMUS ANGELUS TUBA CECINIT, ſimulque *facta eſt grando & ignis miſta in ſanguine*, quibus *combuſta eſt tertia pars terræ, & tertia pars arborum*. In Græco deeſt *tertia pars terræ*; ſed legitur in pluribus optimis Codicibus, in Syro & Arabe. Mitiùs autem hæc quàm ad ſonum literæ accipi oportet; nec rigida horum omnium troporum exequutio quærenda eſt. Satis eſt enim, his indicari flagella Dei in adverſarios Eccleſiæ, ſive illa excuſſa ſint bello, ſive fame, ſive peſte; omnia enim hæc aptè per tropum exprimit grando, ignis, tonitru, terræ concuſſio, &c. crebriſque exemplis ex Hiſtoriâ petitis diſcimus, flagella hæc ditionem Romanam ſub Imperatoribus Eccleſiæ adverſariis afflixiſſe. Primum hoc flagellum cum primâ Ægypti plagâ affinitatis plurimum habet *(q)*.

℣. 8. SECUNDUS ANGELUS TUBA CECINIT; ſtatimque igneus mons in mare deturbatus fuit. Qui verò mons? Sunt qui explicandum id cenſeant *(r)* de Dæmone, alto illo ſuperbiæ monte, qui totus igne ſupplicii ſui fervet. Alii *(s)* dictum accipiunt de urbe Jeroſolymâ, ſive de Judæâ, quam Romani depopulati ſunt ac ſubegerunt,

(g) *Exod.* XXX, 1, 8, 9. (h) *Maſſechet Tamid. Capell. hic.*
(i) *Hic, & Sup.* V, 8. (k) Latini quidam libri addunt: *Aureum. Luc. Brug.* (l) *Levit.* X, 1, 2.
(m) *Ita Grot. Cotter. Cornel. Boſſuet. Alii paſſim.* (n) *Ezech.* X, 2.
(o) *Vide Geneſ.* III, 8, 10; *Pſal.* XVII, 14; XXVIII, 3, 4, 5, *& ſeq.* XLV, 7; XLVII, 34; 2 *Reg.* XXII, 14; *Iſai.* XXX, 30. *Joël*, II, 11; *Abac.* III, 10. (p) *Num.* X, 10. (q) *Exod.* IX, 18.
(r) *Primaſ. Beda, Para. Cluver.* (s) *Vide Zeger. Grot. Boſſuet.*

Digitized by Google

℣. 9. Et mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars navium interiit.

℣. 10. Et tertius Angelus tubâ cecinit; & cecidit de cœlo ſtella magna ardens tamquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum;

℣. 11. Et nomen ſtellæ dicitur Abſinthium, & facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium: & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.

COMMENTARIUS.

runt, everſâ Mettopoli totâque gente diſſipatâ. Id ſi verum eſt, habenda hæc ſunt ut epilogus præcedentium dictorum potiùs quàm vaticiniom; cùm, quo tempore Joannes Apocalypſim ſcribebat, anni jam plures effluxiſſent, ex quo urbs & Templum Jeroſolymitanum a Romanis everſa fuerant. Bellum quidem ſub Trajano revixit, & Judæorum gens adversùs eumdem Principem in Ægypto, Lybiâ, Cypro deſcivit (t). Simul autem cum defectione ubique irruperunt licentia, & cædes. Feruntur in Lybiâ Ægypti ducenta amplius millia cæſa ab illis fuiſſe, in Cypro vero Inſulâ ad ccxl millia. Scelera hæc Trajanus egregiè ultus fuit; nec ſegniores ſeſe præbuerunt gentes illæ, apud quas Judæorum odium in dies magis crevit. Credibile eſt, Judæos, qui ubique Chriſtianos peſſimè inſectati ſunt, fervente defectione, omnem furoris ſui vim in eos exerentes, ingentem eorum cædem ediſiſſe.

Mons ignis, ſimilis Veſuvio ſeu Etnæ, cùm toti abeunt in flammas, rudi imagine furorem ac pervicaciam Judæorum exprimunt. Apud Prophetas ſub imagine montis Jeroſolyma non ſemel exprimitur. Sedebat urbs illa in colle, ignisque belli ſæpè ex eâ flagravit. Explicationem hanc magnoperè probamus. Mons ille *miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.* Quod motum eſt a Judæis in Romanos bellum, infelix ſemper motoribus ceſſit, quamquam & multo ſanguine victoria Romanis ſtetit. Ex illis enim multi deſiderati ſunt tum in defectionibus Judæorum, in obvios quosque ſævientium, tum in prælis, ubi Judæi nunquam non fortiſſimè Romanis reſtitère.

Qui accipienda hæc ſentiunt de bellis Barbarorum in Romanos, montem interpretantur Urbem Romam, quam illi captam diripuerunt, Romano Imperio terroribus, igne, cædibus vaſtato. Denique non male putaveris, ſignificari mala, quibus Deus in Imperatores Eccleſiæ adverſarios animadvertit, & Romani Imperii concuſſiones, ex quo Conſtantinus rerum potitus fuit quousque æmulos dejecit. Vide dicta Capite ſexto. Confer præſertim ℣. 9 hujus Capitis cum ℣. 8 Capitis vi. Ibi quarta pars hominum periit; hîc tertia pars in mare deturbatur. Num hæc ad Judæorum in Inſulâ Cypro defectionem pertineot? Quod ibi exarſit bellum, navigationi & maritimo commercio plurimum obfuit: *Tertia pars navium periit.* Placet mihi expoſitio de bellis Judæorum in Romanos, & gentis Judaicæ excidio.

℣. 10. TERTIUS ANGELUS TUBA CECINIT, & continuò *ſtella cecidit* in flumina. Sunt qui hoc accipiant de Mahomete (u); ſunt qui de Ario (x); ſunt qui generatim de Hæreticis; alii de Barcoebeba (y); cujus perſonati Meſſiæ nomen cum ſidere ſatis congruit. *Bar-cochebas* enim Syriacè eſt filius ſideris. Hic in Judæâ & in Syriâ ſub Adriano deſcivit (z), furorisque ſui ſcopum potiſſimùm Chriſtianos conſtituit, quos unos diris ſuppliciis affecit, ut ad ejurandam Chriſti fidem, & ad ſuam a Romanis defectionem adigeret. Tot Martyrum gemitus & lacrymæ adusque Dei ſolium pervaſerunt. Id exprimit ſublatus e thuribulo aureo thureus vapor. Porrò Barcochebas de ſe dictum jactitabat illud Numerorum (a), quo ſidus e Jacobo egreſſurum prædicebatur. Judæorum plerique illum ut Regem & Meſſiam agnoverunt.

Denique Titinnius Rufus, Judææ Præſes, & Julius Severus ab Adriano in perduelles miſſi, cruento bello illos vexarunt, ubi Judæorum ingens multitudo deſiderata eſt. Nam quingenta octoginta millia cæſa ſive in præliis ſive in congreſſionibus aliis feruntur; eorum enim, qui morbo, igne, fame abſumpti fuere, numerus ſupra fidem eſt. Terebinthi ſub coronâ quammulti ex illis equorum pretio vænierunt; & alii plures in Emporio Gazæ venumdati. Qui ſuperfuere, navigiis impoſiti in Ægyptum translati ſunt. Sed alii naufragio, alii fame, vel gladio Gentilium necati ſunt. Ita factum eſt, ut Judæa penitus deſolaretur.

Miſeræ hujus gentis res acciſæ, nunquam ſurrexerunt, ut meritò aſſerat hîc Apoſtolus, poſt lapſum montis ignei in mare, quo tertia mortalium pars interiit, fatale illud ſidus, quod in amnes cecidit, corrupiſſe penitus aquas, quibus hauſtis homines permultos interiiſſe. Nec Judæorum modò turba periit, ſed & ex Romanis quamplurimi occiſi ſunt; notatque Dio (b), Adrianum Imperatorem, cùm de belli eventu certiorem Senatum per literas faceret, omiſiſſe uſitatam formulam, ſalvum ſcilicet eſſe exercitum. Belli hujus occaſione factum creditur, ut *Titinnius Rufus*, ſive ut Judæi appellant, *Turannus Rufus*, vomerem duceret ſuper aream, cui olim Templum Salomonis inſederat (c); & poſt bellum Adrianus lato palam edicto (d) capitale ſupplicium ſtatuit Judæis, qui deinceps reverti Jeroſolymam auſi fuiſſent. Ducta eò fuit colonia Romanotum *Ælia Capitolina* appellata.

℣. 11. NOMEN STELLÆ DICITUR ABSINTHIUM; nam abſinthii ſaporem referebat, quo aquas infecit. Porrò amarus ſapor necem intulit hominibus, aquas illas bibentibus. *Vocari* in Scripturâ ſæpè valet *eſſe*; ut (e): *Domus mea domus orationis vocabitur*; tum: *Tu, puer, Propheta Altiſſimi vocaberis* (f). *Meſſias vocabitur admirabilis, Conſiliarius*, &c. (g); & : *Oriens nomen ejus* (h); & : *Voca nomen ejus Jezraël. Voca nomen ejus* abſque

(t) *Vide Euſeb. lib. 4, cap. 2 Hiſt. Eccl. & in Chronic. & Dion. lib. 68.*
(u) *Cotter.* (x) *Viegas, alii quid.* (y) *Boſſuet.* (z) *Euſeb. lib. 4, cap. 6, Hiſt. Eccleſ. Idem in Chronico.* (a) *Num.* xxiv, 17. *Vide Euſeb. in Chronico.* (b) *Dio, lib.* 69. *pag.* 794.
(c) *Scaliger, Iſagog. lib. 3, pag.* 315. *Alii.* (d) *Euſeb. lib. 4, cap. 6.* (e) *Luc.* xix, 46.
(f) *Luc.* i, 76. (g) *Iſai.* vii, 14; ix, 6. (h) *Zachar.* vi, 12.

℣. 12. Et quartus Angelus tubâ cecinit: & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, itaut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

℣. 13. Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magnâ: Væ, væ, væ habitantibus in terrâ, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canituri.

COMMENTARIUS.

abſque miſericordiâ (i). Denominationes iſtæ proprietatem, non appellativum hominis nomen exprimunt.

MULTI MORTUI SUNT. Judæos innumeros in defectione Barcochebæ periiſſe, jam animadvertimus. Author Libri *Juchaſim* tradit, bis totidem interiiſſe ac qui ab Ægypto egreſſi ſunt; ideſt duodecies centena millia, præter fœminas & pueros. Scriptor alios Judæus apud Druſium (k) ait, Nabuchodonoſorem Titumque minùs atrocia in Judæos mala quàm Adrianum intuliſſe.

℣. 12. PERCUSSA EST TERTIA PARS SOLIS, &c. Eclypſim paſſa ſunt, tertiâque diſci parte obductæ tenebris, vel tertiam lucis partem amiſerunt. Hic pariter Interpretes diſſident, cùm alii dicta hæc accipiant de flagellis cujusque generis, quibus Deus Eccleſiæ ſuæ adverſarios puniit; alii de calamitatibus gentis Judæorum; alii de hæreſibus priorum ſæculorum. Boſſuetius explicat de tenebris, quibus Judæorum nequitia vaticinia Prophetarum offuſcavit. Circa tempus Barcochebæ ſcriptum ab illis eſt Thalmud, & Libri reliqui, quos traditionibus, Legem ac Prophetas fermè evertentibus, inſerſerunt. Hæc tamen omnia merè arbitraria exiſtimo. Prætereundos hîc cenſeo illos, qui jam inde a pluribus ſæculis eclypſim paſſam fuiſſe Eccleſiam, & nunc hodie pati comminiſcuntur. Dignos illos contemptu ſeu potiùs miſeratione arbitror. Profectò Lunæ Solisque eclypſis quodlibet calamitatum genus deſignat. Vide ſupra, VI, 12, 13.

℣. 13. AUDIVI VOCEM AQUILÆ..... DICENTIS VOCE MAGNA: VÆ, VÆ! Præparatio ſunt hæc ſeu præmonitio ad excitandam mentem, ut ſe converiat ad mala, a quatuor Angelis, qui nondum tubam inflaverant, nuncianda. Quæ hactenus audiſti, gravia & horrenda ſunt quidem, ſed minora iis, quæ tibi mox ſpectanda ſe offerent. Pro *Aquila* Græcus legit *Angelus* (l); at Syrus, Æthiops, & Græci plures optimi Codices lectionem Vulgatæ tuentur. Sunt etiam Editiones quædam (m) bis tantummodo *va va* ferentes. Aquila iſta volavit *per medium Cœlum*, nempe per illud, quò Joannes in ſpiritu raptus fuit ante Dei ſolium; ſive per aërem, ut ea, quæ nunciabat, ab hominibus audirentur.

CAPUT IX.

Quinta tuba. Lapſus ſtellæ, quæ infernum recludit, unde exſiliunt locuſtæ. Sexta tuba. Quatuor Dæmones Euphratis, catenis ſoluti. Exercitus vicies centenis millibus conſtans. Impœnitentia peccatorum.

℣. 1. ET quintus Angelus tubâ cecinit: & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clavis putei abyſſi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUINTUS ANGELUS, &c. Quaſi nondum ſatis pœnarum immineret hominibus ex plagis, de quibus Capite VIII, Deus dejectâ e Cœlo ſtellâ, exercitum locuſtarum ex abyſſo educit, quo & terra vaſtatur, & homines ad eas anguſtias rediguntur, ut mortem optent, nec obtineant.

Interpretibus plerisque (a) ſydus hoc e Cœlo cadens eſt Lucifer, lapſus e ſtatu gloriæ & felicitatis, quem ab exordio obtinuit, qui abyſſi clavi a Deo acceptâ, hæreſes omnes & ſchiſmata, ſemper Eccleſiæ fatalia, piisque odioſa extraxit. Aliis (b) eſt Judæorum calamitas. Boſſueto ſunt priores hæreſes, ortæ ex Judæis ad fidem male converſis, quæ in negandam Chriſti Divinitatem conſpirarunt. Huic ſententiæ ſi acceſſeris, ſtellam e Cœlo lapſam dices eſſe celeberrimos tunc hæreticos, Simonem, Cerinthum, Ebionem, Valentinum; vel ipſummet hæreſum omnium authorem Dæmonem. Lucifer perduellionis in Deum reus, e Cœlo decidit; hæretici verò ob deſertionem e ſtatu gratiæ, in quo per Baptiſmum conſtituti fuere, dejecti ſunt in profundum malorum, permiſſi arbitrio ſuperbiæ ſuæ, erroris, deceptionis, & defectionis a Chriſto, ut Dæmoni in exitium hominum turpi ſervitute obſequerentur. Denique in locuſtis agnoſci queunt barbaræ gentes, Romanum Imperium depopulatæ (c), quæ tantum malorum poſt Conſtantini Magni obitum pepererunt. Quæ adhuc ſupereraot

(i) *Oſee*, I, 4, 6. (k) *Druſ. in Prætermiſ.*

(l) Ἤκουσα ἑνὸς Ἀγγέλου. *Alii plures*: ἑνὸς ἀετοῦ. *Ita Steph.* II, *Alex. Barot. Hunt.* 1, *Sin. Æthiops Syr. Areth. Victorin. Ambroſ. Tichon. Beda. Quidam*: Ἀγγέλου ὡς ἀετοῦ. *Seidel.*

(m) *Aldin. Colinæ. Eraſm. Edit.* 3 *Priores. Æthiop.*

(a) *Auguſt. Beda, Primaſ. Gagna. Riber. Zeger. Med. Cornel. &c.* (b) *Alcazar.*

(c) *Aureol. Liran. S. Anton.* 1 *parte Chronic. tit.* 6, *c.* 1.

℣. 2. Et aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ; & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei:
℣. 3. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram; & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ:
℣. 4. Et præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem: niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis;

COMMENTARIUS.

ſunt in Imperio profani cultûs reliquiæ, nondum ſatis pœnarum dederant ex prœliis Conſtantini in æmulos; ſed novis etiam hoſtibus delendæ tandem fuere. Poſtrema iſta cæteris præfero.

℣. 2. Aperuit puteum abyſſi (d); inferni ſcilicet, ubi velut in carcere miniſtri Dæmonis, emiſſarii Satanæ, perduelles Angeli claudebantur (e). Ex eo puteo continuò fumus fœtidus erupit, ſymbolum fœtoris, quod vitiis ſuis impii ſpargunt. Fumo ſol & luna obfuſcati ſunt; Eccleſiæ fulgor erroribus fœdisque hæreticorum criminibus nigreſcere quodammodò viſus fuit. Gentiles enim, qui Eccleſiam a Synagogâ Satanæ diſtinguere ignorabant, Fideles onerabant invidiâ eorum criminum, quibus membra putrida, a reliquo avulſa corpore, vitiabantur. Commodè hæc ad hæreticos omnes referuntur; ſed hæreticis duorum vel trium primorum ſæculorum magis congruunt; quibus nihil monſtroſius aut corruptius unquam vidit Eccleſia, Eorum errores ex Judaiſmi ſinu prodierunt.

℣. 3. De fumo putei exierunt locustæ, a fumo, uti quidem videtur, productæ. Aliæ erant locuſtæ illæ a vulgaribus, quæ agros depaſcuntur. *Data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.* (℣. 5) *Datum eſt illis ne occiderent eos* (homines), *ſed ut cruciarent menſibus quinque, & cruciatus eorum ut cruciatus ſcorpii, cùm percutit hominem.* (℣. 7.) *Et ſimiles equis paratis in prælium.* (℣. 8.) *Et dentes earum ſicut dentes leonum erant.* Habes hîc myſticas haſce locuſtas ex parte deſcriptas. Qui allegorias amant, habent hîc omnia ad votum. Commodè, uti animadvertimus, explicantur hæc ſive de primis hæreticis, ſive de barbaris a Deo in Romanorum ditionem immiſſis. Nec benè acceperis de veris locuſtis, aliiſque inſectis agros depopulantibus, cùm hæ in homines immittantur. Vide infrà, 4, 5, 6.

Compertum eſt, in Oriente integras quandoque Provincias a locuſtis vaſtatas (f); adeò ut hoſtium incurſio nihilo magis noceret. Hæc deſcriptio poëticum quid ſapit, nec abludit ab illâ Joëlis de locuſtis, quæ ejus ætate Judæam afflixerunt. Ita porrò ille, quem cum narratione Joannis conferas (g). *Canite tubâ in Sion, ululate in monte ſancto ejus, conturbentur omnes habitatores terræ. Quia venit dies Domini. Quaſi mane expanſum ſuper montes populus multus, & fortis* (de nube locuſtarum loquitur): *ſimilis ei non fuit a principio, & poſt eum non erit uſque in annos generationis & generationis. Ante faciem ejus ignis vorans; & poſt eum exurens flamma. Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti, neque eſt qui effugiat eum. Quaſi aſpectus equorum aſpectus eorum; & quaſi equites ſic current. Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exſilient; ſicut ſonitus flammæ ignis devorantis ſtipulam; velut populus fortis præparatus ad prælium*, &c. Reliqua eodem modo proſequitur.

Sicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. Scorpiorum genera tria noviſſe Veteres, Bochartus (h) demonſtravit; terreſtre, marinum, & aëreum. Terreſtres hîc Apoſtolus memorat. Marini ſcorpii, & volucres nihil commune cum terreſtribus habent, niſi aculeum venenatum, quem non caudâ ut terreſtres, ſed ore & reliquo corpore gerunt. Terreſtres ſcorpios ignorat nemo. Hæretici vulnerant, & venenum clanculo & imprudentibus hominibus ceu ſcorpii infundunt. Porrò ſcorpius non ſtatim interficit, ſed paulatim, lentè, & moleſtè (i): *Peſtis importuna veneni ſerpentium, niſi quòd graviore ſupplicio lentâ per triduum morte conficiunt.* Ita & hæreſis blandè ſe inſinuat, mortemque lentam quidem ſed certam inducit. Author Libri Sapientiæ (k), agens de octavâ Ægypti plagâ, locuſtarum nempe (l), ait, illas morſu homines necaſſe. Hanc Ægypti plagam ſpectaſſe hîc Joannem conſtat; & comparaſſe credimus locuſtas ex abyſſo exſilientes cum locuſtis Ægyptiis.

℣. 4. Præceptum est illis ne læderent fœnum. Vulgares locuſtæ prata, arbores, & virentia omnia depaſcuntur; venenatoque morſu plantas omnes lædunt; *Multa contactu adurentes, omnia vero morſu erodentes, & fores quoque tectorum*, ait Plinius (m). Nihil tale hîc; neque enim in plantas immiſſæ ſunt, ſed in *homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.* Qui frontem habent notâ inuſtam, prædeſtinati, ſive Chriſtiani ſunt. Vide ſuprà, vii, 2, 2, 3. 4. Hîc ſignum iſtud ſolos Martyres diſtinguit.

Locuſtæ, de quibus hîc, poteſtatem habent tantummodo in adverſarios Eccleſiæ, ſive in reprobos Chriſtianos; nam de alterutro diſſident Interpretes. Sunt enim, qui locuſtas accipiant de adverſariis, quos Deus in Romanum Imperium concitavit; ſunt qui de hæreticis, quibus Deus vexandam Eccleſiam permiſit. Sub Romano Imperio plerique ſignum Dei viventis fronte minimè gerebant, cùm profanam Religionem colerent. In Eccleſiâ ingens erat multitudo malorum Chriſtianorum, qui errorem hæreticorum perbibentes, ſacrum illud ſtigma, in quo tota eorum gloria & felicitas erat, deleverunt. Sed prior interpretatio æquior. Locuſtæ pro hæreticis acceptæ poteſtatem nequitiamque ſuam maximè exercuerunt in Chriſtianos, ſtigma Dei viventis gerentes; at locuſtæ pro inimicis Imperii uſurpatæ, furorem exercebant potiſſimùm in Imperii defenſores, quorum plerique ſuperſtitionem nondum exuerant.

Cùm Julianus Apoſtata bellum Chriſtianis in-

(d) *Quidam omittunt hæc verba. Ita Baroc. Pet.* 2, 3, *Hunt.* 1; *Syr. Æthiop. Arethas.*
(e) *Judæ,* ℣. 6; & 2 *Petri*, 11, 4. (f) Vide *Bochart. de Animal. ſacr. tom.* 2, *lib.* 4, *cap.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8; & nos in *Joël.* 11. (g) *Joël.* 11, 1, 2, 3, 4.
(h) *Bochart. de Animal. ſacr. tom.* 2, *lib.* 4, *cap.* 29. (i) *Plin. lib.* XI, *c.* 25. (k) *Sap.* XVI, 9.
(l) *Exod.* X, 2, 2, 3. (m) *Plin. lib.* 11, *cap.* 29.

℣. 5. Et datum eſt illis ne occiderent eos: ſed ut cruciarent menſibus quinque; & cruciatus eorum ut cruciatus ſcorpii cùm percutit hominem.

℣. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

℣. 7. Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium: & ſuper capita earum tamquam coronæ ſimiles auro: & facies earum tamquam facies hominum.

℣. 8. Et habebant capillos ſicut capillos mulierum; & dentes earum ſicut dentes leonum erant:

COMMENTARIUS.

indixit, idololatriam nondum extinctam jacuiſſe apparuit, & veluti ſub cineribus favillam odii Gentilium in Chriſtianos latuiſſe. Roma ab errore reducere ſe, nec falſos ejurare Deos poterat. Chriſtianos invidiâ omnium ſiqua ingruebant, malorum perpetuò onerabat. Tyranni ſubinde prodeuntes, vel qui tyrannidem affectabant, Maximinus, Eugenius, Eucherius, Romanorum animos pelliciebant, quòd illis ſuaderent, majori ſe Idolorum ſtudio, quàm æmulos, teneri. Senatus Romanus totus, vel ſaltem Senatorum pars maxima, nonquam idola abdicavit. Symmachus non ſemel rogavit Imperatores, ut aram Victoriæ reſtituerent. Romam ſemper idolorum labes, ſicut & plerasque Imperii Urbes, infecit. En homines non inuſti notâ Dei viventis, quos locuſtæ ex abyſſo erumpentes acceptâ poteſtate læduot.

Gothi hinc, inde Perſæ, Galli, Germani, Burgundii, aliique; Hunni demum & Iſauri frequenter invaſere Imperiom ſub Principibus Juliano, Joviniano, Valentiniano, Gratiano. Tum Alani, Vandali, Suevi, aliæqoe barbaræ gentes Gallias inundaruni. Simul autem duo Gothorum Reges Italiæ minitabantur, Radagaſus, & Alaricus; Paganus ille, hîc Chriſtianus, ſed Arium ſeqoutus. Radagaſus ducenta millia ſecum trahebat, quem Romani formidabilem magis auxilio Deorum, quàm armis opinabantur; nihilo tamen ſecius deletus cæſusque fuit. Alaricus Romam obſedit & expugnavit, quamquam Romani ſacrificiis ac ſuperſtitionibus ſeſe defenderent. Aſylum in Eccleſiis Chriſtianorum ille conſtituit, idque ſibi perfugium quærere Gentiles coacti ſunt.

Poſt hæc majeſtas Romani nominis evanuit, Imperium diſtractum, cujus membra ſingulæ barbaræ gentes ſibi rapuerunt. Poſt annos quinque & quadraginta Genſericus Vandalus iterum Urbem diripuit, quæ & poſt aliquot annos in poteſtatem Odoacris Regis Herulorum vênit. Denique intra periodum viginti vel triginta annorum Roma luſoriæ inſtar pilæ inter Gotbos Romanosqoe Duces jactata fuit. Deus a flagello non ceſſavit, donec Idololatria funditus tolleretur. Hæc omnia non hoc Capite, nec ſequentibus continentur; ſed ultimum Oraculi complementum quærendum eſt usque ad lapſum Babylonis; a Capite x, usque ad xviii & xix.

℣. 5. Ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque. Vulgares locuſtæ miſerè affligunt regiones, præſertim in Oriente, ubi denſa locuſtarum nubes interdum Solem ipſum obſcurat. Nam procul proſpectæ nubis ſpeciem exhibent; maria transvolant; quamobrem Apoſtolus dixit, ex abyſſo illas cum nigro fumi vapore exſiluiſſe. Cùm fortè terras invadunt, gentes horrent: *Solem obumbrant, ſolicitè ſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras; ſufficiunt quippe vires, &c.* Sed breve malum eſt; neque enim in regione niſi aliquot hebdomadibus vel menſibus, nunquam integrâ æſtate (n), perſeverant. Hæ verò vexarunt homines *menſibus quinque*; id quod indicat tempus longum & incertum, ut conſtet ſimilitudo locuſtarum, quibus periodus hæc menſium jungitur.

Ne occiderent, sed ut cruciarent; cruciarent autem ita: (℣. 6.) *Quærent homines mortem, & non invenient eam; & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Nihil aptius ad exprimendam moleſtiam, angorem, deſperationem, in quam homines his oppreſſi malis redigeotur. Romanum Imperium tot undique Barbaris urgentibus in eum terrorem impellebatur, qui affabrè hîc a Joanne deſcribitur. Ut Profanos Scriptores prætercam, conſulenda ſunt ea, quæ Patres de Gothis, Viſigothis, Vandaliſque, Imperii Provincias invadentibus, narrant. *Hoc tempore*, ait Ammianus (o), *velut per univerſum orbem Romanum, bellicum canentibus buccinis, excitæ ſaviſſimæ gentes, limites ſibi proximos perſultabant.*

℣. 7. Similes equis paratis ad prælium. Eâdem comparatione Joël pariter uſus eſt, agens de locuſtis, quæ per eam ætatem Judæam infeſtaverant (p). Neminem latet, inſecta illa equino eſſe capite, ſaltuque currentem equum imitari; unde Italum *cavallette*; eodemque pariter ſpectat illud Jobi (q): *Numquid ſuſcitabis eum* (ad curſum incitabis equum) *quaſi locuſtas?* Locuſtæ tamen, de quibus hîc, myſticæ ſunt, & equitum peditumque catervas deſignant: *Facies earum tamquam facies hominum.* Gentes barbaræ, quarum meminimus, vix aliter quàm equitando iter faciebant. Si hæc ad hæreſes transferantur, prona ſunt omnia; ut enim equus ferum eſt animal, bellicoſum, & audax, ita & hæretici.

Super capita earum tamquam coronæ. Simile neſcio quid in capite vulgarium locuſtarum emicat. Sed locuſtæ, de quibus hîc, gentes barbaræ, quæ Imperium infeſtarunt, a Regibus ducebantur. Porrò illæ Imperio minimè parebant, ac varia per Africam & Europam Regna conſtituerunt.

℣. 8. Habebant capillos tamquam capillos mulierum. Gentes illæ, præſertim Transrhenanæ, comâ erant prolixâ, quod & Regiæ dignitatis apud eas habebatur. Bochartus ex Thalmu-

(n) *Plin. lib. xi, cap. 29: Vergiliarum ortu parere; deinde ad canis ortum obire, & alias renaſci. Quidam arcturi occaſu renaſci; mori matres cùm pepererint, certum eſt. Eodem tempore mares obeunt.* (o) *Ammian. lib. 26, cap. 5.* (p) *Joël. ii, 4.* (q) *Job. xxxix, 20.*

℣. 9. Et habebant loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

℣. 10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque: & habebant ſuper ſe

℣. 11. Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen Exterminans.

℣. 12. Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.

℣. 13. Et ſextus Angelus tubâ cecinit: & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei,

℣. 14. Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

℣. 15. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.

COMMENTARIUS.

moditis aliiſque Arabibus Scriptoribus *(r)* demonſtrat, locuſtarum genus quoddam villoſum eſſe.

Dentes earum sicut dentes leonum erant. Terribiles ſunt leonis dentes. Locuſtæ *omnia morſu erodunt, & fores quoque tectorum (s)*. Gentes Barbaræ, Romani Imperii peſtes, leonibus ſimiles erant robore, voracitate, ſævitie.

℣. 9. Habebant loricas sicut loricas ferreas. Locuſtarum figura ad has accedit, dorſo & ventre ſquammis ceu loricâ protectis *(t)*. Hoſtes illi quolibet armorum genere protegebantur,

Vox alarum earum, sicut vox curruum, &c. De locuſtis Plinius *(u)*: *Tanto volant pennarum ſtridore, ut aliæ alites credantur*. Quanto terruiſſe ſtrepitu integras gentes cum fœminis & pueris oportet? Per Provincias, quas illæ excurrebant, ſtrepitu omnia circumſonabant.

℣. 10. Caudas similes scorpionum. Locuſtarum ſcorpiorumque cauda ſimilis eſt, excepto veneno. Nam ſcorpii cauda perniciosa eſt, feriendo infundendoque veneno ſemper parata: *Semper cauda in ictu eſt*, ait Plinius *(x)*, *nulloque momento meditari ceſſat, nequando deſit occaſioni*. Exercitus per Imperii provincias graſſantes, omnia cædibus, fame, ſolitudine complebant, ut deſignari hæc credas caudâ locuſtarum. Addit Apoſtolus, datam illis fuiſſe poteſtatem nocendi *menſibus quinque*; ideſt diu; nam locuſtæ tamdiù in regione manere non ſolent.

℣. 11. Habebant super se regem, Angelum abyssi. Juvant hæc maximè ſententiam illorum, qui oraculum de Hæreticis explicant, quippe quibus Dæmon, abyſſi Angelus, imperat. At ſi propoſita hactenus a nobis ſententia teneatur, diſcimus hinc, quæ fuerit religio adverſariorum, quorum armis Deus Romanam ſuperbiam fregit, & idololatriam evertit. Gothi, Vandali, Germani Gentiles erant religione, & Dæmonem pro Numine colebant; plerique tamen, quamquam poſtremis denique ſæculis, ad Chriſtiana ſacra tranſeuntes, Evangelii propagationi plurimum ſervierunt.

Cui nomen Hebraice Abaddon, Græce Apollyon. Infernus apud Hebræos Scriptores interdum *Abaddon (y)* dicitur. Tradunt, duo apud Inferos loca eſſe, inter ſe propinqua, *Scheol*, & *Abaddon*. Ex illo egreſſus poſt datas aliquamdiu pœnas datur; ex altero negatur. Nomen etiam *Abaddon* Dæmoni tribuunt *(z)*. Vox hæc, quemadmodum & Græca *Apollyon*, ſonat, diſperdens, exterminans, & cum inferno & Principe tenebrarum optimè congruit.

℣. 13. Sextus Angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei; Altaris thymiamatum, quod erat in Sancto *coram Domino*; nam ſolium Domini in imo Sanctuarii penetrali ſtabat. Altare aureum hîc exhibetur ab Apoſtolo, ceu ſpirans & loquens, more Prophetarum, qui omnia viventia producunt. Primò quidem animæ, ſeu corpora Martyrum, ſub altari holocauſtorum jacentium, clamabant *(a)*; hîc ipſum per ſe altare aureum in tyrannos iratum clamat.

℣. 14. Solve quatuor Angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Angelos hoſce exhibet tamquam defendentes limina Imperii Romani, & Parthici, prohibentesque, ne duæ iſtæ gentes mutuo ſe bello conficerent; quibus vix ſolutis, bellum exarſit *in horam, & diem, & menſem, & annum*, quæ Deus conſtituit. Quatuor iſti Angeli ſeu potiùs agmina ſub eorum nomine expreſſa, *occiderunt tertiam partem hominum*. Quærendum eſt in hiſtoriâ bellum in Parthos Romanosque ad Euphratem poſt Regnum Conſtantini; bellumque, quod tertiam partem hominum in opulentiſſimis hiſce regnis confecit. Supra ſpectare licuit bellum, quod gentes ab extremo Occidente excitæ in urbem Romam occiduaaque Provincias intulerunt; hîc paria in Orientalibus intuemur.

Parthos non obſcurè deſignat Joannes, ℣. 17: *Et vidi equos in viſione; & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphu-*

(r) *Bochart de Animal. ſacr. tom. 2, lib. 4, cap. 2.*
(s) *Plin. lib. 21, cap. 29.* (t) *Claudian. de Locuſtis loquens:*
Cognatus dorſo dureſcit amictus,
Armavit natura cutem.
(u) *Plin. lib. 21, cap. 20.* (x) *Plin. lib. xi, cap. 25.*
(y) *Liber Zohar apud Druſ. Apud inferos duæ ſunt regiones contiguæ, Sheol* שאול, *& Abaddon,* אבדון *Ex illâ homines, pœnâ perſolutâ, tandem ſubducuntur; ex hac nunquam liberantur.*
(z) *Liber Aruch. Vide Grot. Druſ. Capell.* (a) *Apoc. vi, 9.*

℣. 16. Et numerus equeſtris exercitûs vicies millies dena millia. Et audivi numerum eorum.

℣. 17. Et ita vidi equos in viſione: & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas, & capita equorum erant tamquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.

℣. 18. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

℣. 19. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum; nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita, & in his nocent.

COMMENTARIUS.

phureas, &c. Parthos eſſe equitando peritiſſimos & aſſuetiſſimos conſtat. Addit etiam aliquid, quod gentes illas apertè prodit, nimirum equos illarum caudâ & ore ferire; coram & retro. Eâdem facilitate Parthi arcu ſagittisque ante & retro feriunt.

Fidentemque fugâ Parthum, verſisque ſagittis (b).

Quatuor Angeli, utriusque Imperii limites defendentes; nempe Romanorum Parthorumque præſidia, quieta ſuos intra limites manſerunt a Conſtantini exordio usque ad obitum, ideſt ab anno Chriſti 320, usque ad 337, quin & ab anno 297, quo Rex Parthorum Narſes a Maximiano Galerio acie victus fuit, usque ad annum 337, quo Sapores a Conſtantino exegit quinque illas Provincias, quibus Narſes coactus ceſſerat. Conſtantinus eodem anno ad repugnandum Sapori ſese comparans, deceſſit. Filius Conſtantius expeditionem Perſicam jam inceptam proſequi coactus fuit; quam & per omnes imperii ſui annos produxit, eventu ſecundo, ſi aſſentatoribus fides habeatur. Sed Libanius (c) contra aſſerit, illum quidem ſingulis annis copias in finibus Imperii inſtruxiſſe, ſed nec aggredi hoſtes prælio, nec progreſſibus illorum reſiſtere auſum fuiſſe.

Ad Imperium evectus Julianus, magno apparatu in Perſicam expeditionem profectus eſt, quæ infeliciter adeò ceſſit, ut vitam ipſe amiſerit; ac peſſimè affectus exercitus Jovinianum ſibi præfecit. Novus Imperator in mediâ hoſtili regione, hoſtium copiis circumſeſſus, annonâque deſtitutus, turpi pace ſalutem redemit. Rerum Romanarum ſtatus hanc ignominiam excuſavit. Pax in annos triginta compoſita; totoque expeditionis hujus tempore, ab anno 337 usque ad 363, nihil ex eâ commodi relatum eſt: quin & millia hominum plura periere, ut fides integra ſteterit oraculo Joannis, futurum prænunciantis, ut *tertia pars* Romanorum *igne* belli, *fumo*, morbis, *ſulphure*, ſeu fervidi cœli æſtu perimeretur. His præmiſſis, ad Textûs examen deſcendamus.

℣. 16. Numerus equestris exercitus vicies millies dena millia. Græci quidam Codices (d) legunt, nullo certo militum numero: *Millia millium*. S. Epiphanius: *Decies mille myriades, & mille millenaria*. Numerus certus & definitus pro incerto & indefinito ponitus; indicat autem, Perſarum exercitus frequentiſſimos ſemper fuiſſe. Attamen Joannes indicare videtur, certum ſe numerum tradere; addit enim: *Et audivit numerum eorum* (e). Itaque reputari poteſt, divinitus didiciſſe certum copiarum numerum, quibus tota hæc expeditio ab anno 337 usque ad 363 geſta eſt.

℣. 17. Vidi equos in visione. Perſarum equitatus totâ antiquitate celebratur. Equis adeò familiariter aſſueſcunt, ut nunquam ferme niſi equo iter faciant (f). Nomen ipſum *Perſæ*, Hebraicè *Pharas*, ex equo, vel ex equitandi peritiâ ductum videtur.

Habebant loricas igneas, hyacinthinas, et sulphureas. Equitum loricæ micabant igneo colore, vel cæruleo diluto, ut ſulphur incenſum. Veteres multi lineas loricas variorum colorum adhibebant. Quem morem apud Perſas potiſſimùm obtinuiſſe, ex Xenophonte (g) diſcimus. Loricis etiam e metallo utebantur, quas forte variis coloribus inficiebant, ut inter ſe diſtinguerentur.

Capita equorum erant tanquam capita leonum. Regio Euphrati adjacens equos optimos fert, quibus in venatione leonum uti illos conſueviſſe, Appianus narrat. Mirè leves ſunt, nec leonis aſpectu terrentur.

℣. 18. Ab his tribus plagis, nempe igne, fumo, ſulphure, quæ procedebant de ore ipsorum, nempe equorum, tertia pars hominum occisa est. Jam ſupra animadvertimus, *igne* deſignari bellum, ideſt prælio occiſos: *fumus & ſulphur* non male accipiuntur de fame, peſte, aliisque morbis, quos rerum inopia, & æſtus regionis inducebant. Nobiles haſce Joannis locutiones optimi quique Poëtæ imitati ſunt.

Collectumque premens volvit ſub naribus ignem (h).

Silius Italicus (i):

Prima in cornipedis ſedit ſpirantibus igne
Naribus haſta volans.

Claudianus (k):

Igneſcunt patula nares, &c.

Jobus (l): *Gloria narium ejus terror*. Nahum (m): *Clypeus fortium ejus ignitus; ignea habena currûs*.

℣. 19. Potestas eorum in ore et in caudis.

(b) *Virgil. Georgic.* 3.

(c) *Liban. Orat.* XII, *pag.* 309, 350. (d) Τῶ ἱππικῶ δύο μυριάδες μυριάδων. *Quidam*: ἱππῶ, vel ἱππικῶ μυριάδες μυριάδων. *Ita Steph.* α, ις, *Sin. Hunt.* 2, *Seidel. Cov.* 2, *Arab. Alii quidam. Epiphan. hæreſ.* 55, *cap.* 54: Γ'ππικῶ μύριας μυριάδες, καὶ χίλιας χιλιάδες.

(e) Omittunt iſta Æthiops & Arabs. (f) *Xenophon, lib.* 2 *Cyropæd.* Ο'υδεὶς ἂν τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἑκὼν ὀφθείη Περσῶν οὐδαμῶ πεζὸς ἰών. *Hieronym. in Jerem.* XII *Juxta hiſtoriam omnis Perſis, & univerſa Chaldæa, & regionum illarum exercitus, gaudet equitatu. Juſtin. lib.* 41: *Equis omni tempore vectabantur. Illis bella, illis convivia, illis privata & publica officia obibant.*

(g) *Xenophon, l.* 6 *Cyropæd.* Ε'πεὶ δὲ ἔμελλε τὸν λινοῦν θώρακα, ὃς ἐπιχώριος ἦν αὐτοῖς, ἐνδύεσθαι.

(h) *Virgil. Georgic.* 3. (i) *Silius, lib.* 7. (k) *Claudian. in* IV *Conſulatu Honorii.*

(l) *Job*, XXXIX, 20. (m) *Nahum*, II, 3.

℣. 20. Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare.

℣. 21. Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque a veneficiis ſuis, neque a fornicatione ſuâ, neque a furtis ſuis.

COMMENTARIUS.

mis. Ex Antiquis (n) diſcimus, Perſas Parthosque maturiùs quàm cæteros aſſueviſſe arcui & ſagittis, ut optimi omnium jaculatores haberentur. Feriebant jaculo eâdem dexteritate coram, & poſt terga, ſive aggrediendo ſive fugiendo (o): *Fidentemque fugâ Parthum, verſiſque ſagittis.* Horatius (p):

Et verſis animoſum equis Parthum, &c.

Ita equites vel equi iſti, ſive caudâ ſive ore pugnarent, ex æquo præſtabant. *Caudæ eorum ſimiles ſerpentibus*, ſcorpiis ſcilicet, qui caudâ feriunt; *habentes capita, & in his nocent* (q). In caudis habent capita, ideſt, fugientes verſo capite pugnant, & ita feriunt, ac ſi coram aggrederentur. Repetitio eſt dictorum.

℣. 20. ET CÆTERI HOMINES, QUI NON SUNT OCCISI IN HIS PLAGIS, NEQUE POENITENTIAM EGERUNT DE OPERIBUS SUIS. Neque gentium barbararum in Provincias Occidentales irruptio, neque bella cum Parthis, Imperio adeo funeſta, impetrare valuerunt, ut ejuratis penitus ſuperſtitionibus ad Deum regrederentur Gentiles, qui tot calamitatibus ſuperfuerunt. Adhuc enim multum fuit Idololatriæ & impietatis. Reliquiæ iſtæ (℣. 21) *non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque a veneficiis ſuis, neque a fornicatione ſuâ, neque a furtis ſuis.* Sub his criminibus reliqua complectitur.

CAPUT X.

Angelus e Cælo lapſus librum gerens. Septem tonitrua. Tempus non erit ampliùs. Myſterium Dei adimplendum. Liber voratus dulcis & amarus.

℣. 1. ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut ſol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis:

℣. 2. Et habebat in manu ſuâ libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram:

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIDI ALIUM ANGELUM FORTEM, ex ordine Poteſtatum & Dominationum cæleſtium. (Vide ſupra, v, 2) Angelus iſte alius eſt ab eo, qui ſeptimâ tubâ canet; de quo verba facturus eſt Joannes Capite xi, 15. Viſio hæc inter ſextam ſeptimamque tubam interjecta a Deo eſt, fortè ut ex eâ diſceret Apoſtolus, quæ fuerit cauſa indignationis divinæ adversùs Romanum Imperium; antequam ejus indignationis effecta, & Dei ultio in Romam Sanctorum inimicam, magnam meretricem, deſcribantur. Animadvertimus ſupra, Deum ſæpe eosdem eventus variis ſub aſpectibus Prophetis ſuis ſpectandos propoſuiſſe; ſive ut rem altiùs menti imprimeret, ſive ut certior fieret rerum fides, ne fortè ſuccurreret, res caſu prænuntiatas fuiſſe, earumque eventum caſui deberi. Hic vexationes Eccleſiæ ab Imperatoribus, & animadverſio in tyrannos ſæpe adeo repetuntur, ut negari meritò haud poſſit, hoc eſſe tutius oraculi argumentum.

Qui hic inducitur Angelus, ex multis Interpretibus (a), idem ipſe Chriſtus eſt; nam plus

aliquid ſupra Angelum exigit poteſtas illa quæ valet, majeſtas oris & apparatûs, ac demum iris, quæ caput ambit. Capite xi, 3. ubi Deus loquitur: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt amicti ſaccis.* Cenſent alii (b), Angelum eſſe, qui Chriſti perſonam gerit, ut olim Michaël Moyſi in ſolitudine apparens, & alter ille, qui per viſum Danieli ſe obtulit. Alii denique (c) contendunt, merum fuiſſe Angelum in terras legatum, ad nunciandam Eccleſiæ vexationem ſub Diocletiano, ſpondendumque, eam cohibitum iri a Deo, cùm opportunum viſum fuerit, ne ultra ſæviat.

Angeli imago ab Apoſtolo exhibita, & lux qua Angelus micat, fortaſſe myſticæ ſunt; ſed cùm ad vaticinium non pertineant, nihilque niſi divinando afferri poſſit, integra omnia meditantibus permittimus.

℣. 2. HABEBAT IN MANU LIBELLUM APERTUM, ubi ea legebantur, quæ mox Apoſtolus ſubdit. Porrò Librum hunc Apoſtolus vorans, ſaturatus fuit. Ex eo autem veluti fonte copioſam rerum divinarum ſcientiam, a S. Spiritu inſpiratam,

 hau-

(n) *Xenophon, lib. 1 Cyroped. Curt. lib. 7; Juſtin. lib. 41; Herodot. lib. 1; Strabo, lib. 15.*
(o) *Virgil. Georgic. 3.* (p) *Horat. lib. 1, Ode 19.*
(q) Αἱ γὰρ οὐραὶ αὐτῶν ὅμοιαι ὄφεσιν, ἔχουσαι κεφαλάς. Καὶ ἐν αὐταῖς ἀδικοῦσι.
(a) *Primaſ. Beda, Richard. Zeger. Piſcat. Cotter. Durham. Mid. Morus, Gagn. & alii plures.*
(b) *Vide Grot.* (c) *Andreas, Areth. Viegas, Ribera, Cluver.*

℣. 3. Et clamavit voce magnâ, quemadmodum cùm leo rugit. Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

℣. 4. Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram: & audivi vocem de Cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

℣. 5. Et angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad Cœlum:

℣. 6. Et juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit Cœlum, & ea quæ in eo ſunt, & terram, & ea quæ in ea ſunt; & mare, & ea quæ in eo ſunt: quia tempus non erit ampliùs.

℣. 7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tubâ canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit per ſervos ſuos Prophetas.

℣. 8. Et audivi vocem de Cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.

℣. 9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tamquam mel.

℣. 10. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tamquam mel dulce: & cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

COMMENTARIUS.

hauſit. Apertus erat, ut innueret, jam latam eſſe ſententiam, & exequutioni proximam.

POSUIT PEDEM SUUM DEXTERUM SUPER MARE; SINISTRUM AUTEM SUPER TERRAM. Indicant hæc ſtaturam Angeli longe ſupra vulgarem. Eâ verò corporis habitudine demonſtrabat Angelus, ea, quæ Dei juſſu nunciaturus veniebat, ad terram & mare, continentem & Inſulas pertinere; quod etiam luculentiſſimè explicat ℣. 6, ubi terra & mare pro orbe univerſo uſurpantur. Id tamen pro more ejus ætatis accipias de univerſo Imperio Romano, quod nomine Imperii mundi cenſebatur.

℣. 3. CLAMAVIT VOCE MAGNA, ceu miſſus e Cœlo præco ad ſupremum Judicium hominibus nunciandum. *Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.* Sed quid clamaverint, ignoramus, cùm Apoſtolus (℣. 4) ſcriptis mandaturus ea quæ dicebant, datam a cœlo vocem audierit mandantem: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere*; manere debent obſignata & ignota, donec Deus manifeſtanda cenſebit. Confer locum hunc cum Daniele, VIII, 26: *Tu ergo viſionem ſigna*; XII, 4: *Signa librum uſque ad tempus.*

℣. 5. ET ANGELUS...... LEVAVIT MANUM SUAM AD COELUM. Qui uno pede incumbebat mari, altero terræ Angelus, ſublatis in Cœlum manibus jusjurandum ſolemne nuncupaturus, *juravit* (℣. 6) *quia tempus non erit ampliùs*; nulla deinceps mora, nulla expectatio (d). Quæ nunciantur, imminent. Oraculum eſt planè diverſum ab illis, quæ in poſterum implenda ſervantur (e); in proximo ſunt quæ nunciat. Similem tempum propoſuit Daniel, cùm ait (f) de Angelo, *qui ſtabat ſuper ripam fluminis, elevaſſe* ſcilicet illum *dexteram & ſiniſtram ſuam in Cœlum, & juraſſe per viventem in æternum, quia in tempus & tempora & dimidium temporis*; ideſt ea quæ prænunciabat, tribus annis & dimidio perſeveratura. Hìc verò Angelus juratus affirmat futurum, ut tempus non ſit ampliùs, moram nullam fore inter latum oraculum, ejusque complementum; & (℣. 7) quod *in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tuba canere*, (infra, XI, 15) *conſummabitur myſterium Dei* (g).

Quid rei ſit myſterium Dei, infra patebit. Genericâ tamen notione aliud nihil deſignare videtur, quàm inſignem gloriæ acceſſionem Eccleſiæ, exitumque vexationum ejus, uti non ſemel Prophetæ vaticinati ſunt. Jure enim meritoque dici poteſt, nihil magis mentes eorum, poſt myſterium Incarnationis mortisque Meſſiæ, occupaſſe, quàm Eccleſiæ inſtitutionem, & gentium ad Evangelium converſionem. Spectare id maximè licet in iis omnibus, quæ dicta ſunt de captivitate Babylonicâ, ejusque exitu, & conſequentibus deinde temporibus. Bellis Nabuchodonoſoris & Antiochi Epiphanis in Eccleſiam Judaicam, mala quæ ab Eccleſiâ Chriſtianâ ex Gentilibus ferenda fuerant, per typum exprimebantur; quemadmodum illa rerum ſtatus, qui poſt eas expeditiones obtinuit, exprimit ea quæ eventura erant poſt inſectationes in Eccleſiam Jeſu Chriſti concitatas.

℣. 8. AUDIVI VOCEM DE COELO (h) (ſupra, ℣. 4) ITERUM LOQUENTEM MECUM, ET DICENTEM, libellum e manu Angeli acciperem. Poſtulan-

(d) *Ita Grot. Cornel. Hammon. Cluver. Boſſuet, Ligfoot. alii paſſim.*

(e) *Vide Apoc.* VI, 11; VII, 2, 3, *&c. Dan.* X, 14: *Adhuc viſio in dies. Num.* XXIV, 17: *Videbo eum, ſed non modò; conſiderabo illum, ſed non propè, &c.* (f) *Dan.* XII, 7.

(g) *Græc.* Καὶ τελεσθῇ τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ. *Alii:* Ἐτελέσθη. *Conſummatum eſt myſterium Dei. Alii:* Τελεσθήσεται, *conſummabitur. Vulg. Syr. Arab. Æthiop.*

(h) *Græc.* Καὶ ἡ φωνὴ ἣν ἤκουσα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, πάλιν λαλοῦσα μετ' ἐμοῦ, *&c.*

℣. 11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.

COMMENTARIUS.

lante me ut traderet, (℣. 9) juſſit vorare libellum hunc, ſpondens futurum, ut dulcis eſſet in ore, amarus ad ventrem transmiſſus. Idem olim Ezechieli contigerat, qui juſſus a Deo vorare traditum ſibi volumen (i), mellis inſtar dulce in ore expertus eſt, ſed viſcera amaro ſapore infecta fuiſſe non aſſerit. Nec ſanè rerum, quibus veſcimur, ſaporem intra viſcera experimur, niſi cùm fortè provocamur ad vomitum. Guſtus uni linguæ inſidet; ſed cùm acidum aliquid amarumve guſtatur, vellicat ſæpè ſtomachi tunicas, vel provocat nauſeam: nec alia facilè mens Apoſtoli hoc loco eſt. Dulcedo, quam liber in ore parit, innuit voluptatem, quam pii viri experiuntur ex eo, quòd Deus juſtitiam ſuam exerat, & in capita impiorum animadvertat. *Lætabitur Juſtus, cùm viderit vindictam, & manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris* (k). Simul autem Liber iſte tormina movet, quibus denotatur intimus de exitio tot infelicium mœror (l). *Uſquequo, Domine, iraſcêris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, &c.* (m).

Alio ſenſu Liber iſte continebat inſectationes ab Eccleſiâ ferendas, & Victorias ab eâ de adverſariis reportandas. Duo hæc argumenta, triſte alterum, lætum alterum, deſignantur hîc emblemate dulcedinis quâ os inſpergitur, & amaritie quam ſtomachus experitur (n). Dulcia ſæpe bileſcunt & amaraſcunt.

Dulcia ſe in bilem vertunt, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita (o).

Mel inveniſti, ait Sapiens (p); *comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus evomas illud.*

℣. 11. OPORTET TE ITERUM PROPHETARE GENTIBUS, ET POPULIS, ET LINGUIS, ET REGIBUS MULTIS; ut olim Jeremiæ imperatum eſt (q): *Dedi te in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum ſuper omnem terram, Regibus Juda, Principibus ejus, Sacerdotibus & populo.* Paulus miſſus fuit, ut Dei nomen portaret *coram gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël* (r). Ita & Apocalypſis, ſeu vaticinium Joannis non pro Fidelibus tantummodo, ſed & pro gentibus latum erat. Feriit Paganos, Chriſtianis verò & ærumnas & ſolatium nunciat; quæ hi laturi erant mala, quasque relaturi erant victorias. S. Victorinus Petavienſis in Commentario ad Apocalypſim tradit, Apoſtolum, cùm extorrem ſe in Inſulâ Patmos & ætate fatiſcentem ſentiret, proximum malorum exitum ſperaſſe; ſed certiorem a Deo factum fuiſſe, vaticinandum ſibi adhuc coram Gentibus & Regibus eſſe: brevî tamen ab exilio revocatum iri: quod & reipsâ contigit.

CAPUT XI.

Joannes Templum metitur. Urbs ſancta gentibus per tres annos & dimidium permiſſa. Duo Prophetæ in Orbem veniunt cum poteſtate. Eorum interitus & reſurrectio Magnæ Urbis calamitas. Sanctorum de adventu Regni Chriſti gaudium.

℣. 1. ET datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi: Surge, & metire Templum Dei, & Altare, & adorantes in eo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DATUS EST MIHI CALAMUS SIMILIS VIRGÆ. Qui Apoſtolo vorandum Librum tradidit, nihil illum docuit, niſi illud tantummodò, myſterium actutum impletum iri, ut Prophetæ vaticinati ſunt. Cæterùm juſſit obſignare Librum, nec arcana ejus evulgare: id verò ad aliud tempus eſſe differendum. Tum datus in manus Apoſtoli calamus (a) menſoris, ut olim Ezechieli (b), ad dimetiendum Templum & Altare. Cùm Ezechiel Templum dimenſus fuit, moles illa ſubverſa jacebat, certaque ex eo ſpes dabatur Hebræis, fore ut tempore a Prophetis deſinito locus ſanctus reſtitueretur, & captivitas ſolveretur. Gemina hîc recurſunt. Templum, quod Apoſtolus dimenſus eſt, Eccleſiam deſignabat (c). Affligenda illa erat, vexanda, non profananda & evertenda. Profanæ gentes in exteriori atrii parte ſtabunt; urbem Sanctam occupabunt, ſed ad certum usque tempus; omnibus enim ærumnis hiſce Deus optatum exitum dabit. Ex totâ narrationis ſerie intelligimus, pertinere hæc ad vexationes Gentilium, præſertim Diocletiani, in Eccleſiam (d). Modò ad hæc per partes explicanda accedamus.

METIRE TEMPLUM DEI ET ALTARE. Templum hîc ſtrictè ponitur pro Sanctuario, Sancto, & Atrio Sacerdotum, ubi Altare holocauſtorum erat. Atrium Populi, quod extra jacebat, & ante Atrium Sacerdotum, dimetiendum non erat, utpotè Gentium profanationi permittendum.

(i) *Ezech.* III, 1, 2, 3. (k) *Pſalm.* LVII, 11.
(l) *Vide Riber. Cornel. Boſſuet.* (m) *Pſal.* LXXVIII, 5. (n) *Du Pin hîc.*
(o) *Horat. Sat. lib.* 2, *ſat.* 2. (p) *Prov.* XXV, 16. (q) *Jerem.* I, 18, 19. (r) *Act.* IX, 15.
(a) Videtur hic calamus Joanni datus ab Angelo, eodem fortaſſe, a quo idem juſſus eſt vorare librum. Libri quidam ferunt: Ἐδόθη μοι κάλαμος ὅμοιος ῥάβδῳ, καὶ εἱστήκει ὁ Ἄγγελος λέγων· Ἔγειραι, *&c. Ita Steph.* α, *Cod. Med. Mori, & Leiceſtr. Edit. aliqua, Syr.*
(b) *Ezech.* XL, 3: *Calamus menſuræ.* (c) *Ita Boſſuet, Du Pin, Riber. Cornel. Men. Para. Ligfoot, Cotter. Cluver. Durham. Forer. & alii plures.* (d) *Vide* Boſſuet *hîc.*

℣. 2. Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt Gentibus, & civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadragintâ duobus:

℣. 3. Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.

COMMENTARIUS.

Cùm juſſus fuit Apoſtolus metiri Templum & *adorantes in eo*, ideſt, Sacerdotes, Levitas, & Fideles mundos dignosque, qui in Atrium intimum ad ſacrificia offerenda admittantur; cave credas, imperatum illi fuiſſe, ut homines metiretur; ſed potiùs locum, ubi ſtabant. Profectò cùm iſta ſcriberet Joannes, Templum Jeroſolymitanum everſum jacebat, dejectum a Romanis ante annos ſeptem & triginta circiter. Sed Joannes illud ſtans, quemadmodum olim Ezechiel, ſpiritu vidit; eò autem Spiritu raptus fuit, ut veluti imaginem Eccleſiæ Chriſtianæ in illo expreſſam intueretur.

℣. 2. Atrium quod est foris Templum (e), ejice foras; ne metiaris. Atrium illud pars quidem erat totius ædificii, ſed loco Sancto extimus. Deſignabat autem Templa, quæ in Religione Chriſtianâ perinde ſunt ac quiddam accedens, quo carere poterat, & re ipsâ diu caruit cultus ille ſpiritalis & genuinus, quem Chriſtus in terris inſtituturus venerat. Olim enim ab exordio cùm Martyres rogarentur, ubi Templum Chriſtianorum eſſet, reſpondebant, ubique; Deo enim Cœlum terramque impleri, & nullum eſſe locum, ubi mentes puræ & ſinceræ debitam illi gloriam honoremque non deferant (f). Nulla publica Templa Chriſtianorum ſtetiſſe ferunt ante annum 230 circiter, poſt Tertullianum & Severi perſecutionem. Non eſt igitur cur miremur, ſi everti illa ab Ethnicis ſub Diocletiano Deus permiſit (g). Non enim in his Templum Dei verum ſitum eſt; vult quippe Deus animi cultum & charitatem, quæ in Fidelibus ſuis ſarta tecta ſervare ſtuduit, quo tempore lapides & ligna Eccleſiarum Tyrannis permiſit.

Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus; ſeu tribus annis & dimidio. Profectò incepta anno 303, die 23 Februarii, perſecutio usque ad exordium Conſtantini, anno 306, die 25 Julii, ideſt annis tribus & dimidio manſit. Capeſſito Imperio Conſtantinus nihil habuit antiquius, quàm ut edictum pro Chriſtianis vulgaret (h). Poſt trimeſtre Maxentius eodem Imperatoris titulo Romæ aſſumpto, juſſit actutum Chriſtianorum vexationem ceſſare (i).

℣. 3. Dabo duobus testibus meis; ſeu duobus Martyribus meis, *qui ſunt amicti ſaccis*; qui in luctu, dejectione, pœnitudine verſantur. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta*; ideſt tribus illis annis & dimidio, quibus ea vexatio ſævìit. Tres quidem anni & dimidius mille ducentos ſexaginta dies ſuperant diebus XVIII circiter (k); ſed Apoſtolus adhibuit uſitatam tunc apud Hebræos in rebus ſacris ſupputandi rationem, ductam ex Prophetis, qui vaticinia ſua juxta curſum anni ſancti notabant. Ætatis autem illius Judæos, in feſtis ſuis celebrandis, lunaribus menſibus, triginta dierum in ſingulos, uſos fuiſſe, diximus in Diſſertatione de re Chronologicâ, Geneſi præfixâ.

Cæterum duo teſtes, ex noſtrâ ſententiâ, non duos tantummodò, ſed univerſam Martyrum turbam ſub Diocletiano paſſam deſignant. Oriens Occidensque plurimos dederunt; Gentes ad fidem converſæ ſuos, ſuosque pariter Chriſtiani hebraizantes. Duæ iſtæ gentes in unam Chriſti Eccleſiam coaluerunt; easque nomine duorum teſtium indicari arbitror. Quidam veritati teſtimonium exhibuerunt rerum ſuarum abdicatione; alii vitæ profuſione; hi ex Clericis; illi ex Laicis erant. Chriſtus ex omni ordine teſtes, Martyres, Eccleſiæ columnas, Prophetas habuit. *Propheta* hic eſt homo Dei Spiritu afflatus, verba Dei nuncians, & veritati teſtimonium dicens.

Urbs ſancta, in qua illi vaticinantur, Eccleſia eſt, Gentium profanarum furori tribus annis & dimidio permiſſa. Exterior ejus ſanctitas a profanis proſternitur & conculcatur; ſed nequid indignum in Sanctuarium, intimumque Templum admittatur, Deus cavet. In mediis hoſtibus Sancti victoriâ exultant; Martyrum ſanguis ſemen eſt Chriſtianorum; nunquam Eccleſia purior glorioſiorque fuit, quàm cùm maximè vexata affligeretur.

Eadem trium annorum & dimidii periodus vexationem Judæorum ſub Antiocho Epiphane (l) complexa eſt: in eâ verò vivam imaginem Eccleſiæ a Diocletiano vexatæ agnoſcas. Joannes infra, XII, 6, 14, ait Eccleſiam vexatam nutritum & cælatum iri in deſerto *per tempus & tempora, & dimidium temporis*, nempe per annos tres & dimidium, diebus triginta in ſingulos menſes computatis, pro more a Judæis ejus ætatis, ſaltem in rebus ſacris, uſitato. Vide etiam Caput XIII, 5, ubi bellum Sanctis inferendum intra menſes duos & quadraginta concluditur; quod ſemper reddit dies mille ducentos ſexaginta, ideſt, tres annos & dimidium.

Patres & Interpretes (m) in geminis hiſce Prophetis Henochum & Eliam agnoverunt; quos reverà fatemur in mundi exitu ante Judicium ſupremum venturos, ut Fideles ab Anti-Chriſto vexandos tueantur & regant. Sed antequam rei hujus veritas contingat, adumbrationes nonnullæ præ-

(e) *Græc.* Τὴν αὐλὴν τὴν ἔσωθεν τοῦ ναοῦ, ἔκβαλε ἔξω. *Alii plures:* Τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ, ἔκβαλε ἔξω. *Ita Alex. Steph.* 2, *Cov.* 5, *Stu. Hunt.* 1, *Baroc. Syr. Arab. Areth. Hieronym. Victorin. Vulg. alii. optimè.* (f) Vide Acta Martyrii SS. Juſtini, & ſociorum; & Acta S. Serapbiæ. (g) An. 303 perſecutio cœpta eſt VII Kal. Martii, dirutis Templis. Vide Librum *De Morte perſecutorum; & Euſeb. lib.* X, *cap.* 4; *Lib.* 8, *cap.* 2: Συντετέλεσται δὴ τὰ καθ' ἡμᾶς ἅπαντα, ὁπηνίκα τῶν μὲν προσευκτηρίων τοὺς οἴκους ἐξ ὕψους εἰς ἔδαφος αὐτοῖς θεμελίοις καταῤῥιπτομένους, τὰς δὲ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας, αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς. (h) *Lactant. ſeu alius, de Morte perſecutorum, cap.* 24; *Inſtitut. lib.* 2, *cap.* 1; *Surius*, 31 *Jul. pag.* 362; *Socrat. lib.* 5. (i) *Euſeb. lib.* 8, *cap.* 14 *Hiſt. Eccl.*
(k) Tres anni cum dimidio dies continent 1278. (l) *Dan.* XIII, 7.
(m) *Ambroſ. in Pſalm.* XLV, 10; *Berengaud. Areth. Aubert. Haymo, Richard. Hugo, Dionyſ. Vat. Cornel. Virg. Ribet. alii. Vide & Tertull. de Animâ; Hieronym. ad Marcellam; Ambroſiaſt. in* 1 *Cor.* IV; *Auguſt. de Geneſ. ad Litt. lib.* 6, *cap.* 9; *Gregor. lib.* 9 *Moral. cap.* 3.

℣. 4. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.

℣. 5. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.

℣. 6. Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ quotieſcumque voluerint.

℣. 7. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

℣. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.

COMMENTARIUS.

præceſſerunt in Viris illis ſanctiſſimis, qui preſſâ frequenter variis calamitatibus Eccleſiâ, fidem virtutemque animi in adverſarios veritatis exeruerunt.

℣. 4. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ. Deſumpta ſunt hæc ex Zacharia (n), qui agens de Zorobabele Principe, & de Joſue ſummo Sacerdote Judæorum, ait, utrumque ſibi per viſum objectos fuiſſe ſub imagine duorum candelabrorum, quorum ſeptem calami ſeptem ferebant lampadas, in quas oleum ex duabus olivis ſtantibus ad latera ſtillabant. Duo teſtes, ſeu generatim Martyres, de quibus hîc Joannes, Eccleſiæ Jeſu Chriſti perinde ſe exhibent, ac fuere olim Zorobabel & Joſue Judæis e captivitate reſtitutis: deducunt illi, erudiunt, regunt, tuentur Fideles; ac viciſſim Deus illos defendit adversùs conatus eorum, qui in perniciem ipſorum conſpirant.

℣. 5. Si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum. Patrocinii a Numine præſtiti erga Eccleſiam ſuam argumentum perſpicuum eſt providentia, qua illam ſervat incolumem in tanto Principum conſenſu, qui omnes in ejus perniciem conſpirant. Certis limitibus furorem ſævitiamque adverſariorum Deus coërcet; excitat pium ardorem teſtium ſuorum, ut illis reſiſtant; robur illis inſpirat, ut ſe pro eo ac murum æneum viribus illorum opponant. Furente maximè perſecutione, quàm multi Epiſcopi inſignes permanſerunt in medio gregum intrepidi, inviſibili manu, qua defendebantur, protecti? Ex illis quidam capti, fidem profeſſi ſunt: tum arctis carceribus traditi, deinde pacato furore glorioſè ſoluti. Alii quamplures ſanguinem profuderunt, ſive res ſuas deſeruerunt, ſive in ſolitudines ſeceſſerunt, ne fidem amitterent.

Tempeſtate hac furente, Chriſtiani interim miracula patrabant, quibus adverſarios probro obruebant. Deus Martyribus ſuis prophetiæ ſpiritum dabat; ultioniſque ſuæ ſpecimina in delatores eorum, ſive in miniſtros ſævientium Imperatorum exhibebat. Hæc omnia exprimere voluit S. Spiritus verbis illis: *Si quis voluerit eos lædere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*; ut olim Elias ignem e Cœlo deduxit ſuper eos, qui ad ſe capiendum venerant (o). *Et ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi*, igne cœleſti, ut olim ducenti quinquaginta illi viri, qui in Moyſem & Aaronem in deſerto conjurarunt (p). *Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum*; quemadmodum Eliſæus, ut Achabi crimina puniret (q). Denique *poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem*; quod Moyſes in Ægypto præſtitit (r). Hæc omnia denotant, edendorum miraculorum poteſtatem olim familiarem fuiſſe. Porrò Joannes ad inclyta veteris Teſtamenti miracula perpetuò alludit.

℣. 7. Cum finierint testimonium suum (s), & munus nunciandi dogmata Religionis, *beſtia quæ aſcendit de abyſſo*, Dæmon (t), *faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos*. In laceſſendis Chriſtianis eò uſque proceſſum eſt, ut vel inviſum nomen aboleviſſe ſe eorum adverſarii arbitrarentur; quo nomine Imperatoribus Diocletiano & Maximiano aſſentatum eſt. Nam repertæ in Hiſpaniâ Inſcriptiones honorem delatæ Chriſtianæ Religionis Imperatoribus illis vindicabant. En lapidum illorum ſumma: *Diocletianus Jovius & Maximianus Herculius, amplificato per Orientem & Occidentem Imperio Romano, & nomine Chriſtianorum deleto, qui Rempublicam evertebant, ſuperſtitione deletâ, & cultu Deorum propagato.*

℣. 8. Corpora eorum jacebunt in plateis (u) civitatis. Quemadmodum ſupra Eccleſiam *Civitatem ſanctam* appellaverat, ita & hîc Profanam Religionem nuncupat *Civitatem magnam, quæ vocatur ſpiritualiter*, id eſt allegoricè (x), *Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt* (y); quibus poſtremis verbis deſignari videtur Jeroſolyma. Sed poſt ejus Urbis everſionem

(n) *Zachar.* IV, 14. (o) 4 *Reg.* I, 10, 12. (p) *Num.* XVI, 35.
(q) 3 *Reg.* XVII, 1; *Jacobi*, V, 17. (r) *Exod.* VII, VIII, IX, X, XI, XII.
(s) Ὅταν τελέσωσι τὴν μαρτυρίαν αὐτῶν. *Arab. Prophetiam. Æthiop. Teſtimonium & prophetiam. Hippolyt.* Τὸν δρόμον καὶ τὴν μαρτυρίαν, *Curſum & prophetiam*. (t) Supra, IX, 1, 2. Infra, XIII, 1; XVII, 8. (u) *Græc. In plateâ*, Ἐπὶ τῆς πλατείας πόλεως.
(x) Πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτος. *Arethas*. Πνευματικῶς, κατὰ ἀλληγορίαν.
(y) *Dominus eorum. Græc. Dominus noſter*, Κύριος ἡμῶν ἐσταυρώθη. *Alii plures:* Κύριος αὐτῶν. *Ita Steph.* 11, *Alex. Cov. Sin. Barot. Petav. Hunt. Compl. Syr. Arab. Æthiop. Areth. &c.*

℣. 9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.

℣. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram.

℣. 11. Et poſt dies tres & dimidium, ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.

℣. 12. Et audierunt vocem magnam de Cœlo, dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cœlum in nube; & viderunt illos inimici eorum.

COMMENTARIUS.

nem ſub Tito, uſque ad illud tempus, quod ſpectari hîc a Joanne opinamur, magnæ Civitatis nomen profectò reſpuebat. Præterea Chriſtus non intra, ſed extra urbem ſupplicio affectus fuit: *Extra portam paſſus eſt*; *Hebr.* XIII, 12; quin & eo tempore, de quo hîc ſermo, Urbem ſanctam ſoli fermè Ethnici frequentabant.

Præſtat igitur hæc explicare de urbe Româ, ubi Petrus & Paulus, aliique plures cruce & martyrio perempti fuerunt, quibuſcum ipſe pariter Chriſtus pati viſus fuit, ut disertè aſſerunt Veteres, de martyrio præſertim Petri agentes (z). Denique cùm Urbs ſancta, quo tempore Chriſtus ſublatus fuit, a Romano Præſide regeretur, Chriſtus a Romanis damnatus ac peremptus meritò obiiſſe in magnâ Civitate aſſeritur; ideſt in vaſto Imperio, cui magna vitia nomen *Sodoma*, & mota in Sanctos vexatio appellationem *Ægypti* conciliabant.

℣. 9. VIDEBUNT DE TRIBUBUS ET POPULIS.... CORPORA EORUM PER TRES DIES ET DIMIDIUM; inſepulta jacebunt, quæ terræ mandare audebit nemo. Profectò ſepulturæ tradere Martyrum corpora, ſæpè capitale erat. Cùm Sanctorum Reliquias ſummâ veneratione proſequi Chriſtianos noſſent Profani, ſubtrahere hoc illis ſolatium omni ſtudio conabantur. Ideò vel in mare ſacra pignora projiciebant, vel beſtiis voranda dabant, vel in cineres redigebant; vel cum Ethnicorum impiorumque cadaveribus confundebant, ne diſtinguerentur (a). Tribuit hîc Apoſtolus duobus teſtibus ea, quæ omnibus vel ferè omnibus Martyribus communia erant.

Periodus illa dierum trium & dimidii, quæ etiam recurrit ℣. 11, myſterio non vacat; nam Prophetarum ſtilo congruit cum tribus annis & dimidio, quo ſpatio Diocletiani perſecutionem concludi jam animadvertimus (b). Sed quemadmodum Apoſtolus multitudinem Martyrum ſub nomine duorum teſtium expreſſit; ita & tempus injuriarum, quibus eorum corpora eâ ſæviente tempeſtate affecta ſunt, trium dierum & dimidii, quod tribus annis & dimidio reſpondet, ſpatio terminavit. Nec aliter inſtitutæ allegoriæ ratio poſcebat. Triduo enim inſepulta cadavera permitti poſſunt; toto autem triennio & in orbe aliquâ non poſſunt.

℣. 10. INHABITANTES TERRAM GAUDEBUNT SUPER ILLOS. Extinctis Fidelibus inſultantes Pagani, cadavera fœdè traducebant. In Eccleſiæ dejectione & oppreſſione innocentium triumphabant. *Munera mittebant invicem*, ut cùm feſta (c) & gaudia celebrantur. Ingenti ſe pondere levari ſentiebant, ubi Chriſtianorum aliquis necabatur, cujus vita frugi & modeſta flagitium & licentiam eorum damnabat. Id denotant verba illa: *Quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos qui habitant ſuper terram*. Confer quæ leguntur in Sapientiâ, ubi impii conſpirantes in exitium viri probi, inquiunt (d): *Circumveniamus juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata Legis, diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum. Gravis eſt etiam nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ ejus*; ideſt, a noſtris diverſæ.

℣. 11. POST TRES DIES ET DIMIDIUM, SPIRITUS VITÆ A DEO INTRAVIT IN EOS. Apud Prophetas (e) ſtatus mortis, ſepulcrum, pulvis, tenebræ mortis tempus, calamitatum & vexationum deſignant; reſurrectio, e ſepulcro reſtitutio, e pulvere ſurgere, ſpiritum vitæ reſumere perinde valent ac pax & proſperitas, quæ ærumnas haſce & vexationes excipiunt (f). Mens igitur Apoſtoli eſt, tribus illis diebus & dimidio, qui cum tribus annis & dimidio præcedentium verſiculorum congruunt, pacem Eccleſiæ reſtitutum iri, uti ſeipſâ accidit operâ Conſtantini, quamvis non tota nec ubique ſtatim. Vir tamen ille, qui tanto operi deſtinabatur, vix ad Imperium evectus, latis Edictis Chriſtianos actutum protexit (g).

℣. 12. AUDIERUNT VOCEM MAGNAM DE CŒLO, ut aſcenderent imperantem. Aſcenderunt illi, intuentibus adverſariis. Gloriæ quidem Martyrum in Cœlo ſpectatores eſſe, Gentilibus minimè licuit; ſed moriendi conſtantiam, gaudiumque conceptum ſpe firmâ potiundi tandem in Cœlo æternâ coronâ, & viderunt & admirati ſunt. Anticipatæ beatitudinis loco mors illis eſſe videbatur. Tanta utique ſupplicia tantâ conſtantiâ, tam bonâ ex cauſâ, poſt vitam innocenter actam tolerata, nonniſi æternâ felicitate rependenda fuerunt.

℣. 13 IN

(z) Vide nos in 2 *Petr*, I, 14.
(a) Vide Acta S. Tarachi apud Baron. an. 290.
(b) *Sup.* ℣. 2, 3. (c) *Eſther*, IX, 18, 19, 22.
(d) *Sap.* II, 3, 12.
(e) *Ezech.* XXXVII; *Thren.* III, 6; *Dan.* XII, 2; *Baruc.* III, 4, 11.
(f) *Vide Judic.* XV, 19; 2 *Reg.* XII, 3; *Pſal.* LX, 20; LXXXIV, 7; CXVIII, *ſæpius*.
(g) Vide Lactant. *de Morte Perſecutor. & Inſtit. lib.* 2, *cap.* 2; *Socrat. lib.* 2 *Hiſtor.*

℣. 13. Et in illâ horâ factus eſt terræmotus magnus, & decima pars civitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia; & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo Cœli.

℣. 14. Væ ſecundum abiit; & ecce væ tertium veniet citò.

℣. 15. Et ſeptimus Angelus tubâ cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in Cœlo dicentes: Factum eſt regnum hujus mundi Domini noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum: Amen.

℣. 16 Et vigintiquatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes:

℣. 17. Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.

℣. 18. Et iratæ ſunt Gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem ſervis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum puſillis & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram.

COMMENTARIUS.

℣. 13. IN ILLA HORA (h) FACTUS EST TERRÆMOTUS MAGNUS. Evecto ad Imperium Conſtantino, univerſum Imperium obſtupuit. Imperatores reliqui ſurgentem contra ſe juvenem trepidi aſpexerunt. Parta hinc bella. *Decima pars Civitatis cecidit; & occiſa ſunt in terræmotu nomina (i) hominum ſeptem millia.* Magna Civitas eſt Imperium, uti ad ℣. 8 monuimus. Anno 305, furente maximè perſecutione, Galerius Herculium & Diocletianum ad Imperium abdicandum adegit. Hi Principatum depoſuerunt die primâ Maji ejuſdem anni; Diocletianus Nicomediæ, Herculius Mediolani. Eâdem pariter die Conſtantius pater Conſtantini, & Galerius Auguſti renunciati ſunt. Conſtantius Galliæ, Hiſpaniæ, & Angliæ imperat; cujus filius Conſtantinus tamquam obſes apud Galerium detinetur. Sed anno 306 fugâ dilapſus, ad Conſtantium in Angliam convolat. Hic diem claudit die 25 Julii, eâdemque die Conſtantinus Auguſtus ſalutatus, lato edicto ſtatim favet Chriſtianis. Hîc deſinit periodus trium annorum & dimidii perſecutionum.

Excepit hæc omnia terræmotus ille, de quo hîc Joannes, concuſſio nempe totius Imperii, quæ ſtatim ab exordio Conſtantini accidit. Anno 306, die 28 Octobris, Maxentius, Româ & Italiâ potitus, Auguſti titulum uſurpat, quem & Herculio patri ſuo, qui illum ſuperiore anno depoſuerat, reſtituit. Severus Cæſar copias in Maxentium, & ad Urbis obſidionem ducit: ſed militum pleriſque fugâ dilapſis, recipere ſe intra Ravennæ muros coactus fuit. Tum ſeſe dedidit Maximiano Herculio, a quo ſtatim neci traditur. Anno 307 Galerius & Maximianus Herculius in Italiam ad profligandum Maxentium veniunt; ſed Galerius a maximâ ſuarum parte deſtitutus, invitus ſeſe recepit. Hos motus ſcitè exprimit concuſſio terræ magnæ civitatis, & dejectio decimæ partis murorum ejus, quo lapſu ſeptem millia incolarum correpta ſunt.

℣. 14. VÆ SECUNDUM ABIIT. Primum expreſſum eſt Capite VIII, 13, &c. usque ad Caput IX, 12. Excepit ſtatim ſecundum, quod hucusque continuatur. Tertium hîc, ℣. 15, exorditur, & usque ad Caput XX prorogatur. Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis exordium ejus figit in Capite XVIII, & usque ad Caput XIX docet.

℣. 15. SEPTIMUS ANGELUS TUBA CECINIT. Poſtremum eſt ſignum, datum a ſeptem Angelis, de quibus Capite VIII, 2. Primus Angelus tubâ cecinit Capite VIII, 7; alter eodem Capite, ℣. 8; Tertius item ℣. 10; Quartus ℣. 12; Quintus Capite IX, 1; Sextus ℣. 13. Denique ſeptimus hîc canit. Cùm verò alii nonniſi calamitates nunciaverint, hic victorias Chriſti ejuſque Eccleſiæ prædicit. Factæ ſunt voces magnæ in Cœlo dicentes: *Factum eſt Regnum hujus Mundi Domini noſtri & Chriſti ejus*, ideſt, ad Dominum noſtrum & Chriſtum ejus tranſivit (k). Ad Imperium evecto Conſtantino, Regnum Chriſti in Eccleſiâ incepit, crevitque eodem gradu, quo Conſtantinus æmulos ſuos dejiciebat. Denique omnia ille pacavit, & pax ſimul in totâ Eccleſiâ regnavit poſt fuſum victumque Licinium anno 323. Sub Conſtantino gentes integræ colla Chriſti jugo ſubdiderunt, Crux ubique erecta; ubique Templa ſteterunt, & profanæ ſuperſtitiones probro obrutæ ac neglectæ jacuerunt. Cœlum & Terra Dei laudibus hymniſque inſonuerunt, ℣℣. 16, 17.

℣. 18. ET IRATÆ SUNT GENTES, ET ADVENIT IRA TUA. Pacatâ Eccleſiâ, pax ubique regnavit. Dei juſtitia, quæ de Eccleſiâ ſuâ periculum fecerat, quæque diù adeò illam Gentilibus vexandam permiſerat, gladio demum in Tyrannos converſo, virium ſuarum pondus experiri illos voluit. Regnantes tunc Imperatores quatuor, Galerius & Conſtantinus, Maxentius & Maximianus Herculius, inter ſe commiſſi ſunt. Rem infeliciter ceſſiſſe Severo Cæſari & Galerio, in

Ma-

(h) Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. *Alii plures*: Ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ. *Ita Steph.* α, ιε, ις, *Baroc. Petav.* 3, *Hunt.* 1, *Cov.* 2, *Sin. Arab. Areth.* (i) *Occiſa ſunt nomina hominum ſeptem millia*. Vide eamdem locutionem ſupra, *Apoc.* III, 4; *Act.* I, 15. *Nomina* hîc eſt *capita*.
(k) Ἐγένοντο αἱ Βασιλεῖαι τοῦ κόσμου τοῦ Κυρίου ἡμῶν. *Alii plurimi*: Ἐγένετο ἡ Βασιλεία τοῦ κόσμου, &c. *Ita Vulg. Syr. Arab. Æthiop. Areth. Steph.* α, ιε, ις, *Alex.* &c.

℣. 19. Et apertum eſt templum Dei in Cœlo: & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna.

COMMENTARIUS.

Maxentium moventibns, ad ℣. 13 animadvertimus. Maximianus Hereulins Filium Maxentium Imperio apoliare conatns fuit. Galerius Licioium dixit Auguſtum anno 307. Sequente anno Maximiaous eamdem digniiatem oſurpavit; codemque fermè tempore Alexander ſalutari ſe Imperatorem curavit io Africâ. Hi omnes mutuò ſe confeceruot, & altero poſt alterum deeedente, Conſtantinus ſolus Imperii arbiter manſit.

Maximianus Herculius Imperinm & vitam Conſtaotioo adimere molitus, ab eo præventus, laqueo ſibi fauces eliſit. Maximinus anno 313 mœrore confectus, ipſo mortis articulo ſolemni Edicto Cbriſtiaoorum vexationem coërcuit, nec diu poſt deceſſit. Alexander vincitur ab exercitu Maxentii, & necatur in Africâ. Anno 312 Conſtantinus quatuor præliis Maxentium confecit, qui in Tiberim merſus interiit. Maximious, celebris alter Eccleſiæ hoſtis, caſtria exutns eſt a Licinio anno 313, nec ſine miracnlo, nil ſamâ ereditur; cùm ejus copiæ ne reſiſtere quidem auderent, quamvis numero adverſariorum exercitum vincerent. Tandem Licioius Chriſtianorum fautor, quamdiù Conſtantino adhæſit, ab Eccleſiâ & a Conſtantioo deſciſcena *(l)*, primò quidem prælio Cibaliiano in Pannoniâ anno 314 victus, deinde mari terrâque anno 323 deletua, Theſſalonieam relegatua, ibique laqueo peremptus fuit. Ita ſua fides conſtitit oraculo Joannis: *Advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari*, ſeu tempus ulciſcendi Martyrum occem; *& reddere mercedem ſervis tuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen tuum puſillis & magnis; & exterminandi* Tyrannos, *qui corruperunt terram* ſævitiâ & ſceleribus: hi enim omnas Eccleſiæ adverſarii pravis eraot moribus, nt ex Hiſtoriâ diſcimns.

℣. 19. Et apeatum aſt Templum Dai in Coalo; at visa aſt Arca Testamenti. Eccleſia Jeſu Cbriſti rudi quadam imagina Templo Dei in Cœlo cxprimitur; quemadmodum Arca Fœderis typus eſt Evangelii. Templum apertum denotat facnltatem publicè profitendi Chriſtianam Religionem; Arca in Templo eſt publica Evangelii annuneiatio. Hæc omnia ſpectata ſont ſub Conſtantino. Ubique anim tunc proſtrata Templa Chriſtiana caput extulerunt, & nova erecta ſunt; ubique lata pro Cbriſtianis edicta; nbique Evangelium traditum, & cnm honore exceptum fuit.

Spectare videtur hîc Joannes ea, quæ ſub poſtremis Regibus Juda aeciderunt, ex quibus nonnulli clauſerunt Templum, ut Sacerdotum munua peoitns ceſſaret; ſed eùm Princepa aliquis pius, puta Ezechias, ſive Joſias, rebus præerat, ſtatim Templi fores reclndebantur, ae reſtituebatur Arca *(m)*, iode pridem amota *(n)*: *Ponite Arcam in Sanctuario Templi...... nequaquam eam ultra portabitis*. Demonſtratum eſt alibi *(o)*, Arcam Fœderis abſuiſſe a ſecundo Templn poſt captivitatem extructo, & fortaſſe ounquam repertam, eductamque fuiſſe e latebris, in quibus a Jeremia ante captam a Nabuchodonoſore Jeroſolymam abdita fuerat. Vide a *Maccbab.* II, 4.... 6. *Evangelium æternum (p)* collocatum in Eccleſiâ Jeſu Chriſti pro Arcâ abuodè fuit. *Fulgura, & voces, & terræmotus (q), & grando magna*, denotant bella, rerumque turbationem, quæ tunc agitarunt Imperium, dum Conſtaotinus reſtituendæ paci Eccleſiæ operam dabat.

CAPUT XII.

Mulier amicta ſole. Draco rufus ſepticeps. Filius mulieris in Cœlum raptus. Illa in Deſertum ad tres annos & dimidium ſe recipit. Prælium Michaelis cum Dracone, in quo Michael ſuperat. Draco mulierem in Deſerto inſectatur. Fluvius terrâ abſorptus. Draco in Sanctos furit.

℣. 1. ET ſignum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Signum magnum apparuit in Coelo. En oovam imaginem, qna deſeribuntur mala Eccleſiæ *(a)* ſub *Diocletiano, Maximiano Herculio, Galerio, Maximino, Severo, Maxentio*, & *Licinio*, qui hîc pinguntur emblemate Draconis ſepticipitis, eujus ſingula eapita diademate inſigniebantur. Eccleſia ſeſe offert ſub typo *mulieris amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim*. Nihil hac imagine ditius, nihil auguſtius. Unam eamdemque rem ſæpè ſub oculos variâ ſub imagine revocat Joannes, quò altiùs menti imprimatur; id quod in rebus gravioribus Danieli cæteriſque Prophetis uſitatum fuit. *Sol*, quo Eccleſia amicitur, Chriſtum denotat; *Luna* ſunt res creatæ, Imperia, terreſtres res & viciſſitudinibus obnoxiæ.

(l) *Vide Euſeb. lib. 2, cap. 8, pag. 395, 396, 397, Hiſt. Eccleſ.* (m) 2 *Par.* xxxiv, 4, 7, 8; 2 *Par.* xxix, 3. (n) 2 *Par.* xxxv, 3. (o) Io Diſſertatione, utrùm Arca in ſecundo Templo fuerit, ad Macchabæorum libros. (p) *Apoc.* xiv, 6. (q) Omittit Græcus in libris compluribus. *Steph.* α, ιγ, ιε, *Beidel. Leiceſtr. Mori*.
(a) *Boſſuet, Du Pin, Alcazar, alii*.

Digitized by Google

℣. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.

℣. 3. Et viſum eſt aliud ſignum in Cœlo, & ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capitibus ejus diademata ſeptem.

℣. 4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli, & miſit eas in terram: & draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura; ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.

℣. 5. Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virgâ ferreâ: & raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

℣. 6. Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

COMMENTARIUS.

xiæ. *Stellæ duodecim*, quibus diadema conſtat, ſunt duodecim Apoſtoli, & Apoſtolorum ſucceſſores. Patres & Scriptores Eccleſiaſtici (b) ſæpe tranſtulerunt ad Virginem Deiparam ea, quæ hic de Eccleſiâ ſcribuntur; ſed hæc myſtica & ſpiritalia ſunt, non literalia. Eccleſia fœcunditatem cum virginitate conjungit; quod & Virgini Jeſu Chriſti Matri commune eſt.

℣. 2. In utero habens clamabat (c), ceu mulier parturiens. Eccleſia Chriſti, uti parens ſecunda, parturitionis dolores ſpatio plurium annorum tulit. Parit autem Filios Deo per fidem & baptiſmum (d); non ſine cruciatu, nam ſuperandi erant errores & minæ, atque Mundi & Dæmonis inſectationes. Sed hæc minora ſunt iis, quæ ferenda illi fuerunt, cùm Filios Cœlo paritura erat per inſectationes, perpeſſiones, & Martyrium. Draco tunc furorem omnem exercuit, ut matrem cum fœtu ſuo caperet. Hæc ſequentibus membris per partes expendenda.

℣. 3. Visum est aliud signum in Cœlo; ſimul autem *ecce Draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem*. Draco magnus eſt Romani Imperii potentia; rufus ob ſævitiam; ſepticeps ob Imperatores ſeptem, a quibus Imperium regebatur, qui ſubinde Eccleſiam Chriſti vexarunt. Draconem diademata ſeptem ornabant; quæ ſunt authoritas & dignitas ſeptem illorum, quorum nomina ℣. 1 dedimus. Denique terribilis hæc bellua decem cornibus inſtruebatur, emblemate Regum Barbarorum, qui maximam Imperii partem inundarunt. Confer Capita XIII, 1, & XVII, 7, 12 hujus Libri.

℣. 4 Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum. Dum maximè furebant Tyranni, Chriſtianorum plures a fide deſciverunt; alii ſacros Codices prodiderunt; alii dato pretio emerunt ſchedas, quaſi ſacrificaſſent. Hiſtoria Eccleſiaſtica hiſce triſtis illius ætatis lapſibus paſſim ſcatet. Scitum eſt, quinam fuerint *Traditores* in Africâ. Sacros libros ad prorogandam aliquandiu vitam dabant; quod & Epiſcopis quibuſdam & Sacerdotibus vitio datum fuit. Ex Actis S. Romani diſcimus, concurſum undique eſſe ad ſacrificia Idolis immolanda; quorum parva ſimulacra ad fontes & ad fora collocabantur, appoſitis cuſtodibus, qui accedentes ad ſuffitum cogerent, ut nec vendi quidquam, nec emi, nec aqua hauriri niſi a ſacrificantibus poſſet. Ubique ferrum, ignis, minæ, illecebræ, vis ad cogendos Chriſtianos, ut abjecto Chriſto Idola venerarentur. Poſt hæc omnia, quis jure miretur, ſi cauda draconis ſecum traxit in infernum tertiam partem ſtellarum Cœli, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos? Nam priore anno capitale ſupplicium in hos tantummodo latis edictis decernebatur; ſed brevi ad omnes æquè Fideles pœna eadem prorogata fuit.

Draco stetit ante mulierem, hiantibus faucibus, & minacibus oculis, *ut, cùm peperiſſet filium ejus, devoraret*. Tyranni ſe totos convertiſſe videbantur ad rem Chriſtianam perdendam, ſive necatis Fidelibus, ſive in apoſtaſiam pertractis, ſive ademptâ corporis vel animæ vitâ.

℣. 5. Et peperit filium masculum. Fideles illi, quibus Deus tantum indidit virtutis, ut tormenta ſuſtinerent, quique vitam pro Chriſto dederunt, vel qui abjecerunt omnia, ut fidem ſervarent, germani ſunt Eccleſiæ filii maſculi, & fortes (e). Ex illis quidam tranſlati fuerunt in Cœlum coram Dei ſolio, ut beatitudine potirentur. Alii ſuperſtites inter mortales perſeverarunt, & in gentibus dominati ſunt *in virgâ ferreâ*. Res Chriſtianorum ſub Conſtantino floruere, & Gentilium ubique proſtratæ ſunt ac dejectæ. Nulla quidem tormenta adhibita ſunt, ut illi ſaniora conſilia capere cogerentur; ſed Deus totum juſtitiæ ſuæ pondus in capita eorum excuſſit. Confer hanc locutionem, *Qui recturus erat gentes in virgâ ferreâ*, cum Apocalypſeos II, 27, & Pſalmo II, 9.

℣. 6. Mulier fugit in solitudinem. Chriſtiani plures, furentibus in Eccleſiam tyrannis, in ſolitudines ſeſe proripuerunt, ubi ex illis alii vitæ curſum abſolverunt, alii vitæ ſolitariæ aſſueverunt, alii pace Eccleſiæ redditâ domum remearunt. S. Baſilii Magni parentes in deſerta Ponti fugientes, egerunt ibi ſeptennium (f). Alii ſpontaneum exilium eligentes, apud exteros aſylum tutum, liberumque Religionis exercitium (g) nacti ſunt. Hanc rationem inivit Deus, ut permultos Gentiles ad fidem converteret. Ty-

(b) *Vide Auguſt. lib. 4 de Symbolo ad Catechum. Bernard. ſerm. in hunc loc. Ambert. Berengaud. Haymo, Gagnej. Pannon. Cornel. Andre. Areth. hic.* (c) Κράζει, *Clamat. Alii,* ἔκραζεν, *Clamabat. Ita Steph.* α, ιγ, ιε, *Baroc. Pet.* 2, *Sin. Cov.* 2, *Syr. Æthiop. Arab. alii.*
(d) *Joan.* XVI, 21; *Galat.* IV, 19. (e) Confer *Iſai.* LXVI, 7: *Antequam veniret partus ejus, peperit maſculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic ſimile? Numquid parietur terra unâ die? Aut parietur gens ſimul? quia parturivit & peperit Sion filios ſuos.*
(f) *Nazianz. Orat.* 20, *pag.* 319, 320. (g) *Euſeb. lib.* 2 *de Vitâ Conſtant. cap.* 55.

℣. 7. Et factum eſt prælium magnum in Cœlo: Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & angeli ejus.

℣. 8. Et non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo.

℣. 9. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem: & projectus eſt in terram, & angeli ejus cum illo miſſi ſunt.

℣. 10. Et audivi vocem magnam in Cœlo, dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.

℣. 11. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.

℣. 12. Propterea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis. Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.

COMMENTARIUS.

Tyrannorum occaſione vitæ ſolitariæ inſtitutum incepiſſe, S. Hieronymus animadvertit. S. Paulus primus Eremi cultor ſub Decio & Valeriano in ſolitudinem ſecedens, eo vitæ genere adeò delectatus eſt, ut de reditu in ſæculum deinceps minimè cogitarit. Ex Actis Martyrum Nicomedienſium diſcimus, Chriſtianos fugâ ſe in montes & speluncas, & abditiſſima quæque deſerta proripuiſſe, S. Baſilius meminit S. Gordii Martyris, qui furente perſecutione invias ſolitudines penetravit; ſed paulò pòſt martyrii deſiderio correptus, deſeruit latebras, palamque ſe populo in amphitheatrum collecto prodidit. Scitum eſt, Sanctos Dionyſium Alexandrinum, Cyprianum, Gregorium Thaumaturgum ſeſe in ſolitudines recepiſſe, opperientes quid interim de ſe Numinis providentia decerneret.

UBI HABEBAT LOCUM PARATUM A DEO. Qua erat providentiâ Deus, id egit, ut Fidelium complures in deſertis locis & apud barbaras gentes tutum ab adverſariis aſylum nanciſcerentur, uti animadvertimus, Ibi oportuit ſunt *diebus mille ducentis ſexaginta;* ideſt tribus annis & dimidio perſecutionis Diocletiani; ab anno ſcilicet 303 uſque ad menſem Julium anni 306, Vide ſupra, XI, 3.

℣. 7. FACTUM EST PRÆLIUM MAGNUM (*h*) IN COELO. Michaël cum bonorum Angelorum agmine, & Lucifer ſive Draco, habens ſub ſignis Dæmones, dimicant; illi quidem in defenſionem Eccleſiæ & Religionis Chriſtianæ; hi verò in exitium. At bellatores iſti oculis conſpicui non ſunt, Qui oculis noſtris conſpiciuntur, ſunt hinc quidem Chriſtiani vexati, illinc Ethnici Imperatores. Pro Eccleſiâ dimicant Angeli boni, quam & Chriſti potentia defendit, & victricem facit. Ethnicos armat Draco, & vincuntur. Chriſtiana Religio potentiâ, gloriâ & amplitudine maximè aucta eſt. Septem Draconis capita præciduntur; decem cornua franguntur. Septem Imperatores Conſtantino æmuli miſerè pereunt; unus regnat Conſtantinus, quo agente Chriſtus regnat in terris. Confer Danielem (*i*) prædicentem opem a Michaële ferendam populo Dei, vexato ab Antiocho Epiphane, præcurſore & typo Diocletiani,

℣. 9. DRACO ILLE MAGNUS ſepticeps, SERPENS ANTIQUUS, qui Evam decepit, ejuſque illecebris Adamum in crimen traxit; adverſarius ille Chriſti, *qui vocatur Diabolus*, ſeu calumniator, & *Satanas*, ſeu adverſarius, *qui ſeducit univerſum Orbem* malis perſuaſionibus, quique Ethnicos erga Idola faſcinat (℣. 10.); ille *accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte*, victus eſt, profligatus, Cœlo pulſus, Græci quidam libri (*k*) omittunt illud: *Accuſator fratrum noſtrorum*. Spectavit hìc Apoſtolus illud Jobi de Satana, qui ſtans coram Deo Jobum accuſavit, quòd Deo non fruſtra ſerviret (*l*); tum & ea quæ habet Zacharias (*m*) de Diabolo, qui ſtans Jeſum filium Joſedechi, & Zorobabelem ante Dei tribunal accuſavit, Vide etiam Pſalmum CVIII, 6: *Diabolus ſtet a dextris ejus*, Certum ſtatuit Apoſtolus, perſecutionem motam fuiſſe Deo permittente, & ſuadente Dæmone, qui a Deo hanc facultatem veluti extorſit, qua donatus, Ethnicis Imperatoribus uſus eſt tamquam furoris & nequitiæ in Eccleſiam ſuæ miniſtris.

℣. 11. ET IPSI VICERUNT EUM PROPTER SANGUINEM AGNI. Quam Fideles de Diabolo Ethnicisque infeſtiſſimis adverſariis retulerunt victoriam, ea non hominum virtuti, ſed merito Sanguinis Chriſti tribuenda eſt: tribuenda pariter ejus verbo, quod S. Spiritus eorum cordibus inſculpſit, & cui ſanguinis ſui effuſione teſtimonium illi reddiderunt, *Non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem;* vitam ſuam contempſerunt, adeo ut vel illam profundere non dubitarint,

℣. 12. VÆ TERRÆ, ET MARI (*n*), QUIA DESCEN-

(h) Græcus abſolutè: *Factum eſt prælium in Cœlo*, Latina quædam Exemplaria omittunt etiam *magnum*, Omittit quoque Primaſius. (i) *Dan.* XII, 1; X, 13, 21.

(k) Ὁ κατήγορος τῶν ἀδελφῶν ἡμῶν. *Omittunt Aldin. Colina. Eraſm. Edit. 3 priores.*

(l) *Job*, I, 6, 9, 11; *&* II, 1, 3. (m) *Zach.* III, 1, 2.

(n) Οὐαὶ τοῖς κατοικοῦσι τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν. *Alii*: Οὐαὶ τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ. *Ita Steph. a, 11, Baroc. Petav. 2, Hunt. 1, Cov. 2, alii, Vulg. Syr. Arab. Æthiop. Armen. &c.*

Digitized by Google

℣. 13. Et poſtquam vidit draco quòd projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.

℣. 14. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, a facie ſerpentis.

℣. 15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine.

℣. 16. Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo.

℣. 17. Et iratus eſt draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti.

COMMENTARIUS.

ſcendit Diabolus. Draco magnus ſuperatus quidem eſt, ſed non extinctus. E Cœlo decidit; & mulier, ſive Eccleſia, eo nequidquam repugnante, enixa eſt Filium maſculum, populum ſanctum, juſtum, tormentis & morte ſuperiorem. Hæc omnia ad tres illos annos & dimidium, ſive ad dies mille ducentos ſexaginta perſecutionis Diocletiani pertinent. Draco in terram projectus, majori in Chriſtianos irâ exarſit. Novit ille futurum, ut brevì totum Imperium ſuum deleatur; nec ignorat, Conſtantinum, qui Chriſti Regnum longe lateque promulgaturus eſt, Imperatoris titulum & dignitatem obtinuiſſe. Novis conatibus ignominiam ex hoſtibus acceptam depellere a ſe meditatur.

Profectò dum Conſtantinus pacandæ per Provincias ſibi ſubditas Eccleſiæ operam dabat, Maxentius in Italiâ, & Provinciarum Præſides in Oriente ſæviebant in Martyres; quibus vexandis necandisque feſſi, ad metalla damnandos, torquendosque variis diverſisque rationibus cenſuerunt. Ineunte anno 308, perſecutio incaluit, deinde deferbuit, ſtatimque iterum exarſit. Maximinus nunquam non ſæviit in Chriſtianos, nec niſi invitus anno 311 ſubſcripſit Edicto ſolemni, quod Maximianus Galerius, morbo cogente & morti proximus, Sardicæ promulgavit ad ſedandam perſecutionem (o). Subinde quidem Maximinus odium in Chriſtianos prodebat; ſed nulla palam indicta eſt perſecutio, & anno 312, coactus a Conſtantino & Licinio, promulgata ab illis pro Chriſtianis Edicta rata habuit. Ita factum eſt, ut Draco magnus tollere caput ſæpiùs tentans, tamdem profligaretur, & loco cederet.

℣. 14. DATÆ SUNT MULIERI ALÆ DUÆ AQUILÆ MAGNÆ, eaque avolavit in ſolitudinem, *ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium tempore*, ideſt tribus annis & dimidio. Inito anno 308, Maximinus in Oriente infeſtiùs quàm olim in Chriſtianos ſæviit usque ad annum 31., quo a Fidelibus non ſponte manum remiſit, excipiens Edictum Maximiani Galerii in urbe Nicomediâ publicè affixum. Eâ furente tempeſtate, Eccleſia aſſueta furori cedere, in ſolitudinem fugiens, ibi ſe continuit, dum pacis tranquillum rediret.

℣. 15. ET MISIT SERPENS EX ORE SUO POST MULIEREM AQUAM TAMQUAM FLUMEN. Cùm nec flammis, nec veneno nocere illi poſſet, nec eam lædere ferro & igne, ultimo tandem niſu in ejus perniciem aquarum fluvium ex ore evomuit. Apertâ vi in Chriſtianos ſævire non audens Maximinus, variis artibus pellere illos ex urbibus, prohibere ne cœtus agerent in cœmeteriis, ne loca ad cœtus cogendos ædificarent, ne denique publicâ quapiam actione Religionem profiterentur, adniſus fuit (p).

Sed fluvium hunc e draconis faucibus emiſſum (℣. 16.) *abſorbuit terra*. Imperatores tunc primùm opem Eccleſiæ etttulerunt. Conſtantinus & Licinius, uti animadvertimus, Maximinum coëgerunt Edicta promulgare letis a ſe Edictis conſentanea, & rei Chriſtianæ utilia. Maximinus temerè ſuſcepto in Licinium bello, ſuperatus eſt, coactusque ementitis veſtibus ſeſe proripere. Cùm in ditionem ſuam perveniſſet, animadvertit in Profanos Sacerdotes belli hujus ſuaſores, latoque palam Edicto Chriſtianis favit; quamquam nec ita Dei ultionem evitavit; ſævum quippe morbum ſubiit, quo vexante peccatum quidem ſuum agnovit, ſed crimen ſincerâ & genuinâ pœnitudine non expiavit (q).

℣. 17. ET IRATUS EST DRACO IN MULIEREM, ET ABIIT FACERE PRÆLIUM CUM RELIQUIS DE SEMINE EJUS; cum cæteris Eccleſiæ filiis, *qui cuſtodiunt mandata Dei*, quique vim præteritarum perſecutionum fortiter ſuſtinuerunt, nihilque deinceps aliud curant, niſi ut quieti in Eccleſiâ degant. Poſtremus iſte Draconis niſus denotat facilè Licinii perſecutionem, anno 310 motam, nec tempore, nec loco magnam; is enim imperium nonniſi in partem aliquam Provinciarum Orientis prorogabat, metuque Conſtantini continebatur. Primò quidem Chriſtianos domo ſuâ expulit (r); exilioque damnavit fideliſſimos ſibi ſubditos, & ad infimam ſervorum conditionem dejecit eos, quos ipſe ad ſupremas dignitates extulerat. Commercium omnium Epiſcoporum cum reliquis interdixit, & nequis generalis cœtus, nequa Synodus fieret, vetuit. Ne viri in Eccleſias ſimul cum mulieribus convenirent, cavit, & ne eò ſe conferrent fœminæ. Mandavit Epiſcopis, mulieres ne erudirent, ſed fœminæ fœminas inſtituerent (s). Adjecit, cœtus Chriſtianorum deinceps nonniſi ſub dio & in agro haberi.

Leges haſce contemni intelligens, in apertam perſecutionem erupit; quare lato edicto juſſit, ex urbanis militibus illos, qui juri dicundo præerant, exauctorari, niſi Diis immolarent. Chri-

(o) *Euſeb. lib. 8, cap. 17; & lib. 9, cap. 1; Lactant. de Morte Perſecut. cap. 33, 35.*
(p) *Lactant. de Morte Perſecutor. cap. 36; Euſeb. lib. 9, cap. 2 & 4 Hiſtor. Eccleſ.* Tillemont, perſécution de Dioclétien, tom. 5, chap. 42, pag. 104, 105. (q) Vide *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. IX, cap. 10; de Vitâ Conſtant. l. 1, c. 58, 59; & Lactant. de Morte Perſecutor. cap. 45, 46, 49.*
(r) *Euſeb. lib. X, cap. 8; & Vit. Conſtantin. lib. 1, cap. 52.*
(s) *Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. X, c. 8; & de Vitâ Conſt, l. 1, c. 53.*

℣. 18. Et ſtetit ſuper arenam maris.

COMMENTARIUS.

Chriſtianos plures rebus ſuis vel libertate ſpoliavit; alios ad infima & ſervilia redegit; alios exilio & ad fodinas damnavit (t). Denique furore creſcente audaciùs Eccleſiam invaſit in Epiſcopis, e quibus plures neci tradidit (u). Poſtremus hic Draconis ſibilus fuit. Licinius a Conſtantino armis petitus & ſuperatus fuit anno 323. Amiſit ille cum victoriâ Imperium, deinde vitam, quippe qui non diù pòſt Nicomediæ faucibus eliſis interiit. Atque hic exitus perſecutionum, quas Chriſtiani a Profanis Imperatoribus pertulerunt.

℣. 18. Et stetit super arenam maris. Draco captus fuit, arenâ obrutus, & cùm moveri non poſſet, dejectus victusque fuit Chriſtianorum conſtantiâ, quos ille vincere tum vafritie cùm ſævitate conatus eſt. Fortaſſe etiam denotare his voluit Apoſtolus Licinium, primò quidem prope Adrianopolim a Conſtantino ſuperatum; cujus deinde claſſis, ex ducentis navibus conſtans, partim quidem in ſcopulos alliſa periit, partim verò a Criſpo diſſipata eſt. Porrò Conſtantini claſſis nonniſi octoginta navibus conſtans, cxxx naves e claſſe Licinii corroſit. Licinius Byzantium ſe proripuit, ubi a Conſtantino obſeſſus eſt; ſed evadens inde, trajecto mari recepit ſe Calcedonem. Inſtitit fugienti Conſtantinus, prælioque commiſſo ſuperavit adverſarium, cujus exercitus e cxxx millibus vix ad triginta millia diminutus eſt. Venit inde Nicomediam, ubi iterum a Conſtantino obſeſſus, dedere ſe & Imperium abdicare coactus fuit. Denique poſt aliquot annos Theſſalonicæ laqueo eliſus periit. Eſt Theſſalonica urbs maritima, quo ſenſu Draco arenâ obruitur. Græcus (x) pro *ſtetit*, legit, *ſteti ſuper arenam*; quaſi de ſe Apoſtolus affirmet, poſt eam viſionem raptum ſe in ſpiritu ſuper arenam ſtetiſſe. Sed Vulgatæ lectionem tuentur Codex Alexandrinus, Syrus, Tichonius, Verſio Arabica, Editio Aldina. Lectio Græca optimè congruit cum conſequentibus, ubi Joannes emergentem e mari draconem marinum intuetur: Steti ſuper arenam maris, & vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem.

CAPUT XIII.

Beſtia ſeptem capitum & decem cornuum e mari proſilit, cum qua potentiam ſuam draco communicat. Unum ex ejus capitibus, quod mortuum videbatur, convaleſcit. Totus orbis draconem & beſtiam adorat. Illa bello cum Sanctis commiſſo ſuperat. Beſtia duobus cornibus agninis inſtructa univerſam terram in errorem trahit, quæ & vocem elicit ex imagine Beſtiæ, eamdemque imaginem omnes geſtant.

℣. 1. ET vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ET vidi de mari bestiam ascendentem. Tertia hæc imago eſt unius ejuſdemque perſecutionis a Joanne expreſſa. Is Capite xi obſcurâ quadam imagine innuitus eſt ſiniſtros Fidelium vexatorum eventus, ſub figurâ duorum teſtium, qui neci traditi, deinde in vitam reſtituti ſunt. Capite xii Principes Eccleſiæ adverſarii emblema gerunt Draconis ſeptem capitum & decem cornuum. Hîc capite xiii rem eamdem revocat ſub oculos imago marini monſtri, ſimilis draconi, de quo hactenus. Danieli pariter monſtrata ſunt magna Imperia (a) in quatuor monſtrorum e mari emergentium effigie. Alexandri ſucceſſores eidem Prophetæ ſub imagine cornuum exhibentur; quemadmodum hic marinum monſtrum capitibus ſeptem & cornubus decem inſtruitur. Ex his capitibus tria bicornia, reliqua, ut arbitror, unicornia erant. Singulis autem cornibus erat diadema, regiæ vel ſummæ poteſtatis inſigne.

E pelago emergens monſtrum eſt Romanum Imperium; ſeptem verò capita, totidem Imperatores, Eccleſiæ inimici; Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Maxentius, Licinius. Sunt qui (b) pro Severo, cujus Imperium breve fuit, ponant Conſtantium Chlorum, patrem Conſtantini, qui æquum ſemper animum erga Chriſtianos geſſit, ſed minoris erat authoritatis quàm ut defendere illos, ne in Provinciis ditionis alienæ vexarentur, poſſet; proindeque lata in Chriſtianos Edicta ejus nomen unà cum cæteris Imperatoribus præferebant, cogebanturque Chriſtiani Chlorum perinde atque Collegas adorare.

Decem cornua coronata, in capitibus ceteris micantia, totidem ſunt barbari Reges, Provincias ab Imperio avellentes, quas in Regna totidem erigebant (c); uti præſtitum conſtat a Perſis & Saracenis in Aſiâ, a Vandalis in Africâ, a Gothis in Hiſpaniâ, a Longobardis in Italiâ, a Francis & Burgundionibus in Galliâ, ab Hunnis in Pannoniâ, &c. Hæc eſt germana oraculi explicatio, uti perſpicuè patebit ex ℣℣. 12, 13, 14, 15, 16, 17, Capitis xvii.

No-

(t) *Vita Conſtant. lib. 2, cap. 20, 30, 31, 32.* (u) *Euſeb. Hiſt. lib. x, cap. 8; & Vitâ Conſt. lib. 1, cap. 56; lib. 2, cap. 1.* (x) Καὶ ἐστάθην ἐπὶ τὴν ἄμμον. *Alii plures*: Καὶ ἐστάθη, *&c.*
(a) *Dan. vii, 3, 4.* (b) *Boſſuetus hic.* (c) *Berengaud. in Cap. xvii; Boſſuet, Du Pin ibidem.*

℣. 2. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes ejus ſicut pedes urſi, & os ejus ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.

℣. 3. Et vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis ejus curata eſt. Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.

℣. 4. Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adoraverunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cum eâ?

COMMENTARIUS.

Nomina blaſphemiæ (d), inſcripta ſeptem capitibus, ſunt profana Idolorum nomina, quæ ex illis Imperatoribus quidam nominibus propriis adjiciebant. Diocletiano *Joviac*, ex Jove nempe ducta appellatio, placuit; Maximiano *Herculee* ſive *Herculiue*. Maximinus item Diocletiani imitatione *Jovius* dictus. Sed meliùs *nomina blaſphemiæ* tribuuntur edictis ſive in Chriſtianos, ſive ob confirmandam Gentilium ſuperſtitionem latis. Conferenda ſunt hæc cum Capite XVII, ut alterum ex altero illuſtretur. Joannes per ſe illud explicat.

℣. 2. BESTIA, QUAM VIDI, SIMILIS ERAT PARDO. Pardus animal eſt variè maculoſum, ſævum, vafrum, peroix; figura inconſtantiæ. In Daniele (e) denotat Alexandrum Magnum, hominem vitiorum laudumque miſtione varium, acerrimum rapidumque in expeditionibus. Beſtia, quam Apoſtolus ſpectavit, pedibus urſo, capite vel rictu leoni ſimilis erat, quibus & robur & ſævities exprimebantur. In ſe una colligebat proprietates quatuor animalium Danielis (f), quartamque ejuſdem Prophetæ (g) belluam referebat; cui tamen ille nullam peculiarem figuram tribuit, ſed terribilem nuncupat, mirabilem, ſævam & a cæteris tribus beſtiis planè diverſam. Romanum Imperium tria maxima Imperia in ſe collegerat, Caldæorum nempe, Perſarum & Græcorum; vel ſaltem continebat omnia, quæ veteres illi Imperatores cis Euphratem poſſederant; ſeptemque Imperatores, potiſſimum oraculi hujus argumentum, diſtinguebantur notis omnibus, quæ in Nabuchodonoſore, Cyro, Alexandro, a quibus Imperia a Daniele deſignata condita ſunt, conſpiciebantur.

Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis notavit in Imperatoribus Maximiano Herculio, Galerio Maximino, & Diocletiano ingenium ac naturam trium animalium, quæ in beſtiâ agnoſcebantur. *Pardo* deſcribitur Maximianus, verſutus, inquietus, ſævus; *urſo* Galerius Maximinus vir e borealibus veniens; ferus, ore truci, procero corpore & deformi (h). Hunc delectatum fuiſſe urſis, ſibi paribus magnitudine, & feritate, Lactantius eſt author (i). Denique leone Diocletianus, ſævo ingenio, & in Chriſtianos infenſiſſimus.

DEDIT ILLI DRACO VIRTUTEM SUAM, ET POTESTATEM MAGNAM. Eadem ſemper recurrit poteſtas, quæ Eccleſiam inſectatur, ſive hæc Dracone, ſive marinâ belluâ exprimatur. Unus idemque Dæmon eſt, qui Profanos Imperatores efferavit, quemque hoc & ſuperiori Capite S. Spiritus deſignavit.

℣. 3. VIDI UNUM DE CAPITIBUS EJUS QUASI OCCISUM. Collatâ hac ſententiâ cum ℣. 10 Capitis XVII, qui veluti clavis & explicatio hujus eſt (k), diſcimus, ſeptem hiſce capitibus Imperatores ſeptem, ſingillatim perituros, deſignari. Primo ſtatim quinque intereunt. Ex omnibus hiſce Tyrannis unus aliquandiu ſuperfuit Maximinus, quo Eccleſiam Orientalem infeſtante, reliqua per Imperium quieſcebant. Cadente ſexto capite, ſeptimum in Licinio ſurrexit; ſed non diu ſtetit, ut Capite XVII, 10. dicitur. Solus hic ex Eccleſiæ inimicis manſit, ſublatis Diocletiano, Maximiano, Galerio, Maximino, Severo, & Maxentio. Denique eodem Capite XVII, 11, ventura prænunciatur *octava* beſtia, *quæ de ſeptem eſt*; quibus facilè denotatur Julianus Apoſtata, tyrannorum Eccleſiam laceſſentium religionem & odium in Chriſtianos imitatus. Sub eo Principe vaticinia, de quibus tum hoc tum ſequentibus membris, implenda erant.

ET PLAGA MORTIS EJUS CURATA EST. ET ADMIRATA EST UNIVERSA TERRA (l). Beſtia, quæ Conſtantino & Conſtantio Principibus extincta videbatur, ad vitam Juliano imperante rediit. Majori enim ille quam Prædeceſſores ſtudio Religionis Profanæ tenebatur; quo & proſtratas ejus res reſtituere aggreſſo, *admirata eſt omnis terra*, ad mutationem inopinam. Gentiles, rati nunquam e ruinâ Religionem ſuam ſurrecturam, ceu divinum prodigium admirati ſunt patrocinium, quo Julianus miſeram fovit. *Univerſa terra* ſecuta eſt beſtiam; Gentiles nempe omnes novo ſtudio ad idola procurrerunt; inclinantemque in illa Principem mali complures Chriſtiani ſecuti ſunt. ℣. 4. Tunc ingens populorum concurſus factus eſt, *& adoraverunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ*, ipſamque pariter *beſtiam adoraverunt*. Solemne olim fuit, Imperatorum imaginibus ſacrilegum cultum & honorem exhibere. Fideles obſequium aliquod, quantum Religio permittebat, imaginibus illis non denegabant. Igitur ut invitos imprudentesque ad idololatriam traheret Julianus, pingendum ſe cum appoſitis Numinibus curavit (m), ut ſimul civilis honor ſibi, impius Numinibus daretur. In nonnullis ex his imaginibus Jupiter e nubibus prodiens diadema ejus capiti imponit: in aliis Mercurius & Mars Juliani lateribus adſiſtunt, oculis in illum verſis, quaſi

bello

(d) *Nomina blaſphemiæ. Græc. Nomen blaſphemiæ*, Ἐπὶ τὰς κεφαλὰς αὐτοῦ ὄνομα βλασφημίας. *Alii plures*: Ὀνόματα βλασφημίας. *Ita Steph.* α, ιε, *Beroc. Cov.* 2, *Valg. Syr. Arab. Areth. Seidel. &c.* (e) *Dan.* VII, 6. (f) *Dan.* VII, 4, 5, 6. (g) *Dan.* VII, 7.

(h) *Lactant. de Morte Perſecut. cap.* 9. (i) *Lactant. de Morte Perſecut. cap.* 21.

(k) *Apoc.* XVII, 10, 14.

(l) Καὶ ἐθαυμάσθη ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ὀπίσω τοῦ θηρίου. *Alii*: Ἐθαυμάσθη ὅλη ἡ γῆ. *Alii plures*: Ἐθαύμασεν ὅλη ἡ γῆ. *Ita Valg. Syr. Arab. Areth. Iren. Editi aliquot Mſſ. non pauci.*

(m) *Nazianz. Orat.* 3, *pag.* 83; *Sozom. lib.* 5, *cap.* 17.

℣. 5. Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias: & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.
℣. 6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in Cœlo habitant.
℣. 7. Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.
℣. 8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram: quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.
℣. 9. Si quis habet aurem, audiat.

COMMENTARIUS.

bello æquè & ſcientiis excellere illum demonſtrent. Simulacra etiam ſibi & uxori ſub effigio Apollinis & Dianæ poni juſſit (n). His veluti laqueis Fidelium complures decepit.

Dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum eâ? Tunc Gentiles jactitabant, Romanam Religionem invictam eſſe, cùm longè adeò proſcripta poſtliminio rediiſſet: Inſultabant Chriſtianis, ſimulque Conſtantino & Conſtantio Imperatoribus; ac denique in Deum & Jeſum Chriſtum convicia evomebant.

℣. 5. Datum est ei os loquens magna, et blasphemias. His notis Julianus ad vivum pingitur, qui vanitatem ſuam, quacumque oblatâ occaſione, oſtendebat. Spectare id licuit præſertim in Satyrico, quo Imperatores præteritos proſcidit. Populi ſavorem & laudes adeò expetebat, ut nullis ſaturaretur (o); omniaque laudis causâ feciſſe admirator ejus Libanius fatetur (p). Ad blaſphemias in Chriſtum & ad profanam Religionem quod attinet, ipſi pariter Scriptores Profani (q) ſollicitudinem ejus nimiam erga ſuperſtitiones, & ſumptus in Sacrificiis immodicos, ac denique ſævitiam in Chriſtianos damnavere. Fertur, cùm moriturus ex vulnere decumberet, fluentem eruorem manu hauſiſſe, & in aërem ſparſiſſe, his verbis: *Viciſti, Galilæe* (r). Tradit Philoſtorgius (s), illum jactaſſe eruorem in ſolem, ſimulque clamaſſe: *Satiare: tu, ſol, Julianum necas* (t). Fama eſt etiam, illum Diis ſuis, proditores impioſque appellantem, maledixiſſe (u).

Data est ei potestas facere menses quadraginta duos; ideſt, bellum agendi menſibus duobus & quadraginta, ſeu diebus mille ducentis ſexaginta, vel tribus annis & dimidio; eadem enim ſemper dierum, menſium, & annorum periodus recurrit; ac ſi peculiari providentiâ Deus intra id ſpatium deſinire voluerit infeſtationes Antiochi Epiphanis in Judæos (x), Diocletiani (y), Maximini in Oriente (z), Licinii (a), ac denique Juliani Apoſtatæ in Chriſtianos. Si animum adverteris, intelliges utique, ſingulas haſce perſecutiones pari fermè temporis ſpatio perſeveraſſe. Julianus ſalutatus eſt Auguſtus Lutetiæ Pariſiorum circa ver anni 360: agnitus verò in ſummum Imperii moderatorem poſt obitum Conſtantii, qui anno 361, die 3 Novembris, fatis ceſſit. Deſiit anno 363, die 27 Junii. Itaque regnavit anno uno & ſeptem vel octo menſibus; ſed Auguſti dignitatem tribus annis & dimidio tenuit. Toto hoc tempore belli in Eccleſiam gerendi poteſtatem obtinuit. Illud equidem apertâ vi inferre nonniſi biennio circiter auſus fuit; ſed jam inde ab uſurpato Auguſti titulo adverſùs Conſtantium, unicum legitimum Imperatorem, male animatus erat in Sanctos, & in Eccleſiam, (℣. 6.) fœdaque multa, clam licèt, in Deum, in Chriſtum, & in Sanctos evomebat. Per noctis ſilentium Idola venerabatur, cùm per diem Chriſtianorum Eccleſias Chriſtum veneraturus palam ingrederetur (b). Apoſtaſiæ auſpicio, baptiſmi characterem ſacrilegis ritibus utcumque abolere conatus eſt (c); nam Taurobolii ſacrificio, quod Regenerationis a Paganis dicitur, clam expiandum ſe tradidit. Porrò in Taurobolio taurus immolabatur, fluenſque ex eo eruor, per ſuppoſitum perforatumque aſſerem manans, totum rigabat hominem, in ſubjectâ foveâ collocatum (d).

℣. 7. Data est illi potestas in omnem tribum, et populum (e), et linguam. Poteſtas ejus aucta eſt. Ex Cæſare enim Auguſtus, invito licèt Conſtantio; eodemque mox defuncto, ſolus imperavit. Quod in Eccleſiam concitavit bellum, univerſale fuit. Cùm autem ingenium Chriſtianæ Religionis planè noſſet, a ferâ illâ præteritorum Imperatorum crudelitate abſtinuit; ſed fatigandam cenſuit Fidelium patientiam lentis ſubdoliſque vexationibus, deriſionibus, inſultibus, conviciis, quibus Jeſum Chriſtum, Beatam Virginem, & Apoſtolos impetebat.

℣. 8. Adoraverunt eam omnes, qui habitabant terram. Vide ſupra, ℣. 4. Julianum perinde ſuſpiciebant Gentiles ac Numen aliquod, ad opem ſibi ferendam lapſum; habendumque ſe ille pariter ceu filium ſolis, vel ſaltem ejus amicum, curavit (f). Cultum igitur neſcio quem obtinuit, ſeu potiùs veros adoratores Idolis procuravit; ſed quoſnam? illos, *quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni*; ideſt, Gentiles, & peſſimos Chriſtianos, qui ſolo quidem corpore in caulâ Eccleſiæ erant, ſed ex parvo grege prædeſtinatorum non erant; quos totos occupabat amor ſæculi, & ambitio; ſeu quos nimius pœnarum metus ad abjiciendum Chriſtum, colendamque be-

(n) *Codin. Origin. Conſtantinopol. pag. 97.*
(o) *Ammian. lib. 25, pag. 291, 294.* (p) *Liban. Orat. 12.*
(q) *Eutrop. pag. 580; Themiſt. Orat. 5; Ammian. lib. 22 & 25.*
(r) *Theodoret. lib. 3, cap. 20 Hiſt. Eccleſ. Sozomen. lib. 6, cap. 2.*
(s) *Philoſtorg. pag. 205; Sozomen. pag. 638.* (t) *Chronic. Alex, pag. 692.* (u) *Philoſtorg. pag. 205.*
(x) *Dan. xii, 7.* (y) *Apocal. xi, 3, 11.* (z) *Apoc. xii, 14.* (a) *Apoc. xii, 17.*
(b) *Vide Nazianz. Orat. 3.* (c) *Nazianz. Orat. 3, pag. 62.* (d) *Vide Prudent. Hym. de Martyrib.*
(e) Græcus omittit *populum*: at hanc vocem ſervant Codices permulti, Verſioneſque Orientales.
(f) *Julian. in Cæſarib. in fine; Libanius, orat. 21, 12; Socrates, lib. 3, cap. 23.*

℣. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc eſt patientia, & fides Sanctorum.

℣. 11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terrâ, & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco.

COMMENTARIUS.

beſtiam pertraxerat. Fertur Julianus complures e militari profeſſione in errorem traxiſſe (g).

Ait hîc Apoſtolus de Agno: *Qui occiſus eſt ab origine Mundi*; quæ ſententia variè explicatur. Sunt qui (h) ſyntaxim hujus verſiculi ſic inſtruant: *Quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine Mundi in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt.* Hæc explicatio maximè prona eſt, cui favet ipſe Joannes infra, XVII, 8, ubi de incolis terræ ait: *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ a conſtitutione Mundi.* Profectò hyperbaton, ſeu tranſpoſitio ex ingenio Scripturæ eſt.

Alii ſic (i): *Agnus, qui occiſus eſt ab origine Mundi*; non re quidem; nam Paulus docet (k), Chriſtum *frequenter paſſum* non eſſe *ab origine Mundi*, *Sed*, addit, *ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati..... Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Igitur ab origine mundi immolatus eâ tantummodo ratione affirmatur, quòd ejus paſſio & mors jam inde ab æternitate decreta fuerit, quamquam nonniſi in exitu ſæculorum impleta; ſive idcirco occiſus eſt ab origine mundi, quòd mortis ejus meritum cum Sanctis mundo coævis communicatum fuerit (l); ſive demum idcirco, quòd immolatus fuerit in vetuſtis ſacrificiis, quæ Patriarchæ & Sacerdotes Aaronici obtulere, quæ Sacrificii a Chriſto pro peccatis noſtris offerendi typus & imago erant (m). Omnibus hiſce nominibus immolatus a Mundi origine meritò dicitur.

℣. 10. QUI IN CAPTIVITATEM DUXERIT, IN CAPTIVITATEM VADAT. Utile monitum tyrannis & impiis: *Diſcite juſtitiam moniti*, Qui habet aures audiendi, audiat. Principes, qui Eccleſiam vexarunt, ſive ſtricto gladio, ut Maximinus, Diocletianus, Galerius; ſive ejus diſperſionem & captivitatem voluere, uti Licinius & Julianus, Dei vindicis ultione pro merito punientur. Narratum eſt ſupra, quâ ratione ex his Principibus plerique interierint; alii gladio, ut Julianus; alii laqueo, ut Licinius; alii torminibus & conſcientiæ deſperatione. Ea tantùm commemoro, quæ illi a Deo vindice mala in hac vitâ tolerarunt. Alterius ſeveritatis erunt, quæ illos in alterâ manent. *Hic eſt patientia, & fides Sanctorum.* Diem claudunt in ſpe æternæ beatitudinis, certique pariter de Juſtitiâ Numinis, quæ tantam adverſariorum ſuorum crudelitatem inultam non ſinet.

℣. 11. VIDI ALIAM BESTIAM ASCENDENTEM DE TERRA. En novos Eccleſiæ adverſarios. Non hîc agitur de nece, exilio, bonorum ſpoliatione, cædibus, aliiſque, quibus Draco Eccleſiam afflixit: nunc enim res eſt de argumentationum aculeis, inanibus prodigiorum & virtutum ſpectris, quæ opponebantur ſcriptis & argumentis Apoſtolorum, cæterorumque Chriſtianæ Religionis defenſorum; prodigiis item & virtutibus Chriſti ejuſque Diſcipulorum. Porphyrii & Hieroclis celebre nomen eſt odio, quo Fideles ſub Diocletiano inſectati ſunt. Hierocles acerrimè omnium concitavit Diocletianum in Chriſtianos (n). Quin & calamum in illos acuit anno 303, perſecutionis primo. Ejus librum Euſebius confutavit ſcripto, quod ad nos uſque tranſmiſſum eſt (o). Adverſarii iſti verbis Draconis loquebantur, & Dæmone Magiſtro profecerant.

Sub idem tempus Scriptorem alium Nicomediæ ſurrexiſſe, tribus libris Chriſtianos adortum, Lactantius eſt author (p). Erat is Philoſophiâ clarus, ſed vitæ ejus ratio a Philoſopho abhorrebat. Ejus Opus vel ipsâ, qua prodiit, ætate neglectum intercidit. Porphyrio plus erat ingenii & philoſophici acuminis, quàm reliquis ejus ætatis Eccleſiæ adverſariis; adeoque validiſſimè omnium Chriſtianos laceſſivit. Ejus opus in Libros quindecim diſtinctum hodie quidem intercidit; at ex fragmentis quibuſdam apud Patres ſervatis diſcimus, quàm multis illud calumniis, maledictis & conviciis ſcateret. Ipſe pariter Julianus Imperator numerum auxit eorum, qui Chriſtianos ſcriptis argumentiſque laceſſiverunt (q). Ejus liber periit; at ſuperſtes eſt S. Cyrilli Alexandrini refutatio, qua is e veſtigio premitur & refellitur. Res illi potiſſimùm cum Chriſti Divinitate fuit.

Juliani aula Philoſophis, Magis, perditiſque hominibus frequentabatur, quibus nemo in Chriſtianos infenſior, impoſtores, venefici, vanitate & ambitione (r) intolerabiles. Id genus hominum ſtudioſiſſimum erat Apollonii Thyanæi, quem Jeſu Chriſto æquare & præferre etiam ob præſtigias, quibus ille incautos fefellit, auſi ſunt. Quin & in Deorum cenſum, vel ſaltem virorum inſigni ſanctimoniâ præſtantium, referre illum non dubitabant.

Maximus Philoſophus Cynicus & Magus, plurimi a Juliano habitus, ab eo in exordio Imperii accitus venit, ejuſque conſiliis Imperator plurimùm deferebat. Eo fortaſſe authore Julianus Eccleſiæ diſciplinam in Ethnicorum mores inducere aggreſſus eſt. Idcirco publicas Scholas in Urbibus, hymnorum modulationem alternantibus choris, publicas pro graviſſimis criminibus afflictationes, & catecheſes inſtituere meditabatur. Statuit & pro ægris ac peregrinis hoſpitia, pro puellis cælibem vitam agentibus parthenopæa. Simiam Religionis Chriſtianæ meritò illum dixeris. *Habebat cornua duo (s) ſimilia agni*; ſed facilè fraudem detegas, nam *loquebatur ſicut Draco*. Clementior quidem cæteris videbatur, cùm re

ipsâ

(g) *Nazianz. Orat. 3, pag. 75.*

(h) *Andreas, Arethas, Ticonius, Ambroſiaſt. Beda, Ribera, Alcazar. Cluver. Eſt. Para. Grot, Gatak. Cnatchbull. Colomiez. Caſtal.*

(i) *Ita Hugo, Gagna. Valentin. Vaſquez, apud Cornel. hic.* (k) *Hebr. 12, 25, 26, 27.*

(l) *Confer Act. XV, 11, 18; Galat. III, 17. Para. Cluver.*

(m) *Berengaud. Anſelm. Ansbert. Thom. Viegas, &c.*

(n) *Lactant. de Morte Perſecutor. cap. 16; Inſtitut. lib. 5, cap. 2.* (o) *Euſeb. contra Hieroclem.*

(p) *Lactant. Inſtit. lib. 5, cap. 2.* (q) *Vide Hieronym. Ep. 84; & Cyrill. in Julian.*

(r) *Vide Chryſoſt. in Gentes, pag. 676; Nazianz. Orat. 4.*

(s) Εἶχε κέρατα δύο, *Quidam omittunt, duo. Ita Steph. α, 11, 18, Baroc. Pet. 2, Hunt. 1, Sin. Areth.*

℣. 12. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus: & fecit terram, & habitantes in eâ, adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis.

℣. 13. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.

℣. 14. Et ſeduxit habitantes in terrâ, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terrâ, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.

℣. 15. Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ: & faciat ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.

COMMENTARIUS.

ipsâ impietate & nequitiâ omnibus præſtaret.

℣. 12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Julianus ſolus imperabat, totamque exercebat poteſtatem, quam Draco ſeu beſtia ſepticeps in Chriſtianos armaverat. Minas omnes, blanditias, argumenta, ſævitiam eamdem, quam ſeptem Tyranni, de quibus ſupra, in illos adhibuit. Quamquam ingenium ad moderationem componebat, ingens tamen Martyrum turba eo rerum potiente cæſa eſt. Non raros bonis & dignitatibus exuit; quin & pejora meditabatur, cùm e mortalibus Deo revocante diſceſſit (t).

Facit terram adorare bestiam primam. Juliano Principe, idololatria dominabatur, & beſtia ſepticeps, quæ lethali vulnere ſauciata ceu mortua ſub Imperatoribus Conſtantino & Coſtantio jacuerat, reſumpto ſpiritu viſa eſt convaluiſſe.

℣. 13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de Coelo descendere. Diu ante quàm Julianus apertè Chriſtianos inſectaretur, totum ſe dedit magicis artibus magicorumque Magiſtris, a quibus tum præſtigiis tum inani prodigiorum ſpecie deceptus eſt. Scripta omnia Jamblici, Porphyrii, cæterorumque (u) plurimi a Juliano habita, referta ſunt fraudibus & præſtigiis, quas ſimplices ceu miracula perbibebant. Ex perſonatis hiſce ævi illius prodigiis, ne mortuorum quidem reſurrectione exceptâ, plura refert Eunapius (x) in Vitis Porphyrii, Maximi, Chryſanii, aliorumque ejus temporis Magorum. Cùm Julianus in Aſiâ verſaretur, diu ante quàm Chriſtianam profeſſionem abjiceret, nactus ibi eſt celebres ætatis illius Philoſophos & Magos, inter quos cæterorum ſui temporis facilè principi Maximo potiſſimùm aſſuevit.

Euſebius Edeſii Diſcipulus, gloriæ Maximi ſtudioſus, ſeu potius temnere ſe illum ſimulans, ad acuendum in Juliano quærendi viri deſiderium, Imperatorem conveniens narrabat, Maximum eſſe impoſtorem, qui rebus indignis delectaretur; adjecitque, illum aliquando, modico thure & verbis quibusdam adhibitis, riſum ex ſimulacro Hecates expreſſiſſe; tum eo pollicente accenſurum ſe extinctas faces in ejus ſimulacri manibus, ſtatim improviſo lumine faces arſiſſe. Nec pluribus opus fuit ad capiendum Juliani animum, qui dictitans, nactum ſe aliquando quem ipſe quæreret, accito Maximo totum ſe permiſit (y). Hæc ſatis ad aſſerendam fidem Apoſtolo prænuncianti, editum iri a beſtiâ prodigia, ad fallendos Gentiles, trahendosque in cultum ſuum incautos opportuna.

℣. 14. Dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ. Supra, ℣℣. 4 & 8, narravimus, Julianum perinde ac reliquos Profanos Imperatores, divinos ſibi honores unâ cum Numinibus, quorum in medio ſeſe pingi curabat, uſurpaſſe. Apud Romanos ſolemne erat, thure & libationibus Imperatorum imaginibus ſupplicare (z), ac perſæpe vis Martyribus illata eſt, ut Diis & Imperatoribus ſacra facerent (a), & per Imperatorum genium jurarent. Conſtantinus, ut populi & militum obſequium erga *Labarum*, Romanorum auguſtiſſimum inſigne, conſecraret, Crucem in eo pingi cum monogrammate *Chriſti* (b) curavit. Sed utrâque re ſublatâ, Julianus Labarum in priſtinum reſtituit (c), eo conſilio, ut eo nihil niſi profanum exhibente, nec ſolemne obſequium illi impendi citra diſcrimen idololatriæ a Fidelibus poſſet, nec omitti citra offenſam Principum, ac ſupremorum Ducum & Magiſtratuum animadverſionem, qui læſam eo neglectu Imperii majeſtatem reputabant.

℣. 15. Ut daret spiritum imagini bestiæ. Julianus cum aſſeclis Magis collapſam oraculi Apollinis cæterorumque Numinum famam reparavit. Nihil iis inconſultis aggrediebatur (d). Sacerdotum dolo verba ex illis expreſſa fuiſſe oportet, cùm data Juliano reſponſa narrentur. Deorum oraculo monitum Imperatorem fuiſſe, ipſum victis Perſis interiturum, affirmat Libanius (e), laudans quòd mortem accelerare, quàm ſperatam ex eâ expeditione gloriam retardare maluerit. Ejusdem argumenti oraculum aliud illi datum Suidas recitat (f). *Dare ſpiritum imagini beſtiæ*, dictum eſt ex vulgi opinione, putantis, Deos vitam indere ſimulacris, quibus vel Sacerdotum fraus, vel ſubdola Dæmonum nequitia oracula tribuebat. Delphici Apollinis oraculum, prope Antiochiam, quod corporis S. Babylæ Martyris ibi ſepulti vim ſentiens obmutuerat, Julianus amotis reliquiis ſolvit reſtituitque (g).

Et faciat, ut quicumque non adoraverit imaginem bestiæ, occidatur. Hanc poteſtatem habuit, & executioni mandavit ſanguine Martyrum, qui ſub eo paſſi ſunt. Fertur (h) Numi-

(t) *Nazianz. Orat. 3. pag. 94; & Sozom. lib. 5, cap. 18.*
(u) Vide Boſſuetum hic, & Ammianum Marcellinum, *l. 23, 24, 25.*
(x) *Eunap. in Porphyr. Ædeſ. Maxim. Proæreſ. Chryſant.* (y) *Eunap. in Maxim.*
(z) *Plin. lib. x, Ep. 97.* (a) *Vide Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib. 7, cap. 11.*
(b) *Euſeb. Vit. Conſtant. lib. 1, c. 31.* (c) *Sozom. l. 5, c. 17; Nazianz. Orat. 3.*
(d) *Theodoret. l. 3, c. 10.* (e) *Liban. Orat. pro Templis Gentil.* (f) *Suidas in Julian.*
(g) *Sozom. lib. 5, cap. 19.* (h) *Sozom. lib. 5, cap. 18; Nazianz. Orat. 4, p. 114, 124; Theodoret. lib. 3, cap. 16.*

℣. 16. Et faciet omnes puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis.

℣. 17. Et ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.

℣. 18. Hîc ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt: & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.

COMMENTARIUS.

minibus ſuis devoviſſe Sanguinem Chriſtianorum, ſiquidem victor e Perſicâ expeditione rediret. Spoponderat inſuper, collocaturum ſe in Templis turpe Veneris ſimulacrum; &, ſiqua fides Oroſio *(i)*, juſſerat ædificari Hieroſolymis amphitheatrum, in quo Epiſcopos, Monachos, cæteroſque regionis illius Fideles exponeret. Addebat crudele quoddam dicterium, ſe citò bellum Perſicum conficere velle, ut curam omnem ad perdendos Chriſtianos converteret *(k)*. Apoſtolus hîc de more ſolemni Prophetarum ait, factum iri a Juliano, quod ille facere decrevit, ac per ipſum non ſtetit quin efficeretur.

℣. 16. FACIAT OMNES PUSILLOS ET MAGNOS .... HABERE CHARACTEREM IN DEXTERA AUT IN FRONTIBUS. Spectatur hîc ab Apoſtolo mos ſolemnis Gentilium geſtandi ſive in manuum juncturis, ſive in fronte nomen ſive emblema aliquod Dei illius, cui devovebantur. Ita in tertio Machabæorum Libro *(l)* narratum eſt, Philopatoris juſſu Iſuri folium impreſſum fuiſſe manibus eorum, qui parêre juſſionibus ejus recuſarent. Stigma illud ſibi quoque inſcripſit Philopator; eodemque inurebantur Galli *(m)*, falſorum Numinum Sacerdotes. Diſcimus ex Luciano *(n)*, Aſſyrios Deæ Syræ emblemate inuſtos fuiſſe; id quod præſtari conſueviſſe compunctâ ignitis acubus in certam figuram cute, ex Prudentio colligimus *(o)*:

Quid cùm ſacrandus accipit ſphragitida,
Acus minutas ingerunt fornacibus.
His membra pergunt urere; utque igniverint,
Quamcumque partem corporis fervens nota ſignaverit,
Hanc ſic conſecratam prædicant.

In Oriente mancipia inuſto fronti ſtigmate diſtinguebantur; quem morem Romani erga unos tantummodò fugitivos ſervabant. De militibus hæc tradit Vegetius *(p)*: *Puncturis in cute punctis ſcribuntur milites.*

Cùm igitur mortales omnes ſtigma beſtiæ geſtare coacti dicuntur, ab Apoſtolo nihil aliud exprimitur, niſi quod Julianus pro viribus adniſus eſt, & majora præſtare decrevit, ut ſubjectos ſibi populos ad cultum Idolorum publicamque profanæ Religionis profeſſionem pertraheret.

℣. 17. ET NE QUIS POSSIT EMERE AUT VENDERE, niſi ſtigmate inuſtos, & niſi admiſsâ idolatriâ. Docet Theodoretus *(q)*, Julianum exemplo Diocletiani *(r)* fœdis ſacrificiis fontes omnes Antiochiæ & Daphnes polluiſſe, ut hauriri aquas, niſi admiſſa profanis ſacrificiis cum eâ admiſtis, minimè poſſet. Nec aliter fieri curavit in pane, carnibus, fructibus, herbis, & cibis reliquis; quæ omnia non priùs vendi, quàm luſtrali idolorum aquâ aſpergerentur, juſſit. Nec

tamen eâ religione abſterrebantur Fideles, quin vitæ neceſſaria emerent, edocti ab Apoſtolo *(s)*: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.*

℣. 18. HIC SAPIENTIA EST. QUI HABET INTELLECTUM, COMPUTET NUMERUM BESTIÆ..... NUMERUS EJUS SEXAGINTA SEX. Quæ primùm ſe Apoſtolo intuenti obtulit, quæque per totam viſionis hujus ſeriem perſeveravit beſtia, Draco ſepticeps eſt *(t)*. Altera quæ poſt Draconem prodiit beſtia ſepticeps *(u)*, poteſtatem ſuam ab illo obtinuit, eidemque demum Draconi ſucceſſit beſtia altera duobus agni cornibus *(x)* inſtructa, quæ Draconis ingenium ac mentem accepit. Prioris fortaſſe belluæ compendiarias notas Apoſtolus dedit. Hanc autem beſtiam *Diocletianum* eſſe, fusè demonſtravimus. Nomen illi ante imperium *Diocles* fuit *(y)*; cui ſi *Auguſti* titulus addatur, perſpicuè numerus 666 prodibit, inſpectis literis numeralibus Latinorum, cùm de Latino Imperatore agatur. Eſt autem numerus ita expreſſus, DICLVVV.

D	500
I	1
O	0
C	100
L	50
E	0
S	0
A	0
V	5
G	0
V	5
S	0
T	0
V	5
S	0
Summa	666.

Hæc Boſſueti Epiſcopi Meldenſis explicatio eſt, quam aliis variorum præferimus. Cl. de la Chetardie ex numero 666 exſculpit C. F. JULIANUS CÆSAR ATHEUS, ſive ANTICHRISTUS, cujus literæ numericæ ſunt IↃCLVVVI. Legendum maluerim, ut in nummis & lapidibus: C. F. JULIANUS CÆS. AUG. quas literas ſimul junctas in hanc ſyntaxim IↃCLXVI expreſſas, eumdem numerum reddere certum eſt. Sed mihi maximè probatur, beſtiæ numerum quæſitum eſſe ab Apoſtolo in Græco beſtiæ ejuſdem nomine; nam Græcè Liber iſte ſcriptus eſt. Vide Diſſertationem noſtram de Antichriſto, Art. 3.

Veteres de Antichriſto hæc omnia interpre-

(i) *Oroſ. lib. 7, cap. 30.* (k) *Chryſoſt. in Julian. pag. 604.*
(l) 3 *Mac.* III, 27, 28. (m) *Vide Etymologic. in* Γάλλος.
(n) *Lucian. in Deâ Syr.* Στίζονται οἱ πάντες. (o) *Prudent. Hymno* X. *Vide Grot. hic, & Hamm. &c.*
(p) *Veget. lib. 1, cap. 8; & lib. 2, cap. 5.* (q) *Theodoret. lib. 3, cap. 11 Hiſt. Eccl.*
(r) *Lactant. lib. de Morte Perſecutor. c. 15.* (s) 1 *Cor.* X, 25. (t) *Apoc.* XII, 3.
(u) *Apoc.* XIII, 1, 2. (x) *Apoc.* XIII, 11, 12.
(y) *Lactant. de Morte perſecutorum, cap. 9, & 19.*

tati, ejus nomen in eo numero indagarunt (z). Plerique legerunt *Lateinos* (a), quòd numeralibus Græcorum notis reddit numerum 666. Grotio placet *Oulpios*, quod Trajani prænomen eſt; ſed reliqui beſtiæ characteres cum Trajano non congruunt. Præterea in mentem vix inducimus, illum ab Apoſtolo deſignari ex prænomine potiùs, quàm ex nomine. Adde, quòd nomen Græcum *Oulpios* ad exactam grammaticæ legem hunc numerum non reddit (β). Maluerunt alii (γ), eo numero non compendiarium beſtiæ nomen, ſed tempus, intra quod ea proditura erat, exprimi. Sed quod perindi hujus annorum 666 exordium, qui exitus? non conveniunt. Aliis ſuccurrit (δ), nomen beſtiæ pro ejus auctoritate hic uſurpari, eamque auctoritatem nonniſi anno 666 cœpiſſe.

E Proteſtantium ſectâ Scriptores, qui ex Papâ & Romanâ Eccleſiâ Antichriſtum effingere nituntur, variis certatim excogitatis, componere hæc cum opinione ſuâ laborant. Ex his quidam cenſent, Regnum ejus, quem Antichriſtum appellant, ſub Phoca anno 606 cœpiſſe. Alii antevertunt. Vir doctus mihi notus exitum annorum 666 ſub Barcocheba conſtituit. Porterus, qui de hoc argumento disputavit, algebram totam & arithmeticam excuſſit, ut demonſtraret primò, numerum beſtiæ, nempe 666, congruere cum menſurâ Templi cubitorum 144, de qua infra, xxi, 17. Secundò, radicem numeri 544 eſſe 12, & radicem 666 eſſe 25. Tertiò, quemadmodum in cœleſti Hieroſolymâ, ſive in Eccleſiâ, numerus duodenarius ubique conſpicitur, duodecim Apoſtoli, duodecim Tribus, duodecim Fidei articuli, duodecim millia ſtadiorum, duodecim fructus, duodecim fundamenta; ita & in Româ Antichriſtianâ (ita Romam, Catholicæ Unitatis centrum, appellant) cernere licet portas quinque & viginti, totidem Cardinalium titulos, totidem pariter Fidei articulos, Altaria in Templo S. Petri viginti quinque, Urbis ambitus ſtadiorum millia viginti quinque, &c. Miſeret me hominis, ac miror Henricum Morum, & Joſephum Medum tantis laudibus inane hoc commentum celebraſſe. Fac in Româ veteri & novâ numerum vigintiquinque ſæpe adeo recurrere, uti Porterus opinatur, quod tamen falſum eſt; quid inde? Num rectè colligas, Papam eſſe Antichriſtum, & Catholicos Romanos Antichriſti mancipia? Pudeat ſaltem iſta loqui, quæ Grotius ingenuè damnavit, & in iis, quæ de Antichriſto ſcripſit, datâ operâ refutavit.

CAPUT XIV.

Virgines agnum ſequuntur. Evangelium æternum. Judicium venit. Babylonis ruina. Beſtiæ adoratoribus Infernus denunciatur. Meſſis Jeſu Chriſti. Peccatorum vindemia.

℣. 1. ET vidi: & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadragintaquatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.

℣. 2. Et audivi vocem de Cœlo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni: & vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis:

℣. 3. Et cantabant quaſi canticum novum, ante ſedem & ante quatuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadragintaquatuor millia, qui empti ſunt de terrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ECCE AGNUS STABAT SUPRA MONTEM SION. Deſcriptis malis Eccleſiæ inflictis a Profanis Imperatoribus, objectis Apoſtolo ſub imaginibus beſtiarum, Deus ad lætiora Apoſtolum revocans, ſpectandum illi obtulit triomphum Jeſu Chriſti, qui ſub Agni nomine ſæpè in hoc libro exhibetur. Stipabatur ille ſatellitio, ait Apoſtolus, *centum quadraginta quatuor millium, habentium nomen ejus, & nomen Patris ejus* (a) *ſcriptum in frontibus ſuis*; quo ſigno diſtinguebantur ab iis, qui ſtigmate beſtiæ inuſti erant, ut in Capite XIII, 16, 17, 18. Porrò hæc centum quadraginta quatuor millia Electos omnes, ſed potiſſimum ſatos e duodecim Tribubus Iſraëlis (b), per ſymbolum exprimunt, uti colligi poteſt ex iis, quæ Capite VII, 4, leguntur. Numerus verò iſte pro numero ingenti quidem, ſed indefinito, poſitus videtur; exprimit autem prædeſtinatos, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, & præſertim Martyres (c), qui vexationes omnes ſupra commemoratas pertulerunt.

℣. 2. AUDIVI VOCEM centum quadraginta millium, qui agni triumphum ornabant.

℣. 3. NEMO POTERAT DICERE (d) CANTICUM, NISI

(z) *Irenæ. Areth. Andre. alii.* (a) *Irenæ. lib. 5, circa finem. Ita Med. Para. Cluver. Brigtman. Henric. Mor. Napier, Lud. de Dieu, Piſc.*

(β) ΟΥΛΠΙΟΣ. Grotius ait, ſigma Σ ſeu C hìc valere dumtaxat ſex, & poni pro s in fine, quod certè valet ſex. Alii tamen ajunt, ſigma ubique pro numero ducenario uſurpari.

(γ) *Bul. & Bale. alii plures apud Malvend. de Anti-Chriſto, l. 8, c. 27.*

(δ) *Vide, ſi lubet, Durham, & N. Stephan. hic, in Synopſi.*

(a) Ε῎χουσαι τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ γεγραμμένον. *Alii plures:* Ο῎νομα αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ πατρός. *Ita Alex. Steph. α, 11, Syr. Arab. Æth. & alii.*

(b) *Hieronym. lib. 1 contra Jovini. Alcazar. hic, Grot. Boſſuet.* (c) *Eſtius hic.*

(d) *Græc.* Οὐδεὶς ἠδύνατο μαθεῖν, *Nemo poterat diſcere carmen.* Fortè ſcriptum fuit *dicere*, pro *diſcere*.

℣. 4. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.

℣. 5. Et in ore eorum non eſt inventum mendacium: ſine maculâ enim ſunt ante thronum Dei.

℣. 6. Et vidi alterum Angelum volantem per medium Cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum:

℣. 7. Dicens magnâ voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus: & adorate eum, qui fecit Cœlum & terram, mare, & fontes aquarum.

℣. 8. Et alius Angelus ſecutus eſt dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna: quæ a vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes.

COMMENTARIUS.

NISI... QUI EMPTI SUNT DE TERRA. Nemo, ſive Angelus, ſive mortalis homo, nec diſcere, nec modulari carmen iſtud poterat; id enim datum erat unis Martyribus, qui totam perſecutionum crudelitatem exhauſerant; Electis quoque & Virginibus. In eorum gratiam compoſitum erat, continebatque laudes eorum peculiares, & victoriæ ab illis relatæ conſentaneas. *Qui empti ſunt de terrâ*. Originem quidem ex mortalibus trahunt, ſed merito Sanguinis Agni e ſervitute mortis & peccati erepti, præmium innocentiæ in Cœlo referunt, immortali beatitudine donati. E faucibus beſtiæ & ab Idololatriæ fraudibus feliciter evaſere.

℣. 4. HI SUNT QUI CUM MULIERIBUS NON SUNT COINQUINATI; VIRGINES ENIM SUNT. Familiari Prophetarum locutione, fornicatio eſt idololatria; Virginitas eſt ab omni ſacrilegi cultûs labe immunitas. Porrò iſti hoc ſenſu Virgines ſunt; neque enim rerum creatarum cultu vitium in ſe aliquod admiſerunt (e). Joannes exhibet infra urbem Romam ſub imagine Magnæ meretricis, quæ ſui copiam palam omnibus permittit. Reliquæ Imperii urbes pro ſe quæque, & eodem ſenſu meretrices erant, omnibus tum exteris, cùm incolis expoſitæ. Earum fraudes & illecebras ſpreverunt, qui Agnum comitantur, ac Virginitatem illæſam ſervarunt. Alii (f) accipienda hæc arbitrantur de Virginibus, cæterisque vitam carnis voluptatibus vacuam agentibus. Sed prior interpretatio magis conſentanea eſt.

HI EMPTI SUNT EX HOMINIBUS (g) PRIMITIÆ DEO, ET AGNO. Qua eſt miſericordiâ Deus, illos e mediis Gentilibus impiiſque ſecrevit; a diſcrimine & lue omnes corripiente illos ſervavit, delegitque in hæreditatem ſuam, ceu caram ſelectamque portionem. *Primitiæ* enim interdum pro eo quod in ordine ſuo optimum & eximium eſt, uſurpantur. Huc ſpectans Jeremias (h) ait, Iſraëlem ceu primitias Domino conſecrari: *Sanctus Iſraël Domino, primitiæ frugum ejus*.

℣. 5. IN ORE EORUM NON EST INVENTUM MENDACIUM. Obſtrictæ Domino fidei ſinceritatem minimè corruperunt; coram Judicibus Deum non repudiarunt; neque Dei nomen creatis rebus Idoliſque tribuerunt. Græcus (i) legit: *In ore eorum non eſt inventa fraus*. Sed optimi plures Græci Codices manuſcripti cum Syro, Æthiope, Arabe, tum & Origene, S. Hieronymo, Aretà, ferunt cum Vulgatâ: *In ore eorum non eſt inventum mendacium*. Plerique tamen omittunt ea quæ ſtatim ſubtexuntur: *Ante thronum Dei*; leguntque tantummodò: *Sine maculâ enim ſunt*; quam lectionem Latini pariter Codices quidam ſervant.

℣. 6. VIDI ALTERUM ANGELUM.... HABENTEM EVANGELIUM ÆTERNUM. Tyrannis & profanis ſuperſtitionibus jam everſis, nihil jam deſiderandum ſupererat, niſi ut Evangelium Chriſti regnaret, latè per orbem nunciaretur, & Martyrum ſanguis in terram effuſus vindicaretur. Lætum ejus rei nuncium affert Angelus, qui nunc prodit in ſcenam. Affert hic Evangelium æternum, ad ſæculorum exitum usque manſurum, aliter ac Moyſis Lex, ad Meſſiam usque perſeverans, & profanæ ſuperſtitiones mox ubique abolendæ.

℣. 7. TIMETE DOMINUM (k).... QUIA VENIT HORA JUDICII EJUS. Vos, profanæ Gentes, quas hactenus cæca tenuit Dei ignoratio & contemptus, agnoſcite illum tandem, timete, colite, amate, alioquin indignationem ejus experturæ. Sed priùs flagelli ſibilum audite, ut ictum opportunè evitetis. Corrigendis, ſervandis vobis, non opprimendis ſtudet Deus.

℣. 8. ALIUS ANGELUS SECUTUS EST DICENS: CECIDIT BABYLON ILLA MAGNA: certa eſt de ejus caſu & ruinâ ſententia; exitium ejus a Deo decretum eſt. Babylon hîc eſt urbs Roma (l), quam barbari, Romanum Imperium inundantes, aggreſſi ſunt, & Alarico duce expugnarunt ac diripuerunt. Alludit hic Apoſtolus ad illud Jeremiæ (m): *Subitò cecidit Babylon & contrita eſt*; ſive ad illa Isaiæ (n): *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia*

(e) *Ambroſiaſt. in 2 Cor. x, 2; Prado in Ezech. xvi, 15; Medus, Cluver. Para. Grot. Durham. Piſc. Boſſuet, Du Pin.* (f) *Auguſt. de ſanctâ Virgin. cap. 27, 28, 29; Gagna. Viegas, Cornel. alii.*
(g) Οὗτοι ἠγοράσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *Plures:* Οὗτοι ὑπὸ Ἰησοῦ ἠγοράσθησαν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, *Empti ſunt a Jeſu ex hominibus.* (h) *Jerem. II, 3.*
(i) Ἐν τῷ ςόματι αὐτῶν οὐχ εὑρέθη δόλος. *Alii plures:* Οὐχ εὑρέθη ψεῦδος.
(k) *Græc.* Φοβήθητε τὸν Θεὸν, *Timete Deum.* Legunt alii: Φοβήθητε τὸν Κύριον. *Steph. II, Baroc. Barb. 2, Pet. 2, Cov. 2, Sin Vulg. Arab. Aeth.*
(l) *Riber. Grot. Menoc. Hamm. Para. Boſſuet, Du Pin, &c.* (m) *Jerem. LI, 8.* (n) *Iſai. XXI, 9.*

℣. 9. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magnâ: Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſuâ, aut in manu ſuâ:

℣. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni.

℣. 11. Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis ejus.

℣. 12. Hîc patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Jeſu.

℣. 13. Et audivi vocem de Cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

℣. 14. Et vidi, & ecce nubem candidam: & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſuâ falcem acutam.

COMMENTARIUS.

& omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terrâ. Profectò Urbs illa, dum oracula iſta edebantur, nondum corruerat; ſed ejus exitium divino decreto conſtitutum erat. Ita & hîc de Urbe Româ ſuperſtitioſâ & ſævâ: futurum enim erat, ut iniquitatum ſuarum menſuram nece Martyribus illatâ compleret, atque ita demum ultionis Divinæ pondus provocaret. Impletam hujus oraculi fidem perſpicuè cernes Capitibus XVII & XVIII.

QUÆ A VINO IRÆ FORNICATIONIS SUÆ POTAVIT OMNES GENTES. Gentibus omnibus calicem iræ Dei propinavit, quæ juſta pœna eſt illius, qua eas pellexit, proſtitutionis & idololatriæ, in ſuum & ſociorum caput Domini ultionem provocavit. Alii aliter Græcum reddunt (o): *Potavit omnes Gentes a vino venenato fornicationis ſuæ*; veneno idololatriæ ſuæ illas peremit. Seu potiùs (p): *Potavit philtro*, potione amatoriâ, ut illas in flagitia & ſuperſtitionem ſuam pertraheret. Hæc poſtrema verſio meliùs hîc congruit. Philtrorum pleraque purum putumque venenum ſunt.

℣. 9. TERTIUS ANGELUS explicat diſertè, quæ alii duo implicaverant. Ait igitur: Qui beſtiam adoraverit, ejuſque ſtigma aſſumpſerit, (℣. 10.) *hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & ſulphure* apud inferos *in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum Agni*. Agno judice, Angelis ſpectatoribus, & Miniſtro Dæmone torquebuntur. Opponitur hîc vinum furoris Domini potioni, quam Babylon procis propinat. Qui de calice Babylonis guſtaverint, calice Domini proluentur.

℣. 11. FUMUS TORMENTORUM EORUM ASCENDET IN SÆCULA SÆCULORUM. Deturbabuntur in abyſſum ignis & ſulphuris arſuram perpetuò, cujus fumus in Cœlum per cuncta ſæcula tolletur. Vivida & terribilis imago.

℣. 12. HIC PATIENTIA SANCTORUM EST. Hac de causâ viri ſancti & Fideles quodlibet malorum hujus Mundi genus æquo animo ferunt; ſperant enim futurum, ut patientiæ præmia tandem referant, metuuntque tormenta iis deſtinata, qui Dei nomen profanaverint, & genua coram Baale flexerint. Æterna ſupplicia impiorum juſtus comparant ad mala hujus vitæ forti & conſtanti animo perferenda. *Fides Jeſu* denotat ſive *fidem in Jeſum Chriſtum*, ſive *eam quam a Chriſto accepimus fidem*.

℣. 13. BEATI MORTUI, QUI IN DOMINO MORIUNTUR; nempe in fide, gratiâ, & charitate Domini; ſeu qui moriuntur *pro Domino* (q), pro veritate & Religione tuendâ. De Martyribus potiſſimùm agit (r).

OPERA ENIM ILLORUM SEQUUNTUR ILLOS. Æquum eſt, ut requiem laborum capiant, & præmio pro fidei merito donentur; nam in Cœlo *opera eorum ſequuntur illos*; opportunè illa invenient. In patriam veniunt, theſauro bonorum operum, quem ſibi in terris compararunt, locupletes. Hæc docet adversùs eos, qui bonorum operum neceſſitatem negantes, opera omnia nec bona nec mala eſſe, ſed in medio poſita, contendebant. Dogma iſtud Simoniani (s), Nicolaitæ, cæterique ejus ætatis hæretici tuebantur (t): *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum* (u).

℣. 14. ECCE NUBEM CANDIDAM. Apparatus judicii, & præludia ultionis, de qua hactenus. Executio in ſequentibus ſeſe offeret. Chriſtus e nube prodit, uti ſæpè in Evangelio (x) ſe venturum ad ultionem de ſontibus expetendam monuit.

HABENTEM IN MANU FALCEM ACUTAM. Imminens Dei ultio exhibetur hîc, ℣℣. 14. 15. & 18. 19. ſub emblemate meſſis & vindemiæ; ex quibus allegorias ducere amant Prophetæ. Joël (y): *Mittite falces, quoniam maturavit meſſis; venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular, & exuberant torcularia*. Triumphatorem e prælio revertentem, hoſtili adhuc ſanguine infectis veſtibus, ſic loquentem inducit Iſaias (z): *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum;*

(o) Ὅτι ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πεπότικε πάντα ἔθνη.
(p) *Med. Gatab. Grot. Lud. de Dieu, Hamm.*
(q) *Berengaud. Ausbert. Haymo, Alcazar. Bez. Grot. Riber. Med. Jun. alii.* (r) *Boſſuet. Med. alii.*
(s) *Iren. lib. 1, cap. 35.* (t) *Ibidem.* (u) II *Cor.* V, 10.
(x) *Matth.* XXIV, 30; XXVI, 64; *Luc.* XXI, 27; *Apoc.* I, 7. (y) *Joël.* III, 13. (z) *Iſai.* LXIII, 3.

℣. 15. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magnâ ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

℣. 16. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.

℣. 17. Et alius Angelus exivit de templo, quod eſt in cœlo, habens & ipse falcem acutam.

℣. 18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem; & clamavit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt uvæ ejus.

℣. 19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum:

℣. 20. Et calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu usque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

COMMENTARIUS.

eum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea. Jeremias (α): *Torcular calcavit Dominus Virgini filiæ Juda*, Jeroſolymæ.

℣. 16. Demessa est terra, Romanum Imperium direptioni patuit; Roma capta & direpta eſt ab Alarico, & qui poſt illum venerunt.

℣. 18. Alius Angelus exivit de Altari, qui habebat potestatem supra ignem. De Altari, ſeu potiùs de Templo, uti ſupra, ℣. 15, & capite IX, 13, exivit Angelus, cui poteſtas in elementum ignis erat. Pro Hebræorum opinione, putantium Angelos ſingulos elementis, aſtris, omnibus, Urbibus, Provinciis præeſſe, Apoſtolus hîc loquitur. Igitur Angelus ignis denotet Angelum belli, qui ultionis Divinæ ignem in gentes ſpargit. Bellum & indignationem Domini, ductâ ex igne allegoriâ, exprimere ſolet Scriptura. Commodè etiam accipiuntur hæc de Angelo præſide ignis perpetui, ſeu ignis ſacri Altaris holocauſtorum, ne unquam extingueretur (β). *Exivit de Altari*, ab igne, quem in ſuâ poteſtate habebat.

Mitte falcem tuam, quia maturæ sunt uvæ: aggredere vindemiam; maturæ enim ſunt uvæ. Criminum menſuram Roma jam explevit; tempus ulciſcendi adeſt. Falx jacta eſt (℣. 19), uvæ præciſa, & in torcular iræ Domini projectæ. Roma totumque Imperium experientur denique ultionem, quam de Idololatriæ reliquiis Dominus expetet.

℣. 20. Calcatus est lacus extra civitatem. Falx in ſegetem immiſſa captam Romam denotat; falx verò uvam præcidens ſunt cruenta bella, & Barbarorum irruptiones in Provincias. Hæc omnia nonniſi confusè Angelus hactenus proponit; inſequentibus Capitibus ſingula per partes exponentur. Sævitum eſt adeo, ut *exiverit ſanguis de lacu usque ad frænos equorum per ſtadia mille ſexcenta*, ſeu vulgares leucas ſeptem & ſexaginta. Hac hyperbole exprimitur graſſatio, qua Attila Provincias occiduas anno 451 & 452 depopulatus eſt (γ).

CAPUT XV.

Septem Angeli, ſeptem noviſſimas plagas manu ferentes. Mare pellucidum, ſuper quod victores carmen Moyſis canunt. Septem Angeli ultionis e Sanctuario prodeunt, quibus ſingulis ſinguli iræ Dei calices dantur. Templum impletum eſt fumo.

℣. 1. ET vidi aliud ſignum in cœlo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem noviſſimas: Quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Vidi alium signum in Coelo ..... Angelos septem, habentes plagas septem novissimas. Angeli miniſtri ultionis Domini venerant ad infligendas Romæ cruentæ, & Sanctos vexanti, ſeptem ſupremas plagas, reſpondentes ſeptem prioribus, commemoratis a Capite VI, 1, &c. usque ad caput XIV. Priores illæ partim Fidelibus, partim Tyrannis deſtinatæ erant; denotabantque id quod Dei famulis ab iniquis Gentilibus inferendum erat, quodque Gentiles ex Deo manebat. Septem verò Angeli, de quibus modò, nonniſi cum Imperio Romano & Urbe Româ in Martyres impiâ rem habent. Offerunt ſe ubique ſeptem Angeli, ceu ſeptem ſum-

(α) *Thren.* I, 15. (β) *Levit.* VI, 12: *Ignis in altari ſemper ardebit.*
(γ) *Boſſuet.*

Digitized by Google

℣. 2. Et vidi tamquam mare vitreum miſtum igne, & eos, qui vicerunt beſtiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei:

℣. 3. Et cantantes canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum.

℣. 4. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.

℣. 5. Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonii in Cœlo.

℣. 6. Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas de templo, veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

COMMENTARIUS.

ſummi Aulæ Dei Miniſtri. Nec eſt cur mireris, ſi bonorum Angelorum miniſterium in re minùr dignâ, ultionis nempe & ſeveritatis, adhiberi videas. Juſtitia enim & clemeotia Dei ex æquo ab Angelir adorantur.

Sequentibus Capitibus literalem & hiſtoricam eaplicationem eorum, quæ hîc leguntur, exequemur. Poſt ſeptem iſta flagella, *conſummata eſt ira Dei* in Romannm Imperium. Quæ fatalem ictum miſero inſerunt, hæc ſunt; ueque enim Deus bis ſeriet. Hanc loentionem conferas cum aliorum Prophetarum verbis, ealamitatem ultimam & extremam denotantibus. Isaiar (a): *Conſummationem Deus faciet*; excidium ultimum inferet. Nahum (b): *Conſummationem faciet, & non conſurget duplex tribulatio.* Jeremias (c): *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam*; ultimas furoris metas minimè attingam. Alibi (d): *Aſcendite muros ejus, & diſſipate: conſummationem autem nolite facere*; ab ultimo excidio abitinete. Hîc autem contra Deus conſummationem minitatur, ſupremom furoris ſui flagellum in impios Sanctorum inſectatores.

℣. 2. Vidi tamquam mare vitreum miſtum igne; ingenr & magnificum aquarum conceptaculum, limpidâ & lucidâ, tamquam igne, aquâ plenum. Idem hîc myſterium recurrere arbitror, quod expreſſum eſt ſupra, iv, 6: *Tamquam mare vitreum, ſimile chryſtallo.* Erat hoc labium ingens aquâ plenum ante Dei ſolium in Cœlo poſitum, ſimile vaſi illi, quod Mare appellabatur in Templo; labiis quoque & aquis exſilientibus, quæ olim erant in atriis, cœnaculis, & cubiculis virorum Priocipum apud Orientales ornamenta. Super hoc vas ſtabant Martyres eum muſicis inſtrumentis, percurrabantque laodes ejus, quo donante victoriam de beſtiâ retulerant.

Habentas citharar Dei; citharas, & reliqua muſica inſtrumenta in Templo uſitata (e); ſeu potiùs inſtrumenta eximia, & planè Divina. In Templo Jeroſolymitano Levitæ eum citharis tubirque prope Altare holocauſtorum ſtabant. Hîc verò diſtribuebantur eirca labium aquæ. Cauſa ſtatim ſubditur.

℣. 3. Cantantes canticum Moysi, et canticum Agni. Mare illud aquæ & ignis tropicè referebat mare illud, quod Moyſes cum Iſraëlitis ab Ægypto egreſſis transfretavit; cujus rei geſtæ memoria, collata cum liberatione a morte & Tyrannis, argumentom ſuppeditat canendi carmen illud, quod tunc Moyſes exaravit (f): *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, &c. Canticum Agni* eſt canticum, quod illi Agno dictante didicerant, ſeu in laudem Agni compoſitum; vel denique canticum Moyſis, ad Agnum, relatumque ejur auxilio de peccato, mundo, & dæmone victoriam tranſlatum. Cantiei hujus ſpecimen quoddam hîc Apoſtolus dedit: *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine Rex ſæculorum*; Græcus (g), *Rex Sanctorum*; Codices alii, *Rex Gentium*, &c. Hoc carmen fortaſſe per intervalla ingeminabatur. Eo Carmine laudes proſequebantur juſtitiæ, magnitudinis, & majeſtatis Dei; tum prænunciabant, factum iri concurſum Gentium ad venerandam majeſtatem ejur, & juſtitiam agnoſcendam.

℣. 5. Apertum est Templum Tabernaculi testimonii in Coelo. Sæpe alibi animadverſum eſt, Apoſtolum exhibere ea, quæ gerebantur in Cœlo, ſub imagine eorum, quæ in Templo agebantur. Quod hîc appellat *Tabernaculum teſtimonii*, nihil facilè eſt aliud, niſi Sanctuarium, Arcam Fœderis continens, ſedem Majeſtatis Domini, cujus propitiatorio inſideos Deus, ignotus oculis homioum, dabat Oracula. Recloſio autem Sanctuarii deeretorum Dei manifeſtationem deſignat. In deſerto *Tabernaculum teſtimonii* erat tentorium, quò Moyſes ad excipiendas Dei juſſiones ſecedebat (h).

℣. 6. Exierunt septem Angeli habentes septem plagas; exieruot e Tabernaculo, e conſpectu Majeſtatis Dei. Proceſſerunt autem aucti ejus poteſtate, & cum mandatis excutiendi ſeptem noviſſima flagella furoris Dei in gentes Eccleſiæ inimicas.

Vestiti lino mundo et candido, more Sacerdotum in Templo miniſtrantium. Solemne eſt Angelir, ſpectandos ſe luce ſplendentes & candidatos exhibere (i). Codices quidam veteres Græci

(a) *Isai.* x, 22. (b) *Nahum*, 1, 8, 9: *Conſummationem faciet, & non conſurget duplex tribulatio.*
(c) *Jerem.* iv, 27. (d) *Jerem.* v, 10.
(e) *Vide* 1 *Par.* xvi, 42; 2 *Par.* vii, 6; xxxiv, 22. *Grot. Med.* (f) *Exod.* xv, 1, 2, 3, *& ſequ.*
(g) Ὁ Βασιλεὺς τῶν ἁγίων. *Alii*: Ὁ Βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν. *Ita Steph.* 2, 11, *Alex. Baroc. Petav.* 2, 3; *Hunt.* 1, *Cov.* 2, *Sin. Arab. Æth. Areth. Seidel. Alii*: Αἰώνων. *Velez. Syr. Bed. Vulg.*
(h) *Exod.* xxvi, 25, *&c.* (i) *Ezech.* ix, 2; *Dan.* x, 5; *Matth.* xxviii, 3; *Joan.* xx, 22; *Act.* 1, 10.

℣. 7. Et unum de quatuor animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viventis in ſæcula ſæculorum.

℣. 8. Et impletum eſt templum fumo a majeſtate Dei, & de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

COMMENTARIUS.

ci Latinique (k) legunt: *Veſtiti lapide mundo & fulgenti*; quæ lectio olim & impreſſis ante correctionem Sixti V familiaris erat.

℣. 7. Unum de quatuor animalibus, ſtantibus ad quatuor angulos ſolii (l), ſive illud ſuſtinentibus, ut olim Cherubim Ezechielis (m). Unum e quatuor illis animalibus ſive Cherubim, ſingulis ſeptem illis Angelis, e Sanctuario egredientibus, tradidit *ſeptem phialas aureas plenas vino iracundiæ Dei* Omnipotentis & æterni. Notum eſt, in Scripturâ indignationem ultionemque Dei exhiberi non rarò ſub imagine calicis, qui ordine propinatur (n), nemine recuſare permiſſo; quod allegoriæ genus eſt deductum ex more ſolemnium conviviorum, in quibus e propinato ſibi ſcypho deguſtare convivæ omnes tenebantur. *Phiala* deſignat vas, liquoribus & igni continendis aptum, quo ſuffitus libationesque ſanguinis ac vini dabantur.

℣. 8. Et impletum est Templum fumo. Uti olim, cùm Salomon ſolemnem ejus dedicationem perageret (o), nubes denſa ſanctum Locum adeo occupavit, ut Sacerdotes ingredi non auderent, perſuaſi, fumum illum ſymbolum gloriæ Domini eſſe; uti pariter in Deſerto columna nubis, quæ Tabernaculo imminere viſa eſt, argumentum & pignus præſentiæ Domini erat (p). Apud Iſaiam (q) cùm Dominus apparuit in Templo & ſolio ſuo inſidens, continuò *domus repleta eſt fumo*. Fumus iſte latè ſe nedum per Sanctuarium & Sanctum, ſed facilè etiam per totum Sacerdotum atrium diffudit. Vel fortè nonniſi penetralia Templi occupavit, Sanctum & Sanctuarium; perinde fermè ac ingrediente Summo Sacerdote in Sanctuarium, & Sacerdote per hebdomadam miniſtrante in Sanctum, dantibusque profusà manu thymiama, Locum ſanctum denſa fumi caligo occupabat, adeò ut curioſiùs ſingulas ejus partes & ornamenta inſpicere Sacerdotes prohiberentur, & majeſtatis neſcio quid ſacro illi receſſui conciliaretur, quod pavorem quemdam attingentibus limen ſacrum incutiebat.

CAPUT XVI.

Septem phialæ in terram effuſæ. Ex priori ulcera. Ex alterâ mare in ſanguinem convertitur. Ex tertiâ eadem mutatio ad aquas reliquas. Ex quartâ æſtus urens. Ex quintâ cor impiorum tabeſcit. Ex ſextâ Euphrates areſcit. Ex ſeptimâ terræ motus ingens, ingentium malorum cauſa. Grando talenti pondere. Impœnitentia peccatorum.

℣. 1. ET audivi vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſemptem phialas iræ Dei in terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Effunderunt septem phialas (a) iræ Dei. Septem iſtæ phialæ decem plagas Ægypti imitatione quadam exprimunt. Non ſatis conſtat (b), utrùm ſeptem iſtæ alia poſt aliam effuſæ ſint, an omnes ſimul per varias Romani Orbis Provincias, deſignatas hìc nomine *terræ* (c), venenum ſparſerint. Succeſſionem quamdam Apoſtoli oratio poſtulare videtur. Cùm Capite xiii, xi, expoſuerit motam a Juliano in Eccleſiam perſecutionem, hìc tandem ſub oculis exhibet mala, quæ poſt Regnum illius ſævierunt. Hoc ſyſtema præſenti capite ſequimur, duplici potiſſimùm ratione ducti. I, quòd Apoſtolus *ſeptem* haſce *plagas noviſſimas* eſſe monet (d), additque, nemini permiſſum eſſe in Templum aditum, niſi ſeptem iſtis plagis conſummatis (e). II, quod hic, ℣. 17, poſt effuſionem ſeptimæ phialæ vox e throno emiſſa clamat: *Factum eſt*; & ℣. 19, legitur: *Facta eſt Civitas magna* (ROMA) *in tres partes, & Civitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.*

(k) Ἐνδεδυμένοι λίθον καθαρὸν καὶ λαμπρόν. *Alii*: λίνον καθαρόν. *Ita Alex. Velez. Meminit hujus lectionis Andreas Cæſar. in hunc locum. Plures Vulgatæ libri antiqui*: Veſtiti lapide mundo; *quam lectionem notant Ausbert. Beda, Haymo.* (l) *Apoc.* iv, 6, 7, 8.
(m) *Ezech.* i, 5, 6, 7, 8, *& ſeq.* (n) *Iſai.* li, 17, 22; *Jerem.* xxv, 15; xlix, 12; li, 7; *Thren.* iv, 21; *Ezech.* xxiii, 31; *Abac.* ii, 16, *Matth.* xxvi, 39; *Pſal.* lxxiv. (o) 2 *Par.* vi, 1, 2; vii, 1, 2, *& ſeq.*
(p) *Exod.* xxxiii, 9, 10; xl, 32; *Levit.* xvi, 2; *Num.* ix, 15, 16. (q) *Iſai.* vi, 4.
(a) Ἐκχέατε τὰς φιάλας, *Effundite phialas. Alii*: Τὰς ἑπτὰ φιάλας. *Ita Steph.* 11, *Alex. Barec. Hunt.* 1, *Covel.* 2, *Syr. Arab. Aeth.* (b) *Du Pin hic, & Boſſuet.*
(c) *Grot. Hamm. Boſſuet, Du Pin.* Vide ſupra, viii, 8, 13; ix, 1, 3; xi, 6, 10, *&c.*
(d) *Cap.* xv, 1. (e) *Apoc.* xv, 8.

Digitized by Google

℣. 2. Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram: & factum eſt vulnus ſævum & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ; & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

℣. 3. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tamquam mortui: & omnis anima vivens mortua eſt in mari.

℣. 4. Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.

COMMENTARIUS.

ejus. Poſtremum hoc oraculum non convenit niſi expeditionibus Gothorum in Romanos, cùm Roma capta, & Imperii Urbes in Barbarorum manus venerunt. Grandia hæc nonniſi implicitè hoc Capite, Capitibus verò ſequentibus perſpicuè traduntur.

Boſſuetus Epiſcopus Meldenſis quinque priores plagas explicat de iis, quæ Romanum Imperium ſub Valeriano & Gallieno manebant. Sexta plaga cum perſecutionibus Valeriani, Diocletiani, & Juliani congruit; ſeptima cum Honorii & Alariei tempore *(f)* componitur. Syſtema optimè quidem defenditur, ſed incongrua habet tria. Primum, quòd a Juliano ad Valerianum longo centum annorum ſpatio ſtatim retrograditur. Secundùm, quòd eâdem celeritate a Valeriano ad Julianum, & a Valeriano ad Honorium & ad Alaricum, intervallo plus nimis longo emenſo, tranſitum faciat. Tertium, quòd Apoſtolus ſtatuat, hæc omnia juſtam eſſe pœnam earum, de quibus ſermo ab eo habitus eſt *(g)*, perſecutionum, & beſtiam, tot malorum cauſam, adhuc exiſtere. Hæc autem non prodiit, niſi cùm de perſecutione Diocletiani agi cœptum eſt.

℣. 2. Abiit primus, et effudit phialam; ſtatim autem Gentilibus inflictum eſt *vulnus ſævum & peſſimum*; Græcus *(h) ulcus*. Plagæ iſtæ, quibus homines a Deo afficiuntur, plerumque probos æquè ac improbos corripiunt; ſed aliter longè & aliter, nam probis remedia ſunt, ad merendum adminicula, & divinæ erga illos charitatis argumenta *(i)*; impiis verò mala ſunt malorum incitamenta, quibus ad deſperationem, & ad murmur in Deum adiguntur, quemadmodum traditur ℣℣. 9, 10, 11. Juſti æquo & conſtanti animo mala perferunt; impii feroci, iniquo, & fracto. In his præludia malorum æternorum quibus deſtinantur; in illis verò nova meritorum inſtrumenta, novaque augendæ ſpei argumenta.

℣. 3. Secundus Angelus, effusâ in mare phialâ, aquam ex improviſo convertit in ſanguinem, quo ceu veneno piſces omnes interierunt. *Mare* denotat hic totum conjunctim Imperium; *flumina* ſunt ſingulæ Imperii Provinciæ. Mare & flumina ſanguinea, ſunt bella latè ſævientia ſub Imperatoribus Valentiniano, Valente, Gratiano, aliiſque. Per hæc tempora, Perſæ orientalia Imperii laceſſiverunt, cùm occidentalia Gothos aliosque barbaros hoſtes experirentur *(k)*. Procopius a Valentiniano deſciſcens, Imperium uſurpat *(l)*; Alamanni, tranſmiſſo Rheno, Romanis graves inſtant *(m)*; Iſauri Aſiam. Aſtures Africam, Picti & Scoti Angliam *n* excurrunt. Anno 377 & 378, novis turbis Gothi & Alamanni, graſſationes ſuas proſequentes, Imperium agitarunt.

Religio Profana tunc adhuc vigebat, ut intelligimus ex Oratione, quam Libanius anno 384 pro Templorum conſervatione habuit, & ex poſtulatione Symmachi, qui eodem anno Aram Victoriæ reſtitui petiit. Eamdem petitionem iteravit Senatus anno 392. Eugenius, Valentiniani interfector, Auguſti titolo uſurpato, ingentem exercitum *(o)* partim ex auxiliaribus, partim ex barbaris in ſuas partes pertractis comparavit. Favit ille palam Gentilibus, quorum Fanis antiquos cenſus reddidit, & Victoriæ Aram reſtituit *(p)*. Tunc cœpta iterum Romæ ſacrificia, & ſanguine impiarum victimarum Urbs infecta eſt. Theodoſius movit in Tyrannum, apertoque ſibi per Alpes tranſitu, ad prælium conferendum pervènit, in quo tamen Deo permittente multos ſuorum amiſit. At altero prælio ingentem hoſtium vim proſtravit, æmulum cepit, & inſigni victoriâ triumphavit. Tum datis ad Senatum literis, ne ex Ærario ſumptus ad ſacrificia ſufficerentur vetuit; tunc cadere ſacrificia, neglecta jacere Templa, Profanosque Sacerdotes, tum viros cùm fœminas, pelli & exturbari *(q)*.

Jam inde ab Anno 389, Theodoſius deſtrui juſſerat Templum Serapidis, quod Alexandriæ inter inſignia Templa erat celebratiſſimum. Anno 399, Idola per totum latè Imperium dejecta *(r)*, Templa per agrum everſa ex lege Arcadii *(s)*; qui pariter ſeverâ pœnâ vetuit, ne quis Fana Idolorum ingrederetur, neque quocumque demum in loco profana Numinum ſacrificia offerentur *(t)*; ac die 8 Decembris anno 400, Sacerdotes & Idolorum miniſtros conceſſis ad id uſque privilegiis ſpolisvit, utpote homines profeſſionis lege damnatæ.

Imperator Honorius, Arcadii frater, non minori ſollicitudine teneri ſe pro everſione Idololatriæ in Occidente demonſtravit: omnia ſuperſtitionis inſignia tolli Imperiali edicto, anno 399, ſtatuit *(u)*; & ex Autore Libri Promiſſionum ſub nomine S. Proſperi, diſcimus, adjudicaſſe illum Eccleſiis Templa omnia, & adhærentia Templis ſepta, Chriſtianiſque feciſſe facultatem, ſtatuas omnes dejiciendi. Scribens contra Parmenianum Donatiſtam anno 400 S. Auguſtinus *(x)* ait, novis Legibus edictum fuiſſe, ut Gentilium ſimulacra contererentur, & capitali pœnâ vetitum, ne ſacrificia Idolis immolari liceret: tum addit, dejecta paſſim Idola per Orbem, abolita ſacrificia, puniiosque Dæmonum cultores, ſi qui rei hujus criminis tenerentur.

Ita factum eſt, ut nequidquam obſtantibus bellis & ca-

(f) Hìc ℣. 2, 5. 6, 7. (g) Hìc ℣. 2, 10, 13.
(h) Ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν, *&c.* (i) *Vide Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib. 7 Hiſt. cap. 22; Cyprian. de Mortalitate.* (k) Anno Chriſti 364. (l) Anno Chriſti 365. (m) Anno Chriſti 366.
(n) Anno Chriſti 367. (o) Anno Chriſti 393. *Vide Oroſium, l. 7, c. 35.*
(p) *Paulin. Vit. S. Ambroſ. pag. 85; Ambroſ. Ep. 55.* (q) *Zozym. lib. 4, cap. 5 Hiſtor.*
(r) *Idacius & Tiro Proſper.* (s) *Cod. Theodoſ. 16, t. 10, l. 16.*
(t) *Cod. Theodoſ. 61, t. 10, l. 13, pag. 277.* (u) *Cod. Theodoſ. 16. t. 10, l. 15, pag. 280.*
(x) *Auguſt. contra Parmenian. lib. 1, cap. 9.*

℣. 5. Et audivi Angelum aquarum dicentem: Juſtus es, Domine, qui es, & qui eras ſanctus, qui hæc judicaſti:

℣. 6. Quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere: digni enim ſunt.

℣. 7. Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam, Domine Deus omnipotens, vera & juſta judicia tua.

℣. 8. Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem; & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni.

COMMENTARIUS.

& calamitatibus Imperii (neque enim Arcadius & Honorius felix Regnum habuerunt), res Gentilium in dies caderet; quin & agente Numine ruentium calamitatum pondus in ipſos Religionis adverſarios reſiliebat. Arcadius & Honorius, imbecilli ingenio Principes, a nonnullis Ducibus, altero poſt alterum, regi ſe ſinebant. Arcadium prior rexit Rufinus, Honorium Stilico. Rufinus Hunnos in Orientem, Gothos in Thraciam induxit: excivit Alaricum, qui Græciam univerſam vaſtavit (y). Deinque Rufino ab exercitu trucidato, vacuum ejus locum Eutropius occupavit. Arcadius anno 397 Stiliconem Imperii hoſtem appellavit. Gildo in Africâ arma in Honorium cepit; & anno 399 Tribigildus Aſiam commovit. Succedente anno Gainas, ſuperato Tribigildo, defectionis caput evaſit: ſed hoſtis declaratus, prælio victus & neci traditus trans Danubium fuit. Viciſſim Alaricus & Radagaſus in Italiam non longè ab Aquilejâ appulerunt. Anno 402 Alaricus irrumpens in Italiam, terrorem vel intra Romam intulit. Inſequente anno ingenti inter Alaricum Romanosque prælio decertatum eſt, ſuperioribus primo quidem congreſſu Romanis, deinde victis (z). Stilico Alaricum in Arcadium concitavit. Radagaſus anno 405 Italiam cum quadringentis millibus invaſit; ſequente autem anno Vandali, Alani, Suevi Gallias aggreſſi ſunt. Franci, Burgundi, cæteræque barbaræ gentes non diu poſt Vandalos eos invaſerunt. Alaricus Stiliconis artibus in Arcadium incitatus, arma convertit in Honorium, trajectisque Alpibus pecuniam ab Imperatore poſtulatum miſit. Tum ad Romæ mœnia ſuccedens, illam obſidione cinxit, gravisque adeò inſtitit, ut poſt famem peſtemque cives patriam redimere conceſſis hoſti divitiis cogerentur (a).

Tentatum eſt diu, ut cum Alarico conveniret, resque per varias ultro citroque legationes agitata; ſed nihil actum. Igitur obſeſſa denuo Urbs, nomen Imperatoris Attalo conceſſit. Tandem die 24 Auguſti, anno 410, Alaricus in Urbem irrumpens, diripuit (b); ac die 26 egreſſus, copias ad vaſtandum reliquum Italiæ duxit. Paucis hiſce complexi ſumus ea, quæ in Imperio ſpatio annorum quinquaginta ab obitu Juliani Apoſtatæ acciderunt. Ex hoc autem ſpecimine facilè intelligas, quàm verè tunc *mare & flumina facta ſint ſanguis*, ex propheticâ Joannis ſententiâ, cùm bella adeò cruenta Imperium laceraverint. Commodè etiam hæc acceperis de maris imperio a Romanis amiſſo. Ex quo Maximus claſſem in Mediterraneo contra Theodoſium Magnum armavit, nunquam deinceps Roma claſſi inſtruendæ par fuit, nec Maximi a Theodoſio fracti jacturam reparare valuit.

℣. 5. Audivi Angelum aquarum, præſidem mari amnibusque, in laudes juſtitiæ Dei effuſum, & pro luctu ob exitium tot gentium, quæ hìc nomine aquarum deſignantur, laudes Domino perſolventem, ac dicentem, æquiſſimè & juſtiſſimè ab eo factum, ut ultionem de Sanguine Martyrum caperet, ſuperſtitionem everteret, veritatis ac Religionis triumphum promoveret. Ubi enim animadvertimus, Deus Chriſtianos, quamquam communibus Imperii calamitatibus agitatos, peculiari ope tutatus eſt. Imperatores ſummo Catholicæ rei ſtudio tenebantur. Alaricus, quamquam Arianus, captâ Româ, Templa Chriſtianorum eſſe perfugia omnibus voluit (c).

℣. 6. Quia sanguinem Sanctorum et Prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere. Opportunè hìc Salvianus (d): *Omnes fermè barbaræ gentes Romanum ſanguinem bibe unt.* S. Hieronymus (e): *Viginti & eo amplius anni ſunt, quod inter Conſtantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vaſtant, trahunt, rapiunt.* Addit circumſonare undique clamores gemitusque fœdo varioque mortis genere intereuntium, & quaſi tot mala ad noſtram ruinam non ſufficerent, civilibus bellis plus hominum quàm gladio barbarorum abſumi. Hæc S. Hieronymus, malorum ætatis ſuæ ſpectator.

℣. 8. Quartus Angelus effudit phialam suam in solem, ſtatimque immodico æſtu homines cruciati ſunt. Hujusmodi eventus, niſi modum exceſſerint, ab hiſtoriarum Scriptoribus negliguntur. S. Auguſtinus (f), Tiro Proſper, & Marcellinus meminere nubis cujusdam igneæ, quæ Urbi Conſtantinopolitanæ ſpatio plurium dierum imminens, incendium minitabatur; cujus rei teſtes ſupereſſe adhuc quosdam inter populum, ipſosque fortaſſe auditores, tradit S. Auguſtinus. Contigit id anno 396 Chriſti, Arcadii ſecundo. Ineunte nocte parva nubes ignea ex Oriente prodiit, quæ paulatim aucta, univerſam deinque urbem operuit. Singuli imminentem capiti ſuo flammam intuebantur, ſimulque ſulphureus odor nares offendebat. Concurſum eſt undique ad Eccleſias, & qui nondum baptiſmate tincti erant, initiari ſollicitè expetebant. Hæc S. Auguſtinus.

Porrò Scriptor ſanctiſſimus nonniſi ad ea, quæ inter Fideles agebantur, mentem advertit; credibile eſt tamen Ethnicos & impios non ad pœ-

(y) Anno Chriſti 395.
(z) *Oroſ. lib. 7, cap. 37; Caſſiodor. Chronic. Jornand. pag. 653.*
(a) *Zozym. lib. 5, pag.* 814, 815; *Sozomen. lib. 9, cap. 6.*
(b) *Vide Hieronym. Ep. 16; Oroſium, lib. 7, cap. 39.*
(c) *Auguſt. de Civit. lib. 5, cap. 23; Oroſ. lib. 7, cap. 39; Hieronym. Ep. 16.*
(d) *Salv. lib. 7, initio.* (e) *Hieronym. Ep. ad Heliodor. Epitaph. Nepotiani.*
(f) *Aug. de Urbis Rom. Excidio, cap. 6.*

℣. 9. Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.

℣. 10. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ: & factum eſt regnum ejus tenebroſum, & commanducaverunt linguas ſuas præ dolore:

℣. 11. Et blaſphemaverunt Deum Cœli, præ doloribus & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

℣. 12. Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccavit aquam ejus, ut præpararetur via Regibus ab ortu ſolis.

COMMENTARIUS.

pœnitentiam eacitatos, ſed ad blaſphemias fuiſſe, dira imprecatos Deo, a quo cædebantur, ut ait hîc Joannes. Fortè etiam phænomenon iſtud cen argumentum iræ Numinum ſuorum in Chriſtianos illi acceperunt. Sed nec divioando, nec conjecturis hîc agenda tes eſt. Meminit Salvianus (*g*) iteratorum fulminum, quibus Cœlum feriit ſuperba Urbis Romæ monumeota, quæ hoſtium igni ſuperfuerant; quin & S. Hiernnymus affirmat, excelſa & ſanctiſſima ſuperſtitioſæ Urbir loca ab irato Numine cœleſti igne tacta fuiſſe (*h*).

℣. 10. QUINTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM SUPER SEDEM BESTIÆ, ET FACTUM EST REGNUM EJUS TENEBROSUM. Sedes beſtiæ eſt Urbs Roma, Imperatorum ſedes, & ſuperſtitionis propugnaculum. Quæ illuſtris & glorioſa fuerat, tetrâ caliginc obducta eſt, cùm a barbaris geotibus direpta, ac divitiis ornamentiſque ſpoliata, inter ſquallidas miſeraſqoe urbes jacuit. Hæc rerum mutatio accidit duobus vel tribus poſtremis annis Alarici, ab anno 408 osqoe ad 410, cùm Roma capta direptioni permiſſa eſt. Ejus temporis mala ita luget S. Hierooymus (*i*); *Clariſſimum terrarum omnium lumen extinctum eſt. Imò Romani Imperii truncatum eſt caput; &, ut verius dicam, in unâ Urbe totus Orbis interiit.*

ET COMMANDUCAVERUNT LINGUAS SUAS PRÆ DOLORE. (℣. 11) ET BLASPHEMAVERUNT DEUM COELI...... ET NON EGERUNT POENITENTIAM. Roma adhuc Gentilibus ſcatebat, quamquam Chriſtiana Religio Imperatorum authoritate ſuperiora obtineret. Lapſus Urbis olim Dominæ totum concuſſit Imperium: Provinciæ omnes & Urbes celeberrimæ exitio illius doluere. Romani, ſive Ethnicam ſive Chriſtianam Religionem profeſſi, miſeram vaſtatamque deſeruerunt; dilapſique metu barbarorum Romani cives, Provincias omnes Orientis & Occidentis impleverunt. Hujus diſperſionis imago ab Authoribus coævis (*k*) miſerabiliter adeò deſcribitur, ut hodie pariter legentes terreat. Nec tameo Romani reſipueruot, ex quibus ii qui profanam religionem profitebantur, malorum ejusmodi caſum abolitioni Idololatriæ, & cultui Jeſu Chriſti invecto tribuerunt; & quod mirum eſt, pars nequiſſimorum ejusmodi ex eorum oumero erant, qui vitam ſervaverant ſive ad aſylum Chriſtianarum Eccleſiarum perfugientes, ſive cultum Jeſu Chriſti ſimulantes (*l*). Notat S. Auguſtinus (*m*), Romanos hoſce fugitivos, vix pervenerunt Carthaginem, oaufragium Patriæ vitaturos, ad theatrum pervolaſſe, regoantibusque in eo factionibus ſeſe immiſcuiſſe, ac licentiam nunquam antea viſam induxiſſe.

Ut calumniis Gentilium reſponderet, idem S. Auguſtinus ingens Opus ſuum de Civitate Dei adorſus eſt, perſuaſitque Paulo Oroſio, ut ſcriberet hiſtoriam univerſalem, quæ adhue ſupereſt. Porrò querelas haſce Romanorum, io crimine & Idololatriâ pervicacium, maximè frequentes extitiſſe oportet, cùm S. Auguſtinus ſeriam adeò refutationem oppoſuerit, & ſæpè adeò earum expoſtulationum in ſuis Operibus meminerit (*n*). Hæc ſatis ad aſſerendam ex mero verborum ſono veritatem oraculo Joannis de blaſphemiis & obduratione hominum beſtiam ſectantium. *Obſeſſa eſt Urbs Roma & expugnata, & non deſierunt blaſphemi ac furioſi eſſe Romani*, ait Salvianus (*o*).

℣. 12. SEXTUS ANGELUS EFFUDIT PHIALAM SUAM IN FLUMEN ILLUD MAGNUM EUPHRATEM, &c. Urbis Romæ ruinâ prænunciatâ, maliſque præeuntibus & comitantibus, quibus totus latè Occideos doluit, revocat nos Apoſtolus ad Orientem, ut ultionis Divinæ de Idololatriâ, *hæreſi*, & Magiâ argumenta, in conſequentibus exhibenda, intueamur. Euphrates ſiccatus denotat viam Regibus Orientalibus ſtratam, ut irrumpant in Romanorum ditionem, qoam Euphrates ab eo latere ſepiebat. Iſaias (*p*) & Zacharias (*q*) verbis ſimilibus expreſſere facilitatem, qua Hebræis in Ægypto & Babylone captivis reditus datus eſt. Gemina habet Pſalmiſta (*r*); & Author Libri quarti Eſdræ (*s*) ad verbum hæc accipienda ratus, cenſuit Dominum per medium Euphratis alveum viam populo ſuo captivo aperuiſſe, ut ſe eò reciperet, ubi tutò Legem ſervaret.

Supereſt modò ex hiſtoriâ demonſtremus, Regibus Orientis facilem patentemque viam fuiſſe in Romanam ditionem invadendi. Adnotatum eſt ſupra, Julianum temerè in regioocm Perſarum ingreſſum, vitam ibi cum parte copiarum amiſiſſe. Succeſſor Joviaous e præſentiſſimo diſcrimine edocere Romanas copias haud potuit, niſi turpi & incommodâ cum Perſis pace compoſitâ. Permittendæ illis fuerunt Provinciæ ad Tigrim tres, cmo arcibus noonullis, & Urbibus Niſibi & Singarâ; pollicendumque inſuper fuit, nulla præſitum iri a Romanis auxilia Arſaci Regi Armenorum, in Perſas bellanti. Ita Imperii Ro-

(g) *Salvian. lib. 7, cap. 39.* (h) *Hieronym. Ep. ad Marcellam.*
(i) *Hieronym. Præfat. in Ezechiel.* (k) *Vide Hieronymum, Epiſt. 15, & in Ezech. Auguſt. lib. 1 de Civit. cap. 5, & 32; & Serm. de Excidio Urbis Romæ, &c. Oroſ. Hiſt.*
(l) *Auguſt. lib. 1 de Civit. cap. 1.* (m) *Auguſt. de Civit. lib. 1, cap. 32.*
(n) *Vide Auguſt. ſerm. 81, 105, 106, &c.* (o) *Salvian. lib. 6 de Providentiâ.*
(p) *Iſai. xi, 15, 16; & L, 3.* (q) *Zachar. x, 10, 11.* (r) *Pſal. LXV.*
(s) *4 Eſdr. XIII, 41, 42, 43, 44.*

Digitized by Google

℣. 13. Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.

℣. 14. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

COMMENTARIUS.

Romani fines multò arctiùs contracti ſunt. Valens Joviani ſucceſſor expeditioni Perſicæ ſeſe immiſcuit anno 372, quo Param Armeniæ Regem adversùs illos defendendum ſuſcepit. Anno 373 commoda quædam ex hoſtibus reportavit ſub Ducibus Trajano comite, & Vadomiro olim Germanorum Rege (t). At anno 374 cùm Valens Param Regem Armeniæ proditione necaſſet, bellum inter Perſas Romanosque revixit. Componendis inter utramque Gentem rebus biennium abſumptum eſt; donec anno 376 Sapos in Armeniâ & Iberiâ locis quibusdam occupatis, coëgit Valentem, cui tunc alio ex latere Gothi inſtabant, admittere pacem (u) æquiſſimis, quoad fieri poterat in tantâ Imperii anguſtiâ, conditionibus.

Toto eo tempore fines Imperii rapinis omnibus excurſionibusque Perſarum, Iſaurorum, & Saracenorum patebant. S. Baſilius in Epiſtolâ (x), quæ ſcripta videtur exeunte anno 375, aſſerit, a Cappadociâ usque Conſtantinopolim hoſtibus omnia infeſtata, ut nec iter tutum eſſet; id autem ſingulis diebus accidiſſe, ex eo, quem adhibet, ſcribendi modo innuere videtur. Saraceni, ſpretâ pace, adusque montem Sinai & mare rubrum excorrerunt (y). Malorum omnium una erat cauſa, quòd res ad fines Euphratis & Orientis peſſimè eſſent conſtitutæ; nec Romanæ copiæ ſatis valido propugnaculo adversùs pernicioſiſſimos hoſtes erant.

℣. 13. Et vidi de ore Draconis, et de ore bestiæ, et de ore Pseudo prophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Tres iſti Dæmones (℣. 14) *procedunt ad Reges totius Terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum Omnipotentis Dei.* (℣. 16) *Et congregabit* (congregaverunt) *in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Locus iſte facilè eſt *Mageddo* (z) in Palæſtinâ, ex devictis ibi pluribus Principibus celebris. *Siſara* cum fœderatis Chananæis Regibus cæſus eſt ad Mageddon armis Barac (a). Ibi Ochozias Rex Juda periit (b); ibique pariter Joſias lethali vulnere affectus & prælio victus fuit (c). Ibi denique periiſſe credimus Cambyſem, oraculo Ezechielis ſub nomine Gog & Magog deſignatum (d). Juxta eumdem locum Joſue ingentem plurium Chananæorum Regum exercitum fudit (e). Deinde verò Romani validum ibi præſidium in Urbe *Legione* conſtituerunt, ut fauces illas inter Phœniciam & Palæſtinam magni momenti defenderent.

Armagedon eſt igitur hìc locus cædis & ultionis. Meminit Zacharias (f) luctûs *Adadremmon*, quæ erat juxta Mageddo, celebris obitu Joſiæ, tamquam rei, quæ apud Judæos in proverbium abierat. Deſignare autem hìc voluit Apoſtolus, Reges, Pſeudo Prophetas, vel Magos, ſpiritu beſtiæ & Draconis deceptos, quique alios decipere ſtuduerunt, judicatum iri ab Omnipotente, & pro merito nequitiæ ſeditionisque eſſe puniendos. Scimus autem, Valentem Arianum, Joviani ſucceſſorem, qui toto regni ſui tempore ab affligendis Catholicis non ceſſavit, quique exercitum ducendum tradiderat Sebaſtiano Manichæo, malis in Catholicos Alexandrinos illatis celebri; Valentem, inquam, ſpreto peritiſſimorum Ducum conſilio, & oraculo Iſaaci ſanctiſſimi Eremicolæ, qui de malis in Eccleſiam illatis illum arguerat, exitiumque ipſius ac totius exercitûs prædixerat, expeditionem in Barbaros aggreſſum fuiſſe. Sed prælio victum, exercitu exutum eſſe; & cùm affectus vulnere in vicinam caſtris domum translatus fuiſſet, injecto a Barbaris igne vivum arſiſſe, ut nullum deinceps ſive os, ſive pars alia corporis reperiri potuerit. Patres coævique Scriptores (g) Valentis caſum tamquam juſtam tyrannidis in Catholicos pœnam admirati ſunt.

Conjungi poteſt Maximus tyrannus, infelici exitu ſublatus, cujus exitium perinde habuit S. Ambroſius (h) ac Divini maledicti argumentum; puniebatur enim, quòd partibus Judæorum in Catholicos, qui Synagogas eorum cremaverant, faverit (i). Commemorata eſt ſupra, ℣. 3, animadverſio perſpicua in Eugenium Imperii uſurpatorem, Valentiniani interſectorem, & Gentilium fautorem (k). Hæc ſatis ad fidem oraculi Joannis de Regibus beſtiæ ſpiritu afflatis, deceptisque fraude eorum Dæmonum, qui e beſtiæ draconisque faucibus exierant.

Supereſt nunc, Dei judicium in Pſeudo Prophetam demonſtremus. Porrò hoc nomine cenſentur ætatis illius Magi & Philoſophi, qui ferè omnes Magicen tunc profitebantur (l). Ea peſtis hominum corripuit Julianum, & ad Eccleſiam laceſſendam concitavit. Dei vindicis erat, nequitiam eorum punire. Jam inde ab anno 364. qui alter fuit ab obitu Juliani, Imperatoribus Valentiniano, & Valente ſubitâ ægritudine correptis, dubitatum eſt, num veneficis Juliani amicis id maleficii tribuendum eſſet. Philoſophi Priſcus & Maximus rapti ſunt Conſtantinopolim, e quibus Priſcus ſtatim dimiſſus fuit abſolutus; Maximus grandi pecuniâ multatus eſt, ac detentus eſt in cuſtodiâ, donec omnem planè pecuniam ſolveret (m).

Sed hæc præludia erant tantummodo malorum, quæ Dei vindicis decreto perſonatos illos Prophetas manebant. Anno 374. cùm Antiochiæ ageret Valens, detecta eſt conſpiratio in ejus vitam

(t) *Ammian. Marcell. lib.* 29.
(u) *Zozym. lib.* 4, *pag.* 748; *Eunap. Excerpta de Legationib. ad calcem Eunap.* (x) *Baſil. Ep.* 250.
(y) *Sozomen. lib.* 6, *cap.* 38. (z) Armagedon Hebraicè הר מגדון Mons Magedon.
(a) *Judic.* IV, 7, 16; V, 19. (b) 4 *Reg.* IX, 27. (c) 4 *Reg.* XXIII, 29.
(d) *Ezech.* XXXVIII, XXXIX. Vide noſtram Diſſertationem de hoc argumento ad Ezechielem.
(e) *Joſue*, XI, 5, 7. (f) *Zach.* XII, 11. (g) *Hieronym. in Chronic. Rufin. l.* 2, *cap.* 13; *Oroſ. lib.* 7, *cap.* 33; *Socrat. lib.* 4, *cap.* 38; *Chryſoſt. Theodoret. &c.*
(h) *Ambroſ. Ep.* 127. (i) Clades Maximi contigit anno 388.
(k) Clades Eugenii Tyranni contigit anno 394. (l) *Aug. l.* 8, *c.* 9, *de Civit. Dei.*
(m) *Zozym. lib.* 4, *pag.* 735; *Eunap. cap.* 5.

℣. 15. Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

℣. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.

℣. 17. Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem, & exivit vox magna de templo a throno, dicens: Factum eſt.

℣. 18. Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræmotus, ſic magnus.

℣. 19. Et facta eſt civitas magna in tres partes, & civitates Gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

℣. 20. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.

COMMENTARIUS.

tam authoribus Ethnicis nonnullis, qui cùm ſucceſſoris in Imperio nomen inveſtigare magicis artibus tentaſſent, initiales ejus literas *Theod* eſſe compererunt (n). Rati igitur, Theodorum, ex viris a ſecretis Imperatoris alterum, eo indicio deſignari, Theodorum, inquam, Ethnicum, & pro ipſorum voto impium, hominem induxerunt, ut in partem conſiliorum ſuorum veniens, de Imperio seriò cogitaret. Sed arcano prodito, Theodorus capite diminutus eſt, ejusque ſupplicio aliorum complurium cædes acceſſit (o). Cùm verò Philoſophi ſeu Magi authores fuiſſent conjurationis, ex quâ tanta cædes inducta eſt, totum iræ Imperatoris pondus in illos recidit. Maximus, celebris ille Maximus, Juliani Apoſtatæ Præceptor, vinctus ductus fuit Antiochiam, deinde Epheſum tranſlatus capitale ſupplicium ſubiit (p). Simonides, Philoſophus alter & Magus, igne periit. Neci pariter traditi ſunt Hilarius, Patritius, Andronicus, aliique nonnulli. Fama eſt, Jamblicum, ætatis illius Philoſophum, venenum hauſiſſe, ne in Valentis manus incideret. Sævitum etiam eſt in Codices Magicos, quorum ingens copia toto Oriente tum a privatis, tum a Magiſtratibus (q) concremata fuit.

Ita plena fides manſit oraculo Joannis, minitanti Regibus, tyrannis, cæterisque illos ſequutis, ac Pſeudo-Prophetis, qui prodigiorum ſpectris ac præſtigiis Principes fallebant, ipſos collectum iri in Armagedon, ut pœnas crudelitatis & fraudum darent.

℣. 15. Ecce venio sicut fur. Contigerunt hæc anno 374, ab obitu Juliani decimo. Alludit hic Apoſtolus ad fures, veſtes ingredientium in balnea ſurripientes; *Balneorum latrones*. Horum ſæpè Tertullianus meminit.

℣. 17. Septimus Angelus effudit phialam suam in aerem; ſimulque inſonuit vox clamans: *Factum eſt*. En finis ſeptem plagarum. Hic ſupremus eſt ictus ultionis Dei in hoſtes Eccleſiæ. Romam ſe conferens Alaricus affirmabat, invitum ſe illuc impelli neſcio quo animum movente, ac jubente: *Perge Romam vaſtatum* (r).

℣. 18. Et facta sunt fulgura et voces, &c. ac tam validus terræ motus, ut nihil illi ſimile fuerit. Indicant hæc ingentem rerum in Imperio commotionem; nec ſanè major intelligi poteſt, quàm quæ ſupra in priorem ℣. deſcripta eſt. Per annos quinquaginta bella plura, defectiones, irruptiones, hoſtes in Imperio rem turbarunt, cui ad malorum cumulum acceſſit Urbis Romæ expugnatio & direptio, Provinciarum vaſtatio, & bellicarum virium exinanitio.

℣. 19. Facta est Civitas magna in tres partes. Ab obitu Juliani uſque ad Romam ab Alarico captam, recenſere licet novem vel decem Imperii uſurpatores, toto hoc tempore legitimis Imperatoribus bellum inferentes. *Procopius* paruit anno 365; *Firmus* anno 372; *Theodoſius* anno 374; *Maximus* anno 383; *Eugenius* anno 392; *Attalus* anno 409; *Jovinus* anno 412; *Sebaſtianus* anno 412; *Heraclianus* anno 413. Præterco Rufinum, Stiliconem, Eutropium, & Gainam, qui acceptam ab Arcadio & Honorio authoritatem in eorum perniciem converterunt. Cùm eâ ætate Imperatores duo rebus præeſſent, alter in Oriente, alter in Occidente, ſi tertius alius ſurgeret, Urbs magna, Romanum Imperium, Roma mundi caput & Domina, in partes tres neceſſariò diſtrahebatur. Sunt qui tribus hiſce partibus deſignari credant mala, quibus Deus Romam cecidit, peſtem, famem, bellum. Ezechiel (s) paribus ferè minis Jeroſolymam terrens, perdendam ait tertiam civium partem peſte & fame, tertiam anguſtiis obſidionis, tertiam captivitate & diſperſione. Roma quoque in tres partes diſtracta eſt. Veniente Alarico alii fugam prætulerunt; alii in Urbe manentes, in partes diſtinguebantur; quidam Idola, quidam Chriſtum colebant.

Civitates Gentium ceciderunt. Inſtitui nequit cenſus Urbium everſarum a Barbaris, qui eâ ætate Imperium undique inundarunt. Horum furorem nulla ex Imperii Provinciis evaſit. Roma tunc imperio terræ & maris orbata fuit.

Babylon magna venit in memoriam ante Deum; iratus Deus mentem ad illam advertit, *& dedit illi calicem vini indignationis iræ ejus*. Captâ ab Alarico Româ, Imperii totius Metropolis ludibrium hoſtium effecta, in eorum manus ſæpè cadens, ſæpè iterum recidit per longum centum quadraginta annorum ſpatium. Ceſſit Alarico anno 410, deinde tranſiit ad Ataulphum anno 411; tum Genſerico paruit anno 455; Odoacero anno 476, Theodorico anno 500, Totilæ annis 546, & 549.

℣. 20. Omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Caſu Romæ Imperium univerſum adeò terruit, ut Provinciæ, Inſulæ, urbes, montes

(n) *Ammian. lib. 29; Sozom. lib. 6, cap. 35; Socrat. lib. 4, cap. 35, &c.*
(o) *Ammian. lib. 29; Eunap. cap. 5.* (p) *Zonar. pag. 28.*
(q) *Ammian. lib. 29; Chryſoſt. in Acta, homil. 38.* (r) *Socrat. lib. 7, cap. 10; Sozomen. alii.*
(s) *Ezech. v, 12.*

Digitized by Google

℣. 21. Et grando magna ſicut talentum deſcendit de Cœlo in homines: & blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis: quoniam magna facta eſt vehementer.

COMMENTARIUS.

tes ſimul tremerent (t). Locutiones iſtæ Prophetis familiares ſunt ad exprimendum grande aliquod malum, lapſui Tyri ſimile. Exhibet Iſaias (u) Inſulas urbesque maritimas ac naves ejus ſuccri parentantes. Ezechiel (x) tradit, exitio Tyri Inſulas trepidaturas, & Principes terræ in pulvere ſeſſuros. Interdum deſcribunt montes concuſſos, & quodammodo eliquatos, cacumina demittentes ad iram Omnipotentis. Exprimunt hæc omnia Dei ultionem ingentem & inſolitam.

℣. 21. GRANDO MAGNA SICUT TALENTUM. Sive hæc accipiantur allegoricè de pondere terribili ultionis Divinæ in urbem miſerrimam daturbæ, ſive de lapidibus grandinis, aliisque ſimilibus malis Imperium affligentibus; eorum executio facilè ex hiſtoriâ demonſtratur. Grando lapſa Conſtantinopoli poſt exilium S. Joannis Chryſoſtomi anno 404, apud Hiſtoricos perinde ac perſpicuum & terribile ultionis Divinæ argumentum habetur (y). Octo librarum fuiſſe tradit Philoſtorgius (z); alii nucis magnitudinem æquaſſe affirmant. Sed præſtat grandinem hîc pro quacumque Divinæ ultionis flagello uſurpare; quam interpretationem tota narrationis ſeries ſuadet. Addit Apoſtolus: *Blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis*; docetque S. Auguſtinus (a), Ethnicos in dies nequiores factos, ea, quibus premebantur, mala, ac præſertim Romæ ruinam & direptionem abolitioni idololatriæ tribuiſſe.

CAPUT XVII.

Babylon magna meretrix inſidet aquis. Sanguine Sanctorum ebria fit. Deſcriptio beſtiæ, quæ Babylonem vehit; cujus ſeptem capita decemque cornua explicantur. Reges in comitatu beſtiæ. Victoria Agni.

℣. 1. ET venit unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas,

℣. 2. Cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VENIT UNUS DE SEPTEM ANGELIS, qui Capite ſuperiori paruerant, ſeptem phialas iræ Dei tenentes. Ex his unus vocavit Apoſtolum: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas*. Magna meretrix eſt Roma, Idolis ſerviens (a). Multæ aquæ ſunt gentes quibus imperat, ut idem Angelus infra, ℣. 15, explicat. Caput hoc explicatio eſt decimi tertii, quin & totius Libri clavis. Profectò nihil magis convenit Romæ ſuperſtitioſæ, quàm nomen meretricis eo ſenſu, quo a Prophetis uſurpatur (b); ita enim illi appellare ſolent urbes moribus perditas & infideles. Quæ Apoſtolus infra meretrici huic tribuit, magis magisque ſuadent, ut de urbe Româ interpretemur. (℣. 18.) *Habet regnum ſuper Reges terræ.* (℣. 9.) *Septem montes ſuper quos mulier ſedet.* (℣. 6.) *Ebria eſt de ſanguine Sanctorum, & Martyrum Jeſu*. Denique nomen ejus myſticum eſt (℣. 5.) *Babylon magna*; quam appellationem jam obtinuit Roma in primâ Epiſtolâ Petri (c): *Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta*.

℣. 2. CUM QUA FORNICATI SUNT REGES TERRÆ. Nedum Romani Imperatores, ſed & ſubjecti Imperio Reges, Idololatriæ ſcelere ſeſe polluerunt; quin & Urbem ipſam Romam divinis honoribus donavere (d).

Terrarum dea gentiumque Roma.

INEBRIATI SUNT, QUI INHABITANT TERRAM, DE VINO PROSTITUTIONIS EJUS. Numina & ſuperſtitionem ubique, nec irrito conatu, obtrudit. Cùm Deos plures admitteret, æquo animo ferebat, aliorum Numina ſimul cum ſuis conjungi; ac religioſè ducebat, ſi nullum Deum reſpueret (e): *Cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus; & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem*.

℣. 3. AB-

(t) *Vide Hieronym. Epiſt.* 56; *& in Ezech. Proœm. Auguſt. lib.* 2 *de Civit. cap.* 33.
(u) *Iſai.* XXIV, 3, 4.
(x) *Ezech.* XXVI, 15.
(y) *Sozom. lib.* 8, *cap.* 27; *Socrat. lib.* 6, *cap.* 19; *Chronic. Alex. pag.* 714. (z) *Philoſtorg. l.* XI, *c.* 7, *pag.* 530. (a) *Auguſt. lib.* 1 *de Civit. cap.* 3; *& de Urbis Excidio, tom.* 6, *nov. edit. in fine.*
(a) *Hieronym. in Iſai.* XIV; *Tertull. contra Judæos, cap.* 9; *Andreas & Areth. Cæſareenſ. Berengaud. Victorin. Oecumen. Viegas, Ribera, Sixt. Sen. lib.* 2 *Biblioth. Bellarm. lib.* 2 *de Pontif. cap.* 2; *Alcazar. Apoc.* 13; *Cornel. alii plures apud eum; Boſſuet, Du Pin.*
(b) *Iſai.* XXIII, 17, *&* XLVII, 3, 8; *Nahum*, III, 4.
(c) 1 *Petr.* V, 13. *Vide Papiam apud Euſeb. lib.* 2 *Hiſt. Eccl. c.* 15; *Hieronym. Catalogo; Bed. Oecum. in* 1 *Petri.* (d) *Martial. Ep.* XII.
(e) *Leo Magn. hom.* 1 *in Natali Apoſtol. Petri & Pauli.*

Digitized by Google

ꝟ. 3. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

ꝟ. 4. Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſuâ, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.

ꝟ. 5. Et in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium: Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.

ꝟ. 6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine martyrum Jeſu. Et miratus ſum cùm vidiſſem illam admiratione magna.

ꝟ. 7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.

COMMENTARIUS.

ꝟ. 3. Abstulit me in spiritu in desertum. Angelus, quo docente eorum, quæ per viſum ſpectavi, arcana mihi detecta ſunt, tranſtulit me ſpiritu in ſolitudinem, ubi nihil erat quod mentem meam aliò averteret. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam.* Urbes & Provinciæ ſub imagine mulierum plerumque exhibentur, nedum apud Prophetas, verùm etiam apud Poëtas, profanoſque Scriptores. Noſtra hæc mulier coccineo ſeu purpureo induitur; qui color erat Imperatorum, ac ſupremam poteſtatem indicabat (f). Coccineus color deſignare poteſt Martyrum cruorem, quo illa tingebatur. *Plena* erat *nominibus blaſphemiæ*, quæ illa protulerat in Chriſtum, & quæ proferre coëgerat gentes & Chriſtianos, quos in apoſtaſiam pertraxerat.

Habebat capita ſeptem & cornua decem; id quod ſupra, XIII, 1, animadvertere licuit. Septem Capita ſunt Imperatores ſeptem, Eccleſiæ hoſtes, videlicet *Diocletianus*, *Maximianus*, *Galerius*, *Maximinus*, *Severus*, *Maxentius*, *Licinius*. Siquis pro Severo ponendum cenſuerit *Conſtantium Chlorum*, per nos licet. Decem cornua ſunt, ſeu decem Præfecti provinciarum, qui Imperatorum edicta executioni mandarunt, ſive decem Imperatores purpurati, rerum potientes, quo tempore vexatio illa ſæviebat; quamquam non omnes Eccleſiam vexabant. Decem iſti ſunt Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maximinus, Severus, Maxentius, Licinius, Conſtantius Chlorus, Conſtantinus, & Eugenius.

ꝟ. 4. Mulier erat circumdata purpura. Mulierem hanc ſummo ſtudio deſcribit Apoſtolus, quòd præcipuum eſſet vaticinii argumentum. Omnia illi tribuit ornamenta, quæ aptiſſima putabat ad pingendam mundi dominam, ſedem ac propugnaculum Idololatriæ, & myſticam meretricem omnium prorſus mortalium. Exhibetur hæc ſimilis omnino veteri Babyloni, de qua ſcriptum eſt (g): *Calix aureus Babylon, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ ſunt.* Hoc Apoſtolus ſpectat.

ꝟ. 5. In fronte ejus nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna. Non hîc agitur de Babylone Chaldææ Urbe ad Euphratem, ſed de Babylone myſticâ, cui omnes veteris Babylonis notæ conveniunt. Nimirum urbs eſt Idololatriâ & ſuperſtitionibus ſcatens, cujus iniquo ſub jugo populi gemunt, quæ Sanctis adverſatur, Templa Domini evertit, ſuæ tantùm ſuperbiæ obtemperat, flagellum eſt Dei ad puniendas gentes; denique cùm menſuram criminum ſuorum expleverit, hauſtura eſt pro ſuâ vice Calicem furoris Dei, quo ipſa tam multas gentes proluit. Confer ea, quæ Prophetæ in Babylonem declamarunt (h). Scitè animadverſum eſt, meretrices Romæ nomen interdum in fronte geſtaſſe, cellarumque ſuarum limini inſcripſiſſe (i); quem morem ſpectaſſe videtur Apoſtolus.

ꝟ. 6. Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum. Roma Idolis ſerviens, & qui in eâ regnabant Imperatores, Provinciarum Imperii Præſides, ſubjectæque illis gentes in laceſſendâ Eccleſiâ Chriſti modum omnem exceſſerant; quorum furor optimè ebrietate ſanguinis exprimitur. Ad ebrietatem uſque bibit. Ebrietas autem hæc, & crudelitas immodica admirationem Apoſtolo expreſſit. Quorſum illa infeſtam adeò ſe præbuit fideliſſimis, obſequentiſſimis, & maximè probis inter omnes, qui ejus imperio parebant? Quæ perſonatas omnes religiones admittebat, nec extraneum quodcumque Numen recuſabat, unam hanc ex omnibus reſpuit Religionem ſinceram, quæ ſola corrigere ad ſanctimoniam, ad ſapientiam, ad juſtitiam ſubjectum ſibi populum valeret.

ꝟ. 7. Dicam tibi sacramentum mulieris. Angelus aperire aggreditur Apoſtolo arcanum viſionis, quæ illi obverſabatur, & quam ſupra, Capite XIII, deſcripſerat, nempe de perſecutione beſtiæ, & de pœnis ab illâ in ultionem tantæ ſævitiæ perferendis.

ꝟ. 8. Be-

(f) *Horat. Carm. lib. 1, Ode 35: Purpurei metuunt Tyranni.* (g) *Jerem.* LI, 7.

(h) *Jerem.* LI; *Iſai.* XIII, XIV, XXI; *Ezech.* XXIX, XXX. *Vide & Hieronym. in Jovinian. lib.* 2 *ad finem.*

(i) *Senec. Controv.* 1: *Meretrix vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus. Idem ibidem: Nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti, &c. Juvenal. ſatyr.* 6, *de Meſſalinâ:*

. . . . . Nuda papillis
Conſtitit auratis, titulum mentita Lyciſcæ.

Vide Martial. Epigr. 2, 46. *Cornel. & Med. hic; Durant. lib.* 2 *Variar. c.* 2.

℣. 8. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitum ibit; & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ a conſtitutione mundi), videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.

℣. 9. Et hic eſt ſenſus, qui habet ſapientiam. Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & Reges ſeptem ſunt.

℣. 10. Quinque ceciderunt, unus eſt, & alius nondum venit: & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.

℣. 11. Et beſtia, quæ erat, & non eſt: & ipſa octava eſt: & de ſeptem eſt, & in interitum vadit.

COMMENTARIUS.

℣. 8. BESTIA QUAM VIDISTI, FUIT, ET NON EST. Beſtia, quam vidiſti furentem, ſævam, & Sanctorum cruore ebriam, fuit quidem, ſed brevi evaneſcet. Conceſſa eſt illi poteſtas ſæviendi per annos tres & dimidium. Abuſa eſt poteſtate, odio indulſit; ſed actum eſt; modò evanuit; cernes illam proſtratam, damnatam, in abyſſum deturbatam. *Non erit ampliùs*, eo quòd in conditionem infeliciſſimam redacta, perinde erit ac ſi in nihilum reciderit; *Non quòd deſiſtat qui in pœnis eſt ſempiternis*, ait S. Hieronymus (k), *ſed quòd, qui Deo non vivit, in Scripturis Sanctis dicantur non ſubſiſtere.*

Roma e ſuperbiæ ſtatu dejecta, Profanam ſuperſtitionem deſeret, & ad fidem converſa Chriſtianæ Religionis ſedes efficietur, quemadmodum olim ſedem ac propugnaculum fraudis atque erroris ſeſe exhibuerat. Ut iſta intelligas, animum converte non ad tempus quo Joannes ſcribebat, ſed ad illud, quod ejus oraculo ſpectabatur; ad annos nempe qui exceperunt perſecutionem Diocletiani ac cæterorum, uſque ad Conſtantinum; ac deinde ad annos poſt Julianum & Valentem. Equidem Valens Chriſtianam Religionem profitebatur, ſed ſtudioſiſſimus Arianorum. Tunc utique affirmari poterat, breviſſimum temporis momentum inter Romam florentem acciſamque, inter Romam ebriam ſanguine Sanctorum & Romam non exiſtentem interceſſiſſe. Neque enim jam exiſtebat Roma illa ſuperba, ſæva, ſuperſtitioſa, Domina Mundi; ſed Roma erat altera, Chriſtiana humilis, obſequens, veteri ſplendore exuta, & eo Religionis Chriſti ſtudioſior, quo fuerat infenſior.

ASCENSURA EST DE ABYSSO, ET IN INTERITUM IBIT. Hæc per futurum efferuntur; neque enim tunc adhuc contigerant, cùm ab Apoſtolo ſcriptis mandabantur, & ab Angelo explicabantur. At ſi mentem adverteris ad ea, quæ prænonciata ſunt Apoſtolo Capite XIII, 1, & ea quæ hîc narrantur de caſu beſtiæ, per præteritum tempus efferenda hæc ipſa intelliges, ut ſit ſenſus: Aſcendit ex abyſſo; & brevi fiet ut pereat. Prophetæ, quibus certa ſedet oraculorum ſuorum veritas, præteritum & futurum indiſcriminatim uſurpant.

MIRABUNTUR INHABITANTES TERRAM, QUORUM NON SUNT SCRIPTA NOMINA IN LIBRO VITÆ. Obſtupebunt ad caſum beſtiæ, cui fata & oracula æternitatem ſpondere videbantur (l):

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſine fine dedi.

At Chriſtiani minimè obſtupuerunt; futurum quippe intelligebant, ut Urbs, quæ tot ac tantis criminibus tenebatur, tantum ſanguinis effuderat, Dei vindicis gladium experiretur. S. Melania Urbem & ipſa deſeruit, & deſerendam aliis ſuaſit, quòd arcanâ mentis perſuaſione illam brevi perituram noſſet (m).

℣. 9. SEPTEM CAPITA SEPTEM MONTES SUNT. Neminem latet, Romam collibus ſeptem inſidere (n):

Dis, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.

Ovidius (o):

Sed quæ de ſeptem totum circumſpicit orbem
Montibus, imperii Roma Deûmque locus.

℣. 10. ET REGES SEPTEM SUNT. Septem capita indicant & Urbem & Romanos Imperatores, qui Eccleſiam vexarunt, videlicet, uti recenſuimus, Diocletianum, Maximianum, Galerium, Maximinum, Maxentium, Severum, Licinium. *Quinque ceciderunt*, nempe Diocletianus, Maximianus, Galerius, Maxentius, & Severus. *Unus eſt*, nempe Maximinus, qui Eccleſiæ Orientali bellum ſæviſſimum intulit. Sed eo tandem, perinde ac cæteris, ſublato, Licinius venit, Eccleſiam modico aliquo tempore vexaturus; ſed & ipſe armis Conſtantini oppreſſus fuit. Hæc ſubobſcurè denotantur his verbis: *Alius nondum venit; &, cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.* Vide dicta ſupra, XIII, 1, 2, 3.

℣. 11. BESTIA QUÆ ERAT, ET NON EST, ET IPSA OCTAVA EST, ET DE SEPTEM EST. Cùm ſeptem illa Capita excidiſſent, & ſeptem Imperatores Tyrannos mors ſuſtuliſſet, perire viſa eſt beſtia, uti dictum eſt Capite XIII, 3, 12; ſed ejus vulnere, ſaltem per ſpeciem, obducto, tunc ſurrexit alia beſtia, *& habebat cornua duo ſimilia agni*; quod octavum beſtiæ caput rectè dixeris. Beſtia hæc *de ſeptem eſt*; de ſeptem nempe prioribus, quorum venenum, ſævitiam, ac nequitiam ipſa referebat, quamvis numero octava eſſet; *Et ipſa octava eſt*. Deſcribitur Julianus Apoſtata, cujus ingenium luculentiſſimè vides Capite XIII, 11, 12, 13, 15, 16, 17. *Et in interitum vadit*; neque enim Julianus niſi anno uno & ſeptem vel octo menſibus regnavit; quamquam in inferendis Eccleſiæ malis multus fuit. Sperabant Gentiles futu-

(k) *Hieronym. in Ezechiel. XXVI.* (l) *Virgil. Æneid. 1. Vide & Horat. carm. ſæculare:*

Vosque veraces cecinisse Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervet, bona jam peractis
Jungite fata.

Florus in Tarquinio Superbo: De manubiis captarum urbium templum erexit, quod cùm inaugurarelur, cedentibus cæteris Diis, reſtitêre Juventas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum, ſiquidem firma omnia & æterna pollicebantur.

(m) *Hiſtoria Lauſiaca, cap. 118.* (n) *Horat. Carmen ſæculare.* (o) *Ovid. lib. 1 Triſtium.*

Digitized by Google

℣. 12. Et decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt; qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tamquam Reges unâ horâ accipient poſt beſtiam.

℣. 13. Hi unum conſilium habent; & virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.

℣. 14. Hi cum agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex Regum, & qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles.

COMMENTARIUS.

futurum; ut ejus auctoritate & ſtudio res Profana refloreſceret.

℣. 12. Decem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt. Beſtia, quam Apoſtolus Capite XIII, 1, ſpectavit, ſepticeps erat, cornibus inſtructa decem coronatis, idque nos interpretati ſumus de Regibus, qui diverſas Romani Imperii provincias in totidem Regna converterunt (p), quique e vaſtiſſimo corpore avulſa membra ſinguli inter ſe diſtraxerunt. Hinc rectiſſimè unico beſtiæ corpori quodammodo inſeruntur. Quam unam genuinam eſſe hujus emblematis explicationem, conſequentia demonſtrant. Numerus denarius numerum ingentem genericè deſignare poteſt (q): ſi quis tamen pro decem omnino accipiendum velit, illi pronum eſt ſequi Berengaudum, ſeptimi ſæculi Scriptorem, qui ſæpe in impreſſis nomen S. Ambroſii in Apocalypſim ſortitus eſt. Porrò hic tradit, Perſas & Saracenos occupaſſe partem Aſiæ, Vandalos Africam, Gothos Hiſpaniam, Longobardos Italiam, Burgundos Galliam, Francos Germaniam, Hunnos Pannoniam, Alanos & Suevos alias complures regiones, quas excurrerunt.

Qui regnum nondum acceperunt. Non acceperunt nec ſæviente nec pacatâ perſecutione. Neque enim ſub ſeptem Imperatoribus Eccleſiæ hoſtibus, neque ſub Conſtantino ejusque filiis, nec denique ſub Juliano Reges barbari Romanum Imperium inundarunt, ibique regnum conſtituerunt. Regna iſta nonniſi quinto ſæculo primùm coaluerunt. Cùm Apoſtolo per viſum ſeſe obtuliſſent decem cornua coronata, e corpore beſtiæ ſurgentis, ſimulque ſeptem capita, ſuccurrere illi facilè poterat, decem illa cornua ſimul cum Tyrannis Imperatoribus regnatura. Id ne reputaret, Angelus opportunè occupans, monet, decem hos Reges nondum capeſſiviſſe Regnum, quo tempore ſeptem Imperatores rebus præerant. *Sed*, ait, *poteſtatem tamquam Reges unâ horâ accipient poſt beſtiam;* ſive ex Græco (r), *cum beſtiâ;* quod diſcrimen eſt vocis, non rei. Reges enim dignitatem acceperunt *poſt beſtiam*, poſt ejus caſum, rebus Romani Imperii jam acciſis; ſive *cum beſtiâ*, eo ſcilicet tempore, quo Romano Imperio ſui adhuc erant Imperatores, ſed Chriſtiani & Catholici, quamquam priſtino ſplendore inferiores, ob tot Provinciarum evulſionem.

Addit Apoſtolus, Reges illos *poteſtatem* accepiſſe *unâ horâ*. Reddi poteſt Græcus, *eâdem horâ*. ſtatim poſt: utraque verſio commodè defenditur. Reges iſti eodem fermè tempore in variis Imperii provinciis conſederunt, & veluti uno conſenſu in omnes vaſti hujus Imperii partes irruptionem fecerunt (s). Ab anno 400, usque ad 410, Gothi altiùs in dies in Imperii viſcera ſeſe inſinuarunt; Hunni verò, Iſauri, Vandali, Alani, Suevi, Burgundiones, Galli, aliæque barbaræ gentes undique concurſum eò fecerunt, & unam hanc deinceps habuerunt curam, ut ibi ſedes occuparent, occuparuntque reipsâ alii quidem citiùs, alii ſeriùs, ſed fermè omnes intra ſpatium ſaltem annorum triginta.

℣. 13. Hi unum consilium habent, ut quem maximè poſſunt opimum commodumque locum ſeligant; ut quàm optimam Provinciam ſibi rapiant, ut diripiant ſpolia Imperii illius, quod alia omnia diripuerat. Cæteri quidem Reges bellum ſuſcipiunt eo conſilio, ſive ut injurias ſuas ulciſcantur, ſive ut ditionem amplificent, ſive ut jura ſua tueantur. Conſilium planè diverſum Reges hosce permovit. Nullum illis jus erat in Provincias, quas aggrediebantur; ditionibus ſuis addere aliquid non meditabantur: una hæc illos coquebat cura, ut novum Regnum ſibi pararent, & armis aſſererent.

Potestatem suam bestiæ tradent. Quo pacto iſtud verum eſt, cùm venerint dominationem ejus everſuri, magnumque Imperii corpus laceraturi? Tempora diſtinguenda ſunt. Primò quidem Gothi, Galli, aliæque gentes apertâ vi in Imperium irruperunt. Pro viribus repugnatum eſt: ſed tandem eùm eò perrupere, malum neceſſariò ferendum fuit. Cùm verò nullam vitæ profeſſionem, præter bellicam, exercerent, Imperatoribus Ducibusque commodum non ſemel accidit, ut auxilia inde compararent, quæ barbaris aliis, & æmulis Imperatoribus opponerent. Eorum tutelæ Provinciæ commiſſæ ſunt; in fœdus cum Romanis accepti, atque ampliſſimæ regiones in ſedem illis traditæ. Spectare licuit Alaricum Romanis armis ſub Arcadio anno 399 imperantem. Gainas Gothus ab eodem Principe miſſus eſt contra Tribigildum, qui anno 400 in Aſiâ defecerat. Stilico deſtinabat Alarico occupationem Illyrici Orientalis adversùs Arcadium, ejusque rei gratiâ Illyrici Imperatorem anno 405 illum renunciavit. Francorum arma in exercitu Romanorum non ſemel claruerunt; & in exercitu Aëtii adversùs Attilam copias auxiliares unà cum Burgundis, Saxonibus & Gothis conſtituebant (t). Alani, & Hunni merebant ſub ſignis Honorii in expeditione adversùs Radagaſum (u). Roma idcirco capta eſt ab Alarico, quòd obſtrictæ cum illo promiſſionis fides violata fuerit (x).

℣. 14. Hi cum Agno pugnabunt. Primò quidem gentes illæ idolis ſerviebant, Chriſtianum nomen exoſum habebant, & Chriſtiani plures prio-

(p) *Vide Berengaud. hic, Boſſuet, Du Pin, Grot. alios pleroſque.*

(q) *Ticbon. Beda, Alcazar. alii paſſim.*

(r) Ἀλλ' ἐξουσίαν ὡς Βασιλεῖς μίαν ὥραν λαμβάνουσι μετὰ τοῦ θηρίου. *Alii:* Μετὰ τὸ θηρίον, *Poſt beſtiam. Ita Velez. Vulg. alii, Iren. Andre. Areth. Primaſ. Cum beſtiâ.*

(s) *Vide Hieronym. Ep.* XI; *Zoſym. lib.* 6; *Oroſ. l.* 7, *c.* 38, 39, 40. (t) *Jornand. de Reb. Gethicis.*

(u) *Zoſym. lib.* 4; *Oroſ. lib.* 7, *c.* 37. (x) *Jornand. de Reb. Gethicis. Alii.*

℣. 15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & Gentes, & linguæ.

℣. 16. Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtiâ, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt.

℣. 17. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum eſt illi: ut dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei.

COMMENTARIUS.

prioribus eorum irruptionibus in Provincias Imperii perierunt (y). S. Auguſtinus (z), & Paulus Oroſius (a). Sermonem habent de Athanarico, Gothorum Rege, ſub quo infinita propemodum Chriſtianorum multitudo Martyrium tulit.

Agnus vincet illos. Fidei & Religioni Chriſtianæ illos ſubmittet. Gentes iſtæ, quarum pars hodieque exiſtit, maturè ſatis Chriſto victas manus tradiderunt. *Adora quod cremaſti*, ajebat ad Clodovæum S. Remigius. Ex his quidem nonnullæ ad Arium, cujus partes tunc validiſſimæ erant, defecerunt; ſed brevî factum eſt, ut pleræque ad Eccleſiam Catholicam regrederentur. Burgundiones primò Catholicam Religionem profitebantur; Franci verò jam inde ab exordio. Viſigothi in Hiſpaniâ veram fidem amplexi ſunt, & Arium abdicarunt ſub Recaredo fratre S. Hermenegildi, qui pro fide ſanguinem fuderat. Tradit Oroſius (b), Eccleſias impletas eſſe Hunnis, Suevis, Vandalis, Burgundionibus, aliiſque ſimilibus populis, ſummo Romanorum probro, qui inter Chriſtianos adhuc tamen in Idololatriâ perſeverabant. Barbaros hoſce Chriſtus idcirco reduxit ad obſequium, *quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum*; eæque gentes, quæ hactenus execrationi fuerant & contemptui cæteris, per converſionem *electi & fideles* evaſerunt.

℣. 15. Aquæ quas vidiſti . . . . . populi sunt, integræ illæ gentes, quas Roma legibus & imperio coërcet. Familiaris eſt populorum cum fluminibus & aquis inundantibus comparatio. Vide Iſaiam, viii, 6, 7, Jeremiam, li, 23; Nahum, ii, 8.

℣. 16. Decem cornua . . . . . odient fornicariam. Quæ Romanum Imperium inundarunt barbaræ gentes, quique illis præerant Reges, meretricem hanc omnes oderant; omnes enim Romæ & Imperio infenſos ſeſe præbebant, in ejuſque exitium & perniciem omnes conſpirabant. Capite xvi, 3, demonſtravimus, profanam Religionem & Idololatriam tunc Romæ adhuc regnaſſe. Quo tempore armis Alarici ea ceſſit, plerique ſummo ſtudio erga Idola tenebantur, uti eodem Capite xvi animadvertimus. Jure igitur meritoque Roma meretrix appellata eſt (c). Gothi *deſolatam fecerunt illam*, tunc ſcilicet, cùm ab Alarico capta eſt; *fecerunt nudam*, cùm direptioni Urbs patuit, Eccleſiis tantummodo reſervatis; *concremarunt illam igni*; idque diſertè Marcellinus (d), S. Hieronymus (e), Oroſius (f), & Philoſtorgius (g) affirmant. Hoſtiles manus nihil evaſit, non puellarum, non mulierum, non Virginum Deo ſacratarum pudor (h). Roma periit igne, gladio, peſte, & fame, uti S. Auguſtinus non ſemel adnotavit (i). Docet Apoſtolus, *carnes* hujus meretricis hoſtes *manducaſſe*; quibus verbis commodè exprimitur dira illa fames, quæ Romam ante obſidionem & eâ cœpta vexavit; vel, ſi mavis, licentia, quam miles victor exercuit in corpora ingenuorum, qui in ejus manus inciderunt. Tradit S. Hieronymus (l), famem illam eò redegiſſe homines, ut humanis carnibus veſcerentur.

℣. 17. Deus dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum eſt illi (m). Nolo reputes, barbaris illis gentibus curam hanc inſediſſe, ut Deo parêrent, illataſque nomini ejus & honori injurias ulciſcerentur, aut Martyrum ſanguinem vindicarent: unicum erat illis conſilium, ut privatam ultionem expeterent, avaritiam explerent, & in iis, quæ occupabant, locis Idola conſtituerent. Sed Scriptura ait, Deum hanc mentem illis indidiſſe, ut juſſionibus ſuis parêrent; ideo videlicet, quòd malis eorum mentibus uſus Deus eſt opportunè, ut decreta ſua impleret; pravis illorum cupiditatibus laxavit fræna, & imprudentes inſciaque ita deduxit, ut tamquam inſtrumenta libera & animata conſiliis ſuis ſervirent. Ita pariter in Veteri Teſtamento Nabuchodonoſorem, id minimè cogitantem, in Jeroſolymam deduxit, & ex remotiſſimis terrarum finibus hoſtes in populum ſuum contumacem concitavit.

Ut dent Regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei. Hoſtes Imperium invadentes id unicè cogitabant, ut ſedem ibi & ſuam & Religionis ſuperſtitioſæ conſtituerent; adeoque & ditionem ſuam imperio beſtiæ, & Idololatriæ ſubmitterent; ſed rem Deus aliter movit; ipſi enim victores cedere coacti ſunt Agno, cui bellum indicere, & cujus imperium evertere moliebantur (n). Verti etiam poteſt: Primum eorum conſilium fuit, ut *darent Regnum ſuum beſtiæ*. Cùm primùm in ditionem Imperii irruperunt, ſpondere ſibi non audebant, rem ſibi proſperè adeò ſucceſſuram. Deſtinabant animo vitam ibi ſub Romanorum Lege & Religione degere, novas ſedes, iis meliores quas deſeruerant, optantes. Ex iis pleroſque eò vocavit Stilico (o), qui armis eorum Arcadium & Honorium laceſſere meditabatur. Sed cùm in ſubigendis Provinciis minus quàm timebant difficultatis nanciſcerentur, ſtratam ſibi a Providentiâ viam per-

(y) *Boſſuet hic, Du Pin.* (z) *Auguſt. de Civit. lib.* 27, *cap.* 5. (a) *Oroſ. lib.* 2, *cap.* 32.
(b) *Paul. Oroſ. lib.* 7, *cap.* 41. *Vide & Berengaud. hic, & Boſſuet, & Du Pin, & Grot. Vide & Hieronym. ad Heliodor. & ad Laetam.* (c) *Berengaud. Boſſuet.* (d) *Marcell. Chronic.*
(e) *Hieronym. Ep.* 22. (f) *Oroſ. lib.* 7, *cap.* 39. (g) *Philoſtorg. pag.* 534.
(h) *Auguſt. de Civit. lib.* 1, *cap.* 16. (i) *Auguſt. Serm.* 296, *cap.* 5; *lib.* 2 *de Civit. cap.* 7; *Serm. de Urbis Excidio, cap.* 2. (l) *Hieronym. Ep.* 16 *ad Principiam.*
(m) Addit Græcus: Καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην. At hæc non habentur in Vulgatâ & Codice Alexandrino; deſumpta fortaſſe ex ℣. 13 hujus Capitis. (n) Vide ℣. 14.
(o) *Vide Oroſ. lib.* 7, *cap.* 37; *Marcell. & Tiro Proſper, Chronic.*

℣. 18. Et mulier, quam vidiſti, eſt civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

COMMENTARIUS.

ſequi ſtatuerunt, Exhibito aliquandiù beſtiæ auxilio, geſtisque inter Romanos armis auxiliaribus *(p)*, occupatas Imperii Provincias inter ſe diviſerunt. Denique Alaricus, coactis per vim Romanis Imperium Attalo deferre, palam ſatagebat, ut Imperium beſtiæ conſtitueret; cùm novus iſte Imperator & Arium ſectaretur, & Gentilibus faveret *(q)*.

℣. 18. Mulier, quam vidiſti, est Civitas magna. Mulier, quam beſtiæ inſidentem vidiſti, Roma eſt, his coloribus affabrè expreſſa. Illam quidem ſtatim prioribus verſiculis deſcripſerat; ſed rei gravitas poſcebat, perſpicuè adeò illam deſignari, ut ambiguitas omnis tolleretur.

CAPUT XVIII.

Caſus Babylonis. Dei populus ex illâ egreditur. Superbia ejus dejecta. Stupor eorum, qui cum illâ conſuetudinem detinuerant; qui & miſera dira imprecantur. Gaudium Sanctorum. Sanguis Martyrum in eâ reperitur.

℣. 1. ET poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt a gloriâ ejus.

℣. 2. Et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritûs immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis:

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST HÆC VIDI ALIUM ANGELUM DESCENDENTEM DE CŒLO (℣. 2) ET EXCLAMAVIT IN FORTITUDINE *(a)*: CECIDIT BABYLON MAGNA. Romæ caſus potiſſimum erat oraculi hujus argumentum. Tanta ea res ſæpe commemoratur, & tam vivis coloribus pingitur, ut tantùm non oculis videatur. Porrò Apoſtolus in ſuum uſum trahit locutiones & tropos, quibus Iſaias & Jeremias exprimunt caſum Babylonis, Chaldææ Metropoleos, easque transfert ad exhibendum ſub oculos caſum & vaſtationem Romæ, Imperii Romani Principis. Confer Iſaiam, XXI, 9; Jeremiam, LI, 8. *Babylonia quaſi prima Roma; Roma quaſi ſecunda Babylonia eſt*, ait S. Auguſtinus *(b)*.

℣. 2. FACTA EST HABITATIO DÆMONIORUM, ET CUSTODIA OMNIS VOLUCRIS IMMUNDÆ, Caſum & ruinam magnarum Urbium deſcribentes Prophetæ, iiſdem, quibus hîc Joannes, verbis uſi, eas redactum iri prædicunt in habitacula Dæmonum, inanium ſpectrorum, fœdarum & triſtium avium, animalium peſtiferorum & mali ominis. Iſaias *(c)*: *Erit Babylon illa glorioſa in Regnis inclyta, ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generatione ad generationem; nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores quieſcent ibi.* Locus ipſe ſterilis, maledictus, & deſertus evadet. *Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi; & reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & ſirenes in delubris voluptatis.* Vide & Iſaiam, XXXIV, 11, 14. 15; Jeremiam, LI, 37; Baruc, IV, 35. Quod hîc S. Hieronymus reddidit *piloſi*, Septuaginta verterunt Dæmones. Porrò Joannes ſententias Scripturæ e ſeptuaginta Interpretibus recitat. Inſidebat tunc mentibus opinio, Dæmones & ſpectra loca deſerta & ſolitudines frequentare *(d)*.

Capta ab Alarico Roma ludibrium facta eſt licentiæ & ſævitiæ Gothorum *(e)*; ignis, gladius, vincula portionem quiſque ſuam e ſuperbis hiſce mundi dominatoribus rapuerunt. Filiorum ſuorum ſepulcrum Roma effecta eſt, ait S. Hieronymus *(f)*. Priùs illam fames vicerat & vaſtaverat, quàm gladius conficeret. Miſeræ urbis pars in cinerem redacta eſt. Nullum ſive privatum ſive publicum ædificium integrum ſteiiſſe, Procopius affirmat *(g)*. Denique nihil malorum, quibus plerumque afficiuntur Urbes, bello captæ a ſævis & infeſtiſſimis hoſtibus, Roma evaſit. Orbatam ſe quodammodo incolis doluit, tum nece Civium, quorum alios fames, alios gladius confecit, cùm fugâ aliorum, qui in Inſulas & trans mare evaſerunt. S. Hieronymus ait *(h)*, Provincias omnes plenas fuiſſe hominibus, quos metus Barbarorum ex Urbe expulerat. Orientis, Ægypti, & Africæ oræ obſitæ fuerunt Civibus

Do-

(p) Vide ſupra in ℣. 13.

(q) Vide *Zozym. l. 6; Oroſ. l. 7, c. 42; Sozom. lib. 8, cap. 9.*

(a) Ἔκραξε ἐν ἰσχύϊ, φωνῇ μεγάλῃ. *Alii*: Ἰσχυρᾷ φωνῇ λέγων. *Ita Steph. α, 11. Alexand. Syr. Arab. Æthiop. Seidel. alii quidam Latini: Forti voce dicens.* (b) *Auguſt. de Civit. l. 18, c. 2.* (c) *Iſai.* XIII, 19, 20, 21. (d) *Vide Cyrill. & Procop. apud Grot. Riber. Confer Matth.* XII, 43; *Marc.* V, 2, 3. (e) *Proſper Tyro, Hieronym. Ep. 16.* (f) *Hieronym. in Ezech. Proœm.* (g) *Procop. de Bello Vandal. pag. 170.* (h) *Hieronym. Ep. 12.*

℣. 3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illâ fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.

℣. 4. Et audivi aliam vocem de Cœlo, dicentem: Exite de illâ populus meus, ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

℣. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus.

COMMENTARIUS.

Dominæ Mundi, quos duræ ſervitutis jugum premebat *(i)*.

Novi equidem, Romam caput deinde erexiſſe, & poſt paucos ab expugnatione Alarici annos frequentem adeò fuiſſe civibus & ædificiis, ut nulla ſupereſſent hoſtilis odii veſtigia, niſi rara quædam ſemiuſta ædificia. Albinus, qui Præfecturam anno 414, ideſt quarto poſt invaſionem Alarici, gerebat, literis ad Honorium Imperatorem datis teſtatur, conſuetam panis in popolum largitionem minorem fuiſſe, quàm pro aucto incolarum numero, cùm unâ die ad quatuordecim millia hominum domicilium eò tranſtuliſſe compertum fuerit. Ex quo intelligimus, Apoſtoli oracula plenam tunc fidem non obtinuiſſe. Fateor equidem, mala iſta nonniſi initium dolorum fuiſſe; nam ſæpè deinceps cecidit Roma in manus hoſtium, qui novis in dies direptionibus illam afflixerunt. Alarico ceſſit anno 410, Genſerico anno 455, Odoacro anno 467, Totilæ anno 546 & 549. Sæpè adeo hoſtiles manus experta Urbs, in ſolitudinem extremamque rerum omnium neceſſitatem redacta eſt, ut non Urbem ſed vaſtam ſolitudinem diceres. Ita conſilia ſua Deus in illam implebat, ſed longiori temporis ductu, & per temporum vices, ut reſipiſcendi occaſionem & tempus daret. Præterea novi Cives, qui eò migrabant, minori quàm veteres ſtudio erga Idola tenebantur. Ætatis ſuæ teſtis S. Hieronymus affirmat, aurea Capitolii tecta fumo nigruiſſe; Romanorum delubra aranearum telis obſita, Deorum ſimulacra in ſuperioribus ædium tectis & ſemirutis ædificiis derelicta, nullos ſocios præter ululas & bubones habuiſſe.

Ita in Babylonem animadvertit Deus, cujus caſum non obſcuris oraculis Prophetæ prædixerunt. Urbs illa nonniſi poſt plura ſæcula prænunciatam ruinam ſenſit. At ſi adhuc poſt Cyri expugnationem extitit, non tamen priſtinum decus & ſplendorem, non dignitatem Metropoleos ampliſſimi Imperii tenuit. Eadem fuit Romæ ab Alarico captæ fortuna. Nunquam illa in priſtinam dignitatem reparata fuit, præſertim ad Idololatriam quod attinet; quæ deinceps nunquam floruit. Quin & affirmari meritò poteſt, ſi quid vitæ illi ſuperfuit, id Chriſtianæ Religioni accepto eſſe referendum. Qui enim ad ſepulcra Apoſtolorum & ad Templa Urbis perfugerant, ab hoſtili gladio ſervati, deſertæ Urbis incolas repararunt, uti ſupra adnotatum eſt *(k)*.

℣. 3. De vino iræ fornicationis ejus: propinavit omnibus gentibus vinum iræ fornicationis ſuæ; ſeu potiùs *(l)*: Propinavit vinum furioſæ fornicationis ſuæ, malæ illius cupidinis, quæ illam induxit ad Idola; ſive, propinavit philtra fornicationis ſuæ, more veneficæ, quæ philtra & pocula amatoria procis præbet. Vide ſimilem locutionem ſupra, xiv, 8. Reges externi, & gentes quæ cum illâ conſuetudinem habuere, ſuperſtitionis ejus ſocios ſe & participes præbuerunt. Religionem ſuam cum Imperio ad omnes, quas ſubegit, Provincias prorogavit.

℣. 4. Audivi aliam vocem de Cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, &c. ne crimina cum illâ ſocietis, ſeu pœnas cum illâ luatis, neve cum illâ cadatis. Deſumpta ſunt hæc ex Jeremia, li, 6: *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Id monitum dabat Propheta Judæis, ut ſe ex eâ Urbe proriperent, quemadmodum in naufragio monentur nautæ, ut navim deſerant. Deus in Urbem Romam animadverſurus, e mortali hac vitâ nonnullos famulos ſuos revocavit, puta Papam Anaſtaſium, de quo S. Hieronymus *(m)* ajebat, Romam diù eo frui non potuiſſe, evocatumque a Deo eſſe ex mundo, ne mundi Metropolis ſub tanto Pontifice caderet. Alios etiam complures viros probos arcano Providentiæ ſuæ conſilio ex eâdem Urbe evocavit, uti Innocentium Pontificem, qui, ut ait Oroſius *(n)*, ſevocatus eſt ex Urbe Româ, quemadmodum Loth e Sodomâ, ne ruinam populi peccato ſuo permiſſi cerneret. S. Melania proximam flagitioſiſſimæ Urbis ruinam præſentiens, eam deſeruit, ſecumque alios in idem conſilium pertraxit *(o)*. In ejus Urbis direptione Deus tutum aſylum in Templis Sanctorum Petri & Pauli paravit *(p)*. Aſylum quidem iſtud ab Alarico præſtitum fuit Chriſtianis, quamquam Profani plures eodem beneficio uſi ſunt *(q)*. Denique in ℣. 2 hujus Capitis notavimus, poſt captam Urbem Chriſtianos complures in Ægyptum, Africam, & Syriam perfugiſſe, ubi fratrum charitate felix contubernium obtinuerunt. Idem pariter contigit, cùm Genſerici armis Urbs eadem ceſſit. Deogratias Carthaginienſis Epiſcopus ſtudio ſuo & pietate erga captivos inter cæteros claruit *(r)*.

℣. 5. Pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum. Hæc omnia expreſſa ſunt ex oraculo Jeremiæ in Babylonem Chaldææ, cujus crimina, ſævitiam, ſuperſtitionem Roma ſequuta eſt. Vide Jeremiam, li, 9: *Pervenit usque ad Cælum judicium ejus.* Clamor peccatorum Urbis Romæ ad Cœlum usque pertigit. Græcus *(s)*: *Sequuta ſunt eam peccata ejus usque ad Cælum.* Codices alii ferunt: *Adhæſerunt illi peccata ſua usque ad Cælum.*

(i) *Idem in Ezech. Proœm.*

(k) *Vide Sozom. lib. 9, cap. 9.* (l) Ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς πέπωκε πάντα τὰ ἔθνη.

(m) *Hieronym. Ep. 16.* (n) *Oroſius, lib. 7, cap. 39.* (o) *Hiſtor. Lauſiac. cap. 118.*

(p) *Auguſt. lib. 2 de Civit. cap. 4.* (q) *Vide Grot. Hamm. Boſſuet, Du Pin.*

(r) *Victor. Vit. lib. 1, cap. 8.*

(s) *Græc.* Ἠκολούθησαν αὐτῆς αἱ ἁμαρτίαι ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ. At Græci libri complures legunt: Ἐκολλήθησαν αἱ ἁμαρτίαι, *&c. Adhæſerunt ei peccata ſua, usque ad cælum. Ita Steph.* α, ια, *Alex. Petav.* 3, *Hunt.* 2, *Cov.* n, *Syr. Arab. Hippolyt. Arab. Vide Zach.* xiv, 5.

ỳ. 6. Reddite illi, ſicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus: in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

ỳ. 7. Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.

ỳ. 8. Ideò in unâ die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui judicabit illam.

ỳ. 9. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illâ fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus:

ỳ. 10. Longè ſtantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis: quoniam unâ horâ vênit judicium tuum.

ỳ. 11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam: quoniam merces eorum nemo emet ampliùs:

ỳ. 12. Merces auri & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, (& omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore,

COMMENTARIUS.

ỳ. 6. Reddite illi, sicut et ipsa reddidit vobis. Hæc pariter debentur Jeremiæ, L, 14, 15; LI, 24, 29. Non imperat quidem Deus Chriſtianis, ut ultionem de infeſtis ſibi hoſtibus Romanis Gentilibus perſequantur; ne patitur quidem; ſed prædicit futurum, ut poſſint ultionem expetere, ſiquidem voluerint. Quis prohibuiſſet, ne Chriſtiani Ethnicos, emcoriâ Chriſtianâ profeſſione ad aſylum confugientes, repellerent? Quis in tantâ rerum conſternatione repugnare potuiſſet, quominus in adverſarios ſævirent, ac rejicerent cum indignatione & contemptu eos, qui in cæteris Provinciis eorum opem imploratum veniebant? Sed planè aliter agendum ſibi Chriſtiani duxerunt; illos enim amicè excipiebant, eripere e præſentiſſimo periculo pro viribus ſtudebant, in obſequium Evangelicæ Legis, quæ bonum pro malo rependi jubet.

Si quis velit, ſententiam hanc ad Alaricum ejuſque exercitum referri (t), pronum illi erit demonſtrare, Romanos, quamdiu viribus ſuperabant, omnia quæ poterant mala illis intuliſſe. Denique animadvertere hîc juvat, gentem illam in his eventibus inſtrumentum fuiſſe publicæ omnium gentium adversùs Romam ultionis. Porrò ſuperba hæc Urbs gentes alias omnes ſuperbè & impotenter egerat.

ỳ. 7. Quantum glorificavit..... tantum date illi tormentum et luctum, &c. Deſumpſit hæc Apoſtolus ex Iſaia, XLVII, 7, 8, &c. & Sophonia, II, 15. Quæ olim in Babylonem dicta fuerunt, adamuſſim cum Româ congruunt. *Dixit: In ſempiternum ero domina.* Unum hoc erat ex Romanorum opinione, fatorum beneficio, Romanæ Urbis privilegium, ut maneret æterna. Vide quæ contulimus in Caput XVII, 8. Ammianus Marcellinus Romam æternam appellat (u); Virgilius (x): *Imperium ſine fine dedi.* Tertullianus & Lactantius, aliique nonnulli idem conſtituiſſe viſi ſunt, ſcribentes nunquam exitum habiturum Orbem, niſi cùm Roma cecidiſſet (y). Exſtat adhuc inſcriptio quædam, quæ titulum *æternæ* illi vindicat, ſexto vel ſeptimo anno antequam caperetur, cùm mœnia ejus reſtituerentur (z).

ỳ. 8. Una die venient plagæ ejus, mors, et luctus, et fames, &c. Singula hæc membris ſuperioribus explicavimus. Conſtat utique, famem tunc magnopere ſæviiſſe (a). Mortuorum numerus tam ingens fuit, ut locus ſepulturæ deficeret (b); luctus ubique & vaſtatio. *Ipſa comburetur*; nullum fermè ædificium flammis intactum ſuperfuit (c).

ỳ. 9. Plangent se super illam reges terræ. Provinciæ Imperii fœderatique Principes caſum Romæ tamquam ſuum luxerunt; Româ enim everſâ Imperium cecidiſſe rebantur. S. Auguſtinus (d) affirmat, Orientales publicum luctum tunc egiſſe: *Plangentibus Orientalibus populis, & maximis Civitatibus in remotiſſimis terris publicum luctum mœroremque ducentibus.* Hæc pariter Apoſtolus hauſit ex Iſaiâ (e), & potiſſimùm ex Ezechiele (f). Confer quæ habet hîc Apoſtolus, ỳỳ. 10, 11, 12, 13, 14, 15, de mercatoribus & mercibus Romanis, cum iis quæ de Tyriis habet Ezechiel Capitibus XXVII, XXVIII.

ỳ. 12. Et serici (g). Sericum rariſſimum tunc erat, & magni pretii, ſed non ignotum penitùs Romanis; hæc enim de luxu Romano Petronius:

Hinc Numidæ cruſtas, illinc nova vellera Seres.

De ſerico fuſiùs nos in Commentario ad Ezechielem diſſeruimus (h).

Omne lignum thyinum; lignum ſcilicet grato

(t) *Vide Boſſuet.*

(u) *Ammian. Marcell. lib. 15, cap. 14.* (x) *Virgil. Æneid. 1.*

(y) *Tertull. Apologet. cap. 32; Idem ad Scapulam, cap. 2; Lactant. l. 7, c. 25.*

(z) *Baron. t. 5, an. 403; Boſſuet, hîc.* (a) *Hieronym. Ep. 16.* (b) *Auguſt. lib. 1 de Civit. cap. 12.*

(c) *Procop. de Bello Vandal. lib. 1, cap. 2, pag. 179.* (d) *Auguſt. lib. 2 de Civit. cap. 33.*

(e) *Iſai. XIV, 9, 10.* (f) *Ezech. XXVI, 16, 17; XXVI, 30, 31.* (g) Καὶ σηρικοῦ.

(h) *Ezech. XVI, 10.*

℣. 13. Et cinnamomum) & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

℣. 14. Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt a te, & omnia pinguia & præclara perierunt a te, & ampliùs illa jam non invenient.

℣. 15. Mercatores horum, qui divites facti ſunt, ab eâ longè ſtabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes,

℣. 16. Et dicentes: Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpurâ, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis:

℣. 17. Quoniam unâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt,

℣. 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ ſimilis civitati huic magnæ?

℣. 19. Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam unâ horâ deſolata eſt.

℣. 20. Exulta ſuper eam Cœlum, & ſancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illâ.

COMMENTARIUS.

to odore; ita enim Græcum *Thyinon* (i) Interpretum quidam reddunt. Sed Grotius multò potiori jure deſignari his credit celebre quoddam Africæ lignum, *citrum* appellatum, quod Romani in menſas & laquearia dolabant. Plinio (k), & Martiali notiſſimum eſt. Radicem gerebat venis variiſque coloribus pulcrè diſtinctam; atque hinc major æſtimatio: *Radice nihil crispius, nec aliunde pretioſius opera.*

℣. 13. Cinnamomum, Syrus, Codex Alexandrinus, aliique nonnulli Codices Græci cum Æthiope legunt: *Cinnamomum & amomum*; quæ duo ſunt aromatum genera inter ſe affinia.

Mancipiorum et animarum hominum; mancipiorum & ingenuorum. Græcus ad verbum (l): *Corporum, & animarum hominum*; ſed Græcum *Somata* de mancipiis plerumque uſurpatur. *Animæ hominum* Scripturæ ſtylo ſunt homines ſpirantes. At venumdabantur ne liberi homines? Minimè, ſaltem cùm liberi agnoſcebantur. Accidebat tamen non rarò, ut liberi homines ſurriperentur, ac deinde tamquam mancipia venumdarentur: quæ facilè mens Apoſtoli hîc fuit. Sunt qui ad diſtinguenda *mancipia* ab iis, qui hîc appellantur *animæ hominum*, cenſeant, poſtremis hiſce deſignari ſervos ad certandum in amphitheatro emptos (m). Contendunt alii, ambo hæc nomina unum idemque deſignare (n). Aliis denique ſunt hîc *mancipia* ſervi, qui væneunt; animæ verò hominum ii ſunt, quorum animæ perdebantur, utpote qui fœdis voluptatibus & Idololatriæ implicabantur (o). His repugnans Grotius *animas hominum* pro ſervis accipit, uti apud Ezechielem (p); corpora verò ſunt homines ingenui, qui ſe proſtituebant, ſeu accepto pretio ad pugnandum in amphitheatro obligabant.

℣. 14. Poma desiderii; poma delicatiſſima. Romanorum luxus rariſſimis & exquiſitiſſimis fructibus maximè gaudebat. Poma ſæpè amoris ſymbolum habentur; quæ mens fuit Grotii, hîc reddentis: *Non altea poteris indulgere amoribus.*

℣. 17. Et omnis qui in lacum navigat. Græcus (q): *Omnis qui aſcendit in naves*; ſeu *omnis turba navigantium*; ſeu ex libris aliis: *Omnes qui navigant in locum*; quam facilè lectionem Vulgata ſequuta eſt, cujus Textus pro *in lacum* corrigendus eſt *in locum*; ut hanc ſententiam reddat: *Omnes qui appellunt ad hunc locum*, nempe ad tuos portus, ſcilicet Romæ & Italiæ; quaſi diceret: *Omnis, qui in locum iſtum navigat.*

℣. 18. Locum incendii ejus; locum hujus Urbis crematæ, ſeu locum concremationis ejus. Græcus (r): *Fumum incendii ejus.* Flagrantis Urbis fumum proſpicient.

℣. 20. Exulta super eam, Coelum. Ad Romæ caſum Cœlum tantummodo plauſit. Grata enim accidit Sanctis juſtitiæ Dei executio, & Imperii Dæmonis everſio. Qui verò in terris ſunt Sancti, trepidant & ingemiſcunt. Græci plures Codices pro, *Sancti Apoſtoli & Prophetæ*, legunt (s): *Sancti, & Apoſtoli, & Prophetæ*; vos quoque

(i) Πᾶν ξύλον θύϊνον. *Alex.* Πᾶν σκεῦος θύϊνον, *Omne vas Thyinum. Thyinum odoratum. Beza, Camera. Pasa. Cornel. Syr.* (k) *Plin. lib.* 13, *cap.* 16.
(l) Σωμάτων, καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων. (m) *Menoch.* (n) *Hammond. alii.* (o) *Cornel. Forer.*
(p) *Ezech.* xxvii, 13. (q) Καὶ πᾶς ἐπὶ τῶν πλοίων ὁ ὅμιλος. *Alii*: Ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων πλέων, καὶ, *&c. Alii*: Ὁ ἐπὶ τόπον πλέων, *Et omnis in locum navigans. Ita Alexand. Sin. Barber.* 2, *L. Hunt.* 1, *Cov.* 2, *Pet.* 2, *Seidel.* (r) Τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς. *Alii*: Τὸν τόπον τῆς πυρώσεως αὐτῆς. *Ita Alex. Velez. &c.* (s) Οἱ ἅγιοι Ἀπόστολοι, καὶ οἱ Προφῆται. *Alii*: Οἱ ἅγιοι, καὶ Ἀπόστολοι, καὶ Προφῆται. *Ita Steph.* α, 11, *Alexand. Baroc. Arcib. & alii.*

℣. 21. Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur.

℣. 22. Et vox cytharœdorum, & muſicorum, & tibiâ canentium, & tuba non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs:

℣. 23. Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs: & vox ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

℣. 24. Et in eâ ſanguis prophetarum & ſanctorum inventus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terrâ.

COMMENTARIUS.

que Sancti, vos Apoſtoli, vos Prophetæ.

℣. 21. Sustulit lapidem quasi molarem, quem in mare projecit, ut actiùs exprimeret, nunquam e ruinâ Romam ſurrecturam. Nec equidem unquam deinceps in priſtinum splendorem, magnitudinem, potentiam, & divitias rediit. Poſtquam Alarici armis ceſſit Roma, nunquam niſi magnum nomen fuit; nec de veteri splendore niſi umbram retinuit. Jeremias cùm ſcriptis tradidiſſet oraculum de ruinâ Babylonis, mandavit Saraiæ, ut, eo perlecto, vinctum lapidi projiceret in Euphratem, additâ imprecatione (p): *Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget a facie afflictionis, quam ego adduco ſuper eam.*

℣. 22. Vox molæ. Deſumpta ſunt hæc ex Jeremia, xxv, 9, 10. Roma in ſolitudinem redigetur, nec ſonabit in eâ ſtrepitus molæ & machinarum molarium, in uſum tantæ Urbis farinam molentium. In Syro & Æthiope hæc deſiderantur.

℣. 23 Mercatores tui Principes erant. Loquendi modus ex Ezechiele, xxvii, 25, & Isaia, xxiii, 8. Non Principes modò & viri ampliſſimi, ac Senatores, & Equites Regio more vivebant, ſed ipſi pariter mercatores Principum apparatum & divitias æmulabantur. Commodè hæc typico ſenſu explicantur: Iſti quos commemoravi Mercatores, qui tecum conſuetudinem habebant, Principes gentium ſunt; illos tu corrupiſti; tu ſuperſtitionem & licentiam docuiſti.

℣. 24. In ea sanguis Prophetarum et Sanctorum. Non Prophetarum Veteris Teſtamenti, de quorum nece nihil ad Romam; ſed Prophetarum Novi, Apoſtolorum nempe, Martyrum, cæterorumque Fidelium, quos illa vexavit & interfecit. Confer Jeremiam, li, 34; li, 35. In caput ſuum provocavit nedum ultionem Martyrum illorum, qui ibi necati ſunt, ſed & eorum pariter, *qui interfecti ſunt in terrâ*, per omnes nempe Provincias & Urbes Imperii. Omnes enim edicta & exempla Romæ ejusque Principum ſecutæ ſunt.

CAPUT XIX.

Alleluja in Cœlo canitur. Nuptiæ Agni. Felicitas eorum qui ad illas vocantur. Chriſtus ceu Imperator exercitûs prodit. Ipse eſt Rex Regum, & ultor criminum. Mundus cum illo pugnat; ſed Chriſtus vincit.

℣. 1. Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium: Alleluja: Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt:

℣. 2. Quia vera & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Post hæc audivi quasi vocem turbarum multarum in Cœlo, &c. Poſt prælium triumphus; vexationes excipit pax, & mœrorem lætitia. Eccleſia Chriſti denique e vexationibus respirat; ſanguis Martyrum ultione expiatus. Idololatria everſa eſt; Roma, nova illa Babylon, hoſtis Sanctorum, & magna meretrix, cecidit. Poſtquam grandia hæc argumenta ſuperioribus Capitibus Apoſtolum detinuerunt, tunc tandem ille ſtilum vertit ad triumphantis Eccleſiæ gaudium. Conſertiſſimus Sanctorum & Martyrum chorus in Cœlo canit: *Alleluja, Salus, gloria, & virtus Deo noſtro*, (℣. 2) *quia vera & juſta judicia ſunt ejus*. Judicavit, damnavit, punivit magnam meretricem; pro merito operum ejus ultionem rependit. *Alleluja* ſonat, *Laudate Deum*: eſt autem vox gaudii, cujus vis peculiaris eſt in ſolemnibus ſacriſque gratia-

(t) *Jerem.* li, 53. (u) *Grot. Cluver. Boſſuet.*

Digitized by Google

℣. 3. Et iterum dixerunt: Alleluja. Et fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum.

℣. 4. Et ceciderunt ſeniores viginriquatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen. Alleluja.

℣. 5. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus: & qui timetis eum, puſilli & magni.

℣. 6. Et audivi quaſi vocem tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium: Alleluja: quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens.

℣. 7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe.

℣. 8. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum.

℣. 9. Et dixit mihi: Scribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt: & dicit mihi: Hæc verba Dei vera ſunt.

℣. 10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide, ne feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora. Teſtimonium enim Jeſu eſt ſpiritus prophetiæ.

COMMENTARIUS.

tiarum actionibus.

℣. 3. FUMUS EJUS ASCENDIT IN SÆCULA SÆCULORUM. Ruinæ ejus memoria nunquam cadet, rogi ejus fumus nunquam, vel ſerò admodum, evaneſcet. Roma non ita exſcindetur, ut ne veſtigium quidem ejus ſuperſit. Quod ex eâ manebit, æternum caſûs ejus veteriſque magnitudinis monumentum erit.

℣. 4. SENIORES VIGINTIQUATUOR, ET QUATUOR ANIMALIA, ſeu quatuor Cherubim, quatuor angulos ſolii tuentia, voces laudeſque ſuas Martyribus adjungentia, ſimul omnia clamarunt: *Amen: Alleluja*; fiat, laudate Deum.

℣. 6. ALLELUJA, QUONIAM REGNAVIT DOMINUS. Totâ æternitate regnavit Dominus; regnavit ſemper; & per cuncta futura ſæcula regnabit, nequidquam repugnante nequitiâ & furore Dæmonum hominumque qui Deum ignorant. Abſolutum imperium in illos exercet tunc pariter, cùm ſervos ſuos ab illis vexari, cultum ſuum impediri, & conſiliis ſuis repugnari patitur. At ex noſtro intelligendi more, regnat ille, & imperium ſuum tunc exercet, cùm hoſtes ſuos perdit, cùm ulciſcitur, conſilia eorum diſſipat, & de hoſtium nequitiâ triumphat. Sævientibus Tyrannis quodammodo regnabat iniquitas, impietas, ſævitia, Idololatria: poſt hæc Dominus regnum quodammodo, & pro noſtro intelligendi more perfectius & magis abſolutum inſtituit.

℣. 7. VENERUNT NUPTIÆ AGNI, ET UXOR EJUS PRÆPARAVIT SE. In Novo Fœdere (a) Eccleſiæ inſtitutio, gentium ad fidem vocatio, Meſſiæ Regnum ſub nomine nuptiarum ſolemniſque convivii deſignantur. Chriſtus Sponſus eſt, Sponſa Eccleſia, gentes omnes tum Judææ cùm Profanæ convivas exhibent. Hîc autem nuptiæ reſpicere potiſſimùm videntur ad felicitatem, qua Juſti in Cœlo fruuntur, præſertim poſt relatam ab Agno de hoſtibus victoriam, & pacem Eccleſiæ partam.

℣. 8. DATUM EST ILLI, UT COOPERIAT SE BYSSINO. Eccleſiam Chriſti Sponſam veſtit morum innocentia, ſanctimonia, juſtitia, operum bonorum exercitatio, quæ ornamenta ejus eſſe, ipſe pariter Joannes prodit: *Byſſinum enim juſtificationes ſunt ſanctorum*. Byſſinum apud Græcos Scriptores de tenuiſſimo lino uſurpari ſolet; ſed Hebræorum byſſum ſerici genus eſſe, ex piſce ſquameo *pinnâ*, in Commentariis ad Paralipomena demonſtravimus (b).

℣. 10. CECIDI ANTE PEDES EJUS, UT ADORAREM EUM; ſed prohibuit, monens: *Conſervus tuus ſum*. Ex Patribus quidam (c) arbitrati ſunt, Apoſtolum ratum, Angelum hunc Chriſtum eſſe, latriæ cultu illum proſequi voluiſſe. Aliis verò (d) ſedet opinio, Apoſtolum agnoviſſe quidem Angelum, ſed arbitratum, hunc eſſe viſionis finem, cùm peractas Agni nuptias cerneret, cecidiſſe ad pedes ejus, gratias acturum de omnibus, quæ eo authore viderat; ſed Angelum, cui referenda aliqua ſupererant, adorationem ejus rejeciſſe; perinde ac Chriſtus Magdalenam in horto a ſe amovit, monens: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum* (e); tempus tibi erit & loquendi & videndi me. Ita & Petrus rejecit adorantem ſeu obſequium præſtantem ſibi Cornelium Centurionem, admonens (f): *Surge; & ego ipſe homo ſum*. Putabat profectò Apoſtolus, præſtitum a ſe obſequium non ingratum Angelo accidiſſe; quamobrem in fine Apocalypſeos (g) tentavit iterum cultum illi impendere; cultum, inquam, duliæ, quem homo referre Angelo non prohibetur.

Malunt alii (h), Angelum obſtitiſſe Apoſtolo, ne ſibi duliæ cultum deferret, in gratiam Incarnationis Filii Dei. *Angeli enim*, ait S. Grego-

(a) *Matth.* xxii, 2; xxv, 1, 2, 3, &c. *Luc.* xiv, 16, 17. (b) 1 *Par.* xv, 27.
(c) *Athanaſ. Serm.* 3 *contra Arianos*; *Aug. lib.* 20 *contra Fauſt. cap.* 21. *Vide & D. Thom.* 2. 2. *qu.* 84. *art.* 1. (d) *Vide Menoch.* (e) *Joan.* xx, 17. (f) *Act.* x, 25, 26. (g) *Apoc.* xxii, 9.
(h) *Berengaud. Rupert. Ambert. Richard. Haymo.*

℣. 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur Fidelis & Verax, & cum juſtitiâ judicat, & pugnat.

℣. 12. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe.

℣. 13. Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine: & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

℣. 14. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.

COMMENTARIUS.

gorius Papa (i), *poſtquam naturam noſtram ſupra ſe aſſumptam in Chriſto perſpiciunt, proſtratam eam videre pertimeſcunt*. Alii denique ajunt, Angelum veneratum eſſe in Joanne vel virginitatem (k), vel dignitatem Sacerdotis (l), aut Apoſtoli, aut Prophetæ (m). Quam poſtremam ſententiam præferre Angelus ipse videtur; ait enim infra (n): *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum*; ſive, ut habet hic: Et *fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu*, donum nempe prophetiæ (o), ſive qui ſanguine ſuo fidei Jeſu Chriſti teſtimonium exhibuerunt.

TESTIMONIUM ENIM JESU EST SPIRITUS PROPHETIÆ. Cauſam aſſignat Angelus, cur Apoſtolum volentem ſibi cultum vel obſequium impendere, prohibuerit. Cui noſtra omnia obſequia, omniſque cultus debetur, Deus eſt. Si futuros Eccleſiæ Chriſti eventus tibi reſeravi, hujus rei meritum non mihi ſed Deo tribuas. Si mihi Prophetiæ spiritus adeſt, ſi arcana pando, *tu habes teſtimonium Jeſu*, nomen ejus confiteris, veritates ejus nuncias, ſpiritu ejus afflaris, & ejus causâ tibi pronum eſt ferre martyrium; quæ omnia ex æquo ſtare poſſunt cum eâ, quam in me admiraris, vaticinandi facultate. Seu planiùs: Cave ne coram me pronus cadas; conſervus enim tuus ſum, eorum ſocius, quibus prophetiæ ſpiritus inſidet, qua re Chriſto teſtimonium exhibent. Unum Deum adora; nam vaticinandi facultas, qua Deo largiente frueris, eſt teſtimonium Jeſu Chriſti, ſive teſtimonium, quod Jeſu Chriſto exhibes; qua in re æquo veluti gradu cum Angelis conſiſtere potes.

℣. 11. ECCE EQUUS ALBUS, ET QUI SEDEBAT SUPER EUM, VOCABATUR FIDELIS. En vivam imaginem Chriſti (p), habitu victoris, qui de Idololatriâ, Dæmone, peccato, cæteriſque hoſtibus triumphat. Confer Caput VI, 2, ubi eâdem imagine Chriſtus exhibetur equo albo vectus, qui mos erat victorum, qua die triumphum agebant.

℣. 12. IN CAPITE EJUS DIADEMATA MULTA, ad demonſtrandam Imperii ejus amplitudinem, magnitudinem, potentiam; tum ut intelligas, ipsum eſſe Regem Regum, & Dominum Dominantium. Solemne erat Victoribus Principibus, devictorum Regum diademata ſibi aſſumere. David, victis Ammonitis, Regis illorum coronam capiti ſuo impoſuit (q). Ægypti Rex Ptolemæus, Antiochiâ occupatâ, duo diademata aſſumpſit, Regni nempe Syriæ & Ægypti (r). Compertum eſt autem, diadema vittam fuiſſe lineam capiti obvolutam.

HABENS NOMEN SCRIPTUM, &c. Eſt autem nomen, ſeu *Verbum Dei*, uti legitur infra, ℣. 13, ſeu *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, quod in veſte ejus ſcriptum fuiſſe, ex ℣. 16 diſcimus. Nemo hominum magnitudinem, majeſtatem, & dignitatem nominis hujus aſſequitur. Porrò illud aureis literis deſcriptum erat in anticâ diadematis parte, & in fronte; quemadmodum verba illa, *Sanctum Domino*, quæ in laminâ aureâ deſcripta ſummus Judæorum Sacerdos gerebat (s). Spectat hic facilè Apoſtolus morem olim & nunc pariter apud Orientales obtinentem, occultum aliquod nomen, quod nemini detegitur, aſſumendi (t). Sua erant arcana nomina Numinibus & Urbibus, ne veneficiis evocarentur.

℣. 13. VESTITUS ERAT VESTE ASPERSA SANGUINE; ut heros ille Iſaiæ (u): *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Bosra.... & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta*. Chriſti veſtes fuſo in paſſione ſanguine rubuerunt: rubeſcunt quoque tinctæ ſanguine hoſtium, quos trucidarunt Reges ultionum ejus miniſtri, ac præſertim Conſtantinus, cùm æmulos omnes, Chriſto inimicos, confecerit; & Alaricus miſſus a Deo ad vindicandum Martyrum ſanguinem, ac magnam meretricem & beſtiam ſepticipitem perdendam.

VOCATUR NOMEN EJUS VERBUM DEI. Triumphator, de quo modò agimus, appellatur *Verbum Dei*, Verbum, Sapientia, Filius unicus Patris, æqualis & ejuſdem cum Patre naturæ. Vide primum Caput, primumque comma Evangelii Joannis.

℣. 14. EXERCITUS QUI SUNT IN COELO, SEQUEBANTUR EUM IN EQUIS ALBIS. Exercitus iſti ex Angelis, Martyribus, & Confeſſoribus, cœleſti beatitudine donatis, conſtant. Triumphum Chriſti comitantur, ut olim Romæ milites, qui in eodem prælio cum victore pugnaverant. Alludit hic Apoſtolus ad ritus minoris illius triumphi, *Ovationis* appellati, in quo triomphator procedebat vectus non curru ſed equo, ſtipatus militibus oleæ ramos geſtantibus. Porrò ovatio tunc decernebatur, cùm hoſtes facili prælio victi fuerant, ſive cùm expeditio ſuſcepta fuerat in hoſtes imbecilliores, quàm ut armis cogendi eſſent. Idololatria, Dæmon, perſecutores, adverſarii erant Jeſu Chriſto multò inferiores, quos ille uno oris halitu conficere potuiſſet (x).

℣. 15. De

(i) *Gregor. homil. 8 in Evangelia.*
(k) *Petr. Damiani, Serm. 1 de Excell. Sancti Joan.*
(l) *Viegas hic.* (m) *Cornel. a Lapide.*
(n) *Apoc.* XXII, 9. (o) *Beda, Rupert. Berengaud. Viegas.* (p) *Ita Interpp. paſſim.*
(q) 2 *Reg.* XII, 30. (r) 1 *Macc.* XI, 13. *Vide Grot. hic.* (s) *Exod.* XXVIII, 36, 37, 38.
(t) *Vide Grot. hic.* (u) *Iſai.* LXIII, 1, 2, 3, 4.
(x) 2 *Theſſal.* II, 8; & *Iſai.* XI, 4: *Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

℣. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat Gentes. Et ipſe reget eas in virgâ ferreâ: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

℣. 16. Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

℣. 17. Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magnâ, dicens: omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei;

℣. 18. Ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſervorum, & puſillorum, & magnorum.

℣. 19. Et vidi beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus.

℣. 20. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum eâ pſeudopropheta: qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure:

℣. 21. Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius; & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

COMMENTARIUS.

℣. 15. De ore ejus procedit gladius, ſcilicet Dei verbum, & Evangelii veritas. His armis, non ferro, aggredietur & vincet gentes, ſuoque tandem Imperio adjiciet. *Et ipſe reget eas in virgâ ferreâ.* Superbiam earum franget, cogetque invitas pedum ſuorum veſtigia adorare. Chriſti de omnibus gentibus victoria eò glorioſior eſt, quòd gladio verbi dumtaxat & veritatis armis comparatur. Confer locum Iſaiæ, XI, 4: *Percutiet terram virgâ oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* Semel & iterum (y) animadvertimus, *virgâ ferreâ* deſignari poſſe authoritatem & abſolutum imperium Jeſu Chriſti in convertendis ad fidem Gentibus, & in Eccleſiâ gubernandâ. Porrò mitiſſimum eſt Eccleſiæ per Chriſti miniſtros regimen; æquè tamen maximè abſolutum, quod ſpectat ad Chriſtum, Omnipotentem & invictum. Nihil illi reſiſtit, ſive cùm vim adhibet ad conterendos homines, ſive cùm clementiam ad flectendos.

Ipſe calcat torcular furoris iræ Dei. Vide ſupra, ℣. 13, & XIV, 19, 20; & Iſaiam, LXIII, 1, 2, 3. Mirè hæc cum triumpho Jeſu Chriſti congruunt.

℣. 16. Habet in veſtimento et in femore ſuo ſcriptum, &c. Præter nomen ineffabile & arcanum, quod diadematibus inſcriptum ferebat (℣. 12), aliud pariter legebatur notis perſpicuis deſcriptum in ſuperioribus veſtibus, pallio nempe, enſis capulo, ſive eâ veſtium parte, quæ equitanti in femur cadebat; *in femore.* Erat autem nomen: *Rex Regum & Dominus Dominantium.* Rerum myſticarum Scriptores femur Chriſti de humanâ ejus naturâ, ſive de ejus Incarnatione interpretantur. Ipſe pariter Chriſtus ut homo, Rex Regum & Dominus Dominantium eſt.

℣. 17. Vidi unum Angelum ſtantem in Sole, vocantem aves *ad cœnam magnam Dei*; ſive, ut habet Græcus impreſſus (z): *Ad cœnam magni Dei.* Sed optimi plures libri conſentiunt Vulgatæ: *Ad cœnam magnam Dei.* Exhibet hîc Apoſtolus cædem, quam Dei Filius editurus eſt de Regibus, Principibus atque hoſtibus ſuis, tamquam magnam cœnam, quam ille avibus cœli feriſque terreſtribus parat. Eadem deſcriptio ſeſe offert in Ezechiele (a), ubi de fuſis fugatiſque Gog & Magog agitur. Porrò tropos hoſce & hyperbolas ad verbum accipiendas non eſſe conſtat; quibus innuitur tantummodo cædes aliqua conſueto major, qualem pepererunt bella, de quibus in ſuperioribus.

℣. 19. Vidi beſtiam et Reges terræ. Deſcriptâ imagine Chriſti ejuſque exercitûs victoris, narrantur hîc hoſtes, quibuſcum ille rem habuit, & quos domuit: ſunt autem beſtia ſepticeps, de qua ſæpè adeò ſermo recurrit; Imperium Romanum, Idololatria, & Romani Imperatores illi, qui eam ſequi & defendere moliebantur, everſâ Eccleſiâ Chriſti.

℣. 20. Apprehenſa eſt beſtia, et cum ea pſeudopropheta. Beſtia victa & edomita in manus victoris cecidit. Romanum Imperium e manibus Gentilium ereptum, Chriſtianis traditum eſt. Conſtantinus dejecit Maxentium, Licinium, cæteroſque Imperii æmulos, ac ſolus imperavit. *Pſeudopropheta* denotat genericè Sacerdotes Profanos, Philoſophos, Magos, Hæreticos, beſtiæ propugnacula & patronos. Vide dicta ſupra, XVI, 13.

Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis. Beſtia & Pſeudopropheta ad inferos deturbati ſunt. *Beſtia*, ideſt Idololatræ, & Eccleſiæ hoſtes: *Pſeudopropheta*, ideſt, Magi, Sacrificuli, oraculorum authores, qui bello in Eccleſiam a Profanis Imperatoribus geſto facem admoverunt.

℣. 21. Cæteri occiſi ſunt in gladio, egre-

(y) *Apoc.* II, 27; XII, 5.
(z) Εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ μεγάλου Θεοῦ. *Alii*: Εἰς τὸ δεῖπνον τὸν μέγαν, ſive εἰς τὸ δεῖπνον τὸ μέγα τοῦ Θεοῦ. *Ita Alex. Complut. Vulg. Syr. Arethas, Baroc. Petav. Cov. Hunt. Steph.* α, *&c.*
(a) *Ezech.* XXXIX, 17, *& ſequ.*

egrediente ex ore Chriſti, equo albo inſidentis. Reliquiæ Gentilium, ſuperſtites poſt cædem beſtiæ & Imperatorum, reſipiſcentes, mortuæ ſunt Idololatriæ, ut vitæ gratiæ & fidei viverent. Interfectæ ſunt gladio verbi Dei, *& aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum*. Converſioni eorum Angeli & Sancti plauſerunt (β). Qui hunc locum explicant de Gentilibus occultis, qui diu in Imperio, præſertim in agris, perſeverarunt, cenſent, illos reipsâ necatos fuiſſe, cùm Juſtinianus Imperator Legem condidit, quæ capitali pœnâ Idololatriâ interdicebat (γ).

CAPUT XX.

Satan ad mille annos vinctus, quo tempore Chriſtus cum Sanctis regnat. Reſurrectio prima. Satan ad modicum tempus ſolvitur. Bellum in Sanctos. Satan in Infernum truditur. Mortuorum reſurrectio. Judicium ſupremum.

℣. 1. ET vidi Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ.

℣. 2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum per annos mille.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIDI ANGELUM DESCENDENTEM DE COELO, HABENTEM CLAVEM ABYSSI. Poſtquam toleratas ab Eccleſiâ perpeſſiones exhibuit Apoſtolus ſub imagine draconis furentis (*a*), & beſtiæ ſepticipitis (*b*), Sanctis infeſtæ, in eoſque concitantis Imperii Romani Principes, tum & adhibentis in eorum perniciem eas, quibus pollet, vires & verſutias; poſtquam pariter deſcripſit Agni cum dracone & beſtiâ certamen, & victoriam de utroque relatam; Capite ſuperiori narrat vexationum illarum exitum, ſub emblemate triumphi Jeſu Chriſti, & nuptiarum ejus cum Eccleſiâ. Eamdem rem modò perſequitur, ſed aliâ ſub imagine conſentaneâ alteri, quam alibi adduxit, cùm Dæmonem vinculis exemptum in Eccleſiam furentem exhibuit: agit enim de eodem dracone vincto, & ad Inferna detruſo. Imago eſt magnifica, mirè exprimens ſummum Dei in res creatas Imperium. Satan omninò Deo permittente, & quamdiù permittit Deus, nec alio ſucceſſu ac viribus, niſi quibus Deus conſentit, decertat. Deus eſt enim, qui certos fines nequitiæ ejus & potentiæ adſcribit; & ſuo tempore claudere illum in abyſſo valet, quemadmodum inde educere opportunè novit.

Angelus, quem Apoſtolus Cœlo delapſum intuetur, tenens clavem abyſſi, & catenam, quâ Satanam vincit, clauditque in abyſſo, denotat potentiam Numinis, qui vexationi finem imponit. Ejus eſt pro arbitrio abyſſum claudere & recludere, Satanam vincire & ſolvere. Poſtquam igitur furere illum in Sanctos tribus annis & dimidio paſſus eſt (*c*), deinde abyſſo ad mille annos continet; quod indicat, Eccleſiæ pacem multo diuturniorem bello futuram. Quemadmodum autem triennium & amplius perſecutionis Diocletiani non prohibet, quominus ante & poſt illam aliæ, minùs quidem validæ, ſævierint; ita & mille anni pacis, qui hic promittuntur, non ita accipiendi ſunt, ac ſi toto eo tempore nulla vexatio, nullaque procella Eccleſiam, quàm latè patet, turbatura ſit. Nec millenarius iſte certum aliquem annorum numerum denotat; ſed potiùs tempus diuturnum; quo elapſo novis turbis, ſed tempore brevibus, Eccleſiam agitari Deus patietur; eaſque deinde excipiet Judicium & reſurrectio noviſſima, quibus tota revelatio clauditur, & ſuprema manus imponitur toti de ſalute hominum diſpenſationi, ac Religioni, quam Chriſtus in terris conſtituit.

℣. 2. LIGAVIT EUM PER MILLE ANNOS, initio ducto ab anno victoriæ de beſtiâ, & pace Eccleſiæ procuratâ. Cùm verò paci huic ſuum fuerit exordium, progreſſus, & finis, unde exordium millenarii hujus capiendum ſit, non ſatis definitum eſt. Ab anno 410, quo captæ ab Alarico Urbi extremus quodammodo ictus inflictus fuit, & beſtia ejus ſymbolum interfecta, uſque ad annum 540, urbs ſæpe cecidit reciditque. Exinde verò uſque ad annum 1540 anni mille circiter excurrerunt. Circa iſtud tempus cœperunt noviſſimæ hæreſes (*d*), quæ tanto ſanguine Europæ ſteterunt, altumque adeo vulnus Eccleſiæ inflixerunt. Sed ne Prophetæ hic perſonam agamus, reputandum eſt cum S. Auguſtino (*e*) ac doctiſſimis Interpretum (*f*), millenario iſto non definitum quidem tempus, ſed quidquid annorum uſque ad ſæculorum exitum effluet, deſignari.

Ex hoc loco malè uſurpato orta eſt opinio Millenariorum, quæ Chriſtum cum Sanctis regnaturum in terris ante diem Judicii per annos mille ſtatuebat. Opinionis hujus patroni nullam Hæreticorum Schiſmaticorumque ſegregatorum ab Eccleſiâ Sectam conſtituebant; ſed veteres erant Patres, ſanctitate venerabiles, qui ſententiam hanc tradendam, ſed non pertinaciter defendendam ſuſceperunt. Tantorum virorum authoritas ingentem Scriptorum Eccleſiaſticorum turbam ſecum traxit; ut Millenariorum opinio diù ſatis in ſcriptis veterum obtinuerit; fateturque S. Hieronymus (*g*), ſe quidem illam non ſequi, ſed nec damnare, quippe quæ pluribus Eccleſiaſticis Scriptoribus, quin & Martyribus placuerit; additque: *Unuſquiſque ſuo ſenſu abundet, & Domini*

(β) *Luc.* xv, 7. (γ) *Vide Grotium hic.* (a) *Apoc.* xii, 3, *& ſeqq.* (b) *Apoc.* xiii, 1, 2, *& ſeqq.*
(c) *Apoc.* xi, 3; xii, 6, 14. (d) Lutherus cœpit anno 1516, & 1517. Anathema in illum prodiit anno 1520. (e) *Auguſt. lib.* xx *de Civit. cap.* 7, *& ſeqq.* (f) *Vide Greg. lib.* 4 *Moral. cap.* 12; *Andr. Cæſarienſ. Berengaud. Riberam, Viegas, Alcazar. Boſſuet, Du Pin, alios.*
(g) *Hieronym. in Jerem.* xx: *Quæ licèt non ſequamur, tamen damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum & martyres ita dixerunt; & unuſquiſque ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta judicio reſerventur.*

℣. 3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.

COMMENTARIUS.

mini cuncta judicia reſerventur. Eàdem moderatione uſus eſt S. Auguſtinus (*h*), qui Millenarios non Hæreticis quidem accenſet, ſed carnalibus illis, qui rudi modo ea, quæ ſpiritaliter explicanda erant, acceperunt.

Fateor equidem, SS. Epiphanium (*i*) & Philaſtrium (*k*) de millenariis, tamquam de Hæreticorum Sectâ, agere; & quidem contingere re ipsâ potuit, plures eorum, qui in hanc ſententiam conceſſerunt, hæreticos eſſe, utpote qui pravas alias opiniones amplexi fuerint, huic verò nimiâ pervicaciâ inſtiterint. At ſi Regnum millenarium non admiſerunt, niſi ut probabile, innixumque teſtimoniis quibusdam Scripturæ & Patrum, cur Hæretici dicantur, nihil eſt. Conſtat utique, S. Philaſtrium perſæpè hæreſum notâ traducere res ab Eccleſiâ minimè damnatas; & S. Epiphanium nullum peculiare caput de Millenariis inſtituere. Ait hic, eos, qui comminiſcuntur, Virginem Deiparam poſt editum Chriſtum cum S. Joſepho conſueviſſe, ſententiam quoque Millenariorum adoptaſſe.

Millenariorum opinio ex Judæis originem trahit. Opperiebantur illi ſub Meſſiâ Regnum millenarium in terrâ, uti diſcimus ex Libro quarto Esdræ (*l*), & ex inclytis quibusdam Rabbinis, puta Maimonide, & Menaſſe Ben-Iſraël. Qui verò huic ſententiæ plus authoritatis conciliavit, Papias fuit, Joannis Evangeliſtæ diſcipulus, & ſocius S. Polycarpi, qui opinionem de millenario Chriſti in terris Regno, ex Apoſtolis eorumque Diſcipulis ſeſe hauſiſſe affirmabat (*m*); idque perſuaſit SS. Irenæo (*n*), Juſtino Martyri (*o*), Tertulliano (*p*), Victorino ſcriptori Commentarii in Apocalyſim (*q*), Lactantio (*r*), & aliis quibusdam, ut concederent in eam ſententiam, quam alii priorum Eccleſiæ ſæculorum ſcriptores impugnarunt. Quæ autem notat Euſebius de Papiæ ingenio, abundè ſufficiunt ad extenuandam ejus hac in re authoritatem. Erat Papias tenui ingenio, qui non ſatis aptè percipiens ea, quæ ab Apoſtolis dicebantur, ad verbum uſurpavit ea, quæ myſticè explicanda erant (*s*). S. Dionyſius Alexandrinus (*t*), tertii ſæculi ſcriptor, datâ operâ refellit Nepotem Scriptorem Libri pro tuendâ Millenariorum opinione. Cajus (*u*) Presbyter Romanæ Eccleſiæ, ſecundi ſæculi ſcriptor, ſententiam hanc fabellæ a Cerintho procuſæ notâ traducit; eamdemque non ſemel Origenes in ſcriptis ſuis rejicit (*x*).

Quæ hactenus diſſeruimus in Apocalypſim Joannis, luculenter ſatis, quantum arbitror, demonſtrant, Regnum Chriſti in Cœlo conſtitui oportere, quo cum Sancti Martyres beatitudine & gloriâ fruuntur; quæ tunc numeris abſolventur omnibus, cùm illi expectatam corporis reſurrectionem obtinuerint. Itaque colligi meritò poteſt cum viro doctiſſimo (*y*), qui de hoc argumento fuſiùs diſputavit, Millenariorum opinionem Evangelio & Doctrinæ Pauli repugnare, cum Apocalypſi minimè congruere. Ortum ex Judaicâ ſuperſtitione commentum, inter Chriſtianos nequitiâ Cerinthi invectum, nimiâ Papiæ credulitate confirmatum, crevit bonâ fide Scriptorum illorum, qui non ſatis expendentes, quanta fides Papiæ deberetur, trahi ſe paſſi ſunt in eam ſententiam ab illo, qui ſe diſcipulum Joannis aſſerebat; ac probabile viſum eſt ex falsâ Apocalypſeos interpretatione & allegoriâ. Igitur vetuſta licèt fuerit in Eccleſiâ opinio, quamvis magna ſit authoritas illorum, quibus fulcitur, quosque fefellit prava illa interpretatio, qua Papias verba Apoſtolorum explicabat, purum putumque mendacium eſt.

Certo enim axiomate tenendum eſt, quod Tertullianus & Patres omnes poſt illum ſenſerunt: *Id verius quod prius; id prius, quod ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis.* Chriſtus & Paulus Apoſtolus non obſcurè mentem ſuam produnt; ille docens (*z*), poſt reſurrectionem nullum connubium fore, ſed omnes in Cœlo futuros ceu Angelos Dei; hic verò (*a*) tradens, corpora noſtra poſt reſurrectionem fore ſpiritalia, glorioſa, corruptionis expertia, cœleſtia, & a rudi gravique materiâ, qua nunc premuntur, immunia. Hac igitur in re ſola illorum oracula excipienda ſunt, neglecto, ſi quid contra illa Antiquis exciderit; germanæ enim traditionis origo ex Chriſto & Apoſtolis repetenda eſt. Nullam hac de re ſententiam tulit Eccleſia, ſive in generalibus Conciliis, ſive legitimo omnium conſenſu. Igitur uni Evangelico Textui, ſcriptisque Apoſtolorum adhærendum eſt.

℣. 3. MISIT EUM IN ABYSSUM, ET CLAUSIT; vinxitque plurimo ductu prolixæ illius catenæ, quam tenebat, quæque certiſſimam juſſionem & decretum Dei denotat. Abyſſi portæ illi clauduntur, & obſignantur ſigillo, *ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni.* Non quòd Dæmon modò neminem ſeducat, & Fideles tranquillâ pace omnes fruantur. Quam multa enim bella, hæreſes, diſſidia, ſchiſmata, cædes, aliaque ejus generis crimina, Dæmoni in Scripturis adſcripta, exinde ſævierunt, nec adhuc quieſcunt? Sed nulla, ut olim, procella in Eccleſiam univerſam exſurget, ut tantum malorum in illam pariat fraudibus, quantum inductum eſt ſævitiâ & violentiâ Gentilium Imperatorum, qui bellum Eccleſiæ indixerunt, quique Regnum Chriſti evertere aggreſſi ſunt.

Cùm audis, motum iri in Fideles bellum, ſed minimè cruentum, quo de ſanguine & vitâ periclitandum ſit, ne credas, illud intra fines fraudum tantummodo deſiturum. Potiſſima quidem arma dolus & verſutia uſurpabuntur: ſed & vis ac ſævitia, cùm opportunæ viſæ fuerint,

(h) *Aug. de Civit. lib.* 20, *cap.* 7. (i) *Epiphan. hæreſ.* 77. (k) *Philaſtr. hæreſ.* 59.
(l) 4 *Esdr.* IV, 35, *& ſeq. &* VI, 18 (m) *Euſeb. lib.* 3 *Hiſt. Eccleſ. cap.* 39.
(n) *Iren. lib.* 5, *cap.* 33; *& apud Euſeb. lib.* 3, *cap.* 39. (o) *Juſtin. Mart. Dialog. cum Tryphone.*
(p) *Tertull. lib. contra Marcion. cap.* 24. (q) *Victorin. apud Hieronym. in Ezech.* XXXVI.
(r) *Lactant. lib.* 7, *cap.* 24. (s) *Euſeb. lib.* 3, *cap.* 39. *Hiſt. Eccleſ.* Ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς Ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις ὑπολαβεῖν, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυστικῶς εἰρημένα μὴ συνεωρακότα. σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται. (t) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib.* 7, *cap.* 24, *Hiſt. Eccl.*
(u) *Cajus, apud Euſeb. lib.* 3, *cap.* 28, *Hiſt. Eccleſ.* (x) *Origen. lib.* 2 *de Princip. cap.* 2; *& in Matth.* (y) Du Pin, Diſſertation 9 ſur l'Apocalypſe. Diſſertation ſur les Millenaires.
(z) *Matth.* XXV, 24; *Luc.* XX, 28. (a) 1 *Cor.* XV, 44, 45, *&c.*

℣. 4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.

℣. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.

COMMENTARIUS.

non negligentur. Dæmon quovis ſæculo ſemper idem eſt; hoſtis ſemper ſævus & vaferrimus, nunquam non intentus nocendo, & inſidiis in Fideles ſtruendis (b). At Deus, ut totam iram in Fideles illi exerceat, niſi per intervalla minimè permittet. Vincula Deus interdum ſolvit, & tunc is liber immaniter nocet.

Donec consummantur mille anni; uſque ad mundi exitum, & Antichriſti adventum. *Poſt hæc, oportet illum ſolvi modico tempore.* Chriſtus in Evangelio (c) prædicens ea, quæ ſupremis temporibus eventura ſunt, ait, ſurrecturos tunc perſonatos Chriſtos emtititoſque Prophetas, edituros prodigia & ſigna, quibus, ſi fieri poſſit, vel ipſi electi decipiantur; ſed propter electos correptum iri dies illos pollicetur. Mirè iſta cum hoc loco Joannis congruunt. Creditur Antichriſtus regnum geſturus violentum & perniciosum, ſed breve, ideſt, ex pleriſque Interpretibus (d), per annos tres & dimidium.

℣. 4. Et vidi sedes, et sederunt super eas, &c. Sedes iſtæ deſtinantur animabus Martyrum Chriſti, animabus *decollatorum propter teſtimonium Jeſu Chriſti* (e). Capitis abſciſſio apud Romanos familiare ſupplicium erat. Porrò decollati iſti ii ſunt, quos ſuſtulit inſectatio beſtiæ, ſeu Imperatorum, de quibus ſæpè. Sunt (f) qui *animas* hîc & Capite VI, 9. de Martyrum corporibus explicent. Veterum quidam (g) opinati ſunt, ante ſupremam reſurrectionem Martyres anticipatâ reſurrectione donandos; quod illi ex ℣. 5 hujus Capitis colligunt. Sed eorum opinioni objicimus duo. Primò, incertiſſimum eſſe, animarum nomine corpora Martyrum hîc deſignari. Primam hanc reſurrectionem nullibi ſatis disertè Apoſtolus tradit; quin & ii, qui hæc de Martyrum corporibus uſurpant, in hanc ſententiam concedere recuſant. Secundò, tametſi hîc ageretur de Martyribus mortali in corpore ſpirantibus, minimè id officeret communi Eccleſiæ ſententiæ, quæ Scripturas ſequuta, corporum reſurrectionem judicio ſupremo præituram credit. Hîc autem ſermo eſt Apoſtolo de judicio ſupremo, in quo Sancti, Apoſtoli, & Martyres aſſidebunt judices, ſententiam damnationis in infideles hoſteſque ſuos laturi.

Vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Jam inde a bello in Eccleſiam ab Imperatoribus moto, Martyres vivunt & regnant in Cœlis, ubi genere quodam anticipatæ reſurrectionis, gloriâ & beatitudine fruuntur *mille annis*, nempe uſque ad ſupremum judicii diem. Tunc autem fiet, ut in corpore verè reſurgant, & glorioſi ſpiritûs contubernio corpora fruantur, donata felicitate & gloriâ, quæ priorem excedat & ſuperet. Alcaſarius, Grotius, & poſt illos Boſſuetus Regnum Martyrum ante judicii diem conſtituunt in prodigiis, quæ ad eorum ſepulcra patrantur, tum in obſequio illis impenſo, in publicis honoribus, quos Eccleſia eorum memoriæ decernit. Hæc typica eſt reſurrectio, quæ veram aliam & generalem antevertit.

℣. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummantur mille anni. Inſigne eſt Martyrum inter defunctos reliquos, juſtos quoque & ſanctos, privilegium; illud nempe, quòd æternâ beatitudine ſtatim donentur, cùm Martyrium ſit conſummatio charitatis, & tamquam novus baptiſmus, quidquid expiandum remanet delens & expians (h). Ex reliquis juſtis plerique, quos charitatis fervor & juſtitiæ perfectio Martyrum meritu haud exæquat, in Purgatorio detenti nec beatitudine nec gloriâ fruuntur, niſi poſt *mille annos*, id eſt niſi poſt impletum tempus a juſtitiâ Dei illis præſcriptum (i). Atque ita propriè reſurrectio prima unis Martyribus convenit; pro quibus unis minimè ambigit Eccleſia, quin pro precibus laudes & actiones gratiarum offerat (k). Syrus & Codices quidam Græci (l) omittunt illud: *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.*

Hæc est resurrectio prima. Reſurrectio quadrupliciter accipitur. I, pro verâ reſurrectione, quam in exitu ſeculorum opperimur. II, pro reſurrectione typicâ, qua ſcilicet anima e ſtatu peccati in vitam gratiæ exſurgit; de qua reſurrectione ſæpè Apoſtolus (m): *Surge qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et alibi (n): *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dexterâ Dei ſedens; quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* III, reſurrectio deſignare poteſt ſtatum gloriæ, quàm egreſſæ e corpore animæ obtinent; nam, ut vera loquamur, vita hæc mortalis mors potiùs quam vita appellanda eſt; cùm in corpore tamquam in tumulo jacens anima, ſi inde evaſerit, ut ad æternam beatitudinem convolet, meritò in vitam novam reſurrexiſſe cenſenda eſt. IV denique, anima e Purgatorio egrediens, & in gloriam ac Sanctorum felicitatem deducta, ſive quæ e Purgatorio eximitur, nullis illius pœnis & dilationibus detenta, & continuò in Cœlum tranſlata, hæc anticipatâ quadam reſurrectione exſurgere exiſtimatur.

San-

(b) *Vide Auguſt. lib. XX de Civit. cap. 7, 8; Boſſuet, hîc.* (c) *Matth.* XXIV, 22, 23.
(d) *Ita ferè Interpretes ad Apoc.* XI, 3. (e) Τὰς ψυχὰς τῶν πεπελεκισμένων διὰ τὴν μαρτυρίαν. *Alexand.* Τῶν πεπολεμημένων, *Eorum qui bellum ſuſtinuerunt.* (f) Martianæus reddit: *Corpora eorum, Vide Apoc.* VI, 9. (g) Ita ſentiebant plerique Millenarii.
(h) *Clem. Alex. apud Grot. ad* ℣. 4. *hîc:* Μαρτύρων ἆθλα κατὰ τὴν πρᾶξιν μετάνοια ἀποκάθαρσις ἁμαρτιῶν μετὰ δόξης. *Tertull. Ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expediat; omnia enim huic operi delicta donantur.*
(i) *Vide Diſſertationem x Dupinii in Apocalypſim.* (k) *Auguſt. Serm.* 18 *de verbis Apoſtoli.*
(l) *Petav. 2, Hunt. 5, Cov. 2, Sin. Leiceſt. Syr.* (m) *Epheſ.* V, 14. (n) *Coloſſ.* III, 1.

℣. 6. Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione primâ: in his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

℣. 7. Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

℣. 8. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum, & civitatem dilectam.

℣. 9. Et deſcendit ignis a Deo de Cœlo, & devoravit eos: & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia,

℣. 10. Et pseudo-propheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.

COMMENTARIUS.

Sancti autem Martyres reſurrectionem illam obtinuerunt, quæ a peccatis eximit, & eam quæ a corpore mortis liberat; eam pariter, quæ a Purgatorii pœnis immunem reddit; adeoque meritò primâ reſurrectione donati dicuntur, opperiunturque ſecundam, quæ corpora animabus perpetuo vinculo ſociabit. De hac verò reſurrectione primâ ita fermè reputandum eſt, uti de morte animæ. Eſt enim prima mors peccati (o); eſt & ſecunda Inferni (p). Ita pariter eſt reſurrectio prima, exemptio nimirum a peccatis, & cœleſtis Beatitudo; eſt & altera, quæ in exitu ſæculorum Beatos manet. Utramque accuratè diſtinguit Joannes, ℣. 6: *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione primâ! in his ſecunda mors non habet poteſtatem.*

℣. 6. SED ERUNT SACERDOTES DEI ET CHRISTI, ET REGNABUNT CUM ILLO MILLE ANNIS. Martyres, Sacerdotii Chriſti, ejuſque regni & gloriæ conſortes facti, Sacerdotes Regesque jure meritoque appellantur. Sacerdotale quoddam munus in Cœlo tunc præſtant, cùm Fidelium preces Deo offerunt, cùm pro illis & pro Eccleſiâ, cujus ſe membra & cives agnoſcunt (q), intercedunt. In Cœlo unâ cum Chriſto regnabunt *mille annis*, id eſt ad exitum uſque ſæculorum, & generalem corporum reſurrectionem.

℣. 7. CUM CONSUMMATI FUERINT MILLE ANNI, SOLVETUR SATANAS. Cùm Mundi exitus juxta definitum a Deo tempus imminebit, permittente Domino, Satanas iterum caput adversùs Eccleſiam tollet. Hoſtis iſte Sanctorum ex abyſſo emergens, *ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ*; id eſt, gentes per univerſum omnes; vel ſaltem nullas artes, ne præſtigiis quidem omiſſis, intentatas eam ob cauſam omittet. Seducet autem *Gog & Magog, & congregabit eos in prælium* ad oppugnandam Eccleſiam. Cave hæc ad verbum accipias. Gog & Magog nomina ſunt ſatis nota ex vaticinio Ezechielis (r), prædicentis bellum, quod ambo illi inferre populo Dei tentabunt, & rationem qua Deus illos non ſine prodigio delebit. Porrò hoſtes omnes Eccleſiæ perſonam gerunt Gog & Magog, eorum ſævitiam, & in Sanctos odium, ac denique conſilium evertendi opus Dei, imitati.

℣. 8. ASCENDERUNT SUPER LATITUDINEM TERRÆ, ET CIRCUMDEDERUNT CASTRA SANCTORUM. Sub imagine expeditionis bellicæ, Antichriſti conatus in exitu ſæculorum Apoſtolus hîc exhibet. Hic hoſtis Chriſti exercitum, arenæ maris parem, conductum e toto Orbe inſtruet, quo & Sanctorum caſtra, & Urbem ſanctam obſidebit. Hæc per tropum dicta ſunt. In Urbe Sanctâ Eccleſiam agnoſce; in caſtris Sanctorum, eorum cœtum, qui in fide manſerunt. At enim Antichriſti exercitus conſtabit ne ex armatis militibus, in expeditionem adversùs regnantes tunc Principes ductis? an coactus erit ex errorum magiſtris, malo Spiritu afflatis, ementitis Doctoribus, & Prophetis, qui hominibus in Idololatriam ſeu in infidelitatem pertrahendis operam dabunt? In medio relinquimus; noſcere enim futura, unius Dei eſt; noſtri verò, mentem continere, ne futurorum arcana, & ea quæ ſibi Pater ſervavit, perſcrutetur. Vulgò tamen veri milites credentur.

℣. 9. DESCENDIT IGNIS DE COELO, ET DEVORAVIT EOS. Pluet ſuper exercitum Antichriſti, ut olim ſuper agmina Gog & Magog (s), *ignis & ſulphur*, grando nempe & fulmina, quibus deleatur. Deus halitu oris ſui ſævum hunc & perniciosum hoſtem evertet. Chriſtianus populus, obſeſſus & in anguſtias redactus, ne in extremæ illa mala incidat divino prodigio ſervabitur. Conatus quidem dæmonis ſubiti erunt & violenti; at ſucceſſu carebunt adversùs illos qui in fide manſerint; deturbabitur ille perpetuo caſu *in ſtagnum ignis & ſulphuris*, ubi beſtia (℣. 10) & Pſeudo-propheta, Ethnici nempe, inſectatores, magi, & hæretici *cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*. Habes hîc optimè expreſſam æternitatem pœnarum, quibus Dæmones damnatique addicuntur; & finem eorum omnium, quæ ad Eccleſiam militantem pertinent; ac denique bella, quæ illi exantlanda ſuperſunt. Poſt Judicium, omnia certum fixumque ſtatum habent, Beatis nempe in Cœlo, Dæmonibus & impiis in æternis inferorum cruciatibus permanſuris.

℣. 11. Vi-

(o) *Rom.* v, 15; 1 *Cor.* xvi, 22.
(p) *Apoc.* ii, 11; & xx, 22.
(q) *Grot. hîc: Sicut olim Deus preces Sacerdotum exaudiebat pro populo; ita nunc preces Martyrum exaudit pro Eccleſiâ.*
(r) *Ezech.* xxxviii, xxxix.
(s) *Ezech.* xxxviii, 22.

℣. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cujus conſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt inventus eis.

℣. 12. Et vidi mortuos, magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius Liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipsorum.

℣. 13. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant: & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipsorum.

℣. 14. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.

COMMENTARIUS.

℣. 11. Vidi thronum magnum candidum, luce micantem (t). Sedebat in eo Chriſtus, *a cujus conſpectu fugit Terra & Cœlum, & locus non eſt inventus eis*. En ſupremi judicii apparatum. Chriſtus in ſolio majeſtatis ſedet, cujus aſpectu territa Cœlum & Terra liqueſcunt, diſſipantur, evaneſcunt. Supremo illo Judice prodeunte, omnia mutantur; jam non priſtinum Cœlum & terra priſtina, ſed novum Cœlum & terra nova. Creatas quidem a ſe res in nihilum minimè rediget Deus, ſed mutabit (u) & perficiet. Vide Diſſertationem noſtram de exitu Mundi. Hanc rerum mutationem Judicium excepturam S. Auguſtinus (x) & cum illo Interpretes arbitrantur.

℣. 12. Et vidi mortuos magnos et puſillos, stantes in conspectu throni. Homines univerſi ſtabunt coram ſolio Chriſti, ut pro merito operum judicium ſubeant (y). *Libri aperti ſunt*; ſingulorum facta, & officia omiſſa ſive impleta exquirentur; ratio enim omnium ſeu bene ſeu male geſtorum habebitur. Libri ſunt hîc non vulgaria volumina, ſed Dei mens, quam nihil fugit (z). Abeſt omnis diſſimulatio, fallacia, error; neque Judicis mentem fatigant ſive judicandorum multitudo, ſive rerum exquirendarum numerus. Omnia coram illo ſcripta, expreſſa omnia ſunt, exiſtunt omnia. Pro *in conſpectu throni* Græcus impreſſus legit, *in conſpectu Dei*: at Vulgatæ lectionem Syrus, Arabs, Æthiops, & optimi plures manu exarati Codices probant.

Alius liber apertus est, qui est vitæ; liber Prædeſtinatorum, in quo & Electorum nomina & bene ab illis ac laudabiliter geſta recenſentur. Porrò unus eſt, ut intelligas, modicum eſſe electorum numerum, ſi comparentur cum reprobis, malisque eorum geſtis, quibus deſcribendis plura volumina impenduntur: *Libri aperti ſunt*. Unusquisque pro merito operum judicatur: nullus hîc excuſationi locus: quæ quis mala non geſſerit, illi non tribuuntur. Si cui nulla opera bona promenda ſuppetunt, gratiam minimè ſperet. Omnia enim hîc ad rectam juſtitiæ lancem expenduntur. Sunt (a) qui Libros hoſce ad Judicium apertos intelligant Sacras utriusque Teſtamenti Scripturas, quibus officia hominum omnia continentur. Hæc autem volumina patentia lectum iri ab univerſis hominibus aſſerunt, ut quisque meritò ſe exterosque damnari probè noſcat & intelligat. *Quædam igitur intelligenda eſt vis divina, qua fiet, ut cuique opera ſua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, ut accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita ſimul & ſinguli judicentur*, ait S. Auguſtinus (b); qui cenſet, libros hoſce patentes ipſos eſſe ſanctos, ſeu ſingulorum hominum conſcientiam; librorum verò lectionem fore mentis perſpicuitatem, qua quisque a Deo inſtruetur, ut geſta a ſe omnia pervadat & intelligat. Cæterùm deſumpta ſunt hæc ex Daniele (c): *Judicium ſedit, & Libri aperti ſunt*.

℣. 13. Dedit mare mortuos qui in eo erant. Omnes prorſus homines reſurgent, omnesque ante tribunal Chriſto ſiſtentur. *Terra & Mare*, vel ſepulcrum (d) & mare, eos, quos condunt, reſtituent. Exhibentur hîc mare, mors, ſepulcrum, ceu tyranni, qui mortuos ſub imperio continent; at illos ad Dei nutum reſtituent liberos, permittentque, ut de ſe rationem Domino ſuo reddituri veniant.

℣. 14. Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Inchoatam allegoriam perſequitur. Uterque Tyrannus, ſepulcrum & mors, æterno igni addicentur; ideſt, Dæmon, qui mortem, mala, & peccatum in mundum invexit, perpetuis ſuppliciis punietur unâ cum iis, qui ſeſe iniquo ejus imperio ſubjecerint. Docet Paulus (e), mortem poſtremum eſſe hoſtem, quem Chriſtus poſt Judicium deſtruet; eâque eversâ impletum iri oraculum illud: *Abſorpta eſt mors in victoriâ*. Addit hîc Joannes: *Hæc eſt mors ſecunda*; ignis æternus, ſtagnum ignis *mors ſecunda eſt* (f), cujus

(t) *Vide Apoc.* XIV, 14. *Grot. Cornel. Boſſuet. alios.*
(u) *Auguſt. lib.* XX *de Civit. cap.* 14. *Primaſ. Beda, Areth. Berengaud. hîc, Viegas, Cornel. Men. Tir. Gagn. Zeger. Grot. Para. Cluver. Dacbam. &c.*
(x) *Auguſt loco citato.*
(y) 2 *Cor.* V, 10: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*
(z) *Vide Auguſt. lib.* XX *de Civit. cap.* 14.
(a) *Beda, Alcazar.*
(b) *Auguſt. lib.* XX *de Civit. cap.* 14.
(c) *Dan.* VII 10.
(d) *Alcazar. Hamm. Cornel. Boſſuet.*
(e) 1 *Cor.* XV, 26, 54.
(f) Græci quidam libri addunt: *Hæc eſt ſecunda mors, ſtagnum ignis.* Οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος θάνατος ἡ λίμνη τοῦ πυρός. *Syr. Arab. Æthiop. Areth. Alex. Seidel. alii.*

℣. 15. Et qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

COMMENTARIUS.

jus velnti typus & umbra mors prima cenſenda eſt. Anima corpore libera, veriùs vivit, quàm dum manet in corpore: cùm verò infernum in ignem detruditur, tunc æternâ morte, nunquam tamen moritura, moritur; *Non perit, ut poſſit ſæpè perire*. Mors & deſtructio felicitas illi forent votis omnibus optanda, ſi impetrari poſſent.

℣. 15. QUI NON EST INVENTUS IN LIBRO VITÆ SCRIPTUS, MISSUS EST IN STAGNUM IGNIS. Qui inter prædeſtinatos ad gloriam non recenſebator, projectus eſt in ſtagnum ignis unà cum Satana, cum Beſtiâ, & Pſeudo prophetâ. Juſti & Electi migrabunt in æternam Cœli felicitatem; impii in ignem æternum deturbabuntur. Conveniunt iſta cum ſententiâ Chriſti in Evangelio (g), docentis, ſe die Judicii electos a reprobis ſeereturum, illos in dexteram, hos verò in lævam: dextros autem in vitam, lævos in æterna ſupplicia miſſurum.

CAPUT XXI.

Novum Cœlum, & nova Terra. Nova Jeroſolyma, ſponſa Agni. Deus cum hominibus commoratur. Nova erunt omnia. Impii in ſtagnum ignis & ſulphuris projicientur. Nova Jeroſolymæ portæ, mœnia, figura, dimenſiones deſcribuntur. Ejus Templum Deus & Agnus erunt. Nihil inquinatum eò ingredietur.

℣. 1. ET vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.

℣. 2. Et ego Joannes vidi ſanctam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo a Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

℣. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIDI COELUM NOVUM ET TERRAM NOVAM. Hoc & conſequenti Capite deſcriptio Cœleſtis Jeroſolymæ, triumphantis Eccleſiæ, ac Sanctorum in Cœlo felicitatis continetur (a); atque hîc ſuprema manus imponitur oraculis omnibus utriuſque Teſtamenti, eòque vota omnia & expectationes Chriſtianorum feruntur. Supremo Judicio abſoluto, denique ſpectare licebit, uti capite ſuperiore, ℣. 11, monuimus, *Cœlum novum & Terram novam*; novam ſcilicet formâ, novam ornamentis, non naturâ. Hanc loquendi rationem familiarem inter Hebræos fuiſſe oportet, cùm ſæpe in hoc Libro (b), bis apud Isaiam (c), & ſemel in ſecundâ epiſtolâ Petri (d) legatur. Quod futurum ſit Cœlum novum, quæ nova Terra, quæ eorum ornamenta & ſpecies, quærere, id porrò audaciſſimi hominis eſt. Illud conſtat, locutionibus hiſce ingentem rerum mutationem in Univerſo deſignari.

℣. 2. VIDI SANCTAM CIVITATEM JERUSALEM NOVAM, DESCENDENTEM DE COELO. Martyres, cæterique Electi e Terria ad Cœlos aſcenderunt, ut ibi Eccleſiam triumphantem componant, militante Eccleſiâ in Terris manente. Nunc verò cùm nulla jam ſit Eccleſia militans, cùm prædeſtinati omnes in unam beatitudinem convenerint, natura præſtantiorem in formam correcta ſit, abſolutaque fuerint Cœlum & Terra, Eccleſia Jeſu Chriſti e Cœlo in terram dilabens, compta atque decora procedit omni eo cultu ornata, quo Sponſæ ad Sponſum traducuntur. Deſignatur hiſce Cœli cum Terrâ conjunctio, Chriſti, Sanctorum, & Eccleſiæ in illis regnantium pax & felicitas numeris omnibus abſoluta. Cœleſtis Jeroſolyma ita in terras labitur, ut Cœlum non deſerat; ſed poſt reſurrectionem, ejus Regnum latè in Terram cœlumque prorogabitur.

℣. 3. AUDIVI VOCEM MAGNAM DE THRONO DICENTEM, &c. Libri complures ferunt (e): *Vocem magnam de Cœlo*. Dicebat autem vox: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Deus olim populo ſpoponderat, poſiturum ſe (f) *tabernaculum ſuum in medio eorum*; idque præſtitit, cùm argumenta præſentis Numinis in tabernaculo ac Templo exhibuit. Plus aliquid pro Chriſtianis adjiciens, dedit illis Chriſtum carne indutum, & ipſorum gratiâ immolatum: deinde quadam Incarnationis & Sacrificii ſui prorogatione, in Sacramento Corporis & Sanguinis ſui nobiſcum perſeverat. Sed nondum hiſce expleta eſt Dei promiſſio, quæ in Cœlo tandem & in Jeroſolymâ cœleſti abſolvetur, ubi Electi omnes, nullâ externorum admiſtione, collecti germanum Dei populum component.

℣. 4. AR-

(g) *Matth.* xxv, 33, 45. (a) *Auguſt. lib.* xxii *de Civit. cap.* 27; *Cornel. Boſſuet, alii paſſim.*
(b) *Sup.* xx, 11; *infra*, ℣. 4. (c) *Isai.* lxv, 17; & lxvi, 22. (d) 2 *Petri*, iii, 13.
(e) *Græc. impreſſ.* Ἤκουσα φωνῆς μεγάλης ἐκ τοῦ οὐρανοῦ λεγούσης. *Alii:* Ἐκ τοῦ θρόνου. *Alexand. Vulg. Iren. lib.* 3, *cap.* 55. (f) *Levit.* xxvi, 11, 12.

℣. 4. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt.

℣. 5. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.

℣. 6. Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum Alpha & Omega: initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ, gratis.

℣. 7. Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

℣. 8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Absterget Deus omnem lacrymam. Nullæ in Cœlo mœroris, nullæ afflictationis, nullæ doloris lacrymæ. Metus, cruciatus omnis aberit; nulla præteritorum malorum memoria: & quæ a cæteris perferuntur mala, illos ea ſponte provocaſſe, juſtè vero a Deo inflicta eſſe, Beati intelligent. Oppreſſæ gentis clamores ibi non erunt, neque ab inimicis mala ulla inferentur. Poſt reductas in corpora animas, nihil jam quærent Sancti, nec ultionem ſanguinis ſui a Domino flagitabunt.

℣. 5. Dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia; nova omnia, Cœlum, terram, Jeroſolymam, Regnum, Sponſam, Eccleſiam. Qui olim militantem Eccleſiam componebant Juſti, iidem & triumphantem conſtituent, ſed mutati ſtatu, gloriâ, felicitate, Beatitudine quidem, ſed nondum abſolutâ, fruebantur, quamdiù numero fratrum aliquid deerat, ſanguinis ipſorum ultio nondum impleta, Dei in impios judicia adhuc pendebat, & corporum reſurrectio expectabatur (g). Modò omnia abſoluta ſunt.

℣. 6. Et dixit mihi: Factum est. Generali corporum reſurrectione, noviſſimo judicio, novæ Jeroſolymæ inſtitutione peractis, toti conſiliorum Dei in homines diſpenſationi manus ſuprema impoſita eſt. Typi, oracula, promiſſiones, minæ, Leges impletæ ſunt. Denique Religionis opus prorſus abſolutum eſt; id quod ſibi Deus Cœli terræque creatione propoſuerat, planè eſt expletum. Sub Patris imperium Filius omnia reduxit: Regnum illi reſtituit, omni aliorum imperio & poteſtate deſtructis. Pater viciſſim ſub Filii pedibus adverſarios ejus, atque ipſam denique mortem (h) proſtravit.

Ego sum Alpha et Omega, principium et finis. Deus ſemper eſt ſemperque fuit; ſed pro noſtro intelligendi more, multo præſtantiùs eſt in Eccleſiâ triumphanti, & poſt ſupremam reſurrectionem, cùm juſſionibus ejus nihil repugnat, & hoſtes omnes coram ſe proſtratos tenet. Græcus hìc inconſtans eſt (i). Codices quidam cum Vulgatâ ferunt: *Factum eſt. Ego ſum Alpha & Omega.* Alii planiùs: *Dixit mihi: Ego ſui Alpha & Omega*; vel, *ego ſum Alpha & omega.*

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Beatitudinem aquæ vivæ fontem appellat, quo nomine ſæpè in Evangelio (k) gratia S. Spiritûs, fides, & veritatis agnitio deſignantur. Admonet Sanctos, ſe illis æternam felicitatem contuliſſe gratis; quòd eam illi non ſuis viribus, ſed ope gratiæ Dei promeruerint; & *cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat quàm dona ſua* (l); ſed ea non largitur niſi ex animo optantibus & poſcentibus. Opus ſuum inchoavit Deus, indito amore fervidoque deſiderio: explevit deſiderium, quod ipſe in eorum animis per Spiritum ſuum excitavit.

℣. 7. Qui vicerit, possidebit hæc. Non ſine labore & certamine æterna præmia ſperanda ſunt. Decertandum eſt, & in certamine perſeverandum, donec abſolutam de mundo, Dæmone, nobiſque ipſis victoriam referamus. Æternas coronas haud aliter promeruerunt Sancti, quàm repugnando beſtiæ ejuſque emiſſariis, fraudibus Antichriſti & Pſeudo prophetarum, carnis mundique illecebris, minarum denique, cruciatuum, ipſiuſque mortis terroribus.

Ero illi Deus, et ille erit mihi filius. Dei Filius adoptionem Patris ſui nobis promeruit, ex qua filiorum natura in nos per fidem & baptiſmum transfuſa eſt. Spiritus ſanctus, quem accepimus, fiduciam nobis affert clamandi: *Abba Pater* (m). Quanta autem ſit iſta filiorum Dei fortuna, tunc intelligent, & mirâ voluptatis acceſſione admirabuntur Electi, cùm in Cœlo verſabuntur. Intelligent illi, non ſine ingenti grati animi ſignificatione, totam conſiliorum Dei erga ſe providentiam, omneſque appendices adoptionis illius, quam merito Sanguinis Chriſti obtinuerunt.

℣. 8. Timidis autem et incredulis. Alius eſt timor laudabilis, ortus ex agnitione imbecillitatis noſtræ, ac planè contrarius temeritati atque arrogantiæ. Alius eſt timor ex obſervantiâ, qua viros ampliſſimos & virtute eximios veneramur. Hæc timoris genera non damnat hìc Chriſtus, ſed illud, quod ex imbecillitate, diffidentiâ & incredulitate proficiſcitur. Arguit Deus eos, quos pudet ipſius nomen confiteri, qui cauſam Dei coram hominibus deſerunt (n), quique mi-

nis

(g) *Apoc.* vi, 11: *Dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.* (h) 1 *Cor.* xv, 26, 27.
(i) *Græc. impreſſ.* Καὶ εἶπέ μοι· γέγονε. ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω. *Alii:* Εἶπέ μοι· γέγονα. ἐγὼ τὸ Α, καὶ τὸ Ω. *Ita Pota.* 2, 3, *Cov.* 2, *Aeth. Steph.* π, ιε, *Hunt.* 2, *Seidel.*
(k) *Joan.* iv, 14; vii, 38, 39. (l) *Auguſt. Ep.* 186, *cap.* 3: *Hoc & ipſum hominis meritum donum eſt gratuitum. Et Epiſt.* 194, *cap.* 5. (m) *Rom.* viii, 15; *Galat.* iv, 6.
(n) *Luc.* ix, 26; *Matth.* x, 32, 33.

℣. 9. Et venit unus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni.

℣. 10. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo a Deo;

℣. 11. Habentem claritatem Dei: & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum.

℣. 12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.

℣. 13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.

℣. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

COMMENTARIUS.

nis & cruciatibus territi, aſſumpto beſtiæ ſtigmate & charactere, ad illam tranſeunt. Piam audaciam inſpirat Fides, ex æquo a temeritate & ignaviâ remotam.

Et omnibus mendacibus, iis præſertim, qui dogmata perniciosa & falsa prodigia venditantes, populum decipiunt; pseudo-prophetis, magia, hypocritia, qui ad fallendos ſimplices religione abutuntur: denique veteratoribus omnibus, qui veritati, juſtitiæ, ſinceritati lethale vulnus infligunt. His omnibus hæreditaria portio infernus eſt.

℣. 9. Venit unus de septem Angelis, quos vidi ſupra, Capite xvi, 1, quique ſeptem phialas ſeptem ſupremis plagis plenas tenebant. Monuit hic (o): *Veni, & oſtendam tibi Sponſam uxorem Agni*; ideſt Jeroſolymam cœleſtem, Eccleſiam triumphantem. Porrò hæc prophetice deſcribitur ceu compta & formoſa mulier, perinde ac ſupra Idololatria, ſeu Roma profana, meretricis imagine depingitur. Urbes & Provinciæ ceu mulieres ſeu virgines tropicè exhiberi ſolent.

℣. 10. Sustulit me in spiritu in montem magnum, cui inſidebat nova hæc Jeroſolyma, ſponſa Agni; quemadmodum vetus Jeroſolyma in editi montis vertice conſpiciebatur. Alludere videtur ad illud Iſaiæ (p): *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium*; erit inſtar montis ex altero monte ſurgentis. E loco decor & firmitas novæ Jeroſolymæ accedit; urbs eſt inexpugnabilis, ſubjectæ regioni imperans, & proſpiciendam undique ſe præbens. Ita planè, ſenſu tamen ſublimiori & myſtico, triumphans Eccleſia ſeſe exhibebit.

℣. 11. Habentem claritatem Dei. Poſt reſurrectionem, Cœlum terramque renovatum iri, ſupra monuit. Ut hæc cohærerent, addendum erat aliquid, quod ſolaris lucis vicem gereret, novamque Jeroſolymam illuſtraret; neque enim ea in tenebris verſabatur. *Habebat claritatem Dei*, lucem lumenque cœlicum & planè divinum (q); quemadmodum dicitur pulcritudo Dei, mons Dei, ut eximia pulcritudo, & mons miræ celſitudinis deſignetur. Denique *claritas Dei*, ſive ex Græco (r) *gloria Dei*, deſignare poteſt præſentiam Numinis, lumen ſupernum S. Spiritûs, quod nunquam minuitur, nec obfuſcatur. Nulla ibi nox diem excipiens, nullæ viciſſitudines dierum ac noctium creſcentium & decreſcentium. Lux eſt perpetua, ſemper eadem, æterna, ſimilis *lapidi pretioſo, tamquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum* (s), quæ mutationem neſciunt, & æquali lumine ſemper micant.

℣. 12. Habebat murum magnum et altum ... et in portis Angelos duodecim (t). Veteres plures Vulgatæ Codices pro *duodecim Angelos*, ferunt, ſed mendo manifeſto, *duodecim angulos*. Angeli duodecim, quorum ſinguli ad ſingulas januas ſtabant, cuſtodum ſeu janitorum munere fungebantur; non ut prohiberent aditu hoſtes ſive externos, cùm Dæmones & impii inferno carcere perpetuò detineantur, nihilque occurrere poſſit, quod pacem & quietem cœleſtis Jeroſolymæ perturbet; ſed ut ſervirent majeſtati urbis pulcherrimæ, atque opulentiſſimæ, Agnoque chariſſimæ; cujus erat cuſtodes habere ad portas, decori causâ invigilantes.

Nomina duodecim Tribuum inſcripta erant portis, ſingula nempe ſingulis; quibus ſignificabatur, eâ urbe electum populum univerſum contineri, & extra Eccleſiam nec ſalutem nec beatitudinem poſſe expectari. Duodecim Tribus univerſum Prædeſtinatorum cœtum ſignificant (u). Vide ſupra, vi, 4, &c.

℣. 13. Ab Oriente portæ tres. Urbs erat in quadro poſita, & ad ſingulas mundi partes obverſa. Singulis ejus lateribus reſpondebant æquis intervallis portæ tres. Probabile eſt, portarum nomina & diſtributionem Tribuum eamdem fuiſſe, quæ olim in caſtris Iſraëlitarum in deſerto (x). Judas, Iſſachar, Zabulon orientales erant; Ruben, Simeon, Gad meridionales; Ephraim, Manaſſes, Benjamin occidentales; Dan, Aſer, Nephtali ſeptentrionales. Confer Urbem, de qua hîc Joannes, cum alterâ Ezechielis, xlviii, 30, &c.

℣. 14. Murus civitatis habens fundamen-

(o) Δεῦρο, δείξω σοι τὴν νύμφην τοῦ ἀρνίου τὴν γυναῖκα. *Alii plures*: Δείξω σοι τὴν γυναῖκα τοῦ ἀρνίου τὴν νύμφην. *Ita Vulg. Arab. Seidel. Cyprian. Areth. alii.*

(p) *Isai.* 11, 2. (q) *Cornel. Menoch. &c.*

(r) Ἔχουσαν τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. *Vide Grot. Durham, alios.*

(s) Ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ, ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι.

(t) Ἀγγέλους δώδεκα. *Omittit Alex. & Syr. In quibusdam Latinis*, Angulos duodecim. *Vide Valex.* γωνίας δώδεκα. (u) *Gagn. Ferer. Cluv. Cotter. Tir. alii.* (x) *Num.* 11, 2, 3, *& ſequ.*

Digitized by Google

℣. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.

℣. 16. Et civitas in quadro poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt quanta & latitudo: & menſus eſt civitatem de arundine aureâ per ſtadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia ſunt.

℣. 17. Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli.

℣. 18. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas, aurum mundum ſimile vitro mundo.

℣. 19. Et fundamenta muri civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus:

COMMENTARIUS.

TA NUODACIM, ſeu habens duodecim lapides mirè ſolidos & ingentes in fundamento. Inſcripta lapidibus erant *nomina duodecim Apoſtolorum Agni*. Eccleſia Chriſti Chriſto ipſi ejusque Apoſtolis ſuperſtruitur. Eſt autem Chriſtus primum & neceſſarium fundamentum, quo vel ipſimet Apoſtoli ſuſtentantur.

℣. 15. HABEBAT MENSURAM ARUNDINEAM AUREAM (y), qua dimetiri volebat Urbem ipſo ſpectante Apoſtolo, quò meliùs ille menſuras urbis diſceret. Confer iſta cum loco Ezechielis, XL, 3, ubi Angelus docet Prophetam dimenſiones novi Templi, poſt ſolutam captivitatem reſtituendi. Supra, Capite XI, I, traditur Joanni calamos menſoris, quo dimetiatur partem Templi, quæ a profanatione immunis ſervanda erat. Cave iſta ad verbum accipias; innuunt enim tantummodo rerum prædictarum veritatem, aſſeruntque certò futuram, ut poſt reſurrectionem manſura ſit Eccleſia, ex unis prædeſtinatis conſtans; manſura, inquam, in Cœlis novis & terrâ novâ, quæ noſtro huic Cœlo terræque ſuccedent.

℣. 16. CIVITAS IN QUADRO POSITA EST, ET LONGITUDO EJUS TANTA, QUANTA ET LATITUDO, utpote probè quadrata. Patebat *per ſtadia duodecim millia* (z) in circuitu; adeoque tribus millibus ſtadiorum longitudine, totidem latitudine ex unâ ad alteram portam porrigebatur. Sed quod ſequitur, negotium faceſſit; *Longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia ſunt*. Qui fieri poteſt, ut altitudo ejus longitudini & latitudini æquaretur? Cenſent quidam, Urbem patuiſſe in longum latumque duodecim millibus ſtadiorum, quadraginta & octo millibus in circuitum. Mœnia a fundamentis, ſeu potiùs a montis radice, cui Urbs inſidebat, æquabant altitudine duodecim millia ſtadiorum, craſſitie verò cubitos centum quadraginta quatuor.

Suſpicantur alii, Urbis longitudinem & latitudinem definiendam eſſe ad tria ſtadiorum millia, ambitum verò ad duodecim millia; muris verò tribuunt duodecim millia ſtadiorum ambitu, & centum quadraginta quatuor cubitos altitudine. Id probabilius eſt. Vetuſtarum Urbium mœnia, ex Hiſtoricis nota, celſiſſima erant; inter quas Babylon mœnibus ducentorum cubitorum altitudine protecta fuiſſe fertur. Quod habet hîc Joannes de altitudine longitudinem æquante, ita accipiendum eſt, ut mœnium altitudo ad centum quadraginta quatuor cubitos aſcendens, æquali menſurâ totam Urbem ambiret.

Codices quidam Græci (a) legunt; *Menſus eſt longitudinem ejus per ſtadia duodecim, millia duodecim*. At hæc lectio vel nihil ſonat, vel ex ſenſu Vulgatæ accipienda eſt. Animadvertere licet, in omnibus partibus & dimenſionibus novæ Urbis numerum duodenarium ſemper recurrere, tamquam omnium baſim & radicem; duodecim portæ, duodecim Angeli, duodecim fundamenta, Tribus totidem; duodecim millia ſtadiorum ambitu, fructuum genera duodecim, &c. Porrò Urbis amplitudo, quæ ad leucas ſexaginta porrigebatur, & vel magnam Provinciam æquabat, divitiæ, ſoliditas, magnificentia, ſatis demonſtrant, nihil ſimile in rerum naturâ occurrere, ut prorſus ſpiritalis, prorſus myſtica ſit. Hæc autem omnia deſumpta ſunt ex deſcriptione novæ Jeroſolymæ, novique Templi apud Ezechielem; ut vel eaſdem utrobique dimenſiones nonnulli agnoſcant. Sed Urbs Joannis multo auguſtior eſt illâ Ezechielis; quin & menſuræ diſcrepant, ut facilè ex utriusque collatione intelliges.

℣. 17. MENSUS EST MURUM EJUS, quo urbs ambiebatur, *centum quadraginta quatuor cubitorum* altitudine, *menſurâ hominis, quæ eſt Angeli*; ideſt, Angelus in omnibus hiſce dimenſionibus vulgari cubito & menſurâ uſus eſt (b). Id neceſſe eſt animadverti, nequis alios cubitos, & diverſa a vulgaribus ſtadia comminiſcatur.

℣. 18. STRUCTURA MURI EJUS. Poſt dimenſiones novæ Jeroſolymæ, ſtructuram & materiam deſcribit. Nihil ditius, magnificentius nihil. Lapides exquiſitiſſimi, rariſſimi, & nitidiſſimi. Si quid eſt auri, additur illi cryſtalli nitor & pelluciditas. Ad ornamenta Sponſæ Filii Dei nihil nimis adjici poteſt.

℣. 19. FUNDAMENTA MURI CIVITATIS OMNI LAPIDE PRETIOSO ORNATA. In vulgaribus ædificiis nemo ornandis fundamentis inutilem operam collocat, cùm ea plerumque humi condita deliteſcant; in ſoliditate dumtaxat cura omnis impenditur. Hîc fundamentis ornandis omnia, quæ in naturâ ditiſſima ſunt, conferuntur. Cujus rei cauſa eſt, quòd Apoſtoli fundamentis hiſce per ſymbo-

(y) *Græc.* Εἶχε κάλαμον χρυσοῦν. *Alii plures*; Εἶχε μέτρον καλάμου χρυσοῦν. *Ita Alex. Hunt. Cov. Complut. Arab. Aeth. Seidel. alii.*

(z) Duodecim millia ſtadiorum ſunt MD millia paſſuum Italicorum, ſive LX leucæ Gallicæ, 2500 paſſibus in ſingulas computatis.

(a) Ἐπὶ σταδίων δώδεκα, χιλιάδων δώδεκα. *Steph. 11, Petav. 2, Hunt. 1, Sin. M. Seidel. Ita Complut. Montan. Et hanc Lectionem alteri præfert Feter.*

(b) *Men. Tir. Pare. Piſc. Durham. Ribera, Cornel.*

℣. 20. Quintum, ſardonix: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolythus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hyacintus: duodecimum, amethyſtus.

℣. 21. Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum.

℣. 22. Et templum non vidi in eâ: Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.

℣. 23. Et civitas non eget ſole, neque lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.

℣. 24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus: & Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam.

℣. 25. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

℣. 26. Et afferent gloriam & honorem gentium in illam.

℣. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

COMMENTARIUS.

ſymbolum expreſſi (*r*), pretioſiſſimis Spiritûs Sancti & gratiarum donis ornantur.

℣. 21. DUODECIM PORTÆ DUODECIM MARGARITÆ SUNT. Nihil eſt in rerum naturâ tam magnificum, cùm hujus magnitudinis margaritæ ſpectari nequeant; quamquam hoc nomine genus quoddam marmoris candidi inſtar unionum hîc deſignari Grotius credit. Maluerim hyperbolen hîc agnoſcere, qua pulcherrima quæque & ditiſſima adhibentur, ut opinio major de venuſtate Sponſæ Agni exhibeatur.

℣. 22. TEMPLUM NON VIDI IN EA; tota enim Templum eſt. Ipſum pariter Deum & Agnum pro Templo habet. Nihil ibi niſi ſanctum agitur: ubique laudes Dei reſonant: Deus adoratur coliturque ſacrificiis puriſſimæ & perfectiſſimæ charitatis. Quæ apud nos ſtruuntur Templa, deſtinata ſunt ad juvandos homines, quo faciliùs mentem ad Deum erigant, vota, ſacrificia, preceſque obſequio & pietate majori offerant. Neque enim ſancta hæc loca domicilium ſunt Divinitatis, ut ibi a Cœli aërisque injuriis defendatur; nec Deo propriè, ſed nobis proſunt. Indulgentiâ quadam Numinis factum eſt, ut præſentiæ ſuæ argumenta peculiaria certis in locis exhiberet, ut loca illa deligeret ad cultum noſtrum exteriorem excipiendum. Sed in Cœlo Beati his adminiculis non egent, cùm ubique Deum naneiſcantur, agnoſcant, ſentiant, & Numine quodammodo occupentur; Deus eſt enim *omnia in omnibus*.

℣. 23. CIVITAS NON EGET SOLE NEQUE LUNA. Idem fermè ſupra, ℣. 21, monuerat. Nihil vulgare, nihil a naturâ datum in novâ Jeruſolymâ. Luce æternâ & increatâ illuſtratur. Abſunt ſol, luna, aſtra quælibet, vices eorum gerente Deo ipſo & Agno, qui illuminant, lucemque animis & mentibus iſpergunt. Ipſum pariter corpus lucidum, ſpiritale, tenue, pellucidum evadet.

℣. 24. AMBULABUNT GENTES IN LUMINE EJUS (*d*). Alluditur hîc ad verba Iſaiæ (*e*), de Regno Meſſiæ agentis. Prædeſtinati, quorum quamplurimi excerpti ſunt e gentibus, quas Chriſtus ad fidem cultumque ſuum excivit, læti ſſimo lucis hujus fulgore gaudebunt, eoque quodammodo occupabuntur; *& Reges*, quemadmodum & minimi quique ex electis, *afferent gloriam ſuam & honorem in illam*; venient ſincera tributa reddituri Deo ex iis, quæ bene & laudabiliter geſſerint: coronas ſuas ante ſolium projicient (*f*), clamabuntque: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam* (*g*).

℣. 25. PORTÆ EJUS NON CLAUDENTUR. Expreſſa ſunt hæc pariter ex Iſaia (*h*): *Aperientur portæ tuæ jugiter: die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur*. Nova Jeroſolyma nec vim nec improviſam hoſtium aggreſſionem metuit. *Nox non erit illic*, nec inſidiæ, nec quietis captandæ neceſſitas. (℣. 26) *Et afferent gloriam & honorem gentium in illam*. Electi ac Fideles quique eò ſe conferent, ut coronas & præmia meritis debita accipiant; eòque pariter conferent totam gloriam ſuam, quam offerent Agno in obſequium; venient ad pedes ejus, imperium, potentiam, juſtitiam, & ſapientiam ejus infinitam commendantes; agentque gratias immortales ob præſtitum ſibi beneficium, quòd ſcilicet nomina ſua in Libro vitæ ille deſcripſerit.

℣. 27. NON INTRABIT IN EAM ALIQUOD COINQUINATUM. Nihil erit cur ſibi caveant ab externis & incircumciſis animo (*i*), hominibus inquinatis (*k*), gentibus damnationi odioque obnoxiis (*l*). Nemo enim ex his pedem intra limen ferre audebit. Reprobi omnes clauduntur in ſtagno ignis & ſulphuris, omni egreſsûs ſpe deſtituti. Urbs Sancta nihil ab illis timet. Draco, beſtia, meretrix, Pſeudo-prophetæ ſublati ſunt. Cernere hîc per totam æternitatem non erit *niſi eos, qui ſcripti ſunt in Libro vitæ*. Pax, charitas, juſtitia perpetuò ibi regnabunt. *Beati qui habitant in domo tuâ, Domine! in ſæcula ſæculorum laudabunt te* (*m*).

(c) *Supra*, ℣. 14. (d) Καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι: *Et gentes eorum qui ſalvantur, ambulabunt in lumine ejus. Alii plures*: Καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη, *&c. Ut Vulg.*
(e) *Iſai.* LX, 3. (f) *Apoc.* IV, 10. (g) *Pſal.* CXIII, 1. (h) *Iſai.* LX, 11.
(i) *Iſai.* LII, 1: *Non adjiciet ut pertranſeat per te omnis incircumciſus.*
(k) *Iſai.* XXXV, 8; *Joël.* III, 17. (l) *Iſai.* LX, 12. (m) *Pſal.* LXXXIII, 5.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Fluvius aquæ vivæ e ſolio Dei erumpens. Arbor vitæ in novâ Jeroſolymâ fructus fert. Nulla in eâ Urbe nox. Angelus prohibet ne Apoſtolus ſibi cultum impendat, vetatque obſignare librum. Sponſa adventum Chriſti Sponſi ſui deſiderat.

℣. 1. ET oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam
cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.
℣. 2. In medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis, lignum
vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens
fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem Gentium.
℣. 3. Et omne maledictum non erit ampliùs: ſed ſedes Dei &
Agni in illâ erunt, & ſervi ejus ſervient illi.
℣. 4. Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OSTENDIT MIHI FLUVIUM AQUÆ VIVÆ (a). Pergit novæ Jeroſolymæ deſcriptio. Perluebatur fluvio aquæ vivæ, profluente ex Dei ſolio & Agni. Amplæ adeo magnæque urbi fons unus impar fuiſſet, adducendusque erat fluvius ingens, quo illa rigaretur. Deus olim Veteris Teſtamenti Prophetis oſtenderat (b) fontem aquæ exſilientis e dextro latere Templi, qui torrens factus in lacum Aſphaltiten influens, ejus aquas corrigebat. Erat autem ille ceu pignus aquarum, quas hîc Joannes exhibet. Aquæ apud Prophetas & apud Joannem explicandæ ſunt de innocentiâ Sanctorum, de gratiâ Baptiſmi, quâ juſti efficimur, & de Beatorum felicitate. S. Ambroſius (c) interpretatur de S. Spiritu; alii (d) de prædicatione Evangelii, ad curationem & ſalutem omnium gentium. Felicitatem Sanctorum in torrente voluptatis, quo illi proluuntur, deſcribit Pſalmiſta (e): *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Fluvium egredientem e Paradiſo terreſtri, & arborem vitæ ibi virentem (f) ſpectaſſe Apoſtolus videtur.

℣. 2. IN MEDIO PLATEÆ EJUS EX UTRAQUE PARTE FLUMINIS LIGNUM VITÆ. Non una igitur erat vitæ arbor, at ſingulis vis erat curandi gentes, & immortalitatem illis comparandi. Integrum nobis jus illud reſtituetur, quod Adami peccato ademptum fuerat. In exordio hujus Libri ſpoponderat S. Spiritus, ſe victori daturum *edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei* (g). Cùm hîc ait, arborem illam *afferre fructus duodecim*, ſeu *per menſes ſingulos reddere fructum ſuum* (nam utroque hoc membro unum idemque ſignificatur); cùmque addit, *folia ligni eſſe ad ſanitatem gentium*; his omnibus nil aliud deſignatur, quàm quòd iis arboribus indicatur immortalitas, quam afferunt ipſæ fructum guſtantibus; afferunt autem tam certo eventu, ut vel ipſa earum folia a morte defendant. Ne tamen putes aut in Paradiſo mortem timeri poſſe, aut removeri illam oportere eſu fructuum vel foliorum arboris (h): ſunt enim hæc per ſymbolum dicta, ſed Beatorum ſtatum mirè exprimunt.

Putant quidam (i), unam tantummodo arborem ad eum fluvium, ſive in medio ejus alveo natam, cujus tamen rami ad utramque ripam pertingerent. Sed collato hoc loco cum altero Ezechielis (k), quem ſpectavit Apoſtolus, planè intelligimus, plures quidem arbores, ſed ejusdem generis deſignari; quas tamen ſacer Scriptor ſub nomine unius ejusdemque arboris ideo expreſſit, quòd omnes unum idemque ſignificarent, nempe immortalitatem, ſeu viſionem beatam, vel Chriſtum (l), qui ſui præſentiâ & conſpectu immortalitatem Beatis affert. Non deſunt qui (m) arbores reverâ, aquas, flores in Cœlo comminiſcantur, rati, nullum fore corporis ſenſum, qui aptâ ſibi voluptate careat.

℣. 3. OMNE MALEDICTUM NON ERIT AMPLIUS (n). In Paradiſo terreſtri homo obnoxius erat tentationi, quâ ſuperatus ex gratiâ Creatoris caderet, indignationem ejus & maledictum incurreret; quæ omnia mala re ipsâ ſenſit, & morti addictus fuit. Sed in Cœlo malus timor omnis aberit; nullus ibi metus maledicti, nullum mortis & rerum mutationis diſcrimen. *Sedes Dei & Agni in illâ erunt*; quas fruſtra in Paradiſo terreſtri quæreres; *ſervi ejus ſervient illi*, (℣. 4.) *& videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum.* In gratiæ ſtatu confirmabuntur, nihilque illis noxium erit. Abſolutâ adeò felicitate fruentur, ut nihil illis deſiderandum ſuperſit.

℣. 5. Nox

(a) Ἔδειξέ μοι καθαρὸν ποταμὸν ὕδατος ζωῆς. *Plures omittunt*, καθαρόν. *Ita Vulg. Syr. Æthiop. Hilar. Hunt.* 2, *&c.*

(b) *Ezech.* XLVII, 2; *Joël.* III, 18; *Zachar.* XVIII, 8. Vide nos in Ezechielem.

(c) *Ambroſ. de Spiritu Sancto, lib.* 3, *cap.* 25.

(d) *Ansbert. Haymo.*

(e) *Pſal.* XXXV, 9. *Vide & Pſal.* XLV, 5: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et *Iſai.* LXVI, 12: *Declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium.*

(f) *Geneſ.* II, 8, 9, 10. (g) *Apoc.* II, 7. (h) *Zegor. Druſ. Pareu. Grot. Cotter. alii. Confer Ezech.* XLVII, 12. (i) *Pare. Cotter. Durham. Hamm.*

(k) *Ezech.* XLVII, 7: *Ecce in ripâ torrentis ligna multa nimis.*

(l) *Ita Beda, Rupert. Ansbert. Ribera.*

(m) *Vide, ſi placet, Cornel. a Lapide hîc, & Auctores ab eo laudatos magno numero.*

(n) Πᾶν κατανάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. *Alii plures:* Πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι. *Ita Steph.* α, ιε, *Alex. Bab.* 1, *Cov.* 2, *Areth. Steidel. Complut. &c.*

℣. 5. Et nox ultrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

℣. 6. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et Dominus Deus ſpirituum prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò.

℣. 7. Et ecce venio velociter. Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri hujus.

℣. 8. Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc. Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat:

℣. 9. Et dixit mihi: Vide, ne feceris: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſervant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.

℣. 10. Et dicit mihi: Ne ſignaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim propè eſt.

℣. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc.

℣. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.

COMMENTARIUS.

℣. 5. NOX ULTRA NON ERIT. Vide dicta ſupra, XXI, 11 & 23. Non ſemel repetit, Deum unum lumen & felicitatem novæ Jeroſolymæ eſſe. Iſaias (o) promiſerat Jeroſolymæ futurum, ut ſolutâ captivitate *non occidet ultra ſol ejus, & Luna ejus non minuetur*. Quibus verbis plena fides nonniſi in Cœlo afferta fuit. Hic deſinit cœleſtis Jeroſolymæ deſcriptio; ſequitur totius libri concluſio.

℣. 6. HÆC VERBA FIDELISSIMA SUNT; verba ſunt ſeu res certiſſimæ. Angelus Apoſtolum alloquitur. Quæ hactenus ſpectaſti, pro certiſſimis habeto. Deus enim ipſe, *Deus Spirituum Prophetarum* (p), hæc tibi aperuit. Ne ambigas, verane ſint oracula, utpote edita ab ipſo Deo, ſinceræ revelationis authore, qui Prophetas excitat, uti opportunum cenſet. Itaque de veritate eorum quæ ſpectaſti ne dubites, puteſve, hæc per ſomnium tibi obrepſiſſe. *Deus* enim *miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis*, Fidelibus vexatis, *quæ oportet fieri citò*. Agit de vexationibus illatis a Diocletiano aliiſque profanis Imperatoribus uſque ad Conſtantinum, & de futuris eventibus Romani Imperii ab eo tempore uſque ad Romæ Profanæ caſum. Hæc omnia executioni mandata ſunt per annos ab edito hoc Libro trecentos circiter. Porrò vexationes illæ anno 303 cœperunt. Roma capta eſt anno 410. Quæ inter duo hæc tempora Eccleſiæ & Imperio contigerunt, præcipuum ſunt Apocalypſeos argumentum. Excipe duo priora Capita, quæ ad ipſam Joannis ætatem, exitum nempe prioris ſæculi, pertinent; & tria poſtrema Capita, quæ ad Judicii diem extremam, exitum Mundi, & Regnum Beatorum in Cœlo ſpectant.

℣. 7. ECCE VENIO VELOCITER. Deus ipſe loquitur, ſpondetque imminentem hujuſmodi vaticiniorum exitum. Ne Fideles mei animis deſpondeant; quod illis polliceor ſolatium, non multum abeſt: actutum ad opem illis ferendam, & judicium in eorum hoſtes exercendum propero.

℣. 8. POSTQUAM AUDISSEM...... CECIDI UT ADORAREM ANTE PEDES ANGELI, in argumentum obſequii, & devincti animi ſignificationem. Neque enim de latriæ cultu illi exhibendo cogitabat; norat quippe eſſe Angelum, ſciebatque, paulo antea (q) obſequium ſuum ab illo fuiſſe rejectum. Sed ratus, revelationem eſſe abſolutam, officii ſui eſſe cenſuit, Angelo, cui tam multum debebat, obſequii gratique animi argumenta exhibere. Cenſent quidam (r), repetitionem hic eſſe eorum, quæ ante acciderunt, & ſupra, XIX, 10, narrata ſunt.

℣. 10. NE SIGNAVERIS VERBA PROPHETIÆ. Reſerans Deus Prophetis futuri remotique temporis arcana, jubebat obſignari vaticinia, monebatque, eas eſſe res, quarum agnitio & exequutio diù differenda erat. Iſaiæ, e. g. præcepit (s): *Liga teſtimonium, ſigna legem in Diſcipulis meis; & expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam a domo Jacob*. Quæ prædico, non ſtatim evenient, ſed aliquandiu expectanda ſunt. Apud Danielem (t): *Tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit*. Et alibi (u): *Tu autem, Daniel, claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum.... Vade, Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones uſque ad præfinitum tempus*. Hic verò planè contrarium monet: *Ne ſignaveris verba prophetiæ Libri hujus*.

℣. 11. QUI NOCET, NOCEAT ADHUC... ET QUI JUSTUS EST, JUSTIFICETUR ADHUC. Quiſque in opere ſuſcepto malo bonove perſeveret. (℣. 12) Ego

(o) *Iſai.* LX, 20.

(p) *Græc.* Κύριος ὁ Θεὸς τῶν ἁγίων Προφητῶν, *Dominus Deus ſanctorum Prophetarum. Alii plures:* Κύριος ὁ Θεὸς πνευμάτων τῶν Προφητῶν. *Ita Vulg. Steph.* N, 11, *Alex. Petav.* 2, *Hunt.* 2, *Cov.* 2, *Syr. Arab. Æthiop. Areth. Seidel. &c.* (q) *Apoc.* XIX, 10. (r) *Pareus, Cotter. Brigtmann.* (s) *Iſai.* VIII, 16. (t) *Dan.* VIII, 26. (u) *Dan.* XII, 4, 9.

℣. 13. Ego ſum Alpha, & Omega, primus, & noviſſimus, principium, & finis.

℣. 14. Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni: ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.

℣. 15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.

℣. 16. Ego Jeſus miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix & genus David, ſtella ſplendida & matutina.

℣. 17. Et ſpiritus, & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.

COMMENTARIUS.

Ego in foribus, ut ita dicam, adſum, paratus unicuique pro merito rependere. Si impii laceſſere atque inſectari vos non deſinunt, ne terreamini; omnes quidem minæ & vaticinia iſta ſuadere illis meliora non valebunt: at nequitiam inultam diù non ferent. Cùm ait, *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc*, id neque permittentis eſt neque conſulentis; ſed more patris effrænem filium ita increpantis: Quandoquidem monita minasque meas contemnis, abito, & iter quod cepiſti perſequere: at ſcito, ſtatuiſſe me, alium a te hæredem ſcribere, te verò licentiæ tuæ permittere.

℣. 13. Ego sum alpha et omega. Chriſtus hîc ſibi non obſcurè Dei naturam vindicat. Vide ſupra, I, 8; IV, 2; XX, 11; XXI, 6. Ego, non alius, tecum locutus ſum ab initio, ac non ſemel admonui (x), me Alpha eſſe & Omega, initium & finem, primum & noviſſimum, authorem gratiæ, & coronarum diſtributorem, potiſſimum cultûs, ſpei, & geſtorum tuorum omnium finem. In Deo quidem nullum propriè eſt exordium, nullus finis: at noſtri reſpectu ipse rerum omnium principium & finis eſt. Ille in nobis & nobiſcum juſtificationis noſtræ opus exorditur, ille abſolvit, idemque in Cœlo perficit.

℣. 14. Beati qui lavant stolas suas (y) in sanguine Agni. Beati, qui pro fidei defenſione ſanguinem dederint, qui ſe baptiſmi aquis & juſtitiæ operibus luſtraverint. Illis in novam Jeroſolymam aditus patebit, illi fructum arboris vitæ deguſtabunt, ac felicitatis Sanctorum beatæque immortalitatis conſortes fient. Luget mundus eos, quos premunt anguſtiæ, & mala pro veritate exantlata affligunt: ego verò beatos pronuncio, iiſque omnia polliceor quæ virtutem eorum confirmare, & expectationem regere valent. Si vicerint, regnum & immortales coronas conſequentur.

℣. 15. Foris canes, e cœleſti Jeroſolymâ perpetuo exilio abigantur. Canes ſunt vel Tyranni, qui latrare in Eccleſiam & filios ejus lacerare non ceſſant (z); ſive impudici, qui fœdis voluptatibus ſe totos impudentiſſimè immergunt; ſive impii qui ſe crimine polluunt; ſive apoſtatæ, qui more canum redeunt ad vomitum (a). Apud Hebræos canis inter immunda animalia cenſebatur; & quem canem illi appellabant, hunc viliſſimum caput deſignabant (b). Cavens Moyſes, ne Templo offerretur pretium probroſi & infandi criminis, a quo abhorret natura, edicit (c): *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in Domo Domini*. Canes appellantur a Paulo (d) pseudo-apoſtoli, qui in germanos Apoſtolos lites aſſiduas movebant; & Chriſtus in Evangelio canum nomine Gentiles traducit (e): *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Confer hunc ℣. cum Capite XXI, 8, & 27. Olim in Eccleſiâ in ipso myſteriorum limine Diaconus elatâ voce clamabat: *Recedant Catechumeni: Recedant pænitentes*,

℣. 16. Ego Jesus misi Angelum meum, ut hæc tibi reſeraret; quæ deinde tu nuncies Eccleſiis, ſolatiumque afferas Fidelibus, pollicitus futurum, ut brevì ego Martyrum ſanguinem ulciſcar, & imperium Idololatriæ evertam.

Ego sum radix et genus David. Perſpicuè adeò Chriſtus hîc ſe prodit Apoſtolo, ut dubitationem omnem removeat. Ego ipse, ego Jeſus, qui & Meſſias ſum, & radix David, generis ejus gloria, *ſtella ſplendida & matutina (f)*, de qua ſupra, II, 28. Idcircò de veritate eorum, quæ nunciavit ne dubites; ne illuſum tibi metuas; ego enim ſum qui loquor.

℣. 17. Spiritus et Sponsa dicunt: Veni. Spiritus Sanctus in Fidelium animis clamans (g), Eccleſia Agni Sponſa invitant Chriſtum: Veni ſtatim ad opem Sanctis ferendam, veni ad ulciſcendas ſervorum tuorum injurias. Et *qui audit* hoc vaticinium, *dicat: Veni*. Vota ſua Eccleſiæ Sanctorumque votis jungat, ut Chriſtus in auxilium noſtrum, juxta datam a ſe fidem, illicò accurrat.

Et qui sitit, veniat. Quem juſtitiæ fames ſitiſque ſtimulat, currat ut ſe reficiat, ſitimque reſtinguat aquâ vivâ fluvii illius, qui novam Jeroſolymam perluit (h); properet ad Chriſtum (i), qui omnis veritatis & Juſtitiæ fons eſt; in illum credat, & illi ſe adjungat: *Si quis ſitit*, ait idem in Evangelio (k), *veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aqua vivæ*. Addit Joannes: *Et qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*; quibus verbis alludit ad illud Isaiæ (l): *Omnes ſitientes, venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite, emite absque ar-*

(x) *Apoc.* I, 8; XXI, 6.

(y) Græcus fert: Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, *Beati qui faciunt mandata ejus*. At Libri complures Vulgatam ſequuntur: Οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν. *Ita Alex. Cov.* 2. *Velez. Æthiop.* Addit Vulgata: *In ſanguine Agni*. S. Athanaſius: Πλατύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν.

(z) *Vide Psal.* XXI, 17 (a) *Prov.* XXVI, 11; & 2 *Petr.* II, 22.

(b) 1 *Reg.* XVII, 43; XXIV, 15; 2 *Reg.* III, 8; IX, 8; XV, 9; *Job*, XXX, 1.

(c) *Deut.* XXIII, 18. (d) *Philipp.* III, 3. (e) *Matth.* XV, 26.

(f) *Num.* XXVII, 17; *Zach.* VI, 12. (g) *Rom.* VIII, 26. (h) *Apoc.* XXII, 1, 2.

(i) *Joan.* IV, 13, 14. (k) *Joan.* VII, 37. (l) *Isai.* LV, 1.

℣. 18. Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

℣. 19. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſanctâ, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

℣. 20. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio citò: Amen. Veni, Domine Jeſu.

℣. 21. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

COMMENTARIUS.

gratuito & abſque ullâ commutatione vitam & lac. Deus beatitudinem *gratis* confert, ut alibi explicavimus (m); ideſt, gratis invitat, gratiamque ſuam ac prædeſtinationem gratis largitur; & cùm merita noſtra præmio donat, dona, largitioneſque ſuas coronat; quo ſenſu & gloriam pariter gratia tribuit.

℣. 18. CONTESTOR ENIM, &c. Si quis addere aliquid, ſive demere, denique paululum quid mutare auſus fuerit, noverit, ſe in Dei animadverſionem incurſurum, caputque ſuum expoſiturum omnibus illis pœnis, quæ in hoc Libro exprimuntur, ſeque excluſum iri ab omnibus bonis ibi promiſſis, & e Libro vitæ deletum. His minis nihil atrocius. Vulgo tunc obtinebat mos, temerarias manus in Scripturas Sacras inferendi, addito ſive dempto quidquid conducere videbatur ſive ad errores fulciendos, ſive ad oppoſitas illis veritates infringendas. Ebionitæ & Marcionitæ non levi mutatione Evangelia corruperunt; illi quidem in Hebræo germanoque Matthæi exemplari, hi verò in Codice *Lucæ*. Quanta in hac re licentia Hæreticorum prioribus ſæculis fuerit, in Diſſertatione de Evangeliis apocryphis demonſtratum eſt; ex quibus intelligimus, cautionem Joannis nec ſupervacaneam, nec præpoſteram eſſe.

Moyſes in Deuteronomio pro Legibus ſuis idem caverat (n): *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et alibi: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quidquam, nec minuas.* S. Irenæus librum ſuum de Octoade his verbis claudit (o): *Adjuro te qui transcripſeris hunc librum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut conferas quod transcripſeris, & diligenter emendes ad exemplar, ex quo tranſcripſiſti; atque adjurationem iſtam ſimiliter deſcribas, & exemplari tuo inſeras.* S. Hieronymus in fine Operis Chronici Euſebii, & Rufinus in Præfatione ad Libros a ſe verſos Origenis enixè rogant Librarios, ne quid mutent. Origenes (p) querebatur olim, multa contra ſuam mentem & voluntatem in libros ſuos inducta fuiſſe. Ex denſâ variantium, quas in hoc Opus adduximus, ſylvâ intelligimus, ne ſacros quidem Libros ſatis obſervatos eſſe a Librariis, cùm ſæpe adeò textum mutaverint, quamquam non in rebus magni momenti.

℣. 20. DICIT QUI TESTIMONIUM PERHIBET ISTORUM: ETIAM VENIO CITO. Chriſtus hîc loquitur, iterans promiſſiones ſæpe adeo in hoc Libro (q) exhibitas, ſpondens venturum ſe ſtatim in auxilium ſuorum, ut illos ab anguſtiâ liberet, Idola evertat, Regnum ſuum confirmet, Eccleſiæ ſuæ hoſtes puniat.

ETIAM VENI, DOMINE JESU. Pollicenti Chriſto reſpondet Joannes: Eja veni, Domine; quemadmodum dixerat ℣. 17: *Qui audit, dicat, Veni.* Nihil magis timent impii, quàm Domini adventum, in quo initium ſupplicii ſui poſitum agnoſcunt. Optant illum boni, & enixè poſtulant, tamquam felicitatis ſuæ exordium. Horum unus Pſalmiſta rogabat (r): *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus.* Paulus (s): *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Sanctorum animæ ſub Altari clamabant clarâ voce (t): *Uſquequo, Domine, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum?* Igitur & illæ pariter ſuo more clamabant: *Veni, Domine Jeſu.*

℣. 21. GRATIA DOMINI NOSTRI CUM OMNIBUS VOBIS (u). In epiſtolæ morem liber iſte incipit & deſinit. Joannes in exordio Apocalypſeos (x) optat *ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ, gratiam & pacem ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, &c.* Hic verò ominatur Fidelibus librum hunc lecturis *gratiam Domini Jeſu Chriſti.* Deus illos perfundat luce Sancti Spiritûs, & gratiæ ſuæ, ut arcana Prophetiæ hujus pervadant, ad retinendam fidem, ſpem, & ſolatium inter tot mala, quibus obſidentur.

DIS-

(m) *Apoc.* XXI, 6. (n) *Deut.* IV, 2 & XII, 32.

(o) *Iren. apud Euſeb. lib.* 5 *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 20: Ὁρκίζω σε τὸν μεταγραψόμενον τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ . . . . . ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω, καὶ κατορθώσῃς αὐτὸ πρὸς ἀντίγραφον τοῦτο, ὅθεν μεταγράψω, ἐπιμελῶς· καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς, καὶ θήσῃς ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. (p) *Vide Rufin. pro Origene, pag.* 195. 296.

(q) *Apoc.* II, 5, 16; III, 11; XVIII, 15; XXII, 7, 12. (r) *Pſal.* XLI, 2. (s) *Philipp.* I, 23.

(t) *Apoc.* VI, 10. (u) Μετὰ πάντων ὑμῶν. *Quidam omittunt* ὑμῶν. *Ita Alex. Æthiop. Alii:* Μετὰ πάντων ἁγίων, *Steph.* a, 11, *Hunt.* 1, *Petav.* 2, 3, *Cov.* 2, *Syr. Arab. Seidel. Cum omnibus Sanctis.* (x) *Apoc.* I, 4.

Finis Commentarii in Apocalypſim.

DISSERTATIO
DE
PATRIARCHA HENOCH, FILIO JARED, ET PATRE MATHUSALÆ.

PAtriarcha, de quo modò, alter eſt vir ab Henocho filio Cain (*a*), poſt deceſſum Abelis nato, de cujus nomine Cain conditam a ſe in regione ſeptemtrionali Urbem appellavit Henochiam. Vir eſt noſter iſte ætate recentior, e genere Sethi, familiâ nempe juſtorum, in qua ſincerus Dei cultus; cùm alter ex Caino ad familiam pertineret impiorum, avita referentem ſcelera, quæ criminibus ſuis terram univerſam infecit, ac deinde aquis diluvii periit. Cùm autem argumentum ampliſſimum tractemus, totam hanc Diſſertationem in tres articulos diſtinguere viſum eſt. Agemus primò de vitâ Henochi: tum de ejus tranſlatione; ac tandem de ejus in mundum regreſſu.

(a) *Geneſ.* IV, 17.

ARTICULUS PRIMUS.

De rebus geſtis Henochi.

HEnoch filius Jared, natus A. M. [*b*] 622, ante Æram Vulgarem 3382, cùm ætatis annum ageret LXV, genuit Mathuſalam [*c*] A. M. 687, ante Chriſtum 3317. Septimus erat ab Adamo, cujus ex patre in filium ducta genealogia ita texitur: Adam, Seth, Henos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch. Vitam egit in terris pro eorum temporum conditione brevem; tranſlatus eſt enim a Deo anno 365 ætatis (*d*) A. M. 987, ante Chriſtum 3017: ſed brevi hoc annorum ſpatio omnes ſanctiſſimorum hominum virtutes attigit, ſuoque demonſtravit exemplo, Virtutem & pietatem fructus eſſe laboris, non ſenectutis. Ejus elogium paucis complectitur Sacra Scriptura, aſſerens [*e*] ambulaſſe illum cum Deo; quibus verbis innuit, totum ſe ad voluntatem Altiſſimi virtutum exercitatione elaboraſſe. Septuaginta reddunt: *Placuit Deo*; & Onkelos: *Ambulavit cum Dei timore.* Quæ locutiones perinde valent ac aliæ in Scripturis: *Ambulare coram Domino: ambulare in viis Domini; ambulare ſecundùm Spiritum: ambulare ad dexteram in veritate, in timore Domini*, &c. ideſt, juſtitiam, pietatem colere.

Fuerunt tamen inter Rabbinos quidam, qui Henochum hypocriſis & levitatis in ſervitio Domini accuſarint. Vir erat hypocrita, ait R. Ibbo (*f*), modò ſe tradens juſtitiæ, modò licentiæ; quamobrem ait Dominus: *Educam ergo illum e mundo, quamdiu juſtus eſt*. Gemina fermè habet R. Salomon. Cùm Henoch, ait ille, in cultu Domini nutaret, maturandum cenſuit Deus, e mundo illum educens, antequam is impiorum conſuetudine corrumperetur. Ut autem in eam perſuaſionem venirent Rabbini, in causâ facilè fuit illud Geneſeos, V, 22: *Ambulavit Henoch cum Deo*; ſive, *cum ambularet cum Deo, non apparuit, quia tulit eum Deus*. Subduxit illum, ait Bouldeucus, ne pravorum Monachorum conſortio vitiaretur (*g*). Hic enim Scriptor, opinionum novitate nunquam non inſignis, perſuaſum habet, Henochum veluti diſciplinæ correctorem, & Prædicatorem fuiſſe Monachorum Cinæorum, quorum erant Aſceteria plura in mundo jam inde ante diluvium. Cùm ergo Henochus annum LXV ætatis ageret, & filium haberet Mathuſalam, mundo valedicens, inter Cinæos ſeſe adlegit, ac ambulans cum Deo, nempe Monaſticam profeſſus, Religionis exercitationibus ſe totum addixit, adſcito tunc primùm, uti facilè credimus, nomine Henoch, quod redditur, conſecratus, devotus. Tunc Cainan & Enos, tamquam duo Cinæorum & Enoſiorum ſupremi Antiſtites, Henochum deſtinarunt prædicationi apud Angelos obeundæ, uti docet S. Irenæus [*h*]; quo nomine deſignantur Viri eximiæ pietatis, apud Moyſem

(b) *Geneſ.* v, 18.
(c) *Geneſ.* v. 21.
(d) *Geneſ.* v, 23.
(e) *Geneſ.* v, 22. ויתהלך חנוך את האלהים 70: Εὐηρέστησε τῷ Θεῷ. *Vide Joſeph. & Eccleſ.* XLIV, 28, & *Hebr.* XI, 5, *Sap.* IV, 10.
(f) *In Bereſchit Rabba.*
(g) *Bouldue. Eccleſ. ante Legem, l.* 1, *c.* 14.
(h) *Iren. l.* 4, *c.* 30: *Henoch placens Deo, cùm eſſet homo Dei, legatione apud Angelos fungebatur.*

Moyſem *filii Dei* (*i*), apud Septuaginta *Angeli Dei* appellari. Poſt actos in Religione CCC annos, Deus hominem ad ſe revocavit, raptum, uti Eliam olim, igneo curru cœlitus demiſſo. Hæc Boulducus; cujus ſententiam refellere non laboro.

Ad teſtimonium Irenæi quod attinet, animadvertendum arbitror, Irenæum nequaquam illud innuiſſe, quod ejus Interpretibus plerisque probatur, Henochum prædicationis munere functum apud homines e genere Seth, a Moyſe filios Dei appellatos; cur enim, ſi id tantùm volebat Irenæus, animadvertit, Henochum merum hominem fuiſſe? *Cùm eſſet homo, legatione ad Angelos fungebatur*. Angelorum ergo nomine deſignat Irenæus Vigiles illos, qui, ex Libro apocrypho Henochi, mulierum amore capti ſeſe in homines mortales transformarunt, & maritali cum illis conſuetudine juncti genuerunt Gigantas. Apud iſtos Angelos Henoch legatione fungens, illos ad ſaniora revocare conatus eſt.

Damnata jam tunc ab Henocho Idola, & Idolorum cultores, arbitratur Tertullianus (*k*); docetque alibi de Henoch [*l*]: *Sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe*. Et Judas, ℣. 14, 15, non obſcurè tradit, Henochum Prophetam ſeu concionatorem egiſſe, verbis illis prolatis: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Ultionis ergo Divinæ metu & Angelos & homines ætatis ſuæ terruit Henochus, ut eos a criminibus ſuis & impietatibus revocaret. His omnibus illuſtratur Irenæi locus.

Laudes Henochi non unus inter Authores Sacros Moyſes proſequitur. Paulus ad Hebræos, XI, 5: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; ante translationem teſtimonium habuit placuiſſe Deo*. Author Eccleſiaſtici, XLIV, 16: *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam. Nemo natus eſt in terrâ qualis Henoch; nam & ipſe receptus eſt a terrâ*. Hunc denique virum ſpectaſſe videtur Author Sapientiæ illis verbis, IV, 10: *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio reciperet animam illius..... Conſummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Hic & ubique Author conſtituit juſtum, de quo agit, e mundo per mortem translatum, quod ſanè alienum eſt ab Henocho, juxta ac plerique ex Patribus & Interpretibus obſervant; reputari tamen poteſt, Sacrum Authorem de induſtriâ miſcuiſſe laudes viri juſti cum Henocho, quin tamen aliquid de obitu Henochi aſſereret, poſitâ Juſti morte ante ſenectutem.

Liber Conſtitutionum Apoſtolicarum, libro VIII, capite 5, Henochum refert inter Patriarchas, a Deo in ipſo mundi exordio ad docendum populum ſuum conſtitutos; cui pariter Authori aſſignant Hebræi formulam majoris excommunicationis, qua nunc etiam utuntur (*m*); continuâ enim ſerie ex patre in filium ad ſeros usque nepotes transmiſſam affirmant. Extat apud Seldenum formula illa (*n*), prolixa utique, & multa ferens Henochi ætate poſteriora. Quid enim cum illâ ætate nomina Moyſis, Joſue, Eliſæi, Giezi, Barac, Meroz? quid mentio magnæ Synagogæ, Angelorum ſingulis anni menſibus præſidentium, Librorum Legis, quibus DCXIII præcepta, & quædam Angelorum ignota Scripturis nomina? Frequenter etiam ad Libros ipſo Moyſe recentiores alluditur. Quibus omnibus docemur, formulam illam, qualis ſaltem nunc extat, alium habere ab Henocho Authorem. Facilè tamen adſcribendam viro cenſuerunt, quòd exercuiſſe crederetur munus Sacerdotis Altiſſimi, & Principis totius generis Juſtorum ante diluvium.

Licèt autem Henochus in eo vitæ ſtatu modò conſtituatur, ut neque e juſtitiâ poſſit decedere, neque patrandi criminis liberam habeat facultatem, quam nos libertatem peregrini obtinemus (*o*); publicum tamen illi cultum, quemadmodum nec Eliæ, deferre opportunum non duxit Eccleſia. Legitur quidem ejus nomen in Calendario ad diem III Januarii; datum id tamen ad honorem translationis potiùs, quàm ad cultum aliquem religioſum arbitramur. Ferunt, apud Chriſtianos Æthiopes feſtum quoddam Henochi celebrari, quod *Sabbatum Henoch* appellant, quaſi eo peculiari honore proſequi ſe oſtendant ſeptimam hominum generationem; quemadmodum ſimili exemplo Judæi ſeptimam a creatione diem conſecrarunt.

Nec Gentiles latuiſſe prorsùs Henochus, ejusque erga pietatem ſtudium videtur. Narrant enim, agente adhuc in vivis Annato, qui vitam ultra CCC annos prorogavit, conſultum ab Iconiis aliisque finitimis gentibus Oraculum respondiſſe, futurum ut omnes morerentur, ubi Annatus vitâ cederet. Ingens inde in omnes conſternatio & ejulatus, ut in proverbium abierit pro ingenti aliquo luctu: *Lugere Annatum*. Poſt ejus obitum, Deucalionis diluvium regionem univerſam inundavit; quare Oraculi fides ſoluta eſt. Emicat per hujus fabellæ velum lux aliqua veritatis; nem-

(*i*) *Geneſ. VI*, 2.

(*k*) *De Idololatr. c.* 4.

(*l*) *De cultu fœmin. l.* 1, *c.* 3.

(*m*) *Jo. Colerus, Vita Spinoſa, pag.* 31.

(*n*) *De jure Nat. & Gent. l.* 4, *c.* 7, *ex lib. Colbo, pag.* 144.

(*o*) *Aug. lib.* 6 *Oper. imperf. in Julian. c.* 30: *Hoc eis Dei gratiâ credimus eſſe conceſſum, ne haberent unde dicerent: Dimitte nobis debita noſtra*.

pè I, nomen Henoch, vel *Hanoch*, ex Hebraicâ pronunciatione; II, Ejus ætas ultra CCC annos, III, Diluvium univerſale, quod ſub Noë nepotis illius filio contigit.

Alii tamen originem illius proverbii, *Lugere Annacum*, ſive *Nannacum*, ſeu *Canacum*, aliunde referunt. Vetus erat Phrygiæ Rex Chanacus, qui imminere diluvium intelligens, populum in Templum coëgit, ut Numinum a ſe iram averteret (p). Tantis illi precibus lacrymiſque Deos fatigarunt, ut locum proverbio facerent: ſed vicit ita miſericordiam; quare veniente diluvio, omnes inundantibus aquis merſi ſunt.

(p) *Vide Suidam in Nannaco, & Hermog. in Phrygiis.*

ARTICULUS II.

Translatio Henochi.

VErba, quibus translatum e mundo Henochum Moyſes expreſſit, pluribus quæſtionibus locum fecerunt. Quæſitum eſt, num is re ipsâ obierit, an maneat adhuc ſuperſtes; in mundo ſit, an extra mundum; æternâ beatitudine an tranquillâ tantùm pace fruatur, certum futuræ mortis tempus expectans, ut deinde æternâ beatitudine donetur. Hæc tantùm Moyſes de illo (q): *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* In examen hic revocandum eſt, poſtremis hiſce verbis prodigio quodam translatus, uti Elias, an dumtaxat e mundo per mortem ſublatus deſignetur. En rationes, quibus inſinuari obitus videtur.

(q) *Geneſ. v, 24:* ואיננו כי לקח אתו אלהים

I, Simili locutione mortem exprimit Scriptura. Ita Elias ad Dominum (r): *Tolle animam meam: ſufficit mihi, Domine; neque enim melior ſum, quàm Patres mei.* Porrò Elias nil niſi mortem, quemadmodum & Patres ſui, optabat: *Petivit animæ ſuæ, ut moreretur.* Job, XXII, 16, de iis, qui maturo erepti ſunt fato, habet. *Qui ſublati ſunt ante tempus.* Et XXXII, 22: *Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.* Jeſus filius Sirach (s): *Tolleretur de numero anima ejus.* Pſalmus XLVIII, 16: *Deus redimet animam meam de domo Inferi, cùm acceperit me, &c.*

(r) 3 *Reg.* xix, 4.

(s) *Eccli.* xiv, 3. Deeſt hic locus in Græco.

Pſalmus XXX, 14: *Accipere animam meam conſiliati ſunt.* Pſalmus LXXII, 24: *In voluntate tuâ deduxiſti me, & cum gloriâ ſuſcepiſti me.* Apud Ezechielem, XXIV, 16, Dominus habet: *Ego tollo a te deſiderabile oculorum tuorum in plagâ* [nempe uxorem tuam], *& non planges neque plorabis.* Et XXX, 4: *Veniet gladius in Ægyptum, cùm ablata fuerit multitudo illius.* Et XXXIII, 4: *Venerit gladius, & tulerit eum.* Jonas, IV, 3: *Domine, tolle quæſo animam meam a me.* In omnibus hiſce locis eadem vox recurrit, qua Moyſes translationem Henochi expreſſit; intelligimus autem, his locutionibus, tollere aliquem, tollere animam ab aliquo, idem deſignari, ac e vitâ per mortem in alteram vitam transferre. Verba illa, *Non apparuit*, ſive ex Hebræo, *Non fuit*, vel, *non fuit ultra*, non diſſimilem ſenſum ferunt in pluribus Scripturæ locis, uti Geneſeos XXXVII, 30: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Et XLII, 13: *Alius non eſt ſuper.* Et ibidem, ℣. 36: *Joſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis.* Job, VII, 8, 21: *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam.... ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.* Et XXIV, 24: *Elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent.* Et XXVII, 19: *Dives cùm dormierit, nihil ſecum auferet.* Pſalmus XXXVI, 10: *Adhuc puſillum, & non erit peccator; & quæres locum ejus, & non invenies.* Pſalmus XXXVII: *Tranſivi, & ecce non erat.* Soadias, Author Verſionis Arabicæ, reddit: *Henoch defunctus eſt, Deus recepit illum ad ſe.* Cùm ergo his locutionibus naturalis hominis mors frequentiſſimè deſignetur, par non eſt credi, translationem prodigioſam a Moyſe ſignificari.

II, Fatemur quidem, in referendâ Eliæ translatione eodem verbo uti Sacrum Scriptorem (t): *Filii Prophetarum dixerunt ad Eliſeum: Numquid non noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te?* Elias ad Eliſeum: *Poſtula quid vis ut faciam tibi, antequam tollar a te.... Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiſti.* At ſi hæc verba nullam opinionem ingerunt prodigioſæ translationis, aliis profectò circumſtantiis in Hiſtoriâ expreſſis ea ſignificatur. Ita prodigioſam translationem ſatis innuit illud, quòd Prophetæ translatio antea Divinitus cæteris Prophetis comperta fuit, quàm Dominus Prophetam illum ſuperſtitem raperet. Elias verò cùm aſcenderet, ex humeris pallium dimiſit; filii Prophetarum Præceptorem quærere volebant, dubitantes, an Divino Spiritu raptus Propheta in deſerto quodam loco maneret; ſed fruſtra illi, contra Eliſei monitum agentes. Raptum ergo Prophetam fuiſſe, nemo dubitat; ſed nihil ſimile in narratione Moyſis de Henocho.

(t) 4 *Reg.* ii, 3, 5, 9.

De translatione prodigioſâ Henochi minimè perſuaſus videtur Author Libri Sapientiæ; habet enim capite IV, 10: *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius..... Conſummatus in brevi explevit tempora multa..... Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios.... Videbunt finem ſapientis, & non intel-*

ligent

ligent quid cogitaverit de illo Dominus. Congruunt iſta profectò cum Henocho, & Moyſis verba ſpectaſſe Scriptor videtur illis verbis: *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt*.

Luculentiùs etiam obitum Henochi exprimit Jeſus Sirachides (u): *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*. Deeſt quidem in Græco illud *In Paradiſum*: ſed cùm Eccleſiæ authoritas Latinam Verſionem conſecraverit, additamentum illud, in Vulgatâ noſtrâ ſervatum, recepiſſe pariter cenſendum eſt. Ex quo etiam conſtat, Eccleſiæ authoritate non parum momenti ad ſententiam de obitu Henochi confirmandam acceſſiſſe. Etenim Paradiſi nomine deſignari certum eſt *Cœlum*, Juſtis deſtinatam poſt obitum ſedem. Ita Jeſus ad probum Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo* (x); & Apoſtolus (y) teſtatur, ſe *Raptum fuiſſe in Paradiſum*; & in Apocalypſi, II, 7, Jeſus pollicetur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Ubi verò de Paradiſo terreſtri ſermo eſt, tunc plerumque nomini Paradiſi aliud quid adjicitur, ut ſignificatio ex alio ad alium ſenſum transferatur.

(u) *Eccli.* XLIV, 16: Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ Θεῷ, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς.

(x) *Luc.* XXIII, 43.

(y) 2 *Cor.* XII, 4.

Patres etiam nonnulli, ſaltem ſub verborum ambagibus, eamdem de obitu Henochi ſententiam inſinuarunt. S. Ambroſius translatum dicit ab illo theſaurum ſuum in Cœlum; ac de ipſo uſurpat illud Sapientiæ: *Raptus eſt, ne cor ejus malitia mutaret* (z). Pſeudo Clemens [a] ait, Deum charum ſibi virum *ad immortales tranſtuliſſe*. S. Cyprianus in Tractatu *de Mortalitate* habet, Henochum ſingulari privilegio e contagione hujus Mundi ſubduci meruiſſe; ac Salomonem in Libro Sapientiæ egiſſe de præcoce Juſtorum interitu, quaſi de ſingulari Dei beneficio. S. Hieronymus [b] docet pariter, translatum illum in Cœlum, cœleſti pane nutriri; & aſcendiſſe in Cœlum cum Jeſu Chriſto (c).

S. Athanaſius translatum aſſerit in Paradiſum [d]; & Rabbini [e] Moſaicum locum de translatione per obitum interpretantur. Illos ſequuntur Calvinus, S. Cyprianus, S. Ambroſius, aliique nonnulli Interpretes Catholici, uti Janſenius, Menochius, Marlana. Volunt alii, Authorem Sapientiæ agere de Henocho, vel ſaltem ejus hiſtoriam ab eo ſpectari, ubi obitum Juſti præcocem deſcribit. Hæ majoris momenti rationes pro obitn Henochi.

Quæ verò pro ejus translatione afferuntur rationum momenta, nihil prioribus illis concedunt. Fateor equidem, Moſaicum locum non neceſſariò prorſus exigere, ut de viro ſuperſtite adhuc, ſive in Cœlum, ſive in alium locum mortalibus invium translato, explicetur: ſi quis tamen conferat ea, quæ de Henocho habet Sacer Hiſtoricus, cum iis, quæ de cæteris Patriarchis ſcribit, ſatis inde colligimus, aliam planè fuiſſe diſcedendi a mortalibus viro huic quàm cæteris rationem. Primò obſervat, illum bene geſtis Dei favorem ſibi conciliaſſe; tum ſubdit: *Tulit eum Deus*; cùmque ea verba non ſatis aperta eſſe intelligeret, adjecit: *Et non apparuit*; quibus profectò innuitur, ſuperſtitem illum adhuc in loco extra mundum verſari.

(z) *Ambroſ. Epiſt. Claſſ.* 1, *Ep.* 38, *n.* 7: *Dives Henoch, qui quod habuit ſecum tranſtulit, & omnem illum bonitatis ſuæ cenſum cœleſtibus intulit receptaculis*.

(a) *Recognit. lib.* 4, *n.* 12.

(b) *Ad Pammach. Ep.* 61, *pag.* 184, *antiq. edit.*

(c) *Idem in Amos* IX.

(d) *Athan. l.* 2, *pag.* 693, *orat. de Patriarch. & Prophet.*

(e) *Abenezra, Salom. Jarchi, & alii apud Menaſſe Ben-Israël, lib. de fragil. human. ſect.* 12, *art.* 7.

Plus autem poſtremæ huic ſententiæ quàm priori illi favere videtur Sirachides, ſive ejus Textum cum additamento Vulgatæ legamus, ſive Græca veritas præferatur. Voces illæ, quibus exitum ejus de mundo deſcribit, eamdem habent vim ac aliæ apud Moyſem; quibus profectò aliquid aliud plerumque innuitur, quàm communis mortalium interitus. Additamentum illud, *in Paradiſum*, duo ſignificare poteſt; ſive Cœlum, ſedem juſtis hominibus poſt obitum deſtinatam; ſive Paradiſum terreſtrem: quo poſteriori ſenſu admiſſo, vitam adhuc agere Henochum admittamus oportet: neque enim terreſtris Paradiſus locus eſt Sanctorum poſt deceſſum. Ad priorem illum ſenſum quod attinet, nequaquam incongruum reputarunt Veteres Patres, ut Henochum & Eliam in Cœlo reipsâ verſari, etiam admiſſâ Eccleſiæ ſententiâ, arbitrarentur, quemadmodum infra expendemus. Plures etiam inter illos apertè aſſeruerunt, Henochum in Cœlo verſari, quò cum Jeſu Chriſto aſcenderit, quamquam certum conſtituerent, ſuperſtitem adhuc e mundo migraſſe.

Cùm Author Libri Sapientiæ de immaturâ Juſti morte diſſereret, ille quidem ſibi propoſuit narrationem Moſaicam de translatione Henochi. Nec tamen inde cogimur fateri, in eâ illum fuiſſe ſententiâ, ut interiiſſe virum crederet. Cùm enim ageret de Juſto in primo ætatis flore ſublato, ipſe argumenti ſtatus poſcebat, ut de illo uſurparet ea, quæ Moyſes de Henocho nondum provectâ ætate translato, nondum, inquam, provectâ, ſi ætatis ejus anni CCCLXV cum nongentis vel circiter annis ætatis cæterorum Patriarcharum comparentur. Tandem Paulus ad Hebræos, XI, 5, remotis ambagibus pronunciat: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; & non inveniebatur, quia tulit illum Deus*. Poſterior igitur hæc ſententia de translatione viri adhuc ſuperſtitis tamquam fide certa tenenda eſt.

Græci pariter & Larini Patres cum Judæis Authoribus pleriſque docuerunt, Henochum ſuperſtitem adhuc in deliciarum locum translatum fuiſſe. Superſtitem in Cœ-

lum raptum ferunt Paraphraſtæ Chaldæi. Jonathan filius Uzielis habet, translatum illum ad Cœlum Dei juſſu, in generationibus Terræ eſſe deſiiſſe; ibi verò appellari Metatronem, & magnum Cancellarium. Onkelos apertiſſimè: *Et non apparuit, & non occidit eum Deus*. R. Hiſcuni (*f*), aliique nonnulli cenſent translatum illum animâ pariter & corpore, inde rediturum tempore venturi in Mundum Redemptoris.

R. David [*g*] translatum aſſerit in Paradiſum terreſtrem unà cum Elia; quod tenere ſe dicit ex ſententiâ vulgò apud Judæos & viros doctos Synagogæ receptâ. Nec diſſentit R. Gerſon; & receptum e mundo, ſicut Eliam, in turbine ignis affirmat Akiba. Per Angelum translatum cenſet S. Chryſoſtomus (*h*): in igneo curru, nempe, ut ipſe explicat, Angelorum miniſterio, ſicut poſtea Elias, habet Author Libri de Trinitate, inter Opera S. Ambroſii.

S. Clemens Romanus in primâ Epiſtolâ ad Corinthios docet, Henochum obedientiæ & fidelitatis merito translatum fuiſſe; nullibi autem ſcriptam ejus mortem reperiri. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum ſemel & iterum ſcribit, noluiſſe Deum, ut Henoch guſtaret mortem (*i*); & cùm eam ſententiam repetat in formulâ, quam recitat, Liturgiæ, demonſtrat id apertiſſimè, quid communis Eccleſiæ ſententia teneret. S. Irenæus (*k*) translatum Henochum perhibet, & hodie usque ſervatum, in teſtimonium juſtæ ultionis a Deo de Apoſtaticis Angelis exactæ.

Tertullianus adversùs Judæos hæc habet in rem noſtram: *Necdum mortem guſtavit, ut æternitatis candidatus*. Et de Animâ, capite 51, de Henocho & Eliâ ſcribit: *Nec mors eorum inventa eſt, dilata ſcilicet*, ad finem nempe ſæculorum, ut deinde immortalitate donati reſurgant. Vivere illum adhuc, ne dubitat quidem S. Cyprianus [*l*]. In exitu mundi ſtatutum iri in medio Henochum & Eliam, & ab Antichriſto interfectum, definit S. Hilarius [*m*]. Vivunt ergo adhuc uterque.

S. Hieronymus in Amos IX innuere videtur, Henochum unâ cum Jeſu, Moyſe, & Eliâ ad cœlum aſcendiſſe, adeòque æternâ ibi gloriâ donari; ſed ibidem pariter ſcribit, aſcendiſſe illum unà cum Paulo, qui ad tertium usque Cœlum raptus fuit; ex quo ſatis intelligimus, nequaquam egiſſe Hieronymum de translatione immortalis corporis in Cœlum, cùm præſertim alibi de Henocho & Eliâ ita diſſerat (*n*): *Necdum mortui, & Paradiſi jam coloni, habent membra, cum quibus rapti ſunt & translati*. Tradit inſuper in Epiſtolâ ad Marcellam (*o*), utrumque Prophetam in exitu mundi obituros, ut in Apocalypſi, XI, 3, &c. deſcribitur.

Hilarius Diaconus, Author Commentarii inter Opera S. Ambroſii [*p*], ſcribit, Henochum & Eliam in Antichriſti perſecutione interimendos, eorumque projectum iri cadavera in forum, ut horrori ſint intuentibus. S. Ambroſius, cujus verba ſuprà laudavimus, ſubobſcurè innuentia & Henochi obitum, & translationem in Cœlum, ſatis apertè præfert poſteriorem hanc ſententiam, cùm illum ſocium adjungat Eliæ, ſuperſtiti utique, nemine refragante [*q*]. Cùm autem ambos Prophetas in Cœlo conſtituat, hanc certè ſententiam tenet, quam ante ipſum plures adoptaſſe ſupra animadvertimus.

Alibi (*r*) ita diſſerit: *Henoch verò nonne manifeſtum pietatis Dominicæ & divinitatis indicium eſt, eo quòd nec mortem ſenſerit Dominus, & ad Cœlum remeaverit, cujus generis author raptus ad Cœlum eſt?* Aſcenſionem Jeſu Chriſti in Cœlum typo quodam exprimi ab Henocho, S. Gregorius Magnus [*s*] aſſeruit eâdem phraſi, qua Eccleſiaſtici Scriptores frequenter.

S. Auguſtinus (*t*) ne ambigit quidem, virum hunc & ſuperſtitem ex hominibus migraſſe, & modò etiam vitam agere ab omni morborum & ſenectutis incommodo liberam; rediturum tandem in terras, ut commune mortalium omnium fatum, mortem ſcilicet, ſubeat; reſurrecturum deinde ad vitam immortalem. Alibi [*u*] ait, Henochum & Eliam immortalitate quidem non donatos, verùm ſuperſtites adhuc, & nullâ cibi neceſſitate laborantes, vitam eâ planè ratione ſuſtentare, qua Elias in prolixâ XL dierum inediâ; vel ſi cibos capiunt, ita ſe tamen in eâ re gerere, uti Adam in Paradiſo terreſtri ante crimen admiſſum. Tandem non invitum perſuaderi ſe dicit, translatos illos in hortum Eden; documentum autem exhibere, quid Adam & Evæ ſperandum fuerit, ſi in fide Dei jubentis manerent. Poſt aſſerta adeò teſtimonia, fruſtra alia in cauſam adduxerimus: quare ſtatuamus oportet, vivere adhuc Henochum, prodigio ex hominibus translatum; frui autem anticipatâ beatitudine; mortem ſupremâ die ſibi decretam opperiri, deinde in æternam felicitatem admittendum.

At quò Henoch translatus eſt? Non convenire in loco aſſignando Veteres, jam animadvertimus. Collocant alii in Cœlo, alii in Paradiſo terreſtri, alii judicium eâ re ſuſpendunt; rati admodum ſupervacaneam eſſe hanc quæſtionem, nullâ ſatis aſſertâ authoritate definiendam. Latinus Textus Libri Eccleſiaſtici translatum in Paradiſum

(f) *Vide Druſ. de Henoch, l. 1, p. 6, pag. 379, Crit. Sacr.*
(g) *In 2 Reg.* II, 1.
(h) *Chryſoſ. t. 5. homil.* 138, *p.* 877.
(i) *Clem. I, Ep.* 11, 9, *p.* 150; Οὐχ εὑρέθη αὐτοῦ θάνατος. *Conſtitut. l.* 5, *c.* 7: Μὴ γεύσασθαι θανάτου ... λαβεῖν. & *l.* 8, *c.* 41.
(k) *Iren. l.* 4, *c.* 16; & *l.* 5, *nov. edit.*
(l) *Cypr. ſeu alius de mont. Sina & Sion, adverſ. Judæos.*
(m) *Hilar. in Matth. c.* 20.
(n) *Adverſ. error. Jo. Jeroſol. Vide & l.* 3, *cont. Pelag. Hanc communem mortem, qua & bruta ſolvuntur animalia, Henoch & Eliam nondum vidiſſe cognoſcimus.*
(o) *Epiſt.* 147, *pag.* 347, *vet. Edit.*
(p) *In* 1 *Cor.* IV, 9.
(q) *Epiſt.* 38, *pag.* 942, *n.* 7.
(r) *In Luc. lib.* 3, *ad fin. t.* 1, *p.* 1333.
(s) *Homil.* 29 *in Evang. n.* 6.
(t) *De Geneſ. ad lit. lib.* 9, *cap.* 6.
(u) *Aug. de Peccat. merit. lib.* 1, *cap.* 3.

radiſum

radiſum præfert; ſed deeſt illud, *in Paradiſum*, in Græcis, archetyporum loco habitis: tametſi autem ibi legeretur, de ſignificatione hujus nominis ex integro quæſtio ſurgeret.

Refert S. Irenæus (*x*), Diſcipulos Apoſtolorum docuiſſe, Henochum & Eliam vitam agere in horto Eden, ubi olim primi parentes vitam duxerunt: *ibi autem manere eos, qui tranſlati ſunt, uſque ad conſummationem, coauſpicantes incorruptelam*. Hæc ex Diſcipulis Apoſtolorum recepta ſententia obtinuit deinde in Eccleſiâ. Pſeudo-Juſtinus (*y*) habet, homines illos in obitu Jeſu Chriſti revocatos ad vitam, & ab incolis nonnullis Sanctæ Civitatis ſpectatos (*z*); vivere adhuc in Paradiſo terreſtri, unà cum Henocho & Elia generalem reſurrectionem opperientes, poſtquam ad vitam omnino immortalem transferentur.

S. Auguſtinus, quamquam maximè cautus in ferendâ de rebus dubiis ſententiâ, aſſerere tamen videtur, Henochum & Eliam in Paradiſum terreſtrem translatos, ibi verſari (*a*): *Nam quò eos credendum eſt fuiſſe translatos, niſi ubi eſt ipſum lignum vitæ, unde illis ſit poteſtas vivendi, nec ulla moriendi neceſſitas?* Frui autem illos credit omnibus conceſſis olim Adamo commodis, quorum pariter in conſortium venturi erant cæteri Adami poſteri, niſi primus ille hominum parens admiſſo crimine duram mortis neceſſitatem ſibi & poſteris comparaſſet. Addit, in eo vitæ ſtatu eos a Deo in innocentiâ ita contineri, ut neceſſariò peccatum non admittant, nec illorum exaudiantur illæ voces; *Dimitte nobis debita noſtra*. Nec tamen ita ſe perſuaſum exhibet S. Doctor de morâ Henochi & Eliæ in Paradiſo terreſtri, ut quæſtionem hanc in utramque partem agitari poſſe neget (*b*). Credimus, ait Auguſtinus, vivere adhuc illos in mortali corpore; integrum autem nobis eſſe ducimus diſputare, in Paradiſo degant, an alibi.

Pſeudo-Iſidorus [*c*], S. Thomas (*d*), aliique plures (*e*), translatos ajunt Henochum & Eliam in Paradiſum terreſtrem. Verùm S. Athanaſius [*f*] autumat, Henochum translatum fuiſſe in Paradiſum, quò raptus eſt Paulus, & qui Latroni poſt obitum Jeſu Chriſti patuit: cenſetur autem Paulus ad Cœlum raptus fuiſſe, eoque pariter introductus Latro cum Jeſu Chriſto poſt reſurrectionem. S. Ambroſius (*g*) ſcribit, Henochum divitias ſuas in cœleſtes theſauros transtuliſſe. S. Hieronymus (*h*) aſſerit, Henochum & Eliam inter cœleſtes cives admiſſos, in Paradiſo verſari, *ubi veſcuntur cœleſti pane, & ſaturantur omni verbo Dei, eumdem habentes Dominum quem & cibum*. Aſſerit denique Joſephus (*i*), ad Deum perrexiſſe illum, ex quo factum, ut ejus mors nuſquam ſcribatur.

S. Gregorius Magnus (*k*), & poſt illum Rupertus Abbas (*l*), nihil ſatis certi definientes, notant, verſari illum in loco ſancto hujus terræ, tranquillos animâ & corpore; rediturum in conſummatione mundi inter homines, ut indictum omnibus mortis tributum ſolvat. Tertullianus (*m*) de Henocho & Eliâ habet: *De orbe translati, & hoc ipſo jam æternitatis candidati*. S. Chryſoſtomus ſive de loco ſive de ratione translationis quæſtionem inſtitui curioſiùs vetat (*n*); ſatis enim habere nos jubet, ſi teneamus ſuperſtitem illum a Deo translatum, verſari in loco quodam, Deo tantùm noto, cæteris incognito. Eadem obſervat Theodoretus [*o*]. Satis eſt, ait, ſi illa cognoverimus, quæ nobis Deus in Scripturis ſuis aperuit, nec ulteriùs inquirenda, quæ latêre ille nos voluit. Scitè admodum ſententiam ſuam eâ de re proferunt Theophylactus & Oecumenius [*p*]. Novimus, inquiunt illi, Henochum translatum fuiſſe, vivere adhuc ſcimus; at rationem translationis, & locum, quò translatus eſt, ignoramus. Nec aliter nobis in re præſenti ſtatuendum eſt. Quæ enim S. Irenæus tanquam a Diſcipulis Apoſtolorum tradita perhibet, de translatione Henochi in Paradiſum terreſtrem, fortè aliquid ſapiunt ex errore Millenariorum, vulgatiſſimo ſub Eccleſiæ exordia; quippe cui fidem adſtruxit authoritas Chriſtianorum ex Judæis, qui ſe Apoſtolorum Diſcipulos jactitabant, quamquam Apoſtolicæ doctrinæ parùm omnino tenaces.

Opinionem ſuam de translato Henocho & Elia in ipſum eumdem Paradiſum, quò raptus olim Paulus, & probus ille Latro introductus; opinionem, inquam, hanc accepiſſe videtur S. Athanaſius ex illo S. Irenæi, conſtituentis Henochum & Eliam cum reliquis Juſtis in horto Eden, quò pariter raptum credit Apoſtolum. Porrò horti Eden nomine intelligendus eſt Paradiſus terreſtris, juxta Millenariorum & Veterum etiam complurium ſententiam. Terreſtrem Paradiſum conſtituit Origenes in tertio Cœlo, quò raptus eſt Apoſtolus (*q*). Origenem ſequitur S. Ambroſius (*r*). Moſes Bar-Cepha, in Libro de Paradiſo terreſtri, illum conſtituit terram inter & firmamentum, eòque immiſſam ait probi Latronis animam. Idem ſpectes in Lucubrationibus Severiani, & Eulogiani, qui eumdem locum conſtituunt animabus Sanctorum, quæ ex hoc mundo ſeceſſerunt. S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim cenſet, Paradiſum terreſtrem ante creatum mundum ſtetiſſe; collocat ergo eum locum extra mundum; vel ſaltem ita cenſent Hebræi. Satis hæc, quantùm arbitror, ad excu-

(x) *Cont. hæreſ. lib. 5, cap. 5.*
(y) *QQ. ad Orthod. q. 85.*
(z) *Matth. xxvii, 53.*
(a) *Auguſt. contra Julian. l. 6, c. 30, pag. 1360, 1361.*
(b) *De peccat. Origin. contr. Pelag. & Cæleſt. c. 23, n. 27.*
(c) *De vitâ & morte SS. cap. 3.*
(d) *D. Thom. 1 p. q. 102, art. 2, ad 3; & 3 p. q. 49, art. 5, ad 2.*
(e) *Cedren. p. 8; Chronic. Alexandr. Beda de Templo Salem. c. 19, p. 38.*
(f) *De Synodi Nicenæ decret. p. 214, nov. edit.*
(g) *Epiſt. 38 primæ Claſſis.*
(h) *In Amos ix; & Epiſt. 61 ad Pammach. adverſ. error. Joan. Jeroſolym.*
(i) *Antiq. lib. 1, cap. 4.*
(k) *Hom. 29 in Evang.*
(l) *In Geneſ. lib. 3, cap. 33.*
(m) *De Reſurr. Carnis, cap. 58.*
(n) *Homil. 21 in Geneſ.*
(o) *Quæſt. 45 in Geneſ.*
(p) *Theophylact. & Oecumen. in Hebr. xi.*
(q) *Vide Huet. Origenian. l. 2, q. 12, art. 7.*
(r) *Ambroſ. de Paradiſo, cap. 3.*

cuſandam ſententiam S. Irenæi, & S. Athanaſii: nec alia fuit mens S. Ambroſio, & S. Hieronymo, docentibus, Henochum & Eliam ad Cœlum aſcendiſſe; *vix enim* credimus, doctiſſimis Patribus fuiſſe perſuaſum, ſuperſtites adhuc homines, quos ad diem certam manet interitus, in deſtinatâ Angelis, hominibusque immortalitate, & gloriâ donatis, ſede verſari.

ARTICULUS III.

De regreſſu Henochi in mundum, ſub ſæculorum exitum.

EX his, quæ hactenus diſſeruimus, ſatis animadvertiſſe arbitror Lectores, receptâ inter Patres ſententiâ tradi, Henochum & Eliam nedum adhuc vivere, ſed & rediturus ſtatâ die in prælium adversùs Antichriſtum, ac tandem necatum iri ab adverſario illo omnium Sanctorum, reſtituendos denique in vitam & gloriam immortalem. Utriſque illis accommodant illud Apocalypſeos (*s*), quo Dominus præcepit Joanni, ut Templum & Altare cultoreſque illius metiretur; abſtineret autem ab atrio & Templi ambitu, quòd ſcilicet Gentium poteſtati relinquendum eſſet, a quibus Urbs ſancta pedibus proculcanda erat menſibus *duobus & quadraginta*. Sed, adjecit Dominus, *dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum .... Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas, convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt; & videbunt de Tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos... Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos: & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.*

Frequentes adeò Patres & Interpretes in hanc ſententiam conceſſerunt, ut æſtimari ſatis non poſſit Recentiorum quorumdam audacia, quibus omnia, quæ de regreſſu in mundum Henochi & Eliæ ſub exitum ſæculorum feruntur, commenta reputantur. Scribit Suicerus (*t*), Ravanellum in Bibliothecâ ſuâ, *v. transferre*, ea proferre ex antiquis, quæ fabulam de reditu Henochi apertiſſimè evertunt. Ravanellum ego quidem non légi; legiſſe me tamen profiteor Scripta Patrum, & Veterum Eccleſiæ Scriptorum, quorum neminem apertis verbis id negantem offendi; plures quin etiam luculentiſſimè aſſerentes: & quicumque aliam interpretandi Textum Apocalypſeos rationem ſequuntur, duos teſtes interpretantur Eliam & Moyſem, vel Eliſeum, vel Joannem Baptiſtam; quorum aſſerta eſt mors in Scripturâ; ſive Jeremiam, cujus mortem licèt conceptis verbis Scriptura non exprimat, nihil tamen habet ut ſuperſtes credatur. Si quis ergo in mundum iterum rediturus eſt, id profectò Henocho aſſerendum eſt, quem translatum diſcimus ex Moyſe; quemadmodum & illum adhuc vivere, ne ambigendi quidem eſt locus, poſt Apoſtoli [*u*] teſtimonium: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem.*

Veteres ferè omnes & Recentiores, qui in Apocalypſim ſcripſerunt, uti Andreas, & Aretas Epiſcopi Cæſareæ in Cappadociâ (*x*), Beda, Primaſius, Berengarius, Ambroſius Antpertus ſive Anſpertus, Haymo Halberſtadenſis, Hugo de S. Caro, Dionyſius Carthuſianus, Vatablus, Vega, Ribera, Cornelius a Lapide, & alii; quique de Antichriſto diſſeruerunt, uti S. Hippolytus Martyr, Rabanus Maurus, Adſon Dervenſis, Audinſus Cabillonenſis, cujus Liber vulgatus eſt in Appendice ſexti tomi novæ Editionis S. Auguſtini, & alii plures, tamquam certâ & conſtanti traditione a priſcis acceptum notant futurum, ut Antichriſtus pugnet adversùs duos teſtes, Henochum & Eliam, victoſque trucidet; quos teſtes, juxta Apocalypſeos teſtimonium, ajunt pœnitentiam gentibus prædicaturos ſacco indutos MCCLX dierum ſpatio [*y*]. Poſt eos dies, inquiunt, duo teſtes in medio Urbis Jeroſolymæ jugulabuntur, & honore ſepulturæ privati jacebunt, donec recepto divinitùs vitæ ſpiritu, dias iterum auras ſpirabunt.

S. Irenæus (*z*) de Henocho & Elia in Paradiſo terreſtri verſantibus agens, commoraturos ibi docet *uſque ad mundi conſummationem*. Tertullianus (*a*): *Cæterùm morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine extinguant*. S. Hilarius (*b*) de Moyſe & Elia transfigurationis Jeſu Chriſti teſtibus agens, *Hos quidem*, ait, *eoſdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus intelligimus, quos in Apocalypſi Joannes ab Antichri-*

(s) *Apoc.* xi, 1, 2, *&c.*

(t) *Theſaur. Eccleſ. in Enoch. Iſa & alii, ut Draſ. in Henoch, & Calviniani.*

(u) *Hebr.* xi, 4.

(x) *Andreas in Apoc.* xi, *t.* 6 *Biblioth. PP. & Aretas in Apoc.* xi, *t.* 9 *Biblioth. PP.*

(y) *Apoc.* xi, 3, *&c.*

(z) *Iren. l.* v, *c.* 5: Καὶ ὧ μένειν τοὺς μετατεθέντας ἕως συντελείας προοιμιαζομένους τὴν ἀφθαρσίαν.

(a) *De Animâ, cap.* 50.

(b) *In Matth. c.* 20, *p.* 710, *a, nov. Edit.*

tichriſto perimendos eſſe dicit, licèt variæ vel de Henoch vel de Jeremia plurimorum fuerint opiniones, quòd alterum eorum, ſicut Eliam, mori oporteat. Ephrem Patriarcha Theopolitanus, vel Antiochenus (c) tradit, *Henochum, Eliam, & Joannem Baptiſtam*, poſt diuturni admodum temporis vitam, morte tandem interituros, ſed in ictu tantùm oculi, ut iterum ad gloriam reſurgant. S. Ephrem Nicopolitanus, ſive Antiochenus Epiſcopus, Sermone de adventu Chriſti & Antichriſti, Dei miſerantis pietate immiſſum iri ait Henochum & Eliam, ut cum Antichriſto pugnent, ejus dogmata convellant, bonos confirment adversùs ejus minas ac ſævitiam, proximum denique Servatoris adventum nuncient.

Hilarius Diaconus (d) obſervat, viros ſanctos nunquam non perſecutionibus vexatos, uti Henochum & Eliam, qui a Deo miſſi adversùs Antichriſtum in mundi exitu pugnaturi ſunt, *quos & perſecutiones pati, & occidi lectio Apocalypſis teſtatur*. S. Ambroſius (e) beſtiam ex abyſſo egreſſam, nempe Antichriſtum, adversùs *Henoch, Eliam, & Joannem Baptiſtam*, teſtes a Deo pro Jeſu Chriſtos mittendos, uti docet Apocalypſis, pugnaturam teſtatur. Nomen Joannis Baptiſtæ legas in Editionibus nonnullis quidem & codicibus quibusdam, ſed minori numero, uti obſervant Authores poſtremæ ejus operum Editionis. Joannes in Apocalypſi nonniſi duorum teſtium meminit; & Evangelii authoritate comperrum eſt, Joannem Baptiſtam capite diminutum ab Herode; ejus ergo nomen abundare in Textu videtur.

S. Hieronymum conſuluerat Marcella (f), an ſinguli homines mortui tum redivivi futuri ſint, quo tempore, juxta Apoſtolum, coram Jeſu Chriſto in aëra producentur (g). Ambigebat illa, num Henoch & Elias quoque inter mortuos futuri eſſent; quippe quos occidendos ab Antichriſto notat Joannes in Apocalypſi. S. Hieronymus, ultrò admittens veritatem eorum, quæ de adventu & morte duorum Prophetarum ſcripſerat Marcella, reſpondit, eos qui fortè ſuperſtites ad illum Domini adventum pervenient, coram Judice rapiendos in corpore, novâ gloriâ & immortalitate auctos. Paria docet S. Auguſtinus (h), hæc habens de Henocho & Elia: *Creduntur ad exiguum temporis redituri in has terras, ut etiam ipſi cum morte confligant, & quod primi hominis propagini debetur, exſolvant.* S. Gregorius Magnus [i]: *Henoch, & Elias ad mundum revocabuntur, & crudelitatis ſævitiam in ſuâ adhuc mortali carne paſſuri ſunt.*

Pſeudo-Proſper [k] docet, eâ planè ratione, qua Moyſes & Aaron legatione ad Pharaonem functi ſunt, & adversùs illos Jannem & Mambrem Diabolus oppoſuit; ita pariter adversùs Antichriſtum a Deo miſſos ſtaturos Henochum & Eliam, quibus tres Pſeudo-Prophetæ ab eodem Diabolo opponentur. Teſtium agmen claudent Cedrenus, Philippus Solitarius (l), S. Joannes Damaſcenus (m), in Patrum illorum ſententiam concedentes. Tradit enim S. Damaſcenus, venturos in terras Henochum & Eliam, ut Antichriſto reſiſtant, & cor patrum ad filios reducant, ideſt, Synagogam ad Eccleſiam, & Judæos ad Chriſtianos; quo functi munere, ait, ab Antichriſto interficientur, ſtatimque Dominus toto Majeſtatis apparatu, & naturæ humanæ exuviis ad gloriam circumdatus, eâ planè ſpecie, qua ad Cœlum aſcendentem viderunt Apoſtoli, in terras deſcendet.

Hanc tamen ſententiam, tot virorum doctiſſimorum ſuffragiis firmatam, nunquam Eccleſia inter articulos fidei recepit, neque ea a Fidelibus communi aſſenſu probara eſt. Opinio eſt enim Theologica, cui repugnare, ſalvo veterum Patrum & Authorum Eccleſiaſticorum, qui pro illâ ſteterunt, obſequio, nunquam non licuit. Suſpicantur aliqui, duos illos Teſtes apud Joannem eſſe Moyſem & Eliam, Legem & Prophetas (n). Cenſent alii (o), nomine illo duo deſignari Teſtamenta, Vetus & Novum, & utriuſque Doctores ac Prædicatores. Alcaſarius ſtat pro Moyſe & Elia, qui ſapientiam & ſtudium primitivæ Eccleſiæ deſignant, teſtimonium ferentibus Jeſu Chriſto; Moyſes enim teſtificatur ſapientiâ planè divinâ, Elias ſanctitate & animi robore.

De Elia & Eliſeo, ſive Elia & Moyſe dictum explicat Victorinus Petavienſis [p]; ſed obiiſſe Moyſem & Eliſeum tam certum eſt, quàm quid aliud. Cùm de Jeremiæ morte nullibi ſcriptum reperiatur, Veteres omnes putavere, ait idem Scriptor, Jeremiam alterum eſſe e Teſtibus Joannis. Tres, non duos, teſtes aſſignant Ephrem Patriarcha Antiochenus, & S. Ambroſius, nempe Henochum, Eliam, & Joannem Baptiſtam. S. Hilarius ſtare ſe ſignificat pro ſententiâ, quæ Moyſem & Eliam tenet; quamquam fateretur, aliorum opinione præferri Henochum ſive Jeremiam. Moyſi & Eliæ favent pariter Gagnæus, Catharinus, Maldonatus [q] & Joachimus Abbas.

Apocalypſeos Oraculum non de futuro, ſed de tranſacto tempore ita intelligunt aliqui, ut duorum teſtium nomine deſignatos credant Jeſum Chriſtum & Joannem Baptiſtam. De Sylveſtro Papâ & Menna Patriarchâ Conſtantinopolitano, conatibus Eutychetis Hæretici repugnantibus, explicant S. Antoninus, Lyranus, & Aureolus [r]. Quæ ſententiarum varietas ſatis indicat, amplam cuique dari opinandi in hac re facultatem.

Ex

(c) *Apud Phot.* Οὗτοι πολυχρόνιον βίον ἀνύσαντες γεύσονται ποτε θανάτου ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ.

(d) *Ambroſiaſt. in 1 Cor. iv.*

(e) *In Pſal. xcv, n. 10.*

(f) *Hieron. ad Marcellam, Epiſt. 148. p. 347. Vet. Edit.*

(g) *1 Theſſal. iv, 16.*

(h) *Cont. Julian. lib. 6, cap. 30.*

(i) *In Job, xviii, l. 14, c. 12. Vide & in Ezechiel. hom. 12, l. 1. p. 1195, V. 7, 8, 9.*

(k) *De promiſſion. & prædiction. &c. cap. 13.*

(l) *Diopt. Rei Chriſt. in Biblioth. PP. to. 21, pag. 592, 593.*

(m) *Lib. 4, c. 27, pag. 302, D.*

(n) *Arias Montanus & alii.*

(o) *Pannonius.*

(p) *Biblioth. PP. t. 3, pag. 418.*

(q) *In Matth. xvii.*

(r) *Ita Ubertin. & Michaël, & Eciſgimber in Pentaplo, p. 109.*

Ex his quæ hactenus diſſeruimus, ſtatuendum arbitror: primò, quamquam nihil certi ſtatui poreſt de translatione Henochi ex verbis Moſaicis, rem tamen extra controverſiam poni tnm Apoſtoli Pauli oraculo, cùm Eccleſiaſticæ traditionis authoritate, quibus utique docentibus intelligimus, tamquam fide certum renendum eſſe, Henochum ſuperſtitem adhuc manere. II, De pietate & virtute Henochi nullum eſſe ambigendi locnm, quidquid ſentiant in contrarium Rabbini: verſari autem modò in eo rerum ſtatu, in quo, licèt mortali corpore indutus, nulli tamen mentis corruptelæ obnoxius ſit. III, Quamquam non conſtare ſatis ex diſſidio Patrum & Interpretum de loco translationis Henochi videtur, ſi quis tamen propiùs eorum ſententias perpendat, convenire ſatis intelliget in aſſignando Paradiſo terreſtri, quem alii in terris, alii in Cœlo collocant. IV, Tandem, quamquam nullos opinandi limites præſcribit Eccleſia, in definiendis duobus illis teſtibus in exitu ſæculorum, de quibus in Apocalypſi, fateamur tamen oportet, ſenrentiam illam, quæ venturos in terras Henochum & Eliam præſert, magnoperè cæteris præſtare ſive antiquitate, ſive præſtantiâ & numero Scriptorum.

DISSERTATIO
DE LIBRO HENOCHI.

MIrari ſubit profectò, qui fieri potuerit, nt priora illa Eccleſiæ ſæcula, Fidelium ſanctitate & Martyrum numero adeò illuſtria, miraculis & doctrinâ Apoſtolorum eorumque Diſcipulorum adeò felicia, tanram nihilominus intra ſe haberent hæreſum corruptelam; externos verò hoſtes paterenrur adeò pernicioſos, calumniis & blaspbemiis magnam Chriſtiano nomini conflare invidiam molientes. Inde tot falsa Evangella, tot Pseudo-Acta Apoſtolorum, Apocalypſes ſive Revelationes, rerum geſtarum a viris in Eccleſiâ ampliſſimis Acta corruptiſſima. Inde execranda Sectarum monſtra, Simonianorum, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Carpocratianorum, Baſilidianorum, Menandriorum, aliorumque, quorum ſingnlis ſua erant corruptiſſimà Evangelia, & alieni planè ab Eccleſiæ doctrinâ Libri.

Aliud tunc temporis emerſit adverſariorum genns, quornm licèt minor eſſet nocendi voluntas, conſilium tamen maximè obfuit Religioni; Authores nempe apocryphorum quornmdam Librorum, qui Lucubrationibus ſuis nomina præſcripſere virorum, ſive in Synagogâ, ſive in Eccleſiâ, ſive apud Gentiles ampliſſimorum; rati id potiſſimùm conducturum convertendis ad Religionem Chriſtianam Judæis & Gentilibus, ſi prædictum a viris apud illos magni nominis Chriſtum demonſtrarent. Ea fuit mens Scriptoribus illis, qui Lucubrationes obtruſerunt ſub nomine Triſmegiſti, Sibyllarum, Libri Henocbi, quarti Esdræ, Teſtamenti duodecim Patriarcharum, & alias ejusdem generis. Eâ fraude decepri ſunt non rarò vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres, quibus, non ſatis in eâ re cautis, tanta virorum nomina fucum fecerunt.

Tantò fuit hujus artificii major pernicies, quantò certior videbatur effectus; ſiquidem vel pernicioſa illa Opera tamquam genuina, & Scriptorum fœtus, quorum præferebanr nomina, reputanda erant, atque ita erroribus etiam, non infrequentibus in ejusdem farinæ Operibus, fides afferebatur: ſive rejiciebantur tamquam apocrypha & impoſtorum fraude ſuppoſita, & eâ pariter notâ præjudicio quodam inurebantur ſincera Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum Opera; unde parum Fidelibus fraudem metuentibus utilitatis, multa verò obtrectandi cæteris a fide alienis occaſio, quippe qui vera a falſis ſecernere ſive nollent ſive non poſſent. Hinc minor etiam in Fidelibus & in Infidelibus erga ſacrarum Scriptnrarum authoritatem amor & obſervantia.

Liber Henocbi, de quo modò, variè in Eccleſiâ receptus eſt. Primò illi quidem multum a prioribus Fidelibus delatum, quin & inter Canonicos a nonnullis receptus eſt, vel ſaltem inter Opera Religioni non repugnantia, quòd teſtimonium ex illo petitum in Epiſtolâ Judæ animadverterint; cùm ramen alii minùs creduli & magis cauti fidem denegarent, & tamquam apocryphum rejicerent. Porrò de ejus authoritate perſuaſi Patres, inde eam ſenrentiam, quæ, futilis licèt, maximè tamen apud Veteres obtinuit, retulerunt; nempe Angelorum perduellium manum, filiarum hominum amore captos, excuſſo Dei jugo, junxiſſe ſe cum illis fœminis, iisque parentibus natos filios corporis proceritate & criminum immanitate apud Veteres ſub Gigantum nomine cognitos.

Li-

Libri Henochi primus omnium meminit Judas Apoſtolus; poſt quem idem laudatur in Teſtamento duodecim Patriarcharum, vetuſtiſſimo illo planè, de quo ſermo eſt apud Origenem, homiliâ XV in Joſue. Ex eo Libro ſententiam de connubio Angelorum cum filiabus hominum derivarunt S. Juſtinus Martyr (*a*), S. Clemens Alexandrinus (*b*), S. Irenæus (*c*), Tertullianus (*d*), Athenagoras Legatione pro Chriſtianis, S. Cyprianus [*e*], Lactantius (*f*), Sulpicius Severus [*g*], Minutius Felix in Octavio, S. Ambroſius [*h*], Proclus & Pſellus Philoſophi Chriſtiani. Hujus erroris origo eſt facilè Textus Septuaginta, in plurimis Exemplaribus ita ferens (*i*): *Angeli Dei videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores ex omnibus, quas elegerant*: quo loco Hebræus & Vulgata habent: *Videntes filii Dei filias hominum, &c.* Præposterè igitur intellectus locus Septuaginta fabellæ de Angelorum defectione & connubio materiam ſtruxit & occaſionem.

Integrum Opus periit, fragmenta dumtaxat ſervantur, quibus deſiderium amiſſi Operis non ſatis magnum inducitur. Hæc verba e Libro Henochi laudat Judas in Epiſtolâ, ℣. 14: *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Hæc, ait Apoſtolus, *prophetavit de his* (corruptoribus doctrinæ Jeſu Chriſti, quibus accommodat ea quæ de impiis ante diluvium dicta ſunt) *ſeptimus ab Adam Henoch.* Author Teſtamenti duodecim Patriarcharum fragmenta quædam ſervat, quorum potiſſima dabimus infra. S. Irenæus (*k*) docet, Henochum, *cùm eſſet homo*, legatione ad Angelos functum fuiſſe, & translatum. S. Juſtinus, aliique plures, quos ſupra recenſuimus, de impuro Angelorum erga filias hominum amore diſputarunt. Angelorum perduellium inventa plura recenſet Tertullianus (*l*) e Libro Henochi. S. Hilarius [*m*] tradit, illos in defectionem a Deo diris anathemariſmis inter ſe conſpiraſſe, collectos in monte, cui deinde nomen manſerit *Hermon*, ideſt *Anathema*.

Sed majoris momenti, & ad doctrinam maximè conferens, fragmentum recitat Syncellus in Chronico [*n*], & publici juris fecit omnium primus Joſephus Scaliger ad Græca Euſebii: hujus autem hæc ſumma. Vigiles, Græcè Egregori, (ita ad Danielis (*o*) imitationem) fœminas turpi deperientes amore, mutuis ſe adhortationibus excitarunt, ut amatam quiſque puellam conjugem duceret. Semiexas vel Samſai, Princeps Egregororum, coactam in celtiſſimi montis cacumen ducentorum [*p*] manum ita afflatus eſt: Vereor ego quidem, ne initi inter nos conſilii vos terreat executio, atque ab incepto deſiſtentes omnes, in me unum perduelloinis reum Dei furorem convertatis. Optimum proinde cenſeo, ut ſacramentis & anathematiſmis nos invicem adigamus. Nec mora; ſtatim omnes diris & obſecrationibus ſeſe adſtrinxerunt ad propoſiti operis executionem; ex quo monti nomen *Hermon*, ideſt, *Anathema*. Summorum perduellionis Authorum nomina hæc ſunt: I, Semiexas; II, Atareuph; III, Araciel; IV, Cobabiel; V, Horammamus; VI, Ramiel; VII, Sampſich; VIII, Zaciel; IX, Balciel; X, Azabrel; XI, Pharmarus; XII, Amariel; XIII, Anagemus; XIV, Thauſail; XV, Samiel; XVI, Sarinas; XVII, Eumiel, XVIII, Tyriel; XIX, Jumiel; XX, Sariel.

Anno ab orbe condito, ait Idem Author, 1170 (*q*) Angeli ſeu vigiles connubia cum fœminis inierunt, perſeverantes cum illis uſque ad diluvium. Nata ex his trium liberorum genera, nempe *Enakim*, filii; *Nephilim*, nepotes; & *Eliudim*, nepotum filii. *Enakim*, ſive Gigantes, uxores & coævos res magicas & venenatorum poculorum uſum docuerunt. Abzazel, ſive Azabzel, decimus inter Angelorum perduellium Principes, chymicen hominibus tradidit, liquandorum & parandorum metallorum artem, armorum & bellicorum inſtrumentorum fabricam; rationem expoliendi ad uſum gemmas, ornandiſque mulieribus muliebrem ſupellectilem. Semiexas, cæterorum Princeps, furoris & ultionis primus incentor, venena ex herbis exprimendi pernicioſam artem invexit. Phamarus (*r*), undecimus inter Principes, curioſas artes magices & ſortilegiorum invênit. Aëris ſigna explicavit Zaciel; aſtrorum curſum, Balciel; aſtrologiam, Cobabiel; terræ ſigna Araciel; ſolis, Sampſich; Lunæ, ad præſagia futurorum, Sariel.

Cùm igitur nati Gigantes cibum ſibi ex hominum carne pararent, factum inde, ut magnoperè diminuto hominum numero, paucitatem ſuam intelligentes ii qui inter homines ſupererant, Deum precibus ſollicitarent, ne charos ſibi homines negligeret. Tunc quatuor Principes Angeli, Michael, Uriel, Raphael, & Gabriel, coram Domino ſeſe ſiſtentes, verbis plurimis narrarunt mala graviſſima, quibus Angeli perduelles terram affecerant; nec ſiluerunt ea quæ a Gigantibus quotidie patra-

 ban-

(a) *Apolog. 1, p. 44; & Apolog. 2. p. 55.*
(b) *Strom. l. 3, & 5; & Pædag. l. 2, c. 2.*
(c) *Iren. l. 4, c. 30, ſeu c. 16, nov. edit. & c. 70, n. 36.*
(d) *De Idolol. l. 2, c 9; de cultu fœminar. c. 10; de veland. Virg. c. 7.*
(e) *De diſcipl. & habit. Virg. 3, 54.*
(f) *Inſtit. lib. 2, cap. 14.*
(g) *Hiſt. Sacr. lib. 1.*
(h) *De Noë & Arcâ, cap. 4; & de Virginib. l. 1.*
(i) *Geneſ. VI, 1, 2.*
(k) *Iren. lib. 4, cap. 30.*
(l) *De cultu fœminar. l. 1, cap. 2.*
(m) *In Pſal. cxxxii, 3.*
(n) *Chronograph. p. 11, & 24.*
(o) *Dan. IV, 10, 14, 20. Heb.* עיר *Aquil. Sym.* Ε'γρήγοροι, *Vigiles.*
(p) Nonnulli legunt dumtaxat centum. Origenes *cont. Celſ. lib. 5, pag. 267.* ait, deſcendiſſe ſexagenos vel ſeptuagenos.
(q) Syncellus, *p. 16*, refert, Egregoros e Cœlo deſcendiſſe A. M. 1058. Subinde refert, Henochum divinitùs didiciſſe futurum diluvium A. M. 1425, & translatum in Paradiſum A. M. 1488. Deum mortis ſententiam in Egregoros dixiſſe A. M. 2221. Diluvium verò conſignat ad A. M. 2241. Quare poſt adventum Egregororum uſque ad diluvium, ſpatium relinquitur annorum 1543.
(r) Legunt alii *Pharmacus*, ſive *Pharmaceus*, nempe veneficus.

Digitized by Google

bantur: expoſuere ſuſpiria emiſſa a ſpiritibus animarum interſectorum (*s*), qui e terrâ egredi ob plurima admiſſa crimina prohibebantur.

(s) Vide Diſſertationem de naturâ animæ juxtà Hebræorum ſententiam.

Tunc Omniporens Uriell præcepit, iret ſtatim ad Noëmum filium Lamechi, ſuisque verbis renunciaret, diluvium non ita poſt multum temporis inductum iri in tertas: ille imminens malum nunciaret hominibus; ſe verò compararet, ut a communi hominum ſato eximeretur, plantarum & hominum in terrâ exitium reparaturus, novumque inducturus hominum genus, ad exitum usque ſæculorum permanſurum.

Imperavit quoque Angelo Raphaëli, ut catenis vinctum Azaëlem projiceret in tenebras; ima etiam aperiret deſerti Dudaël, eoque in profundam noctem Angelum hunc perduellem conjiceret, ſuper prærupta & acuta ſaxa conſtitutum; terram ab iniquitatibus omnibus purgaret; ac tandem cenſum criminum ibi admiſſorum inſtitueret.

Tum ad Gabrielem: Perge illicò ad Gigantas, ſuperbos illos Egregororum filios, commiſſosque invicem in mutuam perniciem armato.

Præcepit denique Michaëli, pergeret ad Semiexam totius ſeditionis principem, coactumque ſpectare cædem Gigantum filiorum ſuorum, raperet ad extrema terræ hujus extorrem, ibique usque ad ſeptuaginta generationes, nempe ad diem judicii, relegaret. Tunc is, ait Deus, præceps agetur in chaos ignis æterni, & perpetuo clauderur carcere unà cum ſociis perduellionis. Adjecit: Ad Gigantas e connubio Egregotum cum filiabus hominum natos quod attiner, hi in terris tamquam pravi Spiritus pererrantes, malorum erunr omnium, cædium, & ruinarum authores, homines poſſidebunt, ad terram allident, ſine cibo vitam tolerabunt, ſpectra formabunt & terriculamenta, angentur ſiti, aggredientur homines, torquebunt pueros, ab ipſo mortis tempore ad ſupremum usque Judicii diem in exitu ſæculorum. Mons verò ille, inito conſilio & conſpiratione, ac diris ſacramentis infamis, maledicto erit obnoxius, nivibus & algenti brumâ ſquallebit ad diem usque judicii; tunc verò flammis abſumptus liqueſcet.

Legirur in eodem libro, Angelum Urielem, aſtrorum principem, anno Henochi 165, Mundi 1286, a Deo miſſum docuiſſe Henochum rationem menſis, anni, & ſolſtitii. Hæc ſumma Libri Henochi apud Syncellum. Diſpeſcebatur totum Opus in duos ſalrem libros, cùm Syncellus primum laudet.

In fragmentis, quæ ſuperſunt, nuſpiam legitur illud, quod e Libro Henochi Judas deſcripſit; nec fuiſſe unquam in eo libro, viri quidam docti ſuſpicantur. Horum aliqui cenſent, id non e Libro aliquo, ſed e traditione acceprâ Apoſtolum retuliſſe: aliis ea ſedet opinio, Spiritûs Sancti revelatione didiciſſe Apoſtolum, quid Henoch olim vaticinando tradiderit (*t*): alii tandem putant, Authorem Libri Henochi nonniſi ex occaſione loci Judæ conſilium ſcribendi Operis ſuſcepiſſe, rarum, magnam inde Operi ſuo exiſtimationem proventuram, tamquam quod Apoſtolo notum probatumque eſſet.

(t) *Vide Herman. Vitſii Meletem. Leidenſ. pag. 501; & Heidegger. hiſt. Patriarch.*

Sed facilè has conjecturas evello. Patres, qui Librum Henochi utique legerant, & præ manibus habebant, ſententiam ab Apoſtolo relatam contineri in illo ſatis apertè teſtati ſunt; nec aliâ ratione, ait S. Hieronymus [*u*] *a pleriſque rejicitur*, (Epiſtola Jacobi) *niſi quia de Libro Henoch, qui apocryphus eſt, aſſumit teſtimonium* [*x*]. Viciſſim Tertullianus ex Apoſtoli authoritate Libri hujus authoritatem vindicar [*y*]. Quam ſanè vim habuiſſet apud Fideles nuper converſos laudatum ab eodem Apoſtolo teſtimonium, ſi nuſquam extitiſſet, vel ex ignoro prorsùs libro deductum fuiſſet? Opportunè quidem Sacer aliquis Author teſtimonio utitur Profani Vatis cum Profanis agens, ſuis quodammodo armis illos conficiens; opportunè illud idem Profani teſtimonium Fidelibus reduceret in memoriam, eas veritates, quas inculcat, vel Ethnicos non latuiſſe demonſtraturus; ſed ignotum vel minùs aſſertum Prophetæ oraculum ad extorquendam fidem, nullis teſtibus productis, quis laudet? Itaque ſtatuendum eſt, Prophetiam Henochi vel literis tunc traditam, vel traditione ſervatam apud Fideles obtinuiſſe.

(u) *Catalog. Scriptor. Eccl. cap. 4.*
(x) *Vide & in cap. 1 ad Tit.*
(y) *De cultu Fœmin. l. 1, c. 3 Accedit quòd Henoch ad Judam Apoſtolum teſtimonium perhibet.*

Ultrò enim admittendum eſt, ſervatum tunc apud Judæos traditionum quarumdam, minimè literis traditarum, depoſitum. Hujus generis arbitramur quæ refert Apoſtolus de Jamne & Mambre, Pharaoni adſiſtentibus, & prodigia Moyſis eludere adnitentibus [*z*], inde pariter acceptam altercationem Michaëlis cum Dæmone de Moyſis corpore [*a*]. Cujus ſanè traditionis occaſione factum credimus, ut Liber ſcriberetur, noſtrâ ætate ſervatus, ſub titulo *Petirath Moſe*, ſive *Aſſumptio Moyſis*; ſcriptus utique poſt Jeſum Chriſtum, utì apertiſſimè prodit mentio everſionis ſecundi Templi. Alter eſt autem Liber iſte ab *Aſſumptione Moyſis*, Veteribus cognitâ, qui plura ex eâ afferunt, nuſpiam in priori illo legenda. Ex eo pariter traditionum fonte accepta credimus geſta quædam ejusdem Moyſis apud Joſephum recitata (*b*); cujusmodi geſta memoriæ poſteritatis commiſſa ſeriùs plerumque literis traduntur.

(z) *2 Timoth. III, 8.*
(a) *Juda, ℣. 9.*
(b) *Antiq. l. 2, c. 5.*

In

In traditionum ejuſmodi cenſum referenda arbitror oracula Henochi, ex quibus deinde natus Liber ſub ejus nomine. Nihil certi ſtatuere poſſumus, ante an poſt Judæ ætatem adornatus ſit; neque enim ſatis conſtat ſcriptæ hujus Epiſtolæ tempus. Illud tamen aſſerimus, non antea digeſtum fuiſſe Opus, quàm poſt everſionem Templi Jeroſolymitani per Romanos; de illâ enim agit Author in fragmento, quod in Teſtamento Levi ſervatum eſt. Fortaſſe Judas tamdiù poſt Templi everſionem vixit, ut legere commodè potuerit Librum Henochi, Patribus deinde viſum & excerptum; & eo, qui menti affulgebat, divino lumine, vel ſaltem populari traditione inſtructus, veritatem a fabulis diſtinguere, atque ſegregare. Sed conjecturæ omnes.

In ipſâ ejus origine breviſſimum fuiſſe Opus illud, cenſet Grotius (c), quod deinde novis acceſſionibus creverit, uti furtivis & apocryphis ſcriptis contigiſſe non ſemel conſtat. Solemne eſt Judæis, ut traditiones, quas magno numero ſervant, Patriarchis tribuant [d]; & ſub tantorum nominum obtentu, Doctores eorum, allegoriis & cabalæ ſtudentes, varia obtrudunt Opera, fabulis & abſurdis aliis pleniſſima; vel ſaltem nihil de veritate ſolliciti, ea in Libris illis tribuunt, quibus Lectorum aures mulceri arbitrantur. Georgius Syncellus [e] factum putat, ut Liber Henochi tractu temporis a Judæis & Hæreticis corrumperetur; ſed conjecturas affert argumentis deſtitutas: indicet ille additiones, quibus ſubinde inſertum eſt opus, indicet illarum tempora & Authores.

(c) *In Epiſt. Judæ*, ℣. 14.

(d) Simon, hiſt. Critiq. l. 3, c. 21.

(e) *Syncell. p.* 27.

S. Auguſtinus (*f*) ſcribit: *Scripſiſſe nonnulla divina Henoch, illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtolâ Canonicâ Judas Apoſtolus dicat.* Sed conſultò a Synagogâ e Canone Scripturarum rejecta illa arbitratur, quæ facilè *ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt.* Reipſâ occurrunt in Libro Henochi fabellæ quædam ad arbitrium confictæ, uti ea quæ refert de Gigantibus Angelorum filiis; unde conjectura ducitur, ab impoſtore quodam Lucubrationem illam eſſe ſcriptam, ſive ab Hæreticis, alia plurima ejus generis Opera procudentibus, ſuppoſitam.

(f) De Civit. *l.* 15, *c.* 23, & *l.* 18, *c.* 38.

Cenſet itaque Auguſtinus, laudatum quidem a Juda Librum quemdam Henochi; id quod planè ex Textu Apoſtoli apertè ſatis non intelligimus. Non enim ſcripſiſſe Henochum, ſive legi in Henocho iſta Apoſtolus dicit, ſed tantùm: *Henoch prophetavit;* quod planè illi traditione compertum eſſe potuit. Sed tametſi ille aliquid ſcripſerit, egregiè demonſtrat Auguſtinus, aliam fuiſſe Lucubrationem illam genuinam ab eâ, quæ nunc ſupereſt; duplici id ratione evincens: 1, Quòd Judæi a Canone Scripturarum illam ablegarunt, 2, Quòd hæc futilia multa, veritati & fidei repugnantia, continet.

Joſephus Scaliger [*g*] Librum Henochi vetuſtiſſimum arbitratur, ſcriptumque Hebraicè a Judæis, ut ſub obtentu magni nominis ſimplicioribus fraudem facerent. Sed non ſatis diſertè de ejus antiquitate mentem ſuam explicat, ſcilicet ante an poſt Chriſtum, etſi enim nonniſi ſecundo Eccleſiæ ſæculo prodiiſſet, vetuſtiſſimum utique Opus cenſeretur. Minimè autem illi aſſentimur in iis, quæ de ſcripto Hebraicè Libro aſſeruit; ejus enim ſententiæ argumenta nulla ex ipſo Opere deducuntur. Hebraiſmos occurrere in illo, non diffiteor; ſed & Hebraiſmos pariter animadvertas in Græcis Helleniſtarum Operibus, uti in Libris N. T. & in Macchabæis. Suſpicatur Hottingerus, Græcum eſſe Operis Authorem; cujus rei argumentum exhiberi putat nomine *Pharmarus*, ſive ut ipſe legit, *Pharmacus*; *Pharmaceus* enim Græcè eſt veneficus.

(g) *Not. ad Græca Euſeb. pag.* 405.

Contendit Grabæus (*h*), Librum illum deberi Judæo Authori, ætate J. C. multò vetuſtiori; quod duobus argumentis demonſtrat. I, Alexander Polyhiſtor [*i*] ſcribit, tradi ab Eupolemo, Henochum Aſtrologiæ authorem fuiſſe, cujus rei honor Atlanti a Profanis tribuitur; Atlantem autem Græcorum eumdem eſſe virum ac Henochum Judæorum. II, Liber Zohar, ſcriptus, uti fertur, paulò poſt excidium Templi per Titum, Librum Henochi laudat; laudat & R. Manahum, qui tertio ſæculo floruit.

(h) *Not. in Spicileg. PP. t.* 1, *pag.* 345.

(i) *Apud Euſeb. Præparat. lib.* 19, *cap.* 17.

Hæc tamen ita diluas. I, Neque Eupolemus, nec Polyhiſtor, nec Euſebius ſcripſerunt, Henochum ſcripſiſſe aliquid de Aſtrologiâ. Id ſolummodò traditione apud Judæos vulgatum eſſe ait Eupolemus; quare vulgaræ opinionis vel traditionis apud eas gentes merus eſt teſtis. Porrò eæ traditiones diu in ore tantùm & memoriâ vulgi ſervatæ ſunt, antequam ſcriptis traderentur. II, Tametſi Eupolemus ſatis diſertè aſſereret, Henochum omnium primum ſcripſiſſe Libros aſtronomicos, quis aſſerenti crederet? III, Judæi & Arabes plura Henocho Opera tribuunt; quorum tamen teſtimonia longiſſimè abſunt a perſuaſione. Vulgatum eſt apud Arabes, Eſdrim vel Idrim, qui ipſiſſimus eſt Henoch, omnium mortalium primum ſtuduiſſe Aſtronomiæ [*k*], miſſaque illi a Deo XXX Volumina, quæ is in ſepulchro Adami unà cum Libris Sethi condidit; quo excuſſo ſepulchro, Abrahamum Libros Henochi reperiſſe.

(k) *Elmacin. apud Hotting. hiſt. Orient. l.* 1, *c.* 3; *Aben Neph. apud Kirch. t.* 1, *Oedip. p.* 67, *&c.*

Author Hebræus libri Inchaſim (*l*) comminiſcitur ſcripta ab Henocho omnium primo de Aſtronomiâ Volumina, quæ ſanè de Cœlo, aſtris, & Magice agentia lau-

(l) *Vide Auguſt. Pfeiffer. exercit. de Henoch, c.* 4.

dant RR. Salomon Solem [*m*] vel Sullam, & Schem Tob (*n*). Probatur quidem his omnibus traditionis illius vetuſtas, qua Henoch in cenſum doctiſſimorum Aſtronomorum refertur; ſed nihil planè minùs aſſeritur, quàm ſive aliquid ab Henocho ſcriptum eſſe, ſive ejus Libros ad nos usque transmiſſos; ſive aſſeriam referre antiquitatem, ſi fortè extant, Libros ab Arabibus & Rabbinis laudatos; ſive tandem hæc ipſa Henochi ſcripta confundenda eſſe cum Libro Henochi, de quo agitur, Libro, inquam, non planè Aſtronomico, quamquam nonnulla levioris momenti ad Aſtronomiam utcumque referenda continet.

Secundo argumento Garbæi respondeo, Librum Henochi laudatum in Opere Simeonis Joachidæ, inſcripto Zohar (*o*), & in altero R. Manahem Recinetenſis [*p*], alium eſſe a Scripto Patribus Eccleſiæ noto; loci enim a Rabbinis excerpti nullibi occurrunt in fragmentis e Libro Henochi ſuperſtitibus; nec ſanè credimus adoptatum eſſe a Judæis Scriptum, in quo adeò clara de Jeſu Chriſto teſtimonia, uti in Libro Henochi, occurrunt. Tametſi autem Liber, cujus meminit Judas, & Liber Zohar unus eſſent & idem, tantamque vindicaremus Libro Zohar antiquitatem, quantam deferunt Judæi Cabaliſtæ, nihil pro remotiſſimâ Libri Henochi antiquitate colligeretur; potuit enim ſtatim poſt Templi everſionem prodire, ac ſubinde a Juda, & poſt quatuor vel quinque annos a Simeone Joachide laudari. Maxima abſurdiſſimarum ſententiarum pars, quarum eſt mentio in Libro Henochi, recurrit apud Joſephum; uti illud de Angelorum erga fœminas amore (*q*); de impiorum animabus homines obſidentibus & infeſtantibus (*r*); ut nihil dicam de nominibus Angelorum, quæ tantâ religione celabant Eſſenii (*s*). Porrò arcana illa, & recondita Judæorum ſcripta, facilè omnia prompſit Author Libri Henochi.

Veterum Patrum, quos ſupra numeravimus, plerique laudatum fuiſſe a Juda Henochi Librum perſuaſi, faciles etiam authoritatem eidem libro conceſſerunt; vix enim alioqui in abſurdam illam opinionem deſcendiſſent, de Angelorum cum mulieribus concubitu, & Gigantum ortu e parentibus Angelis, &c. Si Librum hunc laudavit Apoſtolus, ajebant illi, germanum eſſe cenſuit; minimè enim Apoſtolus, Dei Spiritu ductus, id commiſiſſet, ut laudato impoſtoris teſtimonio, errandi occaſionem præberet Eccleſiæ. Nec ſanè illi fucum facere poterat Prophetæ ſive Patriarchæ nomen, fabulis Libro refertiſſimo impoſitum.

Fateamur tamen oportet, nunquam ab illis in Canonem receptum; quin & certum eos ubique conſtituere, ablegari illum a Canonicis Hebræorum & Chriſtianorum Libris. Tertullianus, inter potiſſimos ejus Libri aſſertores, diſertè aſſerit (*t*): *Scio Scripturam Henoch non recipi a quibusdam, quia nec in armario Judæorum admittitur.* Laudat identidem Opus illud Origenes, quin & doctrinam in nonnullis probare viſus eſt; fatetur tamen libro V contra Celſum: *Neutiquam pro divinis in Eccleſiâ habentur.* Alibi [*u*]: *Non videtur apud Hebræos in authoritate haberi.* Ac poſt laudatam ex illo ſententiam, addit (*x*): *Si cui placet admittere Librum ut ſanctum.* Hæreticos autem illi, ſive remotiſſimæ antiquitatis vitium culpabant, quòd is liber a Canonicis Libris ablegaretur; ſive id culpæ dabant levioribus quibusdam adjunctis, ad rem minimè ſpectantibus.

Tertullianus, omnium inter Veteres potiſſimus Operis hujus æſtimator, ſcriptum ſtatuit a Prophetâ Henocho, afflatu Spiritûs Sancti. *Hæc prævidens Spiritus Sanctus... præcinit per antiquiſſimum Prophetam Henoch* (*y*). Quòd autem a Chriſtianis inter Canonicos non reciperetur, hanc affert rationem: *Opinor, non putaverunt illam* (Scripturam), *ante cataclyſmum editam, poſt eam caſum orbis, omnium rerum abolitorem, ſalvam eſſe potuiſſe.* Quaſi ſcilicet fieri potuerit, ait Tertullianus, ut Noë, Henochi nepos, diluvio utique ſuperſtes, & ſervandæ avi ſui memoriæ, uti credere par eſt, ſtudioſiſſimus, quique illi in munere concionum ad populum habendarum ſucceſſerat, Scriptum tanti momenti & ad Religionem maximè neceſſarium negligeret. Quin & *Noë potuit*, addit Tertullianus, *eam* (Scripturam) *abolefactam violentiâ cataclyſmi in ſpiritu rurſus reformare. Quemadmodum & Jeroſolymis Babylonicâ expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram conſtat reſtauratum.*

Addit idem Tertullianus: *Cùm Henoch eâdem Scripturâ etiam de Domino prædicavit, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum eſt, quod pertinet ad nos;* eo magis quòd legimus, Scripturam, Divini Spiritûs afflatu dictatam, inſtruendis moribus eſſe aptiſſimam. Si Scriptum illud Judæi abjecerunt, nimis apertum de Chriſto teſtimonium illos avertit. Cùm tandem Apoſtolus Judas hunc librum teſtimonio ſuo comprobaverit, probandi illum neceſſitas nobis imponitur.

Hæc Tertullianus de authoritate divinâ ejus Operis, levia planè & nullius roboris. Eſto, potuerit Henoch Opus ſcribere ante diluvium; conſervare potuerit Noe; abolitum reparare potuerit, uti ab Esdra de Libris V. T. factum dicitur; quid inde? Jeſu Chriſti meminit Liber Henochi, Chriſtianorum Religioni favet; inſtituendis moribus

(m) *Additam. ad Libr. Juchaſim*, p. 134.
(n) *Schem Tob in Lib. Emunoth*, par. 3, c. 4.
(o) *Vide Fabric. Apocryph. V. T.* pag. 208, 209, not.
(p) *Vide Druſ. de Henoch; & Grab. Spicileg. PP.* tom. 2, p. 355, not.
(q) *Antiquit.* l. 1, c. 4, p. 8.
(r) *De Bello*, l. 7, c. 25, p. 981.
(s) *De Bello*, l. 2, c. 12, p. 786.
(t) *De cultu fœmin.* lib. 1, cap. 3.
(u) *Orig. in Num.* xxxiv, *hom.* 28.
(x) *Idem in Jo.* t. 8, pag. 132, *Edit. Huet.*
(y) *De cultu Fœmin.* l. 1, c. 3.

Digitized by Google

ribus valet plurimùm, quid inde? Judas librum probat: id verò demonſtrandum eſt. Probat ille quidem laudatam a ſe prophetiam, ſed reliqua ejusdem Libri fortè nec vidit unquam.

Boulducus Cappuccinus plus etiam aliquid quàm Tertullianus evincit; authoritatem enim hujus Libri reſtituere, eamque e tenebris eductam in luce conſtituere aggreditur. Vocat in auxilium veteres Patres, qui Opus non ſine honoris elogio laudantes, Authoris tamen mentem non ſatis, ut ille quidem ait, aſſecuti ſunt. Veniam rogat Hieronymum & Auguſtinum, ſi quod illi corruptum, ſuppoſitum, vel confictum putarunt, ipſe contra demonſtret allegoricum eſſe Opus, quo ſub verborum emblemate Scriptor ſimpliciſſimam hiſtoriam narrat, nec obſcurè a Moyſe expreſſam. Vigiles ſive Angeli e Cœlo dilapſi, mulierum amore capti, factâ a Deo diſceſſione, parentes Gigantum, authores veneficiorum, & immodici fœminarum cultûs, fuci, armorum, auri, & argenti; Vigiles, inquam, illi ipſiſſimi ſunt *filii Dei* apud Scripturam (z), poſteri Sethi & Enoſi, qui naturæ arcana pervadentes, ſcientiâ abuſi ſunt decipiendis puellis filiabus hominum, nempe e Caini poſteris.

(z) *Geneſ.* vi, 4.

Filii Dei, Angeli cœleſtes, vitam Monaſticam ſub Cainano & Enoſo profitebantur; cujus rei merito Angelis fermè pares, e tanto demum virtutis culmine excidentes, profeſſionem ſuam deſeruerunt, ductis uxoribus, quarum erant mores corruptiſſimi. Nati ex illis Gigantes, nempe ſuperbi illi homines, qui impietate & licentiâ paterna etiam crimina ſuperavere. Principes Vigilum, Patres ſunt utriusque Ordinis, Cinæorum nempe & Enoſiorum, qui apoſtaſiæ crimine irretiti, ſubjectos ſibi Monachos eâdem contagione vitiarunt.

Hæc allegoricæ hujus hiſtoriæ veritas a Patriarchâ Henocho ſcriptæ, & in Arcâ unà cum oſſibus Adami protoparentis, a Noë nepore ſolerti curâ ſervatæ. Fortè tamen non omnia, quæ in ejus Libro leguntur, Henochum habent Authorem; ſed ea, quæ ad tempus poſt ejus translationem ſpectant, Noë eodem afflatus Spiritu ad inſtitutionem poſteritatis cenſuit adjicienda.

In hoc ſyſtemate excogitando pompam ingenii exhibuiſſe Boulducum, facilè omnes concedunt; ſed de veritate, non de ingenio eſt quæſtio. Veritati autem aſſerendæ ſolidiora argumenta deſiderantur. Nihil eſſet utique certi in Sacrâ Scripturâ, datâ hac viâ, ſive ut hiſtoriæ vertantur in allegoriam, ſive ut allegoriæ in hiſtoriam. Si conſtaret, Librum Henochi nomine inſcriptum Sacrum eſſe & Canonicum, hanc deflectendi in allegoriam abſurda quæque in illo expreſſa rationem probaremus: ita enim fieri ſolet, ſiquando minùs accuratæ quædam & populares locutiones in Sacris Libris occurrunt. Sed Opus hoc nunquam inter Canonica recepit vel Eccleſia vel Synagoga: cur igitur hiſtoriam fide indignam obtrudere laboramus, ut indigno authoritate Libro authoritatem conciliare conemur?

Si Judæi tamquam Canonicum Opus illud recepiſſent, maximo erga illud obſequio utique tenerentur; laudaſſent Sacri Authores, nec ignoraſſent Joſephus, & Philo. Quid non indagaſſent de charactere & ſermone, quo primùm fuiſſet ſcriptum? qua ratione & per quem ad nos perveniſſet? Origenes, Euſebius, & S. Hieronymus, qui archetypos Sacrorum Librorum textus diligentiſſimè ſcrutati ſunt, cur Textum Henochi neglexerunt? Eccleſia, qua tenetur obſervantiâ erga Henochum & Judam, nunquam in ſitu ſqualere illum permiſiſſet, ſi tanto nomine dignum exiſtimaſſet. Invidiam utique in S. Spiritum crearet, ſi quis auderet illi tam abſurdum, tam futile, atque erroribus ſcatens Opus adſcribere.

Nec ingenui eſt hominis, ſi quis authoritate & nomine Judæ, locum ex Henochi libro excerpentis, abutatur. Profanos Vates, & Libros apocryphos laudavit Paulus: quis unquam ſcripta illa cenſuit conſecranda? Laudat ille Aratum (a), Menandrum [b], Callimachum ſive Epimenidem (c), excerpit quædam e Libro apocrypho Eliæ (d): *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Et ad Galatas VI, 15: *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura;* quæ verba e revelatione Moyſis deducta ſunt. Et ad Epheſios, V, 14: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus;* quod legitur in apocrypho Jeremiæ. Nec tamen inde collegeris, apocrypha hæc ſcripta canonicam habere & divinam authoritatem; ſed Spiritus Sanctus loquens in Apoſtolo, illum moderabatur, ut vera a falſis ſecerneret. Nec aliud nos accipere uti ſacrum cogimur, niſi quod Apoſtolus in ſua ſcripta transferens quodammodò conſecravit (e). *Qui putant totum Librum debere ſequi eum, qui Libri parte uſus ſit, videntur mihi & apocryphum Henochi, de quo Judas in Epiſtolâ ſuâ teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ Scripturas recipere, & multa alia quæ Apoſtolus de reconditis eſt locutus.* Hæc S. Hieronymus.

(a) *Act.* xvii, 28.
(b) 1 *Cor.* xv, 33.
(c) *Tit.* 1, 12.
(d) 1 *Cor.* ii, 9.
(e) *Hieron. in Epiſt. ad Tit.* c. 1.

Veteres quidam Patres, quibus grande illud nomen Henochi, & recitatum a Juda teſtimonium fucum fecit, Opus illud & laudarunt & probarunt. Si ex iis quidam Canonicis Libris æquare illum viſi ſunt, laudanda eſt mens doli minimè conſcia, lau-

dan-

Digitized by Google

danda obſetvantia erga nomina Judæ & Henochi, de qua nequid remitterent, ab expendendâ regulis criticis veritate abſtinuerunt. Erraruut in facto, non in dogmate; nec ex eorum errore quidquam colligendum eſt. Nemineni fote arbittot noſtrâ ætate, qui aſſerere hunc Henocho Librum audeat; ſi autem alterius eſt ab Henocho, impoſtoris eſt, cui fides prorsùs detrahenda, niſi fortè ex eo nonnulla ab Authore aliquo inspirato, ramquam a falſis vera ſegregante, probentur.

Cavendum eſt nobis de cætero, ne totam antiquitatem in favorem ejus Operis verſam arbitremur. Doctiſſimi inter Pattes ſtudii nihil, contemptûs plurimum erga illud exhibuerunt. Origenes, uti ſupra animadvertimus, nec recipi ab Eccleſiâ illud nec a Synagogâ teſtatur. S. Hilarius [*f*] frigidè ſatis de illo: *Neſcio cujus Liber extat*. Hieronymiaſter (*g*): *Manifeſtiſſimus Liber eſt, & inter apocryphos computatur*; ex eo autem ſententiam ſe produxiſſe dicit, *non in authoritatem, ſed in commemorationem*. Vitio tandem vertit Origeni, quòd eo Libro apocrypho uſus ſit, hæreſibus ſuis aſſerendis. S. Hieronymus [*h*] agens de Epiſtolâ Judæ: *Quia de Libro Henoch, qui apocryphus eſt, in eâ aſſumit teſtimonium, a pleriſque rejicitur*. S. Auguſtini mentem ſupra vidimus; conſuetâ enim ſapientiâ & moderatione ita de illo differit [*i*]: *Quorum ſcripta ut apud Judæos & apud nos in authoritate non eſſent, nimiu fecit vetuſtas, propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta, ne proferrentur falſa pro veris*. Criticorum doctiſſimi noſtrâ ætate minùs etiam quàm Patres huic libro favent.

(f) In Pſal. cxxxii, 3.
(g) In Pſal. cxxxii, 3.
(h) De Script. Eccl. cap. 4.
(i) De Civit. lib. 17, cap. 38.

Si quis autem ex me quærat, cuinam Authori ſit tribuendus: Repono ſtatim; non Henocho, Noëmo, vel Sacro alicui Scriptori; non Judæo alicui, diu ante Jeſu Chriſti ætatem ſcribenti; non Helleniſtæ, qui Græcis litetis illum tradiderit. Impoſturam credimus viri Chriſtiani ex Judæis, qui Græcè ſcripſerit, juxta receptas vulgò apud ſuos traditiones; adjectis nonnullis ad Jeſum Chriſtum pertinentibus, ut Judæis fratribus ſalubri mendacio faveret. Quod plus nimio Chriſtianiſmum redoleret, ideò a Judæis rejectum Opus ſuſpicatur Tertullianus (*k*): *A Judæis poteſt jam videri rejecta* [*iſta ſcriptura*] *ſicut & cætera quæ Chriſtum ſonant*.

(k) De cultu fœmin. lib. 1, cap. 3.

Sunt equidem in Teſtamento duodecim Patriarcharum fragmenta plura ejus Libri, quæ Chriſtianum Scriptorem ſanè produnt. In Teſtamento Levi: *in Dominum manus imponentes in omni malitiâ, & confundentur in vobis fratres veſtri, & omnibus gentibus fietis illuſio*. Et paulò infra: *Virum, renovantem Legem in virtute Altiſſimi, erroneum appellabitis. Et in fine, ut æſtimabitis, occidetis eum, neſcientes ipſius reſurrectionem, innocentem ſanguinem in malitiâ ſuper capita veſtra recepturi. Propter ipſum erunt ſancta veſtra deſerta uſque ad pavimentum profanata, & non erit locus veſter mundus; ſed in gentibus erit maledictio, atque diſperatio unget vos, donec ipſe rurſus viſitabit, & miſerens recipiet vos in fide & aquâ*.

In Teſtamento Nephtali: *Impiè agent, & diſperget eos Dominus ſuper faciem univerſæ terræ, uſquequo venerit miſericordia Domini, homo faciens miſericordiam & juſtitiam in omnes, qui longè ſunt, & qui propè ſunt*. In Teſtamento Benjamin: *In parte veſtrâ fiet Templum Dei, & glorioſum erit in vobis. Quoniam ipſe Dominus accipiet Regnum, & duodecim Tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, uſquequo Altiſſimus mittat ſuum Salutare in viſitatione Unigeniti. Et ingredientur in primum Templum*, [fortè in anteriorem partem Templi] *& illic Dominus injuriam patietur, & contemnetur, & ligno exaltabitur. Et erit velum Templi ſciſſum, & deſcendet Spiritus Domini ſuper gentes, ut ignis effuſus eſt. Et aſcendet ex Inferno, aſcendet a terrâ in Cœlum. Recordabitur quàm fuerit humilis in terrâ, & quàm glorioſus in Cœlo*.

Sola horum locorum inſpectio Chriſtianum Authorem ſatis demonſtrat; datur etiam ſuſpicandi locus, ipſiſſimum eſſe Teſtamenti duodecim Patriarcharum Scriptorem, quòd poſtremi hujus Operis Author in laudandis Libri Henochi teſtimoniis ſolertiam plus nimio affectet. Stili utrobique affinitas, barbaries, & ruſtica Helleniſtæ locutio, Hebraiſmi frequentes utrobique, quibus vix unquam deſueſceret Scriptor Judæus. Spectare hic licet traditiones & dogmata Synagogæ; Jeſum Chriſtum, ejus adventum, paſſionem, mortem, reſurrectionem, ad Cœlum aſcenſionem, ad Inferos deſcenſum, S. Spiritûs illapſum, Templi Jeroſolymitani excidium, diſperſionem Judæorum, & æternum illud opprobrium, quo florentis olim populi facies in pœnam necis Jeſu Chriſto illatæ obducitur; hæc autem omnia hiſtoricè magis quàm propheticè expreſſa. Scripta hæc igitur credimus poſt factum a Chriſtiano quodam Authore, zelo quidem, ſed non ſecundùm ſcientiam, flagrante. Chriſtiana enim Religio nihil habet cum piis hiſce fraudibus, ſolâ ſui veritare ad homines pelliciendos ſatis pollens. Aliam inierunt viam Apoſtoli in Evangelii prædicatione: metu enim poſito, Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum prædicarunt (*l*), *Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; Dei virtutem & ſapientiam illis, qui fidei donum receperunt*. Si ergo Judas legit Henochi Librum, hic paulò ſanè poſtquam ſcriptus eſt in ejus manus devênit; non enim ejus ætatem conſtituendam cenſemus, niſi poſt Templi per Roma-

(l) 1 Cor. 1, 23.

Romanos everſionem; qua pariter everſione multò recentiorem Epiſtolam Judæ non arbitramur.

Præter Librum Henochi, de quo hactenus, & triginta illa volumina, miſſa, uti quidem ferunt, a Deo ad Edrim, ac cæteros Aſtronomiæ Libros, quos Henocho ſupponunt Judæi, & de quibus nos egimus ſupra; ſub ejus nomine Æthiopes volumen ſervant, de quo hic aliqua libanda, nequod ex Operibus tanto viro adſcriptis prætercam. Gaſſendus in vitâ Peireſcki refert, Virum illum doctiſſimum, cùm intellexiſſet a P. Ægidio Lochienſi Cappuccino, qui plures annos egerat in Ægypto, ſervari in eâ regione Librum Henochi, literis Æthiopicis ſcriptum, Europæis noſtris prorſus incognitum, nec ſumptibus nec labori peperciſſe, ut illo potiretur. Poſt ejus obitum, tranſiit codex ille in Bibliothecam Cardinalis Mazarinii, ac deinde in Regiam, in qua theſauri loco ſervatur.

Ludolphus Lutetiam veniens (m) anno 1683, codicem obſervavit, cujus ille famam audierat, atque Authorem Operis prodidit Bahadam Michaëlem; eſſe autem aſſeruit Librum fabulis refertiſſimum, illi prorſus ſimilem, qui ſub Libri Henochi nomine laudatur a Syncello; quod poſtremum Opus Michaël ille & excerpſit, & fabellis de ſuo plurimis auxit; ita, v. g. catalogum longe majorem inſtruit pernicioſiſſimarum artium, quas diſcipulis hominibus perduelles Angeli tradiderunt.

(m) *Comment. in hiſtor. Æthiop. pag.* 347.

Legitur ibi pariter ſingularis Lucubratio de ortu Henochi, cujus Author inducit Angelum de myſterio SS. Trinitatis ita differentem, veluti ſi Theologus aliquis doceret: pertinentia ad iſtud myſterium loca quædam Scripturæ explicat; ex quo conjectura non levis Chriſtianum Authorem prodit. Poſt hæc omnia refert certamen a Michaële cum Setnaële Principe Dæmonum. Rideas profectò ad hiſtoriam duorum Imperatorum, ſubditarumque copiarum.

Setnaël procerus eſt centum millibus Angelicorum cubitorum, vaſtiſſimum præfert oris hiatum XL cubitorum, faciem habet ita longam, ut diurni itineris viam æquet, utriusque oculi ſupercilia intervallum duorum itineris dierum diſterminat; caput aſſurgit in montem celſiſſimum; oculos habet ita enormes, ut vertendis illis ſeptem dierum ſpatio ſit opus; fluvium evomit ex ore cùm expuit. Hoc ſpecimen Libri Henochi, quem Peireskius tanto molimine ex Ægypto procuravit.

Ex dictis ſtatuendum eſt, primò nullum facilè ſcriptum eſſe ab Henocho librum; vel fanè nullum eorum, qui ſub ejus nomine laudantur, illi deberi. II, Nihil certi aſſeri poſſe, ſententiam, quam ſub nomine Henochi laudat Judas, e Libro Henochi, cujus ſuperſunt fragmenta, decerpſerit; an potiùs Libri Author e loco Judæ ſtruendi Operis ſumpſerit occaſionem. III, Librum Henochi non antea ſcriptum, quàm poſt everſionem Templi Jeroſolymitani per Romanos, nempe poſt annum LXX J.C. IV, Authorem illius eſſe Chriſtianum ex Judæo; nec facilè alium a Scriptore Teſtamenti duodecim Patriarcharum. V, Opus illud nunquam in Canonem Judæorum vel Chriſtianorum receptum fuiſſe. VI, Nihil certi affirmari poſſe, an Judæi Opus illud agnoverint, alterius enim eſſe argumenti videntur Libri Henochi, de quibus in Libris Zohar & Inchaſim, ac Rabbinicis, alterius, inquam, ab Opere, cujus fragmenta leguntur apud Patres Græcos & Latinos. VII, Vetuſtiſſimam obtinere apud Orientales traditionem de Henocho, tamquam primo Librorum Aſtronomiæ Authore; ex quo factum, ut ſub ejus nomine Libri plures vulgarentur. VIII, Tandem Librum Æthiopicum ex Ægypto allatum, recentiorem eſſe impoſturam, contemptu dignam & oblivione.

FINIS.

Digitized by Google

I N D E X

Rerum ac Verborum, quæ octavo & ultimo tomo continentur.

A

Aron ab ipſo Deo ad ſacrum miniſterium vocatur, 400.

Abaddon infernum vel Dæmonem ſonat, 879.

Abba, quid, 97.

Abel, ejus fides, ſacrificium, ejusque ſanguis poſt mortem loquitur, 436.

Abraham fœdus cum Deo init, 80. Num de veritate promiſſionum ſibi exhibitarum dubitaverit, 72. An ſine divino prodigio gignere Iſaacum potuerit, 73. Quanta fide præſtiterit, *ibid.* 69. An Deus vim gignendi illi divinitus conceſſerit, vel non utequaque impos, ſed quoad corpus ſene tantummodò fuerit, 73. An de promiſſionibus Dei ambigens quæſierit, num Iſmaelem hæredem ſuum habiturus eſſet, *ibid.* Fides illi ad juſtitiam imputatur, 341. Juſtitiæ ſuæ veluti ſigillum Circumciſionem accepit. Quid hoc ſignificet apud Apoſtolum, 71. Filii ejus ſecundùm carnem non continuò & fidei ejus hæredes ſunt, 306. Pater eſt multorum gentium ſecundum ſpiritum, & ſecundum carnem, 73. In ſpem contra ſpem credidit, 76. Ante vocationem ſuam idola coluit, 69. Juſtitiam aliter quàm ex operibus accepit, 70. Fides ejus in Chriſtum, ex qua Fidelium omnium tum ex Gentilibus cùm ex Judæis pater effectus fuit, 70. Quo ſenſu mundum in hæreditatem obtinuerit, 71.

Abraham, quomodo ex fide juſtificatus, 706. Non tamen abſque bonis operibus, *ibid.* Quàm gratus Deo, *ibid.* Qui fidem ejus imitantur, iidem & filii ejus germani, 342. Fœdus cum Deo init, 364. Genus ejus ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum, *ibid.* Exhibitæ illi promiſſiones ad filios ejus ſecundum fidem tantummodo pertinent, *ibid.* Fœdus illud lege non ſolvitur, *ibid.* Duo ex illo filii, alter ex ancilla, ex ingenua alter, ex ille Judæi carnales; ex hoc Chriſtiani, divinarum promiſſionum hæredes, 370. Duo filii, duo Teſtamenta, *ibid.* Fide inductus patriam deſeruit, 437. Ejusdem fidei beneficio Iſaacum accepit, 438. In Fide mortuus eſt, *ibid.* Per eamdem fidem Iſaacum immolare aggreſſus eſt, 439.

Abſciſſio, ſive mutilatio plena, quam Paulus Pſeudo Apoſtolis optat, 374.

Abſtinentia ſpontanea & religioſa, permiſſa & approbata in Eccleſia, 134.

Abſtinentia, carnis macerationes apud Chriſtianos, Judæos, Ethnicosque uſitatæ, 448.

Acceptio perſonarum. In vocatione hominum ad fidem Deus perſonarum acceptor non eſt, 430. Perſonarum acceptio in Eccleſia vitanda, 700.

Achaicus ab Apoſtolo Corinthiis commendatur, 251.

Acta Congregationis de Auxiliis. Innocentius X haberi illis fidem vetat, 22.

Acta ſuppoſititia Pauli, 5.

Acta laudabilium an mala, 139.

Actio gratiarum a Paulo commendatur, 432. Gratiæ Deo in omnibus agendæ, vel in adverſis, 433. Chriſtianis nunquam non vivendum in gratiarum actione, 437.

Adadremmon, locus celebris obitu Juſiæ, cujus luctus in proverbium abiit, 907.

Adam, primus homo ab uxore decipitur, 506. Ejus peccatum jam inde ab æternitate prævisum, 730. Ejus contumacia potiſſima peccandi cauſa, quin & totum ejus crimen fuit, 81. Mortem in poſteros omnes induxit, Chriſtus verò gratiam reſurrectionis nobis omnibus promeruit. Quo ſenſu Chriſtus nobis omnibus vitam contulit, 241. Adami cum Chriſto comparatio, 76, 79, 246. Sicut imaginem Adami terreſtris portavimus, ita & in imaginem cœleſtis, id eſt Chriſti, formari nos oportet, 248. Quæ ſit præſtantia doni e Chriſto nobis collati ſupra ea quæ Adami peccatum in nobis peperit, 79.

Admirari pro aſſentari, favere, juſtitiam agnoſcere, 815.

Adoptio Judæorum imperfecta cur dicitur, 104.

Adventus Chriſti quando & quomodo continget, 843. Primus & ſecundus adventus, *ibid.* Quantum diſtet, 718. Adventus Chriſti quid ſit apud Apoſtolum, 520. Chriſti extremum adventum ad certam diem definire, inaniter laboramus; eſt enim dies illa hominibus ignota, ſed expectanda ſollicitè, 471. Noviſſima illa dies inopinatò veniet, *ibid.* Adventus glorioſi Jeſu Chriſti dies lucerna, 481. Dies caſus Judæorum perinde interdum ac dies adventus Chriſti memoratur, *ibid.*

Adverſarii. De adverſariis ultio non ſumenda, ſed potu ciboque reficiendi ſunt, 118. Beneficiis vincendi, 129.

Adulteria, alterum ſpirituale, alterum corporale, 850.

Adulterium quid myſticè ſignificet, 703.

Advocatus apud Patrem eſt Chriſtus Jeſus, 780.

Ædificare, ſive *ædificatio*, quid ſit apud Apoſtolum, 404.

Ædificium Chriſtianæ perfectionis quomodo conſtruendum, 603.

Ædificium ſpirituale, cujus architectus in Eccleſia Corinthiorum Paulus ſe præbuit, 174, 175. Pſeudo-Doctores ædificii hujus fundamentis ſtipulas & ligna ſuperſtruunt, *ibid.* Hujus ædificii nos lapides ſumus, 733.

Ænigma. Res æternæ velut in ænigmate nobis hic monſtrantur, 230.

Aer Dæmonibus infeſtatur, juxta nonnullos, 389.

Ærumnæ turbare nos minimè debent, 461. Illis perferendis nos omnes deſtinati ſumus, *ibid.* Gaudium Chriſtianorum cur ſint, 74.

Æs Corinthium, quibus conſtet; an iis quæ fama prodit, 845. Erat olim quoddam auro pretioſius, *ibid.* Æris hujus genere tela, *ibid.*

Æs Livianum cur ſic dictum, 848.

Ætas plenitudinis Chriſti. Ætas perfecta Chriſtianiſmi, quid, 400.

Agnus immolatus ab ipſa Mundi conſtitutione, quid ſit, 895. Agnus in monte Sion Chriſtus eſt, 898.

Agnus immolatus, id eſt Chriſtus. Quid illi debeatur, 863. Quomodo divinitatem, ſapientiam, & poteſtatem promeruerit, 864. Quid ſit, in ejus ſanguine ſtolas Sanctorum lavari, 872. Poſtea autem erit, *ibid.*

Agon, in quo decertaſſe ſe ait Apoſtolus de victoria ſecurum; quibus verbis deſignet, vitam Chriſtianam curſum quemdam agonalem eſſe, 206, 207.

Alaricus Italiam excurrit, Romam capit, & Arianus licet Catholicos tuetur, & Eccleſias ſervat, 905. Romam omniſi invitus evertit, 908.

Alexander Morus de baptiſmo pro mortuis quid ſenſerit, 159.

Alexander VII hortatur, ut in diſceptationibus de gratia & prædeſtinatione S. Auguſtini doctrina teneatur, 23.

Alpha & Omega de Patre, ac de ipſo pariter Filio accipienda ſunt, 843.

Alphabetum. Elementares literæ pro numericis notis uſurpatæ, 310.

Altitudo, profundum, dejectio, elatio, perdendis Electis nihil valent, 103.

Amalarius Trevirenſis Diaconus in Ratramnum ſcribit. Judicium de eo, 54.

Ambitioſi inter Eccleſiaſticos ægrè ſalutem aſſequuntur, 706.

Amare. Si proximum diligamus, eo argumento noſcere nos & diligere Deum demonſtramus, 797, 798.

Ambulare in via Dei, 466. Ambulare dignè Deo eſt, officia omnia Chriſtiani implere, 462.

Ambulare in carne, quid, 287.

Amen, vox, qua populus apud Hebræos precationes claudit. Quanta hujus ſit vis. Eccleſia Chriſtiana ex Judæis illam accepit 233, 234. Pro locutione affirmantis in Scriptura uſurpatur, 843. Significat & teſtem fidelem, 857.

Ammonius quid ſenſerit de Gentilium ſalute, 33.

Amolo Lugdunenſis Archiepiſcopus in Gotheſcalchum ſcribit, 14. Cujus propoſitiones plurimas cenſura notat, 15. De prædeſtinatione quid ſenſerit, *ibid.*

Amor. Duo amores e S. Auguſtino diſtincti, 713. Amor zelotypiæ, *ibid.*

Amor Dei. Mandatum de diligendo Deo novum minimè eſt; quamquam & novum dici poteſt, 783. Cum mundi amore conſtare non poteſt, 785. Viciſſim autem a dilectione proximi eſt indiviſus, 793. Conſiſtere ſe in amore Dei, 820. In Cœlo autem potiſſimum fiet, ut Deum perfecto amore diligamus, 830.

Amor Jeſu Chriſti erga nos. Optat Apoſtolus, ut Epheſii hunc amorem probè noſcant, 397.

Amor malus, prava animi affectio eſt, quam Ethnici probro non ducebant ſibi, 467.

Amor proximi in præcepto Amoris Dei continetur, 132. Nunquam ſatis mandatum illud impletur, *ibid.* Amor proximi noſtri omnia erga illum officia complectitur; plenitudo Legis eſt, *ibid.* Non verbis ſed operibus exhibetur, 792. Cur præceptum de illo Deus dederit, 798. Dotes ejus, 738.

Amplias a Paulo ſalutatur commendaturque, quis, 147.

Analogia Fidei. Prophetia ad Fidei analogiam conformanda eſt. Regulæ ad dignoſcendas germanas Prophetias, 125.

Ananias Epiſcopus Damaſci, 296.

Anaſtaſius Papa e mortali hac vita revocatus a Deo, ne Romæ caſum cerneret, 915.

Anathema quid, 310. Vocis hujus ſignificationes variæ. Quo ſenſu Apoſtolus anathemate ſe devovari optarit pro fratribus, 104. Inter excommunicationes maxima eſt, 283. Nemo Spiritu Dei directus anathema Chriſto dicit, 213.

Andabatæ, athletarum ordo, clauſis oculis certantes, 207.

Androcles ad beſtias damnatus, liberatur, 41.

Andronicus & Junias, ſive *Julias*, neceſſarii Pauli. An viri ambo, ſeu vir unus, fœmina altera, 146. Quinam illi, *ibid.*

Angeli. Si de Cœlo Angelus aliud Evangelium annunciaverit, anathemati devovendus eſt, 351. Num Angeli hodie pariter homines decipere poſſint. Lex per Angelos lata fuit, 365. Quem in Hierarchia ordinem ſervent Angeli, ignoramus, 440. Chriſtus caput eſt omnium Poteſtatum cœleſtium & terreſtrium, 441. Cultum Angelorum ſuperſtitioſum Pſeudo-Apoſtoli invehunt, 447. Cultum Angelorum an noverint Judæi veteres, *ibid.* Noſcendi Angelos ſtudioſiſſimi fuerunt Judæi poſt captivitatem, *ibid.* Lex per Angelos lata fuit. Preces Angelis exhibitæ. Nomina Angelorum ab Eſſenis ſtudioſè ſervata. Chriſtiani de cultu Angelis impenſo accuſati, *ibid.* Judæi per Angelos jurabant. Cautum, ne Chriſtiani Phrygiæ & Piſidiæ cultum ſuperſtitioſum Angelis impenderent. Chriſtus in media Angelorum in ſupremo Judicio prodibit, 466 & 480. Quomodo Incarnationis Myſterium Angeli noverint, 507. Cur Apoſtolus nomine bonorum Angelorum electos nuncupaverit, 516. Melchiſedech Angelus non erat, 582. Angelorum natura & miniſterium, 585, 588. Chriſtus pro Angelis perduellibus mortem non tulit, 528. Quomodo inter ſe loquentur, 628. Satan in Angelum lucis ſe transfiguret, 293. Num Angeli doleant vicem ſuam, quòd regimini mortalium hominum deſtinentur, 98.

Angeli boni malique miniſterium Deo irato ac æquo præſtant, 871. Numero ſunt infiniti, 864. Coram Dei ſolio ſtantes Deum laudant, 872. Cur apud Joannem ſeptem Angelorum numerus nunquam non definiatur, 901, 902. Quibus induti veſtibus videndos ſe plerumque præbeant, 908. Cur videre Chriſtum deſiderent, cùm illum ſemper videant, 789. Quanta ſit bonorum Angelorum erga malos moderatio, 768, 881. Cum ingenti Angelorum ſatellitio Deus ad judicandos homines veniet, 824. Pravorum Angelorum lapſus, & pœna, 820. Carnali amore non tenentur, *ibid.*

Angeli boni pravique Dei voluntatem ac prædeſtinationem erga electos impedire nequeunt, 103.

Angeli Eccleſiarum præſides, & cœtuum religioſorum, 217. Angelorum nomen deſignare etiam poteſt pravos Angelos, qui in peccatum trahere nituntur; ſive Principes Eccleſiarum, coram quibus velatas adeſſe mulieres Apoſtolus jubet, *ibid.*

Angeli, utrùm ſermone utantur, 228.

Angeli ſuperbi pœnas criminis luunt, 766. Lapſus eorum & ſupplicium, *ibid.* In Angelos malos judicium exercebunt Fideles, 187.

Angelus Exterminator, Hebræos murmurantes omnes peremit, 210. Idem ita Dei in extremo Judicio miniſter erit, 871.

Angelus ignis eſt Angelus belli, 901. Alia nominis hujus explicatio. Quem Angelum & quomodo adorare Joannes voluerit, 819. Angelus Abyſſi, malus dæmon, 879.

Angelus Satanæ, qui Apoſtolum colaphiſavit, 298, 299.

Anglia erroribus Pelagii & Cæleſtii infecta, a Lupo Trecenſi, & Germano Altiſſiodorenſi purgatur, 51.

Anima, quando corpori reſtituetur, 344. Immortalitatem animorum ex Profanis Philoſophis quidam crediderunt, 408. De animæ poſt mortem ſtatu. Quid ea de re Patres ſenſerint, 867, 868. Nihil ab Angelo & a Dæmone differre illam, Philo ſcribit, 6.

Animalia quatuor, de quibus in Apocalypſi, quænam. Deſcribuntur, 860, 861. Ferociſſima quæque domantur, 709. Animalia munda ab immundis ab antiquiſſima ætate diſcreta. Hujus ritualis Legis quàm modica utilitas, 448.

Anna, filia Phanuelis, viduarum egregium exemplar, 513.

Annæus. Lugere Annæum, proverbium vetus. Quid ſignificet, 228.

Annulus aureus, dignitatis inſigne, 701.

S. Anſelmus. Qui illi inſcribitur Commentarius, alterius eſt, 311, 312.

Antichriſti jam plures venerunt, 785. Quomodo, ſi venerint, vitandi, 786.

Antichriſtus quid, 315. Antichriſti plures, *ibid.* Quando cœpit, 316. Commentum de illo *ibid.* Variæ de illo ſententiæ, *ibid.* Deſcriptio, 353. Plura Scripturæ loca illi accommodata, *ibid.* ac Apocalypſeos præſertim, & Danielis, 317, 318. Ejus nomen & natura, 310. Tempus, 321. Quid ea de re Patres, *ibid.* &c. Quid Recentiorum plures, 322. Origo ejus, ortus, & educatio, 323. Parens uterque, 324. Hypocriſis, 325. Imperium, bella, exitus, 325, 326. Qui ejus milites, 328. Adverſarii, *ibid.* Religio ejus, *ibid.* Miracula, 327. Regni diuturnitas, *ibid.* Mors, 318. An Judicium extremum præventurus ſit, *ibid.* Pluribus præſagiis figuriſque præſignandus, 476. Typi ejus fuerunt C. Caligula & Simon Magus, *ibid.* Homo peccati, & filius perditionis eſt, 482. Extollet ſeſe ſupra Numina, colendumque ſe obtrudet, ſedebitque in Templo Dei, 482. In Meſſiam agnoſcetur, *ibid.* Quænam ſit cauſa, cur ille differatur, 483. Utrum gentium apoſtaſia, an potius Dei decretum, *ibid.* Chriſtus halitu oris ſui illum diſperdet, 484. Artes quibus ad fallendum utetur, 485. Quid ille in Chriſtum molietur, 925. Quomodo ab illo evertetur, *ibid.* Inimicus Dei eſt, 786.

Antimchomorus. Ejus hiſtoria, 315, 316.

Antiochus Epiphanes, typus Antichriſti, 517. Populum Dei laceſſivit, *ibid.*

Antiſtites Eccleſiaſtici quanta veneratione, obſequio, & amore proſequendi, 478. Illis inhærendum, *ibid.*

Antipas, pro Fide martyr Pergami obiit. Ejus Acta ſuſpecta, 850, 851.

Antropophagi, hominum voratores, 349.

Anxietas de rebus ad vitam neceſſariis, ne ſollicitet nos monet Apoſtolus, 433.

Apelles, an idem ac Apollo. Ubi Epiſcopus, 147.

Apocalypſis. Præfatio in Apocalypſim, 818. Variæ de ea ſententiæ, *ibid.* Encomium libri, *ibid.* Obſcuritas, *ibid.* Explicandi difficultas, 819. Explicationis compendium. Non omnia in ea ſunt prophetice, *ibid.* Varii commentariorum ejus Scriptores, 830. Inſtitutum Authoris hujus Commentarii, 830, 832. Apocalypſis Author, & authoritas, 833. Locus, tempus, & lingua, qua deſcripta fuit, 834. De ſtylo judicium, 835. Artificium, & elegantia, *ibid.* Argumentum Operis, 836. Synopſis, 836, 837. Pſeudo-Apocalypſis adſcripta S. Joanni 838, S. Petro, *ibid.* S. Paulo, *ibid.* S. Cæcilio, 832, S. Thomæ Apoſtolo, *ibid.* Apocalypſis quid ſignificet, 840. Chriſtus ejus author, Joannes minus deſcriptor, qui ab Angelo ſibi exhibito illam accepit, *ibid.* In illa ſunt certiſſima omnia, tum & graviſſima, 841. Legenda eſt, & quæ legeris ſedulò ſervanda ſunt, *ibid.* Ad quos data, *ibid.* An tota una die exarata, 844. Quæ in illa continentur oracula, ad Fideles & Gentiles pertinent, 883.

Apocalypſis Moyſis, unde Paulus ſententiam quamdam accepit, 379.

Apollo, an Epiſtolam Pauli ad Titum tulerit, 545. Vir eſt alias notiſſimus, 516.

Apollo. Oraculum Apollinis Socratem viſum fuiſſe omnium mortalium ſapientiſſimum pronuntiavit, 36.

Apollo Chriſti Diſcipulus commendatur, 283, 284. An miſſus ad Corinthios ad eleemoſynas colligendas, *ibid.* Quæ Paulus plantavit, Apollo rigavit, 274. Diſſidium ipſius cauſa apud Corinthios, 265. An ejus rei gratia in Cretam Inſulam ſe receperit. An primus Corinthiorum Epiſcopus, *ibid.* Rogatus ab Apoſtolo peteret Corinthum, proficiſcendum ad non cenſuit, 250. An deinde perrexerit, *ibid.*

Apollonius Thyanæus divinos honores ab hominibus obtinuit, 683.

Apollyon eſt Infernus, Dæmon, 872.

Apologia adverſus calumnias optima eſt optima vitæ inſtitutio, 736, 741.

Apologiſta Religionis Chriſtianæ illam adverſùs calumniatores propugnant, 741.

Apoſtaſia quid apud Apoſtolum, 508, 509. Quæ Chriſti adventum præceſſura eſt, num ſtatuenda ſit in defectione gentium ab imperio Romano, an potius in abdicatione fidei ab Antichriſto procurata, an denique in hæreticorum ab Eccleſia diſceſſione, 461.

Apoſtoli. Apoſtolorum authoritas & munus, 442. A Deo deſtinati ad regimen Eccleſiæ, 400. Quinam fuerint ante converſionem, 353. Fundamenta ſunt, quibus Eccleſiæ ædificium ſuperſtruitur, 393. Interdum Preſbyteri appellantur, 456. Delecti a Deo, quamquam ineptiſſimi videbantur, 168. Primas in Eccleſia Chriſti tenent. Decora eorum, 227. Miniſtri Chriſti ſunt, & diſpenſatores Myſteriorum Dei, 178. Dei quoque cooperatores, 274. Theſaurum miniſterii Evangelici in vaſis fictilibus cuſtodiebant, 267. Mala quæ exantlarunt. In paupertate ſua ditabant plures, 274. Apoſtolorum poteſtas in impios, 288. Miſerrimi omnium fuiſſent, ſi nullam præterquam Mundi ſpem habuiſſent, 241. Perpeſſiones & mala quæ ſuſtinuerunt, 180. Spectaculum facti hominibus & Angelis. Cur Angelis, *ibid.* Sacrificium Deo prædicatione & apoſtolicis laboribus obtulerunt, 648. An interpretibus uterentur, 260. Bonus odor Chriſti fuerunt, 261. An apud Inferos poſt mortem prædicaverint, 34. Docebant voce, adeoque ſcriptis parciſſimi fuerunt, 622.

Pſeudo Apoſtoli Evangelii doctrinam tamquam ſimplicem contemnebant, 443. Quem aliis injungere volebant Legem, parum ipſi ſervabant, 374. Circumciſionem Fidelibus idcò imperabant, ut perſecutionem ipſi vitarent, *ibid.* Orationem affectabant myſticam, ſublimem, elaboratam, 443. Apoſtolus illos arguit, & canes rabidos, malos operarios appellat, 487, 494. Malæ æmulationis & vexandi Apoſtoli gratia prædicabant, 489, 493. Ingenium eorum Apoſtolus pingit, 495. Inimici Crucis Chriſti ſunt, 430. Nullum Deum niſi ventrem, ignominiam ſuam pro gloria, ac denique pro fine damnationem habent, *ibid.* Gloriari in carne Galatarum volebant, 378. Nec Judæi erant nec Chriſtiani, atque id unicè ſtudebant, ne vexarentur, *ibid.* Operarii doloſi ſunt, 294. Ex laboribus aliorum proficiunt, 290. Aures illis non præbendæ, 277.

Pſeudo Apoſtoli apud Romanos ritus Legis inducere conantur, 6.

Apparitiones Chriſti ad Cepham, Jacobum, aliosque Apoſtolos, cum aliis fratribus quingentis, deinde ad Paulum, 238, 232. Ad Petrum poſt reſurrectionem, 314.

Apparitiones veteris Teſtamenti, Angelorum miniſterio peractæ, 365.

Appia, uxor Philemonis, cum viro martyrium tulit, 518. Paulus ſororem chariſſimam appellat, 560.

Appropinquare Deo quid ſit, 714.

Aqua, quam Moyſes e ſilice eduxit, Evangelicæ doctrinæ vel Sanguinis Chriſti typus, 209. Quomodo aqua illa Iſraelitas ſequeretur, *ibid.*

Aqua viva, quid, 928, 930.

Aquæ ſunt gentes & populi, 923.

Aqua maris quid in Apocalypſi, 904. Quomodo in ſanguinem verſæ, *ibid.*

Aquilas, Priſcæ maritus, 245.

Aquilas

Digitized by Google

Aquilas & Priſcilla, hoſpites Pauli Epheſi, Corinthios Fideles ſalutant, 453. Tota eorum familia chriſtiana erat, *ibid.*

Arbor vitæ, ejuſque fructus, typicè quid, 840.

Arcadius Imperator. Quot mala ſub Principe imperium afflixerint, 904. Gubernandum ſe Rufino commiſit, 905.

Arca fœderis, Evangelii Symbolus, 888.

Archippus, an Coloſſenſium Epiſcopus. Monet illum Apoſtolus, ut commiſſum ſibi miniſterium probe exſequatur, 456. Philemonem ab eo inſtitutum quidam putant, 558. Quiſnam fuerit, ejuſque Martyrium & dies feſtus, 560, 561.

Aretas Rex Arabiæ, Damaſci regnat, 296.

Arias Montanus de Baptiſmo pro mortuis quid ſentiat, 257.

Ariſtarchus ex Judæo Fidelis, Romæ captivus cum Paulo, 454. Res ab eo geſtæ, *ibid.* Amicus Philemonis, quocum pro Fide pertulit, 558, 564.

Ariſtobulus, ejus liber, 534.

Ariſtobulus. An frater Barnabæ, 247. An viveret quo tempore Paulus ad Romanos ſcribebat, *ibid.*

Arma iniquitatis; arma juſtitiæ, quid, 84. Exhibere membra ſua arma iniquitatis, *ibid.*

Arma juſtitiæ, quibus Apoſtoli & Sacri præcones muniuntur, 275.

Arma lucis, ſeu arma lucida, typicè quid, 238.

Arma militiæ ſpiritualis, 287.

Armagedon, locus vindictæ & cædis, 907. De hoc loco vaticinium, *ibid.*

Armatura Dei, quæ induimur, 410, 421.

Armillus nomen Antichriſti fictum, ejuſque hiſtoria, 3dd.

Arnobius. Egregia ex eo ſententia, 499.

Arrhabo. Spiritus Sanctus æternæ felicitatis noſtræ arrhabo eſt, 187.

Artapanus Scriptor, 534.

Artemas, parum notus, 556.

Aſia. Vocis hujus ſignificatio duplex, 725.

Aſſumptio Moyſis, Liber apocryphus a Juda laudatus, 8a2.

Aſyncritus, quis, 248.

Athanaricus, Rex Gothorum, Chriſtianos inſectatur, 983.

Athletæ. Chriſtiani athletas in ſtadio imitantur, 206. Ab athletis multo cibo utebantur, *ibid.*

Avaritia Chriſtianis vetita, d52. Pro immodico voluptatum ſtudio interdum accipitur, 404, 405. Idololatriæ genus eſt, 450. Avaritia apud Paulum perinde eſt ac immodica turpis voluptatis cupiditas, *ibid.* 779.

Avarus non largitur niſi triſtis, cunctando, & parcè, 285.

S. Auguſtinus. Ejus doctrina in rebus ad Gratiam pertinentibus, fidei regula eſt, 23. Ejus in hac re ſententiam Eccleſia probavit, *ibid.* Nemo illi adverſari poteſt in hac re, niſi cum periculo erroris, *ibid.* A ſummis Pontificibus probatur ejuſdem doctrina, *ibid.* De prædeſtinatione & gratia quid ſenſerit, 28, & 110. Pelagium & Semipelagianos refellit, 31. Quomodo de litibus judicaret, 18d. Mœrens munus illud obibat, *ibid.* De animabus hominum ex inferno a Chriſto eductis quid ſenſerit, 32. Quid de circumciſione, quæ dimitti originis peccatum cenſebat. Opinio illa argumentis probatur, 26. Argumenta contra illam, 27. Fatebatur quidem ab Henocho librum aliquem ſcriptum fuiſſe, ſed alium planè ab eo, qui hodie ſupereſt 947. Diſſidium ejus cum S. Hieronymo de Petro quem arguit Paulus, 307. In ejus ſententiam Latini Interpretes atque ipſe demum S. Hieronymus conceſſerunt, *ibid.* Librum de Civitate Dei cur ſcripſerit, 906.

Auris perforata, ſervitutis indicium, d59.

Aurum igne probatum quid ſit apud Joannem in Apocalypſi, 858.

Authoritas Apoſtolica. Cur Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, authoritatem ſuam tantopere commendarit, 493.

Autographa Epiſtolarum Apoſtolicarum Tertulliani ætate nondum exciderant, 4.

Azael, rebellium Angelorum Princeps, 9dd.

B

BAbylon. Hujus nominis plures ſunt Urbes, dd7. Eadem appellatur Roma profana, cui omnia congruunt, quæ de Babylone habet Joannes in Apocalypſi, 908, 909. Quomodo ceciderit, *ibid.* Proſtitutionis ſuæ vinum gentibus propinavit, *ibid.* Quonam modo perfugium Dæmonum effecta, 914. Fidelem populum monet Deus, ut Babylone fugiat, 915. Babylon erat urbs Roma, ætate Petri Apoſtoli, unde ille Epiſtolas duas priores dedit, 855, 85d. Eodem nomine illam Joannes nuncupat, 806.

Bacchus. Qui ſacris Bacchi initiabantur, hederæ ſtigmate inurebantur, 24.

Baculi. Baculorum ſupplicium, 84e.

Balaam, Pſeudo Doctorum exemplar, 769. Quis fuerit, *ibid.* Quomodo cum illo aſinus verba fecerit, *ibid.* Balaami imitatores, 823, 858.

Baptiſmus. Per illum Chriſto induimur, 3dd. Sepulcrum eſt noſtrum, quo condimur, & ex quo in novam vitam reſurgimus, 443. Baptiſmatis varia genera, 603. Cur illuminatio appelletur, 605. Ejus effectus, 504, 505. Baptiſmi & Circumciſionis planè oppoſiti effectus, 24, 27. Baptiſmus iteratus iis, qui nomine SS. Trinitatis tincti non ſunt, 26. In publicis calamitatibus baptiſmus anxiè quærebatur, 258. Baptiſmi nomen ſonat interdum perpaſſiones, calamitates, diſcrimina, cruces, martyrium, 259. Baptiſmo omnes Chriſti Sacerdotes efficimur, 733. Quin & Regiæ ejus dignitatis conſortes, *ibid.* Typus baptiſmi in mari illo vitreo, de quo in Apocalypſi, 860. In diluvio, 746. In tranſfretatione Hebræorum, 098. In nube deſerti, *ibid.* Baptiſmi cum Circumciſione comparatio, 23. Tum baptiſmi aquæ aut circumciſionem conferendi proſelyto, *ibid.* Chriſti mortem repræſentat, ibi enim cum Chriſto morimur & reſurgimus, 82. Officia baptizatorum, *ibid.*

Baptiſmus pro mortuis, 243. Diſſertatio de hoc argumento, 253. Sententiæ Interpretum, 255. Credebant collatum pro iis fuiſſe, quos properata mors prohibuerat, ne initiarentur, *ibid.*

Baptiſmus Spiritus a Fidelibus omnibus accipitur, 225.

Baptizare mortuos, per abuſionem in Africa obtinuit, 256.

Baptizare ad ſepulcra Martyrum, vetus mos, an idem ſit ac baptizari pro mortuis, 257.

Barac ingentem victoriam refert, 648.

Barbari, vox gentes omnes a Græcis Romaniſque diverſas deſignans, 48.

Barbari, populi alia quàm Græco ſermone utentes, 450.

Barchochebas, filius ſideris, infeſtiſſimus Chriſtianorum hoſtis, pœnas dedit, 876.

S. Barnabas commendatur, 283.

Baſilides quid ſenſerit de peccati originalis propagatione, 77.

Beati jam nunc Deum vident, d44.

Beatitudo Sanctorum, quid ſit, 87e, 873.

Belial, homo nihili; vel Dæmon, 276. Filii Belial ſunt hæretici malique Chriſtiani, 780.

Bellum qua de cauſa a Principibus agendum, 499.

Bellum ſpirituale inter hominem & Dæmonem, 410, 421.

Benedicere perſequentibus, cum honore de illis loqui, 1e7.

Benedictio. Chriſtus in Euchariſtiæ inſtitutione potum cibumque benedixit; idemque præſtabant Hebræi cibos ſumpturi. Idem & Fideles ante Euchariſtiam, 212.

Benedictio Sacerdotalis vetuſtiſſima, d21.

Benedictiones Abrahæ in proverbium tranſierunt, 362. Earum hæreditas ad Chriſtianos, imitatores obedientiæ & fidei Abrahami, tranſiit, *ibid.*

Benedictus XII Papa, de ſtatu beatarum animarum poſt obitum dat reſponſum, 868.

Beſtia ſepticeps quid ſignificet, 89e. Quænam fuerit adoratæ beſtiæ imago, 896. Typus eſt Imperatorum qui Eccleſiam vexarunt, 921. Decem ejus cornua, decem perſecutores ſunt, 922.

Beſtia Apocalypſis, typus Antichriſti, 320.

Beſtiæ. Artes variæ exponendi reos beſtiis, 42. Ab eo ſupplicio Romani Cives exempti, 40. Interdum Deus permiſit, ut Martyres a beſtiis intacti ſervarentur, 40. Vota Martyris Ignatii ea de re, *ibid.* Rei ad beſtias damnati, ſi illæſi ſeu vulnerati leviter evaderent, mactabantur, ſive ad aliud ſpectaculum ſervabantur, *ibid.* Homines feri ſæpè in Scriptura beſtiæ appellantur, 39.

Bethſaida, ubi ſita, 7e3.

Beza de baptiſmo pro mortuis quid ſentiret, 258.

Bigamia, quonam ab Epiſcopatu arceret, 503.

Bigamus. Bigamorum variæ genera, *ibid.*

Bilibris, menſura cava liquidorum, 8sd.

S. Blandina ad beſtias damnata, 40.

Blaſphemare, Apoſtoli ſermone quid ſit, 554.

Blaſphemare nomen Jeſu Chriſti, quid, 701.

Blaſphemia, Apoſtoli ſtylo eſt error vel hæreſis, 498.

Boileau Canonicus, impugnat opinionem P. Harduini, qui Cepham a Petro diſtinguit, 308. Diſſertationem *de re veſtiaria hominis ſacri* ſcripſit, 540.

Bona animæ & ſpiritus temporalibus præferenda, 8te.

Bos. Bovi trituranti os ne alligetur, quid hoc ſignificet, 203. Qua ratione impediretur bos, ne quod pede calcabat frumentum voraret, *ibid.*

Boſſuetus. Operis laudatiſſimi in Apocalypſim Author commendatur 830, 831.

P. Bouldueus Cappuccinus authoritatem Libri Henochi reſtituere conatur. Ejus ea de re meditationes, 949.

Braunius Diſſertationem de *Penula* Pauli ſcripſit, 540.

Brochmandus de baptiſmo pro mortuis quid ſentiret, 260.

Byſſus. Variæ byſſi genera, 919.

C

CAtilius, Apocalypſeos cujuſdam ſuppoſititius author, 839.

Cælibatus commoda & laudes, 193. Miniſtrorum cælibatus in Eccleſia uſitatior, quàm conjugium: omnino iis ſervandus, poſt Concilium Tridentinum, 547, 548.

Cæremoniæ legales Chriſtianis inutiles, 730. Typicæ erant, deleta abrogatæ cæremoniis novæ Legis loco ceſſerunt, d19, d22. Per ſe juſtitiam non pariebant, *ibid.* Recenſentur, *ibid.*

Cæſar. Quem quidam commenti ſunt, S. Cæſar, ipſe eſt Nero Imperator, 434.

Cajetanus, de unctione, cujus meminit Jacobus, peculiarem ſententiam tenuit, 719.

Cain. Fatale exemplum odii fraterni, ſequi viam Cain, 822.

Cainitæ hæretici, quando deſierint, 535.

Cajus Corinthius, hoſpes Pauli, 150.

Cajus Caligula, Antichriſti præcurſor, 481.

Calix ſanguinis Jeſu Chriſti, Apoſtolis poſt cœnam datus;

lon.

longe diverſus ab eo, qui poſt cœnam benedicebatur, 225.

Callimachus, quis, 149.

Calumnia. Quanta animi moderatione reſpondendum ſit calumniantibus, 741.

Calumniatores ne audiantur, 402. 403.

Calvinus, primus omnium profeſſionem Romanam Petri in dubium revocavit, 755.

Cameron ſefellitur quoad Epiſtolam ad Hebræos, 365.

Cancer deſcribitur, ejuſque ad ingenium prava doctrina effigiatur, 530.

Candelabrum aureum quid, 848.

Candelabrum ſeptiplex in Templo ſitum. Candelabra ſeptem in Apocalypſi quid ſint, 844, 845.

Canes apud Apoſtolum ſunt Pſeudo-Apoſtoli, 427.

Cantica ſpiritalia, quibus Fideles gaudium ſuum alebant, 407.

Canticum in laudem Jeſu Chriſti a quo canendum, 899.

Canticum novum, ideſt eximium, 864.

Capitula Cariſiaca ab Hincmaro digeſta, ab Epiſcopis permultis damnantur, a Remigio Lugdunenſi refutantur, & a Concilio Valentino cenſura notantur, 16.

Capita Eccleſiæ, in veteri novoque Teſtamento Angeli appellantur, 217.

Captivitas Babylonica, allegoricè expreſſa, 648.

Carbones ignis, qui ſuper caput adverſariorum noſtrorum aggerantur, quid ſint, ignis charitatis, an ignis furoris Dei, 189.

Cariſiacum Concilium Hincmari ſententiam de prædeſtinatione fulcit, 16. Idem Concilium a Prudentio Trecenſi impugnatur; ſicut & ejus capitula Eccleſia Lugdunenſis reprobat, *ibid.*

Carnes ſi quæ veneunt in macello, indiſcriminatim nullaque diſquiſitione emendæ ſunt, 313. Idolis immolatas guſtari non permittit Apoſtolus, *ibid.*

Caro. Deſideria carnis ſpiritui repugnant, 374. Opera carnis quæ, *ibid.* Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam cum vitiis crucifixerunt, 376. Nemo carnem ſuam odio habuit, 408. Via carnis & ſpiritus, 95. Caro deſignat concupiſcentiam, *ibid.* Ambulare ſecundum carnem, 287. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, 347.

Caro. Carnes deguſtare, vel ab illis abſtinere res eſt per ſe quidem in medio poſita; ſed ab illis perpetuò abſtinendum eſſet, ſi alioqui ſcandalum fratrum timeretur, 137.

Caro reſurgens ab hac noſtra mortali planè diverſa eſt, 341.

Carolus Calvus ſcripta Lupi & Ratramni examini Hincmari ſubjicit, 14.

Carolus Magnus litigare coram Epiſcopis permittit, 187.

Carpocratiani agapas ſuas inſigni licentia deturpabant, 768.

S. Carpus creditur fuiſſe Epiſcopus ille Pergami, ad quem Joannes ſcripſit, 850.

Carpus, hoſpes Pauli, cùm Troadem venit, 528. Variæ de illo ſententiæ, 540.

Caſſianus ceu Semipelagianiſmi reus a Gelaſio notatus, 22.

Catharinus Ambroſius, Dominicanus, de prædeſtinatione quid ſenſerit, 18. Deſertor SS. Auguſtini & Thomæ, ipſe viciſſim a Sixto Senenſi diſcipulo ſuo deſeritus, & a Dominico Soto ſui Ordinis fratre impugnatur, *ibid.*

Catechumeni, quibus ceremoniis ad baptiſmum comparentur, 155.

Catholicæ Epiſtolæ, ideſt encyclicæ, ad quos directæ, 660.

Cauteriʒare. Variæ hujus verbi ſignificationes. Cauteriatam habere conſcientiam, apud Apoſtolum quid ſit, 509.

Cenchræa, portus Corinthi, 245.

Cephas, nomen Petri Syriacum, 310.

Cephas, cui Paulus reſtitit, an idem ac Petrus, 307, &c. 357, 358. An potius ex Diſcipulis Emmaum pergentibus unus, 310. Quæſtio facti hac in re, 304. Sententiarum diſcrimine de Cepha & Petro, *ibid.* Unde orta ſingularis opinio S. Hieronymi de objurgatione, qua Paulus Petrum corripuit. Quidnam ſenſerit S. Doctor, 307.

Cephas & Apollo, diſſidii inter Corinthios occaſio, 263.

Cerinthiani Hæretici, quando deſierint, 131. Si quos ex ſuis ante baptiſmum obiiſſe contingeret, mortuos baptizabant, 351. De reſurrectione quid ſenſerint, 354.

Cerinthus de reſurrectione quid ſenſerit, 765, 780. De illo hiſtoriola, 800.

Chalcedonius, quid, 843.

Chanaan in Scriptura nomine univerſæ terræ interdum deſignatur, 78.

Charitas Virtutis hujus præſtantia, commoda, utilitas, diuturnitas, 135. Mitis eſt, patiens, benefica; non temeraria, non ambitioſa, 229. Omnia ſuffert, omnia ſperat, nec excidit unquam, 230. Fide & ſpe præſtantior eſt, 232. A Chriſtianis quærenda, *ibid.* In cordibus noſtris diffuſa, ſpei noſtræ fundamentum eſt. Quinam ejus in corde effectus, 71. Charitas debitum eſt, cui nunquam ſatisfit, 138. Legem totam complectitur, 332. Inſigne eſt Chriſtianorum, 326. Vinculum pacis & concordiæ, *ibid.* Ejus officia & labores, 460. Submittens nos aliis, liberos tamen plane efficit, 374. Charitas erga fratres, ex ea, qua Chriſtus nos illoſque dilexit, repetitur, 403. Peccata quamplura tegit, 749. Nulla ſincera pietas eſt abſque charitate, 768. Vinculum eſt, quo Fideles adſtringendi, 808. In ſervandis omnibus mandatis verſatur, *ibid.* Certum eſt indicium filiorum Dei, 792, 705. Charitatis præceptum vetus & novum eſt, 783. Qui illud violat, manet in morte; qui ſervet, vitam fovet, 784. Id efficit, ut Deum prout meretur agnoſcamus, *ibid.* Dei donum eſt, 797. Metu ſervili expulſo, filialem inducit, *ibid.*

Charitas fraterna. Regulæ de illa ab Apoſtolo præſcriptæ, 467. Quid ea in re agendum ſit, S. Spiritus famulos ſuos docet, *ibid.* Chriſtianis maximè neceſſaria, 638. Dotes charitatis, quam Apoſtolus commendat Fidelibus, 494. Exigit interdum, ut ea aliquibuſdam hominibus denegetur, atque inſuper probro ſuffundantur, 418. Charitas indulgentia fraterna, 576. Informare Fidem noſtram debet, ut ad ſalutem utilis illa efficiatur, 173. Aſſumendum eſt indumentum charitatis, quod eſt vinculum perfectionis, 451.

Charitas infinita Jeſu Chriſti erga nos, 75, 76. Nullum ſinceræ charitatis ſpecimen Ethnicorum Religio exhibet, 54.

Charitas mutua Chriſtianos decet, 226.

Charta, quænam apud veteres, 809. Cur Apoſtoli non omnia chartæ committerent, quæ dicenda ſuccurriſſent, *ibid.*

Chaſanim Præfecturam quamdam in Synagoga Judæorum gerebant, 417.

Chetardie, qua ratione Apocalypſim explicaris, 831.

Chirographum nobis inimicum, quod Chriſtus in noſtro Baptiſmate delevit, 445. Illud autem Chriſtus Cruci ſuæ affixit, & planè abolevit, 446.

Chœnix, vetus Græcorum menſura, 8?d.

Chriſtiani primitivi, Sancti appellati, 47. Chriſtiani optant quidem gloriam & immortalitatem, ſed mortem timent, 370. Membra ſunt corporis myſtici Chriſti, atque alter alterum perinde ac ejuſdem corporis membrum reſpicit, 326. Mutua Chriſtianorum officia, 336. Primitivorum Chriſtianorum erga Principes ſæculares ſubmiſſio, 130. Quid ea de re Apoſtoli & Patres ſenſerint, *ibid.* In ſolvendis vectigalibus ſeduli erant, 131. Mundum hunc ceu exilium & alienam terram reſpiciunt, 98. Horum ſacrificia & cultus, 324. Si Chriſtianis nulla eſt ſpes, præterquam in hoc mundo, mortalium omnium miſerrimi ſunt, 348. Corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti deguſtantes, velut unum cum ipſo Corpus ſunt, 272.

Chriſtiani anathematis animadverſionem erga impios ſemper adhibuerunt, 184. Quo ritu in cœtibus orarent, 271, 216. Corpora Chriſtianorum perinde ac Templa Sancti Spiritus ſunt, 891. Chriſtianus eſt veluti ſervus ſanguine Chriſti emptus, 200.

Chriſtiani execrantur impios excommunicatione notatos, 184. Sunt omnes tamquam Athletæ in ſtadio currentes, 206. Chriſtiani primitivi humillimæ erant conditionis; quin ſæpe hac generis humilitas illis exprobrabatur, 208. Dedecet illos, præterquam coram fratribus, litigare, 186. Templum Dei ſunt, & in Eccleſiæ conſtructionem venaliunt: quid ex illis eo nomine exigatur, 176. Spiritus Sanctus in illis habitat, *ibid.* Væ templum Dei violanti, *ibid.* Eccleſiæ inſiquot Chriſtianos ejicienti nihil detrahitur, 304. Boni Chriſtiani de Angelis judicabunt, 187. Peſſimi inter Fideles vel optimis Ethnicis præſtant, *ibid.* Omnes ejuſdem Corporis membrum ſunt, 185. Qui indignè communicant, majorem quàm Judæi crucifigentes Chriſtum, culpam admittunt, 225. Pœna, qua Deus illos punit, 222.

Chriſtiani inter ſe æquales, 700. Quæ potiſſimum virtutes Chriſtiano homini neceſſariæ ſint, 729. Quæ potiſſima eorum officia, 732. Sunt genus electum & gens ſancta, 734. Sunt & peregrini in terris, 735. Quomodo Chriſtiani nomen cœperit, & quàm celebre fuerit in ſui exordio, 751. Genuini Chriſtiani inſigne, 786. Quomodo Sacerdotes & Reges ſint, 864. Sidera Cœli, quæ Draco cauda ſecum traxit, typus erant eorum, qui ſævientibus Tyrannis ceſſerunt, 889.

Chriſtiani redierunt quodammodo in vitam in Chriſto Jeſu, aſſidentque illi in Cœlo per gratiam & ſpem, 391. Non jam peregrini & advenæ ſunt, ſed cives Sanctorum, & in domo Dei familiares, 393. Ædificati ſunt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, *ibid.* Concordiæ inter eos cauſæ. Unum idemque corpus uno eodemque ſpiritu informandum conficiunt, 398. Ejuſdem Patris filii, ejuſdem promiſſionum hæredes, ejuſdem gratiæ participes ſunt, *ibid.* Imitatione exprimere Patrem Cœleſtem debent, 404. Chriſtiani eſt grates Deo vel in rebus adverſis reddere, 407. Chriſtiani membra ſunt Corporis Chriſti, 408. Eorum vitæ jam quodammodo in Cœlo verſatur, 431. In mundo ceu peregrini verſantur, adventum Chriſti, qua immortalitate induantur, opperientes, *ibid.* A Chriſto, non verò ab Angelis puris, puriſque ejus miniſtris, trahere Chriſtianus influxum & vitam debet, 448. Primis mundi elementis mortuos eſſe illos oportet, 448. Fruſtra a Pſeudo Apoſtolis Legis jugo ſubjiciuntur, *ibid.* Vivendum eſt illis nova vita, utpote qui cum Chriſto reſurrexerunt, 449. Cur de obitu neceſſariorum doleant, nihil eſt, 469. Non malum tantummodò, ſed & mali ſpecies ab illis vitanda, 468. Primorum Chriſtianorum patientia invicta, 478. Chriſtiani Dei gloriam, & ex eo gloriam ſuam promovent, 479.

Chriſtianiſmus liberos nos a ſervitute Legis conſtituit, 339. Ejus perfectio in eo ſita eſt, ut multum nobis ad perfectionem deeſſe agnoſcamus; eò tamen omni niſu tendamus, 429.

S. Chryſoſtomus cenſuit, Profanos Philoſophos pervenire ad ſalutem abſque expreſſa in Meſſiam fide potuiſſe, 32. De Prædeſtinatione & reprobatione quid ſenſerit; & quid cum illo Græci Patres, 8. Ejus ſententia de Baptiſmo pro mortuis, 359. Item de effectibus Circumciſionis, 69.

Cibi. Quidquid ciborum in macello venit, nulla diſquiſitione adhiberi in cibum fas eſt, 313. De idolothytis guſtari vetat Apoſtolus, *ibid.* Moderatus ciborum uſus, 390. Horum uſus per ſe non malus, 190. Ciborum delectus, & regulæ ea

de re,

Digitized by Google

dere, 234, 237. Cibos quoſdam ceu immundos Hæretici quidam cur damnarint, 509.

Circumciſio pro Judaicæ profeſſionis Religione uſurpata, 60. Tacitam Meſſiæ confeſſionem ferebat, 71. Nihil valet abſque obedientia Legis. Circumciſio cordis unicè ad ſalutem neceſſaria, 60. Quid hæc ſit, *ibid.* Data fuit Abrahamo ceu ſignum fœderis cum Deo ab illo initi, 72. Judæum neminem efficiebat, *ibid.* Circumciſionis effectus, *ibid.* Nihil prodeſt Chriſtus iis, qui circumcidendos ſe tradunt, 372. Circumciſio nihil valet, *ibid.* Recipi tamen poteſt, modò non ut neceſſaria ad ſalutem admittatur, *ibid.* Ad ſalutem nihil confert. 373. Circumciſio Spiritus, 579. Circumciſio Judæorum carnalis, 445.

Circumciſio carnalis Chriſtianos nihil juvat, 196 Nunquam iterabatur, niſi fortè extra Judaiſmum admiſſa fuiſſet, 26. Quomodo autem tunc iteraretur, *ibid.* Divina vis & morales effectus circumciſioni adſcripti, 25. Symbolum erat circumciſionis animi, & ſenſibilium voluptatum abdicationis, *ibid.* Circumciſionis & Baptiſmi comparatio, 26. Admiſſa circumciſione, ſimul etiam obſequium erga totam Legem inducebatur. Effectus circumciſionis juxta Rabbinos, *ibid.* A Judæis inſigni elogio commendatur, ſub capitali ſupplicio injungitur, *ibid.* De circumciſione, veterum Patrum ſententiæ, 27. S. Auguſtinus & Diſcipulorum ejus complures purgationem ab originali peccato illi tribuunt, *ibid.* Contra hanc ſententiam argumenta, *ibid.* Circumciſionis notæ quomodo olim deletæ, 396. Circumciſionem Moyſes quidem primus non inſtituit, ſed Abrahamo ejuſque poſteris tradita fuit, *ibid.* Merum purumque erat ſignum fœderis inter Deum & Abrahamum initi, *ibid.* Scriptores Chriſtiani & Catholici, qui nihil de peccato originali ab illa deleri ſenſerunt, 28, 29, &c.

Citra, pretioſi ligni genus, 917.

Claudia, quæ, 542.

Claudius Imperator, cur Judæos Urbe expulerit, 670. Quoúſque Chriſtianos laceſſiverit, 736.

Claves abyſſi, quæ in Apocalypſi, 922.

Clavis David, quæ in Scriptura, 855.

Claves mortis & inferni, quid, 846.

Clemens, cujus meminit Apoſtolus ad Philippenſes, an idem ac Petri Succeſſor in Cathedra Romana, 432. An alius merus Presbyter Eccleſiæ Philippenſis, *ibid.*

S. Clemens Alexandrinus de ſalute Ethnicorum & Philoſophorum quid ſenſerit, 34. Quam orationem Paulo tribuat, 5. Omnium primus Cepham a Petro diſtinxit, 308.

S. Clemens Papa ſcripta ad Corinthios Epiſtola eadem ferme illis ac Paulus exprobrat, 153.

Clemens VIII declarat, doctrinam SS. Auguſtini & Thomæ in rebus ad gratiam pertinentibus pro norma accipiendam eſſe, 20. Cauſam Molinæ ſibi cognoſcendam reſervat, *ibid.* Vetat de eo argumento ſcribi, ac hæreſeos notam vicíſſim inuri, *ibid.* Selectos viros ad cauſam illam agnoſcendam deſtinat, 20.

Clemens XI doctrinam S. Auguſtini probat, 23.

Cleopatra Regina, quæſtionem de reſurrectione movet, 345.

Clericus. Cl. Clericus de baptiſmo pro mortuis quid ſenſerit, 260.

Clinici in morbi diſcrimine tingi ſe baptiſmate curabant, 256, 257.

Cloppenburgius de baptiſmate pro mortuis quid ſenſerit, 257.

Cœleſtinus Papa de doctrina S. Auguſtini quid ſenſerit, 25.

Cœna, quam Fideles olim in Eccleſiis agebant. Vitia ex ea quamplurima, 219. Quomodo nos cum Deo, & Deus nobiſcum cœnet, 858

Coepiſcopus. Modeſtiæ cauſa Apoſtolus ſeſe Coepiſcopum appellat, 752.

Cœtus Fidelium. Nulla olim in publicis cœtibus inter Fideles locorum diſtinctio pro divitibus erat, 701. Quæ tunc in cœtus illos vitia irrepſerint, *ibid.*

Cœtus primorum Fidelium, in quibus convivia charitatis inſtituebantur, 219.

Cognitio quænam Chriſti non neceſſaria ſit, 759.

Cognoſcere Deum, quid, 55. Cognoſcere cognitione practica, & ſpeculabili, *ibid.* Cognoſcere Deum, amare, cognoſci ab eo, vera ſcientia eſt, 200.

Colaphi. Angelus Satanæ Apoſtolum colaphizat, 398.

Coloſſa, Phrygiæ Urbs, 436. An Coloſſæ ſcribendum. Error eorum, qui Coloſſenſes Rhodios fuiſſe opinati ſunt, *ibid.* Epaphras ibi prædicavit. *ibid.* An & Apoſtolus. *ibid.*

Coloſſenſes ex fide & charitate laudantur, 438. Fides eorum tentatur a Pſeudo Apoſtolis, qui pertrahere illos nituntur in cultum Angelorum, & præceptorum legalium obſequium 447. Apoſtolum nunquam viderant, 445.

Collyrium ad purgandos oculos. Quid ſit ſpiritali ſenſu, 858.

Color purpureus ſupremam poteſtatem denotat, 910.

Columna olim victoribus ad nominis immortalitatem erigebatur, 857.

Coma. Comam nutrire, & immodicè curare, viro probroſum, 228. Caput deturpant fœminæ, ſi comam abſciderint, 225.

Coma promiſſa, regiæ dignitatis inſigne, 878.

Communicatio, quid apud Apoſtolum, 561. Interdum pro eleemoſyna uſurpabatur, 417.

Communio. Quænam probatio Communioni præmittenda. Indignè ſumentibus venenum eſt, 221, 222. Indignæ Communionis crimen, 222. Mala inde provenientia, *ibid.* Communio ſæpe, at non ſemper, a jejunis accipiebatur, 219.

Commiſeratio præſtanda miſeris, 652.

Complementum rerum omnium, 928.

Concilium Jeroſolymitanum qua de cauſa, & quo anno collectum, 312.

Concilium Tridentinum Lutherum & Zuinglium damnat: at de cauſis prædeſtinationis & reprobationis nihil definit, 17.

Concubina Neronis a Paulo ad fidem converſa, 582.

Concupiſcentia tantam neceſſitatem non imponit, cui reſiſti eſe minime poſſit, 374. Qui ſe ei illi laxant, a beatitudine excluduntur, 375. Fons tentationum eſt, 697. Quomodo in æternam mortem perducat, 697. Fons eſt omnium malorum, 712. Bona gratiæ in nobis impedit, 735. Laborandum eſt ne regnet in nobis, 84. Non peccatum quidem, ſed pœna peccati eſt, 80. Lex concupiſcentiam excitavit, *ibid.*

Concupiſcentia carnis & oculorum, quid, & quàm vana, 785.

Confeſſio ad criminum veniam obtinendam neceſſaria eſt, 781. Ætate Apoſtolorum obtinebat, 721.

Congregatio de Auxiliis occaſione Libri Molinæ inſtituta, 20 Judicium ejus de hoc libro, *ibid.*

Conjugium vetitum ab Hæreticis quibuſdam ad majorem licentiam, 509. Ut ſanctum efficiatur, requiri, 652. Myſterium eſt expreſſum in conjunctione Chriſti cum Eccleſia, 408. Remedium connubii ut adhibeatur, quandonam ſuadeat Apoſtolus, 193. Religioni non opponitur, 191. Quibus de cauſis ſtatus iſte aſſumatur, *ibid.* Conjugia Fidelium cum infidelibus ne ineantur, 276. Connubii incommoda, 197. Ita vivendum conjugatis, ac ſi eſſent ſoluti, *ibid.* Ab uſu connubii quandonam abſtinendum, 192. Monita ea de re ab Apoſtolo data, 191.

Conjugium Chriſtianorum indiſſolubile, 194.

Conjugium ſpiritale, quod cum Chriſto contrahimus. Ejus commoda, 87.

Conſcientia. Conſcientiæ teſtimonium, gloria noſtra eſt, 25. Conſcientiæ bonæ interrogatio quid, 746.

Conſcientia recta, ejuſque dotes, 138.

Conſcientia timida. Quid cum laborantibus anxietate conſcientiæ agendum ſit, 133, 136, 159

Conſilia hominum vana, niſi Deus interſit, 725.

Conſtantinus, Chriſtianorum Imperatorum primus, trophæum Chriſtianæ Religionis ſuper Ethnicam everſam erexit, 899. Victoriam de omnibus adverſariis ſuis retulit, & longa pace quievit, *ibid.* Hiſtoriæ ejus ſynopſis, 887.

Conſtantius Chlorus, pater Conſtantini, moritur, 887.

Conſuetudines Eccleſiaſticæ, de quibus alia nulla reddi poteſt ratio præter morem & traditionem, 218

Conſultores Congregationis de auxiliis, de Molinæ doctrina quid ſenſerint, 20.

Contemptus, quo Apoſtoli & Dei famuli reſpiciuntur, in Deum ipſum convertitur, 467.

Continentia. Optat Apoſtolus, Fideles omnes vitam continentem agere, 195.

Converſio. Cauſæ converſionis deſumptæ ex clementia Dei erga peccatores, 55. Converſio noſtra monumentum eſt omnipotentiæ Jeſu Chriſti, 760.

Converſio peccatoris, omnipotentiæ Dei maximum prodigium eſt, 388. A Patribus cum reſurrectione mortui comparatur, *ibid.* Comparatur & cum creatione, 591. Nunquam deſperanda eſt converſio, 538.

Convivia charitatis inter Fideles Corinthios. Vitia quæ irrepſerunt, 219.

Convivia charitatis, quæ ad ſepulcra Fidelium defunctorum inſtruebantur, 227.

Cor. Deus altius corda noſtra, quàm nosmetipſi, ſcrutatur, 708.

Core, cujus criminis reus fuerit, & qui illum imitentur, 823.

Corinthii ſcientiæ fama in Eccleſia celebres, 104. Erga egenos Jeroſolymitanos munifici. Piæ eorum largitiones ſtudioſe & ſtatim collatæ, 382. Diſſidia inter eos nata occaſione Pauli, Cephæ, & Apollo, 165. Sectarum Philoſophicarum diviſiones in Eccleſiam invehere tentant, 152. Chriſtiana libertate abutentes, carnibus omnibus indiſcriminatim uti volunt, ne idolothytis quidem exceptis, & ſcandalo puſillorum neglecto, *ibid.* Lites inter eos gliſcebant, nec libido penitus exulnerarat, *ibid.* Erant pariter, qui mortuorum reſurrectionem negarent; plures ſimul in Eccleſia ad loquendum ſurgebant; ac denique mulieres non velatæ in locum ſanctum veniebant, ubi & pro concione loqui non verebantur, *ibid.* Epiſtola ad Corinthios anno 56 Chriſti ſcripta, 153. Præpoſterum ſtudium & diſſenſio inter eos gliſcit occaſione eorum, qui fidem apud illos diſſeminaverant, 179. Eorum vanitatem & audaciam Apoſtolus arguit, 178, 180. Ad eos venturum ſe & acriter animadverſurum minitatur, 181. Nimio ſtudio erga Philoſophiam & eloquentiam tenebantur, 166. Carnales adhuc cùm eſſent, cavet Apoſtolus, ne ſpiritalia cum illis loquatur, ſed potius ceu infantes lacte, non ſolido cibo, nutrit, 173. Cœtus eorum ea nomine damnat Apoſtolus, quòd ad crapulam cum pauperum ignominia convenirent in Eccleſiam, 219. Quam utilis ea Epiſtola Corinthiis fuerit, 270. Quanta cum illis prudentia Apoſtolus uſus ſit, *ibid.* Utrum aliam ad illos Epiſtolam, præter duas quæ ſuperſunt, Apoſtolus ſcripſerit, 185. Corinthiorum Eccleſiæ nulli inferior erat, 300. Vitia, quæ in eam irrepſerant, 301.

Corona. Singuli ſuam coronam cautè teneant, ne rapiatur, 856.

Corona Athletarum ex olea, quercu, pinu, 507.

Corona immortalis, qua Electi donantur, 753.

Corona vitæ, longè diverſa eſt a coronis corruptibilibus, 896.

Coronellus, a Secretis Congregationis de Auxiliis, Molinæ opiniones cenſura notat, 20.

Corpus. Sub corporibus quaſi ſub tentorio in peregrinatione verſamur, 369. Corpus immortale & reſurrectione donatum, a noſtro mortali corpore planè differt, *ibid.* Immortalitate ceu ſuperiore quadam veſte induimur, *ibid.* *Corpus* ponitur pro natura ipſa, veritate ac ſubſtantia rei, 444. Sanctè & honeſtè corpore utendum eſt, 467. Perinde enim corpus haberi oportet, ac Dei Templum, & S. Spiritus habitaculum, *ibid.* Corpora noſtra Chriſti ſunt; ideo dignos ſe animadverſione probant, qui per libidinem illa inquinant, *ibid.*

Corpus Chriſtiani, membrum Chriſti, & Templum Spiritus Sancti eſt, 190.

Corpus Jeſu, in Euchariſtia præſens. Væ iis, qui illud indignè veſcuntur. Quo apparatu accipiendum, 221.

Corpus myſticum Jeſu Chriſti cum corpore noſtro naturali comparatur, 235. In dies virtute & ſanctitate augetur, 400.

Corpus peccati eſt corpus in peccato natum, vel ipſiuſmet peccati natura, 83.

Corpus reſurgens, a mortali corpore diverſum, 245.

Correctio, quomodo utilis efficiatur, 511, 537.

Correctio fraterna, quomodo præſtanda, 828.

Coturnices, quas Deus ſeditioſis Hebræis conceſſit, 209.

Creatio mundi, cum illius reſtauratione comparata, ex Hebræorum ſententia, 338. Hominis converſio cum creatione collata, ut eam eſſe gratuitam intelligas, 391. Chriſtiana profeſſio nova quodammodo creatio eſt, 578.

Creatura. Creatæ res eum commendant, a quo conditæ ſunt & ornatæ 50. Gemunt, manifeſtationem filiorum Dei præſtolantes, 97. Utrum hæ ſint Angeli, homines, an res anima carentes, *ibid.* Obnoxiæ ſunt vanitati a primi hominis tempore, 98. Libertatem expectant, *ibid.* In ſæculorum exitu futuram, *ibid.* Nova ſumus in Chriſto creatura, 272. 273.

Creſcens, Pauli Diſcipulus. Variæ de ejus Epiſcopatu ſententiæ, 519.

Creta, inſula, cujus Epiſcopus Titus, 543.

Cretenſes, a Paulo deſcribuntur, 540.

Criſpus & Cajus, baptiſmate a Paulo initiati, qui, 166.

Crucifigere iterum Chriſtum, immane crimen eſt, 606.

Crucifixus. Apoſtolus crucifixus erat mundo, 379.

Crux J. Chriſti. Ejus decora, 763. Ejus efficacia, virtus, ſapientia, 167. Paulus in prædicationibus abſtinendum ab eloquentia cenſuit, ne Crucis virtuti detraheret, 176. Stultitia Crucis, ſapientia Dei eſt, *ibid.* Affixi ſumus Cruci J. Chriſti, & a Lege ſoluti, 359. Scandalum Crucis Chriſti removebatur ab iis, qui circumciſionis neceſſitatem prædicabant, 373, 374. Crucis ſublimitas, longitudo, & profunditas, 397. Ignominiam Crucis, gloriæ mundi & mundanis gaudiis Chriſtus prætulit, 643. Id autem ſuadere nos debet, ut alacres Crucem ſequamus, 334.

Cultus liber & rationabilis, Deo a Chriſtianis impendendus, 114.

Cultus Idolorum, quo tempore ceciderit, 904, 905.

Cunæus laudatur. Quid de Melchiſedecho ſenſerit, 579. Refutatur, *ibidem*, 618.

Curioſitas inutilis, otioſa, seu ſummum malorum ab Apoſtolo reprehenditur, 489. Ab Apoſtolo damnatur, 498.

Cymbalum, muſicum inſtrumentum veteribus notum, 228.

Cynici, turpium libidinum Doctores nequiſſimi, 403.

S. Cyprianus a S. Auguſtino laudatus pro ſententia ſua de Petro a Paulo redarguto, 307. Quo ſenſu acceperit verba illa Pauli: *Si ſecundum hominem ad beſtias pugnavi Epheſi*, 39.

D

DÆmon transfigurat ſe in Angelum lucis, 294. Gentiles illi ſacrificabant. Quonam ſenſu id affirmari poſſit, 213. Quomodo illi reſiſtatur. Triumphum niſi e noſtro conſenſu non reportat, 734. Peccavit ab initio, & ſemper peccat, 790. Filii Dæmonis, 791. Sub emblemate montis pingitur, 874, 875. Appellatus Angelus Abyſſi, 879. Beſtia eſt, quæ ex abyſſo aſcendit, 883. Eſt pariter Draco, qui Imperatores Gentiles in Eccleſiam concitavit, 890. Cur id fecerit, *ibidem*. Noſtra de illo victoria e ſanguine Chriſti petitur, *ibid.* Quandonam victus fuerit. Utrum Dæmon generare potuerit, 324. Impellere nos in crimen nonniſi per ſuggeſtionem poteſt. Valet tamen morbos & mortem ipſam cauſare. Imperium in filios incredulitatis potiſſimum exercet. 390.

Dæmones Chriſtus vicit, & veluti in triumphum duxit, 440. Utrum ſincera miracula patrare poſſint, 483. Chriſtum inviti reluctanteſque adorare coguntur, 423, 873. Per aera circumfuſi imperium ſuum exercent, 389. Homines nonniſi Deo permittente tentant, 390. Nullo certo argumento Chriſti divinitatem agnoverunt, 171. Cognoverunt autem per ſolam conjecturam, vel ſuſpicionem, *ibidem*.

Dæmon Socratis, qui illi agenda ſuggerebat, 36.

S. Joannes *Damaſcenus* cenſuit circumciſionem inſigne fuiſſe quoddam ad diſtinguendos Abrahamum Hebræoſque a reliquis populis, 29. Quomodo explicat prædeſtinationem & reprobationem, Græcorum ſententiæ inhærens, 50.

Damaſcus. E ſuperioribus Damaſci mœnibus per ſportam a fratribus demiſſus Paulus aufugit, 296.

Damnare, *cenſura notare*, ne privatus quisque id faciat in fratres, ſed reſervent hoc Principibus Eccleſiæ, mandat Apoſtolus, 534.

Damnati quàm miſerè torquendi in inferis, 478. Ingentis ſupplicii loco habebunt aſpectum beatitudinis Electorum, 479.

Damnatio. Peculiaris Judæorum ſententia de reproborum damnatione, 703.

Dan. Cur Joannes eam Tribum inter cæteras non recenſeat, 871. An Antichriſtus ex ea pro diturus ſit, *ibidem*.

David quantum fide profecerit, 642.

Debitum conjugale. Opera juſtitiæ mutua inter conjugatos, 192, 193.

Decima, a vetuſtiſſimis temporibus uſitatæ, 6 co, 611.

Decretum Dei, quo ad fidem appellamur, 100. Exprimitur libro ſeptem ſigillis obſignato, de quo Joannes, 862.

Decretum hominis, ſeu recta voluntas, qua homo vocationi Dei reſpondet, 100, 111.

Defectio populorum ab Imperio & Eccleſia ante ſupremum diem, 481. Figura defectionis populorum ſub Antichriſto, 483.

Dejal, Impoſtor, 318.

Demas, Pauli Apoſtoli Diſcipulus, illum ſecutus aliquo tempore, deinde deſeruit, ut ad ſæculum rediret, 415, 539. Variæ hac de re ſententiæ, 538, 574.

Demetrius ab Joanne Apoſtolo commendatur, 814.

Deogratias, Carthaginis Epiſcopus, inſignis charitate erga Chriſtianos exules Roma per Alaricum everſa, 815.

Depoſitum fidei & doctrinæ Epiſcopis creditum, 528. Idem fuit Epiſcopi muneræ & Chriſtianorum animæ, 526.

Deſertum. Sancti ab inſectationibus in ſolitudines confugerunt, 643; innumeri etiam Chriſtiani, perſecutionum tempore, 889.

Deſiderium pravum, ſæpe involuntaria, per concupiſcentiam parta, 89. Iſta peccato vacare, niſi actu compleantur, ex Judæis complures cenſuere, *ibid.*

Deſideria carnis non explenda, 374.

Detractio, quam grave peccatum, 189.

Deus, qua ratione noſter ſit, 795. Ejus rei argumenta nobis exhibita, *ibid.* Dei charitas erga nos gratuita, 796. Exemplum eſt noſtræ erga fratres, *ibid.* Quo pacto cernatur a nobis Deus, *ibid.* Participes nos Spiritus ſui efficit, *ibid.* Quo pacto Deus in nobis, & nos in Deo, 797. Quomodo ſimiles Deo in terris efficiamur, *ibid.*

Deus lux eſt. Quidquid Veteres Hæretici de Deo dixerunt, tenebræ ſunt, 780. Duplex cognoſcendi Dei ratio, 782. Quo pacto nati ex Deo ſimus, 803. Deus noſter eſt, nos filii Dei per Chriſtum, 918.

Deus ſpei, cur ita dictus, 148. Dei nomen rebus additum loco ſuperlativi eſt apud Hebræos, 187. Deus pœnam impii differt, ut illum ad pœnitentiam revocet, 55. Promiſſiones & minæ Dei erga Judæos, conditionibus definiuntur, 82. Utrum citra injuſtitiam deſereret Judæos in infidelitate potuerit Deus, *ibid.* Perſonarum rationem non habet in hominum vocatione ad fidem, 57. Amare non poteſt Deum, niſi prior ipſe te amaverit, 200. Solus hominem convertit Deus, ſolus ad cor loquitur, 174. Omnia agenda ſunt ad Dei gloriam, 214. Peccatum permittit Deus, ut juſtitiam oſtendat, 61. Cur peccatum puniat, cum hoc gloriæ ipſius ſerviat, *ibid.*

Deus nihil amat, quod amabile non ſit, aut ab eo dignum amore non fiat, 404. Deus in nobis efficit & velle & facere, 434. Deus qui in nobis operatus & velle & facere, bonum opus in nobis per ipſius gratiam inchoatum perficiet, 417. Dei voluntas eſt, ſanctificatio noſtra, 466, ab eoque ad ſanctitatem & animi corporiſque munditiem vocamur, 467. Fidelis eſt Deus, ſuumque opus in nobis explevit, 474. Iniquus eſſe erga creaturas nequit, 478. Æquum eſt, ut ſuos a malis oppreſſos conſoletur, *ibid.* Deus in hominum pœnam permittit, ut in errorem & peccatum ruant, 486. Quo pacto ſit ignis vorans, 651.

Deus pater luminum, cur, 697. Viciſſitudini obnoxius non eſt, *ibid.* Quo pacto nos generet verbo veritatis, 698. Initium & finis omnium eſt, 918, 934.

Deus. Quid ſit Deum in omnibus honorare, 749, 750. Gratiarum omnium fons eſt, 755. Animos hominum ardius quàm ipſi pervadit, 789. Certum indicium, utrum ex Deo ſis, 795. Nihil ſine Deo poteſt, 826. Deum verè amas, ſi ejus verba cuſtodis, & Chriſtum imitaris, 783. Id novum præceptum non eſt, & tamen novum, *ibid.*

Deus. Gentiles Philoſophi Deo gloriam non exhibuere, tametſi exiſtentiæ illius argumenta intra ſe & in natura perſpicerent, 49, 50, in ſenſus reprobi poteſtate derelicti, 52. Deus æquè Judæorum & Gentilium eſt, 67. Miſericordiam hominibus exhibere novit integra juſtitia, 66. Omnes ad fidem vocat, 65, 66. Dei ſapientia, ſcientia, juſtitia, miſericordia in prædeſtinationis & reprobationis myſterio micant, 113. Omnia ex Deo gratis habemus, *ibid.* Infinitum Dei in nos imperium, apud quem nihil penitus per nos ipſi ſumus, *ibid.* Hominem indurat Deus, dum obdurationem non prohibet, & gratiam denegat, 118. Is non eſt Deus, quem donorum pœniteat, 122. Omnia in omnibus eſt, omnia unus facit, unusque a nobis quærendus eſt, 177, 178. Legitimæ poteſtatis author, 130. Dum poteſtati reſiſtis, Deo reſiſtis, *ibid.*

Dii Gentilium inanes & ridiculi, 200, 201.

Diabolus interdum ſonat calumniatorem, 505.
Diabolus. Invidia Diaboli peccatum in mundum venit, 96. Ne des locum Diabolo, ne aſſentiaris, 402.
Diaconi Eccleſiarum, ſimiles Chaſanim, ſive miniſtris Synagogæ, 417. Horum munus, *ibid.* Qui eſſe debeant, ut munere ſuo ſanctè fungantur, 505. Quo ritu initiarentur, 506.
Diaconæ, quid muneris haberent, 545, 506. Quæ admitterentur, quæ excluderentur, 514.
Diadema, quid olim eſſet, 910.
Dies Domini, Judicii dies, 175. Utrùm crediderit Paulus, eum ſua ætate venturum, 469.
Dies feſti a Judæis Neophytis obſervati, 135. Superſtitioſum dierum diſcrimen damnat Paulus, *ibid.* Eccleſia Deo docente quoſdam dies & faſta quædam inſtituit, quibus majori cura ſtudendum eſt pietati, *ibid.*
Dies hominis, quid ſit, 178.
Dies Judicii, quo tempore & modo venturus, 774. Optandus & timendus, *ibid.*
Diffidentia, in Moyſe punitur, 695. Cum maris fluctibus comparatur. Prohibet, ne fructum orationis percipias, *ibid.*
Dignitates Eccleſiaſticæ, quàm periculoſæ ambientibus, 455.
Diluvium, quo pacto contigerit ſub Noe, 773.
Diœceſes. Vetus harum diſtributio petebatur ex iis, qui ſingulas Eccleſias inſtituerant, 290.
Diocles. Diocletiani nomen ante Imperium. Ejus nominis numerus, 897.
Diocletianus quamdiu Eccleſiam infeſtatus ſit, 884. Deletum a ſe Chriſtianorum nomen putabat, 885. Imperio ſe abdicat, 887. Ejus figura leo, 803.
Diotrephes, ambitioſus, Joanni Apoſtolo reſiſtit, 813. Lenitas Apoſtoli erga Diotrephem, 814.
Diſcretio ſpirituum in quo ſita, 224. Quàm neceſſaria primis Eccleſiæ temporibus, 235.
Diſcrimen ciborum inutile apud Chriſtianos, 448. Quamente exerceri queat, *ibid.*
Diſſidia oriuntur ex ſuperbia, ambitione, &c. 421, 420. Iſta potiſſimum evitari jubet Paulus, 149. Sententiarum diſſidia inter Corinthios, 219.
Divinitas revera Chriſto conjuncta, *corporaliter* in ipſo habitat. Quid illa ſignificent, 444. 445.
Dives, qua ratione ſalutem comparare inter divitias debeat, 520. Multæ damnationis cauſæ illi ſunt, 695. Similis eſt verno flori, *ibid.* Paupertimo in Eccleſia non præſtat, 701. Fleat gemat que, 710. Ejus opes efficit inutiles ac pernicioſas avaritia, 710. Punitur vel hac in vita, 717. Juſtum occidit, *ibid.*
Divitiæ apud avarum putreſcunt, 716.
Divitiæ fidei verorum pauperum ſunt, 702. Terrenæ opes ſuperbia nunquam vacant, *ibid.*
Divites. Adverſus homines opum immodicè ſtudioſos, 710. Quàm pernicioſa avaris, *ibid.*
Divortium Nova lege vetitum, 194.
Doctor, qui eſſe debeat, 707. Cur Doctoris gentium nomen uſurpet Apoſtolus, 500. Opem præſtare debes docenti, 377.
Doctores ſeu Catechiſtæ magnatum Eccleſiarum, 400. Pſeudo Doctores Galatis ſuadere conantes legis obſervationem, illos non amabant, 389. Pernicioſi ex Judæis Doctores, quos arguit Paulus, 494. Dei furor illos corripiet, 405. Pſeudo-Doctores Paulo detrahentes, 402.
Doctores. Horum munus in Eccleſia, 125.
Doctrina ſana, quid ſit apud Paulum, 485.
Doctrina Apoſtolorum ſanctè ſervanda, 787, 788. Nulla eſt vera doctrina, præterquam Apoſtolorum Chriſti, 808, 809.
Doctrina aliena, mendaces & pernicioſæ, 653.
Domicilium verum Chriſtianorum, 431.
Dominationes, Virtutes, Poteſtates cœlorum, nomina ſunt ex iis deſumpta, quæ apud terrenos Principes gerebantur, 388
Dominationes ſunt vel Reges terræ, vel Beati Spiritus cujuſdam ordinis, 440.
Dominatio, a Deo in terris inſtituta, cui parendum, 821. Epiſcopis vetita, 753.
Domini Herorum officia erga ſervos, 410. Tales ſe exhibere debent ſervis, quales ſibi eſſe cæteros cupiunt, *ibid.* Id præſtent ſervis, quod exigit juſtitia, 452. Olim judices ſervorum erant, & vitæ ac mortis arbitri, *ibid.* Jubet Chriſtiana Religio, cogitare Dominos, judicem ac Dominum ſibi in Cœlis eſſe, *ibid.*
Dominica dies, religioſa quovis tempore apud Chriſtianos, 249, cujus religio vetuſtiſſima, 844.
Dominicani Molinæ librum impugnant, 19. Pugnæ hujus conſequentia Librum Molinæ ad Inquiſitores deferunt, *ibid.*
Domus Cœleſtis eſt corpus glorioſum & redivivum, quod expectamus, 269.
Dona Dei mutari & revocari nequeunt, 112.
Dona ſpiritualia, quibus inſtruebantur Corinthii, 204. Quomodo iis utendum, *ibid.*
Dona Spiritus Sancti apud Corinthios vulgaria, quibus nonnulli abutebantur, 223.
Dona ſupernaturalia. His bene utendum, 784. Pignora ſunt immortalitatis & reſurrectionis, 270. His ne ſuperbias, 124, 245. Vulgaria erant ſecundo, tertio, quarto ſæculis, 225, 223, 224. Plura horum genera, unus omnium author Spiritus Sanctus, 223.
Donum. Guſtare Dei donum, 604. Omne donum perfectum ex nobis non eſt: quid hoc ſit, 697.
Donum gratuitum. Quidquid largitur Deus, eſt gratuitum, 928.
Donum ſapientiæ in quo ſitum, 224. Scientiæ, *ibid.* Fidei, *ibid.*
Dormire, mori, 222, 468.
Dorotheus Tyrius Cepham a Petro diſtinguit, 308.
Draco, ſerpens antiquus, eſt dæmon, 922. Qua ratione dicatur abyſſo clauſus, tametſi Eccleſiam vexare non ceſſat, 923.
Draco Ruſus, quid in Apocalypſi ſit, 889. Deſcribitus, *ibid.* Vincitur, at non necatur, 890.

E

Ebionitæ, hæretici, quo tempore deſierint, 535. Omnes Pauli Epiſtolas rejiciebant, 4.
Ebrietas Spiritus Sancti, qua ſpiritalia carmina dicimus, 407.
Ebrietas ab Apoſtolo damnata, *ibid.*
Ebrietas e cruore Sanctorum quid ſit, 909.
Eccleſia Jeſu Chriſti. Ejus inſtitutio, prodigium eſt divinæ potentiæ, 168. Gloria eſt Jeſu Chriſti, 484. Significatur hoc nomine vel Fidelium collectio, vel cœtuum agendorum locus, 219.
Eccleſia impios nonniſi invita dolensque a ſe abjicit, 182. Abjectis a ſe malis Chriſtianis, nihil amittit, 504.
Eccleſia, corpus eſt, quod ab impiis exſtirpari nequit, 786. Ejus figura, mulier Apocalypſeos, 879. Domus Davidis eſt. Eccleſiam Petrus unam conſtituunt, 855. Templum eſt apud Apocalypſim, 883. Qua ratione Deus Eccleſiam ab infeſtatoribus defenderit, *ibid.* Nulla extra Eccleſiam ſalus, 809. Pax Eccleſiæ diuturnior, quàm illius bella, 921. Quæ præſtantiſſima Eccleſiæ ornamenta, 919. Urbs Sancta eſt apud Joannem, 884. Mulier amicta ſole, &c. 888. Mulier fœcunda, 889.
Eccleſia corpus eſt, Chriſtus caput, e quo ingenti gloria donatur, 389. Ædificata eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, 393. Summa Dei ſapientia, qua conſtructa eſt Eccleſia, 395. Chriſti Sponſa eſt chariſſima, 408. Sancta & vera illius decora, quibus a Synagoga ſecernitur, 594. Vox eſt, tribunal, & cuſtos una veritatis, 531. Synagogam excepit. Membra Eccleſiam componentia, 594. Moyſi per figuram oſtenſa, 617.
Eccleſia primitivorum, quæ, 649.
Eccleſia triumphans, deſcribitur, 927. Ejus elegantia poſt ſupremum Judicium, 928.
Eccleſia, quæ fuerint ætate Apoſtolorum, 561.
Eccleſia, Chriſtianorum Templa, aſylum Chriſtianis fuere, everſa per Alaricum & Genſericum Roma, 915.
Eclypſis. Quid ſit apud Apocalypſim eclypſis ſolis, lunæ, & ſtellarum, 876.
Edere. Quibuſdam cibis uti aut abſtinere, res per ſe ad ſalutem indifferens, 136. Cibus potuſque non ſunt regnum Dei, 401.
Edicta Gentilium Imperatorum primò quidem adverſus Miniſtros tantummodo, deinde ad univerſos Fideles prorogata, 889. Edicta Chriſtianis amica adeò coacti fuere, 891.
Educatio filiorum bona, ſalutis comparandæ modus matri, 508.
Efficacitas invicta gratiæ, 468. Non ſemper utitur prodigiis Deus ad impiorum converſionem, *ibid.*
Eleazar. Ejus perpeſſiones, 641.
Electa, matrona, ad quam Joannes ſecundam Epiſtolam dedit, 806. 807. Pro Eccleſia, *ibid.* Duæ ſunt ejus nominis matronæ, 810.
Electi. Multi vocati, pauci electi, 121. Cur, 725. Quo pacto fiat Electorum delectus, *ibid.*
Electi. Quo ſenſu hæc vox in Scripturis uſurpetur, 529. Utrum ante reprobos in vitam rediturі, 470. Electi duntaxat obviam ibunt Chriſto, *ibid.*
Electio, in Tempore incerta, 726, 727. Sorte electi ſumus in Chriſto. Electio noſtra plane gratuita, 386, quantum ex Deo eſt, 391. Electio Dei effectu non caret, 104.
Eleemoſyna, quo modo præſtanda, 126, 750. Mos Hebræorum in piis largitionibus faciendis, 283. Varia eleemoſynæ nomina apud Apoſtolum, 285. Semen eſt terræ creditum, *ibid.* Quæ hic ſeceris, in æternitate colliges, *ibid.* Reddet in amplis Deus quæ hic ejus cauſa dederis, 286. Bonis interdum etiam terreſtribus, hac in vita cumulat eleemoſynæ ſtudioſos, *ibid.* Laudes & gratiarum actiones a ſpectantibus Deo comparat eleemoſyna, *ibid.* Eleemoſynæ, quas colligebat Paulus ob pauperes Jeroſolymitanos, 143, 144, 219. Singulis Dominicis diebus colligebantur, *ibid.* Optat eas bene acceptas eſſe, 144. Eleemoſynæ Macedonum Chriſtianorum in pauperes Jeroſolymitanos, 280, quas æmulari Corinthios jubet Apoſtolus, 281, 284. Bonam largientis voluntatem magis ſpectat Deus, quàm ipſam largitionem, 282. Eleemoſyna utique adeò non exigitur, ut tu inops fias, *ibid.* Utilior danti eleemoſyna quàm accipienti, *ibid.*
Elementa mundi, ſcilicet humanæ ſcientiæ principia. His gloriabantur pſeudo Doctores, 444. Aliæ harum vocum explicationes, *ibid.* Elementa mundi, ſub quibus ſerviebamus, 367. Quæ futura ſint poſt reſurrectionem, 338.
Elementa ſermonum Dei, 601.
Elias Cœlum aperit clauditque precibus, 721. Cum Deo queritur, minimum eſſe hominum fidelium numerum, 117.
Elias & Henoch in Antichriſtum pugnaturi, 326. Verum Eliæ vaticinium, ex quo hauſit ſententiam Paulus, 400. Sententia de reditu Eliæ & Henochi in ſæculorum exitu, tamquam

Digitized by Google

quam fidei articulus non exiſtimatus, 943.

Elion, nempe Altiſſimus, 609.

Eliſæus a pueris deriſus, 643.

Eloquentia & vis oratiunum Pauli, 4. Ejus effecta, 259. Illam admirantur vel eloquentiſſimi, 201.

Encratitæ, priorum ſæculorum hæretici, 537.

Epænetus, primus Chriſtianorum Aſiæ ſive Achajæ, quis, 246.

Epaphras, Laodicenſium Epiſcopus, ætate Pauli, 857.

Epaphras, Coloſſenſium Epiſcopus, 436. Quæ de illo novimus, 438. Pauli Diſcipulus, Philemonem convertit, 558. Coloſſenſium Epiſcopus, & cum Apoſtolo vinctus, 563. Ab Apoſtolo commendatur. Verus erat Dei ſervus, ſuorumque Coloſſenſium ſtudioſiſſimus, 454.

Epaphroditus, Philippenſium Epiſcopus & Apoſtolus, Epiſtolam ad Philippenſes detulit, 416, 435. Romam a Philippenſibus miſſus, ubi ægrotat; remittitur in Macedoniam, 414, 426. Utrum Philippenſium Epiſcopus, *ibid.* Gravis Epaphroditi morbus; obſequium erga Paulum; laus, *ibid.* Pecuniam a Philippenſibus ad Paulum detulit, 434.

Epheſii, quos Paulus divina cognitione cumulari cupit, 388. Rogat Apoſtolus, ut dignam vocatione ſua vitam inſtituant, 398. Pauli Epiſtola ad Epheſios, quo tempore & loco ſcripta, 381, 382. Utrum Epheſo peragrata hanc Epiſtolam dederit, *ibid.* 387. Epiſtola ad Epheſios num & ad Laodicenſes data, 382. Utrùm geminæ ſint ad Epheſios, *ibid* 5. Orationis genus & obſcuritas Epiſtolæ ad Epheſios. Quid ſibi propoſuerit Paulus, illam ſcribens, 383. Romæ ſcripta ab Apoſtolo vinculis detento, 381. Magicen amabant Epheſii, 390. Quid illi ante vocationem eſſent, 391.

Epheſus, Minoris Aſiæ princeps, urbs corruptiſſima, 381. Quo tempore & quoties eò venerit Paulus, *ibid.*

Epicurei, eorum inſtituta, 244.

Epimenides, Cretenſium Propheta, 549.

S. Epiphanius, quid de imbecillitate Circumciſionis ſenſerit, 29, de ſalute Gentilium, 32; de baptiſmo pro mortuis, 267.

Epiſcopatus, quo pacto illum optare liceat, 502. Egregia hac de re SS. Auguſtini & Hieronymi ſententia, *ibid.* Utrùm ad Epiſcopatum evehi queant homines nuper converſi, 503. Cur olim Epiſcopatum fugerent; & quomodo in adminiſtrandus, 753.

Epiſcopus. Quibus animi ornamentis eorum dignitas cuſtodiatur, 552. Epiſcopi & Presbyteri appellatio olim utriſque communis, 410. Quid hæc vox ſonet, 502. Epiſcopi decora, *ibid.* Exemplum Chriſtianorum, 511, 520, 546, &c. Epiſcopus Presbyterorum & Laicorum judex, quo pacto auctoritatem exercere debeat in utroſque, ubi de aliquo crimine accuſantur, 525. Ordinarius eſt judex litium inter ſuos cuoſtratum, 286. Angelus eſſe debet in terris, 847. Hoc nomine Epiſcopos deſignat Joannes in Apocalypſi, *ibid.* &c.

Epiſtolæ Pauli, earum præſtantia, 1. Supplementum Evangelii ſunt, ſive alterius Evangelii loco, *ibid.* Utrum aliquid contineant minimè divinitus inſpiratum, 4.

Epiſtola ad Romanos, Græcè, non Latinè, ſcripta, 3. Cur cæteris Pauli præpoſita, 2. Hujus obſcuritas & ſublimitas, *ibid.* Pauli propoſitum in ea Epiſtola, *ibid.* Canonica eſt, 3. Tempus ſcriptionis, *ibid.*

I *Epiſtola ad Corinthios*, unde data, 252, 251. Hujus fructus, 278.

II *Epiſtola ad Corinthios*, ejus epitome, 253. Data Philippis in Macedonia, per Timotheum & Titum *ibid.* &c.

Epiſtola ad Theſſalonicenſes, prima omnium Paulinarum, 458. Corinthi ſcripta circa annum Chriſti LII. Epiſtolæ occaſio, *ibid.*

Epiſtola ad Coloſſenſes, per Tychicum & Oneſimum miſſa, 437. Romæ, ubi in vinculis detinebatur, illam dedit Paulus, 436. Inter Pauli Epiſtolas pulcherrimæ & quæ maximè efficiant, ex ſuis, quas vinctus ſcripſit, *ibid.* Quibuſdam in libris præponitur Epiſtolæ ad Philippenſes, 457.

Epiſtola ad Philippenſes, unde ſcripta, 414. 435.

Epiſtola ad Epheſios circa ad omnes Aſiæ Eccleſias, 384. Utrùm ad Laodicenſes ſcripta, 382. Utrum hanc Laodicenſibus legi juſſerit Paulus, 456.

Epiſtola ad Laodicenſes ſuppoſita, quam quidam genuinam crediderè. De ea judicium, 455. 456.

Epiſtola ad Galatas, ad omnes Galatiæ Eccleſias, 311. Auſteriùs me eſt omnium, quas ſcripſit Paulus, quòd rudiori ingenio eſſent Galatæ, *ibid.*

Epiſtolæ Canonicæ & Catholicæ, cur ita dictæ; quo ordine diſtributæ, 659. Earum numerus, 660. Earum argumentum, & character, *ibid.*

Equuleus, ſupplicium, 642.

Equi rufus niger, pallidus, quid ſignificent in Apocalypſi, 866. Quid equus albus, 865.

Eraſmus putaſſe videtur, Gentiles quoſdam ſalutem aſſecutos, 33.

Eraſtus, quis. Præfectus ærario urbis Corinthi, 250, 541.

Erubeſcere Chriſtum non oportet, 525.

Eſau ſtupidè uſurpatus, 648.

Eſcarum uſus modicus & immodicus, 592.

Eſſeni, quid de animabus poſt corporis mortem ſentirent, 7. Principibus parebant, 230.

Eſtius, quid ſenſerit de Baptiſmo pro mortuis, 259.

Evangeliſtæ, qui, ætate Pauli. Apoſtolis inferiores. Quid ſei eſſent Evangeliſtæ ſeu concionatores, 530.

Evangelium, ſpeculum veritatis, 699. Lex libertatis, ſervanda tamen, *ibid.* 704. Quo pacto mortuis prædicatum, 748. Æternum nuncupat Joannes, uti oppoſitum Legi Moſaicæ, quæ uſque ad Chriſtum ſteterit, 899.

Evangelium eſt Chriſti gloria, 267. In veterum Prophetarum libris nunciatum, 43. Quo pacto ſalutem pariat credentibus Chriſto, 48. Gentiles iniquitatis & impietatis arguit, 49. Miniſterium Evangelicæ prædicationis Paulo creditum, 266.

Evangelium, exemplar eſt, ad quod nos formari decet, 85.

Evangelium a Chriſto hominibus traditum, abſque hominis ope, 365. Quatuor Evangelia propriè unum ſunt, 351. Evangelium gentibus prædicatum: ejus myſterii majeſtas & gloria, 442. Evangelium una lex eſt nunc obtinens, quam Paulus cæteris ſubſtituit, 405, 496. Quid ſit Evangelium gloriæ, *ibid.* Evangelium omnibus nunciandum, antequam veniat Antichriſtus, 484.

Evangelium Jeſu Chriſti, ubique terrarum cognitum, pereuntibus duntaxat opertum, 266. Qua ratione illud ubique terrarum nunciari voluerit Deus. Prodigium potentiæ & ſapientiæ Dei, 225.

Evangelium Lucæ, eodem tempore ſcriptum, quo prima ad Corinthios, 220. Chriſti verba recitat Paulus ex eo Evangelio, *ibid.* Illud nonnulli Paulo tribuunt, 5. 59.

Evangelium Pauli, 59, 250. 329. Convenit cum Prophetarum ſcriptis, lucemque mutuam dat & accipit, 152. Quam latè per orbem Paulus Evangelium prædicaverit: prædicavit autem, ubi ignotum erat Evangelium, *ibid.* Sperat ſe quantocius profecturum Romam, hactenus prohibitum, 145.

Eubulus, e primis Romæ Chriſtianis, 542.

Euchariſtia. Hujus inſtitutio apud Paulum narratur, 220. Nunc vulgo a jejunis ſumitur: olim poſt cibum, 219. Verus eſt animæ cibus, eſcis corporis præferendus, 653. Manna eſt abſconditum apud Joannem, 851. Lac animarum, 732.

Eva, prima mulier, ab angue decepta, 502.

Evellius, Chriſtianus Martyr ſub Nerone, 435

Eugenius, Idololatriæ patronus, a Theodoſio Imperatore profligatur, 904.

Evitare excommunicatos, 185.

Eunice, Timothei mater piiſſima, 525.

Evodia, Chriſtiana mulier Philippenſis, quam monet Paulus, ut pacem cum Syntyche colat, 831.

Euphrates arefactus, quando & cur, 906. Tropica explicatio, *ibid.*

Euſebius, Edeſii diſcipulus, de Maximo Philoſopho apud Julianum Apoſtatam obloquitur, 896.

Eutropius pro Rufino præficitur exercitui, 905.

Extaſis mentis Chriſtiani, 763.

Excommunicatio. Hanc plerumque conſequebatur morbus ſeu Dæmonis invaſio, 183. Animum deprimit in ſalutem, 184. Ejus utiliter infligendæ regulæ, 488. Nedum apud Chriſtianos, verum etiam apud Judæos & Gentiles uſurpata, 183. Nunquam ea utitur Eccleſia, niſi mœrens, *ibid.* lugendique ceu mortuos, quos abjecit, *ibid.* Ferire poteſt anathemate vel abſentes, *ibid.* Dolendum eſt Paſtori, ubi quis excommunicandus eſt, 301. Præmittendæ monitiones, *ibid.* Peropleuo ſupplicio ſolebat plerumque Deus afficere homines anathemate inuſtos, *ibid.*

Excommunicationis abſciſſio, ſive exſectio, quam Paulus Pſeudo Apoſtolis imprecatur, 374.

Excommunicatio duplex, major & minor, præſertim apud Monachos, 488. Minor, quæ quis a vitæ conſuetudine non arcetur, probrum ſolummodo ſalubre inducitur, *ibid.*

Exempla Sanctorum ſemper ſpectanda, 652, 653.

Exercitationes corporis & animi, vario modo utiles, 510, 525.

Exhortari, ſive conſolari. Qui exhortandi dono præditus eſt, eo in cæterorum ſalutem uti debet, 126.

Expers, quid ſignificet, 602.

Exterminatio prolata in hominem circumciſione carentem, 47.

Extrema Unctio, inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, 719, ex Jacobo Apoſtolo demonſtrata, 720. Ejus conferendæ modus, *ibid.*

F

F*Abulæ*, quibus certiſſimæ Religionis hiſtoriæ obvolvuntur, earum veritati non nocent, ſed favent, 670.

Facies Dei micans ut ſol nitidiſſimus, 846.

Falx acuta, figura Divinæ ultionis, 900, & belli, 901.

Fama communis. Tum in bona tum in mala conſtans eſt Paulus, 275.

Fanatici, refutati, 639.

Fauſtus Rhegienſis, Semipelagianis favet, 12.

Felicitas. Opinio Judæorum de felicitate, refellitur, 345.

Fermentum. Modicum fermentum totam conſperſionem corrumpit, 184. 363. Hoc de Paſchatis tempore, quo vetitum eſt fermentum, intelligendum eſt, *ibid.* Judæi ante Paſchatis feſtum domos fermento purgabant, 184.

Fervor. Quàm rarò contingat, ut quis fervore creſcat, 851.

Feſta Judæorum, quæ a Chriſtianis ſervari jubebant pſeudo-Apoſtoli, 446. Umbra ſunt futurorum, *ibid.*

Feſti dies ab Eccleſia inſtituti, 135.

Fideles. Qui veri fideles ſint, & quo pacto ab infidelibus ſecernantur, 759. Fidelibus benefacito plusquàm cæteris, 378.

In alte-

In altera vita potiſſimùm veri Fideles dignoſcentur, 479. Saluti Sanctorum, Fidelium, & Electorum ferviunt omnia, 209. Vir aut uxor fidelis, Religionis cauſa repudiati, ad alteras nuptias tranſire poſſunt, 195. Jeroſolymitani Fideles ab Judæis hoſtibus ad inopiam redacti, 282. Utrum conjuges, quorum alter fidelis eſt, alter infidelis, ſimul conſueſcere poſſint, 194. 193. Fideles diſperſi, qui, 693.

Fidelis. Deus ſemper fidelis, qua ratione, 530. Quo ſenſu Apoſtolus ſeſe Deo fidelem dixerit, idemque de ſe quiſque dicere queat, 496.

Fidelitas hominis, quanti æſtimetur a Deo, 855. Judæorum infidelitas inanem non reddidit Dei fidelitatem, 61. Nulla eſt Judæis infidelibus excuſatio, 62.

Fides probata, quid agat, 694. Abſque bonis operibus inutilis, 699. Per fidem nobiles apud Deum reddimur, 701. Clypeus eſt adverſus diabolum invictus, 754. 755.

Fides, Dei donum, quam ipſe animis hominum infundit, 465. Optat Paulus Theſſalonicenſium fidem confirmare, *ibid.* Germanum noſtræ juſtificationis principium, 339. Ad juſtificationem fides cum operibus exigitur, 363. Fides cum charitate conjuncta hominem juſtum efficit, 373. Qua ratione fides Eccleſiæ quæri nequeat, 138. Fides eſt clypeus, quo adverſus hoſtis tela protegimur, 411. Fides non omnibus data, 485. Multi ſunt fidei hoſtes, *ibid.* Fidei natura, laus, effecta, argumentum, 635, *&c.* Per illam creditur creatio, 636. Major eſt Philoſophia, *ibid.* Veterum Patriarcharum fides, *ibid. &c.* Abſque Fide placere non poteſt Deo, 637. Quàm illuſtris quarumdam mulierum fides, 641.

Fides in Chriſtum Jeſum, nunquam non ad ſalutem neceſſaria, 71. Per hanc juſti efficimur, 65, 67, 74. Hanc ſaltem tacitam eſſe oportet, 36, 37.

Fides, ſpes, charitas, ad ſalutem neceſſariæ, 231. Nemo placere Deo ſine fide poteſt, 35. Fides implicita & explicita, quid ſint, 36. Per fidem juſti efficimur, 114. Corde credere, ore confiteri, utrumque ad ſalutem neceſſarium, *ibid.*

Fides ſejungi nequit a virtute boniſque operibus, 760. Per eam mundum vincimus, 790. Salutis origo eſt, 726. Probatam eſſe oportet, 727. Quæ maxima fidei laus, *ibid.* Fidei argumentum, 731. Abſque bonis operibus, inutilis, 705. 706. Cum corpore anima deſtituto comparatur, 707. Bonus latro per fidem ſervatur, *ibid.* Fides conſummata in quo ſita, 705.

Fides Chriſtiana. Utrum malum ſit, quidquid extra Chriſtianam fidem geritur, 158. 159.

Fides, noſtræ juſtificationis cauſa, donumque Divinæ munificentiæ gratuitum, 74. Utrum juſtos faciat abſque operibus queat, 48.

Fides Abrahami illi ad juſtitiam adſcripta, 73. Nobis item noſtra, *ibid.* Per fidem efficimur filii Abrahami ſpiritu, & ejus promiſſionum hæredes, 71. 72.

Fides. Omnes ad fidem vocantur, 65. Eam gratis largitur Deus, *ibid.* Quæ ſit fides juſtificans, 67. Subjiciendus eſt intellectus lumini fidei, 46. In fide verſamur, non in rerum perſpicuitate, 270. Fides montes transferens, 228. Fides perſpicax, quam ſapienter uſurpanda erga imbecilliores, 138. Fides legem perficit, 68.

Fiducia. Si nihil exprobret conſcientia, id ingens eſt fiduciæ argumentum, 794. Oritur ex fide in Chriſtum, 801, 802. Fiducia juſta & ſancta, 734.

Figura. Omnia Hebræis in figura contingebant, 209. 213.

Filius Dei, principium eſt operum Dei, 857, primogenitus inter creaturas, *ibid.*

Filius dum minor eſt, non differt a ſervo, ſed tutoribus paret. Hujuſmodi erat Judæa gens, ſive univerſum hominum genus uſque ad Chriſti adventum, 367.

Filius maſculus. Hi ſunt Fideles, qui Chriſtum fortiter confitentur, 889.

Filii Dei. Quàm glorioſa dignitas filiorum Dei, 789. Filii Dei quo ex indicio dignoſcantur, 791, 803. Filii Dei ex carne, filii Dei ex ſpiritu, 22.

Filii Fidelium, qua ratione per parentes fideles Sancti efficiantur, 191.

Filii a Romanis ac pleriſque Gentilibus paſſim exponebantur, 53.

Filii maledictionis, qui, 769.

Filius perditionis, Antichriſtus, 318.

Filii obediant parentibus propter Dominum, 409; quibus debent obſequium honorem, opem, *ibid.* Quam obedientiam parentibus debeant, 451. Filii lucis, filii diei, 478, 472. Filii iræ. Homines univerſi per originis peccatum filii iræ ſunt, 300.

Flagellum. Apud Judæos flagrorum ictus xxxix non ſuperabant. Paulus quinquies flagris a Judæis plectitur, 295.

Flamma ignis, ex Dei oculis emicans, infinitam illius majeſtatem & ſcientiam ſignificat, 845. Inter flammas venturus eſt Deus ad judicium in vivos ac mortuos exercendum, 470. Si corpus flammis exurendum tradas, & charitatem careas, nihil profuturum eſt, 229.

Florus, Diaconus Lugdunenſis, ſcripta Joannis Scoti Erigenæ refellit, 25. Ejus ſententia de Gotheſcalchi cauſa, *ibid.*

Flos, locupletis figura, 695.

Florentius, Epiſcopus, in Concilio damnatus, cur, 322.

Fœdera, quorum monumenta certis ſignis ſervabantur, 24. Tria fœderum genera, a Deo cum hominibus inita, ex Clemente Alexandrino, 34.

Fœdus a Deo initum cum Abrahamo ejuſque poſteris ſpiritu, 364. Fœderis hujus hæredes propriè ſunt Chriſtiani, *ibid.* Novi fœderis ſupra vetus præſtantia, 583, 614, 618. Alterum alteri ſubſtitutum, 618, 619. Quo pacto Chriſtus novi Fœderis author, 630. Qua ratione a Chriſto inſtitutum, ejuſque ſupra vetus præſtantia, 633.

Fœdus Dei cum Judæis, 204. Antiquum fœdus vitulorum cruore confirmatum, Novum Chriſti ſanguine, 221. Hujus præſtantia, *ibid.*

Fontes exſilientes, in ædibus Regum Orientalium, 869.

Fornax ardens, in quam injecti ſunt tres Hebræi adoleſcentes citra læſionem, 642.

Fornicatio, quam grave & iniquum ſcelus, 190. Fugienda, *ibid.* Hoſtis eſt te perſequens: fuge, 190. 191. Apud Ethnicos peccati loco non habebatur, 189.

Fornicatio Hebræorum cum Moabitidis a Deo punita, 210.

Fornicatio pro idololatria, 899.

Fornicatores, apud Scripturam ſunt Gentiles, impii, 185.

Forſitan. Hac voce utitur Paulus, incertus, utrum propoſitum ſit expleturus, 430.

Fortunatus, Corinthiis commendatur a Paulo, 251.

Fortunatus & Achaicus Paulum Epheſi convenerunt, 265.

Frangipani, Octavius, Papæ Nuncius ad Belgas, quid geſſerit circa libros Leſſii & Hamelii, 28.

Fratres falſi, quibus ne momento quidem temporis ceſſit Paulus, 316.

Fructus juſtitiæ, quibus cumulari Philippenſes optat Paulus, 428. Opera noſtra, fructus noſtri, *ibid.* Chriſtus arbor, nos rami, *ibid.*

Fructus Spiritus Sancti, qui, 375.

S. Fulgentius, adverſus Semipelagianos ſcribit, 22.

Fumus, Divinæ majeſtatis indicium in veteri Templo, 903.

Fundamenta quæ Paulus poſuit in Corinthiorum Eccleſia, ſunt ſana dogmata, 174. Pſeudo Doctores ſuperſtruunt ligna, ſtipulam, &c. 173. Quid hoc ſignificet, 175. 176.

Fundamenta Eccleſiæ ſunt Chriſtus, Apoſtoli, Prophetæ, ſuo quique modo & ordine, 393.

Fur. Cur Deus ſeſe cum fure comparet, 908.

Furtum, pro qualibet iniqua rei parandæ arte, 403.

G

GAbriel, creditus fuiſſe Angelus fortis, de quo Joannes, 862.

Gaius, ſive Cajus, ad quem Joannes tertiam Epiſtolam dedit, cujas eſſet, 777. Laudes illius, ad quem ſcripſit, 812.

Gaillard, Jacobus, quid ſenſerit de Melchiſedecho, 580.

Galatæ. Prolegomenon in Epiſtolam ad Galatas. Horum origo. Cur Paulus ad eos ſcripſerit. Sententiæ Galatarum ex Judæis converſorum ad fidem. Cur Petrum Paulo anteferrent, 305. Unde Paulus hanc Epiſtolam ſcripſerit, 306. Specimen Epiſtolæ ad Galatas, 305, 306. Graviſſima ad mores monita ab Apoſtolo ibi tradita, 306. Utrum Judæi an Gentiles eſſent Galatæ, *ibid.* Quo tempore & loco Epiſtola ad Galatas ſcripta. Variæ Patrum & Interpretum hac de re ſententiæ, *ibid.* Quæ omnium optima videatur, *ibid.* Gens rudis & inconſtans erant, quamobrem aſperius ad hos quàm ad cæteros ſcribit Paulus, 351. Elementis Mundi, & obſervationibus legis iterum ſubjici volebant, 368. Quantas inter ærumnas apud eos prædicaverit Paulus, & quapropter illos amet, 369. Erga illos erat tamquam mater, natum in utero formans, 369, 370. Aliqua inter illos diſſidia, 374. Acrius cum illis agit Paulus ob craſſum & hebes illorum ingenium 360. Decipi ſe a pſeudo-Apoſtolis paſſi ſunt, 360, 361.

Galatia. unde Galatarum nomen. Ibi prædicat Paulus, & Eccleſiam inſtituit, quam amicè excepta. Primus ibi Evangelium nunciat gentibus, poſtquam ibidem Petrus nunciaverat Judæis, 305, 315.

Galatia duplex, 725.

Galerius Maximinus, urſo deſignatus, 893.

Gaudium inter ærumnas, 693. *Lætitia glorificata*, quæ, 717, 728. Gaudendum de fratrum gaudio, 127. Gaudium Chriſtianum, inter Chriſtianos commendatum, 473.

Gehenna, Infernus, 709.

Gemitus inenarrabiles, a Spiritu Sancto creati, 99.

Genealogia, quid ſint apud Paulum, 498.

Gentilis ad Hebræis dicitur quiſquis origine Judæus non eſt, 17. Triplex gentilium genus. Alii ante vel poſt legem vixere, veram Religionem ſecuti; alii nulla veritatis cognitione præditi, idololatriæ flagitiis ſaſtati ſunt; alii denique Deum cum cognoverint, non ſatis coluere, 31. 32. Utrùm gentiles, qui Moyſis legem & Evangelium ignoravere, ſalutem aſſequi potuerint, 31. &c. Gentiles, gens neglecta, ac ferme populi appellatione indigna, ad fidem vocati, excluſis Judæis, 116. Horum figura Hebræi e captivitate Babylonica reduces, 888. Ne ob vocationem ſuperbiant, 330. Paulus a Deo electus gentium Apoſtolus, 354.

Gentiles ad Chriſtum converſi legis ritus non ſervabant, 338. Gentium vocatio, myſterium Judæis ignotum, 394. Gentium ad fidem vocatio, 183. Ferre debent Judæos in fide infirmos, 133 &c. 139, &c. Minimus Fidelium præſtat primo gentilium, 188. Chriſtiani Achajæ ex gentilibus pauperes Jeroſolymitanos pecunia juvant, 244.

Gentiles vinci ſe ratiocinatione & eloquentia volunt, 167. Quod præbere nunquam potuit philoſophia, id gentiles in Chriſto & gratiæ ac vocationis viribus nacti ſunt, *ibidem.* Per fidem effecti ſunt Abrahami filii ſpiritu, 71; promiſſionum illi exhibitarum hæredes, 72. Sibi ipſi lex fuerunt,

dum naturæ legem ſequebantur, 58. Philoſophiam illis prabuit Deus, ut ejus ope ſalutem aſſequerentur, ex Patrum quorumdam ſententia, 34. Jurgium gentilium cum Romanis Judæis ad Chriſtum converſis, ſcandalum in Eccleſia parit, 3.

Gentiles & Judæi meritis pares, gratia vocati, 322, 323, 441. Gentium converſio prænunciata. Promiſſa illis exhibita in Prophetis, 241. Gentiles ramus ſylveſtris ſativæ oleæ inſertur, 110. Eam ob rem gloriari non debent, neque ſpernere oleam, qua aluntur, *ibidem*. Cadere poſſunt, & ad infidelitatem reverti, 111. Ob Judæorum infidelitatem vocati, *ibidem*. Excluſis Judæis infidelibus, adoptati, 328.

Germane compar. Utrum his verbis Paulus virum aliquem ſignificaverit; an uxorem ſuam, an virum Syntychea, vel Evodiæ, an Silam, Barnabam, Epaphroditum. An hæc verba ſonent abſolute, vir cariſſime, ſive, uxor cariſſima, 452.

S. Germanus Altiſſiodorenſis in Britanniam miſſus adverſus Pelagianos, 11.

Gladius. Sancti complures gladium effugere magnitudine fidei, 642; Alii pertulerunt, 643. Princeps gladium defert, ad impiorum terrorem, 231.

Gladius anceps, Dei eſt, vindictam ſignificans: Item eſt verbum Dei, 846.

Gladius excommunicationis, quo Paulus utitur levitèr, 303.

Gladius Spiritus, verbum Dei, 418.

Gloria Chriſtiani, qua in re ſita, 74.

Gloria Dei. Omnia in Dei gloriam facienda, 224. Homines univerſi egent Dei gloria, 66. Gloriandum in Deo uno, 66, non in nobis, 190.

Gnoſtici. Horum errores, 808. Cur hanc appellationem uſurpaverint quidam Heretici, 404. Quo tempore deſierint, 535.

Gobarrus, Stephanus, quid de Reſurrectione ſenſerit, 341.

Gordius Martyr. ſponte martyrio occurrit, 800.

Gotheſcalchus. Ejus hiſtoria, errores, damnatio, 12, 13. Moguntiam venit, 13. Perpetuo carceri addicitur, *ibid*. Fidei profeſſionem in carcere emittit, 13, 14. Optat doctrinam ſuam experimento ignis probare, *ibid*. Literas dat ad Nicolaum I, 16. Moritur, *ibid*. De eo ejuſque doctrina judicium, *ibid*.

Gothi, quam ſævè Romam vaſtaverint, 913. Ejus rei deſcriptio, 914.

Græci, quid de prædeſtinatione ſenſerint, 8. Chryſoſtomum ſecuti, adhuc noſtra ætate, *ibid. &c.* Latinorum diſputationes de prædeſtinatione & gratia non ignorarunt, 10. Utrum Paulus Græce ſciret, 298.

Græcus, uti oppoſitus Judæo, 410.

Grando, figura Divinæ ultionis. Interdum ſæviſſima cecidit, 909.

Gratia. Quælibet gratia eximia de Cœlo eſt, 697. Quàm neceſſaria unicuique Chriſtiano, *ibid*. Abſoluta gratiæ neceſſitas evincitur adverſus Pelagium, 708. Gratia confirmare cor, 651. Per gratiam Deus decretum noſtræ prædeſtinationis exequitur, 385. Gloriam omnem gratiæ ſuæ tribui vult Deus, *ibid*. Per eam filii Dei efficimur, 381. Quo modo in nobis agat gratia. Ut velimus facit, præter vim; oſtendit quod bonum eſt, & efficit ut amemus, 434. Gratiæ per ſe efficacis encomium, apud Apoſtolum, 406. Bonorum omnium fons eſt, ſine qua nihil boni fieri poteſt, 656. Eam Chriſtianis omnibus optat Paulus, *ibid*. Comparatur cum igne flagrante & vorante, 525. Penitus gratuita, *ibid*. Indigemus gratia, ſine qua nihil bonum atque æternitate dignum præſtare poſſumus, 162.

Gratia Paulo ſufficit in tentationibus, 299. Non ſe laboraſſe, ſed gratiam Dei ſecum teſtatur Paulus, 459.

Gratia pro largitionibus in pauperes, 280. Gratiæ auxilia præbet Deus ex miſericordiæ, ſapientiæ, juſtitiæ ſuæ regula, 285.

Gratia efficimur hæredes promiſſionum Abrahamo exhibitarum, 78. Gratiæ vis ſuperat vim peccati Adami, 80.

Gratia Dei tentationi æqualis, 255. Quædam gratiæ auxilia Gentilibus Philoſophis denegata, 35.

Gratia Jeſu Chriſti. Mira ejus virtus in Pauli converſione enituit, 140, & in Martyribus, 102.

Gratia ordinationis, in quo ſita, 512.

Gratiæ dona, interiora, & exteriora, in Baptiſmo collata, 223, &c.

Gregorius de Valentia, quid de prædeſtinatione ſenſerit, 18.

S. Gregorius Magnus, utrum crediderit, originis peccatum circumciſione dimitti, 47. Subſcripſit Auguſtino in quæſtione de Petro per Paulum redarguto, 307.

S. Gregorius Nazianzenus, an crediderit originis peccatum Circumciſione deleri, 300. Quid ſenſerit de quorumdam Gentilium ſalute, 31.

Grimani, Joannes, Aquilejenſis Patriarcha, quid ſenſerit de prædeſtinatione & reprobatione, 27. Ejus Epiſtola de hoc argumento ad Tribunal Inquiſitionis defertur. Ejus rei narratio. Epiſtola examini ſubjicitur Romæ, tum in Concilio Tridentino. Abſoluta pronunciatur, & orthodoxa ejus ſententia, *ibid*.

Grotius. Ejus ſententia de ſecunda Petri Epiſtola refellitur, 757, 758, tum & de Epiſtola Judæ, 817. Fallitur, ubi ait, primam Joannis Epiſtolam ex Inſula Patmos datam, 777. Nova illius opinio de pſeudo apoſtolis a Paulo redargutis, refellitur, 306. Cenſet perſuaſum fuiſſe Paulo, Judicium ſupremum ſua ipſius ætate eventurum, 530, & Simonem Magum eſſe Antichriſtum. Ejus ſententia de Epiſtolis ad Theſſalonicenſes exponitur & refellitur, 475, 476. Nova illius expoſitio in *genealogias* apud Paulum, 494. Is refellitur, 520. Non multum abeſt a quibuſdam Sociniſ ſententiis, 813.

Gubernatio. Hoc donum eſt Spiritus Sancti, 217.

Guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus; quid hoc ſignificet, 735.

H

HÆreditas Domini, populus Chriſtianus, 713.

Hæreditas æterna, quo pacto acquirenda, 726. Quibus ſervata, *ibid*.

Hæreſes, prænunciatæ: hujuſmodi vaticinium expleri incipit, 508. Oportet hæreſes eſſe, ut manifeſti fiant qui probati virtutis ſunt, 219. Per quos gradus ad hæreſim quis deveniat, 786.

Hæretici, propria illorum nota, 554. Quo modo & quoties arguendi, 555. Precurſores Antichriſti, 483. Horum ſeditio & criminationes in Romanum Imperium, 481. Primorum ſæculorum Hæretici quàm flagitioſi, 715. Horum ingenium, 767, *&c*. Mores, 824. Quo ſpiritu acti, 714. Eorum damnatio ſacris in libris deſcripta, 819. Illorum impietatem judicio exagitabit Deus, 823. Eorumdem flagitia primis Eccleſiæ ſæculis, 821. Figura Hæreticorum ſcorpii apud Joannem, & locuſtæ, 877. Cum hæreticis ne converſeris, 809. Plerique Gnoſticorum ſive Eruditorum appellationem uſurpabant, 811. Cum quo collati, 823.

Hæretici Reſurrectionem negantes, 353.

Hamelius. Ejus ſententia de prædeſtinatione in Lovanienſi Collegio cenſura notatur, 18.

Hammondus, novam dat explicationem in illa Apoſtoli verba, *Regi ſæculorum*, *&c* 497.

Harduinus Cepham a Petro ſecernit, 308. Exponitur ejus ſententia, *ibid*. Refellitur, 310. Quid de baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 157, 158.

Hebræi. Prolegomena in Epiſtolam ad Hebræos. Ejus præſtantia, & variæ de illa ſententiæ, 565. Scriptor, *ibid*. Utrum Lucas, Clemens Papa, Barnabas, Paulus alter ab Apoſtolo alius, 566, Apollo, Marcus. Non Tertullianus, ſed Paulus ipſe Apoſtolus, 567, qui nam ab alio exponi voluit, 569. Quo ſermone exarata, 569, *&c*. Græco potiùs quàm Hebræo, *ibid* Quo loco, tempore, occaſione, 571. Epitome ejus Epiſtolæ, 571, 572. Canonica eſt & authentica, 573.

Hebræi ſecundùm carnem: propria illorum decora, 428.

Hebræi ad Chriſtum converſi, ad quos ſcribit Jacobus, 698. Tamquam primores natu erant in Chriſti familia, *ibid*.

Hebræi infideles, refractarii, promiſſa regione excluſi, 609.

Hebræi ſuum habebant excommunicationis genus, 183.

Heinſius, quid de baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 157.

Helena, meretrix, quam ſecum ducebat Simon, 765, inter Simonianos celebrata, 501. Hanc eſſe notiſſimam Helenam Trojæ facem, ajebat, 534, 770

Henoch, Patriarcha, filius Jared, Mathuſalæ pater: ejus geſta, 936. Ejus tranſlatio, 938 Rediturus in tærena in exitu ſæculorum, 942. Alius planè ab Henocho Caini filio, 936. Ejus origo ex parentibus deducta, *ibid*. Quæſtio de Henochi tranſlatione, 938. Vide *Elias*. Sabbathum Henochi, feſtus dies ab Æthiopia Chriſtianis in Henochi obſequium celebratus, 937. Majoris excommunicationis formulam ab Henocho inſtitutam cenſent Hebræi, *ibid*.

Henoch. Librum Henochi laudat Judas, et apocryphum, 824 Origo libri Henoch, 944. *&c*. Variè exceptus in Eccleſia, *ibid*. Primus omnium Judas Apoſtolus meminit libri Henochi, 945. Liber Henochi nunquam habitus eſt canonicus, vel ab iis, qui genuinum exiſtimarunt, 948. Liber Henochi Æthiopice ſcriptus, ex Ægypto petitus, & in Regia Pariſienſi Bibliotheca ſervatus, 951.

Hermas, cui ſalutem dicit Paulus, utrùm idem ille, cujus liber extat ſub Paſtoris nomine, 148.

Hermes, Dalmatiæ Epiſcopus, 148.

Hermogenes, qui Paulum deſeruit, alius ab eo, quem Tertullianus ſcriptis exagitat, 526, 527.

Herodion, Pauli neceſſarius, quis, 147.

Hierapolis. Hierapolitanorum Fidelium res curat Epaphras, 443.

Hierarchia Cæleſtis. Angelorum ordo inter ſe ſervatus, non ſatis noſcitur, 440. Hinc in Scripturis adhibentur ad imitationem eorum, quæ in terrenis Imperiis ſpectantur, *ibid*.

Hieron. Ejus origo, & error, refellitur, 578.

Hierocles, Chriſtianos ſcriptis inſectatus eſt, 895.

Hieronymus, Præfectus Epheſi, 244

S. Hieronymus putat, Circumciſionem merum fuiſſe ſignum, quo Judæi a cæteris ſecernerentur, 29, 30.

Hilarius Diaconus, quid ſenſerit de Salute Gentilium, 33 & de effectibus Circumciſionis, 40. Subſcribit Auguſtino in quæſtione de Petro per Paulum redarguto, 307. Ait, Paulum ſevera cum beſtiis Epheſi pugnaſſe, 41.

Hincmarus, miſſum ad ſe Gotheſcalchum audit, eumque in Concilio Cariſiacenſi damnari curat, 15. Ejus geſta circa Gotheſcalchum, *ibid. &c*. Quid de his complures ſenſerint, 14, 15. Literas dat ad Lugdunenſem Eccleſiam, ut eam in ſuas partes trahat, 15.

Hiſpania. Utrùm Paulus profectus ſit in Hiſpaniam. In utramque partem argumenta, 243.

Hiſtoria Eccleſiaſtica, genuina eſt Apocalypſeos clavis, ut eam probe intelligas, 879.

Hiſtoria apocrypha recitantur interdum, ut verum aliquid doceas, 820.

He-

Homo, abſque Dei ope, mera eſt miſeria, 816.

Homo inviſibilis, quid ſit, 740. Homo interior, animus, mens, 397. Homo Dei, apud Scripturam, eſt homo probatæ pietatis, 519. Homo novus, nova creatura, 379. Novo homine induere, 450.

Homo peccati, Antichriſtus, 318.

Homo ſpiritalis omnia judicat, & a nemine judicatur; quid hoc ſit, 172. Doceri poteſt ab alio ſpiritali, *ibid.*

Homo animalis eſt qui ſenſus & rationis ſuæ dictata ſolummodo ſequitur, 172. Idem ſupa ac homo carnalis, *ibid.*

Honeſtas, a Paulo commendata, 468.

Honor, quem præſtari mutuum a Fidelibus jubet Apoſtolus, 189. Honor, quo germani Chriſtiani ſuprema die afficientur, 734.

Honor, *honorare*, quid hoc loco ſignificet, 515.

Honorius Imperator, evertendæ idololatriæ ſtudioſus, 904. Regendum ſe Stilliconi permiſit: felix imperium non habuit, 905.

Hora, quæ noviſſima, 785.

Hormiſdas, Auguſtini doctrinam probat, 83.

Hoſpitalitas, ab Apoſtolo commendata, 187, 631. Quo pacto exercenda, *ibid.* Erga peregrinos, 813. Qua ratione olim exerceretur, *ibid.* Erga omnes exercenda, 709.

Hoſpites, vocandi, & quodammodo ad hoſpitium cogendi, 327.

Humanitas, duo ſignificat, ubi de Chriſto Jeſu agitur, 554.

Humiles Deus gratia donat, 713.

Humiliare ſe coram Deo, quid ſit, 714. Sub potenti Dei manu, 754.

Humilitas, qua cæteros nobis meliores credimus. Hujus humilitatis cauſæ, 451, 671. Quo pacto vir ſanctus queat ſe impio inferiorem exiſtimare, 452. Humilitatis præſtantia, 308. Summa Petri humilitas, 325. Quanta Pauli humilitas, criminum ſuorum immanitatem confitentis, ut gratiæ tribueret quidquid boni ſibi ineſſet, 495. Quàm humilitas ſentiendum Chriſtiano, 324. Humilitate ceu veſte uters: id quod homini ſacris Ordinibus initiato præſertim convenit, 753. Humilitas dæmonem fugat, 714. Vera humilitas in quo ſita, 754.

Hymenæus, anathemate ab Apoſtolo inuſtus, 502, 492, 497.

Hypocriſis, pſeudo Doctorum propria, 786.

Hyporriſo. Hujus ſalus magis deplorata quàm impii, cur, 817.

I

JAcob & Eſau, ex Iſaaco & Rebecca nati, illæ electus, hic reprobus; omnium Electorum & reproborum figura. Jacobi electio, & reprobatio Eſavi, non ob parentum ſive ipſorum merita, 106, 107. Magna Jacobi morientis fides, 639.

Jacobus frater Domini, Hunc ex Apoſtolis unum vidit Paulus Jeroſolymis, 354.

S. Jacobus, cui Chriſtus ſe ſpectandum præbuit, ut ajunt, ipſa Reſurrectionis die, 839. Canonica Jacobi Epiſtola, 663. Cujus loci Epiſcopus fuerit, & ad quos ſcripſerit, *ibid.* Tota Epiſtola ad mores pertinet, 898. Cur Jacobi Epiſtola prima inter cæterorum Epiſtolas locum obtinuerit, 619. Quis e triplici Jacobo ejus Author, 663. Jacobus minor ſeu Chriſti frater, idem ac Jacobus Juſtus, Epiſcopus Jeroſolymitanus, *ibid.* Quæ ejus mater, qui fratres: cur Minor appellatus, 663. Cur auream laminam geſtaret. Ejus vitæ ratio, & ſanctitas. Quo mortis genere ſublatus. Scriptæ Epiſtolæ tempus & argumentum, *ibid.* Orationis genus, & lingua, qua exarata eſt. Canonica ejus authoritas. Liturgia Jacobo falsò adſcripta. 663.

Jamblicus Philoſophus venenum hauſit, ut Valentis furori ſe ſubtraheret, 908.

Jannes, celebris Ægypti Magus, qui Moyſi reſtitit, 534.

Jaſon, Pauli hoſpes Theſſalonicæ, 549.

Iberia Aſiatica, ancillæ opera ad Chriſtum converſa, 738.

Idiotes, merus Laicus, cui nulla eſt in Eccleſia dignitas, 233. Aliæ hujus vocis explicationes, 235.

Idola, mortuorum nomine ſignificantur, 509. Imagines erant hominum mortalium & flagitioſorum, 283. In iis plerumque Dæmon vires ſuas exercebat, *ibid.*

Idolum nihil eſt: vetat tamen Paulus idolothytis veſci, ne offendantur imbecilliores, 199.

Idololatra. Utrum Chriſtianus idololatra eſſe queat, qui Chriſtianus eſſe deſinat, 285.

Idololatria. Plura ejus genera, 747, 804. Frequenter fornicatio appellatur, 450.

Idololatria Hebræorum in ſolitudine, 209, 210.

Jeremias. Apocryphus Jeremiæ liber, ex quo Paulus ſententiam hauſit, 406. Locus Jeremiæ explicatus, 618.

Jericho. Mœnia ejus urbis everſa, quo pacto, 641.

Jeruſalem Cœleſtis, ex quibus compoſita, 857. Cur portarum illius cuſtodes Angeli, 859. Cur nomina duodecim Tribuum portis inſcripta, *ibid.* Qui duodecim lapides in mœnium fundamentis. Ejus dimenſiones, ſtructura, materies, *ibid. &c.* Cur nullum in ea Templum. Cur Sole & Luna non illuſtretur. Ejus Cives. Cur ejus portæ non claudantur. Nihil inquinatum in eam intrabit, 931. Fluvio aquæ vivæ irrigatur. In Urbis medio arbor vitæ, quid ſignificet. Nullum ibi maledictum, 938. Nulla ibi nox. Quo pacto vera ſit hæc deſcriptio, 933. Jeruſalem quæ ſurſum eſt, ingenuorum Patria, filiorum Saræ, heredum promiſſionis, 378.

Jeſſe. Surculus Jeſſe, Meſſias, 143.

Jeſus, nomen in veteri Lege uſitatum, 820.

Jeſus Chriſtus. Ejus cum Patre æqualitas & Divinitas ex Paulo demonſtratur. Se ipſe in vitam reſtituit, & a Patre reſtitutus eſt, 350. Si adhuc ritualis legis obſervatio neceſſaria eſt, nos quodammodo Chriſtus in peccatum impulit, 350. Se ipſe maledicti argumentum præſtitit, ut nos maledicto liberaret, 363. Venit redempturus homines & liberaturus, 367, ac præſertim ſubducturus Judæos jugo Legis, ac ſeniorum tutelæ, *ibid.* Qui Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam cum vitiis crucifixerunt, 375, 376. Stigmata Jeſu Chriſti, quæ Paulus geſtabat, 380. Electi ſumus a Patre in Chriſto Jeſu ante Mundi conditum, 383. Per Jeſu mortem & ſanguinem accepimus redemptionem, *ibid.* In Chriſto Jeſu myſterio omnia, omnes Legis figuræ colliguntur; Angeli quoque & homines, Cœlum & terra. Princeps Angelorum eſt & Chriſtianorum, 386. Nos a peccato, morte, corruptione redemit, 387. Animi vitam nobis reddidit, 389. Dexteræ Patris aſſidet ſupra cœleſtes Poteſtates univerſas, 388, 389. Caput Eccleſiæ eſt, & gloria ejus ſumus, 389. Pax noſtra eſt, nos cum Patre concilians, dirempto pariete, qui nos a Deo ſejungebat. Antiquata lege rituali, ex duobus Populis Judæo & Gentili, unum hominem, unam Eccleſiam condevit. Centrum eſt, in quo omnes conjungimur. Pacem nunciavit tum Judæis tum Gentilibus, 301. Ipſe eſt neceſſarium Eccleſiæ fundamentum. Quidquid Chriſto non ſuperſtruitur, ruet, 393. Pater eſt totius Cœleſtis ac terreſtris familiæ, militantis Eccleſiæ ac triumphantis, Angelorum atque hominum, 396. Aſcendens in Cœlum, dedit dona hominibus. *Accepit*, loquit, Pſalmiſta. Quid hæc ſignificent. In Virginis uterum deſcendit, & aſcendit in Cœlorum ſublimiſſimum, 399. Caput eſt omnium Chriſtianorum, 400. Spiritum vitamque membris omnibus impertitur, 401. Novus homo eſt, quo nos indui oportet, 402. Eccleſiam ceu ſponſam amavit, & gloria cumulavit, 407.

Jeſus Chriſtus, gloria & imago Patris, 405.

Jeſus Chriſtus. Ejus ortus ex Judæis, maxime eſt ejus gentis gloria, 265. Ejus Divinitas perſpicue evincitur ex Epiſtola ad Romanos, *ibid.* ex quo loco conſulit Recentiores nomen Dei abſtulerunt, *ibid.* Habitus eſt tanquam peccator, ut nos juſtos efficeret, 273. Ejus figura ſuper Horeb, ex qua manabat aqua ad Iſraelitas, 209. Se ipſe obtulit ceu victimam quæ peccata noſtra expiaturus, 66. Ejus ſacrificii virtus, 67. Vitam ac reſurrectionem nobis omnibus comparavit, 245. Poſt generalem reſurrectionem ſuum ipſe imperium Patri reſtituet, 645. Mortuus eſt ac reſurrexit ob noſtram juſtificationem, 73. Si pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ergo omnes in Chriſto mortui ſunt: Quid hoc ſignificet, 672. Lex & Prophetæ teſtimonium Chriſto reddunt, 65. Nemo effici poteſt juſtus abſque fide in Chriſtum, 66, 87.

Jeſus Chriſtus, ſecundus Adam. Immortalis ſobolis Pater, 246. In eo diſſidet a priore Adamo, quòd ipſe vitam, ille mortem attulerit, 79. Utriuſque Adami comparatio, & contrarietas, *ibidem*. Jeſus Chriſtus Adamo præſtantior, 80, 81.

Jeſus Chriſtus nos ſervavit, quos perdidit Adamus, 76.

Jeſus Chriſtus hominum Judex, patronus, Dominus, 135. Ejus Divinitas oſtenditur, 236. Chriſti Jeſu reſurrectio a Prophetis prænunciata: ejus rei argumenta, 238. Primogenitus eſt mortuorum, & primitiæ reſurgentium, 242. Patri ſubjicietur poſt Reſurrectionem: quo ſenſu, 249. Quæ rationes nos noſtras Patri commendet, 102. Ad inferos delapſus, utrum Patriarchis & incredulis prædicaverit, eoſque converterit, ex quorumdam Patrum ſententia, 32, 33, 34. Sua ipſe commoda non quæſivit, 139. Nos jugo Legis ſolutos, per mortem ſuam libertate donavit, 87. In illius imaginem transformati ſumus, 265, ejus gloriæ participes futuri, *ibid.* Indui Chriſto Jeſu, quid ſit, 133. Ipſe Legis eſt finis, complementum, perfectio, ſcopus, 113. Gratis vocavit omnes qui crediderent, 118. Miniſter eſt Circumciſionis, quam Judæis prædicavit, 140. Prædeſtinatio Chriſti proſſus gratuita. Quæ ſuppetant ejus Divinitatis argumenta, 45. Prædeſtinatorum primus. Gratuita illius prædeſtinatio exemplar eſt prædeſtinationis cæterorum, 100. Hoc ſenſu Chriſtus eſt primogenitus in multis fratribus, 101. Varii prædeſtinationis effectus, *ibid.* Tum poſt cum ante mortem omnipotens, 303. Decreto tempore apparuit, 75. Miſericordiæ ſuæ ſpecimen exhibuit, vita pro impiis data, 71.

Jeſus Chriſtus. Cur optanda non ſit ſors eorum, qui Chriſtum viderunt, 727. Quid ſit Spiritus Chriſti, 728. Quo pacto Angeli Jeſum videre cupiant, 729. Suavitas noſtra eſt, 733, noſtrumque in ærumnis exemplar, 738. Quid in noſtri commodum fecerit, 743. Qui ſint ſpiritus, quibus ille prædicavit; & qui carcer, quo clauſus eſt poſt obitum, 744, 745. Deus noſter eſt & Servator, 738. Ejus potentia, bonitas, gratia, *ibid.* Author & dator eſt munerum omnium, 760. Noſter apud Patrem advocatus, & victima propitiationis, 780. Filii Dei per fidem in Chriſtum a filiis Dæmonis ſecernuntur, 803. Qui Chriſtum Jeſum negat, univerſam Trinitatem negat, 787. Qui credit Chriſtum, credit Trinitatem, *ibid.* Similes ei erimus, 789. Cur venerit, 790. Quo pacto dividatur Jeſus, 794. Quo modo venerit cum aqua & ſanguine, 799. De Incarnationis ejus veritate multi teſtes, 799, 800. Veritas ipſa eſt, teſtis fidelis omnium, quæ in Divinis Scripturis legimus. Primogenitus mortuorum, Princeps Regum, qui nos amavit lavitque ſanguine, 838. Sanctus & verus eſt per antonomaſiam, 855. Appellatur *Amen*, teſtis fidelis, 857. Sub imagine hominis albo equo inſidentis,

ſis, arcu armati exhibetur, 865. Leo eſt ex Tribu Juda, de quo Joannes; quo pacto victor, 852. Agnus Dei eſt, Agnus ob hominum crimina mactatus, qui nos redemit, 863. Illum res creatæ omnes Deum agnoſcunt, 865. Sub angeli imagine apud Joannem deſcribitur, 871. Quid loquens inducatur, 881. Quo pacto mortuus in magna civitate, 885, 886. Equo albo vectus deſcribitur, cur, 910; & plurimo diademate redimitus, *ibid.* Quod ejus nomen; qua cruore aſperſa ejus veſtis; qui ejus exercitus, *ibid.* Arma, inſigna, victoria, cur Jeſu Regnum in Cœlis ſit, non in terris, 923. Ipſius ad ſupremum Judicium deſcendentis deſcriptio, 928, 774.

Jeſus Chriſtus, exemplar Chriſtianorum, 421, 423. Incredibilem illius humilitatem imitari debemus, 423. Non mera eſt Divinitatis forma & imago, ſed res ipſa & veritas, 422. Aſſumpta humanitate Deus eſſe non deſiit, 423. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, 425; cum per ſuam ipſius eſſentiam & naturam ſit. Chriſti demiſſio coram hominibus, 423. Obediens uſque ad mortem crucis. Gloria illius in demiſſionis præmium. Quo pacto creſcere ejus gloria potuerit. Gloriam dignitatis ſuæ nobiſcum communicavit. Ad Jeſu nomen omne genu flectitur; omneſque confitentur, illum in gloria Patris eſſe, 425. Imago eſt Dei inviſibilis, e tota æternitate genitus. Rerum omnium creaturum primogenitus, quo ſenſu id uſurpari queat. Omnia per ipſum creata. Supra omnes Angelorum Ordines eſt, 440. Caput eſt Eccleſiæ, quæ corpus eſt ipſius myſticum. Omnis gratiarum ubertas in eo reſidet. Omnia cum Patre conciliavit, homineſque cum Angelis, 441. Omnes Sapientiæ ac ſcientiæ theſauri in ipſo continentur, 441. Per ipſum cumulamur ubertate donorum, juſtitiæ ac ſcientiæ, 445. Chirographum ipſe delevit nobis inimicum, damnationis noſtræ tabulas, *ibidem*. Novus homo eſt, & exemplar, ad quod formari nos decet, 449. Chriſto indui, 450. Omnia in omnibus eſt, *ibidem*. Vitam, juſtitiam, ſanctitatem, extra Chriſtum, ſtuſtra quærimus, *ibidem*. Omnia nomine Chriſti facienda, 451. Omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id eſt revera, & abſolutiſſime, in ipſo habitat, 444. Chriſti reſurrectio noſtræ pignus eſt, 469. Chriſto vivere debemus in quolibet vitæ ſtatu, 472. Chriſti nomen bonis Chriſtianorum moribus commendatur, 480. Chriſti decore & perfectio, 583, 584. Præſtantior Angelis, Dei filius, 585. Ab Angelis adoratus. Meſſias, & Unctus Domini per antonomaſiam, 586, 587. Sanctorum omnium primus & præſtantiſſimus: Rerum omnium conditor & conſervator: dexteræ Patris aſſidet, 587. Qui ejus inimici, 588. Quod ejus verbis debeatur obſequium; quæ erga legem fides, *ibidem*. Caput eſt Eccleſiæ, 589. Quomodo Angelis inferior, 590. Quo pacto ſubjecta illi ſint omnia, *ibidem*. Omnium cauſa mortuus, 590, 591. Quo ſenſu nos illius fratres, & filii, 591. Mortis & reſurrectionis illius fructus, 592. Cur nobis ſimilis, *ibidem*. Noſtræ religionis Apoſtolus & Pontifex, 593. Multo ſuperior Mayſe, *ibidem*. Quomodo nos participes Chriſti, 595. Aarone præſtantior Sacerdotio, 599. Peccati expers, *ibidem*. Sacerdotii illius præſtantia, *ibidem*, 600. Noſtrum miſeretur. Sacerdotium a Deo Patre accepit, 600, cujus munere abſolutiſſime explevit, 601. Ejus obſequium erga Patrem, *ibidem*. Obedientia. Sacrificium, ineffabile ſacerdotium, 605. Nobis prævit in gloriam, 609. Chriſti figura Melchiſedech, 609, 610. Quo pacto Chriſtus ex Abrahamo natus, 612. Sequeſter noſter eſt, & qua ratione Patri pro nobis ſupplicet, 615. Ejus ſacrificio & ſacerdotio non excluditur Eccleſiæ ſacrificium, & Chriſtianorum ſacerdotium, 618. Cur ad Cœlum aſcenderit, 617. Bonorum futurorum eſt Pontifex, 623. Omnes legis veteris ritus implevit, 624. Mira illius obedientia, 609. Unus ipſe nos in bono conſtantes efficit, 632. Fidei noſtræ auctor & conſummator, 645.

Jeſus Chriſtus crucifixus, hominibus inſanie, 267. Peireſii ſententia de Chriſto, 76. Refellitur, *ibid.*

Jeſus Juſtus Coloſſenſes ſalutat, 454. Solatium Pauli in vinculis eſt, *ibid.*

Jezabel, pſeudo Propheteſſa fœmina Thyatiræ, 852.

Ignis, in ſcripturis eſt Dei ira & vindicta, 874. Ignis ſanguine miſtus, quid ſignificet, *ibid.* Bellum quoque ſignificat, *ibid.*

Ignis ærumnarum, pro tentatione, 750.

Ignis voraturus quidquid fragile fundamento Fidei ſuperſtruitur, 176. Ignis ſupremo Judicio præiturus, 175. Ea de re Patrum ſententia, *ibid.* &c. Salvum fieri quaſi per ignem: proverbium: quid ſignificet, 176. Ignis ſupremo judicio præiturus, & conſequuturus, 4, 78.

Ignorantia. Omne peccatum ex ignorantia, 600.

Immortalitas uni Deo convenit, 497. Felicitas immortalitatis & Reſurrectionis cum noſtro mortis ſtatu comparata, 169.

Imperatores profani, inimici Eccleſiæ, ante Conſtantini Imperium, Draconis ſeptiſipitis imagine ſignificati, 789. Quo pacto in illos animadvertit Deus, 887, 888.

Imperium Romanum ſub figura Draconis rufi, cur, 889; marinæ ceti, 891. In partes diviſum juſta Dei vindicta, 908. Quam ſæpe everſum, 914. In Germanico Imperio exiſtit, 482. Deſtruendum ante Antichriſti adventum, 483.

Imperia, hominum ambitione inſtituta, Dei tamen Providentia confirmata, 130.

Impii. Qua ratione Deus impleret impiis præſtandum id, quod ipſe velit, 013. Permittit Deus, ut criminum menſuram compleant, 478.

Impoſitio manuum, per quas præſtaretur in Sacerdotem inaugurationis, 512. Quæ in publicè pœnitentes, 516. Quid rei eſſet, 603.

Impoſſibile. Varia Impoſſibilium genera, 604.

Impoſtores, diem Judicii imminere dictitantes, 480, 481. Cur id commiſceſrentur, *ibid.* Hoc nomine Paulus Hæreticos omnes deſignat, 772.

Impotentia hominis ad bonum quodlibet, citra gratiæ opem, 252.

Impudicitia, fornicatio a Regno Cœlorum excluditur, 404, 401. Damnatur, 133.

Imputare. Quid ſignificet illud, *juſtitia imputata*, 69. Peccata tecta, non imputata, 70.

Inanis gloria, vitanda, 376.

Incarnatio. Quid de illa noverint Prophetæ, 728. Procul ab iis ſpectata, *ibid.* Fideles ab Judæo diſtinguitur per Incarnationis fidem, 801. Myſterium Incarnationis a Paulo explicatum, 507. Fructus quos ferre debet, 552, 553.

Incenſum. Fumus incenſi orationes Sanctorum ſignificat, 873.

Incerta hominis conſilia, Deo inconſulto, 715.

Inceſtus, apud Profanos quoque execrabilis, 182.

Inceſtus homo Corinthius, ab Apoſtolo arguitur. Quis hic, & quod illius peccatum, 185. Ejus crimine dolet Paulus; ſolaturque Corinthios, quos priora Epiſtola contriſtaverat. Illum Apoſtolus in communionem recipit, 258. Veniam impetraverant Corinthii, 280. Pauli indulgentia erga illum pœnitudine demiſſum, 278.

Inircumciſus. Hæc appellatio apud Hebræos probroſiſſima, 24.

Inconſtantia in Dei ſervitute, quàm Deo exoſa, & orationi contraria, 599.

Increduli. Utrum aliquis ex incredulis antediluvianis ſalutem aſſecutus, 745. Filii increduli, ſive incredulitatis, ſunt impii, qui ante & poſt Diluvium vixere, *ibid.*

Incredulitas. Qua ratione a Deo permiſſa, 734.

Infernus, puteus abyſſi appellatus, 877, & Abaddon, 879. Qui ejus locus, 766. Eo deſcendit Chriſtus poſt obitum, 744.

Infideles. Cum infidelibus non communicandum, 276, 277.

Infidelitas Judæorum citra excuſationem, 83. Hanc permiſit Deus, ut juſtitiæ ſuæ ſpecimen daret, *ibid.* Utrum ſervire queat Dei gloriæ, 62.

Infirmi, ſuſtinendi & ferendi, 472, 473. Infirmi inter Chriſtianos, qui ex eo offendebantur, quòd cæteri fideles idolothytis veſcerentur, 201. Infirmi in fide, qui ? metu agitati, ignorantes, timidi, 533, 534, 537.

Infirmitas pro labore & ærumnis, 300.

Iniquitas omnis, peccatum eſt, 802.

Ingrati animi vitium, quàm grave peccatum, 533.

Innocentius I Papa, quem Deus a vivis ſuſtulit, ne Romæ caſum cerneret, 915.

Innocentius X ſancit, neque fides habeatur Actis Congregationis de Auxiliis, 25.

Inquinare veſtes, tropica locutio, quid ſignificet, 854.

Inſpiratio. Vide *Scriptura Sacra*.

Inſula. Quo pacto fugerint Inſulæ, 908. Qua ratione concuſſa, ut ait Joannes, 869.

Intemperantia, quàm pernicioſa, 760.

Interpretes. Quod horum munus, ætate Apoſtolorum, 260. Cui uſui eſſent Apoſtolis, & an ulli eſſent, *ibid.*

Interpretatio linguarum, Spiritus Sancti donum, 227.

Interrogare, interdum eſt orare, rogare, 746.

Inviſibilis. Quo pacto Deus hac in vita inviſibilis, in altera tantum viſibilis, 520.

Invocare nomen Domini, interdum pro tota Religione uſurpatur, 115. Invocare nomen Jeſu Chriſti eſt, ejus Religionem profiteri, 164.

Joachim, Abbas, quid de Antichriſto ſenſerit, 328.

Joannes Evangeliſta, utrùm Epheſi eſſet, cum eò Paulus venit, 381. Diſſertatio in celebrem locum primæ ejus Epiſtolæ, *Tres ſunt*, &c. 673. Canonica ejus loci authoritas impugnatur, 670, & defenditur, 684. Præfatio in primam Joannis Epiſtolam. Hæc ad quos ſcripta. Cur nomen ſuum non inſcripſerit Apoſtolus, 777. Ejus epitome, 778. Cum Evangelio Joannis confertur, 779. Præfatio in ſecundam Epiſtolam, quæ illi debetur, quemadmodum & tertia, 805. Omnes Aſiæ Eccleſias ſenio etiam confectus inviſebat, 809. Præfatio in tertiam Epiſtolam, 811. Cur nomen ſuum in fronte Epiſtolarum non inſcripſerit, 812. Veterum Prophetarum locutiones in Apocalypſi imitatus, 845, 847.

Joannes, cognomine *Senior*, non ſcripſit poſtremas duas Joannis Epiſtolas, 805.

Joannes Marcus, cum Paulo ſelectus ad colligendas pecunias ob pauperes Jeroſolymitanos, 287.

Joannes II, doctrinam Auguſtini probat, 23.

Joannes XXII Papa. Rejicitur ejus ſententia de ſtatu animarum poſt mortem, 868.

Joannes Scotus Erigena, de prædeſtinatione ſcribit. De ejus ſcriptoris judicium. Inauditæ ejus opiniones a compluribus rejiciuntur, 24, 25.

Job, patientiæ exemplar, 718. Reſurrectionis Evangeliſta, 342.

Jochabel, de quo Plinius, 534.

Joſeph, per fidem futura prædicit, 640. Comparatur cum Oneſimo, 572.

Joſephus, quid de animabus ſenſerit. Metempſychoſim quamdam admittit, 6, 7. Quid de pravis deſideriis, 893; quæ peccatum eſſe negabat, *ibid.*

Joſue, fide victor, 641.

Jovinia

Jovinianus, Julianum Apoſtatam in Imperio excipit, pacemque cum Perſis componit, 880.

Ira. Quæ ex ea conſequuntur, 698. Quo ſenſu dicatur ira non operari juſtitiam Dei, *ibid.* Date locum iræ, quid hoc ſignificet, 128. Iraſcentem hominem ne irritaveris, neque ipſe iræ impetum ſequare; ſive præſtolare tempus iræ & ultionis, quam Deus in ſuos tuosque hoſtes eſt exerciturus, *ibid.* Nunquam permittit Paulus, ut iraſcaris: at ſiquando id evenerit, jubet iræ impetum coerceri, 402.

Ira Dei, quàm formidabilis, 633. Calicis imagine deſignata: cur, 903.

S. Irenæus cenſuit, circumciſionem eſſe ſignum, quo Judæi e cæteris gentibus ſecernebantur, 28. Quid ſcripſerit de loco, in quem translati fuere Henoch & Elias, 940.

Iris, figura gloriæ Domini, 850.

Iſaac. Ingens illius fides, dum Jacobo benedixit, 630.

Iſaacus Monachus cædem exercitus Valenti prædicit, 907.

Iſmas duas in partes ſectus, 643.

S. Iſidorus Peluſiota, quid de baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 156.

Iſmael, Iſaacum inſectatus, figura Judæorum carnalium, Chriſtianos inſectantium, 371.

Iſrael, ſive Regnum decem Tribuum a Juda ſejunctarum, figura reprobationis infidelium Judæorum, 117.

Iſrael ſecundum carnem Judæos incredulos ſignificat, 212.

Iſrael non omnino rejectus, 117.

Iſraelitæ ſecundùm carnem, & ſecundùm ſpiritum, 506.

Iſraelitæ trans Euphratem diſperſi, rejectorum Judæorum figura, 121.

Itinera S. Pauli & Theclæ ſuppoſita, 5. Vetuſtiſſimus liber, quippe cujus meminere vetuſtiſſimi Patres Eccleſiæ. Qui ejus author an Tertulliano, & quanta ejus authoritas, 40 41.

Judæa. Miſerrimus Judææ ſtatus ante Meſſiæ adventum, 734.

Judæi, omnibus inviſi, cur, 693.

Judæi ad Chriſtum converſi. Quàm felix eorum conditio, 734. Moſaicam legem ſervabant, 358. Si quod inter fratres jurgium eſt, amicitias iniri cogunt ante ſolis occaſum, 402. Jugo legis ſoluti, 87. Ex horum jurgio adverſùs Fideles ex Gentilibus, occaſio fit ſcribendæ ad Romanos Epiſtolæ, 2. Quo pacto utroſque conciliaverit Paulus, 3. Delectum ciborum ſtudioſiſſimè perſequuntur, 133.

Judæi omnes in fine ſæculorum convertentur, 119. Qui ex iis extra Eccleſiam verſantur, conſperſio ſunt, ex qua primitiæ oblatæ ſunt Deo, 110.

Judæi ad fidem appellati minimo numero, 111. Eorum error circa Evangelium, 111.

Judæi ſecundum ſpiritum, 106. Judæorum dignitas & decorn, 61, 104, 105. Nihil niſi per velamen vident, 263, 264. Iis per converſionem vocatis, velamen ex eorum oculis in fine ſæculorum Deus auferet, 264.

Judæi pervicaces, Chriſtianorum hoſtes. Ipſorum Templum & Altare laqueus quodammodo illis fuere, quo capti ſunt, 119. Pleroſque illorum rejiciens Deus, promiſſis non defuit, 104. Judæi dum in Lege juſtitiam quærunt, veram juſtitiam amiſerunt, 118. Permiſit Deus, ut in pertinaciam & cæcitatem inciderent, *ibid.* Alieni a ſobole Abrahami, niſi ejus fidem imitentur, 78. Inanis illorum confidentia, 55. Se ipſi damnavere, cum Gentilium flagitia & damnarent & imitarentur, *ibid.*

Judæi apoſtatæ, qui veſtigia circumciſionis delebant, 106. Nonnulli fortaſſe ex Judæis ad Fidem converſis id uſurpabant, *ibid.* Judæus ad Chriſtum converſus præſtantior non eſt converſo Gentili, 366.

Judæi oppoſiti peccatoribus, nempe Gentilibus, 358.

Judæi increduli, cur Jeſu Chriſti humilitate offenſi, 733. Quid illi ante converſionem eſſent, 733. Illorum criminationes in Chriſtianos, 738. Infenſiſſimi Eccleſiæ ſub ejus initium, 840. Chriſto maledicebant in ſynagogis, 223. Judæorum ſubjectio Legi cum connubio comparata, 87. Ejus connubii fructus, 87, 88. Soluti ſunt hoc jugo & hac lege, *ibid.* Nulla eorum infidelitati excuſatio, 61, 62. Eorum incredulitas occaſionem præbuit vocationi gentium. Ad Deum aliquando convertentur, 120, 121. Excluſi hæreditate, ut locum facerent gentibus, *ibid.* Circumciſione gloriabantur, 24. Vide *Incircumciſus*. Incircumciſos execrabantur, eorumque amicitiam vitabant, *ibid.* Judæorum infidelitatem permiſit Deus, ut juſtitiæ ſuæ ſpecimen præberet, 62, 63. Utrùm rejicere illos potuerit Deus ob infidelitatem, quæ gloriæ ipſius ſervivit, *ibid.* Zelum habent, ſed ſcientia carent, 113. Juſtitiam quæ ex Deo eſt ignorantes, ſuam ſtatuere conati ſunt, *ibid.* Judæi fideles deſignantur minimo eorum numero, qui illa ætate integram Deo fidem ſervavere, 117. Sancta ex radice orti, rami ſunt ex arbore ſancta fracti. Olea ſativa ſunt, cui inſeri Gentiles, 120. Quòd cognito Evangelio non crediderint, inexcuſabiles, 113, 116; quamobrem ſibi ipſis debent ſuam incredulitatem, *ibid.*

Judæi & Gentiles, apud Deum pares, cùm utrique nihil de ſuo niſi infidelitatem habeant, 123. Peſſimi Judæorum mores cauſa fuerunt, ut Dei nomen inter gentes maledictis proſcinderetur, 60. Judæorum dignitas ſupra cæteras gentes, 50, 62. Eorum infidelitas arguitur, 50. &c. Miracula poſtulant, quibus convincantur, 167. Dei filii per adoptionem ſunt. Quid hoc ſignificet, 104. Dei erga illos promiſſio nec ac mine conditionibus adſtrictæ, 65. Potuit Deus citra injuſtitiam illos in infidelitate deſerere, 62, 63.

Judæi ſecundùm carnem. Horum decora, 938; quibus eorum

ſtati ſunt ob incredulitatem, 439. Neque Deo neque hominibus placent, 463. Inviſi omnibus, ſubmiſſis in omnes partes hominibus, Jeſum ejusque Diſcipulos accuſabant, & Chriſtianos nullius eſſe Religionis ajebant. Ipſa Pauli ætate flagitia ſua cumulare inceperant; illiſque Divinus furor imminebat, ipſis conſtitutam vindictæ campus urgentibus. Ea porrò pœna illis ad finem uſque gravis reſiſtet, 463. Judæorum defectio a Romanis, figura generalis ſeditionis in exitu ſæculorum eventuræ, 484. Mœrebant ob neceſſariorum obitum, tametſi immortalem eſſe animam, futuramque reſurrectionem crederent, 468. Se ipſi levabant, ut expiarent ſordes illorum, qui non expleta purificationis lege obiiſſent, 150. Quid de prædeſtinatione ſentirent, 6, &c. Animas ante corpora exiſtere putabant, *ibid.* Lites nonniſi apud fratres, quoad fieri poterat, habebant, 186. Nullo vitæ & mortis jure gaudebant, ætate Pauli, 105. Vim dimittendi originalis peccati nunquam circumciſioni tribuerunt, 30. Ajunt, preces quaslibet eſſe voce promendas, 99. Expertes ſe cenſent pœnarum alterius vitæ, quantumlibet impios, 56. Æternis ſuppliciis non addicunt eos a ſuis, qui Divinitatem & reſurrectionem mortuorum negant, 57. Gentiles aliquos ſalutem aſſecutos putant, 34.

Judæi Corinthii, quos Paulus in ſua pertinacia deſerit, 158.

Judæorum Religio Romanis Legibus permiſſa; quamobrem eam profitebantur pſeudo Apoſtoli, ut eſſent ab inſectatoribus tuti, 172.

Judas Apoſtolus. Præfatio in ejus Epiſtolam, 816. Cognomine *Zelotes*, & *Frater Domini*. Ejus Epiſtolæ epitome. Quo tempore ſcripta, & an authentica, *ibid.* Ad quos data, & in quos, 818, 819. Primus omnium meminit libri Henochi, 945.

Judas Galilæus, Principum authoritati contrarius, 110.

Judex. Unus ſeriorum omnium Judex Deus, 715. Quo pacto Deus Judex ſpirituum, 649.

Judices Iſraelis, in Scriptura commendati ex rebus bene geſtis, non ex male geſtis, 642.

Judicare, apud ſcripturam eſt damnare, 55. De nemine male judicandum. Cur, *ibid.* Eccleſia Gentiles non judicat, 185, 186. Fratris geſta ne judices aut damnes, 134. Unus omnium Judex Deus, *ibid.*

Judicium ſeveriſſimum in te exercito, ut Deus ex miſericordia te judicet, 497.

Judicium ſupremum. Figura ejus quod futurum eſt, 860.

Judicium ſupremum, nunquam non imminens, 634. Qui per id tempus ſuperſtites erunt, iterùm morientur, vel mortis immunes ad vitam immortalem tranſibunt, 470. Diem Judicii veſtigare fruſtra laboras, 471. Impoſtores quidam Judicium in foribus eſſe jactabant, 480, 481. Incertum eſſe, docet Paulus, & qua animi præparatione ſit expectandus, 471.

Judicium Dei a domo Dei incipiet, 731. Quàm ſeverum in impios, *ibid.* Ne judicium Dei prævertas, judicans de fratre, ubi rem certo non noveris, 179.

Judicium a Sanctis ſeu Fidelibus ſuprema die in impios exercendum, 187.

Judicium Eccleſiaſticum per Epiſcopos, vel per viliſſimos ex Eccleſia, 187.

Judicium, triplex a Judæis admiſſum, 56. Judicium poſt mortem in Theologia Gentilium, *ibid.*

Julias, novum Bethſaidæ nomen, 713.

Julianus Apoſtata cultum idolorum reſtituit, 877, 878. Miſerrimè periit, 880. Chriſtianæ Religionis ſimius, 805. In Martyres ſævit, 806. Cultum Idolorum reſtauravit. Octava Apocalypſeos beſtia deſignatur, 804. Laudum ſtudioſiſſimus; atque ab ipſis Gentilibus accuſatus nimiæ erga Deos ſuperſtitionis, quibus tamen moriens maledixit, *ibid.* Quamdiu Eccleſiam inſectatus. Ejus hypocriſis, *ibid.* Quibus artibus Chriſtianos inſectaretur, 893. Crucem e Romanis ſignis removet. Oracula conſulit, 896. Chriſtianam Religionem penitus abolere decreverat, 897. Cultum habuit quaſi Deus. Chriſtum inſectatus eſt & ſcriptis & ferro, 805.

Junius, Franciſcus, quid de baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 160.

Jurare, penitus vetitum, 719.

Jurieu, refellitur, ubi de Melchiſedecho agit, 579.

Jusjurandum, quod Deus per ſe ipſum nuncupat, inviolabile, 607, 608. Jusjurandum hominis, *ibid.* & 614. Quibus conditionibus jurandum, 719.

Juſti. Cur eos in hac vita ærumnis premi patiatur Deus, 478. Per ærumnas digni fiunt Dei Regno, *ibid.* Juſtorum felicitas in hac vita, 785. Qua re homo fiat juſtus, 790. Quo pacto juſtus ex Fide vivat, 48. Quo ſenſu dixerit Apoſtolus, nullum eſſe in terris juſtum, 63, 64.

Juſtitia, ſalutis lorica, 411. *Juſtitia*, pro miſericordia, 67. Quo pacto juſtitia homini imputetur, 69. Hæc autem imputatio ex Deo abſolute gratuita eſt, 70.

Juſtitia Dei in hominum reprobatione, 119.

Juſtificatio. Quæ noſtræ juſtificationis cauſa, 48, 40. Gratuita ex Deo eſt, 65, 66, 70. Nemo juſtificari poteſt citra Chriſti fidem, 64.

Juſtinianus Imperator, legem ſanxit, qua idololatria penitus confecta eſt, 912.

S. Juſtinus Martyr, quid de Gentilium Philoſophorum ſalute ſenſerit, 32. Originale peccatum Circumciſione deleri non cenſuit, 28.

Juvenes, adoleſcentes, qui cenſerentur primis Eccleſiæ ſæculis, 753.

Juventus, adoleſcentiæ, quo ſenſu ab Apoſtolo uſurpetur, 511.

L

L*Abarum*, potiſſimum Romani exercitus ſignum, quod Conſtantinus cruce diſtinxit, Julianus delevit, 896.

Labor manuum, a Paulo commendatus, 473, 468. Quàm utilis, 480.

Laborare. Paulo prædicatione occupato jus erat abſtinendi a labore, 503.

Labores Pauli, 274.

Lac, myſticè uſurpatum, 602. Lac ſpiritale ſunt apertiora Chriſtianæ Religionis dogmata, 174. Lac rationale, quid. Symbolum ſinceritatis, & cœleſtium ſuavitatum, 732.

Lacryma. Meminit Apoſtolus lacrymarum, quibus mala ipſius proſequutus eſt Timotheus, 525.

Lactantius, quid de animarum ſtatu poſt obitum cenſuerit, 867. Quid de Antichriſto, 328. De ſtatu terræ poſt reſurrectionem, 330.

Languor, ſive infirmitas hominis in peccato verſantis, 75.

Laodicea, urbs, ad cujus Eccleſiam ſcribit Joannes, 857.

Laodicenſes. Suppoſita Pauli Epiſtola ad Laodicenſes, 5. Utrùm aliquam ad hos Epiſtolam dederit. An illa ad Coloſſenſes Laodicenſibus quoque deſtinata, 456. Epiſtola ad Laodicenſes quæ ſupereſt, eadem eſt quam novere Priſci, 455. Eadem Latinè cum variantibus, *ibid. &c.* Quid de illa ſentiendum, 456. Quam velit Paulus Epiſtolam Laodicenſibus perlegi, *ibid.* Utrùm Laodicenſes Epiſtolam ad Paulum miſerint, *ibid.* Laodicenſes Paulum nunquam viderant, 443.

Lapilli, ſeu calculi, olim in uſum ſuffragiorum ferendorum erant; albi abſolvebant, damnabant nigri, 851.

Lapis angularis, Chriſtus Jeſus, 733. Lapis electus & honorificatus, *ibid.* Lapides vivi, qui, *ibid.*

Lavare manus, quid ſit morali ſenſu, 714.

Laudes, quæ virtuti debeantur, 812. Quo tempore fas ſit ſe ipſum commendare, 814.

Lebbæus, idem ac Judas frater Domini, 8rd.

Lectio ſacrorum voluminum Epiſcopis cæteriſque Miniſtris quàm neceſſaria 511.

Leges Principum conſcientiam obligant, 838.

Lemos Damascenus, 85. Auguſtini & Thomæ defenſor in controverſia de Gratia, 10

Leo, ſavorum Principum epitheton, 541. Homines leonibus validiores, 649.

Leo XI, Clementis VIII ſucceſſor, paucos dies regnavit, 21.

Leonardus Leſſius & Hamelius. Horum ſententia de Prædeſtinatione cenſura inuſta a Lovanienſibus, 18.

Leonardus Uitracaſt, Dominicanus, quid de prædeſtinatione ſenſerit. Habita de hoc argumento concione, turbas movet. A Joanne Grimani Patriarcha deſenditur, 17.

Lex, Adamo tradita in horto Eden, 78.

Lex naturæ, in omnium hominum mentibus deſcripta, 57, 58. Utrùm ſervari ſine gratia queat, 58 Ea ſervata, Patriarchæ & Gentiles quidam ipſi ſibi lex fuerunt, *ibid.* Satis eſt, ut auferatur Gentilibus omnis excuſatio, 57.

Lex ſcripta, lex naturæ, 81. Cui uſui fuerit lex Moyſis, *ibid.* Legis nomen interdum pro univerſo Veteri Teſtamento uſurpatum, 234, 235.

Lex Moyſis optimè non ſervatus niſi a veris Chriſtianis, 88. Peccatum detexit, provocavit concupiſcentiam, at remedia non præbuit, 88, 89. Sub lege quamplura peccata minimè cognita admittebantur, *ibid.* Quo ſenſu ſcribat Paulus, Moſaicæ legis obſervatores juſtificari, 57. Peccatorum numerum auxit, 72. Per Chriſtianæ Religionis profeſſionem jugo Legis liberamur. Ea porrò eſt ceu vir, in familia dominans, dum ſuperſtes eſt, 86.

Lex vitam largitur ſervanti: quid hæc ſignificent, 113, 114.

Lex ſcripta, præſtantiſſimum eſt Judæorum decus, 61. Qua in ea illam fides perfecerit, 67. Lex peccati robur, 148. Concupiſcentiam excitavit, 90. Peccati cognitionem ſolummodo præbuit, 65. Nulla en ſub lege gratia, *ibid.* Nemo juſtus ſit per legis opera, 65, 67, 68.

Lex Moyſis, quo ſenſu lex mortis, 88. Per Chriſti mortem ipſa quodammodo mortua eſt, 87. Charitas plenitudo legis, 132. Dei lex nihil propriè præcipit, niſi proximi amorem, ut debitis erga illum officiis optimè fungamur, *ibid.* Legis obſervatio. Eam adhuc ſervabant Judæi ad Chriſtum converſi, 358. Legis opera hominem abſque Fide juſtum non faciunt, 359. Qui Legem amplectitur, gratiam & partam a Chriſto libertatem quodammodo abdicat, 360. Sola Lex neminem juſtum facit, 362. Lex abſolutiſſimè ſervata parere juſtitiam poteſt, non tamen abſque Fide, *ibid.* Cui uſui ſit. Veram juſtitiam non affert, ſed tranſgreſſiones indicat, cogitque Judæos fateri, ſeſe ope Meſſiæ indigere, 364. 365. Lex data per Angelos, medio Moyſe, *ibid.* Lex quoddam eſt Divini in Judæos furoris indicium, *ibid.* At æquius accipienda eſt ceu pignus Divini in populum patrocinii, 366. Homines univerſi per Legem peccatores eſſe demonſtrantur. Judæos prævaricationis arguit, *ibid.* Lex timorem inſpirat, *ibid.* Pro duce & pædagogo fuit, quo duceremur ad Chriſtum, *ibid.* In eo conſiſtit, ut Deum ames & proximum, 374. Qui ſpiritu aguntur, ſub lege non ſunt, 375. Lex gratiam benè agendi non afferebat, *ibid.* Nihil poteſt lex in eos, qui Sancti Spiritus impulſum ſequuntur, 375. Redempti non ſumus Lege, ſed Evangelio, 440. Studebant pſeudo Apoſtoli, ut Coloſſenſes ſub Legis jugum reducerent, 459. Diſcrimen Legis moralis & ritualium. Quo ſenſu Lex juſto non ſit, ſed impio, 495. Præſtantia Novæ Legis ſupra veterem, 588, 589. Hac abrogata, illa in hujus locum ſubſtituta, 623, 619. Per ſe neminem juſtum fecit, 615.

Lex vetus, cur a Judæis converſis ſervaretur, 700. Inter illos diſſidia ob eam rem, *ibid.* Bonorum futurorum umbra eſt, non veritas, 627.

Lex vetus & nova ſimul collatæ, 648. Quid noſtri officii ſit ob eam rem, 652.

Lex Regalis, quæ, 702. Non repugnat Dei Lex humanis legibus, 703.

Lex charitatis, quàm inviolabilis, 703, 704.

Libanius, quid de Juliano apoſtata cenſeret, 894. Illum laudat, 896. Orationem recitat pro Templorum profanorum conſervatione, 904.

Libatio, qua victimarum caput aſpergebatur, 425. Se victimam eſſe libatione aſperſam, Paulus affirmat, *ibid.*

Liber vitæ, qui. Quo ſenſu dixerit Joannes, libros coram Deo apertos eſſe, 926. Deſcribi in libro vitæ, aut ex eo deleri, prædeſtinationis vel reprobationis indicium, 413, 855.

Libri. Quæ veterum librorum forma, 869. Quo pacto librum voraverit Joannes, 883. Quid is contineret, *ibid.*

Liberalitas, ſimplicitatis nomine deſignatur, 694, 695.

Libertas falſa, quam primævi Hæretici prædicebant promittebantque, ut ſectas ſibi compararent, 770. Quam nobis pepererit Chriſtus, 737.

Libertas Chriſtianæ Religionis, ne in licentiam deſinat, 374.

Libertas per Chriſtum parta, quam abjicere volebant Corinthii, ut ad Circumciſionem redirent, 372, 374. Libertas per Evangelium comparata, 359. Libertatem noſtram viribus gratiæ non deſtruit Deus, ſed perficit & confirmat, 424. Libertas a Chriſto parta. Olim ſervi Dæmonis eramus, 446.

Libertas vera Chriſtianorum cum ſervitute non pugnat. Si libertas Chriſtiano ſervo offeratur, ea ille uti poteſt, 196.

Libertas Evangelica, in quo ſita, 87, 153, 137. Ea bene utendi regulæ, 130. Charitatis erga fratres officiis non liberat, 132.

Libido. Libidini non obſequendum, 133.

Licinius, Conſtantini æmulus, aliis ejus juſſu faucibus patiis, 869. Profligatus, 888, 892. Chriſtianos inſectatus, 8et.

Limbus, ubi continebantur piorum animæ ante Chriſti Reſurrectionem, 644.

Lingua Angelorum, 900, 228. Eadem omnibus lingua, eſt ſententiarum concordia, 165. Sermonum diverſitas ab Eccleſia removenda, *ibid.* Quanti interſit in uſitato apud Eccleſiam loquendi genera nihil mutata, 234. Vernacula lingua, olim in Divinis officiis uſurpata: cur non & hodie, *ibid.* Linguarum donum in quo ſitum, 231. Permanens non erat; neque uſurpabatur, niſi afflante Spiritu Sancto, *ibid.* Licentia eorum, qui linguis loquebantur in Eccleſia, quamquam nemine intelligente, 232. Linguarum facultas ſignum eſt non fidelibus ſed infidelibus, 235. Aſſidua ac permanens in Apoſtolis, 260. Ne prohibeas, quin ii, qui linguarum dono inſtructi ſunt, eo utantur in Eccleſiis, 257. Qui ignota lingua orat, fructu precum caret, 233. Miniſtratus Deus, ſeſe ignota lingua cum populo verba facturum, 234, 235. Utrum linguarum inventores Angeli, 228. Utrùm regionis ſibi creditæ linguam diſcant, *ibid.* An græcè ſciret Paulus, 291.

Lingua, quàm ſtudioſè coercenda, 708. Cum equo, cum navi, cum incendio comparata, 708; cum fonte calidam frigidamque emittente, cum ficu bonos maloſque fructus ferente, 710. Quæ bona & mala naſci ex ea queant, 708, 709. Quàm difficilè coerceatur. Inquietum & intractabile malum eſt, 709.

S. Linus. Variæ de eo ſententiæ, 542.

Liquor. Vide *Libatio*.

Litera occidit, *Spiritus autem vivificat*: quid hoc ſignificet, 263.

Literæ. Elegantes literas pingere neſciebat Paulus, ex Chryſoſtomo. Nonnulli ejus literas imitabantur, 378. Epiſtolæ Apoſtolo ſuppoſitæ, quibus Theſſalonicenſes terrerentur, 480.

Literæ commendatitiæ, quas pſeudo-Apoſtoli quærebant, 265. Commendatitiæ Pauli literæ ſunt Corinthii. Literæ ſunt Jeſu Chriſti, e Dei Spiritu per Apoſtoli miniſterium deſcriptæ, 265.

Lites perniicioſæ, ac ferè ſemper inutiles, 133. Lites non emat Eccleſia, 218. Ex ambitione, ſuperbia, ſui amore oriuntur, 421. Uſitatæ in Eccleſia, ab ipſa ætate Apoſtolorum, 702. Singulas Corinthiis tradit Paulus de litibus; vetat haberi lites apud Profanos, ſed apud fideles, 186, 187. Malum per ſe eſt litigare. In eam rem monita. Optandum ut fideles nunquam litigent, 188. Utrum liceat litigare. Exceptiones in eam rem, *ibid.*

Liturgia ſub nomine Jacobi Apoſtoli, eo indigna, 663. Quo pacto inſtituto ſint liturgiæ, & quàm vetuſtæ, 825.

Locuſta. Quæ myſticæ locuſtæ apud Apocalypſim, 877. Quantoperè olim timerentur, *ibid.* Deſcribuntur, 878.

Lois, Timothei avia piiſſima, 525.

Loth, quàm juſtus inter Sodomæos, 767.

Lu.

Lucanus, utrùm cognoverit Paulum, & an Chriſtianus, 435.

Lucas, utrum is, qui apud omnes Eccleſias Evangelio claruit, 483. Cur Romanum Petri iter prætermiſerit, 620. In Apoſtolorum Actis multa omiſit Pauli geſta, 40. Lucas Evangeliſta Coloſſenſes ſalutat, 454, 455. Romæ tunc erat apud Apoſtolum, *ibid.* Perpetuus ad obitum usque Pauli comes, 339, 564. Creditur eſt Author Epiſtolæ ad Hebræos, 565, 566.

Lucifer, matutinum ſidus, & tropicè Chriſtus, 764. Lucifer Dæmon, ſtella e Cœlo lapſa deſignatus, 876. Ejus pugna cum Michaele, quid allegoricè ſignificet, 890.

Lucius, utrum Lucas Evangeliſta, an Lucius Cyrenenſis, 249.

Luctus pœnitentiæ, peccantibus neceſſarius, qua in re ſitus, 715.

Ludovicus de Dieu, quid de baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 157.

Lupus Ferrarienſis literas ad Gotheſcalcum dat. Ejus ſcripta de prædeſtinatione, 13, 14.

S. Lupus Trecenſis, in Britanniam miſſus adversùs Pelagianos, 12.

Lutherus quid ſenſerit de libertate & prædeſtinatione. In Concilio Tridentino damnatus, 17.

Lux, Evangelii tempus, 432.

M

M*Atunias*, Ægyptius, ſepulcra Jannæ & Mambræ inviſit, 535.

Macedonia. Utrùm ex Macedonia Paulus primam ad Timotheum epiſtolam dederit, 501. Macedonum Chriſtianorum encomium, 180, 482.

Macchabæi. Quanta illorum fides, animi fervor, conſtantia. Quàm multa pertulerint, 642, 643.

Mageddo, locus multorum Regum clade celebris, 907.

Magnes, ab Epheſiis culta, 390.

Magi, utrùm vera prodigia edere queant, 485.

Magi. Ex tribus Magis, Chriſtum veneratis, non fuit Melchiſedech, 579.

Magiſter. Plures eſſe in Eccleſia Magiſtros non oportet, 707. Ejus muneris ambitio hæreticos peperit, *ibid.*

Magiſtratus, quatenùs ſit colendi, niſi obſit Divina Lex, ex Pauli ſententia, 553, &c. Quæ illis debeatur obedientia, 129, 130. Audiendi non ſunt, ubi Divinæ Legi repugnantia imperaverint, *ibid.*

Mahamed, quis, 316.

Mahometani cenſent, ſimulari poſſe Religionem, 115.

Majeſtas Dei terret Joannem, 846.

Mala hujus vitæ, cum æternis bonis collata, nihil ſunt, 269.

Malum patrari, ut bonum eveniat, nefas, 63. Accuſatur Paulus, quod iſtud aſſerat. Accuſationis hujus momenta, *ibid.*

Maldonatus, quid ſenſerit de baptiſmo pro mortuis, 159.

Maledictum, in eum, qui Legis operibus fidit, ea tamen non exercet, pronunciatum, 303. Quo ſenſu Chriſtus noſtri cauſa factus fuerit maledictum, 313.

Mambres, Magus Ægyptius, qui Moyſi reſtitit, 534.

Mandata Dei impoſſibilia non ſunt homini juſtificato: quo pacto, 215. Qui mandata Dei ſervat, is verè Deum amat, 793.

Manichæi, primorum ſæculorum hæretici, 137.

Manna, Euchariſtiæ ſymbolum, 208. Qui manna collegerunt, parem omnes annonam habuere: quo id pacto, 285. Manna faſtidierunt Iſraelitæ, 209.

Manna abſconditum, quid ſit apud Apocalypſim, 831.

Manus remiſſæ, 647.

Maranatha, Dominus venit. Anathematis genus. Variæ hujus vocis explicationes, 255.

Marcia ulique ex Epiſtola ad Romanos rejiciebat, 4, 130. Ajebat, Chriſtum Jeſum ad inferos deſcendiſſe, ut Deo Judæorum illuderet, atque inde educeret eos, qui illi Deo non credidarunt, 32.

Marcionitæ, Hæretici, 534. Baptiſmum iterabant, 154. Quid de reſurrectione ſentirent, *ibid.* Epiſtolam ad Philemonem corrupere, 559. Qui potiſſimus eorum error, 510. Geminas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes vitiarunt, 458. Unum Lucæ Evangelium ſequebantur, & admittebant, 318.

Marcoſiani Hæretici: horum uxores, 534.

Marcus, Petri Diſcipulus, utrùm idem ac Evangeliſta, 756 Quis ille, de quo Paulus in ſecunda ad Timotheum, 539 Multi fuere, 564.

Marcus, Barnabæ conſobrinus, ſive *Joannes Marcus*, utilis Paulo Romæ vincto, 454.

Marcus Aurelius, ſæviſſimus inter Eccleſiæ perſecutores, 382.

Maria, pia fœmina, quam ſalutat Paulus, ſola nomine nota. an Maria Caſſobolitis, 245.

Mare Erythræum. Ejus tranſitus argumentum fidei Iſraelitarum 641. Figura Baptiſmi, 208.

Mare vitreum. Cur hoc in Apocalypſi, 908.

Maritus matrimonii debitum reddat uxori, 192.

Maritus fidelis, uxorem infidelem ſanctificat: quo id ſenſu dici queat, 195.

Maritus. Ejus officia erga uxorem, 748. Ejus amandæ rationes, 748. Uxorem amat, uti Chriſtus Eccleſiam, ſuumque ipſe corpus, 408. Subditæ ſint viris uxores, 407. Amet uxorem vir, neque aſperius illam agat, 452.

S. Martinus, quanti faceret Sacerdotes, 702.

Martyres. Quo pacto jam nunc in Cœlo & in terris regnent, 924. Penè uni inter omnes, ſtatim ac obiere, gaudent beatitudine, 924. Quo pacto Reges ſint & Sacerdotes, 925. Ultionem in perſecutores flagitant: cur. Unde mos ſepeliendi corpora Martyrum ſub altaribus, 807. Quo tempore & modo cultus ſit Deus, 868, 869.

Martyrium. Ejus præſtantia & decora in iis, qui illud ſubierunt, 914. Abſque charitate inutile, 229.

Maſculum thus, cur apud Medicos ita appellatum, 846.

Maſius librum ſcripſit de utilitate Principum circa Religionem, 540.

Maſſa corruptionis, qua omnes homines obvoluti ſunt, 110.

Matres, quo pacto ſalutem aſſequantur, ubi in lucem filiis, 502.

Maxentius Imperator miſerrimè periit, 869.

Maximianus, Conſtantini æmulus, ſibi ipſe fauces elidit, 868.

Maximinus Daza miſerrimè moritur, 869. Ejus odium & ſævitia in Chriſtianos, 801.

Maximinus Jovius, morbo ſæviſſimo affectus, ob mala Chriſtianis illata, 869.

Mediator. Quo ſenſu dixerit Apoſtolus, unum eſſe mediatorem, Chriſtum Jeſum, Deum atque hominem, 499, 500. Mediatores quoque ſunt Sancti, ſed eo minores, *ibid.*

Melania, ab urbe Roma diſcedit, 922. Cur, 915.

Melchiſedech. Diſſertatio in Pauli ſententiam de Melchiſedecho. Variæ illius genealogiæ refelluntur, 575. Fabulæ de ejus geſtis rejiciuntur, 576. Semi filius non eſt, 578, neque Chami, 579; neque Dei filius, 582, Figura Jeſu Chriſti, 609. Quis ille, *ibid.* Utrùm mortuus, 411.

Melchiſedechiani, Hæretici. Horum author & errores, 577. Refelluntur. Quo tempore extiterint, 578. Aliud horum genus, *ibid.*

Membrum. Cùm Deus nos corpore inſtrueret, ſingula illius membra in legitimos uſus inſtituit, 51. Iis flagitioſiſſimè utebantur Gentiles, 52.

Memoria defunctorum, celebrata convivia, ad eorum ſepulcra, 337.

Mendaces, ſunt pſeudo Prophetæ, Magi, Hypocritæ, 928.

Mendacium pro idololatria, 51.

Mendici otioſi, miſericordia indigni, 480.

Menenius Agrippa, apologum narrat Romanis de membris in ventrem conjuratis. Eadem fermè comparatione utitur Paulus, 226.

Menſa. Animadverſiones in eos, qui ad Sacram Menſam indignè accedebant, 872.

Menſura ætatis & plenitudinis Chriſti, quid ſit, 400.

Mercatores, quàm opulenti, florente Roma, 928.

Merces operariorum, quàm iniquè denegatur, 717. Qui ſint mercede digni, 325.

Meſſias, fundamentum Legis & Prophetarum, 734. Implicita in Meſſiam fides in circumciſione continebatur, 71. Judæorum commenta de Meſſia, 472. Meſſiam non noverat utì oportebat, ante converſionem Paulus, *ibid.* Meſſiæ adverſarius a Zacharia deſcriptus. Falſi Meſſiæ, 337, 318.

Metaphraſtes, in hiſtoria ſuſpectus, 527.

Metempſychoſis Judæorum, refellitur, 345.

Metus. Metum in fidelibus eſſe vetat Apoſtolus, 305. Metus filiorum, Chriſtianis neceſſarius, 709. Vide *Charitas*.

Michaas, male affectus, 642.

Michael Archangelus, cum Diabolo diſputat: quam modeſtè. Altercationis argumentum, 821. Ejus pugna cum Lucifero, quid allegoricè ſignificet, 890.

Miletus eſt Apoſtolatus, 487. Nemo ſuis ſumptibus militat, 193.

Millenarii. Eorum opinionis origo, quam veteres Patres multi ſecuti ſunt, 915. Millenarii nonnulli hæretici nunc erant, quamquam alios & hæretici quamplures. Millenariorum origo ex Judæis. Pugnant cum Evangelio, neque unicam habent Apocalypſim, 913. Millenariorum error de terræ ſtatu poſt reſurrectionem, 338, 339.

Miniſter verus verbi Dei, 530. Dei Miniſtri nihil bonum & præmio dignum præſtare queunt abſque Dei ope, 274. Operarii ſunt, per quos Deus Eccleſiæ agrum exercet, *ibid.* Templi Jeroſolymitani Miniſtri ſumptibus ejuſdem alebantur, 204.

Miniſterium. Quàm graviter peccent ii, qui citra vocationem miniſterium ſuſcipiunt, 600, 601. Eccleſiæ miniſterium duplici ſignificatione uſurpatum. Quid officii incumbat vocatis ad Eccleſiæ miniſterium, 125.

Miracula. Donum miraculoſum, 224. Qui eo gaudent, nobiliſſimam in Eccleſia dignitatem obtinent. Frequens erat primis Eccleſiæ ſæculis, 227 Utrùm inter Galatas eſſet, 361. Miracula, quæ Paulus Theſſalonicæ edidit, 460. Utrùm miraculorum donum ſub finem mundi in Eccleſia ceſſaturum ſit, 483. Non ſemper certum ſunt ſanctitatis indicium in patrantibus, 604.

Miracula Antichriſti falſa, 485. Utrùm Dæmones ac Magi vera miracula edere queant, *ibid.*

Miſericordia Dei plane gratuita, 554. Quidquid bene agit, omneſque ſui muneris labores Paulus ad meram Dei miſericordiam refert, 406.

Miſericordia aliis exhibenda, ſi eam tibi cupis, 704. Quo ſenſu miſericordia ſeveritati Judicii antecellat, *ibid.*

Molina, Ludovicus, Jeſuita: ejus liber de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, turbas movet in Hiſpania. Aſſerit Molina, ſuam ſententiam a nemine adhuc traditam. Aſſerta ejus

Digitized by Google

ejus ſententiæ commoda. Quid ille de prædeſtinatione ſenſerit, 19.

Molinæus, Petrus, quid de Melchiſedeco ſenſerit, 180.

Molliti, peccatum a beatitudine excludens, 189.

Mons Sinai, in quo Lex vetus lata eſt, & quomodo, 648, 649. Mons Sion, ſpirituali acceptione, 649.

Mons in mare dejectus, de quo Joannes, qui, 874. Quo pacto conſuſi montes, ex Joannis vaticinio, 869. Qua ratione evanuerint, 908.

Monſtra, quo Satan in vitam ſeduxerit, 147.

Montaniſtæ, Hæretici, damnantur, quòd veros Dei Prophetas ita extra mentem rapi, uti Pythones ac Pythias, dicerent, 236.

Montemajor, Prudentius, quid de Prædeſtinatione ſenſerit, 12.

Moralis diſciplinæ principia, quibus docemur quid bonum ſit, quid malum, 58.

Morbi. Complures ſanati in fidei premium, 642. Donum ſanitatum, 224.

Mors. Non omnes moriemur, ſed mutabimur omnes, 247. Quid ſit, mori in Domino, 900. Mori peccato. Variæ hujus locutionis explicationes, 81. Quid ſit mori cum Chriſto, 389. Mori cum Chriſto hic, ut cum eo vivamus & reſurgamus, 449.

Mors, peccati ſtipendium, 83. Per peccatum intravit in mundum, 78. *Mors abſorpta in victoria*, quid ſignificet, 248. Mortis ſtimulus peccatum, *ibid.* Ultimus hoſtis a Chriſto ſuperandus, mors, 242. Mortis nomine ingentia diſcrimina ſignificantur, 275. Paulus nunquam non diſcrimini mortis obnoxius, *ibid.* Semel morimur, ſtatimque judicium, 627. Quo pacto mors mortem ſuperaverit, 591. Mors eſt ceu peregrini diſceſſio, vel captivi liberatio, 430. Somnus dicitur, ob reſurrectionem, quam præſtolamur, 468. Vetat Paulus, Fideles ob mortem dolere ut infideles, *ibid.* Guſtare mortem, quid, 590. Æterna mala interdum ſignificat mors, 697. Quo pacto moriatis Deo, dum hominibus vivere videatis, 854. Quæ ſecunda mors, 850, 851. Sub imagine equitis equo pallido inſidentis exhibetur, 866. Chriſti mors & Paſſio per altaris ſacrificium iterata, 551.

Mortificatio. Ut vita Chriſti vivas, & cum eo reſurgas, neceſſe eſt te ipſe mortifices, 449.

Mortui, pro mortuis peccati operibus, ex quibuſdam Interpretibus, 156, ſive pro corporibus mortuis, ex aliorum ſententia, *ibid.* Quam indigne habeantur apud quaſdam gentes mortuorum cadavera, 158. Baptizari mortuus, & baptizari pro mortuis, vetus in Eccleſia & inter hæreticos ſuperſtitio, 155, 158, 160, &c. Contrectato mortuo, Judæi ſeptem dierum ſpatio immundi erant, 158.

Mortui. Quid ſit, mortuos venerari, & comedere ſacrificia mortuorum, 509. Qui in Chriſto mortui ſunt in ejus Religione, ob ejus Fidei defenſionem, reſurgent primi, non temporis ſed dignitatis ordine, 470. Qui ante nos mortem obiere, primi inſurgent: quique ſuprema Judicii die ſuperſtites fuerint, mortuos non prævenient, 469.

Mortuus uſurpatur pro Chriſto Jeſu mortuo & crucifixo, 819.

Mos. Quanta ſit morum laudabilium vis in Eccleſia, 218.

Moyſes in vitam ſervatus parentum fide. Filiæ Pharaonis adoptionem ſpernit. Crucis ignominiam fortunis regiis prefert, 640. Conciliantur ſententiæ duæ de Moyſis fuga ex Ægypto, 641. Mediator Legis fuit, & antiqui fœderis miniſter, 605. Quanto inferior Chriſto, 503. Jubar, quo illius os micuit, cum is Legem a Domino acciperet, 263, 264. Diſſertatio de Moyſis obitu & ſepultura, 888.

Mulier. Utrum mulieres ſuo in ſexu reſurrecturæ, 347, 348. Viris ſubditæ eſſe debent, uti Domino, & uti Chriſto Eccleſia, 407, 451. Quo habitu orare debeant, & quod eximium earum ornamentum, 505. In Eccleſia taceant, 237, 505, orentque velato capite, 213, 216. Varii populorum mores circa mulieres in publicum prodeuntes, *ibid.* Illarum ornatus, 926, 505. Primorum Hæreticorum erroribus occaſionem dedere, 534, 851. Obſequentes maritis eſſe oportet, 115, 216, 217. Debet mulier ſignum poteſtatis viri ſupra caput habere, propter Angelos. Quid hæc ſignificent, 217. Mulierum immodeſtia in Eccleſiis. Capillos ne tondeant, niſi pietatis & humilitatis propoſito, 216. Gentilium mulierum flagitia, 18. Chriſtianæ mulieres, a quibus cæteræ ſuis in ædibus docebantur, 431. Anus: quæ illarum officia, 551. Quid adoleſcentulas docere debeant, *ibid.* Piæ fœminæ, quas ex communi Judæorum conſuetudine Apoſtoli in itineribus ducebant. Utrum uxorem haberet Paulus, & quo eam ſignificet, ubi ait, licere ſibi ſororem circumducere, 202, 203. Utrum apud Judæos ſacri aliqui ritus eſſent, quibus peccatum originis a mulieribus deleretur, 18, 19.

Mulier in ſolitudinem fugiens, de qua Joannes, 889.

Mulierus, quid de Baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 160.

Mundus, quidquid videmus & phyſicum eſt: quæ ejus natura, 329. Qui futurus illius finis. Igne periturus, ex Scripturæ locis & ex Profanis oſtenditur, 329, 330. Utrùm ante, an poſt Judicium flagraturus, 330, 331. Varie hujus ignis vires in bonos maloſque, 331, 332. Quandonam cæſſaturus, 332. Utrum noctu, & illico, 334. Utrum plures mundi futuri ſint, 338. De mundi diuturnitate diſputatur, 331, 333. Ne mutandus ſit quoad ſubſtantiam, an quoad accidentia. Variæ hac de re ſententiæ. Utrum in nihilum redigendus, an dumtaxat innovandus, 335. Patrum de hoc argumento ſententiæ, 336, 337. Mundi exitus certus eſt, tempus incertum. Id quam nobis utile, 471. Mundus in Scripturis tenebræ nuncupatur, 417. Indignus eſt Sanctis, 645. Per ignem peribit, 774. Cur id non contigerit, *ibid.* Bonos odit mundus, 798. Omnia in mundo tranſeunt, 785. Neque Deum novit, neque eos qui Deum amant, 788.

Mundus iniquitatis, quid ſit, 708. Quo pacto ſubſit maligni ſpiritus imperio, 803. Mundus ceu Dæmonis imperium habetur, 584.

Mundus futurus, qui, 189.

Munera Eccleſiaſtica & ſæcularia, quàm ſanctè gerenda, 749. Eccleſiaſtica apud Eccleſiam varia, 224.

Muniones inimici, impii, Dæmonis emiſſarii, 288.

Murmur adverſus Deum, quàm gravia peccatum, 596. Iſraelitarum in deſerto. Murmur quodlibet vitent fideles, 250.

Myſterium Eccleſiæ Jeſu Chriſti. Myſterium Divinæ voluntatis, 386. Præſtitutis temporibus myſteria ſua explet Deus, *ibid.* Myſteria omnia Prophetis & Patriarchis exhibita, in Chriſto collecta cernuntur, *ibid.* Myſterium vocationis gentium ad Fidem, 394. Hujus longitudo, latitudo, profundum. Quid iſta ſignificent, 397. Quid Apoſtolus intelligat pro myſterio Fidei, 505. Jeſu Chriſti myſteria omnibus ſæculis abſcondita, 448. Quæ iſta. Ea patefecit Deus ſanctis ac fidelibus tempore definito, *ibid.*

Myſterium iniquitatis. Explicatur hoc vocabulum. Expletum eſt. Completur in Hæreticis, & Eccleſiæ perſecutoribus. Sunt qui in Nerone peractum cenſuerint, 325, 483. Cajus Caligula, figura impii peragentis myſterium iniquitatis, 471.

Myſterium Dei, de quo Joannes, quodnam ſit, 883.

Myſterium de muliere & beſtia, ab Joanne explicatum, 910, 911.

Myſteria Religionis Paulo patefacta, 398.

Myſteria prædeſtinationis & reprobationis profundiſſima, 123.

Myſteria Chriſtianæ Religionis, Fidelibus detecta per lucem Spiritus Sancti revelantis, utque ſtudio ea verſentur impellentis, 171.

N

NAbath, lapidibus confectus, 643.

Narciſſus. Tota ejus familia Chriſtiana. Quis ipſe, 147.

Natura. Deus omnibus naturæ pectoribus nunciatus, 50. Quo pacto Divinæ naturæ participes efficiamur, 760.

Nazaræi, hæretici, quando deſierint, 535.

Nebo, mons, in quo mortuus eſt Moyſes, 821.

Neophytus, quid ſignificet, 505.

Nereus, quis, 148.

Nero, habitus eſt ceu Antichriſtus, 522. Illum nondum obiiſſe, complures credidere, *ibid. &c.* Non defuere, qui futurum eſſe Antichriſtum crederent, 482. Cur Paulum occiderit. Ulli ne ex ejus domeſticis Chriſtiani, 435. An mortuus: an ſupremum ante Judicium rediturus: utrùm Antichriſtus ſit, an ſolummodo Antichriſti miniſtrus & præcurſor. Variæ Patrum hac de re ſententiæ, 480.

Neſtoriana hæreſis, mater & filia Pelagianæ, 11.

Nicephorus Calliſtus, ex Itineribus Pauli, libro vetuſtiſſimo, recitat pugnam Pauli cum beſtiis Epheſi, 40. Quanta illius authoritas hac in re, 41.

Nicolaus I. quærit, quid actum ſit in cauſa Gotheſcalchi, atque Hincmarum & Gotheſcalchum Romam appellat; cujus qui juſſis non obtemperat Hincmarus, 16.

Nicolaitæ, moribus flagitioſiſſimi, 405, quando deſierint, 135. Horum errores. Quæ illos ſecta exceperit, 848.

Nicopolis, duplex hujus nominis urbs, 522.

Noe, per fidem a diluvio ſervatus, 637. Poſt mortem quoque prædicavit, 741. Agebatur Chriſti Spiritu, cum ante diluvium prædicaret, *ibid.* Quo pacto ante diluvium prædicaverit, 766, 767. Non unus ipſe eo pacto prædicavit, *ibid.* Qui ex Gentilibus ſervavere Noachidarum præcepta, ſalutem aſſequi poſſunt, ex Hebræorum ſententia, 34.

Nomen. Cum olim baptiſmo initiarentur Chriſtiani, de veteri alicujus Sancti nomine nuncupabantur, 157. Interdum pro homine in Scripturis uſurpatur, 854. *Nomen novum*, in Apocalypſi quid ſit, 851, 852. Dei nomen Electorum frontibus inſcriptum, quo a ſupremi Judicis ira defenduntur, 878. *Nomina* blaſphemiæ, quæ, 893.

Nota, quibus Ethnici inurebantur, in Numinum honorem, 24, 897. Quæ nota, ſeu character beſtiæ, 897.

Nothingus, Veronenſis Epiſcopus, Gotheſcalchi doctrina offenſus, 12.

Nova res, in Religione ſuſpecta, 45.

Novatiani, Hæretici. Horum error circa Pœnitentiam refellitur, 632.

Novi Cœli, *nova terra*, quid ſint, 917.

Novitas vitæ Chriſtianorum, in quo ſita, 884.

Nox, pro tempore ignorantiæ & infidelitatis, 832.

Nubes, Hebræos in ſolitudine protegens, Baptiſmi ſymbolum, 208. *Nubes candida*, certum ſupremi Judicii ſignum, 900. *Nubes ignea*, Conſtantinopoli ſpectata, 905.

Numenius Pythagoricus, 534.

Nuptiæ, quid myſticè ſignificent, 899.

Nymphas, Chriſtianus Coloſſenſis, ſeu Laodicenus, qui domum ſuam in ſacroſanctum cœtuum uſum præſto exhibebat, 455.

Obduratio

O

Obduratio reproborum, legens peccantibus monitum, ero Judæorum, permiſſa Divinæ Juſtitiæ conſilio, a Deo tamen non parta, 118.

Obedientia Chriſtianorum erga Præfectos. Quæ illius rationes, 655. Quæ ſuperioribus Poteſtatibus præſtanda, 129.

Obedientia Jeſu Chriſti ceteras virtutes complectitur, 83.

Obloqui de fratre eſt in Legem obloqui, 714.

Obſequium, Electorum minimo debitum, 737. Mutuum, 126.

Odium, detractio, damnatur, 374. Proximorum odium, quàm perniciosum. Cum Dei amore non componitur, 797.

Odor bonus Chriſti ſunt Apoſtoli, 261.

Officium Eccleſiæ publicum olim vernaculo ſermone celebratum: cur non & hodie, 234.

Olympas, ſive *Olympias*, vir an, an fœmina, 248.

Oneſimus, Philemonis ſervus fugitivus: Romam profectus, fatetur peccatum, ſacriſque a Paulo inſtitutus, literas ab eo defert ad Philemonem, quibus veniam impetrat, 558. Ad Paulum remittitur, eique tabellarii loco eſt. Evangelium prædicat: Diaconus ſeu Miniſter creatur, ac fortaſſe Epiſcopus. Martyrium ſubit. Alius eſt ab eo, cujus meminit Martyr Ignatius, *ibid.* Epiſtolam ad Coloſſenſes defert; ipſe fortaſſe Coloſſenſis, 414.

Oneſiphorus, Paulo in vinculis miniſter, 527. Faſtus ejus dies, & obitus, *ibid.*

Onus. Alter alterius onera deferat, 376. Suum quiſque onus feret, 377.

Opera bona, nonquam ſejungenda a Fide, 704. Recentiorum Reformatorum ſententia de bonorum operum utilitate, 705. Horum neceſſitas, *ibid.* abſolutiſſima, 900.

Opera carnis, quæ, 375.

Opera Legis; quæ Legis opera excludat Apoſtolus ab operum noſtræ juſtificationis numero, 67. Ad ſalutem inutilia, extra gratiam & fidem in Chriſtum, 84, 85. Diræ in eos, qui ea non ſervant 365.

Opera mortua, peccata, 603. Bonorum operum noſtrorum meminit Deus, 607.

Opera tenebrarum, operibus lucis oppoſita, 405. Tenebras amant flagitia, *ibid.*

Orare. Orandum eſt per Spiritum Sanctum, 825. Neceſſaria animi præparatio ad orandum, 749. Cur & quomodo Chriſtiani ubique orare debeant, cùm Judæi in Templo duntaxat orarent, 500

Oratio ſanctum facit, quidquid in cibum ſumitur, ſi præcedat & comitetur, 510. Aſſidua oratio in Scripturis commendata, 474, & apud Paulum, 412. Epheſios rogat Paulus, ut pro ſe orent *ibid.* Perſeverantia in oratione, 453. Complura orationis genera ab Apoſtolo imperata. Orandum etiam pro Judæis, qui Chriſtianis maledicunt, 498 Quo pacto concedat & deneget Deus id quod rogatur. Duo orationis vitia, duæ conditiones, 695. Cur non exaudiatur, *ibid.* Per orationem quodammodo cum Dei ira pugnamus, 498. 499. Spiritus in hominum mentibus preces creat, 99.

Oratio fratrum, quàm utilis ſit interdum noſtri in virtute progreſſus cauſa, 487

Oratio juſti, quàm efficax, 728.

Oratio pro mortuis, Pauli ætate uſitata, 527.

Oratio Sanctorum: ejus conditiones & laudes, 100.

Orientales, ſtigmata ſibi inurebant in Numinum obſequium, 24.

Ornamenta immodica, Chriſtianis mulieribus vetita, 501.

Origenes, quid de peccato originis ſenſerit, 77. Quid de effectibus circumciſionis, 88; de ſalute Gentilium, 33; de ſalute Philoſophorum, & de Joannis Baptiſtæ prædicatione apud Inferos, 37. Cenſuit, omnes homines, quantumvis impios, aliquando ſalutem aſſecuturos, 31. Ait, animas ante corpora exiſtere; & quid de reprobatione & prædeſtinatione hominum ſcripſerit, 7. Pelagii præcurſor fuit, eique arma præbuit, 8. Ejus ſententia de ſtatu animarum poſt mortem, 868, de altercatione Pauli cum Petro, 307, de Timotheo, quem Pauli neceſſarium putat, 491.

Oſculum pacis, inter Chriſtianos uſitatum, 148, 251, 434.

Otioſi & inquieti, vitandi, 472.

Otioſitas ab Apoſtolo damnata, 468. Otioſos vitari jubet Paulus, 480. Otioſitas apud omnes odioſa. Poſtulabantur ac damnabantur olim otioſi. Qui laborare non vult, ne manducet. Vitia ex otio nata, 480.

Ovatio, triumphi genus, 920.

Oves errantes, populus Iſraelis, 739.

P

Pædagogus, alius a Doctore, 566.

Pagani in tenebris vivunt. Quæ illæ, 401. A flagitiis quamplurimis non abhorrebant, 467. Immodicè dolebant ob neceſſariorum mortem, 468. Naturæ Legem omnes acceperunt, 57, 58. Id ſatis eſt, ut nulla ſit errantibus excuſatio, *ibid.* Triplex Theologia apud illos probata. Injuſtitiæ & impietatis ab Evangelio arguuntur. Varia eorum Religio, 40. Idololatriam amant, 51. Vulgata inter illos flagitia, ætate Pauli, 52, 53. Nullum charitatis documentum in ſua Religione noſcebantur, 53. Sacra Diabolo faciebant, 213. Nullum agnoſcebant poſt mortem judicium, niſi quod fabulis tradebatur, 56. Cur nonnulli Patres cenſuerint, Gentiles aliquos ſalutem aſſecutos, 744. Paganorum odium in Chriſtianos, 880. Quid cenſerent de Chriſtianorum conſtantia inter cruciatus, *ibid.*

Palma, cur Martyribus datæ, 871.

Papa. Ejus authoritas temerè ab Hæreticis impugnata, 481.

Papias, Millenariorum Author: ejus ingenium, 923.

Para. Armeniæ Rex, proditione necatus, 907.

Parabola de operariis in vineam miſſis, explicatur, 644.

Parabolani, Eccleſiæ Miniſtri, ægrotorum obſequiis addicti, 426

Pardus, inconſtantiæ ſymbolum, 893. Eo ſignificantur Alexander Magnus, & Maximianus Imperator, *ibid.*

Paries maceriæ, ſeu diſcriminis, dejectus a Chriſto Jeſu, qui eos collegit, & cum Deo conciliavit, 392.

Partes corporis, ita diſpoſitæ, ut maximè colantur eæ, quæ viliſſimæ ſunt, *ibid.*

Parthi: qui illi, ad quos primam Epiſtolam dedit Joannes; Judæi ne an Gentiles ad Chriſtum converſi, 777. Parthi equo præſtantiſſimi, 880.

Paſcere: qua ratione paſcendus Dei grex, 755.

Paſcha vetus, quo pacto celebraretur, 641. Hebræi ante Paſchatis Feſtum fermento domum ſtudioſiſſimè purgabant. Paſcha Chriſtianum & ſpiritale, 184.

Paſſio Jeſu Chriſti, ab Jacobo ſinis Domini nuncupatus, 728.

Paſtor verus ac legitimus omnium, Chriſtus, 855 Veri Paſtoris notæ, 379. Paſtorum officia, & ſedulitas, 126. Quantopere vigilandum ſit Paſtori in gregem, quantoque ſtudio ſervandum doctrinæ depoſitum ipſi creditum, 834.

Pater. Pollicetur Deus, fore ſe patrem eorum, qui ab impiis receſſerint, 277 *Pater luminum*, Deus, quo ſenſu 697. *Pater gloriæ*, cœleſtis Pater, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater, 188. *Pater ſpirituum*, quis, 646. Paterfamilias, quam ſtudioſè inſtituere debeat filios, 513, 514. Quid illi ſervandum ſit, dum filias nuptum dat, 198, 199. Leniter agat cum filiis, 409. Filios ne irritet, 452.

Patres Eccleſiæ. Quanta horum authoritas in rebus ad dogmata, & facta pertinentibus. Qua in re falli potuerint, 670.

Pathmos, Inſula, in qua exulavit Joannes, 843.

Pati Quæ nobis ſint mala perferendi rationes, 738, 739. Ad hoc vocati ſumus, 748. Patiendum ex Dei voluntate, 712 Merces promiſſa patientibus cum Chriſto, 530. Neceſſe eſt, hominem Chriſtianum ærumnas pati, 501. Cur, & quas, 645, 640 Ærumnæ, quas pateris, Divina ſunt beneficia, 421. Mala quæ in hac vita boni patiuntur, certiſſima ſunt argumenta judicii a Deo in impios exercendi, 477. Perpeſſionum utilitas, 255. Abſque perpeſſionibus, Dei hæreditatem aſſequi non poteſt, 97. Verum Chriſtiani humilia inſigna ſunt, 163 Duplex conditio, quæ perpeſſiones præmio dignæ ſiunt, 738.

Patientia Bonorum operum præmium patienter præſtolare, 717. Quæ vera patientia, & coronis digna, 604. Quo pacto conciliantur Paulus & Jacobus in iis, quæ de patientia tradiderunt, *ibid.* Nulla virtus abſque patientia, *ibid.* Omnes victimæ conditiones habere debet, *ibid.* In quo ſita, 760. Quæ ratio ſit patientiæ Sanctorum, 900. Primævorum Fidelium patientia in bonorum omnium amiſſione, 644. Quàm neceſſaria, *ibid.* Ad patientiam hortatur Deus, ejuſque rationes ſuppeditat, 242.

Patriarchæ, juſtificati per fidem in Chriſtum Jeſum, 65. Sibi ipſi lex fuerunt, Legem naturæ ſequuti, 58. Puriſſima eorum religio 35. Quo in loco verſarentur ante Chriſti reſurrectionem, 745.

Patropas ſeu *Patrobas*, quis, 148.

S. Paulus. Ejus vita & geſta, 1, 2. Quinquies flagris cæſus a Judæis, ſemel lapidibus petitus, ter naufragium fecit, nocte & die una mari merſus. Poſtrema ſibi ſententia variis explicationibus exponitur, 295. Diſcrimina, quibus obnoxius fuit, 296 Ter apud Corinthios fuit 301 Animus Pauli cupiditate vacuus. Neque ipſe, neque Titus quidquam a Corinthiis accepere, *ibid.* Animadverſionem minitatur Corinthiis, qui pœnitentiam non egerunt, 301 Quibus artibus Corinthios converterit, 169 Omnia parvipendit, ut de uno Chriſti cruce ageret, *ibid.* Ærumnæ, inter quas cum Corinthiis vixit, *ibid.* Miracula apud Corinthios ab eo patrata, 170. Pauli ſapientia in prædicandis Religionis myſteriis, 170. Epheſo Troadem, inde in Macedoniam venit, ubi eum convenit Titus. Ibi ſecundam ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit. Epheſo literas dat ad Corinthios. Variæ hac de re ſententiæ, 152, 153. Quo anno data ad Corinthios Epiſtola, 153. Ejus Epiſtolæ occaſio, 152. Utrum alteram priorem dederit ante geminas quæ ſuperſunt, 153. Criſpum ſolummodo & Cajum Baptiſmo tinxit apud Corinthios, 166. Pauli curæ ob Corinthios, 278. Quæ pertulerit in Aſia, ac præſertim Epheſi, 255. Quæ divinitus didicit. Renuit ſe ipſe commendare, 297. Pauli Epiſtolæ, quàm eximius liber, 8.

S. Paulus, carnibus ſemper abſtinere paratus, ſi opus fuerit, nequis offendatur. Evangelica libertate & jure ſuo non utitur. Chriſtum Dominum vidit. Germanus eſt Apoſtolus. Mavult victum labore quærere, quàm gravis cuiquam eſſe. Renuit piam fœminam, res ſuas curaturam, ſecum ducere, 202. Animo cupiditate vacuo, nihil ab auditoribus accipiebat. Ne gloriabatur, quòd gratis prædicaret. Væ Paulo, niſi prædicet, etſi prædicat invitus. Pauli ſapientia & prudentia. Cum Judæis tamquam Judæus, cum Gentilibus converſus tamquam ex ipſis unus fuit, 205; cum infirmis infirmus,

mus, omnibus omnia, ut omnes ſervaret, 206. In locis par cæteros Apoſtolos inſtitutis non docuit, 541, 291. Gloriam ſuam in conſcientiæ teſtimonio collocat, 256. Epheſo in Macedoniam proficiſcitur. Corinthiis inviſere ſtatuit, 257. Apud Paulum non ſeparatur *Eſt*, & *Non*, *ibid.* Pauli eloquentia, 250. Jurat per gloriam Corinthiorum, 243. Utrum feris expoſitus Epheſi, 243. Variæ hac de re ſententiæ. Ejus rei Hiſtoria. Profanorum ſententias recitat, 244. Quo pacto Scripturas laudet, 64. Non raro ad ſacrorum Scriptorum locutiones alludit, 208, 212. Quàm cautè uſus ſit gladio, 188. Linguis omnibus apud Corinthios uſurpatis, ſive omnibus abſolutè linguis loquebatur, 234. Utrum conjugio alligatus: utrum ſemper, an dumtaxat poſt vocationem continentiam ſervaverit, 193. Modeſtiæ cauſa de ſe ipſe loquitur, tamquam peccatore, ne odioſum ſermonem ad auditores converteret, 89. Laudes ſuas inſaniam nominat, 294. Se ſe cum pſeudo-Apoſtolis comparat, 293. Pauli modeſtia, ubi ſe laudare cogitur, 271. Eo ſolummodo gloriatur, quòd gloriæ Dei ſervit. Quàm modeſtè de laboribus ſuis agat. Peragratarum ab eo Provinciarum numerus, 242. Dei Spiritu, ſapientia & prudentia cumulatus, 171, 172. Rationem Corinthiis reddit eorum, quæ apud ipſos geſſit, 173. Fatetur ſe pluſquam cæteros Apoſtolos laboraſſe, 239, 240. Quidquid patitur, breve ac leve exiſtimat, 260. In Paradiſum raptus, 297; ibique ſpectat ineffabilia, 298. Abortivum ſe nuncupat, & minimum Apoſtolorum. Quo pacto id verè dixerit. Omnia debet gratiæ, 239. Nihilo inferior eſt maximis Apoſtolis, 202, 300. Optat anathema eſſe pro fratribus. Quid hæc ſignificent, 104. Judæos enixè amat, 223. Humilem deſpectumque ſe Diſcipulis exhibet. Ejus literæ acres & robuſtæ. Forma corporis Pauli, qualis apud veteres deſcribitur. Ejus vis, prodigia, eloquentia. Se cum ſe ipſo, non cum cæteris comparat. Immodicè ſe non laudat, 289. Græcè & Syriacè, ſive Hebraicè ſciebat, non Latinè. Incompta ejus oratio. Orationis vitia tribuenda ne Amanuenſi. Horum vitiorum cauſæ, 3. Pauli eruditio & eloquentia. De hac judicium Chryſoſtomi. Dialectices peritiſſimum aſſerit Auguſtinus. Ejus eloquentiam & dicendi vim admiratur Hieronimus, 4. Pauli eloquentia & ſcientia, 291; labores, ærumnæ, liberalitas, vis, &c. 274, 275. Amor erga Corinthios, 181, 276. Apologia adverſus pſeudo Apoſtolos, 287, &c. Ait, ſeu potius ajebant inimici, ipſum humilem deſpectumque eſſe dum aderat, abſentem verò confidentiſſimum, 083. Scripta illi falsò attributa, 5. Omnibus placere ſtuduit. Chriſti exemplo, 224. Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit, 174. Paulus, Apollo, & Cephas. cauſæ ſeditionis inter Corinthios, 179. Architectus eſt ædificii, quod Deus inter Corinthios ſtruxit, 174. Neque de ſe neque de cæteris ferre ſententiam audet, 178. Quamquam nullius criminis conſcius, ſe tamen juſtum non aſſerit, 170. Concupiſcentiæ ſtimulos ſentit, 299. Hi ſunt Angelus Satanæ ipſum colaphizans, *ibid.* Pauli modeſtia, labores, animus cupiditate vacuus. Victum labore quærit. Propoſiti hujus defenſio, 293. Se laudare cogitur. Qua arte ab inani gloria ſe tueatur: laudes ſuas proſequitur, ut pſeudo-Apoſtolorum ambitionem coerceat, 281.

S. Paulus, in gentium Apoſtolum electus, 354. Carnem & ſanguinem non conſulit, neque cæteros Apoſtolos, ſed Spiritus Sancti impulſum ſequitur. Damaſco in Arabiam proficiſcitur. Jacobum fratrem Domini inviſit. In Syriam & Ciliciam venit, 354. Secundò Jeroſolymam pergit poſt converſionem. Apoſtolos conſulit de rituum legalium negotio. Adeſt Jeroſolymitano Concilio, 355, 356. Non laborat placere hominibus in Evangelii prædicatione. Arguitur, quòd a cæterorum Apoſtolorum ipſo ſeniorum ſententiis moribusque diſcederet. Hominem magiſtrum non habuit, ſed ab ipſo Deo miſſus eſt. Ejus ſævitia in Eccleſiam, cum adhuc Judæus eſſet. Prædeſtinatus in Apoſtolum, 353. Jure ne Petrum Antiochiæ arguerit. Idque vere ne, an ficte, ex ſecreta inter utrumque conventione, 357, 358. Se ipſe in exemplum proponit, 433. Philippenſium erga ſe charitatem, ſtudiumque commendat. Nihil cupit: ſcit parvo contentus eſſe, ſcit abundare, *ibid.* Omnia poteſt in eo a quo confirmatur, 434. Utrùm ſua ipſe manu Epiſtolam ad Galatas deſcripſerit. An epiſtolas ipſe ſcribere conſueverit. An eleganter literas pingeret. Ejus literas interdum imitabantur pſeudo-Apoſtoli, 378. Utrum crediderit, mundi exitum ſua ætate futurum, 469. Captivus Chriſti fuit, vel propter Chriſtum, 393, 398. Ab Eccleſiis atque a Chriſto electus in Gentium Apoſtolum, 394. Myſteria illi patefacta, *ibid.* Judaicæ Religionis ſtudioſiſſimus ante converſionem. Ejus vitæ inſtitutum. Eccleſiam Dei eſt infeſtatus. Omnia corporis commoda aſpernatus eſt propter Chriſti fidem; atque omnia detrimenti loco habuit, cum Chriſti Jeſu cognitione collocata, 428. Quæ iſthæc cognitio, 429. Gloriatur fide ac patientia Theſſalonicenſium, 477. Seſe proponit in exemplum Diſcipulis, 450. Nonnulla interdum recitavit, quæ in Veteri Teſtamento deſiderantur, 406. Fatetur, magnum ſibi eſſe myſteriorum Chriſti cognitionem: cur, 394. Ejus humilitas. Minimum Fidelium ſe nuncupat, *ibid.* Sua ipſe manu Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes ſubſcripſit. Peculiari fortaſſe, vel nexu literarum utebatur, 490. Conſuetu Epiſtolarum ejus concluſio, *ibid.* Muneris ſui dignitatem commendat in Epiſtola ad Galatas, quòd illum deprimere conarentur inimici, 310. Ejus labores & prædicatio apud Theſſalonicam. Fidelium Theſſalonicenſium exemplum in ærumnis fuit, 460. Felix exitus prædicationis illius apud Theſſalonicenſes. Quæ fuerit ejus prædicatio, 461. Lyſtrenſes ſacra Paulo facere ceu Deo voluerunt, 483. Nihil ſcriberet de mundi exitu & Antichriſto, niſi cogerent pſeudo-Prophetæ, *ibid.*

S. Paulus ad finem ſibi propoſitum ſtudioſiſſimè properat: præteritorum obliviſcitur, ut curriculi metam aſſequatur. Se ipſe ceu athletam in ſtadio exhibet, 429. Quamquam Romæ vinctus, animo tamen præſens Coloſſenſibus adeſt, 441. Coloſſenſes præſens non inſtituerat. Suam Apoſtoli Gentium dignitatem commendat, per Jeſu Chriſti vocationem, ut auctoritatem ſuam apud Coloſſenſes confirmet, 438. Epiſtolam ad Coloſſenſes ſua ipſe manu ſignat: cætera deſcripſerat Amanuenſis, 457. Suam Apoſtoli dignitatem, ab inimicis exagitatam, confirmat, 384. Mortem optat, ut conjungatur Chriſto; vitam verò cupit, ut gloriæ illius ſerviat, 420. Rogat Fideles, ut pro ſe orent. Summa Pauli humilitas, 433. Crucifixus eſt mundo, ipſi mundus, 379. Stigmata Jeſu Chriſti in corpore ſuo geſtabat, 380. Literas dat ad Epheſios. Epheſum proficiſcitur. Utrum ibi tunc eſſet Joannes Evangeliſta, 381. Seriæ & actuoſæ vitæ exemplum ſe ipſe proponit Theſſalonicenſibus, 488, 489. Una Domini Cruce gloriatur, 379. Pauli vincula & carcer, progreſſui Evangelii magnopere ſerviverunt, 418, 419. Nemini gravis eſſe vult. Superbè non utitur auctoritate in Diſcipulos. Similem ſe nutrici exhibet, 461. Gaudet iis, quæ ob Evangelium tolerat, 442. Explet in carne ſua quicquid deeſt paſſionibus Chriſti, iis ſcilicet, quas Chriſtus nomini ſui cauſa perferri voluit, *ibid.* Miniſterium Apoſtolicum ex ipſo Chriſto accepit, *ibid.* In vinculis Deum orat, ut Epheſii non offendantur iis quæ ipſe patitur, 396. Pauli amor erga Judæos. Ipſe gentium Apoſtolus eligitur, 357. Galatas amat, 359. Matri ſimilis fuit, filios iterum formanti, 369. Vocem mutare cupit, ut illos ad officium reducat, 370. Ejus amor & ſollicitudo erga Eccleſias, quas ipſe non inſtituit, 443. Amor & ſollicitudo pro Theſſalonicenſibus, 464. Victimæ mox mactandæ ſe ſimilem dicit. Odiis & ærumnis gaudet, 425. Abſolutus Romæ pronunciatur, poſt carceris biennium, 410. Gaudet, quòd Evangelium qualibet ratione prædicetur, 419. Mors & vita illi æquè lucro ſunt, 420. Poſt vincula, Philippos petiit, 425. Qua mente & cauſa Petrum arguerit, 314. Varia nomina uſurpat, 545.

S. Paulus, ejuſque Epiſtolæ a Petro commendantur, 775.

S. Paulus, cur in ſecunda ad Corinthios Epiſtola non meminerit ſuæ cum beſtiis pugnæ Epheſi. Ejus rei narratio apud Nicephorum Calliſtum, 40. Minimè dubium eſt, quin Paulus in Epheſino theatro feris objectus fuerit; ſed incertum, qua ratione ſervatus, 43.

Paulus Oroſius, auctore S. Auguſtino hiſtoriam ſcribit, 906.

Paulus IV, quid geſſerit cum Joanne Grimani, Aquilejenſi Patriarcha, 17.

Paulus V, ad Pontificatum evectus poſt Leonem XI, ab Hiſpanis rogatur, ut definiat, a Gallis ut differat Molinæ negotium. Inceptum proſequi decernit. Congregationem inſtituit, pluresque coram ſe de hoc negotio cœtus haberi jubet. Anceps eſt, an eam definiat. Bullam exarari jubet, qua Molinæ doctrina damnabatur, ſed eam publicis juris fieri vetat, 21.

Pauperes, ope & charitate juvandi, 480. Pauperum cura Paulo demandatur, 357. Pauperes pari loco cum divitibus apud Deum ſunt, 701, 702.

Paupertas, quanti facienda apud Deum, 702. Chriſti paupertas noſtræ argumentum & exemplum, 281. Paupertas Apoſtolorum, ac præſertim Pauli, 275. Coacta paupertas, laqueus eſt. Voluntariæ paupertatis laus, coactæ periculum, 468.

Pax, apud Hebræos eſt quodlibet bonorum genus, 384. Pax Dei, ſors Sanctorum, 433. Pax Chriſti triumphet in cordibus noſtris, 451. Quàm enixè ea Deo poſtulanda, & cur, 498, 499. Pacem cum gratia jungit Paulus initio Epiſtolarum, 561. Pacem Romanis ſæpe optat, ob turbas, quæ inter ipſos erant. Pacem ſervato cum omnibus, ſi fieri poteſt. Quibuscum non ſervanda. Repugnandum inimicis pacis. Pax & charitas erga perſecutores quoque colenda, 128, 129. Moſi pacis cauſa, 137.

Pax a Chriſto parta, 74. Pax, ſors hominis bene agentis, 58, 57. Quàm neceſſaria in Eccleſia, 710, 711. Pax bona omnia corporis & animi ſignificat, 726.

Peccare. Quo ſenſu in Legem univerſam peccet, ſi unum illius caput violes, 703, 704, 789. Qui manet in Deo, non peccat, quo pacto, 789, 790. Qua ratione non novit Deum is qui peccat, 790. Qui peccat, filius Diaboli eſt, *ibid.*

Peccatores, apud Judæos ſunt omnes, ab ipſorum Religione alieni, 358. Quanta peccatoribus ſit de miſericordia Dei fiducia, ſi ſeriò converſantur, uti Paulus, 407.

Peccatum originis, quo efficimur filii iræ, 390. Per Adamum in nos venit, 77. Peccati Regnum ab Adamo uſque ad Legem, Quodnam illud, 78, 79. Vide *Deus*, *concupiſcentia*. Omnes in Peccato ſunt, 63. Vide *Mors*. *Imputare*. Peccatum interdum eſt victima expiationis, 273. Vide *Mors*, *Lex*. Peccatum animum peccantis turbat, 56. Servi peccati, liberi peccato, qui, 85. Nemo peccato vacat, 781. Peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem. Non Orandum pro iis qui alterutro tenentur, *ibid.* Peccata noſtra tulit Chriſtus a peccato moriendum, 739. Quæ id ſuadeant, 747. Quid agendum, ne pecces, 786. Plura peccati genera, 781.

Peccatum Præadamitarum, quod, 78.

Pererius, quid de primi hominis peccato ſenſerit, 78. Homines ante Adamum pueritia quadam peccati expertes gaudebant. Nonniſi poſt Adamum ratione uti, & naturæ Legem ſequi cœperunt, *ibid.* Vide *Jeſus Chriſtus crucifixus*.

Pe-

Pelagiani Conſtantinopolim confugiunt, ubi cum Neſtorio patrono ſuo damnantur, 21.
Pelagius quid de prædeſtinatione ſenſerit, 21. Una cum Cæleſtio in Britanniam fugit, ibique errorem docet, *ibid.*
Pellis ovilla veſtis, qua Sancti quidam utebantur, 843.
Penula, ſeu phelone, quid ſit, & cum eam quæſierit Paulus antequam moreretur, 540.
Perfectio, ſemper a Chriſtianis quærenda, 400. Magna Chriſtianæ perfectionis pars eſt, ſe imperfectum credere, & aſſiduè ad illam niti, 403. Quo pacto in modico verborum uſu conſiſtat, 708.
Pergamus, Urbs Troadis, ubi Eccleſia erat, cùm ſcriberet Joannes, 850.
Perſæ exercitus ampliſſimos habebant. Equitatu eximii, 880.
Perſecutiones, interdum ſignificantur nomine tentationum, 836, interdum venti, 870. Cur eas prædixerit Joannes, 859. Non ſemper certum ſunt veritatis indicium; at rarò evenit, ut mendaciorum artifex perſecutioni ſe objiciat, 461.
Perſecutores Eccleſiæ, miniſtri Antichriſti, 483, 484. Perſpicua Dei animadverſio in primos Eccleſiæ perſecutores, 869, 825.
Perſeverantia in bono, Chriſtianis omnibus neceſſaria, 419, 410.
Petra Horeb, figura Chriſti, 209.
S. Petrus, cujus loci, & quis eſſet. Ejus geſta poſt Chriſti Aſcenſionem. Ubi & quo tempore primam Epiſtolam ſcripſerit, 723; & ad quos. Quid in ea ſibi propoſuerit. Ejus Epitome; orationis genus; lingua. Libri apocryphi Petro attributi, 724. Secunda Petri Epiſtola. Ejus epitome. Unde ſcripta, & an Petri fœtus, 757. Cur aliud a priori orationis genus præſeferat. Ad quos ſcripta, 757, 758. De ſe modeſte loquitur, 759. Romam revocatur a Chriſto, ut martyrium ferat, 765.
S. Petrus, quo pacto Romanam Cathedram annis XXV tenuerit, 669. Sententiarum varietas de anno, quo is Romam venerit, illum eò non veniſſe non evincit. Cur non meminerit Petri in Epiſtolis Roma datis Paulus, 669. Qui fieri potuerit, ut Romani Judæi inſtitutionis cauſa ad Paulum, non ad Petrum, acceſſerint, 669, 670. Evangelii prædicatio inter Petrum & Paulum diſtributa quo pacto dicatur. Diluuntur argumenta adverſus Romanum Petri iter, 670. Illud certiſſimum eſt, 671. Quo tempore dubitari de eo cœptum ſit, & cur. Validiſſima pro eo argumenta, 664, &c. Diluuntur objecta, 665, 669. Ipſimet Hæretici huic itineri favent, 666.
Petrus Apoſtolus. Utrum idem ac Cephas, a Paulo redargutus, 308. Utrum in hæreſim lapſus dici queat, 309, 313. An ex canonicis Legibus redargutus, 309. Plura illi nomina fuere, 314. Legis obſervationes cum Evangelii diſciplina conjunxit, 373. Utrum idem cauſa fuerit ſeditionis inter Galatas ob Legis obſervationes, *ibid.* Apoſtolus Judæorum electus. A Paulo redargutus. Utrum objurgatione dignus. Utrum veniale illius peccatum, 357. Auguſtini judicium de ea, 358. Simonem Magum in Cœlum ferri conantem, precibus præcipitem dejecit, 484.
Pharao, cur obduratus, ex Chryſoſtomo, 9.
Phariſæi, veterum traditionum ſtudioſiſſimi, 353. Cæci erant, 752.
Phiala, vaſis genus, 903; ſeu crater, mala ſignificans, quibus Deus Romanum Imperium affecit, *ibid.* Phialæ odoribus plenæ, quid ſint in Apocalypſi, 863.
Philadelphia, urbs, ad cujus eccleſiam ſcripſit Joannes, 855.
Philemon. Prolegomena in Epiſtolam ad Philemonem. Ejus occaſio, proprietas, & Epitome. Is domum ſuam in Eccleſiam conſecrat. Eximia illius pietas, & martyrium, 558, Epiſtolæ authoritas, 559. Amicum & cariſſimum nominat Paulus, 560. Totam Epiſtolam ipſe exaravit, 563.
Philetus a veritate diſcedit, 530.
Philippenſes. Pauli Epiſtola ad Philippenſes; & amor erga illos. Philippenſium charitas erga Paulum, miſſo Epaphrodito Epiſcopo ſuo ad illius ſolatium. Hujus Epiſtolæ oratio fluidior cæteris. Epiſtolæ argumentum, 414. Philippenſes a Paulo laudantur, 417. Eorum liberalitas. Cur ipſorum virtutem commendaverit Paulus. Ipſos prædeſtinatorum loco habet. Quanti illos faceret Paulus. Doluere ob vincula Pauli, eumque apud Neronem defenderunt. Quæ illis bona optet, 417, 418. Pauli corona & gaudium ſunt. Hortatur, ut concordiam & charitatem colant, 438. Opem præſtant Paulo, 425, 434. Epaphroditum Romam mittunt, 426. Audita hujus valetudine, dolent, *ibid.* Illos ſolatus Paulus, jubetque gaudere. Utrùm alteram ad eos Epiſtolam dederit, 427.
Philippi, Macedoniæ urbs, utrùm Metropolis, cùm Paulus ad Philippenſes ſcriberet, 417.
Philo, quid ſenſerit de animabus, Angelis, Dæmonibus, 4.
Philoſophi gentiles, a Deo deſtituti in ſuis erroribus, 52. Eorum flagitia, 52. Sunt qui illos æternam beatitudinem aſſecutos aſſerant, 31, 32. Summa illorum arrogantia, 37. Virtutis ſuæ authores ſe putabant, uno Jove minores, ſibique ſufficientes, *ibid.* Deum quàm minimùm curant, 35. Nullus illis eſt excuſatio, 35, 36. Utrùm qui inter illos laudabiliter vixere, ſalutem aſſequi potuerint. Deum cognovere, at non coluere ut oportuit, 31. Moribus flagitia, errorem mentibus, ſententiis inconſtantiam prætulerunt, 35. Triplex Theologiæ genus apud Philoſophos probatum, 49. Agnovere veritatem, at in injuſtitia detinuere, *ibid.* Eorum ſuperbia, 51. Falſam eſſe Religionem ſuam cognovere. Deo gloriam non exhibuerunt, tametſi ea ſe ipſis & ex natura illum cernere intelligerent. Nulla eſt illorum erroribus excuſatio, 30, 54. In puerorum amore flagitioſiſſimi, 405. Pauci ex iis animæ immortalitatem certò crediderunt, 468.
Philoſophia, ſalutis acquirendæ adminiculum, ex Patribus quibuſdam, 31. Inania profana philoſophiæ promiſſa, vanique conatus, 367. Fruſtra nititur adverſus Dei verbum & evangelicam prædicationem, 188. Philoſophicas argutationes, ac præſertim Platonicas, uſurpabant pſeudo Apoſtoli. Utrum ſanxerint Judæi, nequis Philoſophiæ Græcorum operam daret, 444.
Philologus, Sinopenſis Epiſcopus, 148.
Phlegon, Marathonis Epiſcopus, 148.
Phygellus Paulum in vinculis deſtituit, 526.
Pictores errant, dum veteres libros pingunt, 865.
Pietas vera, in quo ſita, 137, 538, 701. Sejungi a charitate nequit, *ibid.* Odia in ſuos cultores ſemper peperit, 535. Mundo inviſa, *ibid.* Opibus parandis ſervire non debet, 518.
Pigritia, Vide *Otioſitas*.
Placere proximo in bono, ſive in bonum, 139.
Plagiarii. Quo ſenſu hæc vox uſurpata apud Paulum, 405.
Plato, utrum Chriſtum in literis crediderit, 33. Ejus Philoſophia apud Judæos plurimi habita & culta, 444.
Pleroma, quid eſſet apud Hæreticos, ætate Pauli, 518, 532.
Plinius Junior, quid de Chriſtianis ad Trajanum ſcripſerit, 736.
Pœnitentia, maris pellucidi ſignificata apud Joannem, 86. Quàm difficilè ſinceram pœnitentiam amplectatur is, qui poſt Baptiſmum peccavit, 604.
S. Polycarpus eſt Angelus Smyrnæ, ad quem ſcribere juſſus eſt Joannes, 849. Quæ ejus ærumna & paupertas, *ibid.* Ejus martyrii hiſtoria, paulo poſt ipſius obitum ſcripta. Martyrii dies, 850.
Porphyrius, Philoſophus, Chriſtianæ Religionis inimicus, ob diſceptationem Pauli cum Petro, 307. Chriſtianos ſcriptis inſectatus eſt, 805.
Poteſtas uni Deo convenit, 320. Poteſtas in gentes, quo pacto explicanda, 833.
Poteſtates ſunt vel Magiſtratus, vel Angeli Regnorum Præſides, 440.
Poteſtates ſatali, teſtes Divinæ ſapientiæ in Eccleſiæ inſtitutione atque adminiſtratione, 393.
Poteſtates aeris, Dæmones. Aerem Dæmonibus infeſtari, Veteres credidere, 389.
Poteſtates ſuperiores, quibus debetur obſequium. Poteſtas omnis a Deo eſt, 129.
Prædamitæ, utrum ulli fuerint, 78. Vide *Peireriust*.
Prædeſtinati ad gloriam, certiſſime non peribunt, quamquam accepta juſtificationis gratia cadere poſſunt, 102. Nihil impediet, quin gloria donentur, 102. Nemo ex prædeſtinatis perit, 102. Quo pacto quis prædeſtinatus eſſe queat, ac deinde reprobus, 855. Quot fuerint prædeſtinati in duodecim Tribubus Iſraelis, 871.
Prædeſtinatiani, Hæretici, an unquam extiterint. Ab Auguſtino per anteceſſum refelluntur, 12.
Prædeſtinatio & reprobatio. Variæ inter Scholaſticos ſententiæ de utriuſque cauſa, 106. Utrum Paulus in Epiſtola ad Romanos de prædeſtinatione ad gratiam, an de prædeſtinatione ad gloriam egerit. Omnino ponit gratuitam prædeſtinationem, 107. Quo pacto veteres Judæi prædeſtinationem explicare potuerint, 6. Origenis de prædeſtinatione ſententia. Ob prævisa bene vel male merita homines a Deo prædeſtinari vel reprobari ajebat, 7. Quid de prædeſtinatione Pelagius, 8. Quid ſemipelagiani, 18, quid Chryſoſtomus, 8. 9. quid Auguſtinus, 12, quid Græci recentiores, 10. Pelagii ſententia, 21. Prædeſtinationem Paulus plerumque vocationis nomine ſignificat, 47. Homines univerſi aut prædeſtinari, aut reprobi. Prædeſtinatio ad gratiam prorſus gratuita; ad gloriam verò juxta alios gratuita, juxta alios minimè, 56. Utrum Paulus in Epiſtola ad Romanos de prædeſtinatione ad gloriam, an ad gratiam egerit, 43. Ubi agitur de reprobatione, dici queat quis prædeſtinatus ad mortem, 23. Vide *Gotheſcalchus*, & *Rabanus*.
Prædeſtinatio & reprobatio, ob Dei gloriam inſtitutæ, 387. Gratuita Epheſiorum prædeſtinatio, 391. Qui ante vocationem eſſent, 390. Ex Deo abſolutè gratuita, 391.
Prædeſtinationis duplex gradus, 855.
Prædeſtinatio ad fidem nunquam non gratuita; ad gloriam quoque, ex pleriſque Theologis. Prædeſtinatio ad gloriam, ex Auguſtino, complectitur vocationem & prædeſtinationem ad gratiam. Prædeſtinationis propoſitum eſt, ut ſimus Chriſto ſimiles, 100. Vide *Congregatio de auxiliis*.
Prædeſtinatio Jeſu Chriſti omnino gratuita, 46.
Præſes Evangelii. Quid illi ſufficere debeat, 518.
Prædicatio. Muneris hujus amplitudo, 166.
Prædicatio Pauli, quæ fuerit. Alia a prædicatione pſeudo-Apoſtolorum, 461, 462. Ejus progreſſus. Peragratarum ab eo regionum numerus, 142. *Prædicatio Pauli*, liber apocryphus, a Simone Mago exaratus, 5.
Prædicator, quo pacto Dei verbum nuntiare debeat, 749. Mali prædicatoris notæ, 769. Prædicatores, qui Pauli gloriæ invidebant, 419. Gaudet Apoſtolus, Evangelium quolibet modo nunciari, *ibid.* Optimum prædicatorum exemplar Paulus, *ibid.*

Præ-

Prædicatores, divina opa indigent; ſine qua inutilis eſt illorum labor, 874. Olim alternis in Eccleſia prædicabant, 285. Æquum eſt, ut Evangelii ſumptibus alant, 205.

Præmium patientium, 847. Dum præmio donat Deus, ſua ipſe dona, & merita hominis coronat. Nihil præmio donatur a Deo, niſi id, quod per Spiritum Sanctum geritur, 874.

Præmotio phyſica, a Dominicanis defenſa, a Jeſuitis impugnata, 10.

Prætorium, quid hoc ſignificet, 429.

Presbiter. Olim hoc nomine donabantur Epiſcopi, & Apoſtoli, 416. Cur Presbyterorum non meminerit Paulus, ubi de Epiſcopis & Diaconis, 505, 546.

Primitiæ ſpiritus, quid ſint. Spiritus primitias qui acceperint, 98. Primitiæ ſunt id quod optimum in unaquaque re eſt, 890. Primitiæ ex comparſione, quæ Sacerdoti debebantur, 880.

Primogenitus omnis creaturæ, Chriſtus: quo ſenſu id accipiendum, 440. Quid ea vox in Scripturis ſignificet, 842.

Princeps Paſtorum, Chriſtus Jeſus, 753. Cæteri ſunt ejus Vicarii, *ibid.*

Princeps poteſtatum aeris, Dæmon. Aeram Dæmonibus occupari, crediderunt veteres, 389.

Principatus, poteſtates, virtutes, nomina ex Perſarum Regum aula. Ea Paulum per traditionem arripiſſe, exiſtimat Hieronymus, 588.

Principatus & poteſtates Cœlorum admirantur Dei ſapientiam in Eccleſiæ inſtitutione, 593. Interdum ſunt ordo quidam Angelorum, vel Provinciarum Præſides, 440.

Principatus, Virtutes, Poteſtates, varii Angelorum ordines, ſive humani magiſtratus, 103.

Principes. Obſequium illis debitum, 130, 737; quamquam flagitioſis, *ibid.* Authoritatem in malos, non in bonos exercent, 130. Malo Principi obſequium debes, non ſecus ac bono. Ferendus eſt malus Princeps, uti cætera mala, quibus a Deo exercemur. Miniſter Dei eſt Princeps, ut nos in bono juvet. Gladium fert ad impiorum terrorem, & defenſionem bonorum, 130, 131.

Principes mundi hujus, Dæmones, 274, 481. *Principes tenebrarum*, Dæmones, *ibid.*

Principes ſæculi, adverſus quos nobis pugnandum eſt, 481. Dei ſapientiam non cognoverunt, 170.

Priſcilla, & Aquilas. Vide *Aquilas*. Utrùm Romæ eſſent, cùm Paulus ad Romanos ſcriberet, 843.

Priſca, Aquilæ uxor, cur ante maritum nominetur, 541. Probate omnia, quod bonum eſt tenere, 474. Probet ſe unusquisque, antequam ad Euchariſtiam accedat, 291.

Prodigia mendacia, quibus clarebit Antichriſtus, 485.

Profundum maris, in quo Paulus noctu & die fuit, quid ſit, 295.

Promiſſiones. Plura promiſſionum genera nobis exhibuit Deus, 545. Omnes certiſſimæ, 608. Dei promiſſiones abſolutæ nunquam eventu careant, 205, 245. Promiſſiones Abrahamo exhibitæ: ejus filii ſpiritu, harum promiſſionum hæredes, 71. Quas Judæis exhibuit Deus, conditionibus adſtringuntur, 61. Utrum promiſſis defuerit, dum eos in infidelitate deſtituit, *ibid.* Promiſſiones Hebræis & gentibus exhibitæ apud Scripturam: harum diſcrimen, 140, 141.

Prophetia, quid ſit apud Apocalypſim, 884.

Prophetæ, patientiæ exempla inter ærumnas, 718. Utrum myſterium Incarnationis cognoverint, 728. Quo pacto afflati a Deo per Spiritum Chriſti. Interdum Deus alteri Prophetæ detegit id quod alteri denegat, 728. Prophetarum teſtimonium cæteris omnibus certius, 765. Quàm utilis eorum lectio, 774. Primi Eccleſiæ Prophetæ, *ibid.* Cur obſcurè locuti, *ibid.* 828. Quo pacto veri Prophetæ a falſis ſecernantur, 825, 791. Quo ratione ſanguis Prophetarum in urbe Roma inveniatur, 918. Plura Prophetarum genera ſub initium Eccleſiæ, 400. Sancti Prophetæ pro impoſtoribus habiti, 643.

Prophetæ novi Fœderis, ſtatim poſt Apoſtolos recenſiti, 627. Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt: quid iſta ſignificent, 236.

Prophetare, ventura prædicere, 235. Plures in Eccleſia erant hac facultate donati, 255. Interdum eſt, ignotas linguas interpretari, 232. Qui linguarum dono præditus eſt, facultatem interpretationis poſtulat, 235.

Prophetia, donum, 234. Hortatur fideles Paulus, ut prophetiæ donum poſtulent, 257. 673. Utendum eſt prophetia ſecundum rationem fidei, 185. Non ſemper cum morum ſanctitate conjungitur, *ibid.* Cœleſte donum eſt, 764. Qui vaticiniorum finis, 748. Apocalypſeos vaticinia, ad Eccleſiæ per ſecutiones pertinentia, cur ea ediderit Joannes, 859. Vaticinia nunquam non nube aliqua obvolvuntur, 504.

Propitiatorium, operculum arcæ fœderis, ubi Deus Hebræorum preces excipiebat. Figura Jeſu Chriſti, 66.

Proſelyti, quibus ritibus inter Judæos cooptarentur, 25.

S. Proſper, literas dat ad Auguſtinum in controverſia Semipelagianorum de prædeſtinatione, 21.

Proſtituta, ſeu *Meretrix*. Hoc nomine urbes flagitioſæ & infideles deſignantur apud Prophetas, 909. Deſcribitur, 910. *Meretricium* in Veneris honorem, Corinthi uſitatum, 232, 291.

Proteſtantium criminationes & odium in Romanam Eccleſiam, 482, 830.

S. Prudentius Trecenſis, de prædeſtinatione ſcribit, 14.

Prudentia, qua uti debent Chriſtiani, ne inimicos irritent, ac perſecutiones temere in Eccleſiam provocent, 406.

Pſalmi Davidis, cur in Eccleſia recitentur, 719.

Pſeudo-Apoſtoli, adverſus quos ſe tuetur Paulus, 287. Ajebant Paulum hypocritam eſſe, atque omnia ex regula carnis agere, *ibid.* Illos detegit Paulus, ut execrabiles Corinthiis reddat, 288. Apoſtolatum ſuperbè exigebant, 204. Ducebant, quamquam non miſſi, flagitioſi, & avari, 206.

Pſeudo-Doctores, qui ſint in Eccleſia, 786. Æſtimandi ſunt ex moribus, 288. Se Apoſtolos Chriſti eſſe gloriabantur, *ibid.* Paulo detrahebant, ejusque æſtimationem apud Corinthios minuere conabantur, 206. Fundamento Chriſti ligna, fœnum, ſtipulam ſuperſtruebant. Inutilis illorum labor, 175.

Pſeudo-Prophetæ, nonnulli erant, in Eccleſiam irrepentes, 236. Pſeudo-Prophetæ, pro Magis & Philoſophis, Chriſtianorum hoſtibus. Infelix illorum exitus, 907, 908, 922. Deſcribuntur, 765. Quæ futura ſit juſta in eos pœna, 767.

Pſychici, qui, 825.

Pudens. Quid de illo narretur, 548.

Pudicitia, a Paulo commendata, 468.

Puellæ, monentur ne nubant, 199. Vide *Pater*.

Puer. Ne ſis puer ſapientia ſed malitia, 234. Puer octo dierum, e populo delerus, niſi circumcidatur. Quo pacto id intelligendum ſit, an de æternis ſuppliciis, 26, 27. Monet Epheſios Paulus, ne ſimiles pueris ſint, leves, inconſtantes, indocti, 400. Puerorum amor apud Veteres Romanosque probatus, 58.

Pugna. Quid impellere nos debeat ad pugnam adverſus Diabolum, 734, 753. Cur Paulus amet comparationes ex bello & pugna ductas, 519, 528, 538. Spiritalis pugna, inter hominem, carnem & Diabolum. Quo pacto gerenda, 480, 481.

Pugna cum feris apud veteres, quæ, & quot illorum genera. Nomina beſtiariorum apud Græcos & Latinos. Harum veſtigia in Hiſpaniis, & in Regno Mogolis. Clarum facinus Pipini Brevis in hujuſmodi pugna, 42.

Punire. Cur Deus puniat quos amat, 858. Aliter bonos, aliter malos punit Deus; aliterque a terrenis Patribus, 646.

Purgatorium, ſuprema die judicii abolendum. Purgatorius ignis, de quo Paulus, 276.

Puteus abyſſi, qui, 877.

Pythagorici ſuaus ducebant eorum, qui a Pythagora diſcedebant, 883. Amicitias inſtaurabant ante ſolis occaſum, 402.

Q

QUæſtiones vitandæ, 902, 494.

Quartus, Siliæ an Eraſti frater, 250.

Querela. Vetitum, ne Chriſtiani mutuas querelas inſtituant, 718.

Quintus Phryx, ſe ultro objicit martyrio, & vincitur, 810.

Quiroga. Nuncius in Hiſpania, literas ad Pontificem dat de negotio Molinæ, 19.

R

R*Abanus*, Archiepiſcopus Moguntinus, adverſus Gotheſcalchum ſcribit, 13. Quid de prædeſtinatione ſenſerit, *ibid.*

Rabanus Maurus, quid de Antichriſto ſcripſerit, 325.

Rabbini, quid de alterius vitæ ſuppliciis credant, 57. Eos tantum ex Judæis æternum damnatos cenſent, qui Divinitatem & mortuorum reſurrectionem negant, *ibid.* Sunt ex iis, qui ore abdicari poſſe Religionem putant, dum animo ſervatur, 813. Veſtibus elegantiſſimis poſt mortem induuntur: cur, 345. Quid Rabbi Meir Cleopatræ reſponderit, *ibid.* Eorum libri fabulis ſcatent, 530. 513.

Radix amara, tropica locutio, quid ſignificet, 647.

Rahab, operibus juſtificata. Qui ſimiliter crederent, non tamen exitium effugere, 706, 707. E gentis ſuæ ruina evadit, 641.

Rapaces, fures, æternæ beatitudinis jactura puniuntur, 189.

Raptus Pauli quo tempore contigerit. An corpore ſimul & anima, 297.

Ratramnus, Gotheſcalchi amicus, Hincmari ſcriptum damnat, 14.

Rebecca. Quid illi promiſerit Deus de geminis liberis, quos utero gerebat, 807.

Reconciliatio pœnitentium, manuum impoſitione peragebatur, 516. *Reconciliationis* regula, 402.

Reddere unicuique ſuum; tributa, vectigalia, &c. 238.

Redemptio, de Jeſu Chriſto uſurpata, quid ſignificet, 500. Redemptio quanti æſtimanda: quanti ſteterit Chriſto. Sanguine Chriſti effuſo comparata. Nobis eſt argumentum amoris & gratiarum actionis, 710.

Redimere tempus, quid ſignificet: emendam ſcilicet pacem pariendam. Aliæ hujus loci explicationes, 406. Silentium indicat, cum infidelibus ſervandum, ne eorum odium provocetur, 453.

Regeneratio Chriſtianorum per Baptiſmum. Ejus effecta a Chriſto & Paulo deſcripta, 24. 25. Spiritalis regeneratio, in quo ſita, 718.

Regeneratio proſelytorum, ex Judæis. Ejus effectus, 25.

Reges. Horum authoritas ex Deo eſt, 150. Cur jubeat Apoſtolus, preces pro Regibus fieri, 498. Quam vetus hæc diſciplina, 409. Quo pacto Reges ſimus, 735. 842. Honor Regibus exhibendus, 737, 738. *Reges* profani, quo pacto Regnum ſuum beſtiæ dederint, 913.

Regnum Dei non eſt eſca & potus, 202. Quæ in eo conſiſtat,

Digitized by Google

ſtæ, 837. Regnum æternum Patris & Filii poſt reſurrectionem, 848, 245.

Regia Christi dignitas, cujus participes ſumus, 733.

Reinpſius, quo pacto detractorum ſeducat hominem, quàm gius, 770, 771.

Religio vera, ſua ata ſalutis, 755.

Religio christiana, munda ata, & labe carens apud Deum, 900. Ejus aſſertionem a falſis. fabulis caret, 703. Iovilia Principibus ſeculi, 703. Peccatum eorum, qui illam ſcierunt, aut moribus inquinant, 833. Apud mundi amatores inſania æſtimatur, 186. Ejus inſtitutio prodigium eſt Divinæ virtutis. Chriſtianæ Religionis præſtantia, 187. Ejus vetuſtas in veterum Prophetarum libris invenitur, 45.

Religio profana nullum charitatis argumentum præbet, 53. Vana & inutilis, 49.

Reliquiæ Sanctorum, quanto olim in honore habebantur, 884.

Remigius Lugdunenſis Epiſcopus, literis ad Hincmarum datis, Gotheſcalchi audaciam damnat. Quid ſentiat de prædeſtinatione. Damnatum eſſe Gotheſcalchum, non probat, 55.

Renovatio, quam Paulus a fidelibus exigit, 824. Impoſſibilis ferme eſt renovatio, 606. Animi renovatio, quam Paulus Epheſiis imperat, 402.

Reprobatio duplex, 855. Reprobatio Judæorum minimè univerſalis, complures enim ex iis Evangelio crediderunt, 117. Apud Iſaiam prædicta 118.

Reprobatio. Variæ de ea ſententiæ, 4, &c. Scholaſticorum Opiniones in Pauli locum de reprobatione ac prædeſtinatione, 106, 107. Reprobatio libertati reproborum nihil detrahit, 109. Dei judicia in hominum reprobatione, 110. Æterna & temporaria reprobatio, 648.

Reprobi, utrum poſt electos ad vitam redituri: utrùm obviam Christo proceſſuri, 470. Vide *Prædeſtinati*. Æternis ſuppliciis juſtiſſimè addicuntur, 110. Divina circa illos diſpenſatio, *ibid*. Donis cœleſtibus cumulari poſſunt, at non perſeverant, neque beatitudinem aſſequuntur, 121.

Requies Dei, 595. 597. Sabbatho ſignificata, 598.

Reſurrectio. Diſſertatio de mortuorum reſurrectione, 340. Variæ de ea ſententiæ, *ibid*. Veterum Philoſophorum reſurrectio, *ibid*. 341. Reſurrectio duplex. *ibid*. Quid de ea in veteri Fœdere, 342. Perſpicuè magis in Novo tradita, 343. Utrum futura ſit omnium, *ibid*. Quo loco & tempore, *ibid*. Quo ordine, *ibid*. Curioſæ de Reſurrectione quæſtiones, 345, 346. Quid de ea Chriſtus dixerit, *ibid*. Opiniones de hoc argumento, ab Auguſtino refutatæ, 346. Scripturæ loci de reſurrectione, 347. Quo in ſtatu reſurrecturi ſimus, ex Auguſtino, *ibid*. Hebræorum ſententia. 345. Quid Iſaias de ea dixerit, *ibid*. Locus Pauli explicatus, 347. Quid reſpondendum iis, quæ impii & increduli de reſurrectione objiciunt, 348. Quo pacto myſterium ſit inſcrutabile, 349. Juſti reſurgent aliter ab impiis, 347. Qua ratione redituri ſint in vitam mortui, 245. Semen terræ creditum cum hominum reſurrectione comparatum, *ibid*. Homines univerſi reſurgent, ſed non omnes mutabuntur, 247. Qui reſurrectionis tempore ſuperſtites erunt, utrùm mutandi ſint citra mortem, *ibid*. Reſurrectio ictu oculi unoque momento fiet, 248.

Reſurrectio mortuorum ſub exordium Eccleſiæ negata. Mortuorum Reſurrectionem ſtatuere, Chriſtus & Apoſtoli ſtudioſiſſimè laborarunt. Inter Corinthios fuere, qui eam negarent. Argumenta, quibus ea demonſtratur. Veteres Hæretici illam negantes, 553. Incredibilis non eſt, ubi Chriſti Reſurrectionem credideris. Argumenta pro mortuorum reſurrectione, 240. Si certa non eſt mortuorum reſurrectio, inanis eſt ſpes noſtra, teſteſque mendaces ſunt Apoſtoli, *ibid*. &c. Reſurgent omnes homines, ſed ſuo ſinguli ordine. Omnes ictu oculi reſurgent; ſed Electi reſurgent primi. Poſt reſurrectionem, finis omnium, 241. Locus Pauli, reſurrectionem mortuorum evincens, & Neophytorum ex Corinthiis opiniones evertens, 39.

Reſurrectio Jeſu Chriſti, exemplum novæ vitæ a nobis inſtituendæ, 83. Ejus mors, exemplum mortis noſtræ peccato, 84. Semel mortuus eſt Chriſtus: jam igitur peccato mori non debemus. poſt juſtificationem, *ibid*. Chriſti Reſurrectio, ſigillum omnium Religionis noſtræ myſteriorum. 74. Præſtantiſſimum eſt Divinæ potentiæ prodigium, 85. Argumentum Divinitatis Jeſu Chriſti, 46. 81. Potiſſimum Fidei noſtræ caput, 238. Ejus argumenta. Variæ Chriſti apparitiones poſt reſurrectionem, 238. 239. Spei noſtræ monumentum inter æternas, 241. Ejuſdem eſt fundamentum, 726. Multiplex reſurrectio, 724. Una tantum futura eſt, *ibid*. Quædam jam extat reſurrectio, quæ futura ſignificatur, *ibid*. Hæretici illam negantes, 771. Argumentum futuræ corporum reſurrectionis, *ibid*. &c.

Reſurrectio Jeſu Chriſti, Divinæ potentiæ prodigium, noſtræque reſurrectionis pignus & argumentum, 388, tum & cauſa, 469.

Reſurrectio ſpiritualis, ſive moralis, Spiritus ſancti donum, 95. Moralis reſurrectio Chriſtianorum, in Chriſto Jeſu renaſcentium per Baptiſmum, 408. Variæ de reſurrectione opiniones, 403. Utrum homines univerſi reſurrecturi ſint ea corporis ætate, qua Chriſtus, 400.

Revelationes Pauli, quàm difficilè explicentur, 187.

Roma. Chriſtiani ex urbe Roma, ac præſertim ex Neronis familia, Philippenſes ſalutant, 434. Alteram ad Timotheum Epiſtolam Roma dedit Paulus, 521. Vitia inter Romanos communia, ætate Pauli 58, 53. Filios impunè exponebant, ubi alere nollent, 53. Epiſtola ad Romanos, cur cæteris Paulinis præpoſita, quamvis non omnium prima, 2. Romani Fideles laudantur, 241. Commendatur eorum obedientia, 199, & fides, 47.

Roma ſuperba & ſuperſtitioſa, ob ſuperbiam punita a gentibus, quas ipſa oppreſſerat, 916. Titulum æternæ uſurpat, *ibid*. Deſcribuntur ejus infortunia, exitium, opes, luxus, *ibid*. Cœlum duntaxat ejus excidio gaudet, 917. Quàm multi Reges in ejus excidium conſpirarint, poſtquam Conſtantinus domicilium tranſtulit Conſtantinopolim. Ejus imperium penitus everſum, 878. Magna eſt urbs, apud Joannem, 886. Cum idolis ſerviret, magnæ meretricis nomine deſignata, 909. Felix illius mutatio, 911, Sæpe capta, 908. Quàm multæ urbes illius caſu doluerint. *ibid*. Dei animadverſio in Romæ idololatriam, 910. Sedes beſtiæ tunc erat, *ibid*. Ejus ruina, *ibid*. Pridinum ſplendorem amiſit, 918. Principatus illius in cæteras Eccleſias, & authoritatis origo, 664.

Rota. vitæ ac Divinitatis figura, 709. Rotæ ſupplicium, 642.

Rudentes inferni, qui, 760.

Rufinus, Dux exercituum Arcadii: animo illius imperat, & Alaricum concitat. Occiditur, 905.

Rufus, electus in Domino, quis, 148.

Ruina Romani Imperii, quid ſignificaverit, 902.

S.

SAbbatum, quies, 597.

Saccus Cilicinus, quid, & cujus figura, 869.

Sacerdos. Quod munus Pontificis in veteri Lege, 482. Obnoxii ſunt cæterorum hominum infirmitatibus Sacerdotes, 600.

Sacerdotes Judæorum, templi ſumptibus alebantur, 804. Vitia inter illos communia, Chriſti ætate, 60.

Sacerdotes Chriſti ſunt omnes Chriſtiani. Quid iſtud ſit, 735, 842.

Sacerdotium Regale, de Chriſtianis dicitur, 733.

Sacerdotium. Quanti faciendi ſint Sacerdotes, 701. Novi Sacerdotii ſupra vetus præſtantia, 614, &c.

Sacramenta Novæ Legis, veteris ſacramentis oppoſita, 30. Illorum præſtantia, *ibid*. Perfectiora & efficaciora, 26.

Sacramentum morientium, Extrema Unctio, 710.

Sacrificium. Quod Chriſti ſacrificium in Cœlo, 616. Eo Eccleſiæ ſacrificium non excluditur, *ibid*. Ejuſdem ſacrificium in terris, 824. Confirmatur, 630. Sacrificio Altaris ſacrificium Crucis repræſentatur, 221. Noſtrorum corporum ſacrificium, quod debemus Deo, 114.

Sacrificium. Legis Sacrificia, figuræ illius, quod Chriſtus pro hominum peccatis obtulit. Hujus aïs, 68. Veteris Legis ſacrificia diverſa a Novæ ſacrificiis, 628. Varii utrorumque effectus, *ibid*. Veteris Legis ſacrificia inutilia; Novæ utiliſſima, 830. Qua animi præparatione ad hæc accedendum ſit, 631. Antiquis ſacrificiis nova deſignabantur, 614.

Sæculum, variè uſurpatus in Scripturis, 584. Sæculum futurum quid, 605. Triſtitia ſeculi mortem parit, 179.

Sal ſapientiæ, quo condiendi ſunt ſermones Fidelium, 453.

Salem, urbs eadem ac Jeruſalem, 609.

Salus. Laborandum eſt in fratrum ſalutem, 647. Cur ſalus procuranda ſit cum timore ac tremore, 424. Fidei pretium eſt, 728. Quo pacto illius myſterium pervaſerint Prophetæ. *ibid*. Quàm temerarium ſit, ferre de hominum ſalute aut damnatione ſententiam, 38. Quo ſenſu velit Deus, homines univerſos ſalutem aſſequi, 409.

Samſon, immenſi roboris vir, 648.

Samuel victoriam precibus impetrat, 642.

Sancti, primorum Chriſtianorum nomen, 416. Damnatorum calamitas augebitur gloria Sanctorum, 479. Voluntas Dei eſt, ut omnes ſancti ſimus, 466. Sancti ſuprema Judicii die cum Chriſto ad judicium venturi, 465. Omnia ſerviunt ſaluti Sanctorum ac Fidelium, 109. Sanctorum nomine intelliguntur Chriſtiani, 47, 127. 143. Sancti vel Fideles judicabunt mundum, ipſoſque Angelos, 187. Sanctorum ſalus commune eſt totius Trinitatis opus, 736. Quibus notis diſtinguuntur Sancti a cæteris, 856. Quàm conſtantes perferant mala, 694.

Sanctificare Dominum, quo pacto id fieri queat, 743.

Sanctificatio noſtra opus a nobis peragendum, 877.

Sanctitas. Ejus definitio. Quid imperet iis, qui eam profitentur, 647.

Sanctuarium, quid in Lege veteri eſſet, 620.

Sagitta Dæmonis ignitæ, 411.

Sanguis Chriſti, novi fœderis ſigillum, 624. Qui ejus Sanguine purgati ſint, 781.

Sanguis Romanorum, quo pacto a barbaris hauſtus, 905.

Sapiens, pro erudito, 48.

Sapientia, multiplex, 694. Ex quo poſtulanda, *ibid*. Quo pacto quærenda, 698. Falſa ſapientia, ex quo dignoſcatur, 710.

Sapientia Dei, multiformis, et electorum ſaluti ſerviat, 395. Sapienter agendum cum alienis ab Eccleſia, ne irritantur aut offendantur, 455. Per Chriſtianam Religionem cumulamur ſapientia. Quæ iſthæc Chriſtianorum ſapientia, 385. Dei ſapientia, manifeſtata in Evangelio, ab Apoſtolis prædicata, 170. Sapientia crucis Chriſti, 177.

Sapientia ſæculi, inſania eſt apud Deum, 177. Vana & inutilis, 170. Sapientiæ donum in quo conſiſtat, 124.

Sapor, Perſarum Rex, bellum Romanis infert, 907.

Sara, exemplum obedientiæ uxorum erga viros, 741. Etiſi eſſet ſterilis, credidit Abraham, ſe ex ea filium relaturum, 71. Figura Eccleſiæ Chriſto, ex converſis gentibus conflatæ, 370.

Sardis, urbs, Lydiæ Metropolis, & Crœſi Regia. Ad eam Eccleſiam ſcribere jubetur Joannes, 854.

Satan. Quæ profunda Satanæ, 853. Quamdiu abyſſo clauſus erit, & inde proditurus, 925. Prohibet, ne Paulus Theſſalonicenſes adeat, 464. Quid ſit, tradi Satanæ, & quo pacto id olim fieret, 498. Angelus Satanæ Paulum colaphizans, 298. In Angelum lucis transfiguratur, 294. Qui Satanæ tradebatur, feriebatur anathemate, ac deinde occupabatur a Dæmone, vel gravi morbo affligebatur, 183.

Scandalum Crucis Christi, circumciſione abolitum, 373. Quibus artibus vitetur ſcandalum, 235, 236.

Sceptrum ferreum, pro ſupremo judicio, 853.

Schammai, quid de reſurrectione ſenſerit, 342.

Schmidius, Sebaſtianus, quid de Baptiſmo pro mortuis ſenſerit, 258.

Schurman, Anna Maria, quid de Baptiſmo pro mortuis cenſuerit, 259.

Scientia, quæ Chriſtianis neceſſaria, 750. Nulla virtus vera ſine ſcientia; hæc enim facem illi præfert, 760. Apoſtolo, Presbytero, Miniſtro Domini neceſſaria, 275. Scientia inflat, charitas ædificat: quid iſta ſignificent, 199. 200. Scientiæ donum, quid ſit, 224. Laudat Paulus Fidelium Corinthiorum ſcientiam, 174.

Scientia media, 19, 20.

Scientia Pauli, ultum ingens. An is profanas artes calleret, 292.

Scolops, quid ſit græcè, 298.

Scorpii. Varia eorum genera. Qui ſint ii, de quibus Joannes, 877.

Scotus, quid de fœminæ generatione ſcripſerit, 348.

Scriptura Sacra. Divinitus inſpirata, 671. Qui id negaverint, *ibid.* Omnino neceſſaria eſt hæc inſpiratio, 671. 672. Unus eas dictare potuit Deus, 672. Ejus inſpirationis indicia, *ibid.* Diluuntur objecta adverſus hanc inſpirationem, 673, 674. Qua ratione inſpiratæ ſint, 675. Ut eas aſſequare, quid opus ſit, 764. Quàm utiles, & quibus ea libris conſtarent, ætate Pauli, 536. Solatium Chriſtianorum ſunt, eorumque fidei fundamentum, 140.

Scurrilitas, rarò permiſſa. Hujus diſcrimina, 404.

Seditiones, quibus obnoxius fuit Apoſtolus, 274.

Segregatio conjugum, quid de ea ſanxit Apoſtolus, 204.

Seldenus, quo pacto explicat Jacobi ſententiam de extrema Unctione. Refellitur, 720. 721.

Semen, terræ creditum, germinans, figura reſurrectionis, 345.

Seminare. Quæ quiſque ſeminaverit, ea metet, 377.

Semipelagiani, quid de prædeſtinatione ſenſerint, 21. In errore pertinaces. Refelluntur ab Auguſtino, & Proſpero. Horum hæreſis in Galliis inſtauratur, 22.

Seneca. Epiſtolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam, apocryphæ, 5. Utrum ſalutem aſſecutus, 33. De ejus vita, inſtitutis, moribuſque judicium. Ejus libri de profanis ſuperſtitionibus. Colebat id quod aſpernabatur. Ejus flagitia, & fœnora, 36.

Senes ſobrii ſint, ac temperantes, 550. Sani in fide, 551. Quo pacto arguendi, 512.

Senior, olim uſurpabatur pro Presbytero & Epiſcopo, 752. Seniores XXIV apud Apocalypſim, qui, 860. Docent Chriſtianos, qua veneratione verſari in Templis debeant. Adorant coram Dei ſolio, ejuſque laudes canunt. Quid illi ſignificent, 861, 863.

Sephiroth, quid hæc vox ſignificet, 403.

Septem lampades ardentes, quid apud Joannem ſignificent, 860. *Septem oculi*, ſeptem Spiritus Dei. Unde hæc locutio, 863. *Septem ſigilla* libri Apocalypſeos: explicantur, 865, *&c.* *Septem Spiritus Dei*, ſeptem ſtellæ, quid ſint apud Joannem, 854. *Septem ſtellæ*, *ſeptem candelabra*, ſunt ſeptem Eccleſiæ apud Apocalypſim, 845, 846. Earum Eccleſiarum Angeli ſeptem & Epiſcopi, 847.

Sermones mali bonos mores vitiant, 344. Damna ex malis ſermonibus, 403. Vide *Sal*.

Serpens Evæ deceptor, Dæmon. Veretur Paulus, ne ab eo decipiantur Corinthii, 291.

Servi. Horum officia erga Dominos, 517, 552, 718. Quàm lenites habendi, ſi Chriſtiani ſint, 563. Dominis obediant in timore Dei, 452. Chriſtum ipſum in Dominis ſpectant, *ibid.* Tamquam Deo ſerviant, 409. Non ad oculum, ſed ex animo ſerviant, 410. Servi complures olim Religionem Chriſtianam amplexi ſunt, 738. Heros & heras ad fidem ducunt, *ibid.* Duplex ſervorum genus, 217. Servitus Chriſtianæ profeſſioni non repugnat, 196. Chriſtianus ſervus verè liber eſt, parta libertate per Chriſtum, qui Sanguinis pretio illum redemit, *ibid.*

Servus peccati. Quæ peccati ſervitus, 84. 85.

Sexus diſcrimen poſt reſurrectionem manebit, 347, 348.

Sidera, quo pacto in terras cadant, 869. Quod magnum ſidus in fluvios lapſum. Multos hominum occidit, 875. Quæ cœli ſidera draco cauda traxerit, 880. Sidus lapſum e Cœlo, quid ſignificet, 876, 877. *Sidus matutinum*, apud Joannem, quodnam ſit, 853.

Signum Crucis, ſaluti futurum iis, qui illud in fronte habuerint. Eo ſæpe muniebantur primævi Chriſtiani, 871.

Silas, ſeu Silvanus, Pauli ſocius, 157. Ejus nomen cum Pauli nomine jungitur. Hunc Paulus reliquit in Macedonia, 459.

Silentium Sanctorum in Cœlo, quid ſit, 873.

Silvanus, idem ac *Silas*.

Simon Magus, librum ſcripſit inſcriptum: *Prædicatio Pauli*, 5. Divinos honores quæſivit, 483. Cum Antichriſto congruit, 484. 485. Moritur, uno Domini halitu occiſus, 484. Ejus prodigia, 485. Quo tempore vixerit, & quid docuerit, 494. Quo tempore mortuus. Ejus Diſcipuli, 535, geſta, 539, errores, flagitia, falſa miracula, 485, 765, 770, 780. Vera Antichriſti figura, 476, 480. Ejus error de bonorum operum inanitate, 705. Romam profectus eſt Petrus, ut cum eo pugnaret, 757.

Simoniani, hæretici. Horum errores & flagitia, 819. Quo tempore defecerint. Hos præſertim arguit Paulus, 535.

Simonides Magus, igne damnatur, 908.

Simplex, *ſimpliciter*, quid ſignificent, 280, 694.

Simplicitas fidelium, 424.

Sina, *mons*, carnalium Judæorum figura, & filiorum Agaris, 370.

Sinceritas, quæ Chriſtianos decet, & ab iis erga omnes ſervanda, 467.

Singularitas ſententiarum & morum fugienda, 117.

Sixtus V, controverſiam de prædeſtinatione, in Belgio excitatam adverſus libros Leſſii & Hamelii, ad ſe avocat, 18.

Smyrna. Ejus Epiſcopus Polycarpus: quo tempore. Erat tunc celeberrima, 849.

Sociniani. Horum error de Spiritu Chriſti refellitur, 728.

Socinus impiè credidit, Chriſtum pro ſuis criminibus paſſum eſſe, 615.

Socrates arguitus ſævitiæ in pauperes, 701. Socrates & Plato, ſalutem aſſecuti, ex quorumdam Judæorum ſententia. De vita & obitu Socratis judicium. Vitia illi imputata. Ineptæ juriſjurandi rationes. Gallum Æſculapio offerri jubet. Deos Athenienſium ridet & colit, 35. Ex Dæmone tuo diſcit, quid agendum ſit, 36.

Sodoma, formidandum Divini furoris exemplum, 767.

Sol, qui futurus poſt Reſurrectionem, 338.

Solicitudo. In Deo collocanda, 752. Quæ juſtæ ſint, *ibid.*

Somnus, mors, 468. Somnus filiorum ſæculi & tenebrarum, 471.

Soſipater, vel *Sopater*, Beræenſis, Pauli nec ſocius, 150.

Soſthenes, Princeps Synagogæ Corinthiorum. Utrum hic idem ſit, qui in Epiſtola ad Corinthios nominatur. Utrum Amanuenſis Pauli, cùm is eam Epiſtolam ſcriberet, 163.

Spanhemius. Refelluntur ejus objecta adverſus Romanum Petri iter, 670. Quid ſenſerit de Baptiſmo pro mortuis, 257.

Speculum. Cœleſtia nunc tamquam per ſpeculum & ænigma ſpectamus, 230.

Spes ſalutem nobis parit, 99. Chriſtiani ſpes non fallitur, 75. Semper mixta metu, 96. Chriſtiani hominis gaudium, 127. Promiſſionibus per Scripturam exhibitis nititur, 140. Spes quæ videt & fruitur, jam non eſt ſpes, 99. Quæ ſpes viva, 786. Ejus argumentum, *ibid.* In Deo collocanda, 730, 718. Eo impelli debemus ad Chriſti imitationem, ut ſimiles Chriſto ſimus in Cœlis, 789. Comparatur cum anchora, 608, & ibique, 609.

Spirituales, ſunt homines inſtructi donis Spiritus Sancti, 237.

Spiritus Dei, eſt gloriæ & virtutis. Explicantur hæc verba, 750. Quo pacto ab aliis blaſphemetur, ab aliis glorificetur, *ibid.*

Spiritus Sanctus, donorum omnium, & charitatis Dei in nobis origo, 793. Illuſtria teſtimonia Chriſto reddidit, 799, 800. Teſtimonium quod nobis reddit, *ibid.* Donorum ſpiritalium, quæ in Eccleſia ſpectantur, author, 224.

Spiritus Sanctus teſtificatur, nos eſſe Dei filios, 96. Per illum clamamus, abba Pater, *ibid.* Opem in ærumnis præſtat, gemitus in nobis creat, ut oremus facit, 99. Fons cognitionum eſt; Magiſter omnem veritatem docens, 171. Omnes in eodem Spiritu baptizati ſumus; eodemque Spiritu potati, 225. In Fidelium mentibus habitat, ſanctos efficit, ac Dei Templum, 176. Divinitatis ejus argumentum, 175.

Spiritus Sanctus. Ne contriſtes Spiritum Sanctum, 403. Malis geſtis turpibuſque ſermonibus contriſtatur. Ejus ſigillo ſignati ſumus, & gratia donati, *ibid.* Spiritum ne extinguas, 473. Divinitatem Spiritus Sancti probant Patres ex Pauli ſententia, 428. Fructus vel opera Spiritus Sancti, 375. Spiritus Sanctus, quo donati ſumus, pignus eſt æternæ beatitudinis, 387.

Spiritus. Spiritu ambulare, 374. Si Spiritu vivimus, Spiritu agamus, 375.

Spiritus veritatis, Spiritus erroris, quo pacto dignoſcantur, 705.

Spiritus vitæ, quid ſit, 886.

Spiritus zeli, quid in Scripturis ſignificet, 712.

Spiritus beati, Dei ſolium circumſtantes. Septem ſunt eorumdem Principes, 841.

Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt. Quid iſta ſignificent. Dæmonis vates inviti ad loquendum adiguntur, 236.

Spiritus vivificans, opponitur literæ occidenti, 264.

Spiritus Legis, *Spiritus gratiæ*; ille timoris, hic amoris, 96.

Spiritus nequam interdum in Deos transfigurantur, ut fallantur profani, 204.

Stadium. Ludi Palæſtrici, ad quos alludit Paulus, de vita Chriſtianæ officiis agens, 207. Chriſtiani hominis vita ſimilis ſtadio eſt, ubi præmium curſu ſertur. Nemo te ſupplantet, aut præmium rapiat, 206.

Stachys, primus Byzantii Epiſcopus, 147.

Stephanas, baptiſmate tinctus a Paulo, unà cum univerſa familia, quia, 166. Epheſum venit ad Paulum, *ibid.* Commendatur Corinthiis, primamque ad eos Epiſtolam defert, 251.

Stigmata.

Stigmata. Vide *Nota*, & *Paulus*.
Stilico, Dux exercituum Honorii: ejus amicitiam ſibi devincit: Imperii hoſtis pronunciatur, 905. Alaricum arceſſit, 912.
Stimulus carnis, quem ſentiebat Paulus, qui, 298, 299.
Stipendium. Quæ Fideles ſacris Præconibus præbent, cum militum ſtipendio comparat Paulus, 293.
Stoici, quam ſuperbi. Sapiens Stoicus, 53.
Stola albæ, Martyribus datæ poſt mortem, quid ſit, 868.
Stultitia, apud Hebræos ſumitur non rarò pro peccato, 114. Stultitia Crucis Chriſti ſapientiam ſæculi confundit, 167.
Subdiaconi, ordo hominum Diaconis inferiorum, 427.
Subjectio erga Principes, Chriſtianis commendata, 736. Ejus cauſa Deus. *ibid.* Erga ſublimiores Poteſtates, ſæpe ab Apoſtolis commendatur cur, 189. 424. Quæ eſſe debeat in Eccleſia inter viros & mulieres, 272, 407.
Subſcriptiones, quæ in calce Græcorum voluminum leguntur, recentiores ſunt, & minimæ authoritatis, 481.
Succingere lumbos mentis, quid ſit, 729.
Sulpicius Severus, quid ſenſerit de Antichriſto, 318.
Superbia vitæ, quæ, 785. Turbatum omnium fons, 128. Propria Stoicorum, cæterorumque Philoſophorum, 53.
Superbus abundare ſe credit gratiæ donis, & inops eſt, 858. Deus ſuperbis reſiſtit, 725. Quo id pacto, 754.
Supplicium æternum impiorum in altera vita, 479.
Symmachus poſtulat, ut ara Victoriæ reſtituatur, 904.
Syncleſte, non eſt uxor Petri, 755; ſed potius Romana Eccleſia, unde Petrus literas dabat, *ibid.*
Syntyche, Chriſtiana mulier Philippenſis, quam ad concordiam cum Evodia hortatus Paulus, 431. Utrum vir, 434.
Syzyge, utrum fuerit hujus nominis vir, ad quem Paulus in Epiſtola ad Epheſios ſcribit, 432.

T

Tabernaculum, quid in Veteri Lege eſſet, & quid in Nova ſignificet, 617. 901. Deſcribitur, 620. Cœleſte Tabernaculum, quod, 626.
Tartarus, locus inferorum, 766.
Tatianus, Encratitarum author, 545.
Taurobolium, ſacrificii genus, regeneratio appellatum, 894.
Temperantia, ad comparandam ſapientiam neceſſaria, 700.
Templa abſolutè neceſſaria non ſunt ad faciendas Deo preces, cum is ubique ſit, 500. Cur templa ſibi erigi paſſus ſit Deus, 631. Quanto obſequio verſari in iis debeant Chriſtiani, 861. Quo tempore illa ſtrui cœperint in Nova Lege, 884.
Templum Dei ſumus nos, 276, 755. Templum Dei interdum dicitur Cœlum, 856, 857. Ibi diu noctuque Sancti Deo ſerviunt, 872. Pro Eccleſia quoque uſurpatur, 888. Templum Dei, in quo ſeſſurus eſt Antichriſtus, Jeroſolymitanum ne Templum ſit, an Templa Chriſtianorum, 481.
Templum Jeroſolymitanum. Ad illud alludit Joannes in Apocalypſi, 850. Quod ſit verum Dei templum, 883.
Tempori ſervientes, pro, *Domino ſervientes*. De hac lectione judicium, 187.
Tempori ſerviendum imperat prudentia, 116.
Tempus inſtans quid ſit apud Apoſtolum, 223. Quid ſignificet locutio illa, *noviſſima tempora*, 508.
Tempus opportunum procurandæ ſalutis, 174.
Tenebræ. Opera tenebrarum: ambulare in tenebris: quid iſta ſignificent, 718.
Tentare Deum, quid ſit, 584. Cave, ne tentes Deum, 219. Ne tentes Chriſtum, *ibid.* Quo ſenſu Deus nos tentare dicatur, 695. Quos tentet Deus, 695, 697.
Tentatio, locus in ſolitudine, ubi Dominum tentavere Iſraelitæ, 219.
Tentationes. Plura tentationum genera, 635, 695. Tentationes, quibus homines vexari patitur Deus, non rarò ſunt peccatorum pœna, 485. Pares viribus tentationes permittit Deus. Hæ ſunt Eccleſiæ inſectationes, 816. Juſta merces eorum, qui eas patienter ferunt, 696. Deum roga, ne magnis tentationibus obnoxius fias, 222. Graves tentationes nondum experti ſunt Corinthii. Illos viribus inſtruet Deus, neque præter vires tentari patietur, *ibid.*
Tepida mens, quàm periculoſa in Dei famulatu, 857, 858.
Terra, quæ futura ſit poſt reſurrectionem, 338. Terra nova, quæ, 774. 775. Terra ferax & ſterilis, boni malique hominis imago, 606.
Terræmotus Apocalypſeos, hiſtoricè explicatur, 887.
Tertius, Pauli Amanuenſis, Epiſtolam ad Romanos exaravit, 3. 150. Idem ne ac Silas, *ibid.*
Tertullianus convenit cum Auguſtino in controverſia de Petro per Paulum objurgato, 307. Quid ſenſerit de animarum ſtatu poſt mortem, 867. Divinam vim Circumciſioni nullam tribuit, 20. Quid cenſuerit de Baptiſmo pro mortuis, 255. Librum Henochi acriter defendit: quibus argumentis ejus authoritatem fulciat, 948.
Teſtamentum Dei pro Abrahamo, ejuſque fidei imitatoribus, 364. Pauli, ante obitum, 526, 538. Veteris Legis teſtamentum, quæ ratione peractum, 635. Novi Fœderis Teſtamentum, 624.
Teſtimonium, a Chriſto in Paſſione præſtitum, 519. Quo pacto Chriſtus in tempore teſtimonium exhibuerit, 500. Teſtimonium Chriſto exhibendum a Chriſtianis, 524. Nobis ipſi teſtimonium præſtare non debemus, ſed illud a Deo præſtolari, 190.
Teſtis. Duplex hujus vocis ſignificatio, 751. Qui duo teſtes apud Joannem, 884. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, 885. Nubes teſtium, tropica locutio. Explicatur, 644.
Thabor, mons, in quo transfiguratus eſt Chriſtus, 763.
Thadæus, idem ac Judas Apoſtolus, 810.
Tharſus, urbs ſtudiis florens, 1.
Theod, inchoata vox, de Theodoro uſurpata, 908.
Theodoretus Paulum revera cum beſtiis pugnaſſe putat, 42. Quid ſenſerit de loco ſcriptæ prioris Epiſtolæ ad Timotheum, 492.
Theodorus, a ſecretis Imperatoris, de Imperio cogitans, necatur, 908.
Theodoſius Magnus in profanæ Religionis excidium laborat. Serapidis Templum evertit, 904. Litigantibus poteſtatem facit proſequendæ cauſam apud Epiſcopum, incepta etiam apud laicum lite, 187.
Theologia tripliex apud profanos, 49.
Theologus, Joannis Apoſtoli appellatio, cur, 834.
Theriomachein. Quid ſignificet græce, & quo ſenſu ab Apoſtolo uſurpetur, 41.
Theſauri, quid apud Judæos eſſent: qualibet nimirum quarumlibet rerum collectiones, 55.
Theſſalonicenſes. An tres Epiſtolas ſcripſerit Paulus ad Theſſalonicenſes, 3. Primi omnium ſunt, ad quos literas dederit Apoſtolus. Quæ illi cura de illis. Eorum conſtantia in fide, & in ærumnis patientia. Epiſtolæ occaſio. Marcionitæ utramque ad Theſſalonicenſes Epiſtolam vitiarunt, 458. Commendantur Theſſalonicenſes, 459. 460. Altera ad Theſſalonicenſes Epiſtola, paulò poſt priorem ſcripta. Corintho per Tychicum data. Cenſet Grotius ſcriptam eſſe ante priorem, ad Jaſonem ſcilicet neceſſarium; adeoque Paulinarum omnium primam eſſe. Refellitur, 475. Epiſtolæ argumentum, 476. Theſſalonicenſes imitatores eccleſiarum Judææ in malis exantlatis, 463. Pauli gaudium & corona ſunt, 464. Eos in fidem & charitatem commendat, 465. Egentiſſimi, 480. Laudatur eorum fides, patientia, &c. 477.
S. Thomas ſubſcribit Auguſtino in controverſia de Petro per Paulum objurgato, 307.
Throni, Angelorum ordo, 440. Utrùm terreni Reges hoc nomine ſignificentur, *ibid.*
Thronus gratiæ, oppoſitus throno juſtitiæ, 599.
Thronus beſtiæ, quid ſit, 906. Quo pacto illi datum ſit Romanum Imperium, 825.
Throni. Qui ratione cum Chriſto ſeſſuri ſint eodem in throno Patris, 859.
Thyatira. Ubi ne Eccleſia Thyatiræ fuerit, & quamdiu, 852.
Tillemontius cenſet, Paulum revera cum beſtiis Epheſi pugnaſſe, 42.
Timor, alius eſt bonus, alius malus, 928.
Timotheus, laborum Pauli ſocius, 142. Corinthum a Paulo mittitur; ubi illum cum honore excipi jubet Apoſtolus, 250. Alteram ad Corinthios Epiſtolam detulit, 254. Corinthum venit paulo poſt quam Apoſtolus ad Corinthios miſerat. Utrum Pauli neceſſarius, 281. Illuſtre de illo teſtimonium Fidelium. Illum Paulus itinerum ſocium aſſigit, & circumcidit: tum Epiſcopum creat, in Macedonia relinquit, & Corinthum arceſſit. Varia Timothei itinera, juſſu Apoſtoli. In carcerem datur, deinde ſolvitus, 491. Quo ex loco ad illum ſcripſerit Paulus. Sola aqua ad potum utitur; juberurque ab Apoſtolo vino uti. Monita Pauli ad Timotheum ſuper gregis regimine, 491. Quo ſenſu illum Paulus filium germanum nominet, 493. Non Epheſi modò ſed aliarum quoque Aſiæ Eccleſiarum Epiſcopus, 494. Quo ſenſu illum moneat Apoſtolus, ut edita de ſe vaticinia expleat, 497. Abſolutiſſimum Epiſcoporum exemplar, 510.
Timotheus, utrùm a Paulo ad Philippenſes miſſus. Paulo unanimis erat. Suarum rerum minimè ſtudioſus, & Paulo fidiſſimus, cujus res curavit, cùm ille in vinculis eſſet, 425. Theſſalonicam mittitur, ut ejus Eccleſiæ res videat. Commendatur, 464. Corinthum venit, 465. Utrùm Paulo ab Epiſtolis fuerit, 450. Prolegomenon in primam ad Timotheum Epiſtolam, 491. Ejus patria, *ibid.* Philippenſibus notus & carus. Cum Paulo jungitur in Epiſtola ad Philippenſes, 416. Illum ſibi jungit Paulus tamquam intercesſorum apud Philemonem, 560. Vinculis ſolvitur; quo tempore, 456. Ejus martyrium & feſtus dies, 520.
Timotheus Epheſi Epiſcopus, ad quem Joannes primum vaticinium ſcripſit, 847. Ad eum non pertinent vitia a Joanne objurgata, ſed ad aliquos ejus miniſtros; vel ſiquid peccavit, culpam ſanguine detarſit, 848.
Titianus Rufus, Judææ Præſes, cruento bello Judæos afflixit, 875.
Titus, Pauli Interpres, 160. Corinthios magni faciebat amabatque, 280. Corinthum mittitus, ut Fidelium largitiones colligat, 282. Corinthum mittitus, ut intelligat, quid boni pepererit prior Epiſtola, 253. Inde in Macedoniam venit. Alteram Pauli ad Corinthios Epiſtolam defert, *ibid.* Eo redeunte, Paulus gaudio cumulatur, 278. Corinthios hortatur, ut Fideles Jeroſolymitanos piis largitionibus juvent, 281. Præfatio in Epiſtolam ad Titum. Titi genus. Alius a Tito Juſto, de quo Acta. Quàm charus Paolo. Creatus ab eo epiſcopus, & literas accipit per quam. Quid de ejus obitu feratur. Sepulturæ locus. Epiſtolæ epitome, 543, 544. Circumcidi coactus non fuit, quamquam inter Judæos cum Paulo verſans, 356.

Tonitru, Dei vocem in Scripturis deſignat, 360.

Torpes, Neronis familiaris, eo Principe martyr, 435.

Tradere Satanæ, anathemate ferire, 183.

Traditio. Eximia de traditionibus regula, ex Tertulliano, 923. Quas Paulus Corinthiis tradidit, 225. Quid intelligendum ſit traditionum nomine, *ibid.* Acceperat traditiones conſtantes tenere, 486. Multa ore tenus docebant Apoſtoli, *ibid.* Quæ per traditionem novimus, æquè certa ſunt ac ea quæ ſcripto, *ibid. &c.* Hominum traditiones Legi adjectæ a Phariſæis, 444.

Traditores, ſeu *Libellatici*, Chriſtiani quidam ita appellati cur, 882.

Trajanus. Iniquum ejus reſcriptum ad Plinium de Chriſtianis, 736. In Martyres ſævit, quamvis edictum nullum in Chriſtianos dederit, 850. Eo uſus eſt Deus, ut Judæos puniret, *ibid.*

Transfiguratio. Quid de ea Petrus, 943.

Transgreſſiones. Lex data eſt, ut transgreſſiones coerceat, 365.

Tribunalia inter Judæos probata, 189.

Tribus Dan. ex quo oriturus dicitur Antichriſtus, 383.

Tribus diſperſæ, quæ, in regionea, & quæ numero, 693.

Tribus Iſraelis. Sancti ex iis Tribubus, 871.

Tributa, Principibus ſolvenda, quo animo, 131.

Trinitas, Deus unus tres in Perſonas tributus, 726. Teſtimonium de myſterio Trinitatis, 800.

Triſtitia. In mœrore orandum, 729. Utilis ſaluti eſt. Triſtitia ſæculi mortem parit, 272.

Triumphus Jeſu Chriſti & Martyrum de perſecutoribus, 899. Eccleſiæ de veteri Roma, 918. Jeſu Chriſti ſub figura albi equi, 920

Trophimus, Pauli Diſcipulus, 541.

Tryphæna & Tryphoſa, Sanctæ mulieres. Harum obitus, 148.

Tychicus, Pauli Diſcipulus, 540, 543. Complures ex ejus Epiſtolis detulit, 418, 454.

V

VAlens Imperator, Perſas bello petit, & pacem poſtulare cogitur, 909. Vincitur, & miſerrime necatus, *ibid*

Valentia. Concilium Valentinum Canones inſtituit de prædeſtinatione, qui ad Carolum calvum deferuntur. Adverſus hos ſcribit Hincmarus. Res ad Nicolaum I Papam deffertur 16.

Valentia, Gregorius, quid de prædeſtinatione ſenſerit, 18.

Vaſa honoris & ignominiæ, quæ, 538. Vaſa iræ in exitium parata. Quid circa hæc agat Deus, 319.

Valdia Jeſuita Molinæ defenſor, 28.

Velum duplex in Templo, 820, 821 Cujus rei figura eſſet, *ibid* Velum, quo obnubere ſe debent mulieres, ut ſuam ergo maritos ſubjectionem indicant, 117.

Velum, quo Moyſes faciem tegebat, mentes Judæorum adhuc velat, 264

Venia injuriarum. Epheſiis commendata, 403.

Venilo, ſive Ganelo Senonenſis, in Joannem Scotum Erigenam ſcribit, 14. Quid de prædeſtinatione, ſenſerit, 14, 15.

Verba, ex Dei Lege moderanda *Verba dura*, quid ſint apud Scripturam, 814. Verba impudica & ridicula a Paulo vetita, 403, 404

Verbum Dei, ſæpe in hac vita illuminans, 424. Servandum eſt animoque volvendum 451. Corda aperit Deus, animos quos præparat, ut ipſius verbum excipiant, 455. Eo nutriri debet Epiſcopus ac Miniſter, ut cæteros nutriat, 510. Quanti interſit illud audire atque moveri 504, 507. Ejus effecta, 508. Cur attentè audiendum ſit Dei Verbum. Ejus vis, 650. Æternum eſt & immutabile, 731; lac ſpiritale; idem Chriſtianis præſtat, quod pueris lac, 738. Offenſionis occaſio, 734. Mentibus noſtris inſerendum, 698. Speculum eſt, in quo vitia tua videas, 699.

Verbum Æternum. De ejus Divinitate præſertim agit Joannes, 770. Amare illud nequis, niſi ames & Patrem 798.

Verbum incarnatum, eſt lac rationabile apud Petrum, 732.

Veritas conſtanter defenſa, propria eſt Chriſtianorum laus, 807. In veritate verſari, *ibid.* Quo pacto detineri queat in injuſtitia. Hujus criminis rei erant profani ſapientes, 40.

Veritas, filia temporis 175. Balteus ſpiritalis, quo cingimur in bello adverſus Diabolum, 421 Ea ſæpe utitur Paulus, ut afferat ea quæ docet. Sacra eſt in ore Pauli, 502, 522, 520, 555. Varia veritatum genera, 545.

Veſtis. Quæ ſit candida veſtis apud Jacobum, 701.

Veſtimenta alba, quid myſticè ſint, 855, 858 Paſſim uſurpata in triumphis feſtiſque diebus, 855 Judicum poteſtatem ſignificant, 860.

Vetus homo noſter cum Chriſto crucifixus. Quid ſit vetus homo, 81. Sunt pravæ cupiditates, *ibid.* Vetus Adam, veteres conſuetudines, 402. Veterem hominem exue cum actibus ſuis, 450.

Via. Viæ Dei, 595.

Victima Quo pacto Paulus ſe ve victimam nominet mactationi paratam cum libatione, 538. Novæ Legis victimæ, 654. Humanæ victimæ, Diis olim exhibitæ, ad evertuocanda mala, 181.

Victoria. Pugnandum eſt, ut victoriam feras, 928.

Videre, interdum eſt intelligere, 844.

Vidua, ex Pauli præcepto in honore habenda. Quod viduæ genus ab iis colendum, 513. Qua ætate eligi queant in Dei miniſterium, quibuſque conditionibus, 514. Horum officia, ex Petro, 740. Hortatus viduas Paulus, ut in viduitate maneant; nubere tamen non vetat, 191.

Vigilantia circa ſe ipſum commendatur, 132, 788. Quam neceſſaria ſacris Paſtoribus, 854.

Vincula Pauli, clara in Imperatoris domo, 417. Pauli alacritas in vinculis, 515, 510, 538 His gloriatur, 560, 560. Ibi Oneſimum Chriſto parit, 562.

Vinum immodicum, libidinem impellit, 407. Damna, quæ vini amatoribus proveniant, 504. Valetudini ſervit, ſi modicum ſit, 516.

Vinum fornicationis, quid ſit in Apocalypſi. Vinum iræ Dei, 900.

Vir, imago Dei: velato capite non incedat, 216

Virgines Chriſtianæ. Nihil de Virginibus ſanxit Chriſtus. Cœlibatus commoda: at hic nemini imperatur, 196, 197. Virgines, quæ capillos tondent, pietatis & humilitatis propoſitæ, 216

Virginitas, cultus ſacrilegi immunitas, 899. Virginitatis perfectio Quæ de hac ſanxerit Paulus, 196, 197.

B. Virgo, a Patribus deſignari creditur mulier a Sole amicta apud Apocalypſim, 880.

Virtus, quo pacto perficiatus, 694. Conjungi debet cum ſcientia, 760. In adverſis perficitur, 299. Interdum robur ſignificat, *ibid* Vide *Principatus*.

Viſcera Sanctorum, quid ſint, 561.

Viſitatio Dies viſitationis Domini, 736, 754.

Vitulus aureus, ab Hebræis adoratus, 210.

Vita æterna, Dei gratia & donum, 85 Stipendium, donarium merces 86. Promiſſio Dei eſt, 87. A Fide in Chriſto ſejungi nequit, 801.

Vita laudabilis, aſſidua eſt exhortatio, atque optima adverſus calumnias defenſio, 736, 743.

Vita hominis, vapor, ventus fumus, atque adeò brevis, ut craſtinum polliceri tibi nequeas 715.

Vita nova ab homine Chriſtiano agenda, 83, 450. Vita carnis, vita ſpiritus, 95.

Ultio. Hoſtes ulciſcere beneficiis, 119. Damnatur a Paulo, 118 473 Dei ultio vel ira, quo pacto exerceatur, 845.

Unctio, cautè cuſtodienda Omnia docemur per illam, 787. Varia unctionum genera apud Judæos & Orientales, 719, 710. Unctio Spiritus Sancti, quid in nobis agat. Interior & exterior unctio, 786.

Unanimitas Chriſtianorum Qui corpore & ſanguine Chriſti paſcuntur 821. Mutua charitas & concordia, 376 Suam quiſque infirmitatem ſpectans, miſereatur alienæ, *ibid* Fidelium unanimitas, Apoſtoli gaudium, 421. Quibus argumentis hanc Philippenſibus ſuadeat 422. Unum corpus eſſe debent Chriſtiani, & una mens. Hujus unitatis rationes, 198.

Vocatio, electio, prædeſtinatio Dei beneficia prorſus gratuita, 101. Qui gratiam vocationis acceperunt, gratia quoque juſtificationis donati ſunt, *ibid.* Quid ſit, certam facere vocationem per bona opera, 701 Vocatio ad Fidem prorſus gratuita, 585. Quo pacto manifeſtata, 526 Ad omnes homines eſt, 551 Nullius rationem habet Deus in vocatione ad Fidem, 450. Ea quaſi ſortito nobis obtigit, 386. Vocationis noſtræ ratio cauſa Chriſtus, *ibid.*

Vocatio apud Paulum plerumque pro prædeſtinatione, 47. Judæi ac Gentiles a Deo vocati ad componendam Eccleſiam, 551. Gentium vocatio ad Fidem, myſterium Paulo patefactum, 394. Gentium vocatio, quo tempore cœperit, 745. Invidiam ac furorem Judæorum movet, *ibid.* Ab Iſaia prædicitur, *ibid.*

Voluntarius, idem interdum ac liberalis, 281.

Voluntas Hanc Deus prævenit, confirmat, producit, intactæ cooperationis merito, 414. Qui Dei voluntati obſequitur, æternum manet, 785.

Vomere. Vomit Deus tepidum, & in officio remiſſum, 838. Ad vomitum redire, eſt, in priſtina vitia relabi, 772.

Vox Dei, ſimilis fragori equarum, 845.

Urbanitas, Chriſtianis neceſſaria. Quæ illius rationes, 737. Olim advenæ cum urbanitate deducebantur, 813. Quo pacto id fieret, *ibid.*

Urbanus ſocius laborum Pauli, 197.

Urere. Melius eſt nubere quàm uri: quid hoc ſit, 193, 194.

Vultus Domini, pro Dei ira, 749.

Uxor maritum conſulat domi, ſi quid dubitat, 237. Debitum marito reddat. Quo tempore abſtinendum, 192. Optimi uxoris mores iræ mariti animum efficaciſſimi, 740. Tanquam ancilla marito ſit, 741.

Uxor fidelis ſanctum facit virum infidelem; contra, vir fidelis uxorem infidelem, 195. Uxoris officia erga virum, 740.

Z

ZAcharias lapidibus obrutus, 643.

Zelus amarus, quid ſit, 710.

Zenas, unus ex iis, qui Pauli Epiſtolam ad Titum detulere, 543. Quis hic, 556.

Zuinglius, quid de prædeſtinatione ſenſerit in Concilio Tridentino damnatus, 87.

Finis Indicis Commentariorum.

I N D E X

Prolegomenon & Diſſertationum, quæ duobus N. T. Voluminibus continentur.

Tomo VII, qui primus eſt N. T.

Prolegomenon in Libros Novi Teſtamenti, pag. 1.
— In Evangelium S. Matthæi, pag. 7.
Harmonia quatuor Evangeliorum. pag. 13.
Diſſertatio in Evangelia Apocrypha. pag. 50.
— De Magis qui Jeſum adoraturi venerunt, pag. 60.
— De noviſſimo Paſchate Domini noſtri Jeſu Chriſti, pag. 67.
— De tenebris in obitu Jeſu Chriſti, pag. 77.
— De reſurrectione SS. PP. quo tempore Chriſtus rediit ad vitam, pag. 84.
Prolegomenon in Evangelium S. Marci, pag. 313.
Diſſertatio de Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, Eſſenis, pag. 326.
— De baptiſmo, pag. 344.
— De peccato in Spiritum Sanctum, pag. 353.
Prolegomenon in Evangelium S. Lucæ, pag. 413.
Diſſertatio de conciliatione genealogiarum Jeſu Chriſti apud Matthæum & Lucam, pag. 425.
— De bonis malisque Angelis, pag. 434.
— In tres Marias, pag. 451.
— De S. Joſepho S. Mariæ Virginis Sponſo, pag. 460.
— De ſudore Sanguinis Jeſu Chriſti, pag. 468.
— De Dæmonibus corpora obſidentibus & poſſidentibus, pag. 474.
Prolegomenon in Evangelium S. Joannis, pag. 637.
Diſſertatio de obitu S. Joannis Evangeliſtæ, pag. 640.
Prolegomenon in Acta Apoſtolorum, pag. 804.
Tabula Chronologica in Acta Apoſtolorum, pag. 808.
Diſſertatio de Epigraphe aræ Athanienſis, pag. 809.
— De Baptiſmo Jeſu Chriſti nomine collato, pag. 812.
— De electione per ſortes, pag. 817.
— De Simone Mago, pag. 818.
— De Actis Pilati, pag. 829.

Tomo VIII, qui eſt alter N. T.

Prolegomenon in Epiſtolam B. Pauli Apoſtoli ad Romanos, pag. 1.
Diſſertatio de Prædeſtinatione & reprobatione hominum, pag. 5.
— De circumciſionis effectibus, pag. 23.
— An Gentiles, quibus neque de Lege Moyſis, neque de Evangelio aliquid innotuit, ſalutem obtinere potuerint, pag. 31.
— An Paulus Epheſi cum beſtiis pugnaverit, pag. 39.
Prolegomenon in primam Epiſtolam ad Corinthios, pag. 152.
Diſſertatio de Baptiſmate pro mortuis, pag. 153.
Argumentum ſecundæ Epiſtolæ ad Corinthios, pag. 253.
Prolegomenon in Epiſtolam ad Galatas, pag. 305.
Diſſertatio, An Cephas, quem Paulus Antiochiæ arguit, alius fuerit a Petro Apoſtolo, pag. 306.
— De Antichriſto, pag. 315.
— De Fine Mundi & Statu poſt Judicium, pag. 329.
— De Mortuorum Reſurrectione, pag. 340.
Prolegomenon in Epiſtolam ad Epheſios, pag. 381.
— Ad Philippenſes, pag. 414.
— Ad Coloſſenſes, pag. 436.
— Ad Theſſalonicenſes I, pag. 459.
— Ad Theſſalonicenſes II, pag. 475.
— Ad Timotheum I, pag. 491.
— Ad Timotheum II, pag. 522.
— Ad Titum, pag. 543.
— Ad Philemonem, pag. 558.
— Ad Hebræos, pag. 565.
Diſſertatio de Melchiſedecho, pag. 575.
Prolegomenon in Epiſtolas Canonicas, pag. 659.
— In Epiſtolam Catholicam B. Jacobi Apoſtoli, pag. 662.
Diſſertatio de itinere Romano B. Petri Apoſtoli, pag. 664.
— De Divina ſacrorum librorum inſpiratione, pag. 678.
— In illud 1 Jo. v. 7: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt*, pag. 679.
— De Moyſis obitu & ſepultura, pag. 688.
Prolegomenon in I B. Petri Apoſtoli Epiſtolam, pag. 723.
— In II B. Petri Apoſtoli Epiſtolam, pag. 757.
— In I B. Joannis Apoſtoli Epiſtolam, pag. 777.
— In II ejuſdem Epiſtolam, pag. 805.
— In III ejuſdem Epiſtolam, pag. 811.
— In Epiſtolam B. Judæ Apoſtoli, pag. 816.
— In Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli, pag. 828.
Diſſertatio de Patriarcha Henoch, filio Jared, pag. 836.
— De Libro Henochi, pag. 944.

I N D E X

Tabularum æneárum, quæ toto Commentariorum opere continentur.

Tomo I, Parte I.

Tabula Geographæ ſacræ, Terræ Chanaan, Promiſſionis & Paradiſi Terreſtris, pag. 1.
Tabula Itineris Iſraëlitarum, pag. 377.

Tomo I, Parte II.

Tabula Itineris Iſraëlitarum per deſertum, pag. 177.

Tomo II.

Tabula Terræ Promiſſionis, pag. 54.
Templi Jeroſolymitani nova delineatio, pag. 633.
Conſpectus & elevatio Templi Salomonis, ibid.

Tomo IV.

Tabula Inſtrumentorum explicatio, pag. 77.

Tomo VI.

Templi Jeroſolymitani nova delineatio, pag. 329.
Delineatio & diſtributio terræ chanaan ſecundùm viſionem, pag. 517.

Tomo VII.

Tabula libri Actuum Apoſtolorum, pag. 835.

Digitized by Google

978

Z 2.2 210

Digitized by Google

FIRENZE - BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
SEGNATURA - 2.2.210 VIII (332)
RESTEURO - 1998
LABORATORIO - RAIMONDO MILIO
RESTAURATORE PROGETTISTA- CLAUDIO MONTELATICI

SINTESI DELLE OPERAZIONI EFFETTUATE:

Controllo della numerazione, pulizia a secco con pannello morbido, risarcimento con montaggio a scarnire con carta giapponese di adeguato spessore e colore, VANGEROW, velatura con velo giapponese 502 e Tylose MH300P, rifilatura del restauro eccedente, carte di guardia Ingrea atruttura F, cucitura su n. 5 nervi di spago, indorsatura con carta giapponese e pelle di capra neutra acarnita, incartonatura dei quadranti, nuova legatura in piena pelle di capra al vegetale (fornitore Scaricaciottoli), dorso attaccato, adesivi Tylose MH300P e Vianvil 59 in percentuale (15%).

COLLAUDATORE
DATA DEL COLLAUDO

LAB. RESTAURO
LIBRI
R. Milio

005655004

Digitized by Google